8.51.H.8

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V.E. II ROMA
8
51 F
8

Digitized by Google

8-51-F-8

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. M. JOAN. BAPTISTÆ
DE LEZANA,
HISP. MATRITENSIS,
SOCII GENERALIS CARMELITARUM;
S. Congreg. Indicis Conſultoris, ac in Sapientia Romana Publici Lectoris;

SUMMA QUÆSTIONUM
Regularium, quatuor Partibus diſtincta,

IN QUA AGITUR DE CASIBUS CONSCIENTIÆ ad perſonas Religioſas vtriuſque ſexus valde ſpectantibus, iuxta noua Decreta, Conſtitutiones & Declarationes Sum. Pontificum & Sacr. Congregat. ipſorumque Regularium Priuilegia. Ex tota fermè Theologia Morali, quatenus ad ipſoſmet Regulares ſpectat.

Opus Prælatis Regularibus, illorumque ſubditis, necnon & omnibus dictæ Theologiæ Moralis Profeſſoribus apprimè vtile, ac neceſſarium.

VOLUMEN SECUNDUM CONTINENS III. & IV. PARTEM.

Editio noviſſima ingenti Rerum valde notabilium augmento ab ipſomet Aùthorè locupletata, In qua RELECTIO CIRCA VALIDITATEM CVIVSDAM CAPITVLI, ET ELECTIONVM IN IPSO FACTARVM, in fine quartæ Partis addita eſt.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOANNIS, & PETRI ARNAVD.

M. DC. LXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Eminentiſſimo, & Reverend. D. D.

CARDINALI LVDOVISIO

MAIORI POENITENTIARIO, Patrono obſervantiſſimo vtramque fœlicitatem exoptat

Frater IOANNES-BAPTISTA DE LEZANA, Carmelita cliens.

HUIUS Operis frons, PRINCEPS EMINENTISSIME, *tui nominis radiis redimita comparet, ſub auſpiciis authoritatis præcelſa, qua polles, in lucem iterum proditura. Hi duo mentis fœtus tua benignitatis auram humiles ambiunt, patorcinium quærunt, & ſub tui vmbra refugium ſingulare ſibi pollicentur. Mea gratitudinis affectus alas prabent, vt volent; & tua clementia effectus auram, vt ocyus aſcendant: parce amanti, ſuperbienti parce, veniam namque meretur condonantis ambitio diligentis: eo vel maximè, quod exigua hac munuſcula, etſi pro tui animi modeſtia placere non ſoleant, à me tamen oblata iure ſunt debita; cum ſint grati clientis pignora, gratitudinis ſigna, ſeruitutiſque tributa, non onerosa, ſed honorifica. Natura ſanè partuum erga ſuas cauſas amulantur ſubmiſſionem. Nam radij, quos lucis pater per aëra largiter in Ortu diffundit, in Occaſu ad ſolemmet celeriter redeunt, vt quilibet ſuo Principi pro debitis ſatisfaciat: flores etiam, quos planta vireſcens luxurioſè protulit, antequam in fructus erumpant, ad matris pedem ſpontaneè ſe ſternunt, in ſeruitutis obſequium, & gratitudinis debitum: fontes quoque natura ductu ad mare, vt ad centrum, alacriter currunt, thori obliti ſui, floréſque quos rigant, fugiunt, & lati mari offerunt latices, quos per occultas terra venas ab illo beneuolè receperunt. Etſi hac non ſubſiſterent, ſed mei affectus mera hac oblatio eſſet, quid mirum, quòd morum regula Regularium inſtructiones ad animarum directionem à me elaborata, vmbram tan-*

tì Principis, in moralibus, Regularibus, & ſpiritualibus negotiis verſatiſſimi, quærant? Rem expertus loquor. Cum enim tua comitate aditum præbente, non ſemel dignatus ſim tanti Principis præſentia frui, nihil in te oculis perſpexi, auribus hauſi, aut mente concipere potui, quod pietatem, deuotionem, charitatem, & tibi pro munere Paſtoralis ſolicitudinis commiſſarum animarum zelum non redoleret. Redeat igitur lux ad ſolem, flos ad matrem, & fons ad ſcaturiginem, dum Opuſcula hæc tui ſub tuitione reponenda cogitaui. Flores ſunt in Carmeli Montis aruis adinuenti, ad tuarum virtutum coronam adaugendam, & ab ea viciſſim condecorandi. De Tibi à Deo conceſſis chariſmatibus non pauca, nec exigua, abſque vlla aſſentatoris vmbra, loqui fas eſſet; ſed rem tibi ingratam autumo, & vix vlli incompertam, ac idcirco ſilentis meditationi linquendam. Dum vnum dumtaxat mihi ſinatur: quod videlicet, ſi Pythagoricum illud de animarum tranſmigratione commentum, ab Eccleſia exploſum, à Philoſophia etiam recta eliminatum, vtcunque ſubſiſteret, B. Nicolai Albergati Cardinalis Legati, Maioris Pœnitentiarij, Bononienſiſque Archiepiſcopi, anima ſancta tibi conceſſa dici poſſet. Nomen enim Nicolai, cognomen clariſſimæ familiæ Albergatorum inter Italiæ Proceres ſplendidiſſimos, Purpuræ ornamentum, Bononienſis Inſula, Legati à latere ſuprema dignitas, ac Maioris Pœnitentiarij munus in vtroque non tam communia, quàm eadem cernuntur. Proinde ſi nomina ſunt omina *rerum, vel à* noſcendo *dicta, vt Magnus Auguſtinus* lib. de Magiſtr. *dixit;* & nomen *quaſi* notamen, *vt idem aſſeruit* in Geneſ. ad litter. *vt propterea pueris pulchra nomina imponenda ſenſerit Plato* de ſap. & ex his quæ confinia ſunt, & ſimilem habent ſpeciem, colligere oportet, *vt Chryſippus dixit; cum, Plut.* de amic. *teſte*, non eſt naturâ comparatum, vt quilibet homo cuique conueniat, nec fortuna ſinit eadem quibuſvis eſſe paria, *dubio procul, & Dei ſapientiſſimo nutu, quo nihil caſu euenit, ſimilitudo hac originem traxit. Beati ergo Nicolai Albergati immortalium ſplendorum, quibus magnitudinis metas tranſcendens ad Beatitatis faſtigium fœliciter aſcendit, locuples hæres ſis, duplicem ipſius ſpiritum, Eliſei inſtar poſſidens: ac in conſiliis prudentiam, in negotiis dexteritatem, in ſuſtinenda Sedis Apoſtolicæ authoritate zelum, & in ſupremo Pœnitentiariæ munere doctrinam cum ſanctimonia, pietatem cum menſura, & ſine menſura charitatem imitere: ſic enim fas mihi ſit augurari. Et vt à diuerticulo ad me redeam, ſi gratia, & natura ſuis adinuicem dotibus tam largiter te condecorarunt, fac me tuæ humanitatis conſortem, vt Opus hoc ſit, te approbante gratum, te gratificante dilectum, te diligente ab omnibus obſeruatum, ad Dei gloriam, tui laudem, mei gaudium, & totius Eccleſiæ commodum, & emolumentum. Viue, & Vale, Mæcenas optime.*

APPROBA

APPROBATIONES.

ADditiones has Tertio, & Quarto Tomo inſerendas, quas ex commiſſione Paternitatis veſtræ Reuerendiſſimæ perluſtraui, nihil in ſe continere quod orthodoxam fidem, aut bonos mores offendat, offendi: prælo propterea dandas omnino cenſeo, non tam ad Authori ſuo, viro magni iam nominis, ſpectatæ vitæ, & clariſſimæ doctrinæ, famam addendam, quàm ad Regularium caſus, & cauſas, quæ in dies occurrunt, expeditius, & vtilius diſcutiendas, ac reſoluendas. Hor. fide, &c. Romæ in Carmelo Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ, die nona Martij 1655.

Fr. Hieronymus Ari Exprocurator Generalis Ord. Carmelit. & Sancti Officij in Vrbe Qualificator.

Facultas R. P. M. Generalis.

NOs Fr. MARIVS VENTVRINVS, Magiſter Generalis Ordinis Carmelitarum Antiquæ Obſeruantiæ Regularis:

Vt Additiones ad Tertium, & Quartum Tomum Summæ Quæſtionum Regularium Adm. R. P. Illuſtriſſimi Fr. Ioannis Baptistæ de Lezana Prouincialis Terræ Sanctæ, ab eodem compoſitæ, & à Magiſtris Theologis noſtri Ordinis, quibus id commiſimus, perlectæ, & approbatæ, typis mandari poſſint; tenore præſentium, noſtrique officij authoritate, quantum ad nos ſpectat, licentiam concedimus, & elargimur. In fidem, &c. dat. Romæ die 10. Aprilis 1655.

Fr. Marivs Ventvrinvs, Generalis Carmelitarum.

Fr. Gavinvs Cattanayna, Prior Tranſp. & Secretarius.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Marcellvs Ananiæ Epiſcopus Sutrinus & Nepeſinus, *Viceſg.*

Imprimatur.

Fr. Dominicvs Manettvs, Mag. & Reuerendiſſimi P. Magiſtri S. A. P. Socius, Ord. Prædic.

APPROBATIONES.

Reverendi admodum Patris Magiſtri Ioan. Bapt. de Lezana, Carmelitarum ſplendoris, Quæſtionum Regularium Summa ita Regulis Sacrorum Canonum conformis eſt, profunda diſcuſſu, vtilis & neceſſaria publico, vt in omnes Chriſtianas Regiones debeat vulgari. Quare quæ in aliis nationibus pluries iam fuit excuſa, denuò excudendam apud Noſtrates iudicamus, vt Tanti viri Doctrina & Pietas ab omnibus videatur, qui pro ſua ſumma humilitate, in ſui Ordinis Generalatu, imò & in ſibi oblatis ditioribus Hiſpaniæ Archiepiſcopatibus videri recuſavit. Ita teſtamur nos infraſcripti Sacr. Facult. Pariſienſis Doctores Theologi, Lugduni ſexto idus Oct. 1655.

F. Pavlvs Lombard, Provincialis Carmelitarum Provinciæ Narbonæ.

F. Cyrillvs Morel, eiuſdem Ordinis Prior Lugduni.

LICENTIA ORDINARII.

Viſa Doctorum Religioſorum Approbatione, Summæ Quæſtionum Regularium à Reuerendo Patre Magiſtro Ioan. Bapt. de Lezana conſcriptæ editioni lubenter annuimus. Datum Lugduni die 18. Octobris 1655.

DE NEVFVILLE Abbas Sancti Iuſti, Vic. Generalis.

Summa Privilegij Regis Chriſtianiſſimi.

Lvdovicvs XIV. Dei gratiâ Galliarum, & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Privilegio ſanxit, ne quis per vniverſos Regnorum ſuorum fines, intra decem annos à die finitæ impreſſionis computandos imprimat, ſeu typis excudendos curet, & venales habeat libros, tam editos, quàm edendos, *R. P. IOAN. BAPT. DE LEZANA Socij Reuerendiſſimi P. Generalis Carmelitarum*, præter Philippvm Borde Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit; Prohibuit inſuper eadem authoritate Regia omnibus ſuis ſubditis eoſdem libros extra Regni ſui limites imprimendos curare, vel quempiam vbicunque fuerit, ad id agendum impellere ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Philippi Borde. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis contra delinquentes expreſſis, vti latius patet in litteris datis Pariſiis, die 6. Februarij 1668.

Ex mandato Regis Signatum DE NIS.

Hæc vltima editio deſiit excudi die 30. *Septembris* 1677.

INDEX

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM,

De quibus in Tertia, & Quarta Parte hujus Summæ, aut ex profeſſo, aut ſaltem remiſſiuè agitur.

A

ABbas. pag. 1
Abbatia. 4
Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa. 5
Abortus, ſeu Aborſus. 7
Abſolutio. 11
Accuſare, & Accuſator. 15
Adminiſtratio, & Adminiſtrator. 18
Ætas. 20
Affinitas. 22
Agnus Dei cerei. 24
Alienare, ſeu Alienatio. 25
Altare. 33
Ambitio. 38
Annus. 39
Apoſtata, & Apoſtaſia à Religione. 40
Appellare, & Appellatio pro Regularibus. 42
Approbatio. 46
Aqua benedicta. ibid.
Arbiter. ibid.
Arma. ibid.

B

BAculus. 49
Baldachinum. ibid.
Bannitus. 50
Baptiſmus. 53
Bellum. 55
Benedictio, & benedicere. 58
Beneficium, & Beneficiati Regulares. 61
Bigamus, & Bigamia. 67
Bona Regularium. 70
Breuiarium. 72
Bulla Cœnæ. 74
Bulla Cruciata. 82

C

CAlix. 91
Canonica portio. 92
Capella, & Capellanus. 94
Capitulum. ibid.
Cardinalis. 95
Caſus reſeruati Regularium. 97
Cauſa Iudicialis Regularium. 103
Cenſura Eccleſiaſtica. 105
Ceſſatio à diuinis. 109
Clauſula. 110
Clauſura Regularium. 116
Clericus. 122
Cœmeterium, 130
Commiſſio, & Commiſſarius Regularium. ibid.
Concionari, & Concionator Regularis. 133
Confeſſarius Regularis. 135
Confeſſio. 140
Confraternitas, & Confratres. 143
Sacra Congregatio. 146
Conſecratio pro Regularibus. 148
Conſeruatores. ibid.
Conſtitutiones. ibid.
Conuerſi, & Conuerſæ. 149
Credo. 152
Crux quoad Regulares. 153

D

DAre, ſeu donare quoad Regulares. ibid.
Decima quoad Regulares. 162
Defunctus. 164
Degradatio. 167
Delinquens Regularis. 168
Denunciatio, & denunciare pro Regularibus. 169
Depoſitio. 173
Dictio. 174
Dimiſſoria. 176
Diſpenſare, & diſpenſatio inter Regulares. 177
Dos Monialium. 180
Dubia Regularium. 181
Duellum. 185

E

ECcleſia, ſeu Templum. 189
Eiecti Regulares ab Ordine. 193
Electio inter Regulares. 194
Epiſcopus quoad Regulares. 281
Eremita. 224
Euchariſtia quoad Regulares. ibid.
Examen, Examinatores. 228
Excommunicatio quoad Regulares. 229
Exemptio Regularium. 241
Extrema Vnctio. 245

F

FAlſarius. 248
Famuli, ſeu familiares Regularium. 250
Feſti dies quoad Regulares. ibid.
Fidei profeſſio. 252
Funeralia. ibid.
Furtum. ibid.

G

GAbella quoad Regulares. 254
Generales Regularium. 259
Gradus, & Graduati Regulares. ibid.
Gratia conceſſa Regularibus. 262

H

HAbitus Regularis. 264
Hæreditas quoad Regulares. 266
Hæreſis, & Hæreticus. 267
Homicidium. 270
Hora Canonica. 275
Hoſpitalarij Regulares. ibid.

I

IEiunium. 275
Illegitimi Regulares. 278
Immunitas Eccleſiarum. 281

Immunitas

Index Materiarum.

Immunitas Eccleſiaſt., Regul. 288
Inceſtus. 290
Indulgentia quoad Regulares. ibid.
Infantia. 296
Interdictum quoad Regulares. 300
Interſtitia. 309
Irregularitas. 311
Iubilæum. 318
Index, & Iudicium Regularium. 333
Iuramentum pro Regularibus. 338
Iuſpatronatus. 344

L

LAici Fratres. 345
Lectio quoad Regulares. ibid.
Legata Regularibus relicta. 347
Leges Regularium. 356
Legitima quoad Regulares. 369
Libri. 370
Licentia quoad Regulares. 377
Litania. 379
Littera Apoſtolica. 380
Ludus quoad Regulares. 386

M

MAndatum quoad Regulares. 389
Manuſcriptum. 392
Matrimonium. ibid.
Matutinum. ibid.
Mendicantes Regulares. 393
Mercatura quoad Regulares. 394
Milites Regulares. ibid.
Miſſa. ibid.
Mitra. 414
Monachi. 415
Monaſteria Regularium. ibid.
Monetarij. 427
Moniales. 429
Mozzetta. 437

N

NEgotiatio quoad Regulares. 437
Neophytus Regularis. 451
Notarius Regularis. 445
Notorium. 448
Nouitij, & Nouitia Religionum. 449

O

OBedientia Regularis. 459
Oblati, ſeu commiſſi. ibid.
Oblatio facta Regularibus. 461
Occultum. 463
Officia Religionum. 465
Officium diuinum. 468
Oleum Sanctum quoad Regulares. 471
Opinio Regularibus tenenda. ibid.
Oracula viua vocis. 474
Oratoria quoad Regulares. 476
Ordines Sacri. 478

P

PAramenta Sacra. 485
Parochus, & Parochia Regularis. 486
Paupertas Religioſa. ibid.
Pœna Eccleſiaſtica. ibid.
Pœnitentia. 491
Portio Canonica. ibid.
Præcedentia quoad Regulares. ibid.
Præceptum. 494
Prædicatores verbi Dei. 494
Prælatus Regularis. ibid.
Præſes Capitulorum. 498
Priuilegia Regularium. 499
Proceſſio quoad Regulares. 508
Procuratores Religionum. 512
Profeſſio fidei. 514
Profeſſio Regularis. ibid.
Profanatio Sacrorum. 521
Protectores Ordinum. ibid.

Q

QVarta funeralis. 522
Quæſtuarij Regularium. 524

R

RAtificatio profeſſionis. 525
Reconciliatio Eccleſiarum. ibid.
Recurſus Regularium ad Sedem Apoſtolicam. ibid.
Recuſatio Iudicis Regularis. 526
Reformati Regulares. 527
Regulares, ſeu Religioſi. 529
Reliquia Sanctorum. ibid.
Renunciatio inter Religioſos. 531
Reſeruatio caſuum. 533
Reſidentia Prælatorum Regularium. ibid.
Reſignatio Officiorum Ordinis. ibid.
Reuerenda pro Ordinibus recipiendis. 534
Reus Regularis. ibid.
Ritus Sacri. 535

S

SAcramentorum adminiſtratio. 536
Sacrilegium. ibid.
Sacriſta, & Sacriſtia. 538
Sanctorum cultus. ibid.
Seminarium. 542
Sententia Iudicialis. 543
Sepultura quoad Regulares. 544
Simonia quoad Regulares. 553
Sollicitantes in confeſſione. 559
Spolia Regularium. ibid.
Statuta. 561
Suffragia. 565
Superior Regularis. 566
Suſpenſio quoad Regulares. ibid.

T

TErtiarij, & Tertiariæ. 570
Teſtamentum quoad Regulares. 571
Teſtis Regularis. 573
Tortura Regularium. 574
Tranſeuntes Regulares. 575
Triremium pœna. 579
Tutela Regularium. 580

V

VAſa Sacra. 580
Velum Monialium. 581
Veneficia. 582
Veſtes Sacræ. 584
Vicarij Religionum. 585
Viſitator Regularis. 589
Vnctio Sacra. 591
Votum pro Regularibus. ibid.
Vox actiua, & paſſiua. 598
Relectio circa validitatem cuiuſdam Capituli, & Electionum in ipſo factarum. 599

SVMMA

SVMMA
QUÆSTIONUM REGULARIUM,
SEU DE CASIBUS CONSCIENTIÆ
ad Regulares vtriuſque ſexus ſpectantibus.

TOMUS SECUNDUS.

ABBAS.

SVMMARIVM.

1 *Abbatis nomen quid importet.*
2 *Abbates in multiplici differentia ſunt.*
3 *Abbatis nomen dignitatem importat.*
4 *Abbates Regulares ſunt verè Prælati.*
5 *An nomine Ordinarij Abbates comprehendantur.*
An in Iubilæis, ſeu Bullis nomine Ordinarij Abbates veniant.
6 *Nomine Monachi in fauorabilibus venit Abbas, ſecus in odioſis.*
An etiam nomine Monialis veniat Abbatiſſa. ibid.
7 *De Abbatibus prouidendis in Conſiſtorio formandus eſt proceſſus.*
8 *Sic prouiſi debent habere litteras Apoſtolicas.*
9 *Quinam dicantur Abbates benedicti, & non benedicti.*
10 *Qualiter teneantur Abbates, & alij Prælati Regulares ad reſidendum in ſuis Eccleſiis.*
11 *Quas pœnas incurrant non reſidentes.*
12 *An Abbates vtantur Pontificalibus inſignibus.*
Quæ ſint talia inſignia.
13 *An aliqui uti poſſint habitu Prælatorum ſæcularium.*
14 *In quibus locis permittitur vſus Pontificalium.*
15 *Altare, & menſa quomodo paranda pro Abbate celebraturo.*
16 *Qui Abbates vocandi ad Concilia.*
Idem de Generalibus Medicantium.
17 *Ad Synodos Diœceſanas qui Abbates, aut Prælati Regulares cogendi.*
18 *An poſſint deponi ab officiis, aut ipſis renunciare, & quomodo.*
19 *An, & quomodo poſſint fieri permutationes Prælatiarum.*
An fieri poſſint renunciationes in alterius gratiam. ibid.
20 *Abbatum cadauera quibus ceremoniis ſepelienda.*
21 *Alia de Abbatibus remiſſiuè.*

ABBAS idem eſt, quod Pater, vt notant 1
S. Hieron. *in c. 4. epiſt. ad Galat.* Auguſtin. *epiſt. 177. & ſup. Pſalm. 78.* D. Thom. *in epiſt. ad Galat. c. 4. lect. 4.* Lyran. *ibid.* & alij. Vnde aliquoties coniunguntur, vt Marc. 14. *verſ. 36.* ibi: *Abba pater omnia tibi poſſibilia ſunt*: & ad Rom. 8. *verſ. 15.* ibi: *In quo clamamus Abba pater*: & ad Galat. 4. *verſic. 6.* ibi: *Clamantem Abba pater.*

Abbates propriè dicti alij ſæculares, alij Regulares: 2
ſæculares illi qui non ſunt alicui Regulæ religioſæ aſtricti, Regulares verò ij qui tali Regulæ ſunt addicti, de quibus maximè in præſenti, cum Summa hæc præſertim ſit de Regularibus. Nihilominus pro plena ipſorum intelligentia de vtriſque agendum eſt. Abbates ergo ſæcolares ſunt in quadruplici differentia, alij qui non ſolùm iuriſdictionem habent in ſubditos, ſed etiam Pontificalia geſtant, quaſi Epiſcopi, alij qui etſi Abbatialem dignitatem teneant, non tamen Pontificalibus inſigniis vtuntur, alij qui in quibuſdam Cathedralibus Eccleſiis in choro, & comitiis aliis præſunt, & alij vocati commendatarij, qui ſolum habent Abbatias in commendam, non in titulum. Abbates etiam Regulares ſunt in duplici differentia, alij enim ſunt reales, alij titulares: reales ſunt illi qui habent ſubditos Regulares, quibus præſunt, quales ſunt Abbates Religionum S. Baſilij, Sancti Benedicti, &c. titulares verò ſunt ij, qui actu ſubditos Regulares non habent, vel quia fortaſſis Monachi locum reliquerunt, vel quia Monaſterium eſt aliò tranſlatum, vel alicui ſæculari clerico in commendam traditum. Siluester, & Angelus *verbo Prælatus.* Tambutinus *de iure Abbatum tom. 1. diſp 3. quæſt. 1.* In præſenti ergo, vt dixi, de Abbatibus Regularibus ſermo erit.

Abbatis nomen dignitatem importat, quia vt dixi 3
tom. 1. p. 2. ſummæ, ap. 13. n. 2. dignitas propriè *eſt adminiſtratio cum iuriſdictione*: quod totum competit Abbati, habet enim iuriſdictionem in ſubditos, tam internam, quàm externam, & adminiſtrat bona ſpectantia ad Abbatiam. Gloſſa *in capit. tuam, de ætat. & qualit.* Gloſſa *in capit. Expoſuiſti, de corpor. vitiat.* Extenditur hoc ad Abbates temporales, qui ad tempus ſolùm, v. g.

Digitized by Google

biennij, vel triennij eliguntur. Etſi enim iſtorum munus beneficium Eccleſiaſticum propriè, & ſimpliciter non ſit, ob defectum perpetuitatis, *cap. de multa de prabend.* & in *capit.1.de conſuetud. in 6.* & in Extrauag. *Execrabilis, de prabend.* nihil tamen illis deeſt ad dignitatis eſſentiam, quæ ſolùm conſiſtit in iuriſdictione cum adminiſtratione. Vnde Vicarij Epiſcoporum etiamſi amouibiles ſint, dicuntur habere dignitatem. Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.13. num.78.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1.diſp.1. quaſit.2. num.8.* poſt alios.

4 Abbates Regulares ſunt verè Prælati, & appellatiune Prælatorum in ſacris canonibus veniunt. Ita enim colligitur ex *cap. decernimus,de iudiciis,* & *cap. praſenti, de Offic. ordin. in 6.* & *cap. vt Apoſtolica, de priuilegiis etiam in 6.* & *cap. quia nos 32. de appell.* & *cap. 1. de atat.& qualit.* & ratio eſt, quia in Monaſteriis præſunt aliis, & habent iuriſdictionem in illos, etiam ordinariam, quod eſt de ratione Prælati, Azor. *tom.1. inſtit. moral. lib.12. cap.19. & tom.2. lib. 3. cap.25. quaſt. 1.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract.8. lib.1. cap. 2. num.2.* & alij paſſim. Omnia ergo, quæ *tomo primo, par.1. Summa, cap.18.* de Prælatis dixi, & *tom.2.p.2.* Deo dante dicentur, Abbatibus applicari poſſunt reſpectiuè.

5 Quamuis nomine Ordinarij Abbates comprehendi poſſint, cum habeant iuriſdictionem ordinariam, id eſt ex vi ſui officij, iuxta dicta *tom.1. cap. 2. num.41.* (Panormitanus *capit. vt fama, num.6. de ſentent. excommunicat.* Nauart. *conſil. 9. de priuileg.*) ita vt cùm in aliquo Iuris decreto aliquid Ordinariis committitur, vel de Ordinariis mentio fit, niſi ſubiecta materia aliud expoſcat, non ad Epiſcopos tantum, ſed etiam ad Abbates & alios Prælatos Iuriſdictionem Ordinariam habentes id extendatur. (Syluester *verbo Excommunicatio 9.caſu 47. num.92.* Nauarrus *lib.4.conſil.in 2. edit. tit. de ſponſal. conſil.5. num.2.* Sanchez *de matrim.lib.3. diſp.19.num.2.*) Nihilominus iuxta dicta *tom.1.ſumm. cap.9 num.19.* nomine Ordinarij, cùm in Iubilæis, ſeu Bullis dicitur, quod aliquis confeſſor ſit approbatus ab Ordinario, intelligi debet reſpectu ſæcularium Ordinarius loci, ſeu Diœceſis, vel Epiſcopus, propter declarationem Sacræ Congregationis illic adductam: Reſpectu verò Regularium intelligi poteſt Abbas, vel Superior illorum, vt ibi dictum eſt, niſi fortè exprimatur *Ordinarius loci*, vel *locorum*, quia tunc non poterit interpretari Abbas, aut Prælatus Regularis, vt ibi etiam dixi. Illi autem Abbates, qui ſunt locorum Ordinarij, non ſolùm intelligi tunc poſſent, ſed etiam ad illos ſpectabit facere omnia, quæ alij Ordinarij faciunt, quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, ac proinde etiam poterunt Synodum congregare, ſicuti faciunt Epiſcopi, cum etiam hoc ſpectet ad poteſtatem iuriſdictionis, & non ordinis. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. diſp.24. quaſit.7.*

6 Nomine Monachi in fauorabilibus etiam venit Abbas, ſecus in odioſis. Ratio primæ partis eſt, quia Monachus per aſſumptionem ad Abbatiam non deſinit eſſe Monachus, vt patet *de Simon. capit. vltim.* & *cap. ex ore, de priuileg.* ſicut Rector per rectoratum ſcholarium non deſinit eſſe ſcholaris. Ergo in fauorabilibus comprehenditur nomine Monachi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia Monachus per aſſumptionem ad Abbatiam habet qualitatem Superioris, & Prælati ſuper alios Monachos: ergo in odioſis non comprehenditur nomine Monachi, per text. *in capit. ſtatutum*, iuncto *capite licet canon, de elect. in 6.* vbi habetur, quod appellatione Eccleſiæ parochialis in materia odioſa non venit Eccleſia parochialis collegiata, quia licet ſit etiam parochialis, habet tamen illam qualitatem collegij. Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de Regular. conſil.75. dub. 15.* Portellus *in dub. Regular. verbo Abbas, num.4.* Naldus *in Summa, verb. Abbas, num.1.* Benè animaduertens hanc doctrinam vtilem eſſe ad quæſtionem in praxi frequentem, an ſcilicet excommunicatio lata in Monachos aliquid facientes, afficiat etiam Abbatem contrauenientem. Reſpondendum eſt negatiuè cum Nauarro *conſil. 75. dub. 14.* de *Regularib. in 1. edit.* niſi ex verbis conſtet intentionem Superioris eam ferentis fuiſſe etiam comprehendere Abbatem. Hinc etiam aliqui volunt loquentem cum Abbatiſſis Monialium non incidere in cenſuram latam, contra loquentes cum Monialibus, quia ſicut nomine Monachi in odioſis non venit Abbas, ſic nec nomine Monialis veniet Abbatiſſa. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.25. quaſit.8. num.5.* Quod limita, iuxta dicta, niſi ex verbis imponentis cenſuram oppoſitum conſtet.

7 De Abbatibus, ſeu Prælatis Regularibus prouidendis in conſiſtorio facienda eſt inquiſitio, & formandus proceſſus, prout præcipit Gregorius XIV. per Bullam *Onus Apoſtolica*, anno 1590. editam apud Quarantam *in ſumm. Bullar. verbo electio.* Forma verò faciendi proceſſus, & inquiſitionem traditur à SS. D. Noſtro Vrbano VIII. apud Tamburinum *de iure Abbatum tom.1. diſp.8. quaſit.2.*

8 Sic prouiſi in Curia antequam accipiant poſſeſſionem Abbatiæ, vel Monaſterij, debent habere à Papa literas Apoſtolicas, aliàs poſſeſſio non eſt valida. Ratio eſt, quia eſto iure communi ſufficeret *fiat*, vel *placet* Summi Pontificis, itaut poſt hanc nominationem ſinc verè Abbates, & Prælati quoad poteſtatem iuriſdictionis, vſu tamen curiæ ex regula 25. Cancellariæ, & decretis Summorum Pontificum Bonifacij VIII. Iulij II. Pauli III. Iulij III. & Pij IV. id eſt neceſſarium. Quaranta *verb. Beneficiorum poſſeſſio.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. diſp.9 quaſit.1.*

9 Abbates alij benedicti, alij non benedicti. De quibus, præter dicta *tom.1. ſumma, cap.2. num.36.* addenda aliqua hîc ſunt. Primò, quod etſi appellari poſſint conſecrati, nihilominus proprius, & rigoroſius dicendos eſſe benedictos, quam conſecratos. Conſecratio enim propriè dicta eſt Sacra Chriſmatis vnctio, benedictio autem eſt ſacramentale quoddam, quo à Deo felicia poſtulantur. Abbates autem iſti benedicti non chriſmate, ſed quadam precatione ab Eccleſia inſtituta fiunt, vt videre eſt in Pontificali Roman. Clement. VIII. Azor. *tom.1. inſtitut. moral lib.12.cap.20. quaſt. 2.* Deinde hanc benedictionem non eſſe eſſentialiter requiſitam pro Abbatibus, non ſolùm quia conſtat Abbates non perpetuos non benedici, & tamen gaudent omnibus priuilegiis aliorum, ſed etiam quia *cap. 1. de ſupplend. negligent. Pralator.* Abbatibus non benedictis conceditur facultas faciendi ea, quæ ſpectant ad eorum officium. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.1. diſp.11. quaſit...*

10 Tenentur Abbates, & alij Prælati Regulares ad reſidendum in ſuis Eccleſiis, & Monaſteriis, iuxta dicta *tom.1. cap.18. num.12.* ex Concil. Trident. *ſeſſ.6.cap.1. & 2.& ſeſſ.23.cap.1.* & iure antiquo ex *cap. Ad hac, & cap. extirpanda, § qui verò, de prabend. cap. quia nonnulli, de Cleric. non reſident.* & *cap. licèt, de elect. in 6.* Quod intelligendum eſt reſpectiuè, ita vt Generalis in locis totius ſui Generalatus, Prouincialis in locis Prouinciæ, & Abbas, ſeu Prior conuentualis in ſuo conuentu reſidere debeant. Quia tamen ex Concil. Trident. *dicta ſeſſ.23. cap. 1.* permittitur Prælatorum abſentia, intra duos, vel tres menſes in anno, dummodo id fiat æqua cauſa, & abſque vllo gregis detrimento, ideo intra hoc ſpatium, & cum prædictis conditionibus permitti poſſe videtur, ſtando in iure communi, Prælatis Regularibus abſentia à locis ſuæ reſidentiæ. Vltra hoc verò tempus, non niſi de licentia Papæ, niſi forſan in caſu raro, & magna ex cauſa. Azor. *tom.1. inſtit. moral. lib.7.q.9.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. diſp. 14. quaſit. 1. num.9.& quaſit.3.* Vbi alia ad intentum.

Eſto

11 Eſto autem Epiſcopi, Abbates, & alij Prælati etiam Epiſcopo inferiores non reſidentes incurrant in pœnas deſignatas à Concilio loco relato, & Pio IV. in Bulla *In ſupremo*, & in alia, *De ſalute gregis*, de quo Quaranta *verbo Reſidentia*. Abbates tamen, & Prælati Regulares quamuis peccent mortaliter non reſidentes ob transgreſſionem præcepti diuini de reſidentia in materia graui, non incurrunt tales pœnas, niſi habeant curam perſonarum ſæcularium, ſed relinquuntur puniendi iuxta ſtatuta Religionum. Sic enim, vt credo, vſus obtinuit, & pro eo extat declaratio Sacræ Congregationis apud Leſſium *de Iuſtit. lib. 2. cap. 34. dub. 29. num.* 161. & Tamburinum *de Iure Abbat. tom. 1. diſp. 14. quæſit.* 7. Qualiter etiam Abbates Abbatiæ carentis cura, & conuentu non ſint cogendi reſidere, ex declaratione Sacr. Congregat. dixi *tomo 2. cap. 2. num.* 45. quod idem dicendum de Prouincialibus titularibus, tam in noſtra, quàm in aliis Religionibus, & de Abbatibus, ſeu Prioribus etiam titularibus, ſi qui fuerint.

12 Poſſunt aliqui Abbates Regulares vti Pontificalibus inſigniis, iuxta dicta *tom. 2. cap. 2. num. 39. & 40.* Sunt autem huiuſmodi Pontificalia inſignia. *Mitra, Baculus paſtoralis, Annulus, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirotheca, & Crux pectoralis*, vt habet Iſidorus Moſcon. *in Tract. de magnitud. Militant. Eccleſ. part. 1. lib. 1. cap. 8. verb. Ornamenta. Mitra* ſignificat Spineam Chriſti coronam, vel ſecundùm quoſdam, propter duo cornua, quæ habet, vtrumque teſtamentum, cuius ſcientiam debet habere Prælatus. *Baculus Paſtoralis* denotat poteſtatem Sacerdotalem in ſubditos. *Annulus* ſignum eſt matrimonij ſpiritualis Prælati cum ſua Eccleſia. *Sandalia* præparationem ad ambulandum pro prædicando Euangelio ſignificare videntur. *Tunicella* perſeuerantiam in benè operando, vel animæ virtutes deſignat. *Dalmatica* ob extenſas manicas, quas habet, liberalitatem. *Chirotheca* exempla Sanctorum, quæ in manibus, id eſt operibus demonſtrari debent, adumbrant. *Crux* verò *pectoralis* Chriſti paſſionem indicat. De quibus Guilelmus Durandus *in Ration. diuin. offic. lib. 3. à cap.* 13.

13 Aliqui etiam Abbates quorumdam Ordinum Monachorum, vt puta Generales Celeſtinorum, deferunt ex priuilegiis Summorum Pontificum habitum Prælatorum, videlicet Mozzetam, Mantelletum, Birretum Clericalem, & pileum, ita reſpondente Sacra Rituum Congregat. die 17 Iunij, anno 1606. & Paulo Quinto in Bulla *Ex iniuncto nobis*, eodem anno data. Quidam apud Tamburinum *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 20. quæſit. 2. num. 2. 3. & 11.* Alij autem Prælati Regulares etiam ſupremi non priuilegiati à Sede Apoſtolica, non ita. Michaël Leo Eſtenſis *ſpecul. Sacror. Rituum, verb. Abbatis, veſtes, & inſignia.*

14 Abbati in Eccleſiis, & beneficiis ſuæ Abbatiæ vnitis permittitur vſus Pontificalium, iuxta dicta de benedictione *tom. 2. cap. 2. num.* 36. Similiter in aliis Eccleſiis, quæ illi pleno iure ſubditæ non ſunt, ſi adſit priuilegium, prout aliquibus conceſſum refertur. Nequaquam verò in Eccleſiis extraneis, niſi de licentia Ordinarij. Ex declaratione Sacræ Congregationis Rituum apud Barboſam *in compend. Bullarij, verbo Abbas.* Qui aliam fermè ſimilem refert ibidem verbo *Priuilegium.* Similiter deferre mitram, & inſignia Pontificalia non licet Abbatibus, præterquam in locis ſuæ iuriſdictionis, niſi adſit priuilegium de hac re. Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 21. quæſit.* 3.

15 Altare & menſa ita paranda eſt pro Abbate, & Priore habente vſum Mitræ, & Baculi, quando ſolemniter celebrat, vt ſcilicet in eo tantum ſex candelabra, cum totidem candelis, & ſua Cruce collocentur, nec abacus alius, præterquam parua menſa in cornu Epiſtolæ, ſuper qua duo poſſint locari candelabra, Mitra qua vtitur, Calix, Miſſale, Thuribulum, cum Nauicula, & alia neceſſaria pro actu celebrationis. Sic enim declarauit Sacra Rituum Congregatio, teſtantibus Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Altare*, & Ioanne Maria Nouario *in Lucern. Regul. verb. Altare, numero primo.* Pro his autem, & aliis ſimilibus ceremoniis obſeruandis ab Abbatibus dum ſolemniter celebrant, vide decretum eiuſdem Sacræ Congregat. apud eundem Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 80. n. 18. & pro vſu baldachini, vide infrà verb. *Baldachinum.* An verò poſſint indui in Altari, vide dicenda infra verbo *Altare, num.* 17.

Abbates etiam Regulares ſaltem ex conſuetudine vocari debent ad Concilia Generalia Eccleſiæ, illi præſertim, qui iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeu quaſi Epiſcopalem habent. Ita enim Eccleſiæ vſus obtinuit etiam antiquitus à ſeptima Synodo generali, & infrà. Vnde in Conciliis Lateranenſi, Florent. & Trident. reperiuntur. Iacobatius *de Concil. lib. 2. art. 2.* Azor. *tom. 2. inſtitut. moral. lib. 5. cap. 11. quæſt. vlt.* Habentque votum deciſiuum, ſicut Epiſcopi, *ex cap. conuenientibus 1, quæſt. 7. & cap. Adrianus, el 2. diſt.* 63. Panormitan. *in quæſt.* 1. quæ incipit *Epiſcopus, & quidam Rector.* Idem dicendum de Generalibus Religionum Mendicantium, propter eandem rationem, & Eccleſiæ vſum, Iacobatius *ſupra*. Bellarminus *de Concil. & Eccleſ. lib. 1. cap. 15. verſ. ad Catholicorum.* Sedent autem poſt Epiſcopos, & ante Epiſcoporum abſentium procuratores. Flauius Cherob. *in comp. Bullar.* tom. 2. *in Conſtit.* 24. *Pij IV.* Franciſcus Leo *in Theſaur. For. Eccleſiaſt. part. 1. cap. 9. num.* 5. 16

Ad Synodos autem Diœceſanas accedere compelli non poſſunt Abbates, aut alij Prælati Regulares, niſi curam animarum in Eccleſiis teneant, iuxta dicta *tom. 1. cap. 11. num.* 20. Concilium enim Tridentin. *ſeſſ. 24. capite* 2. vbi de hac re agit, ſolum obligat ad hoc illos, qui Capitulis generalibus non ſubduntur; hi autem Prælati ſubduntur Capitulis generalibus, vt de ſe conſtat. Præterea accedere ad ſynodos iſtas ſignum eſt ſubiectionis ad Epiſcopos, *cap. fin. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* & habet Eraſmus Chokier *de iuriſdict. Ordinar. in exempt. part. 4. quæſt. 19. num.* 1. hi verò Prælati, vt ſupponimus, non ſunt ſubiecti Epiſcopis, ſed ab illorum iuriſdictione exempti. Franciſcus Leo *in Theſaur. For. Eccleſiaſt. part. 1. cap. 9. num.* 13. Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 24. quæſit.* 4. Quando etiam hi Prælati curam animarum exercent per Vicarium ſæcularem ab Epiſcopo approbatum, ſufficit, quod mittant dictum Vicarium, ex declarat. Sacræ Congregationis, teſtante Sellio *in ſelect. Canon. cap. 25. num.* 15. & Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Synodus.* In his tamen omnibus tum conſuetudo, tum priuilegia, ſi quæ fuerint, attendenda ſunt. 17

Abbates, & alij Prælati Regulares non ſolum poſſunt deponi ab officiis propter demerita, iuxta ſacros canones, & ſtatuta Religionum, ſed ipſis in iure communi ſtando, poſſunt ſponte renunciare. Regulariter enim quilibet poteſt renunciare iuri, & beneficio ſibi competenti, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, *leg. ſi quis in conſcribendo, C. de pactis.* Huiuſmodi autem renunciatio fieri debet in manibus illius Superioris, qui habet poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi ſimul illos, Generalis videlicet, vel Prouincialis, non in manibus Monachorum, vel Fratrum, etiamſi ad eos ſpectet electio illorum. Videtur enim hoc ſolum ſpectare ad eum Superiorem, qui habet plenum ius in dictas Prælatias, quale ſolum competit ei Superiori, qui habet auctoritatem inſtituendi, & deſtituendi. Gloſſa *in Clem. 1. in verbo in manibus, de renunciat.* Eraſmus Chokier *de iuriſdict. Ordin. in exempt. part. 4. quæſt. 67. & 68.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopor. allegat. 69. num.* 4. Aliàs renuntiatio eſt nulla, & irrita. Rota *in Nolana Abbatia*, Iunij 1578. Cauſæ autem legitimæ renunciationis 18

ſunt cenſura, vel irregolatitas impediens officij executionem, infirmitas corpotis, ſenectus, vel aliud impedimentum ſimile. De quibus Vincentius Filliucius *tract. 41. de benefic. cap. 10. num. 12.* Proſper Auguſtinus *in Additionibus ad Quarantam, verbo reſignationes beneficiorum, in princip.* Barboſa relatus à *num. 31.* Vide infrà verbo *Beneficium, numero 6.*

19 Commutationes autem, ſeu permutationes Prælatiarum fieri non poſſunt, niſi auctoritate Superiotum, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 32.* De quo vide Nauar. *conſ. 42. num. 1. tit. de Simon.* Leſſium *de Iuſt. lib. 2. cap. 34. num. 196.* An autem ſimiliter fieri poſſint harum Prælatiarum renunciationes in alterius gratiam in manibus Superiorum, ſicut Abbatiæ commendatæ, & alia beneficia reſignantur hoc modo coram Summo Pontifice (vt habent Azor. *tom. 2. inſtitut. moral. lib. 7. cap. 21. quæſt. 1.* & Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 13. quæſit. 5.*) dubium eſt magis ſpeculatiuum quàm practicum, quia vt credo, vix eſt talis vſus in aliqua Religione; nihilominus caſu quo eſſet, cum huiuſmodi Prælatiæ, eſto non ſint beneficia Eccleſiaſtica, quia non habent adiunctam vtilitatem redituum Eccleſiaſticorum; quia nihilominus aliqua forſan illam habebunt, & ſaltem ea omnia ſunt veluti beneficia, ideo de illis philoſophandum eſt, ſicut de beneficiis Regularibus, de quibus an poſſint reſignari in fauorem tertij, dicetur infra verbo *Beneficium, & Beneficiati, num. 6.* Vide ibi dicenda.

20 Abbatum cadauera induuntur eiſdem veſtibus, & inſigniis Pontificalibus, quibus viuentes induebantur, dum ſolemniter celebrabant. Deferuntur à dignioribus Monaſterij, officium aliquo Abbate viciniori, vel ſaltem digniori Monaſterij faciente, cum oratione funebri in fine Miſſæ facienda. Andreas Piſcar. *in Praxi Ceremon. libro primo, ſect. 9. cap. 9.*

Quæ poſſint benedicere Abbates, habes verbo *Benedictio, benedicere*: quæ poſſint conſecrare, verbo *Conſecratio, & conſecrare.* An Indulgentias concedere, verbo *Indulgentia, num. 4.* An ceſſationem à diuinis ponere, verbo *Ceſſatio a diuinis, num. 2.* An interdictum, verbo *Interdictum quoad Regulares, n. 7.* Quid circa matrimonij Sacramentum efficere, in 4. tom. verbo *Matrimonium.* Quando Ordines conferre ibi, verbo *Ordines*, quando vti Baculo, verbo *Baculus*, & quando Baldachino, in verbo *Baldachinum.* Alia verò, quæ ipſis communia ſunt cum aliis Prælatis Regularibus, vide 4. tom. verbo *Prælatus*, vbi etiam notata videbis alia.

ABBATIA.

SVMMARIVM.

1 *Abbatia quid ſit.* 1

Quibus concedi poſſit in titulum, vel in commendam. ibid.

A quo id fieri poteſt. ibid.

2 *Prouideri debet per electionem.*

3 *Non poſſunt eidem Abbatiæ præfici duo Prælati.*

4 *Nec è contra vnus Prælatus duabus Abbatiis.*

5 *Quis conferre poteſt Sacramentum Confirmationis, & exercere Pontificalia in Abbatia nullius Diœceſis.*

6 *Alia remiſſiuè.*

1 ABbatia, Ideſt Eccleſia, ſeu Monaſterium, cui præficitur Abbas, licet in titulum concedi non poſſit niſi Regulari expreſsè profeſſo in eadem Religione, iuxta dicta *tom. 15. cap. 1. num. 25. & cap. 18. num. 5.* Ita enim habetur *ex cap. nullus, de elect. in 6.* & *Clem. 1. §. cæterum Prioratus, verſ. ſanè, de ſtat. Monachor.* & *capit. cum cauſam, de elect.* Firmante Sacra Congregat. apud Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. gloſ. 8. num. 78.* & docentibus communiter Doctoribus, ſpecialiter Rodriguez *tom. 2. quæſt. Regul. quæſt. 52. art. 8.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 11.* In commendam tamen concedi poteſt Clerico Sæculari, non ſolùm ad tempus, quando videlicet mortuo Abbate, alicui committitur veluti cuſtodi, curatori, & tutori; ſed etiam in perpetuum, ſcilicet per totam vitam, cum facultate diſponendi de fructibus ipſius. Ita enim conſtat ex vſu antiquiſſimo Eccleſiæ, & Summorum Pontificum. Rebuffus *in praxi benefic. titul. de commend.* Gonzalez *ad Regul. 8. de menſibus, gloſ. 5. §. 8.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. Allegat. 68.* Huiuſmodi autem commendatio ſolùm à Summo Pontifice fit, propter eius ſummam poteſtatem, prout colligitur ex Leon. X. *in conſtit. 7. §. 9.* apud Laertium *in tom. 1. Bullar. pag. 475.* Azor. *tom. 2. Inſtitut. moral. lib. 6. cap. 31. quæſt. 15.* Tamburin. *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 4. quæſit. 3.* apud quem *quæſit. 6.* an Abbatia commendata vacans poſſit impetrari, & *quæſit. 8.* an Monachus obtinens vnum beneficium, poſſit Abbatiam in commendam obtinere.

Abbatiæ omnes, Præfecturæ, ſiue Prioratus Regulares prouideri debent per electionem ab ipſis Regularibus, iuxta dicta *tomo 1. Sum. capit. 15. numero primo.* 2 Quod etiam tenet etiamſi tales Abbatiæ, ſeu Monaſteria excedant annuum valorem 200. Florenor. auri. Etſi enim Iulius III. inter Regulas Cancellariæ ſibi reſeruauerit Eccleſias omnes, & Monaſteria talem valorem excedentia, communis tamen vſus obtinuit, vt non intelligatur hæc reſeruatio, niſi de Monaſteriis, aut Eccleſiis in commendam concedi ſolitis, vel forſan derelictis, aut de Regularibus ad ſæculares redactis: & meritò quidem, cum odia *de Reg. iur. in 6.* ſint reſtringenda, & Summus Pontifex non cenſeatur reſcribere aliter quàm ſit conſuetum, per *text. in l. fin. C. de fideiuſſor. in fine*, Mandoſius ſuper *Regul. 2. Cancell. quæſt. 3.* Azor. *tomo 2. inſtit. moral. lib. 7. cap. 2. quæſt. 10. verſ. ſed hac Regula.* Rodriguez *tom. 2. quæſt. 53. art. 8.* De modo autem electionis Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium, & aliis requiſitis tam pro electionibus, quàm pro electoribus, & eligendis, vide dicta *tom. 1. cap. 15.* & *tom. 2. cap. 12. & 13.* & dicenda infrà verbo *Electio.*

Non poſſunt eidem Abbatiæ, vel monaſterio præfici duo Abbates, vel Prælati Regulares. Non enim 3 poſſunt plures beneficiati, vel intitulati eidem Eccleſiæ, vel titulo præfici, ſicut nec plures viri eidem ſponſæ fœminæ, *cap. cum non ignores, de præbend.* nec plura capita eidem corpori, alias eſſet monſtrum, *cap. quoniam de offic. ordin.* Tamburin. *de iure Abbatum tomo 1. diſputat. 5. quæſit. 23.* poſt alios quos refert.

Nec è contra poteſt vnus Abbas, vel Prælatus Re- 4 gularis duabus præfici Abbatiis, ſeu Monaſteriis, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 97.* Vnde eo ipſo, quod aliquis nouæ Abbatiæ, ſeu monaſterio præficitur, & dignitatem acceptat, deſinit eſſe Abbas, aut Prælatus primæ Abbatiæ, ſeu monaſterij, *can. Cler. & can. ſeq. can. vnum Abbatem, 21. quæſt. 1.* Concilium Cabilonen. *cap. 1. §. 12.* Quod intellige, niſi vnum monaſterium ab alio dependeat, prout colligitur ex *can. fin. 25. quæſt. 2.* & Trident. *ſeſſ. 25. capit. 8.* Lælius Zechus *de Republ. Eccleſiaſt. capit. 25. num. 2. verſ. 7.* & alij communiter.

In Abbatia nullius Diœceſis non poteſt Epiſcopus 5 vicinior conferre Sacramentum Confirmationis, & exercere Pontificalia abſque Abbatis expreſſa licentia, ſed eſt in facultate ipſius Abbatis conuocare quem maluerit Catholicum Antiſtitem, ſaluo tamen maiori iure Epiſcopi vicinioris, ſi aliunde id ſibi competat. Epiſcopus autem vicinior dicitur ille cuius Cathedralis Eccleſia eſt Abbatiæ proximior, non autem locis dictæ Abbatiæ ſubiectis. Ita ex Sacra Congregatione, referente Sellio *in ſelect. canon. c. 18. num. 31.* Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Abbatia.*

Vide

Digitized by Google

Vide alia ſupra verbo *Abbas*, & infra verbo *Abbatiſſa*, verbo *Adminiſtrator*, verbo *Alienatio, ſeu alienare*, verbo *Bona*, verbo *Clauſura*, verbo *Eccleſia*, verbo *Immunitas Eccleſiarum*, verbo *Interdictum*, & infra verbo *Monaſterium*.

ABBATISSA, SEV PRIORISSA.

SVMMARIVM.

1 *Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum electio pertinet ad Moniales.*
Quas conditiones habere debeat. ibid.
2 *In ætate Abbatiſſarum quis diſpenſet.*
An ſine illa electio Abbatiſſæ ſit nulla. ibid.
3 *Ipſarum electio fieri debet per vota ſecreta.*
An aliter facta per ignorantiam decreti Concilij ſit inualida. ibid.
An Epiſcopus in hoc diſpenſet. ibid.
4 *Quid de Præſide electionis Abbatiſſarum.*
An debeat habere votum in electione ipſarum. ibid.
5 *Scrutatores an habeant vocem in tali electione.*
6 *Quot partes Monialium concurrere debent ad illam.*
Quid de electionibus Superiorum Regularium.
7 *Qui vocantur ad earum electiones, à quibus abſtinere debeant.*
8 *Poſſunt Moniales Iure communi compromittere electionem.*
9 *An Moniales deſcendentes ex maculato genere eligi poſſint in Abbatiſſas.*
10 *Electa in abbatiſſas, qualiter, aut à quibus confirmanda.*
11 *A quibus benedicenda.*
Qualis ſit hæc benedictio, & quo loco facienda. ibid.
12 *Bulla Gregorij XIII. de Abbatiſſis ſolum per triennium duraturis, eſt in viridi obſeruantia.*
13 *An poſt triennium vacationis iterum eligi poſſint.*
An ſoror antecedentis Abbatiſſæ eligi poſſit. ibid.
14 *An Abbatiſſa poſſint diſpenſare cum Monialibus.*
15 *An poſſint benedicere illas.*
16 *An Beneficia, vel Capellas conferre.*
Quomodo dicantur ſuſpendere Clericos. ibid.
17 *An, & quomodo habeant adminiſtrationem bonorum ſui Monaſterij.*
18 *Vbi, aut quomodo ſepelienda.*
19 *Alia remiſſiuè.*

1 Abbatiſſarum, Prioriſſarum, ſeu monialium Præfectarum electio pertinet ad moniales ipſas, iuxta dicta *tom. 1. cap. 26. num. 2.* Quamuis autem eligenda ad tale munus debeat eſſe expreſsè profeſſa, iuxta ibi *num. 3.* dicta ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 7.* ad hoc tamen quod monialis eligere poſſit, ſufficit quod ſit tacitè profeſſa, cùm profeſſio tacita vera profeſſio ſit, & ſufficiens ad hoc, quod Religioſus eligere poſſit Prælatum, iuxta dicta *tom. 1. p. 1. cap. 15. n. 2.* Nec à Iure, aut Concilio quoad hæc excluſa. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 4. num. 2. & 8.* & ratio diſcriminis aſſignari poteſt, quia Abbatiſſa eſt veluti Præſidens, & vocatur Presbytera à Sacris Canonibus, *can. mulieres, 23. diſt.* (vt ait Lauretus de Franchis *in controu. Epiſcop. & Regul. quæſt. de Abbatiſſa, quæſt. 2. num. 9.*) ideo videtur requiſita qualitas illa profeſſionis expreſſæ pro ipſa, non autem pro monialibus eligentibus.

2 In ætate porrò eligendæ in Abbatiſſam, quæ iuxta Concil. loco relato debet eſſe 40. annorum, vel ſaltem ſupra 30. & tempore à profeſſione expreſſa facta, quod debet eſſe octo annorum, vel ſaltem quinque, non poteſt Epiſcopus, vel alius Superior diſpenſare. Eſt enim lex Pontificia ſuper qua Pontifice inferiores nihil poſſunt, niſi illis concedatur. Armendariz *in addit. ad recopilat. leg. Nauarr. lib. 1. tit. 18. lib. 7. de Epiſcop. n. 101.* referens declarationem Sacræ Congregationis quoad hoc, quod etiam fecit Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Abbatiſſa.* Aloyſius Riccius *in deciſ. Cur. Archiepiſcopal. Neapol. 309. part. 4. num. 9.* Quare Regula Fratrum Minimorum, quæ ſolum petit 25. annos ætatis, & duos profeſſionis, abrogata cenſenda eſt. Quamuis autem *tom. 1. cap. 27. num. 3.* dixerim defectum ætatis non reddere electionem nullam, quia Concilium non appoſuit clauſulam irritatiuam, nihilominus ſi conſtet de quadam alia declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Barboſa *de iure Eccleſiaſt. libro primo, cap. 45. & in Collectan. Bullar. verbo Abbatiſſa*, in qua dicitur: *Abbatiſſa electio, quæ ætatem quadraginta annorum requiſitam non habebat, ſi in Monaſterio non deſunt aliæ Moniales quadragenariæ, atque habiles, licet non adeo idoneæ ſicut electa, eſt nulla*; illi ſtandum eſt, & credendum Sacram Congregationem exiſtimaſſe Concilium voluiſſe in deſignatione talis ætatis dare formam electioni, ac per conſequens ſine illa actum eſſe nullum. Bartol. *in l. Gallus, ff. de liber. & poſthum.* Similiter quamuis loco relato dixerim defectum talis temporis profeſſionis non irritare electionem, nihilominus ſi pariter conſtet de quadam alia declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Iulius Lauorius *variar. lucubrat. titul. 4. cap. 23. n. 6.* & Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſputat. 28. quæſit. 2. num. 8.* in qua deciditur vel vnum menſem minus non ſufficere ad validitatem talis electionis, illi etiam parendum eſt, propter dicta.

Ipſarum electio debet fieri per vota ſecreta, iuxta dicta *tomo 2. cap. 35. num. 17.* ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. capit. 6.* ibi enim ſermo eſt tam de Prælatorum, quàm de Abbatiſſarum electione. Vnde aliter facta etiam per ignorantiam decreti Concilij inualida eſt, nec Epiſcopus in ea poteſt diſpenſare, iuxta declarationem Sacræ Congregat. referente Riccio *in deciſ. Cur. Archiepiſcop. Neapolit. part. 3. deciſ. 197. num. 7.* Electio autem Abbatiſſæ per vota, ſeu ſuffragia voce tenus expreſſa coram Epiſcopo cum ſuo Vicario, Secretario, vel alio ab ipſo aſſumpto, valida eſt, ex declaratione etiam Sacræ Congregationis apud Naldum *in Summ. verb. Moniales, n. 1.* & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Abbatiſſa.* Quod tamen intelligo, dummodo ſecretè id fiat, aliàs menti Concilij contrarium eſſet, & ex eo puto à Sacra Congregatione ſic determinatum, quod aliquæ Moniales ſcribere neſciant, ac per conſequens, nec votum dare poſſint, niſi ore tenus. 3

De Præſide autem in electione Abbatiſſarum philoſophandum eſt proportionaliter ad ea, quæ de Præſide in electionibus Regularium dixi *tom. 1. c. 15. n. 34.* & *tom. 2. cap. 12. à num. 35.* iis exceptis in quibus ſtatuta particularium Religionum ſtatuunt oppoſitum, aut Sacræ Congregationis declarationes non obuiant. Hinc ipſi Præſidentes in electione Abbatiſſarum, aut Prioriſſarum, non poſſunt dare ſuffragium etiam in caſu quo moniales diſcordes extiterint in ea. Ita enim decreuit Sacra Congregatio apud Iulium Lauorium *variar. lucubrat. tit. 4. c. 24. n. 42.* & Tamburin. *de Iure Abbatiſſarum diſp. 28. quæſit. 6.* vbi etiam additur electionem aliter factam nullam eſſe. Nihilominus quia oppoſitum eſt ſatis conſentaneum rationi, cum Præſes electionis ſit caput illius communitatis, ita vt ipſe cum Monialibus faciat vnum Collegium, ideo vbi fuerit legitima conſuetudine introductum, prout de Luſitania teſtatur Portellus *in dub. Regular. verbo Abbatiſſa, num. 9.* obſeruari poterit, maximè cum non videam quoad hoc derogatam eſſe à Sacra Congregatione conſuetudinem legitimam. 4

Illud eſt certius, ſcrutatores non habere vocem in electione, ita enim habetur tum ex declaratione Sacræ Congregationis relata, tum ex alia, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Abbatiſſa*, & Tamburinus 5

loco relato. Quod credo intelligendum de ſcrutatoribus extraneis ipſis Monialibus, non de ſcrutatricibus ex ipſarum numero aſſumendis, iuxta *cap. Quia propter*, & dicta *tom.2.cap.12.num.26.27 & 28.*

6 In electione Abbatiſſæ ex tripartito numero Monialium duæ partes concurrere debent, niſi alia fuerit loci conſuetudo, & ſi fuerint diſcordes, poteſt Epiſcopus nominare vnam, quam magis idoneam iudicauerit. Ita Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium apud Piaſecium *in Prax. Epiſcoporum, part.2.cap.3. num.57.* & Barboſam *ſupra.* Circa quod notandum primò, idem videri dici poſſe de aliis Superioribus Regularium Præſidentibus electioni Abbatiſſæ, poſſe videlicet facere idem, quod Epiſcopus in prædicto caſu diſcordiæ, propter eandem rationem. Secundò, verba illa, *niſi alia fuerit loci conſuetudo*, denotare hanc conditionem de non eligenda Abbatiſſa, niſi habeat duas partes ſuffragiorum (quæ etiam eſt conformis iuri communi, *cap. indemnitatibus, de elect. & electi poteſt. in 6.*) ſolum obſeruari debere, quando aliud non fuerit conſuetudine receptum. Idem dico ſi lege, vel ſtatuto approbatis, non fuerit ordinatum, propter eandem rationem. Tertiò, ad hoc, quòd Epiſcopus, vel alius Superior Præſes electionis vtatur prædicta facultate nominandi vnam magis idoneam, debere prius præbere monialibus tempus competens ad ſe concordandum. Ita enim declarauit eadem Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, vt referunt prædicti Piaſecius, & Barboſa.

7 Maximè aduertendum, eos, qui ad moniales in huiuſmodi electionibus dirigendas vocati fuerint, abſtinere debere ab iis, per quæ inter eas ſuper faciendis ipſis electionibus oriri poſſit diſcordia, vel exorta nutriri, alias eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere. Ita enim habetur expreſsè in dicto *cap. indemnitatibus, de elect. & electi poteſt. in 6.* Nauarrus *cap.27. numero 124.* Sairus *lib.3.cap.37.* Vnde Præſides electionum Monialium, imò quicumque alij, ſiue Religioſi, ſiue Sæculares, ſiue Clerici, ſiue Laici incurrent prædictam cenſuram, dum tamen vocati fuerint ad dirigendas Moniales, prout dicitur in texto. Sairus *ſuprà*, Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp.28. quæſit.7.* Qui ergo alio titulo dictæ electioni ſe intromiſerint, non videntur comprehendi hac lege.

8 Poſſunt moniales iuri communi inhærentes vnanimi conſenſu compromittere electionem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ idoneæ in Epiſcopum, vel alium Prælatum. Ita enim colligitur ex *cap. cauſam, de elect.* Panormitanus *ibid. num.3.* Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.28. quæſit. 8.* qui etiam cum Lauorio *in variar. lucubrat. tit.4. cap.4. num. 60.* ait, quod ſi tunc Epiſcopus malam elegerit, non poterit reuocare electionem, quia cum iam functus eſſet ſuo officio, ſiue benè, ſiue malè, non poteſt amplius ſe intromittere, *cap. in cauſis, cap. innotuit, de elect.*

9 Moniales deſcendentes ex maculato genere, puta Hebræorum, vel Saracenorum, iure communi eligi poſſunt in Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas, cùm ius commune non reſiſtat, & Conſtitutiones aliquæ Summorum Pontificum, quæ pro aliquibus Religionibus emanarunt, ſolùm loquantur de viris, & non de fœminis, ac per conſequens ad illas extendi non debeant. Miranda *de Sanctimonialibus quæſt.6. art.2.* Portellus *in dub. Regularib. verb. Abbatiſſa, num.6.* An verò expediat ſic maculatas perſonas ad hæc officia, vel ſimilia admittere, viderint ij ad quos id ſpectat. [Ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij in vna Poſanienſi 16. April. 1639. Abbas Regularis profeſſus non tenetur ſub pœnis ſuſcipere benedictionem, ſed non benedictus non poteſt exercere actus permiſſos Abbati benedicto.]

10 Electa in Abbatiſſam debet confirmationem accipere. Nam præter dicta de electionibus in communi *tom.1. cap.25. num.36.* & *tit. 2. cap.12. à num. 39.* ita ſupponitur *in Clement. Attendentes, de Stat. Monachor.* Azor. *tom.1. inſtit. moral. lib.13. c.104.3.* Confirmanda porrò eſt ab immediato Superiore, iuxta dicta *dict. c.15. n.36.* ſiue ille Papa ſit, ſiue Epiſcopus, ſiue Prælatus Regularis. Azor. *ſuprà.* Layman. *in quæſt. Canon. de Prælat. elect. q.233.* Declarauit autem Sacra Congregatio, iuxta dicta *tom.1. cap.25. n.46.* quod quamuis per Conſtitutionem Gregorij XV. de qua ibi, concedatur Epiſcopo quod poſſit aſſiſtere per ſe, vel per alium vnà cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſſarum electionibus, nihilominus non propterea ius illas confirmandi illi attributum cenſeri debere. Quid autem agendum, ſi Confirmator confirmare nolit, vel allegetur ſuſpectus, tractat Lauorius *in variar. lucubrat. tit. 4. c.54.* De cauſis etiam propter quas electio confirmari non debeat, & qualiter in ea ſe gerere debeat Confirmator, vide dicta locis relatis ex *tom.1. & 2. Summæ.*

Abbatiſſæ, quæ iuxta dicta *tom. 1. cap. 26. num. 1.* benedicuntur, intra annum à ſuæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis ſuſcipere debent, alioquin niſi ſubſit cauſa rationabilis, à iure ſuo cadunt. *Clement. Attendentes, §. ſtatuimus, de Stat. Monach.* Theſaurus *in praxi, part.2. cap.1.* vbi alia circa hoc. Eius verò benedictio non reiteratur, ſicut diximus de benedictione Abbatum *tom.1. cap.2. num.36.* & propter rationem ibi aſſignatam. Nauarr. *conſil. 2. de Sacrament. non iterand.* Rodriguez *tom.1. quæſt.12. art.3.* Non tamen debet deferri in Eccleſiam Epiſcopalem, vt benedictionem accipiat. Ita enim declarauit Sacra Congregatio apud Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regular. verbo Abbatiſſa, num.12.* Pro forma autem talis benedictionis vide Tamburinum *de iure Abbatiſſarum diſp. 29. quæſit.5.* 11

Bulla illa Gregorij XIII. quam retuli *tom.1. cap.26. num.4.* quam etiam affert Naldus *in Summa, verbo Abbatiſſa, num.5.* in qua decernitur quod Abbatiſſæ in Italia, & præſertim in vtriuſque Siciliæ regnis, ſolum per triennium durare debeant, eſt in viridi obſeruantia reſpectu omnium Monialium etiam Ieroſolymitanarum, vt declarauit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium apud Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regular. verb. Abbatiſſa, num.8.* Vnde electio aliter facta, ſcilicet vltra triennium, vel ad beneplacitum Monialium, valida non eſt, etiam pro triennio. Conſtitutio enim illa dat formam electioni, ac per conſequens ea non ſeruata redditur actus nullus. Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſp.30. quæſit.3.* Nec poſſunt confirmari poſt triennium, quia Pontifex præcipit vt omnino præeſſe deſinant, & careant regimine. Licet pro paruo tempore, donec alia Abbatiſſa eligatur, Vicariæ officium exercere poſſint. Miranda *de Monialib. quæſt.7. art.9. concl.2.* Lauorius *ſup. c.55. num.68.* 12

Poſtquam autem per triennium vacauerint, iterum eligi poſſint, ſeruatis ſeruandis, prout habetur in dicta Conſtitutione Gregorij. Credo autem huiuſmodi vacationem per triennium intelligi debere tribus annis completis, iuxta dicenda infra, verbo *Annus, num. 5.* Immo ſingulis annis mutari poſſe Abbatiſſas declarauit Sacra Congregatio apud Lauorium *in lucubrat. tit. 4. cap.54. num.65.* Poſſe etiam promoueri ſororem antecedentis Abbatiſſæ, in contrarium non exiſtente Ordinis conſtitutione, haberi videtur ex alia declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium apud Nouarium relatum. [Circa quod etiam video aliam declarationem eiuſdem Sacræ Congregationis in vna Meſſanenſi, 17. Ianuarij 1642.] Similiter poſſe alias Moniales electas in Officiales pro bonis Monaſterij adminiſtrandis durare ad arbitrium Superiorum Monaſterij, declaratum etiam dicitur à Sacra Congregatione apud Lauret. de Franch. *in Controuerſ. inter Epiſcop. & Regular. quæſt. de Abbatiſſ. pag.160.* 13

§. 12.

Digitized by Google

§. 12. Et ſanè id non videtur prohiberi prædicta Conſtitutione Gregorij XIII. Extra Italiam verò iura & conſtitutiones Religionum obſeruari debent, ſicut in Ordine Minorum pro Abbatiſſis S. Claræ decreta Sixti V. & Pauli V. de quibus Portellus *verbo Abbatiſſa, n. 4.*

14 Quamuis Abbatiſſæ ob defectum iuriſdictionis, ſeu poteſtatis ſpiritualis, quam fœminæ habere non poſſunt, iuxta dicta *tom. 1. cap. 26. num. 8.* non poſſint propriè diſpenſare cum Monialibus in ieiuniis, & obſeruantiis Religionum, impropriè tamen id facere poſſunt, quando videlicet cauſa diſpenſandi vrget, & vel ex præcepto Superiorum, vel conſuetudine Religionis, Abbatiſſarum prudentiæ hoc remittitur. Tunc enim etſi propriè non diſpenſent propter dicta, diſpenſant tamen impropriè, quatenus de cauſa, & neceſſitate iudicant, Superiore, vel Religione ipſa diſpenſante. Quo ſenſu accipiendus Enriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 2. num. 3. & 4.* Quære conceſſionem Pauli III. pro Abbatiſſis Monialium Sanctæ Claræ apud Rodriguez *in Bullario*, ab aliquibus relatam, quam tamen ego reperire non potui.

15 Similiter quamuis Abbatiſſæ non poſſint publicè benedicere ſuas Moniales, quia benedictionis publicæ munus ſupponit clauium, & iuriſdictionis poteſtatem, quæ fœminis conuenire non poteſt, ac per conſequens nec poſſint aquam, aut res ſimiles benedicere, propter eandem rationem, poſſunt tamen illas priuatim benedicere, ad modum quo parentes filios benedicunt. Sylveſter *verbo Abbatiſſa 3. num. 8.* Miranda *de monialibus quæſt. 6. art. 3. concl. 2.*

16 Poſſunt præterea Abbatiſſæ, ſi Monaſteria quibus præſunt, habent beneficium curatum vnitum, Clericos inſtituere, & beneficia, ac capellas conferre ad inſtar aliorum Prælatorum, Rodriguez *tom. 1. quæſt. 17. art. 12.* Miranda *dict. q. 6. art. 5. concluſ. 1.* Hoc tamen fit deſignando materiam, vel perſonam, non exercendo actus iuriſdictionis, iuxta dicta *tom. 1. cap. 26. num. 12.* ex Suarez *tom. 3. de Relig. Tract. 8. lib. 2. cap. 9. num. 13.* Pro quo vide duas Rotæ deciſiones coram Durano in nouiter impreſſis. Et nota, quod cum Abbatiſſæ dicuntur ſuſpendiſſe aliquos Clericos, illa ſuſpenſio non eſt cenſura, ob cuius tranſgreſſionem incurratur irregularitas; illæ enim cum non ſint capaces iuriſdictionis, iuxta dicta, non poſſunt hoc modo ſuſpendere. Dicuntur ergo ſuſpendiſſe impropriè, quatenus prohibent ne exerceatur aliquod officium, vel beneficium. Bonacina *de Cenſur. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 2. num. 4.* Laymanus *lib. 1. tract. 5. pars. 1. c. 3. n. 3.*

17 Habent prædictæ Abbatiſſæ liberam bonorum ſui Monaſterij adminiſtrationem, ad modum quo idem dixi de Prælatis Regularium *tom. 1. c. 18. n. 53.* Limitatam tamen iuxta Conſtitutiones, & Statuta Religionum. Sanchez *lib. 7. de præcept. Decalog. cap. 19. num. 44.* Et (iuxta dicenda infra verbo *Adminiſtratio, & Adminiſtrator*) pro ſuis Monaſteriis poſſunt eſſe Procuratrices. Corduba *in ſumm. q. 54.* Petrus de Navarra *de Reſtit. cap. 1. num. 169.* Ideo etiam poſſunt Moniales eam licentiam dandi, & recipiendi concedere, quam etiam Prælati ſuis ſubditis, niſi hoc illis ſit prohibitum iure, vel conſuetudine Religionis, iuxta dicta *tom. 1. cap. 56. num. 14.* Quod idem dico de determinatione materiæ voti paupertatis, deſignatione bonorum ad vſum, & ſimilibus. Sunt enim diſpenſatrices, & moderatrices bonorum temporalium Monaſterij. Sanch. *ſupr.* Bartholomæus à Ledeſma *in ſumm. Sacrament. tract. de pœnit.* vbi de clauibus, *diff. 4.*

18 Abbatiſſæ, ſicut & cæteræ Moniales decedentes ſepeliri debent intra clauſtra Monaſteriorum, vel in earum Eccleſia exteriori, prout declaratum dicitur à Sacra Congregatione apud Tamburinum *de Iure Abbatiſſarum diſp. 34. quæſt. 1.* In earum autem ſepulchris tumulari non debent corpora laicorum, etiam mulierum nobilium, propter declarationem etiam Sacræ Congregationis apud Lenorium *in var. elucubrationib. tit. 2. c. 11. num. 97.* Caſu autem dato, quod illæ extra Monaſteria moriantur, ſepeliendæ ſunt vel in Monaſterio ſui Ordinis, ſi ibi adſit, vel in Eccleſia parochiali. Tamburinus *ibi, num. 3.* apud quem etiam de cæremonia, & pompa qua ſepeliri debent.

An nomine monialis comprehendatur Abbatiſſa, vide verbo *Abbas, num. 6.* Vide & verbo *Clauſura*, & verbo *Monaſterium*. 19

ABORTVS, SEV ABORSVS.

SVMMARIVM.

1 *Abortus, ſeu aborſus quid ſit.*
2 *Quid contra procurantes abortum ſtatuerit Sixtus V.*
3 *Qualiter id moderatus fuerit Gregorius XIV.*
4 *An hoc tempore procurans, vel conſulens abortum incurrat excommunicationem, irregularitatem, &c.*
Qualiter peccet mortaliter. ibid.
An in aliquo caſu id liceat. ibid.
5 *Quid de præbente remedium fœmina ne concipiat.*
Quid de fœmina illud accipiente. ibid.
6 *Hodie procurantes abortum, quas pœnas incurrant.*
7 *An excommunicatio, quæ incurritur, reſeruata ſit.*
A quo abſolui poſſit. ibid.
8 *A quo abſolui poſſint Regulares circa id peccantes.*
9 *An hæc excommunicatio non incurratur, niſi effectu ſequuto.*
10 *Animatio fœtus quo die contingat.*
11 *Quas pœnas incurrat mulier ipſa prægnans abortum proprium procurans.*
12 *An aliquando liceat ipſi abortum procurare.*
13 *Quando viri abortum procurantes incurrant Irregularitatem.*
Quid de dubio de homicidio ſequuto. ibid.
14 *An Prælati Regulares ſuper hac Irregularitate diſpenſent.*
15 *An ſic delinquentes incurrant infamiam.*
16 *An ſaltans, vel coiens cum fœmina prægnante ſit irregularis.*
17 *De approbante, ſeu ratum habente abortum, quid dicendum.*
18 *Quid de patre abortum fœtus animati tacente.*
19 *Quas pœnas incurrant Clerici, vel Regulares, qui ſunt cauſa abortus.*
A quibus diſpenſentur in illis. ibid.
20 *Quando tradendi brachio ſæculari.*
21 *Quid quando fœtus longo tempore viuere non poteſt.*
22 *Quid ſignificet vox* Apochas.

ABortus, ſeu Aborſus (qui eſt intempeſtiuus, & immaturus humani fœtus ortus) materia, quamuis extranea Religioſis videatur, ad illos tamen ſpectat non ſolum quoad Confeſſarios propter abſolutionem à peccato, & diſpenſationem in pœnis ipſius; ſed etiam ſpecialiter, quia Sixtus V. in Conſtitutione *Effrenatam* infra referenda, bis nominat expreſsè cuiuſcumque *Ordinis Regulares*, & ſemel mulieres *quomcunque Ordinem profeſſas*. Portellus *in dub. Regularib. verb. Abortus, in princ.* 1

Ergo Sixtus V. in Conſtitutione *Effrenatam*, anno 1588. edita contra procurantes abortum, hæc poſt alia habet: *Omnes & quoſcumque, tam viros, quàm mulieres cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis, etiam Clericos ſæculares, vel cuiuſvis Ordinis Regulares quauis dignitate, & præeminentia Eccleſiaſtica, vel mundana fulgentes, qui de cætero per ſe, aut interpoſitas perſonas, abortus, ſeu fœtus immaturi, tam animati, quàm etiam inanimati, formati, vel informis eiectionem pro-* 2

Digitized by Google

curauerint, percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis etiam incognitis, vel maximè exquiſitis rationibus, inde vt re ipſa aborſus ſequutus fuerit, ac etiam prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas tam diuino, quàm humano iure, ac tam per Canonicas Sanctiones, & Apoſtolicas Conſtitutiones, quàm ciuilia iura aduerſus veros homicidas qui homicidium voluntarium actu, & re patrauerint, propoſitas, & inflictas (quorum omnium tenores his noſtris litteris pro expreſſis, & ad verbum inſertis habemus) eo ipſo incurrere, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, ipſaſque pœnas, leges, & Conſtitutiones ad caſus præfatos extendimus. Eos verò, qui Clerici fuerint, omni priuilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis, quæ ſic vacatura noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni perpetuò reſeruamus, ipſo facto priuamus, & in futurum inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus, adeo vt illi, qui hoc delictum commiſerint, non ſecus atque ij, qui ſua voluntate homicidium perpetrauerint, iuxta Concilij Tridentini decretum, etiamſi crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, ad Sacros Ordines promoueri, aut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare nullo modo poſſint, nec illis aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat, ſed omni ordine, beneficio, & officio perpetuò careant. Necnon etiam illos, qui Clerici non fuerint, & talia perpetrauerint, non ſolum pœnas incurrere ſupra narratas, ſed etiam inhabiles ad Ordines, & alia prædicta decernimus, & declaramus. Volentes quod hi, qui foro Eccleſiaſtico ſubiecti, vt præfertur, deliquiſſe comperti fuerint, per Iudicem Eccleſiaſticum depoſiti, & degradati, Curiæ, & poteſtati ſæculari tradantur, quæ de eis illud capiat ſupplicium quod contra laicos verè homicidas per diuinas leges, ac ciuilia iura eſt diſpoſitum. Præterea eiſdem pœnis teneri omnino ſtatuimus eos, qui ſterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinauerint, & quominus fœtum concipiant impedimentum præſtiterint, ac ea facienda, & exequenda curauerint, ſiue quocumque modo in his conſuluerint, ac mulieres ipſas, quæ eadem pocula ſponte, ac ſcienter ſumpſerint. Quocirca mandamus omnibus & ſingulis Iudicibus ordinariis, & delegatis, tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad cauſas huiuſmodi de iure, vel ratione delicti, aut perſonarum legitimè competet iuriſdictio, ita tamen, vt inter eos præuentioni locus ſit, vt in his delictis, quæ vtplurimum in occulto perpetrantur, contra quoſcumque non ſolum per accuſationem, & declarationem, verum etiam per inquiſitionem, ac ſimplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda teſtes alias de iure inhabiles, eorumdem tamen Iudicum arbitrio, habita ratione perſonarum, cauſarum, & qualitatum illarum, ac circumſtantiarum quarumcumque admittant, ac in eos, qui culpabiles fuerint, prout per Nos ſancitum eſt, demum animaduertant, &c. Inſuper, vt immaniſſimi huius delicti grauitati non ſolum temporalibus, verum etiam ſpiritualibus pœnis proſpiciamus, ac prouideamus, omnes, & ſingulos cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtentes, tam laicos, quam Clericos ſæculares, & cuiuſcumque Ordinis Regulares, necnon mulieres ſæculares, vel quemcumque Ordinem profeſſas, qui, vel quæ vti principales, vel vt ſocia ad tale facinus committendum, opem, conſilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuſcumque generis medicamenta ſcienter dederint, ne etiam ſcribendo litteras priuatas, vel apochas, vel aliàs verbis, aut ſignis iuuerint, aut conſuluerint (vltra ſupradictas pœnas) ipſo facto nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus, decernentes, ac declarantes, quod per quæcumque Iubilæa, & Indulgentias per Nos, & ſucceſſores noſtros etiam anno Iubilæi, aut alio quouis tempore, etiam Cruciatæ Sanctæ, Iubilæi, vel quouis alio titulo conceſſas, & concedendas, necnon per quaſcumque litteras Apoſtolicas quibuſuis Principibus, ſeu ad eorum inſtantiam per Nos, & ſucceſſores noſtros pariter conceſſas, & concedendas, ac etiam vigore priuilegiorum, Maremagnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibuſuis Congregationibus Regularium, aut Epiſcopis vigore Concilij Tridentini, vel alias per Nos, & prædeceſſores noſtros quomodocumque conceſſorum, vel in futurum concedendorum, nec perſona ſic vt præfertur, delinquentes, & excommunicati, præterquam in mortis articulo abſolui valeant, nec cum his Clericis, qui huiuſmodi delicta perpetrauerint, etiamſi eorum crimen occultum fuerit, ſuper irregularitate præmiſſorum occaſione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fulgentes, quam per Nos, & Romanos Pontifices noſtros ſucceſſores, & tunc non niſi vrgentiſſimis de cauſis diſpenſari poſſit. Ac tam abſoluendi, & quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperius expreſſis Nobis & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat reſeruamus, &c. Vide Bullam 2. *tom. Bullar.* inter Conſtitutiones Sixti V. num. 7.

3 Hanc autem Conſtitutionem moderatur Gregorius XIV. Sixti ſucceſſor in Conſtitutione *Sedes Apoſtolica* anno 1591. edita his verbis. *Conſtitutionem prædictam ſic duximus moderandum, vt à peccato, & excommunicatione contra perſonas ibi expreſſas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt; quàm quoad illos, qui per noſtram Conſtitutionem in eiſdem caſibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam ſæcularis, quam cuiuſuis Ordinis Regularis ad Chriſti fidelium Confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum abſoluendi habeat facultatem. Eandem prorſus quam idem Sixtus prædeceſſor ſibi, ac ſuis ſucceſſoribus reſeruauit. Quo verò ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium eis dantium, in prædicta Conſtitutione contentas, Conſtitutionem præfatam in ea parte vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini diſpoſitionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, tum quoad præterita, quam quoad futura perpetuò reducimus, perinde ac ſi eadem Conſtitutio in huiuſmodi parte nunquam emanaſſet. Non obſtantibus eadem prædeceſſoris noſtri Conſtitutione, quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hac noſtra Conſtitutione in ſuo robore omninò permanere volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.* Vide Bullam *in* 2. *tom. Bullar.* inter Conſtitut. Gregor. XIV. num. 8.

4 Ex his autem duabus Conſtitutionibus aliqua ſequuntur. Primum, quod hoc tempore poſt Gregorij Conſtitutionem procurans, vel conſulens abortum fœtus inanimati, neque incurrit excommunicationem, irregularitatem, aut aliquas pœnas, cum ius commune illas huic crimini non infligat, & quæ de excommunicatione quoad hoc ſtatuerat Sixt. à Gregorio moderatum ſit, vt patet ex prædicta Conſtitutione, Tolerus *in Summa lib.* 1. *cap.* 76. *num.* 16. Portellus *in dub. Regular. verbo Abortus, num.* 3. Peirinis *tom.* 2. *de Prælato, quæſt.* 3. *cap.* 2. *num.* 49. Peccabit tamen grauiter mortaliter id faciens, quia data opera impedit ſemen iam effuſum, & fœtum à ſuo naturali fine, qui eſt generatio hominis. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. Sanch. *lib.* 9. *de Matrimon. diſp.* 20. *num.* 2. Non tamen erit propriè homicida, ſed veluti homicida. Sumitur ex *cap. ſi aliquis, & cap. ſicut ex litterarum, de homicidio*, iuncto *cap. quod verò* 32. *quæſt.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. Layman. *lib.* 3. *de iuſtit. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *quæſt.* 2. Imò in caſu quo certum fuerit fœtum non eſſe animatum, & Medicorum iudicio, ſi in lucem prodeat, matri mortem illaturum, permitti poteſt ipſius abortus. Tunc enim ius naturale conſeruandi matrem præponderare debet bono prolis futuræ, præſertim cum fœtus ille ſit pars matris,

&

Digitized by Google

& bonum totius anteponi debeat bono partis. Sanchez *num.* 9. Layman. *ſuprà*, §. *ſecundò ſi certum ſit.* Eſt etiam, abortus caſus reſeruabilis à Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum, vt dicetur inferius ex Clement. VIII. imò de facto reſeruatus in aliquibus Concilijs Prouincialibus; vt habet Bonacina *de reſtit. diſput.* 2. *quæſt. vltim. ſectione* 1. *puncto* 7. *num.* 6.

5 Similiter poſt prædictam Conſtitutionem Gregorij dans remedium fœminæ ne concipiat, vel vt ſterilis fiat, aut ipſa fœmina illud accipiens, non incurrent excommunicationem, aut aliquas pœnas. Ratio eſt, quia vt patet ex Conſtitutionibus adductis, etſi Sixt. V. eas huic crimini inflixerit, tamen Gregorius XIV. illas abſtulit, ad terminos iuris communis caſum reducendo, quod nihil circa hoc diſponit. Portellus *ſupra num.* 4. Peccatum tamen graue tunc committent, quia contra intentionem naturæ ſe priuant potentia generatiua, & impediunt conceptionem fœtus. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 4. Qui etiam ibid. §. *ſed dicendum*, quem ſequuntur Sanchez *ſuprà n.* 10. Bonacina *de reſtit. diſp.* 2. *quæſt. vlt. ſectione* 1. *punct.* 7. *num.* 6. & alij quos ipſe refert, ait in caſu quo fœmina nobilis, aut Monialis cum viro peccatum, & timent mortem, vel infamiam, vel ſcandalum, ſi grauidæ fiant, non eſſe licitum procurare remedium impediens conceptionem, quia vt inquit Apoſtolus Rom. 3. *Non ſunt facienda mala, vt veniant bona*, & eſt contra ordinem naturæ impedire conceptionem fœtus: nam ſemen, & copula à natura ſunt inſtituta ad prolis conceptionem, & generationem. Dicit tamen Azor oppoſitum eſſe opinionem aliquorum, quos non refert, quam credo probabilem ſolum in eo caſu quo nullo alio omnino modo, nullâue via impediri poſſet infamia, aut mors talis fœminæ. Tunc enim non videtur eſſe intrinſecè malum procurare abortum fœtus inanimis, aut impedire conceptionem ipſius. Baſilius de Leone *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 13. *numer.* 2. Franciſcus Torreblanca *de Magia lib.* 2. *c.* 43. *n.* 10. Eſto id improbabile cenſeat Vincentius Candidus *tom.* 1. *Diſquiſit. moral. diſquiſit.* 1. *art.* 5.

6 Hodie tamen poſt prædictam Conſtitutionem Gregorij procurantes abortum fœtus animati, aut eahibentes mulieribus, vel ſumentes venena ſterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium ei dantes, incurrunt pœnas deſignatas à Sixto V. in præfata Conſtitutione, præſertim excommunicationem latæ ſententiæ. Ratio eſt, quia Gregorius qui moderatus eſt Conſtitutionem Sixti, nihil innouauit quantum ad hoc de fœtu animato. Quarant. in *Summ. Bullar. verbo, Abortus, n.* 4. vbi oppoſitum aſſerentes imperitos appellat.

7 Circa quæ aliqua animaduertenda. Primum, huiuſmodi excommunicationem, etiamſi ex vi Conſtitutionis Sixti ſoli Papæ reſeruata eſſet, hunc verò propter Conſtitutionem Gregorij Papæ reſeruatam non eſſe, ſed quilibet confeſſarius, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis, habens facultatem ab Ordinario loci ad hos caſus poteſt ab illa abſoluere. Ita enim habetur ex Conſtitutione Gregorij. Portellus *ſupra num.* 5. Bonacina *de legibus diſputat.* 2. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 5. Requiritur tamen, quod Confeſſarius ſit ad hos caſus à loci Ordinario ſpecialiter deputatus. Vnde qui ſolùm generaliter ab Ordinario deputati ſunt ad audiendas Confeſſiones, non poſſunt ab his caſibus abſoluere, quia Pontifex Gregorius ſpecialem deputationem requirit. Portellus *ſupra*. Quod notandum duxi contra Dianam *part.* 5. *tract.* 9. *Reſolut.* 40. §. *Verum his*, vbi non ſatis id explicat. Addit Portelius, nullum Confeſſorem etiam Regularem poſſe etiam propter priuilegia Religionum abſoluere ab hac excommunicatione, eo quod Pontifex requirit ſpecialem deputationem confeſſarij ab Ordinario. E contra verò Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Conſtitut.* 1. *Iulij II. num.* 65. credit poſſe Confeſſarios Regulares id facere, eo quòd iſte caſus iam eſt Epiſcopalis, & non Papalis, Confeſſarij autem Regulares habent auctoritatem abſoluendi ab omnibus caſibus, à quibus abſoluere poſſunt Epiſcopi. Verumtamen quia, vt dixi *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 17. ex nouo decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub ſanctiſſ. Domino Noſtro Vrbano VIII. nullatenus poſſunt Confeſſarij Regulares quorumcunque priuilegiorum virtute abſoluere ab vllo ex caſibus Ordinario reſeruatis, cum iſte ſit caſus Ordinariis reſeruatus, ſeu Epiſcopalis, vt admittit ipſe Peirinis, ex Scortia *Select. Bullar. Theorem.* 388. ideo ab illo abſoluere non poſſunt. Niſi dicatur, quod cum iſte caſus non ſit reſeruatus ab ipſis Ordinariis, ſed ſolum à iure Pontificio cenſeri debeat inter caſus à iure Epiſcopis reſeruatos, ac proinde non comprehendi dicto decreto (iuxta dicenda infra verbo *Caſus reſeruati*, *num.* 1. & 4.) niſi quando expreſsè Ordinarij ipſum reſeruabunt, prout frequenter fit. Theſaurus *in praxi part.* 2. *verb. Abortus procuratio*, *c.* 5. §. 1. quod an probabile ſit, alij viderint.

Regulares autem vtriuſque ſexus prædicta crimina perpetrantes abſolui poſſunt ab hac excommunicatione à ſuis Prælatis. Primo quidem quaſi iure communi, ex doctrina tradita *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 30. quam etiam affert Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. & 9. quod ſcilicet Prælati Regulares, eo quod habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſint abſoluere ſuos ſubditos à cenſuris Papæ reſeruatis, quæ in iure ſunt commiſſæ Epiſcopis. Hæc enim cenſura huiuſcemodi eſſe videtur; reſeruata enim erat Papæ à Sixto V. ſed commiſſa Epiſcopis à Gregorio XV. eo ipſo, quod abſolutionem ipſius permittit Confeſſario ab ipſis ad hos caſus specialiter deputato. Secundò, ex mente ipſius Gregorij, cùm enim in Conſtitutione Sixti ſæpius mentio facta fuiſſet ſpecialiter de Regularibus, cùm poſtea Greg. committit abſolutionem huius cenſuræ Confeſſario ab Ordinario loci per Ordinarium loci, benignè interpretandus venit Superior Regularis. Etſi enim Ordinarij loci nomine regulariter non veniat Prælatus Regularis, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 19. in caſu tamen præſenti oppoſitum dici debere videtur, eo præſertim, quod mens Summorum Pontificum ſemper eſſe creditur, vt Religioſi quoad forum conſcientiæ ſubiiciantur ſuis Superioribus. Poterunt ſimiliter Regulares abſolui à ſuis Prælatis ab hac excommunicatione, ſi poſt tempora Sixti, & Greg. habuerunt à Sede Apoſt. priuilegia ſic faciendi. Cum enim per Conſtitutionem Sixti ſublata fuerint omnia priuilegia Regularium, vt conſtat ex ipſa Bulla n. 2. relata, nec quoad hoc moderata fuerit per Gregorium, procul dubio requiritur aliquod priuilegium à poſterioribus Pontificibus conceſſum. Video tamen eundem Gregorium XIV. poſt prædictam Conſtitutionem, quæ data fuit pridie Kalendas Iunij, conceſſiſſe 11. Kalendas Octobris in Bulla *Illius qui*, inter Conſtitutiones ipſius num. 17. Generali Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis facultatem abſoluendi per ſe, vel per alios ad id deputatos ſibi ſubditos à quibuſcumque cenſuris quomodolibet latis, ex quo videtur tam ipſum, quàm Generales aliorum Ordinum, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum hac Religione (quales ſunt Carmelitæ) poſſe vti hoc priuilegio. Licet hoc non poſſit practicari, quia facultas abſoluendi à cenſuris, ſeu caſibus reſeruatis non cenſetur conceſſa verbis generalibus, niſi exprimatur. Quis verò poſſit diſpenſare in aliis pœnis, inferius dicetur.

9 Secundò animaduertendum, hanc excommunicationem non incurri, niſi effectu ipſo ſequuto, prout colligitur ex illis verbis Sixtinæ, *ad tale facinus committendum*. Verba enim regulariter intelligenda ſunt cum effectu ipſo, quem propriè ſignificant. Vnde procurans abortum quomodocumque, ſi tamen abortus ipſe non ſequatur, non incidet in hanc excommunicationem.

Ita

Digitized by Google

Ita enim ſupponunt Porcellus *ſuprà, num. quinto, & 7.* Naldus *in Summa, verbo Abortus, num. 5.* Bene animaduertens ſecus eſſe dicendum de caſu illo inter reſeruabiles à Regularibus deſignato à Clemente VIII. Is enim eſt procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

10 Tertiò, animaduertendum animationem fœtus regulariter fieri quoad maſculos poſt quadraginta dies, quoad fœminas verò poſt octoginta. Sic enim ſupponunt communiter authores, ſpecialiter Azor. *tom. 3. lib. 2. cap. 4.* Quaranta *in ſumma Bullarij, verbo Abortus, num. 5.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 51. num. 137.* & alij. Et ita, vt audio, in S. Pœnitentiaria recipitur. Dixi *regulariter*, quia ex caliditate, vel frigiditate matris aliter contingere poterit. Azor. relatus ex Armilla, & Syluestro. Imò ſecundum alios animatio, & formatio fœtus aliquando citius contingit tam in maribus, quàm in fœminis. Bonacina *de reſtit. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. 7. num. 4.* In dubio autem, id eſt, non conſtito an fœtus ſit maſculus, an fœmina, cenſetur maſculus, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, & ita practicatur in Pœnitentiaria. Naldus *in Summa, verb. Abortus, n. 2.* Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 51. n. 128.*

11 Quod mulier ipſa prægnans abortum proprium procuret, probabile eſt, non ideirco incurrere prædictam excommunicationem, etiamſi incurrat alias pœnas in Conſtitutione Sixti deſignatas. Ratio eſt, quia licet ipſe Sixtus in prædicta Conſtitutione in prima parte ipſius varias pœnas temporales inflixerit contra huiuſmodi ſcelus perpetrantes, in ſecunda verò, quæ incipit ab illis verbis, *Inſuper vt immaniſſimi*, vbi pœnam excommunicationis infligit, nullam prorſus mentionem facit mulieris prægnantis proprium procurantis abortum, in hoc forſan compatiendo eius ſexus fragilitati, cum tamen in prædicta prima eius parte ſemel ac iterum expreſsè meminerit eiuſdem fœminæ, vt legenti conſtabit, quo denotari videtur hanc pœnam excommunicationis non impoſuiſſe ipſi, ſed alias temporales. Nec obſtat, quod in dicta ſecunda parte loquatur de fœmina, ſiue principali, ſiue ſocia, quia illa vox principalis intelligi debet de principali in dando medicamenta, ſeu pocula pro abortu. Naldus *in Summa, verbo Abortus, num. 1.* Hoc tamen intelligi debet ex vi ipſius Conſtitutionis Sixti præciſè ſumptæ, nam vt Bonacina *de legib. diſp. 2. quæſt. 1. punct. 4. num. 6.* dicit, oppoſitum eſt vſu receptum.

12 Similiter licet fœmina prægnans cui ex iudicio medicorum neceſſarius eſt abortus fœtus iam animati ad effugiendam mortem, non poſſit adhibere medicinas, pharmaca, aut venena directè tendentia ad occiſionem fœtus, cum innocentem per ſe, & directè occidere ſemper ſit illicitum; medicinas autem quæ per ſe, & directè ordinatæ ſunt ad ſanitatem ipſi conferendam, licet per accidens ex illis timeatur fœtus occiſio, adhibere non eſt illicitum. Ratio eſt, quia cum talis fœmina habeat ius ex lege naturali ad propriam vitam conſeruandam per media licita, & ordinata ad talem finem, non eſt ratio cur negetur id poſſe facere, etiam ſi per accidens ſequatur mors fœtus, ſicut licitum eſt innocentem per accidens ad defenſionem ſui occidere, & ſicut poſſet eadem fœmina ſi ab aliqua fera inuaderetur fugere cum periculo occiſionis fœtus. Sanchez *lib. 9. de Matrimonio, diſp. 20. num. 14.* Laymanus *lib. 3. de Iuſtitia, tract. 3. part. 3. cap. 4. §. ſi autem.* Verumtamen ſi caſus eſſet, quod crederetur, non adhibito tali medicamento, etiam ſi moreretur mater, fœtum viuum in lucem edendum, & baptizandum, non poſſet adhiberi etiam ſtante tali periculo mortis matris. Ordo enim charitatis poſtulat, vt vita ſpiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipſius matris. Laymanus *ibidem.* Quid verò dicendum ſit in caſu quo medicamenta æquè directè tendant in mortem fœtus, & in ſalutem matris, vel ſi illa ſint dubia, agunt Sanchez *ſuprà, numero 18. & 19.* Villalobos *in Summa tom. 2. tract. 12. dub. 13. num. 2.* Diana *tract. 5. Miſcell. reſolut. 11.* Sed quidquid dicatur, ſemper ſalus ſpiritualis fœtus anteponi debet vitæ corporali matris.

Quicunque viri qui aliquo ex prædictis modis, ſcilicet auxilio, conſilio, vel fauore abortum fœtus animati peccaminosè procurauerint, effectu ſecuto, incurrunt irregularitatem ex homicidio voluntario. Ratio eſt, quia ſic delinquentes ſunt veri homicidæ. Vt enim ait Tertullianus *in Apologet. cap. 3. Homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an diſturbet naſcentem, homo eſt, qui futurus.* Sic etiam communiter omnes. Dixi *quicunque viri*, quia fœminæ etiamſi tale delictum perpetrauerint, non fiunt irregulares, quia non ſunt capaces irregularitatis, ſicut nec Sacrorum Ordinum ſuſceptionis. Comejo *tract. 5. de irregularit. diſp. 4. dub. 1.* Dixi etiam *effectu ſequuto*, quia etſi datum fuiſſet quodcumque remedium ad faciendum abortum fœtus animati, ſi tamen fœtus viuus exiuit in lucem, non incurretur irregularitas, quæ ſolum vero homicidio infligitur, & iuxta Iuriſtas conatus ad crimen non punitur pœna ipſius ordinaria. Porcellus *in dub. Regul. verbo Abortus, num. 7.* In dubio etiam de homicidio ſequuto, qui fuerit cauſa talis abortus, cenſetur irregularis, ita vt ſi dubitetur an fœtus inanimis, vel animatus eſſet, qui eſt cauſa illius, pro irregulari habebitur. Ratio eſt, quia dubius dubio facti de irregularitate ſaltem in materia homicidij communiter habetur pro irregulari, *cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti, el 2. cap. penult. de homicid.* Sanchez *de præceptis Decalogi lib. 1. cap. 10. num. 42. & 43.* poſt plures alios. Etſi oppoſitum probabile cenſeat Diana *4. part. tract. 2. de Irregularit. reſol. 16.* 13

An verò Prælati Regulares poſſint ſuper hac irregularitate diſpenſare cum ſuis ſubditis, quando caſus eſt occultus, quærunt aliqui. Et Porcell. *ſuprà, num. 10.* contra Rodriguez reſpondet affirmatiuè. Quia tamen hæc irregularitas eſt, vt dixi, ex homicidio voluntario, videnda ſunt quæ attuli *tom. 1. cap. 18. num. 44.* & notandum quod priuilegium Martini V. cui inniti videtur Porcell. relatus, fuit viuæ vocis oraculum, vt dixi dicto *num. 44.* Vnde his temporibus, quando omnia viuæ vocis oracula reuocata ſunt à Greg. XV. & SS. D. N. Vrbano, iuxta dicta *tom. 1. cap. 23. num. 21.* nihil valet. Quod maximè notandum eſt, non ſolùm pro Caſſatubio, Corduba, Rodriguez, Sorbo, & aliis, qui ante prædictas reuocationes ſcripſerunt, ſed maximè pro hoc authore, quia ſæpius innititur in ſuis ſententiis huiuſmodi viuæ vocis oraculis iam reuocatis. Probabilius id dicere poterat propter priuilegium Pauli III. per Bullam conceſſum Benedictinis Valliſoletanis, quod refero infra verbo *Irregularitas, num. 72.* Sed notandum, quod cum Sixt. V. in ſæpius relata Conſtitutione huius irregularitatis diſpenſationem ſoli Summo Pontifici reſeruauerit, ſublatis omnibus, & quibuſcumque priuilegiis Religionum, & quoad hoc punctum de abortu non ſit moderata prædicta Conſtitutio à Gregorio XIV. ideo attendere debent Regulares ſi habent aliquod priuilegium quoad hoc à poſterioribus Pontificibus poſt Sixtum conceſſum. 14

Incurrunt etiam prædicti irregularitatem infamiæ iuris quandocumque fuerint condemnati, vel quando crimen fuit notorium de iure, vel de facto, vt tradit Theſaurus *ſuprà, §. Quintò irregularitatem.* Qui etiam animaduertit *§. Tandem*, quod ſupplicans in Pœnitentiaria pro diſpenſatione ſuper irregularitate in hoc delicto, debet exprimere, ſi erat fœtus à ſe genitus, quia eſt caſus difficilior ad diſpenſandum: Pro diſpenſatione etiam in his irregularitatibus conſule dicenda infrà verbo *Infamia*, & verbo *Irregularitas.* 15

Digitized by Google

16 Caſu quo aliquis ſaltans cum fœmina prægnante ſaltatione conſueta, ipſa fœtum animatum eiiceret, non eſſet irregularis, ſecus ſi vſus eſſet ſaltatione immoderata. Quia in hoc caſu, non in priori cenſetetur cauſa Abortus. Similiter ipſam percutiens, aut cum illa coiens abſque debita cautione, ne mors fœtus animati ſequatur, erit irregularis abortu ſequuto, propter eandem rationem. De his caſibus Suarez *de cenſuris diſp.* 45. *ſect.* 2. *num.* 5. *& ſect.* 6. *num.* 11. Bonacina etiam *de cenſuris diſp.* 7. *quæſt.* 4 *punct.* 7. *num.* 22.

17 Qui approbauit, ſeu ratum habuit ſuo nomine iam factum abortum fœtus etiam animati, etſi peccauerit mortaliter, quia complacet de crimine graui, non tamen incurrit irregularitatem, aut alias pœnas, illæ enim ſolùm ſtatuuntur pro illo, qui cooperatus fuit, Portellus *in dubiis Regul. verbo Abortus, in addit. num.* 3. Addens oppoſitum debere dici de eo, qui approbauit abortum antequam fieret, aut dum fieret, quia iam eſſet cauſa illius tali approbatione, & de illo, qui dixit fœminæ antequam fœtus eſſet animatus, quod procuraret abortum illius, ipſa verò id fecit poſtquam animatus erat. Quod intellige, ſi hoc fuit ipſo ſciente, nec repugnante, aut non reuocante ſuum mandatum. Pro quo vide dicenda verbo *Irregularitas, num.* 71.

18 Plures etiam volunt, quod ſi pater fœtus animati, cui mater prægnans dicit ſe velle procurare abortum, taceat, nihil aliud faciendo, incurrat omnes pœnas deſignatas à Sixto V. quod eſt ſatis probabile, quia ex iuſtitia tenebatur impedire abortum, cum ſit pater illius fœtus. Naldus *in Summ. verb. Abortus, num.* 5. Portellus *in dub. Regul. verb. Abortus, num.* 14. referens Rodriguez.

19 Prædicti etiam, qui aliquo ex modis aſſignatis ſunt cauſa abortus fœtus animati, ſi Clerici fuerint etiam Regulares incurrunt pœnas priuationis, & inhabilitatis, quas Sixtus V. in prædicta Conſtitutione ſuperius adducta deſignauit, & quas Gregorius in ſua alia Conſtitutione etiam relata in ſuo vigore manere decreuit. Rodriguez *in addit. ad ſumm. tom.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. Portellus *ſuprà num.* 8. Nec video aliquod priuilegium per quod Regulares à ſuis Prælatis in iſtis pœnis diſpenſati poſſint, cum Sixtus omnia priuilegia Religionum quoad id abſtulerit, nec Gregorius in ſua Conſtitutione aliquid circa hoc innouauerit. Ex vi tamen priuilegij Gregorij XIV. de quo ſupra *num.* 8. dixi, videtur poſſe aliquas earum tolli: concedit enim Pontifex *ibi* Præfecto Generali Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis, vt per ſe, vel per alios ad id munus deputatos poſſint abſoluere ſuos ſubditos à quibuſcumque pœnis à iure, vel ab homine, non tamen nominatim quomodolibet latis in foro conſcientiæ tantum. Quo priuilegio etiam potientur alij Regulares habentes communicationem priuilegiorum cum ipſis. Quia tamen in illo non includuntur pœnæ illæ, quæ ſunt reſeruatæ Sedi Apoſtolicæ, ideo cautè procedendum. In dubio autem animationis fœtus, non incurruntur iſtæ pœnæ, quia hoc eſt ſpeciale irregularitati, quod in dubio facti homicidij incurratur, iuxta dicta ſuprà *num.* 13. propter iura ibi relata, quod non procedit in huiuſmodi pœnis, præſertim cum pœna ordinaria ſtatuta delicto certo non ſit imponenda delicto dubio. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſput.* 66. *cap.* 2. *num.* 5. Sanchez *de præcept. Decalog. lib.* 1. *capit.* 10. *num.* 45.

20 Similiter prædicti Clerici, & Regulares delinquentes, qui cauſa fuerint abortus fœtus animati, tradendi ſunt in foro externo curiæ, & brachio ſæculari depoſiti, & degradati, puniendi pœna homicidarum, & tanquam veri homicidæ. Ita enim habet Sixti Conſtitutio relata, nec in hoc moderata à Gregor. Quaranta *Verbo Abortus, num.* 6. Rodriquez *tom.* 2. *quæſt.* 33. *art.* 4. *in fine.* Imò procurans abortum malis medicamentis, non gaudet immunitate Eccleſiaſtica, prout ex declaratione Sacræ Congregationis refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Abortus.* Vide quæ dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 83. & quæ dicam infra circa immunitatem Eccleſiaſticam, verbo *Immun. Eccleſiarum, num.* 12.

Qui fuerint cauſa partus etiam viui, tam intempeſtiui tamen, vt nullo modo longo tempore viuere poſſit, abortum cauſare dicuntur, quia idem eſt non naſci viuum, ac tam immaturè naſci, vt diu viuere non poſſit. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in conſtit.* 87. *Sixti V. Schol.* 2. referens Tiraquellum, & Gutierrez. Quare tales, vt credo, abortus pœnas incurrent, quia ſunt veri homicidæ. 21

Demum pro explicatione illius vocis *Apochas*, quæ eſt in Conſtitutione Sixti V. nota eam ſignificare ſcripturam, in qua creditor ſe pecuniam accepiſſe teſtatur, vulgò Quitantiam vocant. Ita enim habent Calepinus & Theſaurus linguæ latinæ. Ex eo autem appoſita videtur à Pontifice in ea Conſtitutione inter ea quibus procurantes abortum ad illum concurrere ſolent, quia tales ſcelerati aliquando mittunt iſtas apochas, ſeu quitantias ſuis debitoribus, ſignificantes ſe pecuniam illis debitam ab ipſis accepiſſe, eos hoc pretio ad ſimile facinus abortus procurandi allicientes. 22

ABSOLVTIO.

SVMMARIVM.

1 *Nulla abſolutio dari poteſt ſola mente, aut animo.*
Quæ ſit forma abſolutionis à peccatis. ibid.
Quæ ſit forma abſolutionis à Cenſuris. ibid.
2 *An ſolis illis verbis* Abſoluo te, *abſoluantur peccata, & Cenſuræ.*
3 *An requiratur expreſſio nominis Cenſuræ, quà quis abſoluitur.*
4 *An requiratur expreſſio cauſæ, propter quam incurſa fuit Cenſura.*
5 *Vna Cenſura auferri poteſt ſine alia.*
Secus dicendum de peccatis mortalibus. ibid.
6 *Quando poſſit dari abſolutio Cenſuræ extra confeſſionem.*
Quid importet verbum illud, in foro conſcientiæ. ibid.
Quid illud, in foro pœnitentiæ. ibid.
Quid illud, Iniuncta, ſeu peracta pœnitentia. *ibid.*
7 *Abſolutus à Cenſura ſolum in foro conſcientiæ, qualiter ſe gerere debeat.*
8 *Qualiter abſolutio publica impendenda.*
9 *An ſatisfactio partis læſæ præcedere debeat.*
An ea ſit de ſubſtantia abſolutionis. ibid.
Quid de abſolutione in foro conſcientiæ. ibid.
10 *An abſolutionem ab excommunicatione præcedere debeat iuramentum.*
Quale ſit hoc iuramentum, & à quibus petendum. ibid.
11 *An abſolutio à peccatis, vel Cenſuris dari poſſit ſub conditione.*
12 *Abſolutio Cenſuræ debet eſſe voluntaria, non coacta.*
13 *Quid requiratur ex parte abſoluentis ad valorem abſolutionis.*
An non Sacerdos abſoluere poſſit. ibid.
14 *Abſoluens, & abſoluendus diſtincti eſſe debent.*
15 *Inuitus an poſſit abſolui à peccatis, vel Cenſuris.*
16 *Abſens abſolui poteſt à Cenſuris, ſed non à peccatis.*
17 *Alia remiſſiuè.*

NVlla abſolutio dari poteſt ſola mente, aut animo, à quocumque Prælato, aut Confeſſario Regulari. Ratio eſt, quia vel eſt Sacramentalis, & à peccatis, vel ſolùm à cenſuris: ſi primum, cùm ſit pars 1

Sacramen

Sacrameoti, ſcilicet forma pœnitentiæ debet eſſe ſenſibilis, ſicut & ipſum Sacramentum. Si ſecundum, cùm ſit actus iuriſdictionis humanæ, debet humano modu exerceri, ac per conſequens non ſola mente, aut aoimo, S. Thom. 3. *part*. *q*. 84. *art*. 3. & expoſitores *ibid*. Suar. *de cenſuris diſp*. 7. *ſect*. 9. Vnde ad abſolutionem à peccatis, ſeu Sacramentalem requiruntur verba illa, ſcilicet *Abſoluo te*. Conciliom enim Florent. io litteris vnionis dicit Sacramenta conſtare rebus, & verbis: & in ſpecie loquens de pœoitentia dicit formam illius eſſe verba abſolutionis. Expoſitores S. Thom. relati. Quare parum probabilitatis habet ſententia exiſtimantium abſolutionem Sacramentalem poſſe dari ſignis, vel in ſcriptis, apud Henriquez *lib*. 4. *de pœnitentia*, *cap*. 11. *in commentar*. *littera M*. Abſolotio verò à cenſuris non requirit verba, ſed in ſcriptis, aut per ſigna dari poteſt, vt ſic enim ſufficienter exercetur humano modu poteſtas iuriſdictionis, nec aliud eſt à iure requiſitum, Cornejo *de cenſuris diſp*. 11. *dub*. 3. De Papa verò quidam dicuot poſſe abſoluere à cenſura ſolo animo. Ita Naldus *in Summ*. *verbo Abſolutio à cenſuris*, *num*. 1. Hoc tamen videtur difficile. Etſi enim Papa propter ſupremam poteſtatem, & quia ipſe non ſubiicitur formæ ioris communis, poſſit abſoluere à cenſuris abſque nutibus, ſignis, aut ſcriptura exprimentibus dictam abſolutionem, in quo ſuperat omnes alios Prælatos ipſo inferiores, quia tamen eius etiam poteſtas humanu modo exerceri debet, ideo ad abſolutionem hanc præſtandam præter volontatem, & intentionem ipſius requiri videtur aliqood opos externum, puta locutionem, ſalutationem, vel quid ſimile, ex quo colligi poſſit ipſius intentio, vel ſaltem quo ipſe declaret ſe habere illam. Clement. vltima *de ſentent*. *excommunic*. Cornejo *ſuprà*. Booacina *de Cenſuris diſp*. 1. *q*. 3. *punct*. 5. *n*. 6.

2 Poſſunt prædicti iis ſolis verbis *abſoluo te*, abſoluere à peccatis, & cenſuris ſimul, modo intendant vtrumque facere. Illis enim verbis ſufficienter ſignificatur ſenſus formæ Sacramentalis, & relaxatio vinculi cenſuræ. Nauartus *de pœnitent*. *dub*. 6. *cap*. 1. Henriq. *lib*. 4. *cap*. 15. *num*. 3. In quo caſu abſolutio ab excommunicatione erit prior naturà abſolotione à peccatis. Quia tamen modus abſoluendi prius à cenſuria, & poſtea à peccatis certior eſt, & ſecundum vſum Eccleſiæ, ideo ipſo vti debent Confeſſarij, niſi in caſu quo pœnitens eſſet tam proximos morti, vt non eſſet tempus ad id faciendum. Bonac. *de cenſuris diſp*. 1. *q*. 3. *punct*. 5.

3 Similiter licet ex vſu Eccleſiæ requiratur expreſſio nominis cenſuræ, à qua quis abſoluitur, excommunicationis videlicet, ſuſpenſionis, &c. quantum ad validitatem tamen abſolutionis non videtur neceſſaria. Primò, ſi abſoluens vteretur nomine communi cenſuræ, non autem ſpeciali excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. vt ſi diceret, abſoluo talem à cenſura, vel cenſuris. Secundò, quando præceſſit aliquid, quo determinetur ipſa cenſura, vt ſi præceſſit confeſſio, vel probatio illius; tunc enim ratione illius qood præceſſit, ſufficienter determinaretur intentio abſoluentis, & ſignificatio verbi *abſoluo*, ſicut propter eandem rationem in Sacrameoto pœnitentiæ, quia præceſſit confeſſio peccatorum, ſufficit dicere *abſoluo te*, nulla facta peccatorum mentione. Suarez *de cenſuris diſp*. 7. *ſect*. 9. *num*. 4. Cornejo *de Cenſur*. *diſputat*. 11. *dub*. 3. Addunt ij Doctores, quod ſi non præceſſit aliquid quo determinentur intentio, & verba abſoluentis, vt ſi abſolutio detur inuito, abſolutionem non eſſe validam, quia non eſſet tale determinatiuum. Sed diceretem, etiam tunc eam eſſe validam ex parte ſua, licet propter Eccleſiam, & eum qui abſolueretur, neceſſaria eſſet maior expreſſio.

4 Multo minus requiritur ad validitatem abſolutionis à cenſura expreſſio cauſæ, propter quam fuit incurſa, verbi gratia percuſſio Clerici, &c. Ratio eſt, tum quia expreſſio cauſæ nullo iure communi præſcribitur in abſolutione: tum quia intentio abſoluentis ſufficienter exprimitur ſine expreſſione cauſæ cenſuræ. Cornejo *ſuprà*, Bonacina *de Cenſuris diſputatione prima*, *quæſt*. 3. *punct*. 5. *num*. 7. Per accidens tamen, dicuot illi, requiritur expreſſio cauſæ, qoando ſcilicet aliquis eſt irretitus pluribus cenſuris, & abſoluens ſolùm intenderet abſoluere ab vna. Sed tunc, iuxta ſuperius dicta, ſolum id videtur neceſſariom propter Eccleſiam, & eum qoi abſoloitur, non propter abſolutionem ipſam. Quoad praxim tamen obſeruanda ſunt iura particularia Eccleſiarum, & Religionum.

Licèt vnum peccatum mortale auferri non poſſit ſine alio, eo quod mortale non aufertur, niſi per gratiam ſanctificantem, quæ æquè opponitur cunctis peccatis mortalibus; nihilominus vna cenſura auferri poteſt, alia remanente. Ratio eſt, quia non eſt neceſſaria connexio inter illas, non ſolum loquendo de iis, quæ ſunt diuerſæ rationis, v.g. excommunicatione, & ſuſpenſione, ſed & de iis etiam, quæ ſunt eiuſdem rationis, verbi gr. excommunicatione pro percuſſione Clerici, & pro dimiſſione habitus religioſi. S. Th. *in* 4. *diſt*. 18. *q*. 58. *art*. 6. Suarez *diſp*. 7. *ſect*. 9. Vnde petens abſolutionem ab vna cenſura, ſolùm abſoluitur ab illa. Abſolutio enim accommodatur petitioni. Si autem petens non excludat alias, & in abſoluente ſit poteſtas ad omnes, ab omnibus manebit abſolutus. Nam ex parte pœnitentis, & abſoluentis præſumitur voluntas generalis. Bonacina *de Cenſuris diſp*. 5. *quæſt*. 3. *punct*. 6. *n*. 2. Hinc bonum conſilium eſt pœnitenti in confeſſione petere abſolutionem generalem ab omnibus cenſuris; ſi enim Confeſſarius habeat facultatem generalem illas auferendi, remanebunt ablatæ. Nauartus *capit*. 26. *n*. 12. Sayrus *lib*. 2. *c*. 2. 5

Poteſt dari abſolutio cenſuræ extra confeſſionem. 6 Primò quidem ab habente iuriſdictionem Ordinariam ad illam auferendam, cùm nullo iure aſtringatur ad id faciendum in confeſſione. Secundò, ab habente iuriſdictionem etiam delegatam, quando illi conceſſa eſt facultas abſolutè, & ſine reſtrictione; talis enim facultas generaliter intelligenda eſt. Quando verò facultas conceditur determinatè, ſcilicet *in Sacramentali confeſſione*, *confeſſione audità*, vel ſimili modo, non poterit dari abſolutio cenſurarum extra confeſſionem. Facultas enim delegati exerceri non poteſt, niſi iuxta voluntatem delegantis. Suarez *diſp*. 7. *ſect*. 5. *num*. 36. Filliuccius *tract*. 15. *cap*. 9. *quæſt*. 8. *n*. 294. Quando autem facultas datur tantum pro foro conſcientiæ, probabile etiam valde eſt, poſſe dari abſolutionem etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, iuxta dicta *tom*. 1. *cap*. 18. *num*. 45. Verbum enim illud, *in foro conſcientiæ tantum*, ſolùm denotat illam abſolutionem à cenſura non prodeſſe ſuſcipienti quoad Eccleſiam; ſed duntaxat quoad Deum, & ſalutem aoimæ. Vnde poterit dari coram aliquibus, licet non cum ſtrepitu iudicij, & præiudicio tertij, aut Fiſci. Perinis *tom*. 1. *priuilegiorum Minimorum*, *in Conſtitutione Pyrri*, *num*. 43. De facultate tamen abſoluendi *in foro pœnitentiæ*, quamuis Suarez *lib*. 8. *de legibus*, *cap*. 6. *num*. 16. & Bonacina *de Cenſuris diſp*. 5. *quæſt*. 3. *punct*. 6. *num*. 8. & 9. dicant poſſe illa vti eum, cui datur, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, abſoluendo aliquem à cenſura, & imponendo illi aliquam pœnitentiam, quod dicunt ſolùm denotari per verbum illud *in foro pœnitentiæ*. Immeritò tamen ita ſentiunt: forum enim pœnitentiæ nihil aliud eſt, quàm Sacramentum pœnitentiæ, & quoties Pontifices, vel alij Prælati Superiores volunt, quod pœnitens non abſoluatur niſi impoſita pœnitentia, id exprimunt aliis verbis, videlicet *iniuncta pœnitentia*, *peracta pœnitentia*, &c. Rodriguez *tom*. 1. *q*. 61. *art*. 10. Sanchez *lib*. 8. *de matrimon*. *diſp*. 34. *num*. 29.

Abſolutus

Digitized by Google

7 Abſolutus à cenſura, aut excommunicatione, v.g. *in foro conſcientiæ, foro pœnitentiæ*, vel *ſacramentaliter* reorum, licet quoad illos, qui neſciunt eſſe abſolutum, ſe gerere debeat, ac ſi adhuc irretitus maneret cenſura, propter ſcandalum vitandum, abſolutè tamen, & quoad alios, vel coram aliis, qui vel ignorant eum incurriſſe cenſuram, vel ſciunt eſſe abſolutum, poteſt actus per cenſuram prohibitos exercere, v.g. ſi fuerit excommunicatus celebrare, communicare, &c. Ratio eſt, quia tali modo abſolutionis liberatus eſt quoad Deum, quoad conſcientiam, & quoad illos homines ab illa cenſura: nihil ergo eſt, quod illum prohibeat exercere, quæ aliàs ſine cenſura poſſet. Poterit tamen à Iudice, vel Superiore, ſi denuncietur, pro illa puniri, obligari ad ſatisfaciendum parti læſæ, ſi quæ fuit, & iterum abſolui, ſeu declarari abſolutus, adhibito etiam teſtimonio illius, qui eum abſoluit in foro conſcientiæ, &c. vel etiam confeſſarij id teſtificantis de licentia pœnitentis. Abſolui enim aliquem *in foro conſcientiæ tantum*, eſt abſolui ſaluo iure Iudicis, vel Superioris ad faciendum ea, quæ debet. Suarez *de Cenſuris diſput.* 2. *ſect.* 7. Bonacina *de Cenſuris diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 10. Poterit quoque Iudex, vel Superior huiuſmodi abſolutionem acceptare pro foro ex-
8 terno etiam. Laymanus *lib.* 1. *tractat.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 7.

Quamuis abſolutio cenſuræ in foro interno, pœnitentiali, ſeu Sacramentali, communi, & ordinario modo fieri debeat, prout conſtat non ſolum ex vſu Eccleſiæ, ſed ex viuæ vocis oraculo Leonis X. pro Minoribus, quod refert Caſſarubius *in Compend. priuilegior. Mendicant. verb. Abſolutio quoad ſæculares* 1. *n.* 13. de quo inter alios Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.* 6. abſolutio tamen publica ſolemnis impendenda eſt iuxta formam præſcriptam *in cap. à nobis, de ſentent. excommunicat.* niſi oppoſitum communi vſu receptum fuerit. Abſoluendus ergo ab excommunicatione ſuper nudatos humeros, ſi fuerit vir, leuiter cedi debet virga, aut flagello, dum recitatur Pſalmus *Miſerere*, aut alius pœnitentialis. Poſtmodum dicto *Gloria Patri*, *Kyrie eleiſon*, *&c. Pater noſter*, *&c.* verſ. *Saluum fac ſeruum tuum*, *&c. Domine exaudi*, *&c. Dominus vobiſcum*, *&c.* dicat Orationem, *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*, *&c.* deinde ſubiungat, *Auctoritate qua fungor abſolue te à vinculo excommunicationis quod incurriſti propter hanc vel illam cauſam, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium in nomine Patris*, *&c.* Tolet. *in ſumm. lib.* 1. *capite* 14. *numero* 10. Quæ forma, etiamſi non ſit de eſſentia abſolutionis, ex vſu tamen Eccleſiæ obſeruari debet, itaut ſine aliqua culpa non prætermittetur, niſi adſit neceſſitas, aut alia ratio-
9 nabilis cauſa. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 19. *ſect.* 2.

Præcedere tamen debet abſolutionem à cenſura, quæ incurſa eſt cum damno tertij ſatisfactio partis læſæ, in totum ſi fieri poteſt, vel ſaltem ſecundum eam partem, quæ poſſit præſtari, vel caſu, quo nec integra ſatisfactio, nec in parte præſtari tunc poſſit, ad minus adhibenda eſt cautio pignoratitia, ſi fieri poteſt, ſin autem ſaltem fideiuſſoria: quod ſi nec hæc præſtari poſſit, ſaltem dari debet cautio iuratoria de prædicta ſatisfactione præſtanda; hoc enim totum neceſſarium eſt pro conſeruando illæſo iure tertiæ perſonæ, cui facta eſt iniuria, iuxta doctrinam Nauarri *in Man. cap.* 26. *num.* 7. Ita enim colligitur ex *cap. Parochian. de ſentent. excommunic.* & ex vſu Eccleſiæ. Nomine verò ſatisfactionis partis læſæ intelligitur honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum, vel ſaltem petitio veniæ pro iniuria. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 22. *quæſt.* 5. *art.* 3. Henriquez *in ſumm. lib.* 13. *cap.* 28. Hæc porrò ſatisfactio licet non ſit de ſubſtantia, ſeu eſſentia abſolutionis, itaut ſine illa non valeat, cùm nullo iure id caueatur, & expreſsè id teneant Doctores, ſpecialiter Syluester *verbo Abſolutio* 3. *num.* 3. & Nauarrus *cap.* 27. *num.* 37. nihilominus abſoluens à cenſura non præmiſſa ſatisfactione peccat contra charitatem, non procurando reſtitutionem damni illati proximo. Imò etiam contra iuſtitiam, ſi ex officio id illi incumbat. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28. Bonacina *de cenſuris diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 9. *num.* 1. Imò habens facultatem limitatam ad abſoluendum, ſcilicet ſatisfacta parte, non ſolum illicitè, ſed inualidè abſoluit. Iuriſdictio enim limitata non extenditur vltra limites præſcriptos, tantum enim valet, quantum ſonat. Naldus *in ſumm. verbo Abſolutio à cenſuris, num.* 15. Bonacina *ſupra.* Licet de abſolutione lata vi Bullæ Cruciatæ oppoſitum ſit probabile, vt dicam verbo *Bulla Cruciata, numero* 32. Habens autem facultatem delegatam, ſeu priuilegium ſine limitatione ſatisfactæ partis validè abſoluit ſine illa. Quia priuilegium accipiendum eſt prout verba ſonant. Hoc autem priuilegium nullam limitationem includit. Nauarrus *loco relato*. Suarez *diſp.* 7. *ſect.* 5. *numero* 42. Hæc verò omnia procedunt in abſolutione quoad forum externum. In Sacramentali enim, ſeu foro conſcientiæ ſufficit, quod pœnitens proponat facere eam ſatisfactionem quamprimùm potuerit, creditur enim pœnitenti in hoc foro. Naldus *ſuprà*, ex Rituali Romano iuſſu Pauli V. edito. Hic nota, quod ſi quis poſt præſtitam cautionem, ſeu iuramentum de ſatisfaciendo, poſtea ſatisfacere negligat, non recidit in cenſuram à qua fuit abſolutus, cum id iure expreſſum non ſit; poterit tamen à Iudice iterum excommunicari, *cap. ad reprimendam, de officio Ordinar.* Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *capite* 6. *num.* 8.

Præcedere etiam debet abſolutionem ab excommu- 10
nicatione in foro externo iuramentum de non committendo amplius illud delictum. Ita enim habetur *cap. ex tenore*, & *cap. de cætero, de ſentent. excommunicat.* & *cap. peſſimam*, 23. *quæſt.* 8. & tradunt communiter Doctores. Quorum aliqui dicunt hoc iuramentum debere eſſe de parendo mandatis Superioris abſoluentis. Sed in idem recidit vtrumque. Nam non debet hoc intelligi de iuramento generali obediendi omnibus Eccleſiæ præceptis, cum ex nullo iure hoc conſtet, ſed de obediendo illi præcepto, quod abſoluens imponere debet excommunicato, quod tantùm debet eſſe de illo crimine non amplius perpetrando, prout habetur in iuribus relatis. Suarez *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 19. *ſect.* 2. *num.* 10. Sanchez *in præcept. Decalog. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 22. Conueniunt autem ferè omnes, hoc iuramentum petendum non eſſe, niſi in abſolutione ab excommunicatione ob magna crimina. Quia ex iure nihil aliud colligi poteſt: dum enim id petit, loquitur ſolùm de incendiariis, & manifeſtis Clericorum percuſſoribus. Caietanus *in ſumm. verbo Abſolutio, capite pen.* Suarez, & Sanchez relati. Nec hoc iuramentum eſt de ſubſtantia abſolutionis, licèt non debeat prætermitti. Syluester *verbo Abſolutio* 3. *num.* 3. Petitur verò etiam à fœminis. An verò etiam à pueris, relinquitur arbitrio Superioris, vt penſet an eo rationis vſu gaudeant, vt iuramentum æſtiment. Syluester *ſuprà*, Sanchez *num.* 19. Vide dicenda verbo *Bulla Cœnæ, num.* 53.

Abſolutio quæcumque, ſiue à peccatis, ſiue à cenſu- 11
ris, dari poteſt validè ſub conditione de præſenti, ſiue de præterito, vt ſi dicatur, *abſoluo te, ſi hoc egiſti, aut ſi indiges*, *&c.* huiuſmodi enim conditiones non ſuſpendunt actum, & abſolutiones datæ ſub illis æquiualent abſolutis. Si enim conditiones ſubſiſtunt, abſolutiones tenent, ſi non ſubſiſtunt, nihil operantur, quia conditio nihil ponit in eſſe. Illicitè tamen adhibentur quando ſine cauſa rationabili ponuntur, quia impertinenter, & aliquo modo irreuerenter. Cauſa tamen rationabili poſita, licitè id fieri poteſt. Primò in abſolutione à peccatis, quando verbi gratia Confeſſarius dubitat an pœnitens habeat peccata, vel an ipſum abſoluerit. Vaſquez *de pœnit. quæſt.*

*quæſt.*84. *art.*3. *dub.*5. Reginaldus *lib.*8. *num.*6. Deinde in abſolutione à cenſuris, vt ſi dicat abſoluens, Abſoluo te ab excommunicatione, *ſi eam incurriſti*, aut *ſi teneris vinculo illius, &c.* Idque conſtat in abſolutione, quæ ex vſu Eccleſiæ datur ad cautelam, quando ſcilicet dubitatur an contracta fuerit cenſura; datur enim tunc abſolutio ſub conditione ſi pœnitens indiget, vel ſi contraxit, &c. Cornejo *de cenſuris diſput.*51. *dub. vltim.* Abſolutio verò à peccatis, ſeu Sacramentalis nullo modo poteſt dari ſub conditione de futuro, ita vt hoc modo data non ſolum illicita, ſed etiam inualida ſit. Ratio eſt; nam vel illa valet quando datur vel quando adimpletur conditio: non primum, cum abſoluens non intendat quod tunc habeat effectum, & intentio Miniſtri neceſſaria ſit ad Sacramenti effectum: neque ſecundum, quia tunc non adeſt materia, & forma: ergo. Vaſquez & Reginaldus relati. Abſolutio tamen à cenſuris ſub prædicta conditione de futuro valida eſt, & licita, ſi conditio illa ſit rationabilis, vt ſi dicatur Abſoluo te ab excommunicatione *ſi ſatisfeceris, reſtitueris, &c.* cum enim cenſura ferri poſſit ſub conditione de futuro, non eſt ratio cur & abſolutio non poſſit dari eodem modo. Sayrus *lib.*5. *cap.*16. *num.*7. Cornejo *ſuprà*. Abſolutio verò data ſub conditione de futuro impertinenti, & irrationabili, vt ſi dicat abſoluens, Ego te abſoluo ab excommunicatione *ſi cras pluerit*, licet illicita ſit & imprudens, quia eſt abuſus poteſtatis ſpiritualis, cum per illam fiat, quod actus illius pendeat à re impertinenti, valida tamen videtur, cùm ſimili modo valida ſit abſolutio ſub conditione de præſenti, aut de præterito etiam impertinenti. Ægidius Coninch *de Sacram. diſput.*13. *dub.* 2. *num.*17. *&* *diſp.*14. *dub.*16. *num.*113. Bonacina *de Cenſur. diſp.*1. *quæſt.*3. *punct.*7.

12 Abſolutio cenſuræ debet eſſe voluntaria, libera, & non coacta, ſeu extorta per dolum, vim, aut metum cadentem in virum conſtantem, ita vt aliter non ſolum illicita ſit ex parte extorquentis, propter grauem iniuriam, quæ irrogatur Superiori à quo extorquetur, ſed etiam ſit irrita, & inualida. Ita enim habetur ex *cap. vnico, de iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt, in* 6. vbi Eccleſia in fauorem Eccleſiaſticæ poteſtatis id diſponit. Caietanus *verb. Exxcommunicatio, caſu* 41. Nauarrus *cap.*27. *num.*125. Cornejo *de Cenſuris diſp.*11. *dub.*4. Vbi etiam decernitur, quod qui per vim, vel metum abſolutionem extorquet, nouam excommunicationem incurrit. Sayrus *lib.*2. *cap.*31. Cornejo *ſuprà*. Ea tamen non eſt reſeruata. Theſaurus *in prax. part.*2. *verbo abſolutionem à cenſuris extorquens, c.*9.

13 Ex parte abſoluentis requiritur ad valorem abſolutionis Sacramentalis, ſeu à peccatis, poteſtas ordinis, & iuriſdictionis iuxta dicta *tom.*1. *Summæ. part.* 1. *cap.*19. ex Concil. Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*15. Ad valorem tamen abſolutionis à cenſuris, licet requiratur, quod abſoluens ſit Clericus, quia ille ſolus eſt capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, cuius actus eſt abſolutio à cenſuris, quemadmodum propter eandem rationem idem requiritur ad ferendum cenſuras. Nihilominus quemadmodum ad ferendum cenſuras non eſt neceſſarius Ordo Sacerdotalis, ſed ſufficit inferior, imò & prima tonſura, ſic etiam ſufficit ad abſoluendum ab illis. Suar. *diſp.*7. *ſect.*6. *num.*21. Naldus *in Summ. verb. abſolutio à cenſ. num.*3. Quare ſi caſus eſſet, quod in aliqua Religione conuerſi eſſent Prælati, ſicut illi non ſunt capaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ac proinde nec poſſent ferre cenſuras, iuxta dicta *tom.*1. *p.*5. *c.*8. *n.*18. ſic nec ab illis abſoluere. Secus verò ſi tales Prælati eſſent clerici ſaltem in minoribus, aut in prima tonſura conſtituti, quia tales ſunt capaces iuriſdictionis in foro externo; & iudiciali. In mortis etiam articulo licet quilibet Sacerdos etiam alias non habens iuriſdictionem, ſiue Ordinariam, ſiue delegatam, poſſit abſoluere à quibuſcunque peccatis, & cenſuris quantumuis reſeruatis, ex doctrina Concilij *ſeſſ.* 14. *cap.*7. probabilius tamen eſt hoc non poſſe competere aliis Sacerdote inferioribus, ſiue etiam Diaconis, aut Subdiaconis. Concilium enim ſolum hoc tribuit Sacerdotibus, nec eſt aliquod ius quo id concedatur inferioribus. Suarez *ſuprà num.*6. Sayrus *lib.*2. *cap.*31. *num.*3. Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſputat.* 18. *ſect.* 1. *num.*4. *&* 7. Quamuis Cornejo *ſupra*, quod attinet ad abſolutionem à cenſuris, oppoſitum exiſtimet probabile cum Sylueſtro *verb. abſolutio* 1. *num.* 8. & aliis. De cenſuris porro, ſiue reſeruatis, ſiue non reſeruatis, à quibus abſoluere poſſunt Prælati Regulares ſuos ſubditos, dixi *tom.* 1. *cap.*18. *num.*29. & ſequentibus.

Ex parte abſoluendi requiritur ad abſolutionem, 14
quod ille ſit diſtinctus ab abſoluente, ita vt nullus poſſit ſeipſum ſiue à peccatis, ſiue à cenſuris abſoluere. Abſolutio enim actus iuriſdictionis eſt, quæ non exercetur niſi in ſubditos, ac per conſequens in alios. Suarez *de cenſuris diſp.*7. *ſect.*7. Bonacina *de cenſuris diſput.*1. *quæſt.*3. *punct.*4. Vnde caſu quo Prælatus Regularis in cenſuram aliquam incidiſſet, non poſſet ſeipſum abſoluere, ſed ab alio abſoluendus eſt. Quid verò agendum in caſu in quo in vno Monaſterio Prælatus, & ſubditi eſſent excommunicati ob violentam manuum iniectionem ad inuicem, nec ſit alius, qui eos poſſit abſoluere, dicam infra verbo *Clericus, n.*17. de abſolutione excommunicationis ob Clerici percuſſionem loquens.

Quamuis ad abſolutionis Sacramentalis valorem re- 15
quiratur voluntas illius, qui abſoluendus eſt, cum nullus adultus poſſit inuitus recipere Sacramenta (S. Thom. 2. *part. q.*68. *art.*7. & Expoſitores *ibid.*) ad abſolutionis tamen à cenſuris valorem non eſt id neceſſarium, ſed poteſt ab illis abſolui ignorans, aut non conſentiens. Ratio eſt, quia ſicut cenſura poteſt ferri in inuitum, ita abſolutio cenſuræ inuito dari poteſt. S. Thom. *in* 4. *diſt.*18. *quæſt.*2. *art.*5. Sayrus *lib.*2. *cap.*21. *num.*5. Hoc tamen intellige de abſoluente per poteſtatem ordinariam, abſolutam, & independentem à voluntate, & conſenſu illius, qui abſoluendus eſt; nam qui abſolueret aliquem ſolum ex vi priuilegij conceſſi pœnitenti, vt contingit per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, ſi inuitum illum abſolueret, nihil faceret; nam vſus talis priuilegij pendet ex voluntate ipſius priuilegiati. Cornejo *tract. de cenſuris diſp.*11. *dub.*5. An verò poſitiuè repugnans poſſit abſolui ab habente auctoritatem, dubium eſt, & partem affirmatiuam tenet ipſe Cornejo, eſtque id ſatis probabile, ſaltem ſi non adeſt contumacia ex parte illius.

Abſens, ſeu non localiter præſens, licet non poſſit 16
abſolui ſacramentaliter propter declarationem quandam Clementis VIII. quam refert Naldus *verbo Confeſſio, & Confeſſarius, in fine*, vbi oppoſitum damnauit vt falſum, temerarium, & ſcandaloſum, & contra illius aſſertores grauiſſimas pœnas poſuit, nihilominus à cenſuris abſolui poteſt quis, quantumvis abſens, & diſtans. Ita enim conſtat ex vſu Eccleſiæ, præſertim in Diplomatibus Summorum Pontificum. Eſtque ſatis conforme naturæ ipſius cenſuræ, vt quemadmodum abſenti infligi poteſt, multo magis ipſius abſolutio dari. Reginaldus *lib.*9. *n.*59. Auila *de Cenſ. part.*2. *c.*7. *diſp.*5. *dub.*1. Ex quo infertur rectè facere Prælatos Regulares habentes facultatem ex vi ſuorum priuilegiorum abſoluendi ſuos ſubditos à cenſuris in Capitulis, aut viſitationibus, aut certis Feſtiuitatibus, iuxta dicta *tom.* 1. *c.*18. *num.*93. abſoluendo etiam abſentes ſi priuilegia ipſorum generalia ſint, nec tantùm extendantur ad præſentes. Auila *ſuprà*. Layman. *lib.*1. *tract.*5. *p.*2. *cap.*6. *n.*9. Similiter, ſi Confeſſarius facultate abſoluendi præditus, oblitus ſit aliquem à cenſura abſoluere, vel ſi aliquem abſoluat à cenſura, à qua non poterat, quia erat Superiori reſeruata, poſtea impetrata facultate poterit,

imò

Digitized by Google

imò debet abſolutionem abſenti conferre, ſi ipſum ad ſe accerſere non poſſit. Layman. relatus ex Nauarro, Henriquez, & Auila.

17 De caſibus, & cenſuris reſeruatis, à quibus abſoluere poſſunt Prælati, & Confeſſarij Regulares, vide verbo *Bulla Cœna*, verbo *Bulla Cruciata*, verbo *Caſus reſeruatus*, verbo *Cenſura*, verbo *Confeſſarius*, verbo *Degradatio*, verbo *Depoſitio*, verbo *Excommunicatio*, verbo *Interdictum*, verbo *Irregularitas*, & 4. tomo verbo *Suſpenſio*.

ACCVSARE, ET ACCVSATOR.

SVMMARIVM.

1 *Quando Religioſus accuſare poſſit.*
2 *Quando accuſat ſine licentia Prælati, an iudicium illud ſit validum.*
3 *Quid ſi Religioſus velit agere contra ſuum Prælatum.*
4 *An tunc concedi debeant illi expenſæ.*
An etiam Prælato accuſato. ibid.
5 *Religioſus obedire debet ſuo Superiori durante lite.*
6 *An cum poteſt eſſe actor, poſſit conſtituere procuratorem.*
7 *In caſu hæreſis, vel ſuſpicionis hæreſis tenentur Religioſi denunciare quaſcumque perſonas.*
8 *Quid in caſu, quo Monialis, ſeu Religioſus iuuenis ad inhoneſta ſolicitaretur in Confeſſione.*
9 *Quæ crimina teneantur denunciare tempore viſitationis.*
10 *Nullus tenetur denunciare ſeipſum.*
11 *An, & quando teneantur denunciare complices.*
12 *An excuſentur aliqui à denunciatione, propterea quod non poſſint probare delictum.*
13 *An Religioſus teneatur denunciare delinquentem iam emendatum.*
14 *Quid quando illud delictum ſolus vnus nouit.*
15 *Quid ſi religioſus haberet apud ſe rem furto ſublatam.*
16 *Quid quando præceptum Superioris fundatur in ſola præſumptione.*
17 *Delicta ſecreta proximi, an, & quando denunncianda.*
18 *Eccleſiaſtici prohibentur accuſare in cauſa ſanguinis.*
Quando, & quomodo id liceat. ibid.
19 *Proteſtatio quando, quomodo, & coram quibus ſit facienda.*
An illa proſit laicis. Ibid.
An teſtibus, Fiſcalibus, Aduocatis, &c. ibid.
20 *An ſine illa excuſentur aliquando Eccleſiaſtici ab irregularitate.*
21 *Quid quando accuſant aliquem ex obligatione Charitatis, vel Iuſtitiæ.*
22 *Alia remiſſiuè.*

1 RELigioſus, iuxta dicta *tom. 1. Summ. c. 1. n. 11.* non poteſt comparere in iudicio forenſi tanquam accuſator, ſeu actor, etiam pro iniuria ſibi illata contra quamcumque perſonam ſine licentia Prælati, niſi quando eſt extra Monaſterium, aut quando Prælatus ita eſt abſens, vt commodè non poſſit expectare eius reſponſum, aut ſi velit agere contra Religionem ipſam. Cùm enim omne ius ſuum in Monaſterium tranſtulerit, ac veluti mortuus ſit, non poteſt prædicta munera exercere. Poteſt tamen in iudicio Regulari, ſeu coram ſuo Prælato accuſator eſſe, ſeu actor contra alios Regulares ſui Ordinis, cum conditionibus tamen aſſignatis eodem 1. *tom. c. 27. n. 22.* vbi etiam *n. 20 23. &* 24. & ſequentibus alia, quæ ad hoc ſpectant, præſertim de differentia, quæ eſt inter accuſatorem, & denunciatorem. De quo etiam noſter Thomas à Ieſu *in lib. de Regul. viſitat. tract. 1. cap. 4.* Sumimus autem in præſenti pro eodem actorem, & accuſatorem, quia qui in ciuilibus cauſis actor dicitur, *l. qui prior, ff. de iudiciis*, is in criminalibus appellatur accuſator, *ff. de accuſat. & inſcript.* nunc ergo alia addenda.

Primum eſt, quod iudicium agitatum cum Monacho abſque Superioris licentia, in quibus nequit agere, aut eſſe actor, vel accuſator, eſt nullius momenti. Nam iudicium, vt ſit legitimum, debet conſtare iudice, actore, & reo legitimis, ex *c. forus, de verbor. ſignificationibus*, & communiter ex Doctoribus: illud autem iudicium caret actore legitimo, Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 12. num. 12.* Qui etiam *num. 13.* addit poſſe Superiorem, ſi voluerit, ratum habere illud iudicium, in quo Religioſus actor fuit, ſeu accuſator ſine licentia ipſius. 2

Secundum, quod ſi Religioſus velit agere contra ſuum Prælatum, prout poteſt, illum accuſando, vel denunciando crimen illius, non tenetur expectare illius conſenſum, vtitur enim iure ſuo, maximè ſi id cedat in vtilitatem Monaſterij, *cap. ex parte, de accuſat.* Gloſſa *ibi verbo Alia*, Felinus *paulò poſt principium*, Sanchez *ſuprà num. 18.* 3

Quando autem Religioſus accuſat ſuum Prælatum, non ſunt ei denegandæ expenſæ, tam victus, quàm aliæ neceſſariæ ad litem proſequendam. Sic enim habetur ex dicto *cap. ex parte, de accuſat.* & ſequuntur Gloſſa finalis *ibi*, Ioannes Andreas *ibi*, Abbas *num. 9.* & alij. Limitat id Sanchez relatus *num. 21.* niſi Religioſus accuſans habeat aliquod peculium, tunc enim, inquit, non tenetur Monaſterium litis expenſas miniſtrare, quia ceſſat ratio reddita ex *cap. ex parte.* Similiter ipſe Prælatus accuſatus debet habere expenſas ſibi neceſſarias vſque ad finem litis, cum etiam ipſe Superior ſit pars Monaſterij, & Monaſterio interſit quod Prælatus ſe defendat, Gloſſ. *eo cap. ex parte, verbo alia*, Abbas *num. 15.* Tapia *Authentica ingreſſi, verbo ſua.* 4

Religioſus etiam ſuum Superiorem accuſans durante lite, tenetur ei obedire ſicut antea. Adhuc enim Superioris officio fungi debet, cùm illo non ſit priuatus. Abbas *capite ex parte, num. 4.* Felinus *ibidem.* Non tamen tenetur illi obedire in deſiſtendo à lite, vel accuſatione, quia in hoc non ſubditur Superiori, *cap. nonne 8. quæſt. 4.* Sanchez *ſuprà, num. 31.* 5

Quoties autem Religioſus poteſt eſſe actor in iudicio abſque Superioris licentia, poteſt etiam abſque illa conſtituere procuratorem, quia cum poſſet id per ſeipſum agere, poterit ſimiliter per alium. *Regul. poteſt, de reg. iuris in 6.* Nauarrus *Comment. de Regul. n. 27. verſ. addo 11.* Sanchez *ſuprà num. 32.* Apud quem alia circa hæc numeris ſequentibus. 6

In caſu hæreſis, vel ſuſpicionis hæreſis, tenentur Religioſi accuſare, ſeu denunciare omnes, & quaſcumque perſonas, tam ſui Ordinis, quàm alterius, & etiam ſæculares DD. Inquiſitoribus, nulla expectata licentia, aut conſenſu ſuorum Superiorum. Colligo id primò ex Conſtitutione Pauli V. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, vbi inter alia hæc: *Volentes, & expreſſè mandantes, vt ipſi Religioſi poſſint, & debeant omnes etiam Ordinum huiuſmodi Profeſſores de hæreſi ſuſpectos Inquiſitoribus, & Ordinariis locorum viciniaribus liberè denunciare, abſque eo, quod Superiores prædicti perſonas denunciandas, & cauſas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, vel præſumant.* Secundò ex decreto DD. Cardinalium Inquiſitorum Generalium Sanctæ Romanæ Vniuerſalis Inquiſitionis, quod refert Peirinis *tom. 2. priuilegiorum Minimorum, in Conſtitutione 9. Pauli V. numero 25.* quod hic apponere libet, quia continet aliquot circumſtantias ſcitu dignas: *Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus vtriuſque ſexus, cuiuſuis* 7

ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentia exiſtentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum ſerie, ac tenore, auctoritate noſtra, & huiuſmodi noſtri officij, quâ fungimur, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor pro primis quatuor, immediatos pro ſecundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica aſſignamus, omnes & ſingulos hæreticos, ſeu de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reu. Commiſſario noſtro, quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad habitantes extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipſo facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris abſolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reſeruamus. Qui autem ſint cenſendi hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, dicetur verbo *Hæreſis*, & an ſint prius fraternè corrigendi, verbo *Denunciatio*.

8 Si caſus eſſet, quod Monialis, ſeu etiam Religioſus iuuenis ad inhoneſta ſolicitarentur à Confeſſariis, tenèrentur eos denunciare Sancto Officio Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, iuxta dicta ex Conſtitutione Gregorij XV. *tom. 1. cap. 19. à num. 33. in tertia editione Veneta*. Conſtitutio enim Gregorij XV. qua id præcipitur, loquitur generaliter de Confeſſoribus ſolicitantibus omnes perſonas, *quæcumque illæ ſint* (inquit Pontifex) ac per conſequens de ſolicitantibus perſonas Religioſas, cùm illarum ſolicitatio maius & grauius crimen ſit, quàm aliarum. Vide alia eo loco dicta, & dicenda verbo *Denunciatio*, & *Denunciare*. Nota etiam, quod in hoc caſu non tenentur tales perſonæ Religioſæ ſolicitatæ poſtulare licentiam à ſuis Prælatis ad propalandum Sancto Officio Confeſſarios ſolicitantes: cum enim de hoc extet mandatum Pontificium, nihil aliud eſt neceſſarium.

9 Tenentur Regulares in viſitationibus Conuentuum, ſeu Monaſteriorum, ſeu etiam extra illas, accuſare, vel ſaltem denunciare crimina, quæ grauiter, & directè ſunt contraria bono communi Reipublicæ, vel communitatis Religioſæ, vt proditio, &c. etiamſi ex accuſatione, vel denunciatione nocumentum aliquod, quantumvis graue oriatur accuſato, vel denunciato. Bonum enim commune anteponi debet bono priuato cuiuſcumque. Similiter ſi viderint aliquem Religioſum inſidiantem vitæ, vel famæ alterius iniuſtè, tenentur illum denunciare, ſeu accuſare. Vnicuique enim Deus mandauit de proximo ſuo. Naldus *in Summa, verbo Accuſare, num. 3.* Generaliter etiam loquendo, de crimine pernicioſo cuiuſvis, cum alia ratione impediri nequit, obligatio eſt accuſandi, vel denunciandi. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 68. art. 1.* Sylueſter *verbo Accuſatio, quæſt. 2.*

10 Nullus tamen tenetur denunciare aut accuſare ſeipſum, quantumvis graue crimen commiſerit. Intellige, extra confeſſionem Sacramentalem. Nemo enim tenetur ſeipſum prodere in iudicio externo, prout habetur *in cap. ſi quis aliquanda, de pœnitentia diſt. 1.* Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap. 9. dub. vnic. num.* 18. Diana *in tract. de denunciationibus, reſol. 8.*

11 Similiter regulariter loquendo non tenetur aliquis denunciare, ſeu accuſare complices, ſeu ſocios ſui delicti. Moraliter enim loquendo non poteſt quis manifeſtare ſocios, quin manifeſtet ſeipſum. Nam ſi Petrus, v. g. denunciat Paulum complicem furti, aut homicidij, Paulus poſtea interrogatus vt reus denunciabit Petrum. Sanctarellus *ſuprà, num. 16.* Suarez *tract. de fide, diſp. 20. ſect. 4. num. 18.* Diana *tract. de denunc. reſol. 9.* Dixi *regulariter loquendo*, quia caſu dato, quod poſſet manifeſtari delictum complicis ſine detrimento illius, qui denunciat, denunciare tenebitur, ſicut dicunt multi de fœmina ſolicitata à Confeſſario, quæ ſolicitationi conſenſit, ea enim denunciare tenetur Confeſſarium, occultando tamen proprium conſenſum. Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap. 44. dub. vnic. num. 12.* Diana *ſuprà*, cum aliis quos citat. Similiter, qui alicui hæretico dogmatizanti aſſenſum præbuerunt, cùm hoc delictum ſit in magnum detrimentum Eccleſiæ, tenebuntur denunciare dogmatizantem, accuſando ſeipſos apud Inquiſitores; ſic enim conſultum erit bono communi, & proprio, cum accuſatores ſui ipſius à Sancto Officio benigniſſimè tractarentur. Ita aliqui Theologi apud relatum Dianam *reſolut. 8.*

In caſibus in quibus aliqui denunciare tenentur, non 12
excuſantur à denunciatione, propterea quod non poſſint probare delictum. Etenim iuxta dicta *tom. 1. c. 27. n. 20. & 24.* hæc eſt differentia inter denunciatorem, & accuſatorem, quòd accuſator tenetur probare delictum, quod defert ad Iudicem, non tamen denunciator. Eſto enim denunciator de iure teneatur probare ſuam denunciationem, vt colligitur ex *l. Diuus, & l. ab accuſatore, ff. ad Senatuſconſult. Turpillianum*, ex conſuetudine tamen oppoſitum ſeruatur, Farinac. *tract. de hæreſi, quæſt. 185. §. 5. num. 71.* Quod maximè tenet verum in caſibus pertinentibus ad Tribunal Sanctæ inquiſitionis. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 96. num. 51.* Diana *tract. de denunc. reſ. 1.* Quare quod dixi *tom. 1. c. 27. num. 3. & 20.* nullum teneri denunciare delictum, quod probare non poſſit, intelligendum eſt, quando conſuetudine receptum fuerit, quod denunciator teneatur probare: Sed dicto *num. 20.* ſolus accuſator eſt, qui ſuſcipit onus probandi, non autem denunciator, quia tantùm præparat viam Iudici, vt ipſe inquirat, & probet.

Si Superior Regularis iubeat etiam per cenſuram de- 13
nunciare aliquem Religioſum delinquentem ad emendam ipſius, ad impediendum peccatum aliquod eiuſdem, aut vt non inferatur malum proximo, vel vt damnum illatum reſtituatur, in his caſibus Religioſus, qui ſcit proximum eſſe emendatum, neque amplius velle peccare, vel ſcit iam eſſe reſtitutum damnum, vel proximè paratum eſſe ad reſtituendum, non tenetur parêre edicto Superioris, quia iam ceſſauit finis illius, qui ſolùm erat emendatio proximi, & reſtitutio damni. Corduba *in Summa, quæſt. 64.* Saytus *in claui regia, lib. 14. cap. 14. num. 27.* Portellus *in dub. Regular. verbo Denunciatio, num. 7.* Secus videtur dicendum, quando Prælatus inquireret de aliquo delicto, non ob prædicta motiua, ſed ad punitionem, & exemplum aliorum, quia illud fuit publicum, ſeu ſcandaloſum; tunc enim bonum commune Religionis poſtulat vt denuncietur, & puniatur, etiam in caſibus aſſignatis. Fauet Rodriguez *2. tom. q. 6. art. 4.* Vide dicta *tom. 1. part. 1. cap. 27. num. 3.*

Similiter ſi Prælatus præcipiat, vt denuncietur ali- 14
quod delictum, & illud nouit vnus ſolus, & ſcit quod delinquens ſcit eum ſolum noviſſe, illud non tenetur denunciare, niſi crimen illud ſit contra bonum commune, vel in graue damnum tertij. Ratio eſt, quia in tali caſu exponeret ſe denuncians periculo magnæ inimicitiæ, & iræ oriundæ inter ipſum, & delinquentem: cui tamen damno ſolum cedere debet pro bono communi, vel graui damno tertij. Saytus *lib. 12. clauis regiæ, c. 14. n. 26.* Portel. *in dub. Regul. verbo Denunciatio, n. 26.*

Similiter ſi caſus eſſet, quod Religioſus haberet apud ſe rem furto ſublatam à iure acceptam, & Prælatus præciperet, vt denunciaretur, non tenetur denunciare. Exinde enim magnum damnum denuncianti ſequere- 15
tur; ſiue enim bona, vel mala fide rem acceperit à iure, ſemper ipſe erit ſuſpectus de furto, ac proinde denunciare non tenebitur, ne ſeipſum prodat. Iulius Clarus *lib. 5. receptarum ſententiarum, pract. crimin. q. 16.* Saytus relatus *num. 25.* Portellus relatus *num. 11.* Vnde infert, quod ſi aliquo modo potuerit propalare rem furto ſublatam ſine manifeſtatione ſui, tenebitur id facere.

16 Præterea, quando præceptum Superioris præcipientis aliquid ſibi reuelari, fundatur in ſola præſumptione, ſi alicui conſtat talem præſumptionem eo caſu deficere, probabile eſt non teneri propalare fratrem. Exempli gratiâ, Superior ex ſuſpicione, quod quidam Religioſus commiſit peccatum contra caſtitatem, præcipit ſubditis, vt dicant, ſi aliquis exiuit è Conuentu ſine ſocio: ſcit aliquis quemdam exiiſſe ſine ſocio, conſtat tamen illi non commiſiſſe tale peccatum, probabile eſt vt dixi, non teneri propalare illum, qui ſine ſocio exiit. Ceſſat enim in illo præſumptio, & finis talis præcepti. Sic in ſimili Ioannes Valerius *in differ. vtriuſque fori, v. har. differ. 1. num. 4.* Ricciua *part. 3. deciſ. 278. n. 6.* Fagund. *de 2. Eccleſ. præcept. lib. 8. cap. 7. num. 7.* An verò in caſu hæreſis etiam id procedat, tractat Diana *in tract. de denunciationibus, reſol. 10.*

17 Delicta ſecreta proximi, quorum non præcedit infamia, ſemiplena probatio, vel aliquod ſaltem indicium, non debent reuelari, quando Iudex, vel Prælatus intendunt procedere ad pœnam, etiamſi ſub cenſura id præcipiatur. Ius enim naturæ, quod iuri poſitiuo anteponi debet, præſcribit, vt ſecreta proximi non propalentur cum damno ipſius. Corduba *quæſt. 64.* Sayrua *in Claui Regia, cap. 14. num. 28.* Si verò talia delicta ſint contra bonum commune, proculdubio reuelari debent, etiam cum diſpendio delinquentis, quia bonum commune bono priuato anteponi debet, iuxta dicta *tom. 1. cap. 27. num. 2.* ex Suarez 4. *tom. de relig. lib. 10. de Regimin. ſociet. cap. 11. num. 8.*

18 Religioſi omnes, ſicut & alij Eccleſiaſtici prohibentur accuſare aliquem apud Iudices ſæculares in cauſa ſanguinis. Colligitur *ex cap. ſententiam ſanguinis, in tit. ne Clerici, vel Monachi*: vbi cùm multa prohibeantur Clericis, Gloſſa habet, *Clerici prohibentur omnia illa, ex quibus ſequitur, vel ſequi poteſt vitæ amiſſio, vel ſanguinis effuſio.* Id quoque colligitur ex *cap. poſtulaſti, de homicidio, & cap. Prælatis, etiam de homicidio in 6.* In vtroque enim capite excipiuntur caſus, in quibus id fieri permittitur, ſcilicet *in cap. poſtulaſti*, caſu quo non accuſatur aliquis criminaliter, ſed tantum ciuiliter, nihilominus Iudex exercuit vindictam ſanguinis. In *capite*, verò *Prælatis*, quando petitur emenda delinquentis cum proteſtatione, de qua infra, & nihilominus etiam iudex pœnam mortis illi intulit. Ex hoc enim infertur in aliis caſibus id eſſe illis prohibitum. Vnde etiam infertur, quod licet tam Clerici, quàm laici accuſantes aliquem in cauſa ſanguinis, ſequuta morte, vel mutilatione, ſint Irregulares, *cap. penult. de homicidio, in 6.* Couarruuias *Clement. 1. de homicidio, 2. part. §. 5.* & alij. Tamen irregularitas quæ incurritur à laicis ſolum eſt ex defectu lenitatis, quia alios accuſando non faciunt contra aliquam Eccleſiæ prohibitionem. Irregularitas verò, quæ incurritur à Clericis, idem dico de Religioſis (poteſt dici ex delicto, cum illis ſit prohibitum accuſare. Bonacina *diſp. 7. de Irregularit. punct. 1. num. 35.* Cornejo *tract. 5. de irregularit. diſp. 11. dub. 1.* Nihilominus Clericis, per conſequens etiam Religioſis permiſſum eſt accuſare non ſolum ſine peccato, ſed etiam ſine aliqua irregularitate, etiam apud Iudices ſæculares ſuos malefactores in defenſionem ſui, & rerum ſuarum, etiam ſuper criminibus, quibus pœna ſanguinis debetur, dummodo proteſtentur ſe non intendere dictam pœnam ſanguinis. Colligitur ex dicto *cap. poſtulaſti*, & maximè ex dicto *capit. Prælatis*, cuius hæc ſunt verba: *Prælatis, vel Clericis quibuſcumque, qui de laicis ſuis malefactoribus querelam penes ſecularem Iudicem deponentes, petunt emendam ſibi fieri, & prouideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſè, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet, quamuis alias in tali caſu de iure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi Prælati, aut Clerici propter metum huiuſmodi (quia Iudex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere) de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona liberè deprædandi.* Bacconius noſter *in 4. diſtinct. 25. quæſt. 7. art. 2.* Couarruuias relatus, Caietanus 2. 2. *quæſt. 33. art. 7.* Nauarrus *cap. 27. num. 213.* & alij communiter.

Circa quæ aliqua notanda ſunt, ex quibus plurium 19
caſuum conſcientiæ deciſio haberi poterit. Primum, hanc proteſtationem non eſſe neceſſariam, quando accuſatio eſt coram Iudice Eccleſiaſtico, vt ſi Religioſus accuſaret aliquem apud ſuum Prælatum de crimine aliquo pœna mortis digno: ſed quando eſt coram Iudice ſæculari. Ratio eſt, quia textus dicti *cap. Prælatis*, id exprimit, dum dicit *penes ſecularem Iudicem.* Tum quia Iudex Eccleſiaſticus non poteſt inferre pœnam ſanguinis, & quamuis tradat reum brachio ſæculari, ſicut ipſe Iudex Eccleſiaſticus, non propterea cenſetur concurrere ad mortem, ſic neque accuſator. Suarez *de Cenſuris, diſp. 47. ſect. 2. num. 18.* Naldus *Summa, verbo Irregularitas, num. 11.* Cornejo *ſuprà.* Secundum, non iuuare huiuſmodi proteſtationem, niſi quando accuſatio fit à Clerico, vel Religioſo in defenſionem ſuarum perſonarum, vel bonorum ipſorum. Sic enim dicitur in textu prædicti *cap. Prælatis, eoſdem, & ipſorum bona.* Vnde ſi in foro ſæculari Clericus, vel Religioſus accuſet alterum de iniuria illata perſonis extraneis, erunt Irregulares, morte ſequuta, etiamſi præmiſerit dictam proteſtationem. Nauarrus *capit. 27. num. 217.* Molina *tract. 3. diſp. 44. num. 8.* Extendi hoc poteſt ad accuſantes pro damno illato ſuis domeſticis, aut ita coniunctis, vt iniuria illorum per conſequentiam aliquo modo ipſorum accuſantium cenſeatur. Cornejo *ſuprà.* Laymanus *lib. 3. de iuſtitia, tract. 3. part. 3. cap. 7. aſſert. 5. num. 6.* Extendunt hoc etiam aliqui ad accuſatores eorum, qui damnum intulerunt propinquis. Sed conſiderandum eſt, ſi damnum illorum redundet in accuſantes; ſi enim tale fuerit, admitti poterit iſtorum placitum. Suarez *ſuprà, num. 17.* Bonacina *diſp. 7. de Irregularitate, quæſt. 4. punct. 2. num. 4.* Tertium, poſſe etiam vti ea proteſtatione Clericos, & Regulares, accuſando iniuſtum damnificatorem bonorum ſuæ Eccleſiæ. Nam bona ſuæ Eccleſiæ pro ſuis reputantur. Bonacina *ſuprà, num. 5.* poſt alios, quos refert. Imò poteſt tunc Eccleſiaſticus, vel Regularis capere, detinere, & tradere Iudici talem malefactorem, præmiſſa tamen dicta proteſtatione. Quia cui finis eſt permiſſus, etiam media neceſſaria permiſſa cenſentur. Cùm ergo illis permittatur accuſatio, ita etiam hæc, quæ ad accuſationem ordinantur, permiſſa erunt. Laymanus, & Bonacina relati. Quartum, probabile eſſe hanc proteſtationem, etiamſi non ex animo, ſed fictè fiat, prodeſſe accuſatori Eccleſiaſtico, ſeu Religioſo. Quia in illo textu nulla fit mentio alicuius intentionis interioris, ſed ſolum exterioris proteſtationis. Suarez *ſuprà, num. 4.* Cornejo etiam *ſuprà.* Dixi ſolùm probabile id eſſe, quia plures ſunt, qui cenſent oppoſitum, & ad minus id conſulendum in praxi eſt pro maiori ſecuritate, vt habet Naldus *in loco iam relato.* Quintum, quod etiamſi deciſio illius textus ſolum loquatur de Clericis, nihilominus etiam extenditur ad laicos, ita vt etiam illi vtendo hoc remedio iuris propter indemnitatem innocenti inuento, poſſint in accuſando vti ea proteſtatione ad euitandam irregularitatem, quam aliàs contraheret, ſequuta morte ex accuſatione. Suarez *ſuprà, num. 5. & 6.* Cornejo etiam *ſuprà.* Sextum, eam proteſtationem non iuuare teſtes, Fiſcales, Aduocatos, vel alios miniſtros Iuſtitiæ. Textus enim dicti *cap. Prælatis*, tantùm loquitur de accuſatore; Cornejo, & Laymanus *ſuprà.* Niſi fortè in caſu neceſſitatis ipſius accuſatoris, præcepti, vel grauis metus, aliqui illorum excuſentur, iuxta dicenda infrà verbo *Irregularitas, num. 30.* Septimum, proteſtationem faciendam eſſe coram Iudice, apud

quem deponitur querela, iis, vel ſimilibus verbis: *Domine, peto à te mihi ſatisfactionem vel reſtitutionem exhiberi ab iſto, qui mihi damnum intulit, proteſtorque me nulla ratione intendere mortem, pœnam ſanguinis, vel mutilationem illius.* Non eſt tamen neceſſe fieri in ſcriptis, quia nullo iure probatur ſcripturam requiri. Vgol. *de Irregularitate, cap.6. §.7. & 8.* & Bonacina relatus *num.9.*

20 Sunt etiam alij caſus, in quibus Clerici, vel Religioſi, etiamſi accuſent aliquem coram Iudice ſæculari, & ipſe damnet illum ad pœnam mortis, non ſint Irregulares, etiam non præmiſſa proteſtatione. Primus eſt, quando crimen de quo accuſant, eſt adeo leue, vt reus non ſit dignus morte, vel mutilatione, nihilominus Iudex pro ſua malitia, vel ignorantia illum condemnet ad mortem: tunc enim non accuſator, ſed iudex cenſetur cauſa efficax mortis, Cornejo *ſuprà*, Bonacina *num.7.* Secundus eſt, quando ipſi accuſant de re leui aliquem, & poſtea in carcere conſtitutus, propter aliorum accuſationes damnatus eſt morti. Cornejo, & Bonacina relati. Quod ſaltem eſt verum, quando non præuiderunt illud periculum. Cornejo, & Sayrus ab eo relatus.

21 Specialiter non videtur incurri irregularitatem quoties accuſant Eccleſiaſtici, & Religioſi alios apud Iudicem quemcunque, propter obligationem, quam habent ex Charitate, vel Iuſtitia ſic faciendi, v.g. ſi accuſent aliquem volentem prodere Rempublicam, aut occidere innocentem. Canones enim nunquam infligunt irregularitatis notam propter officium debitum ex præcepto naturali, vel diuino Charitatis, Iuſtitiæ, vel alterius virtutis, quod ſaltem eſt verum, quando non poſſunt damnum imminens alio modo impedire. Cornejo *ſuprà*, Laymanus etiam *ſup. num.6.* Nec obſtat ſi dicatur Iudicem fieri irregularem occidendo malefactorem, quem in conſcientia occidere tenetur. Ergo ſimiliter accuſans, quando tenetur. Eſt enim diſpar ratio; nam iſta obligatio accuſandi in caſibus prædictis eſt omnino antecedens voluntatem accuſatoris, orta ex ipſa rei natura, vel præcepto diuino: obligatio autem Iudicis ad occidendum malefactorem eſt ſubſequens voluntatem liberam acceptandi tale officium, atque ita iſte incidet in irregularitatem, non autem ille. Suarez relatus *ſect.3. num.4.* Cornejo *ſuprà.* Addit Sanchez *tom.2. Conſil. Moralium, lib.6. cap.2. dub.10.* ex aliis, quos refert, præmitti debere proteſtationem ſuprà aſſignatam; nam quamuis iura ſolum dicant in cauſa propria illam eſſe præmittendam, nihilominus iure naturali extenditur hæc facultas ad caſus dictos. Sed credo non eſſe neceſſariam tunc, prout Cornejo, & Laymanus relati rectè docent ex Molina, & Auila. Opus enim ipſum ab irregularitate exemptum eſt, ac proinde non indiget proteſtatione aliqua, ne incurratur. [Conſequenter ad hanc doctrinam loquitur Lugo *tom.1. de Iuſt. & Iure, diſp.38. ſect.2. num.16.* dicens Clericos (idem dico de Religioſis) teneri ad denuntiationem delicti, quando aliter malum imminens commune, vel priuatum impediri non poteſt, nec in hoc caſu incurri irregularitatem, quia ea non incurritur pro caſu quo Ius naturæ obligat ad denunciandum. Sed addit tunc eſſe neceſſariam proteſtationem ſuperius aſſignatam. Quod non placet, propter dicta ex Cornejo, & Laymano.]

22 Vide alia verbo, *Denunciatio, & denunciare*, verbo *Hæreſis, & Hæreticus*, verbo *Iudicium Regulare.*

ADMINISTRATIO, ET Adminiſtrator.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtratio bonorum Monaſterij ad quos ſpectat.*
Quid ex Decretis Summorum Pontificum. ibid.
2 *Quos Regulares obligent.*
Qualiter intelligenda. ibid.
3 *Quæ Adminiſtratio bonorum Monaſterij competat Abbatiſſis.*
An aliqui Adminiſtratores deſignari pro illis poſſint. ibid.
4 *An Fratres Minores poſſint hoc munus exercere.*
5 *Quid ſi Adminiſtratores in ſuo munere deliquerint.*
6 *Quæ conditiones pro illis requirantur.*
7 *Quanto tempore durent.*
8 *An bona quæ recipiunt apud alios, conſeruare poſſint.*
9 *Alia ad Adminiſtratores ſpectantia.*
10 *Quæ Adminiſtratio prohibita Regularibus.*
11 *In quibus caſibus liceat.*
12 *Alia remiſſiuè.*

QVamuis iure antiquo ex *cap. nullam 18. quæſt.2.* tota bonorum Monaſterij adminiſtratio ad Abbatem, ſeu Prælatum ſpectaret, iuxta dicta *tom.1. cap.18. num.13. & cap.19. num.52.* Nunc verò attendendum eſt ad leges, vel conſtitutiones Religionum, quibus hæc authoritas Prælatorum limitatur, vel declaratur. Maximè obſeruanda ſunt decreta à Clemente VIII. primùm edita, & poſtea à SS. D. N. Vrbano, & Sacra Congregatione, inter alia ſpectantia ad Regularium reformationem, quæ habentur *tom.4. Bullar.* inter Conſtitutiones Vrbani *num.26.* vbi ſic: *Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditum ſui Conuentus, etiam nomine Conuentus per ſeipſum habere, ſiue exercere poſſit, ſed vniuerſum id onus tribus Fratribus eiuſdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, redditumque colligendorum, & exigendorum curam habeat, alter tanquam depoſitarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſeruet, alius de pecuniis, & rebus à depoſitario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed iuxta Charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator prouideat, officiorum huiuſmodi confuſione penitus interdicta. Cæterùm hi tres tam impenſi, quàm accepti, ſingulis menſibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus eiuſdem Conuentus probatioribus, rerumque vſu peritis, rationem reddant. Deinde ipſimet rurſus, præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, vel Viſitatoribus, cum aduenerint, denique ipſi Generalis, vel Viſitatores in quolibet proximo Capitulo Generali ſaltem coram tribus Iudicibus ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, vniuerſæque ſuæ adminiſtrationis, tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneantur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc vt ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.* 1

Circa quæ decreta primò aduertendum, quod licet ea primitus edita videantur à Clemente VIII. tantum pro Mendicantibus, & Monachalibus Ordinibus, vt patet in titulo illis præfixo, ſcilicet *pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium.* Quia tamen in decretis Sacræ Congregat. Concilij de apoſtatis, & eiectis à SS. D. N. Vrbano approbatis, præcipitur omnibus Regularibus quorumcunque Ordinum obſeruantia ipſorum, vt patet in illis *num.1. & 18.* ideo videtur omnes, & ſingulos Regulares Ordines ad illorum obſeruantiam obligari, ac per conſequens teneri ad hunc modum adminiſtrationis bonorum obſeruandum. Secundò, id eſſe intelligendum, niſi (quod vix continget) legitima, & approbata conſuetudine poſt ipſorum decretorum promulgationem introductam oppoſitum fuerit receptum. Tertiò, hunc modum adminiſtrationis bonorum Monaſterij per tres aſſignatos, 2

Digitized by Google

tos, quorum vnus colligat, alter conſeruet, alter expendat; ſolum eſſe pro Monaſteriis virorum, non pro Monialibus, vt de ſe patet. Quartò, prædictos adminiſtratores bonorum Monaſteriorum nullatenus teneri reddere rationem ſuæ adminiſtrationis quibuſcunque Ordinariis, prout ex declaratione Sacr. Congreg. dixi dicto *tom.2. cap.19. num.52.* & referunt Armendariz *in Addit. ad recopil. leg. Nauarræ, lib.1. tit.18. & lib.7. n.78.* & Ioan. Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verb. Adminiſtratores, num.2.* Quintò, præfatos Adminiſtratores amouibiles eſſe ad nutum Superioris, prout dixi *eo cap.* 19. ex Concil. Trid. & alia declarat Sacr. Congreg. apud Barboſ. *in Collect. Bullar. verb. Officiales.* [Ex quibus habetur, Prælatos Regulares non poſſe dici aut eſſe dominos bonorum temporalium Monaſteriorum: tum quia propter votum paupertatis illis repugnat dominium alicuius rei temporalis. Tum quia tale dominium potius pertinet ad Monaſterium, prout colligitur *cap. Quoniam, 16. quæſt. 1.* Tum denique, quia ipſi Prælati potiùs ſunt adminiſtratores horum Monaſteriorum, Nauarrus *Commentario 2. de Regular.* Suar. *de Relig. tom.3. lib.8. cap.15. num.10. & tom.4. tract.8. lib.2. cap.24.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. diſp.15. quæſit.* 2. Quæ autem Monaſteria non ſint capacia talis dominij, & ad quem illud pertineat, alibi diximus. Vnde conſequenter Prælati non conſeruantes bona Monaſteriorum, vel ea in vſus vanos & ſuperfluos expendentes, vel dantes licentiam ſuis ſubditis id faciendi, grauiter peccant, etiam contra votum paupertatis, cùm non ſint Domini talium bonorum; ſed ſolùm adminiſtratores ad vſus honeſtos, & ſecundum Regulam, Nauarrus *comment. 2. de Regular.* Rodriguez *tom.3. quæſt. Regular. q.59. art.51.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. diſp.11. quæſit. 6. & 7.* Apud quem *quæſit.* 8. an Monaſterium poſſit agere contra Prælatos aliter facientes, & *quæſit. 9. & 10. & 11. 12. & 13.* in quibus rebus debeant impendi bona Monaſteriorum.

3 Similiter quamuis Abbatiſſæ, ſeu Priorîſſæ habeant aliquam adminiſtrationem bonorum Monaſteriorum, quibus præſunt, iuxta dicta ſupra verbo *Abbatiſſa, num.* 17. Nihilominus dicta adminiſtratio non eſt abſoluta, ſed ferè in omnibus monaſteriis habet relationem ad alias Moniales, & in rebus magni momenti ad Epiſcopos, vel Superiores. Tamb. *de Iure Abbatiſſarum, diſp.32. quæſt.13.* Vnde ſicut Epiſcopi reſpectu Monialium ſibi ſubiectarum poſſunt ponere adminiſtratores pro bonis Monaſteriorum ipſarum adminiſtrandis, ſic & Superiores Regularium reſpectu Monialium ipſis ſubiectarum. Ita enim ſupponitur in Conſtit. Greg. XV. *de exempt. priuil.* quæ incipit *Inſcrutabili*, in 4. tom. Bull. inter Conſtit. huius Pont. *num.* 18. de qua poſtea illis verbis §. 5. *Adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium etiam Regularibus ſubiectarum pertinentia, ſiue Regulares exiterint, ſiue ſæculares.* Et vt ait relatus Tambur. *de Iure Abbatiſſ. diſp.14. quæſt.2. n.1.* compertum eſt Generales, & Prouinciales Religionum, propter facultatem illis à Sede Apoſtolica attributam erga Moniales eorumdem curæ creditas deputare poſſe Regulares ſibi ſubditos pro adminiſtratione rerum temporalium in Monaſteriis Monialium, vt de facto, & ab immemorabili multæ Congregationes conſueuerunt. Quare declaratio quædam Sacræ Congregationis, quâ dicitur: Adminiſtratores bonorum temporalium Monialium particulares Religioſos cuiuſcumque gradus, aut præeminentiæ, etiamſi Superiores Monaſteriorum fuerint, non poſſunt deputare Ordinarij, nec Regulares, etiam in Capitulis eorum Generalibus: quam (etſi diuerſis verbis) referunt Sellius *in ſelect. Can. cap. 20. num. 1.* Barboſa *in Collect. Bull. v. adminiſtratores,* Gau. *in Man. Epiſc. verb. Monialium cura in temporalibus;* & Ioan. Maria Nouarius *in Lucerna Reg. v. adminiſtratores, num.* 1. Intelligi debet, vel ſpecialiter de Fratribus Minoribus de Obſeruantia, quibus id eſt prohibitum, vt infrà dicam, vel de aliis quibus etiam ex Regula, ſeu Conſtitutionibus id fuerit interdictum, vel ſi generaliter de omnibus, ſolùm de iis, quibus nec ex priuilegio, nec ex legitima conſuetudine id competit. Verba enim Conſtitutionis Greg. XV. clarè ſupponunt poſſe Regularibus hoc munus competere, prout de facto competit in pluribus locis.

Fratribus autem Minoribus de Obſeruantia permiſſum non eſt hoc genus temporalium bonorum adminiſtrationis, etiam erga Moniales ſibi ſubiectas. Tum propter rigoroſam paupertatem, quam profitentur, quâ & pecunias tangere eſt illis interdictum, tum ex Innocentio IV. & decreto Cardinalis Matthæi à Clem. VIII. confirmato, prout refert Tamburinus *de Iure Abbatiſſ. diſp.14. quæſt.2. num.5.* 4

Porrò huiuſmodi Adminiſtratores bonorum Monialium, tam Regulares, quàm ſæculares nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſunt, quo minus ſi deliquerint circa bonorum adminiſtrationem Monialium etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant. Ita enim habetur in dicta Conſtit. Gregorij XV. *de exemptor. priuilegiis.* Similiter adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubiectarum pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue ſæculares quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi, & compelli queant. Ita idem Gregorius in præfata Conſtitutione, Subiungitque licere Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, vt eiuſmodi Adminiſtratores amoueant, iiſque detrectantibus, aut negligentibus, poſſit Epiſcopus eos amouere quoties, & quando opus eſſe iudicauerit. Tamburinus *ſuprà num. 2. 3. & 4.* Cum autem à Sacra Congregatione Concilij interrogatum fuerit, an eiuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus Regularibus ſignificare teneretur, reſpondit non teneri, ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum. Habetur autem eiuſmodi declaratio cum aliis ſpectantibus ad hanc Conſtitutionem ſimul cum ipſa. Et notat quod pro Regnis Hiſpaniarum ſuſpenſa eſt, prout dixi *tom.1. cap.19. num.15.* 5

Nulla ætas determinata requiritur pro prædictis Adminiſtratoribus, ſed qui morum grauitate, virtutumque ornamentis, cæteriſque honeſtis qualitatibus ſunt imbuti, eligi debent. Ita Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium apud Ioannem Mariam Nouarium *in Lucernâ Regularium, verbo Ætas.* Spectat etiam eorum electio ad Superiores Monaſteriorum. Sacra Congregatio apud Armendariz *in additionib. ad recopilat. legis Nauarræ, lib.2. tit.18. l.7. de relig. num.85.* Laurentius de Franchis *in Controuerſ. Epiſcopor. & Regular. ſup. dict. Conſtitut. Gregorij XV. quæſt.1.* 6

Quolibet triennio mutari debent; prout ex Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium refert Gauantus *in Manual. Epiſcop. verb. Monialium cura in temporalibus, num.13.* Quia tamen Armendariz, & Barboſa inferius referendi afferunt aliam Sacræ Congregationis declarationem, in qua dicitur, Officiales, qui diſtributionem bonorum Monaſterij habent, eſſe ad nutum amouibiles, idque conforme ſit Concil. Tridentin. *ſeſſ.25. cap.2.* Ideo ne dicatur vnam Sacræ Congregationis declarationem alteri eſſe contrariam, affirmandum videtur prædictos adminiſtratores eſſe ad nutum amouibiles, prout ex Concilio, & poſteriori declaratione colligitur; ita tamen, vt non vltra triennium in prædicto munere permaneant. 7

Officiales electi pro adminiſtratione bonorum Monaſterij à Superioribus eiuſdem, poſſunt prout ipſis 8

Digitized by Google

magis expedita videbitur, redditus ipſorum Monaſteriorum in loco conuenienti, extra Monaſterium conſeruare, & ab ciſdem ſubminiſtrare pro tempore neceſſaria ipſis Monialibus. Ita Sacra Congregatio apud Armendariz *in additionib. ad recopilat. leg. Nauarra, lib. 7. de relig. num.* 88. & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Officiales.*

9 Alia de huiuſmodi adminiſtratoribus, ſcilicet an ſi tempore adminiſtrationis efficiantur pauperes, teneantur ſatisfacere: & an ſi efficiantur diuites, præſumantur ſurripuiſſe bona Monaſteriorum, & an qui non exegerunt à debitoribus, teneantur de ſuis, & quid ſi incidant in latrones, ac ſimilia, tractat Lauretus de Franchis *in Controuerſ. Epiſcoporum, & Regularium ſuper dicta Conſtitutione Gregorij XV.* quæ tamen omitto, quia magis ſpectare videntur ad adminiſtratores ſæculares, quàm ad Regulares, & quia pro iſtis particulares leges in omnibus Religionibus erunt, quæ obſeruari debent.

10 Nullus particularis Religioſus, nullave Monialis habere poteſt aliqua bona ſtabilia ſibi deſignata ad proprium vſum in adminiſtrationem, ac per conſequens nec munus adminiſtrationis reſpectu illorum exercere. Ratio eſt, quia ita exprimitur clarè tum in Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. tum in decretis adductis Clementis VIII. & Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani. Loquor autem de adminiſtratione, non ſolum, aut ea ratione qua eſt aliquid iuris, quia hoc modo ſumpta omninò repugnat voto paupertatis, cum importet facultatem vtendi aliqua re independenter à voluntate alterius, iuxta dicta *tom. 1. cap. 6. num.* 3. de quo Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 18. num. 25.* Sed etiam prout importat aliquid facti, ſcilicet rei gubernationem, & diſtributionem, iuxta leges, & conditiones determinatas ab ipſius domino. Ratio eſt, quia licet adminiſtratio hoc modo ſumpta non repugnet eſſentiæ, aut ſubſtantiæ voti paupertatis, repugnat tamen modo paupertatis, ſeu vitæ communi præſcriptis à Concilio, & Summis Pontificibus, iuxta dicta eo *cap. 6. n.* 18. & ſequentibus.

11 Sunt tamen aliqui caſus, in quibus Religioſo licitè conceditur adminiſtratio bonorum, etiam ſtabilium. Primus ſi adſit Papæ diſpenſatio. Cùm enim Summus Pontifex in voto etiam paupertatis diſpenſare poſſit, prout communiter Doctorum ſententia tenet, multò magis diſpenſare poterit, vt ſalua ſubſtantia voti Religioſus aliqua bona ſtabilia adminiſtret amouibiliter à voluntate ipſius, vel alterius Superioris. Secundus eſt, quando Religioſus aſſumitur extra ſuum Ordinem ad aliquam dignitatem, cui annexa ſit talium bonorum adminiſtratio, vtpote Epiſcopatum, iuxta dicta *tom. 5. cap. 17. num. 5. & 6.* Tertius eſt, quando etiam intra Ordinem ipſum conceditur alicui Religioſo aliquod beneficium Regulare extra Monaſterium, cui etiam adiuncta ſit prædicta bonorum ſtabilium adminiſtratio. Pro quo vide dicta *tom. 2. cap. 16. num. 2. &* 33. Quartus eſt, quod in illis Monaſteriis, in quibus vel ob nimiam paupertatem qua premuntur, vel ob malitiam, incuriam aut negligentiam Superiorum non poteſt obſeruari vita communis, dando ſingulis, & omnibus Religioſis ea quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ſecundum decentiam ſtatus, vel de facto non dantur, quemadmodum iuxta dicta *tom. 1. cap. 6. à num.* 21. poteſt permitti Religioſis aliquod peculium etiam rei ſtabilis, annui redditus, vel cenſus, &c. in ordine tantum ad vſus ſimpliciter neceſſarios, & amouibiliter à voluntate Superiorum, ſi aliter commodè viuere non poſſunt, ita etiam poſſit illis permitti alicuius boni ſtabilis adminiſtratio, propter eandem rationem, cum eiſdem conditionibus, & aliis dicto *cap. 6.* aſſignatis: Quo ſenſu, & non alio accipiendus eſt Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 2. diſp. 21 quæſit. 5. & 6.*

Vide & alia verbo *Bona.*

ÆTAS.

SVMMARIVM.

1 *Ætas Prælatorum Generalium, vel Prouincialium qualis.*
2 *Aliorum Prælatorum inferiorum.*
3 *Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum.*
4 *Diffinitorum.*
5 *Pro profeſſione emittenda.*
6 *Pro recepturis Sacros Ordines.*
7 *Quæ ætas ſufficiat ad peccatum mortale, & incurrendas Cenſuras.*
8 *Quando Regulares obligentur ad ieiunia ſua Regula.*
9 *Quæ ætas requiritur ad Beneficia, vel ſimilia.*
10 *Alia remiſſiuè.*
11 *Dubium de ætate requiſita à Concilio pro Canonica Pœnitentiario.*
12 *Pontifex poteſt conferre Canonicatus illi, etiamſi non habeat ſufficientem ætatem.*
13 *Nullum ius eſt, quod manus Papæ liget, quantum ad hoc.*
14 *Non obſtat decretum Concilij Tridentini.*
15 *Non agitur in eo de prouiſione facta à Papa, ſed ab Epiſcopo.*
16 *Et ita non comprehendit Papam, propter aliud decretum Tridentini.*
17 *Ex ſacra Congregatione, & Rota.*
18 *Alia declaratio Sacræ Congregationis.*
19 *Si tamen aliàs habeat ſufficientes literaturam, & morum probitatem.*
20 *Sic etiam dicitur declaraſſe Clem. VIII.*
21 *Probabile eſt etiam Epiſcopum id facere poſſe caſu dato.*
22 *Colligitur ex ipſo Concilio.*
23 *Dictio*, aliàs, *eſt idem quod* aliter, *vel* alio modo.
24 *Eſtque diminutiua requiſiti.*
25 *Exemplum ad hoc in eodem Concilio, cùm loquitur de examine Sacerdotis ad audiendas confeſſiones.*
26 *Eo quòd Concilium dixit*, aut aliàs idoneus iudicetur.

Ætas Prælatorum Generalium, vel Prouincialium debet eſſe triginta annorum, iuxta dicta *tom. 1. cap.* 18. Conſentit declaratio Sacræ Congregationis, quam referunt Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici, reſol. 56. part. 4.* & Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Ætas, num.* 5. vbi etiam dicitur debere eſſe triginta annorum completorum. [Licet Sigiſmundus de Bononia *de elect. dubio* 62. *num.* 1. dicat hoc ſolùm eſſe de honeſtate, non autem de neceſſitate, eo quod iura ſolùm loquantur de veris Epiſcopis, non de aliis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus. Quod probabile cenſeo, & colligitur à ſimili ex quadam declaratione Sacræ Congregationis, quam refert idem Sigiſmundus *dub.* 63. *num.* 1. Idem ſequitur Bordonus *in ſuis reſolut. Reſ.* 21. *num.* 23. dicens quod licet ex honeſtate requiratur ad Generalem, & Prouincialem ætas triginta annorum, ex rigore tamen Iuris non ſit neceſſaria.] 1

Ætas verò aliorum Prælatorum inferiorum, quales ſunt Priores, Guardiani, Præpoſiti, Rectores, & ſimiles, debet eſſe ad minus vigintiquinque annorum, iuxta dicta *loco relato*, conſentiente Sacra Congregatione à prædictis Riccio, & Nouario relata. Conſonat etiam alia Sacræ Congregationis declaratio, qua dicitur ætatem vigintiquinque annorum requiri ad obtinendam dignitatem, cui ſubeſt animarum cura. Illam refert Barboſa *in Collectaneis Bullarij, verbo Ætas.* Cùm enim tales Prælatiæ dignitates ſint, iuxta dicta *tom. 5. cap. 13. num. 4.* 2

num. 4. meritò ea ætas, quæ requiritur pro habenda dignitate, neceſſaria etiam erit pro Prælatis etiam inferioribus Religionum. Dicitur etiam in eadem Declaratione hanc ætatem vigintiquinque annorum debere eſſe vigintiquinque annorum inceptorum, quo denotatur eam ætatem ſufficere, & eſſe neceſſariam pro huiuſmodi Prælatis, quæ ſufficit, & eſt neceſſaria pro Sacerdotio.

3 Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum ætas debet eſſe quadraginta annorum, vel ſaltem triginta, iuxta ea, quæ diximus ſuprà verbo *Abbatiſſa*, *num.* 2.

4 Ad diffinitoriatum requiritur ætas viginti duorum annorum. Ita habet Sacra Congregatio à Riccio, & Nouatio ſuprà relata, & conformiter ad ea, quæ dixi de ſociis, ſeu diſcretis *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 17. ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. Non obſtante tamen hac ætate iure communi requiſita, in omni Religione ſeruari debent propria ſtatuta maiorem ætatem exigentia, quemadmodum in Ordine noſtro ætas triginta annorum, iuxta Conſtitutiones noſtras *punct.* 4. *cap.* 13. *num.* 3. An verò requirantur completi, dicam verbo *Annus*, n. 2.

5 Ætas, quæ requiritur ad profeſſionem emittendam, tam pro viris, quàm pro fœminis eſt ſexdecim annorum completorum, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. Eſtque huiuſmodi ætas pro profeſſione neceſſaria à die natiuitatis extra vterum, non à die Baptiſmi computanda, prout ibi dictum eſt, & declaratum referunt à Sacra Congregatione Barboſa, & Nouarius relati. Caſu autem quo quis ex ſecto matris vtero editus eſſet, ex tunc eius ætas computaretur, vt probat Mandoſius de *ætat. min. cap.* 15. *num.* 25. & approbat Sanchez *de precept. Decalog. lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 4. Ad receptionem autem Nouitiorum non eſt aliqua ætas iure communi requiſita, quin potius ex *cap. Nullus, de temp. Ordin. in* 6. colligitur etiam in infantili ætate poſſe Nouitios ad habitum admitti. Seruanda tamen ſunt iura Religionum, ſicut in noſtra id, quod 1. *part. conſtit. cap.* 13. *num.* 5. ſtatuitur, ſcilicet, quod nullus in Fratrem Clericum recipiatur, niſi ſit in ætate quatuordecim annorum. Audio etiam Sac. Congreg. decidiſſe non recipiendos Nouitios Clericos, niſi habuerint prædictos quatuordecim annos. Pro conuerſis autem, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. ex decretis Clement. VIII. à Sacr. Congreg. approbatis à Sanctiſſ. D.N. Vrbano ſtatutum eſt non debere recipi ante vigeſimum ætatis ſuæ annum. Notandum tamen, quod ſtando in Iure communi Concilij Tridentini nulla ætas determinata requiritur pro receptis ad habitum Religionis, cùm neque dicto *cap.* 15. neque in ſequenti, vbi ſermo de hac re poterat eſſe, nihil dixerit; nec ex iis quæ de anno ad profeſſionem requiſito dixi, colligi id poſſit. Vnde ſtando in Iure Eccleſiaſtico communi Clerici poſſunt recipi ad habitum in quacumque ætate, niſi obſtet declaratio Sacræ Congregationis, quam ſolùm ex aliorum teſtimonio retuli, licèt Conuerſi non poſſint recipi licitè ante vigeſimum ætatis annum, propter decreta Clementis VIII. & S. Congregationis ſub Vrbano VIII. relata.]

6 Pro recepturis Sacros Ordines modò poſt Concil. Trid. requiritur ad Subdiaconatum ætas viginti duorum annorum, ad Diaconatum viginti trium, ad Preſbyteratum viginti quinque, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. Primæ autem tonſuræ ſuſcipiendæ ſufficit ſeptenarij tempus, hoc enim eſt tempus infantiæ, vt dicit Gloſſa *cap. Nullus, de temp. Ordin. in* 6. vbi cauetur ne vllus Epiſcopus ante hoc tempus tonſuram primam vlli conferat, niſi ei, qui Religionem fuerit ingreſſus. Quo ſupponitur etiam illo tempore, vt dixi, poſſe pueros ad habitum admitti, & illis primam tonſuram conferri. Legitimum porrò tempus recipiandi Minores Ordines, eſt poſt ſeptennium vſque ad duodecimum annum, quo completo Acolytatus ſuſcipitur, *can. in ſingulis, diſt.* 77. Toletus *in Summa lib.* 1. *cap.* 61. *num.* 1. & 2. Gauantus *in Manual. Epiſcop. verbo Ordines Minores, num.* 6. & 10. Quare caſu quo pueri ad habitum Religionis ea ætate reciperentur, poſſent dicto tempore tonſuram, & Minores Ordines recipere, maximè quia iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 14. *num.* 20. & *cap.* 24. *num.* 6. non repugnat iuri communi quod Nouitij ordines ſuſcipiant.

7 Ætas ſufficiens ad peccatum mortale regulariter eſt ſeptennium, ita vt tunc pueri abſolui poſſint abſolutè, & ſine conditione, quia iam ſupponuntur regulariter habere vſum rationis, cuius ſignum eſt, quod ſponſalia illius temporis admittuntur. Naldus *in Summ. verbo Ætas, num.* 2. Ad incurrendam autem cenſuram, licet aliqui credant requiri ætatem duodecim annorum, immeritò tamen, cùm *cap. vlt. de ſentent. excommunicat.* clarè ſupponatur pueros ante annos pubertatis incidere poſſe in excommunicationem. Ita etiam ſupponunt Suarez *de Cenſuris diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 19. Cornejo *de Cenſuris diſp.* 9. *dub.* 3. clarius Naldus *in Summa, verbo Annus, num.* 1. Quod intelligendum de cenſura à iure; nam de cenſura ab homine, eſto in rigore iuris infligi poſſit pueris doli capacibus ante pubertatem, cum nullo iure id prohibeatur (Suarez *ſupra*) propter ignorantiam tamen, quæ in illis præſumitur, præſertim quia non cenſentur cognoſcere ordinem iudiciarium, minùs cum illis agendum. Nec ita facilè ferenda in illos ſententia. Suarez, & Naldus relati. Fauet Vgolinus *de Cenſuris tabul.* 1. *cap.* 17. §. 3. *num.* 5.

8 Quamuis Regulares omnes ex vi, & à tempore profeſſionis emiſſæ teneantur ad ieiunia Regulæ, & Conſtitutionum, iuxta modum obligationis, quo ipſa obligant, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 7. *num.* 26. ad ieiunium tamen Eccleſiaſticum non tenentur, niſi viginti vno anno completo, vt ex communi ſententia omnium eo loco dixi. Nec obſtat, quod in Regulis Religionum etiam ponatur obſeruantia præceptorum Eccleſiæ. Ex hoc enim ſolùm infertur Regulares ante prædictum vigeſimum vnum annum expletum teneri ad ieiunia Eccleſiaſtica, non ex vi præcepti Eccleſiaſtici, ſed ex vi Regulæ. Caſu autem, quo quis expleat vigeſimum primum annum ipſo die ieiunij, tunc tenebitur ieiunare ab illa hora, in qua prædictum tempus expleuit, non autem antea, cum ſolum ab eo tempore præcepto adſtringatur, & non antea. Quod ſi ante illud tempus plures refectiones ſumpſerit, ieiunare non tenebitur reliqua parte diei, quia per plures illas refectiones redditus fuit impotens ad ieiunandum illa die. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 24. *num.* 23. Bonacina *de ieiunio diſp. vlt. quæſt.* 1. *punct. vlt. num.* 7. Prædicti etiam Regulares pro conſequendis Iubilæis tenentur obſeruare ieiunia in illis præſcripta, etiamſi tempus viginti vnius annorum non expleuerint.

9 Si contingat Religioſos ex diſpenſatione Papæ Canonicatum, penſionem, beneficium ſimplex, vel quid ſimile obtinere, aduertendæ ſunt aliquæ declarationes Sacræ Congregationis pro ætate ad illa obtinenda. Prima eſt, ætas quatuordecim annorum ſufficit ad obtinendum Canonicatum in Eccleſia Collegiata. Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ, Gloſſa* 5. *num.* 91. & 92. Armendariz *in additionib. ad recopilationem legum Nauarræ lib.* 1. *tit.* 20. *l.* 1. *de ætate, num.* 8. Secunda eſt, ætas quatuordecim annorum ſufficit ad obtinendam dimidiam portionem in Eccleſia Cathedrali. Gonzalez *dict. gloſſ.* 5. *num.* 93. Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Ætas.* Tertia eſt, ætas quatuordecim annorum poſt Concilium ad beneficium ſimplex obtinendum non exigitur expleta, ſed ſufficit cœpta. Armendar. *ſuprà*, *num.* 5. Gonzalez *ſuprà*, *num.* 90. Quarta eſt, ætas quatuordecim annorum requiſita in beneficiis, non requiritur in penſione, ſed ſufficit ſeptem annorum. Gonzalez *ſup. num.* 26. Barboſa etiam *ſup.*

Vide

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

10 Vide alia verbo *Annus*, verbo *Dimiſſoria*, verbo *In-
terſtitia*, & 4. tomo, verbo *Ordo*. [Ætas regulariter com-
putanda à die natiuitatis, iuxta dicta *tom. 1. cap. 2. n. 10.*
non à die Conceptionis. Couarruuias *in Epit. 4. decret.
part. 2. capit. 8. §. 2. n. 3.* Molina *de Iuſt. tom. 2. diſp. 573.
n. 2.* Sigiſm. *de elect. dub. 62. n. 7.*]
11 Congruit huic loco id, quod circa ætatem pro Ca-
nonico Pœnitentiario requiſitam à Concilio, interro-
gatus reſpondi. Ad dubium propoſitum de Canoni-
co Pœnitentiario, an videlicet debeat habere 40. an-
12 nos in ætate. Reſpondeo primò, certiſſimum mihi eſſe
ſummum Pontificem poſſe non ſolum validè, ſed etiam
licitè talem Canonicatum conferre non habenti dictam
ætatem, ſi alias ſufficientem litteraturam, & morum
13 probitatem habeat. Nullum enim ius eſt naturale, aut
diuinum, quod manus Papæ liget, vt non poſſit hoc
facere. Nec obſtat Concilium Tridentin. *ſeſſ. 24. de re-
14 form. cap. 8.* illis verbis: *Pœnitentiarius aliquis cum vnione
præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui
Magiſter ſit, vel Doctor aut licentiatus in Theologia, vel
iure canonico, & annorum quadraginta, ſeu alias, qui
15 aptior pro loci qualitate reperiatur.* Non ſolùm quia in
hoc loco Concilij non agitur de prouiſione talis Ca-
nonicatus facta à Papa, ſeu ab Epiſcopo, ſed etiam
quia Papa propter ſummam eius auctoritatem quam ha-
bet etiam ſupra Concilia, poteſt in illis diſpenſare: ma-
16 ximè loquendo de Concilio Tridentino, quod *ſeſſ. 25.
de reform. c. 21.* declarauit in omnibus ſuis decretis intel-
ligi debere, *ſalua ſemper authoritate Sedis Apoſtolicæ*:
ita vt propterea Sacra Congregatio apud Garziam *de
benefic. p. 5. c. 8. n. 87.* & Sacra Rota ſæpiùs apud Barbo-
ſam *in collectan. DD. ad d. locum Concilij*, declarauerint
17 cenſeri derogatum diſpoſitioni Concilij Tridentini,
quando contra illud Papa diſponit. Et colligitur ex
Gonzalez, Martha, Bonacina, Mareſcoto, Moneta,
18 Gratiano, & aliis apud eundem Barboſam *ſuprà*. Præ-
terea, quia non obſtante, quod in dicto decreto habea-
tur, quod talis Canonicus Pœnitentiarius debeat eſſe
Magiſter, Doctor, aut Licentiatus; nihilominus Sacra
Congregatio Concilij in vna Elborenſi *Pœnitentiariæ*,
12. *Mart.* 1633. quam adducunt Bonfadinus *in Theſaur.
Canon. deciſ. reſol. 49. num. 3.* & Barboſ. *in collect. Apoſtol.
deciſ. collect. 581. num. 23.* declarauit ſufficere, quod Pa-
pæ conſtet de idoneitate talis Canonici ob effectum ob-
tinendi Pœnitentiariam. Ex hoc enim colligitur idem
in præſenti eſſe dicendum, Papam videlicet poſſe pro-
19 uidere de iſta Pœnitentiaria non habentem 40. annos
in ætate, ſi tamen aliàs habeat ſufficientem litteratu-
ram, & morum probitatem. Denique id conſtat ex eo
20 quod ita dicitur feciſſe Clem. VIII. fel. record. cum
quodam Coadiutore Pœnitentiarij Eccleſiæ Patauinæ,
non habente niſi 25. annos. Reſpondeo ſecundò, valdè
probabile mihi eſſe, non ſolùm Papam, ſed etiam Epiſ-
copum poſſe inſtituere talem Canonicum Pœnitentia-
21 rium non habentem 40. annos ætatis, ſi tamen alius
non poteſt pro loci qualitate reperiri. Ratio eſt, quia
ita expreſsè habetur verbis illis Concilij, *ſeu alias, qui
22 aptior pro loci qualitate reperiatur.* Dictio enim illa *alias*,
eſt idem quod *aliter*, vel *alio modo*, vt *in l. denique, §.
verum, ff. de pecul. leg. l. 1. §. illud, ff. de aqua quotid.*
Caputaquen. *dec. 210. num. 5.* Rot. *deciſ. 316. num. 6.
23 par. 5. rec.* Verallus *deciſ. 210. num. 5. par. 1.* Eſtque dimi-
nutiua requiſiti. Seraphin. *deciſ. quæſt. 68. num. 5.* Et ita
24 defectum ætatis 40. annorum in Pœnitentiario non
obſtare, vbi aliàs aptior pro loci qualitate reperiri non
poteſt, & ſufficere, quod non reperiatur in Ciuitate, vt
etiam Diœceſi perſona apta cum dictis qualitatibus, nec
eſſe quærendam extra Diœceſim, *arg. cap. nullus, 61. diſt.
& cap. fauorum, 63. diſt.* reſoluunt Salaz. de Mendoza *in
libello de Inſtitut. Canonicatus Pœnitentiariæ, §. 3.* Squillante
de priuil. Cleric. cap. 4. n. 70. & alij, quos refert Barboſa
in Collect. DD. ad hunc locum Concilij, num. 20.

Eſtque aptiſſimum exemplum in eodem Concilio 25
ſeſſ. 23. de reform. c. 15. ex eo enim, quod Concilium
ibi dicat: *Nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſecu-
larium etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum repu-
tari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis
per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias ido-
neus iudicetur, approbationem obtineat*; inferunt DD. 26
quod ſi Sacerdos ab Epiſcopo videatur idoneus ad au-
diendas confeſſiones, non teneatur eum examinare, eo
quod Concilium dixerit; *aut alias idoneus iudicetur*.
Etenim dictio *alias*, eſt idem quod *aliter*, aut *alio modo*,
vt dictum eſt, aut eſt idem quod *alia via*, ſeu *alia ra-
tione*. Bonacina *de Sacram. Pœnit. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4.
§. 1. n. 9. & 10* Caſtrus Palaus *de Sacram. pœnit. tract. 23.
diſput. vnic. punct. 17. num. 4.* poſt alios. Idem ergo in
præſenti dicendum de eadem dictione in eodem Con-
cilio, dum agit de Canonico Pœnitentiario.

AFFINITAS.

SVMMARIVM.

1 *Affinitas quid ſit.*
Quando dirimat matrimonium. ibid.
2 *Quid ſi adueniat poſt matrimonium contractum.*
Qualis copula ad eam requiratur. ibid.
3 *Solus Pontifex diſpenſat in illa ante contractum ma-
trimonium.*
*Poſt contractum etiam Epiſcopus, & cui ipſe commi-
ſerit*, ibid.
4 *Quid de Confeſſariis Regularium propter eorum pri-
uilegia.*
5 *Qualiter illa intelligenda.*
6 *Pro quo loco.*
7 *An ſine deputatione Superiorum.*
8 *Alia remiſſiuè.*

Affinitas eſt propinquitas quarumdam perſonarum 1
orta ex copula carnali licita, vel illicita vnius cum
conſanguineo alterius. Si enim Petrus carnaliter co-
gnoſcit Ioannam, cùm fiant duo in carne vna, Petrus
eſt affinis conſanguineis Ioannæ in eodem gradu, in
quo ipſa eſt ipſis conſanguinea, & Ioanna fit affinis
conſanguineis Petri. Non tamen conſanguinei ipſius
Petri fiunt affines conſanguineis Ioannæ, nec è contra:
Cornejo *tom. 2. in 3. part. tract. 6. de Matrimon. diſput. 7.
dub. 31.* Bonacina *de Matrimon. quæſt. 3. punct. 12.* Eſt im-
pedimentum dirimens matrimonium vſque ad quar-
tum gradum, ſi oritur ex copula licita, & vſque ad ſecun-
dum, ſi ex illicita. Ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4.*
Oritur ex copula completa, quæ eſt cum ſeminis virilis
emiſſione intra vas naturale fœminæ, quia hæc dum-
taxat apta eſt ad generationem, ſeu vt vir, & fœmina
efficiantur vna Caro, Cornejo *ſuprà, dub. 32.* Bonaci-
na *ſuprà*.

Non ſolùm incurritur hoc impedimentum affinita- 2
tis ante matrimonium contractum, ſed poſt contra-
ctum, ita vt coniux, qui commiſit inceſtum cum con-
ſanguinea ſui coniugis, non poſſit à coniuge petere de-
bitum, etſi teneatur reddere. Quod nequeat petere
conſtat ex *cap. 1. de eo qui cognouit conſanguineam.* Quod
teneatur reddere, ex *cap. diſcretionem, eodem tit.* & *cap.
penult. & fin. eiuſdem tit.* Henriquez *lib. 11. de Matrim.
diſp. 17. num. 1.* Hoc intellige, quando fuit copula
completa modo dicto *ſupra* cum conſanguineo, vel
conſanguinea coniugis; ſola enim ea copula ſufficiens
eſt ad inducendum hoc impedimentum. Sanchez *ſuprà*.
Amplia, etiamſi copula ſit occulta, quia textus di-
ſtinctè loquitur, nec innititur ſcandalo. Sotus *in 4.
diſt. 37. quæſt. vnic. art. 2. verſ. 2. concl.* Gutierrez *in
quæſt.*

queſt. Canonic. 1 *tomo,cap.* 13.*num.*8. Vnde peccat lethaliter coniux, qui affectus hoc impedimento petit debitum, quia contrauenit præcepto Eccleſiæ in re graui, & petitio ipſa inceſtuoſa eſt. Nauarrus *in Summ. cap.* 16. *num.* 35. Sanchez *ſuprà n.*9. Oritur autem hoc impedimentum ſolùm ex copula habita cum conſanguineis coniugis intra ſecundum gradum; ita vt, qui cognouit conſanguineam ſuæ vxoris in tertio, vel quarto gradu, non priuetur tali iure petendi debitum. Ratio eſt, quia Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. decreuit, quod affinitas orta ex copula illicita, non extendatur vltra ſecundum gradum. Et ita declaratum eſt à Pio V. & Sacra Congregatione. Sanchez *ſuprà num.* 14. Bonacina *ſup.* Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Affinitas, & verbo Impedimentum affinitatis.*

3 Quamuis in impedimento affinitatis, quod eſt ante contractum matrimonium ſolus Pontifex diſpenſare poſſit in illis gradibus in quibus dirimit illud ſolum iure Eccleſiaſtico, etſi non in illis in quibus dirimit etiam iure naturæ (ſi furſan aliqui tales ſunt, de quo alias) quando tamen ſuperuenit matrimonio contracto, & impedit debiti exactionem, poteſt Epiſcopus diſpenſare. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 5. Cornejo *tom.* 3. *in* 3. *part. de Matrimon. diſput.* 7. *dub. vlt.* Hinc ipſe Epiſcopus poteſt committere Confeſſario facultatem id faciendi. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 47. *art.* 1. Tunc autem cenſebitur id concedere, non quando dederit facultatem abſoluendi à caſibus ipſis reſeruatis, hoc enim impedimentum nec eſt propriè caſus, nec propriè loquendo tollitur per abſolutionem, ſed eſt impedimentum quoddam ad petendum debitum, & tollitur per diſpenſationem. Tunc ergo cenſebitur conceſſa huiuſmodi facultas, quando ex verbis concedentis, vel aliis circumſtantiis colligatur mentem ipſius eſſe illam concedere. Miranda *ibidem.* An vero Commiſſarius Cruciatæ habeat aliquod priuilegium circa hoc pro illis partibus, in quibus Bulla Cruciatæ promulgatur, vide Rodriguez *in expoſit. Bull. Cruciat.* §. 13. *num.* 7. Ludouicum à Cruce *in expoſit. Bulla Cruciata, diſp.* 2. *c.* 9. *dub.* 8.

De Confeſſariis autem Regularibus, quod virtute priuilegiorum quarundam Religionum poſſint etiam id facere, communiter tenent auctores, qui de hoc ſcripſerunt, ſpecialiter Caſarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verbo Diſpenſatio, num.* 17. Rodriguez *tomo primo quæſtionum Regularium, quæſt.* 61. *art.* 1. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 1. *quæſt.* 47. *artic.* 1. Portellus *in dub. Regular. verbo Confeſſor Regularis erga ſæculares, num.* 23. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 16. *num.* 8. Ioannes de Cruce *de priuilegiis lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 9. *concluſ.* 1. Et ſanè ita erat tempore quo ipſi ſcripſerunt, modo tamen poſt annum 1631. quo à Sanctiſſ. Dom. N. Vrbano reuocatæ ſunt omnes conceſſiones per viuæ vocis oracula factæ, prout dixi *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. diligentius res expendi debet, iuxta dicta eo *tom.* 1. *cap.* 19. *numero* 25. Et in primis conceſſio Innocentij VIII. pro Minoribus, quam Caſarubius refert, viuæ vocis oraculum fuit, vt ipſe fatetur, imo incertum & dubium, vt Corduba ibi notat, & propterea inutilis hoc tempore, niſi innouetur, aut confirmetur. Idem dico de conceſſione Pij V. etiam pro Minoribus, quam circa hoc referunt Rodriguez, Miranda, Sanchez, & Portellus relati. Fuit enim etiam viuæ vocis oraculum. De conceſſione autem Martini V. aliqui illorum referunt: idem credo affirmandum, quamuis eam vſque modo videre non potuerim. Conceſſio verò Iulij II. quam etiam refert Ioannes de Cruce, quamuis ſolum fuerit reſcriptum quoddam Cardinalis cuiuſdam Summi pœnitentiarij eiuſdem Iulij II. vt patet ex Bullario Rodriguez inter Bullas Iulij II. *numero vigeſimotertio*, quo de mandato ipſius viuæ vocis oraculo ſibi facto declarauit indultum quoddam Sedis Apoſtolicæ datum Prioribus, Præſidentibus, & tribus, aut quatuor Monachis Monaſterij S. Benedicti Congregationis Valliſoletanæ ab ipſis pro tempore deputandis, & ad nutum reuocandis, extendi etiam ad hoc, vt poſſent diſpenſare cum prædictis coniugatis inceſtuoſis in petitione debiti, nihilominus credo non includi in reuocatione illa generali oraculum viuæ vocis. Ratio eſt, quia eſto huiuſmodi declaratio facta fuerit à prædicto Cardinali ex mandato ſibi facto à Papa viuæ vocis oraculo, imo etiam dato, quod illud indultum, de quo ibi fit mentio, fuerit etiam viuæ vocis oraculum, nihilominus ipſa in ſe formaliter, vt ita dicam, non eſt viuæ vocis oraculum; ſed reſcriptum quoddam, vel Breue Summi Pœnitentiarij auctoritate Apoſtolica editum. Manet ergo in ſua vi, & ipſo vti poterunt tam prædicti Monachi, quàm quicumque alij Regulares, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum illis.

Sunt tamen aliqua animaduertenda pro recto vſu huius priuilegij. Primum, hos Confeſſarios deputandos eſſe ad hoc munus diſpenſandi cum prædictis inceſtuoſis per ſuperiorem Monaſterij, ita quod non ſufficiat generalis facultas audiendi Confeſſiones fidelium, ſed requiratur iſta deputatio ad hoc munus ſpecialiter, prout colligitur ex dictis Litteris. Quare non debet committi indiſcriminatim cunctis, ſed ſpecialiter doctis, & prudentibus, quia ſolum illi apti ſunt ad id munus. Numerus autem trium, aut quatuor deſignatus à prædicto Cardinali intelligi debet reſpectiuè ad Monaſteria, Ita vt in magnis, & celebrioribus Monaſteriis, quale eſt illud S. Benedicti Valliſoletani, cui principaliter facta eſt hæc conceſſio, poſſint deſignari tres, aut quatuor. In minoribus autem conuentibus non niſi vnus, vel duo. Ita enim recta ratio dictat intelligi debere priuilegium. Similiter quamuis ex vi viuæ vocis oraculi Pij V. pro Minoribus, quod retuli dicto *tomo primo, capite* 19. *numero* 25. requiratur, quod prædicti Confeſſarij habeant ad hoc munus commiſſionem à Prouinciali, ac per conſequens ita obſeruari deberet, ſi illud non eſſet reuocatum, aut ſi de nouo confirmaretur à Sede Apoſtolica, vi tamen huius priuilegij, de quo in præſenti, non requiritur commiſſio Prouincialis, ſed ſufficit deſignatio à Superiore immediato Monaſterij, prout colligitur ex prædictis Litteris. Item licet ex vi prædicti oraculi Pij V. ſi ſubſiſteret, aut ſi de nouo confirmaretur, facultas conceſſa viro docto Confeſſario non expiret amoto Prouinciali ab officio, vt habet Portellus relatus, & Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tract.* 13. *diff.* 5. *n.* 5. *& diff.* 52. *n.* 10. quia non ipſe, ſed Papa eſt, qui concedit talem facultatem. Tamen in vſu priuilegij, de quo in præſenti, aliter dicendum videtur, ſcilicet, quod mortuo, vel amoto ſuperiore, qui talem deſignationem fecit, ceſſet deſignatio ab illo facta, eo quod illa eſt ad nutum concedentis reuocabilis, prout habetur in prædictis Litteris: Gratia enim, quæ datur ad nutum concedentis, expirat cum ipſo, iuxta dicenda infra verbo *Gratia, n.* 9. Pariter, quamuis prædicta facultate diſpenſandi cum inceſtuoſis, quantum eſt ex vi præfati oraculi Pij V. ſi ſubſiſteret, aut de nouo confirmaretur, vti poſſent Confeſſarij etiam extra Sacramentum Confeſſionis, quia verbum illud *in foro conſcientiæ*, non reſtringitur ad Sacramentum Confeſſionis iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 45. & ſupra verbo *Abſolutio, n.* 6. ex vi tamen priuilegij de quo in præſenti, neceſſe eſt, quod Confeſſarij vtantur dicta facultate in Sacramento Confeſſionis. Ita enim ſupponitur in prædictis Litteris illis verbis, *Confeſſiones diligenter audire, & illis pœnitentiam ſalutarem iniungere.*

Quod autem prædicti Confeſſarij non poſſint vti hoc priuilegio extra ſuas domos, aut Eccleſias, conſtat ex dictis Litteris, vbi ſolum conceditur pro Chriſti fidelibus confluentibus ad illas, ſeu in illis commorantibus, aut exiſtentibus. Denique, quod talis diſpenſatio 6

Digitized by Google

penſatio ſine cauſa exhiberi non debeat, certum eſt, & commune omnibus diſpenſationibus. Videtur autem ſufficiens eſſe, ſi coniux ille, cum quo facienda eſt diſpenſatio, iuuenis ſit, nec poſſit ſe abſtinere à petitione debiti.

7 Cæterum nullo pacto audiendos eſſe Peregrinum *in Compend. priuil. ſui Ordinis, part. 1. titul. diſpenſatio*, §. 8. & Sayrum *in claui regia lib. 6. cap. 11. n. 98.* quatenus aſſerere videntur (etſi id expreſſè non aſſerant) poſſe Confeſſarios Regulares vti hac facultate diſpenſandi cum prædictis inceſtuoſis ſine ſpeciali deputatione ſuorum Superiorum, rectè docet Diana *part. 3. tractat. 2. de dub. Regul. reſolut.* 14. & ſupponunt communiter authores, qui de priuilegiis Regularium ſcripſerunt, quos idem Diana refert. Aut oſtendant, qui oppoſitum dicunt, aliquod priuilegium ſine prædicta limitatione.

8 Vide alia 4. tom. verbo *Matrimonium*.

AGNVS DEI CEREI.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſtatuerit Gregorius XIII. circa Agnus Dei.*
Eam Conſtitutionem eſſe receptam. ibid.
2 *Quæ actiones prohibitæ ſint circa illos.*
3 *An poſſint venales proponi.*
Quando ſimonia in hoc committeretur. ibid.
4 *Emere illos ratione benedictionis ſimoniacum eſt.*
5 *An retineri poſſint miniati, vel depicti.*
6 *Excommunicatio à Greg. impoſita an ſit reſeruata.*
Quis poſſit ab illa abſoluere. ibid.
7 *Tangere, ſeu contrectare Agnus Dei, quibus licet, vel quibus non.*
8 *Pro reuerentia circa illos, quid ſtatuerit S. Carolus Borromeus.*
9 *De vtilitate quam fideles capere poſſunt ex ipſis.*
Qualiter ſignificata ſit ab Vrb. V. ibid.

1 PRo reuerentia habenda erga *Agnus Dei* à Summo Pontifice benedictos, ex veteri Eccleſiæ inſtituto, ſolemni precationum ritu, multiſque cæremoniis tum primo, tum ſeptimo Pont. anno, vt ait Azor. *tom. 1. Inſtit. Mor. lib. 9. c. 9.* hæc ſtatuit Greg. XIII. in Conſt. *Omni certè*, anno 1572. edita inter Conſt. ipſius *in 2. to. Bull. n. 2.* quæ idcirco diſcutienda erunt, quia Regulares etiam tangunt. *Statuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda prohibemus, & interdicimus, ne quiſquam ſiue vir, ſiue mulier, ſæcularis, aut Eccleſiaſtici, etiam Regularis Ordinis, ille ſit, & quacumque gradu, conditione, ſtatu, nomine, dignitate, & honore præcellat, poſthac in perpetuum Agnus Dei per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud ſuperinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, ſeu tenere, quouis prætextu, qualibetve de cauſa audeat. Verum eos albos, & mundos Agnum illum purum, & innocentem repræſentantes, qui occiſus pretioſiſſimo ſanguine ſuo nos redemit, decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri, & cenſeri debere decernimus. Mandantes omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis per vniuerſum Chriſtianum Orbem conſtitutis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, vt præſentem noſtram Conſtitutionem, & prohibitionem in ſuis quique Ciuitatibus, & Diœceſibus ſtatim publicare procurent, ita vt ad omnium notitiam quamprimum peruenire poſſit. Quicumque vero inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam, quam vt præfertur incurrent, etiam aliis pœnis ipſorum Ordinariorum, ſeu Vicariorum, plecti & mulctari volumus, & iubemus.* Hæc in dicta Conſtitutione, quam aliqui extra Vrbem non eſſe receptam dicunt (Filliucius *tr. 14. n. 95.*) ſed alij contrà teſtantur, vt Fagundez *part. 1. lib. 1. c. 4. n. 25.*

Hæc ergo cunctis etiam Regularibus viris, aut fœminis prohibentur à Gregorio XIII. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; ſcilicet præfatos Agnus Dei cereos *depingere, inficere, minio notare, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud ſuperinducere*. Vnde non prohibetur eos circulis, aut thecis aureis, argenteis, ſericis, cryſtallinis, aut vitreis in gyrum circum ornare, coronare. Sic enim Romæ obſeruari video, & Pontifex ſolum interdicit ea quibus albedo, & munditia illorum veluti intrinſecè inficitur. Prohibetur etiam eos depingi, aut miniari facere, intellige auro, minio, vel colore, aut aliqua re illis impoſita, vel ſuperinducta, iuxta ſuperius dicta, vt credatur eadem, quæ facere per ſe circa illos cuncti prohibentur, neque per alios facere poſſe, eſto id non exprimatur in Conſtitutione. 2

Pariter etiam interdicitur omnibus eos *venales proponere, aut tenere*. Quod intellige de venditione ſimoniaca, qualis eſt ſi ratione Benedictionis vendantur, aut cariùs ratione illius; ſecus ſi ratione ſolius materiæ, ceræ videlicet, ex qua conficiuntur, & impenſarum in eis conficiendis, & de vno loco in alium portandis vendantur. Conſtat enim calices, & patenas conſecratas eodem modo vendi poſſe. Ita Sanchez *de præcept. decalog. lib. 2. cap. 41. n. 29.* Bonacina *diſput. 3. de primo præcepto decalogi, q. 1. punct. 4. n. 12.* Qui autem particulam aliquam Agnus Dei venderet, aut carius annulum, ſeu thecam, in qua incluſa eſt, proculdubio conuinceretur eam vendidiſſe ſimoniacè, cum illa materia parua aliàs nullius fermè pretij ſit. Sic intelligendus Azor. *ſup. quæſt. 4.* 3

Emere etiam Agnus Dei ratione benedictionis, ſeu conſecrationis ſimoniacum eſt, quia eſt emere rem ſacram. Emere autem illos ratione materiæ, aut expenſarum, quæ fiunt in apparandis, & poliendis, non eſt intrinſecè malum, Azor. *ſup.* Cui non aſſentior, dum ait in prædicta Conſtitutione videri prohibitum, nullum enim verbum ibi eſt de emptione, ſed de venditione, niſi forſan credatur, eo ipſo quod prohibentur vendi, prohiberi etiam emi. 4

Etſi Agnus Dei pingere, miniare, &c. aut facere pingere, ſeu miniare prohibitum ſit ſub præfata excommunicatione, vt dictum eſt, illos tamen ſic peccaminosè depictos, ſeu miniatos tenere, aut conſeruare, probabile eſt non eſſe prohibitum dicta Conſtitutione. Quia non videtur credibile voluiſſe Pontificem, vt ſemel iam miniati, ſeu depicti comburantur, rumpantur, aut deſtruantur. Vnde dum interdicitur in ea Conſtitutione Agnus Dei *tenere*, infinitiuum *tenere* coniungitur cum dictione *venales*, vt conſtat ex contextu. Pariter dum concludit Pontifex illos habendos, deferendos, & cuſtodiendos albos, & mundos, tantum eſt dicere non eſſe depingendos, ſed vt benedicuntur à Pontifice cuſtodiendos: at vbi peccando depicti ſunt, non interdicit eos teneri, Sanchez *ſuprà n. 28.* Bonacina etiam *ſupra*. 5

Excommunicatio prædicta nulli reſeruata eſt, vt conſtat ex ipſa Conſtitutione, & notat Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo Agnus Dei.* Vnde ab illa poſſunt Prælati Regulares abſoluere ſuos ſubditos, iuxta dicta *tom. 1. c. 18. n. 18.* & Confeſſarij ſuos pœnitentes, iuxta dicta *ibi cap. 16. num. 14.* ex Cornejo *ibi* relato. 6

Tangere, ſeu contrectare Agnus Dei per ſe, & abſolutè non licet, niſi Clericis, ſaltem in Subdiaconatu conſtitutis. Sunt enim non ſolùm ſacri, & benedicti, ſed etiam Oleo Sacro, & Chriſmate conſecrati. Ita etiam elicitur ex *c. Sacratas, diſt. 23.* Azor. *ſupra q. 3.* Sanchez *ſup. n. 27.* Non tamen propterea Clerici inferiores, 7

Digitized by Google

feriores, aut laici eos tangentes peccant mortaliter, ſecluſu ſcandalo, aut contemptu; ſed tantum venialiter, quia pro leui irreuerentia communiter hoc æſtimatur, vt in ſimili dixi de Conuerſis tangentibus ſacra vaſa, *tom.* 2. *c.* 8. *n.* 34. Azor. & Sanchez relati. Imò, vt credo, quando adſit moralis neceſſitas, pietas, & deuotio, nullum erit peccatum eos decenter contrectare, quia ita videtur vſu receptum. Sanchez *ſupra*,

8 Pro reuerentia tamen illis exhibenda in Concilio Mediolanenſi ſub S. Carolo Borromeo Cardinali celebrato quædam ſtatuta ſunt, quæ mihi digna videntur, quod hîc inſerantur, vel in exemplum aliarum Eccleſiarum. Primò vt cùm Agnus Dei domi aſſeruantur, ſicut piæ conſuetudinis eſt, loculo decenti includantur. Cum autem collo dependentes geſtantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, cryſtallinam, aut alterius generis decentis rectè incluſi ſint, itavt tactu violari nequeant, nec ad ornatum habeant quidquam, quod profanum ſit, quòdque minimè deceat. Thecarum fabri ne vllo modo eos tangant, attrectentve, ne chirothecis quidem, forcipe, aut vllo alio inſtrumento, ſed ad eos in thecis reponendos Clericus in ſacris conſtitutus adhibeatur. Ne item minimam particulam ſacræ illius ceræ, è qua Agni figura effecta eſt, in eis includant, quo pluris opus ſuum vendant, ſed ab eo accipiant qui thecam Agni cauſa faciendam locarit. Ne item quiſquam ſacrum Agnum annolo geſtet, cum ita parum religiosè geſtetur, vt aliqua fœditate turpive tactu violari facilè queat. Præterea, qui ſacros agnos geſtant, hoc Religioſius caueant, ne quid impurè, turpiterve agant, aut à ſacra huiuſmodi re alienum. Nec præterea in agri campum benedicti agni proijciantur, nec cuiquam arbori affigantur, neque in ramis arborum ſuſpendantur. Sed quod antiqui eſt inſtituti, eorum cera adoleatur ad ſuffumigationem in agris, vineis, ob imminentem tempeſtatem, fulgura, fulmina, incendia, & grandinis vim, aliaſve diabolicas illuſiones depellendas. Hæc in eo Concilio Prouinciali, referente Azorio *ſupra q.* 2. & aliqua ex eis Gauanto *in Manuali Epiſcoper. verbo Agnus Dei.*

9 De vtilitate quam fideles capere poſſunt ex illis teſtatur Durandus *in Rationali diuinorum officiorum lib.* 6. *cap.* 79. agnos cereos auctoritate Pontificia ſacros vim habere contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, & tempeſtates ventorum, vel imbrium. Hos etiam verſus ab Vrbano V. ad Gregorium Imperatorem cum tribus *Agnus Dei* miſſos fuiſſe, habet Quaranta *verbo Agnus Dei.*

Balſamus, & munda cera cum chriſmatis vnda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum pellit, & omne malignum:
Peccatum frangit, vt Chriſti ſanguis. Et angit;
Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur.
Munera defert dignis, virtutem deſtruit ignis.
Portatus mundè de fluctibus eripit vnda.
Morte repentina ſeruat, Satanaque ruina.
Si quis honoret eum, retinet ſuper hoſtes trophæum.
Parſque minor tantum, tota valet integra quantum.
Agnus Dei miſerere mei.
Qui crimina tollis miſerere nobis.

ALIENARE, SEV ALIENATIO.

SVMMARIVM.

1 *Vbi de hac materia actum ſit.*
2 *Alienatio propriè quid importet.*
Quid largè ſumpta. ibid.
Actus per quos dominium transfertur. ibid.
Actus per quos vtile transfertur. ibid.
3 *Omnes alienationes bonorum Eccleſiaſticorum modò prohibita à Paulo II.*
4 *Item à S. Congreg. Concilij.*
5 *Etiam impoſitio cenſuum.*
Item acceptio pecuniæ ad cambium. ibid.
An poſſint Eccleſiaſtici emere bonum ſtabile impoſito cenſu ſuper illud. ibid.
6 *Quid dicendum de annuis redditibus, & creditis Montium.*
7 *Venditio immobilium, ſeu mobilium pretioſorum omnino interdicta.*
Quid cùm res eſt modici valoris, iuxta Cap. Terrulas. ibid.
Qualiter eſt intelligendum. ibid.
8 *An ſerui fugitiui alienari poſſint.*
9 *An bona diffi.ilis recuperationis.*
10 *An bona hæreditaria obnoxia oneri ſoluendi æris alieni.*
11 *Donatio etiam prohibita Regularibus de rebus immobilibus, aut mobilibus pretioſis.*
An etiam inter ipſos Regulares. ibid.
12 *Quid de permutatione talium bonorum.*
13 *Quid de aliis ſpeciebus contractuum.*
14 *Quid de reliquiis Sanctorum.*
15 *Vnio Eccleſiarum an etiam probibita.*
16 *Arboribus caſis ex aliquo prædio quid ſentiendum.*
17 *De bonis immobilibus habentibus perpetuum Miſſarum onus, quomodo alienanda.*
18 *Pœna impoſita in Extrauaganti Pauli II. quæ ſint.*
19 *Quæ in Decreto S. Congreg. Conc.*
20 *In quas pœnas incidant Regulares alienantes.*
Qualiter id intelligendum. ibid.
21 *Quid de Epiſcopis, & de Abbatibus.*
22 *Quid de aliis Prælatis inferioribus.*
Quis poſſit in illis diſpenſare. Ibid.
23 *An ex priuilegiis Religionum.*
24 *Quid de pœnis aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum.*
25 *Maximè de Clementina* 1. de reb. Eccleſ. non alienand.
An ſuſpenſio per illam poſita maneat modò in ſua vi. ibid.
26 *Alia remiſſiuè.*
27 *Dubium de monacho alienante quoddam bonum ſtabile Monaſterij.*
28 *Talis alienatio in abſtracto ſumpta, illicita eſt, & inualida.*
29 *Per conſtitutiones, & decreta Pontificia prohibita.*
30 *Propter indemnitatem bonorum Eccleſiæ intenta.*
31 *Etiamſi ſint inutilia.*
32 *Non accedente conſenſu Sedis Apoſtolicæ.*
33 *Etiamſi adſit euidens vtilitas, vel neceſſitas.*
34 *Quia illa debet eſſe authorizata, ſeu declarata.*
35 *Spectatis circumſtantiis huius alienationis probabiliter excuſatur monachus alienans.*
36 *Quia bonum illud ſtabile erat damnoſum, & præiudiciale.*
37 *Quia neceſſitas vrgens facit licitum, quod licitum non erat.*
38 *Quia inductum in fauorem, non debet operari contrarium effectum.*
39 *Conſtitutiones, & decreta inducta ſunt in fauorem Eccleſiarum.*
40 *Quia melioratio talis boni ſtabilis ſperari non poterat.*
41 *Quia alienatio illa videbatur neceſſaria.*
42 *Quia bona fide dicitur facta.*
43 *Bona fides excuſat.*
44 *Quia extrauagans* ambitioſæ *loquitur contra præſumentes.*
45 *Quia periculum erat in mora.*

46 *Quia lex non obligat, quando ſeruari non poteſt.*
47 *Quia in qualibet prohibitione cenſetur excepta cauſa occurrens, quæ ſuadeat oppoſitam.*
48 *Quia Apoſtolicus aſſenſus, quatenus opus eſſet, fuit reſeruatus.*
49 *Proteſtatio iſta quando iuuat.*
50 *Sic videtur contingere in præſenti.*
51 *Ad caſum ferè ſimilem de vidente terrulas quaſdam, reſolutio.*
52 *Quia fuit facta hæc alienatio in caſu à iure permiſſo.*
53 *Quia erat res modici valoris.*
54 *Ex declarationibus S. Congreg.*
55 *Si terrulæ illæ erant ſeparata ab aliis prædiis.*
56 *Quid ſi extrauagans illa non erat recepta in illo Regno.*
57 *Quid clauſula illa non obſtantibus conſuetudinibus.*
58 *Quia pœnæ illæ non incurruntur, niſi ex dolo, & malitia.*
59 *Religioſus ille non ex dolo, malitia, aut præſumptione id fecit.*
60 *An obſtet, quod in decreto S. Congreg. imponantur dictæ pœnæ ſimpliciter.*
61 *Quorundam Theologorum opinio.*
62 *Cohæret aliud notam in ſimili cauſa.*
63 *Alienatio illius terriculæ facta per Eminentiſſimum N. ſi non excedebat valor illius terriculæ multum, potuit alienari.*
64 *Ex quadam declaratione Sacræ Congregationis.*
65 *Ex quadam alia.*
66 *Debebant concurrere aliquæ conditiones.*
67 *Præſumi debet concurriſſe.*
68 *Quia præſumendum pro Prælatis, maxime tam egregio.*
69 *Illius teſtimonio ſtandum.*
70 *Quando verificentur.*
71 *Quid de conſuetudine.*
72 *Quid ſi dicatur præfatas declarationes authenticas non eſſe.*
73 *Valor terrulæ, quæ alienatur, arbitrio prudentis relinquitur.*
74 *Innocentij ſententia.*
75 *Quomodo intelligenda particula illa,* longè poſitas.
76 *Deciſio Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ.*
77 *Connexorum idem eſt iudicium.*

1 Plura de hac materia, quatenus ſpectat ad bona Regularium, dicta ſunt *tom. 1. p. 1. capite 10. num. 1. 2. 3. & 4. & tom. 2. p. 1. cap. 19. à numero* 54. quia tamen circa eam nouæ quotidie exurgunt difficultates, in Italia præſertim, vbi Extrauagans *Ambitioſæ* Pauli II. & decretum Sacræ Congregationis, de quo infrà, ſunt in viridi obſeruantia, ideo alia addenda ſunt, vel pro maiori explicatione.

2 Quamuis alienatio propriè, & in rigore ſumpta ſolum importet actum per quem dominium directum transfertur, *C. de fund. dotal. l. 1. & 2.* Gloſſa *in c. cum nulli liceat, de reb. Eccleſ. non alienand.* Largè tamen, vt in dicta Extrauaganti Pauli II. & decreto Sacræ Congregationis, ſumitur etiam pro actu per quem dominium vtile transfertur. Syluester *verbo alienatio, n. 1.* Quaranta *in Summa Bullar. verbo alienatio, num. 6.*

Actus per quos dominium directum transfertur ſunt venditio, donatio, permutatio, &c. Molina *de contractib. tract. 2. diſp. 464. num. 1.* Actus verò per quos dominium vtile transfertur, ſunt ſex (iuxta Quarantam *in Summa Bullar. verbo alienatio, numero 16.*) Videlicet ſuperficiarius, locatio, emphyteuſis, libellarius, feudum, & precaria. His iunge illos actus, quibus etſi res non tradatur alteri, neque ad dominium directum, neque vtile, manet tamen obnoxia periculo alienationis, vt pignus & hypotheca. Molina *ſuprà.*

3 Hi ergo omnes alienationis bonorum Eccleſiaſticorum modi prohibiti ſunt Eccleſiaſticis omnibus. Primò, à Paulo II. in Extrauaganti *Ambitioſæ*, ſub excommunicationis ſententia, & aliis pœnis, prout dixi dicto *tom. 1. cap. 10. numero 1.* illis præſertim verbis: *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus iure permiſſis, ac de rebus, & bonis in Emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc cum Eccleſiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſeruari non poſſunt, pro inſtanti temporis exigentia, hac perpetuò valitura Conſtitutione fieri prohibemus.*

Deinde ſecundò expreſſiùs, & clariùs prædicti modi alienationis bonorum Regularium, abrogatis omnibus priuilegiis ipſis conceſſis, (quorum plura referunt Caſſarubios, & Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. alienatio*) prohibiti ſunt à Sacra Congregatione Concilij in decreto Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani iuſſu edito anno 1624. abſque licentia ipſius Sacræ Congregationis, illis verbis dicto *cap. 10. num. 2.* relatis: *Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, conceſſionem in feudum, vel Emphyteuſim, præterquam in caſibus à iure permiſſis, fieri perpetuò prohibet abſque ipſius Congregationis Concilij expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetua inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Sublata etiam Generali & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim fœlicis recordationis Pauli II. quæ incipit:* Ambitioſæ, *in ſuo robore permanſuris.* Prohibentur etiam bonorum Eccleſiaſticorum alienationes in Concilio Trident. *ſeſſ. 22. de reformatione, capite vndecimo, & ſeſſ. 25. etiam de reformatione, capite 11.* item ab aliis Pontificibus, de quibus infrà. 4

Meritò autem in hoc Sacræ Congregationis decreto fit ſpecifica mentio cenſuum, ſiue perpetuorum viſ- 5
talitiorum, quamuis in dicta Paulina expreſsè nominati non fuerint, quia cenſus impoſitio eſt quædam alienatio, *l. fin. C. de reb. Eccleſ. non alienan.* Naldus *in Summa, verbo Cenſus, num. 3.* ex deciſione Rotæ. Impoſitio enim cenſus venditio quædam veluti eſt libertatis bonorum. Vnde in dicto *capit. 10. num. 3.* dixi, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum ſolutione lucri ceſſantis, vel damni emergentis (quod multo minus eſt quam cenſus impoſitio) prohibitum eſſe Regularibus, declaraſſe Sacram Congregationem eodem Sanctiſſimo approbante, vt refert etiam Gauantus *in Manual. Epiſcop. verb. alienatio, num. 35.* Multo ergo magis impoſitio, ſeu venditio cenſus, ſiue perpetui, ſiue vitalitij prohibita erit. Hinc etiam declaratum eſt à Sacra Congregatione Regularium alienationem, ſeu venditionem cenſus Regularium pro ſolutione æris alieni minimè fieri poſſe. Gauantus *in Manual. Epiſcop. verb. alienatio, n. 40.* Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regul. verbo alienatio, num. 3.* An autem poſſint Regulares, aut alij Eccleſiaſtici emere v. g. vineam, vel domum mille v. g. ſcutis impoſitis ad cenſum ſuper ipſam vineam, vel domum. Dicendum videtur, quod ſic. In eo enim caſu Eccleſia non tam alienat, quàm adquirit bonum illud ſtabile tali onere affectum, quod nullo iure eſt prohibitum. Secus eſſet ſi ille cenſus imponeretur hypotheca ſpeciali etiam ſuper alia bona Monaſterij, vel ſuper illa ſolùm; hoc enim eſſet alienatio quædam libertatis bonorum Monaſterij, ac per conſequens prohibitum. Dixi autem hypotheca ſpeciali

ſpeciali, quia ſi id fieret per hypothecam generalem, licitè fieret, quia iuxta dicta *tom.2. cap.19.n.55.* probabile eſt hypothecam generalem bonorum Eccleſiæ non eſſe prohibitam Eccleſiaſticis, aut Regularibus. Reſtat ergo ſolùm aliquid dicere de ſingulis modis alienationis ſuprà aſſignatis, & prohibitis Regularibus ſine Sacræ Congreg. licentia.

6 Sed præmittendum, qood licet Naldus *in Summa, verbo annus, num.7. & verbo Bona, num.16.* putet annuos redditus, ſi ſint citra decenoium, & credita Montium, vulgò *loca Montium*, eſſe bona mobilia, nihilominus dicendum cenſeri immobilia. Ita enim habet vſus Curiæ, & eſt conforme naturæ ipſorum, cum poſſint perpetuò durare. Eſto autem immobilia non eſſent, quia tamen ſine dubio ſunt pretioſa, ideo quantum ad alienationem iudicandum de illis eſt, ac ſi eſſent immobilia, iuxta dicta *tom.2.cap.19.n.54.55. & 56.* Quod maximè roboratur ex eo quod ſint bona fructifera.

7 Et primò loquendo de venditione rerum immobilium, & mobilium pretioſarum, etſi omninò ſit ioterdicta Regularibus ſine Sacræ Congregationis licentia, iuxta dicta locis relatis ex Paulina, & decreto relato eiuſdem Sacræ Congregationis, nihilominus res modici valoris, etiamſi ſit immobilis, vendi poteſt, & alienari ſine tali licentia. Ratio eſt, quia *in cap. Terrulas 12.quæſt. 2.* id permittitur. Declaratum autem eſt à Sacra Congregatione, neque conſtitutione Pauli II. neque Concilij Tridentini decreto derogatum eſſe diſpoſitioni dicti *cap. Terrulas 12. quæſt. 2.* Quaranta *in ſumma Bullarij, verb. alinatio, num.41.* Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo alienatio, num.22.* Eſt autem eadem ratio de decreto Sacræ Congregationis adducto, quia illud conforme eſt conſtitutioni Pauli, illius explicatio, & confirmatio prò Regularibus, ſublatis eorum priuilegiis. Sed notandum, in eo *cap. Terrulas* tria requiri, vt poſſint alienari, ſcilicet quod ſint exiguæ, minùs vtiles, aut longè poſitæ, & adſit neceſſitas. Quanti porrò valoris debeant eſſe prædictæ Terrulæ, vt exiguæ cenſeantur, Naldus *in Summa verbo Prælatus, num. 7.* & Gauantus *ſuprà num. 24.* referunt declaratum eſſe à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium debere eſſe viginti quinque ſcutorum, aureorum. Idem verò Naldus *in Summ. verbo alienare num. 5.* dicit ex ſtylo Curiæ, & prout à pluribus fide dignis ipſi pluries ſcriptum fuit, intelligi debere de iis, quæ communiter non excedunt valorem viginti ducatorum. Sed quamuis declarationi Sacræ Congregationis pro eo caſu quo facta eſt, ſtandum ſit, & ſtylus ille Curiæ de pretio viginti ſcutorum mihi ſatis rationi conſonare videatur, nihilominus melius videtur dicendum hoc relinqui debere arbitrio Iudicis, vel prudentia viri. Ita Fillincius *tract.44. cap. 4.num.4. tom.3.* Quaranta *ſupra*, Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtit. 9. Iulij II. n.15.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.95. n. 51.* Cum autem res modici valoris alienari poſſit per venditionem, idem videtur dicendum de aliis modis alienationis, cum non ſit in eis maior ratio. Vnde locari poſſe vltra triennium colligitur ex Riccio *in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ.113. n.5. in 1. edit. & reſol.98. num. 5. in 2.* & Barboſa relato. Nota tamen prædiola hæc, ſeu terrulas modici pretij, quæ alienari poſſe dixi ſine licentia prædicta, debere eſſe ſeparata, ſeu diſiuncta ab aliis prædiis, ſeu terris Eccleſiæ; ſi enim fuerint coniuncta cum illis, itaut ſint illorum partes, ſapiunt naturam illorum, cuios partes ſunt, & ita alienari non poterunt, ſicut nec illa. Aliàs daretur occaſio, vt totum ipſum prædium paulatim, & diuiſim per partes modicas diſtrahi, & alienari poſſet.

8 Quia tamen *dict. cap. Terrulas*, & *cap. Fugitiui 12. quæſ. 2.* conceditur Epiſcopis poſſe diſtrahere ſeruos fugitiuos, qui reuocati retineri non poſſuot, ideo videtur mancipia fugitiua, quæ ſimiliter reuocata retineri non poſſunt, vendi poſſe ſine licentia Sacræ Congregationis, etiam in caſu quo aliàs alienari non poſſent, iuxta dicta *tom.2. cap. 19. num. 57.* quia eſſent annexa, vel affixa prædiis, aut domibus, tanquam illorum partes. Portellus *in dub. Regular. verbo alienatio, in addit. numero 3.* addit eamdem eſſe rationem ſi ſerui ſint ebrioſi, latrones, & inhoneſti, eſt enim eadem ratio, ac per conſequens currit eadem diſpoſitio iuris. Si verò ſeruus eſſet relictus Monaſterio hac conditione ne vendatur, quod ſi vendatur, pertineat ad hæredes donatoris, vel teſtatoris, tunc vendi non poteſt, & ſi vendatur, pertinet ad hæredes illius. Lex enim Canonica derogare non debet legi naturali, quæ præſcribit obſeruantiam illius conditionis aliàs rationabilis. Quod tamen intellige, niſi obtenta ſit diſpenſatio in tali conditione. Portellus *ibidem.* [Si autem quæras ad quod pretium accedere poſſit res mobilis, vt pretioſa dicatur, & per conſequens alienari non poſſit ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Reſpondeo falſam videri opinionem Caſtri Palai *tom. 2. diſp. vnica, punct.15.§.1. num.2.* aſſerentis centum aureos attingere debere. Communis enim æſtimatio mobilia Eccleſiæ minoris pretij, quàm centum aureorum pretioſa exiſtimat. Propterea ſatis probabiliter dici poſſet arbitrio prudentis, & penſatis circumſtantiis, id relinquendum. Quia tamen Homobonus *in conſultat. caſ. conſcient. volum.2.p.6. reſponſ. 98.* & Peregrinus *in Compendio nouiſſ. priuileg. ſuæ Religionis, verbo alienatio bonorum, in ſchol.* quos ſequi videtur Diana *punct. 4. tract.4. reſol. 223.* dicunt declaratum eſſe à Sacra Congregatione mobile pretioſum illud cenſeri, quod excedit valorem vigintiquinque aureorum, ideo regulariter adhærendum huic taxæ.]

9 Similiter vendi poſſuot ſine prædicta licentia bona, quæ ſunt difficilis recuperationis, ſeu incerta, vel incognita, eo pacto, quo laicus emptor ſuis expenſis, & periculo ea recuperet. Naldus *in Summa, verbo bona, num.9.* ex Rotæ deciſione, & aliis, Gauantus *in Man. Epiſcop. verbo alienatio, num.42.*

10 Non tamen vendi, aut alienari poſſunt bona hæreditaria accepta à Regularibus de manu laici, ſi ex neceſſitate ſoluẽdi æris alieni eſſent alienanda. Nam per aditionem hæreditatis iam ſunt facta bona Eccleſiaſtica, ac proinde ad alienationẽ ipſorum requiritur licentia Sedis Apoſtolicæ. Naldus *in Sum. v. bona, n.7.* ex Rot. deciſione.

11 Loquendo verò de donatione, cum ſit ſpecies quædam alienationis, etiam eſt prohibita Regularibus in prædicta Paulina, & decreto S. Congreg. ſine licentia ipſius, quando eſt de rebus immobilibus, ſeu mobilibus pretioſis, vt patet illo verbo *Conceſſionem*, quod eſt in Paulina, & verbo *Alienationem*, quod eſt in dicto decreto. Donatio autem inter Regulares eiuſdem Monaſterij, etiamſi (caſu dato) eſſet rei immobilis, aut mobilis pretioſæ (quidquid ſit de tranſgreſſione Conſtitutionis Clementis VIII. *de largitione munerum*, de qua alibi) non eſt prohibita in dicta Paulina, neque in decreto relato. Ratio eſt, quia ibi ſolùm prohibetur ea donatio, quæ eſt alienatio: donatio autem illa inter Regulares eiuſdem Monaſterij, non eſt alienatio, cum dominium illius rei non transferatur, ſed maneat ſicut antea in Monaſterio. Vide Naldum *in Summa, verbo alienatio, num. 4.* An verò id etiam procedat in donatione facta à Regulari vnius Monaſterij alteri Regulari alterius Monaſterij, vel Prouinciæ, eiuſdem tamen Religionis, dubiæ quæſtionis eſt. Et conſequenter ad dicta *tom.2.cap.19. num. 58.* reſpondendum eſt negatiuè. Illa enim eſt vera alienatio ab vna Eccleſia ad aliam, quæ prohibita eſt etiam de licentia Prælati. Bonacina *in tract. de alienat. bonorum Eccleſiaſtic. diſp.2. quæſt. vnic. punct.2.n.15. & 17. & de contractibus diſp.3. q.8. punct.4. n. 24.* Credo tamen in praxi non obſeruari hoc, ſed ex ſola facultate Prælatorum ſine licentia Sacræ Congregationis

gationis fieri huiuſmodi donationes. Et fauet Riccius à Bonacina relatus *deciſ.* 38. *&* 47. [Maximè autem fauet Tamburinus *de Iure Abbatum diſput.* 13. *quæſit.* 2. *num.* 19. vbi probabiliorem eſſe dicit ſententiam Riccij aſſerentis poſſe fieri alienationem ab vna Eccleſia ad aliam abſque ſolemnitate, maximè loquendo de Eccleſiis eidem Prælato ſubiectis, quales ſunt Regulares qui ſub eodem Prouinciali, vel Generali degunt, quod notandum eſt pro ipſis, & aliquibus donationibus etiam rerum pretioſarum, quæ Regulares vnius Monaſterij ſolent facere alij Monaſterio cum ſola licentia Prælati. Et nouiſſimè Bordonus *in ſuis Reſolutionibus reſol.* 27. *num.* 1. oppoſitum tenet in caſu contingenti de quodam Prouinciali, qui propria authoritate agrum vnius Conuentus valoris quinquaginta ſcutorum dedit alteri Conuentui, dicens tamen *num.* 1. id potuiſſe facere ſi ſolum fuiſſet valoris 20. aut 25. aureorum.] Poſſe etiam in remunerationem beneficiorum Eccleſiæ collatorum donari aliquid ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu, tradit Barboſa *in allegat.* 95. *num.* 62. ex *cap. Conſenſus, de rebus Eccleſ.* Sed quia ibi, præter alias circumſtantias quæ notantur, tantum conceditur tali beneficiorum collatori quod poſſit manumittere ſeruos aliquos Eccleſiæ, qui tamen inter bona mobilia recenſentur, niſi ſint annexi, vel affixi ipſis, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 57. ideo ſolum intelligendus eſt textus de bonis mobilibus, & inter metas, & limites honeſtæ remunerationis.

12 De permutatione etiam bonorum immobilium, vel mobilium pretioſorum Eccleſiæ, ſi talis permutatio fiat cum ſæcularibus, certum eſt prohibitam eſſe Eccleſiaſticis, & Regularibus ſine conſenſo Sacræ Congregationis. Ita enim habetur ex Paulina *Ambitioſa*, & decreto Sacræ Congregationis relatis, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 56. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 95. *num.* 57. Si tamen fiat inter ipſas Eccleſias, ſeu Monaſteria, non eſt tam certum eſſe prohibitam: potius inter caſus, in quibus licita eſt alienatio bonorum Eccleſiæ inconſulta Sede Apoſtolica hunc ponit Barboſa allatus *num.* 55. *&* 56. *ex cap. hoc Ius porrectum*. §. *ſibi inuicem* 10. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alienand. cap. ad quæſtionem, de rerum permut.* & ita videtur dicendum ſpeculatiuè, & ſtando in iure communi. Praxis tamen eſt in contrarium, vt tenent Riccius *in praxi reſol.* 60. *in fine, & reſol.* 33. *etiam in fine.* Naldus *in Summa verb. Permutare, num.* 2. & ipſe Barboſa relatus, & ita illi ſtandum. De permutatione verò prædictorum bonorum inter Clericos, vel Regulares eiuſdem Eccleſiæ, vel Monaſterij, ſeu Religionis, dic vt *ſupr. num. præced.*

13 De aliis verò ſpeciebus contractuum, per quos ſolum transfertur dominium vtile, aliqua dixi locis relatis, & ex dictis etiam colligi poteſt quid de illis dicendum. [Maximè verò pro impignoratione, vide decretum de anno 1643. innouatum, quod ibidem retuli, vbi Sacra Congregatio dicit quod pecunias accipere mutuo dato pignore, ſit prohibitum Regularibus, & id facientes incurrere in pœnas decreti Sacræ Congregationis *de reb. Regular. non alienand.* Pro quo nota quod non obſtantibus huiuſmodi decretis in caſu maximæ neceſſitatis, in quo non poſſet adiri Summus Pontifex aut Sacra Congreg. & neceſſitas ipſa vrgeret, poſſe fieri talem impignorationem etiam lampadum, candelabrorum argenteorum, &c. tenet Peyrinis *in ſuo Formulario, litt. A, c.* 11. *num.* 3. & Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 6. Circa emphyteoſim animaduertit Franciſcus Leo *in Theſaur. for. Eccleſiaſt. cap.* 15. *n.* 8. poſſe terram ſterilem in Emphyteoſim illi concedi, cuius ſtudio reducatur ad culturam, affertque aliquot iura, quæ rem non plenè probant. Standum ergo eſt Paulinæ Conſtitutioni, & decreto S. Congreg. relatis.

De reliquiis Sanctorum dicendum eſt, ſicut de mobilibus pretioſis, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, quod ſcilicet alienari nequeant ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ. Sunt enim res argento, & auro pretioſiores, & ſtylus Curiæ ita obſeruat. Riccius *in praxi deciſ.* 63. Bonacina *de alienat. bonor. Eccleſ. diſput.* 2. *quæſt. vnic. punct.* 2. *num.* 31. Vnde earum alienatio veluti irrita reſcindenda eſt. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in conſtit.* 98. *Pij V.* hoc tamen intellige de reliquiis muro clauſis, vel inſignibus, aut ipſarum partibus notabilibus, vel perpetuæ traditis ſepulturæ. Exiguarum enim particularum alienatio non videtur petere Sedis Apoſtolicæ conſenſum. Declaratum proinde eſt à Sacra Congregatione, teſte Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Reliquiæ*, reliquiam modicam iam factam alienabilem poſſe donari alicui Eccleſiæ, vel Oratorio. De pœnis furantium reliquias dicam 4. tomo, verbo *Reliquiæ Sanctorum.*

Quamuis vnio Eccleſiarum, quia etiam eſt quædam alienatio, prohibita ſit prædicta Extrauaganti, & decreto Sacræ Congregationis (Quaranta *in Sum. Bullar. verbo Alienatio, num.* 35. ex Abbate, & Rebuffo) facta tamen Eccleſiæ Regulari, ſeu Religioſo loco non poteſt impugnari, vt patet ex Clement. *ſi vna Eccleſia, de rebus Eccleſiæ non alienand.* vt dixi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. & ſupponit Gloſſa *ibi, verbo Donetur.* Conſule tamen Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 5. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *&* 15. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 18. & dicta *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 41. ac Theſaurum *in prax. par.* 2. *verbo Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum iuris forma non ſeruata, c.* 1. §. *Quintus caſus.* 14

Quamuis etiam venditio, ſeu alienatio arborum cæſarum ex aliquo prædio, eo quod eſſent inutiles, aut nociuæ, non videatur prohibita in dicta Extrauaganti, & decreto Sacræ Congregationis (quod intelligo quando illæ ob denſitatem, & vicinitatem impedimento erant ipſarum augmento vel fructui, vel quando loco earum reponerentur arbores fructiferæ, ſeu magis fructiferæ, hæc enim omnia vtilia fundo ſunt, & ſecundum regulas agriculturæ, Quaranta *in ſumma Bullar. verbo alienatio, n.* 33. Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minimor. in Conſtit.* 9. *Iulij II. n.* 18, 19. *&* 20.) arbores tamen fructiferas, ſeu frugiferas in magna quantitate incidere, & alienare, prohibitum eſt in dicta Extrauaganti, & Decreto, quia reuera ſunt bona pretioſa. Quaranta *ſuprà.* Peyrinis etiam *ſuprà n.* 25. Vide Farinacium *part.* 2. *deciſ.* 553. referentem notabilem Rotæ deciſionem circa hoc. Et Tamburinum *de Iure Abbatum tom.* 3. *diſp.* 13. *quæſit.* 3. Quare idem dicendum de inciſione vineæ, etſi eam non eſſe veram alienationem teneat Bordonus *in ſuis reſol. reſ.* 27. *n.* 14. & de inciſione nemoris *n.* 18. 15

Caſu quo bona immobilia, quæ onus habent perpetuum Miſſarum, auctoritate Apoſtolica alienentur, eorumdem pretium ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, in aliis bonis ſtabilibus fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debet. Ita enim decernitur à Sacra Congregatione *in decretis de celebratione Miſſarum.* Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo alienatio, num.* 36. De hoc, & aliis ad id ſpectantibus iterum erit ſermo 4. tom. verb. *Miſſa.* 16

Pœnæ impoſitæ in Extrauaganti Pauli II. contra tranſgreſſores, præter reſciſſionem alienationum, de qua *tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 2. dixi, ſunt iſtæ. *Tam qui alienat, quam is qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat. Alienanti verò bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſultò Romano Pontifice, aut contra præſentis Conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus, & ſi per ſex menſes immediatè ſequentes ſub interdicto huiuſmodi, animo, quod abſit, perſeuerauerit indurato, lapſis menſibus eiſdem, à regimine, vel adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterij, cui præſidet in* 17

ſpiritua

Digitized by Google

ſpiritualibus, & temporalibus, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Inferiores verò Prælati, Commendatarij, & alij Eccleſiarum Rectores beneficiati, vel adminiſtrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, & Præpoſituris, Præpoſitatibus, Dignitatibus, Perſonatibus, Adminiſtrationibus, Officiis, Canonicatibus, præbendis, aliiſque Eccleſiaſticis cum cura, & ſine, ſæcularibus, & Regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarunt, dumtaxat ipſo facto priuati exiſtant, illaque abſque declaratione aliqua vacare cenſeantur, poſſintque per locorum Ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, perſonis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuata fuerint) liberè de iure conferri, niſi alias diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis ſint ſpecialiter, aut generaliter reſeruata, & nihilominus alienatæ res, & bona huiuſmodi ad Eccleſias, Monaſteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiuſmodi pertinebant, liberè reuertantur.

19 In decreto autem Sacræ Congregationis relato confirmantur pœnæ Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim in Pauli Extrauaganti poſitæ, & vlterius contra Capitula, ſeu Superiores omnes Regulares alienantes imponitur *pœna priuationis officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant, ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate.* Hæc ibi.

20 Hoc igitur tempore Regulares omnes alienantes bona immobilia, ſeu mobilia pretioſa Eccleſiarum, Conuentuum, ſeu Monaſteriorum, non ſolum committunt ſacrilegium, quia irreuerenter ſe habent erga res Deo ſacras (Caietanus *in ſumma verbo Excommunicatio, cap.75.* Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Alienatio, num.49.*) ſed etiam incidunt primò in excommunicationis ſententiam ipſo facto deſignatam à Paulo II. verbis relatis. Quia tamen Pontifex in antecedentibus vſus fuit verbo *Præſumpſerint*, ideo non incident in ipſam, niſi illi, qui alienationem fecerint ex dolo, malitia, vel præſumptione, non tamen illi, qui vel ex probabili, vel etiam culpabili ignorantia illam fecerint. Verbum enim *Præſumere* ſignificat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam, iuxta dicta *tom. 1. cap. 10. num.* 33. Quaranta *ſuprà numero* 50. Hæc autem excommunicatio nulli eſt reſeruata, vt patet ex contextu, Gauantus *in Manual. Epiſcop. verbo Alienatio, n.* 28. Vnde Prælati omnes Regulares poſſunt in foro conſcientiæ ab illa abſoluere ſuos ſubditos, ſicut & Confeſſarij ſuos pœnitentes, propter dicta dicto *tom. 1. cap.* 10. *num.* 33. *& cap.* 19. *numero* 14. Nec obſtat, quod vt Quaranta relatus *num.* 49. dicit, aliquando per Breuia Pœnitentiariæ, vel Signaturæ obtineatur iſta abſolutio: id enim eſt, vel pro foro exteriori ad obuiandum moleſtiis, quæ oriri poſſent, vel etiam in foro interiori ad maiorem ſecuritatem. Adde aliquos id facere ex ignorantia auctoritatis ſuorum Superiorum. Addit Theſaurus *ſupra, §. Nota circa*, quod quamuis ea excommunicatio non ſit reſeruata in extrauaganti iſta, eſt tamen reſeruata in Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 21. Sed quia Concilium ſolum loquitur de vſurpantibus, ſeu in proprios vſus conuertentibus bona Eccleſiarum, non video cur eius doctrina extendatur ad ſimpliciter alienantes. Vide Filliuc. *tract.44. cap. 6. num. 3. in fin.* & dicenda infrà verbo *Bona, num. 9.*

21 Deinde Epiſcopi, vel Abbates tales alienationes facientes incidunt in cenſuram Interdicti, & poſt ſex menſes Suſpenſionis à regimine Eccleſiæ, vel Monaſterij, deſignatos in dicta Extrauaganti Paulina. A quibus ſimiliter, cum non ſint reſeruatæ, abſolui poterunt à quocumque habente iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam ad abſoluendum à cenſuris. Vide dicenda verbo *Cenſura*, verbo *Interdictum*, & 4. *tom.* verbo *Suſpenſio.*

Tertiò, alij Prælati inferiores prædictas alienationes facientes incidunt etiam in pœnas illas priuationis, & inhabilitatis, quas Pontifex in dicta Conſtitutione poſuit, & Sacra Congregatio in dicto decreto approbauit. 22
An autem non obſtante, quod ibi dicantur incurrendæ *abſque aliqua declaratione*, incurrantur in foro conſcientiæ ante quamcumque declarationem, ſiue pœnæ, ſiue delicti, aut criminis commiſſi, dixi *cap.* 20. relato *num.* 31. Vide etiam Quarantam relatum *numero* 49. Quis verò poſſit in illis diſpenſare, caſu quo vera ſit ſententia illorum, qui dicunt eas incurri in foro conſcientiæ ante quamcumque declarationem etiam delicti commiſſi, valdè dubitatur. Et quidem pœnæ in Conſtitutione Paulina deſignatæ, licet quantum eſt ex vi ipſius Paulinæ, cum nulli reſeruentur, videantur iure communi diſpenſabiles à Superioribus illorum, qui tales alienationes fecerunt, cum ipſi ſint, qui habent auctoritatem Ordinariam in ſubditos ad illa quæ non ſunt aliàs reſeruata, iuxta dicta *cap.* 10. relato *num.* 35. & *cap.* 18. eiuſdem primi tomi, *numero* 46. Pœnæ tamen illæ impoſitæ à Sacra Congregatione in decreto relato Capitulis, & Superioribus Regularium alienantibus, imo etiam illæ, quæ ex Conſtitutione Paulina in dicto decreto repetuntur, cùm ibi auferatur facultas Protectori, & Generali illas moderandi, & relaxandi, proculdubio Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ cenſendæ ſunt.

Quamuis etiam aliàs ex priuilegiis aliquarum Religionum, quæ retuli *tom. 1. cap.* 18. *num.* 46. adiunctis etiam *num.* 34. & 35. poſſent aliqui Prælati regulares cum ſuis ſubditis in illis diſpenſare. Quia tamen in prædicto decreto reuocantur omnia priuilegia Regularibus conceſſa, ideo niſi ipſi poſt diem ſeptimum Septembris s624. quo editum eſt, aliquod priuilegium ad id faciendum à Sede Apoſtolica obtinuerint, in poſterum id facere non poterunt. Nota etiam, quod ad incurrendum pœnas dicti decreti Sacræ Congregationis non requiritur dolus, malitia, vel præſumptio, quia non eſt ibi verbum præſumere, ſicut in Extrauaganti Paulina. Quare qui ex ignorantia vincibili illud tranſgreſſi fuerint, illas incurrent, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap.* 10. *num.* 3. Denique notandum prædictum decretum ſolùm obligare intra fines Europæ, vt in eo dicitur. 23

Ex iis autem iudicari poteſt quid dicendum de aliis pœnis deſignatis ab aliis Summis Pontificibus, quatenus ſpectare poſſent ad Regulares bona Eccleſiaſtica alienantes. Eas enim manere in ſua vi conſtat ex decreto Sacræ Congregationis relato. Hi porrò ſunt Paulus II. Paulus IV. in Conſtitut. *Iniunctum nobis*, inter Conſtitutiones huius Pontificis *in 1. tom. Bullar. num.* 2. Pius IV. Conſtitutione *Apoſtolica, in 2. tom. Bullar.* inter Conſtitutiones ipſius *num.* 104. Pius V. in Conſtitutione *Admonet*, inter Conſtitutiones ipſius *in 2. tom. Bullar. num.* 35. Gregor. XIII. in Conſtitutione *Inter cætera*, inter Conſtitutiones ipſius eodem 2. *tom. Bullar. num.* 3. Sixtus V. in Conſtitutione *Solicitudo*, eodem 2. *tom. num.* 3. & in Conſtitutione *Quanta, n.* 26. Gregor. XIV. Conſtitutione *Romanus*, eodem 2. *tom. numero* 1. Innocentius IX. in Conſtitutione *Quæ ab hac*, eodem 2. *tom. num.* 1. Clemens VIII. in Conſtitutione *Ad Romani, in 3. tom. Bullar. num.* 1. & Conſtitutione *Romanum decet, num.* 78. Paulus V. in Conſtitutione *Paſtorale, tom.4. Bullar. num.* 10. & Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanus VIII. in Conſtitutione *Humanæ ſalutis*, inter Conſtitutiones ipſius *num.* 51. & Conſtitutione *Decens, numero* 65. Ante ipſum etiam Paulum II. aliæ Conſtitutiones editæ fuerunt, quas notat Laërtius Cherubinus Bullarij compilator, *in Conſtit. 5. Leonis I. in Conſtitut. 2. Pauli IV. & in Conſtitut. 3. Clementis VI. & in Conſtitutionibus prædictorum Pontificum Pauli II. ſucceſſorum.* 24

Maximè notandum, quod ex Clement. 1. *de reb. Eccleſ. non alienand.* Regulares adminiſtrationem habentes bonorum religioſis, ſi alienent iura, redditus, aut poſſeſſiones ad vitam recipientis, aut ad aliud certum tempus, niſi ob neceſſitatem, aut vtilitatem Monaſterij, ſeu Religionis, cum conſenſu Capituli, aut ſi Capitulum non habent, cum conſenſu ſui Prælati, incurrunt ſuſpenſionem ab officio, & alienatio eſt nulla. Theſaurus *in prax. part. 2. cap. 5.* Notans primò ex Imola, & Anchatano hanc ſuſpenſionem non eſſe reſeruatam: ſecondò, ex Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 26. ſect. 1. n. 4. & diſput. 31. ſect. 6. num. 8.* hanc ſuſpenſionem eſſe ab Officio Ordinis, & iuriſdictionis, & adminiſtrationis: tertiò ex eodem Suar. loco relato ex dicta *diſput. 31.* quod certum tempus non continet modicum, id eſt triennium: quartò ex Rodriguez *tom. 1. quæſtionum Regularium, quæſtione 27. art. 13.* & aliis, quod hæc ſuſpenſio non cenſetur ſublata per extrauagantem *Ambitioſæ*, quia lex poſterior generaliter loquens non derogat legi antiquæ loquenti in caſu particulari Regularium, & Extrauagans generaliter. Adde, eſto quod per Extrauagantem eſſet derogata, nihilominus quia in decreto Sacræ Congregationis relato dicitur, *pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum in ſuo robore permanſuris*, ideo cenſetur innouata.

26 Vide etiam pro hac materia alienationum bonorum Regularium dicenda verbo *Bona.* [Et nota quod etiam in caſu quo eſſet euidenter vtilis Monaſterio alienatio aliqua, non poſſet fieri ſine licentia Papæ, aut Sacræ Congregationis, quod idem eſt. Ratio eſt quia finis propter quem dicta iura prohibent dictas alienationes ſine præfata licentia, eſt quia ipſe Papa, aut Sacra Congregatio ad obuiandum detrimento Eccleſiarum quæ ſub prætextu vtilitatis plures alienationes inutiles ſolent efficere, vult iudicare de vtilitate, vel inutilitate ipſarum. De quo latè Bordonus *in Reſolutionib. Reſolut. 57. num. 35.* ex Quaranta, Bonacina & aliis. An verò etiam in foro conſcientiæ inualida ſit talis alienatio, cum pro euidenti Eccleſiæ vtilitate facta eſt, ſi ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, conſule Dianam *tom. 1. tract. 8. reſol. 77.* & Bordonum *ſuprà num. 35.* poſt alios. Vide & Theſaurum *in praxi part. 1. c. 35. §. Sed alij dicunt.*]

In hac materia alienationis interrogatus pro quodam caſu feci ſequentem deciſionem.

27 In caſu mihi propoſito de monacho alienante quoddam bonum ſtabile Monaſterij, illud dando in Emphyteuſim ad tres generationes pro inueſtitura ſcutorum 800. & canonis annui 10. ſcutorum, ſine licentia tamen, aut aſſenſu ſpeciali ſedis Apoſtolicæ, eò quod exiſtimabat bona fide id fieri poſſe; tum quia tale bonum ſtabile, non ſolùm erat inutile, & infructuoſum, ſed etiam damnoſum, & præiudiciale; tum quia credebat ſe habere talem aſſenſum Sedis Apoſtolicæ ex vi facultatis, quam ab illa habebat alienandi vſque ad ſummam 300. ſcutorum, quam ſummam non fuiſſe adimpletam exiſtimabat, ſic reſpondendum cenſeo.

28 Primò quidem, talem alienationem ſecundum ſe, & in abſtracto ſumptam, præciſam à circumſtantiis, quibus facta eſt, fuiſſe illicitam, & inualidam, & obnoxiam pœnis impoſitis per Conſtitutiones Apoſtolicas, & decreta ſedis Apoſtolicæ contra alienantes bona Eccleſiaſtica, ſeu Regularium. Ratio eſt, quia per iſtas conſtitutiones, & decreta prohibetur omnis alienatio bonorum ſtabilium (exceptis caſibus iure permiſſis) abſque dicta licentia, & aſſenſu ſedis Apoſto- 29 licæ. Etenim huiuſmodi Conſtitutiones, & decreta intelligi debere, non ſolùm quando dicta bona ſunt vtilia, ſed etiam quando ſunt inutilia, colligitur primò, tum ex generali illo principio, *cùm lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*, aut quod idem eſt, *lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda, l. de pretio, ff. de publ. in rem act. l. in fraudem, §. vlt. ff. de teſtam. l. non diſtinguimus, ff. de recept. arbitr.* & aliis iuribus, & DD. Tum quia hic eſt ſtylus, & praxis Curiæ, vt habent Quaranta *in ſumm. Bullar. verb. alienatio, num. 5.* Moronus *in reſponſionibus, reſponſ. 62. num. 7.* Tum etiam quia intentum Eccleſiæ 30 in huiuſmodi prohibitionibus alienationum eſt conſulere indemnitati bonorum perſonarum Eccleſiaſticarum, & obuiare detrimento, & damno, quod Eccleſiæ particulares patiuntur in talibus alienationibus, quod non aſſequitur, ſi ſolùm res, aut bona vtilia non alienent, benè tamen inutilia; quia poſſunt decipi circa vtilitatem, vel inutilitatem ipſorum; & quia poſſunt decipere, & ſæpius hoc fecerunt; & quia po- 31 teſt contingere, quod res, quæ modò eſt inutilis, curſu temporis vtilis reddatur: ac propterea meritò prohibere debuit generaliter alienationem quoruncumque bonorum Eccleſiaſticorum, non accedente iudicio Sedis Apoſtolicæ, quo iudicetur de tali vtilitate, vel 32 inutilitate. Ita ferè Bonacina, & Quaranta, quos refero, & ſequor *tom. 2. quæſt. Regular. cap. 19. num. 55.* Bordonus *reſolut. 27. num. 33.* Moronus *ſuprà relatus*, Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tract. 6. cap. 8. n. 58.* referens Filliucium, Bonacinam, Quarantam, & me ipſum, & Thomas Delbene *de immunit. Eccleſiaſt. part. 2. cap. 17. dub. 9. n. 30. 33. & 34.* referens etiam Leonem, Quarantam Barboſam, & alios.

Nec refert ſi dicatur cum Redoano, cui adhærere 33 videntur Nauarr. vterque Rodrig. & alij dicentes, quod cùm adeſt euidens vtilitas, ſeu neceſſitas, poteſt fieri alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſine conſenſu ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, eò quod euidens vtilitas, ſeu neceſſitas ſint caſus iure permiſſi, in quibus etiam Conſtitutiones, & iura relata dicunt poſſe fieri alienationes huiuſmodi. Etenim vtilitas iſta, ſeu neceſſitas, quæ ſecundum iura requiritur, & ſufficit ad alienationem bonorum Eccleſiæ, debent eſſe vtilitas, ſeu neceſſitas authorizata, ſeu declarata, & propterea re- 34 quiritur examen, ſeu approbatio Sedis Apoſtolicæ, & quando petitur licentia alienandi res Eccleſiaſticas, delegatur ab ea aliquis, qui cognoſcat de tali cauſa. Paſqualigus *var. quæſt. cent. 2. quæſt. 174. n. 2. & 5.*

Spectatis tamen aliquibus circumſtantiis huius alienationis, plura ſunt, quæ ſaltem probabiliter ſuadent, Monachum non incurriſſe pœnas Conſtitutionum, & 35 decretorum Sedis Apoſtolicæ talem alienationem celebrando. Primum eſt, quod cum bonum illud ſtabile alienatum non ſolùm eſſet inutile Monaſterio, ſeu Religioni, quo caſu procedere videntur ea quæ dixi; ſed etiam damnoſum, & præiudiciale, quia vt ipſo facto ſupponitur, pro ipſius bonificatione, conſeruatione, taxis, 36 aliiſque oneribus neceſſarium eſſet ſoluere quotannis duplo, vel triplo magis, quàm ex eo percipiebatur; ita vt propterea Monaſterium voluiſſet donare illud Cameræ Apoſtolicæ, & ipſa noluit acceptare; videbatur omninò alienari poſſe, non ſpectata aliqua licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ. Tum quia Authores, qui aſſerunt ſemper eſſe neceſſariam Sedis Apoſtolicæ facultatem ad alienationem bonorum Eccleſiæ, non loquuntur regulariter in caſu tam ſtricto, qualis eſt præſens, quando videlicet res, quæ alienatur, eſt damnoſa, ſeu præiudicialis Eccleſiæ. Tum quia neceſſitas tam vrgens facit licitum, quod aliàs licitum non erat, *cap. quod* 37 *non eſt licitum, de reg. Iur.* & quia neceſſitas non habet legem, *l. ſi quis propter, C. de patrib. qui fil. ſuos diſtrax.* Tum quoque, quia ex Iuris axiomatibus habetur, quod inducta in fauorem contrarium effectum non debent operari, *l. legatum, ff. de adim. leg. l. quod fauore, C. de legib. cap. quod ob gratiam, de reg. Iur. in 6.* & inducta ad augmentum, non debent operari diminutionem, *l. ſi à milite, §. 1. ff. de milit. teſtam. l. ſi Ruffinus, C. eodem tit. l. legata inutiliter, ff. de legat. 1.* & generaliter loquendo quod

Digitized by Google

quod inducta ad vnum finem, non debent oppoſitum
illius operari, *l. legata inutiliter, ff. de adim. leg.* Socin.
38 *conſ.38.vol.1.* Menoch. *conſ.151.num.30. & conſ.170.*
num.51.& conſ.362.num.34. Certum autem eſt Con-
ſtitutiones, & decreta talia inducta eſſe in fauorem
Eccleſiarum, & augmentum bonorum ipſarum, non
39 verò ad damnum, & detrimentum. Tum demque
quia cum ius naturæ, quod eſt ſupra omne humanum,
præſcribat propriorum bonorum conſeruationem, quia
cauſa naturalis potentior eſt accidentali, *l. Tutor, §. qua*
Tutoribus, ff. de excuſat. tutor. Bald. *in auth. ex teſtam.*
col.3. de collat. ideo prudenter exiſtimari potuit præfa-
tas conſtitutiones, & decreta Pontificia tunc locum
non habere, in quo agebatur de magno detrimento
Monaſterij, nec erat aliud remedium; ac proinde alie-
nari poſſe præfatum ſtabile, ne Eccleſia fieret deterior,
ex quo debebat meliorari. Diana 1. *part. tract. 8. reſo-*
lut.77. poſt plures alios, Bordonus *controuerſ.26.n.6.*

Quod etiam roboratur ex eo, quod prædictum ſta-
bile non ſolùm inutile, & damnoſum erat Monaſte-
rio, ſed etiam prout in facto ſupponitur, *nulla melio-*
ratio ipſius ſperari poterat. Quo caſu pro comperto vi-
detur potuiſſe alienari abſque aliqua licentia: ſicut
40 propter ſimilem rationem arbores ſiccæ, ſeu aridæ, de
quibus non ſit ſpes foliorum, aut fructus, & impediunt
fundum, vel prædium, in quo ſunt, alienari poſſunt
ſine illa, ex communi DD. ſententia, prout ex ſacra Ro-
ta, Nauarro, Quarantæ, Rodriguez, Tamburino, &
Peirinis dixi *tom.5. meæ ſumma, in mari magno Heremi-*
tarum S. Auguſtin. num.72. Et conſonant *cap. ſine exce-*
ptione 51. cap. Terrulas 52. 12. quæſt. 1. cap. vt ſuper, de reb.
Eccleſ. non alienan. l. alienationis 23. ff. famil. erciſcund.
in quibus locis ab alienatione prohibita excipiuntur
inutilia, & damnoſa. De quo etiam Romanus *conſ.100.*
num.1. Gozadin. *conſ. 103. num. 21.* Borellus *conſ. 91.*
num.24. Simon de Prætis *conſ. 109. num. 18.* Maſcard.
de probat. concluſ.75. num.26. Capicius *deciſ.113. num.4.*
M. Antonius *lib.1. reſol.5. num.3.* Bordonus *in deciſ. miſ-*
cellan. deciſ.51.

41 Tertiò etiam ad idem, quia ſuppoſito, quod tale
ſtabile, nedum inutile, ſed etiam damnoſum erat
Monaſterio, illius alienatio erat iam neceſſaria ad eui-
tandum tale damnum. Si autem neceſſaria erat, non
includebatur in prohibitione generali alienandi, quia
in illa non includitur alienatio neceſſaria, aut quæ fit
ex cauſa neceſſaria, *l. alienationis, §. familia, l. 1. in fin. ff. de*
fund. dot. Alberic. *in tract. de ſtat. 1. p. q. 88.* Menoch. *lib. 4.*
præſumpt. 189. n. 106. Moronus *d. reſponſ. 61. num 54.* Sed
ſolùm includitur alienatio voluntaria, *l. 1. ff. de fund. dot.*
l. Diuus, ff. de petit. hered. Megala *lib. 2. cap. 5. num. 196.*
limit. 2. & conſ. 4. num. 5. reſol. 17. num. 7.

42 Maximè quartò excuſabilis videtur præfatus Mona-
chus, & non incurriſſe in Cenſuras contra alienantes
bona Eccleſiarum ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ ab
Eccleſia impoſitas, eo quòd, prout etiam in caſu ſup-
ponitur, id bona fide fecit, exiſtimans videlicet habere
facultatem à Sede Apoſtolica ad id faciendum, eò quod
illam habebat ad alienandum bona ad ſummam vſque
3000. ſcutorum, quam non credebat impletam. Bona
enim fides ſicut excuſat à peccato, ſic à tranſgreſſione
43 cuiuſcunque legis, maximè humanæ, & pœnis per
eam impoſitis. Sicut enim qui contra bonam fidem
facit, dolosè agit, Crauet. *conſ.142. num.14.* Barboſa
axiom.37. num.3. ſic è contra (quia contrariorum ea-
dem eſt ratio, iuxta vulgaria iura) qui bona fide agit,
prudenter agit, ac proinde excuſabilis eſt à pœnis in-
currendis. Sic fermè in terminis Nauarr. *conſ. 19. de*
reb. Eccleſ. non alienat. Megala *conſ. 32. n. 2.* Quaranta
num. 50. Bonacina *de alienat. bon. Eccleſ. punct. 5. num. 1.*
Sopranus apud ipſum, Bordonus *reſolut. 27. num. 14.*
44 & 68. Eo vel maximè, quod extrauagans *ambitioſæ*, quæ
præcipuè huiuſmodi pœnas imponit, expreſsè loquitur

contra præſumentes, id eſt operantes ex dolo, malitia,
vel ſaltem ignorantia culpabili.

Quintò quia etiam vt in caſu ſupponitur, Mona-
chus celebrans hunc contractum alienationis, ideo id 45
facit antequam haberet expreſſam, & particularem Se-
dis Apoſtolicæ facultatem, quia periculum erat in
mora, eo quod contrahens nitebatur ſe retrahere à pro-
poſito. Quo caſu non debere expectari beneplacitum
Sedis Apoſtolicæ, tenent Quarantæ *d. verb. Alienatio,*
num. 42. plures referens. Peyrinis in ſimili caſu in ſuo
formulario, littera A. *cap. 11. num. 3.* referens etiam Me-
galam, & Thomas del Bene *de Immunit. Eccleſiaſt. par. 2.*
cap. 17. dubitat. 23. num. 2. & ſeq. etiam ex aliis DD. 46
qui generaliter id probant, quia lex non ligat, quando
de facto ſeruari non poteſt, *l. 1. §. dies, ff. quand. appellan.*
ſit, & cap. erit autem, diſt. 4. Et ratio eſt, quia impoſſibi-
lium nulla eſt obligatio, *l. impoſſibilium, ff. de reg. Iur.*
Quinimò, ſicuti rectè probat S. Thomas 2. 2. *quæſtio-*
ne 120. art. 1. lex ſeruanda non eſt, quando inique fie- 47
ret, ſi ſeruaretur: tum quia in qualibet prohibitione
cenſetur excepta cauſa occurrens, quæ ſuaderet oppo-
ſitum, *cap. de cætero, & cap. quamuis, de ſent. excommun. &*
cap. Excellentiſſimus 11. quæſtione 3. Tum quia quæ ob
fauorem ſunt introducta, non debent in odium retor-
queri *l. nulla iuris ratio, ff. de legib. regul. quod ob gratiam,*
de reg. Iur. in 6. ita Thomas del Bene relatus.

Accedit vltimò, quod vt ſimiliter in caſu ſupponi- 48
tur, Monachus celebrans hanc alienationem ad potio-
rem cautelam in actu ſtipulationis Apoſtolicum aſſen-
ſum, quatenus opus eſſet, reſeruauit. Etſi enim hæc
proteſtatio, cum videatur contraria facto, nihil iu-
uare cenſeatur, quando traditur abſolutè poſſeſſio
rei alienatæ, prout dixi *tomo ſecundo ſumma, cap. 19. nu-*
mero 61. ex Quaranta, Peyrinis, Bonacina, quod 49
etiam plures alij ſequuntur; quando tamen talis poſ-
ſeſſio non traditur abſolutè, ſed ſub conditione talis
aſſenſus Apoſtolici; ſicut actus non fit ſimpliciter, ſed
manet in ſuſpenſo vſque ad obtentum tale beneplaci-
tum, ſic non vitiat ipſum, prout ex Surdo, & Meno-
chio reſoluit Bordonus *controuerſ. 26. numero octauo,* 50
Sed refertur ad tempus habile, ac per conſequens pro
tunc valebit iuxta *l. in tempus, ff. de hered. inſtit.* Et ita
exiſtimandum in præſenti contigiſſe, eò quod actus
debet ſemper interpretari, vt aliquid operetur, non po-
tius, vt ſit inanis & inutilis *l. quoties, de reb. dub.* & actus
ex capite vtiliori, & firmiori factus cenſetur *l. 3. ff. de te-*
ſtamen. milit. l. cum pater, ff. de iur. dot.

Ad caſum etiam fere ſimilem de quodam alio Re- 51
ligioſo, qui vendiderat terrulas quaſdam, ſeu partes
terræ exigui valoris, non expectato conſenſu Sedis
Apoſtolicæ, bona fide putans id ſibi licere, reſpondi
excuſabilem videri à pœnis deſignatis in extrauaganti
Ambitioſæ, & decreto Sacræ Congregationis Concilij
de anno 1624. edito contra alienantes bona immobilia
ſine tali conſenſu, aut licentia.

Primo quidem, quia in extrauaganti *Ambitioſæ* 52
Pauli II. vbi clarius exprimuntur dictæ pœnæ, & in
præfato decreto, vbi etiam aliæ apponuntur contra
tranſgreſſores, expreſsè habetur talem prohibitionem,
& pœnas non procedere *in caſibus à Iure permiſſis.* Sed
vnus ex caſibus *à iure permiſſis*, in quibus non requiri-
tur dicta ſolemnitas, eſt quando res, quæ alienatur, 53
etiamſi ſit immobilis, eſt tamen modici valoris, iuxta
cap. Terrulas 12. quæſtione ſecunda, vt habent Riccius *in*
prax. for. Eccleſiaſt. deciſ. 39. in 1. *edit. & reſol. 36. in 2. &*
in prax. aurea reſolut. 383. Barboſ. *de offic. & poteſtat. Epi-*
ſcop. Allegat. 95. numero 50. & plures, quos referunt:
eſtque declaratum à Sacra Congregatione apud Qua-
rantam *in ſumm. Bullar. verbo Alienatio, num. 41.* & Ga-
uantum *in Man. Epiſcop. verbo Alienatio, n. 22.* neque
Conſtitutione Pauli II. neque decreto Concilij Tri- 54
dentini (idem dicendum de decreto Sacræ Congrega-

 tionis

tionia relato com loquatur in eiſdem retminis) derogatum fuiſſe *d.c.Terrulas*. Ioſuper declararum eſt à S Congregatione apud Naldom *in ſumm verbo alienare, n.7.* & Gauantum *ſupr. n.*24. debete eiſe dictas terrulas, vt exigui valoris cenſeaotur, 25. ſcutotum autcotum. Seqnitur ergo manifeſtè præfatum Regularem venditorem illarum terrulatum, quatum nulla valoris fuit 25. ſcutotum, cum oulla tam alto pretio vendita ſit, non in-
55 curriſſe dictas pœnas. Quod maximè eſt verum, ſi vt audio, terrulæ illæ etant ſeparatæ, & diſtinctæ ab aliis prædiis, ſeu tertis Eccleſiæ. Si enim etant coniunctæ cum illia, & partes ipſatum ſapiunt naturam illarum, cuius partes ſunt, ita alienari non poſſent, ſicut nec illæ, aliàs daretur occaſio, vt totum ipſum prædium paulatim, & diuiſim per partes modicas diſtrahi, & alienari poſſet. Supponi etiam debet, tales terrulas alienatas non ſolùm eſſe exiguas, aut longè poſitas, & qnod eſſet neceſſitas illas vendeodi. Hoc eoim totum requiritur *in d.cap.Terrulas.*

56 Secundò, quia dicta extrauana *ambitioſa*, in partibus Sardiniæ, vbi dictæ alienationes contigerunt, vt dicitur, recepta non eſt, vel ſaltem conſuetudine legitima abrogata, ſicut etiam paucis in locis receptam eſſe tenet Bonacina *de alienatione punct.* 5. *num.* 4. ex Vaſquez, Suarez, Nauarro, Sayro, Leſſio, & aliia. Quando autem recepta non eſt, vel conſuetudine abrogata, non obligare ſupponunt dicti Authores, poſt Caietanum *in ſumm. verbo Excommunicatio, c.*75. *ad fin.* Armillam *verbo Excommunicatio* 62. Silueſtrum *verbo Excommunicatio* 7. *n.* 83. & Rochum Curtium *cap. vlt. de conſuetud.* Quamuis autem per decretum Sacræ Congregationis relatum derogetur conſuetudinibua quibuſcumque in contratium, dicitur enim *non obſtantibus*
57 *conſuetudinibus, etiam immemorabilibus*; quia tamen forrè idem dici poteſt de prædicto decreto, ſcilicet receptum non eſſe, vel non niſi in aliis caſibus (qond mihi non conſtat, eum ſit quæſtio de facto) ideo ad probationes attendendum, ſi S.ſedi bene viſum fuerit.

58 Tertiò, & principaliter, quia pœnæ in dicta extrauaganti poſitæ non incurruntur, niſi ab eis, qui ex certa ſcientia, dolo, aut malitia illam tranſgrediuntur, non ab illis qui bona fide, & probabili, ſeu apparenti cauſa id faciunt, vt colligitur ex illis verbis extrauagantis, *ſi quis alienare præſumpſerit*; verbum enim, *præſumpſerit*, denotat certam ſcientiam, dolum, vel malitiam, prout ſupponunt Nauarrus *in man. c.* 23. *numero* 43. & 44. & 3. *lib.conſil.*3. *n.*3. Quarania *ſuprà num.* 50. Bonacina *ſuprà num.* 1. Theſaurus *in prax.Eccleſiaſtic.part.*3. *ver-*
59 *bo Alienatio, c.*1. & alij. Cum autem præfatus Religioſus dictas alienationes fecerit non ex dolo, malitia, aut præſumptione, ſed motus ex eo, quod videret prædictas terrulas ob incultutam ſitus, & eius aſperitatem inutiles eſſe Eccleſiæ, reddique vtiles ſi venderentur iia, qui eas in domos ædificarent, cum propter earum habitationem populi concurſus, & eleemoſynæ creſcerent, idque iudicaret neceſſarium pro ſuſtentatione fratrum, qui in ea Eccleſia commorati poſſent, nec crederet neceſſariam eſſe maiorem ſolemnitatem, aut licentiam Sedis Apoſtolicæ, cum ſine illa alienationea ſimiles factas eſſe animaduertiſſet, proculdubio excoſabilis videtur à peccato mortali, ac per conſequens ab excommunicatione, & aliis pœnis in prædicta extrauaganti poſitis, quæ neceſſariò peccatum mortale ſupponunt.

60 Neque obſtat contra hoc, quod in præfato decreto Sacræ Congregatioois, vbi pœnæ contra Regulares alienantes ſine licentia eiuſdem ponuntur, prædictæ pœnæ non ponuntur contra præſumentes, aut alienantes ex præſumptione, ſed ſimpliciter contra tranſgreſſores. Reſponderi enim poteſt, præterqoam quod non mihi conſtat, an in partibus Sardiniæ illud receptum, aut ſufficienter promulgatum ſit, quod cum illud loquatur in terminis extrauagantis *Ambitioſa*, eamque innouet, & confirmet, ſolumque per illud reuocentur priuilegia aliàs Regularibus conceſſa ad alienandum ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu, quod debeat intelligi quoad pœnas in eo poſitas, ſicut & dicta extrauagana.

Adde, eſſe etiam aliquos Theologos exiſtimantes 61
quod cùm alienatio facit conditionem Eccleſiæ meliorem, prout in hoc caſu contigiſſe videtur propter dicta, alienantes non incidant in excommunicationem: ſic Diana *part.* 1. *tract.*8. *reſolut.* 77. Referens reginaldum, & Filiucium. Quæ ſententia ſi vera eſt, præſertim cum à multia teneatur, valdè iuuare poterit, vt cum dicto Religioſo bona fide operante mitiùs agatur. Hæc ſolum ſub probabili opinione, & cenſura Sedis Apoſtolicæ dicta ſunto.

Cohæret dictis aliud meum votum, quod dedi in 62
caſu quodam attinente ad quendam Eminentiſſimum, qui conſenſerat in alienationem cuiuſdam terriculæ ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ. Quod tale fuit.

Ad caſum mihi propoſitum de alienatione illius ter- 63
riculæ facta per Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimum D. Cardinalem N. conformiter ad ea, quæ dixi ſupra, videtur dicendum, Primò, quod ſi valor illius terriculæ non excedebat quantitatem vigintiquinque ſcutorum aureorum, potuit alienari ab eo Eminentiſſimo ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ. Ratio ſumitur ex quadam de-
clatatione Sacræ Congregationis, quam referunt Qua- 64
ranta, & Gauantus eo loco relati, Naldus *in Extrauag. Ambitioſa, de reb. Eccleſ. non alien.* Tamburin. *tom.*3. *de Iur. Abbat. diſp.*23. *quæſt.*9. *num.* 2. Peirinis *ad conſtitut.*9. *Iulij Secundi*, §. 1. *num.* 15. Bordon. *tom.* 1. *reſol.*27. *num.*2. 19. & 38. & *tom.* 2. *reſol.* 62. *num.*2. & *controuerſ.*26. *n.*17. Pellizzarius *tom.* 2. *Man. Regul. tract.*6. c.8. *num.* 136. in qua habetur neque conſtitutione Pauli II. nec Concilij Tridentini decreto derogatum fuiſ-
ſe *cap. Terrulas* 12. *quæſt.*2. & ex alia etiam declaratione 65
ſimiliter Sacræ Congregationis, quam referuot Naldus, & Gauantus eo loco relati, in qua dicunt declaratum eſſe Terrulas vigintiquinque ſcutorum aureotum valoris eſſe exiguas, & contentas io dicto *can. Terrulas* 12. *quæſt.* 2. Eo etiam, quod non ſolùm iſti Authores, ſed alij etiam eandem declarationem recipiunt, ſcilicet Bordonus *dicta reſol.*27. *num.* 19. referens eundem Naldum, & Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 223. referens Homobonum, & Peregrinum. Quantum ergo eſt ex hac parte, potuit terrula illa alienari ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ, ſi ea non excedebat in valore dictorum vigintiquinque aureorum, prout videtur non exceſſiſſe.

Quia tamen *in d. cap. Terrulas*, dicitur *Terrulas, aut* 66
vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus vtiles, aut longè poſitas, paruas, Epiſcopus ſine conſilio fratrum (ſi neceſſitas fuerit) diſtrahendi habeat poteſtatem.; ideo ad hoc, quod potuerit diſtrahi, neceſſarium eſt, quod concurrerint iſtæ conditiones, vt patet ex textu, ſcilicet, quod ſint exiguæ, minus vtiles, aut longè poſitæ, & neceſſitas diſtrahendi, Bordonus *d. controuerſia* 26. *num.* 18. Quamuis autem quod omnes iſtæ conditiones in hac alienatione concurrerint, ad factum pertineat, nec de eo mihi conſtet; nihilominus dicendum, quod cum alienatio, ſeu diſtractio huiuſmodi terrulæ facta fuerit ab
egregio Cardinali, præſumi debet ſeruatis eis conditio- 67
nibus factam fuiſſe. Non ſolùm quia præſumendum eſt pro Prælatis, & legitimis adminiſtratoribus, vbi
contrarium non apparet, ex *l.g.*2. *C. qui accuſ. non poſſ.* 68
leg. ſi multi. ff. de publ. leg. tres Tutores, ff. de adminiſtr. tutor. Maſcardus *de probat. vol.*2. *concluſ.* 728. *num.*4. Et quia Prælatus, qui conſueuit benè adminiſtrare (qualis fuit præfatus Eminentiſſimus) præſomitur conuertiſſe in vtilitatem Eccleſiæ. Bald. *in cap. cum cauſa, de*
ſent. & re iud. ſed etiam, quia illius teſtimonio ſtan- 69
dum,

dum, ſi in inſtrumento alienationis affirmauit ſe illas obſeruaſſe. Etenim Cardinalis teſtimonio ſtandom etiam ſine iuramento, prout ex Laudenſi *de Cardinalib.par.2. n.54.* & Mauric. *de tacit. & ambig.lib.7.tit.5.n.1.3.& 4.* refert nouiſſimè Iacobus Colellius *in notitia Cardinal. cap. 16. priuil. 5.* Eſto etiam experſsè id non aſſeruerit, facto ipſo id oſtendit. Quia facta ad demonſtrandum animum validiora ſunt, quàm verba, *l.Certum,ff.ſi cert. pet.l.fin.ff.de diuort.can.exiſtimant* 12.*q.2.cap.dilecti,de appellat.* Accedit, quod vt probabiliter ait Bordonus
70 *eo n.* 18. prædictæ conditiooes verificantur ſufficienter, quando loco pretij rei, quæ alienatur, accipitur aliud immobile melius, & fructuoſius. Quod contingere videtur in propoſito, ſiquidem, vt ſupponitur in facto, talis terrula ante alienasionem factam per Eminentiſſimum ſolùm fructificabat ſeptem julios, & dimidium, & poſt alienationem triginta, in quibus vendita fuit, quindecim circiter julios fructificare poſſet.

71 Addit ad intentum congruè ſatis Pellixxarius loco relato *n.*139. ex conſuetudine videri inductum, ſaltem in aliquibus locis, vt præfatæ res exiguæ alienentur ſine ſolemnitate de conſenſu ſolius Epiſcopi, etiamſi eæ ſint vtiles Eccleſiæ, fortè ex ratihabitione Sacræ Congregationis, & ex præſumpta illius licentia, iuxta illud *De minimis non curat Prætor*: aut certè, quod hîc pro eodem ſumitur, res non vtilis Eccleſiæ, ac minùa vtilis, quod eſt conſiderare vtilitatem Eccleſiæ, oon abſolutè, ſed comparatiuè.

72 Si dicatur præfatas declarationes Sacræ Congregationis, quibus innititor huius caſus reſolutio, authenticas non eſſe, ac perinde non eſſe ſaltem in iudicio forenſi illis ſtandum. Occurritur non ſolùm quia à viris doctiſſimis referuntur, & quod nullos, quem viderim, eas vſque modò pro oon authenticis reiecerit; ſed & præcipuè, qoia valor terrulæ, quæ ſine beneplacito Sedis Apoſtolicæ alienari poteſt, relinquimr ar-
73 bitrio prudentis viri, ſeu Iudicis, ſecundum veriorem ſententiam quam ſæpe ſecutus ſum ex Filliucio, Quaranta, Peirinis, & Barboſa, quibus etiam adhæret Pellixzarius *ſupra n.*137. & Leo ab ipſo relatus, ac
74 maximè Genuenſis *in Prax. Archiepiſc. Cur.Neapolit. pag. mihi* 250. ex impreſſ. Venet. 1645. vbi hæc habet: *In contrarium eſt veritas, quod Iudicis arbitrio remittitur, qui attendere debet conſuetudinem Terræ, facultatem rei datæ, & venditæ, iuxta cap. Cæterùm, de donat. Ita Archidiac. in cap. Terrulas.* Hoſtienſ. *in ſumm. de his, quæ fiunt a Prælat.§.fin.* Goffredus *in ſumm.eod. tit.& §. Etenim reſpectu Eccleſia pauperis terra poteſt eſſe magni valoris, & non reſpectu diuitis, ſicut cauſa de porcello dicitur magna inter pauperes, & ruſticos*, vt latè per Corſet. *in tract.de minim.Innoc.Cardinalis, & alij in cap. fin. §. his autem, de off. deleg.* Idemque tenet P.Marius de Andria Ieſuita ab eodem Genuenſi relatus, & valdè commendatus. Si igitur prudentis viri arbitrio relinquitur iudicare, cuius valoris debeant eſſe terrolæ, vt poſſint ſine aſſenſu Sedis Apoſtolicæ alienari (quod idem dico de ſubſiſtentia conditionum ad id requiſitarum) profectò omnino contra rationem videtur dicere D. Eminentiſſimum non potuiſſe de iis arbitrari, & iudicare ſe poſſe facere dictam alienationem ſeu conditiones requiſitas ad alienationem dicti prædioli ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ. Suſtinenda ergo eſt talis alienatio in vtroque etiam foro.

75 Sed maximè notandum circa particulam illam huius canonis Terrulas, *longè poſitas*, quod ſi terrula iſta erat coniuncta, continua, vel contigua cum prædio eiuſdem Eccleſiæ, itaut pars illius eſſet, nullo modo poterat alienari ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Ita enim
76 deciſum fuit in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, vt refert Genuenſis ſupra. Qoia aliud eſt alienare terrulas, aliud alienare modicam partem magni prædij Eccleſiæ; nam iſtud ſecundum fieri non poteſt, quia hoc modo paulatim poſſent alienari omnia prædia Eccleſiæ, & fieret fraus legi, *l.non dubium, C. de legibus.* Peregrinus *in Compend. Theatin. verbo Alienatio, dub.3.* & quia connexorum idem eſt iudicium *ex cap. ſi quis 7. 1. quæſtione 3.* iuncta Gloſſa *verbo Neutrum, ex cap. quanto 3. de Iudic. ex cap. Tranſlata 3. de Conſtit.* Vnde prohi- 77
bito vno illorum, prohibetur alterum, Gloſſ. *verbo ſubrogati, cap. Hæ quippe, quæſtione tertia quæſt.6.* Et quia pro vno reputantur, Gloſſa *verbo Annexi, cap. cum ſingula 35. de preben. in 6.* Bordonus *dicta reſolution.65. numero ſecundo.*

ALTARE.

SVMMARIVM.

1 *Altare quid importet.*
Quotuplex ſit Altare. ibid.
2 *Quod Altare debet eſſe conſecratum.*
Ex qua materia debet eſſe. ibid.
3 *Altaris Conſecratio pertinet ad Epiſcopum.*
An etiam ad Abbates. ibid.
Eorum priuilegia an reuocata ſint. ibid.
An communicentur Prælatis Regularibus. ibid.
4 *Quid quando non adeſt copia Epiſcoporum.*
An per Concilium reuocata ſint priuilegia aliqua Regularium quoad hoc. ibid.
5 *Quid ſi Ordinarij requiſiti altaria conſecrare nolint.*
6 *De modo conſecrandi altaria.*
An Reliquiæ in illis ponendæ. ibid.
7 *Num particula hoſtiæ conſecrata.*
8 *An altare fieri poſſit ex duobus lapidibus inuicem colligatis.*
9 *Num altare maius debeat reſpicere Orientalem plagam.*
10 *In altari non conſecrato nullus celebrare poteſt.*
Quale peccatum ſit oppoſitum facere. ibid.
11 *An in altari in quo Epiſcopus Miſſam celebrauit, aliquis eo die celebrare poſſit.*
12 *Erigere Altaria in Eccleſiis conſecratis, vel non conſecratis, ſeu ipſa deſtruere, quibus liceat.*
13 *An priuilegia quorumdam Regularium celebrandi cum ſolo altari portatili ſubſiſtant modò poſt Concil. Tridentinum.*
Quid importent illa verba, ſine præiudicio Eccleſiæ Parochialis. ibid.
14 *An in grangiis, ſeu prædiis Monaſteriorum celebrari poſſit.*
15 *An in cameris particularium Religioſorum.*
16 *Nullatenus verò in cameris ſæcularium.*
17 *Quæ declarata ſint à Sacra Congregatione circa reuerentiam altaribus debitam.*
18 *An altaria in Eccleſiis Regularium ſita ab Epiſcopis viſitari poſſint.*
19 *Altaria priuilegiata quæ dicantur.*
An Miſſa in illis celebranda pro defunctis debeat eſſe de Requiem. ibid.
An hæc priuilegia aliis communicentur. ibid.
Quando ſuſpendantur. ibid.
20 *Altaria fixa quando exſecrentur.*
21 *An quando exſecratur Eccleſia.*
22 *Quot modis exſecretur altare portatile.*
23 *An per celebrationem excommunicati, interdicti, ſeu degradati in ipſo.*
24 *Lapis altaris prophanati an vendi poſſit.*
25 *Quomodo ornandum pro Abbate, vel Priore habente vſum Mitræ.*
Alia de Altari remiſſiuè. ibid.

Altare,

1 ALtare, quod eſt veluti *alta ara*, dictum enim eſt ab altitudine: nam Ethnici in ædificiis à terra eleuatis Sacra faciebant Diis ſuperis; in terra Diis terreſtribus; in effoſſa Diis Infernalibus, eſt duplex, vnum quod *portatile* vocatur, eo quod à loco in locum mutari, & transferri queat. Vnde propter eandem rationem *cap. vlt. de priuileg. in* 6. vocatur *viaticum*. At verò *de conſecrat. diſt.* 1. *can. concedimus*, appellatur *tabula conſecrata*. Alicubi etiam vocatur *ara ſacra*. Definitor autem à Panormit. *in cap.* 1. *de conſecrat. Eccl. vel Alt.* ſic: *Paruus lapis continens in ſe foramen cum conſecratione, & ſigno ſuperpoſito.* Debet autem eſſe capax pedis Calicis, & hoſtiæ conſecratæ. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 27. *numero* 21. Alterum eſt *fixum*, & *ſtabile*, altum, & magnum, quod à loco non mouetur, qualia ſunt illa, quæ communiter in Eccleſiis cernuntur, definirique poteſt, vt ſit *tota illa menſa in qua integrum ſacrificium, ſeu tota Miſſa celebratur*. Syluester *in Summa, verbo Altare, num.* 1. Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 10. *cap.* 27. *quæſt.* 1. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *diſp* 23. *quæſit.* 4.

2 Altare *ſtabile* aliquando eſt conſecratum, aliquando non. Altare verò *portatile* ſemper ſolet eſſe conſecratum. Quando autem altare *ſtabile* eſt conſecratum, poteſt in illo celebrari ſine altari portatili ſuperpoſito, ſecus verò quando non eſt conſecratum. Azor. *ſuprà*. Altare conſecratum debet eſſe iure communi lapideum, non terreum, aut ligneum. Ex *cap. Altare, de conſecrat. d.* 1. Eſt enim ſignum Chriſti, qui vocatur *Petra* 1. *Corinth.* 10. *verſ.* 4. Si verò conſecratum non ſit, poterit eſſe ligneum, vel terreum. Vnde, quia altare *portatile* ſemper eſt conſecratum, ideo neceſſariò eſt lapideum. Azor. *ſup. q.* 2. Declaratum autem eſt à S. Congregatione, altare ligneum cum ara lapidea permitti debere, non obſtante Conſtitutione Synodali. Barboſ. *in Collect. Bullar. verbo Altare.*

3 Altarium conſecratio de iure communi ſpectat ad Epiſcopum *can. nullus Presbyter* 2. & *can. concedimus, de conſecrat. diſt.* 1. Azor. *ſupra quæſt.* 3. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſputat.* 81. *ſect.* 5. Ex priuilegio tamen Summorum Pontificum id competit aliquibus Abbatibus, vt habet Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 13. *quæſit.* 4. Hoc verò priuilegium reuocatum videtur à Sacra Congregatione, propter decretum ab ipſa de anno 1632. die 13. Martij, quod referunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Abbas*, Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Benedicere*, his verbis: *Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religionum Prælati, etiam ex Societate Ieſu habentes priuilegia benedicendi veſtes ſacras, cæmeteria, & ſimilia, dicto priuilegio vti non poſſunt, niſi in iis rebus, in quibus ſacra vnctio non adhibetur, & pro ſeruitio dumtaxat Monaſteriorum, & Eccleſiarum propriarum.* Ex illis enim verbis *Cæmeteria, & ſimilia*, & ex illis, *in quibus ſacra vnctio non adhibetur*, denotari videtur comprehendi etiam altarium conſecrationem, cùm Chriſmate fiat, & ipſa conſecratio appelletur etiam benedictio. Similiter cum hoc decretũ editum ſit anno 1632. parum iuuare videtur declaratio Sacræ Congregationis multo anterior, de anno ſcilicet 1641. quam refert idem Tamburinus *dicta diſputat.* 23. *quæſit.* 1. in qua Abbatibus conceditur poſſe vti ſuis priuilegiis quoad benedictionem illorum, etiam *in quibus vnctio requiritur*. Hæc enim declaratio reuocata eſt per illam poſteriorem, quam retuli, ſicut generaliter lex poſterior derogat priori, non è contra. Caſu autem, quo hoc Abbatum priuilegium modò ſubſiſteret, illud non communicatur aliis Superioribus Regularium, eſto generale omnium priuilegiorum aliis Ordinibus etiam Monachalibus conceſſorum habeant. Nam, vt dixi in ſimili de priuilegio quorumdam Abbatum ad conferendum tonſuram, aut Minores Ordines ſuis ſubditis *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 64. nunquam fuerunt iſta priuilegia hoc modo intellecta inter Regulares, & meritò quidem, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, vt dicitur *in Regul. iuris in* 6. *num.* 81. Hæc autem priuilegia ex eo videntur conceſſa Abbatibus, quia ipſi habent vſum Pontificalium, veluti Epiſcopi, quod non competit aliis Superioribus Regularium. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 2. *quæſt.* 40. *art.* 4. Diana *tractat.* 2. *de dub. Regular. reſolut.* 15. Poteſt etiam ex commiſſione Summi Pontificis hæc facultas concedi ſimplici Sacerdoti, prout de facto conceſſa eſt pro locis remotiſſimis infidelium in Bulla Pauli III. anno 1549. Presbyteris Societatis Ieſu, Suarez *dicta ſect.* 5. Non autem ex commiſſione Epiſcopi, cum ipſe nec ſit ſupra Ius Canonicum, nec poſſit ea, quæ ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis ſpectant, ſimplici Sacerdoti delegare. Azor. *ſupra quæſtione quarta.* Addens *quæſtione quinta*, nec conſuetudine, aut præſcriptione poſſe ſimplicem Sacerdotem hanc poteſtatem obtinere, quia ſpectat ad Ordinem proprium Epiſcoporum.

Quamuis autem munus hoc conſecrandi Altaria ſolùm ad Epiſcopum Diœceſanum, vel ad alium de eiuſdem licentia expreſſa iure communi ſpectet, vt habetur ex Trident. *ſeſſ.* 6. *de reformat. cap.* 5. illis verbis: *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſvis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum, ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo iure ſuſpenſi.* Quibus fermè ſimilia *ſeſſ.* 24. *de reformat. c.* 2. Nihilominus ante Concilium Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Carmelitarum, conceſſit Fratribus noſtris, idemque conceſſiſſe Auguſtinianis refert Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. q.* 19. *art.* 4. tale priuilegium. *Quia verò interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quos Epiſcopos Romanæ Sedis, vt diximus, communionem, & gratiam habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per eos tranſire contigerit, ab eis benedictionem vaſorum, & veſtium, & conſecrationem Altarium auctoritate Sedis Apoſtolicæ recipere valeatis.* Addit verò Rodriguez hoc priuilegium intelligi debere præcedente licentia Diœceſani ob decretum Concilij Tridentini relatum. Sed credo, quod in caſu de quo priuilegium loquitur, non requiratur talis licentia, nec illud ſit à Concilio reuocatum. Ratio eſt, quia caſus priuilegij eſt, quando non eſt copia Epiſcoporum, vt eſt quando Fratres ſunt in locis remotis ab illis in quibus degunt Epiſcopi Diœceſani, vt contingere poterit in Indiis Braſiliæ, &c. tunc enim ſi eſſet neceſſitas celebrandi, & non eſſet Altare aliquod conſecratum, ſi tranſiret aliquis Epiſcopus Catholicus bene notus ipſis Fratribus, is poſſet eorum Altaria conſecrare. Cum ergo Concilium ſolùm loquatur generaliter, & indefinitè extra hunc caſum neceſſitatis, non eſt credendum velle derogare huic priuilegio. Subdit etiam idem Sixtus: *Chriſma verò, oleum Sanctum, conſecrationem Altarium, ſeu Baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi a Diœceſanis ſuſcipietis Epiſcopis, ſi quidem Catholicè, & ritè gratiam, & communionem Sacroſanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint ſine prauitate aliqua exhibere.* Quibus Pontifex denotare videtur, primò, quod ad prædicta obtinenda regulariter recurrendum ſit ad Epiſcopos Diœceſanos. Secundò, quod caſu dato, quod ipſi per ſchiſma, vel hæreſim ab Eccleſia Romana ſepararentur, vel ea nollent concedere, niſi prauè, hoc eſt ſimoniacè, tunc non ſit neceſſe ad illos recurrere. Quid verò in eo caſu agendum ſit, dixerat Pontifex. *Pro conſecrationibus verò altarium ſeu Eccleſiarum, pro Oleo Sancto, & quolibet Eccleſiaſtico Sacramento nullus à vobis ſub obtentu cuiuſvis conſuetudinis, vel alio modo*

quidquam

quidquam audeat extorquere. Sed hæc omnia vobis gratis Epiſcopi Diœceſani, vt tenentur, liberè, & gratioſè impendant, alioquin liceat vobis quoſcunque malueritis Catholicos adire Antiſtites, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, qui Apoſtolica freti auctoritate vobis, quod poſtulatis impendant. Hæc Pontifex. Quæ tamen reuocata non eſſe per Concilium Tridentinum, ſi Epiſcopi ter requiſiti, iuxta terminos *capit. 1. de ſuppl. neglig. Prælator.* noluerint gratis id facere, ait Rodriguez dicta *quæſt. 19. artic. 5.*

5 Similiter ſi Ordinarij bis, aut ter requiſiti cum debita reuerentia, & inſtantia recuſauerint ſine legitima cauſa conſecrare Altaria Fratrum Mendicantium, poſſunt in caſu neceſſitatis illa facere conſecrare à quocunque Epiſcopo Sacroſanctæ Romanæ Sedis gratiam habente. Ita enim habetur ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Nec id eſt reuocatum à Concilio Tridentino loco citato; tum quia, vel per Epicheiam exiſtimari debet non voluiſſe caſum hunc comprehendere, tum quia etſi Concilium reuocauerit omnia priuilegia Regularium; hæc tamen facultas non tam videtur priuilegium, quàm ius commune. Etenim in prædicto *cap. 1. de ſuppl. neglig. Prælator.* expreſsè decernitur, quod ſi Epiſcopus Diœceſanus requiſitus noluerit benedicere Abbates, poſſint ipſi Abbates ſuos Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium eorum ſpectant exercere, *donec* (inquit textus) *ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent.* Quæ deciſio, & deciſionis ratio etiam videtur militare in noſtro caſu, poſita neceſſitate. Rodriguez *ſupra artic.* 4. Miranda 4. *In Manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 39. articulo primo, concluſ. tertia.* Nota autem, quod textus requirit, quod Epiſcopus tertiò requiratur, & ſic eſſe faciendum.

6 Circa modum conſecrationis Altarium conſulendum eſt Romanum Pontificale, vbi agitur de vnctione Chriſmatis, & alijs ritibus, quibus conſecrari debent. Et notandum, quod licet plures Canoniſtæ præſertim, velint de eſſentia conſecrationis altaris eſſe, vt in eo Reliquiæ Sanctorum ponantur, ex *can. placuit, de conſecrat. diſt.* 1. vbi habetur, altaria quædam, in quibus nullæ Reliquiæ conditæ probabantur euertenda ab Epiſcopis, verius eſt id non eſſe de eſſentia conſecrationis: tum ex vſu Eccleſiæ quo conſtat plura altaria ſine Reliquijs conſecrari, tum quia ille canon ſolum ſuperſtitiones, ſeu incertorum Martyrum erectas memorias prohibet, & eſto præcipiat Reliquias veras Altaribus adhibendas eſſe, præceptum hoc iam ceſſauit in Eccleſia, quia in tanta Templorum, & Altarium multitudine certæ, & exploratæ Sanctorum Reliquiæ haberi non poſſunt. Baccomus *ſuprà.* Suarez *tomo 3. in 3. part. diſp.* 81. *ſect.* 5. Laymanus *lib. 5. de Sacrificio Miſſæ, tract. 5. cap. 6. num.* 8. Benè addens pertinere ad Prælatos Eccleſiæ prouidere, vt pia hæc, & laudabilis conſuetudo ponendi Reliquias in Altaribus perſeueret quantum commodè fieri poteſt. Habetur etiam ex Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium apud Gauantum in *Manual. Epiſcopor. verb. altare num.* 12. quod Reliquiæ locandæ in altari ſint Sanctorum ab Eccleſia approbatorum. Caſu tamen, quo illæ poſitæ non ſint in altaribus, benè prouiſum eſt in Cæremoniali noſtro *lib. 2. Rub.* 53. *num.* 6. non debere dicere Sacerdotem in principio Miſſæ cum oſculatur altare, *quorum Reliquiæ hic ſunt.* Quod etiam ex antiquis Rubricis refert Syluester *verbo Altare, num.* 1.

7 Illud etiam eſt certiſſimum, non eſſe ponendam in altari conſecrato particulam Hoſtiæ conſecratæ, quando deſunt reliquiæ, prout Durand. *in Rational, lib. 1. cap. 7. numer.* 23. exiſtimauit, & Baccomus ſupra approbare videtur. Eſt enim hoc valdè indecens, & irrationabile, & contra vniuerſalis Eccleſiæ vſum. Suarez *ſupr. de Sacr. Euchariſt. diſp. 20. ſect. 2. num.* 75.

8 Non poteſt altare portatile, ſeu Ara fieri ex duobus lapidibus inuicem colligatis ad modum tabellæ, quæ inſtar libri claudi poſſit, & aperiri, vt in vno lapide Hoſtia, & in alio Calix conſecretur. Hoc enim eſt contra vſum Eccleſiæ, & contra altaris ſignificationem; ſignificaret enim in Chriſto eſſe duas perſonas colligatas. Sylu. *in Summ. verb. altare, q.* 3.

Licet antiquitus Eccleſiæ conſuetudo fuerit, vt altare maius Orientalem plagam reſpiceret, id tamen nec vniuerſaliter in Eccleſia fuit receptum, nec modò eſt neceſſarium, niſi ſecundùm quandam decentiam, quando commodè fieri poteſt, vt patet ex vſu Eccleſiarum Vrbis, & Orbis. Suarez *ſup.* Vaſq. *3. part. diſput. 233. cap.* 2. 9

Nullus poteſt celebrare in altari non conſecrato, 10
cap. altaria 2. de conſecrat. diſt. 1. Alter faciens peccabit mortaliter. Eſt enim tranſgreſſio grauis legis, & conſuetudinis Eccleſiaſticæ, in qua nec Epiſcopus diſpenſare poteſt, nec Summus Pontifex vnquam diſpenſauit. Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp.* 81. *ſect.* 5. Non tamen requiritur, quod altare, fixum ſcilicet, vel portatile conſecratum ſit. Suar. *ibidem.* Bonac. *de Sacrific. Miſſa diſput. 4. quæſtione vlt. punct. 9. num.* 11.

In Altari in quo Epiſcopus Miſſam cantauit, non 11
poteſt alius Sacerdos ea die celebrare, *cap. final. de conſecr. diſt.* 2. Intellige, niſi adſit licentia Epiſcopi, aut neceſſitas ſic faciendi, prout exponit Gloſſa *ibidem.* Addens hoc fuiſſe ſtatutum propter Epiſcopi reuerentiam. Quia tamen in textu dicitur *Miſſam cantauit,* ideo probabiliter exiſtimari poteſt hunc canonem ſolum loqui, quando Epiſcopus Miſſam ſolemniter dixit, non quando priuatam. Nihilominus quia in ſummario illius canonis dicitur, *Miſſam celebrauit,* vſus etiam ita obtinuit, & ſanctus Carolus Borromeus in quodam Concilio Prouinciali ita intellexit, dicendum videtur, non eſſe quoad hoc differentiam inter Miſſam ſolemnem, & priuatam. Naldus *in Summa, verb. Epiſcopus, num.* 31. Bonacina *ſup. num.* 15. Quamuis nec hoc vbique obſeruetur, vt admonent Scortia *lib. 2. de Sacrific. capite 14 numero ſexto,* & Laymanus *de Sacrific. Miſſæ lib. 5. tractat. 5. cap. 6. num.* 10. Imò, vt ait Azor *tomo 1. inſtitut. Moral. lib. 10. c. 27. quæſt.* 10. hic canon videtur deſuetudine aliqua abrogatus, *& fortè olim locum habebat, quando Epiſcopus in proprijs Eccleſijs, & in ſua Diœceſi, & ſolemni cæremonia, & religione rem diuinam celebrabat.* Hæc ille. Patriæ ergo conſuetudini in hac re ſtandum.

Altaria erigere in Eccleſijs conſecratis nulli licet in 12
iure communi ſtando ſine Epiſcopi conſenſu, ſub pœna depoſitionis Clericis, & excommunicationis laicis, *can. Nullus Presbyter, de conſecrat. diſtinct.* 1. Quod etiam habetur *cap. Quamuis, diſt.* 68. adiuncta Gloſſa *ibidem.* In Eccleſijs verò non conſecratis licitum eſt id facere Presbyteris. Gloſſa *in can. Quoniam, diſt.* 68. Azor. *ſupra quæſt.* 6. Idem dic de Regularibus, propter eandem rationem. Pro Altaribus etiam conſtruendis aliquæ conditiones aſſignatæ ſunt in Concilijs Prouincialibus Mediolanenſibus, de quibus Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo Altare.* Similiter in eiſdem Eccleſijs conſecratis nulli licet abſque conſenſu Epiſcopi altaria deſtruere. Probat Azor. relatus ex *can. Eccleſia, & cap. placuit, de conſecrat. diſtinct.* 1. qui tamen canones parum iuuant ad intentum, vt legenti conſtabit. Melius id probatur ex paritate rationis, quæ eſt inter erigere, & deſtruere. In Eccleſijs verò non conſecratis quilibet ſuo iure poteſt altaria, quæ ſacra non ſunt, deſtruere. Probat Azor, & Gloſſa *in dicto capite Quamuis.* vbi tamen nihil ad intentum. Probari ergo poteſt ex eo, quod ſit eadem ratio de deſtructione, & conſtructione, accedente præſertim Eccleſiæ conſuetudine, maximè in Eccleſijs Regularium.

Licèt celebrare in quocunque loco honeſto, & decenti cum ſolo altari portatili, antiquum priuilegium 13
plurium

plurium Regularium ſit, iuxta dicta *tom. 1. c. 11. num. 24.* reuocatum tamen à Concilio Tridentino *ſeſſ. 22.* vt ibi etiam dixi, aliquæ etiam Religiones vti poſſint ſimili priuilegio in miſſionibus, & aliis forſan locis ſuorum Monaſteriorum, iuxta ibi dicta, nihilominus probabile etiam eſt prædictum priuilegium non eſſe ſimpliciter reuocatum à Concilio, ſed ſolùm in caſu quo Epiſcopus id prohibeat, & non permittat eo vti Regulares, itavt ipſo non contradicente, vel permittente, poſſint prædicti Regulares, & qui cum ipſis communicant, in quocunque loco, honeſto tamen, & decenti, celebrare cum ſolo altari portatili. Ratio eſt, quia Concilium directè expreſsè non prohibet, aut interdicit Regularibus vti ſuis priuilegiis, quantum ad hoc, ſed ſolùm præcipit Epiſcopus ne permittant vti illis. Sic enim habet dicta *ſeſſ. 22. in decreto de obſeruand. & euitand. in celebrat. Miſſæ*, poſt alia: *Neve patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eis Ordinariis deſignanda, & viſitanda Sanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Caſu ergo quo id *patiantur*, aut permittant Epiſcopi, poterunt Regulares vti ſuis priuilegiis, maximè cum hoc priuilegium conceſſum ſit in iure. *capit. In iis quæ, de priuilegiis*, Prædicatoribus, & Minoribus. Rodriguez *tom. 3. quæſt. 43. artic. 5. & tom. 2. quæſt. 75. art. 1.* Ioannes à Cruce *de priuileg. Regul. lib. 2. capit. 5. dub. 7. §. ſi objicias decretum.* Portellus *in dubiis Regular. verbo Altare, num. 1.* referens Petrum de Ledeſma *1. part. Summa, cap. 10. de Euchar. fol. 120. impreſſionis Oliſſipponenſis*, alios etiam referentem. Nota tamen hæc priuilegia ſemper intelligi debere ſine præiudicio Eccleſiæ Parochialis, prout in *dicto capite in iis quæ*, declaratur. Ius autem Parochiale, vt habetur in quodam priuilegio Gregorij IX. quod incipit: *Nos attendentes*, circa tria conſiſtit, ſcilicet oblationes, decimas, & primitias. Syluester *in Summa verbo Altare, quæſtione ſexta*, Ioannes à Cruce *ſupra concluſ. 2.* ex declarat. Sixti IV. Vide circa hoc noſtrum Reuerendiſſimum Theodorum Stratium *in inſtruct. pro Fratribus Carmelitis, capite 6. numero 8.*

14 Stando autem in probabilitate huius ſententiæ, conſequenter dicendum videtur iuxta dicta *tom. 5. cap. 21. num. 15.* in grangiis quoque, ſeu prædiis Monaſteriorum poſſe fieri Oratoria ab aliquibus Regularibus, in quibus cum altari portatili celebrent Miſſas, non repugnante, aut contradicente Epiſcopo. Ratio eſt, quia circa hoc ſunt plura ipſorum priuilegia, quæ referunt Rodriguez *tomo ſecundo, quæſt. 75. articulo primo*, Ioannes à Cruce *ſupra concluſ. 2.* & Peirinis *tomo primo priuilegiorum Minimorum, in Conſtitutione Pyrri numero trigeſimo, & trigeſimoprimo.* Maximè fauet priuilegium Alexandri VI. pro Ciſterceienſibus, de quo in Bullario Rodriguez *tomo primo, in Alexandro VI. Bulla 14.* Fauent quoque plura alia priuilegia, quæ generaliter concedunt id fieri poſſe in loco honeſto, & decente; verè enim dictæ grangiæ, ſeu prædia, loca honeſta, & decentia ſunt. Aliqua autem ex iis priuilegiis retuli dicto *cap. 21. num. 14.* Illa porrò non eſſe reuocata à Concilio, niſi in caſu quo Epiſcopus illis vti non permitteret, dictum eſt ſupra. Imò addendum, etiam in caſu quo Epiſcopus repugnet, probabile eſſe poſſe vti Regulares priuilegiatos hac facultate celebrandi Miſſam cum altari portatili in grangiis, & prædiis ſuorum Monaſteriorum. Ratio eſt, quia Concilium loco relato ſolùm concedit Epiſcopis ne permittant celebrare in priuatis domibus, aut omninò extra Eccleſiam. Hæc verò prædia, ſeu grangiæ non ſunt priuatæ domus, quia non ſunt domus priuatarum perſonarum, aut ſæcularium, ſed Monaſteriorum, & Communitatum Religioſarum, nec ſunt omninò extra Eccleſiam, quia ſunt partes Eccleſiæ, & bona ipſius. Rodriguez, Ioannes de la Cruce, & Peirinis relati.

Pari etiam probabilitate idem affirmari poſſe videtur, ſicque aliquando in Hiſpania practicari vidi de cameris particularibus aliquorum Religioſorum, caſu aliquo extraordinario, quo videlicet propter infirmitatem è camera exire non poſſint ad audiendam Miſſam, & dies ſolemnis fuerit, vel propter ſacram Communionem recipiendam. Quod ſcilicet tunc poſſint in propriis cameris honeſtis, ac decentibus celebrare facere in altari portatili. Ratio eſt, quia cameræ Religioſorum regulariter ſunt loca decentia, & honeſta, ac per conſequens in eis poterunt prædicti Regulares priuilegiati vti dicto priuilegio, non ſolum permittente, aut non contradicente Epiſcopo propter dicta, ſed etiam eo caſu dato, quod ipſe contradicat, cùm prædictæ cameræ non ſint priuatæ domus, ſed ad Eccleſiam pertinentes, nec omninò extra Eccleſiam, ac proinde non comprehenſæ in decreto Concilij Tridentini. Pro hoc etiam extat notabile priuilegium Pij IV. pro Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranenſis, quod refert Peirinis *ſuprà num. 34.* ex Peregrino *in Compend. priuilegiorum Congregationis Regularium, titul. infirmi, §. 2.* Eſt autem magnum hoc priuilegium; nam conceſſum dicitur 18. Maij 1565. poſt Concilium Tridentinum, & cum derogatione ipſius. Aliud etiam priuilegium pro Fratribus Hieronymianis in Hiſpania refert Portellus *ſuprà n. 3.* quod non vidi, nec ſcio an ſit ſolum viuæ vocis oraculum, ac per conſequens hoc tempore reuocatum. 15

Nullatenus tamen id credo eſſe permiſſum in cameris ſæcularium, non ſolum quia ipſæ ſunt priuatæ domus, & omnino extra Eccleſiam, de quibus loquitur Concilium, ſed etiam, quia hoc eſt contra voluntatem, qui meritò, & rationabiliter id non permittunt. Præſertim propter declarationem Sacræ Congregationis, quam refert Naldus *verbo Miſſa, numero 31. & 31.* vbi decernitur licentias celebrandi in priuatis Oratoriis non niſi à Sede Apoſtolica eſſe concedendas, nec ab Epiſcopis poſſe concedi. Non ergo recipiendi Rodriguez *tomo primo queſtion. Regular. quæſt. 43. artic. 4. & 5. & in Additionibus ad Summ. tomo tertio, capit. 19. num. 3.* & Portellus *ſuprà num. 1.* oppoſitum indicantes. 16

Pro reuerentia Altaribus, in quibus celebratur ſanctum Miſſæ Sacrificium, ſunt aliquæ declarationes Sacræ Congregationis. Prima, in qua Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium declarauit, non eſſe conſecranda ea ſub quibus recondita ſunt cadauera mortuorum. Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo Altare, num. 9.* Secunda apud eundem Gauantum *ſupra verbo Sepultura, num. 6.* Cadauera non reponantur ſub Altaribus, neque ſub gradibus eorum; Ita eadem Sacra Congregatio. Tertia, in qua eadem Sacra Congregatio præſcripſit, quod ſi quæ Altaria eſſent, quæ vel ſuperius, vel in medio continerent cadauera, ſiue laicorum, ſiue etiam Prælatorum, non eſſet in ipſis celebrandum. Naldus *ſupra numero 33.* Quarta, in qua eadem Sacra Congregatio iniunxit Epiſcopo Tetinenſi, vt amoueri faceret ſepulchra, quæ extarent ſubtus Altaria, vel ipſorum bradellam. Quinta in qua Sacra Congregatio declarauit, quod Altari renes non ſunt vertendi, & melius eſſe, vt Epiſcopus vertat renes Canonicis, quam Altari. Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Altare.* Sexta, quæ approbante Sanctiſſ. D.N. Vrbano ponitur in initio Miſſalis Romani noui. *Paramenta non debent ſumi de Altari pro celebratione Miſſarum, cùm id competat tantum Epiſcopis, ſiue ſolemniter, ſiue priuatim celebrent, inferioribus verò habentibus vſum Pontificalium non niſi quando in Pontificalibus celebrant.* Sunt etiam aliqua ſtatuta in Conciliis Prouincialibus Mediolanenſ. de quibus prædictus Gauantus *ſuprà verbo Eccleſia, n. 29. 30. 31. 32. & 33.* 17

Altaria ſita in Eccleſiis Regularium non poſſunt 18

viſitari

Digitized by Google

viſitari ab Epiſcopis, aut aliis locorum Ordinariis vigore cuiuſvis decreti Concilij, iuxta dicta *tom.1. cap.11. num. 7.* ex declarationibus Sacræ Congregationis ibi relatis. Niſi quando ipſi Regulares habent curam animarum ſæcularium, iuxta ibidem dicta, & *tom.2. cap.18. num.9.* Imò nec Altaria Confraternitatum in Regularium Eccleſiis erecta viſitare poteſt Epiſcopus, quatenus ſpectant ad ipſos Regulares, iuxta dicta etiam dicto *2. tom. cap.15. num. 27.* Quo etiam ſenſu intelligendæ ſunt aliæ declarationes Sacr. Congregation. Epiſcoporum Regularium apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Altare*, vt colligitur ex alia declaratione apud eundem Barboſam.

19 Altaria priuilegiata ſunt illa, quibus conceſſa eſt Indulgentia plenaria pro mortuis. Quamuis autem aliqui exiſtiment non eſſe neceſſarium ad conſequendam hanc Indulgentiam dicere potius vnam Miſſam quam aliam, ſed per quamcumque Miſſam obtineri poſſe hanc Indulgentiam (Naldus *in Summa, verbo Miſſa, num.28.* ex Nauarro ab ipſo relato) idque ſpeculatiuè loquendo probabile videatur. Nihilominus, quia Sacra Congregatio ſæpius declarauit in Altari priuilegiato debere celebrari Miſſam *de Requiem*, aliàs indultum non ſuffragari defunctis, etiamſi in indulto id non exprimatur, ideo his decretis obtemperandum eſt. Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Altare, & verbo Miſſa defunctorum.* Huiuſmodi autem Altaria priuilegiata vnius Eccleſiæ, vel Religionis non communicantur aliis etiam habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliarum Religionum. Tum quia ſtylus Curiæ ita tenet, tum quia iuxta regulam iuris *in 6.* quæ eſt 81. in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, Peyrinis *tom. 2. Priuilegior. Minimor. in Conſtit.8. Pauli III. num.2.* Probabile etiam eſt huiuſmodi Altaria priuilegiata non ſuſpendi per ſuſpenſionem generalem, quæ fit anno Iubilæi. Nam ratio ob quam Pontifex illo anno ſuſpendit omnes Indulgentias, ea eſt, vt fideles feruentiori deuotione ad eas lucrandas Romam ſe conferant, quæ ratio ceſſat in defunctis. Martinus Carrillo *in Expoſit. Bullæ Defunctor. part.2. c.9. in fin.* An verò ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ, Diana *part.5. tract.11. reſol.86.* partem affirmatiuam tenuit, negatiuam verò *in addit.2. reſol.22.* Sed vide dicenda verbo *Bulla Cruciata, n.4.*

20 Altare fixum, & ſtabile, quod eſt conſecratum, exſecratur, ſeu definit eſſe conſecratum, itaut noua indigeat conſecratione. Primò, quando ita eſt fractum, vt altera pars, quæ manet, non poſſit continere commodè pedem Calicis, & Hoſtiam cum patena, *cap. 1. & cap. quod in dubiis, & cap. ligneis, de conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.* Suarez *tom.3. in 3. part. diſput.81. ſect.5.* Henriquez *in ſumm. lib.9. cap.28. num.1.* Secundò, ſi ita enormiter eſt fractum, vt appareat deformitas. Ita enim colligitur ex prædictis iuribus, generaliter enim loquuntur de enormi fractione, & tenent Bacconius noſter *in 4. diſt.13. art. 1.* Syluester *in ſumm. verbo Altare, quæſt.8.* Azor. *tom.1. lib. 10. cap.27. quæſt. 12.* addentes arbitrio Epiſcopi eſſe hoc iudicandum. Tertiò, quando cornua quæ inunguntur, fuerint fracta. Tunc enim etiam enormiter fractum exiſtimatur. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat.27.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. diſp.23. quæſit.6. num.4.* Quartò, quando Altaris fixi menſa à ſtipite, vel columnis, quibus innititur, remoueretur. Hoc enim ſenſu accipi debet, quod in iuribus relatis ex *can. ſi motum, de conſecrat.* dicitur de Altari, quod exſecretur, quando mouetur. Bacconius, Syluester, & Suarez *ſuprà.* Addunt plures etiam exſecrari hoc altare quoties ſignum ſepulchri, id eſt repoſitorij, vbi reconduntur Reliquiæ, frangeretur, remoueretur, vel minueretur. Ita Syluester, Azor, Barboſa, & Tamburinus. Sed cum dictum ſit *ſuprà num.6.* Reliquias non eſſe de eſſentia conſecrationis Altaris, non video qualiter præciſè propter fractionem, remotionem, aut minutionem talis repoſitorij perdatur conſecratio. Vnde Suarez relatus non affert hunc caſum, Laymanus etiam *de Sacrificio Miſſæ lib.5. tract.5. cap.6. num. 9.* ex Ægidio Coninck hanc ſententiam probabilem putat, licet prudenter addat, ſeruandam eſſe quoad Eccleſiarum conſuetudinem: cum enim ſepulchrum hoc cenſeatur præcipua pars altaris, meritò ob eius fractionem, vel amotionem ipſum altare notabiliter confractum, vel imminutum æſtimatur. Addunt ſexto alij etiam exſecrari hoc altare, ſi tantum augeatur, vel minuatur, quod formam amittat, forma enim eſt, quæ dat eſſe rei. Syluester *ſuprà.* Veruntamen id ſolum intelligo, quando illa mutatio eſſet in lapide ipſo conſecrato, non quando in lignis, columnis, ſeu ſtipitibus quibus innititur.

Non tamen exſecratur altare hoc fixum, quando exſecratur Eccleſia. Si autem Eccleſia violetur, aut polluatur, illud polluitur, & violatur etiam. Ratio diuerſitatis eſt, quia conſecratio Eccleſiæ diſtincta eſt à conſecratione altaris; conſiſtit enim in parietibus, & muris; conſecratio verò Altaris in integritate ipſius. Vnde exſecrari poteſt Eccleſia combuſtis, vel collapſis muris, vel parietibus ipſius, remanente conſecratione Altaris, quia ipſum permanet integrum. Violatio autem, ſeu pollutio Eccleſiæ concernit totam Eccleſiam. Ea ipſa violata, violantur Altaria. Panor. *in cap. Propoſuiſti, de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* Syluester *in Summa, verbo Altare, quæſt.11.* 21

Loquendo verò de exſecratione Altaris portatilis, licet aliqui credant tot modis, quot Altare fixum exſecrari, dicendum tamen eſt non ita contingere. Etſi enim exſecretur hoc Altare, quando ita frangitur vt ea pars, quæ manet, non ſit apta commodè continere Calicem, & Hoſtiam, & quando anguli ipſius, in quibus chriſma ponitur, frangerentur, propter dicta ſupra. Portellus *in dubiis Regularium verb. Altare, num.4.* Nihilominus nec per aliam fractionem, nec per ſeparationem à lignis à quibus aliquando innititur, vel circundatur, nec per mutationem loci exſecratur. Suarez *dict. diſp.81. ſect.5.* Lugo *de Sacram. Eucharist. diſp. 20. ſect.2. numero 72. & 75.* Porrò de immutatione ſepulchri, ſeu repoſitorij reliquiarum dicendum videtur ſicut dixi de Altari fixo. Exſecrata autem Eccleſia non credo exſecrari hæc Altaria. Bacconius *ſuprà.* Quidquid aliqui dixerint, non rectè intelligentes Syluestrum *verb. Altare, quæſt.13.* Si enim exſecrata Eccleſia non idcirco exſecratur, vt dictum eſt, Altare fixum, multò minus nec portatile, propter rationem modò afferendam. Similiter polluta, ſeu violata Eccleſia non cenſetur Altare portatile pollutum, vel violatum. Syluester *verbo Altare, quæſt.11.* Azor *d. cap.27. quæſt.14.* Ratio eſſe poteſt, quia hoc Altare cum ſit portatile, & mobile, non videtur habere tantam connexionem cum Eccleſia, ſicut Altare fixum, ac proinde nec violari cum ipſa, etiam ſi Altare fixum, vt dictum eſt ſupra, violetur. 22

Nullum porrò Altare, ſiue fixum, ſiue portatile exſecratur, ex eo, quod in ipſo celebrauerint excommunicati, interdicti, degradati, &c. Ita enim colligitur ex *cap. 2. de Sacramentis non iterand.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. diſp.23. quæſit.6.* 23

Altaris lapis profanatus, ſeu exſecratus poteſt vendi, & licitè teneri ab emptore, ſed in loco decenti, & honeſto. Ita enim declaratum video à Sacra Congregat. apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Altare.*

Quomodo ornandum ſit Altare pro Abbate, vel Priore habente vſum Mitræ, & baculi, dixi ſupra verbo *Abbas, n.15.* alia quæ pertinent ad Altare, vide verbo *Conſecratio*, verbo *Crux*, verbo *Eccleſia*, verbo *Irregularitas*, & verbo *Paramenta Eccleſiaſtica.* 24

AMBITIO.

SVMMARIVM.

1 *Ambitionis perverſitas.*
2 *Quomodo definiatur ambitio.*
An ſit ſemper peccatum mortale. ibid.
Qualiter fugienda à Religioſis. ibid.
3 *An poſſint pro ſe, vel pro aliis vota, ſeu ſuffragia procurare.*
4 *An liceat ipſis Epiſcopatum, vel alias Dignitates appetere.*
5 *Quomodo electio illius, qui ante electionem requiſitus conſenſit, caſſanda.*
Quomodo ſic requiſitus reſpondere debeat. ibid.
6 *Gaudere, vel delectari de honore ſibi oblato, an, & quando ſit peccatum.*
7 *Alia de ambitione remiſſiuè.*

1 EST Ambitio, vt Diuus Bernardus *ſerm.6.in Pſalm, Qui habitat*, inquit, *Secretum venenum, peſtis occulta, doli artifex, virtutum ærugo, & tinea ſanctitatis.* Et, vt ait D. Baſilius *de Conſtitut. Monaſticis capit.* 20. hoc vitio capti, ſunt inuidi, contentioſi, inſimulatores. Denique quos ambitio inuadit, iugum diſciplinæ Eccleſiaſticæ facit reſpuere, vt ait Symmacus Papa *in Synodo Romana c.* 1. & habetur *diſt.* 86. *can. benè.* Sanchez *lib.6.in Decalog. cap.*18. *num.* 16. Ideireo licet de ambitione fugienda, quatenus ſpectat ad inſtructionem ſpiritualem Regularium, non pauca dixerim *in libro de Reformatione Regularium*, nihilominus de ipſa quatenus ad quæſtionem moralem attinet, agendum ſupereſt.

2 Ambitio eſt inordinatus appetitus honorum, & dignitatum. Sanctus Thom. 2. 2. *quæſt.* 131. *artic.* 2. Syluester *in ſumma verbo Superbia, quæſt.* 17. Quamuis autem ex genere ſuo non ſit peccatum mortale, frequentiſſimè tamen mortale eſt. Primò, cum appetitur honor, vel dignitas modo illicito, qui eſt peccatum mortale. Vt ſi Religioſus appetat Prælatias per ſimoniam, ſubornationes, dolos & fraudes. Secundò, cum appetitur propter finem aliquem, qui ſit peccatum mortale, v.g. propter vindictam, cupiditatem pecuniarum, &c. Tertiò, cum appetitur dignitas, & honor, cuius Religioſus indignus, vel minùs dignus eſt. Pro quo nota, quod cum honor ſit præmium virtutis, ex Ariſt. 4. *Ethicor.* Religioſus indignus, vel minus dignus appetens dignitates, appetit quod dignis, vel dignioribus debetur, ac per conſequens peccat contra iuſtitiam. Adde, quod ambitioſus, etiamſi aliàs eſſet ſanctus ex ambitione redditur indignus, *cap. principatus* 1. *quæſt.* 1. Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.*19.*num.*135. Quartò ratione nocumenti, quod inde ſequitur Communitati, priuando eam dignioribus Prælatis. Denique quintò, ſi honor ipſe, vel dignitas appetatur vt vltimus finis, ſeu vt ſummum bonum. De his ſanctus Antoninus *part.2.tit.* 3. *cap.* 5. Toletus *in ſumm.lib.*8.*cap.*23.& alij.

3 Qualiter prohibitum ſit Religioſis pro ſe, vel pro aliis vota, vel ſuffragia procurare, & quomodo nihilominus poſſint procurare quod officia dignis dentur, & indigni excludantur, ſimiliter tractare de vitiis, & virtutibus eligendorum, dixi *tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 24. De quo etiam Azor.*tom.2.lib.*3.*cap.* 28. *q.* 2. Boſſius *in prax. crim. tit. de ambitioſis.* Theſaurus *in praxi part.* 2. *verbo Ambitus, cap.*1. Vbi etiam agit de iuris infamia, & irregularitate, quam incurrit damnatus de ambitione. Similiter qualiter Religioſi procurantes officia, & alia ſimilia mediis fauoribus ſæcularium, vel extraneorum & Prælati illas hoc intuitu concedentes, incidant in pœnas, & cenſuras à Summis Pontificibus inflictas, dixi eodem 1.*tom.cap.*20.*num.*17.& *cap.*16. *num.*27.& *cap.* 58.*n.*82. De his tractat Tamburinus *de Iure Abbat. diſp.*10.*quæſit.*1.

Qualiter etiam licitum non ſit Religioſis appetere, & multo minus procurare Epiſcopatum, niſi caſu raro dato, dixi *tom.*1. *cap.*17.*n.*22. Eſt autem eadem ratio vel ſimilis reſpectiuè, in appetendis, ſeu procurandis Prælatiis, ſiue officiis curam animarum habentibus in Religionibus, quia eſt eadem difficultas, ea ſcilicet, quæ eſt in regimine animarum, quod vt Concil. Trid. *ſeſſ.*6.*in decret. de reformat. cap.* 1. ait, *Eſt onus Angelicis humeris formidandum.* Vnde *can. ante omnia, diſt.*40. hæc habentur alta mente condenda: *Nihil eſt in hac vita, & maximè in hoc tempore difficilius, & laborioſius, & periculoſius Epiſcopi, & Presbyteri, aut Diaconi officio.* Quare vix video aliquem caſum, in quo licitè, & honeſtè Religioſus appetere, aut procurare poſſit Prælatias, niſi quando ex præcepto charitatis ad id teneretur, quando ſcilicet electores, vel qui Prælatias prouidere debent, parati ſunt eligere aliquem poſitiuè indignum, aut pernicioſum Communitati. Tunc enim propter bonum commune charitas Chriſti vrget, vt dignus Prælatia ſe offerat electoribus. [Peccat deſiderans prælaturam quam credit futuram ſibi occaſionem peccati; qui agit contra charitatem ſui, & deſiderat periculum peccandi. Sigiſmundus de Bononia *de elect. Præl.dub.*42. Si tamen non obſtante tali timore ſperet ſe euitaturum tale peccatum ex Dei gratia, & ex alia parte ad deſiderandam talem prælaturam moueatur ex fine aliquo honeſto, præſertim boni communis, vrgente neceſſitate, poteſt licitè deſiderare illam. Tum quia ſtatus prælationis non eſt ſtatus damnationis, vt oſtendit D. Athanaſius *in fine epiſtola ad Dracontium.* Tum ex D. Petro *epiſt.*1. *apud Clementem*, vbi ſatis id oſtendit. Tum quia tale deſiderium prædictis circumſtantiis redditur licitum. Sigiſmundus *ſup.* ex aliis. 4

Qualiter etiam electio illius, qui requiſitus ante electionem conſenſit electioni de ſua perſona faciendæ priuſquam fiat, ſit caſſanda, dixi *tom.*2. *cap.* 12. *n.* 43. *ex cap. cum poſt petitam, de electione, & electi poteſtate.* Quare ſic requiſitus ante electionem, nullatenus poteſt dicere, *accepto, conſentio, annuo*, vel quid ſimile. Caſſari enim deberet illius electio propter hæc verba. Debet ergo reſiſtere, aut contradicere, vel ſaltem negatiuè ſe habere verbis indifferentibus, vt dicendo: *Fiat voluntas Dei, faciam quod Deo placuerit*, non reſiſtam *voluntati ipſius*, vel ſimilia. De quibus Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*2. *diſp.*5. *quæſit.* 22. In caſu verò ſuperiùs adducto, quo ſcilicet aliquis ad euitandam electionem indigni ſe offerret, poſſet vt credo, acceptare electionem antequam fiat, ne fortè electores videndo tepiditatem illius eligerent indignum. Nec hoc obſtat contra textum adductum, quia ibi non eſt ſermo de hoc caſu particulari, in quo dignus ex præcepto charitatis ſe offert, præſertim cum textus non loquatur, niſi de illo, qui eſt requiſitus ab electoribus: iſte autem requiſitus non eſt. 5

Non eſt ambitioſus, qui gaudet, vel delectatur de honore ſibi oblato, vel etiam appetit illum, Primò, ſi id faciat propter honorem, & gloriam Dei. Secundò, ſi propter vtilitatem proximorum. Tertiò, etiamſi gaudet, aut lætatur de illo, vel appetit illum ea ratione, qua ſibi eſt debitum. Quemadmodum enim licitè poteſt quis delectari, ſeu etiam appetere, quod res ſibi debita, pecunia v. g. vel aliqua alia res non ſibi denegetur, ſic & de honore dicendum eſt. Colligo ex S.Thom. 2.2. *quæſt.*131.*art.*1.*ad* 3. adiuncta explicatione, & doctrina Caietani *ibid. ad* 3. *dub.* & ex Leſſio *de iuſtitia & iure lib.* 3. *cap.*2. *dub.*3. 6

Vide alia verbo *Electio*, & 4.tom.verbo *Prælatus.*

Digitized by Google

ANNVS.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo accipiendus ſit annus in ſacris Canonibus, Bullis, Decretis, Statutis, &c.*
2 *Si aſſignetur annus cum præpoſitione* in, *per ablatiuum, an ſufficiat inchoatus.*
3 *Si aſſignetur in genitiuo, quomodo accipiendus.*
4 *Quid quando per accuſatiuum, & præpoſitionem* ad.
5 *Quid in accuſatiuo cum præpoſitione* per.
6 *Quid cum præpoſitione* ante, *& cum accuſatiuo.*
7 *Quid cum præpoſitione* poſt, *& accuſatiuo.*
8 *Quando res ſit dubia, quæ regula ſit tenenda.*
9 *Quomodo accipiendus annus completus.*
An idem dicendum de anno requiſito pro profeſſione Regulari, ibid.
Quid de annis requiſitis ad obligationem ieiunij Eccleſiaſtici. ibid.
10 *Anni decem dicuntur tempus longum, modicum verò infra decennium.*
Tempus immemorabile quot annos requirat. ibid.
11 *Annus biſſextilis quomodo accipiendus.*
Quid de anno pro Nouitiatu requiſito. ibid.
Quid quando aliquis ſuſpenderetur per annum, ibid.
12 *Annus* 1582. *quomodo integer debuit reputari.*
13 *Qui annus requiratur ad dignitates.*
14 *Alia remiſſiuè.*

1 SÆpius in Sacris Canonibus, Bullis, & decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum, ac in priuilegiis, & ſtatutis particularibus Religionum aſſignari ſolet certus terminus annorum, non explicando an de annis completis, vel inchoatis, an de integris annis, an ſolum de parte ipſorum id intelligi debeat; quapropter operæ pretium erit regulas aliquot breues, & claras ad id explicandum ex Theologis, & Canoniſtis afferre.

2 Si leges, priuilegia, vel decreta aſſignent annum cum præpoſitione *in*, per ablatiuum, vt ſi dicant, quod fiat aliquid, verbi gratia, in anno tertio, ſolum requiritur annus inchoatus, & inceptus, ita vt in quocumque die illius anni id fieri poſſit, quia per quemcumque diem annus ille eſt inchoatus. Syluester *in ſumm. verbo Ætas, quæſt.* 2. Azor. *tom.* 1. *Iuſtitut. Moral. lib.* 5. *cap.* 28. §. *dubia eſt quæſtionis.* Portellus *in dub. Regular. verbo Annus.* Idem credo dicendum cum dicitur quod non admittatur aliquis ad aliquod officium, niſi qui fuerit in ætate verbi gratia triginta annorum; idem enim eſt, ac ſi diceretur, quod non admittatur, niſi conſtitutos in trigeſimo anno, ac proinde ſufficiet annus inceptus, quod dixerim pro noſtro Carmelitarum Ordine, in quo *p.* 4. *Conſtitut. capite* 53. *numero* 3. deciditur, quod Definitores ſint in ætate triginta annorum conſtituti.

3 Si autem aſſignetur annum in genitiuo, vt ſi dicatur: Ne quid fiat ab aliquo, niſi fuerit, verbi gratia, triginta annorum, tunc requiritur annus completus.

4 Cum verò aſſignant annum per accuſatiuum, & præpoſitionem *ad*, vt ſi dicant ad tres annos, ſufficit quod ſint inchoati, *leg. qui filium, ff. ad Trebellianum.* Iidem auctores.

5 Si tamen aſſignent annos in accuſatiuo cum præpoſitione *per*, vt ſi dicatur per tres annos, requiruntur anni completi, *l. non putabam, & l. ſi annos ff. de condition. & demonſtrat.* Ita etiam iidem auctores. Hinc colligit Portellus Conſtitutionem Sixti V. iubentis vacare Abbatiſſæ Minorum per tres annos, requirere annos completos. Colligi etiam poteſt, quod cum Gregor. XIII. in Conſtitutione quam retuli ſupra verbo *Abbatiſſa, num.* 12. ait Abbatiſſas in Italia debere per triennium à die ſuæ adminiſtrationis finitæ vacare, intelligi debere de tribus annis completis, quia vtitur Pontifex præpoſitione *per.*

Quando vero aſſignatur terminus annorum cum præpoſitione *ante*, & cum accuſatiuo, vt ſi dicatur, ante annos viginti duos, vel viginti quatuor, tunc ſufficiunt anni inchoati. Colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. vbi aſſignans annos requiſitos ad Ordines ſacros recipiendos, dicit ante viginti duos, ante viginti tres, ante viginti quinque; quod de annis inchoatis praxis Eccleſiæ declarauit. Portellus *ſupra n.* 5. 6

Secus videtur dicendum, quando aſſignatur terminus annorum cum præpoſitione *poſt*, & accuſatiuo, vt ſi dicatur, poſt vnum annum, poſt duos annos, &c. tunc enim intelligendum id eſt de annis completis. Portellus *ſupra numero quarto*, id confirmans ex quadam diſpenſatione Gregorij XIII. Vnde infert, quod cum Concilium *ſeſſione* 23. *cap.* 11. præcipit vt nulli promoueantur ad ſacros Ordines, niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum, intelligi debeat de anno completo. 7

Extra prædictos autem caſus, ſi nulla ex ſupradictis particulis apponatur, ſed res ſit dubia, in materia odioſa requiruntur anni completi; in materia verò fauorabili ſufficiunt anni inchoati. Syluester, Azor, & Portellus relati. 8

Quando etiam in prædictis locis requiritur annus completus, ad hoc quod talis dicatur, ſufficit in fauorabilibus, quod ſit inchoata dies vltima illius anni. Vnde quamuis ad ſponſalia contrahenda requiratur ſeptennium completum ex *capite litteras*, & *capite acceſſit, de deſponſat. impuber.* & aliis iuribus, nihilominus in fauorem Matrimonij ſufficit ad hoc ſeptennij complementum, quod vltima dies ſeptimi anni ſit incepta, ſicut in fauorem teſtamenti ad valorem illius idem ſtatutum eſt, *l. qua ætate, ff. de teſtamentis*, & in fauorem eiuſdem Matrimonij de anno duodecimo pro fœminis, & quatuordecimo pro viris requiſito dicunt plures Doctores. Couarruuias 4. *decretal.* 1. *part. capite* 1. *numero* 2. Sanchez *libro* 1. *de Matrimon. diſputatione* 16. *numero ſecundo, libro ſeptimo, diſputatione* 104. *numero ſecundo*, Cornejo *tract.* 6. *de Matrimon. diſput.*..... *dub.* 3. An autem fallat hæc regula in anno profeſſionis Regularium, præſertim propter declarationem Sacræ Congregationis, quam refert Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Annus, numero primo*, dicam quarto tomo, verbo *Profeſſio Regularium.* An etiam ſimiliter anni poſſint dici completi, quando pauci aliquot dies, duo ſcilicet, vel tres deficiunt, diſſentiunt Doctores. Sanchez enim tenet partem negatiuam. Cornejo autem affirmatiuam, de quo aliàs. Dixi in fauorabilibus, quia ſecus eſt in odioſis, in quibus dies incepta non habetur pro completa: patet in vltima die anni vigeſimi primi requiſiti ad obligationem ieiunij Eccleſiaſtici; ſi enim ea die curtat obligatio ieiunij, non tenetur ad illud is, qui ea die explet vigeſimum primum annum, niſi tantum poſt illam horam qua expleuit eum annum, iuxta dicta ſupra verbo *Ætas, num.* 8. Naldus *in Summa verbo Tempus, num.* 3. 9

Anni decem ad minus dicuntur tempus longum, 10
modicum vero infra decennium. Naldus *in Summa verbo Annus numero quarto, & verbo Tempus numero vndecimo.* Similiter tempus decem annorum dicitur tempus antiquum. Item Naldus *verbo tempus, numero* 17. Præterea tempus centum annorum dicitur immemorabile, ex communiori ſententia. Idem Naldus *verbo Tempus, numero decimo*, ex Rotæ deciſione.

Annus biſſextilis, in quo ſcilicet bis dicitur *ſexto Calendas Martij*, nempe die vigeſimaquarta, & vigeſimaquinta Februarij, etiamſi habeat vnam diem pluſquam 11

alij anni (habet enim 366. cum alij ſolum 365. dies habeant) nihilominus quoad uſum Eccleſiæ pro vna reputantur, Sanchez *de præceptis Decalogi libro quarto, capite trigeſimoquinto, numero tertio.* Vnde iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. ſecundo numero decimo*, annus pro Nouitiatu requiſitus etiam includit diem illum ſuperadditum anno biſſextili, ita vt complens annum Nouitiatus die vigeſimaſecunda Februarij non dicatur anno biſſextili compleuiſſe, niſi die vigeſimo quinto, prout ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis & pluribus auctoribus habet Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regular, verbo Annus, n. 4.* Hinc etiamſi vigeſimus quintus ætatis annus compleatur die vigeſimaquarta Februarij anni biſſextilis, cenſendus eſt compleri die ſequenti. Sanchez *ſupra*. Idem credo eſſe dicendum (quidquid alij dicant) quando aliquis ſuſpenderetur per menſem, quod ſcilicet ille annus vel menſis in anno biſſextili, comprehendere deberet diem illum adiun-
22 ctum, quia ille annus ſic eſt inſtitutus ab Eccleſia.

Annus porrò milleſimus quingenteſimus octuageſimus ſecundus, quo tempore auctoritate Gregorij XIII. ab anno quo dempti ſunt decem dies, hoc eſt, à quinta die Octobris vſque ad decimamquintam, integer debuit reputari ciuiliter, & politicè tam quoad ætatem ad profeſſionem, quàm ad ſacros Ordines, & ad quæcumque officia, & beneficia requiſitam. Quorum ratio eſt, quia ipſe Greg. XIII. in bull. *Inter grauiſſimas, in ſecundo tomo Bullar, inter Bullas ipſius numero* 74. ea, ad quæ non reputari integrum voluit, expreſsè excepit, nimirum ea quæ erant in tertij præiudicium, vt ſolutiones cenſuum, & locationum. Quare quoad cætera manſit integer. Henriquez *lib. 13. de excommunic. cap.* 40. *num. 2. in commens. littera O.* Sanchez *lib. 5. in Decalog. c. 4. num. 5.*

23 Si contingat Regulares ad Dignitates in Cathedralibus Eccleſiis ex diſpenſatione aſſumi, notent annum vigeſimum ſecundum ad id munus requiſitum debere eſſe completum, nec Epiſcopum in hoc diſpenſare poſſe. Ita enim declarauit Sacra Congregatio apud Garziam *de Benefic. part. ſeptima, capite quarto, num.* 70. Armendariz *in additionibus ad recopil. leg. Nauarra. lib. 1. titul. 18 de Epiſcop. lib. 7. num. 2.* & Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Annus.*

24 Vide dicta verbo *Ætas*, & dicenda de anno Iubilei verbo *Iubilæum*. De anno Nouitiatus, ſeu probationis 4. tom. verb. *Nouitius*, de anno ad profeſſionem Regularem requiſito eodem 4. tom. verbo *Profeſſio Regularis.*

APOSTATA, ET APOSTASIA.

SVMMARIVM.

1 *Apoſtaſia ſecundum Etymologiam quid ſit.*
Quotuplex. ibid.
2 *Apoſtaſia à fide quid ſit.*
Quomodo differat ab hæreſi. ibid.
3 *Apoſtaſia ab obedientia quid ſit.*
4 *Apoſtaſia, ſeu Apoſtata a Religione.*
5 *An Moniales de Monaſterio exeuntes Apoſtatæ ſint cenſendæ.*
Quid dicendum de Pinzocheris, vel mulieribus collegialiter viuentibus. ibid.
6 *Quando Religioſus fugiens ad Prælatum ratione grauaminis præſenſi excuſetur.*
Romam venientes Religioſi ſine licentia legitima, quam pœnam incurrant. ibid.
7 *An Epiſcopus Regularis renuncians Epiſcopatui, vel ab ipſo depoſitus ſit Apoſtata.*
8 *De bonis Apoſtatarum, & ad quos pertineant.*
9 *Apoſtaſia à Religione eſt caſus reſeruabilis.*
10 *De cenſuris, & pœnis Apoſtatarũ à Religione remiſſiuè.*
11 *A culpa Apoſtaſiæ quis abſoluat.*
12 *A cenſuris, & irregularitatibus propter illam incurſis.*
13 *Apoſtata à Clericatu quis cenſendus.*
Quando peccet mortaliter, vel ſolum venialiter. ibid.
14 *Quid de Religioſo Clerico Apoſtata.*

Apoſtaſia ſecundum Etymologiam idem eſt, quod retrotractio, vel retromiſſio. Sed quantum ad propoſitum importat retroceſſionem, vel deceſſum à Deo in aliquo bono, in quo homo tenebatur perſeuerare, vel ex voto. Vnde, quia à Deo tripliciter recedere poſſumus ſecundum tres modos coniunctionis debitæ ad ipſum, ſcilicet per fidem, obedientiam & Religionem profeſſam, ideo triplex eſt Apoſtaſia, ſcilicet à fide, obedientia, & Religione. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 12. Expoſitores *ibidem*, ſpecialiter Bañes *art.* 2. & ex antiquioribus noſter Ioannes Beetz *in 1. præcept. Decalog. expoſit. 1. cap.* 9. Additur etiam quarta ſpecies Apoſtaſiæ (etſi ad aliquam ex prædictis reducibilis) ſcilicet à Clericatu. Valentia 2. 2. *diſp. 1. q. 12. punct....* 1

Apoſtaſia à fide, quæ omnium peſſima eſt, eſt receſſus totalis à fide Chriſtiana, quando ſcilicet Chriſtianus omnino recedit à Chriſtianiſmo, non in vno, vel alio aut pluribus articulis fidei, ad differentiam hæreſis (qualiter fecit Iulianus Apoſtata) ſiue conuertatur ad Paganiſmum, ſiue atheiſmum, &c. Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap.* 9. Hugolinus *de Cenſuris Pontifici reſeruatis 2. part. cap. 1. §. 1. numero* 7. Vnde, etſi non omnis hæreticus ſit Apoſtata, prout in præſenti, quia non omnis hæreticus negat totam fidem, tamen è conuerſo omnis Apoſtata eſt hæreticus, quia habet errorem in intellectu cum pertinacia, quod eſt de ratione hæreſis. Syluester *in Summ. verb. Apoſtaſia, num.* 4. Hinc circumſtantia Apoſtaſiæ neceſſariò confitenda eſt, quia notabiliſſimè aggrauat peccatum hæreſis, propter dicta. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 7. num.* 17. licet oppoſitum teneat Diana *in tract. de circumſt. aggrauantibus reſolut.* 54. Hinc etiam excommunicatio, & omnes aliæ pœnæ in iure, & Bulla in Cœna Domini ſtatutæ hæreticis incurruntur ab Apoſtatis, quia ſunt verè hæretici. Ioannes Beetz *ſupra*, Azor. *tom. 1. Inſtitut. Moral. lib. 8. cap. 25. quæſt. 7.* Sanchez *ſupra n.* 18. De his autem dicetur verbo *Hæreſis, & Hæreticus*, & verbo *Irregularitas*. Vide verbo *Bulla Cœnæ, num.* 8. 2

Apoſtaſia ab obedientia largè ſumpta in omni peccato mortali reperitur, vt docet S. Thomas 2. 2. *q.* 12. *art. 1. ad 1.* iuxta illud Eccleſiaſt. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo.* Et Prouerb. 6. *Homo apoſtata vir inutilis.* Nihilominus ſtrictè non ſumitur, niſi pro receſſu à mandatis Dei, vel Eccleſiæ, qui prouenit ex infidelitate, & ſchiſmate, vel contemptu, de quibus ſuis locis dicetur. Syluester *in Summ. verbo Apoſtata, n.* 3. 3

De Apoſtaſia, ſeu apoſtata à Religione profeſſa plura dixi *tomo primo, capite 16. à numero duodecimo*, ſcilicet quis ſit verus apoſtata, quas pœnas incurrat, quas etiam illi, qui cooperantur ad apoſtaſiam, vel apoſtatas detinent, qualiter vbique à ſuis Superioribus capi, quæri, ac recipi debeant, quibus adquirant, & an Monaſteria teneantur debita ab ipſis contracta ſoluere. Nunc alia, vel maioris claritatis gratia addenda ſunt. 4

Et primo Moniales profeſſæ de Monaſterio exeuntes animo deſerendi Religionem, nec ad illam reuertendi, ſunt verè apoſtatæ, pœnis Apoſtatarum puniendæ, & eodem modo de illis iudicandum reſpectiuè, ac de viris Religioſis apoſtatis, pariterque ad Monaſterium reuocandæ. Tum, quia eadem eſt ratio de illis, ac de viris: tum quia id colligitur ex *cap. peruenit ad nos 27. quæſt. 1.* Farinacius *in Tract. de hæreſ. quæſt. 183. numero* 68. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput. 21. quæſit. 5.* Secus dicendum de fœminis tertiariis, pinzocheris, ſeu mantellatis, non enim recedentes ab eo ſtatu ſunt apoſtatæ, cum ille ſtatus non ſit Religioſus, 5

iuxta

iuxta dicta *tom.2.cap.14. num. 23.* Quod potiori iure dici debet de mulieribus aliis collegialiter viuentibus, ſed non ſub clauſura, propter eandem rationem, & quia earum modus viuendi reprobatus videtur à Pio V. in Conſtitutione anni 1566. iuxta dicta *tom.1. cap.25. num.16. & 17.*

6 Deinde, Religioſus fugiens ad Prælatum Superiorem, eo quod certò illi conſtet ſe grauari iniuſtè nimis à Prælato immediato, vel quod illum velit notabiliter grauare, non ſolum non eſt Apoſtata verus, quia verus Apoſtata eſt ille, qui deſerit Religionem; iſte autem non deſerat, cum potius pergat ad ſuum Prælatum Superiorem, immò licitè id facere poteſt, cum iure naturali defenſionis vtatur, nec Concil. Trident. *ſeſſ.25. cap.4.* contradicat, quia ſolum loquitur in caſu quo Religioſi non iniuſte nimia grauantur à ſuis Prælatis, iuxta dicta *tom.1. cap. 16. num.8. & 9.* De quo & Fagundez *in 2. Eccleſ. præcept. lib.8. cap.5 num. 13.* Qui autem fugiunt ad Superiorem Prælatum, vel ſine fundamento, vel non nimis, ſed tantum leuiter ab inferiori Prælato grauari, vel ſi grauiter grauari, ad faciendum querelam contra ipſum, cum tamen commodè eam facere poſſent, vel per litteras, vel alio tempore, etſi non ſint veri apoſtatæ, propter dicta, contrauenient tamen decreto Concilij Tridentini relato, & veluti vagi, & profugi puniri debent, iuxta Statuta ſuarum Religionum, iuxta dicta eo *cap.16. num.7. & 11.* Portellus *in dubiis Regular. verbo Apoſtata, num.3.* Addit tamen *in Additionibus numero ſexto*, ex declaratione quadam à Sacra Congregatione facta Generali ſui Ordinis talem Religioſum eſſe Apoſtatam. Quod tamen intellige, vel quoad forum externum tantum, ſeu quoad pœnas. Specialiter Romam venientes ſine licentia Generalis, vel Protectoris (vel etiam Prouincialis, ſi fuerit cauſa communis totius Prouinciæ) priuati ſunt voce actiua, & paſſiua per biennium à ſolo Papa relaxanda. Ex decretis Clementis VIII. & Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, quæ retuli *tom.1. cap. 10. num. 15. & 16. & tom.2. c.9. num.18.*

7 Item Epiſcopus Regularis renuncians Epiſcopatui, & manens in ſæculo, nec rediens ad Religionem, non eſt verè Apoſtata, ſed poteſt ſic manere. Ratio eſt, quia per Epiſcopatum fuit exemptus à iugo Religionis diſpenſatione Papæ, & hæc non ceſſat depoſitio Epiſcopatu, cum non ceſſet cauſa ipſius, ſcilicet dignitas Epiſcopalis, & perfectior ſtatus, Rodriguez *tom. 3. quæſtionum Regularium, quæſt.52. art.6.* Sanchez *de præcept. Decalog. lib. 6. cap. 6. num. 29.* Lauretus de Franchis *in controuerſ. Epiſcopor. & Regular. circa decreta Sacræ Congregationis de Apoſt. & Eiectis dub.13.* Addit Sanchez, idem eſſe dicendum, ſi propter culpam deponeretur ab Epiſcopatu, ſed tunc credo teneri regredi ad Religionem, & ſi non redeat, eſſe veluti Apoſtatam, quia per depoſitionem redditur indignus priuilegiis ſuæ dignitatis. Syluester *in Summa, verb. Relig. in fine.* Certius id eſt ſi degradaretur, quia per degradationem exuitur omnibus priuilegiis dignitati Epiſcopali conceſſis. Sanchez *ſuprà num. 30.* Manens autem quomodocumque in ſæculo, tenetur ad vota, & obſeruantias Regulares,
8 iuxta modum dictum *tom.1.cap.17.*

Præterea, quamuis bona Apoſtatarum poſt ipſorum obitum ſpectent ad Cameram Apoſtolicam, iuxta dicta *tom.1.cap.16.num.20.21. & 31.* Si tamen ipſi reuertuntur ad Religionem, bona quæ ſecum portant, pertinent ad illam tam ipſis viuentibus, quàm poſt mortem illorum. Ratio eſt, quia ipſi Apoſtatæ etiam in Apoſtaſia exiſtentes adquirerunt Religioni, iuxta dicta eo *cap.16.num.20. ex can. Abbates 18.* [illegible] *.2.* & Conſtitutio Greg. XIII. quæ incipit *Officij noſtri*, applicans bona iſtorum Cameræ Apoſtolicæ intelligi videtur, quando illi decedunt extra clauſtra. Rodriguez *tom.1. Quæſtionum Regularium, quæſt.10. artic.12. §. ſed contra dicta.* Portellus *in dub. Regular. verbo Apoſtata, num.7.* Lauretus de Franchis *in controuerſ. Epiſcoporum, & Regularium circa decreta Sacræ Congregationis de Apoſtatis & Eiectis, quæſt. 11.* Quod intellige etiam de bonis peccaminosè, etſi non contra iuſtitiam adquiſitis, propter eandem rationem, vt dixi eo *cap.num.20.* Secus de bonis contra iuſtitiam adquiſitis. Hæc enim reſtituenda ſunt eis, quibus facta fuit iniuria. Portellus *ſupra.* Quid porrò dicendum de bonis adquiſitis à Religioſis, ſiue Apoſtatis, ſiue non ex illicita negotiatione, vide dicta eo *tom.1.c.10.n.5.*

Apoſtaſia à Religione eſt caſus reſeruabilis à Superioribus Regularium, ex Clemente VIII. in decreto de caſuum reſeruatione, quod eſt ſimul cum decretis pro reformatione Regularium approbatis à Sacra Congregatione ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, & habentur cum aliis decretis de Apoſtatis & Eiectis, ibi enim inter caſus reſeruabiles à prædictis Superioribus ponitur iſte, & his verbis: *Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij ſeu Conuentus fiat egreſſio.* Vide Coriolanum *de caſibus reſeruatis*, ſuper hunc caſum. 9

De cenſuris, & pœnis Apoſtatarum à Religione, dixi *tom.1.part.1.c.16.num.12.& 13.* Præter quas particulares Religiones habent etiam peculiares pœnas illis deſignatas, qualiter Ordo noſter in Conſtitutionibus *par.3. c. 2. & part.5. c.12.* varias etiam pœnas illis imponit. Vide Portellum *ſupra in additionib. ad verb. Apoſtata*, & Thomam de Ieſu *de viſit. Regul. tract.4 c.9.* 10

A culpa ipſa Apoſtaſiæ à Religione in Religionibus, vbi reſeruata fuerit, nullus abſoluere poteſt, niſi prælati illi, qui ipſam reſeruauerunt, Superiores, & ſucceſſores ipſorum, vel ab eis habentes facultatem ad id faciendum. Hoc enim importat eſſentialiter caſuum reſeruatio. Nec ad prædictam abſolutionem iuuant priuilegia Religionum, Iubilæa, Bulla Cruciatæ, aut ſimilia, iuxta dicta *tom.1.part.2.cap.19.n.29.* In Religionibus verò, vbi Apoſtaſia reſeruata non fuerit, Prælati, & Confeſſarij communes Regularium eos abſoluere poterunt, iuxta doctrinam communem de caſibus non reſeruatis. Quia verò in Ordine noſtro crimen Apoſtaſiæ, vt puto, reſeruatum non eſt, ideo ab ipſo ſaltem in foro conſcientiæ abſoluere poſſunt Prælati, & Confeſſores Communes Fratrum. 11

Pro abſolutione verò à cenſuris, & diſpenſatione in Irregularitatibus, & aliis pœnis, quæ in particularibus Religionibus propter Apoſtaſiam eſſe poſſunt: vide dicta *tom.1.cap.10. à num.29.& c.18. à num.30.* 12

Apoſtata à Clericatu ille eſt, qui Clericatu reiecto, fit ſecularis habitum Clericalem deſerendo. Hoc autem contingere poteſt dupliciter. Vel enim talis deſertor Clericatus erat in maioribus, vel ſolùm in minoribus conſtitutus. Si primum, eſt propriè Apoſtata, & peccat mortaliter ſic faciendo. Clement. *Quoniam, de vita, & honeſtate Clericorum.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.14. de reformation. c.6. & cap. Tuæ Fraternitati, de Apoſtat.* Sylueſter *in Summ. verb. Apoſtata n.6. & 7.* Toletus *in Summ. lib.4.c.18.n.5.* Animaduertens eum non incurrere in Iure aliquam excommunicationem. Illam tamen incurrit, ſi vxorem ducat. Clement. *vnic. de conſanguinitate & affinitate.* Valentia *tom.3. diſp.1. quæſt.12. punct.1.* Si ſecundum, ſubdiſtinguendum eſt, vel talis habebat beneficium, vel non, ſi prius, etiam mortaliter peccat, & eſt Apoſtata, ſi beneficium non relinquat. Toletus *ibid.* Si poſterius nec eſt propriè Apoſtata, nec peccat mortaliter, niſi forſan ex contemptu id faciat, cum conſtet poſſe vxorem ducere, ac viuere laicaliter. Sylueſter *ſuprà num.7.* Credo tamen tam in minoribus conſtitutum, quam prima tonſura decoratum, peccare venialiter deſerendo Clericatum, ſi ſine rationabili cauſa id faciat: tum quia tales ſunt de ſorte Domini, cum illis dicatur: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Tum 13

quia deſcendunt ex ſuperiori ad inferiorem ſtatum. An verò apoſtata à Clericatu ſit irregularis, dicetur verbo *Irregularitas*, *n.*85.

14 Hinc infertur, quod Religioſus Clericus apoſtata, qui deſerta Religione deſerit etiam Clericatum, eſſe bis, ſeu dupliciter Apoſtatam, ſcilicet ratione deſertionis Religionis, & Clericatus, ac per conſequens incurrere pœnas Apoſtaſiæ à Religione, de quibus ſupra, & Apoſtaſiæ à Clericatu, quæ deſignantur locis citatis ex Concilio Tridentino, ex Iure Canonico, & aliis iuribus. Secus verò dici deberet, ſi tantum Religionem deſereret, non Clericatum, vt ſi ex Religioſo fieret Clericus ſæcularis. Tunc enim tantum incurreret pœnas Apoſtaſiæ à Religione.

APPELLARE, ET APPELLATIO.

SVMMARIVM.

1 *De appellatione remiſſiuè.*
2 *Appellatio quid ſit.*
An ſit de iure naturali, vel tantùm de poſitiuo. ibid.
3 *An, & quando Regulares appellare poſſint à correctione ſuorum Prælatorum.*
De recurſu ad ipſos. ibid.
4 *In caſu graui, & raro licita illis eſt appellatio.*
Cum quibus conditionibus. ibid.
5 *Non ad tribunalia ſæcularia.*
Oppoſitum facientes quàm malè audiant. ibid.
6 *Neque ad tribunalia Eccleſiaſtica, quibus non ſubduntur.*
7 *Quibus titulis intelligi poteſt recurſus ad illa.*
Quis eorum licitus. ibid.
An ille, qui eſt pro fauoribus ſæcularium obtinendis. ibid.
8 *Caſus in quibus nec ad propria tribunalia Religionum liceat appellare.*
Primus, quando Religioſus non eſt grauatus iniuſtè. ibid.
9 *Secundus, quando appellatio non fit tempore legitimo.*
10 *Tertius, quando non interponitur coram Iudice legitimo.*
11 *Quartus, ſi fiat ab aliqua cenſura abſolutè lata.*
Secus ſi fiat à cenſura non abſolutè lata. ibid.
12 *Quintus, cum non ſeruatur debita forma in appellatione.*
13 *Quid ſi non contineat nomen appellantis, & Iudicis.*
14 *Quid ſi in ea non petantur apoſtoli.*
15 *Forma faciendi appellationem.*
16 *Effectus ipſius.*
17 *A qua ſententia appellari poſſit.*
18 *Tempus à Iure deſignatum pro appellatione.*
19 *Appellantes à Papa ad Concilium quam pœnam incurrant*
20 *Appellatio an recipiatur à ſententia definitiua.*
21 *An interpoſita ſuper condemnatione ad triremes habeat effectum ſuſpenſiuum.*
22 *Appellationis extraiudicialis proprietates.*
Quomodo differat à iudiciali. ibid.
23 *Alia remiſſiuè.*
24 *Reſolutio cuiuſdam dubij.*
25 *Caſus, ſeu factum cuiuſdam Religioſi Romam venientis prætextu recurſus, ſeu grauaminis.*
26 *Indebitè, & illicitè Romam venit talis Religioſus.*
27 *Ex decreto Concilij Tridentini.*
28 *Quando habeat locum tale decretum.*
29 *Ex Bulla Sixti V.*
30 *Verba ipſius.*
31 *Ex declaratione Sacræ Congregationis ſub eodem Sixto V.*
32 *Ex decreto Clementis VIII.*
33 *Non iuuat præfatum Religioſum titulus recuſationis.*
34 *Multo minùs iuuat titulus appellationis.*
35 *Cauſa præfati Religioſi nullo modo dici poteſt deuoluta ad Generalem.*
36 *Iura valdè fauent cauſis inchoatis.*
37 *Quid dicendum in terminis diſciplinæ, & obſeruantiæ regularis.*

De hac materia, prout ad Regulares ſpectare poteſt, aliqua dixi *tom.* 1. *Summa*, *cap.* 9. *n.* 4. alia tamen hic adiungenda ſunt vel pro maiori ipſius notitia. 1

Appellatio ergo eſt à minori ad maiorem, vel Superiorem prouocatio, 2. *quæſt.* 6. *cap. omnis oppreſſus*, & *cap. ſi quis*, & *cap. placuit*. Sylueſter in *Summa verbo appellatio, numero primo*. Hinc à Papa nullus iure appellare poteſt, cum non habeat Superiorem in terris, *lib.* 1. *ff. à quibus appellare non licet*. Laymanus *lib.* 3. *de Iuſt. tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 2. Hinc etiam conſequenter in Religionibus, nec ab æquali ad æqualem, nec à Superiori ad inferiorem dari poteſt appellatio. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 53. *n.* 45. Eſt de iure naturali quoad ſubſtantiam, cum ſit defenſio quædam, ſeu præſidium innocentis, vel grauamen patientis. Quoad accidentia verò, ſcilicet quod fiat tali, vel tali modo, & cum talibus circumſtantiis, eſt de iure poſitiuo. Sylueſter *ſupra n.* 2. Non eſt ad defenſionem iniquitatis, *cap. cum ſpeciali*, §. *porro de appellat.* Laymanus *ſupra numero primo*. 2

Hoc poſito, primò dicendum, Nullo modo poſſunt Regulares appellare à correctione Regulari ſuorum Superiorum, id eſt, ab ea correctione, quæ eſt ſecundum Regulam, & Statuta, ita vt ſi Regula, vel Statuta Religionis imponant aliquam pœnam pro aliquo delicto, & ea infligatur à Prælato delinquentibus, non poſſint ab hac correctione appellare. Hoc probant *cap. ad noſtrum, de appellat.* & *cap. reprehenſibilis, eod. tit.* quæ attuli dicto *cap.* 9. *num.* 4. Quibus iunge *cap. ſpeciali, in fin. eod. tit.* Id etiam probant plura priuilegia Religionum, quæ eo loco retuli. Ratio etiam id conuincit, quia appellatio nunquam admittitur, niſi propter grauamen. Religioſo autem non infertur grauamen, ſi corrigatur, & puniatur ſecundum Regulam, & Statuta, quia ex vi voti obedientiæ, & profeſſionis ad ea ſe ſponte obligauit. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 101. & 102. Peyrinis *de ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 20. Vnde ſic appellantes, vt in plurimum peccant mortaliter, propter obedientiam quam committunt non acceptando pœnam impoſitam in Religione, & propter alia inconuenientia, quæ ex appellatione ſequuntur. Portellus *in dub. Regul. verb. appellare*. Poſſunt tamen ſine vllo peccato recurſum habere ad Superiores per litteras, vel aliàs ipſos perſonaliter cum legitima licentia conuenire, vt pœna eis relaxetur, vel mitigetur, ſi id poſſent facere, vel vt alio modo ab ipſis conſolationem accipiant. Hoc enim nullo iure prohibetur: ex alia parte eſt ſatis conforme charitati, qua procedi debet in Religionibus. 3

In caſu autem graui, & raro, in quo euidenter conſtaret, Religioſo fieri notabilem iniuriam in fama, & honore, & propter exceſſum correctionis, vel punitionis etiam alias Regularis, in ipſius ſubſtantia, modo, aut circumſtantiis, licita eſt illis appellatio ad Prælatos Superiores, iuxta dicta ex variis iuribus dicto *cap.* 9. *num.* 7. Sanchez, & Peirinis relati. Dixi in caſu graui, & raro in quo euidenter conſtaret Religioſo fieri notabilem iniuriam in fama, &c. quia cum ſint multa priuilegia Religionum, in quibus Regulares prohibentur appellare, quorum aliqua tetigi eo *cap.* 9. *num.* 4. & 6. vt illa operentur aliquid ſupra ius commune, dicendum eſt hoc operari, quod ſolum in prædicto caſu certo, & euidenti liceat Regularibus appellatio, cùm tamen ſæcularibus etiam in caſu dubij grauaminis iure communi licita ſit. Sanchez *ſupra numero* 110. Thomas de Ieſu *de viſitat. Regular. tract.* 3. 4

cap.

cap. 17. *numero* 6. Diana *de dub. Regular. tract.* 2. *re-ſol.*54. *in fine.* [Adde etiam nouiſſimè Cardinalem Lugo qui *tom.*2.*de iuſtit. & iure,diſp.*37.*ſect.*14. *n.*375. dicit licere Religioſis appellationem, tunc ſolùm quando clarè & certò conſtat de ioiuſtitia & exceſſu correctionis, & quod de hoc caſu non loquantur priuilegia Religioſorum, quæ illis prohibent appellationem; additque hunc modum appellationis admitti in Societate io inſtructione iudiciaria *cap.* 5. *in fin.* Hæc porrò appellatio facienda eſt regulariter modo aſſignato eo *cap.*9. *num.* 4. Scilicet à Prælato immediato ad Prouincialem; à Prouinciali ad Generalem; à Generali ad Protectorem; & à Protectore ad Sanctiſſimum, vel Sacram Congregationem eius vices habentem. Dixi *Regulariter*, quia in aliquibus caſibus iuxta dicta eo *cap.*9. *num.* 7. licitè fieri poteſt appellatio ad Sedem Apoſtolicam ſine medio. Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Appellatio.*

5 Nunquam tamen licet Regularibus ad tribunalia ſæcularia appellare, aut coram illis querelam facere contra ſuos Prælatos, quocunque etiam caſu dato. Tum propter dicta eo *cap.*9.*num.* 4. & 6. Tum ex Bonifacio IX. & Leone X. in Bulla *Romani Pontificis*, apud Conſettum *in Collectan. litterarum Apoſtolicarum, in Leone X. num.*10. Vbi hic Pontifex Dominicanos aliter facientes excommunicatione maiori latæ ſententiæ percutit. Tum quia id de ſe iniquiſſimum eſt, & Religionibus perniciosiſſimum, cum hac via bona Religioſorum fama apud ſæculares maximè lædatur, & bonum regimen ipſorum impediatur. Multo minus id licet ſi titulo illatæ vis, aut violentiæ, vt dicitur, ad eadem tribunalia ſæcularia appelletur. Etſi enim admitteretur ſæculares Iudices poſſe hanc appellationem in hoc, vel ſimili caſu admittere, & iudicare de ſententia lata à Iudice Eccleſiaſtico (de quo infrà verbo *Exemptio Regularium, num.* 15.& 17.) adhuc tamen non liceret Religioſis illam appellationem facere, propter magnum detrimentum Religionum, quod inde ſecoi-tur. Vnde id facientes vocat Peirinis *ſupra*, latrones, & fures, fratricidas, & matricidas, ingratas beſtias, maculas conuiuantes, nubes ſine aqua, arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones: ex Epiſt. Canonic. Iudæ *capite vnico.* Vide Sotum 5. *de Iuſtit. quæſtione ſexta, articulo tertio.* Incidere etiam Religioſos id facientes in excommunicationem latæ ſententiæ fatetur Portellus *ſup. verbo Appellare, in additionib. numero* 4. ex Aragone, & Mianda quos refert.

6 Similiter nec licet quocumque dato caſu Regularibus appellare ad tribunalia Eccleſiaſtica, quibus non ſubduntur, vtputa ad Dominos Epiſcopos, vel ipſorum Vicarios, aut querelam contra Prælatos coram ipſis facere, &c. Cùm enim ab ipſorum iuriſdictione exempti ſint, nullo iure poſſunt ad illos appellare, vel coram ipſis contra ſuos Prælatos querelam talem facere. Appellatio enim, ſeu querela non eſt, niſi ad Superiorem. Vnde Dominicanos id facientes, & Iudices Eccleſiaſticos eos admittentes excommunicatione latæ ſententiæ punit Leo X. in Bulla *Romanus Pontifex*, apud Conſettum relatum. Valentia *tomo tertio, diſput.* 5. *quæſtione* 13.*punct.*5.*in fine.* Rodriguez *de ordin. iudiciario c.* 13.*in fin.*

7 Pro quorum luce notandum, quinque titulis, vel rationibus poſſe contingere, quod Regulares recurrant ad tribunalia, ſiue ſæcularia, ſiue Eccleſiaſtica extra ſuam Religionem, ſeu quod idem eſt, ad Principes, ſeu poteſtates, ſæculares, & extraneos. Primò quidem titulo appellationis à ſententia contra eos à Prælatis Regularibus pronunciata. Secundò, titulo querelæ, ſeu ad faciendam querelam coram ipſis contra dictos ſuos Prælatos. Tertiò, titulo violentiæ, ſeu vis ipſis illatæ, vt ab ipſa eos defendant. Quartò, vt prædicti Principes, ſeu Iudices, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue ſæculares, qui ſententiam contra Regularem pronunciarunt, rogent Prælatum vt faciat illi aliquam gratiam ſcilicet vel remittendo in totum, vel in partem pœnam debitam pro culpis, ratione quarum ſententiam contra ipſum tulerunt. Quintò, vt rogent ipſum non pro aliqua gratia, ſed pro aliquo, quod ex iuſtitia debet facere, ſcilicet quod admittat appellationem ad Prælatum Superiorem, ſi eſt legitima cauſa illam admittendi, quod iterum formetur proceſſus, ſi in formatione illius fuit aliquis error ſubſtantialis, vel ſimilia. De primo, & ſecundo iam dixi iniquiſſimum eſſe. De tertio dicam verbo *Exemptio Regularium, num.*15. 16.& 17. De quarto, & quinto dicendum, attendendum eſſe ad Bullas, priuilegia, & conſtitutiones Religionum, quæ agunt de huiuſmodi recurſu ad fauores ſæcularium. De quo egi *tom.*1. *cap.* 10. *num.* 17. & *cap.*18.*n.*82. referens Bullas Pontificias, non ſolùm pro Carmelitis, ſed etiam pro Camaldulenſibus, Ciſtercienſibus, Hieronymianis, Cruciferis, Canonicis Regularibus S. Saluatoris, Prædicatoribus Minoribus, Auguſtinianis, & Minimis. Etſi enim ſic recurrentes ad ſæcularium fauores non incurrant cenſuras, & pœnas inflictas contra eos, qui aliquo ex tribus prioribus modis aſſignatis ad eos recurrerint, incurrere tamen poſſunt cenſuras, & pœnas deſignatas in dictis Bullis, priuilegiis, & Conſtitutionibus Religionum, quæ variæ, & diuerſæ ſunt, iuxta ipſorum tenores. Pro Carmelitis autem notandum, quod etſi Clemens VIII. in Bulla *Quoniam nemo*, quam retuli dictis locis, prohibeat in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Generali, & aliis Prælatis, ne propter extraneorum fauores alicui Fratri concedant Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia, vel aliquas pœnas remittant, tamen Fratribus ipſis non prohibet recurſum ad prædictos fauores pro remiſſione pœnæ, aut pro re, quæ ex iuſtitia debetur, ſed pro obtinendis Prælaturis, & gradibus, honoribus, adminiſtrationibus, functionibuſque, & officiis. In Conſtitutionibus verò Ordinis quartum eſt prohibitum *part.*3.*c.* 5. *n.*2. & 4. Quintum verò non ita, vel ſaltem non ita clarè.

Sunt etiam alij caſus in quibus nec ad tribunalia propria, ſeu legitimos Superiores Religionum licet Regularibus appellare à ſententiis ſuorum Prælatorum. Primus, quando non ſunt grauati iniuſtè, tunc enim non eſt cauſa legitima appellandi, nec appellatio eſt legitima, ſed friuola, cum non adſit grauamen. Portellus *in dub. Regular. verbo Appellat. numero ſecundo.* Addens benè, ſic appellantem peccare mortaliter. Vnde tali appellationi non tenetur Iudex deferre. Quando verò cauſa appellationis eſt legitima, tenetur Iudex illi deferre, alias puniendus eſt etiam pœna depoſitionis, *capite decreto* 2. *q.* 6. & *cap. de priore, de appellatione, & irritatione factorum, cap. venientes, de iureiurand.* Sulueſter *in Summa verbo appellare, c.* 12. Imò etiam quando cauſa appellationis eſt dubia, illi deferre debet Iudex, *c. cum ſpeciali, de apellat.* Syluester *ibid.* Sanchez *in opuſc. moral. tom.*. 2. *lib.* 3. *c. vnic. dub.* 52. *num.* 43. Qui etiam bene addunt poſſe tunc vti Iudicem cautela dicendo, *Admitto appellationem ſi & in quantum de iure teneor.* 8

Secundus eſt, quando non fit appellatio tempore legitimo, ſcilicet decem dierum, *c. concertationi*, & *c. non ſolum, de appellat. in* 6. *cap. cum dilectus, ſi a. de elect. cap. ſignificauerunt, de teſtibus, cap. anteriorum* 2. *q.*6.*cap. Quod ad conſultandum, de ſentent. & re iud.* Sylueſter *ſupra q.*3. Sanch. *ſupra à n.*53. vbi etiam de aliis amplificationibus, & limitationibus huius conditionis. Hic porrò terminus decem dierum currit à die ſcientiæ latæ ſententiæ, quia datur ſeu ad deliberandum, an 9

velit ſtare ſententiæ latæ, an ab illa appellare. Ad quod eſt neceſſaria ſcientia illius, Sanchez *ſuprà n.* 70. Nec poteſt Iudex hoc tempus minuere, quia illud eſt introductum à Iure in fauorem partium. Syluester *ſupra*. Nec etiam augere, propter eandem rationem. Sanchez *ſuprà, numero* 80.

10 Tertius eſt, quando appellatio non interponitur coram Iudice à quo appellatur, niſi forſan eius violentia timeatur, vel ſit abſens. Cum enim per appellationem agatur de iuſtitia ipſius Iudicis, recta ratio dictat coram illo eſſe faciendam, niſi in caſibus propoſitis. Et ita colligitur ex *l.* 1. *ff. quis, & à quo appellat. & l.* 2. *§. dies, ff. quando appellat. & l.* 22. *tit.* 23. *part.* 3. *& c. biduum* 2. *q.* 6. *& Clement.* 1. *de appellat. & c. vt debitus, eod. tit.* Syluester *ſupra quaſt.* 6. Angelus *verb. appellatio, n.* 12. Quando verò non eſt copia Iudicis, vel timetur eius violentia, appellatio facienda eſt coram Iudice ad quem appellatur, vel coram honeſtis perſonis. Sanchez cum aliis *ſupra num.* 134. *&* 135. cum ſequentibus. Tunc autem facienda eſt proteſtatio, quod non appelletur coram Iudice à quo ob eius metum, vel quia ipſius non eſt copia. Sylueſter *ſupra*. Tabiena *verbo appellatio, quaſtione* 13. §. 14.

11 Quartus eſt, ſi appellatio fiat ab excommunicatione, vel aliqua alia cenſura purè & abſolutè lata, ea enim inualida eſt. Quod eſt dicere, ſi ſit impoſita excommunicatio, vel aliqua cenſura contra facientes aliquid, verbi gratia Religioſos arma geſtantes, ſi conſtet aliquem ea geſtaſſe, non poteſt appellare ab ea cenſura. Ita enim habetur ex *cap. paſtoralis § verum, de appellat. cap. ad hæc quoniam* 5. *de appellat. cap. is cui, §. vltim. de ſentent. excommunicat.* Et ratio aſſignata in textu eſt, quia huiuſmodi cenſuræ latæ ſecum afferunt executionem, nec poſſunt eſſe ſuſpenſæ: à ſententia autem executioni mandata non datur appellatio. Suarez *de Cenſuris diſp.* 3. *ſect.* 6. *num.* 5. Cornejo *tract.* 5. *de Cenſuris diſp.* 2. *dub.* 4. *§. ſecunda conditio.* Appellari autem poteſt à cenſura, ita vt ſententia illius ſit nulla, & inualida, primò quando appellatio præcedit ſententiam illius, *cap. dilectis de appellat. & c. licet, de ſentent. excommunicat. in* 6. *& cap. ad hæc quoniam.* Et ratio eſt, quia ad ferendam cenſuram requiritur iuriſdictio, quæ per appellationem legitimam eſt ſuſpenſa. Syluester *ſupra numero* 4. Naldus *in Summa verbo appellatio, num.* 5. Secundò, quando cenſura fuit ſolum ſub conditione lata, v. g. ſi Prælatus dicat: Excommunico te, niſi hoc feceris. Et tunc ob legitimam cauſam ſubditus appellet; etenim etiam tunc ſuſpenditur iuriſdictio Iudicis. Cornejo *ſuprà diſp.* 4. *dub.* 2. *& diſp.* 12. *dub. vnic. §. reducitur*, Bonacina *de Cenſuris diſput.* 1. *quaſt.* 2. *punct.* 2. Addit Cornejo hoc eſſe intelligendum de cenſura lata ab homine, non de lata à Iure, quia hæc ſemper præſumitur iuſta, iuxta *l. ſi qua pœna, ff. de verb. ſignific. cap. erit autem lex, diſt.* 4. & ita ab illa non datur appellatio. Conſonatque declaratio Sacræ Congregationis afferenda. Tertiò licitum eſt appellare à ſententia declaratoria cenſuræ incurſæ, poteſt enim in ea errare iudex, ac per conſequens competit reo ius defendendi. Bonacina *ſupra*. Sed vide declarationem Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collect. Bullar. verbo appellantes*, qua præſens doctrina reſtringitur. Ibi enim dicitur: *Appellatio non eſt admittenda à comminatione Epiſcopi facta contra incurrentes excommunicationem, & alias cenſuras à iure latas, ad dicendum cauſam quare non debeant declarari incidiſſe: ſecus ſi communicatio fiat contra alios delinquentes ad effectum illos excommunicandi ob aliquod delictum, vel crimen ſub excommunicationis ab homine lata pœna.* Quæ deciſio ad ſimiles caſus extendi poteſt. Quando autem dicitur, quod à cenſura lata non appellatur, intelligitur quoad effectum ſuſpenſiuum, non quoad deuolutiuum, quia talis appellatio transfert cauſam ad Superiorem. Petitnis *de ſubdito quaſt.* 1. *de obedienti a, c.* 20. Pro quo vide inferius dicenda de effectibus appellationis, & pro appellatione à cenſuris Sanchez *ſupra à n.* 216. *& eodem tom.* 1. *conſil. moral. lib.* 3. *cap. vnic. dub.* 33.

Quintus eſt, cum non ſeruatur debita forma in appellatione, videlicet quod fiat in ſcriptis, & cum expreſſione cauſæ. Etſi enim, quando aliquis appellat illico, & in continenti poſt ſententiam coram Iudice in eadem figura Iudicij exiſtente, ſufficit viua voce appellare, ſi tamen non in continenti, ſed intra limites decem dierum appellet, debet fieri in ſcriptis per porrectionem libelli appellatorij. Sic enim habetur *ex l.* 2. *ff. de appellat, & l. litigatoribus, C. eodem tit. & l. à ſententia, in fin. Cod. eod. tit. & l.* 22. *tit.* 23. *par.* 3. *& l.* 1. *§. libell. ff. de appellat.* Syluester *verbo appellatio, queſt.* 4. *&* 6. Similiter debet fieri cum expreſſione cauſæ ſaltem in genere, vt dicendo ſe eſſe grauatum, ſententiam Iudicis fuiſſe iniuſtam, &c. D. Antoninus 3. *part. tit.* 9. *cap.* 14. §. 1. Syluester *ſup. quaſt.* 4 Portellus *in dub. Regular. verbo appellare, in additionib. ad addit. num.* 9. Aliquando etiam, præcipuè inter Regulares in quibus apices iuris obſeruandi non veniunt, ipſa fuga Religioſi grauati vſurpatur pro appellatione, vt habent Rodriguez *tom.* 1. *q.* 30. *art.* 3. Portel. *ſup. in addit. n.* 3. 12

Volunt alij eſſe inualidam appellationem, niſi contineat nomen appellantis, & Iudicis à quo appellatur, & ad quem appellatur, nomina etiam aduerſariorum, & ſententiæ à qua appellatur. Sed verius eſt non requiri hoc expreſsè, ſed ſolum implicitè, quando illa omnia conſtant ex circumſtantiis. Neuo *in Rubric. de appellat. à numero* 26. Sanchez *ſuprà num.* 51. 13

Alij etiam dicunt eſſe inualidam appellationem, niſi in ea petantur apoſtoli (ſunt autem Apoſtoli litteræ dimiſſoriæ, ſeu teſtimoniales ipſius appellationis.) Sed nec hoc eſt neceſſarium, quia Apoſtoli poſſunt peti intra triginta dies à lata ſententia, aliàs appellatio manet deſerta, *cap. ab eo, de appell. & Clem. quamuis, eod. tit. l. Iudicibus, C. eod. tit.* D. Antoninus *tertia parte, titulo nono, capite* 14. *§. primo.* Syluester *verbo appellatio, quaſtione ſexta.* Currunt autem hi dies à die ſcientiæ ſententiæ latæ, vt habet Maranta *practic. ſexta parte, titulo & quandoque appellatur, n.* 216. *&* 419. Sanchez *ſupra à num.* 120. vbi multa ad intentum. Peti etiam debent Apoſtoli in appellatione extraiudiciali, quando appellatur à Iudice extraiudicialiter procedente, ſed non ſaltem ex neceſſitate, quando appellatur à parte. Maranta *ſupra num.* 127. Francus *cap. bona, de appellat.* Neuo *ibid. num.* 43. 14

Forma ergo appellationis, in qua tam ea, quæ ſunt de ſubſtantia ipſius, quàm alia continentur, talis eſt, prout ex Doctoribus colligi poteſt. *Coram N. ego N. propono, & dico animo appellandi, quod decem diebus nondum elapſis in cauſa N. qua vertebatur in Iudicio coram vobis, ſententiam contra me tuliſtis definitiuam, ſi ſententia iure dici meretur, in qua me condemnandum cenſuiſtis ad pœnam N. Idcirco ab eadem ſententia tanquam iniqua, & iniuſta appello ad N. Superiorem, & apoſtolos ſemel, bis, & ter cum debita diſtantia mihi dari poſco & ſpecialiter proteſtor, quod appellationem hanc poſſim corrigere, emendare, & innouare, & eam intimare, & proſequi, prout mihi videbitur expedire, die tali, &c.* 15

Appellationis effectus duo ſunt, alter deuolutiuus, alter ſuſpenſiuus. Primus eſt deuoluere cognitionem cauſæ ad Superiorem ad quem appellatur, *c. Dilectis, c. vt debitus, de appellat. l. eos, l. a proconſulibus, C. de appellat.* Vnde eximit litigantem à iuriſdictione Iudicis à quo quoad illam cauſam, & transfert ad iuriſdictionem Iudicis ad quem, *c. Dilectus. c. ad audientiam de appellat.* Secundus eſt, ſuſpendere ſententiam, etſi non extinguat illam, *cap. venientes, de iureiurand. capite paſtoralis, §. præterea, de offi. delegat. cap. ſæpe, de appellat. l. præcipimus, l. eo caſu, C. de appellat.* Syluester *verbo Appellatio, n.* 1. 16

Portel

Digitized by Google

Portellus *in dub. Regularibus verbo appellare, numero* 7. Laymanus *lib.3.tract.6.cap.5.num.* 5. Vnde appellatio ligat ſtatim manus Iudicis à quo, eiuſque iuriſdictionem ſuſpendit, ſine alia inhibitione, adeo quod nihil poſſit facere in illa cauſa, appellatione pendente. Sanchez *ſupra numero* 25. vbi in ſequentibus de variis limitationibus huius doctrinæ. Non tamen ſuſpendit iuriſdictionem Iudicis quoad alias cauſas, etiam reſpectu eiuſdem ſubditi. Et ita Religioſus, qui in vna cauſa appellauit à ſuo Superiori, manet ſubditus illi quoad alias. Portellus *ſupra in additione ad additionem, n.* 11.

17 Cum ſententia duplex ſit, altera definitiua, altera interlocutoria, ita vt definitiua ſit, quæ fertur ſuper cauſa principali, de qua lis agitur, v.g. an Religioſus fuerit fornicator. Interlocutoria verò, quæ fertur ſuper dubiis, quæ emergunt in ipſa cauſa v.g. de teſte aliquo recipiendo, dilatione danda, &c. Syluester *verbo Sententia, q.3.& 4.* Sanchez *ſupra à n.5.* Ideo appellatio fieri poteſt ab vtraque ſententia, ita tamen, quod ab interlocutoria communiter non licet, niſi contineat damnum irreparabile. Concilium Tridentinum *ſeſſ.13.c.1. de reformat.& ſeſſ.24. cap. 20. de reformat.* Hoc autem damnum irreparabile eſt v.g. tortura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, imo etiam ex declaratione Sacræ Congregationis incarceratio. Portellus *ſupra verbo Appellare, num.6.* Naldus *in Summa verbo Appellare, num.2.* Hæc porrò appellatio ab interlocutoria in eo præcipuè differt ab appellatione à definitiua, quod iſta ligat manus Iudicis, vt non poſſit vlterius in cauſa procedere, non autem illa.

18 Tempus à iure deſignatum ad proſequendam appellationem, itaut alias ſententia tranſeat in rem iudicatam, eſt vnus annus, aut ex cauſa neceſſaria biennium, imo poteſt iudex à quo appellatur, ſecundum locorum diſtantiam, perſonarum, & negotij qualitatem, tempus hoc moderari, *cap. ſicut Romana, & Clement. ſicut, de appellat.* Syluester *ſupra quaſt.* 16. Sanchez etiam *ſupra à n.84.* Vbi alia ad intentum.

19 Appellantes à Summo Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores, & Conſiliarij incurrunt ſententiam excommunicationis ipſo facto ſolùm à Papa tollendam, crimenque læſæ Maieſtatis committunt, ex Pio II. in Bulla *Execrabilis*, in primo tomo Bullar. *n.5.* Schiſmaticorum etiam pœnas, & alias incurrunt, ex Iulio II. in Bulla *Suſcepti regiminis*, in primo tomo Bullar. *in numero* 22. Naldus *in Summa verbo appellare*, n.8. Vide dicenda verbo *Bulla Cœnæ*, n. 10.& 11.

Appellatio non recipitur à ſententia definitiua con-
20 tra verum contumacem prolata, nec inhibitio, aut alia quæuis prouiſio, quandiu appellans in huiuſmodi vera contumacia perſtiterit, conceditur. Ex S. Congregationis declaratione apud Barboſam *in Collect. Bullar. verbo Appellantes, & c.*

21 Appellatio interpoſita ſuper condemnatione ad triremes habet effectum ſuſpenſiuum, ex declaratione S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium apud eundem Barboſam *ſup.* Appellatio etiam à priuatione beneficij habet effectum ſuſpenſiuum. Ex eadem S. Congregatione apud eundem Barboſam *ſupra.*

22 Tandem, pro appellatione extraiudiciali, quæ contingere poteſt inter Regulares, ſi Prælatus in collationibus officij, vel beneficij, vel etiam electionibus, aut quocumque alio, quod ſit ex publico officio, faceret aliquid, vel præciperet aliquid, quo ipſi grauarentur (Portellus *in dub. Regul. verbo appellatio, in additionibus num.1.*) notandæ ſunt aliquæ veluti proprietates illius in quibus à iudiciali differt. Prima, quod iudicialis eſt propriiſſimè appellatio, extraiudicialis non ita, ſed vocatur prouocatio, vnde in odioſis non comprehenditur nomine appellationis. Secunda, quod iudicialis eſt à Iudice grauamen inferente, extraiudicialis vero non ſolum à Iudice extraiudicialiter procedente, ſed etiam à parte contraria. Imò in cauſa beneficiali habet vim citationis, & tenetur pars contraria, à qua appellatur, coram Iudice ad quem comparere. Tertia quod iudicialis eſt de præſenti grauamine, & à Iudice illud inferente, extraiudicialis vero poteſt eſſe generalis reſpectu perſonarum, & à futuro grauamine, *cap. bona, de appellat.* adiunctis *cap. vt debitus, & cap. cum cauſam, in fin. eod. tit.* Quarta, quod iudicialis maximè inter Religioſos requirit cauſam veram, *cap. vt debitus, & cap. interpoſita, de appellat.* extraiudicialis vero non requirit neceſſariò cauſam veram, vel veriſimilem, aut probabilem, *cap. bona de appellat. & Clement. ſicut, eod. tit.* Quinta quod in iudiciali ſemper ſunt petendi Apoſtoli, in extraiudiciali vero non ſemper, ſaltem ex neceſſitate. Sexta, quod excommunicato prohibitum eſt appellare extraiudicialiter, quia non poteſt eſſe actor, & appellare hoc modo eſt agere, bene tamen iudicialiter, quia hoc eſt ſe defendere. Pro quo vide dicenda infra verbo *Excommunicatio, num. 36. & 40.* Septima, quod in iudiciali annus ad proſequendam appellationem incipit currere à die interpoſitæ appellationis, in extraiudiciali vero à die illati grauaminis. *Clement. ſicut, de appellat.* Octaua, quod appellatio iudicialis ſuſpendit iuriſdictionem Iudicis in totum quoad illam cauſam, extraiudicialis verò non ſuſpendit actum de præterito, nec actum futurum conſequutiuum ad actum de præterito, *capite conſtitutus, de appellat.* Vnde in iudiciali reuocantur omnia acta, in extraiudiciali verò ſolum ea, quæ ſunt poſt ipſam. De his, & aliis concernentibus Maranta *practic. 6. part. tit. quandoque appellatur.* Francus *cap. bona, de appellat.* Panormitanus, & Neuo *ibid.* Sanchez *ſupra à num.6.*

Vide alia verbo *Clauſula, n.10.* vbi ſermo de clau- 23
ſula illa apponi ſolita in pluribus Bullis *appellatione remota*, verbo *Iudex Regularium*, & 4. tom. verbo *Recuſare, & Recuſatio*, & verbo *Teſtis.*

Cohæret dictis reſolutio præſentis dubij à me petita, Prouincialis cuiuſdam Prouinciæ Sancti Franciſci Minorum Conuentualium per viam denunciationis inquirit, & procedit contra tres prætenſos reos de ſeditione, & indebita alienatione duorum Conuen- 25
tuum ſuæ Prouinciæ. Ex prætenſis reis duo carceri mancipati ſunt, alter vero amicabiliter vocatus, prout in proceſſu, renuit accedere, quinimo nocte intempeſta diſcedit è ſuo Conuentu, cauſa adhuc contra ipſum non incepta, & Romam ad Reuerendiſſ. Generalem prætextu recurſus, & grauaminis, ſeu appellationis, accedit non obſtante quod ad tollendam omnem ſuſpicionem, & ad iudicium rectius proſequendum dictus P. Prouincialis petierit, & obtinuerit à P. Generali Collegam & Directorem, quorum præſentia, & iudicio proceſſus inchoatus, & promotus, nondum tamen completus fuit. Modo virtute ſupradicti recurſus vnius ex tribus prætenditur totam cauſam deuolui ad P. Generalem, reclamante Prouinciali, quod virtute decreti Concilij Tridentini *ſeſſ.25.c.4.* Regulares non poſſunt vagari ſine ſui Prælati licentia, etiam prætextu accedendi ad ſuos Superiores. Quod decretum conſolidatur ex declaratione S. Congregat. Concilij ſub Sixto V. dum declarat, non poſſe Regulares Romæ admitti, etiam cauſa appellationis, ſed potius debere remitti ad ſuos Ordinarios, donec cauſa cognita detur locus iuſtæ appellationi. Quæſitum ergo eſt à me, quid in hoc caſu ſecundum iura, & Regularem diſciplinam tenendum.

Reſponſio.

Poſita veritate relationis, ſtando in rigore iuris, 26
cenſeo talem Religioſum Romam venientem indebitè,
&

& illicitè id feciſſe. Primò, quia eſt contra Concilium Tridentinum loco relato illis verbis, *Nec liceat Regularibus à ſuis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vo-*
27 *cati fuerint.* Quod decretum ad minus locum habet in Religioſis, qui abſque iuſta cauſa iniqui grauaminis id faciunt. Sanchez, & Peyrinis, quos refero, & ſequor *ſupra num.3.* Vel quando certò non conſtat iniquè vexari, nec eſt aliud remedium, niſi Superiorem adire, vt habet Azorius *tom.1. inſtit. mor. lib.12. c.11. quaſt.7. & 8.* vel cum vexationis iniuſtitia liquida eſt, nec poſſunt prius licentiam petere à Prælato ſuo mediato ad
28 eum recedendi, *l. qui ſit fugitiuus, ff. de ædil. edict.* Theſaur. *in prax. part.2. verbo Religioſi, cap.5.* de quo etiam Sanctarell. *tract. de Apoſtaſi. cap.3. dub.5.* Diana *part.3. tract.1. reſol. 56.* & alij apud ipſos, quæ omnia deficiunt in præſenti, vt ſupponitur.

29 Secundò, ex Sixto V. qui cùm in Bulla *Cum de omnibus, in 2. tom. Bullar. n. 71.* prohibuiſſet, ne aliquis Religioſus reciperetur intra aliquod Monaſterium, etiam tanquam hoſpes, ſi licentiam non haberet à ſuo
30 Superiore, poſtea in Bulla *Ad Romanum, &c.* (id explicans dicit quod, *Si dicerent ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob grauamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideo ab ipſis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuiſſe, non propterea vllo modo recipi valeant, niſi fide dignorum teſtimonio de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit. In almam verò Vrbe noſtra Religioſi aduenæ, & peregrini de grauaminibus ſibi illatis conquerentes, nullibi ſine huiuſmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, niſi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium ſuper negotiis Regularium à nobis deputatorum, vel ad ſuos Protectores remittantur, vbi ipſis auditis, pro rerum & perſonarum qualitate quid agendum ſit, ſtatuetur.*

31 Tertiò ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium ſub eodem Sixto V. de anno 1587. quam retuli *tom.1. Summa, cap.10. num.15.* ex Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Monaſterium.* Vbi de Regularibus Romam venientibus temerè, leuive cauſa, aut iniuſtè non vexatis, aut grauatis, dicitur remittendos eſſe ad ſuos Superiores ſeueriori pœna plectendos.

32 Quartò ex decreto Clementis VIII. quod retuli eo *cap.10. num.16.* confirmato à Sacra Congregatione ſub Vrbano VIII. vbi acceſſus ad Romam prohibitus eſt Regularibus ſine licentia legitima ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ad biennium. Cum autem prædictus Religioſus ea ſolum de cauſa Romam venerit, vt correctionem ſui Superioris effugeret, incurriſſe videtur hanc pœnam, ſicut & alias deſignatas à Concilio Tridentino, & Sixto V. locis relatis.

33 Nec iuuat præfatum Religioſum titulus recuſationis prædicti Patris Prouincialis. Iure enim canonico recuſatio non admittitur à Iudice legitimo, niſi iuſta cauſa aſſignata, & probata coram ipſo, vel ſaltem coram arbitris eligendis, *cap. legitima, de appellat. in ſexto, cap.2. Requiris, & cap.2. cum ſpeciali de appellat.* De quo ex variis textibus & Iuribus Sanchez *tom.1. conſil. moral. lib.6. cap.8. dub.3.* Peyrinis *tom.1. de ſubdito, quaſt.1. de obedient. cap.19. §.1. & 2.* Supponitur autem nihil horum in præſenti caſu contigiſſe.

34 Multo minus iuuat prædictum Regularem titulus appellationis, cum in hoc caſu non interuenerit, nec potuerit interuenire, cùm non grauaretur iniuſtè.

35 Ex quibus colligo cauſam præfati Religioſi nullo dici modo poſſe deuolutam ad Reuerendiſſimum P. Generalem, cum nulla cauſa, præſertim inchoata, deuoluatur à Iudice inferiore ad Superiorem, niſi per legitimam recuſationem, vel appellationem, quæ in hoc caſu non fuerunt: & caſu dato quod propter negligentiam Iudicis inferioris quandoque deuoluatur ad Superiorem *argum. c.2. de conceſſ. præbend. Clem. vnic. de ſupplend. neglig. Prælat.* cum hæc non fuerit in præſenti, nullus datur locus dictæ deuolutioni.

Dixi *præſertim inchoata*, quia iura valdè fauent cau- 36
ſis inchoatis, etiam à Commiſſariis, vt patet ex *c. gratum, c. relatum, & c. licet vndique, de offic. deleg.* Suarez *lib.8. de legib. c.31.* Bonacina *de legib. diſp.1. q.3. punct.8. §.1. n.24.* ex aliis, quæ maiori ratione applicari debent prædicto Patri Prouinciali, cum ipſe non vt commiſſarius, ſed vt Iudex ordinarius cauſam inchoauerit.

Quod verò ſtando in terminis diſciplinæ, & obſer- 37
uantiæ regularis reuerendiſſimus Pater Generalis non debeat admittere recurſum præfati Religioſi, ſed remittere iudicandum ad ſuum Prouincialem, ex eo conſtat, quia ex oppoſito datur occaſio ſubditis vagandi extra ſua Monaſteria, contemnendi authoritatem ſuorum Superiorum, & delicta commiſſa occultandi, vel palliandi.

APPROBATIO.

Vide dicenda verbo *Confeſſarius Regularis.*

AQVA BENEDICTA.

Vide dicenda verbo *Benedictio, & Benedicere.*

ARBITER.

Vide dicenda verbo *Iudex Regularis.*

ARMA.

SVMMARIVM.

1 *De Monachis arma tenentibus intra Monaſteria.*
Quis abſoluat ab excommunicatione, quam incurrunt. ibid.
Nomine Monachorum qui veniant. ibid.
Quæ arma ſint prohibita. ibid.
2 *An ex alio iure prohibita ſint Regularibus.*
3 *Quid pro Regularibus Status Mediolanenſis.*
4 *Qualiter intelligatur Decretum S. Congregationis.*
5 *An prohibitio facta à Principibus ſæcularibus de non geſtandis armis comprehendat Regulares.*
An poſſint illa ſpoliari à Miniſtris iuſtitiæ. ibid.
6 *An in aliquo caſu poſſint illa geſtare.*
7 *An comprehendatur hoc delictum inter ea quibus non ſuffragatur immunitas Eccleſiaſtica.*
An Miniſtri Curiæ ſæcularis ea auferre poſſint à confugientibus ad Eccleſias. ibid.
8 *Arma deferre ad Infideles eſt caſus reſeruatus.*
Quomodo intelligatur. ibid.
9 *Quid denotet impugnare Chriſtianos.*
10 *Quid ſi infideles non gerant bellum contra Chriſtianos.*
11 *Quomodo intelligatur abrogatio priuilegiorum.*
12 *An remiſſiuè.*

De Monachis arma tenentibus intra ſepta Mona- 1
ſterij ſine licentia ſuorum Abbatum, quod incurrant excommunicationem latæ ſententiæ ex Clement. *ne in agro, de ſtatu Monachorum*, & quod iſta excommunicatione non afficiantur Monachi tenentes arma extra ſepta Monaſterij, aut venientes ad Monaſterium cum armis, non tamen animo ea tenendi, dixi *tom.1. c.9. n.17.* Nunc addendum, hanc excommunicationem nulli eſſe reſeruatam, & ita inter non reſeruatas eam referunt Nauarr. *in Manual. c.27. n.539.* Suarez *tom.5. de Cenſuris, diſp.23. ſect.5.* Toletus *in Summa lib.1. cap.39.* Ab illaque abſoluere poſſunt iure communi tum omnes Confeſſarij Monachorum, tum Prælati

Digitized by Google

ſati ipſorum, iuxta ſæpiùs dicta de cenſuris non reſeruatis Non ligantur hac excommunicatione Canonici regulares, non ſolum propter id quod dixi *tom. 1. cap. 3. num. 24.* ſed etiam, quia ex textu id colligi videtur. Cum enim immediatè antea excommunicationem aliam poſuiſſet contra Monachos ad Curias Principum venientes, &c. expreſsè etiam nominauit Canonicos Regulares: in hac vero contra tenentes arma, non ita. Gloſſa *in dict. Clement. verbo Monachos*, Suarez *ſupra num. 8.* Quare etſi hæc excommunicatio afficiat omnes Monachos, ſiue nigros, ſiue albos, aut alterius coloris habitus (Syluest. *in Summa verbo Excommunicatio 9. num. 73.* Toletus *ſuprà*) non tamen comprehendit alios Regulares, Mendicantes v. g. aut Clericos Regulares, quia tantum loquitur de Monachis: verba autem in pœnalibus restringi debent. Suarez *ſupra num. 4. & 8.* Quamuis oppoſitum dicat Graffius *in deciſ. aureis lib. 4. cap. 21. num. 19.* Nomine autem armorum intelliguntur tam arma defenſiuum, v. g. galeæ, loricæ, &c. quam offenſionis, vt gladij, lanceæ, ſcopletæ, &c. quia textus indefinitè loquitur. Syluester, Suarez, & Graffius relati. Oportet autem, quod ſint arma propriè, id eſt inſtrumenta per ſe inſtituta ad vſum bellicum, non autem alia quibus homo vti poteſt ad offendendum alios, vt ſunt baculi, ligna, lapides, &c. hæc enim communi vſu non vocantur arma, nec videntur comprehenſa in hac Clementina. Suarez *ſuprà*. Licèt oppoſitum teneat Syluester, vt propterea Graffius relatus dicat tutius eſſe ab his omnibus abſtinere. Per ſepta Monaſterij intelligo clauſuram Monaſterij. Graffius *ſupra num. 22.* Suarez *ſuprà*, poſt Nauarrum relatum. Caſu autem, quo Abbas nimium ſæuiret in Monachos, ſi alio modo id impediri non poſſet, licitè haberent arma ad ſe defendendum contra illum. Syluester, & Nauarr. *ſuprà*. Nec etiam incurritur hæc excommunicatio à Monacho, qui per negligentiam, obliuionem, vel ignorantiam iuris talia arma haberet, etiam in ſuo cubiculo. Videtur enim ſolum impoſita contra præſumentes. Nauarrus, Suarez, & Graffius. Addunt iidem Nauarrus, & Suarez, nec incurri ſi habeantur arma à Monacho in alio Monaſterio distincto à ſuo.

2 Nihilominus exiſtimare poteſt aliquis tam Monachis prædictis, quam omnibus Regularibus prohibitum eſſe arma geſtare, ſeu tenere, ſiue intra, ſiue extra Monaſterium, non ſolùm propter particularia ſtatuta omnium Religionum, ſed etiam ex *cap. Clerici, de vita, & honeſtate Clericorum*, vbi id prohibetur Clericis ſub pœna excommunicationis ferendæ. Religioſi etenim verè Clerici ſunt, cum ſint in ſortem Domini aſcripti. Quia tamen, vt habet Syluester *in Summa verbo Clericus, num. 1.* appellatione Clerici non veniunt Regulares (excipe eos, qui vocantur Clerici Regulares) in odioſis, & pœnalibus, qualis eſt prædicta decretalis, ideo ipſa non comprehenduntur. Standum ergo eſt particularibus legibus, & ſtatutis particularium Religionum.

3 Pro Regularibus tamen Status Mediolanenſis, quicumque illi ſint, ſiue Monachi, ſiue Mendicantes, &c. vt dixi loco relato, extat decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, prout refert Naldus *in Summa, verbo Religioſus, num. 50.* huius tenoris: *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, inſtis, & grauibus, &c. Innouans decretum Clement. V. de armis ſub pœna excommunicationis intra ſepta Monaſteriorum non tenendis, ſtatuit ne in Statu Mediolanenſi quiſque Regularis cuiuſcumque Ordinis arma cuiuſuis generis prohibita, præſertim verò ſcoplos rotatos, tam longiores, quam etiam breuiores, intra Eccleſias, ſiue Monaſteria, in dicto Statu tenere audeat, vel præſumat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ſibi reſeruauit, ac inſuper priuationis Officiorum, & dignitatum, ac beneficiorum, ac inhabilitatis ad quæcumque officia in poſterum obtinenda ipſo facto abſque vlla declaratione incurrenda, &c.* [Hoc decretum refert latius & extenſius nouiſſimè Bordonus *reſol. 26. num. 1.*

Quod decretum locale eſt, & extra Statum Mediolanenſem non obligat, prout colligitur ex repetitione illa ſtatus Mediolanenſis; repetitio enim verbi magnum myſterium indicat, vt benè Gloſſa *in Clement. 1. verbo Diœceſanis, de iurepatronat.* Myſterium autem eſt, vt ſolum Regulares in dicto Statu commorantes comprehendat. Peyrinis *tom. 2. Priuileg. Minim. in Conſtit. 4. Clement. VIII. num. 9.* Similiter innouatio illa decreti Clem. V. (id eſt Clementinæ *ne in agro*, de qua ſupra) ſolum reſpicit Monachos, ſicut & ipſa Clementina, iuxta dicta. Deinde hoc decretum Sacræ Congregationis pro Regularibus Status Mediolanenſis non prohibet illis quæcumque arma, ſiue offenſiua, ſiue defenſiua, ſed tantùm arma prohibita, vt patet ex verbis ipſius decreti, id eſt arma illa, quæ in illo Statu communiter ſunt prohibita. Vnde nec gladij, nec enſes, nec alia arma in eo Statu communiter non prohibita, cenſeri debent prohibita dictis Regularibus. Cum autem excommunicatio illa ſolum ponatur contra audientes, vel præſumentes, non incurretur, niſi ab illis, qui arma geſtauerint, vel tenuerint ex dolo, malitia, vel præſumptione; non ab illis, qui ignoranter id fecerint, iuxta dicta *tom. 1. cap. 10. num. 33.* Similiter excommunicatio illa cum ſit reſeruata Sedi Apoſtolicæ, non poterit tolli, niſi ab illo qui priuilegium habuerit abſoluendi à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. Qui verò habeant talia priuilegia, dixi *tom. 1. cap. 18. numero 36.* Quomodo autem intelligantur illæ pœnæ priuationis, inhabilitatis, &c. & quis poſſit in illis diſpenſare, vide dicta *tom. 1. capit. 10. à num. 30. & cap. 38. num. 46.* Deinde circa præfatum decretum notat præfatus Bordonus *Reſolut. 26. num. 2.* habere vim legis, ſicut alia decreta Sacræ Congregationis. Deinde *num. 3.* loqui non ſolum de armis ſæcularium apud Religioſos depoſitis, ſed etiam de armis propriis Religioſorum. Item *num. 4.* excuſati à pœnis in illo poſitis eum, qui præfata arma per vnum aut alterum diem tenuerit, quia verbum illud *tenere*, denotat aliquam diuturnitatem temporis. Quod intelligo quando pro rationabili cauſa id fecerit, prout habet Peyrinis *tom. 3. in addit. ad Clement. VIII. cap. 9. numero 77.* Præterea, quod ſi Religioſus hoſpitio, vel alio modo receperit aliquem ſæcularem talia arma tenentem, non incurret dictas pœnas: quia talis non dicitur ea arma tenere. Addit *num. 17. & 18.* quod etſi Prælati non poſſint concedere ſubditis licentiam habendi talia arma, ipſi tamen Prælati poſſunt ea tenere: quia non comprehenduntur in hoc decreto, ſicut neque *in Clement. Ne in agro.* Quod non admitto, quia generaliter id prohibetur omnibus, & ex pœnis ibi impoſitis colligitur extendi ad Prælatos. Alia ad intentum vide apud ipſum.]

Geſtare autem, ſiue tenere arma à Principibus ſæcularibus prohibita in aliis Regnis, Prouinciis, aut Statibus, erit etiam prohibitum Regularibus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis ibi commorantibus, ſicut & aliis ſæcularibus, quoad vim directiuam tantum, non quoad coactiuam. Quod eſt dicere, peccant ſic facientes, non tam contra legem ciuilem, quàm contra naturalem, quæ præſcribit, quod illi veluti membra Reipublicæ ſæcularis ſe conformare debeant aliis Ciuibus in iis, quæ ſpectant ad bonam Reipublicæ adminiſtrationem, nec ſunt contraria libertati Eccleſiaſticæ. Etenim iuxta dicta *tom. 1. cap. 11. num. 16.* Eccleſiaſticæ perſonæ ſolùm hoc modo ſubduntur legibus ciuilibus. Quare non ſubduntur pœnis taxatis contra tranſgreſſores à Principibus, aut Poteſtatibus ſæcularibus, nec ab ipſis puniri poſſunt, ſed tantùm à ſuis 5

Præla

Prælatis, iuxta dicta *ibid. num.* 17. An verò Clericus ſæcularis (idem autem eſt de Religioſo) cum armis prohibitis repertus poſſit illis ſpoliari à miniſtris iuſtitiæ, non leuis controuerſia eſt. Partem affirmatiuam refert ex Couarr. Sanchez *tom.* 1. *opuſc. moral. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 14. nec refutat illum. Tenent etiam tam ipſe Couarruuias, quam plures alij, tum Canoniſtæ, tum Theologi apud Dianam *part.* 1. *in tract. de immun. Eccleſiaſt. reſolut.* 9. Probabilior tamen eſt pars negatiua, quam poſt plures alios, quos refert, ſequitur idem Diana tum ibi, tum *part.* 3. *tr.* 1. *reſolut.* 28. Et ratio mihi eſt, quia miniſtros ſæculares Iuſtitiæ tollere à Clerico, vel Religioſo arma, quæ geſtant, eſt exercere actus iuriſdictionis ſuper illos aut ipſorum bona, quam tamen non habent propter immunitatem Eccleſiaſticorum. Poſſunt tamen illos ſic noctu inuentos cum armis prohibitis, ſi inde timeant aliquod graue crimen perpetraturos, comprehendere, & ducere ad ſuos Prælatos Eccleſiaſticos puniendos. Hoc enim non eſt exercere iuriſdictionem ſuper illos, ſed defendere Rempublicam à damnis, & tumultibus, & ſcandalis, quæ contingere poſſent ex delatione armorum prohibitorum: præſertim, quia in eo caſu præſumitur licentia Prælati Eccleſiaſtici volentis, vt ad ſe deferatur taliter delinquens. Diana *ſup. reſolut.* 11. alios referens. Vide dicenda verbo *Clericus*. [Et nota ex declaratione Sacræ Congregationis *ſuper Controuerſiis iuriſdictionalibus* in vna Sarzanen. 13. Iulij 1638. quod arma ablata à Curia laicali Clericis, debent eis reſtitui. Quod etiam deciſum de Clericis coniugatis in vna Cuſentina 7. Decembris 1638.]

6 Caſu autem magnæ neceſſitatis, vtputa, quando Clericus, vel Religioſus timeret ſibi mortem ab inimicis, vel à latronibus, aut ab illis ſpoliari, geſtare poſſent arma, non ſolum communia, ſed etiam ſpecialiter prohibita, ſi huic periculo ſine illis occurri non poſſet. Ius enim naturale conſeruandi vitam, & bona propria, præponitur omni legi poſitiuæ. Graſſius *in deciſ. aureis part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 20. §. *Tertiò ſciendum.* Barboſa *de officio, & poteſtate Parochi cap.* 6. *num.* 53. Vide dicenda verbo *Bellum*.

7 Armorum prohibitorum geſtatio, quamuis delictum ſit, iuxta dicta, non tamen eſt ex iis, quæ comprehenduntur in Conſtitut. Gregor. XIV. de qua *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *numero* 83. vbi enumerat delicta, ob quæ confugientes ad Eccleſias poſſint, & debeant tradi miniſtris Curiæ ſæcularis. ita enim conſtat non ſolùm ex ipſa Conſtitutione, vbi non cenſetur hoc delictum, ſed etiam ex declaratione Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium; quam refert Barboſa *in Collect. in. Bullar. verbo Arma.* An autem Miniſtri Curiæ ſæcularis auferre poſſint arma prohibita à confugientibus in Eccleſias cum illis, tractat Sanchez *tom.* 2. *opuſc. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 14. ex Couar. quem ibi refert. Et quamuis vterque in partem affirmatiuam inclinare videatur; tenenda tamen eſt negatiua. Ratio eſt, quia cùm exercere aliquam iuriſdictionem in delinquentes fugientes ad Eccleſiam prohibitum ſit Iudicibus ſæcularibus, tum iure communi, tum ex dicta Conſtitutione Gregorij, niſi in caſibus in ea expreſſis, auferre autem arma ſit actus iuriſdictionis, & illa quantumuis prohibita deferre, non ſit ex caſibus expreſſis in dicta Conſtitutione, proculdubio rectè ſequitur non poſſe id fieri. Farinacius *tract. de immunit. Eccleſ. cap.* 16. *num.* 248. Pereg. *de immunit. Eccleſ. cap.* 13. *num.* 5. Diana *part.* 1. *tractat. de immunitat. Eccleſ. Reſolut.* 8. Nec obſtat argumentum, quod affert Couarruuias relatus, quod cum quis arma vetita in Eccleſia defert, delictum iſtud in Eccleſia committit, ac per conſequens immunitate Eccleſiæ non gaudet. Argumentum enim hoc ſupponit propter quodcumque delictum in Eccleſia commiſſum priuari delinquentem hac immunitate, cuius oppoſitum dicam infra verbo *Immunitas Eccleſiarum*, *num.* 16. præcipuè ſtando in terminis dictæ Conſtitutionis Gregorij.

Arma deferre ad infideles eſt caſus ex reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, vt patet per eam, quæ ſub Sanctiſſ. D.N. Vrbano. VIII. lecta eſt anno 1627. vbi ſic habetur: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos, per noſtras, ſiue huius Sanctæ Sedis ſententias, expreſsè, & nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipſa canape, quàm alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant.* Et infrà: *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.* Circa quæ aliqua animaduertenda. Primùm, prohibitionem, & cenſuram hanc magna ex parte iure communi latam eſſe, in *capite ita quorumdam, & capit. quod olim, cap. ſignificauit, & capit. ad liberandam, de Iudæis.* Et in Extrauagantibus de Iudæis Ioannis XXII. & Clement. V. Nauarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 63. Suarez *tom.* 5. *de Cenſuris, diſput.* 21. *de excommunic. Papa reſeruat. in Bulla Cœnæ, num.* 52. Secundum, per equos intelligi non ſolum ſanos, & robuſtos, ſed etiam morboſos, debiles, aut claudos, quia verbum eſt generale cunctos comprehendens. Nauarr. *ibid.* Graſſius *in deciſ. aureis, lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 101. Quod intelligo, dummodo vtiles ſint aliquo pacto, immediatè ſcilicet, vel mediatè ad bellum. Idem dico de mulis, & aſinis vtilibus ad ſarcinas, vel arma ferenda. Nauarr. *in cap. ita quorumdam.* Graſſius *ſuprà.* Tertium, per arma intelligi tam offenſiua, quàm defenſiua, iuxta modum dictum *ſuprà n.* 1. Nauarr. *dict. c.* 27. Graſſius *num.* 102. An verò excuſetur donans equum, enſem, haſtam, vel quid ſimile in gratiam beneficij accepti, vel accipiendi, ſeu etiam cuiuſdam liberalitatis, vel magnificentiæ, prout contingere ſolet inter Primates exercituum, idem Nauarrus reſpondet affirmatiuè, quia non videtur hoc eſſe contra mentem Eccleſiæ. Idem dicit Graſſius de tranſmittentibus huiuſmodi arma ad redimendos captiuos, qui aliter redimi non poſſunt. An tamen licitum ſit illis deferre arma pro pecunia, quæ vtilior ſit Chriſtianis, quam arma ſint noxia? Reſpondet Diana *p.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 15. negatiuè. Quartum, per deferentes, ſeu tranſmittentes, non intelligi eos, qui in propriis terris exiſtentes infidelibus ad ſe venientibus illa vendunt, quia vendere non eſt deferre, ſeu tranſmittere. Caietanus *verbo Excommunicatio, n.* 42. Toletus *in Summa lib.* 1. *c.* 23. *n.* 3. Nec mandantes deferri, quia ſub excommunicationibus latis contra aliquid facientes non comprehenduntur mandantes, niſi ibi exprimantur. Toletus *ibi num.* 4. Quintum, hæc deferentes ad hæreticos, qui non ſunt expreſsè, & nominatim à Sede Apoſtolica declarati, non comprehendi, vt patet ex verbis Bullæ. Toletus *num.* 5. 8

Circa illa verba, *aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant*, Suarez *ſuprà num.* 53. dicit illis prohiberi quidquid ad bellicas actiones confert, ſeu ordinatur, ſiue ſint proxima earum inſtrumenta, ſiue materia earum, ſiue animalia, aut res aliæ deferentes perſonas militum, vel arma, & res eorum. Denique omnia illa, quæ ad vſum talium rerum neceſſaria ſunt. Conſiderato enim fine huius legis, & verbis ſpecialibus, ac generalibus, quibus vtitur, hæc omnia comprehendit. Hæc ille. Vnde dicit comprehendi omnes, triremes, currus, iumenta oneraria, camelos, pecuniam & venam ferri. Victualia verò, vel mercimonia deferre, ex 9

Digitized by Google

ex vi huius clauſulæ dicit non eſſe prohibitum, niſi forte in tali occaſione, vel opportunitate deferrentur, vt cenſerentur auxilia, ſeu inſtrumenta ad bellandum. Quæ ſatis probabiliter dicta ſunt. An verò iſta alijs iuribus, vel cenſuris prohibita ſint deferri, alibi dicetur. De quo Toletus *ſupra, n.7. & c.14. per totum.*

10 Similiter ſi caſus eſſet, quod iſti infideles, vel alij bellum non gererent contra Chriſtianos, aut Catholicos, nec timeretur illud geſturos, etiamſi prædicta ad illos deferrentur, non incurreretur hæc cenſura Bullæ cœnæ; cum tantum impoſita ſit contra eos, qui ea deferunt ad illos, qui Chriſtianos, & Catholicos impugnant. Nauarrus *ſuprà*. Suarez *num.56.*

11 Demum cum abrogentur omnia priuilegia in contrarium, niſi de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem faciant, ideo priuilegia, quæ dicuntur conceſſa aliquibus Principibus Chriſtianis, Venetis ſcilicet, & Ianuenſibus, de quibus Tabiena *verbo Excommunicatio 6. num.5.* Syluester *verbo Excommunicatio 7. num.58.* & Toletus *ſupra num.* 10. abrogata cenſeri debent, niſi dictam clauſulam contineant, ſi verò illam contineant, mihi non conſtat, nec an de facto vtantur iſtis priuilegiis.

12 Vide alia verbo *Bulla Cœnæ, num.21. 22. & 23.* De Clericis arma portantibus, an perdant priuilegium Clericale, vide infrà verbo *Bellum, num. 21.* verbo *Clericus, num.* 10. verbo *Immunitas Eccleſiarum, numero 16. & 19.*

BACVLVS.

SVMMARIVM.

1 *Baculus duplex, alius communis, alius paſtoralis.*
2 *Baculus paſtoralis, & Mitra, correlatiua ſunt.*
3 *Baculi paſtoralis vſus Abbatibus quibuſdam conceſſus.*
Hoc priuilegium aliis non communicatur. ibid.
4 *Quando prædicti Abbates vti poſſunt illo.*
5 *An extra ſuas Eccleſias.*
6 *An Epiſcopus Suffraganeus ipſo vtatur.*
7 *De Benedictione ipſius, & modo quo traditur Abbati.*

1 BAculus duplex eſt, alius communis, quo ſcilicet homines, præſertim infirmi, ac debiles vti ſolent ad ſuſtentandum corpus: alius eſt paſtoralis, qui etiam Virga *Paſtoralis, Pedum, Ferula, & Capulta* vocatur. Eſtque vnum ex inſignibus, ſeu ornamentis Epiſcopalibus. Vnde priori poſſunt omnes vti, etiamſi aureus, vel argenteus ſit, cum non ſit proprium dignitatis, vt colligitur ex declaratione S.Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Baculus.* Poſteriori verò non niſi Epiſcopi, vel alij ex priuilegio. Significat poteſtatem Sacerdotalem. De quo, & quare ipſo non vtatur Summus Pontifex, agunt poſt alios Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.1. tit.1. cap.6. num.13.14. & 15.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. diſp.20. quæſit.1. n.4.*

2 Baculus paſtoralis, & Mitra correlatiua ſunt, ita vt cui vnum conceditur, & aliud conceſſum cedatur. Ita ex duplici declaratione Sacræ Congregationis referunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Baculus*, & Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verb. Baculus.*

3 Baculi paſtoralis vſus conceſſus eſt ex priuilegio Abbatibus quibuſdam, videlicet Abbati de Bellolaco Ordinis Præmonſtratenſis, Abbati Monaſterij S. Mariæ Oppidi de Amerio Ordinis S. Benedicti, Abbati Monaſterij S.Mariæ Bonæ Spei Ordinis Præmonſtratenſis, Abbati Olinenſi, Abbati de Bellopodio, Abbati Præmitenſi, Abbati Sancti Petri Metenſis, & alijs, quos referunt ex declarationibus S.Congregat. Barboſa *in Collect. verbo baculus*, Ioan. Maria Nouar. *in Lucerna Regul. verbo Baculus.* Nota tamen hæc priuilegia non communicari Prælatis alijs Regularibus, etiam Mendicantium, quantumuis habentibus communicationem generalem omnium priuilegiorum aliis Religionibus conceſſorum, propter dicta ſupra verbo *Altare, num.3.* quia ſcilicet hæc priuilegia conceſſa ſunt prædictis Abbatibus, quia ipſi habent vſum Pontificalium, quod alijs Prælatis Regularibus non competit. Vide alia ibi ad intentum.

Nec ipſi Abbates poſſunt vti huiuſmodi baculo in proceſſionibus, nec illum ante ſe deferre, niſi ad id habeant ſpeciale priuilegium, prout Canonicis Regularibus Lateranenſibus dicitur conceſſum. Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo Abbas, num.9.* Nouarius *ſupra.* Aliud etiam priuilegium Vrb.III. conceſſum Præpoſito S. Agathæ Cremonenſis deferendi baculum in proceſſionibus, affert Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.1. diſp.21. quæſit.2.* 4

An verò Abbates extra ſuas Eccleſias vti poſſint baculo, attendendum eſt ad verba priuilegij, vt habet Lauretus de Franchis *in Controuerſ. Epiſcoporum, & Regularium, pag.341.* Quare ſi illius vſus conceſſus eſt in ſuo Monaſterio ſimpliciter, id non poteſt extendi ad alia, ſed reſtringendus ad proprium. Tamburinus *ſuprà quæſit. 3. num. 6.* Cæterùm Abbatem habentem vſum Pontificalium in ſuo Monaſterio, ſi inuitetur ad aliud exemptum, poſſe illis vti, aliàs ſecus, tenent Lapus de Caſtellione *Allegat.* 19. Lauretus de Franchis relatus, & Tamburinus *ſuprà, num.5.* Dum tamen adeſt Epiſcopus, Abbas dimittere debet baculum, & alia inſignia Pontificialia ſibi ex priuilegio conceſſa, niſi aliud ex tenore priuilegij habeatur, *cap. denique, diſt.21. cap. volentes, de offic. legati, cap. antiqua, de priuileg.* Inferior enim accedente Superiori inſignia ſua deponit. Tambur. *ſupra num.2.* 5

Quamuis autem baculum ferre proprium Epiſcoporum ſit, nihilominus Epiſcopus ſuffraganeus non vtitur ipſo, quando ſolemniter celebrat, ſicut vtitur Epiſcopus proprius, niſi in ordinationibus, & aliis ſimilibus. Ita enim habetur ex declarationibus S.Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. baculus.* 6

Pro benedictione baculi, & modo quo traditur Abbati, vide Tambur. *ſupr. diſp. 11. quæſt. 14.*

BALDACHINVM.

SVMMARIVM.

1 *Baldachinum quid ſit.*
2 *Baldachini vſus quibus conceditur.*
3 *Facultas Epiſcoporum ad erigendum ipſum in quibuſcumque Eccleſiis.*
4 *Quomodo intelligenda.*
An prædicare poſſint ibi contra voluntatem Prælatorum ipſarum. ibid.
5 *Quibus conceſſum ſit.*
6 *An ipſorum ſubſtituti poſſint ipſum erigere.*
7 *Non poteſt erigi in Eccleſia pro Domino loci, ſeu Marchione.*

BAldachinum eſt ornamentum quoddam, quo Eccleſia vtitur in aliquibus proceſſionibus, & pro honorandis quibuſdam perſonis inſignibus. Eſt autem duplex: aliud portatile, quod in proceſſionibus quibuſdam ſolet deferri, aliud fixum, quod ſupra ſolium Epiſcoporum, vel aliorum erigitur.

Baldachini vſus non conceditur aliquibus Regularibus perſonis, quantumuis Superioribus, neque ex iure communi, vt de ſe patet, neque ex vi alicuius priuilegij, quod viderim. Etſi enim id concedatur aliqui-

bus Abbatibus, vt dicetur, hoc tamen non communicatur aliis Superioribus Regularibus, etiam habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliarum Religionum, propter dicta ſupra, verbo *Baculus, num. 3.*

3 Poſſunt Epiſcopi erigere ſibi Baldachinum in quibuſcumque Eccleſiis etiam exemptis, & Regularium, vbi, & quando Pontificalia exercent, vel in Pontificalibus adſunt. Ita enim habetur ex decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub Clemente VIII. de anno 1603. de quo mentionem fecl *tom. 1. part. 1. cap. 11. num. 3.* quod referunt poſt Quarantam *in Summa Bullar. verb. priuileg. Regul.* plures alij, éſtque tenoris ſequentis: *Decet Epiſcopis pro eo quo in Eccleſia Dei excellunt dignitatis gradu, in quocunque ſuarum Diœceſum loco quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adeſſe, & aſſiſtere contingit, eam quam par eſt reuerentiam, & honorem decore cultu, & ornatu exhibere. Quare non ſine animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares vano quarumdam immunitatum, & priuilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſiis in Pontificalibus intereſſentibus, non modò renuiſſe in eis ſupra locum Epiſcopalis ſolij Baldachinum erigere, verum id etiam iuſſu ipſorummet Epiſcoporum curantes prohibere, & arcere auſos fuiſſe. Atque ideo Sacra Congregatio S. Rom. Eccl. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum; & Regularium præpoſita, facto verbo cum Sanctiſſimo Dom. Noſtro Papa Clemente VIII. ac de Sanctitatis Suæ ſpeciali, & expreſſo mandato hoc præſente decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, vt de cætero Epiſcopi, vbi tam ex conſuetudine, & priuilegio, quàm ex Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio iure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum Mitra, vel etiam ſola cappa induti, in quibuſvis Regularium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Monachorum, etiam Caſſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cuiuſvis alterius Ordinis, & Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo, Baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud aſportari, & in quacumque eorumdem Regularium, aut alia quantumvis exempta Eccleſia ſupra Epiſcopale ſolium, ſeu Pontificale faldiſtorium, erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodum in propriis, & Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales huiuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes & contumaces fuerint, ſciant ſe ab eiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, huius decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus arbitrio Summi Pontificis Romani ſubiacere, & obnoxios fore. Non obſtantibus quibuſcumque, &c.*

4 Circa quod decretum primò aduertendum, Pontificalia eſſe ea, quæ ſunt propria Epiſcoporum, videlicet Ordinum celebrationem, frontis Chriſmationem, Baſilicarum, & Virginum conſecrationem, ac ſimilia. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 6. num. 5.* Secundò, quod etſi in prædicto decreto concedatur Epiſcopis facultas erigendi Baldachinum in Eccleſiis Regularium, quando Pontificalia exercent, non tamen propterea illis concedi facultatem inſtituendi proceſſiones in dictis Eccleſiis. Hoc enim diuerſum quid eſt, & non pertinet ad honorem Epiſcoporum, ſicut pertinet erigere Baldachinum; ſed eſt actus iuriſdictionis, quam non habent in illos. Peyrinis *tomo 1. priuileg. Minimor. in Conſtitut. 26. Leon. X. num. 46.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 1. diſp. 15. quæſit. 15. num. 4.* Neque poſſunt ibi prædicare contra voluntatem Prælatorum earum Eccleſiarum, propter eandem rationem, vt volunt Peirinis, & Tamburinus *ibidem.* Licet oppoſitum declaratum videam à Sacra Congregatione apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Prædicare, prædicatio.* Addunt iidem, quod ſi ibi prædicare illis conceſſum eſſet, non propterea poſſent ibi indulgentias concedere: nam exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in ſuo priuilegio, niſi quatenus in illo exprimitur, & priuilegiatus in aliquo non poteſt extendere ſuum priuilegium ad aliud.

Conceſſum etiam eſt ex priuilegio Abbatibus Oliuetanis vti Baldachino ſine auro, & pompa, in tribus tantùm anni feſtiuitatibus celebrantibus, vt conſtat ex Bulla *Exponi,* Sanctiſſ. Domini N. Vrbani VIII. Caſſinenſibus in tribus ad ſummum feſtiuitatibus, in quibus ſolemniter celebrant, iuxta conſuetudinem, modeſtè, ſine pompa & auro. Ex eodem Sanctiſſ. Vrbano VIII & declarat. Sacræ Congreg. Camaldulenſibus ferè eodem modo ex declaratione Sacræ Congregationis, & eodem Sanctiſſ. *in Appendic. Bullar. num. 14. alias* 124. Barboſa *in Collectan. Bullar.* & Ioannes Maria Nouatius *in Lucerna Regul. verbo Baldachinum.* Celeſtinis, ex Sacra Congregatione, & ex eodem Sanctiſſimo Vrbano 26. Septembris 1629. idem fermè cum certis quibuſdam conditionibus. In Appendice Bullar. *num. 4. aliàs* 104. Quare decreta quædam Sacræ Congreg. de anno 1606. & 1617. quæ refert Tamburin. *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 21. quæſit. 10. num. 10.* & Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. alleg. 80. n. 18.* quibus id prohibebatur, limitata, & moderata videntur his temporibus, quamuis eis non obſtantibus nouæ controuerſiæ circa hoc ſint, eodem Tamburino teſte. 5

Baldachinum à propriis perſonis, quibus de Iure, conſuetudine, vel priuilegio competit, non autem ab eorum ſubſtitutis deferendum eſt. Ex declaratione Sacræ Congregationis. Barboſa, & Nouatius *ſuprà.* Vnde non poteſt erigi à Vicariis Epiſcoporum in Eccleſiis Monaſteriorum Congreg. Caſſinenſis, Monachis inuitis. Ex declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis apud ipſos. 6

Non poteſt erigi in Eccleſia pro Domino loci, ſeu Marchione, ſed debet Epiſcopus omnibus Sacrorum Canonum remediis illud omnino impedire. Ex Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium apud Gauantum *in Manual. Epiſcop. verb. Baldachinum, num. 6.* & Barboſa *ſup.* 7

Nota S. Congregationem Rituum priuaſſe voce actiua & paſſiua ad Religionis munera, & honore Diffinitoriatus Religioſum quendam Minorem de Obſeruantia, eo quòd in quadam Eccleſia erigi permiſerit cuidam Baldachinum, etſi poſtea de anno 1650. ſub 10. Septembr. reintegratus fuiſſet, eo quod compertum fuit nullam in eo fuiſſe culpam, ac Baronem prædictum in eam Eccleſiam non fuiſſe ingreſſum ea die. 8

BANNITVS.

SVMMARIVM.

1 *Bannitus quis ſit, & à quo ſic dicatur.*
2 *Retinere bannitos, decoctores, ſeu fallitos prohibitum Regularibus.*
3 *Quomodo id accipiendum.*
4 *Conſtitutio Sixti V. pro Regno Neapolitano.*
5 *An in eodem Regno licitum ſit eos retinere.*
6 *De quibus id intelligatur.*
Sub quibus pœnis. ibid.
7 *An in aliquibus caſibus licitè recipi poſſint.*

Quomodo

Quomodo hi intelligendi. ibid.
8 *An gaudeant immunitate Eccleſiaſtica.*
9 *An poſſint occidi à quocumque.*
10 *An illos occidentes peccent.*
11 *Perſonæ Eccleſiaſticæ peccant ſic faciendo, & fiunt Irregulares.*
An in aliquo caſu à peccato excuſentur, ibid.
12 *Caſus in quibus omnes peccant, etiam contra iuſtitiam.*
13 *An bannitus iuſtè damnatus ad mortem occidere poſſit ſuum aggreſſorem.*
14 *An tales cenſeri debeant velut in articulo mortis conſtituti.*
15 *De aliis ad ipſos ſpectantibus.*

1 BAnnitus dicitur à banno, id eſt, edicto publico, iuxta Gloſſam *de for. competent. in cap. Quod Clerici*, & à banoire, quod eſt idem, ac proſcribere. Vnde Bannitus eſt idem quod proſcriptus de Ciuitate. Eſt autem proſcriptio, aduerſus abſentem iudicialis pronunciatio. Syluester *in ſumma verbo bannitus, num.* 1. Eſt quoque duplex Bannitorum genus, alterum eorum, qui ſolùm ſunt miſſi in exilium extra aliquam Ciuitatem, alterum eorum, qui propter crimen capitale damnati ſunt ad mortem illis impunè à quocumque infligendam. Hi ſunt propriè Banniti, de quibus in præſenti, qui vocantur etiam proſcripti, ſeu capitaliter Banniti: cum tamen priores ſolùm exules appellari debeant.

2 Retinere quoſcumque Bannitos, decoctores, ſeu fallitos prohibitum eſt Regularibus à Sacra Congregatione Regularium ſub pœna priuationis officiorum, iuxta dicta *tomo 1. part. 1. cap. 10. num. 21.* Conſonantque litteræ Sacræ Congregationis Concilij ad Epiſcopos, & Nuncios Apoſtolicos mitti ſolitæ, in quibus, quod attinet ad præſens inſtitutum, prout ex copia illarum mihi data ab Illuſtriſſimo D. Paulucio eiuſdem Sacræ Congregationis Secretario accepi, hæc habentur poſt alia, quæ inferius referam. *Ordina di più S. B. che V. Sign. facci precetto alli Superiori delle Chieſe, Conuenti, e Monaſterij della medeſima Citta, è Dioceſe così ſecolari, come Regolari, di qualunque Ordine, che per l'auuenire non diano alcun ricetto à i delinquenti ſotto pena di ſoſpenſione à all'eſſercitio delli Ordini, che hanno, o priuatione di offi ij, dignita, & inhabilita di ottenere quelli, ò altri, da incorrerſi ipſo facto, & in caſo di contrauentione potra dubiar arli incorſi nelle ſopradette pene, &c.*

3 Pro quo notandum, his decretis non prohiberi recipere, vel retinere Bannitos titulo gaudendi immunitate Eccleſiaſtica, ſi fuerint Banniti propter crimina, in quibus eis ſuffragari poteſt talis Immunitas iuxta Conſtitutionem Gregorij XIV. quam retuli *tom. 1. cap. 18. num. 85.* Ita enim colligitur ex his eiſdem litteris verbis afferendis infrà, *num.* 8. Ibi enim dicitur intentionem Pontificis eſſe, vt prædicta Immunitas Eccleſiaſtica, & Conſtitutio inuiolabiliter obſeruentur: ſolum ergo his decretis prohibetur recipere, aut retinere Bannitos quibus non ſuffragatur dicta Immunitas, iuxta prædictam Conſtitutionem Gregorij, aut etiam illos quibus ſuffragatur, quando non titulo gaudendi illa, ſed manendi, hoſpitandi, aut commorandi, ad Eccleſias, ſeu Monaſteria confugiunt, prout ex dictis litteris inferiùs afferendis etiam colligi videtur. Vide Farinacium *de Immunit. cap. 22. num. 250.* Peregrinum *de Immunit. cap. 11. num. 14.* & Dianam *part. 3. tract. 1. reſol. 40.* (dum agunt de quibuſdam Epiſtolis Clementis VIII. circa hanc materiam) & litteras quaſdam Cardinalis de Florentia Vicario Archiepiſcopatus Genuenſis ſcriptas, quas refert Peirinis *tom. 2. Priuilegior. Minimor. in Conſtitut. 4. Clement. VIII. num. 5.*

4 Specialiter etiam pro Regno Neapolitano extat Conſtitutio Sixti V. anni 1585. quæ incipit *Alias felicis.* In qua inter cætera concedebatur Officialibus Regiis, vt cauſa conquiſitionis, vel inſectationis Bannitorum, Eccleſias, Monaſteria, Cellas, ſeu loca Religioſarum, Eccleſiaſticarumque perſonarum ingredi, ipſoſque Bannitos, & delinquentes aliquo modo ibi occultatos, ſiue receptos inde extrahere, & ſi opus eſſet, ipſas etiam perſonas Eccleſiaſticas, & Religioſas capere, & carceribus Eccleſiaſticis dumtaxat, mancipare poſſent, &c. Sed nota hanc Conſtitutionem moderatam fuiſſe à Gregorio XIV. in Conſtitutione *Cum alias*, quam retuli *tom. 1. cap. 18. n. 85.* de qua latè infrà verbo *Immunitas Eccleſiarum*, vt teſtantur Sorbus *in Additionib. ad Compend. Priuilegior. Mendicant. verbo Eccleſia Fratrum*, & Rodriguez *tom. 2. Quæſt. Regular. quæſt. 50. art. 3.* Vnde animaduertunt, ne Religioſi ampliùs ſinant malefactores in ſuis locis à Miniſtris Iuſtitiæ capi, quia aliàs facerent contra dictam Conſtitutionem Greg. XIV. & ſe pœnis irregularitatis, & aliis cenſuris exponerent.

Similiter pro eodem Neapolitano Regno nota, quod recipere, ſeu occultare in Monaſteriis, Eccleſiis, ſeu locis quibuſcumque Bannitos, viarum graſſatores, aut auxilium, conſilium, fauorem, victum, aut veſtitum, aut alia neceſſaria directè, vel indirectè illis præſtare, prohibitum eſt omnibus Eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus, ſiue Regularibus ſub excommunicatione latæ ſententiæ Papæ reſeruata ab eodem Sixto V. in Conſtitutione *Exponi nobis*, ad Proregem Neapolitanum anno 1589. Quaranta *in Summa Bullar. verbo Bannitorum fautores.* 5

Circa quam Conſtitutionem primò animaduertendum, in illa ſolum eſſe ſermonem de Bannitis viarum graſſatoribus, & ita recipientes, ſeu adiuuantes alios Bannitos, qui non fuerint viarum graſſatores, non incurrere hanc excommunicationem. Secundò, quod licèt Gregorius XIII. in Conſtitutione *Tanta*, inter Conſtitutiones ipſius *in ſecundo tomo Bullar. num. 65.* contra receptatores, & auxiliatores eorum etiam excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſeruatam fulminauerint, ipſam tamen abſtulit Sixtus V. in alia Conſtitutione *Hoc noſtri*, inter Conſtitutiones ipſius etiam 2. *tom. Bullar. num.* 6. in ſuo vigore relinquendo pœnas grauiſſimas temporales ab eodem Gregorio, & aliis prædeceſſoribus impoſitas. Naldus *in Summa, verbo Bannitus, num. 8. & 9.* Theſaurus *in praxi part. 2. verbo Bannitus, cap. 1.* vbi etiam de aliis ipſorum pœnis agit. Tertiò, à prædicta excommunicatione Sixti V. quæ modò permanet, ſaltem reſpectu eorum Bannitorum, quibus iuxta Conſtitutionem Gregorij XIV. relatam, Immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragatur, videtur abſolui poſſe à ſuis Prælatis Regulares habentes priuilegia, vt abſoluantur ab illis à cenſuris Papæ reſeruatis, quia in ea Conſtitutione non reuocantur expreſsè priuilegia Regularium. Quæ autem ſint huiuſmodi priuilegia, dixi *tom. 1. cap. 18. num. 35.* Sed nota inter ea eo loco me adduxiſſe priuilegium quoddam eiuſdem Gregorij XIV. pro Clericis miniſtrantibus infirmis, eo quòd in illo concedatur Generali ipſorum, & ab ipſis deputatis facultas abſoluendi ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris *quomodolibet* latis; per quod verbum denotari exiſtimant etiam cenſuras Papæ reſeruatas, quod modò non placet, quia maior expreſſio ad id exigi videtur. 6

Sunt autem aliqui caſus, in quibus receptatores, ſeu auxiliatores huiuſmodi Bannitorum excuſari poſſunt, tam ab iſta excommunicatione Sixti V. quàm ab aliis pœnis, ſaltem ſpiritualibus, & in foro conſcientiæ impoſitis, ſeu imponendis. Primus, ſi tales Banniti fuerint in extrema neceſſitate, eiſque cibum, potum, & hoſpitium pro illo tempore tribuerint. Lex enim naturæ id præcipit eo caſu. Nauarrus *de ſentent. excommunicat. conſil. 57. num. 7. & 9.* Quaranta *ſuprà.* Secundus, ſi per ignorantiam, neſcientes ſcilicet 7

tales eſſe Bannitos, id fecerint. Ignorantia enim facit inuoluntarium, & per conſequens excuſat à peccato, Nauarr. ſupra relatus *conſil.* 59. *num.* 1. Proſp. Auguſt. *in Additionibus ad Quarantam ſupra.* Quod maximè eſt verum de excommunicatione iſta Sixti V. Ponitur enim contra audentes, & præſumentes, quæ verba, vt dixi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. denotant, ſolùm comprehendere operantes ex dolo, vel malitia. Imò hæc ignorantia excuſare poteſt in foro externo, vt probat Flauius Cherubinus *in Comp. Bullar. tom.* 2. *in Conſtit.* 10. *Pij V. ſchol.* 2. Licet pro tali foro externo præſumatur ſcientia, quando eſſet publicum, & notorium illos eſſe Bannitos. Proſper Auguſtinus *ſuprà.* Tertius eſt, quando ſic recipientes, adiuuantes, &c. id faciunt coacti & violentati ab ipſis Bannitis, adeo vt non poſſent aliter facere ſine graui ſui periculo, propter rationem traditam, Flauius Cherubinus *ſup. ſchol.* 1. Proſper Auguſtinus *ſuprà.* Quartus, ſi illos receptarent animo exhibendi Curiæ. Idem Proſper. Poſſent tamen ſi id facerent incurrere in irregularitatem, iuxta dicenda verbo *Immunitas Eccleſiarum, num.* 21. Quintus, ſi id fecerint animo retrahendi illos à ſuo malo ſtatu. Nauarrus dictu *conſil.* 57. *num.* 7. Flauius Cherubinus *ſupra in Conſtit.* 65. *Gregorij XIII. ſchol.* 2.

8 Si tales Banniti, aut malefactores confugiant ad Eccleſias titulo gaudendi immunitate Eccleſiaſtica, recipi poſſunt; ita tamen, quod ſi commiſiſſent illa delicta de quibus Gregorius XIV. in Bulla *Cum alias*, cuius memini *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 83. & copioſius agam infra verbo *Immunitas Eccleſiarum*, tradi debeant Curiæ ſæculari, ſi requiſiti fuerint ab ea, iuxta ibi dicta, & dicenda. Si autem non commiſiſſent ea delicta, licet Immunitas Eccleſiaſtica illis ſuffragetur, nihilominus eiiciendi ſunt iuxta formam præſcriptam à Sacra Congregatione Concilij in litteris ad Epiſcopos, & Nuncios mitti ſolitis, quarum copiam ab Illuſtriſſimo D. Paulucio eiuſdem Congregationis Secretario, vt ſupra dixi, accepi tenoris, ſequentis, *Ancor. he la Santita de N.S. ſuo paterno zelo prema quanto ſi deue, che l'Immunita, Eccleſiaſtica ſia inuiolabilmente cuſtodita, & oſſeruata, e la Bolla della ſanta memoria di Gregorio XIV. ſia puntualmente eſſeguita, non intende pero, che le Chieſe, & altri luoghi immuni ſeruano per aſilo à i mali viuenti, e facinoroſi, i quali abuſando ben ſpeſſo di quel priuilegio, vi ſi ricourano, aaco tal volta per vſcire a commettere nuoui delitti. Onde hauendo la Santita Sua ſentito il parere di queſta Sacra Congregatione ſupra le controuerſie giuriſditionali, ordina, che alli delinquenti refugiti nelle Chieſe, e luoghi immuni di coteſta Citta e Dioceſo, che ſecondo la diſpoſitione della ſudetta Bolla eſſero godere il priuilegio della immunità Eccleſiaſtica, V.S. prefigga vn termine di tre giorni a partirſene; e contrauenendo li facci eſtraere con quella decenza, che ordina la Bolla iſteſſa, e ritenendoli nelle Carceri della Curia Eccleſiaſtica, ſotto buona cuſtodia, dia auiſo qua delli delitti, ò loro qualita, delli quali vengono imputati, acciò ſe le poſſa ordinare quello doura eſſeguire.* Conſonant Farinacius *de Immunit. Eccleſiaſt. num.* 57. 64. *&* 150. & Peirinis *tom.* 2. *Priuilegior Mendicant. in Conſtit.* 4. *Clementis VIII. num.* 7. Addens *cap.* 8. poſſe nihilominus Superiorem Regularem retinere in ſuo Conuentu per aliquot dies Bannitum aliquem ſibi beneuolum, qui caſu aliquo, & non dolo, aut data opera commiſit aliquod crimen, propter quod proſcriptus eſt, v.g. homicidium, vel quid ſimile, quia iſte talis non debet vocari male viuens, aut facinoroſus, de quibus ſolis in prædictis litteris, & aliis ſimilibus decretis fit ſermo, & ita dicit Gennæ obſeruari.

9 Capitaliter Banniti, ſeu damnati ad mortem, poſſunt ſine iniuria occidi à quacumque etiam priuata perſona, quæ non ſit Eccleſiaſtica. Ratio eſt, quia eo ipſo quod ſunt iuſtè (vt ſupponitur) proſcripti, & damnati ad mortem illis à quocumque infligendam, quilibet conſtituitur publica auctoritate veluti miniſter, ſeu executor Iuſtitiæ ad illorum occiſionem. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 2. *quæſt.* 2. Bonacina *de contractibus diſp.* 2. *quæſt. vlt. ſect.* 1. *punct.* 2. Vnde etiam proditoriè, & per inſidias, aut veneno occidi poſſunt, propter eandem rationem. Molina *de Iuſtitia tom.* 4 *tract.* 3. *diſp.* 7. *num.* 2. Azorius relatus *quæſt.* 4. Naldus *in Summa, verbo bannitus, num.* 5. Imò ipſi proſcripti, & Banniti inter ſeipſos poſſunt eodem modo ſe ad inuicem interficere, militat enim eadem ratio. Bonacina *ſuprà.* Propterea etiam approbant plures Theologi vſum quorumdam Principum, qui proponunt præmium occidenti illos. Poſito enim, quod iuſtè damnati ſint ad mortem, nulla illis fit iniuria in hoc, & aliquando expedit pro bono communi. Azor. *ſupra.* Diana *part.* 5. *tract.* 4. *de homicid. reſol.* 24. bene addens, non eſſe facile hanc facultatem concedendam. Parentes autem, liberos, vxorem, &c. non poſſe occidere filios, patrem, aut maritum Bannitos, niſi ij eſſent actuales hoſtes Reipublicæ, tenet Laymanus *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. ex Claro *lib.* 5. *ſentent. verbo Homicidium, num.* 59.

10 Dixi *ſine iniuria*, ad denotandum, quod etſi Bannitorum occiſores non peccent contra iuſtitiam, plerumque tamen peccant contra charitatem. Primò, quia regulariter loquendo huiuſmodi Banniti ſunt in peccato mortali, contra charitatem ergo, in tali ſtatu in quo ſalus animarum periclitatur, occiduntur. Secundò, quia aliqui eorum, caſu dato, & non ex dolo commiſerunt delictum, homicidium videlicet, propter quod damnati ſunt, de ipſo dolent, parti ſatisfacere deſiderant, & quærunt liberari à Banno contra ipſos publicato: contra charitatem ergo peccat, qui illos interficit. Tertiò, quia ſaltem qui illos occiderit, non ex zelo iuſtitiæ, ſed ſponte vindictæ, cupiditate, ſeu alia ſimili cauſa, aut praua intentione, contra charitatem aget. Naldus *in Summa, verb. Bannitus, num.* 21.

11 Dixi à perſona, quæ non ſit Eccleſiaſtica, quia eſto, quod Eccleſiaſtici, ſiue Regulares occidentes bannitum immunes eſſent à pœna temporali, reuera tamen grauiter peccarent, quia illis non licet immiſcere ſe in cauſa ſanguinis, quantumuis iuſta, *capite ſententiam, ne Clerici, vel Monachi.* Bonac. *ſuprà.* Imò ſine dubio eſſent irregulares ea irregularitatis ſpecie, quæ contrahitur propter delictum (quamuis laici ſolum contraherent irregularitatem ortam ex homicidio iuſto) verè enim delictum committunt illos occidendo. Si autem ipſi Banniti occidere vellent aliquam perſonam Eccleſiaſticam, & hæc occideret illos in ſui defenſionem, nullam incurreret irregularitatem, ſi id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, iuxta dicenda inferius verbo *Irregularitas, num.* 65. Addit Lauretus de Franchis *in Controu. Epiſcoper. & Regular. pag. mihi* 432. *in fine*, hæc: *Ex ſupradictis ſequitur, quod ſi patria ſit obſeſſa à Bannitis, qui intendunt innocentes interficere, poſſunt Clerici, ſi laicorum vires non ſufficiunt, pugnare contra Bannitos, abſque peccato, & abſque irregularitate, alias ſine cauſa non poſſent Clerici propriis manibus pugnare, ſed tantum exhortari ad bellum iuſtum, & excitare milites ad victoriam, & pugnam in genere, modò in particulari non dicant, interfice, aut mutila, ſed fortiter agas.* Vide infrà verbo *Bellum.*

12 Sunt etiam aliqui caſus, in quibus omnes priuatæ perſonæ, tam Eccleſiaſticæ, quàm laicæ peccarent etiam contra iuſtitiam occidendo Bannitos. Primus, ſi illos occiderent extra territorium Principis, vel Iudicis, qui illos proſcripſit. Non ſolum, quia auctoritas talium non extenditur extra proprium territorium, ſed etiam, quia fieret iniuria Principi, in cuius territorio morantur Banniti. Azor. *ſup. q.* 3. Laym. *lib.* 3 *ſect.* 9. *tract.* 3. *c.* 2. *num.* 3. Si tamen Princeps, vel Dominus talis territorij expreſsè, vel implicitè conſentiat, non erit peccatum contra iuſtitiam illos ibi occidere. Azor. *ibid.* Secundus,

quando

quando Banniti ſunt capti à Curia ſæculari, aut ipſi ſe præſentant Iudici, quia cum iam ſint ſub poteſtate legitimi Iudicis, ſolùm ad eum ſpectat illis mortem infligere. Graffius *in deciſ. aureis, part. 2. lib. 2. cap. 19. n. 7. & 8.* Tertius, ſi Banniti legitimè appellarunt à ſententia mortis contra illos lata. Pendente enim appellatione, nihil de iure innouari poteſt. Naldus *in Summa verbo Bannitus*, *num. 7.*

13 Bannitum iuſtè damnatum ad mortem poſſe occidere ſuum aggreſſorem tenent aliqui. Communior tamen eſt oppoſita ſententia, ſicut enim reo non licet occidere lictorem, ſeu carnificem, cui iuſtè traditus eſt occidendus, ſic nec Bannito occidere ſuum iuſtum aggreſſorem. Laymanus *lib. 3. de Iuſtit. tr. 3. part. 3. c. 1. n. 3.*

14 Bannitum, qui impunè vbique occidi poteſt, reputari debere, ac ſi eſſet in articulo mortis, ita vt poſſit abſolui ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam reſeruatis, ſicut & alij in periculo, ſeu articulo mortis conſtituti, tenet Naldus *in Summa, verbo Abſolutio à cenſuris*, *num. 5.* & Diana *part. 5. tract. 3. reſol. 64.* Cæterum penſandæ ſunt circumſtantiæ loci, temporis, & perſonæ ad videndum, ſi verè eſt in periculo mortis. Si enim habet ſaluum conductum, aut eſt in loco, vbi non agnoſcitur vt Bannitus, vel tali amicorum cuſtodia vallatus, vt moraliter non ſit in tali periculo, non poterit gaudere hoc priuilegio.

15 De his, quæ amittunt Banniti, & an fiant inteſtabiles, vide Syluestrum, Naldum, & alios.

BAPTISMVS.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter religioſis prohibitum ſit baptizare, niſi in caſu neceſſitatis.*
An habere Baptiſteria? ibid.
An caſu quo baptizent, contrahant cognationem ſpiritualem. ibid.
2 *Caſus neceſſitatis, qualis reputandus in præſenti.*
Quis ordo ſeruandus, ſi plures Sacerdotes adſint. ibid.
3 *An tunc neceſſe ſit adhibere Patrinum.*
4 *An etiam tunc baptizans catechizare debeat.*
An ſeruare ceremonias Eccleſiæ. ibid.
5 *An liceat tunc baptizare in minima parte.*
Vel infantem Secundinis inuolutum. ibid.
Vel puerum intra matris vterum. ibid.
6 *Forma dubia an tunc adhiberi poſſit.*
7 *Quid quando infidelis adultus baptiſma petiit, & poſt priuatur vſu rationis.*
8 *Omittine debeat Baptiſmus, propter periculum infantis morituri.*
9 *Baptizare puerum moribundum quilibet tenetur.*
10 *An baptizans in caſu neceſſitatis teneatur eſſe in gratia.*
11 *An in prædicto caſu liceat Baptizare materia aliqua dubia, quæ non ſit aqua elementaris.*
12 *Poteſt tunc dari Baptiſmus aqua aſperſione.*
13 *Alia pro Baptiſmo.*

1 NOn licere Religioſis baptizare, niſi in caſu neceſſitatis, & de licentia Parochi, nec eſſe Patrinos, aut leuare aliquem de fonte, dixi *tom. 1. cap. 9. n. 31.* Nunc præter alia inferius dicenda circa primum addendum, id eſſe intelligendum de Religioſis priuatis, quibus cura animarum ſæcularium non incumbit; nam alij quibus talis cura imminet, quales ſunt, qui beneficium aliquod Curatum, ſiue Regulare, ſiue etiam ſæculare ex Sedis Apoſtolicæ beneplacito exercent, baptizare etiam ſolenniter poſſunt, & debent, *c. dictos 16. quæſt. 1.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 2. diſp. 4. quæſit. 1.* Vnde prohibitio habendi baptiſteria in Monaſteriis, *cap. pridem 18. quæſt. 2.* ſolùm venit intelligenda, quando non eſt cura animarum. Prohibitionem autem baptizandi Religioſis impoſitam non eſſe ſub mortali, credit Granadus *de Sacrament. 3. part. controuerſ. tract. 1. diſp. 1. num. 3.* Circa ſecundum vero, quod caſu quo ſiue licitè, ſiue illicitè Religioſi aliquem de fonte leuarent, & eſſent Patrini, cognationem ſpiritualem contrahent; cum illius ſint capaces, nec iura aliquid in contrarium ſtatuant, Comejo *de Matrim. tr. 6. diſp. 7. dub. 16.* Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſc. Allegat. 30. n. 36.* Poſſe etiam Cardinales, & Epiſcopos Regulares id munus exercere, tenent de Epiſcopis Rodrig. *tom. 2. quæſt. Regul. q. 58. art. 3.* & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 6. n. 24.* & de Cardinalibus idem Sanchez ibi *num. 34.* & Diana *part. 5. tract. 2. reſol. 67.*

Caſus neceſſitatis in quo licet Religioſo baptizare eſt, quando baptizandus, ſiue paruulus, ſiue adultus eſt in periculo mortis, & non adeſt proprius Parochus à quo baptizetur. Tunc enim omnis homo habens vſum rationis, potenſque, & ſciens debitam formam proferre & materiam applicare, Miniſter eſt Baptiſmi. S. Thom. *3. part. quæſt. 66.* & ibi communiter Theologi. Seruari tamen debet hic ordo, vt ſi adeſt Sacerdos, præferatur omnibus aliis, ita vt ſine culpa (vt multi credunt) mortali, vel ſaltem veniali oppoſitum fieri non poſſit. Sacerdoti enim ex vi officij competit eſſe miniſtrum huius Sacramenti, non autem aliis, & ita baptizare ipſo præſente, & renitente, eſt quodam modo vſurpare officium ipſius. Suarez *de Sacramentis diſput. 31. ſect. 4.* Bonacina *de Sacramentis, diſp. 2. quæſt. 2. punct. 5. num. 31.* Poſt Sacerdotem Diaconus præferri debet Subdiacono, Clericus laico, & vir fœminæ, licet hunc ordinem inuertere mortale non ſit, & aliquando nec veniale, vt ſi fiat ob rationabilem cauſam, Suarez *ſuprà.* Diana *3. part. tract. 4. reſol. 4. & part. 5. tract. 3. reſol. 18.* 2

In prædicto etiam caſu neceſſitatis neceſſe non eſt adhibere Patrinum baptizato. Ratio eſt, quia ſolùm pro baptiſmo ſolemni eſt præceptum Eccleſiæ adhibendi talem Patrinum, non pro priuato, de quo hîc eſt ſermo, Suar. *tom. 3. in 3. part. quæſt. 67. art. 8. dub. vlt.* Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 62. num. 14.* Vnde qui in tali caſu baptizatum tenuerit tantùm, vt ita dicam, materialiter, nullam cognationem ſpiritualem cum eo contrahet, quia hæc non contrahitur, niſi ab eo, qui eſt verè ſuſceptor. Suarez & Sanchez relati. Si verò illum tenuerit animo exercendi munus ſuſceptoris, Suarez putaſſe videtur, quod contrahat dictam cognationem, Sanchez verò *num. 15.* id negat. De hoc Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 18. & part. 5. tract. 3. reſol. 7.* 3

Similiter in prædicto caſu neceſſitatis propter periculum mortis baptizandi, non eſt neceſſe illum, etiamſi fuerit adultus, inſtituere, aut catechizare, ſed propoſita illi quantum licet pro breuitate temporis fide Catholica, & quod pœniteat de peccatis præteritis, ſi dixerit, quod credit myſteria fidei, & dolet de ſuis peccatis, eſt baptizandus, neque enim aliquid aliud exigitur in vrgenti illo periculo mortis, & damnationis æternæ. Zambranus *De Sacrament. Baptiſmi cap. 1. dub. 14.* Diana *dicto tract. 3. reſol. 20.* Multo minus neceſſe tunc erit obſeruare ceremonias ab Eccleſia inſtitutas. (De quibus noſter Ioannes de Baccone nobiliſſimus, & peruetuſtus Scolaſticus *in 4. ſentent. diſt. 3.*) illæ enim ſolum pro Baptiſmo ſolemni obſeruari debent. Caſu autem quo baptizatus ſuperuixerit, ſuppleri debent in Eccleſia ceremoniæ prætermiſſæ. Ita enim habetur tum ex vſu Eccleſiæ, tum ex *c. 1. de Sacrament. non iterand.* Viualdus *in Candelabro aureo, de Baptiſmo cap. vlt. num. 18.* Victoria *de baptiſmo, num. 38.* 4

Quamuis aliquorum ſententia ſit baptiſmum non tenere, ſi baptizetur aliquis in minima parte ſui corporis, v.g. parte digiti, vngue, vel capillis: nihilominus 5

in caſu neceſſitatis, & periculi mortis, de quo in præſenti, licitum erit baptizare moribundum in prædictis partibus, ſi ad alias non potuerit peruenire, quia pars illa quantumuis minima humani corporis verè informatur anima rationali (quod etiam eſt probabile de vnguibus, & capillis) & aliunde obligatio charitatis procurandi ſalutem ſpiritualem moribundi viget maximè in illo caſu, Baſilius de Leone *de Matrimon. lib. 4. cap. 25. num. 7.* Ochagauia *de Sacrament. tract. vnic. de Baptiſm. quæſt. 4. num. 3.* Qui etiam docet poſſe infantem ſecundinis inuolutum in tali periculo baptizari, quia pellis illa ſecundina eſt veluti pars pueri. Probabile etiam eſt puerum intra vterum matris exiſtentem poſſe in tali mortis periculo baptizari, ſi aliqua arte, vel inſtrumento poſſet ad ipſum aqua peruenire. Naldus *in Summa in quarta editione, verbo Baptiſmus, num. 3.* aliis relatis. In his tamen caſibus baptizans, ſolùm ſub conditione baptizet moribundum; ſic enim ipſius ſaluti & Sacramento ſatisfaciet. Et ſi ſuperuixerit iterum ſub conditione baptizetur.

6 Pari modo dicendum de forma dubia Baptiſmi, poſſe ſcilicet eum, qui eſt in mortis periculo, baptizari cum ipſa, ſi nullus adſit, qui ſciat formam certam, propter eandem rationem. Ochagauia *in tract. de Sacrament. in gener. quæſt. 5. num. 17.* Diana *part. 5. tract. 3. reſol. 4.* Prudenter etiam tunc ſolum ſub conditione vtetur baptizans hac forma, propter dicta. De variis autem formis Baptiſmi agit Baceonius *ſuprà in 4. diſt. 4.*

7 Caſu quo aliquis infidelis adultus, Ethnicus, Hebræus, aut Mahometanus petiiſſet baptizari, & poſtea incideret in amentiam, furiam, ſomnum, aut lethargum, quo omnino priuatus eſſet vſu rationis, eſſetque proximus morti, poſſet, & deberet baptizari, quia voluntas, & propoſitum præcedens ſufficit, vt ſuſceptio baptiſmi cenſeatur voluntaria, & ex parte periculum mortis, & damnationis æternæ ipſius maximè tunc vrget. Colligiturque ex Innocent. III. *in cap. Maiores de Baptiſmo*, Concilio Carthagin. III. *can. 34.* & Arauſic. *can. 12.* Siluius *in 3. part. quæſt. 68. art. 7.* Zambranus *de Sacrament. Baptiſm. dub. 8. cap. 1. num. 2.* Addit Ioannes Sancius *in Selectis diſp. 44. num. 39.* quem ſequitur Diana *dict. tract. 3. reſol. 21.* etiamſi vnius ſolum teſtis, quantumuis infidelis teſtimonio conſtet illum moribundum petiiſſe Baptiſmum, baptizandum eſſe, propter eandem rationem. Quod tamen intelligendum credo, ſi ille teſtis fide dignus credatur, & non iocosè, aut illuſoriè, ſed ſeriò rem teſtificari. Quando autem de hoc dubitatur, vel teſtimonium non ſit certum, ſub conditione adhiberi debet baptiſmus, vt iidem authores aſſerunt, præſertim Ioannes Sancius ea *diſput. 44.*

8 Etſi plurium ſententia ſit debere omitti baptiſmum propter periculum infantis morituri, v. g. ſi ille ſit ita tener, & delicatus, vt credatur baptiſmum illi accelleraturum mortem. De quo Sotus *in 4. diſt. 3. quæſt. vnic. art. 8. in fin.* Ledeſma *1. part. 4. quæſt. 7. art. 8. dub. 3.* Nihilominus, præterquam caſus iſte videtur Metaphyſicus potius quam moralis, vix enim credi poteſt iam tenerum eſſe aliquem, vt vna, vel duabus aquæ tepidæ, vel calidæ guttis tinctus moriatur, vel mors ipſi accelleretur: caſu tamen, quo ita eſſet, probabile ſatis eſt, poſſe baptizari. Ratio eſt, quia hoc non eſt directè occidere eum, ſed ſolum permittere, quod vitæ temporalis patiatur detrimentum propter vitæ æternæ conſequutionem, quod eſt valdè conforme legibus charitatis, & quod ipſe infans, ſi vſum rationis haberet, deberet eligere. Granadus *de Sacrament. in 3. part. controuerſ. 4. tract. 4. diſp. 4. num. 6. & 7.* Zambranus *de Sacrament. Baptiſm. cap. 1. dub. 8. num. 11.* Nec credo ſic baptizantem incurrere irregularitatem aliquam, quia nec credendum Eccleſiam pro illo caſu eam impoſuiſſe, & aliàs obligatio charitatis vrget ad id faciendum. Zambr. *ſup. num. 76.* Proiicere autem illum in flumen, vt baptizetur, vel baptizare aqua venenata, nullatenus licet, quia hoc eſt directè illum occidere, quod eſt intrinſecè malum. Diana dicto *tract. 3. reſol. 8.*

9 Baptizare puerum moribundum adeo eſt conforme charitati, vt etiam cum vitæ periculo teneatur quilibet id facere, quia vita ſpiritualis proximi in tanto periculo conſtituti pluris eſt facienda, quàm vita propria corporalis. Petrus Ledeſma *in Summa tom. 2. tract. 4. cap. 4. concluſ. 15.* Granadus *de Sacrament. controuerſ. 4. tract. 4. diſp. 4. num. 5.* Ochagauia *de Sacrament. tract. vnic. de Baptiſm. quæſt. 7. num. 3.* Ad minùs tamen hoc eſt certiſſimum reſpectu illius, qui ex officio tenetur id facere, prout competit Parocho, &c.

10 Quamuis certum ſit eum, qui miniſtrat ſolemniter Sacramentum Baptiſmi in peccato mortali, peccare mortaliter, vt communiter docent Theologi, tam de huius, quam de aliorum Sacramentorum miniſtris loquentes, nihilominus laicus, vel fœmina baptizantes puerum in caſu neceſſitatis non peccant mortaliter, etiamſi ipſi in peccato mortali verſentur. Ratio eſt, quia iſti non miniſtrant hoc Sacramentum ex officio, & vt miniſtri deputati ab Eccleſia, ſed veluti per accidens ob neceſſitatem baptizandi, & defectum veri miniſtri ab Eccleſia deſignati: non ergo tenentur ad id munus peragendum conformari ſanctitati Chriſti, ac Eccleſiæ, ac per conſequens nec tenentur eſſe in ſtatu gratiæ. Granadus *de Sacram. controuerſ. 3. tract. 5. diſp. 5. num. 6.* Idem dico probabile eſſe loquendo de Sacerdote, qui non ex officio, ſed ratione neceſſitatis hoc Sacramentum miniſtrat, vt eſt Religioſus, propter eandem rationem, & quia in iſto caſu non miniſtrat illud vt Sacerdos, neque ratione characteris Sacerdotalis, ſed veluti laicus ob neceſſitatem baptizandi. Petrus Ledeſma *in Summa cap. 6. de Sacrament. in gener. concluſ. 8.* Henriquez *lib. 1. cap. 29. num. 4.*

11 Similiter, quamuis certum ſit ſolam aquam naturalem, vel elementarem eſſe materiam Sacramenti Baptiſmi, prout communiter docent Theologi, ſpecialiter Baceonius noſter *in 4. diſt. 4.* & Michaël de Bononia *ibid. diſt. 3. quæſt. 2.* nihilominus in caſu neceſſitatis, de quo in præſenti, quando ſcilicet puer aliquis, vel etiam adultus eſt proximus morti, nec eſt alius, niſi Religioſus, qui eum baptizet, poterit id facere ſi aqua naturalis, vel elementaris non adſit, cum illa aqua quæ eſt dubia materia Baptiſmi, ſcilicet iure carnium, lixiuio, aqua roſacea, glacie, rore, vel niue non reſolutis, aqua ex ſale reſoluta, & ſimilibus, dum tamen hoc faciat ſub conditione, ſiue exterius, ſiue tantum mentaliter expreſſa, & baptizatus ſi ſuperuixerit ſub conditione iterum baptizetur. Ratio eſt, quia extrema neceſſitas illa ſpiritualis, & obligatio charitatis ad ſubueniendum in illa proximo periclitanti, excuſat irreuerentiam, quæ aliàs fieret conficiendo Sacramentum cum materia dubia, & ſub conditione. Hurtadus *de Sacrament. tract. de Baptiſmo, diſp. 1. diff. 2.* Puteanus *in 3. part. quæſt. 66. art. 4. dub. 1. num. 5.* & alij apud Dianam *5. part. tract. 3. reſol. 1. 2. & 3.*

12 Similiter quamuis quoad modum baptizandi obſeruari debeat vſus Eccleſiæ, qui communiter eſt per infuſionem aquæ ſuper baptizatum, in caſu tamen neceſſitatis, de quo in præſenti, poterit dari baptiſmus ſola aſperſione aquæ ſuper ipſum, & prolata forma. Hic enim creditur in vſu fuiſſe tempore Apoſtolorum, qui *Act. 2.* tria millia baptizarunt vna die, quod alio modo vix fieri poſſet, & ſufficiens eſt ad ſignificationem formæ. Chapeauilla *de Sacram. Baptiſ. quæſt. 19.* Hurtadus *de Sacram. Baptiſm. diſp. 1. diff. 4.* Imò probabile eſt apud aliquos, quod ſi quis in prædicto caſu neceſſitatis, & periculo mortis baptizandi accedere non poſſet ad ipſum, poſſet ipſum ſub conditione baptizare de longinquo proferendo formam, & iubendo, vt alius qui

qui propè illum eſt, ipſum aqua abluat. Ita Diana *dicto tract. 3. reſol. 26.* vbi alios etiam refert. Caſu autem, quo baptiſmus hoc pacto tunc daretur, procul dubio dicendum, ſic baptizatum, ſi ſuperuixerit, iterum ſub conditione baptizandum fore.

13 Pro obligatione reſidentiæ illius, cui incumbit munus baptizandi, vide Barboſam *de offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat. 53. num. 79.* & *in Collectan. Bullar. verb. baptiſmus.* Pro variis etiam, & piis inſtitutionibus circa Sacramentum baptiſmi, fontem baptiſmalem, & alia concernentia, vide Gauantum *in Manual. Epiſcop. verbo baptiſmus.*

Pro priuilegiis etiam Religioſorum in Indiis, & in terris infidelium, vide Rodriguez *Quaſt. Reg. quaſt. 31. art. 3. & 4.*

BELLVM.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter hac materia ſpectare poſſit ad Regulares.*
2 *Belli etymologia, & diuiſiones.*
3 *Conditiones belli iuſti.*
4 *Qualiter requiratur cauſa iuſta.*
An propter opinionem probabilem liceat bellum gerere. ibid.
5 *Quot modis Religioſi, ſeu Eccleſiaſtici ad bellum concurrere poſſint.*
6 *Si Principes temporales fuerint, bellum mouere, & alia facere poſſunt.*
An eſſe exercituum Ductores? ibid.
7 *Bellum iuſtum poſſunt ſuadere.*
8 *An bello iuſto aſſiſtere.*
9 *An percutere pugnando.*
10 *Non verò mutilare, aut occidere.*
11 *Benè tamen ex Papa diſpenſatione.*
12 *Quid ſi Reſpublica eſſet in extrema, vel grauiſſima neceſſitate.*
13 *Quid pro caſu magna neceſſitatis Eccleſia.*
14 *Aut pro conſeruatione propria vita.*
15 *Aut vita proximi innocentis.*
16 *De Clericis, vel Religioſis in naui exiſtentibus, quando hoſtes illos aggrediuntur.*
17 *An licitè expoliare poſſint hoſtes.*
18 *Ipſi expoliari non poſſunt.*
19 *Clerici quibus interdictum eſt pugnare, quinam ſint.*
20 *Quid de Religioſis in Sacris non conſtitutis, ſeu Conuerſis.*
21 *Arma dare militibus ad pugnandum.*
22 *Diſpenſare in irregularitate contracta à pugnantibus in bello iuſto ad quos pertineat.*
23 *Quid quando bellum eſt iniuſtum.*

1 QVAMVIS materia de bello extranea prorſus videatur Regularibus pro quibus maximè hæc Summa ſcribitur, quia tamen plus æquo his temporibus graſſantur bella, & quandoque Regulares illis aſſiſtunt, coguntur arma ſumere, vel ſui defenſionis cauſa, conſilio etiam adeſſe poſſunt Principibus, Ducibus, & militibus, ideo hæc materia vtilis ipſis iure reputanda eſt.

2 Belli etymologia à *bellua*, vt voluit Feſtus, quia proprium magis belluarum, quam hominum videtur bella gerere: vel vt alij volunt, per antiphraſim à *bello*, id eſt, *pulchro*, quia nihil pulchri habet, deſumi videtur. Valentia *tom. 3. diſp. 3. quaſt. 16. punct. 1.* Differt à ſeditione, & rixa, quia bellum eſt multitudinis contra extraneos: ſeditio, multitudinis contra multitudinem in eadem Republica, rixa eſt paucorum contra paucos. Ioannes Beetz *de pracep. Decalog. in 8. pracep. expoſit. 2. cap. 9.* Laymanus *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 1.* Eſt duplex, aliud publicum, & eſt, quod indicitur auctoritate Principis, & Superiorem non recognoſcentis; aliud priuatum, quod aucturitate alicuius Principis Superiorem habentis indicitur. Vnde primum eſt propriè bellum, & de quo in præſenti, non autem ſecundum. Sylveſter *in Summa verbo bellum, num. 1.* Ruſus aliud eſt offenſiuum, & aliud defenſiuum: offenſiuum eſt id in quo vis infertur iniuriæ vindicandæ cauſa; defenſiuum verò id in quo vis per iniuriam illata repellitur. Laymanus *ſup. num. 3.* Deinde aliud eſt iuſtum, aliud iniuſtum. Iuſtum eſt, quod habet conditiones infra aſſignandas, iniuſtum verò, cui illæ deficiunt. Supponitur autem dari poſſe bellum iuſtum, prout contra Vuiclephum oſtendit noſter Thomas Vualdenſis *tom. 3. de Sacram. lib. .. tit. vlt. cap. 169. num. 3.* & contra Lutherum, & alios Hæreticos Valentia *ſup.*

Ergo ad bellum iuſtum tres conditiones requiruntur. Prima eſt, legitima authoritas indicentis: ſecunda, cauſa iuſta indicendi: tertia, recta intentio. S. Thom. 2. 2. *quaſt. 40. art. 1.* & Expoſitores *ibid.* Per primam denotatur, quod perſona priuata Superiorem recognoſcens non poteſt indicere bellum, ſed debet recurrere ad Superiorem pro iniuria illata reſarcienda. Per ſecundam, quod non gratis, ſed vlciſcendæ iniuriæ illatæ gratia indicatur. Per tertiam verò, quod non ex odio, & inuidia, ſed ex motiuo charitatis, vel iuſtitiæ id fiat, Michaël de Bononia *in 4. diſt. 15. quaſt. vnic.* ex Bacconio, quem refert Ioannes Beetz *de pracep. Decalog. in 5. pracept. expoſit. cap. 4.* Syluest. *ſupra, quaſt. 1.* 3

Vt verò cauſa aliqua cenſeatur iuſta ad mouendum bellum non ſufficit, quod ea ſit iuſta ſolum ſub dubio, aut ſecundum opinionem probabilem. Eſto enim id ſufficeret ad bellum defenſiuum, quando aliquis eſt in poſſeſſione, quia melior, & potior eſt conditio poſſidentis, non tamen ſufficit ad offenſiuum. Ratio eſt, quia bellum eſt actus iuſtitiæ punitiuæ infligentis pœnam delinquenti. Pœna autem non debet infligi in dubio, aut ſolum propter opinionem probabilem, quando idem dubium, aut opinio probabilis eſt ex parte Rei, vt patet ex illa Regula iuris *in 6. num. 11. Cum iura partium ſunt obſcura, fauendum potius eſt reo quam actori.* Accedit, quod tot damna, incommoda, & inconuenientia, tum temporalia, tum ſpiritualia, tam ipſis Principibus bella gerentibus, quàm toti Reipublicæ Chriſtianæ ex bello inter Chriſtianos ſequuntur, vt nullus prudens iudicare poterit ſolum ſub dubio, aut in opinione probabili ſtando moueri poſſe bellum contra poſſeſſorem. Molina *tom. 1. de iuſtitia, diſp. 103.* Vaſquez *1. 2. diſp. 64. cap. 3.* Ea ergo ſolum iuſta belli indicendi cauſa cenſenda eſt inter Chriſtianos, quæ ſaltem moraliter loquendo certa, & euidens ſit, omnibus rectè ponderatis. 4

Vt autem ad id, quod noſtri muneris eſt, propiùs accedamus, animaduertendum, quatuor modis intelligi poſſe, quod Religioſi, ſeu alij Eccleſiaſtici ad bellum concurrant. Primò, ſi illud indicant, ſeu moueant caſu quo ipſi ſint Principes habentes temporalem iuriſdictionem, qualem habent plures Epiſcopi in Germania. Secundò, ſi conſilium dent Principibus, aut Magiſtratibus, vt id faciant. Tertiò, ſi ipſi bello aſſiſtant. Quartò, ſi in bello pugnent, occidant, mutilent, &c. De quibus omnibus ſigillatim dicendum, qualiter ſcilicet ipſis Religioſis, ſeu aliis Eccleſiaſticis liceant, ex quo ſimul plura ad hanc materiam ſpectantia reſoluentur. 5

Et quidem ſi ipſi ſint Principes habentes temporalem iuriſdictionem nulli ſubiectam, prout habent prædicti Epiſcopi Germaniæ, Treuirenſis verbi gratia, Moguntinus, & Colonienſis, poſſunt, poſita iuſta cauſa, & recta intentione, vt dixi, bellum indicere, exercitum conſcribere, Ducem belli præficere, & arma ad pugnandum dare. Colligitur ex *capite Epiſcopus ne Clerici,* 6

vel Monachi in 6. vbi in fine capitis dicitur: *Licèt Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen, cùm iuriſdictionem obtinent temporalem, debent, & poſſunt metu irregularitatis ceſſante aliis delegare.* Et ratio eſt, quia iſti non ſunt deterioris conditionis, quàm alij Domini temporales, nec habent minus ius ad ſuam Rempublicam bello tuendam, quam illi. Sylueſter *in Summa, verbo Bellum 3. quæſt.* 1. Valentia *ſupra, punct.* 4. §. 5. *certum eſt.* Vnde id facientes, etiamſi in bello ſequantur homicidia, non ſunt irregulares, prout à fortiori conſtabit ex dicendis inferius. Addit Sylueſter, etiam Epiſcopos non habentes iuriſdictionem temporalem poſſe indicere bellum pro cauſa ſpirituali, v.g. pro extirpandis vitiis, vel bonis Eccleſiæ defendendis. Sed nec hoc eſt verum, nec textus *capite Maximianus 23. quæſt.* 3. quem adducit, id probat, ſed ſolùm, quod poſſint conuocare Principem ſæcularem, qui bella gerat pro defenſione ſuæ Eccleſiæ, prout fecit ille Maximianus. Bannez 2.2. *quæſt.*40.*art.*2. *dub.*3. *concluſ.*4. Sic autem facientes non fiunt irregulares. Toletus *in Summ. lib.* 1. *cap.*85. *num.*8. Non tamen poſſunt prædicti Epiſcopi habentes temporalem iuriſdictionem eſſe exercitus Ductores propria præſentia id munus exequentes, prout habetur ex *cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi in 6.* & *ex dicto cap. Epiſcopus*, illo verbo *aliis delegare*, quo denotatur ſolum per alios poſſe id munus exercere. Laymanus *ſupra, num.*19.§. *Deinde licet.* Addens benè, id eſſe intelligendum, niſi adſit neceſſitas, aut diſpenſatio Pontificia, iuxta dicenda inferius. An vero ſint irregulares, ſi aliter faciant, & homicidia fiant in tali bello, conſtabit ex dicendis.

7 Deinde tam ipſi, quàm alij Clerici, ſeu Religioſi, poſſunt bellum iuſtum aliis ſuadere. Hoc enim nullo iure eſt prohibitum, ſed potius videtur conceſſum 23. *quæſt.*8. *cap. quicumque*, & ſequentibus. Vnde S. Thomas 2.2. *quæſt*, 40. *art.* 2. *ad* 3. expreſsè ait: *Ad Clericos pertinet diſponere, & inducere alios ad bellandum bella iuſta.* Valentia *ſupra*, §. *Quartò certum eſt.* Laymanus etiam *ſupra.* Quare, quod Innocent. III. *in cap. Quod in dubiis, de pœnis*, ait Enormiter peccare Clericos, qui alios incitant ad pugnandum, intelligi debet de bello iniuſto, vel furſan iuxta dicenda inferius, ſi in particulari ſuadeant occiſionem aliquorum. Valentia, & Laymanus. Vnde bellum iuſtum ſuadentes Clerici, vel Religioſi, nullo modo incurrunt irregularitatem, prout etiam à fortiori conſtabit ex dicendis. Bonacina *de Cenſur. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 5.

8 Præterea tertiò poſſunt Clerici, & Religioſi cum conſenſu ſuorum Superiorum bello iuſto aſſiſtere, vt pugnantibus ſpirituale conſilium, vel auxilium afferant, confeſſiones audiant, imò vt eos moneant, & exhortentur ad fortiter pugnandum, fidem tuendam, Rempublicam, vel patriam defendendam. Hoc enim nullo iure eſt ipſis prohibitum, quin potius in fauorem belli iuſti permiſſum, vt colligitur *ex cap. de multa, de voto*, 6. *de Clericis*, eſtque valdè vſitatum in Eccleſia, & neceſſarium pro vita ſpirituali militum fidelium. Suarez *tom.* 5. *de Cenſur. diſp.* 47. *ſect.* 6. *num.* 7. Valentia *ſup.* Itaque non ſolum ante actualem congreſſum, ſed etiam in ipſo conflictu poſſunt Clerici, & Religioſi animare, & exhortari milites ad pugnandum ſtrenuè. Colligitur *ex cap. petitio tua, de homicidio*, & ex aliis iuribus, præſertim quia ſic faciendo ad opus iuſtum adhortantur. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 215. Suarez *ibid. num.* 8. Vnde propterea nullam incurrunt irregularitatem, tum propter dicta, tum quia non eſt textus aliquis eam inducens. Suarez *ibid.* Cornejo *de Irregularit. diſp.* 11. *dub.* 2. Hinc in Bulla Cruciatæ declaratur Preſbyteros ſæculares, vel Regulares aſſiſtentes bello, quod Rex Catholicus habet contra infideles, & in exercitu prædicantes, aut alia exercitia Eccleſiaſtica, & pia exercentes, non incurrere irregularitatem. Addit Suarez, quod etiamſi caſu dato Clericus, vel Religioſus contra obedientiam ſui Superioris bello aſſiſtat, non incurreret irregularitatem, quia illa culpa nimis extrinſeca eſt ad homicidium, nec propter illam cenſeri debet ad illud proximè concurrere: non poſſunt autem hortari, aut ſuadere ad occidendum, aut mutilandum aliquem in particulari, ſed ſolum in genere: & oppoſitum facientes ſunt irregulares. Prius enim eſt concurrere proximè, & directe ad homicidium, non autem poſterius. Ita probabiliter Henriq. *lib.* 14. *cap.* 13. *n.* 4. *littera R.* Auila *de Cenſur. diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 2. Laymanus *ſup. num.* 19. §. *Quinimo.*

Similiter dicendum, quod etſi Clericis, aut Religioſis prohibitum ſit pugnare etiam in bello iuſto, prout colligitur *ex cap. Clericum, cap. de his Clericis, diſt.* 50. *cap. eos qui* 20. *quæſt.* 3. *cap. quicumque Clericus, cap. Clerici, cap. quicumque ex Clero* 23. *quæſt.* 8. *cap. ex multa*, §. *vlt. de voto*, & docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. quia indecens eſt, vt qui ſpirituali militiæ ſe tradiderunt, arma, vel negotia ſæcularia tractent; nihilominus, ſi caſu dato, illi bello iuſto aſſiſtentes militarent, ſeu pugnarent, ſeu percuterent aliquos, non propterea incurrerent aliquam irregularitatem, niſi actualiter mutilarent, aut occiderent, vel ſaltem eſſent cauſa proxima, vt alij id facerent, etiamſi in tali bello multa homicidia ſequantur. Colligitur apertè ex *capite petitio tua, de homicidio*, vbi cum quidam Clericus in quodam bello iuſto pugnaſſet & percuſſiſſet aliquos, nihilominus Pontifex dicit eum non eſſe cenſendum irregularem, niſi aliquem interfeciſſet. Et ratio eſt, quia ſic facientes, neque mutilant, aut occidunt, nec ſunt cauſæ proximæ iſtorum, vt ſuppono, ergo non incurrunt irregularitatem, eſto ſic facientes peccent, ſaltem contra ius Eccleſiaſticum. Nauarrus *ſupra*, Suarez etiam *ſupra, num.* 9. Toletus *in Summa, lib.* 1. *cap.* 85. *num.* 5. Cornejo *ſup.* Candidus *tom.* 1. *Diſquiſit. Moral. diſquiſit.* 17. *art.* 14. 9

Cæterùm mutilare, aut occidere aliquem, etiam in bello iuſto, niſi in caſibus, de quibus poſtea, nullo pacto licet Clericis, aut Regularibus. Colligitur à fortiori tum ex dictis, tum ex dicendis, eſtque communis ſententia prædictorum auctorum. Hæc verò facientes ſunt irregulares, *cap. Clericum, & cap. de his Clericis, diſt.* 50. *cap. petitio tua, de homicidio*, & aliis iuribus. Authores relati. 10

Nihilominus ſunt aliqui caſus in quibus licitum eſt Clericis, & Religioſis, non ſolum pugnare in bello iuſto, ſed etiam mutilare, & occidere. Primus, quando adeſt diſpenſatio Papæ, cùm enim hoc ſolùm ſit contra ius Eccleſiaſticum, non eſt aliqua ratio, cur negetur id facere poſſe Papam, rationabili cauſa ſubſiſtente. Eo autem caſu, etiamſi mutilent, aut occidant, non fiunt irregulares. Eo enim ipſo, quod Papa concedit illis facultatem ad bellandum, cenſetur cum eis diſpenſare in irregularitate annexa homicidio, ſi illud ſequatur, Bañes 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *dub.* 4. Val. *ſup.* §. 7. *certum eſt*, Candid. *ſup.* Limitat hoc tamen rectè Suarez *ſupra, n.* 12. quando Papa expreſsè concederet facultatem pugnandi propriis manibus. Secus verò, ſi tantum concederet facultatem aſſiſtendi bello. 11

Secundus eſt, ſi Reſpublica eſſet in extrema, vel grauiſſima neceſſitate; tunc enim pro ea defendenda licitè pugnare, mutilare, & occidere poſſent, imo tenerentur id facere, quia lex naturæ id præſcribit, & ius Eccleſiaſticum eo tempore non obligat. Caietanus 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 2. Bañez *ibidem dub.* 3. Nec ſic mutilantes, aut occidentes fierent irregulares. Valentia *ſupra*, §. *contraria ſententia*, Suarez *d. ſect.* 6. *num.* 2. 12

Tertius eſt etiam in bello offenſiuo, caſu ſcilicet magnæ neceſſitatis Eccleſiæ, propter inſignem conſequendam victoriam redundantem in maximum commodum Reipublicæ Chriſtianæ. Tunc enim & lex na- 13

turæ

Digitized by Google

tutæ obligaret, & præſumeretur licentia Papæ. Valentia *ſupra* §. *ſecundo certum eſt*. Bañez *ſupra*. Nec in hoc caſu incurreretur irregularitas. Valentia *dicto* §. *contraria*, Bonacina *de Cenſuris diſp*. 7. *quæſt*. 4. *punct*. 4. *n*. 11.

14 Quartus eſt, quando id eſt neceſſarium pro conſeruatione propriæ vitæ, non excedendo in moderamine inculpatæ tutelæ. Quia etiam ius naturæ tunc obligat ad id faciendum. Molina *tom*. 1. *de Iuſtit. diſp*. 108. §. *primus caſus*. An verò idem ſit dicendum, quando illud eſt neceſſarium pro conſeruatione honoris, & rerum ſuarum, alibi dicetur. Illud certum, quando id fit pro conſeruatione propriæ vitæ, nullam incurrit irregularitatem. Ita enim deciditur *in Clement. ſi furioſus, de homicidio*, & ſupponunt communiter authores, ſpecialiter Suarez *ſupra*, *num*. 1.

15 Quintus, quando id etiam eſt neceſſarium ad defenſionem proximi innocentis, præſertim ſi Reipublicæ ſit valdè vtilis, & neceſſarius. Caietanus *ſuprà*, Molina *ſupra* §. *Tertius*, Laymanus etiam *ſuprà*, §. *Tertio dixi*. In hoc etiam caſu non incurri irregularitatem ſatis probabile mihi eſt, quia non eſt credibile Eccleſiam velle punire pœna irregularitatis Clericos, vel Religioſos facientes id, quod iure naturæ tenentur facere. Bonacina *ſuprà*. Quia tamen inſtari poteſt contra hoc quod etiam Iudex, & miniſtri iuſtitiæ tenentur reum morte interficere, & tamen ſic faciendo efficiuntur irregulares, ideo hic notanda doctrina, quam tradit Molina *ſupra diſp*. 109. *concluſ*. 1. & 3. & Valentia *ſupra*, §. *quare omnino*. Quod etſi verum ſit, quod illi, qui ex officio, cui ſe ſponte ſubiecerunt, tenentur occidere, ſeu mutilare, vt ſunt Iudices, & miniſtri iuſtitiæ, incurrant irregularitatem, quando id faciunt, quia iam eſt illis voluntaria talis occiſio in voluntate acceptandi illud munus; cæterum, quando aliquis non ex munere, aut officio, neque ſua culpa, ſed caſu aliquo (prout in præſentibus) tenetur mutilare, vel occidere, ſic faciendo, nullam incurrit irregularitatem. Confirmatur ex Valent. *ſup*. §. *probatur autem*, quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à iure expreſſis, ſed in iure ratione homicidij, non cenſentur irregulares, niſi illiciti occiſores, vel qui dant operam rei illicitæ, ex qua ſequatur homicidium (intellige, ſi ea ſit prohibita ratione periculi homicidij, iuxta dicenda verbo *Irregularitas*, *num*. 81.) vel qui occidunt tanquam miniſtri Iuſtitiæ, nec licet ea iura ad alios caſus extendere: ergo in præſenti non incurritur irregularitas. Confirmatur à ſimili de eo, quod dixi de accuſatore in caſu quo tenentur accuſare, verbo *Accuſatio*, *num*. 21.

16 Hinc Clerici, vel Religioſi in naui exiſtentes, & ab inimicis aggreſſi, poſſunt pugnare, occidere, & mutilare in defenſionem ſui, & ſociorum, vt habet idem Molina *dicta diſp*. 108. §. *primus eſt*. Nec credo tunc contrahere irregularitatem, propter adducta. Secus verò dicendum de exiſtentibus in naui, quando ipſa nauis inuaderet ſuos inimicos, quia in eo caſu attendendum eſt, an illa inuaſio ſit iuſta, & ſic loquendum de illa, ac de bello iuſto, iuxta dicta: ſi verò ſit iniuſta, loquendum etiam de illa eodem modo ac de bello iniuſto, iuxta dicenda. [Hinc ſimiliter Clerici, vel Religioſi exiſtentes in locis ad quæ veniunt banniti ad occidendum & deprædandum, ſi ſine ipſorum adiutorio loca illa defendi non poſſunt, pugnare propriis manibus, occidere, & mutilare queunt in defenſionem patriæ. Tamburinus *de Iure Abbatum tom*. 3. *diſp*. 12. *quæſt*. 5. *n*. 5.

17 In caſibus porro in quibus de licentia, aut ſine licentia Summi Pontificis Clericis, & Monachis licet pugnare, &c. iuxta dicta, licet etiam expoliare hoſtes, & alia facere, quæ iure belli poſſunt alij milites. Minus enim eſt hoc quam occidere, mutilare, &c. Valentia *ſup*. §. *Tertiò certum eſt*. Imò etiam in caſu quo non licet ipſis pugnare, quia ſcilicet vel non adeſt licentia Papæ, vel non occurrunt caſus, de quibus dictum eſt, poſſunt in bello iuſto vſurpare hoſtium ſpolia, & bona, ſicut alij milites, niſi de contraria voluntate Principis, aut Ducis conſtet, quæ ſemper debet præſumi, niſi ipſi oppoſitum manifeſtauerint. Sunt enim valdè vtiles exercitui, & ita debent gaudere commodis belli. Molina *ſup*. §. *meo quidem iudicio*, Laymanus *ſupra*, *num*. 20.

Non tamen è conuerſo poſſunt ipſi Clerici, aut Monachi expoliari ab hoſtibus, gaudere enim debent tam ipſi, quam ipſorum bona priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ. Valentia *dicta diſp*. 3. *quæſt*. 16. *punct*. 3. §. *hinc autem*. Vnde bona illis ſublata ipſis reſtituenda erunt. Sylu. *verbo Bellum* 3. *quæſt*. 3. Nota tamen plures admittere poſſe Eccleſiaſticos in bello iuſto per accidens deuaſtari ſine obligatione reſtituendi, quando ſcilicet id neceſſarium iudicatur pro conſecutione victoriæ, de quo Vincentius Candidus *tom*. 1. *Diſquiſit. Moral. diſquiſit*. 17. *art*. 8. 18

Clerici illi, quibus interdictum dixi pugnare etiam in bello iuſto (etiam ſub mortali) ſunt Clerici in ſacris conſtituti, de iis enim maximè intelliguntur iura relata, non autem conſtituti in minoribus. Iſti enim, vel non comprehenduntur in dictis iuribus, vel ſi comprehenduntur, contraria conſuetudine id eſt abrogatum. Valentia *d. punct*. §. *quædam ſunt*. Quod tamen intellige, quando ipſi renunciauerunt priuilegio Clericali, quia tunc cenſentur veluti laici. Suarez *dicta ſect*. 6. *num*. 7. Si enim beneficium Eccleſiaſticum poſſideant, gaudeantve priuilegio fori, habitumve, & tonſuram deferant, vel miniſterio alicuius Eccleſiæ deſeruiant, comprehenduntur dicta prohibitione, etſi forſan ſolum venialiter peccent id faciendo, Molina *dicta diſp*. 108. §. *Secundum eſt*. Quamuis de iis, qui beneficium Eccleſiaſticum poſſident, timendum ſit ne peccent mortaliter. Laymanus *ſupra*, §. *Reſtant. duo*, ex Nauar. Vide Candidum *ſupra*, *art*. 9. 19

De Religioſis verò in Sacris non conſtitutis, ſeu etiam Conuerſis, videtur dicendum lethaliter peccare pugnantes in bello, quia ratione ſtatus, & vitæ perfectioris quam profitentur, omnino alieni eſſe debent ab huiuſmodi actibus. De iis etiam intelligitur *can. eos qui* 20. *quæſt*. 3. Molina *ſupra*. 20

Arma porrò dare militibus ad pugnandum, licet primo Clericis, vel Regularibus habentibus iuriſdictionem temporalem. Si enim, vt dictum eſt, poſſunt conuocare exercitum pro bello iuſto, poterunt etiam arma ad pugnandum dare. Vnde non incurrent irregularitatem etiamſi milites illis armis occidant, Suarez *dicta ſect*. 6. *num*. 11. Similiter tam iſti, quam alij Clerici, aut Regulares, ſi antecedenter ad conflictum dent arma militibus ad pugnandum in bello iuſto, neque peccant, neque ſunt irregulares, quia illa actio iuſta eſt de ſe indifferens, & ſolum remotè ad homicidium concurrens. Suarez *ſupra*, *num*. 7. Secus verò ſi in ipſo actuali conflictu, vel cum expreſſione ad occidendum dentur, Suarez *num*. 11. Bonacina *diſp*. 7. *quæſt*. 4. *punct*. 4. *n*. 11. in caſibus porrò in quibus Clerici, vel Regulares, vel ex licentia Papæ, vel ex neceſſitate occurrente poſſunt pugnare, occidere, vel mutilare ſine periculo irregularitatis, poterunt etiam ſine tali periculo dare arma militibus ad id faciendum, cum hoc minus ſit quam occidere, ſeu mutilare. 21

Diſpenſare in irregularitate, quam contrahere poſſunt tam laici omnes in bello iuſto pugnantes, quam etiam Clerici, & Regulares, iuxta dicta, ad mortem, vel mutilationem in eodem bello iuſto in caſibus non permiſſis concurrentes, de iure communi ad Papam ſolum ſpectat. Solus enim habet poteſtatem ordinariam ſupra ius Commune. Cornejo *ſupra*, *dub*. 3. Bonacina etiam *ſupra*, *num*. 13. Qui etiam addunt cum Suarez *ſupra*, *num*. 11. nec Epiſcopos poſſe diſpenſare in hac irregularitate ex vi decreti Concilij Tridentini *ſeſſ*. 24. *de reformat. cap*. 6. vbi illis conceditur facultas 22

diſpenſandi

Digitized by Google

diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus. Hæc enim irregularitas non eſt ex delicto, ſed ex defectu lenitatis. Verumtamen etſi hoc verum teneat reſpectu laicorum in bello iuſto occidentium, vel mutilantium, quia ipſi non peccant ſic facientes: reſpectu tamen Eccleſiaſticorum, cùm illis prohibitum ſit intromittere ſe in cauſis ſanguinis, ſi occidant, vel mutilent in bello, præterquam in caſibus ſupra aſſignatis, videtur dicendum hanc irregularitatem dici poſſe ex delicto, ac per conſequens probabile eſſe, in illa poſſe diſpenſare Epiſcopos cum Clericis ſæcularibus, iuxta modum conceſſionis illis factæ in dicto loco Concilij, præſertim cum in illo ſolùm excipiatur irregularitas ex homicidio voluntario proueniens, quale non eſt hoc, propter dicenda inferius. Vnde conſequenter probabile etiam eſt, diſpenſare poſſe in hac irregularitate cum Regularibus Prælatos Ordinum illorum, qui communicant in priuilegiis cum Patribus Dominicanis, propter priuilegium Pij V. quo huius Ordinis Prælatis conceſſit hic Pontifex eam auctoritatem, quam habent Epiſcopi in ſuos ſubditos ex dicto decreto Concilij. De quo dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 31. Poſſunt etiam probabiliter diſpenſare Prælati Regulares in huiuſmodi irregularitate cum ſuis ſubditis, ſi habent priuilegium diſpenſandi cum illis in omnibus irregularitatibus, exceptis illis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, bigamia & mutilatione membrorum. Nomine enim homicidij voluntarij (idem dico de mutilatione membrorum) intelligitur homicidium iniuſtum, non illud, quod contingit in bello iuſto, iuxta *dicta tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 43. & ita ſupponunt Suarez *ſuprà. num.* 13. Cornejo etiam *ſupra.* Fauet Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Conſtit.* 1. *Iulij II. num.* 105. & expreſsè tenet Candidus *ſuprà, art.* 15. Qui vero Ordines, aut qui Prælati habeant hoc priuilegium, dixi eo *cap.* 18. *num.* 40. Vide etiam dicenda verbo *Irregularitas*, præſertim *num.* 35. 69. & 72.

23 Loquendo de bello iniuſto (cum omnes militantes in illo, etiamſi propriis manibus ſanguinem non effundant, ſed effundentibus commilitent, aut cooperentur, aut arma præbeant, aut eos adhortentur, ſint irregulares, ſi in eo contingant homicidia, ſeu mutilationes, Suarez *dicta diſp.* 47. *ſect.* 5. *num.* 1. Cornejo *de Irregularit. diſp.* 2. §. *infero ſecundò.*) Multo potiori ratione id dicendum de Clericis, vel Regularibus, eis ſcilicet non licere ipſi cooperari, ſed eſſe irregulares ſic facientes, non ſolùm propter iniuſtitiam belli, ſed etiam propter adducta in ſuperioribus. Qui autem eunt ad bellum iniuſtum, non vt præſtent auxilium, conſilium, vel fauorem prælianttibus, ſed ad pacificandum eos cum ſuis hoſtibus, ad audiendum confeſſiones ipſorum, vel miniſtrandum illis Sacramenta, vel alia ſubſidia ſpiritualia non ordinata ad bellum, nec peccant, nec ſunt irregulares, Syluester *verbo Homicidium* 3. *quæſt.* 6. Bonacina *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 10. Irregularitas porrò quæ incurritur à prædictis, à ſolo Papa diſpenſari poteſt, quia ipſe ſolus eſt ſupra Ius commune, à quo eſt impoſita, nec poteſt diſpenſari ab Epiſcopis ex vi decreti Concilij Tridentini ſuperius relati, nec ex vi priuilegiorum Regularium, quæ etiam adduxi, quia eſt ex homicidio voluntario, quæ in prædictis locis excipitur. Cornejo *ſup. dub.* 4. An verò ſint alia priuilegia, propter quæ aliqui Prælati Regulares poſſint in ea cum ſuis ſubditis diſpenſare, vide *dicta tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 44. & verbo *Abortus. n.* 14. ac dicenda verbo *Irregularitas, n.* 72.

BENEDICTIO, ET BENEDICERE.

SVMMARIVM.

1 *Benedictio quid ſit.*
Quarum rerum. ibid.
Quotuplex. ibid.
2 *Plura de ipſis remiſſiuè.*
Celebrans coram Epiſcopo, an debeat dare Benedictionem. ibid.
3 *Benedicere ſolemniter populum, quibus competat ex iure.*
Quibus ex priuilegiis. ibid.
Quo tempore, & loco dandæ Benedictiones. ibid.
4 *Hæc priuilegia an communicentur Superioribus Regularium.*
5 *De Benedictione eorum, quæ ſine Chriſmate benedicuntur.*
6 *An competat Abbatibus Regularibus.*
7 *An ad benedicendum aliqua pro extraneis.*
Maximè ex declaratione S. Congreg. ibid.
8 *Competit quoque hæc facultas aliquibus Prælatis Regularibus.*
Pro ipſorum Eccleſiis, & non pro aliis. ibid.
9 *Extenditur etiam ad Benedictionem Corporalium.*
10 *Quando veſtes Sacræ perdant Benedictionem, & de aliis ſimilibus remiſſiuè.*
11 *Quid de pyxide, ſeu vaſe in quo Chriſti corpus conſeruatur.*
12 *An prædicti Prælati benedicere poſſint Cruces, & Imagines.*
An arma, & vexilla bellica. ibid.
13 *De benedictione aliarum rerum.*
14 *Campanarum.*
15 *Palmarum, & Candelarum.*
16 *Cinerum in feria quarta Cinerum.*
17 *Mulierum poſt partum, & ouorum.*
18 *Corporum defunctorum.*
19 *Menſæ benedictio ad quem pertineat.*
20 *Aqua luſtralis benedictio eſt actus ordinis Sacerdotalis.*
Quando, & quomodo benedicenda. ibid.
21 *Eſt duplex aqua benedicta.*
22 *Quomodo ſpergenda per Eccleſiam.*

SICVT maledicere eſt alicui malum imprecari, ita benedicere eſt alicui bonum precari, à Deo videlicet à quo eſt omne bonum, non quidem ita vt ipſa benedictio ex opere operato, aut infallibiliter impetret quod precatur, ſed quod nomine Eccleſiæ facta magnam vim habeat ad illud impetrandum. Eſt autem benedictio duplex, alia priuata, alia publica. Priuata eſt, quæ à quacumque perſona fideli dari poteſt. Publica, quæ non niſi à perſona publica. Rurſus alia rerum, v.g. vini, olei, ceræ, domus, nauis, veſtium, vaſorum, Altaris, Eccleſiarum, &c. alia eſt perſonarum, v.g. Abbatum, Virginum, Viduarum, Sponſorum, vel etiam populi. Deinde benedictio perſonarum, alia eſt ſolemnis, qualis eſt illa, quæ fit ab Epiſcopo incipiente: *Adiutorium noſtrum, &c.* Alia eſt ſimplex, vt illa, quæ fit à Sacerdote in fine Miſſæ. Similiter rerum benedictio, alia fit cum ſacra vnctione, vt benedictio Calicis, Altaris, &c. quæ propriè vocatur conſecratio; alia quæ fit ſine illa, ſed ſolis verbis, vt benedictio veſtium. De his, & aliis benedictionibus noſter Vualdenſis *in Doctrinali fidei tom.* 1. *lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 59. contra Vuiclephum. Syluester *in Summa verbo Benedictio, num.* 1. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 13. & alij referendi. De quibus ſigillatim dicendum, quatenus ad Regulares ſpectare poteſt. 1

Et primò de benedictione perſonarum, quod attinet ad benedictionem Abbatum, iam dixi *tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 36. quomodo, & à quibus facienda. Similiter, quod ea non ſit de eſſentia muneris Abbatialis, dixi ſupra verbo *Abbas, num.* 9. De benedictione Virginum, & Viduarum aliqua dixi *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 10. Quibus addendum, Benedictum Bumact. *in lib. de conſecrat. Virgin.* 2

*Virgin.cap.*4. & Tamburinum *de Iure Abbatum, tom.*1. *diſp.*21. *quæſit.*6. contendere etiam Abbatibus, & aliis Prælatis competere Monialium benedictionem. Similiter de benedictione Abbatiſſarum dixi *tom.*1. *cap.*26. *num.*1. & in hoc 3. *tom. verbo Abbatiſſa*, *num.*11. De benedictione porrò Sponſorum, dum de matrimonio agetur, aliqua dicam. Quod ſpectat ad benedictionem populi, ſeu ſuper populum, ſi eſt ſimplex, vel non ſolemnis, fit à quocumque Sacerdote in fine Miſſæ, abſente Epiſcopo, aut de mandato ipſius cum præſens eſt. 21. *diſt.cap. denique*, & 95. *cap.Ecce ego.* Syluester *ſuprà.* Addens, quod Presbyter celebrans præſente Epiſcopo innuere debet ei, an velit benedicere, & ſi velit, ipſe non benedicat; ſi verò nolit, benedicat ipſe ſimplici benedictione, nulla alia expreſſa licentia petita. Hoc tamen intelligi videtur de Sacerdote celebrante in præſentia ſui Epiſcopi, ex Gau. *in Man. verb. Benedictio*, *num.*21.

3 Loquendo verò de benedictione populi ſolemni, quæ incipit illo verſu: *Adiutorium noſtrum*, &c. hanc dare poſſunt Epiſcopi in tota ſua Diœceſi, Archiepiſcopi in tota Prouincia cum viſitant, & Legati in terminis ſuæ Legationis. Syluester *ſuprà.* Item Abbates, quibus competit vſus baculi, & mitræ, tum ex *cap. Abbates, de priuil. in* 6. tum ex variis priuilegiis ipſorum. Videlicet Innoc. VIII. Alexandri VI. Leon. X. & Pij V. pro Abbatibus Canonicorum Regularium, Vrbani II. Pij IV. & Eugen. IV. pro Abbatibus Caſſinenſibus. Vrbani V. Bonif. IX. Greg. XI. & Martini V. pro Abbatibus Vallis Vmbroſæ. Innocent. VIII. pro Abbatibus Ciſtercienſibus, & Eugenij IV. pro Celeſtinis. Quæ & alia priuilegia, refert Tamburinus *de iure Abbatum tom.*1. *diſp.*21. *quæſit.*7. Hæc porrò priuilegia de benedictione ſolemni populi regulariter ſunt pro fine Miſſarum, Matutini, & Veſperarum ſolemnium, prout ex dictis priuilegiis conſtat. De loco autem in quo danda eſt hæc benedictio, licet attendi debeat ad verba priuilegij, nihilominus ſi aliud in ipſo non exprimatur, dicendum eſt ſolum eſſe propriam Eccleſiam, non alibi, aut per vias, alias præiudicium fieret Epiſcopis. Azor. *tom.*1. *Inſtit. Moral. lib.*12. *cap.*20. *quæſt.*7. Rodriguez *tom.*1. *Quæſtionum Regularium*, *quæſt.*18 *art.*1. Tamburinus *ſuprà*, *diſp.*23. *quæſit.* 1. *num.* 1. referens declarationem Sacræ Congregationis. An verò dicti Abbates celebrantes in aliena Eccleſia, aut tranſeuntes per loca extra ſuam iuriſdictionem, & à fidelibus rogati, ſeu antequam accedant ad altare, vel ab ipſo recedant, benedictionem poſſint dare, tractat Tamburinus *ſuprà*, *diſput.*20. *quæſit.*8. Illud certum talem benedictionem dari non poſſe ab Abbatibus in præſentia Epiſcopi, vel alterius maioris Prælati, *cap. miniſtrare* 16. *quæſt.*6. *cap. cum ad celebrandas*, iuncta Gloſſa *de conſecrat. diſt.*1. quia minor non debet maiorem benedicere, *cap. denique* 21. *diſt.* conſonantque aliqua priuilegia id expreſsè affirmantia, & declaratio quædam Sacræ Congregationis. Nihilominus id dicitur conceſſum à Sixto IV. Abbati Sanctæ Mariæ de Pace, & aliquando praxi demandatum præſentibus duodecim Cardinalibus. Gabriel Pennotus *in Tripart. hiſtor. lib.*3. *cap.*33. *num.*4. Tamburinus *ſuprà*, *quæſit.*9. Ioannes Maria Nouarius *in Lucern. Regul. verb. benedicere*, *à num.*14.

4 Hæc porrò priuilegia nullatenus communicantur Superioribus aliarum Religionum, quantumuis habentium communicationem priuilegiorum, etiam Monachalibus Ordinibus conceſſorum, propter dicta *tom.*1. *cap.*18. *num.*64. & in hoc 3. *tom. verbo altare*, *num.*3. Vide & Nouarium relatum *ſuprà.*

5 De benedictione rerum, quæ ſine vnctione Chriſmatis benedicuntur, loquendo. Primò dicendum, benedictionem paramentorum, ſeu veſtium Sacerdotalium, & generaliter omnium eorum in quibus ſacra vnctio non interuenit, iure Ordinario Epiſcopis tantum competere, eſt enim actus Ordinis, & non iuriſdictionis, quia in ea ſeruatur forma & ſolemnitas verborum ab Eccleſia tradita. Panormitan. *in cap. Aqua, de conſecr. Eccleſ.* Sylu. *in Summa, verbo Benedictio*, *num.* 3. Quia tamen hæc Benedictio non eſt ex iis, quæ competunt Ordini Epiſcopali iure diuino, qualia ſunt ordinare, confirmare, &c. de quibus dixi *tom.*2. *cap.*2. *n.*37. & 38. nec poteſt præſcribi ab Abbatibus, ſed de iis, quæ competunt ipſis ex Eccleſiæ inſtituto. Ideo poteſt ſimplici Sacerdoti committi à Summo Pontifice, & per conſuetudinem aliis conuenire. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*30. *num.*1. & 4. An vero Epiſcopi poſſent hanc facultatem ſimplici Sacerdoti delegare, tractant Tabiena *verbo Abbas*, *num.* 12. Vgolinus *de Epiſcop. cap.*32. *num.*5. Conſule Gauantum *in Commentar. Rubric. Miſſal. & Breuiar. tom.*1. *part.*4. *tit.*19. *de Rubric. benedic. num.*25. ac *in Manual. Epiſcop. verb. benedictio*, *num.*5. & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo benedicere*, & *verb. Epiſcopus* 1. ex variis S. Congregat. declarationibus, quas ipſi referunt.

6 Competit etiam pluribus Abbatibus Regularibus, vel ex conſuetudine rationabili, eo quod illi participent quodammodo dignitatem Epiſcopalem, vel ſaltem ex pluribus priuilegiis à Sede Apoſtolica illis conceſſis, declarationibuſque S. Congregationis, de quibus præter dicta *tom.*1. *cap.*18. *num.*57. & *tom.*2. *cap.*2. *num.*42 vide Tamburinum *tom.*1. *de Iure Abbatum*, *diſp.*22. *quæſit.*1. & 2. & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo benedicere.* Vbi etiam reperies qualiter S. Congregatio hanc facultatem diuerſis Abbatibus, Decanis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis ſæpius conceſſerit. Competere etiam Abbatibus non benedictis, tradit ex variis S. Congregationis declaratoribus Ioannes Maria Nouarius *in Lucern. Regul. verbo benedicere*, *num.*1. Cæterùm Barboſa in dictis *Collectan. Bullar. verbo Abbas* 1. affert declarationem S. Congreg. relatam à Suarez loco ſuperius relato, *num.* 10. in qua conceditur hæc facultas abbatibus non benedictis, ſi tamen ipſi habeant ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ poſſe exercere Pontificalia, ac ſi eſſent benedicti: quo denotatur, quod ſi non habeant hoc priuilegium, nec etiam habere facultatem benedicendi prædicta.

7 Extenditur ab aliquibus hæc facultas abbatum, etiam ad benedicendum prædicta pro extraneis, propter priuilegia quædam Innoc. VIII. pro Caſſinenſibus, & pro Generali, & quatuor præcipuis Abbatibus Ciſtercienſium. Sed iuxta dicta ex *cap.* 19. *num.*57. præterquam quod non mihi conſtat an priuilegium illud pro Caſſinenſibus ſit viuæ vocis oraculum, ac per conſequens inualidum his temporibus, propter dicta *tom.*1. *cap.*3. *num.* 21. adhuc ſunt inualida, propter declarationem Saetæ Congregationis de anno ſ609. die 24. Auguſti, quam referunt Gauantus dicto *cap.* 18. *num.*57. à me relatus, & præfatus Nouar. *in Lucern. Regular. verba benedicere*, *num.*2. vbi declarat Sacra Congregatio hanc facultatem benedicendi paramenta Eccleſiarum, quam habent abbates, ſolum eſſe pro vſu ſui Monaſterij, non autem Eccleſiarum non ſibi ſubiectarum. Nec valet, quod reſpondet Tamburinus *ſuprà*, id procedere ſi non adſit conſuetudo in contrarium; abrogata enim fuit quæcumque talis conſuetudo ab eadem Sscra Congregatione decreto proprio 18. Auguſti anni 1629. referentibus Gauanto *in Manual. Prælator. verbo Abbas*, *num.* 30. & Nouario *ſuprà.* Idemque colligitur ex alia etiam declaratione anni 1632. quam refero numero ſequenti. Cum autem iſtæ declarationes poſteriores ſint illa anni 1614. quam pro ſe affert Tamburinus *ſuprà*, *diſp.*23. *quæſit.*1. ideo illis ſtandum.

8 Competit quoque hæc facultas benedicendi prædicta aliquibus Prælatis Regularibus, iuxta dicta eo *cap.*18. *num.*57. Hi porrò ſunt Generales, Prouinciales, Cuſtodes, & Guardiani Fratrum Minorum, ex conceſſione

Leonis

Leonis X. prout refert Caſarubius *verbo Benedicere Eccleſiaſtica*, *num.*14. Item Vicarius Generalis, & Viſitatores quarumdam Congregationum Ordinis S. Auguſtini, quoad benedictionem ornamentorum Eccleſiaſticorum, & etiam Corporalium ex priuilegio Innocent. VIII. Caſarubios *ſuprà*, *num.*8. Et Generalis, aut Vicarij Generalis Eremitarum S. Auguſtini ex Iulio II. apud Peyrinis *tom. Priuilegior. Minimor. in Iulio II. Conſtit.*11. Item ex eodem Iulio II. Generalis, Prouinciales & eorum Vicarij in Ordine Minimorum, quoad benedictionem etiam Corporalium, & ornamentorum Eccleſiaſticorum. Idem Caſarubius *num.* 11. Prædictis autem priuilegiis vti poſſunt alij Ordines habentes communicationem cum iſtis, quales ſunt Carmelitæ. Alia etiam priuilegia refert Sorbus *ibidem*, quæ prætermitto, quia ignoro an ſint viuæ vocis oraculo conceſſa, quia ſi talia fuerint, his temporibus abrogata ſunt, iuxta dicta ſuperius. Aduertit etiam Suarez *ſuprà*, *n.*10. *&* 11. Prælatos Ordinum Mendicantium poſſe ſacra ornamenta benedicere ex communicatione priuilegiorum Abbatibus conceſſorum, quæ quoad hoc ſunt in vſu, & praxi, eſto quoad alia, quæ non pertinent ad ipſorum inſtitutum, non ſit talis communicatio, vt ſuprà dixi. Hæc porrò facultas Prælatorum Regularium benedicendi ornamenta Eccleſiaſtica, ſeu alia in quibus Chriſma non interuenit, intelligi debet ad proprios vſus, & pro ipſorum Eccleſiis, non pro aliis. Eſto enim priuilegia aliqua, quæ referunt Sorbus, & Suarez relati, conceſſa fuerint aliquibus Religionibus ſine hac limitatione, ea tamen omnia abrogata ſunt à Sacrâ Congregatione, non ſolum propter dicta ſuprà de abbatibus, ſed etiam, & ſpecialiter propter declarationem eiuſdem factam anno 1631. die 13. menſis Martij, quam retuli verbo *altare*, *num.*3. & referunt Barboſa *in Collect. Bullar. verb. Abbas* 1. & Nouatius *ſuprà*, *num.*3. his verbis: *Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religionum Prælati etiam ex Societate Ieſu habentes priuilegia benedicendi veſtes ſacras, cæmeteria, & ſimilia, dicto priuilegio vti non poſſunt, niſi in iis rebus in quibus ſacra vnctio non adhibetur, & pro ſeruitio dumtaxat Monaſteriorum & Eccleſiarum propriarum.*

9 Prædicta etiam facultas, tum Abbatum, tum etiam aliquorum Prælatorum Regularium ad benedicenda paramenta Eccleſiaſtica extenditur ad Corporalium benedictionem. De his enim faciunt expreſſam mentionem Innocentius VIII. in priuilegio adducto pro congregatis Auguſtinianis, & Iulius II. in priuilegio adducto pro Generalibus Eremitarum Sancti Auguſtini. Item idem in priuilegio etiam adducto pro Minimis, & generaliter comprehenduntur in priuilegio Leonis X. etiam relato pro Minoribus, quatenus in illo conceditur facultas benedicendi *paramenta*, *& ornamenta*, *& alia quæcumque ad diuinum cultum*, *& vſum Fratrum neceſſaria, in quibus Chriſma non interuenit.* Conſtat enim in Benedictione Corporalium non interuenire Chriſma. Ita etiam ſupponit Suarez locis relatis, & pro Abbatibus probat Tamburinus dicta *diſp.*22. *quæſit.*3. ex priuilegio Innocent. VIII. & conſuetudine. Sed hoc intelligendum eſt pro vſu tantum propriarum Eccleſiarum, propter dicta ſuperius.

10 Quando autem huiuſmodi veſtes ſacræ, aut ornamenta perdant benedictionem, itaut de nouo benedici debeant, & quid faciendum, quando ita vetuſtate conſumpta ſunt, vt diuinis vſibus amplius deſeruire non poſſint, & alia ad ea ſpectantia dicam 4. tom. verbo *Veſtes Sacræ.* Similiter à quibus, & quomodo benedici debeant, aut poſſint Eccleſiæ, Cœmeteria, & Oratoria, dicam verbo *Eccleſia.* Pariter etiam à quibus poſſint conſecrari Eccleſiæ, Calices, Patenæ, Pyxides, & ſimilia, dicam ibidem, & verbo *Calix*, & verbo *Conſecratio.* De conſecratione porrò altaris, dixi verbo *altare.* Nunc de aliis quæ benedici poſſunt agendum.

Et primò, quoad Pyxidem, ſeu vas in quo Chriſti corpus reſeruatur, quod ſolet eſſe eiuſdem materiæ, ac Calix, & Patena, licet aliquando ob paupertatem Eccleſiarum fieri poſſit ex inferiori materia, cum neceſſe non ſit, quod Chriſmate conſecretur, cuius ſignum eſt, quod in Pontificali Romano tantum ponitur ſimplex benedictio illius, ſed ad ſummum, quod benedicatur (Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*81. *ſect.*8. §. *Tertiò obiter*, Tambur. relatus *diſp.*13. *quæſit.*3. *num.*7.) Ideo dicendum, poſſe aliquos Prælatos Regulares, & illos, qui cum ipſis communicationem habent priuilegiorum illud benedicere, videlicet Generales, Prouinciales, Cuſtodes, & Guardianos Minorum ex priuilegio Leonis X. relato: illud enim extenditur ad *quæcumque ad diuinum cultum*, *& vſum Fratrum neceſſaria*, *in quibus Chriſma non interuenit.* Et ita illud intelligit idem Suarez ſuperius relatus *ex* 4. *tom. de Relig.* Quod etiam probabiliter dici poteſt de Generali, Prouincialibus, & eorum Vicariis Minimorum, propter priuilegium Iulij II. relatum, præſertim cum in eo ſolùm excludantur Calices, & Patenæ. Idem quoque refert de Abbatibus Tambur. *ſup. quæſit.*2. ex variis priuilegiis. Nota tamen vbi fuerit conſuetudine introductum, quod Pyxis Chriſmate conſecretur, prout credo hic Romæ obſeruari, non poſſe prædictos Prælatos Regulares vti dictis priuilegiis, quia vt conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis *ſup. num.*8. relata, non licet illis, nec etiam Abbatibus benedicere illa in quibus Chriſma adhibetur. De quo etiam verbo *Conſecratio*, latiùs dicemus. 11

Poſſunt etiam, vt credo, aliqui Prælati Regulares, & illi, qui cum ipſis communicationem habent priuilegiorum, benedicere Cruces, & Imagines ad cultum Dei, & vſum piorum neceſſarias. Primò, ex priuilegio Leonis X. ſuperius relato, pro Generali, Prouinciali, Cuſtodibus, & Guardianis Minorum, ibi enim conceditur illis facultas benedicendi *quæcumque ad diuinum cultum*, *& vſum Fratrum neceſſaria.* Inter quæ prædicta comprehendi videntur. Secundò, ex priuilegio Iulij II. etiam relato pro Generali, & Vicariis Generalibus Eremitarum Sancti Auguſtini, quatenus illis concedit facultatem benedicendi non ſolum Corporalia, & veſtes, ſed etiam *ea quæ ſacris vſibus neceſſaria ſunt*, quo ſimiliter prædicta comprehendi videntur. Tertiò, ex priuilegio eiuſdem Iulij II. etiam adducto pro Generali, Prouincialibus, & eorum Vicariis Minimorum, quatenus illis concedit facultatem benedicendi *Corporalia*, *& alia ornamenta Eccleſiaſtica*, *præter patenas*, *& Calices.* Verbum enim illud, *alia ornamenta*, & exceptio illa, *præter patenas*, *&c.* denotare videntur comprehendi in dicta conceſſione etiam Cruces, & imagines. Pro Abbatibus etiam refert quædam priuilegia Tamburinus *ſuprà*, *dicta diſp.*22. *quæſit.*5. quibus ſtandum, ſi viuæ vocis oraculo conceſſa non fuerint, quale eſt vnum ex Iul. II. quod ibi refert. Addit etiam, poſſe benedicere arma, & vexilla bellica. Sed cum conſtet ex declarationibus Sacræ Congregationis ſuperius relatis non poſſe Abbates, aut alios Prælatos Regulares habentes priuilegia benedicendi aliqua, benedicere alia præter illa, quæ ſunt pro ſeruitio ſuorum Monaſteriorum, & iſta non ſint talia, non video, quomodo illa benedicere poſſint. 12

De aliarum rerum benedictionibus loquendo, quod attinet ad benedictionem domorum in Sabbato Sancto, quæ in aliquibus locis fieri ſolet, conſtat ex dictis *tom.*1. *cap.* 12. *num.* 41. ex declaratione S. Congreg. hoc eſſe munus Parochi, atque ita non poſſe pertinere ad Regulares, intellige, niſi ipſi habeant curam animarum ratione Beneficij Parochialis. Idem dico de aſperſione domorum in Sabbato Sancto poſt fontis benedictionem, vel alia die Paſchatis. Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi cap.*12. *n.*11. Vide alia apud Riccium *in praxi fori Eccleſiaſtici, reſol.*310 *part.*4. & Ioannem Mariam Nouatium, *in Lucerna Regul. verb. benedicere*, *num.*18. *&* 19. 13

Quamuis

14 Quamuis autem Campanarum benedictio ad ſolos Epiſcopos iure communi ſpectare debeat, vt habent Durand. *in Rational. diuin. offic. lib. 1. cap. 4.* Vgol. *de poteſt. Epiſcop. cap. 31.* Nihiluminus Tamburinus *dicto diſp. 23. quæſit. 12.* dicit ex priuilegio competere aliquibus Abbatibus, *& quæſit. 13.* hoc extendit ad vſum aliarum Eccleſiarum. Quia tamen ex declaratione Sacræ Congregationis relata ſuprà *num. 8.* conſtat neque Abbates, neque aliquos Prælatos Regulares etiam alias habentes priuilegium poſſe benedicere aliqua in quibus ſacra vnctio adhibetur, cum illa adhibeatur in benedictione Campanarum, prout conſtat ex Pontificali Romano; ideo non video quomodo Abbates poſſint vti dicto priuilegio, etiamſi illud concedatur. Similiter, cum dictum ſit etiam ibidem ex declaratione etiam Sacræ Congregationis non poſſe Abbates benedicere alia pro vſu aliarum Eccleſiarum, ſanè etiamſi tale priuilegium ſubſiſteret, non poſſent eo vti, niſi pro propriis Eccleſiis. Vide Riccium *in praxi fori Eccleſiaſtici, reſol. 461. part. 1.* Et nota ex declarationibus Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Campana*, poſſe Epiſcopum prohibere ne pulſentur Campanæ, ſi non ſint benedictæ, & Campanas conſecratas, etiam in turri profana exiſtentes, nullatenus vſui profano inſeruire debere, etiamſi in hunc vſum à ſæcularibus fabricatæ prætenderentur.

Adde ſupradictis, quòd in quadam S. Congregatione Rituum de anno 1649. die 24. Iulij, Epiſcopo Saliſburgenſi poſtulanti declarari an ſibi liceret impartiri facultatem conſecrandi campanas Abbatibus Ordinis S. Benedicti eiuſdem Diœceſis non habentibus indultum à S. Sede Apoſtolica, Eminentiſſimi PP. reſponderunt negatiuè.

15 Quamuis benedicere palmas in Dominica Palmarum, & Candelas in die Purificationis Beatæ Mariæ inter functiones parochiales numerentur, ita vt ſolum ad Parochos id ſpectet, Quaranta *in Summa Bullarij verbo Miſſa.* Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi, cap. 12. num. 4. & 9.* Ac per conſequens Regularibus id non competat, niſi quando curam animarum, ſeu Beneficium Parochiale habuerint, nihilominus benedictio, & diſtributio huiuſmodi Palmarum, & Candelarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis tam collegiatis, quam Parochialibus, & tam Regularibus, quàm ſæcularibus, ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Benedicere, num. 20. & 21.* Referunt etiam Gauantus *in Manual. Epiſcopor. verbo Benedictio*, & Barboſa *ſuprà, num. 5.* declaraſſe etiam Sacram Congregationem, diſtributionem Candelarum ſolum præſenti in Eccleſia fieri debere, nec tranſmittendas ad ædes ſæcularium, niſi tantum ad ægrotos (vt Gauantus addit.) Verumtamen oppoſitum hic Romæ obſeruari video.

16 De benedictione etiam Cinerum in feria quarta Cinerum, & ſanctiſſimi Sacramenti delatione in Cœna Domini, quod inter functiones Parochiales numerentur, ac per conſequens, quod à ſolo Parocho faciendæ ſint, tenet Barboſa *ſuprà, num. 3. & 8.* & colligit ex Quaranta etiam *ſuprà*, qui ad hoc refert declarationem Sacræ Congregationis. Quia tamen in illa non dicitur hoc non pertinere ad Regulares in propriis Eccleſiis, ideo conſuetudini ſtandum eſt.

17 Similiter de Purificatione mulierum poſt partum, de benedictione ouorum, quod ad Parochos ſpectent, affirmat Laurentius de Franchis *in Controuerſ. Epiſcopor. & Regular. pag. mihi 192.* Cæterum cautius exiſtimandum eſt habendam eſſe in his rationem conſuetudinis legitimè introductæ, iuxta *cap. fin. de conſuetud.* vt ipſe tandem concludit. Maximè circa admiſſionem mulierum poſt partum ad purificationem, extat declaratio Sacræ Congregationis, quam retuli *tom. 1. cap. 12. num. 41.* vbi decidit, poſſe id facere Regulares.

18 Benedictio corporis Defuncti non pertinet ad Regulares ad quorum Eccleſias defunctus aſportatur, ſed ad proprium Curatum. Ita enim declaratum eſt à Sacra Congregatione teſte Ioanne Maria Nouario *in Lucerna Regular. verbo Benedicere, num. 23.* Qualiter verò ſe gerere debeant Regulares circa leuanda Defunctorum cadauera, habes *tom. 1. cap. 10. num. 18. & tom. 2. cap. 1. num. 31.*

19 Menſæ benedictio pertinet ad Sacerdotem, & ipſo abſente ad Diaconum, non ipſo præſente, niſi ſit Diaconus Cardinalis, *cap. legimus 93. diſt.* Syluest. *in Summ. verbo benedictio, num. 9.* Mulier quoque benedicere non poteſt, niſi eodem modo quo poteſt quilibet bonus Chriſtianus, *cap. noua, de pœnitent. & remiſſ.* quia ea, quæ ſunt Ordinis non cadunt in mulierem. Syluester *ibidem.* Hic nota iuxta dicta *tom. 1. c. 9. n. 28.* non eſſe iure communi obligationem aliquam impoſitam Religioſis ad benedicendum menſam, niſi forſan ſub veniali ſolum.

20 Aquæ benedictio, propter quam ipſa vocatur aqua benedicta, vel luſtralis, eſt actus Ordinis Sacerdotalis, ita vt nec Diacono competere poſſit, prout colligitur ex Alexandro Papa *capite Aquam ſale, de conſecr. diſt. 3. & c. perlectis, §. ad Presbyterum, diſtinct. 25.* Azor. *tom. 2. Inſtit. Moral. lib. 9. cap. 15. quæſt. 2.* ideo ſi fiat à Sacerdote excommunicato, fiet irregularis, vt conſtabit ex dicendis verbo *Excommunicatio, num. 13.* Syluester *in Summa, verbo aqua benedicta, num. 4.* aliter loquens de benedictione menſæ, quia illa non eſt actus Ordinis certi. Sed vide dicenda in verbo *Excommunicatio, num. 16.* Ordinatur ad Sanctificationem, & Purificationem. Thomas Vualdenſis *tom. 3. de Sacrament. lib. 24. tit. 24. cap. 168.* Conſuetudine introductum eſt, vt ſingulis quibuſque diebus Dominicis fiat hæc benedictio aquæ, vt aiunt Angelus, & Syluester *in Summa, verbo aqua benedicta*, exceptis die ſancto Paſchæ, & Pentecoſtes, vt habet Gauant. ex Miſſali Romano *in Manual. Epiſcop. verbo Aqua benedicta.* Non eſt Sacramentum, quia non infundit gratiam, nec remittit peccata ex opere operato, ſed ſolum Sacramentale, quia aliquo modo remittit venialia. Azor. *ſupra, quæſt. 2.* Si ipſi addatur alia aqua non benedicta, redditur benedicta, non ſolum quia dignius trahit ad ſe quod minus dignum eſt, vt habet Gloſſa *in cap. Quod in dubiis, de conſecrat. Eccleſ.* ſed etiam, quia iſta creditur eſſe voluntas Eccleſiæ, quam vſus, & Doctorum traditio confirmat. Paludan. *in 4. diſt. 12. quæſt. 5. art. 3. in fine.* Layman. *lib. 5. tract. 9. cap. 13. num. 3. in fine.*

21 Eſt præterea alia aqua benedicta, vel Sancta ordinata ad conſecrationem, vel reconciliationem Eccleſiæ pollutæ ſanguine, vel ſemine, quæ benedicitur ſolum ab Epiſcopo cum vino, & cinere, vt *in cap. aqua, & in cap. propoſuiſti de conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Syluester *in Summ. ſupra num. 1.*

22 Qualiter aſperſio aquæ debeat fieri ſigillatim, videlicet ſingulis, incipiendo à dextero cornu Chori, & non vnico ictu in circulum, ſimiliter qualiter debeat fieri diebus Dominicis à celebrante Miſſam, quicumque ille ſit, habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo aqua benedicta.* Sed pro hoc vltimo conſule dicta pro Eccleſiis Hiſpaniarum *tom. 1. cap. 21. num. 28.* An excommunicatus poſſit ſumere aquam benedictam, habes infrà verbo *Excommunicatio, num. 16.*

BENEFICIVM, ET BENEFICIATI.

SVMMARIVM.

1 *Quo loco de hac re actum ſit?*
2 *Beneficium dupliciter ſumptum.*
3 *An Officia Religioſorum beneficia dici poſſint*

4 *Conditiones requiſita ad beneficium.*
5 *Quid de excommunicato acceptante beneficium.*
6 *Quid de collatione beneficij facta ſuſpenſo, vel interdicto.*
7 *Quid de facta irregulari.*
8 *An facta illegitimo.*
9 *Mos Romana Curia in Litteris Apoſtolicis.*
A quibus cenſuris abſoluatur eas obtinens. ibid.
10 *Quid facere debeat, qui cenſura, vel irregularitate, etiam occulta irretitus beneficium, etiam Regulare, obtinuit.*
11 *Beneficia ſacularia Religioſis non conferuntur.*
12 *Collatio beneficiorum ad quos pertineat.*
13 *De collatione beneficiorum indignis.*
14 *Pluralitas Beneficiorum quomodo prohibita.*
15 *Beneficia, alia reſeruata, alia non reſeruata.*
16 *Quomodo vacent Beneficia?*
An liceat renunciatio, vel reſignatio ipſorum inter Regulares. ibid.
17 *De vnione beneficiorum.*
18 *De reſidentia Beneficiatorum.*
19 *In quibus differant Beneficia ſacularia & Regularia.*
20 *Quomodo peccent Beneficiati Regulares expendentes bona Beneficiorum in vſus profanos?*
21 *Quid de Beneficiatis ſacularibus?*
22 *An Beneficiati poſſint conſanguineis prouidere.*
23 *De loco beneficiatorum, & aliis ipſos concernentibus.*
24 *Solutio quorundam dubiorum circa Illuſtriſſimum D. Praceptorem Sancti Spiritus.*
25 *Poteſt conferre beneficia ſuis ſubditis.*
26 *Colligitur ex quibuſdam litteris eiuſdem Illuſtriſſimi Praceptoris.*
27 *Ex ſummis Pontificibus.*
28 *Quia talia beneficia non ſunt electiua, ſed collatiua.*
29 *Et quia non ſunt propria beneficia.*
30 *Ex curſu antiquo.*
31 *Beneficia Regularia non ſunt propriè beneficia, quia non ſunt perpetua.*
32 *Ex facultate quam habet Religio Melitenſis.*
33 *Ex praxi Ordinum militantium.*
34 *Ex Bulla Sixti Quarti.*
35 *Poteſt idem Illuſtriſſimus conferre illa cum reſeruatione alicuius partis fructuum.*
36 *Ex vſu, & conſuetudine.*
37 *Ex eo, quod beneficia non ſunt perpetua.*
38 *Quia Regulares ſunt capaces impropria penſionis.*
39 *Quia poteſt prouidere de dictis fructibus.*
40 *Poteſt hoc fieri ſine conſenſu beneficiary.*
41 *An obſtet, quod imponere penſionem ſuper beneficium ſit proprium Papa.*

1 DE hac materia, quatenus ſpecialiter ſpectat ad Regulares, & Beneficia Regularia, non pauca dixi *tom.*1. *cap.*18. per totum, nunc alia addenda ad idem intentum vtilia, generalem doctrinam Beneficiorum ad Beneficia Regularia applicando, & ea in quibus differunt aſſignando.

2 Beneficium autem dupliciter ſumitur, ſcilicet pro actione benefactoris, & pro re, quam benefaciendo confert. Hîc non eſt ſermo de beneficio primo modo, ſed ſecundo tantum; neque de quacumque re collata, ſed de ea, quæ eſt ius recipiendi redditus ex bonis Eccleſiæ ratione ſpiritualis officij Eccleſiaſtica auctoritate conſtitutum. Sic enim definitur Beneficium Eccleſiaſticum, iuxta dicta eo *cap.*18. *num.*1. Differt autem à Præbenda, quòd illa, quæ non eſt annexa canoniæ, non eſt ratione ſpiritualis officij, ſed propter aliam honeſtam cauſam, ſcilicet merita, paupertatem, ſeruitutem in Eccleſia. Toletus *in Summa*, *lib.*5. *cap.*76. *num.* 5. & à Penſione, quia ipſa ſimiliter non datur propter officium ſpirituale, ſed eſt certa pars fructuum, quæ ex Beneficio Eccleſiaſtico datur alicui ad vitam commodè ſuſtentandam. Azor. *tom.* 2. *Inſtit. Moral. lib.*3. *cap.*5. *quaſt.*1.

3 Nota autem pro dicendis, ea etiam intelligi debere de Prælaturis in Religionibus, Generalatu videlicet, Prouincialatu, Prioratu, &c. Ratio eſt, quia licèt illa, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*15. *num.*32. non ſint propriè Beneficia, quoad vtilitatem temporalem percipiendi fructus, ſeu redditus, ſunt tamen Beneficia quoad iuriſdictionem ſpiritualem, & curam animarum, quam important, ac proinde idem proportionaliter dicendum de illis eſt, ac de aliis Beneficiis Regularibus. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*3. *num.*24. Peyrinis *de Pralato, quaſt.*2. *cap.*5. §. 3. *num.*47.

4 Ergo primò quemadmodum ad hoc, quod aliquis obtineat Beneficium ſæculare, requiruntur certæ, & determinatæ conditiones, ſeu qualitates, v.g. ad Beneficia ſimplicia ætas ſaltem quatuordecim annorum, ex Concil. Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*6. ad Canonicatum, vel dignitatem, ea ætas, quæ requiritur ad Ordinem, quem Beneficium poſtulat, ita vt ad Beneficia, quæ habent curam animarum ætas viginti quinque annorum, ad non habentia talem curam viginti duo requiratur. Idem Concil. *ſeſſ.*24. *de reformat. cap.*12. Similiter Clericatus, vel prima tonſura ex *cap. cum adeo, de reſcriptis.* Item, quod Beneficium recepturus ſit legitimus, vel ſaltem diſpenſatus, ſeu legitimatus, iuxta *cap.*1. *de filiis Preſbyterorum in* 6. Non vxoratus, ex *c.*2. *de Cleric. coniugat.* Benè morigeratus *cap. cum in cunctis, de elect.* & aliis iuribus. Litteratura ſcientia præditus, *cap. venerabilis, de prabend.* & Concil. Trident. *ſeſſ.*24. *cap.*12. & 18. *de reform.* Ac demum, quod non ſit irregularis, aut cenſura affectus. Sic etiam ad Beneficia Regularia obtinenda requiritur, quod Regulares ſint in ætate legitima conſtituti, in Religionibus profeſſi, vel ſaltem profeſſuri, legitimè procreati, ſufficienti literatura præditi, & ab irregularitate, & cenſura immunes, iuxta dicta eo *cap.*18. *num.*3. 4. 8. 11. & 34. & in hoc 3. *tom.* verbo *Ætas*.

5 Hinc quemadmodum excommunicatus acceptans Beneficium ſæculare peccat mortaliter, quia eſt incapax illius (Caietanus verbo *Excommunicatio, ſub finem.* Sotus *in* 4. *diſt.*22. *quaſt.*1. *art.*4.) Et talis prouiſio eſt ipſo iure nulla, *cap. poſtulaſtis, de Cleric. excommunicat. cap. conſtitutis* 1. *de appellat. cap. cum inter, & c. per inquiſitionem, de elect.* (Nauarrus *in Summ. Hiſpan. cap.*27. *num.*46. & *cap.*25. *num.*139. Sanchez *tom.*1. *opuſc. moral. lib.*2. *cap.*2. *dub.*10. *num.*2. & 3.) Ita & eodem modo loquendum de Regulari excommunicato acceptante Beneficium Regulare, quod ſcilicet peccet mortaliter, & prouiſio illa ſit nulla, propter eandem rationem. Eſt autem ſermo de excommunicato excommunicatione maiori, quia minori excommunicatione innodatus, etſi peccet mortaliter acceptando electionem, vel Beneficij collationem ipſi factam, *cap. fin. de Cleric. excommunicat. miniſtr.* probabile tamen eſt (etſi oppoſitum teneant plures quos refert, & ſequitur Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.*32. *num.* 11.) eam electionem, vel collationem non eſſe irritam, ſed ſolùm irritandam. Dicitur enim dicto *cap. finali.* Si minori excommunicatione ligatus electus fuerit, electio eſt irritanda. Syluester *verbo Electio* 1. *quaſt.*14. Toletus *lib.*5. *Summ. cap.*66. Cornejo *de Cenſur. tract.*5. *de excommunicat. diſp.*9. *dub. vlt.* Vide dicenda verbo *Excommunicatio*, *num.*3. & 14.

6 Hinc etiam quemadmodum collatio Beneficij ſæcularis facta ſuſpenſo, vel interdicto eſt nulla, *cap.* 5. *de poſtulat. Pralat. cap. cum dilectus, de conſuetudin.* (Syluester *in Summa, verbo electio* 1. *quaſt.*14. Sanchez *tom.*1. *opuſc. Moral. lib.*2. *dub.*15. *num.*1.) Sic etiam eſt dicendum de collatione Beneficij Regularis, propter eandem rationem. Vide dicenda verbo *Interdictum*, *n.*35. & 4. *tom.* verbo *Suſpenſio*.

Pariter

7 Pariter etiam quemadmodum collatio Beneficij ſæcularis facta irregulari ante diſpenſationem obtentam, eſt nulla, *cap. ſtudeat, diſt. 50. cap. poſtulatis, de Cleric. excommunicat. miniſtr. cap. ſi eo tempore, de reſcript. in 6. cap. is qui, de ſentent. excommunicat. in 6. cap. 1. de Cleric. pugnant. in duel.* Fauet *cap. dudum 2. de elect. §. cum autem*, & ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. & ſeſſ. 22. cap. 4.* ac ex eo, quod inhabilis ad vnum, inhabilis eſt ad ei annexum, *cap. Tranſlato, de conſtitut.* irregularis autem inhabilis eſt ad Ordines, & eorum vſum, ac proinde ad Beneficium, quod datur propter officium Clericale, *cap. de reſcript. in 6.* Enriquez *lib. 14. de irregul. cap. 2. num. 5.* Cornejo *de Cenſuris, tract. 5. de irregularit. diſp. 5. dub. 2.* ſic etiam de beneficij Regularis collatione, propter eandem rationem dicendum. Vide tamen limitationem, & explicationem huius doctrinæ infra verbo *Irregularitas, num. 5.*

8 Similiter etiam quemadmodum collatio Beneficij ſæcularis, etiam ſimplicis facta illegitimo eſt inualida, tum *ex cap. 1. de filt. Presbyter. in 6.* tum ex eo, quod illegitimus eſt irregularis, iuxta dicenda infra verbo *Illegitimi*, & verbo *Irregularitas*, (Vgolinus *de Irregularitate, cap. 44. §. 1. num. 5.* Garzia *de benefic. part. 7. cap. 2. num. 1.*) ſic etiam de beneficiis Regularibus dicendum eſt, propter eandem rationem. Quis verò poſſit in hac irregularitate diſpenſare, agit Theſaurus *in praxi Eccleſiaſtica, part. 2. verbo Illegitimi, c. 2.* Vbi etiam, an hoc impedimentum extendatur ad penſiones. Vide & dicenda infra verbo *Illegitimus*, & verbo *Irregularitas*.

9 Hanc ob cauſam moris eſt Romanæ Curiæ, vt quoties alicui Beneficium aliquod confertur, vel litteræ dantur ad illud obtinendum, quod detur ei abſolutio ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto ad hunc effectum obtinendi tale beneficium, Rebuffus *in praxi beneficior. tit. de declaratione nona prouiſionis.* Nauarrus *cap. Ita quorumdam de Iudæis, notabil. 11. in Gloſſ. vlt. num. 14.* Qui notant per Regulam Cancellariæ 78. Iulij III. non abſoluere Papam per illam abſolutionem generalem in duplici caſu. Primus eſt, ſi quis in quauis excommunicatione ſcienter per annum ſteterit. Secundus, ſi quis ſcienter manſit excommunicatus per quatuor menſes in his excommunicationibus, ſcilicet quia non paret rei iudicatæ, vel quia incendiarius, vel quia Eccleſiarum violator, vel quia falſificans, vel falſificari procurans Litteras Apoſtolicas, & ſupplicationes, vel quia litteris falſis ſcienter vtitur, vel quia eſt receptor, & fautor falſificantium, vel quia res vetitas ad infideles defert, vel quia eſt violator Eccleſiaſticæ libertatis, vel quia non obtemperat mandato Apoſtolico, vel quia impedit Nuncios, vel executores Apoſt. Sedis, vel eius Officialium, eis commiſſa exequentes. Vide Quarantam *in Summa Bullar. verbo Regula Cancellariæ*, & Naldum *in Summa verbo Excommunic. num. 40.* Nec etiam diſpenſat Papa cum hæretico per dictam generalem abſolutionem ad obtinendum beneficium, *cap. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis.* Sanchez *ſuprà, dub. 10.* Nec cum eo, cui confert beneficium in irregularitate aliqua, vt notat idem Sanchez *ſuprà dub. 14. num. 5.* contra Cordubam. Vnde in aliquibus Pontificum Bullis, quas vidi, ſolum reperio abſolui illos, quibus gratia confertur ab omnibus cenſuris, ſententiis, & pœnis, nulla facta mentione irregularitatum.

10 Ergo quicumque, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis obtinens aliquod beneficium ſæculare, vel Regulare cenſura aliqua, vel irregularitate quantumuis occulta innodatus tenetur, iuxta dicta *tom. 1. cap. 13. num. 52.* vel procurare nouam collationem beneficij, iuxta opinionem probabiliorem ibi adiunctam, vel ſaltem iuxta probabilem etiam ibi relatam (in quam inclinare videtur Cornejo *ſuprà*) procurare abſolutionem ab illa cenſura, ſeu diſpenſationem in illa irregularitate, & ſecretè acceptare iterum beneficium quod ex vi prioris prouiſionis conualeſcit, ita tamen, vt impedimentum ſit omnino occultum, & vt id in nullius cedat præiudicium (prout contingeret in caſu quo illud alteri eſſet tribuendum, quia habuit pauciora vota ſi per electionem fuit prouiſum) & quod impetretur diſpenſatio non ſolum illius impedimenti, ſed etiam intruſionis, per quam etiam fuit inhabilis ad id Beneficium. Sic habet Sanchez non ſolum loco ibi relato, ſed etiam fauet *ſuprà dub. 10. n. 16.* & Diana *punct. 5. tract. 9. de excommun. reſol. 102.* poſt Leſſium, & Coninck, quos refert.

Quamuis iuxta dicta eo *cap. 18. num. 1.* Beneficia ſæcularia Regularibus non concedantur, nihilominus pro Regularibus militibus S. Iacobi de Spatha, aliiſque non emittentibus tria vota ſubſtantialia (quales ſunt aliqui de quibus egi *tom. 2. cap. 5. num. 57. & 58.*) declaratum eſt à Sacra Congregatione eſſe capaces Beneficiorum quorumcunque ſæcularium. Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Beneficium 1.* Vide dicta eo *cap. 5. num. 54.* Item declaratum eſt ab eadem Sacra Congregatione Beneficium, quod à principio fuit Regulare, ſed poſtea mutauit ſtatum, concurrentibus iis, quæ à iure communi requiruntur ad inducendam huiuſmodi mutationem, non exigere, vt illud impetrans habitum Religionis aſſumat, in eaque profiteatur. Garzia *de Beneficiis, in addit. ad punct. 7. cap. 10. num. 15.* 11

Deinde quemadmodum Beneficia ſæcularia conferre pertinet pro toto orbe ad Papam, pro ſua Diœceſi ad Epiſcopum (cum quo concurrit Legatus à Latere) & aliquando ad Capitulum, prout habet Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 10.* Sic etiam Beneficia Regularia conferre, pro toto Ordine pertinet ad Generalem; pro tota Prouincia ad Prouincialem; & pro aliquo loco in particulari, ad Superiorem localem, vel ſimul cum Conuentu, vel ſeorſum, iuxta varias Religionum conſuetudines, vt dixi dicto *cap. 18. num. 7.* Præmiſſo tamen examine, & approbatione Epiſcopi iuxta dicta *ibi, n. 8. & ſequentibus.* [Pro quo nota quod cum collatio beneficiorum non ſit actus ordinis, ſed iuriſdictionis, ideo non ſolum Epiſcopis, ſed etiam Abbatibus, & aliis Prælatis exemptis Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus, & per conſequens etiam prælatis Regularibus conuenire poteſt. Nam in iis quæ ſpectant ad iuriſdictionem ſunt quaſi Epiſcopi. Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regul. q. 36. art. 1.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 3. diſp. 9. quæſit. 1. num. 3.* Deſeruiunt etiam ad hoc priuilegia Leonis X. & Iulij II. quod iidem Authores referunt. Caſu autem quo Prælati negligentes fuerint in præfatorum beneficiorum collatione, ad quem id munus deuoluitur, vide Azorium *tom. 2. inſtit. moral. lib. 6. c. 26. & 27.* Garziam *de Benefic. part. 10. cap. 3.* & Tamburinum *ſupra quæſit. 16.* poſt alios. 12

Præterea quemadmodum conferre Beneficia ſæcularia indignis, illis ſcilicet, qui non habent qualitates requiſitas ad miniſteria ad quæ ipſa instituuntur, eſt peccatum mortale, & contra iuſtitiam, ſaltem diſtributiuam, quæ communia debent diſtribui ſecundùm merita perſonarum, vt eſt communis ſententia omnium, de quo aliqua in ſimili dixi *tom. 2. cap. 11. n. 21.* Similiter quemadmodum, iuxta communiorem ſententiam, peccant etiam mortaliter, qui conferunt illa minus dignis, relictis dignioribus, vt etiam dixi in ſimili eo *cap. 11. num. 20.* & tenent S. Thomas 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. & quæſt. 185. art. 3.* Caietanus & alij Expoſitores cum ipſo. Ita ſimiliter de beneficiis Regularibus dicendum eſt. Procedit enim in ipſis eadem ratio. Hæc tamen dignitas, vel maior dignitas perſonæ penſanda eſt non abſolutè, ſed in ordine ad Eccleſiæ commodum, ita vt qui aptior eſt ad illud, dignior cenſeatur; & qui ineptus, reputetur indignus, quamuis in aliis qualitatibus præcellat. S. Thomas *dicta quæſt. 63.* 13

*art.*2.Laymanus *lib.*4.*tract.* 2. *cap.* 15. vbi etiam alia ad intentum.

14 Quemadmodum etiam plura Beneficia ſæcularia obtinere prohibitum eſt ſaltem iure humano ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *cap.* 13. Gregorio IX. *in cap. Dudum* 2. *de elect.* Innocent. III. *cap. de multa, de prabend.* & Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 4. *de reformat.* ſic nec plura Beneficia Regularia dari Regularibus poſſunt, niſi quando vni alij eſt annexum, vel ab eo dependens, iuxta dicta eo *cap.* 18. *num.* 29. & propter ibi dicta. Quare etſi Religioſus poſſit habere vnum Beneficium Regulare, at duo habere nequit, imò nec cum vno Beneficio poteſt habere Capellam, aut Penſionem, vel portionem Regularem, quia quodlibet Beneficium eſt incompatibile Monacho cum primo. Sic Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 29. *num.* 78. Quem ſequuntur Laymanus *lib.*4. *tract.* 2. *cap.*8. *n.*8. & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 4. *quæſit.* 8. Nec Pontifex ſolet diſpenſare, vt Regularis duo ſui Ordinis Beneficia in titulum retineat, ſed vt vnum in titulum, alterum in commendam. Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regular. quæſt.* 34. *artic. vlt.* Sanchez, & Laymanus. Apud quos alia ad intentum. Quot autem mala oriantur ex pluralitate Beneficiorum, vide in Ioanne Beerx *in precept. Decalog. precept.* 7. *expoſit.* 2. *cap.* 2.

15 Inſuper quemadmodum Beneficia ſæcularia, quædam ſunt Papæ reſeruata, ita vt ab Ordinariis conferri non poſſint, de quibus Garzia *part.* 5. *cap.* 1. & Laymanus *lib.*4. *tract.* 2. *cap.* 11. Sic pariter Beneficia aliqua Regularia reſeruari poſſunt Superioribus Prælatis Religionum, cùm ſit eadem ratio, iuxta Conſtitutiones tamen, & Statuta illarum: ex quibus etiam cognoſci poterit, quæ ſint acta reſeruata. Quibus autem modis Regularia Beneficia conferantur, præter dicta illo *cap.* 18. lege Lauretum de Franchis *in Controuerſ. Epiſcopar. & Regular. quæſt.* 88. *pag. mihi* 416. *& ſequentibus*, vbi plura de his Beneficiis.

16 Item quemadmodum ſæcularia Beneficia vacant, primò per mortem naturalem Beneficiati, ſecundò ob iuris diſpoſitionem, tertiò per iudicis ſententiam ob crimen, quartò per liberam renunciationem (Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. Moral. libr.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 8. Laymanus *ſupra capit.* 17.) Sic etiam eiſdem proportionaliter modis vacare poſſunt Regularia Beneficia, iuxta dicta eo *cap.* 18. *num.* 17. & ſequentibus. Maximè quod attinet ad renunciationem, præter dicta hoc 3. *tom.* verbo *Abbas, num.* 18. illa enim huic propoſito applicari poſſunt, dicendum videtur, quod cum renunciatio Beneficij nihil aliud ſit quàm ſpontanea proprij Beneficij dimiſſio facta coram legitimo Superiore, ipſo acceptante, verè non eſt ratio, cur apud Prælatos Regulares non poſſit fieri renunciatio Beneficiorum Regularium. Fauent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 35. *num.* 191. Laymanus *ſup. num.* 3. Si tamen Beneficium ſit iuris patronatus, non eſt ſufficiens voluntas Superioris, ſed & requiritur conſenſus Patroni, aliàs fieret illi iniuria, *cap. in Lateranenſi, de prabend.* Lambertinus *de Iurepatronat. lib.* 3. *quæſtione* 5. *principali, artic.* 5. Sanchez *tom.* 1. *opuſc. Moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 29. *numero* 1. Vide dicta *tomo* 2. *capite* 29. *numero* 6. An autem poſſit fieri huiuſmodi Beneficiorum reſignatio in fauorem tertij, dicendum primò, fieri poſſe hoc modo, reſignando ſcilicet abſolutè Beneficium in manibus Prælati cum intentione, & ſpe non manifeſtata ipſi, vt illud conferat certæ perſonæ. Secundò reſignando ſimiliter abſolutè Beneficium in manibus Superioris, rogando tamen poſtea ipſum, vt illud conferat alicui, verbi gratia, Petro. Cùm enim in hoc nullum interueniat pactum cum Superiore, aut cum illo pro quo rogatur, nec vlla obligatio iniuncta Superiori conferendi Beneficium perſonæ deſignatæ, vt ſuppono, non eſt in eo aliquid contra Ius diuinum, aut etiam Canonicum, proVt in ſimili de reſignatione Beneficiorum etiam ſæcularium dicunt Proſper Auguſt. *in Additionibus ad Quarantam in Summ. Bullar. verbo Beneficiorum reſignationes,* §. *pro complemento.* Suarez 1. *tomo de Relig. de Simonia lib.* 4. *cap.* 35. *numer.* 15. *& ſequentibus.* Bonacina *de Simonia quæſtione* 4. §. 14. *numer.* 6. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 69. *num.* 50. Nec obſtat Conſtitutio Pij V. *Quanta Eccleſia*, inter Conſtitutiones ipſius *num.* 58. vbi huiuſmodi reſignationes in fauorem tertij omnino prohibentur. Vel enim ibi ſolum ſermo eſt de Beneficiis ſæcularibus vel eſto etiam ſit de Regularibus, intelligenda eſt Conſtitutio extra caſus poſitos, quando ſcilicet ea intentio, aut ſpes manifeſtatur ipſi Superiori, vel ipſi imponitur aliqua obligatio ad conferendum Beneficium deſignatæ perſonæ, aut cum illo, vel cum ipſa intercedit pactum aliquod. Ita auctores relati. Vide Dianam *part.* 5. *tractat.* 14. *reſolut.* 56. vbi ſpecialia quædam affert circa Conſtitutionem *Quanta Pij V.*

Ad hæc, quemadmodum Beneficiorum ſæcularium 17
vnio fieri non poteſt, niſi accedente auctoritate Summi Pontificis, vel etiam, ſaltem in caſibus particularibus, Epiſcopi (de quo Laymanus *ſupra cap.* 9.) ſic nec Beneficiorum Regularium, niſi accedente Superioris poteſtate, iuxta dicta eo *cap.* 18. *num.* 24.

Demùm quemadmodum Beneficia ſæcularia ſaltem 18
curata exigunt reſidentiam, etiam iure diuino, conformiter ad doctrinam Concil. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* de quo Sotus *lib.* 10. *de inſtit. quæſt.* 3. *art.* 1. Nauarrus *in Manual. cap.* 25. *n.* 121. Vaſquez *de Benefic. cap.* 4. *n.* 203. Ita pariter, & propter eandem rationem de Beneficiis Regularibus dici debet. Declaratum autem video à Sacra Congregatione, obtinentem Beneficium ſimplex, & ſine cura animarum, & extra Eccleſiam Collegiatam, nec perſonalem reſidentiam ob aliam cauſam requirens, non teneri in eo reſidere, ſed ad inſeruiendum illi per alium, qui probatus ſit ab Ordinario. Garzia *de benefic. parte* 3. *cap.* 2. *num.* 9. Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo beneficium ſimplex* 3. Item obtinentem ante Concilium ex diſpenſatione duo, vel plura Beneficia requirentia perſonalem reſidentiam, teneri reſidere, in quo eſt maior neceſſitas, nec propterea poſſe alterutro priuari, amittere tamen diſtributiones quotidianas eius Beneficij, cuius miniſterio non inſeruit. Garzia *ſup. num.* 186. Barboſa *ſupra verbo Beneficium* 1.

Differunt autem Beneficiati ſæculares à Regulari- 19
bus. Primò, quia illi ſimpliciter ſubiiciuntur Epiſcopis, ſeu Prælatis Eccleſiarum: iſti verò non niſi in iis, quæ ſpectant ad beneficium, cui inſeruiunt, in reliquis enim ſuis Prælatis Regularibus ſubditi manent, iuxta dicta eo *capit.* 19. *num.* 9. & 16. Secundò, quod ſæculares vocari debent ad concurſum, ex Pio V. *in Conſtitut. In conferendis, numer.* 33. & declarationibus Sacræ Congregationis apud Garziam *de Benefic. part.* 9. *capit.* 2. *num.* 57. 160. & 256. & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Examen.* Regulares verò non ita, iuxta dicta eo *capite* 18. *num.* 11. Nota tamen ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium apud Gauantum *in Manual. Epiſcopor. verbo Beneficiorum Parochialium prouiſio, numero* 40. quod Regulari Parocho minùs digno poteſt alter ſubrogari, & debet, ſi Epiſcopus velit. Tertiò, quod beneficiati ſæculares cum dominij capaces ſint, domini veri ſunt, non ſolum bonorum patrimonialium, ſi quæ habent (inter quæ illa, quæ ex hæreditate, arte, donatione, &c. illis obueniunt computantur) ſed etiam illorum, quæ quaſi patrimonialia dicuntur, eorum videlicet quæ ipſis offeruntur ob miniſteria Eccleſiaſtica, quæ adminiſtrant, vt habent Maior *in* 4. *diſtinct.* 24. *quæſtion.* 17. *concluſ.* 4. Nauarrus *in tractat. de redditibus Eccleſiaſtic. quæſtione* 1. *monit.* 19. Imò etiam illorum, quæ ex

redditibus

Digitized by Google

tedditibus Eccleſiaſticis, quos habent, ipſis neceſſaria ſunt pro congrua, & decenti ipſorum ſuſtentatione, vt ea communi Theologorum ſententia habent S. Thomas 2. 2. *quaſt.* 185. *art.* 7. *ad* 2. & 3. Caiet. & expoſitores *ibid.* Sed quod magis eſt ſecundum valdè probabilem ſententiam, etiam eorum bonorum quæ ex redditibus illis ſuperfluunt, & ſibi non ſunt neceſſaria, vt Laymanus *ſuprà*, *cap.* 3. *num.* 3. aliis pluribus relatis proſequitur. Cum enim ipſi ſint dominij capaces, quia votum paupertatis non emittunt, quidquid illis conceditur, ſub ipſorum dominio cadit. Conceduntur autem illis ab Eccleſia omnes reditus ſuorum Beneficiorum, omnium ergo illorum, & non ſolum eorum, quæ illis neceſſaria ſunt, dominium habent. Cum hoc tamen eſt, vt poſtea dicetur, quod ex iuſtitia teneantur ſuperflua ſuorum redituum in pium aliquem vſum erogare. Cæterum Beneficiati Regulares, cùm propter votum paupertatis quo aſtringuntur, capaces dominij non ſint, quamuis redituum Beneficialium, oblationum, & ſtipendiorum, propter miniſteria Eccleſiaſtica illis conceſſorum, liberam adminiſtrationem habeant, ſicut & Beneficiatij ſæculares, & veluti procuratores, œconomi, & diſpenſatores illorum, iuxta dicta eo *cap.* 18. *num.* 33. nullum tamen dominium ſuper illa habere poſſunt, vt communiter ſupponunt Doctores.

Caſu autem, quo beneficia per concurſum conferantur, quamuis obſeruari debeant, quæ habet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. Nihilominus ſi vnus tantùm ad concurſum comparuerit intra terminum præfixum, & ille à Prouiſore Beneficiorum examinatus, approbatus fuerit, & idoneus repertus, illi conferri debet Beneficium, ſic enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas refert Garzias *de benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 215. quæ tales ſunt.

Prima: *Congregatio cenſuit, ſi vnus tantum ad concurſum comparuerit intra terminum, poſſe ſolùm examinari, & approbari. Secunda, ſuper illis verbis. Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, & non ideo prohibetur, quin ſi vnus tantum comparuerit in concurſu, iſque repertus fuerit idoneus, ei debeat Eccleſia conferri. Tertia item, an vno comparente poſſit prorogari terminus, & proponi aliud edictum. Congregatio cenſuit edictum aliud non eſſe proponendum, ſed illum, qui comparuerit, examini ſubiiciendum, & ſi idoneus repertus fuerit, eidem beneficium eſſe conferendum, niſi qui deſcripti ſunt, excuſent ſe legitimo impedimento detineri quo minùs valeant ad concurſum accedere, tunc enim poterit Epiſcopus legitimè terminum prorogare.* Sic etiam tenuit Proſper Auguſtinus in addit. ad Stephanum Quarantam *in Summ. Bullar. verb. benefic. collat. quaſt.* 5. Vgolin. *de offic. Epiſc. cap.* 50. §. 10. *num.* 4. Maſſobr. *in prax. requiſit.* 3. *dub.* 7. & 8. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 60. *num.* 51. & *in collect. deciſ. Apoſtolic. collect.* 340. *num.* 6. & Archiepiſcopale Bononienſe, dum de hac re agitur. Ratio etiam id ſuadet, quia ritè, & legitimè electus ad aliquod munus obeundum, ius habet ad illud obtinendum. In caſu autem præſenti ille vnus, qui venit ad concurſum, ritè, & legitimè fuit electus.

20 Peccant ergo contra iuſtitiam Beneficiati Regulares prædicta adminiſtrantes in vſus prophanos, aut ſuperfluos, & non in pia opera, eleemoſynas, &c. quia videlicet, vt ſacri Canones loquuntur, bona Eccleſiaſtica, quæ illi adminiſtrant, ſunt *res Dei*, *patrimonium Chriſti*, *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, quod eſt dicere, illa non ſunt ſua, ſed illis ab Eccleſia conceſſa, ſub pacto ſaltem implicito, & annexo Beneficiis, quæ poſſident, ea adminiſtrandi in pios vſus. Vnde aliter facientes tenentur ad reſtitutionem faciendam eo modo quo fieri poſſit, iuxta dicta in ſimili de Epiſcopo Religioſo prodigè, & ſuperuacaneè bona ſuæ Eccleſiæ expendente, *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. ex Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *quaſt.* 3. *punct.* 8. & Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 13.

Idem etiam affirmandum de Beneficiatis ſæcularibus, etſi enim bonorum Eccleſiaſticorum dominium habeant, iuxta dicta, illud tamen non eſt omnino liberum, ſed grauatum, & reſtrictum adiectione pacti, vel oneris ad expendendum illa in pios vſus, prout colligitur ex *cauſa* 12. *quaſt.* 1. *cap. Epiſcopi*, *cap. manifeſta*, & *ſequentibus*. Item *cap. ſimiliter* & *cap. quia iuxta*, *cap. reuertimini*, *cap. decima*, *cauſa* 16. *quaſt.* 1. *cap. quod autem* 23. *quaſt.* 7. & ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de reform.* Ac proinde aliter facientes peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, ſicut tenerentur illi, qui habent fideicommiſſum, legatum, vel donatum ſub aliquo onere, vel grauamine, & illud non adimplerent, vt ſi quis Petro donaret centum aureos viatici nomine ad peregrinationem hoc onere, vel grauamine, vt quod ipſi ſuperfuiſſet, pauperibus erogaſſet. Laymanus *ſuprà*, aliis relatis. 21

Poterunt tamen prædicti Beneficiati tam ſæculares, quàm Regulares de prædictis bonis Eccleſiaſticis ſuccurrere filiis (ſi illos contingat habere) parentibus, fratribus, & aliis conſanguineis in neceſſitate poſitis. Cum enim ſuccurrere pauperibus opus pietatis ſit, non debent ſanguine coniuncti ipſis Beneficiariis priuari ipſo. Nauar. *comment. de ſpoliis Clericorum*, §. 19. *num.* 11. Molina *diſp.* 146. Qui tamen rectè limitat hanc doctrinam in caſu quo aliæ longè grauiores neceſſitates aliorum non occurrant. 22

De loco, quem Beneficiati habent in Proceſſionibus, Congregationibus, & Choro, quas functiones gerere debeant, qualiter ad illas cogendi, & quo habitu vti, vide declarationes Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Beneficiatus.* De aliis etiam ad illas ſpectantibus vide dicta *tom.* 1. *cap.* 17. & *tom.* 2. *cap.* 18. Inſuper dicenda inferiùs verbo *Breuiarium*, vbi de Breuiario quo vti debent, & 4. *tom.* verbo *Seminarium*, vbi de Beneficiis, quæ Seminariis vniri poſſunt aut debent, agetur. [Nota demùm, quod in beneficiis Regularibus non habet locum Regula reſeruationis menſium Apoſtolicorum. Etſi enim in dicta Regula ſibi reſeruet Papa collationem beneficiorum etiam Regularium, hoc tamen intelligi debet de beneficiis perpetuis, qualia ſolent eſſe aliquando beneficia Regularia, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 18. *num.* 20. Ita deciſum à Rota *in vna Parmenſi Prioratus*, 5. *Iuny* 1593. vt refert Garzia *de benefic. punct.* 5. *cap.* 1. *num.* 510. & *in alia Foroiulienſi Parochialis coram Domino Buratto* 15. *May* 1626. quam refert Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *diſp.* 9. *quaſit.* 13. vbi affert plures alios authores pro hac ſententia. 23

Congruit ad intentum doctrinæ traditæ ſolutio quorundam dubiorum, quæ mihi annis præteritis propoſita fuerunt ex parte cuiuſdam Religioſi Ordinis S. Spiritus, & ſpectantia ad Illuſtriſſimum eiuſdem Ordinis Generalem Præceptorem, ſeu Commendatorem. Primum, an talis Illuſtriſſimus poſſit conferre beneficia ſuis fratribus profeſſis. Secundum, an poſſit illa conferre cum aliqua penſione. Tertium, an cùm aliquis ipſorum reſignauerit in eius manibus aliquod Beneficium, poſſit illud conferre alteri in titulum, & illi qui reſignauit relinquere aliquam prouiſionem annualem ſoluendam ex ipſo Beneficio. Quartum, an fratres poſſint inter ſe renunciare dicta Beneficia cum penſione, intelligendo tamen de licentia Illuſtriſſimi Præceptoris. Quintum, an totum hoc, vel aliquod ipſorum repugnet voto paupertatis. Ad quæ, conformiter ad ea quæ tunc dixi, ſic modò, aliquibus additis, & immutatis, reſpondeo. 24

Ad primum Dubium.

Certum videtur, & indubitatum poſſe Illuſtriſſimum D. Præceptorem S. Spiritus conferre ſuis ſubditis Beneficia. 25

Digitized by Google

Beneficia. Ratio eſt primò ex ipſomet Illuſtriſſimo D.
Præceptore in litteris datis ad ſuos fratres die 28.Ian-
uarij 1635. vbi fatetur Sixtum Quartum decreuiſſe
26 beneficia ordinis S.Spiritus pro ſolo nutu Præceptoris
pro tempore exiſtentis conferri poſſe expreſsè profeſſis
eiuſdem ordinis in titulum, vel commendam. Secun-
dò ex Paulo IV. Pio IV. & Pio V. relatis ab eodem Il-
27 luſtriſſimo Præceptore in prædictis litteris, qui idem
ſtatuerunt, vel confirmarunt. Tertiò, quia cum hu-
iuſmodi Beneficia non ſint electiua, id eſt per electio-
nem canonicam ſuffragiis electorum conferenda, ſed
28 collatiua, id eſt, quæ authoritate Superioris conferun-
tur, collatio illorum pertinet ad Superiorem, qualis
eſt prædictus Illuſtriſſimus Præceptor. Azor. *tom.1.in-
ſtit.moral. lib.12.cap.27.* Sanchez *lib.7.in Decalog.c.29.
num.108.& ego tom.2.Summa, cap.18.num.3.* Quartò,
quia eſto quoquo modo prohibitum eſſet Prælatis Re-
gularium & prædicto Illuſtriſſimo conferre Beneficia,
id ſolùm videtur intelligendum de iis, quæ propriè Be-
29 neficia ſunt, ſcilicet, quia ſunt perpetua; Beneficia enim
Regularia, cùm perpetua non ſint, ſed manualia & re-
uocabilia, propriè Beneficia non ſunt, Calderinus *con-
ſil.26.num.vnico,de prabend.* Ludouicus Gomez *titulo de
gratia expectatiuarum, num.94.* Rodriguez *tom.1.quaſt.
30 Regul.quaſt.34. art.2.* Sanchez *vt ſupra, n.106.* Quintò
ex vſu antiquo Præceptorum S.Spiritus dicta Beneficia
conferentium, qui vſus videtur approbatus virtualiter
à Viſitatoribus viſitationis Apoſtolicæ, qui à multis an-
nis, & vt credi poteſt, ſcientia, & tolerantia ſummo-
rum Pontificum videntes prædicta Beneficia à dictis
Præceptoribus conferri, nihil immutarunt, nec repre-
31 henderunt, vt debebant, ſic facientes. Quod eſt virtua-
lis quædam & implicita approbatio à ſede Apoſtolica.
Vnde videtur in conſuetudinem tranſiiſſe, eo quòd ha-
beat omnes conditiones ad veram conſuetudinem re-
quiſitas, ac perinde, quod habeat vim legis, *cap.conſue-
tudo, diſt.1.cap. fruſtra, ibid.* vbi Gloſſa. Beneficia au-
tem Regularia propriè Beneficia non eſſe ob defectum
perpetuitatis, quæ eſt conditio intrinſeca veri, ac pro-
prij Beneficij, communis ſententia eſt. Accedit ſextò,
quod vt colligitur ex Bulla *inter opera*, Nicolai Quarti
32 *tom.1.* Bullar. Laërtij Cherubini *conſtit.* 3. in hoc Pon-
tifice huic Religioni conceditur eadem facultas, quam
habet Domus Hoſpitalis S. Ioannis Melitenſis, quæ
33 ſine dubio ad hoc extenditur. Septimò, ex praxi Or-
dinum Militarium, in quibus prout communiter tra-
dunt DD. & ex multis id habet Caſtrus Palaus *in oper.
moral. part.2. tract.13. diſp.1. punct.3. §.3.* Superiores
34 conferunt Beneficia regularia ſuis ſubditis. Denique ex
Bulla Sixti IV. de anno 1473. quæ refertur ex Bullario
huius Religionis, & in ea dicuntur contineri iſta. *Sta-
tuimus, & ordinamus, &c. quodque nullus de Hoſpitali-
bus, domibus, Beneficiis, Praceptoriis, Oratoriis, Prio-
ratibus, Eccleſiis, Capellis, ſeu membris huiuſmodi, pra-
ter Praceptorem pradictum ad quem dumtaxat illorum col-
lationem, prouiſionem, præſentationem, & quamuis aliam
diſpoſitionem pleno iure pertinere voluimus, prouidere
poſſit etiamſi ſub aliqua generali, vel ſpeciali reſeruatione,
tam in corpore iuris clauſa, quàm ratione vacationis apud
eandem ſedem, ſeu pratextu alicuius officij in ea obtenti,
vel obtinendi, vel familiaritate aliquorum ex eiſdem Car-
dinalibus comprehenderentur.*

Ad ſecundum Dubium.

35 Etiam videtur dicendum poſſe prædictum Illuſtriſſi-
mum Præceptorem conferre ſuis ſubditis illa beneficia
cum reſeruatione alicuius partis fructuum ad fauorem
Hoſpitalis S.Spiritus, vel aliorum fratrum eidem in-
36 ſeruientium, habita conſideratione. Et ratio eſt primò,
ex vſu, & antiqua conſuetudine, quia teſte eodem Il-
luſtriſſimo, in litteris ſuprà relatis, Præceptores huius
Ordinis ita facere conſueuerunt. Secundò, quia cùm
talia beneficia non conferantur vt perpetua, ſed vt
manualia, ſicut ipſa ſubſunt diſpoſitioni prædicti Illu-
ſtriſſimi Præceptoris (ita vt quandocunque voluerit, 37
poſſit ea à ſubditis auferre,) ita & fructus illorum
ſubſunt ipſius diſpoſitioni, ac per conſequens poterit
de illis diſponere quando, & quomodo voluerit. Poterit
ergo de prædictis fructibus pars aliqua applicari, tum
Hoſpitali, tum fratribus ipſius. Tertiò, quia eſto, quod
Regulares non ſint capaces penſionis propriè dictæ, nec
illam poſſit imponere Prælatus Regularis ſupra Regu- 38
laria beneficia, tamen loquendo de impropria penſio-
ne, quæ ſcilicet non imponitur beneficio, ſed ipſi be-
neficiario, quæ potiùs prouiſio, ſeu diſpenſatio, quàm
penſio appellari debet, quod poſſit imponi à Prælato
Regulari ex iuſta cauſa, & reuocabiliter probat San-
chez *lib.7.in decalog.cap.29.num.99.* Poſt Leſſium *lib.2.
de Iuſt. & Iur. cap.41. dub.11. num.94.* quos etiam ſe-
quitur Palaus *ſupra, diſp.1. punct.11.§.3.num.9.* Tum
quia id etiam facere poſſunt ſecundum plures, Epiſco-
pi: tum quia cum Religioſus accipiens à ſuo Supe-
riore beneficium expendere debeat fructus illius de li-
centia illius, ſaltem tacita, non eſt cur non poſſit illi
imponere, vt expendat partem aliquam fructuum,
dando illam Monaſterio, aut alij fratri. Confirmatur 39
hoc, quia ſi dictus Illuſtriſſimus Præceptor poteſt, non
obſtante facta prouiſione dictorum beneficiorum, de
illis diſponere in cauſas prædictas, eò quod cum ſint
manualia, & fratres illa obtinentes voto paupertatis
obligentur ad nihil habendum contra voluntatem ſuo-
rum ſuperiorum, multo magis poterit diſponere de
fructibus ipſorum beneficiorum in cauſas prædictas.
Quod iam olim in fauorem conuentus Hieroſolymita-
ni dicitur reſolutum 28. Maij 1593.

Addendum huiuſmodi penſiones imponi poſſe ſine 40
conſenſu beneficiarij, eſto oppoſitum habeatur *in Re-
gul.41.* aliàs 43. *Cancellar.* & Axor. *ſecunda part. inſtit.
Moral.lib.8.cap.8.quaſt.6.* dicat hunc conſenſum haberi
pro forma talis impoſitionis. Hoc enim ſolùm eſt ve-
rum de veris penſionibus impoſitis ſuper beneficia ſæ-
cularia, & non ſuper regularia Regularibus conceſſa,
qui non habent proprium, nec aliquid, niſi dependenter
à voluntate ſuorum Superiorum.

Ex quo etiam ceſſant aliqua, quæ obiici poſſunt; ex 41
eo videlicet, quod imponere penſionem ſuper benefi-
cium ſit proprium Papæ *cap. 2. de prabend. in 6. &
Clem.1. in fin.vt lit. pend.* Garcia *prima part. de benefic.
cap.5. num.274.* Et quod *in Clem.2. de ſupplen. neglig.
Pralat. §.eadem*, prohibeantur imponere penſiones ſu-
per Prioratus, &c. Hæc enim omnia intelligenda ſunt
de veris, & propriis penſionibus, quæ ſcilicet impo-
nuntur ad vitam, & ad liberam diſpoſitionem: quod 42
eſt de ratione propriæ penſionis, vt habet Gigas *de
penſ.quaſt.12.in principio, & quaſt.52. num.2.* in præ-
ſenti autem eſt ſermo de impropriis penſionibus, ſcili-
cet manualibus, & non ad liberam diſpoſitionem, ſed
iuxta beneplacitum ſuperioris impoſitis.

Idem dico ad conſtitutionem Pij V. quam refert
Mandoſius *de ſignat.rubr. de penſion.* vbi facultas crean-
di penſiones reſeruatur Papæ. Propter dicta, videlicet,
quod penſiones iſtæ non ſunt propriè penſiones, ſed
prouiſiones, &c. Ex quo etiam fundamento generali-
ter inferunt aliqui, quod conditiones illæ iure com-
muni requiſitæ ad penſiones non afficiant iſtas impro-
prias penſiones, in quarum prouiſione præfatus Illu-
ſtriſſimus Præceptor ſolùm ad inſtar *Patrisfamilias* 43
accedentis ad bonum regimen ſuorum ſe gerit. Etſi
hoc cum tanta amplitudine admitti non debeat, ſed
quantum fieri poteſt vſui Curiæ in prouidendis huiuſ-
modi penſionibus ſe accommodet.

Ad

Ad tertium Dubium.

44 Ex quo etiam videtur dicendum ad tertium, poſſe Il-
luſtriſſimum D. Præceptorem facta in eius manibus
reſignatione alicuius beneficij, illud conferre cuicun-
que voluerit, ſeruatis tamen ſeruandis, &c. Et decernere
quod pars fructuum illius beneficij tribuatur illi, qui
tale beneficium reſignauit, altera parte reſeruata pro
illo qui beneficio inſeruiet. Ratio eſt, quia vt vidimus,
tam beneficium quàm fructus ex illo prouenientes de-
pendent à voluntate prædicti Illuſtriſſimi Præcepto-
ris, cùm ratione voti paupertatis fratres S. Spiritus
non poſſint illa alio modo obtinere, poterit ergo ita
diſponere, vt pars fructus beneficij remaneat pro eo,
qui illud reſignauit, & altera pars pro eo, qui benefi-
45 cio deſeruit. Confirmatur, quia de fructibus benefi-
ciorum Regularium prouidere poſſunt Prælati ad li-
bitum, intelligo in cauſas pias & honeſtas: ergo etiam
poterit fieri diſtributio modo dicto, cum id ſit pium,
& honeſtum, vt ſupponitur.

Ad quartum Dubium.

Dicendum primò fratres non poſſe diſponere inter
46 ſe de beneficiis, aut penſionibus, quæ habent. Quia
non ſunt domini ipſorum, nec poſſunt eſſe tales
propter votum paupertatis, quod habent, & quia id
facere ſpectat ad Illuſtriſſimum præceptorem, vt con-
ſtat ex dictis, Petrus de Vbaldis *tract. de permut. benefic.
num. 51.* nec poſſunt inter ſe renunciare beneficia cum
penſione, etiam intelligendo id facere de licentia Illu-
ſtriſſimi Præceptoris. Ratio eſt, quia omnis pactio,
contractus, ſeu conuentio in materia beneficiorum eſt
ſimoniaca, ſaltem Iure poſitiuo *ex cap. quaſitum, cap.
cum olim, de rer. permut. cap. Maior. de prabend.* vbi om-
nis permutatio dignitatum prohibetur, & maximè ex
47 *cap. cum primum, & cap. vlt. de pactis*, vbi omnis pactio
prohibetur in beneficiis. Renunciare autem prædictos
Prioratus cum penſione, etiam incluſa tali licentia,
eſt quoddam pactum, contractus, ſeu conuentio. Er-
48 go. Confirmatur, quia renunciatio beneficij cum pen-
ſione ſolùm poteſt fieri in manibus Papæ, vt docent
communiter Authores. Felinus *in cap. ad audien-
tiam 2. de reſcript.* Redoan. 1. *part. cap. 25. & 2. part.
cap. 12. & ſequentibus.* Nauarrus, Sotus, Arianus, &
alij Theologi apud Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. de
ſimonia, cap. 35. num. 23. & 24.*

49 Dicendum ſecundò, non poſſe fieri huiuſmodi re-
nunciationes etiam in manibus Illuſtriſſimi Præcepto-
ris cum conditione penſionis. Ratio eſt, primo ex ge-
nerali prohibitione paciſcendi in beneficiis, & rebus
ſacris; illa autem conditio videtur includere pactum.
Secundò ex perpetua Eccleſiæ traditione, & conſue-
tudine qua conſtat inferiores Prælatos Papa non ad-
mittere huiuſmodi renunciationes. Suarez *vt ſuprà,
num. 5. & 6.*

50 Dicendum tertiò, nec poſſe fieri huiuſmodi reſigna-
tiones beneficiorum cum deſignatione ſucceſſoris, nec
niſi à ſenio confectis, vel valetudinariis, aut corpore
impeditis, vel vitiatis, aut crimini obnoxiis, cenſuriſ-
que Eccleſiaſticis irretitis, aut qui nequeunt, aut non
debent Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, aut aliis hu-
iuſmodi impedimentis à Pio V. numeratis, &c. Ratio
deſumitur ex Bulla Pij quinti *Quanta Eccleſiæ, in 2. tom.
Bullar. num.* 58. in qua conſtitutione Pontifex ſtatuit,
ne reſignationes etiam Epiſcopis, vel aliis collatori-
bus fiant, niſi à prædictis perſonis, & ſine pacto, ſeu
conditione, vel deſignatione futuri ſucceſſoris, cui re-
ſignans intendit beneficium conferri, & irritat aliter
factum, Suarez *ſuprà, num.* 18. Bonacina *de ſimonia,
quaſt. 4. §. 14. num. 5.*

Quartò dicendum, poſſe prædictos fratres, facta ab- 51
ſoluta reſignatione beneficiorum ſine vlla conditio-
ne, nutu, pacto, aut manifeſtatione voluntatis, quod
aliis conferantur, rogare poſtea Illuſtriſſimum Præce-
ptorem, vt conferat illa ei, quem ipſi proponunt,
dummodo illi, pro quibus rogant, non ſint ipſorum,
vel Præceptoris conſanguinei, affines, vel familiares.
Ratio primæ partis eſt, quia in eo non videtur eſſe ali-
qua malitia, nec eſſe alicubi prohibitum, cum talia
beneficia iam ſint vacantia, & pro talibus habenda.
Ratio verò ſecundæ, quia hoc eſt prohibitum in dicta
Bulla Pij V. vbi præcipit ac interdicit ne collatores be-
neficiorum, quæ reſignantur, ea conferant ſuis, aut
reſignantium conſanguineis, affinibus, aut familiari-
bus, & quidquid contra hoc fuerit attentatum, irri-
tum decernitur, & inane. Quaranta verbo *benefic. re-
ſeruatio, verſ. Pro complemento.* Bonacina *vt ſuprà, verſ.
Obſerua tamen.*

Quia tamen beneficia conferenda fratribus S. Spiri- 52
tus non ſunt ſæcularia, ſed regularia, nec ſunt ſimplici-
ter beneficia, vt diximus ſupra in reſponſione ad pri-
mum, cum ſint ſolùm manualia, *anomala*, & amouibilia
ad voluntatem Illuſtriſſimi Præceptoris, non videtur
improbabile non comprehendi in dicta Bulla Pij V.
quæ ſolùm de beneficiis ſæcularibus, & quæ ſimpli-
citer ſunt talia, videtur iure ligenda, quod dictum
volumus ſub Doctorum cenſura intelligi debere. 53
Idem quoque videtur dicendum de octaua regula
Cancellariæ, quæ ſolet vocari, *Regula de menſibus, &
alternatiua*, quod ſcilicet iſta beneficia non compre-
hendantur in ipſa, propter rationem aſſignatam. Et
quia Pontifex in ea regula ſolùm videtur loqui de
beneficiis, quæ verè vacant: at verò beneficia hæc re-
gularia non vacant. Gonzalez *gloſſ. 5. §. 6. à num. 9.*
Barboſa *tertia part. de poteſt. cap. Allegation. 57. à nu-
mero* 141.

Loquendo etiam de tranſlatione penſionum, ſeu 54
quaſi penſionum, dicendum eſt non poſſe fieri à præfa-
tis fratribus. Tum quia, ſtando in Iure communi, tranſ-
latio penſionum non fit, niſi ex Papæ authoritate,
eò quod per ipſam beneficia grauantur, ſi quidem
onus impoſitum de nouo prorogatur. Azor. 2. *part. in-
ſtitut. moral. lib. 8. cap. 12. quaſt. 2.* Garzia 1. *part. de be-
nefic. cap. 5. num. 242.* Gonzalez *gloſſ. 5. §. 5. num. 38.*
Pariſius *de reſignat. lib. 6. quaſt. 4. num. 13. & ſequenti-
bus.* Et quia rarò, & raris perſonis conceditur hæc
facultas, Palaus *ſuprà, diſputat. 1. puncto 11. §. 9.
num.* 9. Quia tamen dici poteſt prædicta ſolùm
procedere in penſionibus propriis, non in impro-
priis, quales ſunt iſtæ, de quibus nunc, ideo etiam
de illis probatur, quia cum tales penſiones pen-
deant à voluntate Illuſtriſſimi Præceptoris, & den-
tur perſonis Religioſis ſubditis illius, qui ex gene-
rali ratione voti paupertatis non ſint ſui iuris, ſed
alterius, ſcilicet præfati Præceptoris, non poſ-
ſunt facere huiuſmodi tranſlationem ſine ipſius con-
ſenſu.

BIGAMVS, ET BIGAMIA.

SVMMARIVM.

1 *Bigamus, & bigamia quid ſint?*
Duplex eſt bigamia. ibid.
An addi debeat tertia ſpecies bigamiæ? ibid.
2 *Bigamia irregularitatem inducit.*
3 *Contrahens plura matrimonia, & ea non conſummans, non fit irregularis.*
Nec rem habens cum pluribus fœminis extra matrimonium. ibid.
Non ſufficit ad illam copula nefanda. ibid.

Quid de habentibus votum ſolemne, ſi matrimonium contrahant. ibid.
4 *A quibus diſpenſetur hæc irregularitas.*
5 *An à Prælatis Regularium reſpectu ſuorum ſubditorum?*
6 *An ſaltem diſpenſent in irregularitate ſimilitudinaria?*
7 *An in bigamia vera quoad Ordines minores?*
8 *Non tollitur hæc irregularitas per Baptiſmum.*
9 *Nec per Profeſſionem in Religione.*
10 *Quas alias pœnas incurrant Clerici bigami.*
11 *De quibus Clericis id intelligatur.*
An etiam de Religioſis bigamis? ibid.
12 *Bigamus quomodo admittendus ad Religionem.*
13 *An ad Prælatias.*

1 Bigamus dicitur, qui binas contraxit nuptias, ſicut monogamus, qui ſemel contraxit. Vnde Bigamia eſt idem, quod pluralitas vxorum. Eſt autem duplex: vna realis, & vera, quæ contingit, quando quis duo contraxit, & conſummauit matrimonia; altera ficta, ſeu interpretatiua, quando quis re vera non contraxit duo matrimonia, ſed iuris fictione, ſeu interpretatione cenſetur contraxiſſe, vt ſi quis iam coniugatus de nouo cum alia contrahat, vtramque cognoſcens, vel quando vnam vxorem legitimè habuit, eamque cognouit, & poſtea aliam inualidè duxit cum impedimento dirimente, ipſamque etiam cognouit, ſeu quando duo matrimonia inualidè contraxit, & conſummauit, aut cum vidua, ſeu ab alio corrupta; aut denique, quando etſi cum virgine contraxerit, eam tamen cognouit poſtquam cum alio adulterata eſt. Cornejo *tract.5. de irregularit. diſp.10. dub.1. & 2.* Bonacina *de Cenſuris diſp. 7. quæſt. 2. punct. 5.* Addi ſolet tertia ſpecies bigamiæ, quæ vocatur ſimilitudinaria, & conſiſtit in eo, quod quis poſt votum ſolemne caſtitatis, quod fit in ſuſceptione Ordinis Sacri, vel profeſſione Religionis approbatæ, contrahit matrimonium, illudque conſummat. Sed Cornejo *ſuprà* Sayrum ſequens ad bigamiam interpretatiuam illam reducit. Quæſtio tamen eſt de nomine.

2 Ex iis ergo Bigamiis, prima, quæ eſt realis, & ſecunda, quæ dicitur interpretatiua, imò & tertia, quæ vocatur ſimilitudinaria, ſiue reducatur ad interpretatiuam, ſiue non reducatur, irregularitatem inducunt, prout ex variis iuribus communiter probant Doctores, ſpecialiter ex antiquioribus Bacconius noſter *in 4. diſt.25. art.3.* & Michaël Bononia etiam *in 4. diſt. 25. quæſt.4.* & ex modernis Suarez *de Cenſur.diſp.49.per tot.* Toletus *in Summa lib.1. cap. 66. & 67.* Cornejo *ſuprà*. Ratio autem cur Eccleſia Bigamis ſtatuerit irregularitatem, non ſolùm eſt quia iteratio Matrimonij ſignum eſt incontinentiæ, vt propterea qui ſic faciunt non mereantur ad Ordines promoueri, ſed etiam propter defectum Sacramenti, vt dicitur, id eſt, quia Matrimonium ſignificare debet coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, vt habetur ex Paulo *ad Epheſ.5.* qui autem cum duabus contrahit, non poteſt aptè habere hanc ſignificationem, eo quod coniunctio Chriſti fuerit vnius cum vna. Quæ ratio, etſi propriè procedat in Bigamia reali, proportionaliter tamen adaptur ad interpretatiuam, & ſimilitudinariam, per quandam analogiam. Bacc. *art.2.* & alij ſuprà.

3 Hinc autem fit primò, quod contrahens plura Matrimonia rata, & ea non conſummans, non eſt irregularis, quia ſcilicet illa Matrimonia non ſignificant perfectè coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed ſolùm coniunctionem illius cum iuſtis per charitatem, quæ in ſingulis Eccleſiæ membris amiſſibilis eſt. Cornejo *ſuprà*. Secundò ſimiliter, quod rem habens cum pluribus fœminis extra Matrimonium, non fit irregularis, quia fornicaria copula non poteſt ſignificare coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Sayrus *de Cenſuris, lib.6.cap.1. num.56.* Tertiò quod ad inducendam Bigamiam non ſufficit copula nefanda, propter eandem rationem. Et quia nullo iure id habetur. Bonacina *ſuprà dicto punct. 5. num. 9.* Quartò, quod etiamſi Clericus, vel Religioſus, qui poſt votum ſolemne, quod emiſerunt, cum aliqua contraxerunt, ſint irregulares, iuxta dicta ſuprà, & *tom.1.cap.5. num.2.* non tamen propterea laïcus contrahens cum Moniali, aut cum ea, quæ votum ſolemne caſtitatis emiſit, erit irregularis. Ratio eſt, non ſolùm quia in iure non eſt expreſſa talis irregularitas, & irregularitas non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa; ſed etiam, quia iſtud matrimonium non poteſt ſignificare coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Sayrus *ſuprà, c.4.* Idem dico de Clerico in minoribus conſtituto, aut de habente ſolùm votum ſimplex caſtitatis, ſi contrahat cum virgine, propter eandem rationem, Bonacina *ſuprà, num.2.in fine.*

In quacumque Bigamia poteſt Papa diſpenſare, quia ipſe eſt ſupra totum ius poſitiuum, ad quod ea pertinet. Sic communiter Doctores: Epiſcopus verò etiamſi non poſſit diſpenſare in Bigamia reali, aut etiam interpretatiua ad Ordines ſacros recipiendos, aut ad vſum receptorum, *cap. ſuper eo, de Bigamis*, (Cornejo, & Bonacina *ſupra*,) neque ex vi decreti Concil. Trident. *ſeſſ.24.cap.6.* vbi Epiſcopo conceditur facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, quia hæc irregularitas non eſt ex delicto; licet enim aliquando ex delicto oriatur, vt conſtat ex dictis, principale tamen fundamentum eius non eſt delictum, ſed defectus ſignificationis. (Suarez *dicta diſp.49. ſect.6. num.9.*) Nihilominus in bigamia ſimilitudinaria diſpenſare poteſt cum eo, qui contraxit cum virgine, *cap.1. qui Clerici, vel vouentes.* Etſi autem ſit multorum ſententia, poſſe diſpenſare Epiſcopum etiam in reali, multò magis in interpretatiua bigamia, ad receptionem Ordinum minorum, & ad vſum receptorum, prout ex D.Thoma, Sanchez, & aliis ſequitur Cornejo *dicto dub. 1. §. Dico tamen.* Oppoſitum tamen in praxi ſeruandum eſt, non ſolùm propter decretum Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 17. de reformat. in fine*, vbi prohibet Ordinariis admittere ad exercitium minorum Ordinum bigamos, quo denotatur ipſos non poſſe cum illis diſpenſare, ſed etiam propter declarationem Sacræ Congregationis, quam ex Garzia refert Bonacina *ſuprà, num. 15.* Video etiam apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Bigamus*, declarationem hanc eiuſdem Sacræ Congregationis. *Bigamus effectus bigamia interpretatiua, etiamſi ante conſtitutus eſſet in Ordine Oſtiariatus, non poteſt mortua vxore diſpenſari per Epiſcopum, vt in Ordine ſuſcepto miniſtret.* Ex ea autem infertur multò magis id eſſe dicendum de diſpenſatione quoad receptionem Ordinis minoris. Neque etiam Commiſſarius Generalis Cruciatæ diſpenſat in aliqua irregularitate bigamiæ veræ, vel interpretatiuæ, vt habet Ludouicus à Cruce *in Expoſitione Bullæ Cruciatæ diſp.1.cap.9.dub.9. n.11.* 4

Illi autem Prælati Regulares, qui iuxta dicta *tom.1. cap.18. à num.40.* habent facultatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis in quibuſdam irregularitatibus, non poſſunt diſpenſare in iſta, quæ contrahitur propter bigamiam, cum expreſsè illis excipiatur in priuilegiis ibi adductis Sixti IV. pro Prædicatoribus, eiuſdem Sixti IV. pro Carmelitis, Gregor. XIV. pro Clericis Miniſtris Infirmorum, & in aliis ſimilibus plurimarum aliarum Religionum. Poterunt tamen id facere Prælati earum Religionum, quibus ex priuilegio Pontificio conceſſum fuerit diſpenſare in omnibus irregularitatibus Papalibus, & iuxta tenorem ipſius priuilegij, cùm hæc ſit vna ex illis. Qui verò habeant tale priuilegium non mihi conſtat. Etſi videam Portellum *in dub. Regul. verbo Diſpenſare, num.4.* aliqua referre ex Compendiis 5

Ieſuita

Ieſuitarum, & Ordinis S. Hieronymi. Vide dicta eo *capit. 18. num* 44. & conſule priuilegia ibi relata. Id tamen credo, quod ex vi priuilegij diſpenſandi in omni irregularitate, ſi ibi non ſpecificatur ſermonem eſſe de Papalibus, aut de Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, non poterit dari iſta diſpenſatio. Ratio eſt, quia vt ſæpè dixi, & habetur ex Regula iuris num. 81. *in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt ſpeciali notâ digna*: huiuſmodi autem Irregularitas, ſicut & illæ, quæ ſunt ob homicidium voluntarium, vel mutilationem membrorum, ſunt ſpeciali nota dignæ, & ita ſi non ſpecificentur, non cenſentur conceſſæ. Quo tamen non obſtante, an id fieri poſſit ex vi priuilegij Pauli III. pro Benedictinis Valliſoletanis, quod refero verbo *Irregularitas, numero* 72. ibi dicetur.

6 Poſſunt tamen Prælati Religionum, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, v. g. Generales, Prouinciales, Abbates, &c. diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex bigamia purè ſimilitudinaria, ſi caſus eſſet, quod illi contraherent, & conſummarent matrimonium, eo quod diſpenſatio in illa committitur Epiſcopis iure ordinario, & quidquid iure ordinario competit Epiſcopis, competit etiam iſtis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Rodriguez *tom. 1. Quæſt. Regul. q.* 42. *art.* 2. Suarez *dicta ſect. 6. in fine.* Dixi purè ſimilitudinaria, quia ſi fuerit ſimul interpretatiua, vt ſi eſſet caſus quo Religioſus duceret viduam, aut quo contraheret matrimonia, eſſet irregularis bigamia interpretatiua, ac per conſequens non poſſet in ea diſpenſari à ſuis Prælatis. Suarez *ibid.*

Addit Rodriguez, poſſe dictos Prælatos diſpenſare cum ſuis ſubditis, etiam in bigamia vera quoad Ordines minores, ex eo ſanè, quia id poſſent facere Epiſcopi. Sed aſſumptum non eſt verum, vt dictum eſt, neque id, quod ex illo infertur. Suarez *ibid. num.* 17. Qui multo minus probabilem appellat ſententiam aſſerentium etiam ad Ordines Sacros poſſe hanc diſpenſationem dari à Prælatis Regularium, quia hoc iure communi fieri non poteſt, & ſi dicatur fieri poſſe ex priuilegio, oſtendendum eſt, vt ipſe ait, tale priuilegium.

7 Non tollitur bigamiæ irregularitas per Baptiſmum caſu quo illum ſuſcipiens duas, contraxiſſet nuptias. Ratio eſt, quia per Baptiſmum non tolluntur, niſi peccatum, & pœnæ debitæ pro peccatis quoad Deum, ergo non tollitur defectus ſignificationis coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, quem incurrit aliquis eo ipſo, quod duo contrahit matrimonia; ſed irregularitas fundatur in hoc defectu, vt dictum eſt. Ergo non tollitur per Baptiſmum. Potius debet dici conſurgere, aut pullulare cum ipſo, aut poſt ipſum. Cùm enim irregularitas non poſſit imponi infidelibus ante Baptiſmum, quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ, ideo debet præſupponi, quòd homo ſit baptizatus ad hoc, quod poſito quod habet prædictum defectum, conſurgat in illo hæc irregularitas. Notet Michaël de Bononia *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. vnic. caſ.* 2. ex Bacconio quem refert. Idem dicendum, propter eandem rationem, de eo, qui ante Baptiſmum vnum contraxit matrimonium, & poſt Baptiſmum aliud. Suarez *dicta ſect.* 6. *num.* 10. & ſequentibus. Cornejo *dicto dub.* 1.

8 Neque etiam tollitur propter profeſſionem in Religione approbata. Eſto enim, quod irregularitas, quæ eſt ex defectu natalium, tollatur per profeſſionem Religionis, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. de irregularitate tamen hac non eſt aliquod fundamentum ad id aſſerendum, ſaltem iure communi, aut ex ordinariis priuilegiis Religionum. An verò id habeat aliqua Religio, quæſtio eſt de facto, quam Prælati illius ſcire debent. Suarez *ſup. num.* 16.

9 Clerici bigamiam contrahentes non ſolùm ſunt irregulares, bigamiæ quidem realis cauſa, ſi duo contraherent matrimonia ea conſummando, & interpretatiuæ ſi aliquo modo ex aſſignatis *num.* 1. contraherent, & ſimilitudinariæ, ſi poſt votum ſolemne caſtitatis etiam cum virgine contraherent, & copulam haberent, iuxta dicta in ſuperioribus, ſed etiam incurrunt pœnas illas impoſitas, *cap. altercationis, de Bigamis in* 6. vbi Pontifex ait: *Omni priuilegio Clericali declaramus eſſe nudatos, & coercitioni fori ſæcularis addictos, conſuetudine contraria non obſtante. Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram, vel habitum Clericalem.*

10 Circa quæ primò notandum, ea eſſe intelligenda de Clericis in minoribus conſtitutis, non de illis, qui ſunt in Sacris. Illi enim poſſunt conuerti ad ſtatum ſæcularem, deponere habitum, & tonſuram, & iſti non. Gloſſa *ibid.* Syluester *in Summa verb. Bigamia, quæſt.* 8. Toletus *in Summ. lib.* 1. *cap.* 67. *in fin.* Quid verò dicendum in caſu quo Clericus in Sacris ex diſpenſatione Papæ cum vidua contraheret, habes ex declaratione S. Congregationis infra verbo *Clericus, num.* 20. Secundò conſequenter, quod ea intelligenda ſunt de bigamis verè aut interpretatiuè, non de ſimilitudinariis, quia Clerici in minoribus, cum non emittant votum ſolemne caſtitatis, non poſſunt contrahere irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ, ſed etiam quia Conſtitutio pœnalis, qualis eſt iſta, non debet extendi de caſu vero ad fictum. Sylueſter *ſupra*, ex Geminiano. Tertiò, quod ibi non eſt ſermo de Religioſis, aut Monachis, ſed ſolum de Clericis in minoribus, vt dictum eſt, quia iſti ſolum ſunt, qui poſſunt mutare ſtatum. Sylueſter *ibid. num.* 9. Indicat tamen ibi *quæſt.* 8. ex Ioanne Andrea, Religioſum factum bigamum, intellige bigamia reali, vel interpretatiua, reducendum eſſe ad ſtatum laicorum profeſſorum, ſeu Conuerſorum, ex *capite Quiſquis Clericus, diſtinct.* 84. Quod ſatis rationi congruum eſt, & conforme dicendis.

11 Bigamus non diſpenſatus in irregularitate poſtulans habitum Religionis, non debet admitti, niſi ad ſtatum conuerſorum; cùm ſit inhabilis ad Ordines Sacros, ad quos recipiendos Fratres Choriſtæ recipiuntur. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæſt.* 10. Peirinis *de Prælato tom.* 2. *quæſt.* 2. *cap.* 5. *num.* 100. Addit ibidem, poſſe admitti ad ſtatum Clericorum bigamum nobilem virtuoſum, & à Prælato diſpenſatum, vt poſſit Ordines minores ſuſcipere, & ſic ſeruire Eccleſiæ tanquam Clericus. Sed ſi diues admitti poteſt, etiam poterit pauper, quod eſt contra Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *de reformat.* vbi bigamos excludit ab exercitio etiam minorum Ordinum. Supponit autem hic auctor poſſe Prælatum Regularem diſpenſare cum illo, cuius oppoſitum oſtenſum eſt ſuprà.

12 Multo minus poteſt ad Prælatias admitti bigamus non diſpenſatus, prout colligitur ex 1. *ad Timoth.* 3. vbi dicitur de Epiſcopo, quod debeat eſſe *vnius vxoris vir*, & ex congruentiſſima ratione, quia talis non poterit aliis perſuadere caſtitatem, cum ipſe fuerit incontinens. Plura etiam iura referri poſſunt ex *c.* 1. 2. & 3. *de Bigam.* Ita communiter authores. Addunt Palud. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 4. *art.* 5. Sayrus *lib.* 6. *de Cenſuris, cap.* 6. *num.* 14. Peirinis *ſuprà num.* 99. etiam caſo dato, quod aliqui Prælati Regulares haberent facultatem diſpenſandi cum ſubditis ad Ordines ſuſcipiendos, non propterea poſſent diſpenſare ad Prælatias, quia ſunt Dignitates, niſi ad id etiam priuilegium haberent, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris, nec extenditur vltra caſum expreſſum, præſertim de minori ad maius, prout eſſet in præſenti. An autem Monialis bigama eligi poſſit in Abbatiſſam, dixi *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 7.

BONA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *De bonorum temporalium materia plura remiſſiuè.*
2 *Bona ſpiritualia Regularium applicari poſſunt à ſuis Prælatis.*
Quomodo id intelligendum. ibid.
3 *Tria in operibus iuſtorum reperiuntur.*
4 *Eſſe meritoria de condigno applicabile non eſt aliis.*
5 *Quid de ratione impetrationis in illis reperta.*
Quomodo applicabilis ſit. ibid.
6 *Ratio ſatisfactionis applicabilis eſt.*
Quomodo id intelligendum. ibid.
7 *An reſiſtentibus, aut renitentibus ſubditis.*
An caſu, quo talis ſatisfactio illis neceſſaria non ſit. ibid.
8 *Non propterea dici debent Prælati concedere indulgentias*
9 *Bona temporalia Religioſorum vſurpantes, vel occupantes.*
10 *Bona illorum ſunt valdè priuilegiata.*
11 *Alia remiſſiuè.*

1 DE bonorum temporalium materia, prout ad Regulares ſpectat, permulta dixi in præcedentibus tomis, videlicet, quod bona Religioſi, qui propter fraudem, dolum, & cupiditatem Prælati emiſit profeſſionem, non pertineant ad Monaſterium, ſed ad hæredes, *tom.1.cap.2.n.* 19. Quod bona adquiſita à Religioſis, non ab ipſis, ſed ab Officialibus Monaſteriorum debeant recipi, poſſideri, & expendi, *cap.6. n.* 25. Quod bona adquiſita ab illis per illicitam negotiationem, aut aliàs contra Sacros Canones, poſt eorum mortem pertineant ad Cameram Apoſtolicam. Et quæ ſint illa *cap.*10. *num.* 5. Similiter quod bona Regularium extra clauſtra degentium poſt ipſorum mortem, etiam pertineant ad eamdem Cameram, *cap.*16. *n.* 31. *&* *tom.*2.*cap.*1. *num.* 40. Ad quos pertineant bona Religioſorum aſſumptorum ex Religionibus, *tom.* 1. *cap.*17.*n.* 12. *&* 24. Qualiter bona ſtabilia prohibita ſint particularibus Religioſis, etiam de licentia Superiorum, *cap.*6.*à num.* 19. *& cap.* 18. *num.* 71. De bonis incertis Nouitiorum *cap.*24. *num.* 39. De bonis Monialium derelictis, *cap.*15.*num.*48. An bona inuenta, incerta, malè adquiſita, aut deſtituta, applicari poſſint Monaſteriis, *tom.*2.*cap.*19.*num.*48. 49. *&* 50. Quanto tempore præſcribatur contra ipſa *num.* 63. Quæ Monaſteria poſſidere poſſint bona ſtabilia eo *cap.*19. *n.* 1. Quæ dicantur talia *num.* 3. Quæ tranſeant ad illa ratione Religioſorum, *num.*27.28. *& ſequentibus*. In quæ bona ſuccedant Monaſteria *num.*40. Generaliter etiam de bonis, & poſſeſſionibus quibus capacia ſint Monaſteria Regularium, ſeu in quæ ſuccedere poſſunt, & de eorum adminiſtratione, toto illo *cap.* 19. Similiter aliqua ad eam materiam ſpectantia dicta ſunt in hoc tertio tomo, verbo *Adminiſtratio*, *& Adminiſtrator*, & verbo *Alinare*, *ſeu Alienatio*, verbo *Apoſtata*, *& Apoſtaſia*, & verbo *Beneficium*. Alia ergo addenda tam de bonis ſpiritualibus Regularium, qualia ſunt bona ipſorum opera, ſatisfactiones, ieiunia, orationes, ſacrificia, quàm de temporalibus.

2 De prioribus autem loquendo certum eſt id, quod *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 67. dixi, poſſe ſcilicet Prælatos Religionum applicare aliis bona opera ſuorum ſubditorum, illiſque tribuere literas talis communicationis. Primò ex praxi Religionum. Secundò ex priuilegio Vrbani V. quò conceſſit Generali, & Prouincialibus Ordinis Minorum, vt poſſent benefactoribus Ordinis communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona ſpiritualia. Ita Caſſarob. *in Compend. Priuil. Mendicant. verbo Indulgentia quoad ſæculares, ſub tit. Indulgentia conceſſa exhibentibus, &c.* Quo priuilegio tam Minores, quàm alij Mendicantes, qui communicant in priuilegiis cum ipſis potiri poſſunt. Tertiò, ex iure communi, quia quilibet Prælatus cuiuſcumque Congregationis poteſt id facere, prout dixi loco relato ex S. Thoma, & Nauarro. Et declaratur exemplo Theſauri communis Eccleſiæ, ex eo enim talis Theſaurus in Eccleſia conſtituitur, non ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, prout eſt de fide certum ex Clem. VI. *in Extrauag. Vnigenitus, de pœnitent. & remiſ.* ſed etiam ex ſatisfactionibus Sanctorum, quia fuerint in ipſa plures Sancti, & aliqui de facto ſunt habentes ſatisfactiones ſuperabundantes, ipſis non neceſſarias, nec ab illis aliis applicatas, ac per conſequens veluti bona communia Eccleſiæ ad ipſam deuoluta diſpenſanda à Papa, ſicut etiam generaliter bona ciuium, quæ ſine hærede deceſſerunt, ad Ciuitatem deuoluuntur diſpenſanda à Principe. Suarez 4. *tomo, in* 3. *parte, diſput.* 51. *ſect.*2.*n.*10.11.*&* 12. Bonacina *de Indulgentiis diſp.*6.*p.*1. *n.*3. Quæ ratio ſuo modo, & proportionaliter procedit in Communitatibus Religioſis. Etſi enim ex ipſis non ſit aliquis priuatus Theſaurus meritorum, aut ſatisfactionum ſuorum membrorum applicandus, ſeu diſpenſandus per Prælatos ipſarum, quia ſola Eccleſia habet hunc Theſaurum, & hæc poteſtas ſolum conceſſa eſt à Chriſto Domino Summo Pontifici Eccleſiæ Paſtori; illæ tamen ſunt quædam corpora myſtica, quorum capita, ſeu Superiores habent poteſtatem admittendi, vniendi, & incorporandi ex rationabili cauſa aliquos ad illorum conſortium, & diſponendi de bonis etiam ſpiritualibus ipſorum, eorum præſertim, quæ illis neceſſaria non ſunt, in vtilitatem, & commodum tam ipſarum Religionum, quàm eorum, qui illis aggregati ſunt, conformiter tamen ad Regulam, & Statuta Ordinum. Fauet huic doctrinæ Suarez *ſup. diſp.* 55. *ſect.*5.*n.*5.*& ſequentib.* Valent. 2.2.*diſp.*7.*q.*20.*punct.*3.§. *ſed facile*, *&* §. *etſi autem*.

Pro qua ſupponendum, in operibus iuſtorum tria reperiri. Primò, eſſe meritoria de condigno gratiæ, & gloriæ. Secundò eſſe meritoria de congruo, ſeu impetratoria apud Deum. Tertiò eſſe ſatisfactoria pro pœna temporali. Suarez dicta *ſect.*5.*num.* 11. Ex quibus primum eſt omninò perſonale, nec aliis applicabile de potentia ordinaria. Soli enim Chriſto, quia fuit Caput hominum, & Angelorum, conuenit pro aliis mereri de condigno. Duo verò poſteriora aliis communicari poſſunt, ita vt poſſit iuſtus aliis impetrare dona aliqua, ſeu beneficia apud Deum, quemadmodum oratio S. Stephani communiter creditur impetraſſe conuerſionem S. Pauli. Similiter poteſt iuſtus ſatisfacere pro pœnis temporalibus aliorum, prout habent communiter Theologi. De hoc puncto ſpecialiter noſter Hieronym. Gratianus *in tract.*4.*de Iubilæo, part.*1. *cap.*8. Ludouicus à Cruce *in Expoſit. Bullæ Cruciatæ diſp.*1.*cap.*8.*dub.*15. 3

Ergo ad intentum, cum dicitur Prælatos applicare poſſe bona opera ſuorum ſubditorum pro aliis, non poteſt intelligi de illis quatenus ſunt meritoria de condigno gratiæ, & gloriæ, quia vt dixi, hoc modo ſunt perſonalia, & omnino incommunicabilia aliis: intelligi ergo debet de prædictis operibus duobus poſterioribus modis. 4

Et de primo, qui eſt per impetrationem, res eſt certiſſima. Nulli enim dubium eſſe poteſt, quin poſſint Prælati præcipere ſubditis, vt orent pro benefactoribus, & aggregatis Religioni. Hoc enim eſt conforme Regulæ, & Conſtitutionibus, & opus pium charitatis, eleemoſynæ, gratitudinis, &c. ac per conſequens tenentur ſubditi huic præcepto obedire, & aliter facientes peccabunt, Nec ſolum hoc pacto, imperatiuè 5

videlicet

Digitized by Google

videlicet, ſed etiam veluti elicitiuè, & proximè id facere poſſunt duobus modis aſſignatis. Primò quidem vniendo, aggregando, & incorporando prædictas perſonas ſuæ Religioni, hoc enim facto, cum in Religionibus ſint plura communia ſuffragia, ſacrificia, & orationes inſtituta pro ipſis, quæ dum fiunt vtilia ſunt omnibus membris ipſarum, conſequenter etiam vtilia erunt prædictis aggregatis. Suarez *dicta ſection. 5. numero 6.* Secundò, ordinando, & dirigendo prædicta ſuffragia communia, quæ fiunt pro tota Religione ad illas perſonas aggregatas, propter facultatem quam habent veluti diſpenſatores diſponendi de illis, iuxta dicta, S. Thomas *in additionibus ad 3. part. quæſt. 21. artic. 1.* Tertiò, ordinando etiam, & dirigendo ſpecialiter ad prædictas perſonas aggregatas ſuffragia communia, quæ fiunt in Religionibus pro omnibus fidelibus in generali, quia in hoc non fit aliquod præiudicium alijs fidelibus, cum non minuatur eorum vis impetratoria (eſto ſatisfactoria forſan minuatur) eo quod aliquibus ſpecialiter applicentur, nec ipſis ſubditis, vt de ſe patet. Quo ſenſu intelligendi ſunt Peirinis *tom. 5. de ſubdito, q. 1. de obedientia, cap. 6. ferè in fine*, & Corduba ab ipſo relatus.

6 Similiter de ſecundo, qui eſt per modum ſatisfactionis, etiam eſt res certiſſima, poſſe Prælatos Religionum applicare bona opera ſatisfactoria ſubditorum prædictis perſonis. Id enim probat contra Vuiclephum Vualdenſis noſter *tom. 3. de Sacramentalibus, titulo 10. capite 94. & 95.* ex Apoſtolo *ad Epheſ. 1.* illis verbis: *Memoriam veſtri faciens in orationibus meis.* Ex litteris cuiuſdam Prælati Carmelitarum, & alterius Carthuſienſium, ac Iuonis Carnotenſis ad Adelam Comitiſſam. Itidem Anſelmi ad quandam etiam Adelidem Comitiſſam, ac Stephani Ciſtercienſis ad Ludouicum Francorum Regem, & aliorum ad diuerſos. Quod ſequuntur communiter Doctores, ſpecialiter Sotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. artic. 4.* vbi propterea Vualdenſem *Orthodoxum Doctorem* vocat Valentia *ſupra, § eſt autem*, Gratianus *ſupra cap 4.* Id vero fieri poteſt tribus modis ſupra aſſignatis, ſcilicet imperando, vt ſubditi faciant, & vniendo dictas perſonas communitatibus ipſorum, ac ordinando vel dirigendo ad ipſas ſpecialiter tum ſuffragia communia ſatisfactoria facta pro tota Religione, tum ea, quæ fiunt pro omnibus fidelibus. Imò etiam id fieri poteſt applicando dictis perſonis ſatisfactiones particulares Religioſorum, ſaltem quando ipſi non contradicunt, aut repugnant. Quod probari poteſt, quia quemadmodum ipſi Religioſi poſſunt ſua opera ſatisfactoria aliis offerre, ſic etiam & Superiores eorum, quia omnia bona Religioſorum ſubdita ſunt per votum obedientiæ Superiorum voluntati. Valentia *ſupra, §. ſed facilè, de Indulgentiis diſputatione 6. quæſt. 1. punct. 3. numero 19.* Addit Sotus *ſupra* huiuſmodi applicationem, non ſolum de congruo, ſed de condigno valere quantum ad rationem ſatisfactionis, quia per illam fit ſolutio Deo. Quemadmodum ſi vnus pro alio ſolueret debitum. Quod eſt ſatis probabile, maximè, ſi addatur ex parte Dei pactum, ſeu promiſſio de acceptanda tali ſatisfactione. De quo Suarez *4. tom. in 3. p. diſp. 48. ſect. 3.*

7 Difficultas tamen eſt, an id poſſint facere Prælati, reſiſtentibus, aut renitentibus ſubditis. Quod eſt dicere, an poſſint applicare aliis ſatisfactiones ipſorum, ſi ipſi reſiſtant, aut nolint, quod applicentur. Et quidem loquendo de Sacrificio Miſſæ, iam dixi *tom. 1. c. 4. num. 35.* quod etiam ſi Prælatus velit, aut præcipiat, quod ſubditus applicet Miſſam pro Petro, & ipſe applicet pro Franciſco, etiamſi ſubditus peccet ſic faciendo, nihilominus talis Miſſa ſolum prodeſt Franciſco, non autem Petro. Ratio eſt, quia Sacerdos in adminiſtratione Sacramentorum, & applicatione Sacrificiorum operatur vt miniſter Chriſti, & vt habens ſolum ab ipſo poteſtatem, ac proinde non vt ſubditus aliis quibuſcumque. Quare quemadmodum ſi Prælatus præcipiat ne ſubditus baptizet, vel abſoluat, ſi tamen id faciat (etſi peccet ſic faciendo) factum tamen tenet, ſic in propoſito. Peirinis *ſupra dicto c. 6. §. vnic.* Loquendo verò de aliis operibus ſatisfactoriis, ſeu ſuffragiis, ſi illa non ſint neceſſaria ſubdito, vt port[ↄ], quia ipſe non ſolum eſt in ſtatu gratiæ, ſed etiam nullam habet temporalem pœnam ſoluendam, quia totam quam habebat, per Indulgentias, vel alias ſatisfactiones ſoluit, dicendum eſt poſſe applicari aliis à Prælato, etiam reſiſtente ſubdito, hoc enim ſequitur ex facultate, quam habet diſponendi de bonis ſubditorum, maximè ſi ipſis neceſſaria non ſunt. Si vero tales ſatisfactiones ſubdito neceſſariæ fuerint, quia ſcilicet habet aliquid ſoluendum de pœna temporali, probabilius eſt non poſſe à Prælato applicari aliis contra ſuam voluntatem. Sicut enim Prælatus non poteſt à ſubdito auferre bona temporalia neceſſaria, v. g. cibum, veſtes, ſomnum, &c. ſic nec ſpiritualia neceſſaria, præſertim, quia in iſtis neceſſariis non ſubditur voluntas ſubditi Superiori. Scotus *quodlib. 20.* Peirinis *ſuprà*, Bonacina *ſupra num. 21.* Dixi probabilius id eſſe, quia ſatis probabile eſt oppoſitum, rationabili ſubſiſtente cauſa, prout tenent Sotus *ſupra*, Valentia etiam *ſupra, §. vt notat.* Suarez *dicta diſput. 55. ſection. 5. num. 8.* & ſaltem optimum conſilium eſt, vt in applicatione iſtarum ſatisfactionum ſubditi voluntariè ſubdantur diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, ſic enim maiorem obedientiam erga Prælatos, & maiorem charitatem, ſeu miſericordiam erga proximos oſtendent, ac per conſequens illorum meritum multo maius erit apud Deum.

Non tamen propterea prædicti Prælati dici debent concedere Indulgentias. Ratio eſt, quia concedere Indulgentias, eſt applicare ſatisfactiones præteritas conſeruatas in communi Theſauro Eccleſiæ, prout facit Papa applicando ſatisfactiones Chriſti, & aliorum Sanctorum conſeruatas in Eccleſiæ Theſauro, iſti autem Prælati non applicant ſatisfactiones præteritas in aliquo Theſauro repoſitas, cùm enim in Communitatibus Religioſis non ſit talis Theſaurus, vt dixi, quia eo ipſo, quòd Religioſi habent ſatisfactiones ſuperabundantes, ſtatim veniunt ad communem Eccleſiæ Theſaurum, vbi conſeruantur, idcirco ſolum præſentes, aut futuras ſatisfactiones applicare poſſunt Prælati, ac per conſequens non concedunt Indulgentias. Sotus *ſupra*. Valentia *ſuprà §. ſecundò quia.* 8

Loquendo autem de bonis temporalibus Religioſorum, præter ſuperius notata, dicendum, bona quæcunque Eccleſiaſtica, etiam Regularium, vſurpantem videri incurrere excommunicationem Papæ reſeruatam, & ſi fuerit eiuſdem Eccleſiæ patronus, eo ipſo priuati iurepatronatus, & Clericum conſentientem eiſdem pœnis affici, quibuſcunque beneficiis priuari, ad quæcumque alia beneficia inhabilem effici, & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatiſfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendi debere. Ita enim habetur ex Concil. Trid. *ſeſſ. 22. de reform. capite 15.* Naldus *in Summa verbo bona, v. 10.* Qui etiam addit ex declaratione Sacræ Congregationis haberi, comprehendi hoc decreto Rectores piorum locorum cædentes arbores fructiferas, ſi in proprios vſus eas conuertant. Vide Caietanum *verbo Excommunic. cap. 27.* Proſperum Auguſtinum *in additionibus ad Quarantam, verbo bona Eccleſiæ occupantes.* Cum autem in hoc decreto ſermo ſit generaliter de bonis Eccleſiaſticis, & ſpeciatim etiam, vt ibi dicitur, de bonis *cuiuſvis ſæcularis, vel Regularis beneficij*; ideo, vt dixi, videtur ad bonorum Regularium vſurpatores, & Regularem conſentientem extendi debere. Etſi oppoſitum indicet Azor. *tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 7. cap. 38. quæſt. 16.* aſſerens hoc locum habere non in ipſo Clerico 9

Beneficiario

Beneficiario, ſed in extraneis, ſicque declaratum à Sacra Congregatione. Vide & Filliucium *tract.* 44. *capite* 6. *num.* 3. *in fin.* Quid autem debeat dici de occupantibus, ſeu damnificantibus Regularium bona, dixi *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 51. ex priuilegiis Eugenij IV. pro Congregatione Montis Oliueti, & Iulij II. pro Auguſtinianis. Extat & aliud eiuſdem Eugenij IV. priuilegium in Bulla: *Etſi ex debito*, apud Tamburinum *de Iure Abbatum tom.* 1. *in priuileg. memorab. Iulij II. numero* 22. quo contra perturbantes, vel auferentes bona Monachorum Caſſinenſium, Pontifex excommunicationem fulminat. Fruuntur autem huiuſmodi priuilegiis tam Carmelitæ, quàm alij quicumque habentes generalem communicationem Priuilegiorum cum iſtis Religionibus.

10 Regularium bona ſunt valdè priuilegiata, non ſolum propter dicta de priuilegiis Regularium *tom.* 1. *cap.* 3. & *tom.* 2. *cap.* 19. fermè per totum, & dicenda infra verbo *Priuilegia*, ſed etiam, quia gaudere videntur priuilegiis Fiſci, Militum, libertatis, alimentorum, dotis, pupilli, & Reipublicæ, ſaltem in multis caſibus, prout latè ex variis iuribus, & Doctoribus comprobat Laurentius de Franchis *in Controuerſ. Epiſcoporum, & Regularium, quæſtione* 96. *pag. mihi* 434.

11 De ipſorum immunitate, & exemptione dicam infra verbo *Exemptio*, verbo *Gabella*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*. De bonis naufragantium verbo *Bulla Cœnæ Domini*. An ex illis debeatur Canonica portio, verbo *Canonica portio*, & 4. tom. verbo *Quarta*. An debeant decimas de ipſorum bonis, verbo *Decima*.

BREVIARIVM.

SVMMARVIM.

1 *Breuiarium particulare habent Religiones Benedictina, Dominicana, & Carmelitana.*
Et aliquæ Eccleſiæ. ibid.
2 *Quid decreuerit S. Congreg. circa Breuiarium Carmelitarum.*
3 *Quilibet Religioſus tenetur etiam ſub mortali vti ſolum Breuiario ſui Ordinis.*
An etiam extra Chorum. ibid.
4 *An Eccleſiæ, quæ Breuiarium Romanum receperunt, poſſint redire ad primum Breuiarium.*
5 *An quæ non receperunt illud, poſſint in aliquo caſu ipſum acceptare.*
Aut vti alio Breuiario. ibid.
6 *Quid de Clericis, aut Religioſis non habentibus in promptu Breuiarium.*
7 *An qui non acceptarunt Breuiarium Pij V. poſſint illud denuò acceptare.*
8 *Carentia Breuiarij quando excuſet à peccato.*
9 *An carentes Breuiario teneantur dicere ea, quæ ſciunt memoriter.*
10 *Habens priuilegium recitandi per Breuiarium proprium, an vti poſſit ſocio.*
11 *Beneficiati quo Breuiario vti debeant.*
12 *Addere, vel demere an liceat in Breuiariis.*
13 *Alia remiſſiuè.*

1 Breuiarium particulare, & diuerſum à communi Clericorum, quod vocatur Romanum, prius à Pio V. & poſtea à Clemente VIII. reformatum habent aliquæ Eccleſiæ, & Religiones, præſertim Benedictina, Dominicana, & Carmelitana. Ex quibus Benedictinum Breuiarium reformatum ad vſum Breuiarij Romani conceſſum eſt Monachis, & Monialibus Benedictinis in Luſitania. Item Monachis Benedictinis in Heluetia, & Suetia. Item omnibus Monachis eiuſdem Ordinis. Ex declarationibus Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Breuiarium.* De mandato etiam Pauli Quinti, & Sacræ Congregationis debet adhiberi idem Breuiarium ab omnibus Monachis, & Monialibus ſub Regula Sancti Benedicti militantibus. Barb. *ibidem.*

Quamuis autem idem Barboſa ibidem dicat Fratres, 2
& Moniales noſtri Carmelitani Ordinis recepiſſe Breuiarium Romanum, eiſdemque conceſſiſſe Sacram Congregationem 9. Aprilis 1633. vt de Sanctis Ordinis poſſent Officia propria iam approbata, iuxta Rubricas Breuiarij Romani recitare, & in celebratione Miſſarum in fine dicere *Salue Regina* ſtantes, & non genuflexos: veritas tamen eſt, quod Religio tale Breuiarium Romanum non recepit, contenta Breuiario antiquo ipſius, quod eſt iuxta Hieroſolymitanæ Eccleſiæ antiquam conſuetudinem, etſi ad normam eiuſdem Breuiarij Romani directum, approbante, & confirmante Gregor. XIII. anno 1584. in Bulla *Vt Breuiarij, &c.* quæ eſt in principio ipſius. Quoad Officia verò Sanctorum Ordinis, cum ea ſæpius eidem conceſſa ſint, partim à Gregorio XIII. in dicto Breuiario, partim à Sacra Congregatione Rituum ſub Paulo V. anno 1609. & ſub Sanctiſſ. D. N. Vrbano VIII. ſub anno 1628. ideo ea ſunt in vſu Religionis, ſicut priùs erant. Similiter vſus antiquus dicendi *Salue Regina*, in fine Miſſarum in Ordine quoque perſeuerat ſicut prius. Nihil proinde ea vi talis conceſſionis in Ordine immutatum eſt, nec illa fuit eidem intimata, aut ab ipſo recepta.

Quamuis iuxta dicta *tom.* 1. *capit.* 12. *num.* 18. quilibet Religioſus teneatur, etiam ſub mortali, dicere 3
horas Canonicas iuxta Breuiarium pro ſuo Ordine approbatum, iuxta Romanum videlicet, illi qui eo vtuntur, & iuxta Benedictinum, Dominicanum, & Carmelitanum, horum Ordinum Religioſi, quod maximè tenet verum quoad Chorum, cum pro illo magis vigeat hoc præceptum. Nihilominus, prout plures probabiliter credunt, prædicti Benedictini, Dominicani, & Carmelitani, & quicumque alij extra Chorum recitantes, poſſunt vti Breuiario Romano, niſi in ipſorum Religionibus ſit prohibitio de hoc. Ratio eſt, non ſolum quia cum Eccleſia Romana ſit mater omnium Eccleſiarum, ideo conformare ſe illi ſemper licitum videtur: ſed etiam, quia Pius V. qui in Bulla *Quod à nobis*, quæ eſt 64. inter Conſtitutiones ipſius in 2. tom. Bullar. ordinauit, vt Breuiarium Romanum à ſe editum ab omnibus reciperetur, ab hoc onere excepit eos, qui à ducentis annis aliis Breuiariis vtebantur, adiiciens, quod ſi illud velint recipere, poſſint illo vti in Choro, ſi ita Epiſcopo, & toti Capitulo magis placuerit. Ex hoc enim denotatur, quod ad vtendum illo extra Chorum, non requiratur conſenſus Epiſcopi, vel Capituli, ac per conſequens, quod poſſint illo vti priuatim extra Chorum. Sanchez *in opuſc. moral. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 23. Diana *par.* 2. *tract.* 12. *de horis Canonicis, reſolut.* 10. alios referens, ac de conſuetudine teſtificans. Dixi niſi ſit circa hoc ſpecialis prohibitio in Religione, quod etiam tenet Sanchez *ibid.* & Bonacina *in tract. de horis Canonicis, diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 1. *num.* 5. quia eſto id eſſet permiſſum à Pontifice, potuerunt tamen Prælati Regulares id prohibere ſuis ſubditis, vel propter alias rationabiles cauſas. Sicut & inter ſæculares prohibitum id eſt in Eccleſia Mediolanenſi, vt aſſerit Bonacina *numero* 6. In noſtra autem Religione Carmelitarum eſt prohibitio Papalis de hoc à Gregorio XIII. in Bulla relata, vbi hæc habet: *Mandantes vniuerſis, & ſingulis Ordinis prædicti Profeſſoribus, Nouitiis, & perſonis vtriuſque ſexus, vt hoc ſolo Breuiario in quacumque Prouincia, Congregatione, & domo, tam in Choro, quam extra illum Matutinis, & aliis horis Canonicis recitandis vtantur.* Et poſtea im-

ponit

Digitized by Google

poniæ tranſgreſſoribus pœnam excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſeruatæ.

4 Eccleſiæ porrò, & Religiones, quæ prædictum Breuiarium receperunt, non poſſunt ampliùs ad primum Breuiarium redire, cenſetur enim iam reprobatum in dicta Conſtitutione Pij Quinti. Fillucius *tract.* 25. *cap.* 6. *num.* 185. Bonacina *ſuprà num.* 2.

5 Probabile autem eſt in illis Eccleſiis aut Religionibus, vbi prædictum Breuiarium Romanum receptum non eſt, ſed conſeruatum illud, quod per 200. annos erat in vſu, poſſe Epiſcopum, vel prælatum Religioſum cum ſuis ſubditis reſpectiuè diſpenſare ex rationabili cauſa, & pro aliquo caſu, vt recitent Officium diuinum per præfatum Breuiarium Romanum. Ratio eſt, quia Epiſcopi, & per conſequens Prælati Regulares ſolent in ſimilibus præceptis Eccleſiaſticis, eo caſu dato, diſpenſare, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 55. Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 4. *de horis Canonicis*, *cap.* 23. *num.* 17. Idem credo de recitatione Officij per aliud Breuiarium approbatum, verbi gratia, Benedictinum, Dominicanum, vel Carmelitanum pro aliquo caſu, & ex rationabili cauſa, propter eandem rationem. Imò de Clerico obligato ad dicendum Officium per Breuiarium Romanum, credunt aliqui non peccare mortaliter, ſi vna, vel alia vice illud recitet per Breuiarium, verbi gratia, Dominicanum. Quia talis mutatio non videtur notabilis. Diana *ſuprà* poſt alios. Addunt aliqui poſſe Prælatum Regularem diſpenſare, vt in aliquo caſu dicatur aliquod Officium non contentum in Breuiario rationabili cauſa ſubſiſtente. Suarez *ſuprà cap.* 11. *n.* 6. Diana *ſuprà reſol.* 36. Hæc porrò omnia non videntur procedere in illis Eccleſiis, & Religionibus habentibus Papale ſtatutum vtendi ſolo proprio Breuiario, prout Carmelitæ habent, vt dixi.

6 Caſu autem quo Clerici, vel Religioſi obligati ad proprium Breuiarium ipſo carerent, vel quia propria culpa illud amiſiſſent, vel quia ipſis furto ſublatum eſſet, tenerentur recitare per quodcumque Breuiarium approbatum, quod in promptu haberent, non obſtante quacumque prohibitione, quam haberent, non vtendi alio Breuiario, niſi proprio. Ratio eſt, quia præceptum iuris communis recitandi officium diuinum, quod obligat omnes Eccleſiaſticos, præſertim in ſacris conſtitutos, præponderare debet cuicumque præcepto recitandi per hoc, vel per illud Breuiarium. Vnde hoc poſterius in eo caſo cederet priori.

7 Probabile etiam eſt illas Eccleſias, vel Religiones, quæ acceptarunt Breuiarium Romanum editum à Pio V. eo quod haberent aliud Breuiarium à 200. annis, poſſe nihilominus modò illud acceptare. Ratio eſt, quia Pontifex illis concedit id poſſe facere conditione modo afferenda. Cum autem hæc conceſſio non limitetur ad aliquod tempus, ideo videtur perpetua, ac per conſequens nunc etiam in ſua vi manere. Indicat id Suarez *ſuprà dicto cap.* 11. *num.* 4. dum de illis dicit *poſſe* (quod eſt temporis præſentis, non potuiſſe, quod eſt præteriti) *illud acceptare, ſi velint*. Addit Pontifex hoc fieri debere dummodo Epiſcopus, & vniuerſum Capitulum in eo conſentiant. *Quæ Regula* (inquit Suarez *ſuprà*) *cum proportione ad Regulares Eccleſias applicatur*. Quod intelligendum, vt in Eccleſiis ſæcularibus, ſeu Regularibus, non exemptis id fiat de conſenſu Epiſcopi, & vniuerſi Capituli; in Eccleſiis verò Regularium, ſeu Religionibus exemptis, de conſenſu Generalis, & Capituli Generalis. Addit & Suarez quem ſequitur Bonacina *ſuprà num.* 2. quod cum Pontifex requirit conſenſum vniuerſi Capituli, non poſtulat, quod omnes de Capitulo, nullo diſcrepante conſentiant, id enim moraliter expectandum non eſt, nec vis verbi hoc poſtulat, ſed ſolum, quod præſtetur à Capitulo, vt Capitulum eſt, id eſt per modum vnius corporis myſtici ad hoc congregati.

Carentia Breuiarij voluntaria non excuſat à peccato recitandi, ſecus ſi inuoluntaria fuit, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 25. Quæ ſic amplianda. Qui ſine ſua culpa caret Breuiario, vt quia illud amiſit, vel illi ſublatum eſt, & nullo modo poteſt habere, vel accommodatum, vel emptum, vel enim alio, aut memoriter recitare, excuſatur à peccato. Quia nemo tenetur ad impoſſibile. Syluester *verbo Hora*, *quæſt.* 4. Sotus *lib.* 10. *de Iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 3. Hoc verò intellige, ſi nec poteſt habere Breuiarium alicuius Religionis, vel Inſtituti, approbatum tamen, quia tunc iuxta *dicta ſuprà num.* 6. per illud debet recitare. Qui autem ſua culpa caret Breuiario, videlicet quia nauigationem aggrediens illud proiecit in mare, aut combuſſit, vel negligens culpabiliter fuit in eo cuſtodiendo, peccauit tunc mortaliter, quia cauſam dedit omiſſioni recitandi. Similiter peccauit mortaliter, ſaltem quoad omiſſionem ipſam externam, omnibus aliis diebus, quibus caruit Breuiario, quando currebat præceptum recitandi, quia tunc verè tranſgreditur præceptum recitandi. Ita in ſimili Cornejo *tomo primo*, *in primam Secundæ S. Thomæ*, *tract.* 7. *circa quæſt.* 71. *diſp.* 3. *dubio* 12. & 13. Si tamen ipſum pœnituerit de proiectione, aut culpabili amiſſione Breuiarij, nec illi occurrerit aliquod medium ad recitandum, non peccat non recitando, quia non ſolum iam eſt ſibi impoſſibile recitare, ſed etiàm, quia iam retractauit in quantum potuit voluntatem, quam habuit non recitandi in ſua cauſa. Nauarrus *in Summa*, *cap* 25. *num.* 102. *in opuſc. mor. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 15.

An vero iſti carentes Breuiario, ſiue ſua culpa, ſiue ſine illa, teneantur dicere ea, quæ ſciunt memoriter, non facilis controuerſia eſt. In qua dicendum primò, quod ſi iſti ſciunt aliquas horas memoriter, verbi gratia, Primam, Tertiam, Completorium, &c. proculdubio illa tenentur dicere. Etenim iuxta dicta *cap.* 12. *num.* 27. ſicut qui debet centum, & non poteſt ſoluere, niſi decem, tenetur decem ſoluere, & qui non poteſt ieiunare totam Quadrageſimam, tenetur tamen ieiunare diebus, quibus poteſt; ſic in præſenti, cum iſti teneantur ad dicandum totum Officium, ſi non poſſunt ſoluere totum ob carentiam Breuiarij, tenebuntur tamen ſoluere eas horas, quas poſſunt ſine Breuiario. Dicendum ſecundò, ſi prædicti memoriter ſciunt maiorem partem alicuius horæ, vel aliquarum horarum, tenentur eam dicere, ſecus ſi minorem tantum partem memoriter ſciunt. Ratio eſt, non ſolum, quia regulariter loquendo ad maiorem partem potius quam ad minorem attendi debet, maior enim pars trahit ad ſe minorem, *l. quod maior pars*, *ff. de municip.* & *cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte*: ſed etiam, quia durum videtur ſcientem memoriter maiorem partem horæ ad eam non obligari, & æquè durum minorem ſolum ſcientem obligare, aliàs nullus omnino excuſaretur à dicendis horis; nullus enim eſt, qui non aliquam earum partem dicere poſſit: arbitrio ergo prudentis id relinqui debet, & non videtur eſſe aliud prudentius, quam hoc. Sic fermè ex Nauarro ſequitur Sanchez *in opuſcul. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 46. & 47. Subiungens cum eo, paucos eorum, qui diu horas recitarunt, excuſari ob carentiam Breuiarij, vel cæcitatem, quia pauci ſunt, qui memoria non teneant *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Credo*, Antiphonas horarum, Pſalmos Laudum, & minorum horarum, & plerra Matutinum, quæ faciunt magnam partem. Non tamen prædicti Breuiariis carentes tenentur dicere aliud Officium, præter diei occurrentis, eo quod illud memoriter ſciant. Obligatio enim præcepti Eccleſiaſtici ſolum eſt ad officium determinatum illius diei. Diana dicto *tract.* 12. *reſol.* 30. 8

Si aliquis habet priuilegium recitandi per Breuiarium aliquod particulare, poteſt ſocius cum illo reci- 9

care abſque aliqua culpa, quia id quod priuilegium diſponit de vno ex correlatiuis, diſponit etiam de alio. Ita ex Porcello, & Henriquez habet Diana *ſup. reſol.* 35.

11 Religioſi Beneficiati, & quicumque alij Beneficiati debent ſe accommodare Breuiario Eccleſiæ, cui inſeruiunt, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 11. Quod idem credo dicendum, quando Religioſus habens proprium Breuiarium, verbi gratia Carmelita, ſeruiret ex licentia Parochi per aliquod tempus alicui Eccleſiæ, propter eandem rationem. Caſu tamen quo aliquis poſſideat duo beneficia in duobus Eccleſiis habentibus diuerſa Breuiaria, cum adeſt Choro, tenetur ſe accommodare Officio, vel Breuiario illius Chori. Prorſus enim inordinatum eſt, quod qui in Choro dicit Officium, non illud dicat iuxta Breuiarium quo vtitur Chorus. Extra Chorum verò probabilius eſt debere vti Breuiario, quod adhiberet in Eccleſia, in qua habet reſidentiam. Nam ſicut extraneus debet ſe accommodare moribus loci in quo habitat, ſic & Beneficiatius. Bonacina *dicta diſp. quæſt.* 3. *punct.* 1. *num.* 9. ex aliis.

12 Addere aliquid Breuiariis, vel aliquid demere ab illis pertinens ad diuinum Officium omnino prohibitum eſt ſub mortali, quia re vera eſt vſurpare in re graui auctoritatem Eccleſiæ, & S. Congregat. ad quam pertinet id facere. Idcirco prohibetur regulariter in Bullis, quibus Breuiaria approbantur, & in noſtro Carmelitano à Gregorio XIII. ſub excommunicatione latæ ſententiæ Papæ reſeruata. Addit Bonacina *ſup. num.* 21. & aliis, quod ſi aliquid addatur Breuiario non pertinens ad diuinum Officium, non videtur illicitum.

13 Vide alia verbo *Feſti dies*, & 4. tom. verbo *Officium diuinum*.

BVLLA COENÆ.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Cœnæ vnde dicta.*
Quando cœperit eius publicatio. ibid.
2 *Caſus, & cenſura illius dici debent à Iure, non ab homine.*
3 *An incidant in illos mandantes, conſulentes, &c.*
4 *An multiplicentur per illam excommunicationes per alia iura lata.*
5 *Caſus huius Bullæ ſunt viginti.*
6 *Primus eſt hæreſis.*
7 *Anathematizare quid denotet.*
8 *Apoſtata à fide qui dicantur.*
9 *Schiſmatici qui dicantur.*
Quomodo differat Schiſma ab hæreſi. ibid.
Schiſmaticorum pœnæ quænam ſint. ibid.
10 *Secundus eſt contra appellantes à Papa ad Concilium.*
11 *Quomodo intelligenda hæc appellatio.*
12 *Tertius contra piratas, curſarios, &c.*
13 *Qui tales ſint.*
Quomodo intelligenda ea excommunicatio. ibid.
An comprehendat Chriſtianos remigantes in triremibus infidelium. ibid.
14 *Quartus eſt contra ſurripientes bona naufragantium.*
15 *Quomodo intelligenda hæc excommunicatio.*
16 *Quintus eſt contra imponentes indebitè gabellas.*
17 *Quid ſit gabella, & quot nominibus vocata.*
18 *Quæ ſint, quæ prohibeantur in hoc caſu.*
19 *Quando incurratur hæc cenſura à Principibus.*
20 *Sextus eſt contra falſarios Litterarum Apoſtolicarum.*
21 *Septimus eſt contra deferentes arma, &c. ad infideles.*
22 *Quomodo intelligendus ſit caſus.*
An comprehendantur illo remiges Chriſtiani. ibid.
23 *Quid intelligatur per certiores facere infideles de rebus Chriſtianam Rempublicam concernentibus.*
24 *Quid per Chriſtiani nominis hoſtes intelligatur.*
25 *Caſus octauus eſt contra impedientes victualia pro Romana Curia.*
26 *Quomodo intelligendus.*
27 *Nonus, contra interficientes, mutilantes, &c. ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel recedentes, vel vſurpantes iuriſdictionem, &c.*
28 *Qui incurrant in hunc caſum.*
Sedis Apoſtolicæ nomine quid intelligatur. ibid.
29 *Decimus eſt contra damnificantes peregrinos ad Vrbem venientes.*
30 *Quomodo accipiendus ſit caſus.*
31 *Vndecimus eſt contra damnificantes S. Roman. Eccleſ. Cardinales, Patriarchas, & alios Prælatos, &c.*
32 *Qualiter cum hoc caſu concordent iura antiqua.*
33 *Nomine Epiſcopi quid in hoc caſu intelligatur.*
Ratum habere quid importet. ibid.
Quid de offendentibus domum, vel familiares Cardinalium. ibid.
34 *Duodecimus eſt contra impedientes negotia in Romana Curia gerentes.*
35 *Quæ Actiones, & circa quas perſonas ſint hîc prohibita.*
36 *Caſus decimus tertius contra appellantes ab executione Litterarum Apoſtolicarum, recurrentes ad ſæculares Poteſtates, &c.*
37 *De materia huius caſus remiſſiuè.*
38 *Quartus decimus eſt contra auocantes cauſas ſpirituales, &c.*
39 *De hoc caſu remiſſiuè.*
40 *Quintus decimus eſt contra trahentes perſonas Eccleſiaſticas ad tribunalia ſæcularia.*
41 *De materia huius caſus, etiam remiſſiuè.*
42 *Decimus ſextus contra moleſtantes, aut impedientes Iudices Eccleſiaſticos.*
43 *De huius caſus materia remiſſiuè.*
44 *Decimus ſeptimus eſt contra vſurpantes prouentus Eccleſiaſticos.*
45 *De hoc caſu remiſſiuè.*
46 *Decimus octauus contra imponentes onera Eccleſiaſticis.*
47 *Quid de recipientibus illa.*
48 *Decimus nonus contra interponentes ſe in cauſis Eccleſiaſticorum.*
49 *De huius caſus materia remiſſiuè.*
50 *Vigeſimus contra occupantes, vel detinentes terras dominij Papæ.*
51 *Quos comprehendat hic caſus.*
52 *Caſuum prædictorum abſolutio Papæ reſeruatur.*
53 *An mortis articulus, etiam periculum mortis importet.*
54 *An priuilegia Regularium per hanc Bullam reuocentur.*
55 *An priuilegium Epiſcopis conceſſum à Concil. Trident.*
56 *Quid de priuilegio Bullæ Cruciatæ.*
57 *Excommunicatio contra abſoluentes à prædictis caſibus.*
58 *Præceptum publicandi hanc Bullam.*
59 *Intentio Pontificis, vt ea in toto orbe obſeruetur.*
60 *Derogatio priuilegiorum.*
61 *Quid de non vſu ipſius in aliquibus locis.*
62 *Cardinalis Caietani doctrina circa hoc.*

BVlla Cœnæ ea dicitur, quæ ritu veteri Summorum Pontificum quotannis legitur Romæ, Papa præſente, feria quinta maioris Hebdomadæ, vocata in Cœna Domini. Eſt autem hæc Bulla proceſſus quidam caſuum & excommunicationum reſeruatarum Summo Pontifici cum derogatione priuilegiorum quorum 1

quorumcumque. Dicitur Bulla, quia Sigillo plumbeo bullatur, ſeu ſignatur, vt latè per Rebuffum *in praxi benefic. in 4. part. ſignatur. fol. 132. num. 4. & ſequentibus.* Cœpit à multis annis, nam in Vaticana Bibliotheca reperiuntur proceſſus Gregor. XI. circa annum 1370. nec creditur primus, qui hoc fecit. Toletus *in Summa, lib. 1. cap. 18. num. 3.* Alij credunt cœpiſſe ſub Martino V. circa ann. 1420. quo tempore agebatur de Concilio Conſtantienſi contra errores Bohemorum, forſan quia ab illo multiplicata, correcta, aut magis declarata fuit. Legebatur olim ter in anno; ſcilicet, feria quinta maioris Hebdomadæ, die Aſcenſionis Domini, & Dedicationis Sanctorum Petri, & Pauli: hodie tamen ſolùm legitur in dicta feria quinta. Aucta fuit à Paulo II. Sixto IV. Leone X. Paulo III. Paulo IV. Pio IV. Pio V. qui eam maiori auctoritate fulcitam, & auctam Reipublicæ Chriſtianæ vtiliorem reddidit; quod imitati ſunt poſteriores Pontifices. De quo Graſſius *in deciſ. aureis, parte 1. lib. 4. cap. 18. à num. 3.* Barb. *de offi. & poteſt. Epiſcop. alleg. 50. num. 55.* Quamuis autem hæc Bulla in paucis tangat ſpecialiter Regulares, quia tamen ipſa celebris valde in Eccleſia eſt, & per ipſam reuocantur omnia ipſorum priuilegia, quoad ipſam ſpectant, prætermitti non potuit in hac Summa, ſaltem quoad magis practicabilia, & grauiora, ſumendo verba ipſius ex ipſo fonte, ſcilicet eadem Bulla, prout à Sanctiſſ. D. N. Vrb. VIII. edita fuit, & habetur in 4. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius *n.* 62. omiſſis alijs Bullis anterioribus, quas alij exponunt. Prius tamen aliqua notanda pro ipſa.

2 Primò, caſus iſtos, & cenſuras huius Bullæ dicenda eſſe à Iure, non ab homine, Cornejo *de excommunicat. diſp. 1. dub. 3. §. ſed reſpondetur.* Etſi enim olim tantùm ab homine cenſerentur, quia non per modum ſtatuti, aut legis, ſed per modum ſententiæ proferebantur; vnde conſequenter mortuo Pontifice expirabant, modo tamen poſt tempora Pij V. habent vim Iuris, non ſolum, quia generaliter fulminantur, ſed etiam quia, vt declarauit hic Pontifex, durant quouſque à Summo Pontifice fiant, aut publicentur noui, quod eſt eſſe de ſe perpetuos, ac per conſequens habere vim legis, ſeu ſtatuti à Iure. Tolet. *ſup. num. 4.* Suarez *5. tom. in 3. part. diſp. 21. ſect. 1.* Benè propterea animaduertens, propter multiplicationem harum Bullarum non multiplicari cenſuras circa idem crimen. Si quidem adueniente poſteriori ceſſat prior ab alio Pontifice edita.

3 Secundò, in has cenſuras non incidere mandantes, conſulentes, auxiliantes, &c. niſi illi expreſſè comprehendantur in verbis Bullæ. In his enim grauiſſimis pœnis non eſt facienda extenſio ad caſus ſimiles, niſi exprimantur, eo præſertim, quod quando Bulla illos comprehendere vult, ipſos exprimit. Naldus *in Summa verbo Bulla Cœna, num. 2. & 17.* Quod & patebit ex dicendis infra dum de ſchiſmaticis erit ſermo.

4 Tertiò, quod excommunicationes per alia iura latæ, & in iſta Bulla repetitæ non multiplicantur circa idem crimen, ſed ſolùm additur reſeruatio. Ita quod excommunicatio lata in iſta Bulla contra aliquod delictum pro quo impoſita eſt etiam excommunicatio in Iure, non eſt diuerſa ab illa, ſed eadem, addita tamen reſeruatione. Sic Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 54.* Suarez *ſuprà.* Incidens tamen in plures caſus huius Bullæ, in plures cenſuras incurret, ſicut qui plures Clericos percutit, plures incurrit cenſuras. Naldus *ſup. n. 3.*

5 Caſus ergo, propter quos in hac Bulla excommunicatio fulminatur, ſunt viginti, de quibus omnibus ſigillatim dicendum.

6 Primus eſt, propter hæreſim, his verbis: *Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, quoſcumque Huſſitas, Vuiclephiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluiniſtas, Vgonotos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios hæreticos, quocumque nomine cenſeantur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoſlibet illorum defenſores, ac eorum libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa publicè, aut occultè, quouis ingenio, vel colore; necnon Schiſmaticos, & eos qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, & recedunt.*

Circa quem præter dicenda verbo *Hæreſis, & Hæreticus, & 4. tom.* verbo *Libri*, vbi plura ſpectantia ad hunc primum caſum, notandum verbum illud *Anathematizamus*; quod tam in hoc caſu, quam alijs huius Bullæ ponitur, non denotare aliquam cenſuram diſtinctam ab excommunicatione maiori, ſed poni ad denotandum accidentalem ſolemnitatem, qua hæc excommunicatio maior imponitur, vel grauitas delicti, propter quod imponitur. Cornejo *ſuprà.* 7

Deinde, circa illud verbum *à Chriſtiana fide apoſtatas*, præter dicta *ſuprà* verbo *Apoſtata*, notandum hic *Apoſtatas* vocari illos, qui à fide Chriſtiana ad Mahometanam ſectam, vel Iudaiſmum tranſeunt, qui etſi verè ſint hæretici, vt propterea eaſdem pœnas quas hæretici incurrant (Sanchez *de precept. Decalog. lib. 2. cap. 7. num. 18.*) maioris tamen claritatis gratiâ hic nominantur. Suarez *dicta diſp. 21. ſect. 2.* Quemadmodum autem ad hoc, quod aliquis ſit hæreticus, comprehenſus in hac Bulla, & incurrens hanc excommunicationem, requiruntur duo, ita vt vnum ſine altero non ſufficiat, ſcilicet, quod mente diſcredat, & quod ſigno aliquo externo ſuum prodat errorem, ſic dicendum de Apoſtatia, prout in præſenti. Propter eandem rationem. Suarez *ſuprà.* 8

Circa illud verò, *necnon Schiſmaticos*, &c. nota ſchiſma eſſe voluntariam, & pertinacem ſubtractionem, & ſeparationem ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 39. art. 1.* & Theologi *ibid.* Vnde Schiſmaticus non eſt, qui ſe ſeparat ab obedientia illius, quem probabiliter putat non eſſe Papam, quando dubium eſt quiſnam ſit talis. Ille enim non recedit ab obedientia Summi Pontificis formaliter, ſed huius perſonæ, quam credit non eſſe talem. Valentia 2. 2. *diſp. 3. quæſt. 15. punct. 1. §. tertia propoſitio.* Naldus *ſuprà num. 16.* Quamvis etiam nunquam detur hæreſis ſine Schiſmate, quia omnis hæreticus recedit ab obedientia Eccleſiæ, & Summi Pontificis, quatenus tenuit credere illis, quæ proponunt; nihilominus poteſt Schiſma cum hæreſi, & ſine hæreſi reperiri cum hæreſi quidem ſi ſeparetur quis à Summo Pontifice cum errore intellectus, quo putet eum non eſſe Chriſti Vicarium, hic enim hæreticus eſt, & ſchiſmaticus: ſi autem ſine illo, aut alio errore ab ipſo ſeparetur, erit ſchiſmaticus, & non hæreticus. Reginaldus *lib. 17. num. 111. & lib. 9. num. 258.* Bonacina *de legibus, & precept. Decalog. diſp. 3. quæſt. 4. puncto ultimo, §. quinto, num. 5.* Tunc autem continget ſchiſma ſine hæreſi, ſi aliquis à Papa ſeparetur, quia videlicet eum putat malè electum, vel ob aliquos defectus Pontificali dignitate priuatum. Ita Azor. *tom. 2. Inſtit. Moral. lib. 8. cap. 10. quæſtione 4.* ex S. Thoma, & Caietano. Vel quando ex mala voluntate erga Papam non vult ſubijci ipſi, ſed ſeparari ab vnitate Eccleſiæ. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 36. num. 8.* Schiſmaticorum pœnæ ſunt priuatio Eccleſiaſticæ poteſtatis, id eſt iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, *cap. didicimus 24. quæſt. 1.* inhabilitas ad Beneficia in futurum conſequenda, *capite Quia diligentia, de elect.* & excommunicatio, 9

qua in præſenti, Sanchez *ſuprà, num.*10.11.*&* 18. Bonacina *ſup. num.*7.9.*&* 10. Hæc verò excommunicatio incurritur à ſchiſmatico, etiamſi hæreticus non ſit, cuius ſignum eſt, quod in verbis allatis ex Bulla ponitur ſeparatim. Incurritur etiam ſolo actu externo, quo quis indicat ſe recedere ab obedientia Papæ, etiam ſi actu interno id non intendat. Hæc enim eſt differentia inter Schiſma, & hæreſim, quod quia hæreſis conſummatur in actu interno ſicut actus fidei contrarius, ideo ſi ille non adſit, quantumuis adſit actus externus non incurritur excommunicatio; Schiſma verò, quia conſummatur in actu externo, ſcilicet in ſubtractione ab obedientia Papæ, ideo ſolum propter illum incurretur excommunicatio. Suarez *ſuprà diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 13. Qui bene propterea animaduertit Catholicos, qui ſub hæretico Principe viuunt, verbi gratia in Anglia, eique vt Supremo Capiti Eccleſiæ exterius obediunt, quamuis in conſcientia pœnas hæreticorum effugiant, ſed non Schiſmaticorum, quia verè Schiſmatici ſunt. Sanchez *ſuprà num.* 14. Non tamen hæc cenſura ligat fautores, receptatores, aut defenſores Schiſmaticorum, quia in Bulla non comprehenduntur, nec in odioſis fieri debet extenſio ad caſus ſimiles. Bonacina *ſuprà* §. *obſerua quartò*, ex Suarez etiam *ſuprà num.*14. Ligantur tamen excommunicatione, & aliis pœnis contentis in Bulla Pauli IV. quæ incipit: *Cum ex Apoſtolatus officio*, 1. tom. Bullar. inter conſtitutiones ipſius *num.*19. Bonacina *ſuprà*.

10 Secundus caſus in Bulla comprehenſus eſt iſte: *Item excommunicamus & anathematizamus omnes, & ſingulos cuiuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint, Vniuerſitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur interdicimus, ab Ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad vniuerſale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, conſilio, vel fauore appellatum fuerit.*

11 Circa quem, præter dicta ſupra verbo *Appellatio, & Appellare*, nota ad incurrendas has cenſuras, excommunicationis videlicet pro particularibus perſonis, & interdicti pro vniuerſitatibus, neceſſarium eſſe, quod appellatio ipſa ſit actu ſecuta. Verba enim regulariter intelligenda ſunt cum effectu ipſo, quem propriè ſignificant, vt dixi *ſupra*, verbo *Abortus, num.*9.*lib.*1.§. *hac autem verba*, ff. *quod quiſque iuris*. Nauarrus *in Manual. cap.*27.*num.*58. Graſſius *in deciſ. aureis, part.*1.*lib.*4. *c.*18.*n.*61. Non incurruntur autem per auxilium, conſilium, vel fauorem præſtitum poſt appellationem, ſed ante ipſam, vt notatur illis verbis Bullæ *Appellatum fuerit.* Suarez *dicta ſect.*2. *num.* 16. Naldus *in Summa, verbo Bulla Cœna, num.*17. Nec quando fieret appellatio ſub fiducia talis auxilij, conſilij, vel fauoris, niſi priùs aliqua promiſſio de ipſis præſtandis facta fuiſſet. Suarez, & Naldus *ibid.* Nec comprehendi videntur appellantes à Iudicibus Sedis Apoſtolicæ, aut ad Concilium Prouinciale, ſeu ad Concilium Generale, quia verba illa *Mandatis noſtris*, ac *Romanorum Pontificum, &c.* & ad *vniuerſale futurum Concilium*, iſtos non tangunt, Graſſius *ſup. num.*58.59.*&* 60. Nota, quod hæc excommunicatio lata erat antiquitus, & effectuata à Pio II. & Iulio II. Toletus *in Summa, lib.*1.*c.*20.*n.*1.

12 Tertius eſt talis: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, curſarios, ac latrunculos maritimos diſcurrentes mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario vſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.*

13 Circa quem, notandum ad piratas duas conditiones requiri; primam, quod id faciant non caſu, incidenter, ſed per ſe, & ex intentione. Vnde ſi mercatores vagantes in mari aliquando alios nauigantes expolient, non dicuntur piratæ. Secundam, quod non exſpolient alios titulo belli, ſi enim titulo belli iuſti vel iniuſti mare diſcurrant, & hoſtes exſpolient, non ſunt piratæ. Nauar. *in Manual. cap.*27.*num.*59. Toletus *in Summa, lib.*1. *cap.*20. *num.*3. Hi ergo, qui per ſe, & ex intentione, & non titulo belli alios exſpoliant, excommunicantur in hac Bulla. At non omnes, ſed illi tantùm, qui mare Papæ diſcurrunt, vt patet ex verbis bullæ. Etſi enim ſecundùm antiquiores bullas, omnes piratæ cuiuſcumque maris excommunicarentur, dicebatur enim in illis: *Excommunicamus omnes piratas, curſarios, latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare noſtrum, &c.* at nunc non ita, ſed reſtricta videtur excommunicatio ſolum ad piratas maris Papæ. Toletus *num.*4. Naldus *in Summa, verb. Bulla Cœna, num.*19. Dicitur mare Papæ Tyrrhenum, & Adriaticum, quia ad ipſius dominium temporale ſpectat. Suarez *dicta ſect.*2. *num.*18. licet Graſſius *ſupra num.* 67. per *mare noſtrum*, mare Chriſtianorum intelligat. Non tamen requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, quod mutilent, interficiant, deprædentur, aut expolient nauigantes. Etſi enim hoc eſſet neceſſarium ſecundum antiquiores bullas, at nunc ſecundum hanc modernam ſufficit diſcurrere per mare intentione id faciendi. Toletus *num.* 5. Suar. *ſupra num.*19. Non incurritur ab illis, qui expoliant, aut deprædantur infideles. Toletus *ibidem*. Naldus etiam *ibidem*. Niſi forſan (quod non affirmo) quando expoliarent infideles, vel habentes ſaluumconductum, vel gentiles non inimicos Chriſtianorum, Suar. *ſuprà num.*20. *&* 21. Comprehenduntur etiam in hac cenſura fautores, receptatores, & defenſores horum piratarum, vt patet ex verbis relatis. Qui porrò tales cenſendi, conſtabit ex dicendis verbo *Hæreſis, & Hæreticus*, dum de ſimilibus dicetur. Sine dubio autem milites, & alij, qui veniunt cum piratis in nauibus, vel triremibus eos adiuuantes, fautores dici debent, ac incurrere hanc cenſuram. Secus de remigantibus Chriſtianis, qui vi coacti triremes vehunt piratarum infidelium, dicendum. Nauarrus *ſuprà num.* 63. §. *ſeptimò quod Chriſtiani.* Graſſius *ſuprà num.*69. Imò quamuis ipſi & alij dicant tales remiges ad minus peccare mortaliter, probabiliter tamen etiam à peccato mortali excuſantur, eo quod ipſorum remigatio non eſt ex ſe malum, ſed indifferens. Et licèt ab infidelibus malè ordinetur, ab ipſis tamen Chriſtianis non niſi benè ordinatur, ſcilicet ad damnum proprium vitandum. Molina *tom.*1. *de Iuſtit. diſp.*115. *concl.* 2. Sanchez *lib.*1. *de præcept. Decal. cap.*7. *num.* 18. Cornejo *de Cenſur. diſp.*13. *dub.*1. §. *Ex quo infero.* Vide & alia *infrà num.* 22. & nota Suarez *dicta ſect.*2. *num.*60. oppoſitum ſatis probabiliter tueri.

Quartus eſt: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque nauibus tempeſtate, ſeu in tranſuerſum (vt dici ſolet) iactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta in mare, vel in littore inuenta cuiuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in cæteris cuiuſque maris regionibus, & littoribus ſurripuerint. Ita vt nec ob quodcumque priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.* 14

Olim erat de hac re impoſita excommunicatio, licet non reſeruata, *cap. excommunicat. de rapt.* Nauar. *ſuprà num.*6. Vt vero hæc huius bullæ incurratur, requiritur primò, quod ſurreptio talium bonorum ſit iniuſta, ſi enim titulo belli, aut alio pacto fuerit iuſta, non incurretur. Naldus *ſupra num.* 24. Secundò quod non ſit animo reſtituendi ea ſuis dominis, quando conſtaret de illis. Talis enim non eſſet propria ſurreptio, Graſſius *ſuprà num.*75. Toletus *ſuprà cap.*21. *num.*1. Tertiò, quod ſit in ipſo naufragio, vel poſt illud; qui enim ante illud aliquid ſurripuit, non incurrit hanc cenſuram. Naldus *n.*26. Non tamen requiritur, quod 15

Digitized by Google

talia bona per aliquam moram retineantur, ſed per ſolam ſurreptionem incurretur excommunicatio hæc, etſi illa, quæ antiquo iure lata erat, non incurreretur, niſi mora reſtituendi interueniente. Suarez *dicta ſect.2. à num.27.* Toletus *ſupra*. Non extenditur hæc cenſura ad conſulentes, mandantes, aut fautores, quia illorum non meminit bulla, ſicut ſolet, quando illos vult comprehendere. Idem Naldus *num.27.* apud quem & Graſſium, ac Proſperum de Auguſtino *in addit. ad Quar. in Summ. Bull.verſ.bona naufragantium*, vide alia circa hunc caſum.

16 Quintus eſt huiuſmodi: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis noua pedagia, ſeu gabellas præterquam in caſibus ſibi à Iure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.*

17 Nota, gabellam eſſe tributum publicum à Principe in communem vtilitatem exactum. Toletus *in Summa, lib.5.cap.72.* Habet autem tam tributum, quam gabella diuerſa nomina, iuxta diuerſitatem rerum, ſeu locorum, licet aliquando inter ſe confundantur. Hiſpanè enim vocatur *Alcauala*. Dicitur etiam *vectigal*, quia eſt de rebus, quæ vehuntur: *Pedagium*, quia eſt pro aptandis viis, aut pontibus, per quos inceditur. *Guidagium*, quia eſt pro ducatu ſecuro in viis. Dicitur quoque *Telonium, Portorium*, & *Dohana*, à locis vbi gabella ſoluitur. Vocatur etiam *cenſus, penſio, talia, præſtantia, impoſitio*, & *collecta, munus*, & *datium*. Et quando iniuſta ſunt, *angaria*, & *perangaria*. De quibus Syluester *in Summa, verb. Gabella* 5. Couarruuias *reg. peccatum, part.2. §.5.* Sotus *lib.3. de Iuſt. quæſt.6. art.7.* Sanchez *tom.1.conſil. Moral.lib.2.cap.4.dub.5.* & alij.

18 Hæ ergo omnes gabellæ, ſeu impoſitiones, & aliæ quæcumque his, vel aliis nominibus vocatæ, & earum augmentum prohibentur in Bulla, niſi fiant modo ibi aſſignato. Intentio enim legiſlatoris, ratio legis, & vſus vocabulorum id expoſtulare videtur. Nauarr. *in Man. cap.27. num.65.* Sa *in Summa, verbo Excommunicationes Bullæ Cœnæ, num.7.*

19 Incurritur ergo hæc cenſura ab illis Principibus, qui Superiorem recognoſcunt in temporalibus; his enim non permittitur imponere gabellas. Nauarrus *ſup.* Imò etiam ab illis, qui non recognoſcunt talem Superiorem, ſi iniuſtas imponant, quia nec hoc eſt illis permiſſum. Suarez *dicta ſect.2.num.38.* Etſi oppoſitum putet Naldus *ſupra, num.31.*) Incurritur autem ſtatim ac impoſita eſt gabella, antequam exigatur, non enim Bulla prohibet ſolum, aut determinatè exactionem, ſed vel impoſitionem, vel exactionem. Naldus *num.30.* Caſus porrò à Iure permiſſi ad imponendas gabellas cùm iure ſcripto non determinentur (Suarez *ſuprà, num.37.*) relinquendi ſunt iuris naturalis præſcripto quod generaliter requirit ad iuſtitiam gabellæ auctoritatem imponentis, grauem neceſſitatem, æqualitatem, ita ſcilicet, vt non excedat neceſſitatem pro qua imponitur, nec nimis grauet Rempublicam, nec alios plus, alios minus, ſed ſeruata proportione ad facultates ſingulorum, & quod non imponatur perſonis priuilegiatis. De quibus Ioannes de Medina *Cod. de reſtit. quæſt.13.* Caſtro *lib.1. de lege pœnal. cap.9.* Leſſius *de Iuſtit. lib.2. cap.33. dub.* 2. Sanchez *ſuprà, dub.2.* Comprehenduntur etiam per illam particulam *exigunt*, miniſtri exactores, officiales, vulgò *arrendatores*, qui talia prohibita, id eſt dictas gabellas, abſque conditionibus prædictis impoſitas exigunt, Graſſius *ſuprà, num.83.* Toletus *lib.1. cap.21. num.7.* Non autem incurrunt hanc cenſuram exigentes gabellas ab ſponte ſoluentibus. Exigere enim eſt ab inuito extorquere. Syluester *in Summa, verbo Excommunicatio 7. num.quinquageſimoquarto*, Nauarrus *ſupra*. Secus dicendum de alia excommunicatione contra illos, qui Clericis imponunt iſtas gabellas, de qua infra *num.46.& 47.* hæc

enim generalis eſt, & etiam pro laicis. Toletus *num.8* alia apud illos auctores.

Sextus eſt talis: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios Litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, ac ſupplicationum gratiam, vel iuſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem R. Pontificis ſignatarum, necnon falſo fabricantes Litteras Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falſo ſignantes ſupplicationes huiuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarij, aut gerentium Vices prædictorum.* De materia autem huius caſus commodiùs dicetur verbo *Falſarius*. 20

Septimus: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos, per noſtras, ſiue huius Sanctæ Sedis ſententias expreſsè, & nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, cannapem, funes tam ex ipſo cannape, quam alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus in Chriſtianorum perniciem, & damnum ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.* 21

Circa quem caſum, quod attinet ad prohibitionem deferendi arma ad infideles, aliqua dicta ſunt ſuprà verbo *Arma, à num.* 8. Nunc addendum, hanc cenſuram non comprehendere Chriſtianos ſubditos Turcarum fabricantes arma in terris ipſorum infidelium, eaque & equos illis vendentes eo fine, vt ad licitos fines illis vtantur, non ſolùm, quia iſti non deferunt, aut tranſmittunt arma ad illos, quod ſolum videtur prohiberi in hac Bulla; ſed etiam, quia talis venditio opus indifferens eſt, quo benè, & malè vti poſſunt infideles. Naldus *ſuprà, num.35.* Qui deferebant prædicta prohibita ad dictos infideles, pœnitentia tamen ducti, ea non tradiderunt, non incurrunt eam cenſuram. Verba enim legis, maximè pœnalis, vt alibi dixi, intelligenda ſunt cum effectu. Naldus *num.36.* Quod remiges Chriſtiani in Turcarum triremibus remigantes non afficiantur hac cenſura illis verbis, *auxilium, vel fauorem, &c.* colligitur tum ex pietate Sanctæ Matris Eccleſiæ, cuius intentio non videtur eſſe eos obligare, qui inuiti, & ob fugiendum periculum mortis id faciunt. Tum ex dictis *ſuprà*, cum de excommunicatione contra piratas ageretur, *num.13.* vbi etiam eos à peccato mortali probabiliter excuſari poſſe dixi, prout & ſequitur Diana 3. *part. tract.5. miſcellan. reſol.36.* poſt plures alios. Addit etiam, non ſolum poſſe remigare, ſed etiam propugnacula ædificare, ſarcinas, machinas & arma neceſſaria ad bellum afferre. Addunt Molina *de Iuſtit.tom.1.tract.2.diſp.115. concl.5.* Caſtrus Palaus *tom.1. tract.6. diſp.6. punct.11. num.12.* poſſe etiam, ſi periculum mortis illis immineat, Chriſtianorum bona, & domos deprædari, deuaſtare, & ſurripere, quia cum ſint in extrema neceſſitate vitæ conſeruandæ, poſſunt vti bonis externis proximorum, quantum neceſſe illis eſt pro illo fine obtinendo. Tormenta tamen bellica in Chriſtianos dirigere, ignem applicare, contra eos pugnare, aut illos occidere, nullatenus licet, quia hoc eſt intrinſecè malum. Diana *ſuprà*. 22

Illud etiam quod prohibetur in hoc caſu, & cenſura, ſcilicet certiores facere infideles de rebus ſtatum 23

Chriſtianæ Reipublicæ concetnentibus, comptehendit illos, qui de rebus vnius Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, vel Terræ nunciant, dummodo ſit in Chriſtianorum perniciem, & damnum, vt ibidem dicitur. Graſſius *ſup.num.*105. Comptehendit etiam illos, qui nunciant per litteras, & ipſos deferentes litteras, vt colligitur ex illis verbis *Per ſe, vel per alios.* Suarez *dict. ſect.*2. *n.*58. Verbum autem illud, *illiſque ad id, &c.* (etſi Suarez oppoſitum ſentiat) refertur non ad Turcas, &c. ſed etiam ad eos, qui illis arma deferunt, & qui illos certiores faciunt de rebus Chriſtianæ Reipublicæ, hoc enim conformius eſt tum textui ipſi, tum intentioni Pontificia, Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.*76.*ſect.*3.§.68. Diana 5.*p.tract.*13.*reſol.*13.

24 Nota etiam, quod illud *Chriſtiani nominis hoſtes,* non videtur referri ad hæreticos, tum quia textus manifeſtè illos ſeparat, tum quia ipſi, etſi prauadogmata teneant, Chriſtiano tamen nomine, etſi vanè gloriantur, Hurtadus *ſup.* §.85. Diana *ſup.reſol.*14. Vnde poſtea immediatè ſeparatim exprimuntur in eodem caſu.

25 Caſus octauus eſt iſte: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romana Curia adducant, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hac facientes defendunt per ſe, vel alios, cuiuſcumque fuerint Ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quauis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.*

26 Hunc tamen caſum communiter authores intelligunt procedere, ſi iniuſtè fiant illæ actiones impediendi, inuadendi, prohibendi, &c. Si enim aliqui Principes iure ſuo vtentes id facerent, non quidem animo impediendi, perturbandi, &c. ſed conſulendi propriæ patriæ, ne illi deficiant neceſſaria, aut ne inficiatur Romam pergens peſte, ſi ibi eſſet, & ille eſſet reuerſurus, non incurrerent hanc cenſuram. Caietanus *in Summa verbo Excommunicatio, cap.*19. Nauar. *in Manual. ſup. num.*64. Graſſius *num.*510. Nota tamen, quod in caſu dubij talis iuris parendum eſt Summo Pontifici. Nota etiam, quod per Curiam Romanam non intelligitur præciſè Roma, ſed Ciuitas illa vbi Papam reſidere contigerit. Naldus *ſupra num.*40.

27 Nonus vero talis eſt: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel recedentes ab eadem, ſua, vel alterum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à nobis, vel noſtris Iudicibus non habentes, illam ſibi temere vendicantes ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.*

28 Incurrunt hanc cenſuram omnes, qui aliquo ex dictis modis offendunt venientes ad Sedem Apoſtolicam, vel ab ea recedentes, occaſione alicuius negotij, ſiue ſpecialis, ſiue temporalis tractandi cum Papa, vel eius Miniſtris, non autem occaſione viſitandi Eccleſias, lucrandi Indulgentias, &c. Toletus *lib.*1.*cap.*25.*num.*2. Naldus *ſuprà num.*45. Idem dico de offendentibus Regulares venientes ad Generales, vel alios Superiores ſuorum Ordinum: iſti enim non dicuntur venire ad Sedem Apoſtolicam. Secus ſi venirent ad Sacram Congregationem Regularium, vel aliam ſimilem, quia nomine Sedis Apoſtolicæ veniunt iſtæ Congregationes. Notandum, quod nomine Sedis Apoſtolicæ non intelligitur determinatè Roma, ſed locus vel Ciuitas, vbi Papa reſidet, prout dixi *ſupra de Curia Romana.* Vnde fit, vt materia huius cenſuræ intelligenda ſit de euntibus ad Sedem Apoſtolicam vbicumque fuerit pro negotiis ad illam ſpectantibus. Suarez *dicta ſect.* 2. *num* 65. Toletus *ſuprà.* Vnde ſimiliter per morantes in Curia (de quibus in poſteriori parte caſus agitur) non intelliguntur, Ciues Romani, aut alij quicumque Romæ viuentes, ſed Curiales, illi ſcilicet, qui ratione Curiæ Romæ degunt, quia ſcilicet ſeruiunt Papæ, ſiue Cardinalibus, & Epiſcopis, ſeu Prælatis, qui Curiam ſequuntur. Caietan. *in Summa, verbo Excommunicatio, cap.* 14. Toletus *ſupra num.* 3. Qui etiam animaduertunt, quod etſi ad hoc, quod per illas actiones in Bulla prohibitas reſpectu venientium, aut recedentium incurratur excommunicatio, ſatis ſit, quod ſimpliciter fiant; at vero reſpectu morantium requiritur, quod eæ fiant veluti authoritatiuè, auctoritate videlicet vſurpata, prout colligitur ex illis verbis: *Eam ſibi temerè vendicantes.*

Decimus caſus eſt: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Vrbem cauſa deuotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.* 29

Hic autem caſus diuerſus valdè eſt à præcedenti, 30 comprehendit enim exercentes illas actiones circa venientes Romam, etiam cauſa viſitandi Eccleſias, & lucrandi Indulgentias, prout habetur ex verbis illis *Cauſa deuotionis*, ſeu *peregrinationis.* Similiter circa venientes Romam, etiamſi ibi Sedes Apoſtolica non eſſet, vt colligitur ex illo verbo *ad Vrbem, &c.* Comprehendit etiam auxiliantes, conſilantes, vel fauentes, vt patet illis verbis, *dantes auxilium*, quæ non comprehendebantur in præcedenti caſu. Caietan. *in Summa verbo Excommunicatio, cap.* 13. Toletus *dicto cap.* 25. *num.*4. Vide alia in eodem Caietano *ſupra*, & Naldo etiam *ſup. à num.*42.

Vndecimus caſus eſt: *Item excommunicamus, & ana-* 31 *thematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſt. Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu dominiis eiicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel fauorem.*

Concordant circa hoc caſu, & cenſura plura iura an- 32 tiqua. Primò, Clementina *Si quis ſuadente, de pœnis,* vbi excommunicatione Papæ reſeruata aliis pœnis afficiuntur hæc vel ſimilia facientes contra Epiſcopos. Secundo, *cap. fœlicis, de pœnis in* 6. vbi contra eadem, vel ſimilia facientes in Cardinales magnæ etiam pœnæ impoſitæ ſunt. Tertio, contra impedientes Legatos aut Nuncios, Extrauagans *Super gentes*, Ioan. XXII. vbi etiam imponitur excommunicatio cum aliis pœnis. Tol. *dicto cap.*25.*num.*5.

Aduertendum, nomine Epiſcopi in præſenti intelli- 33 gi conſecratum, non electum, aut confirmatum tantum, quia is non eſt ſimpliciter Epiſcopus, ſed tantum ſecundum quid, ſcilicet quoad iuriſdictionem. Caietanus *ſup. cap.*52. Suarez *ſup. num.*69. Licet autem quælibet ex his actionibus ſufficiens ſit ex ſuo genere ad peccatum mortale, poſſunt tamen (etſi rariſſimè) eſſe ſolum veniale ex leuitate materiæ, & nullum peccatum, vt ſi fierent cum ignorantia inculpabili, vel pro defenſione propria, Nauar. *dicto cap.*27.*n.*67. Suarez *ſuprà.* Qui etiam animaduertunt, non incurrere hanc cenſuram Principes, qui ejicerent è ſua Curia prædictos Prælatos, etſi peccarent ita faciendo. Veruntamen ſi Curiæ Principium eſſent loca iuriſdictionis, legationis, domicilij, aut natalia ipſorum Prælatorum, & inde eos eiicerent, incurrerent hanc cenſuram eodem modo, ac ſi ex aliis locis illos eiicerent. Id enim ſuadent illa verba: *à ſuis Diœceſibus, territoriis, terris, ſeu dominiis.* Fauet Naldus *num* 46. & Alterius *de Cenſ. tom.*1.*lib.*5. *diſp.*12. *cap.*4. Verbum illud *rata habentes*, rectè exponit Suarez *ſupra num.* 71. vt per illud non intelligantur quicumque conſentientes, approbantes,

Digitized by Google

probantes, vel laudantes tale factum, tales enim cum nullatenus influant in illas actiones, non incurrent hanc cenſuram, ſed illi ſolum quorum nomine, & mandato expreſſo, vel virtuali factum fuit. Etenim ex Regula iuris in 6. *num.* 9. *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Et Reg. 10. *Ratihabitionem retrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Extendunt etiam hanc cenſuram ad eos, qui inſultum facerent in domum alicuius Cardinalis, animo illum iniuriandi, Alterius *de Cenſur. tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 12. *cap.* 4. *col.* 4. *fol.* 612. & Diana *part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 81. Et ad eos, qui offendunt Clericos familiares Cardinalium, ipſorum intuitu. Sayrus *de Cenſur. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 3. Et ad illos, qui cum poſſint non impediunt talem iniuriam, idem Alterius *ſuprà cap.* 6. *col.* 10. Hæc verò etſi probabilia videantur, difficultate non carent, cum verba Bullæ illa non ſignificent, & in pœnalibus non debeat fieri extenſio ad caſus ſimiles, vt ſæpè dixi.

34 Duodecimus eſt: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe vel per alios perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſæculares ad Romanam Curiam ſuper earum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque Geſtores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi occidunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.*

35 Actiones hic prohibitæ & perſonæ circa quas fieri prohibentur notiſſimæ ſunt maximè ex dictis in ſuperioribus, ſolùm ergo pauca annotanda. Primum, hanc cenſuram ſolùm incurri à facientibus prædicta, non titulo inimicitiæ, vindictæ, aut alio quocumque, ſed ſolum, vt in Bulla dicitur, *occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi.* Caiet. *verbo Excommunicatio, cap.* 15. Graffius *ſup. num.* 118. Secundum, incurri etiamſi non fiant auctoritate iudiciaria laica, ſed Eccleſiaſtica, vel priuata ſolùm. Nauarr. *ſup. num.* 68. Tertium, hæc facientes poſſe ſimiliter incidere in alias cenſuras, præſertim relatam *caſu* 9. ſi tales proſequentes negotia morentur in Curia, neque enim eſt inconueniens, vt quis ſimul incidat in plures cenſuras, vt habetur 3. *quæſt.* 4. *cap. Engeltrudam.* Toletus *ſup. c.* 26. *n.* 2.

36 Caſus decimus tertius, iſque ampliſſimus eſt iſte: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares cuiuſcunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quamdam appellationem a grauamine, vel futura executione Litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quam iuſtitiam concernentium, necnon Citationum, Inhibitionum, Sequeſtrorum, Monitoriorum, Proceſſuum, Executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & a Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatij noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Iudicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiuſmodi admitti, ac Litteras, Citationes, Inhibitiones, Sequeſtra, Monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine earum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij ſuper huiuſmodi Litterarum, & Proceſſuum executione, Inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores Litterarum, Citationum, Monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, quive alias quibuſcumque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis earum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel Litteras à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.*

37 De materia huius caſus, & cenſuræ aliqua dicam infra verbo *Clerici*, & verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium.*

38 Quartus decimus caſus hic eſt: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel per alios auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Litterarum Apoſtolicarum prætextu, Beneficiales, & Decimarum ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conuentus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt, quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum Citationes, vel Inhibitiones, aut alias Litteras in eis decretas, & ad faciendum vel conſentiendum eos contra quos tales Inhibitiones emanarunt, a cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui per ſtatutum, vel alias compellunt, aut executionem Litterarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, vt dicunt, ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis, & Sede Apoſt. legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, & Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Conſiliarij Ordinarij, vel Extraordinarij quorumcumque Principum ſæcularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij fuerint.*

39 De huius etiam cenſuræ materia aliqua quoque dicenda ſunt verbo *Clerici*, & verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium.*

40 Quintus decimus, qui eſt veluti continuatio præcedentis, eſt talis: *Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, Collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè quouis quæſito colore. Necnon, qui Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſvis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quomodolibet reſtringitur, ſeu Noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur.*

41 Pariter de huius quoque caſus, & cenſuræ materia nonnihil dicetur dicto verbo *Clerici*, & verbo *exemptio Regularium*, & verbo *Gabella*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*, ac 4. tomo, verbo *Statutum.*

Digitized by Google

42 Decimus ſextus caſus, qui etiam eſt continuatio defenſionis libertatis Eccleſiaſticæ ſicut præcedens, eſt talis: *Necnon, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcumque Iudices Eccleſiaſticos Ordinarios, quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon conſanguineos, & affines, aut aliàs impediunt quominus ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque vtantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum Generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt, ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcunque ſententias, & decreta, aut alias fori Eccleſiaſtici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ob illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium & fauorem in eiſdem.*

43 Similiter de huius cenſuræ materia aliqua dico verbo *Clerici*, & verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*.

44 Decimus ſeptimus caſus eſt huiuſmodi: *Quive iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & prouentus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes vſurpant, quauis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.*

45 De huius quoque cenſuræ materia nonnihil dicam eo loco, cum de immunitate Eccleſiaſtica Regularium erit ſermo.

46 Decimus octauus caſus eſt iſte: *Quive collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicumque etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & terris quoquo modo Præſidentes, Conſiliarij, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innouantes decreta ſuper his per Sacros Canones, tam in Lateranenſi nouiſſimè celebrato, quàm Conciliis Generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis, &c.*

47 Comprehenduntur ſub hac cenſura recipientes prædictas præſtantias, taleas, vel gabellas, etiam *à ſponte dantibus*, vt patet ex verbis Bullæ, in quo differt hic caſus à quinto, de quo egimus ſupra, vt ibi diximus. De hac tamen materia dicetur verbo *Gabella quoad Regulares*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*.

48 Decimus nonus caſus non diſſimilis præcedentibus, talis eſt tenoris: *Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illos proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illos proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius Sanctæ Sedis Apoſt. licentia, quique huiuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quovis alio nomine nuncupati.*

49 De cuius etiam materia aliqua dicam verbo *Clerici*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*.

50 Vigeſimus, & vltimus: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocumque titulo, vel colore inuadere, deſtruere, occupare, ac detinere, præſumpſerint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras ſpecialis Commiſſionis Arnulphorum, Ciuitateſque noſtras Bononiam, Ceſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Aueniončm, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comoclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiecta, necnon ſupremam iuriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem, de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores illorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.*

51 Ponitur hæc cenſura contra *Inuadentes, &c.* terras ad dominium temporale Papæ ſpectantes. Comprehendit etiam illos, qui titulo factionis illas hoſtiliter inuadunt, etiamſi eas non intendant ſubtrahere à dominio Papæ. Caietanus *ſuprà, cap. 17.* Nauarrus *ſuprà num. 73.* Quid intelligatur per illud verbum mediatè, vel immediatè, Naldus *in Summa ſuprà, num. 59.* ſic explicat: *Loca illa dicuntur immediatè ſubiecta Eccleſiæ Romanæ, quibus Romanus Pontifex immediatè Iudices, ac Magiſtratus conſtituit, vt ibidem iudicent: mediatè vero ſunt illa, quæ non immediatè reguntur, ac iudicantur à prædictis Magiſtratibus, ſed à Iudicibus, qui ad ea deſtinantur à Ciuitatibus immediatè ſubiectis ipſi Romano Pontifici.* Et infrà: *Sed & alio modo intelligunt alij terras mediatè ſubiectas Romanæ Eccleſiæ, nempe etiam eas, quæ iure feudi aliis Principibus ſubduntur, & ab ipſis reguntur, vt ſunt Vrbinum, Parma, & ſimiles. Hæc ille.* Quando verò per prædictas actiones incurratur hæc cenſura, Suarez *ſuprà num. 105.* ſic habet: *Quacumque ratione aliqua ex his actionibus contra iuſtitiam fiat, ſufficit ad incurrendam hanc cenſuram. Si autem bona fide, & probabili titulo, iuxta Doctorum hominum iudicium, aliquid huiuſmodi fiat, non incurretur cenſura, quia excuſatur culpa ſine qua non poteſt excommunicatio incurri.* Refertque Caietanum *in Summa verbo Excommunicatio, cap. 31. verſiculo quartò.* Ibi tamen Caietanus ad aliud intentum loquitur, nec quod dicit Suarez videtur verum reſpectu actionum inuadendi, & deſtruendi; illæ enim pertinent ad bellum aggreſſiuum.

52 Horum porro caſuum, & cenſurarum abſolutio reſeruata eſt Summo Pontifici, ſublatis omnibus, & ſingulis priuilegiis iis verbis: *Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conuentibus, & domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & mundana excellentia fulgentibus, & per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſvis Concilij decreta verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere, vel*

in

in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

53 Circa quæ primò animaduertendum, illud *in mortis articulo* extendi poſſe ad mortis periculum, vt in ingreſſuro periculoſam nauigationem, vel imminens prælium, & in muliere partui difficili proxima. Naldus *ſuprà* ex Couarruuia, & Vgolino. Et confirmari poteſt, tum ex pietate Eccleſiæ erga ſuos filios, tum quia in Iure, *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. & cap. eos qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* pro eodem ſumitur periculum mortis, & articulus mortis. Diana *5. part. tract. 9. reſolut. 67.* Quod tamen limitat de periculo, quod ſit neceſſariò adeundum, non de illo, quod voluntariè omnino aſſumitur. Quale eſt illud, quod eſt in ludo haſtarum, taurorum agitatione, &c. Secundò animaduertendum, priuilegia conceſſa aliquibus Regularibus ad abſoluendum ab aliquibus caſibus Bullæ Cœnæ Chriſtianos exiſtentes in remotis partibus infidelium, prout Paulus III. in Bulla *Licet debitum*, in 1. tom. Bullar. Laërtij inter Conſtitutiones ipſius *num. 48.* conceſſit Ieſuitis, & Paulus V. in Bulla *Ex omnibus*, tom. 3. Bullar. num. 40. alias 26. Fratribus Sanctiſſ. Trinitatis, non reuocari, vt credo, hac generali reuocatione. Specialitas enim caſus, neceſſitas illorum Chriſtianorum, & pietas matris Eccleſiæ id poſtulare videntur. Vide circa hoc notabile priuilegium Sanctiſſim. D. N. Vrbani conceſſum fratribus Diſcalceatis Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis in Africa, & aliis Turcarum partibus exiſtentibus, *Appendic. ad 4. tom. Bullar. num. 3. aliàs 54.* Quomodo autem intelligi debeat id quod addit Pontifex de non danda abſolutione, etiam in articulo mortis, *niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita*, præſertim quia illud verbum *Nec poſſit*, denotare videtur abſolutionem aliter datam eſſe nullam, vide dicta verbo *Abſolutio, num. 9. & ſequenti.* An verò etiam extra mortis articulum, vel periculum, in caſu videlicet neceſſitatis confitendi, vel communicandi, poſſit aliquis ſaltem indirectè ab his caſibus abſolui, tractat ipſe Naldus *à num. 62.* & dicam infra verbo *Caſus reſeruati.*

54 Ex illo etiam, *& quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium*, colligitur id, quod dixi *tom. 1. cap. 18. n. 58.* videlicet hoc tempore publicationis Bullæ Cœnæ, iuxta moderationem Vrbani VIII. (quidquid ſit de præcedenti) omnia priuilegia Prælatorum Regularium, ſi quæ erant, ad abſoluendum ſuos ſubditos à caſu hæreſis, aut ab alio ex contentis in dicta Bulla, omnino euocata eſſe, prout etiam nouiſſimè approbat, me relato, Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Abſolutio num. 3.* Multo magis id eſt certum de Confeſſariis Regularium, quod ſcilicet non poſſint abſoluere ſuos pœnitentes ab vllo ex caſibus contentis in hac Bulla Cœnæ, propter declarationem Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. de anno 1601. & 1602. & maximè ſub S. D. N. Vrbano VIII. de anno 1628. quas retuli *tom. 1. cap. 19. num. 15. 16. & 17.* Pro quo nota, quod vt dixi eo *num. 16.* licet prædictæ declarationes ſub Clemente VIII. ſolum loquantur de Confeſſariis per Italiam extra Vrbem degentibus, decretum verò, ſeu declaratio ſub S. D. N. Vrbano generaliter loquitur de Confeſſariis Regularibus, tam intra, quàm extra Italiam.

55 Maximè ex illis verbis textus, *Etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis*, adiunctis illis, *ac cuiuſuis Concilij decreta*, ſequitur decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6.* vbi Epiſcopis conceditur facultas abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientiæ à quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, reuocatum eſſe quoad iſtos caſus Bullæ Cœnæ, non ſolum propter verba relata, præſertim quia vix inuenietur aliqua facultas in Conciliis conceſſa quoad hoc præter iſtam, vt notat Suarez infra referendus, ſed etiam propter declarationes Gregorij XIII. & Clementis VIII. quas referunt Fuſcus *de Viſitatione lib. 2. cap. 35. num. 5. & cap. 23. num. 4.* Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Archiepiſcopat. Neapolit. cap. 67. num. 10. in 1. edit. Prax. nou. Epiſcopor. cap. 1. num. 13.* & Azor. qui *tom. 1. Inſtitut. Moral. lib. 8. cap. 19. quæſt. 3. & cap. 10. quæſt. 10.* refert audiuiſſe à Religioſo docto, & fide digno ſic declaraſſe prædictum Clem. VIII. Item propter declarationem Sacræ Congregationis quam referunt Piaſecius *in prax. nou. Epiſcopor. part. 2. cap. 1.* Suarez *4. tom. in 3. part. diſp. 30. ſect. 2. n. 11. & de fide tract. 1. diſp. 21. ſect. 4. num. 13.* & Armendariz *in Additionib. ad recopilat. leg. Nauarra lib. 2. tit. 21. leg. vnica, de familiaribus Inquiſitorum, num. 3.* Item quia ſecundum hanc opinionem in ſupremo Generalis Inquiſitionis Prætorio Romano pronunciatum fuiſſe teſtatur Pegna *in Director. Inquiſit. part. 3. quæſt. 92. comment. 141. verſ. penult.* Accedit ſtilus, & praxis Curiæ Romanæ, vt referunt Antonius Ricciulus *de Iure perſonar. lib. 5. cap. 14.* Azor. *dicto cap. 10.* & Barboſa *de offi. & poteſt. Epiſcop. Allegat. 40. num. 25.* Quare oppoſita ſententia, etſi plurium Doctorum ſit, parum tuta, aut ſecura in praxi hoc tempore videtur, vt habet Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 11. num. 27. in fine.* Vide ipſum, & Barboſam loco relato, *à num. 22.* ac Sanctarellum *in tract. de fide, cap. 5. dub. 1. n. 1.*

An verò ſaltem ex priuilegio Bullæ Cruciatæ poſſit 56 aliquis abſolui ab his caſibus in locis, vbi talis Bulla viget, dicetur infrà, verbo *Bulla Cruciata.* Similiter quid agere debeat ille, Regularis maximè, qui in prædictos caſus inciderit, & eſt in remotis partibus, vbi nullus eſt, qui ab illis abſoluere poſſit, dicetur infra verbo *Caſus reſeruati.*

Addendum, iuxta dicta *tom. 1. cap. 19. num 43.* 57 Confeſſarios abſoluentes à prædictis caſibus excommunicationis ſententiam incurrere, vt patet ex ipſa Bulla. Extenditur enim ad quemcumque ab illis abſoluentem, vt patet ex contextu Bullæ illis verbis: *Quod ſi fortè aliqui*, &c. Hæc tamen excommunicatio nulli eſt reſeruata, & ita quicumque Confeſſarius ab ea abſoluit, & quicumque Prælatus Regularis ſuos ſubditos, iuxta doctrinam ſæpius traditam de cenſuris non reſeruatis. Verum excommunicatio poſita in decreto Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. de anno 1601. quod retuli *dict. cap. 19. num. 15.* contra abſoluentes à caſibus *clarè, vel dubiè* in Bulla Cœnæ contentis, Papæ eſt reſeruata. Nota tamen, quod verbo illo *dubiè*, ſolum denotetur dubium propriè dictum, non opinio probabilis, prout ex Graffio *lib. 1. de caſib. reſeruat. num. 51.* tenet Theſaurus *prax. part. 1. cap. 16. in fin.* Qualiter etiam Ordinarij, Prælati, Rectores Eccleſiarum, & Confeſſores omnes teneantur habere apud ſe tranſumptum huius Bullæ, dixi eo *cap. 19. num. 44.* Lege Barboſam *de officio Parochi, cap. 11. num. 16.*

Præcipitur etiam in eadem Bulla vniuerſis Ordi- 58 nariis, & Prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt eam publicent ſemel in anno, aut etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad Diuina conuenerit. Addit Graffius *part. 1. lib. 4. cap. 18. in explicat. Bullæ, num. 7.* hanc obligationem eſſe ſub mortali, licet excuſentur illi, qui vitandi ſcandali cauſa eam non publicant. Pro quo vide Becanum *in Summa Theolog. part. 2. tract. 3. cap. 6. quæſt. 8. num. 4.*

Ex dictis vero manifeſtè elicitur intentionem Sum- 59 mi Pontificis procul dubio eſſe, vt hæc Bulla in toto Chriſtiano orbe recipiatur, acceptetur, & obſeruetur. Iterata enim, & repetita ſingulis annis eiuſdem publicatio Romæ in ſolemniſſimo Dominicæ Cœnæ anniuerſario, Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, & tota Curia adſtantibus, eiuſdem etiam pluries ſingulis ſaltem annis

annis in omnibus Eccleſiis intimatio præcepta, & tam ſolicita Pontificis cura, quod eius tranſumptum apud omnes Prælatos, & Confeſſarios reſeruetur, id manifeſtè oſtendit. Finis enim Summi Pontificis eſt, vt tanquam pius Pater per excommunicationem in ea contentam conſeruet animarum ſalutem, Rempublicam Chriſtianam, libertatemque Eccleſiaſticam, authoritatem Apoſtolicam, & vnitatem à Deo ſibi commendatam, quæ ſunt bona Sedis Apoſtolicæ. Graffius *ſuprà num.*8. Vnde quoad forum exterius nulla admitti debet ignorantia, ſeu excuſatio quælibet pro tranſgreſſoribus. Quoad forum tamen animæ illam admittunt authores aſſerentes ipſam non obligare in illis partibus, vbi non eſt vſu recepta. Hi ſunt Filliuccius *tom.*1. *tract.* 11. *cap.*1. *quæſt.*5. *num.*11. Putean. *in* 1. *part. S.Thom. quæſt.*11. *art.*4. *dub.*2. Ioannes Valerus *in different. vtriuſque fori, verb. peccatum different.*30. *num.*2. Becanus *in part.*1. *tract.*3. *cap.*6. *quæſt.*8. *num.*4. & alij. Oppoſitum verò magis probabile appellat Diana *part.*1. *tract. de legib. reſolut.*1. §. *vnde Puteanus.*

60 Derogat tandem Pontifex quibuſcumque priuilegiis, etiam per viam contractus, aut remunerationis, aut ex quauis alia cauſa conceſſis, conſuetudinibus immemorabilibus, præſcriptionibus, & conſuetudinibus quantumuis longiſſimis, illis verbis: *Non obſtantibus priuilegiis, indultis, & Litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cuiuſque Ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præminentiæ fuerint, etiamſi, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, ſeu locis a prædicta Sede ex quauis cauſa etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de priuilegiis, indulgentiis, & indultis huiuſmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus, quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuſlibet obſeruantiis ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe iuuare valeant, vel iueri.*

61 Ex qua tam generali derogatione priuilegiorum quorumcumque, & conſuetudinum, etiam immemorabilium, elici videtur vſum, qui eſt in aliquibus Regnis, Dominiis, & Rebuſpublicis Chriſtianis faciendi ſeu permittendi aliqua quæ contraria apparent libertati Eccleſiaſticæ, & iis, quæ in hac Bulla ordinantur, ſiue talia vſus fundetur in aliquo Pontificio priuilegio dictis Regnis, Dominiis, & Rebuſpublicis, etiam per viam contractus, & remunerationis à Sede Apoſt. conceſſo, ſiue in aliqua conſuetudine, aut præſcriptione, etiam immemorabili, & longiſſimâ, ſiue in quacumque obſeruantia ſcripta, vel non ſcripta, quæcumque illa ſit, omnino damnari, & reprobari, & ſic facientes in pœnas, & cenſuras huius Bullæ incidere. Verba enim adducta generaliſſima ſunt, & hæc omnia comprehendunt. Propterea aliqui ita ſentire videntur, ſpecialiter Sayrus *de Cenſur. lib.*3. *cap.*55. *num.*10. Duardus *in Bull. Cœnæ lib.*3. §. 5. *quæſt.*1. *n.*1. Mainardus *de priuileg. Eccleſ. part.*2. *art.*18. *n.*10. Petrus Binsfeldius *in comment. de iniuriis, & damno dato, cap.*7. *concl.* 13. Vgolinus *in reſponſ. ad Iuriſconſult. Gymnaſij Patauini, cap.*7. & alij apud Dianam *part.* 1. *tract. de Immunit. Eccleſ. reſolut.*6. Alij verò, quia durum ipſis videtur exiſtimare tot Principes Catholicos Eccleſiæ Sanctæ deuotiſſimos, eorumque Magiſtratos quotidie, & paſſim has cenſuras incurrere, ideo putant per hanc Bullam eorum priuilegia, ſi illa habuerunt, remuneratiua præſertim, & per viam contractus, aut antiquiſſimas conſuetudines, non derogari. Hi ſunt inter alios Filliuccius *tom.*1. *tract.*10. *cap.*16. *num.*558. Malderus *part.*2. *quæſt.*9. *art.*4. *fol.*407. *colum.*1. Fauet Fagundez *de præcept. Eccleſiaſt. tract.*1. *lib.*3. *cap.*7. *num.*17. loquens de quadam conſuetudine Luſitaniæ, maximè Salgado *de protectione Regia tom.*1. *part.*3. *cap.*10. *num.*96. Habere autem Principes aliquos talia priuilegia plures ſupponunt. Primò enim de Catholico Hiſpaniarum Monarcha ita aſſerit Bannez 2.2. *quæſt.*67. *art.*1. *dub.*2. *concl.*6. Ioannes à Cruce *in Director. conſcientiæ part.*1. *præcept.*8. *quæſt.*3. *art.*1. *dub.*1. *concluſ.* 3. Peſantius *de Immunit. Eccleſ. diſp.*3. & Portellus *in dub. Regular. v. bo Appellare, in Additionib. ad addition. num.*4. De Rege Franciæ id teſtantur Carolus de Graſſaliis *in Regal. S Franc. lib.*2. *iure* 1. *fol.* 129. *& iur.*5. *fol.*237. noſter Antonius Bouius Epiſcopus *in reſponſ. ad Paul. Seruit. pro Cenſuris Paul. V. part.*4. *ad argumentum* 10. & alij. De Republica Venetorum, quoad aliquos ſaltem caſus, id affirmant Zanardus *in Dir. Elor. Confeſſ. tom.*3. *cap.*50. & Decianus *tom.*1. *lib.*4. *cap.*9. *num.* 66. cum Gigante. Item de Ducibus Sabaudiæ aliquid ſimile ſcribit Octauianus Cacheranus *deciſ. Pedmentan.* 30. Veruntamen, quia nec prædicta priuilegia vidi, nec in cauſa grauiſſima licet iudex eſſe, ideo cum Nauarro *in Manual. cap.*27. *num.*72. Suarez *contra Reg. Angliæ lib.*4. *cap.*34. *n.*29. ex Cardinali Bellarmino, & cum Maldero *ſuprà* rem hanc iudicio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ remittendam cenſeo.

Ea verò, quæ Cardinalis Caietanus pro Principum Catholicorum excuſatione dixit *in Summa verbo Excommunicatio, cap.*31. loquens de quadam excommunicatione Bullæ Cœnæ, hic ſubiicienda duxi. *Quartò nota quod tam Statutarij, quam alij excuſantur ab excommunicationis cenſura, ſi pura mente, & recto animo nolentes aliquid contra Eccleſiæ libertatem ſtatuere, aut ſuſtinere, conſulunt Doctores reputatos, ſeu committunt examen Doctoribus huiuſmodi, & certificati ab illis, quod nihil eſt contra Eccleſiæ libertatem, ſtatuunt, ſcribunt, &c. aliquid quod in veritate eſſet contra libertatem Eccleſiæ, quia agunt ex ignorantia pluſquam probabili, & nec apud Deum, nec apud Eccleſiam agunt contra Eccleſiæ libertatem, quia fecerunt quantum in ſe eſt, quod viros probos decet, & excuſantur non ſolum à toto, ſed à tanto.* Hæc ille. *Quæ etiam approbat* Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.*21. *ſect.*2. *num.*105. 62

BVLLA CRVCIATÆ.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Cruciata quid ſit.*
2 *Quibus conceſſa, aut quibus proſit.*
3 *Qui poſſint illam accipere.*
An Regulares. ibid.
4 *An Bulla accepta ex pecuniis alienis proſit accipienti.*
5 *Priuilegia illius valent tantum per vnum annum.*
Quomodo numerandus. ibid.
6 *An ad ipſius valorem requiratur ſtatus gratiæ.*
7 *An accepta ab vno pro alio illi proſit.*
8 *Amittens Bullam an perdat priuilegia ipſius.*
9 *Quid de committente peccata reſeruata ex confidentia ipſius.*
10 *Indulgentia plenaria quibus concedatur.*
11 *Quid de euntibus ad bellum contra infideles.*
12 *Quid ſi prædicti fuerint Clerici beneficiati.*
13 *An militantes in hoc bello ad ieiunia teneantur.*
14 *De priuilegio audiendi Miſſam tempore Interdicti.*

Familia

Digitized by Google

Familiarium nomine qui intelligantur in præſenti. ibid.
Alia ſpectantia ad hoc priuilegium. ibid.
15 *Quid de priuilegio ſepulturæ cum mediocri pompa.*
16 *Priuilegium edendi carnes, & lacticinia diebus prohibitis.*
Quomodo intelligendum, & pro quibus diebus, vel perſonis. ibid.
17 *Quid de non euntibus, nec mittentibus ad bellum, ſed tantum eleemoſynam erogantibus.*
Quomodo intelligatur participatio bonorum ſpiritualium. ibid.
18 *Quid de viſitantibus Stationes Vrbis.*
An conſequantur Indulgentias etiam plenarias. ibid.
An ſæpius in die. ibid.
Quomodo facienda eſt viſitatio. ibid.
19 *De facultate eligendi Confeſſarium.*
A quibus caſibus ille abſoluat. ibid.
20 *Qualis debeat eſſe iſte Confeſſarius.*
Quæ approbatio pro illo requiratur. ibid.
Quid de Regulari ſolùm approbato ab Ordinario. ibid.
21 *Quæ ſint peccata, & cenſuræ Sedi Apoſtolicæ reſeruata.*
22 *Quid de reſeruatis in Bulla Cœnæ ſentiendum.*
23 *Quomodo id intelligendum.*
Quid intelligatur per articulum mortis. ibid.
24 *De Indulgentia ſemel in vita, & ſemel in morte quid ſentiendum.*
25 *Peccata, & cenſuræ non reſeruata quæ ſint.*
Quid de caſibus Epiſcopalibus. ibid.
26 *Quid ſentiendum de caſibus Papalibus occultis.*
27 *Quomodo ſuffragetur hæc abſolutio.*
28 *An poſſint pœnitentes ex vi Bullæ abſolui extra Confeſſionem.*
29 *An regulares vti poſſint hoc priuilegio.*
30 *An talis Confeſſarius abſoluere poſſit à ſuſpenſione, interdicto, ceſſatione à Diuinis, &c.*
An diſpenſare in irregularitate. ibid.
31 *Quos caſus comprehendat priuilegium Bullæ.*
32 *Quomodo facienda ſatisfactio, & cui.*
33 *De Hæreſi, quæ excipitur in dicto priuilegio.*
34 *De votis, quæ commutari poſſunt.*
Qualiter, aut quomodo commutanda. ibid.
35 *Quid dicendum de iuramentis.*
36 *Quid de voto Caſtitatis.*
37 *De accipiente Bullam bis in anno.*
38 *De facultate commiſſa Commiſſario Generali Cruciatæ.*
Quæ priuilegia, indulgentiæ, & facultates ſuſpendantur ex vi dictæ Commiſſionis. ibid.
39 *An indulgentia conceſſa Ordinibus Regularibus.*
40 *An viſitantibus Eccleſias, Monaſteria, loca pia, &c.*
41 *De indulgentiis conceſſis altaribus priuilegiatis quid ſentiendum.*
42 *Non ſuſpenditur facultas, quam habent Superiores Regulares ad dandum litteras Confraternitatis ſuis benefactoribus.*
43 *De aliis facultatibus Commiſſarij Cruciatæ.*

1 BVlla Cruciatæ eſt quoddam Pontificium diploma, in quo plura priuilegia, & indulgentiæ conceduntur, opem, & auxilium reale, vel perſonale præbentibus Catholico Hiſpaniarum Regi in bello contra Turcas, & alios infideles. Ita enim colligitur tum ex dicendis, tum ex tranſumpto ipſius iuſſu Sanctiſſ. Dom. N. Vrbani VIII. publicatæ anno 1628. Vocatur autem *Cruciata*, quia priuilegia in ipſa contenta ſimilia ſunt illis, quæ olim Cruce ſignatis pro recuperatione Terræ Sanctæ concedebantur, Sotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 3. §. Ad quæſtionem*, Rodriguez *in expoſit. Bullæ Cruciatæ §. 1. num. 2.*

Conceditur autem hæc Bulla cunctis fidelibus habitantibus in Regnis Hiſpaniarum, & inſulis adiacentibus, ac in Regnis Siciliæ, & Sardiniæ, ſeu illuc venientibus, aut ibi commorantibus. Ita ex Bulla Ludouicus à Cruce *in Expoſit. Bullæ Cruciat. diſp. 1. cap. 1. dub. 1.* Quare neque pro Hiſpano abſente à prædictis Regnis, & multo minus pro alio extraneo abſente accipi poteſt. Quia illa ſolum conceditur ibi commorantibus, aut eò declinantibus. Idem Ludouicus *dub. 3.* Si autem aliquis bullam accipiens in aliquo ex prædictis locis aliò ſe conferat, poterit ibi gaudere priuilegiis in ipſa conceſſis. Sunt enim perſonalia, & ita ſequuntur perſonam priuilegiatam. Rodriguez *ſup. dicto §. 1. dub. 3.* Diana *part. 1. tract. 11. de Bulla Cruciata, reſolut. 1.* Limitatur tamen hoc, vt non teneat verum reſpectu indulti edendi carnes, & lacticinia; nam illud, vt apparet ex Bulla, conceditur tantum commorantibus in dictis Regnis, & non extra illa. Rodriguez *ſupra*, Vega *in Summ. mihi lib. 3. caſu 274.* Exiſtens porro in Italia non poteſt per amicum accipere illam, cum ſolum concedatur, vt dictum eſt, pro habitantibus, vel commorantibus in dictis Regnis. Vega *ſuprà lib. 4. caſu 98.* 2

Poſſunt, quantum eſt ex vi Bullæ, eam accipere omnes, & quicumque Regulares vtriuſque ſexus, ea enim conceditur cunctis fidelibus Chriſtianis, vt patet ex verbis ipſius, in qua ſæpè Regulares nominantur. Et ita ſecluſa prohibitione Prælatorum licitè poſſunt Regulares illam accipere, & vti priuilegiis ipſius. Vtuntur enim iure ſibi à Summo Pontifice conceſſo. Sorbus *in Additionibus ad compendium Priuilegior. Mendicant. verbo Cruciata.* Ludouicus à Cruce *ſup. dub. 9. num. 3.* Tenentur tamen petere licentiam à Prælatis ad illam accipiendam: tum quia hoc videtur pertinere ad votum obedientiæ, quod emiſerunt, tum quia cum in Bulla Pij V. pro anno 1564. publicata concederetur licentia Religioſis, vt abſque licentia ſuorum Superiorum eam acciperent, in Bullis tamen poſterioribus hoc eſt ſublatum, proculdubio, vt denotarent Summi Pontifices ad id requiri facultatem prædictam. Idem Ludouicus *num. 4.* Cæterum Prælati Regulares ſine cauſa Rationabili prohibentes, quod ſubditi eorum illam accipiant, aut non concedentes eam licentiam, malè faciunt, vtpotè, quia impediunt ſine cauſa bona ſpiritualia, quæ ex ea conſequi poſſent. Acoſta *in bullam Cruciata quæſt. 106.* Villalobos *in Summa tom. 1. tract. 27. clauſul. 12. num. 29.* Licet hoc non credam eſſe peccatum mortale, quidquid ipſi dicant, cum bona illa ſpiritualia, quæ ex Bulla conſequi poteſt Religioſus, non ſint illi ad ſalutem animæ ſimpliciter neceſſaria. Caſu autem, quo Prælatus abſque rationabili cauſa nollet dictam licentiam concedere, poſſet ſubditus ſine peccato Bullam accipere, tum quia Prælatus non habet ius ad negandum tunc eam licentiam: tum quia Pontifex videtur eam generaliter cunctis concedere in ipſa Bulla. Acoſta, & Villalobos *ſuprà num. 27.* Etſi autem in caſu talis prohibitionis non poſſit Religioſus pecuniam pro Bulla dare, quia hoc videtur contra votum paupertatis, cum ſit expendere pecuniam contra voluntatem ſui Superioris in re non ſimpliciter neceſſaria, poteſt tamen rogare amicum, vt accipiat eam, & ſibi det, quod faciendo, nec peccabit contra paupertatem, cum nullum bonum temporale ex eo adquirat, nec contra obedientiam, quia vt ſuppono, præceptum Superioris irrationabile tunc eſt, & non obligat. Diana *ſuprà reſol. 99.* ex Acoſta, & Villalobos. Quando autem ex rationabili cauſa Prælati præciperent ne ſubditi Bullam accipiant, ſi accipiunt, non ſolum peccant contra obedientiam, vt per ſe patet, ſed & contra paupertatem, expendentes in hoc pecuniam. Propter dicta. Caſſarublus *in Compend. Priuilegior.* 3

Mendi

Mendicant. verbo Cruciata, §. *ad hoc autem.* Quo etiam caſu credo Religioſum gaudere poſſe priuilegiis Bullæ. Quamuis enim peccet illam accipiendo, ſed non propterea irritatur valor illius. Rodriguez *ſuprà* §. 9. *num.* 24. Ludouicus à Cruce *num.* 7. An verò Bullæ virtute poſſint Regulares abſolui à caſibus reſeruatis, dicam infrà *num.* 29.

4 Bulla accepta ex pecuniis non propriis, ſed ablatis, & contra iuſtitiam ab aliis ereptis, non valet accipienti, quia Pontifex vult, vt ea accipiatur ex propriis bonis, & facultatibus. Accepta verò à meretrice ex pecuniis turpi quæſtu, & non contra iuſtitiam lucratis, illi poteſt valere, quia tales pecuniæ verè ſunt propriæ ipſius meretricis, vt ſuppono ex plurium ſententia. Acoſta *in Bulla Cœnæ quæſt.* 12. Diana *ſupra reſolut.* 101. Lugo *de Sacrament. Pœnit. diſp.* 27. *ſect.* 6. *num.* 87.

5 Bullæ priuilegia valent tantum per vnum annum, computandum non à die acceptionis illius, nec à die publicationis in Metropoli, vel Diœceſi, ſed à die publicationis in ſingulis locis factæ. Ita enim habetur expreſſè in Summario Bullæ. Ludouicus à Cruce *ſuprà diſp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. Vnde ſi contingat me accepiſſe Bullam Salmanticæ publicatam menſe Februarij 1630. & veniſſe Matritum, vbi publicatur noua Bulla menſe Decembris eiuſdem anni valitura pro anno ſequenti, poſſum Matriti exiſtens vti Bulla accepta Salmanticæ vſque ad menſem Februarij anni 1631. Vega *in Summ. mihi lib.* 4. *caſu* 104. & 140. Probabile etiam eſt valituram Bullam per aliquot dies paucos, ſex ſcilicet, vel octo poſt expletum annum publicationis, quando caſu aliquo differtur nouæ Bullæ publicatio. Quia ita videtur piè interpretanda Pontificis intentio, & eſt conforme vſui Eccleſiæ, quæ hoc modo intellexit præceptum ſumendi Euchariſtiam ſingulis annis tempore Paſchatis, cum tamen Paſcha aliquando in menſe Martij, & aliquando menſe Aprilis celebretur. Henriquez *lib.* 7. *c.* 20. *num.* 2. Sancius *in ſelect. diſp.* 55. Idem & propter eandem rationem ſentiunt aliqui eſſe dicendum, quando expleto anno publicationis Bullæ, & noua Bulla publicata in Ciuitate populoſa non potuit die publicationis, ſed poſt paucos dies accipi. Villalobos *in Summa tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 4. *num.* 10. ex Henriquez. Caſu etiam quo quis incipiat confiteri ſua peccata ante expletum annum publicationis Bullæ, & non poſſit ob iuſtas cauſas abſolutionem obtinere niſi poſt expletum illum annum, probabile eſt abſolui poſſe à reſeruatis virtute Bullæ. Quia confeſſio incepta eſt tempore habili, & ſic piè credendum de intentione Pontificis. Villalobos *ſuprà n.* 12. Acoſta *in Bull. quæſt.* 36. Nota etiam non expirare Bullam, eo quod Pontifex, qui illam conceſſit, expiret ante expletum annum publicationis. Ita ex multis Ludouicus à Cruce *ſup. dicto cap.* 10. *dub.* 3.

6 Ad Bullæ valorem non requiritur, quod ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, non ſolum quoad priuilegia eligendi Confeſſorem, veſcendi lacticiniis, &c. vt de ſe patet, ſed etiam quoad indulgentias in illa conceſſas. Ratio eſt, quia Bulla non requirit talem conditionem, & quamuis pro lucrandis indulgentiis requirat contritionem, & confeſſionem, hoc tamen refertur ad tempus acceptionis Bullæ, ſeu inſtans quo conſequenda eſt indulgentia, completis omnibus requiſitis. Acoſta *in Bull. Cruciata quæſt.* 15. *per totam.* Diana *ſuprà reſol.* 6. Poteſt etiam Bulla prodeſſe illi, qui tempore acceptionis erat excommunicatus. Etſi enim Literæ, ſeu Reſcriptum per excommunicatum impetrata illi non proſint, hoc autem priuilegium Bullæ non eſt impetratum ab iſto excommunicato, ſed conceſſum à Papa in fauorem Regis Catholici pro ſubſidio belli. Ludouicus à Cruce *ſuprà diſp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4. Prodeſt etiam hæretico mere interno, quia iſte quoad Eccleſiam, & forum externum habetur pro fideli. Secus de hæretico externo, propter oppoſitam rationem. Idem Ludouicus *ſupra dub.* 8.

7 Bulla accepta ab vno pro alio valet illi pro quo eſt accepta, hoc enim eſt conforme intentioni Pontificis, & fini ipſius. Ludouicus à Cruce *ſuprà diſp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. Eſt tamen neceſſarium, cum ad notitiam illius deuenerit, vt ratam habeat talem Bullæ acceptionem. Idem Ludouicus. Si autem eſt accepta pro Petro, & illi applicata, non poteſt alij applicari, quia verè iam tale priuilegium eſt ſolius Petri. Diana *ſuprà reſolut.* 95. Si verò ipſe Petrus, pro quo accepta fuit, iam aliam accepiſſet, probabile eſt poſſe vnam earum alteri dare vel gratis, vel etiam accepta ſtipe. Henriquez. *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 20. *num.* 6.

8 Qui amittit Bullam inculpatè, & ſine malitia, non perdit gratias illius. Non enim debet eſſe maior obligatio in hoc, quam eſt in aliis priuilegiis. Henriquez *ſuprà n.* 5. Nignus *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bull.* §. *in fin.* Dixi inculpatè, & ſine malitia, quia ſi quis ex malitia perdidit Bullam, videtur renunciaſſe priuilegiis ipſius.

9 Qui ex confidentia Bullæ committit peccata reſeruata gaudere poteſt priuilegiis ipſius. Ratio eſt, quia vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *cap. ſi Euangelica, diſt.* 55. & *cap. ſolitæ*, §. *nobis, de maiorit. & obedient.* Sed in hac Bulla non apponitur hæc conditio, ſicut ſolet apponi in aliis pluribus priuilegiis, quando Papa vult, vt non proſint iis, qui peccant, ex confidentia illorum. Ergo. Ledeſma *in Summa tom.* 1. *tract. de Pœnit. cap.* 13. *dub.* 10. Acoſta *in explicat. Bullæ quæſt.* 33.

10 Loquendo autem de gratiis, ſeu priuilegiis in Bulla conceſſis: Primò dicendum, concedi Indulgentiam plenariam (illam videlicet, quæ ſolita eſt concedi pro expeditione Terræ Sanctæ, & anno Iubilei) quatuor generibus perſonarum. Primò illis, qui zelo fidei ſuccenſi ad Bellum, quod Rex Catholicus cum infidelibus gerit, perſonaliter propriis ſumptibus profecti fuerint, ſiue pugnauerint, ſiue aliud ſeruitium gratis exhibuerint, dummodo per annum integrum perſeuerent, vel fuerint mortui in itinere, aut exercitu, aut infirmitate, vel alia legitima cauſa non potuerint in illo perſeuerare. Secundò illis, qui iuxta ipſorum poſſibilitatem & dignitatem alios ſuis expenſis ad tale bellum miſerint. Tertiò ipſis, qui miſſi fuerint, & pauperes fuerint. Quartò, Clericis, ſæcularibus, vel Regularibus, qui de licentia ſuorum Prælatorum Verbum Dei prædicauerint in exercitu, aut alia miniſteria Eccleſiaſtica exercuerint. Ita habetur ex Bulla. Rodriguez *in Expoſit. Bull. Cruciat.* §. 2. 3. & 4. Ludouicus à Cruce *ſuprà cap.* 8. *dub.* 3. Omnes ergo prædicti dictam indulgentiam plenariam æqualiter lucrantur, eſto inæqualia opera faciant, quia Pontifex omnibus illis eam concedit. Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 2. Idem Ludouicus *ſuprà.* Etiamſi talia opera iniuncta in peccato mortali exerceant, quia ſolum requiritur ſtatus gratiæ pro inſtanti, quo conſequenda eſt indulgentia, non pro operibus prærequiſitis. Syluester *in Summa, verbo Indulgentia, quæſt.* 10. *dicto* 9. Corduba *de Indulgentiis q.* 24. Imò etiamſi talia ſint mala in indiuiduo, dummodo ex genere ſuo ſint bona, quia Pontifex & Eccleſia non ſolet aliud in ſuis præceptis exigere. Corduba *de Indulgentiis quæſt.* 21. & 25. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. Requirit autem Pontifex pro conſequenda hac indulgentia, quod ſint contriti, & confeſſi, vel ſi confiteri non poſſint, id corde deſiderauerint. Quomodo autem conditio hæc contritionis, & confeſſionis intelligenda ſit, ex iis, quæ dicam verb. *Iubilæum, num.* 55. elici poteſt.

11 Declarat etiam Pontifex, Clericos ſæculares, vel Regulares de licentia ſuorum Superiorum reſpectiuè ad bellum prædictum euntes, & in eo Verbum Dei prædicantes, ſeu miniſteria Eccleſiaſtica, & pia exercentes,

irregu

irregularitatem propterea non incurrere. Ita ex Bulla. Pro quo vide dicta *ſupra* verb. *Bellum*, *a num.6.*

12 Item declarat prædictos Clericos, ſi beneficiati fuerint, poſſe tempore quo huic expeditioni vacabunt deſeruire eorum beneficiis per Vicarios idoneos, dummodo ex beneficia curam animarum non habeant, quia ad id requiritur Sedis Apoſtolicæ licentia. Ita ex Bulla. Pertinet autem ad Ordinarios iudicare de reſidentia huiuſmodi beneficiorum, indulgentiis, & diſpenſationibus circa illam, vt colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.6.de reformat.cap.*2. Rodriguez *in Expoſit. Bull.Cruciat.* §.4.

13 Declarat etiam Pontifex milites in hoc bello occupatos non teneri ieiuniis, ad quæ ex præcepto Eccleſiæ, vel ex voto aliàs tenebantur. Ita ex Bulla. Cum autem hoc priuilegium ſolis militibus in bello occupatis concedatur, non ſuffragatur aliis Bullam accipientibus, nec Clericis, aut Regularibus bello aſſiſtentibus, quia ipſorum arma potius debent eiſe ſpiritualia, ieiunia ſcilicet, & orationes, licet ſi ratione laboris ieiunare non poterunt, exempti erunt ab hac obligatione. Rodriguez *ſupra* §.4.

14 Prædictis etiam omnibus, & quibuſcumque aliis etiam in hanc expeditionem non euntibus, ſi cum eleemoſyna deſignanda ex propriis bonis ad eam concurrerint, concedit Pontifex, vt anno à publicatione Bullæ computando durante poſſint vti gratiis, & facultatibus in hac Bulla contentis. Videlicet, quod poſſint (adhuc tempore interdicti Apoſtolici, vel Ordinarij) audire Miſſam in Eccleſiis, & Monaſteriis, aut in Oratorio priuato deſignato, & viſitato ab Ordinario, Miſſam, & alia Diuina Officia per ſeipſos, ſi Sacerdotes fuerint, celebrare, aut celebrari facere ab aliis in eorum, & familiarium, ac conſanguineorum præſentia, & Euchariſtiam, aliaque Sacramenta, præterquam in die Paſchatis, recipere, dummodo ipſi cauſam non dederint tali interdicto, nec per illos ſteterit quin illud amoueatur, & quod qui præmiſſo Oratorio ad præmiſſa vti voluerint, quoties id fecerint, ad aliquas preces pro eiuſque deuotione, pro conſeruatione vnionis Principum Chriſtianorum, & victoria contra infideles teneantur. Ita ex Bulla. Nota, familiarium nomine intelligi domeſticos, id eſt illos, qui ordinarie dominum ſuum comitantur iuxta *cap.licet. de priuileg. in 6.* Nauarrus *in Manual. cap.27. num.*181. Rodriguez §.5. Vnde ſi alij de nouo ad eum finem adhiberentur, non poſſent vti eo priuilegio, eſſet enim hoc in fraudem legis. Idem Rodriguez *ibidem*, ex Soto, & Nauarro. Conſanguineorum nomine probabiliter intelligi poſſunt, non ſolum conſanguinei vſque ad quartum gradum, ſed etiam vxor, & tota cognatio. Ludouicus à Cruce *ſupra diſp.1. cap.5. dub.3.* Prædicti autem habentes hoc priuilegium tenentur audire Miſſam diebus præceptis ab Eccleſia, quia præceptum obligat ad id omnes, qui poſſunt. Rodriguez *ibidem, dub.1. num.6.* Toletus *in Summa, lib.1. cap.53. num.3.* Non extenditur hoc priuilegium ad tempus ceſſationis à diuinis, ſunt enim valdè diuerſa. Nauarrus *ſupra num.*188. Quid per diem Paſchatis intelligendum, vide *tom.1.cap.2*?. *num.*8. Circa illud de Oratorio nota, illud debere eſſe locum tantùm diuino cultui dicatum, hæc enim ſine dubio eſt mens Pontificis. Ludouicus à Cruce *ſupra dub.1.* Addens ſufficere, quod ſit approbatus ab aliquo Ordinario, non ab illo, qui eſt illius loci. Quod non approbo, quia mens Pontificis videtur contraria. Maiorem probabilitatis ſpeciem habet, quod ſubiungit, ſcilicet quod caſu quo Ordinarius nollet malitioſè approbare pro Oratorio locum idoneum, cum licentia iuſtè petita, & iniuſtè negata, ipſo iure intelligatur conceſſa, poſſe in ipſo celebrari, ex vi prædicti priuilegij Qui autem vtuntur prædicto Oratorio tenentur ad preces ſuperius ex Bulla deſignatas, etſi non ſub mortali, ſed ſolum ſub veniali. Villalobos *in Summa tomo primo, tract.57.clauſul.4.num.*13. Diana *part.1. tract.11.reſolut.2.*

Item prædictis concedit, quod tempore interdicti, 15
eorum decedentium corpora ſepulturæ ſacræ, cum mediocri pompa funerali tradi poſſint. Ita ex Bulla. Nota per pompam mediocrem, aut moderatam intelligi ſecundum aliquos, quod dentur in campanis tres clamores pro viris, & duo pro mulieribus, quodque Clerici, ſeu Religioſi, dum deferunt, dumque ſepeliunt cadauer, canunt, quod ſolitum eſt cantari, non autem, quod celebretur Miſſa de *Requiem*, ſicque dicitur declaratum. Corduba *in annotationibus ad compend. Priuilegior. Mendicant. verb. Interdictum* 1. §.13. Alio modo id explicat Sorbus *ibidem* ex eodem Corduba *in Queſtionibus, Tract. de Indulgent. quæſt.43. dub.5.* vt per moderatam pompam intelligatur medietas eius ſolemnitatis, quæ fieri ſolet extra interdictum. Aduertit etiam, forſan melius, in hoc attendi debere conſuetudinem Epiſcopatuum, vel patriæ. Ita etiam Rodriguez *dicta* §.5. *dub.*1. & Ludouicus *ſuprà dub.7.*

Item conceditur hanc Bullam accipientibus, vt di- 16
cto anno durante poſſint de conſilio vtriuſque Medici ſpiritualis, & corporalis edere carnes in Quadrageſima, & aliis temporibus ieiuniorum, ac pro eorum libito ouis, & lacticiniis veſci, ita quod qui carnes non comederint, ſeruata in cæteris ieiunij Eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur. Sub hac tamen gratia, & conceſſione edendi oua, & lacticinia ad libitum, non vult Pontifex comprehendi Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, nec alios Prælatos inferiores, nec quoſcumque Regulares, nec ex ſæcularibus Clericos Presbyteros, quantum ad dies Quadrageſimæ dumtaxat, ſexagenariis, & Equitibus Ordinum Militarium exceptis. Ita ex Bulla. Circa quæ nota, quod cum Pontifex dicit poſſe eos, qui accipiunt hanc Bullam, comedere carnes de conſilio vtriuſque Medici, intelligitur in caſu neceſſitatis, quorſum enim requireret conſilium, niſi propter neceſſitatem? Tunc verò non diſpenſat cum illis, quod ieiunent (vt aliqui putarunt) cum expreſsè contrarium ſupponat Pontifex verbis adductis. Solum ergo illis concedit, vt carnes comedentes, & non ieiunantes, nihilominus meritum ieiunij quoad Deum, & Eccleſiam veluti conſequantur. Rodriguez *ſuprà* §6. *num.*1. Conceditur etiam illis aliquod ſpeciale priuilegium, ſcilicet eſus carnium de conſilio Medici, & Confeſſarij, quod aliàs non licebat, niſi de conſilio Medici, & Epiſcopi, ſeu Parochi. Ludouicus à Cruce *ſuprà cap.5. dub.9.* Licet aliter explicet hoc priuilegium Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.51.num.6.* Cum edentibus tamen oua, & lacticinia diſpenſat, quod ieiunent, quia talium eſus de iure communi prohibitus eſt in diebus ieiunij Quadrageſimalis, iuxta dicenda infra verbo *Ieiunium*, *numero tertio*, Rodriguez *ſuprà* §.8. *numero ſecundo.* Tales autem habentes facultatem edendi oua, & lacticinia, poſſunt etiam piſces manducare, non enim tale priuilegium tullit illis id quod aliàs erat licitum. Rodriguez *ſuprà dub.* 4. *num.*5. Illi autem quibus prohibet Bulla edere oua, & lacticinia diebus Quadrageſimalibus, poſſunt iuxta opinionem probabilem quorumdam apud Dianam *dicta tract.*11. *reſolut. quinta*, ea edere in Dominicis Quadrageſimæ, eo quod per dies Quadrageſimales non intelligantur, niſi dies ieiuniorum Quadrageſimalium. Alij verò oppoſitum aſſerunt, propter declarationem quandam Sedis Apoſtolicæ, quam refert Rodriguez *ſuprà* circa hoc punctum *dub.*1. & ita eſt probabilior hæc pars, præſertim quia in Summario Bullæ fit

Digitized by Google

illa exceptio *quantum ad dies Quadrageſimæ*, Dominicæ autem illæ etiam ſunt dies Quadrageſimæ. Henriquez *libro ſeptimo, cap.* 13. *num.* 10. Ortiz *in Summa, cap.* 19. *n.* 8. De Nouitiis porrò Religionum credo dicendum, poſſe, ſi Bullam habeant, veſci ouis, & lacticiniis, quia etſi in fauorabilibus fruantur priuilegiis profeſſorum, ſed non in odioſis, quale eſt hoc. Diana *ſupra reſolut.* 15. Cum verò ſolum excludantur ſenes ſexagenarij, ideo alij minoris ætatis, etſi debilioris complexionis, quam alij ſexagenarij, non poterunt id facere, Rodriguez *ſuprà dubio ſecundo*. Pueri etiam ante vſum rationis, qui regulariter contingit circa ſeptimum annum, poterunt ouis, & lacticiniis veſci, etiam ſine Bulla. Ludouicus *ſuprà dub.* 9.

17 Item prædictis non euntibus, neque mittentibus, ſed tantum erogantibus, ſi vltra prædictam contributionem aliquibus anni diebus, non alicui ieiunio ſuppoſitis, ieiunauerint, & orationem fecerint ad implorandum diuinum auxilium pro victoria contra infideles, & eius gratiam pro Chriſtianorum Principum vnione, & confœderatione, vel ſi ob aliquod impedimentum ieiunare nequiuerint, aliud opus pium ad arbitrium Confeſſoris, vel Parochi fecerint, quoties id fecerint, conceditur remiſſio quindecim annorum, & totidem quadragenarum de iniunctis ipſis pœnitentiis, & quomodocumque debitis, & quòd participes fiant omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam Ieroſolymitanarum, cæterorumque bonorum operum, quæ fiunt in vniuerſali militanti Eccleſia, & in ſingulis eius membris. Ita ex Bulla. Quid intelligatur per remiſſionem quindecim annorum, & totidem quadragenarum, & quid per pœnitentias iniunctas, & alias debitas, dicetur verbo *Indulgentia*, & verbo *Iubilaum*. Circa communicationem verò illorum operum, quorum participes efficiuntur prædicti, præter dicta ſupra verbo *Bona*, dicendum participationem prædictam non eſſe ſolam illam communicationẽ generalem, quæ eſt inter omnes iuſtos, & vocatur *Communio Sanctorum*, ſed aliam ſpecialẽ prædictis concedi ſolitam, aliàs nihil ſpeciale ipſis concederetur, hæc verò conſiſtit in hoc, quod Papa, vt Caput Eccleſiæ, applicat illis in particulari opera impetratoria iuſtorum, ſcilicet orationes ipſorum; item opera ſatisfactoria eis ſuperabundantia. Rodriguez *ſuprà* §. 7. *num.* 15. & 16. Ludouicus a Cruce *ſupra dicta diſput.* 1. *cap.* 8. *dub.* 15.

18 Item prædictis, qui in diebus Quadrageſimæ, & aliis anni diebus, in quibus ſunt Romanæ Stationes, viſitauerint quinque Eccleſias, vel quinque Altaria, & ſi non fuerint quinque Eccleſiæ, vel quinque Altaria, quinquies vnam Eccleſiam, vel vnum Altare, & ibi deuotè orauerint pro vnione, & victoria ſupradicta, Pontifex concedit omnes Indulgentias, & remiſſiones quas conſequuntur, qui perſonaliter viſitant Eccleſias Vrbis intus, & extra muros, & quas conſequerentur, ſi perſonaliter eas viſitaſſent. Ita ex Bulla. Hic quærunt aliqui, an ſub hac vniuerſalitate lucrandi omnes Indulgentias Eccleſiarum Vrbis comprehendantur etiam Indulgentiæ plenariæ, quæ in illis ſunt. Affirmat Rodriguez *hic* §. 8. *num.* 6. propter dictam vniuerſitatem; ſed negant alij, ex eo quod ſtylus Curiæ, & Regula Cancellariæ ſit quod indulgentia plenaria non cenſeatur conceſſa, niſi exprimatur, præſertim quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt ſpeciali nota digna, quales ſunt in præſenti materia Indulgentiarum, Indulgentiæ plenariæ. Ludouicus à Cruce *dicto capite* 8. *dub.* 2. ex Corduba *libro quinto de Indulgent. quæſt.* 11. & Henriquez *libro* 7. *de Indulg. capit.* 10. *num.* 2. De conditionibus porrò ad lucrandum tam iſtas, quàm alias quaſcumque Indulgentias, dicam verbo *Indulgentia*. Nota etiam huiuſmodi Indulgentias obtineri poſſe multoties in die, ſi multoties fiat illa viſitatio Eccleſiarum, vel Altarium, cum Pontifex non determinet eas ad vnam vicem. Villalobos *in Summa tomo* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 8. *num.* 8. Diana *ſuprà reſolut.* 104. Non requiritur ad illas conſequendas viſitare determinatè quinque Eccleſias, ſed ſufficit viſitare quinque Altaria, etiam ſi ſint vicinæ quinque Eccleſiæ, nam bulla loquitur disiunctiuè. Nuñus *in* 3. *part. Tract. de Bulla*, §. 10. Imò ſi aliquis fuerit in vna Eccleſia vbi tantum ſunt tria Altaria, prout contingit in Religioſis, vel Monialibus, ſufficiet viſitare vnum quinquies, vel duo bis. Idem Nuñus *ſuprà*. Non opus eſſe moueri localiter ex vno Altari ad aliud, vt quis dicatur viſitare quinque Altaria, ſed poſſe corde, & mente ex vno loco viſitare illa, plurium ſententia eſt. Hi ſunt Villalobos *in Summa tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 8. *num.* 6. Bonacina *de Sacram. diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *num.* 25. Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.* 27. *ſect.* 5. *num.* 98. & alij. Sed hoc non admitterem, niſi in caſu quo non poſſent quinque Altaria viſitari, v. g. propter multitudinem populi. Propter quam etiam cauſam, ſi quis non poteſt ingredi Eccleſiam, quia eſt plena populo, conſequetur Indulgentias iſtas illam viſitando ex oſtio. Villalobos *ſupra num.* 7. Lugo *ſuprà num.* 97. Non tamen videtur hæc viſitatio ſufficiens pro ſeptem Altarium viſitatione. Nuñus *ſupra*, Diana *ſupra reſolut.* 103. Lugo *ſupra num.* 28. Vide alia verbo *Indulgentia*.

Præterea, vt maiori conſcientiæ puritate prædicti 19
orare poſſint, illis concedit Pontifex in Bulla, vt poſſint quemcunque Preſbyterum ſæcularem, vel Regularem ex approbatis ab Ordinario in Confeſſorem eligere, qui ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, etiam reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & ex declaratis in Bulla Cœnæ, excepto crimine hæreſis, poſſit abſoluere, & quod illorum conſequantur plenariam indulgentiam. A cenſuris autem, & peccatis non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ abſolui poſſint toties quoties ea confeſſi fuerint, mediante ſalutari pœnitentia, iuxta culparum exigentiam, & caſu quo neceſſaria erit ſatisfactio pro dicta abſolutione conſequenda, eam faciant per ipſos, vel dato impedimento per hæredes, aut alios. Poterit etiam prædictus Confeſſor illis commutare quæcumque vota, etiam iuramento firmata, data tamen eleemoſyna, quæ viſa fuerit, in ſubſidium S. Cruciatæ, Caſtitatis, & Religionis, & Vltramarinis votis exceptis. Ita ex Bulla. Circa quæ plura animaduerſione digna occurrunt, quæ ſigillatim, & breuiter diſcutienda. Primum, de qualitate Confeſſarij per Bullam eligendi. Secundum, de peccatis, & cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, quæ talia ſint. Tertium, de reſeruatis in Bulla Cœnæ. Quartum, de illa Indulgentia ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis concedenda. Quintum, de peccatis & cenſuris, non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ. Sextum de illa ſatisfactione. Septimum, de crimine hæreſis, quod ibi excipitur. Octauum, de votis Caſtitatis, Religionis, & Vltramarino, de quibus in Bulla eſt ſermo.

Circa primum, Preſbyter ille, ſiue ſæcularis, ſiue 20
Regularis in Confeſſarium electus ab habente Bullam, debet eſſe approbatus ab Ordinario, vt ibi dicitur, id eſt ab Ordinario loci, ſeu Diœceſis, vbi eſt audienda confeſſio, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 19. propter declarationem Sacræ Congregationis ibi adductam. Quæ ſi non obſtaret, procul dubio valdè probabilis eſſet oppoſita ſententia, dicens ſufficere, quod ſit approbatus ab aliquo alio Ordinario, prout tenent Portellus *in dub. Regular. verbo Confeſſor Regularis, num.* 4. Candidus *tomo ſecundo Diſquiſit. Moral. diſquiſit.* 24. *articulo* 64. Diana *ſuprà reſolut.* 67. & alij apud

apud ipſum. Nomine autem Ordinarij non intelliguntur Epiſcopi titulares, quia iſti nullam habent iuriſdictionem. Diana *ſuprà*. Neque Abbates, aut Prælati Religionis, quia iſti non veniunt nomine Ordinarij. Nuñus *in 3. part. tom. 2. quæſt. 8. art. 5. dub. 9.* An verò nomine Ordinarij in ordine ad approbationem Confeſſarij tantum pro Regularibus veniat ipſorum Prælatus, vide dicta eo *cap. 19. num. 19.* Porrò ille cenſetur approbatus ab Ordinario, non qui ſolum iudicatus eſt idoneus ad audiendas confeſſiones, nemo enim audire poteſt confeſſiones ſine illa, iuxta Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7.* Ludouicus à Cruce, *ſuprà cap. 2. dub. 6.* Qui autem habet beneficium curatum, ſufficienter cenſetur approbatus ab Ordinario. Villalobos *in Summa tomo primo, tract. 9. dub. 56. num. 4.* Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſp. 25. ſect. 1. num. 52.* & alij apud Dianam *ſupra reſol.* 8. Qui verò renunciauit beneficio curato, vel priuatus eſt illo, non cenſetur approbatus ab Ordinario, iam enim amiſit iſte approbationem, quam habebat. Suarez *tom. 4. de Pœnitent. diſp. 28. ſect. 4. num. 20.* Diana *ſupra.* Idem dico de illo, qui ad determinatum tantum tempus approbatus erat, tranſacto illo tempore, propter eandem rationem. Idem Ludouicus *ſupra dub.* 8. Approbatus tantum pro vno oppido ob cauſam rationabilem, ſcilicet defectum ſcientiæ, non cenſetur ab Ordinario approbatus, & eligibilis per Bullam in tota Diœceſi, quia extra illud oppidum non eſt verè approbatus. Ledeſma *in Summa Tract. de Pœnitent. cap. 13.* Diana *ſupra reſolut. 10.* Si verò Regularis omninò voluntariè, & ſine rationabili cauſa ita approbatur, probabile eſt eſſe eligibilem in tota Diœceſi. Acoſta *in Bullam, quæſt. 39.* Fernandez *in Exam. Theolog. Moral. part. 1. cap. 9. §. 8. num. 6.* Quid dicendum de approbato pro determinato genere perſonarum, v. g. virorum, an ſit eligibilis in Confeſſorem à fœminis virtute Bullæ, conſtat ex dictis eo *tom. 1. cap. 19. num. 19.* pro quo videndus Lugo *ſuprà num. 55.* Nota tamen me ex profeſſo adiunxiſſe in tertia editione Veneta anni 1640. particulam *Regularium*, quæ in prioribus non erat, quia pro confeſſariis ſæcularibus video apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Confeſſarius* 1. hanc declarationem in contrarium. *Confeſſarij ſæculares ad certum genus perſonarum, ſeu ad limitatum tempus ab Ordinario approbati minimè poſſunt, etiam vigore Bullæ Cruciatæ pœnitentium confeſſiones audire vltra facultatem ipſis ab Ordinario conceſſam.* An verò Confeſſarius ab Ordinario ſemel approbatus, ſed poſtea ab ipſo reprobatus, vel ſuſpenſus, ſit eligibilis virtute Bullæ, vide dicta eo *cap. 19. num. 7. 8. & 9. & tom. 2. cap. 1. num. 18.* De Confeſſario autem Regulari approbato ab Ordinario ſolum, & non approbato, aut præſentato à ſuo Superiori Regulari, quamuis Reuerendiſſimus Theodorus Stratius *in inſtruct. pro Carmel. cap. 6. num. 3.* videatur dicere eſſe ineligibilem per Bullam, quia exiſtimat vtramque approbationem eſſe neceſſariam, nihilominus quia iuxta dicenda infra verbo *Confeſſarius, num. 2.* etſi Confeſſarius approbatus ſolùm ab Epiſcopo, non autem à ſuo Superiori Regulari peccet munus Confeſſarij exercendo, validè tamen abſoluit, ideo dicendum conſequenter talem ſi eligatur, validè abſoluere, eſto peccet ſic faciendo. Ledeſma *in Summa tom. 1. Tractat. de Pœnitent. cap. 13. dub. 13.* Acoſta *ſupra quæſt. 41.* Diana *ſuprà reſol. 3.* Quid etiam dicendum de Confeſſario Regulari legitimè approbato, ſed à ſuo Prælato prohibito, vel ſuſpenſo à munere Confeſſarij, vide dicta eo *cap. 19. num. 13.* & dicenda infra verbo *Confeſſarius, num. 2.* relato.

21 Circa ſecundum, dicendum peccata, & cenſuras Sedi Apoſtolicæ reſeruata eſſe illa, quæ Summo Pontifici reſeruata ſunt, qualia ſunt plura tum in Iure, tum in Bullis, & Conſtitutionibus Summorum Pontificum. Pro quo notandum, quod quando Papa per priuilegium aliquod concedit facultatem abſoluendi à cenſuris ſibi reſeruatis (prout in præſenti contingit) etiam ſubintelligitur eam concedere à peccatis adiunctis ipſis cenſuris, & è contra. Etſi enim abſolutè loquendo poſſit tolli cenſura ſine peccato, nihilominus ſicut à principio ſunt connexa quaſi in fieri, ſic & in duratione, & ita conceſſa facultate pro vno, conceditur etiam pro alio. Nauarrus *in Manual. cap. 27. n. 261.* Suarez 4 *tomo in 3. part. diſp. 29. ſect. 2. n. 11.* Sanchez *lib. 2. in Decalogum, cap. 8. n. 5.* De caſibus porrò Epiſcopis reſeruatis infra dicetur.

Circa tertium de reſeruatis in Bulla Cœnæ, conſtat quænam illa ſint. Vbi notandum, communiter Doctores tenere per Bullam Cœnæ non reuocari hoc priuilegium Bullæ Cruciatæ, non obſtantibus clauſulis derogatoriis, quæ in prædicta Bulla Cœnæ ſunt. Cum enim ſingulis annis iuſſu Pontificis Bulla Cruciatæ publicetur cum dicta facultate abſoluendi etiam à caſibus in Bulla Cœnæ reſeruatis, quis dicat ſingulis etiam eiſdem annis ab eodem Pontifice in dicta Bulla Cœnæ reuocari? Aut quorſum in tanto Principe hæc contrarietas admittenda? Præſertim, quia priuilegia Principum debent eſſe ſaltem quantum eſt ex parte ipſorum firma, & conſtantia, vt imitentur Deum, cuius dona, vt inquit Paulus *ad Roman. 11. verſ. 19.* ſunt *Sine pœnitentia*; & iuxta Regulam iuris *in 6. num. 16. Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum.* Omitto quæ alij aſſerunt, quod ſcilicet priuilegium Bullæ Cruciatæ eſt remuneratorium, non ſolum in gratiam Regis Catholici de Eccleſia optimè meriti, ſed etiam propter magnam contributionem aureorum, quæ ſingulis annis pro Fabrica Baſilicæ Sancti Petri offertur, & quia ſinguli qui accipiunt Bullam, duos argenteos in ſubſidium erogant, vt proinde non ſit credendum de Pontificum benignitate illud velle reuocare. Rodriguez *in Expoſit. Bull. Cruciat. §. 9 & tom. 1. Quæſtion. Regular. quæſt. 20. articulo 9.* Henriquez *libro 7. de Indulgent. cap. 21. verſ. nec videtur.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 15. num. 17.* Sorbus *in addition. ad compend. verb. Cruciata, §. ex quibus*: Ludouicus à Cruce *dicta diſp. 1. cap. 10. dub. 4.* Tollitur autem dubium, quod ſuper hoc poterat eſſe, ex Sanctiſſ. D. N. Vrbano VIII. qui in Bulla *in ſpecula*, 4. *tom. Bullarij*, inter Conſtitutiones ipſius *num. 105.* expreſſè declarat Bullam Cruciatæ ſuffragari, *quoad caſus reſeruatos etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæreſi excepta) contentos* in foro conſcientiæ, non autem in foro externo. Ex hoc enim liquet non reuocari per Bullam Cœnæ; quomodo enim ſuffragaretur, ſi ſingulis annis reuocatur? 22

23 Ab omnibus ergo caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, tam extra Bullam Cœnæ, quàm in illa contentis (Hæreſi excepta) abſolui poſſunt habentes Bullam Cruciatæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, prout dicitur in Bulla. Hæc verò intelliguntur pro eo anno, quo accipitur Bulla. Vnde ſimili gratia frui poſſunt qui alio, & aliis annis eam acceperint. Illa etiam particula *in articulo mortis*, non eſt ſuperflua, etſi enim quilibet Sacerdos, etiam ſimplex, abſoluere poſſit in articulo mortis ab omnibus peccatis, & cenſuris quantumvis reſeruatis, nihilominus caſu quo ſic abſolutus non moriatur, tenetur ſe præſentare Superiori, iuxta *cap. eos qui, de ſentent. excommunic. in 6.* abſolutus tamen ea vi Bullæ non ita, Ludouicus à Cruce *ſuprà c. 3. dub. 14.* Deinde, per articulum mortis non intelligitur ſolum articulus mortis verus, quem mors de facto ſequitur, ſed etiam præſumptus, cum quis prudenti hominum iudicio æſtimatur morti propinquus, licet mors, vel naturaliter,

vel per miraculum non ſequitur. Bulla enim generaliter loquitur, & materia cum ſit de re concernenti ſalutem ſpiritualem animæ eſt fauorabilis, ac per conſequens amplianda. Corduba *de Indulgent. quæſt.*39. Henriquez *lib.*6. *cap.*9. Nomine etiam articuli mortis intelligi poteſt periculum mortis, in quo homo non ſpontaneè, ſed propter neceſſitatem eſt conſtitutus, iuxta dicta ſupra verbo *Bulla cœna, num.*53. Ludouicus à Cruce *ſub dub.*18. [Quamuis autem vt diximus, ex vi Bullæ Cruciatæ abſolui poſſit qui eam habet ſemel in vita & in morte ab omnibus caſibus Papalibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ, excepto crimine hæreſis, dubitari tamen poteſt, an id etiam ſit verum reſpectu illorum caſuum, quos Papa ſibi reſeruat, cum derogatione ſpeciali Bullæ Cruciatæ. Cuius exemplum eſt in caſu ſimoniæ in receptione ſeu collatione Sacrorum Ordinum, quem cum aliis ſimilibus qui contingere poſſunt in Ordinum receptione Sixtus V. in Bulla, *Sanctum & ſalutare, in* 2. *tom. Bull. num.*91. adeo Papæ reſeruauit, vt nec virtute Bullæ Cruciatæ ab eo poſſe quemquam abſolui declarauerit, illis verbis, *ac Cruciata Sancta.* Quæ Bulla Sixti licet à Clemente VIII. in alia Bulla *Romanum Pontificem, in* 3. *tom. Bull. num.*40. moderata ſit, quoad hunc tamen caſum de ſimoniacè ordinatis, & ordinantibus in ſuo robure manet, vt ipſe Clemens declarauit. De hoc ergo & ſimilibus dicendum videtur non comprehendi ſub Bullæ Cruciatæ priuilegio, & ab ipſis abſolui non poſſe aliquem virtute ipſius, ſiquidem ſunt reſeruati Papæ cum expreſſa derogatione Cruciatæ. Agit de hoc caſu Portellus *in Reſponſion. moral. tom.*2. *caſu* 41. *num.*3. & reſoluit contrarium. Primò quia Bulla Cruciatæ generaliter dat facultatem abſoluendi virtute ipſius ab omnibus caſibus Papalibus etiam contentis in Bulla Cœnæ, hæreſi excepta: ergo non debet excipi iſte caſus. Secundò quia priuilegium Bullæ Cruciatæ conceditur ſingulis annis ab aliis Pontificibus cum dicta vniuerſalitate, etiam poſt reuocationem illam Sixti V. Tertiò quia non conſtat Sixtum V. feciſſe talem reuocationem. His verò facilè ſatisfieri poteſt. Primò quidem, quia cum iſte caſus ſit exceptus ab eodem Sixto, non cenſetur comprehenſus ſub dicta generalitate. Secundò autem, quia conceſſiones Bullæ Cruciatæ factæ à poſterioribus Pontificibus, etiamſi ſpecie tenus illam vniuerſalitatem contineant, limitari tamen debent, vt non intelligantur de hoc caſu à Sixto V. excepto, præſertim cum ipſe Sixtus in eadem Bulla non ſolum reuocauerit priuilegia quæcumque etiam Bullæ Cruciatæ conceſſa, ſed etiam in poſterum concedenda. Tertia verò, quia manifeſtè conſtat Sixtum reuocaſſe Bullam Cruciatæ, vt legenti Bullam ipſius conſtare poterit.]

24 Circa quintum, de illa Indulgentia ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis concedenda, notandum, diuerſam eſſe hanc Indulgentiam ab ea quam conſequuntur, qui ad bellum pergunt, vel mittunt aliquas perſonas, de qua egi *ſuprà num.*10. illa enim obtineri poteſt toties quoties illi contriti, & confeſſi fuerint, vel ſi non poſſint confiteri, corde id deſiderauerint, iuxta ibi dicta; ea verò de qua in præſenti, non niſi ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis obtineri poteſt. Vega *in Summa mihi lib.*4. *caſu* 177. Diana *ſuprà reſolut.*109. Nota etiam, quod in caſibus in quibus abſolutio moribundo priuato ſenſibus dari poteſt, de quibus alibi dicetur, poteſt etiam illi applicari dicta Indulgentia. Diana *ſuprà reſol.*108. Imò etiam caſu quo ob repentinam mortem, vel confeſſorum abſentiam, ſine confeſſione decedant prædicti Bullam habentes, dummodo contriti deceſſerint, & prius ſtatuto tempore confeſſi fuerint, eandem ſimiliter Indulgentiam conſequentur. Sic enim Bulla ipſis concedit. Villalobos *in Summa tom.*1. *tract.*27. *clauſ.*1. *num.*1. Diana *ſup.*

Circa quintum de peccatis, & cenſuris non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, a quibus virtute Bullæ abſolui poſſunt eam habentes *toties quoties*, &c. iuxta dicta, notandum per ea intelligi. Primò ea, quæ nulli ſunt reſeruata, quamuis in hoc nullum videatur à Bulla concedi priuilegium, quia a caſibus non reſeruatis quilibet confeſſarius iure ordinario abſoluit, vt ſæpè dixi. Secundò, intelligi poſſunt caſus Epiſcopales, ſeu Epiſcopis reſeruati, de quibus verbo *Caſus reſeruati*, dicetur. Cum enim illi non ſint Sedi Apoſtolicæ reſeruati, ſed tantum Epiſcopis, proculdubio comprehenduntur in dicto priuilegio. Nec obſtant dicta *tom.*1. *cap.*19. *num.*15. 16. & 17. vbi ex decretis Sac. Congregationis ſub Pontificibus Clemente VIII. & Vrbano VIII. conſtat nullum confeſſarium abſoluere poſſe à caſibus Epiſcopis reſeruatis. Vt enim ibi *n.*18. dixi, intelligendum id eſt ex vi priuilegiorum ipſis confeſſariis, etiam Regularibus conceſſorum: priuilegium autem hoc Bullæ non eſt pro confeſſariis, ſed pro pœnitentibus, vt ſcilicet poſſint confeſſarios eligere, qui illos à prædictis caſibus abſoluant, ac proinde reuocatum non eſt per dicta decreta. Tertiò intelligi poſſunt omnes caſus, & cenſuræ à iure, vel ab homine generaliter, vel ſpecialiter, aut etiam nominatim latæ, dummodo Sedi Apoſtolicæ non reſeruentur, & id fiat ſatisfacta parte, vt infrà dicetur. Ratio eſt, quia bulla generaliter, indiſtinctè, & illimitatè loquitur. Henriquez *lib.*7. *cap.*3. *num.*2. & *lib.*8. *cap.*60. *num.*4. Diana *ſupra reſolut.*26. Quod amplia, etiam facta denuntiatione, propter eandem rationem. Ludouicus à Cruce, *cap.*4. *dub.*1. Limita tamen pro foro conſcientiæ tantum iuxta dicenda infra. 25

Addit Sanchez *de precept. decalog. lib.*4. *cap.*54. *n.*27. in hoc priuilegio comprehendi etiam caſus Papales, aut Papæ reſeruatos, quando ſunt occulti, ita vt quando tales fuerint, abſolui poſſint pœnitentes ab illis, non ſolum ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, iuxta dicta ſupra *num.*23. ſed etiam toties quoties, quia tunc iam non ſunt Papales, ſed Epiſcopales, vtpote iure ordinario, & non ex delegatione conceſſi Epiſcopis ex vi Concilij Tridentini *ſeſſ.*24. *cap.*6. hoc etiam ſequitur Diana *in Additionibus ſecund. reſolut.*57. aliis relatis. Sed eſt contra communem ſententiam, quæ docet contrarium. Quia illi caſus ex eo quod committantur Epiſcopis, non deſinunt eſſe Papæ reſeruati, quia non committuntur Epiſcopis quaſi directè, propter eorum dignitatem, ſed per accidens, propter ſalutem fidelium ad euitandum periculum animarum: ergo non deſinunt eſſe Papales per ſe, & ex ſe, ac per conſequens, etiam quando ſunt occulti, non poſſunt, niſi ſemel in vita, & ſemel in morte vi Bullæ tolli. Henriquez *lib.*6. *de Pœnitent. capit.*14. *dub.*7. Ledeſma *de Pœnitent. cap.*13. *concl.*2. *dub.*1. Ludouicus à Cruce *ſup. cap.*3. *dub.*13. & alij. Vide dicenda infra verbo *Caſus reſeruati*, *num.*2. 26

Prædictorum verò caſuum ſiue Sedi Apoſtolicæ, ſiue aliis quibuſcumque reſeruatorum, abſolutio ex vi Bullæ data, ſolum ſuffragatur pro foro interno conſcientiæ, non pro foro externo. Ita enim declarauit Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. in Bulla *In ſpecula*, ann. 1630. edita in 4. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius *num.*105. Idem Ludouicus *ſuprà cap.*4. *dub.*1. Indicat autem etiam valere pro foro externo, quando ſatisfactum eſt parti læſæ. Sed oppoſitum colligitur ex dicta declaratione Vrbani, quam forſan non vidit iſte auctor. Licet ergo ſic abſolutus in publico ſe gerere debeat vt non abſolutus à cenſura ad euitandum ſcandalum; in ſecreto tamen, vel coram quibus conſtaret 27

Google

conſtatet ſe abſolutum fuiſſe ab illa, poteſt ſe gerere vt abſolutus, iuxta dicta ſupra verbo *Abſolutio, num.* 7. Acoſta *in Expoſit. Bull. quæſt.* 50. Villalobos *in Summa tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 9. §. 2. *n.* 24. Poterit etiam Iudex, vel Superior eiuſmodi abſolutionem pro foro externo acceptare, ſi illi placuerit, iuxta dicta eodem loco, & repellere, ſeu non admittere accuſationem contra illum. Diana *ſup. reſol.* 26.

28 Poſſunt pœnitentes ex vi bullæ abſolui à cenſuris extra confeſſionem, cum nullum verbum ſit in bulla quo denotetur abſolutionem virtute illius datam à cenſuris fieri debere in Sacramento Confeſſionis, & aliàs iuxta dicta ſupra verbo *Abſolutio, n.* 6. cenſuræ poſſint tolli ſine illo. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 34. *num.* 30. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 27. retractans quod dixerat *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 7. *ſect.* 5.

99 Prædicto autem priuilegio eligendi Confeſſorem, qui abſoluat ab omnibus caſibus reſeruatis, frui non poſſunt Regulares cuiuſuis inſtituti fuerint, propter dicta *tom* 1. *cap.* 19. *num.* 19. ex Bulla Sanctiſſ. D. Noſt. Vrbani VIII. De quo latè, & doctè Lugo *de Sacram. Pœnitent. diſp.* 20. *ſect.* 9. *per tot.* Vnde eſto prius oppoſita ſententia probabilis videretur, modo tamen poſt prædictam Bullam, vt Diana *in Addition. ſecund. reſolut.* 9. ait, non eſt probabilis, nec tuta in praxi. Quod ait intelligendum ſaltem dum viuit idem Sanctiſſimus, quem Deus conſeruet. Addo ego, adeo odioſum, & contrarium diſciplinæ Regulari eſſe, vt Regulares abſoluantur à caſibus reſeruatis ſuis Superioribus contra eorum voluntatem, vt de nullo Pontifice ſit credendum id conceſſurum, niſi clarè id exprimat. Cuius ſignum eſt, quod plures Summi Pontifices declararunt ſuam intentionem non eſſe, vt in hoc Bullæ priuilegio Regulares comprehendantur, ex quibus aliquos dicto loco retuli. Videatur Lugo relatus. Nouitij verò poſſunt vti dicto priuilegio, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 24. *n.* 7.

30 Quamuis confeſſarius virtute Bullæ electus abſoluere poſſit illam habentes ab omni ſuſpenſione, & interdictu, ſaltem perſonali, ſi non ſunt reſeruata Papæ toties quoties, & ſi ſint reſeruata Papæ, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, iuxta dicta, ſunt enim cenſuræ quædam, & Bulla concedit abſolutionem à cenſuris dicto modo. Corduba *in Summa q.* 144. Ludouicus à Cruce *dicto capit. quarto, dubio* 10. Non tamen poteſt abſoluere virtute Bullæ à ceſſatione à diuinis; vel enim non eſt cenſura, vt communior ſententia Doctorum tenet, ſed ſolum pura omiſſio diuinorum Officiorum, vel eſto cenſura eſſet, vt habent Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. Cornejo *tract.* 5. *de Cenſuris diſput.* 1. *dub.* 2. omnino ſpectat ad forum externum, & ſolum tollitur per miniſtros Eccleſiæ. Idem Ludouicus *ſuprà.* Nec poteſt diſpenſare in aliqua irregularitate, etiam illa, quæ eſt purè pœna, quia Bulla ſolum concedit auctoritatem abſoluendi à cenſuris, & iuxta ſtylum Curiæ nomine cenſuræ non venit irregularitas, nec ipſa eſt cenſura. Villalobos *in Summ. tomo primo, tract.* 16. *dub.* 2. *num.* 2. *& tractat.* 21. *dub.* 9. *num.* 23. Acoſta *in Bull. quæſt.* 48. Nihilominus oppoſitum probabiliter docent Cornejo *ſuprà*, & dicto *tract.* 5. *diſp.* 6. *in fine*, & plures graues Doctores apud Dianam *ſup. reſol.* 27. Quibus fauet, quod in forma abſolutionis tribuendæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis accipientibus Bullam, quæ poſita eſt in Summario ipſius per Commiſſarium Generalem edito dicitur: *Abſoluo te, & ab omnibus cenſuris, & pœnis*, verbum enim *pœnis* dictas irregularitates denotare videtur.

31 Caſus porrò cenſuræ, & delicta à quibus abſolui poſſunt bullam habentes, iuxta ſuperius dicta, non ſolum comprehendunt incurſa ante ſuſceptionem bullæ, ſed etiam poſt illius ſuſceptionem. Bulla enim generaliter loquitur, & non eſt cur verba ipſius limitentur in hac materia fauorabili. Sanchez *de præcept. Decalog. lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 26. Bonacina *de legibus diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 2. *num.* 12.

Circa ſextum de ſatisfactione facienda, illa non videtur neceſſaria quoties pœnitens non poteſt, nec per ſe, nec per alios illam facere; non enim veriſimile eſt Pontificem voluiſſe excludere à beneficio abſolutionis eum, qui non poteſt ſatisfacere; alias poſtularet conditionem impoſſibilem. Filliucius *tomo primo, tract.* 11. *cap* 9. *num.* 295. Auila *de Cenſuris part.* 2. *cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 8. Vincentius Candidus *tom.* 1. *Diſquiſit. Moral. diſquiſi.* 3. *art.* 3. Nec ſolum hoc intelligendum de impotentia phyſica, ſed etiam de morali, ea ſcilicet, quæ eſſet, quando quis non poſſet facere illam ſatisfactionem, niſi cum magna iactura, damno, aut detrimento proprio, vel ſuorum: Diana *ſuprà reſol.* 24. Ludouicus à Cruce *dicto cap.* 4. *dub.* 2. Quando tamen non poteſt, nec in totum, nec in partem dari ſatisfactio, præſtanda eſt cautio pignoratitia, fideiuſſoria, vel iuratoria, iuxta modum aſſignatum ſupra, verbo *Abſolutio, num.* 9. prout etiam notant Diana, & Ludouicus à Cruce relati. Caſu etiam, quo confeſſarius abſolueret pœnitentem non ſatisfacta parte, nec cautione aliqua præſtita, probabile eſt tenere abſolutionem, etſi peccaret confeſſarius ſic faciendo. Ratio eſt, quia per illam clauſulam bullæ de ſatisfactione impendenda non videtur limitare Pontifex authoritatem confeſſarij, ſed admonere illum de obligatione quam alias iure communi habet, ac proinde ſi id non faciat, etſi peccet, validè tamen abſoluit. Sanchez *de Matrimon. tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 33. *num.* 3. 5. *& confirmatur*, & alij apud Dianam *reſol.* 22. Qui rectè animaduertit nomine partis intelligi illum, cui facta eſt iniuria, non verò Iudicem, & quod nomine ſatisfactionis intelligi debet reſtitutio honoris, famæ, vel aliorum bonorum. 32

Circa ſeptimum de hæreſi, quæ excipitur inter caſus Bullæ Cœnæ conceſſos per Bullam Cruciatæ nota, ibi eſſe ſermonem de hæreſi externa, ea ſcilicet, quæ aliquo ſigno externo manifeſtatur, hæreſis enim interna nulli eſt reſeruata, atque ita tam per bullam, quàm ſine illa poteſt tolli. Caietanus verbo *Hæreſis, in fin.* & alij communiter. Nec comprehenduntur in dicta exceptione Schiſmatici, fautores, credentes, defenſores, vel receptores hæreticorum, aut ipſorum libros legentes, vel tenentes, ſi aliàs ipſi hæretici non fuerint, ac proinde cenſendum de illis, ſicut de aliis incurrentibus in caſus bullæ. Ratio eſt, quia in Bulla ſolum excipitur crimen hæreſis: omnes ergo, qui hæretici formaliter non fuerint, non excipiuntur, ac per conſequens, nec iſti, ſi hæretici non fuerint: quod fieri poteſt, ſi illa crimina non committant cum errore ex parte intellectus, in quo conſiſtit hæreſis. Suar. *de Fide diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 11. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 12. Diana *ſuprà reſolut.* 29. Similiter dicendum eſt potiori iure prædictos gaudere poſſe aliis priuilegiis Bullæ, videlicet vſu lacticiniorum in Quadrageſima, & aliis. Hæc enim, vt patet in principio Bullæ, conceſſa ſunt omnibus fidelibus Chriſtianis, &c. tales autem poſſunt eſſe fideles Chriſtiani. Addendum, quod etiam dato, quod eſſent hæretici purè mentales nullo ſigno externo ſuum errorem manifeſtantes, poſſent vti dictis priuilegiis. Etſi enim illi, quoad Deum eſſent hæretici, & infideles, quoad Eccleſiam tamen, cum ſuum errorem nunquam manifeſtauerint, pro fidelibus habentur. Ludouicus à Cruce *ſuprà cap.* 1. *dub.* 8. 32

Circa octauum de votis etiam iuramento factis, quæ commutari poſſunt à confeſſario virtute Bullæ, data eleemoſyna in ſubſidium Cruciatæ, notandum primò, non propterea concedi illi facultatem diſpenſandi 33

penſandi in talibus votis, quia maior poteſtas requiritur ad diſpenſandum, quàm ad commutandum. Villalobos *in Summa, tomo primo, tractat.* 27. *clauſ.* 9. §. *quinto, num.* 28. Tenetur autem confeſſarius commutare vota pœnitentis poſtulantis id virtute Bullæ, nam eſt iudea delegatus in fauorem ipſius, ac per conſequens debet illi tribuere ius ex priuilegiu ſibi conceſſum. Sanchez *lib* 4. *in Decalog. cap.* 54. *num.* 12. Quod limita, niſi iuſta cauſa ſubeſſet ad non commutandum. Diana *reſol.* 44. Non oportet, quod hæc commutatio fiat in confeſſione Sacramentali, quia in Bulla hoc non exprimitur, Sanchez *ſupra num.* 15. Licet autem ad commutationem voti regulariter requiratur cauſa rationabilis, vt diai *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 48. ad eam tamen, quæ fit virtute Bullæ non requiritur alia, præter eam, quam aſſignat Pontifex, ſcilicet quod conferatur eleemoſyna in Cruciatæ ſubſidium. Bartholomæus à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib.* 4. *queſt.* 10. *num.* 7. Diana *reſolut.* 39. Similiter, licèt regulariter commutatio voti non poſſi fieri in minus bonum, nec etiam in æquale, niſi accedente auctoritate Superioria, iuxta dicta loco relato, nihilominus non eſt improbabile commutationem voti vi Bullæ factam poſſe eſſe in bonum aliquantulum, ſed non longè minus, ſeu in æquale. Ratio eſt, quia videtur, quod aliàs Bulla nullum priuilegium conferret quoad hunc punctum, cum aliàs abſque priuilegio ipſius poſſet ex cauſa iuſta, accedente auctoritate Superioris id fieri. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 5. Aragonius 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 12. illud porrò bonum in quod commutari debent hæc vota ea vi Bullæ debet eſſe, ſaltem magna ex parte, eleemoſyna illa pecuniaria, quam Bulla requirit in Cruciatæ ſubſidium. Talis enim eſt praxis Hiſpaniæ, & ea videtur eſſe intentio Regis Catholici Bullam impetrantis, & Papæ eam concedentis. Ludouicus à Cruce *ſup. cap.* 6. *dub.* 2. Diai, magna ex parte, quia Bulla ſolum videtur exigere partem commutationis in prædictam eleemoſynam. Suarex *infrà*, Portellus *in Dub. Regular. verbo Bulla Cruciat. num.* 2. Pro pauperibus autem non habentibus pecuniam ſufficit eleemoſyna ſpiritualis, ſcilicet orationes, & alia pia opera. Quia conditio illa moralit, & ſuaui modo interpretari debet, & quatenus fuerit poſſibilis. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 6. *de voto, cap.* 19. *num.* 18. Poſſunt etiam ea vi Bullæ commutari vota in fauorem tertij Deo facta, vt ſi quis vouiſſet date Calicem alicui Eccleſiæ, vel aliquam eleemoſynam pauperi, quia talia vota non tribuunt vllum ius Eccleſiæ, aut illi pauperi. Suarez *d. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 11. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 41. *num.* 9. Diai, Deo facta, quia ſi habent adiunctam promiſſionem illi tertio, & ab eo acceptatam, eſt illi adquiſitum, ac proinde ſine conſenſu illius non eſt locus commutationi. Suar. *ibid. num.* 7. Extenditur etiam facultas commutandi vota per Bullam ad vota facta etiam poſt acceptionem illius, quia Bulla loquitur generaliter. Bon. *de precept. Decalog. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 3. *n.* 12. poſt plures alios.

35 Poteſt etiam idem Confeſſarius per Bullam electus ea vi prædicti priuilegij commutare iuramenta facta circa eandem materiam votorum. Ratio eſt, quia etſi votum, & iuramentum ſint diuerſa vincula, tamen in ordine ad Deum, cui tam votum, quam iuramentum fiunt, pro eodem moraliter reputantur. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 8. & 9. idem dico de ipſis votis iuramento firmatis: quod etſi neget Sanchez *dicto cap.* 53. *num.* 20. probabiliter etiam affirmat Suarez *eo cap.* 14. *à num.* 19. Quia licet votum & iuramentum ſint duo vincula diuerſa ſpecie, at in ordine ad commutationem reputantur quaſi vnum, & idem, quia vnum non addit ſupra aliud grauitatem intenſiuam, ſed ſolùm extenſiuam.

Circa illud de voto Caſtitatis, quod excipitur, vt non poſſit per Bullam commutari, nota id intelligi de voto Caſtitatis perfecto, & abſoluto, eo ſcilicet, quod eſt ſoli Papæ reſeruatum, & in caſibus in quibus ipſi eſt reſeruatum. Quia Pontificis mens eſt ſolùm id reſeruare, quod, & quando ipſi eſt reſeruatum. Quare, quoties Epiſcopus poteſt illud commutare, poterit etiam vi Bullæ commutari. Suarez *ſuprà capite* 26. *num.* 16. & 17. Sanchez *dicto cap.* 54. *num.* 19. Quod tamen eſt intelligendum, vt ipſi animaduertunt, quando tale votum commutari poteſt ab Epiſcopo, quia eſt pœnale, conditionale, partiale, aut temporale, non quando id facere poteſt veluti per accidens, propter neceſſitatem aliquam extraordinariam. Idem dico de voto Religionis, quod etiam excipitur in Bulla, ac etiam de voto Vltramarino, quod ſimiliter declarat Pontifex non poſſe per Bullam commutari. Ita vt generaliter loquendo quæcumque vota poteſt Epiſcopus commutare, poſſit etiam Confeſſarius ex vi Bullæ id facere. Bonacina *ſuprà* § 4. *num.* 16. Limitatur tamen hæc doctrina, prout dixi, vt ſolum ſit vera reſpectu eorum votorum, quæ Epiſcopus commutat iure ordinario, non de illis, quæ ob extraordinariam neceſſitatem commutat. Suarez, Sanchez & Bonacina relati. Nec de illis, quæ commutat non vt Epiſcopus, ſed vt Sedis Apoſtolicæ Delegatus. Diana *ſupra reſolut.* 56. aliis relatis. Quæ verò ſint vota, quæ Epiſcopus commutat, præcipuè quando prædicta tria, & in quibus caſibus, quaue facultate, dicam 4. tomo, verbo *Votum*. Ex quibus etiam deducetur, quando Confeſſarij ea vi Bullæ Cruciatæ id facere poſſint. 36

Præterea pontifex per Breue ſpeciale declarauit, quod qui bis in anno Bullam Cruciatæ acceperint, poſſint etiam bis gaudere priuilegiis, & gratiis dictæ Bullæ. De quo Rodriguez *in Expoſit. Bulla* §. 11. Notans etiam ſolum bis, non autem ter, quater, aut pluries accipi poſſe Bullam. 37

Denium, Pontifex concedit facultatem commiſſario Generali Cruciatæ, vt poſſit durante anno publicationis Bullæ ſuſpendere omnes gratias, Indulgentias, facultates, ac priuilegia in dictis Regnis conceſſa quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, locis piis, & perſonis particularibus, & vt poſſit illa reualidare. Qua facultate vtens ſuſpendit omnes, & quaſcumque gratias, Indulgentias, & facultates ſimiles, vel diuerſas, conceſſas per Summum Pontificem, & alios ipſius prædeceſſores omnibus, & quibuſcumque Eccleſiis, & Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut locis piis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis, exceptis conceſſis Superioribus Ordinum Mendicantium, quantum ad ſuos Fratres: & pro accipientibus Bullam declarat poſſe frui omnibus prædictis conceſſionibus ſuſpenſis. Circa quæ primò aduertendum, per prædictam ſuſpenſionem non ſuſpendi priuilegia Mendicantium, & aliorum Regularium, niſi ea quæ ſolum retardare poſſunt expeditionem Bullæ, quia ſcilicet ſunt circa eaſdem materias in ea contentas, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 59. Nec obſtat, quod in dicta ſuſpenſione dicantur ſuſpendi omnes facultates, &c. *ſimiles*, vel *diuerſas*. Per illud enim verbum *diuerſas*, intelliguntur facultates non ſimpliciter diuerſæ; aut omnino diſſimiles, aut circa alias materias, quia hoc videretur abſurdum, vt dicunt authores referendi, ſed illæ, quæ ſunt circa eaſdem materias, ſed aliquo modo, vel circumſtantia diuerſæ. Vt ſi aliqua Religio haberet priuilegium admittendi ad ſepulturam aliquas perſonas tempore Interdicti cum tali, vel tali ſolemnitate, hoc priuilegium ſuſpenditur, quia eſt circa eandem materiam, quæ continetur in Bulla, 38

ſiue

ſiue ſit ſimile, ſiue diuerſum quoad modum ab eo, quod in ea continetur. Rodriguez *in Expoſit. Bull.* §.2.*n.*1. *in fin.* Ludouicus à Cruce *ſupra cap.*9. *dub.*1. *num.*3. Deinde, nec iſta ſuſpenduntur, ſi ſunt conceſſa Superioribus Mendicantium quantum ad ſuos Fratres, vt habetur in ipſo Summario Bullæ, & dixi loco relato. Nomine vero Mendicantium in præſenti probabile eſt venire non ſolum quatuor Mendicantium Ordines, qui Iure tales ſunt, ſed etiam alios, qui Mendicantes ex Conſtitutionibus, ſeu priuilegio Summorum Pontificum ſunt. De quibus egi dicto 2. *tom. cap.*1. *num.*1. Imò etiam illos, qui Mendicantium priuilegiis fruuntur. Eo enim ipſo quo Mendicantium priuilegiis fruuntur, non video cur iſto gaudere nequeant. Acoſta *in Bull. Cruciat. quæſt.*105. *in fine.* Villalobos *in Summa tom.*1. *tract.*27. *clauſ.*12. *num.*11. Nec etiam ſuſpenduntur priuilegia, quæ habent Religiones in ordine ad ſæculares, etiamſi ſint ſimilia iis, quæ continentur in Bulla, v. g. ad abſoluendum à reſeruatis, commutandum vota, &c. propter dicta eo *cap.*1. Solum ergo ſuſpenduntur priuilegia quibuſvis Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, Vniuerſitatibus, piis locis, & ſingularibus perſonis conceſſa, prout patet ex contextu Bullæ. Ludouicus à Cruce *ſuprà dicto cap.*9. *dub.*2. Lugo *ſupra diſp.*20. *ſect.*8. *num.*146.

39 Vnde nec per Bull. ſuſpenduntur Indulg. conceſſæ Ordinibus. Regular. ſiue ſint ſimiles, ſiue diſſimiles iis, quæ conceduntur in illa. Huiuſmodi enim Indulgentiæ conceſſæ ſunt ipſis Ordinibus Regularium, non Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, Vniuerſitatibus, piis locis, & ſingularibus perſonis, ac per conſequens non comprehenduntur. Villalob. *in Summa tom.*1. *tract.* 27. *clauſ.*12. Nuñus *in* 3.*part. tom.*2. *Tract. de Bulla,*§.14. Qui etiam ſub nomine Regularium, ſeu Fratrum intelligit Nouitios, & Moniales. Diana *reſol.*88.

40 Suſpenduntur tamen Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Eccleſias, Monaſteria, loca pia, Hoſpitalia, &c. quia illæ non ſunt conceſſæ ipſis Ordinibus, ſed tantum ſingularibus perſonis viſitantibus eas Eccleſias, Monaſteria, &c. Ludouicus relatus *dicto dub.*1. *num.*10. Idem dico de indulgentiis conceſſis granis benedictis, ſignis, imaginibus, Coronis, &c. propter eandem rationem. Rodriguez *in Expoſit. Bull.* §.12. *num.*11. Idem etiam dicendum de Indulgentiis conceſſis Confraternitatibus Religionum, videlicet Scapularia Ordinis noſtri, Roſarij, Chordæ S. Franciſci, &c. propter eandem rationem. Idem Ludouicus *dicto dub.*2.

41 Pium tamen, & probabile eſt non ſuſpendi Indulgentias conceſſas Altaribus priuilegiatis pro liberatione animæ alicuius defuncti, etſi enim tales Indulgentiæ conceſſæ ſint ſingularibus perſonis, ſcilicet vel Sacerdotibus in eis celebrãtibus, vel ipſis defunctis pro quibus celebratur, quia tamen quomodocumque id ſit, non exprimuntur in dicta ſuſpenſione Indulgentiæ pro defunctis conceſſæ, quod videbatur neceſſarium, cum ſint ſpeciali nota dignæ, & ex alia parte id credere deceat de pietate Summorum Pontificum: ideo hæc opinio vt pia, & probabilis ſuſtinenda eſt. Quam etiam tenet Ægidius Trullench *in Expoſit. Bull. Cruciat. lib.*1. *quæſt.*9. *cap.*3. *dub.*4. *num.*3. & Diana *in Addition. ſecund. reſolut.*21. Licet oppoſitum dixerit *dicto tract.*15. *de Bulla Cruciata, reſolut.*86. Vide quæ dixi *tom.*1. *cap.*3. *num.*19. & Peirinis *tom.*2. *Priuilegior. Minimor. in Conſtit.*4. *Clementis VIII. num.*2. & *Conſtit.*8. *Pauli V. num.* 10. & quæ dicam verbo *Iubileum.* Declaratum etiam eſt à Sacra Congregatione Cardinalium negotiis Indulgentiarum Præfectorum, approbante S. D. N. Vrbano, Iubilæi Indulgentias, quæ à Summis Pontificibus pro tempore concedi conſueuerunt, conſequi poſſe in Regnis Hiſpaniarum ante, vel poſt ſuſceptionem Bullæ Cruciatæ. Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Iubilæum.* [Conformiter ad quam declarationem Portellus *in Reſponſionib. moral. tom.*2. *caſu* 6. latè defendit quod tempore Iubilæi generalis poſſit quilibet lucrari illud, etiamſi non habeat Bullam Cruciatæ, non obſtante quod Commiſſarius Cruciatæ per ſuum edictum oppoſitum declarauerit.]

Nec etiam ſuſpenditur facultas, quam habent Superiores Regulares ad dandum litteras Confraternitatis ſuis benefactoribus pro communicatione bonorum ſpiritualium ſuorum Ordinum, iuxta dicta ſupra verbo *bona, num.*2. & *ſequentibus*, & in hoc verbo *Bulla Cruciata, num.*17. Ratio eſt, quia hæc facultas iure communi competit ipſis Prælatis: facultates autem iure communi illis conceſſæ non ſuſpenduntur per Bullam. Diana *ſupra reſolut.* 87. Ludouicus à Cruce *ſupra dicto cap.*9. *dub.*2. *num.*17. 42

De facultatibus porrò, quas habet Commiſſarius Cruciatæ dico in particularibus locis, ſcilicet verbo *Affinitas, num.*3. verbo *Bigamia, num.*4. Vide etiam dicenda verbo *Indulgentia*, & verbo *Iubilæum*, præcipuè *à num.*5. an tempore Iubilæi centeſimi ſuſpendatur Bulla Cruciatæ. 43

CALIX.

SVMMARIVM.

1 *Quænam eſſe debeat materia Calicis.*
An æris, aurichalchi, & cupri, ſiue ligni, vel lapidis, vitri, aut cryſtalli. ibid.
An auri, argenti, vel ſtanni. ibid.
2 *Quid de conſecratione Calicis cum Patena.*
Quid de vtente Calice ligneo, aut non conſecrato. ibid.
3 *Ad quos conſecratio ſupradicta ſpectet.*
An ad Abbates Benedictinos, & Ciſtercienſes. ibid.
4 *An ſolum vti queant ſupradicta auctoritate conſecrandi in propriis Eccleſiis.*
Quid declarauerit Sacra Congregatio circa hoc. ibid.
De Priuilegio Pauli IV. pro Ieſuitis. ibid.
5 *Quando, & quomodo Calix, & patena amittant conſecrationem.*
An Calix cum Patena argento fabricata, poſtea deaurata, amittant conſecrationem. ibid.
Quid, quando ſunt deaurata, & poſtea vſu aurum amittunt. ibid.
6 *An Calix tornatilis, quando ſeparatur à pede, amittat conſecrationem.*
Quid de Calice non tornatili, ſi ſeparetur à pede. ibid.
7 *An amittant conſecrationem per ictus in illis ab artificibus infixos.*
8 *An Calix non conſecratus, conſecratus maneat poſt contactum Corporis, & Sanguinis Chriſti.*
Quando ſimilis conſecratio valida erit. ibid.
9 *An Calix, Patena, & alia, quæ immediatè Corpus, vel Sanguinem Chriſti attingunt, à laicis tangi poſſint.*
An laici iſta tangentes peccatum incurrant. ibid.
10 *An quando Calix laicis vendi debet, exhibenda antea ſit aliqua diligentia?*

CALIX non debet eſſe de ære, aut aurichalco, aut cupro, quia hæc propter æruginem vomitum prouocant, aut de ligno, quia cùm lignum ſit poroſum, aliquid Sanguinis ſubintraret, nec de lapide, propter ineptitudinem, aut vitro, vel cryſtallo, propter fragilitatem, ſed tam ipſe, quàm 1

Patena debent eſſe de auro, vel argento, vel ſtanno: ita vt ſi non eſt ex auro omnino, ſaltem ex argento fiant, vel ad minus ob magnam paupertatem, ex ſtanno, *cap. vaſa, & cap. vt Calix, de conſecrat. diſtinct.* 1. Noſter Guido *in Summa de hæreſ. in* 21. *errore Armenorum.* Syluester *in Summa verbo Calix, num.* 1. Tamburinus *de Iure Abbatum diſp.* 23. *quæſt.* 3. *num.* 1.

2 Debent etiam Calix cum Patena eſſe conſecrata, ac Chriſmate peruncta, *cap. vnic. §. vngitur præterea, de Sacra vnctione,* Syluester *in Summa verbo Miſſa quæſt.* 2. Tamburinus *ſupra num.* 5. Imò contra eum, qui vtitur Calice ligneo, aut non conſecrato, conſtituta eſt pœna depoſitionis ab Officio, & beneficio, *capite vltimo de celebratione Miſſarum.* Bonacina *de Sacrament. diſp.* 4. *quæſt. vlt. punct.* 9. *num.* 16.

3 Calicem, & Patenam (idem dico de pyxide caſu quo Chriſmate conſecrari debeat) conſecrare, ſpectat iure ordinario ad Epiſcopum, quia eſt actus ordinis Epiſcopalis. Syluester *in Summa verbo Benedictio, num.* 2. & 3. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 27. *num.* 35. Spectare etiam ad quoſdam Abbates Benedictinos, & Ciſtercienſes ex priuilegiis Summorum Pontificum, aſſerit Tamburinus *ſupra quæſt.* 2. *n.* 1. Idem ego aſſererem, niſi oppoſitum haberetur ex declaratione Sacræ Congregationis ſub anno 1632. quam retuli verbo *Benedictio, num.* 8. ex Barboſa, & Nouario ibi relatis, vbi declaratur Abbates, & alios Prælatos Regulares habentes priuilegia benedicendi hæc, & ſimilia, non poſſe vti illis priuilegiis, *niſi in iis rebus in quibus Sacra vnctio non adhibetur.* Hæc verò adhibetur in Calice, Patena, &c. Sed nota, eundem Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Abbas*, referre etiam hanc declarationem eiuſdem Sacr. Congregationis pro die 6. Decemb. 1631. *Abbas, nec etiam in locis ſibi pleno iure ſubiectis, aut de iurepatronatus, poteſt conſecrare Calices, Patenas, aut ſimilia, in quibus requiritur Sacra vnctio, niſi hoc habeat in ſpecie ſibi conceſſum à Sede Apoſtolica.* Ex qua declaratione ſequi videtur Abbates habentes tale priuilegium poſſe illo vti. Nihilominus, quia illa alia declaratio verbo *Benedictio numero octauo* relata, vltima, & poſtrema omnium eſt, vtpotè de anno 1632. ideò illi ſtandum, donec ab eadem Sacra Congregatione aliud declaretur.

4 Caſu etiam, quod poſſent dicti Abbates prædicta conſecrare, hoc eſſet, ſolum pro propriis Eccleſiis, iuxta dicta eo loco ex dicta declaratione Sacræ Congregationis, quod etiam ſupponitur in hac, quam modo adduxi. Patres quoque Ieſuitas habere priuilegium per Bullam Pauli IV. conſecrandi Calices, aras, pro &c. remotiſſimis Indiæ partibus, quandò Epiſcopi deſunt, habet Fagundez *in* 5. *Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 51. *num.* 14.

5 Amittunt autem Calix, & Patena Conſecrationem Primò, quando ita notabiliter franguntur, vt non poſſint inſeruire ad vſum ad quem ſunt inſtituta. Calix videlicet, ad commodè continendum Sanguinem Chriſti, Patena verò ad contrectandum Corpus illius, ſeu Hoſtiam conſecratam, itaut illam capere poſſit. Vaſquez 3. *part. diſp.* 233. *cap.* 4. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. relato num.* 37. & 38. Similiter, quando illa ſunt argentea, & deaurantur, conſecrationem amittunt, propter rationem modo adducendam, Sylueſter *ſupra verbo Calix, num.* 2. Idem dicendum, quando illa deaurata ſunt, & vſu aurum amittunt, ac iterum poſtea deaurantur, quoad illam ſuperficiem, quæ tangit Corpus, & Sanguinem Chriſti. Conſecratio enim fit, propter hunc contactum, qui in tali cauſa fieret in parte non conſecrata, ſcilicet in illa noua deauratione. Azor. *Inſtit. Moral. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 4. & *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 7. *quæſt.* 3. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 81. *ſect.* 7. *§. alia autem forma.* Etſi alij oppoſitum ſentiant. De quo Lugo *de Sacrament. Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 94.

Non tamen amittunt conſecrationem amiſſione deaurationis, quia licet ea vnctio, vel conſecratio verſetur immediatè circa ſuperficiem, totus tamen Calix, & Patena ſunt ſimpliciter per modum vnius conſecrata, & ita etiamſi amittatur illa ſuperficies, ſeu deauratio, manet conſecrata: ſicut quando Calix, vel Patena ſunt porè argentea, etiamſi contingat illam exteriorem ſuperficiem amitti, nihilominus conſecrata manet. Suarez *ſupra*, *§. rurſus inquiri poteſt.* Nec etiam calix tornatilis amittit illam, quando ſeparatur à pede. Ita enim habet vſus, in eo fundatus, quod facilè poteſt coniungi cum illo. Suarez *ſupra*. Naldus *in Summa, verbo Calix num.* 2. Tamburinus *ſupra num.* 6. Quamvis Sylueſter *ſupra*, & alij oppoſitum ſentiant. Secus dicendum de Calice non tornatili ſi ſeparetur à pede, propter oppoſitam rationem. Iidem authores. 6

De ictibus verò quos ſolent aurifices infigere Calibus ad exſecrandum eos, aliqui aiunt per ipſos amittere conſecrationem, alij verò negant. Sed dicendum, quod ſtando in rigore iuris, non amittitur conſecratio per illos ictus, cum per eos nec notabiliter frangantur, nec mutetur internè ſuperficies illa, qua continetur Sanguis Chriſti. Armilla *in Summa verbo Calix, num.* 4. Bonacina *de Sacrament. diſp.* 5. *quæſt. vlt. punct.* 9. *n.* 18. Quia tamen conſuetudine receptum eſt, vt per illos Calix exſecretur, & indigeat noua conſecratione, ideò illi ſtandum. Naldus *in Summa verb. Calix, num.* 1. 7

Calicem non conſecratum remanere conſecratum, ſi in eo bona fide celebretur, probabiliter defenditur: quæ enim maior conſecratio eſſe poteſt quam contactus Corporis & Sanguinis Chriſti? Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 60. alios referens. Probabilius contrarium, quia Eccleſia pro forma conſecrationis Calicis verbalem benedictionem ſolum aſſignauit. Fagundez *ſupra num.* 10. Lugo *ſupra num.* 92. 8

Calix, Patena, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus, vel Sanguinem Chriſti, vt ſunt Corporale, & Palla, non poſſunt tangi à laicis abſque peccato, *cap. ſacratas, diſt.* 23. licet hoc non videatur mortale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, Bonacina *ſupra num.* 20. Vide dicta in ſimili verbo *Agnus Dei, num.* 7. 9

Calix ſacratus laicis vendendus deberet prius conflari, & non ſufficit frangi, licet contrarium praxi obtineatur. Naldus *ſupra num.* 4. 10

CANONICA PORTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid Canonica portio.*
Quare Canonica dicatur. ibid.
Quid de diuiſione illius. ibid.
2 *Ad quem hæc Canonica portio ſpectet.*
3 *Quid de quantitate iſtius Canonicæ portionis.*
4 *An debita ſit hæc portio.*
Ex quibus præberi debeat. ibid.
5 *Ad quos ſpectet.*
6 *An Monaſteria, & loca exempta ſoluere debeant hanc portionem.*
Quid de Eccleſiis curatis Monaſterio vnitis exempto cum populo. ibid.
Quid de Hoſpitali Religioſorum auctoritate Epiſcopi constructo. ibid.
7 *Quid de priuilegiis Regularium circa hanc portionem.*
Quid de illis, qui communicationem priuilegiorum Regularium habent. ibid.
8 *An derogata ſint priuilegia Mendicantium circa hanc portionem.*

An

An confirmata Carmelitis, & à quo Summo Pontifi.e. ibid.

An ad quartam funeralem Mendicantes obligentur. ibid.

9 *Quid ſi Regulares iure communi, & ex priuilegiis exempti non eſſent à ſolutione Canonicæ portionis.*

Quid de conſuetudine ſolutionis Canonicæ portionis circa Regulares. ibid.

10 *Alia remiſſiuè.*

1 CANONICA portio eſt certa bonorum pars debita Epiſcopis, ſeu Eccleſiis Parochialibus à quibuſcumque de rebus illis prouenientibus. Sylueſt. *in Summ. verbo Canonica portio, num.* 1. Mirand. *in Manual. Prælator. tom.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 1. Dicitur *Canonica*, quia eſt à Sacris Canonibus inſtituta. Miranda *ibid.* Eſt duplex: alia Parochialis, alia Epiſcopalis. Parochialis eſt, quæ debetur Eccleſiæ Parochiali, ſeu Rectori illius de funeralibus, & legatis relictis Eccleſiæ apud quam Parochianus eligit ſepulturam, de qua egi *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. Epiſcopalis verò, quæ debetur Epiſcopo ab omnibus Eccleſiis ſuæ Diœceſis de legatis, aut relictis eiſdem. De ea *cap. de his* 10. *quæſt.* 1. *canon. decreuimus, ibid. & can. conſtitutum* 16. *quæſt.* 1. *Clement. dudum, de Sepultur.* Syluester *ſupra*, Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæſt.* 48. *art.* 1. De hac igitur in præſenti.

2 Debita eſt hæc portio Canonica Epiſcopo ratione oneris, quod in adminiſtratione Epiſcopatus ſuſtinet, ad inſtar legitimæ, quæ debetur patri, vel patrono ex bonis filij vel liberti, Barboſa *de offic. & pot ſtat. Epiſcop. Allegat.* 86. *num.* 1. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 16. *num.* 1. Item in recognitionem ſuperioritatis, & ob communicationem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Eccleſias ſibi ſubiectas, præſertim ob curam, & pabulum ſpirituale, quod illis præbet. Barb. *ibid. num.* 7.

3 Huius Canonicæ portionis quantitas eſt varia, & diverſa, diuerſiſque nominibus vocata, iuxta varietatem temporum, Prouinciarum, & conſuetudinum. Aliquando enim eſt quarta pars, aliquando media, & aliquando eſt certa pars argenti, vel auri, vel in moneta, vel in materia, & in Hiſpaniæ partibus vocatur *luctuoſ.* Barboſa *num.* 3. 4. 5. & 6.

4 Debita eſt hæc portio de legatis relictis Eccleſiis, & aliis piis locis, *cap. conquerente, de offic. Ordinar.* vbi Gloſſa *verbo Mortuariorum, c. requiſiſti, & cap. vltim. de teſtament. cap. de quarta, de reſcrip.* Riccius *in praxi aurea reſolut.* 209. *num.* 2. Non tamen debetur de relictis particularibus perſonis. Miranda *ſupra art.* 3. ex Sylueſtro.

5 Debita eſt non ſolum Epiſcopis, ſed etiam aliis Prælatis inferioribus, ſcilicet Archidiaconis, Preſbyteris, Abbatibus, &c. habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem in dictis Eccleſiis, vel locis piis. Ratio eſt, quia ea eſt debita ratione iuriſdictionis, quam etiam iſti habent, & cui eſt annexa. Petrus Viualdus de *Canonic. Epiſcop. cap.* 1. *num.* 4. Barboſa *ſuprà num.* 8.

6 Monaſteria autem, ſeu Eccleſiæ Regularium, & alia loca exempta non debent ſoluere iſtam Canonicam portionem. Ratio eſt, quia cum ea ſint immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiecta, nullam in ea ſuperioritatem habent Epiſcopi, nec in illis procedunt rationes ſupra aſſignatæ, propter quas ea debentur illis ab Eccleſiis ſibi ſubiectis. Ita communiter Doctores, ſpecialiter ex relatis Viualdus *cap.* 4. *quæſt.* 6. Miranda *art.* 2. Barboſa *num.* 20. *& ſequentibus.* Tamburin. *num.* 4. Similiter ſi Summus Pontifex vniret Eccleſiam curatam Monaſterio exempto cum populo, non deberetur. Iulius Lauorius *variarum elucubrat. tit.* 2. *cap.* 17. Tamburinus *ſup. num.* 5. Si tamen Eccleſia, vel Monaſteria exempta haberent Capellas, vel populum non exemptum, tenerentur ſoluere dictam portionem *cap. ex ore, de priuileg.* Barboſa, & Tamburinus ex aliis. Similiter ſi Hoſpitale eſt Religioſorum, & conſtructum auctoritate Epiſcopi, ea debetur. Miranda *ſupra art.* 3. ex Syluest.

Ex priuilegiis etiam Regularium habetur non deberi hanc Canonicam portionem, ſaltem de legatis ad certos vſus eorum. Id conſtat ex priuilegiis Innocentij IV. Alexandri IV. & Clementis IV. pro Minoribus, quæ refert Caſſarubius *verbo Canonica portio, num.* 1. 2. *&* 3. Iulij II. pro Minimis apud Petrunis *in* 1. *tom. priuilegior. Minimor. in Conſtit.* 2. *Iulij II.* Maximè ex priuilegio Nicolai V. pro Carmelitis, de quo ait idem Caſſarubius *ibi num.* 5. ſic: *Iſta eſt melior, & copioſior conceſſio, quam ſit in omnibus aliis priuilegiis Fratrum Mendicantium in materia iſta.* Quod etiam referunt Rodriguez *tom.* 1. *Quæſtion. Regular. quæſt.* 39. *art.* 1. & Miranda *ſupra art.* 6. *concluſ.* 4. Quia tamen illud eſt ampliſſimum, ipſoque fruuntur omnes Mendicantes, & alij qui cum eis communicationem priuilegiorum habent, ideo hîc apponendum, quod eſt huius tenoris: *Vobis & dicto Ordini veſtro perpetuò concedimus, vt de illis, quæ vobis pro fabrica Eccleſiarum, & Conuentuum veſtrorum, Eccleſiaſticis ornamentis, luminaribus, anniuerſariis, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, & aliis diuinis cultibus, pitantiis, indumentis, calceamentis, emendis, celebrandis, & habendis in eiſdem, necnon annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ domus, prædiaque cum hortis, & aliis locis Ordinis eiuſdem obligata noſcuntur, per Chriſti fideles eleemoſynæ pietatis intuitu, ſiue in funeralibus, oblationibus, ſepulturis, vltimis voluntatibus, legatis, aut alias quoquo modo etiam abſolutè iam erogata ſunt, & in poſterum forſan erogentur à bonis, & etiam abſolutè elargientur, nulli Canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, & ne quis à vobis vel vltimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium heredibus de præmiſſis bonis aliquid extorquere, vel exigere præſumat, diſtrictius inhibemus, non obſtantibus piæ memoriæ Clementis Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi edita, quæ incipit Dudum, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon priuilegiis, & conceſſionibus, &c.* Quæ omnia ampliſſimè confirmat Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta, &c.* quæ eſt Mare magnum Ordinis.

Circa ea verò, primò animaduertendum Bonifacium VIII. in Extrauaganti *Super Cathedram, &c.* 8
quæ habetur inter communes ſub *titulo de Sepulturis, §. verum,* & refertur *in Clement. dudum,* eodem titulo, ſtatuiſſe, quod Mendicantes ſoluerent quartam Parochis, quam tamen Benedictus XI. in alia Extrauaganti *Inter cunctas,* inter communes ſub *titulo de priuilegiis* reuocauit, & Clemens V. in Concilio Viennenſi *in Clement. Dudum* (reuocata illa Benedicti XI.) innouauit: ideo Nicolaum V. prædicta priuilegia Ordini noſtro conceſſe, non obſtante dicta Clementina *Dudum,* confirmatoria illius Extrauagantis Bonifacij VIII. & caſſatoria extrauag. Benedicti XI. Vide Mirandam *ſuprà art.* 6. *concluſ.* 3. & Caſſarubium *in compend. Priuilegior. Mendicant. verbo Canonica portio, num.* 4. Deinde notandum, quod attinet ad quartam funeralem, ſtandum eſſe decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 13. De qua egi *tom.* 1. *cap* 3. *num.* 12. & dicam 4 tom. verbo *Quarta funeralis.* Solum ergo portio Canonica Epiſcopalis eſt ſublata dicto priuilegio. Vnde Sacr. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Quarta,* declarauit, *Quartam legatorum piorum exigere non poteſt Ordinarius à Regularibus, niſi eam ſoluere ſint ſoliti, aut ab hinc quadraginta annis citra, iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij Trid. exegerit.* Idem colligitur ex alia declaratione authentica, quam refert Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 2.

Caſu

Digitized by Google

9 Caſu vero, quod nec iure communi, nec ex priuilegiis exempti eſſent Regulares a ſolutione dictæ Canonicæ portionis, exempti eſſent ab illa ratione conſuetudinis præſcriptæ de illa non ſoluenda. Poteſt enim contra illam præſcribi, vel in totum, vel in partem, prout habent Syluester *in Summa, verbo Canonica portio, num. 2. & 3.* Miranda *ſupra art. 5.* Notant autem ex Panormitano, quod quando conſuetudo eſt præter ius, ad eam valeat tempus decem annorum, quando vero eſt contra ius, requiritur tempus quadraginta annorum.

10 Vide alia in Miranda *dicta queſt. 48.* Barboſa, & Tamburino relatis, ac dicenda 4. tom. verbo *Quarta funeralis.*

CAPELLA, ET CAPELLANVS.

Vide circa hoc dicta *tom. 2. cap. 21.* & ſupra verbo *Beneficium*, Summiſtas *verbo Capella, & Capellanus*, & Portellum *in dub. Regular. verbo Capella Monaſteriorum num. 1.* Ac quoad declarationes Sacræ Congregationis Barboſam *in Collect. Bullar. verbo Capella, Capellania, & Capellanus.* Item dicenda verbo *Eccleſia*, & 4. tom. verbo Miſſa.

CAPITVLVM.

1 *Aliqua remiſſiuè de Capitulo.*
2 *Quid Capitulum ſignificet.*
3 *Vnde hoc nomen Capituli, ſeu Collegij deueniat.*
4 *An Capitulum aliquod poſſit alterare, immutare, vel ſupplere electionem per modum Scrutinij.*
5 *An quodlibet Capitulum exercere poſſit actus iuriſdictionis quos Prælati.*
6 *Alia de facultatibus ipſius.*
7 *Quomodo Capitula interdicantur in Bulla Cœnæ.*
8 *Quomodo Capitula ſuſpendantur a beneficiorum ſuorum perceptione.*
An hæc ſuſpenſio ſolum Capitulum in communi comprehendat. ibid.
9 *An, & quomodo Capitula, & Collegia Regularia, ſeu Conuentus ſuſpendantur ab officio, & Beneficio.*
Quid nomine bonorum intelligi debet. ibid.
10 *An licitum ſit Capitulis, & Conuentibus, aut ſingularibus perſonis ipſorum aliquid exigere ob receptionem alicuius in Religionem.*
Quid de exigentia dotis circa Moniales. ibid.
Quid de receptione bonorum Religioſi ad victum, & alia. ibid.
11 *An Capitula, aut ſingulæ perſonæ reſignationem Beneficiorum admittentes in pœnam incurrant, & quibus caſibus.*
12 *In quas cenſuras incurrere poſſint.*
13 *Quid de capacitate illorum ad excommunicationem.*
Quando contingat Capitulum, & ipſius membra ſuſpenſionem incurrere. ibid.
Quid de diſcrimine inter interdictum & ſuſpenſionem. ibid.

1 DE his, quæ ſpectant ad Capitula Generalia, Prouincialia, vel Localia Regularium, dixi *tom. 2. cap. 12.* ea verò, quæ ſpectant ad Capitula Eccleſiarum ſæcularium, cum parum referant ad noſtrum intentum, quod præcipuè eſt de ſpectantibus ad Regulares, iure omittenda. De illis Summiſtæ *verbo Capitulum*, & pro declarationibus Sac. Congregationis circa ea, vide Barb. *in Collect. Bullar. verbo Capitulum.* Aliqua tamen noſtro inſtituto deſeruientia addere placuit.

2 Capitulum aliquando ſumitur pro loco, vbi res Capitulares tractantur, aliquando pro lectione, aliquando pro diſtinctione, aliquando verò, prout in præſenti, pro Congregatione multorum, præſertim Regularium. Syluester *in Summa, verbo Capitulum, num. 1.*

Capitulum, ſeu Collegium non venit appellatione perſonarum, ſeu Prælatorum in materia pœnali. Vnde pœna impoſita contra aliquos, ſiue Regulares, ſiue ſæculares, non tangit eorum Capitulum, niſi exprimatur. Habetur hoc ex *c. graue nimis, de præbend.* Vbi pœnam quandam ſuſpenſionis expreſsè extendit Pontifex ad Capitula. Naldus *in Summa, verbo Capitulum, num. 1.* 3

Non poteſt capitulum aliquod alterare, immutare, vel ſupplere in electionibus factis per modum ſcrutinij, quales ſunt eæ, quæ communiter ſunt in vſu Religionum, modum electionis deſignatum *in cap. Quia propter, de elect.* de quo dixi *tom. 2. cap. 13. a n. 16.* Etiam ex vi cuiuſcunque priuilegij, niſi in eo fiat expreſſa mentio de dicto *cap. Quia propter.* Ratio eſt, quia hoc capitulum continet Conſtitutionem Concilij Generalis Lateranenſis celebrati ſub Innocent. III. cuius decretis nunquam cenſetur derogatum per clauſulas generales in priuilegiis apponi conſuetas, niſi fiat expreſſa mentio his verbis: *Non obſtante lege aliqua, aut Conſtitutione in Concilio Generali edita.* Ita enim colligitur ex *cap. ex parte, & cap. vltim. de Capell. Monach. & cap. cum te, de ætate & qualit. & cap. Nonnulli, de reſcript.* Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 165.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 5. quæſit. 5. num. 6.* Vnde multo minus delegare poteſt aliquem compromiſſarium, qui eligat contra formam præſcriptam in illo capitulo. Si enim hanc facultatem non habet pro ſe, multò minus eam poterit alij communicare. Naldus *in Summ. verbo Capitulum, num. 11.* 4

Poteſt quodlibet Capitulum, ſiue Generale, ſiue Prouinciale, ſiue etiam Locale exercere omnes actus iuriſdictionis, quos ſiue iure ordinario, ſiue ex priuilegio exercere poſſunt Prælati ipſarum Religionum reſpectiuè, ſcilicet Capitulum Generale, quos Generalis, Prouinciale, quos prouincialis, & Locale, quos Prælatus Localis. Ita vt poſſint ſicut illi imponere cenſuras, & abſoluere ab illis, diſpenſare, & commutare vota, concedere facultates, & licentias Fratribus, prouidere Officia, & beneficia, ac ſimilia: ſecundum Statuta tamen, & Iura Religionum. Ratio eſt, non ſolum, quia in iſtis Capitulis ſunt prædicti Prælati, vel alij eorum Vices gerentes, ſed etiam quia dato, quod illi non aſſiſterent, ſentiendum eſt de eis, ſicut de Capitulis Eccleſiarum ſæcularium Sede vacante, quæ ſuccedunt Epiſcopis in cunctis ſpectantibus ad ordinariam iuriſdictionem ipſorum, prout ex pluribus aſſerunt Syluester *in Summa verbo Capitulum, num. 2.* & Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat. 36. num. 9. & ſequentibus.* Etſi quoad hoc ſint aliquæ exceptiones, de quibus Laymanus *lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 4. à num. 13.* Quæ autem efficere poſſunt dicti Prælati ex poteſtate Ordinis, vtputa audire confeſſiones, & adminiſtrare Sacramenta, hæc non poſſunt competere capitulis. Sunt enim actiones perſonales. 5

Succedunt etiam in facultatem alienandi, ſeruatis tamen ſeruandis, iuxta dicta ſupra verbo *Alienatio*, & in poſterum viſitandi, deſignando videlicet Viſitatores idoneos, item inquirendi de criminibus, eaque puniendi, modo aſſignato, ſcilicet iuxta Ordinum Statuta. Syluester *ſuprà num. 3.* 6

Capitula quæcunque appellantia ab ordinationibus, ſeu mandatis Summorum Pontificum ad vniuerſale futurum Concilium, interdicuntur in Bulla Cœnæ, iuxta dicta ſupra verbo *Bulla Cœnæ, num. 10. & 11.* 7

Capitula Eccleſiæ, etiam Regularis, vel Monaſterij, quæ Epiſcopum, aut Prælatum Religioſum à Sede Apoſtolica prouiſum ſine literis eiuſdem Sedis recipiunt 8

piunt, aut illi obedient, ſuſpenduntur à Beneficiorum ſuorum perceptione, donec a Summo Pontifice gratiam obtineant. Extrauagant. 1. *de election.* inter communes. Suarez *de Cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 5. *num.* 23. Bonacina *de Cenſur. diſp.* 3. *punct.* 5. §. 2. *n.* 1. *&* §. 3. *num.* 1. Quamuis autem Suarez dicat non conſtare, an hæc ſuſpenſio comprehendat ſolum capitulum in communi, an verò etiam ſingulos capitulares in particulari, probabilius tamen eſt prius, cùm odia reſtringi debeant, non ampliari.

9. Capitula, & Collegia Regularia, ſeu Conuentus, quæ Sede Cathedrali, Collegiata, vel Regulari vacante occupant, vel dilapidant bona ad Prælatum defunctum, vel ad ipſam Eccleſiam, vel ad Succeſſorem pertinentia, ſuſpenduntur ab Officio, & Beneficio, donec plenam reſtitutionem fecerint: *cap. Quia ſæpè, de elect. in* 6. Suarez *ſupra ſect.* 3. *num.* 3. Bonacina *dicto* §. 3. *num.* 2. Hæc verò cenſura afficit etiam ſingulares perſonas huiuſmodi delictum patrantes. Bonacina *ibidem.* Quæ autem bona hic intelliguntur, ſatis declarat textus, cum dicit, bona à Prælatis ipſarum dimiſſa, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel futuris deberent ſucceſſoribus fideliter tribui. De quibus Suarez *ſupra.* Comprehenduntur etiam Regulares, ſi ea commiſerint, prout ex textu habetur.

10 Capitula, & Conuentus, & ſingulares perſonæ ipſorum, quæ aliquid directè, vel indirectè petunt, aut exigunt ob receptionem alicuius in Religionem, aut ante, vel poſt illam, incurrunt ipſo iure ſuſpenſionem totalem, id eſt ab Officio, & beneficio Papæ reſeruatam, ſiue quod accipiunt ſit pecunia, cibaria, prandia, cœnæ, iocalia, aut alia etiam ad pium vſum pertinentia, Extrauagant. *Sanè de Simonia.* Suarez *ſupra diſp.* 22. *ſect.* 5. Bonacina *ſupra num.* 3. Qui obſeruat *num.* 4. Moniales Conuentionem de dote facientes ante receptionem nulli pœnæ ſubiacere, conſequenter neque contra præfatam Extrauagantem delinquere, exigendo paſtus, & prandia fieri conſueta, quia hæc ad dotem quodammodo reduci poſſunt, cum id fieri videatur ob incommodum ipſarum victum. Adde etiam, nec viros Religioſos incurrere hanc, vel aliam pœnam, quando aliquid recipiunt nõ pro ipſo ingreſſu, aut receptione, ſed ad ſuſtentationem eius, qui ingreditur, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 24. *n.* 30. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *n.* 106. Suar. *ſupra n.* 9. Nec quando datur, vel accipitur aliquid abſque pacto, aut ob conſuetudinem, vel antiqua iura. Caietan. *in Summa, verbo Excommunic. cap.* 73. Nauarr. *ſupra.*

11 Capitula, aut ſingulæ perſonæ reſignationem Beneficiorum admittentes extra caſus, & formam Bullæ Pij V. quæ incipit *Quanta Eccleſia, &c. in* 2. *tom. Bull.* inter conſtitutiones ipſius *num.* 58. incurrunt ſuſpenſionem Papalem à collatione, electione, præſentatione, confirmatione, & inſtitutione Beneficiorum, & Officiorum: & Capitulum, ſeu Conuentus faciens contra iſtam ſuſpenſionem afficitur ſuſpenſione à diuinis Papæ reſeruata. Bonacina *ſupra num.* 4. De hac Pij V. Bulla vide dicta ſuprà verbo *Beneficium.*

12 Quamuis iuxta dicta, Capitulum, ſeu Conuentus ſuſpenſionis capacia ſint, imò etiam interdicti (Cornejo *tract.* 5. *de Suſpenſione, diſp.* 3. *dub.* 1. *num.* 2. *&* 3. Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 3.) non tamen excommunicationis. Ratio eſt, non ſolum quia grauior cenſura eſt excommunicatio, quam ſuſpenſio, & interdictum, & ita oportuit, quod Capitulum, Conuentus, aut Communitas, etſi ſuſpendi, & interdici poſſint, non tamen excommunicari: ſed etiam (quod ad idem tendit) quia ex communicatio afficit animam quoad interiora bona ipſius, priuando illis, & ſic eſt cenſura ſolum perſonalis; ſuſpenſio verò priuat officiis, & Beneficiis; & interdictum vſu diuinorum, quæ tam perſonis particularibus, quàm Communitati ipſi communia ſunt. Cornejo *ſupra num.* 4.

Vnde fit, quod etſi quando excommunicatio ferretur contra communitatem, illa non ligaret ipſam communitatem collectiuè ſumptam, quia eſt incapax illius, ſed tantum perſonas determinatas, quæ commiſerunt delictum, propter quod ipſa fertur: quando tamen ſuſpenſio fertur in aliquod capitulum, vel Conuentum, poteſt ligare tum ipſum collectiuè, tum diſtributiuè, id eſt ſingulas perſonas. Conſtat ex ſuſpenſione adducta ex *c. Quia ſæpè, de elect. in* 6. quæ ligat capitulum, & capitulares ſigillatim, Laymanus *ſupra.* Bonacina *de Cenſur. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *n.* 8. Si tamen, quando ſuſpenſio fertur in capitulum, & in membra ipſius, contingat, quod aliqui ex illis non commiſerint culpam, propter quam imponitur ſuſpenſio, non incurrent illam vt priuatæ perſonæ, licet illam incurrere poſſint, vt partes capituli, ſi maior pars ipſius deliquerit. Cornejo *ſupra.* Suſpenſio tamen lata ſimpliciter, & abſolutè in capitulum, ſi nihil aliud exprimat, neque ex adiunctis colligatur, non extenditur diſtributiue ad ſingulas perſonas, vt priuatæ perſonæ ſunt, quia vox *Capitulum* propriè non ſignificat perſonas, ſed collectionem earum, Cornejo, & Laymanus *ſuprà.* Secus videtur dicendum de interdicto, etenim cum capitulum, vel populus interdicitur, ſinguli etiam interdicuntur. Et ratio eſt, quia per interdictum prohibentur diuina, & Sacramenta, quorum vniuerſitas vt talis non eſt particeps, ſed ſinguli de vniuerſitate: ſed per ſuſpenſionem prohibetur exercitium Officij, vel Beneficij, cuius Collegium, & Vniuerſitas capacia ſunt. Naldus *in Summa verbo Capitulum, n.* 5. Addens nihilominus *n.* 6. ex Nauarro, quod capitulo interdicto, ac pro tali denunciato, non propterea ſequitur, quod ſicut ſinguli intelliguntur interdicti, ita etiam ſinguli per eiuſdem denunciationem intelligantur nominatim denonciati: hoc enim eſt diuerſum ab illo. Ideo Canonicus talis capituli poſſet in loco Sacro ſepeliri, cum non cenſeatur nominatim interdictus. Sed de hoc infra verbo *Interdictum, num.* 34. 13

CARDINALIS.

SVMMARIVM.

1 *Vnde Cardinalis nomen deducitur.*
Alia remiſſiuè de ipſis. ibid.
2 *Quid de eorum dignitate.*
An Cardinalatus ſit Ordo, aut Sacramentum à Chriſto inſtitutum. ibid.
3 *An deceat Summum Pontificem ardua Eccleſiæ negotia ſine Cardinalium conſilio decidere.*
4 *An Cardinales habeant ius præſentiæ in Conciliis Generalibus.*
5 *Quid poſſint facere in Eccleſiis ſuorum titulorum.*
Alia remiſſiuè. ibid.
6 *An Cardinales Epiſcopi teneantur ad reſidentiam.*
7 *An eligere ſibi poſſint Confeſſarios non approbatos ab Ordinariis.*
8 *An Cardinales comprehendantur in generalibus conſtitutionibus Pontificiis cenſuras, & pœnas imponentibus.*
Quædam eorum priuilegia, & facultates. ibid.
9 *Quid de iure circa eorum Eccleſias Titulares, quæ ſunt Monaſteria Regularium.*
10 11 *Alia remiſſiuè &* *n.* 11.

CARDINALIS dictus eſt à Cardine ſuper quo quieſcit oſtium aperiendum, & claudendum. Thomas Vualdenſ. *tom.* 2. *doctrin. fideli, lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 54. *n.* 3. Syluester *in Summa verbo Cardinalis, n.* 1. De variis Epithetis ipſorum, vide dicta *tom.* 2. *c.* 9. *n.* 1. Quibus concinunt Eugenius IV. in Bulla *Non mediocri*, Leo X. in Bulla *Supremæ*, & Sixtus V. in conſtitutione *Poſtquam*, 1

Vual

Vualdenſis *dicto c.54.* De illorum obligationibus, ſi ex Religionibus aſſumantur, dixi *tom.1.c.17.* & de facultatibus, iuribus, & priuilegiis ipſorum, cum munus Protectoria gerunt, eo *tom.2.c.9.per totum*, nunc alia addenda, ea præſertim, quæ ad forum animæ ſpectant, iis omiſſis, quæ ad forum fori, vel in tantæ eorũ dignitatis gratiam.

a Eſt enim eorum Dignitas prima poſt Papatum, cum ſint veluti membra, & pars ipſius, cum Summo Pontifice vnum corpus myſticum conſtituentes. Moneta *de Decimis cap.9.q.3.n.14.* Adeo quod inter Papam, & Cardinales non ſimplex vnitas, verum etiam quædam veluti identitas intercedat. Ioannes Andreas *in cap. requiſiſti, n.12. ad fin. verſ. imò & quaſi, de teſtament.* Iacobatius *de Concilio lib.1. ſub n.172. verſ. ad quod eſt.* Suntque Collaterales, & coadiutores Papæ in Eccleſiæ regimine, iuxta dicta eo *cap.9.n.1.* & veluti Aſſeſſores, conſiliarij, atque cooperatores. Vualdenſis *ſupra n. 6.* Eſt ergo Cardinalitia Dignitas maior Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali, iuriſdictione, & adminiſtratione: eſto Ordinis poteſtate illis inferior ſit, ad modum ſanè, quo Archidiaconus ſuperior eſt iuriſdictione, & adminiſtratione Presbytero, inferior tamen illo Ordinis poteſtate. Bellarminus *tom.1. de Cleric. c.16. §. quantum.* Vaſquez *in 3. part. tom.3. diſp.262. cap.5.* Non tamen propterea Cardinalatus eſt Ordo, aut Sacramentum à Chriſto inſtitutum, quia nec ordinatur ad Euchariſtiam, nec confert gratiam, nec id conſtat ex Sacra Scriptura, aut traditione. Sotus *in 4. diſt.24. q.2. art.4.* Sanchez *in Opuſcul. Moral. tom.2. lib.7. c.1. dub 10.* Iure ergo Pontificio inſtitutus eſt à Pontifice pendens in fieri, & conſeruari, Palacius *in 4. diſt.24. q.2.* Sanchez *ſupra.* Et valdè conformis Iuri diuino in Lege Euangelica, propter ſeptuagintaduos Chriſti diſcipulos, imò in Lege Veteri *Deuteronom.17.* propter Sacerdotes Leuiticos, qui ſimul cum ſupremo Iudice iudicabant *inter ſanguinem, & ſanguinem: cauſam, & cauſam: lepram, & lepram.* Eugenius IV. Bulla relata, *cap. per Venerabilem, qui filij ſint legitimi, §. rationibus.* Turrecremata *lib.1. de Eccleſia, cap.80.* Iodochus Lorichius *in theſaur. Theol. verbo Cardin. §.10.*

3 Decet Summum Pontificem ardua Eccleſiæ negotia ſine conſilio Cardinalium non decidere, ſunt enim cum illo veluti Coniudices, quemadmodum olim Sacerdotes Leuitici erant cum ſupremo Iudice Synagogæ. *Deuteronom.17.* Ita enim colligitur *ex cap. per venerabilem relato, cap. fundamenta, §. decet, de elect. n.6.* Diana *part.5. tract.1. de Cardinalibus, reſolution.4.* Quo ſenſu, & non alio accipienda eſt ſententia plurium apud Laudenſem *de Cardinalibus quaſt.45.* aſſerentium non poſſe aliter facere Summum Pontificem.

4 Habent Cardinales ius præſentiæ in Conciliis Generalibus, tum propter dicta, tum quia habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuis titulis. Didacus ab Alaua *de Conciliis part.1. cap.6. n.2. fol.33.* Malderus *2.2. quæſt.1. art.10. dub.4. §.4.* Tuncque præferendi Epiſcopis, etiam Patriarchis. Diana *ſupr. reſol.4.*

5 Poſſunt in Eccleſiis ſuorum titulorum tonſuram, & Minores Ordines conferre. Eſto enim id derogatum eſſe per Concilium Tridentinum, vt habet Sanchez *ſupra dub.19. n.25.* conſuetudine tamen, quæ vel dat hanc poteſtatem, vel arguit illam habere à Papa, ita habetur, ſicque à Rota in vna Cremonenſi penſionis 3. Decemb. 1582. deciſum, Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.5. n.19.* & alij. Loquuntur autem de Cardinali Presbytero, & quoad ſuos familiares. Similiter concedere Indulgentias centum dierum ex conſuetudine, vel facultate Papæ, vel ex vtroque, Corduba *de Indulg. quæſt.30.* Diana *ſupra reſol.6.* Forſan etiam cognoſcere de cauſis Clericorum ibi, cum habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Germonius *Tract. de Indult. Cardin. §. tum ratione, n.34.* Item ibi excommunicare, ſuſpendere, interdicere, & vti Pontificiis inſignibus, propter eandem rationem. Germonius *ſupra n.18.* Similiter aſſiſtere, & dare licentiam aſſiſtendi Matrimoniis, ob eandem rationem. Sanchez *de Matrimon. lib.3. diſp.28. n.7.* Item ibi conferre Beneficia, quando ſunt in Vrbe, *cap. his quæ, de maiorit. & obedient.* Idem Germonius *n.14.* Ex quo etiam videtur ſequi poſſe recipere reſignationes Beneficiorum exiſtentium in ſuo titulo. Diana *ſupra reſol.14.*

Quoad reſidentiam Cardinalium Epiſcoporum, 6
licet plures aſſerant non teneri ad illam, qui Romæ Summo Pontifici aſſiſtunt, quos ſequitur Hieronymus Gigas *in Tract. de reſident. Epiſcopor.* & alij Sed hodie attendendum eſt tum ad decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.23. cap.1. de reformat.* tum ad nouam conſtitutionem Sanctiſſ. D. N. Vrbani VIII. Excuſantur tamen Cardinales habentes Epiſcopatus Vrbi proximos. Sanctarellus *variar. reſolut. tom.1. quæſt.2.*

Cardinales poſſunt eligere ſibi confeſſarios, etiam 7
aliàs non approbatos ab Ordinariis. Ratio eſt, tum quia id colligitur ex *cap. vltim. de pœnitent. & remiſſ.* vbi hæc facultas conceditur Epiſcopis, & ipſorum Superioribus. Cardinales autem iuxta dicta Superiores dignitate, iuriſdictione, & adminiſtratione ſunt Epiſcopis. Tum quia eſto id clarè non colligatur ex dicto textu, conſuetudine tamen ita obtentum eſt. Reginaldus *in praxi pœnit. tom.1. lib.1. cap.5. ſect.1. n.35.* Toletus *in Summa lib.3. cap.15. num.5.* Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſp.19. ſect.1. num.5.* Quod intellige, etiamſi tales Cardinales Epiſcopi non ſint. Toletus, & Lugo *ibid.* Poſſunt etiam ſuis familiaribus commenſalibus confeſſarium, etiam aliàs non approbatum, deſignare, ex eodem fundamento, & quia ſunt veluti paſtores proprij ſuæ familiæ, ita vt ea non ſubiiciatur quoad Sacramenta Parochiali locorum, in quibus reſident Cardinales, ſed ſolum ipſis. Naldus *in Summa verbo Cardinales, n.8.* Lugo *ſupra.* Hinc etiam, ex praxi Curiæ, in Cardinalium Oratoriis die Paſchatis Communionem accipiunt dicti familiares. Ludouicus à Cruce *de Expoſit. Bull. Cruciat. diſp.1. cap.2. dub.22. num.17.* Diana *ſupra reſol.10.*

Non comprehendi Cardinales, niſi exprimantur, 8
in generalibus conſtitutionibus Pontificiis imponentibus cenſuras, & pœnas, neque in Regulis Cancellariæ odioſis, plures aiunt, tum ex benigna interpretatione mentis Pontificis, ſaltem pro aliquibus caſibus, tum quia illi ſunt perſonæ ſpeciali nota dignæ, quæ niſi exprimantur, non cenſentur comprehendi. Alij verò negant, tum quia comprehenduntur legibus communibus, etiam odioſis, iuris communis, etiamſi cenſuras, irregularitates, & pœnas contineant: tum quia cum ſint ſubditi Papæ, & lex ſit generalis, omnes debet obligare. Sed de hoc vide Mandoſium *regul.19. de infirmis, quæſt.2.* Azorium *tom.1. Inſtitut. Moral. lib.5. cap.11. quæſt.5.* & Dianam *reſolut.16. & 17.* & attende ad praxim Curiæ. Illud certius, in ſententiis ſuſpenſionis & interdicti frui poſſe Epiſcoporum priuilegio, etiamſi Epiſcopi non ſint, quod ſcilicet non comprehendantur, niſi exprimantur, *cap. periculoſum, de ſentent. excommunicat. in 6.* Quia ſunt quaſi Epiſcopi, imò dignitate ſuperiores. Azorius *tom.2. Inſtitut. Moral. lib 4. cap.3. quæſt.10.* Cornejo *in 3. part. tract.5. de ſuſpenſ. diſp.3. dub.1. quæſt.2.* Ex eo autem quod Cardinales ſint quaſi Epiſcopi, imò Epiſcopis dignitate ſuperiores, inferunt aliqui, non ſolum poſſe gaudere priuilegiis Epiſcoporum, *cap. fin. de pœnitent. & remiſſ.* vt dixi *num.7.* & *cap. periculoſum, de ſentent. excommunicat. in 6.* vt etiam modo dixi, ſed & facultate exigendi charitatiuum ſubſidium à ſuis Eccleſiis Titularibus, qua fruuntur Epiſcopi, *cap. conquerente de Offic. Ordinar. & cap. cum Apoſtolus, §. prohibemus, de cenſ.* Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat.87. numero 15.* Item facultate

celebrandi

Digitized by Google

celebrandi, vel faciendi celebrare in itinere ante auroram, & poſt meridiem. Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. ante finem.* Item facultate commutandi in ſuis Eccleſiis Titularibus vltimas voluntates ad inſtar Epiſcoporum, & diſpenſandi in votis, ſicut Epiſcopi. Item facultate derogandi fideicommiſſis ad ſuas Eccleſias pertinentibus. Diana *reſol. 57. 58. & 61.* Imò de facultate conceſſa Epiſcopis in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* idem iudicare vult *reſol. 59.* In his tamen omnibus cum ad factum pertineant, ad conſuetudinem, & praxim attendi debet, vt habet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, cap. 20. num. 10.* loquens de facultate diſpenſandi in votis.

9 In Eccleſiis porrò Titularibus ipſorum Cardinalium, quæ ſunt Monaſteria Regularium, quales ſunt ex Ordine noſtro Eccleſia S. Syluestri, & Martini in Montibus, Eccleſia S. Chryſogoni, & Eccleſia S. Mariæ Tranſpontinæ, nullum ius video exercere ipſos Dominos Cardinales; quod idem credo de aliis Monaſteriis, cùm enim Religioſi ex vi priuilegij exemptionis, quod habent, exempti ſint à iuriſdictione Epiſcoporum, & immediatè ſubſint Summo Pontifici, & ipſorum Prælatis, non videntur ſubiici ipſis Cardinalibus, qui ſunt veluti Epiſcopi, & Ordinarij. Vide Mandoſium *ad reg. 7. Cancellar. quæſt. 2. num. 10.*

10 De aliis, quæ ſpectant ad facultates, vel priuilegia DD. Cardinalium ad forum externum ſpectantia, agunt Manfredus, Laudenſis, Germonius, Barbatius, & Albanus *in tractatibus de Cardinalibus*, Sebaſtianus Cæſar *in relect. de Eccleſiaſt. Hierarch.* Paleotus *de Sacro Conſiſtor.* Bagnus *de dignitatibus S. R. E.* & Diana *loco relato.* Vide & Gauantum *in Manual. Epiſcop. verbo Cardinalis.*

11 An Cardinales ex Religionibus aſſumpti poſſint exercere munus Patrinorum in Baptiſmo, dixi ſupra verbo *Baptiſmus, num. 1.* De excommunicatione quam incurrunt illos hoſtiliter inſequentes, verbo *Bulla Cœna, num. 31.* de Sacris Congregationibus eorumdem DD. Cardinalium, earumque authoritate, infrà verbo *Sacra Congregatio.* An eorum palatia gaudeant Immunitate Eccleſiaſtica, infra verbo *Immunitas Eccleſiarum, num. 1.*

CASVS RESERVATI Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Vnde hoc nomen Caſus.*
Quid nomine caſuum reſeruatorum intelligatur. ibid.
In quibus poteſtas eos reſeruandi reſideat. ibid.
2 *Quid de caſibus Epiſcopis reſeruatis.*
An dentur caſus illis reſeruati de Iure, aut ſolùm ex conſuetudine. ibid.
3 *Qui caſus pro reſeruatis habendi.*
4 *An caſus abortus Epiſcopo reſeruetur.*
An confeſſarij virtute Priuilegiorum abſoluere poſſint pœnitentes intra, vel extra Italiam à caſibus Ordinario loci reſeruatis. ibid.
5 *Quid quando aliquos tantùm reſeruant.*
6 *Quid de caſibus Prælatorum Regularium ipſiſmet reſeruatis.*
7 *An facilìter concedenda ſit licentia abſoluendi ab ipſis.*
8 *An Superiores Regulares determinare poſſint pœnitentias graues à confeſſariis imponendas quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis.*
9 *Regulæ generales pro Caſuum reſeruatione.*
10 *An expediat peccata venialia de facto reſeruari.*
Quid de peccatis dubiis ſentiendum eſt. ibid.
11 *An peccata mortalia aliàs ritè confeſſa cadant ſub reſeruatione.*
12 *Quando peccata intelligantur reſeruata.*
13 *Caſuum reſeruatio debet reſtringi.*
14 *Quid ſentiendum de percuſſione dubia Clerici, an ſit leuis, vel grauis.*
15 *Ad quos Caſuum reſeruatio ſpectet.*
An qui poſſunt ſibi reſeruare caſus, poſſint etiam reſeruare peccata, & cenſuras. ibid.
16 *An valida ſit Caſuum reſeruatio abſque legitima cauſa.*
17 *Quando contingat Caſus reſeruatos ceſſare à reſeruatione.*
18 *An liceat Superioribus Regularium ſubditorum Confeſſiones audire, & illos tam à reſeruatis, quàm à non reſeruatis abſoluere.*
19 *Quid faciendum Superiori, quando non poterit, vel noluerit Confeſſionem integram pœnitentis ad ſe venientis audire.*
An teneatur Prælatus ad ſigillum Confeſſionis, quando audiuit aliquem caſum ratione Confeſſionis. ibid.
20 *Quid faciendum eſt pœnitenti, quando illi moleſtum eſt manifeſtare peccatum reſeruatum ſuo Superiori.*
21 *An liceat Superiori ſolum Confeſſionem pœnitentis audire de reſeruatis, & remittere illum, vt de aliis alij confiteatur.*
22 *Quid facere debeat Confeſſarius cum audit caſus reſeruatos, quorum facultas abſoluendi ipſi non eſt.*
23 *An teneatur Confeſſarius ex charitate, adire Superiorem ad exigendam facultatem pro reſeruatorum abſolutione.*
Quid faciendum, ſi illi à Superiore denegetur. ibid.
Quibus caſibus deneganda eſt à Superioribus ſimilis abſoluendi facultas. ibid.
24 *Quænam diligentia adhibenda ſit, quando Superior diſtat à partibus, vbi pœnitens eſt cum caſu reſeruato.*
Quid, quando pœnitens ligatus eſt excommunicatione. ibidem.
25 *An abſolutio à reſeruatis extra articulum mortis, ſit valida.*
26 *Aduertentia circa illos, qui facultatem habent abſoluendi à caſibus reſeruatis.*
27 *An tales diſpenſent, vel commutent vota, &c.*
28 *Cui conceditur facultas abſoluendi à Caſibus Papalibus, non conceditur à caſibus Bullæ Cœnæ.*
Nec cui conceditur facultas à caſibus Bullæ Cœnæ, conceditur ab hereſi. ibid.
An habens caſum reſeruatum, & illius obliniſcens in Confeſſione, cenſeatur abſolutus. ibid.
Facultas abſoluendi à reſeruatis, an extendatur ad futura. ibid.
29 *Qui habet facultatem delegatam abſoluendi ab omnibus reſeruatis, an poſſit illam ſubdelegare.*
30 *Quid declaratum eſt à S. Congregatione pro caſibus ab Epiſcopis reſeruandis, & n. 31.*
32 *De Caſibus, qui inter Regulares reſeruari poſſunt, remiſſiuè.*

Caſus dicitur *à cadendo*, vt ait Sylueſter *in Summa, verbo Caſus, num. 1.* Et quia aliquis poteſt cadere in peccatum, & in cenſuram, ideo vtrumque dicitur caſus. Illi autem caſus dicuntur reſeruati, qui abſolui non poſſunt à quocumque, etiam Confeſſario, ſed ab eo dumtaxat, qui eos reſeruauit, & ſucceſſoribus, vel Superioribus ipſius, quibus ipſi ad id facultatem delegant. Suarez *4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 1. à principio.* Eſt enim de fide, poteſtatem eſſe in Eccleſia reſeruandi caſus, prout habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. can. 7. & ead. ſeſſ. can. 11.* & contra Vuiclephum oſtendit Vualdenſis *tomo. 2. de Sacrament. cap. 149.* Hæc verò poteſtas reſidet, non ſolum in Summo Pontifice, ſed etiam in Epiſcopis, & aliis Prælatis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem Ordinariam, vel Delegatam habentibus. 1

tibus. Vnde caſus reſeruati alij ſunt Papales, alij Epiſcopales. Papales, qui Papæ reſeruantur, quales ſunt illi de quibus in Bulla Cœnæ, & alij de quibus in diſcurſu operis dicitur. Epiſcopales verò, qui ſolis Epiſcopis reſeruantur. Inter quos numerantur illi quos Prælati iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, quales ſunt Prælati Regulares, ſibi reſeruant. De quibus omnibus ſigillatim eſt dicendum.

2 Et primò loquendo de caſibus Epiſcopalibus, plures Doctores volunt alios eſſe de iure ipſis reſeruatos, & alios ſolum ex conſuetudine, vel expreſſa eorum reſeruatione. De his poſterioribus poſtea dicetur. De prioribus vero numerantur, vt ait Nauarrus *in Manual. cap.27.num.261.* communiter quatuor, quinque, aut ſex, ſed communius hi quinque: Primus, peccatum, quod à iure habet annexam publicam pœnitentiam. Secundus, id quod habet annexam excommunicationem maiorem. Tertius, quod habet annexam irregularitatem. Quartus peccatum incendiarij. Quintus publica blaſphemia. Hos refert Suarez 4. *tomo in 3. part. diſp.29. ſect.3. à num.6.* Sed meritò ipſe Suarez *ibidem*, quem ſequuntur Fagundez *in 2. Eccleſ. præcept. lib.8. cap.5.* Peirinis *tomo 1. Priuilegiorum Minimorum, in conſtitut. Pyrrhi, §.8. num.38.* & alij, dicunt ex ſolo iure communi nullum eſſe caſum Epiſcopis reſeruatum. Probant hoc, quia Extrauagans Bonifacij VIII. *Super Cathedram*, ex qua id deduci videtur, reuocata eſt in Clement. *Dudum de Sepulturis*, per Clement. V. Sed hoc non eſt verum, quia in dicta Clement. *Dudum*, non reuocatur iſta extrauagans *Super Cathedram*, Bonifacij VIII. ſed potiùs innouatur, propterea enim de verbo ad verbum inſeritur in ea, vt legenti patebit, & habet Gloſſa in titulo dictæ Extrauagantis. Alia ergo Extrauagans Benedicti XI. eſt quæ ibi reuocatur, vt dixi ſupra verbo *Canonica portio, num.8.* Melius ergo id probari poteſt, quia caſum aliquem propriè eſſe reſeruatum Epiſcopis à iure, eſt in iure reperiri aliquem textum qui reſeruet illum, nullus autem textus talis datur, illi enim, qui à Summiſtis referuntur, vel ſolum ſupponunt dari aliquos ex prædictis caſibus Epiſcopis reſeruatos, quod ſufficienter intelligi poteſt propter conſuetudinem, quæ erat illis temporibus illos reſeruandi, vel ſolum loquuntur quoad pœnam aliquam pro illis in foro contentioſo infligendam, vt diſcurrenti conſtabit. Vide Suarez, & Fagundez *locis relatis*. Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.51. num.2.* & Ludouicum à Cruce *in Expoſit. Bullæ Cruciatæ, diſp.5. cap.3. dub.2.* Qui rectè notat, quod cum caſus aliquis eſt per ſe reſeruatus Papæ, & ſolùm pro aliquo caſu particulari commiſſus Epiſcopo, vt contingit in percuſſione Clerici, iuxta dicenda infra verbo *Clericus, à num.12.* & conſtat ex decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.24. cap.6.* tunc ille caſus potius dici debet delegatus Epiſcopo, quam reſeruatus ipſi.

3 Referri autem ſolent plures alij caſus Epiſcopis ex conſuetudine reſeruati. Quia tamen illi varij ſunt, nec authores in eis referendis conueniunt, vt videre eſt apud Angelum, & Syluestrum *in Summa, verbo Caſus*. Medinam *in Summa, lib.1. cap. 10. §. 3.* Toletum *lib. 3. cap.14.* & alios: neque hæc conſuetudo generalis, aut eiuſdem modi in omnibus Epiſcopatibus videtur eſſe. Ideo, quando de hac conſuetudine in ſingulis Epiſcopatibus certò non conſtat, ſolum habendi ſunt pro reſeruatis illi quos ſpecialiter, & expreſſe ipſi Epiſcopi reſeruant. Peirinis *ſuprà num. 40.* Ludouicus à Cruce *ſuprà dicta dub.2. num.14.*

4 Addendum eſt, caſum abortus eſſe Epiſcopis reſeruatum, quia vt dixi ſupra verbo *Abortus, num.7.* hunc caſum alias ex Conſtitutione Sixti V. Papalem, Gregorius XIV. fecit Epiſcopalem, dum præcepit, quod in illum cadentem ſolum abſoluere poſſit Confeſſarius *ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus.* Ex hoc enim denotatur hunc caſum Epiſcopis, & Confeſſario ab ipſis ſpecialiter ad eum deputato reſeruatum eſſe. Vnde inter caſus Epiſcopales hunc ſolum refert noſter Reuerendiſſ. Theodorus Stratius *in Inſtruct. pro Carmelit. cap.7. num.8. & 9.* Vide tamen dicenda inferius *num. ſequenti.*

Ex quo ad praxim Confeſſariorum, præſertim Regularium, inferri debet, quod cum iuxta dicta *tom. 1. cap.19. num.17.* nulli Confeſſarij, ſiue ſæculares, ſiue Regulares, etiam virtute quorumcunque priuilegiorum abſoluere poſſint pœnitentes, nec intra, nec extra Italiam à caſibus Ordinario loci reſeruatis, propter decreta, & declarationes Sacræ Congregationis *ibi, & n.15. & 16.* præcedentibus relata, quæ etiam refert Ludouicus à Cruce *in Expoſit. Bullæ Cruciat. diſp.1. cap.3. dub.5.* hoc non debet intelligi de caſibus, qui dicuntur à iure Epiſcopis reſeruati, quia nulli tales ſunt, vt dictum eſt, ſed de iis, quos ipſi expreſsè reſeruant, aut reſeruabunt, ac de illis (ſi qui forſan fuerint) quos certò conſtaret conſuetudine antiqua in eo Epiſcopatu reſeruari ſolitos, iuxta dicta. Idem dico de caſu abortus cum Reuerendiſſ. noſtro Stratio relato. Licet aliqui, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Abortus, num.7.* dicant hunc caſum non comprehendi dictis decretis, quia in illis ſolum eſt ſermo de caſibus, quos Ordinarij ſibi expreſsè reſeruant, hic vero caſus non eſt talis, ſaltem neceſſariò, ſed eſt illis iure Pontificio reſeruatus. 5

Similiter quoad praxim eorumdem Confeſſariorum quoad caſus Epiſcopales reſeruatos, illud ſpectat, quod cum Ordinarij expreſsè aliquos caſus tantum ſibi reſeruauerint, credere debent nullum alium caſum in ea Diœceſi ex conſuetudine reſeruatum eſſe, quia ſi talis eſſet, eum ipſi Ordinarij deberent exprimere. Caſum abortus excipio, quia vt dixi à Papa eſt Ordinario reſeruatus, iuxta dicta. 6

Loquendo autem de caſibus Prælatis Regularium actu reſeruatis, cum ea res ad factum pertineat, nihil certi affirmari poteſt, ſed quod iuxta Religionum diuerſitatem diuerſi quoque caſus reſeruati ſint. Quoad ius vero reſeruandi illos, poſſe eos reſeruari, ſed non omnes (etiam quoad cenſuras dumtaxat) ſed quoſdam ſpecialiter determinatos à Clemente VIII. conſtat ex dictis *tom.1. cap.18. num.19. 20. & 21.* Non tamen propterea teneri ſubditos confiteri ſua peccata ſuis Superioribus, & quid dicendum in caſu quo Superior negaret Confeſſario facultatem abſoluendi à reſeruatis, & de aliis ad hoc ſpectantibus, dixi eo *cap.18. num. 29.* & *cap.19. num.29. 36. & 37.* Quibus addendum, vel pro maiori explicatione, primò, quod quamuis prædictus Clemens VIII. in dictis decretis præſcribat numerum caſuum reſeruabilium inter Regulares, non tamen propterea reuocat caſus antiquos in Religionibus per Regulam, vel Conſtitutiones alias reſeruatos. Nullum enim verbum eſt in prædictis decretis quo denotetur talis reuocatio, potius ex ipſis conſtare videtur mentem ipſius eſſe ſolum prohibere reſeruationes, veluti ab homine factas, ſeu faciendas à Prælatis, non eas, quæ ſunt veluti à iure Regulæ, vel Conſtitutionum. Sic enim ibi dicitur: *Sanctitas ſua decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis iis, quæ ſequuntur, &c.* Ecce quomodo non reuocat reſeruationes, quæ in Regulis, vel Conſtitutionibus continentur. Sed eas, quas Prælati ſibi facere ſoliti erant. Hæc dixerim contra Peirinis *tom.1. Priuileg. Minim. in Conſt.10. Vrbani, num.12. & tom.2. de Prælato, quæſt.5. cap.2. num.34.* oppoſitum aſſerentem. 7

8 Secundò, quod licet regulariter loquendo Superior potius ſe facilem, quam difficilem in concedenda facultate abſoluendi à reſeruatis debeat exhibere, tum quia moraliter loquendo minus periculi eſt in conceſſione, quam in negatione illius, tum quia cum reſeruatio ſit quædam medicina rigoroſa, potius temperari, quam

augeri

augeri debeat, nihilominus non ſemper tenetur hanc facultatem concedere, quia alias nullius momenti eſſet reſeruatio, præſertim ſi id iudicet conueniens bono communi, aut conſcientiæ pœnitentis. Candidus *tom.2. Diſquiſit. Moral. diſquiſit.24. art.* 68. Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.*20.*ſect.*4.*num.*41. Caſu tamen quo Confeſſarij deſignati à Superioribus pro ſingulis Conuentibus (prout debet fieri iuxta decreta eiuſdem Clementis VIII. & dicta eo *cap.*18. *num.*29.) iudicauerint conueniens, quod ſibi detur talis facultas, debent illam dare, & ſi non dent, poſſunt pro illa vice eos abſoluere, iuxta dicta eo *cap.*18.*num.*29. *& cap.*19. *num.*26. *&* 27. Cui doctrinæ concinit declaratio Viſitationis Apoſtolicæ, quæ die 13. Martij 1601. ad inſtantiam Cuſtodis Fratrum Reformatorum S. Franciſci Prouinciæ Romanæ declarauit, quod ſi caſus occurrerit ſingularis, pro cuius abſolutione quicumque confeſſarius ex deputatis inſtiterit, debeat Superior prompto animo facultatem huiuſmodi concedere: ſi tamen neget, Sanctiſſ. D. intendit poſſe confeſſarium licitè ab eo caſu abſoluere. De quo Ludouicus à Cruce *ſupradicta diſp.*1. *cap.*3.*dub.*3. *præſertim n.* 8. Nota tamen verbum illud *illa vice*, poſitum in prædictis decretis Clementis VIII. idem valere, ac *vna vice tantùm*, prout illud intelligit Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 2. *diſp.*13. *quæſt.*8. *num.*4. etſi Alfonſus Leo *in Tract. de offic. & poteſt. Confeſſ. tom.*2.*recollect.*6.*num.*178. de hoc dubitet.

8 Poſſunt autem dicti Superiores Regulares determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis, à Confeſſariis imponendas. Ita enim habetur ex dicto decreto Clement. VIII. prout retuli eo *cap.*19.*num.*36. & affert Naldus *in Summa, verbo Caſus reſeruatus, num.*2. Et ratio eſt, quia cum Superiores ſint Ordinarij Iudices in illa cauſa, ſicut poſſunt eam non committere, ita dum committunt, poſſunt præſcribere modum, taxando pœnitentiam, &c. Idem Ludouicus *ſup. dub.*4. Addit ibidem, poſſe in aliquo caſu Superiorem obligare pœnitentem ad comparendum coram ipſo, non obſtante, quod à Confeſſario ex facultate ipſi conceſſa abſolutus ſit. Contrarium tamen videtur menti Pontificis in illis decretis, niſi forſan pro caſu aliquo raro. Vide alia locis relatis.

9 Nunc iam aliquæ regulæ generales aſſignandæ ſunt pro caſuum reſeruatione. Prima eſt iuxta dicta illo *cap.* 18. *num.*19. Nullum peccatum merè internum eſt reſeruatum de facto. Ratio eſt, quia cum Eccleſia non iudicet de internis, nec etiam punit, aut reſeruat illa, Henriquez *libro* 6. *cap.*14. *num.*6. Poſſe autem id fieri, communiter recipitur à Theologis, quia nulla ratio eſt cur Prælatus Regularis, v. g. pro maiori obſeruantia ſuæ Religionis non poſſit id facere. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. diſput.*29. *ſect.*3. Regulariter autem loquendo, nec expedit id facere, nec prudenter fieret. Non ſolum, quia eſſet contra vſum Eccleſiæ, ſed etiam, quia cum actus interni difficilè cognoſcantur, durum eſſet, & ſcrupulis obnoxium illos reſeruare. Ludouicus à Cruce *ſuprà dicta diſp.*1. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.*17.

10 Similiter dicendum, iuxta dicta eo *cap.*18.*num.*19. peccata venialia de facto non reſeruari, nec expediens eſſe, vt reſeruentur à quocumque Superiore. Tum quia facilè committuntur, nec ſunt materia neceſſaria confeſſionis, & quilibet Sacerdos ex vi ſuæ Ordinationis habet facultatem ad abſoluendum ab illis: tum quia duriſſimum eſſet obligare ad confitendum illa. Suarez *ſuprà*. Laymanus *lib.*5.*tract.*6.*cap.*12.*num.*3. Imò etiam peccata, de quibus dubitatur, an ſint mortalia, vel venialia, reſeruari non poſſe, vel non fieri debere, probabile eſt. Comitolus *in reſponſ. Moral. lib.*1.*quæſt.*34. *num.*3. An verò poſſint venialia reſeruari, plures affirmant, ſaltem de Summo Pontifice loquentes. Bonacina *de Sacrament. diſp.*4.*quæſt.*7.*punct.*5.§.1.*num.*3. Vnde inferi, quod faciens aliquod opus externum, quod de ſe non eſt ſufficiens ad peccatum mortale, etiam dato, quod intentio eſſet mortaliter peccaminoſa, talis non incideret in caſum reſeruatum. Verbi gratia ſi ſit caſus reſeruatus loqui cum Monialibus, qui pauciſſima verba cum ipſis loqueretur, etiamſi intentio eſſet inhoneſta, non incurreret caſum reſeruatum, quia reſeruatio requirit opus externum peccaminoſum mortaliter. Bonacina *ſuprà num.*4.

Nec etiam cadunt ſub reſeruatione peccata mortalia aliàs ritè confeſſa: tum quia duriſſimum quoque eſſet ad hoc obligare ſubditos: tum etiam, quia illa non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, & ideo ad illa accipit quilibet Sacerdos ex vi ſuæ Ordinationis poteſtatem. Peirinis *tom.* 2. *de Prælate, quæſt.* 3. *cap.*2. *num.*5. 11

Similiter peccata, quantumvis mortalia, non intelliguntur reſeruata niſi quando completa, & conſummata ſunt. Ratio eſt, quia crimen non intelligitur, niſi ſit conſummatum, iuxta *cap. hæc autem, diſt.* 1. *de pœnit.* iuncta Gloſſa *ibidem*, & verba debent intelligi cùm effectu, *l.*1.§. *hæc verba, ff. quod quiſque iuris*, maximè in materia odioſa, qualis eſt præſens reſeruationis. Bonacina *ſuprà*. Laymanus *ſuprà*. Vnde ſi inceſtus ſit reſeruatus, ſi non fiat cum effuſione ſeminis (prout continget inter impuberes) non cenſebitur tunc reſeruatus. Finellus *de caſibus reſeruatis, cap.* 5. *num.*4. Flotonus *de caſibus reſeruatis, part.*1.*cap.*1.*n.*31. Quando tamen attentatio ipſa criminis expreſsè reſeruatur, non requiritur opus conſummatum, & completum, ſed ſufficit inchoatum. Laymanus *ibid.* Peirinis *ſup. num.*9. 12

Caſuum reſeruatio, cum habeat quandam rationem pœnæ, quæ eſt odioſa, reſtringi debet. Vnde in hac materia non ſpectatur paritas rationis, nec argumentum à ſimili, ab æquipollenti, à maiori, &c. Reſeruatio enim pendet ex voluntate ſola reſeruantis, Naldus *in Summa verbo caſus reſeruatus, num.*3. 13

Hinc in dubiis non eſt cenſendus aliquis incidiſſe in caſum reſeruatum, quia reſeruatio eſt materia odioſa, & reſtringi debet. Naldus *ibid.* Excipe primò caſus Bullæ Cœnæ, quoad abſolutionem dandam per Confeſſarios virtute priuilegiorum per vniuerſam Italiam extra Vrbem in terminis decreti Clementis VIII. quod retuli *tomo* 1. *cap.*9.*num.*15. ibi enim dicitur, non poſſe Confeſſarios prædictos abſoluere *ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis.* Naldus *ibid.* Excipe ſecundò, quando dubium eſſet, an percuſſio Clerici eſſet leuis, vel grauis; tunc enim credendum eſt eſſe grauem, iuxta Extrauagantem quandam, quam refert Nauarrus *in Manual. cap.*28. *num.* 91. Naldus *ibid.* Hinc collige, quod in dubio, an caſus ſit reſeruatus, præſumi debet non reſeruatus, & ab eo poteſt quis abſolui tanquam à non reſeruato. Portellus *in dub. Regular. verbo Caſus reſeruati, num.* 7. ex Sà, & Suarez. Excipe, vt dixi, caſus adductos. 14

De Prælatis porrò, qui poſſunt caſus reſeruare, dicendum eos eſſe non ſolum Generales, & Prouinciales; vt de ſe conſtat; ſed etiam Prælatos immediatos, ſcilicet Priores, Guardianos, &c. Ratio eſt, quia omnes iſti habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ſupra ſubditos, & ſunt Prælati Ordinarij: conſuetudine etiam ita habetur, & priuilegio Alexandri VI. pro Minoribus, quod refert Caſſarub. *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Abſolutio Ordinar. quoad Fratres, num.* 17. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2.*cap.*18. *num.*14. Peirinis *ſuprà num.*11. Si tamen Conſtitutionibus Religionum hæc facultas Prælatis immediatis ablata ſit, prout de Guardianis Minorum refert idem Caſſarubius, ſtandum eſt dictis Conſtitutionibus. Qui autem poſſunt ſibi reſeruare caſus, poſſunt etiam reſeruare tam peccata, quàm cenſuras, niſi aliquod iſtorum 15

ſit illis prohibitum, quia eadem eſt ratio de vtriſque. Licet autem regulariter ſaltem loquendo, nullum peccatum reſeruetur à Papa, quod non habeat annexam cenſuram, vt habent Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 261. Toletus *in Summa lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. Epiſcopi tamen, & alij Prælati inferiores, & Regulares ſolent peccata ſola ſine cenſuris reſeruare. Toletus *ibid. n.* 3. Ludouicus à Cruce *diſp.* 1. *c.* 3. *dub.* 1. *n.* 37.

16 Reſeruatio caſuum non ſit licitè ſine legitima cauſa, tum quia eſt onoroſa ſubditis, & reddit illis difficilem peccatorum confeſſionem, tum quia per eam tollitur ius, quod alij habebant ad abſoluendum à peccatis quæ reſeruantur. Ludouicus à Cruce *ſuprà n.* 18. *&* 19. Valida tamen eſt etiam ſine legitima cauſa facta, non ſolum loquendo reſpectu Confeſſarij à quo Prælatus per reſeruationem caſus aufert facultatem abſoluendi ab illo, ſed etiam reſpectu Prælati inferioris, à quo ſimiliter eam aufert Prælatus Superior, quando illum reſeruat. Vtroque enim caſu reſeruans vtitur iure ſuo, reſpectu quidem Confeſſarij limitando facultatem illi delegatam, quæ ab ipſo dependet, reſpectu verò Prælati inferioris, quia etſi is habeat auctoritatem ordinariam, eſt tamen ſubordinata Prælato ſuperiori. Suarez 4. *tomo in* 3. *part. diſp.* 29. *ſect.* 4. *num.* 8. Fagundez *in* 2. *præcept. Eccleſ. lib.* 8. *cap.* 1. *numero* 25. Nota tamen oppoſitam ſententiam probabilem eſſe, quia cum poteſtas Prælatorum data ſit in ædificationem, non in deſtructionem, ſi non eſt rationabilis cauſa ad reſeruandum caſus, videtur eſſe in damnum ſubditorum, ac per conſequens invalidè fieri. Finellus *de caſibus reſeruatis, cap.* 4. *num.* 4. Peirinis *dicto tom.* 2. *de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. Illud autem certum, quod in dubio, an Superior ex cauſa rationabili caſus reſeruauerit, illam habuiſſe credendum eſt. Vaſquez *tomo* 4. *in* 3. *part. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 4. *n.* 4. Peirinis *ſuprà.*

17 Caſus reſeruati ceſſant, aut tolluntur, primò ob mortem reſeruantis, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 19. ex Sà, & Quaranta ibi relatis. Quod tamen intellige de caſibus per ſimplicem ordinationem, & ab homine reſeruatis, quia reſeruati à Synodo, vel per Conſtitutionem, aut Statutum, quia ſunt veluti à iure, durant etiam poſt mortem Legiſlatoris. Zerola *in praxi, verbo Caſus reſeruati ad* 4. Gauantus *in Manual. Epiſcop. verbo Caſus reſeruati, num.* 16. Secundò ſi reſeruans renunciat Officio, priuatur illo, vel ſuſpenditur, aut declaratur excommunicatus. Naldus *in Summa, verbo caſus reſeruatus, num.* 10. Vbi tractat, quid ſentiendum, ſi reſeruans aſſumitur ad Papatum, vel quod idem videtur, ſi reſeruans, qui erat Prouincialis, ſit Generalis. Tertiò, authoritate Superioris illius Prælati, qui eos reſeruauit; vt ſi Prior reſeruat caſus, poteſt illos tollere Prouincialis, habet enim auctoritatem ſupra illum. Quartò, mutatione domicilij habentis caſum reſeruatum, ſi enim aliquis commiſit aliquod peccatum reſeruatum in vna Prouincia, vel Conuentu, & tranſeat in aliam, vel alium, vbi talis caſus non eſt reſeruatus, dum ibi moratur, ceſſat reſeruatio illius caſus, & ibi poteſt abſolui à quocumque Confeſſore. Ratio eſt, tum quia reus iudicari ſolet iuxta leges, & conſuetudines loci in quo reperitur, tum quia conſuetudine ſatis conformi pietati introductum eſt, vt quiſque poſſit abſolui ab omnibus, à quibus poſſunt abſolui incolæ. Suarez *ſuprà diſp.* 30. *ſect.* 1. *num.* 4. Portellus *verbo Caſus reſeruatus, num.* 16. Fagundez *in* 2. *præcept. Eccleſ. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 12. Quod præcipuè procedit in Religioſis, qui regulariter loquendo ſubditi ſiunt Conuentuum in quibus hoſpites morantur. Portellus *ſuprà.* Peirinis *ſuprà num.* 54. Addens *num.* 55. etiam id eſſe verum, quando Religioſus ad illum Conuentum perrexiſſet malitioſè, vt à dicto caſu reſeruato abſolueretur. Addit Medina *in Inſtruct. Confeſſ. cap.* 10. §. 3. quod approbare videtur Fagundez relatus, etiam Religioſos euntes ad alium Conuentum, vt ſtatim regrediantur ad ſuum, poſſe in illo abſolui à caſu reſeruato in ſuo Conuentu ex priuilegiis Mendicantium, & conſuetudine. Sed ego non video tale priuilegium, aut conſuetudinem, niſi caſu quo tranſitus ad illum Conuentum eſſet factus bona fide, non verò ad illudendum reſeruationi, iuxta dicenda infrà verbo *Confeſſarius, num.* 29. Quintò, tolluntur per ablationem cenſuræ, quæ eſt annexa talibus caſibus reſeruatis, vt enim dixi ſuprà verbo *Bulla Cruciata* 25. ablatis cenſuris caſuum reſeruatorum, iam peccata non manent amplius reſeruata, ita vt poſtea poſſint à quocunque Confeſſario abſolui. Et quamuis hoc ſolum ſit certum in caſibus Papalibus, quia illi, vt dixi ſupra, regulariter loquendo habent annexam cenſuram; nihilominus idem credo dicendum in caſibus tam Epiſcopalibus, quam aliorum Prælatorum, quia etſi plures ex illis ſine cenſura reſeruentur, de iis tamen, qui reſeruantur cum illa, videtur eſſe eadem ratio, ac de Papalibus. Et ita hanc doctrinam admittit Ludouicus à Cruce *ſupr. cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 27. loquens de caſibus Epiſcopalibus. Sextò, tolluntur, aut ceſſant caſus reſeruati per abſolutionem. Quod quia multis modis contingere poteſt, & eſt valdè neceſſarium pro pluribus caſibus quoad praxim occurrentibus, diligentiùs examinandum reſtat.

Et primò, ſi pœnitens, verbi gratia Religioſus adeat Superiorem, cui caſus reſeruatus eſt, poteſt Superior 18
illius confeſſionem audire, & abſoluere tam à caſu reſeruato, quàm ab aliis non reſeruatis, ſi illos habeat. Etſi enim, iuxta prædicta decreta Clementis VIII. Superioribus non liceat Regularium ſubditorum confeſſiones audire, id tamen limitat ipſemet Pontifex dicens: *Niſi, quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu id ab iis petierint.* Quæ duo in præſenti caſu concurrunt. Hic autem modus abſoluendi à caſibus reſeruatis conuenientiſſimus eſt, vt ait Laymanus *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 8. Vbi nota, quod ſi tunc pœnitens confitens ſua peccata Superiori velit confiteri omnia reſeruata, & obliuiſcatur alicuius, tunc ille caſus ceſſat eſſe reſeruatus, & ideo poteſt illum Confeſſori Ordinario confiteri, propter dicenda infrà *num.* 58. & verbo *Iubilæum, num.* 17. Portellus *ſuprà num.* 9.

Si autem noluerit, vel non potuerit Superior con- 19
feſſionem integram pœnitentis ad ſe venientis audire, poterit illum interrogare, etiam extra confeſſionem, de caſu reſeruato quem habet, & ſi eum explicet, vel concedat illi facultatem, vt abſoluatur ab aliquo Confeſſario, quod etiam eſt ſatis conueniens, vel abſoluat eum à cenſura, ſi talis caſus eam habet annexam, & impoſita ſalutari pœnitentia dimittat, vt abſoluatur ab alio Confeſſario, tam à peccato reſeruato, quàm à non reſeruatis, Layman. *ſuprà.* Quo caſu certum eſt teneri Prælatum ad ſigillum Confeſſionis de illo caſu ſibi manifeſtato. Quia ſigillum Confeſſionis non ſolum eſt de peccatis auditis in confeſſione, ſed etiam de illis, quæ audiuntur ratione confeſſionis. Graffius *in deciſ. aur. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 73. Peirinis *ſuprà n.* 15.

Si verò pœnitenti graue, vel moleſtum fuerit ma- 20
nifeſtare peccatum reſeruatum, quod habet, ſuo Superiori, ſaltem extra confeſſionem, tunc remittat eum ad aliquem Confeſſarium, qui eum abſoluat ab illo reſeruato, & ab aliis non reſeruatis, vt dictum eſt. Quod debet facere Prælatus ex lege charitatis quoties id iudicat conueniens pro ſalute animæ ſubditi, maximè ſi timeat ipſum aliàs peccatum reſeruatum non confeſſurum. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 5. *verſ. circa tertium.* Henriquez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 6. An verò teneatur ſemper id facere, poſtea dicetur.

Addunt non pauci Doctores eo caſu quo pœnitens 21
adit Superiorem cum caſu reſeruato, poſſe audire

confeſſio

confeſſionem ipſius ſolùm de reſeruatis, & abſoluere Sacramentaliter ab ipſis, ac remittere ad alium Confeſſarium, vt eum audiat de non reſeruatis, & ab illis etiam Sacramentaliter abſoluat. Sed hæc ſententia nullatenus admittenda eſt, nec à bonis, & doctis Prælatis eſt in vſu recepta. Cum enim integritas confeſſionis ſit de iure diuino, nullo pacto admitti debet, vt propter ſolam voluntatem, aut aliqualem commoditatem Prælati dimidietur, Portellus *ſuprà num.* 21. Laymanus *ſuprà num.* 8. §. *verùm extra caſum.* Bonacina *de Sacrament. diſp.* 5. *quaſt.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 1. Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſput.* 20. *ſect.* 6. poſt Syluestrum, Rodriguez, Suarez, Henriquez, Coninch, & alios. Vnde Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcept. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 16. dicit Superiorem ſic facientem peccare mortaliter, & talem abſolutionem ſacrilegam, & inualidam eſſe. Admitti tamen poteſt, quod in caſu præciſæ, & grauis neceſſitatis, videlicet quando ob iuſtum, & graue impedimentum Superior non poteſt audire integram confeſſionem pœnitentis, & expediens non iudicat, illum remittere ad alium Confeſſarium, & vrgeat neceſſitas confitendi, poſſit auditis in confeſſione ſolùm reſeruatis, ab illis directè, & à non reſeruatis indirectè ipſum abſoluere: tunc enim non fiet contra integritatem confeſſionis, quæ ſolum petit, vt ſit integra, quatenus moraliter fieri poteſt. Laymanus *dicto num.* 8. Lugo *ſuprà num.* 18. Quo caſu non tenetur iterum confeſſario confiteri peccata illa reſeruata, quæ Superiori confeſſus fuit, quia illa ſunt iam legitimè abſoluta, cum illa confeſſio fuerit formaliter, & moraliter integra, ſed ſufficit ſi confiteatur illi ſolum non reſeruata. Lugo *ſup. num.* 82. Fagundez *ſup. num.* 7. Addens *num.* 52. iuxta ea, quæ dixi *ſup. num.* 18. quod ſi tunc ſubditus haberet plures caſus reſeruatos, & confitendo cum ſuo Superiori oblitus eſt inculpabiliter vnum illorum confiteri, ſi abſolutus eſt generaliter ab omnibus reſeruatis, illum caſum oblitum non manere iam reſeruatum.

22 Cum verò pœnitens habens caſum reſeruatum non adit Superiorem, ſed Confeſſarium, tunc Confeſſarius auditis in confeſſione peccatis, tam reſeruatis, quàm non reſeruatis, debet illum remittere ad Superiorem. Sic enim præcipit Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. illis verbis: *Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant.* Laymanus *ſuprà num.* 9. Quod enim aliqui dicunt poſſe tunc eum abſoluere à non reſeruatis, & mittere ad Superiorem pro abſolutione reſeruatorum, prorſus eſt contra integritatem confeſſionis, vt ſuprà dictum eſt, & contra mentem Concilij, vt patet in verbis adductis, niſi adſit rationabilis valdè cauſa, puta neceſſitatis, de qua infra. Bonacina *ſuprà num.* 5. Vincentius Candidus *tom.* 1. *Diſquiſit. Moral. diſquiſit.* 3. *art.* 3. poſt Henriquez, Suarez, Vaſquez, & alios.

23 Si autem pœnitens moleſtè, aut grauiter ferat, prout regulariter contingit, adire Superiorem pro abſolutione, tenetur ex charitate Confeſſarius, ſi poteſt, adire illum, & petere facultatem abſoluendi à reſeruatis, & ex vi illius ipſum abſoluere. Regulariter autem loquendo Prælatus tenetur hanc licentiam concedere, iuxta dicta *num.* 7. maximè quando Confeſſarius id iudicat conueniens, prout colligitur ex verbis Clementis VIII. *in decretis pro reſeruat. caſuum*, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 29. Vbi inquit quod Confeſſariis in Conuentibus deſignatis abſolutio reſeruatorum debet committi, *quando caſus acciderit* (inquit Pontifex) *in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.* Et etiamſi Confeſſarius id non iudicet, quia moraliter, & regulariter loquendo minus periculi eſt in conceſſione, quàm in negatione talis facultatis. Ludouicus à Cruce *dicta diſp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 9. Nihilominus non ſemper tenetur id facere; ſi enim videat talem commiſſionem ſæpè à ſe poſtulari, & quod propter illam Religionis diſciplina relaxetur, & prudenter credat ſe per ſe ipſum remedium efficacius adhibiturum, tunc licentia alteri confitendi neganda erit. Ita Laymanus *ſupra num.* 6. *quaſt. quarta.* Ludouicus à Cruce *ſupra num.* 3. Tunc autem Confeſſarius non abſoluat pœnitentem, ſed ipſe pœnitens ſe gerat, vt dixi loco relato ex primo tomo. Nec obſtat, ſi contra hoc dicatur, eundem Pontificem, iuxta dicta ibidem, declaraſſe, quod ſi huiuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarij *illa vice* pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſoluere. Id enim intelligendum eſt, vt ibi dixi, pro vna vice. Ita vt illud *pro illa vice*, idem ſit, ac pro vna vice tantum, prout idem verbum intellexiſſe videtur Naldus *in Summa, verbo Caſus reſeruatus, num.* 2. Non pro ſemper, quidquid dicant alij. Primò, quia ſi Pontifex voluiſſet ſemper id fieri, non diceret, *pro illa vice*, quod eſt verbum coarctatiuum, & limitatiuum, ſed illud omitteret. Secundò, quia ſibi contrarius eſſet, dicit enim in eiſdem decretis: *Non liceat Superioribus Regularium Confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu id ab iis petierint.* Cum enim iis verbis illud *peccatum aliquod reſeruatum admiſerint*, diſtinguat ab eo, *aut ipſimet ſubditi ſponte, &c.* manifeſtè colligitur poſſe Prælatum in aliquo caſu non dare hanc facultatem Confeſſariis. Tertiò, quia aliàs parum, aut ferè pro nihilo vtilis eſſet reſeruatio caſuum in Religionibus; ſi enim ſubditi crederent, eo ipſo, quod Confeſſarij petunt à ſuperioribus facultatem abſoluendi ab eorum caſibus, illam teneri concedere, & ſi non concedant, poſſe ſemper ſine illa à Confeſſariis abſolui, parum certè, aut nihil curarent de tali reſeruatione. Demum hoc eſſet contra diſciplinam Regularem, quia certum, & indubitatum eſt poſſe multos caſus occurrere, in quibus Regulari diſciplinæ conſonum eſt, quod Prælatus ipſe ſubditorum confeſſiones audiat. Hæc verò dixerim contra aliquos, qui dum benigni eſſe volunt in ſubditos, contrarij ſunt Superioribus, & toti Communitati, quibus magis fauendum erat. Quid autem eo caſu gerere debeat ſubditus, ſi illi neceſſarium ſit communicare, vel celebrare, dixi eo *cap.* 18. *num.* 29.

Maius dubium eſt, quid faciendum in caſu quo Prælatus, cui caſus reſeruatus eſt, longè diſtat à loco, vbi eſt pœnitens, qui caſum reſeruatum commiſit, vt ſi v. g. aliquis in Indiæ partibus exiſtens caſum hæreſis incurrat, à quo à ſolo Papa abſolui poteſt, iuxta dicta in ſuperioribus, & idem eſt reſpectiuè de aliis caſibus, à quibus nec per priuilegia Regularium, nec per Bullam Cruciatæ abſolui quis poteſt. Et procedit difficultas in caſu quo talis celebrare, vel communicare debet, ita vt ſi id non faciat, ſcandalum, vel infamia inde oritur: nec poteſt ſe vllo modo ſine mendacio excuſare. Ad quod primò dicendum, quod ſi talis neceſſitas non occurrat, debet ille abſtinere à communione, vel celebratione, & procurare per ſe, vel per alium, vel ſaltem per litteras facultatem à Superiore, cui caſus reſeruatus eſt [illegible] poſſit abſolui à caſu reſeruato. Imò, ſi excommunic[illegible]em incurrit, abſtinere debet ab omni alia commu[illegible]tione in diuinis, & humanis, prout ipſa excomm[illegible]icatio exigit, & quantum ſine ſcandalo, aut infamia propria id fieri poteſt. Quod enim aliqui exiſtimare videntur, poſſe talem in eo caſu celebrare, ſi per eum non ſtat quominus abſoluatur, quia non habet à quo obtineat abſolutionem, & aliàs eſt contritus (de quo Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 1. 24

lib.3.cap.12.num.52.) non videtur probabile, nec placet Dianæ *part.2. Tract. de abſolut.ab hæreſ. reſol.4.* De caſu tamen neceſſitatis communicandi, vel celebrandi, ita vt ſi id non fiat, ſcandalum, aut infamia inde ſequatur, inter varias Doctorum ſententias illa eſt ſatis probabilis, & in praxi ſecura; quod poteſt, & tenetur confiteri ſua peccata tam reſeruata, quàm non reſeruata Confeſſario habenti facultatem abſoluendi à non reſeruatis, & tunc abſolui à non reſeruatis directè, à reſeruatis verò indirectè, cum onere tamen procurandi abſolutionem à Superiore, cui caſus ſunt reſeruati, & ſic communicare, vel celebrare. Ratio eſt, quia etſi Confeſſarius ordinarius non poſſit abſoluere à reſeruatis, iuxta doctrinam Concilij Tridentini ſupra traditam, quia tamen poteſt abſoluere à non reſeruatis, & ex alia parte occurrit pœnitentis neceſſitas grauis communicandi, vel celebrandi, vt ſupponitur, propter euitandum ſcandalum, & iacturam ſuæ famæ, ideo in tali caſu præſumitur pia mater Eccleſia conſentire, quod abſoluatur, etiam à reſeruatis. Bonacina *dicta diſp.4.quæſt.7. punct.5.§.3. num.6.* Naldus *in Summa, verbo Bulla Cœnæ, num. 61.* Portellus *ſuprà num. 22.* poſt plures alios quos referunt. Extenditur hoc etiam ad caſum quo ille pœnitens eſſet ligatus excommunicatione, tum propter eandem rationem, tum etiam, quia etſi verum ſit, quod excommunicatio arceat hominem à Sacramento pœnitentiæ, hæc tamen prohibitio ceſſat in hoc caſu, quia lex de vitando ſcandalo, & iactura famæ præfertur cuicumque legi Eccleſiaſticæ. Tum præcipuè, quia *in cap. eos qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* declaratur, quod tam in periculo mortis, quam dum adeſt impedimentum legitimum comparendi coram Superiore, poteſt quis abſolui à cenſura, cum onere comparendi quamprimum potuerint. Bonacina *ibidem num. 8.* Naldus *ibid.* Portellus *ibidem*, poſt alios. Supponunt autem communiter Doctores ſic abſolutum indirectè à caſibus reſeruatis teneri quamprimum obtinere directam ipſorum abſolutionem à Superiore, cui ſunt reſeruata, vel coram ipſo comparendo, vel ab eo impetrando facultatem ad recipiendam abſolutionem ab alio, poſtulando id per ſe, vel per litteras, aut libellum ſupplicem, proprio nomine ſuppreſſo, prout fit in Pœnitentiaria. Si autem id faciat, peccat mortaliter. Addit Portellus *ſupra* ex Nauarro, talem abſolutum à non reſeruatis adeuntem Superiorem teneri ſolum ad confitendum illi reſeruata.

25 Abſoluens à caſibus reſeruatis extra articulum mortis, vel extra prædictum caſum vrgentis neceſſitatis, non ſolum grauiſſimè peccat contra præceptum Superioris reſeruantis, ſed etiam abſolutio eſt nulla, ob defectum iuriſdictionis. Incurrit etiam in aliquibus caſibus excommunicationis ſententiam, iuxta dicta *tom. 1. cap.19. num. 43. & ſuprà verbo Bulla Cœnæ, num. 57.* Confeſſarij etiam, virtute Indultorum, ſeu priuilegiorum abſoluentes ab aliquo caſu ex deſignatis à Sacra Congregatione ſub Clemente VIII. anno 1601. iuxta moderationem tamen ab eadem Sacra Congregatione factam anno 1602. quæ retuli *tom.1. cap. 19. num.15.* incidunt in pœnas excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis Officiorum, & Dignitatis, aut Beneficiorum, & inhabilitatis ad quæcumque Officia, Prælaturas, & Beneficia, ſoli Papæ reſeruatas. Vide has declarationes apud Quarantam *in Summ. Bull. verbo Caſus reſeruat.* & Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat. 50. propè finem.* Et nota inhabilitatem ad audiendas confeſſiones, quæ poſita erat in declaratione anni 1601. ſublatam eſſe in declaratione anni 1602. Quod non animaduertit Peirinis *ſuprà num. 18.* vbi loquitur de his pœnis. Vide & Fagundez *in 2. præcept. Eccleſ. lib.8. cap.1. num.29.* Pro aliis etiam pœnis, quas incurrunt abſoluentes à caſibus reſeruatis ſine facultate, vide Theſaurum *in praxi, part. 2. verbo Abſoluens à caſibus reſeruatis, cap.3.*

26 Circa eos autem quibus delegatur facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, primò animaduertendum, quod etſi, iuxta plurium ſententiam, cui delegata eſt facultas abſoluendi à caſibus, non debet intelligi delegata facultas abſoluendi à cenſuris, quia cenſuræ, vt ipſi dicunt, non ſunt caſus, ſed pœnæ caſus, ſic enim colligunt ex Nauarro *in Manual.cap.27.num.261.* Graffio *in deciſ. aur. lib.1. cap.13.num.63.* & aliis. Nihilominus oppoſitum eſt mihi ſatis probabile, prout tenent Suarez *tom.5. de Cenſur. diſp.7. ſect.4.num.13.* & Portellus *ſuprà num.4.* Niſi ex circumſtantiis antecedentibus, vel conſequentibus aliud colligatur. Tum quia ipſæ cenſuræ, etiamſi ſint pœnæ, etiam comprehenduntur nomine caſus, & in communi modo loquendi, ſicut homo dicitur cadere in peccatum, ſic dicitur cadere, ſeu incidere in excommunicationem. Tum etiam, quia cum in Concilio Tridentino *ſeſſ.24.cap.6.* detur facultas Epiſcopis abſoluendi à caſibus occultis, ex communi omnium ſententia, ibi per caſus intelliguntur tam peccata, quàm cenſuræ illi annexæ. Nec obſtat, quod dicunt id eſſe ſolum verum in caſibus Papalibus, quibus regulariter ſemper eſt annexa cenſura. Etſi enim id ita ſit, iuxta dicta in ſuperioribus, nihilominus ex hoc habetur nomen caſus tam ad peccata, quàm ad cenſuras extendi. Qui ergo habuit à Superiore auctoritatem abſoluendi à caſibus, habuit etiam abſoluendi à peccatis, & cenſuris, niſi aliud, vt dixi ex circumſtantiis colligatur.

27 Illud autem eſt verum, quod qui delegatus eſt ad abſolutionem caſuum, non propterea accepit facultatem ad diſpenſandum, vel commutandum vota, vel iuramenta, quia iſta non ſunt caſus. Nauarrus & Graffius *ſuprà*. Idem dicunt de irregularitatibus. Sed hoc non omnino placet, quia etiam vocari poſſunt caſus, & homo dicitur cadere in irregularitatem. Ex alio tamen capite horum ſententia videtur probabilior, eo quod irregularitas non abſoluitur, ſed diſpenſatur. Rurſus eſt difficilis diſpenſationis; & ita ſi expreſsè non concedatur, non cenſetur conceſſa, iuxta dicta *tom. 1. cap.19. num. 19.* Nihilominus ad circumſtantias, & modum quo hæc facultas concedi ſolet, attendendum eſt.

28 Cui conceditur à Papa facultas abſoluendi à caſibus ipſi reſeruatis, non conceditur, niſi exprimatur, à caſibus Bullæ Cœnæ, quia iſti ſunt ſpeciali nota digni. Et ita vſu receptum eſt. Suarez *tom.5. in 3. part. diſp.21. ſect.3. num. 3.* Riccius *in praxi aurea, reſol. 333.* Nec cui conceditur facultas à caſibus Bullæ Cœnæ, conceditur ab hæreſi, propter maiorem ſpecialitatem huius caſus. Henriquez *in Summa, lib.8. cap. 16. §. 3.* Azor. *Inſtitut. Moral. tom.1. lib.8. cap.10. quæſt.12.* vbi oppoſita ſententia relata hanc vocat veram, & conformem vſui, ac ſtylo Curiæ Romanæ.

29 Si quis durante termino illi præfixo, vt poſſet abſolui à reſeruatis validè confeſſus ſit, & oblitus alicuius reſeruati quem habebat, poteſt tranſacto illo termino ab eo abſolui, iuxta dicenda infrà verbo *Iubilæum, num. 17.* Portellus *ſuprà num.8.* ex Sà, & Sanchez. Dixi *validè confeſſus eſt*, quia confeſſus inualidè non fruitur hoc priuilegio, iuxta dicenda eo loco. Quando autem Prælatus concedit facultatem perpetuam abſoluendi à reſeruatis, intelligitur de præteritis, & futuris. Portellus *ſuprà num.13.* ex Vega *in Summa*.

30 Poſſe illum cui delegata eſt facultas abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis ſubdelegare illam (eo quod licet delegatus ad vnam cauſam in particulari ſubdelegare non poſſit, *l. à Iudice, C. de Iud. cap. fin. de offic. delegat.* delegatus tamen ad vniuerſitatem cauſarum delegare poteſt) colligi poteſt ex Nauarro *in Manual. c.27. num.45.* Sotbo *in Addition. ad Compend. verbo Abſo-*

lutio

latio Ordin. quoad Fratres, in fine, & tenet Peiinis *ſuprà num. 27. & 2. tom. priuileg. Minim. in Conſtit. 10. Vrbani VIII. num.14.* Limitatione tamen eget. Si enim alicui delegata eſt hæc poteſtas, vt Iudici, vel Prælato, & pro vtroque foro, veluti ſi generalis concederet Prouinciali facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus ipſius, vel Prouincialis Priori, aut Guardiano, cum facultate explicita, vel implicita ſubdelegandi (de quo Potſellus *ſuprà in additionib. num. 3.*) ſic admittenda eſt hæc doctrina. Neganda tamen quando ea facultas conceſſa eſt alicui, vt Confeſſario dumtaxat, & ſolum pro foro interno, hæc enim in delegabilis eſt, vt patet ex vſu Eccleſiæ.

31 Pro caſibus ab Epiſcopis reſeruandis hæc ſtatuit Congregatio Epiſcoporum, & Regularium ſub Clemente VIII. in decretis anni 1601. de quibus ſuprà dixi: *Moneantur omnes, vt paucos, eoſque tantum, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarumque ſibi creditarum ſalutem pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſaria reſeruandos eſſe iudicauerint.* Item eadem Sacra Congregatio in decretis moderatoriis præcedentium de anno 1602. de quibus etiam ſuprà dixi, hæc ſtatuit: *Illos rurſus magnoperè admonendos cenſemus, vt non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum abſolutionem ſibi reſeruent, quorum reſeruatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat, &c.* Et infrà: *Prohibet etiam ne ſibi ſuperfluè reſeruent caſus in Bulla die Cœna Domini legi conſuetu contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos.* Subiungitur etiam: *Facultatem verò, & licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis, quam in ſcriptis tantum concedi permittebatur, etiam viua voce concedi poſſe declarat.* Extant etiam litteræ eiuſdem Sacræ Congregationis eodem anno miſſæ ad Archiepiſcopum Neapolitanum (quarum etiam copia ad alios Ordinarios mittebatur) in quibus regulæ deſignantur circa hos caſus ab Epiſcopis reſeruandos. Vide Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 50. in fine, & in Collectan. Bullar. verba Caſus reſeruati.*

32 Declaratum etiam eſt ab eadem Sacra Congregatione non poſſe eſſe caſum reſeruatum reſtitutionem inceſtorum, nec eorum, qui nocte per Ciuitatem inhoneſta cantant, nec violatores feſtorum. Gauantus *in Manual. Prælator. verbo Caſus reſeruati.* Barboſa *ſuprà in Collect. Bullar.*

33 De caſibus autem ex decreto eiuſdem Clementis VIII. permiſſis reſeruari à Superioribus regularium, in genere dixi *tom. 1. cap. 18. num. 20.* in ſpecie verò, & particulariter in huius ſummæ diſcuſſu de illis loquor. Etenim de primo, qui eſt: *Veneficia, incantationes, & ſortilegia*, dicam verbo *Veneficiu.* De ſecundo, qui eſt: *Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eo peruenerit, vt extra ſeptu Monaſterij, ſeu Conuentus fiat egreſſio:* & de tertio, qui eſt *Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta*, præter dicta ſuprà verbo *Apoſtata, & Apoſtaſia*, plura dixi eo *tom. 1. cap. 13. & 16.* De quarto, qui eſt *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale*, plura etiam dixi eo *tom. 1. cap. 6.* De quinto, qui eſt *Iuramentum falſum in iudicio Regulari, ſeu legitimo*, dicam infrà verbo *Iuramentum.* De ſexto, qui eſt *Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto*, dixi ſuprà verbo *Abortus.* De ſeptimo, qui eſt *Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus*, dicam verbo *Falſarius.* De octauo, qui eſt *Furtum Monaſterij, ſeu Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale*, dicam verbo *Furtum*, & aliqua dixi *tom. 1. cap. 6.* De nono, qui eſt *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus*, dixi eo *tom. 1. cap. 5.* De decimo, qui eſt *Occiſio, ſeu vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ*, dicam verbo *Homicidium.* Ac de vndecimo, qui eſt *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores*, dixi eo *tom. 1. cap. 8. num. 30.* De illis etiam agunt Quaranta *in Summa Bullar. verbo caſus reſeruati.* Corjolanus *in Tract. de caſibus reſeruatis.* Peiinis *tom. 2. de Prælato, quæſt. 3. cap. 2. §. 1.* & alij.

CAVSA IVDICIALIS
Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa iudicialis quid, & quotuplex ſit.*
2 *Cauſæ ciuiles Regularium cum ipſi ſunt actores, à quibus cognoſcuntur.*
3 *An poſſint tunc agere coram Iudice ſæculari.*
4 *Quid, quando ipſi Regulares ſunt rei.*
5 *Quid de Regularibus extra Monaſterium degentibus.*
6 *Qua ratione caput* volentes, de priuilegiis, *& Concil. Tridentinum intelligenda.*
7 *Nec in prima inſtantia coram Ordinariis conueniri poſſunt.*
8 *Quomodo Bulla Pauli V. intelligenda.*
9 *Cauſæ de nullitate profeſſionis apud quos tractanda.*
10 *Quid de cauſis criminalibus Regularium.*
11 *An poſſint trahere ſuos coram aliis iudicibus.*
12 *Quid, quando ipſi ſunt rei.*
13 *Coram Ordinariis quando trahi poſſunt.*
14 *Quid de cauſis ſpectantibus ad Sanctum Officium.*
15 *Quid ſi Ordinarij procedant contra ipſos in caſibus non permiſſis.*
16 *An propter Prælatorum negligentiam id liceat.*
17 *Alia remiſſiuè.*

CAuſa iudicialis eſt materia nondum diſcuſſione, & examine patefacta, quæ dum proponitur, dicitur *iudicium*, & cum definitur dicitur *iuſtitia*, cap. *forus, de verb. ſignificat.* Eſt autem duplex; quædam ſæcularis, quædam Eccleſiaſtica; rurſus alia criminalis, alia ciuilis: ſimiliter alia ſpiritualis, alia ſpiritualibus annexa. Syluester *in Summa verbo cauſa, dub. 3. & 5.* Sanchez *in opuſc. Moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 8.* De his breuiter agendum, ſaltem remiſſiuè, quatenus ad Regulares ſpectat. 1

Et quidem loquendo de cauſis ciuilibus Regularium cum ipſi ſunt actores, & illis illata eſt iniuria manifeſta, vel violentia, cognoſci poſſunt à conſeruatoribus, iuxta dicta *tom. 2. cap. 10. num. 62.* ex conſtitutione Greg. XV. quæ incipit: *Sanctiſſimus*, & declaratione S. Congregationis eo cap. relatis, & iuxta modum ibi præſcriptum. Etſi oppoſitum defendat Sanchez *ſup. cap. 9. dub. 6.* niſi in caſu quo Religio ſpoliaretur aliquibus bonis, quæ poſſidet. Cum autem non eſt illis illata manifeſta iniuria, aut violentia, & ipſi ſunt actores, non poteſt cauſa cognoſci ab eorum conſeruatoribus, ſed ab aliis Iudicibus competentibus. Ratio eſt, quia etſi ante dictam conſtitutionem Greg. XV. id fieri poſſet, iuxta dicta eo *cap. 2. num. 30.* poſt illam tamen id fieri non licet, eo quod in ipſa conſtitutione clarè decernitur, vt retuli *ibidem num. 42.* quod conſeruatores nullam habeant iuriſdictionem *in cauſis in quibus Regulares actores fuerint.* Quod limitans S. Congregatio, vt ibidem etiam retuli *num. 47.* dicit, quod in manifeſtis iniuriis, & violentiis defendi poſſunt à conſeruatoribus. Ex hoc enim infertur, non poſſe id fieri, quando non eſt manifeſta iniuria, aut violentia. Hoc etiam ſenſu accipi debet id quod *ibid. num. 61.* dixi, videlicet, non poſſe procedere hoc tempore conſeruatores Regularium in cauſis ciuilibus eorum, qui 2

Digitized by Google

aliquam pecuniæ ſummam, vel aliquam rem ipſis debeur ex locationibus, legatis, teſtamentis, &c. Intellige, quando non eſt manifeſta iniuria, aut violentia, quia ſi illa eſſet, poſſent id facere ex vi declarationis S. Congregationis relatæ.

3 Poſſunt ſimiliter Regulares in eiſdem cauſis ciuilibus, in quibus ipſi actores ſunt, ſiue cum adeſt manifeſta iniuria, aut violentia, ſiue cum non adeſt, agere coram Iudice ſæculari, iuxta dicta eo *cap.* 10. *num.* 73. & cum conditionibus ibi ex prædicta Conſtitutione Greg. XV. deſignatis. Nec propterea, quod non agant coram conſeruatoribus, etiam quando poſſunt, ſibi vllo modo præiudicant, vt habent Federicus de Senia *in conſ.* 14. *num.* 5. & Laurentius de Franchis *in controuerſ. Epiſcop. & Regular. ſuprà dict. conſtitution. Gregorij XV. pag.* 178. *in ſolut. ad* 4. Quando autem religioſus hoc modo ageret in iudicio forenſi contra aliquem debet habere licentiam ſui Superioris, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 9. *num.* 11. *& ſuprà verb. Accuſare, & accuſator, num.* 1. cum limitationibus tamen ibi adductis.

4 In prædictis autem cauſis ciuilibus, quando Regulares ſunt rei, trahi debent coram eorum Superioribus. Illi enim ſunt legitimi eorum Iudices. Idque conſtat non ſolum ex eorum exemptione à quibuſcumque Iudicibus, etiam Eccleſiaſticis, de quo verbo *Exemptio* dicetur, ſed ex dictis *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 10. Poſſe etiam trahi coram eorum conſeruatoribus colligitur tum ex declaratione Sacræ Congregationis ſub Paulo V. tum ex Conſtitutione relata Gregorij XV. Vt enim retuli *tom.* 2. *cap.* 10. *num.* 42. expreſſe ibi aſſeritur poſſe Regulares coram ſuis conſeruatoribus trahi, aut conueniri.

5 Regulares tamen extra Monaſterium degentes, etiamſi certum Iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, in aliis verò, ſi ipſum Iudicem non habuerint, conueniri debent coram Ordinariis tanquam in hoc à Sede Apoſtolica delegatis in ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum. Ita enim decernitur in Concil. Tridentin. à *ſeſſ.* 7. *c.* 14. de quo dixi *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 10. *& tom.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. *&* 7. Circa quæ, præter ibi dicta, nota quod Monachus dicitur habitare intra Monaſterium, quando ex licentia ſui Prælati degit extra Monaſterium. Ita ex Abbate antiquo, Panormitano, Angelo, Silueſtro, Nauarro, & Henriquez aſſerit Sanchez *in opuſcul. Moral. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 4. Vnde quantumcunque Religioſus extra clauſtra degat ex legitima licentia ſui Prælati, non poteſt conueniri coram Ordinariis, etiam in dictis cauſis ciuilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum, quia iſte reputatur eſſe intra Monaſterium. Vnde etiam inferunt Rodriguez *tom.* 2. *Quæſtion. Regular. quæſt.* 2. *art.* 8. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Mendicant. in Conſtitut.* 2. *Sixti IV. num.* 19. & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſit.* 7. *num.* 9. inſeruientes alieni beneficio, vel addictos ſeruitio Monialium, non comprehendi hoc decreto, quia non degunt extra Monaſterium ex ſpeciali priuilegio, aut licentia, ſed ex inſtituto. Nota etiam, quod per cauſas mercedum intelliguntur cauſæ ſtipendiorum, ſeu ſalariorum debitorum operariis, vel mercenariis. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 25. *num.* 5. *in comment. littera O.* Sanchez *ſuprà num.* 5. Vbi etiam *num.* 6. tractat, quæ ſint iſtæ miſerabiles perſonæ, de quibus loquitur Concilium.

6 Maius dubium eſt, an ratione *cap. volentes, de priuileg. in* 6 quod Concilium *dicta ſeſſ.* 7. *cap.* 14. innouat, & obſeruari præcipit in cauſis exemptorum, poſſint Regulares trahi coram Ordinariis. Dicit enim Innocent. IV. eo cap. de exemptis loquens ſic: *Declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcunque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſiue contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur, ritè poſſunt coram locorum Ordinariis conueniri.* Cum ergo Concilium hoc caput innouet, videtur iuxta illud dicendum, poſſe Regulares conueniri coram Ordinariis. Nihilominus oppoſitum dicendum eſt, maximè propter dicta eo *cap.* 11. *num.* 10. expreſsè enim Paulus V. in Bulla ibi adducta, & Sacra Congregatio decreto in Bulla relato declararunt ad inſtantiam Procuratoris Generalis Carmelitarum non comprehendi Regulares Conſtitutione illa dicti *cap. Volentes.* Accedit, quod, vt probat ex multis Sanchez *tom.* 2. *Opuſc. Moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 25. dictum *cap. Volentes,* ſolum loquitur de exemptis ratione loci, iſti enim quoties deliquerint, vel contraxerint in loco non exempto, vel circa rem ſitam in loco non exempto, conueniri poterunt coram Ordinariis, non verò loquitur de habentibus exemptionem perſonalem, quales ſunt Religioſi. Idem ſequitur etiam ex multis aliis Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Alleg.* 105. *num.* 23.

Similiter nec conueniri poſſunt, etiam in prima inſtantia, coram Ordinariis, propter decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. vbi dicitur: *Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoſcantur.* Ratio eſt, quia Paulus V. in dicta Bulla, & Sacra Congregatio in ea relata declararunt ad Regulares non pertinere, nec per illud immutatas, aut reſtrictas eſſe eorum conſeruatorias, nec aliquid noui inductum quoad illarum primam inſtantiam. Ita etiam ſequitur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.* 81. *num.* 13. aſſerens etiam declarationem aliam Sacræ Congregationis & Rotæ deciſionem in Oſcenſi *iuriſdictionis* 12. Decembris 1614. 7

Hic notandum pro iis, quæ dicta ſunt de iſta Bulla Pauli V. & declaratione Sacræ Congregationis in ea inſerta, quod licet ſupplicatio facta per dictum Procuratorem Generalem Carmelitarum ad Sacram Congregationem ſolum eſſet de Regularibus intra clauſtra degentibus, an comprehenderentur tum dicto *capit. Volentes* innouato à Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. tum decreto eiuſdem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *c.* 20. Ipſa tamen Sacra Congregatio vniuerſaliter reſpondit ſine dicta determinatione de Regularibus intra clauſtra degentibus, ſed indefinitè, & generaliter de ipſis Regularibus, quo denotari videtur, Regulares ſiue intra clauſtra, ſiue extra illa degentes, non comprehendi *in cap. Volentes,* neque decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. illud innouantis, neque etiam decreto *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. Vide Bullam *in* 4. *tom. Bullar.* inter Bullas Pauli V. *num.* 34. & apud Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Mendicant. in Conſtit.* 2. *Sixti IV. num.* 32. Vide etiam Barboſam loco relato *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 105. *num.* 23. & Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regul. verbo cauſa, num.* 3. 4. *&* 5. 8

Cauſæ etiam de nullitate profeſſionis tractari debent coram Ordinario, & Superiore Religionis, iuxta Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 19. De quo aliqua *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 7. *&* 8. & alia 4. tomo, verbo *Profeſſio Regularium.* Sed nota, quod ſi huiuſmodi cauſæ intra biennium non determinentur, ad Iudices Superiores trahi poſſunt, iuxta decretum eiuſdem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. niſi aſſignentur cauſæ legitimæ, propter quas non ſunt definitæ. Ita enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas referunt Armend. *in additionibus ad recopil. legum. Nauar. lib.* 1. *tit.* 18. *lib.* 7. *de Relig. num.* 40. Franciſcus Leo *in Theſaur. for. Eccleſiaſt. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 72. Riccius *in praxi aurea reſol.* 334. & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 81. *num.* 8. *& in Collect. Bullar. verbo Cauſa.* 9

Quoad cauſas verò criminales, quamvis ex dictis colligi poſſit ad quos pertineant, nihilominus maioris claritatis gratia dicendum, quod cùm in illis ſunt 10
actores

Digitized by Google

actores Regulares, & illis illata eſt manifeſta iniuria, vel violentia, poſſunt reos trahere coram conſeruatoribus. Hoc enim illis videtur conceſſum, non ſolum in antiquis priuilegiis Religionum, de quibus egi *tom.2. cap.10 á num.3.* Sed etiam colligi id poteſt ex Conſtitutione Greg. XV. eo capite relata, adiuncta declaratione Congregationis circa illam, quæ vt retuli *ibid. num.47.* declarauit: *Minimè ſublatam eſſe facultatem, quam habent Conſeruatores defendendi Regulares á manifeſtis iniuriis, ac violentiis, dummodo obſeruent formam præſcriptam Conſtitutionis Innoc. IV. & Bonifac. VIII. relatam in cap.1.& fin.de offic.delegat. in 6.*

11 Cum autem non eſt illis illata manifeſta iniuria, vel violentia, poſſunt trahere ſuos reos coram Iudicibus competentibus, vel ſpecialibus Iudicibus à Principibus, vel Magiſtratibus deſignatis, iuxta dicta *ſup.* & dicto *cap.10. num.73.* cum conditionibus tamen vtroque loco notatis. Imò, ſi cauſa ſanguinis verſatur, obſeruandum quod dixi ſupra verbo *Accuſare*.

12 Quando vero ipſi ſunt rei, applicanda ſunt ea, quæ ſuperius dixi: quod ſcilicet trahi debeant coram eorum Superioribus, qui ſunt legitimi, & Ordinarij eorum Iudices. Quamuis autem ex dictis ex conſtitutione dicta Gregorij XV. & declaratione Sacræ Congregationis videatur colligi trahi etiam poſſe coram conſeruatoribus; id tamen expediens non eſt bono nomini, & famæ Regularium, nec vſu receptum.

13 Coram Ordinariis autem nunquam trahi poſſunt, niſi in caſibus à Concilio Tridentino permiſſis. De quibus egi *tomo primo*, ſcilicet de Regularibus extra Monaſterium degentibus, & delinquentibus; iuxta dicta ibi *cap.11. num.8. & 10.* Quod extendunt etiam ad Equites Ieroſolymitanos Riccius *in Collectan. deciſ.503.* & Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Delinquens, num.2.* Et de illis, qui ſine mandato ſuorum Superiorum in ſcriptis extra ſuos Conuentus reperti fuerint, vel ſi miſſi ad vniuerſitates in Conuentibus non inhabitant, iuxta dicta eo *cap.11. num.1.* Item de Religioſo intra clauſtra degente, ſed extra illa notoriè delinquente, iuxta dicta *ibid. cap.16. num.26. & 27.* & dicenda infra verbo *Delinquens Regularis.* Ac de Religioſis executoribus teſtamentorum iuxta dicta eo *tom.1. cap.9. num.9.* Vide alia dicenda verbo *Epiſcopus*.

14 De caſu hæreſis qualiter ſpectet ad Sanctum Officium Inquiſitionis, vel Ordinarios, dixi *tom.1. cap.18. num.18.* Quod idem ſimiliter de caſu Aſtrologiæ iudiciariæ dixi *cap.10. num.27.* Et de caſu eorum, qui Miſſas celebrant in gradu Sacerdotis non conſtituti, *ibid. num.22.* Et de caſu ſollicitantium in Confeſſione, &c. ad illicita, *ibid. cap.19. num.33.* Ac de caſu obloquentium in materia Conceptionis puriſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, *ibid. cap.10. num.12.* Item de caſu eorum, qui indebitè colunt non Canonizatos, aut Beatificatos, *cap.12. num.30.* Caſum verò Monetariorum ad Ordinarios ſpectare eo *cap.10. num.23.* dixi.

15 Addendum quod ſi Ordinarij tentent procedere contra Regulares exemptos in aliis caſibus eiſdem non permiſſis in iudicio, vel extra, vel contra res Monaſterij, in quauis cauſa ciuili, criminali, &c. proceſſus, ſententiæ, & inde ſecuta ſunt ipſo iure irrita, & nullum pariunt præiudicium, nullumque effectum operantur, nec ſententia tranſit in rem iudicatam, nec debet mandari executioni, cum nullam habeant iuriſdictionem ſic facientes. Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap.25. toto num.5.* Sanchez *ſuprà dicto cap. 9. dub.1. num.27.*

16 Quæ intelligenda etiam in caſu quo Prælati Regulares negligentes eſſent in ſubditorum correctione, quia non propterea ius aliquod deuoluitur ad Ordinarios, ſed ad Prælatum ſuperiorem illis Prælatis negligentibus. Henriquez *ſuprà num. 4.* Sanchez ſuprà *num.26.*

Alia circa hoc punctum, vide verbo *Clericus*, & verbo *Delinquens Regularis*, verbo *Epiſcopus*, verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*.

CENSVRA ECCLESIASTICA.

SVMMARIVM.

1 *Cenſura quid, & quotuplex ſit.*
An alia præter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. ibid.
2 *Qui poſſunt ponere cenſuras.*
Quæ conditiones pro eis requirantur. ibid.
3 *Qualis iuriſdictio.*
4 *Qui ligari poſſunt cenſura.*
Religioſi hoſpites an ligentur cenſuris Conuentuum in quibus morantur. ibid.
5 *Cenſura qualiter ferri debeat.*
An ſub conditione ferri poſſit. ibid.
6 *Iuris forma in ea ſeruanda.*
7 *Monitio ad eam requiſita.*
Qualis eſſe debeat. ibid.
8 *Praxis Regularium Prælatorum in ea ferenda.*
9 *An eam ferre poſſint extra proprium territorium.*
10 *Ferri non poteſt, niſi propter peccatum proportionatum.*
Quale eſſe debeat tale peccatum. ibid.
11 *Qui excuſentur á cenſura incurrenda.*
12 *Quibus modis tollitur cenſura.*
13 *Cenſura non reſeruata à quibus tollantur.*
14 *Alia remiſſiuè.*

CEnſura apud Romanos ſignificabat ſententiam 1
Cenſoris mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Hinc eadem vox tranſlata eſt ad ſignificandam ſpiritualem pœnam, quam Eccleſiæ Prælati contumacibus infligunt. Cornejo *tomo 2. in tertia parte, tract. 5. de Cenſur. diſp. 1. in principio.* Laymanus *libro 1. tract.5. parte 1. cap. 1.* Eſt autem Cenſura pœna ſpiritualis inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate, priuans hominem baptizatum vſu aliquorum ſpiritualium. Bonacina *de Cenſuris, diſp.1. quæſt.1. punct. 1. num. 1.* Eſt triplex, ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Ita enim determinaſſe videtur Innocentius III. *in cap. querenti, de verbor. ſignificat.* qui interrogatus, quid per Cenſuras intelligeretur, tres prædictas ſolum deſignauit. Eſtque hæc ſententia ſtylo Curiæ conformis. Solum enim iſtas, & non alias pro Cenſuris vſurpat. Suarez *de Cenſur. diſp. 1. ſect.3.* Aolla *de Cenſur. part.1. dub. 5.* Aliqui tamen auctores ſeptem Cenſuras aſſignant, videlicet præter tres relatas, Irregularitatem ratione delicti, degradationem, depoſitionem, & ceſſationem à diuinis. De quibus ſuo loco dicetur. Cornejo *ſuprà dub.2.* & alij. Cenſura alia eſt à iure, ea videlicet, quæ fertur per legem, vel ſtatutum perpetuo duratura; alia ab homine, ea ſcilicet, quæ fertur non per legem aut ſtatutum perpetuo duratura, ſed per præceptum, decretum, vel ſententiam. Laymanus *ſupra num.2.* Deinde, alia eſt latæ ſententiæ, illa ſcilicet, quam reus ſine alia Iudicis ſententia ipſo facto, vel criminis commiſſione incurrit; alia ſententiæ ferendæ, quæ per Iudicis ſententiam infligenda eſt. Laymanus *ibidem num.3.* Quando autem ex verbis colligatur Cenſuram eſſe latæ ſententiæ, vel ſolum ferendæ, dixi *tomo 1. cap.10. num. 29.* Item Cenſura alia eſt per modum legis, aut præcepti præcipientis aliquid ſub pœna illius; alia eſt per modum ſententiæ: quando ſcilicet Iudex, vel Prælatus condemnat reum ad illam. Suarez *ſup. diſp.4. ſect.5. num.1.*

Cauſæ efficientes cenſurarum, ſeu illi, qui poſſunt 2
infligere

infligere Cenſuras, non ſolùm ſunt Summus Pontifex reſpectu omnium Chriſtianorum, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ reſpectu ſibi ſubditorum, vel illi quibus ipſi eam facultatem delegauerint. Sed etiam (vt ad noſtra propria accedamus) Generales, Prouinciales, Priores, ſeu Guardiani, aut alij Superiores, etiam immediati Religionum, iuxta dicta *tom.2.c.18. num.* 22. De quibus, & alijs quibus ſimilis poteſtas conceditur, Cornejo *ſuprà diſp.3. dub.*1. Ad hoc autem, quod cenſuras aliquis imponat, requiritur primò, & principaliter, quod habeat iuriſdictionem in foro externo. Eſt enim Cenſura actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ externæ, vt ſumitur ex *cap. cum ab Eccleſiarum, de offi. ordinar.* Laymanus *ſupra cap.* 3. *num.*1. Hinc requiritur ſecundò, quod ſit Clericus, & non laicus, *cap. decernimus, de Iudicijs, cap. indicatum, diſtinct.* 89. quia ſolus Clericus ſaltem primæ tonſuræ eſt capax dictæ iuriſdictionis, non quod ferre Cenſuras ſit actus Ordinis, ſed quia per illum conſtituitur capax ipſius. Cornejo *ſuprà diſp.* 2. *dub.* 3. Vnde ſi caſu aliquo laicus, aut conuerſus in Religione aliqua eſſet Prælatus, ille non poſſet imponere cenſuras, iuxta dicta 2. *tomo, cap.*8. *num.*18. Ex poteſtate tamen Papæ, id poteſt illi committi, quia quod hoc nequeat facere laicus, vel conuerſus, ſolum prouenit ex iure Eccleſiaſtico, cui non ſubiacet Papa. Cornejo *ſupra diſputat.* 3. *dub.* 3. *num.* 4. Nouitio tamen Clerico id competere poteſt. Paludanus *in* 4. *diſt.* 10. *quaſt.*2. *art.*5. Hinc etiam requiritur tertio, quod ſit vir, & non fœmina, *cap. de Monialibus, de ſentent. excommunicat. cap. noua, de pœnitent. & remiſſ. & cap. dilecta, de maiorit. & obedient.* Vnde nec Abbatiſſis Monialium id competit, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*26. *num.*11. & ſupra verbo *Abbatiſſa, num.* 16. Vbi etiam notaui quo ſenſu dicantur aliquando ſuſpendere. Probabile autem eſt de abſoluta Papæ potentia id fieri poſſe, prout colligitur ex S.Thom. *in* 4. *diſt.* 19. *quaſt.*1. *art.*1. *quaſt.*3. *ad* 4. & *diſtinct.* 25. *quaſt.*2. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 2. & Soto *in* 4. *diſt.* 20. *quaſt.* 1. *art.* 4. *circa* 4. *argum.* Hinc quoque quartò requiritur, quod ſit baptizatus. Etenim non baptizatus nec poteſt eſſe clericus, nec capax iuriſdictionis. Cornejo dicto *dub.* 3. Propterea etiam communiter dicitur, debere eſſe hominem Viatorem, quia ſolus ille eſt capax talis iuriſdictionis, cum iuriſdictio ſit quidam gladius Eccleſiæ militantis. Bonacina *ſup. punct.*2.*num.*3.

3 Præter hæc autem requiritur etiam ad hoc, vt aliquis ferre poſſit cenſuras, quod iuriſdictio quam habet, ligata, aut impedita non ſit per excommunicationem, ſuſpenſionem, &c. iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 22. vel per defectum vſus rationis, vt contingit in ebrio, furioſo, vel inſano, quia ferre Cenſuras eſt actio humana, quæ talibus conuenire non poteſt. Vgolinus *Tabula prima, cap.* 2. Cornejo *ſuprà diſp.*2.*dub.*4.

4 Cauſæ verò materiales cenſuræ, ſeu illi, qui cenſura ligari poſſunt, ſunt primo homines viuentes, non mortui, 24 *quaſt.*2. quia illi ſolum ſunt ſubiecti iuriſdictioni Eccleſiæ. Cornejo *ſuprà diſp.* 9. *dub.* 1. Vnde non dæmones, aut animalia irrationalia, niſi ſolùm impropriè, propter eandem rationem. Bonacina *ſuprà punct.*4.*num.*4. Secundò, homines Viatores, ſeu viuentes vita mortali, non Beati, propter eandem rationem. Laymanus *ſupra cap.*4. *num.*2. Tertiò, homines baptizati, etiam propter eandem rationem. Cornejo *ſuprà dub.* 2. Quartò, habentes vſum rationis, quia ſolum iſti obligari poſſunt præceptis Eccleſiæ, & eſſe capaces contumaciæ. Cornejo *ſuprà dub.* 3. Quintò, ſubditi ferentis cenſuras. Neque enim par in parem, aut inferior in ſuperiorem habere poteſt iuriſdictionem in foro externo, Cornejo *dub.*4. Hic nota, Religioſos hoſpites per aliquod tempus commorantes in Conuentibus ſuæ Religionis, regulariter cenſeri ſubditos Superiorum illorum Conuentuum, vbi commorantur, vt habet Peirinus *tomo* 2. *de prælato, q.*1.*cap.*8.*n.*20. & 21. Ac per conſequens ſubjici cenſuris ab ipſis impoſitis, ſicut legibus, & præceptis. Vnde quod *tom.* 1. *cap.* 4. *num.*22. dixi, intelligi debet de hoſpitibus tranſeuntibus, & non commorantibus in Conuentibus per aliquod notabile tempus.

Cenſura non poteſt ferri per actum merè internum, 5
hic enim cum non ſit ſenſibilis, non poteſt eſſe actus iuriſdictionis externæ, nec operari aliquid in ſubditos. Cornejo *ſupra diſp.* 4. *in princip.* Non tamen requiruntur certa, & determinata verba, ſed ſufficit ſcriptura, vel aliquod ſignum exterius, quo exprimatur voluntas imponendi cenſuram, Suarez *tomo* 5. *in* 3. *part. de Cenſuris, diſp* 3. *ſect.* 2. Neceſſaria tamen ſunt verba, vel ſigna determinata ad ſpeciem cenſuræ, excommunicationem verbi gratia, ſuſpenſionem, &c. quia alias nec voluntas Superioris ſufficienter manifeſtaretur ſubdito, nec ſubditus teneretur obedire. Cornejo dicta *diſp.*4. *dub.* 1. Vnde ſi Prælatus dicat, Suſpendo Petrum, niſi ex circumſtantiis notum eſſet circa quod eſſet illa ſuſpenſio, Officium videlicet, vel Beneficium, & cætera, nihil faceret, propter eandem rationem. Cornejo *ibidem.* Qui ſecus, & rectè dicit ſentiendum, quando Prælatus diceret, Excommunico Petrum; verbum enim *Excommunico*, tum ex vſu Eccleſiæ, tum ex deciſione *cap. ſi quem, de ſentent. excommunic.* ſupponit ſolum pro excommunicatione maiori. Verba ſimiliter, vel ſigna per quæ fertur cenſura, debent etiam eſſe determinata ad perſonam, vel perſonas, quæ ligantur illa, aliàs non ligarentur: quæ cenſuræ faciunt ſolum id quod ſignificant. Suarez *ſupra*, Bonacina *ſupra punct.* 7. *num.* 6. Poteſt ferri cenſura ſolum ſub conditione, vt ſi dicat Prælatus, Niſi hoc feceris excommunico te; ſic enim tenet vſus Eccleſiæ, & habetur ex *cap. preterea* 2. *de appellation.* Quo caſu cenſura non incurritur vſque ad aduentum conditionis. Cornejo *ſupra dub.*2. Imò ſi legitimè ab ea interim appellatur, non incurretur, etiam adueniente conditione, prout habetur ex dicto *cap. preterea.* Et ratio eſt, quia cenſura illa non habet effectum tunc, niſi adueniente conditione: ergo ante illam impediri legitimè poteſt. Idem Cornejo *ibidem.* Vide dicta ſupra verbo *Appellatio, num.* 11. Si autem Prælatus ferat cenſuras ſub conditionibus impertinentibus, non ſolùm grauiter peccat, quia irrationabiliter facit pendere cenſuras à re impertinente, & quia abutitur poteſtate Eccleſiaſtica, ſed etiam inualidus videtur eſſe talis modus ferendi cenſuras, ſaltem quando conditio eſt de futuro contingenti, quia committit intolerabilem errorem, & abuſum poteſtatis ſpiritualis. Suarez *ſupra diſp.*3.*ſect.*8. Corn. *ſup. dub.*3.

In ferenda Cenſura obſeruari debet iuris forma, 6
primò, quod non feratur diebus feriatis, illis ſcilicet, qui ſpecialiter dicati ſunt cultui diuino. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 14. Eſt autem ſermo de cenſura, quæ fertur per modum ſententiæ. Sententia enim cum non poſſit fieri ſine præuia cognitione iudiciali cauſæ, non poteſt dari prædictis diebus. Cornejo *diſp.*6. *dub.*3. Non de illa, quæ fit per modum legis, ſtatuti, aut præcepti, quia ad iſtam non requiritur iudicialis cognitio. Cornejo *ibid.* Imo in caſu vrgenti, & euidentis contumaciæ non videtur requiri dicta conditio. Idem Cornejo. Debet ſecundò Cenſura ferri in ſcriptis, *cap. cum Medicinalis, de ſentent. excommunic. in* 6. Nauar. *cap.* 27. *num.* 8. Suarez *diſp.*3.*ſect.*13. *num.*2. Et aliter faciens incurrit ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis Officiis per menſem, dicto *cap. cum Medicinalis.* Limita, niſi vrgeat iuſta aliqua cauſa. Nauarr. *ibidem.* Bonacina *ſuprà punct.*8. Vel niſi adſit bona fides, aut ignorantia, quia dictus textus ſolum videtur loqui contra eos, qui temerè id faciunt, Bonacina *ibidem num.* 2. Debet etiam

cauſa

cauſæ Cenſuræ exprimi, eo *cap. cum Medicinalis*, Suarez *ſuprà dicta ſect.* 13. *num.* 5. Cornejo *diſp.* 6. *dub.* 1. Alias incurretur etiam prædicta pœna. Bonacina ſupra. Item exemplum huiuſmodi ſcripturæ debet Cenſura affecto tradi intra menſem, ſi id petierit, dicto *cap. Medicinalis*, & aliter faciens incurrit etiam dictam pœnam. Suarez dicta *ſect.* 13. *num.* 7. & 8. Aduertunt autem communiter prædicti authores harum conditionum, vel alicuius ipſarum defectum non reddere Cenſuram nullam, aut irritam, ſed peccare ita facientem, iuxta dicta etiam *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 22. [Quia tamen eo *num.* 22. dixi, cenſuram ferri debere in ſcriptis, ita vt peccet Prælatus aliter faciens, imo iuxta dicta incurrat ſuſpenſionem, de qua ſupra, quod etiam tenet loquendo de Prælato, ſeu Iudice Regulari, Sanchez *tom.* 2. *conſilior. moral. libro* 6. *cap.* 8. *dubio* 2. *n.* 3. Nihilominus extat conceſſio Leonis X. pro Prælatis Minorum, vt poſſent ferre excommunicationem ſine ſcriptura, non obſtante dicta pœna Iuris de ſuſpenſione. Referunt hanc conceſſionem. Caſſarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Abſolutio ordinaria quoad Fratres, num.* 26. & *verbo Excommunicatio, num.* 7. ac Rodriguez in Bullario in Leone X. inter viuæ vocis oracula ipſius *num.* 66. Quia tamen vt ex eiſdem Authoribus habetur hæc conceſſio fuit viuæ vocis oraculo conceſſa, imò & non authentico, quia propterea notatur à Caſſarubio littera O, paruæ, per quam viuæ vocis oracula non authentica denotare ſolet, ideo talis conceſſio inutilis eſt his temporibus, niſi alio modo confirmata, iuxta ea, quæ dico *quarto tomo, verbo Viuæ vocis oracula.* Aliiodo tamen videtur id conceſſum Prælatis Regularibus propter multa priuilegia quæ ipſorum plurimi habent, quod in correctionibus ſuorum ſubditorum teneantur obſeruare ritulas, & apices Iuris, inter quas iſta de ſcriptura videtur numeranda. Prout habent Lapus *allegat.* 73. & Felinus *in cap. Sacro, num.* 7. quod non improbant Toletus *in Summa, lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 3. & Lugo *tom.* 2. *de iuſtit. & iure diſp.* 37. *ſect.* 14. *num.* 66. quia videtur durum obligare Prælatos Regulares, qui ſæpius excommunicationem intimant ſuis ſubditis, habere pennam, & folium, & ante ſcribere, quam ſub pœna excommunicationis mandare. Ad minus tamen ſi Conſtitutiones Religionum id permitterent poſſet fieri, prout tenent idem Toletus, & Saytus *de Cenſuris, lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 21. etſi cum aliqua limitatione. Pro priuilegiis autem de non obſeruandis rimulis, & apicibus Iuris, conſule Lugo *ſup. num.* 162.]

7 Maximè ſeruandum eſt in Cenſura, quod non feratur, niſi præuia aliqua admonitione. Ita enim deciditur de excommunicatione *cap. ſacro, de ſentent. excommunicat.* & *cap. Romana de ſcatent. excommunicat. in* 6. de Suſpenſione *cap. reprehenſibilis, de appellat.* & de Interdicto *cap. ſtatutum, de ſentent. excommun. in* 6. Eſtque id conforme iuri diuino Matth. 18. verſ. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus*: & naturæ ipſius Cenſuræ, quæ non ponitur ab Eccleſia, niſi propter contumaciam, & inobedientiam, ad quam requiritur admonitio; nullus enim eſt contumax, & inobediens, niſi qui eſt admonitus de præcepto Superioris. Cornejo *ſuprà diſp.* 5. *dub* 1. Bonacina *diſp.* 1. *punct.* 9. *num.* 1. Diuerſimodè tamen requiritur hæc monitio. Quandò enim Cenſura fertur ſiue à iure, ſiue ab homine pro futuris culpis vitandis, tunc non requiritur alia monitio diſtincta ab ipſa impoſitione Cenſuræ, ipſa enim impoſitio Cenſuræ, quamdiu perſeuerat, continuè admonet ſubditos ne committant illud crimen. Vnde eſt virtualis quædam monitio. Quando verò Cenſura fertur pro culpis præteritis, vel præſentibus (eo modo, quo pro talibus culpis ferri poteſt, de quo infrà) requiritur expreſſa monitio diſtincta ab impoſitione Cenſuræ, Cornejo *ſuprà dub.* 1 & 2. Bonacina *ſuprà*. Tunc autem debet eſſe trina, vel formaliter, vt cum fit per tres vices diſtinctas, interpoſito aliquo ſpatio dierum, vel virtualiter, vt cum fit vna vice ſolum deſignatis tribus terminis, vt ſi Prælatus præcipiat, vt reſtituatur aliquid ſpatio ſex dierum, deſignando primos duos dies pro primo termino, duos alios pro ſecundo, & duos poſteriores pro tertio. Sic enim colligitur tum ex iure diuino Matth. 18. vbi etiam triplex hæc monitio indicatur. Tum ex iure Eccleſiaſtico 16. *quæſt.* 7. *cap. omnes decimæ, cap. conſtitut. de ſentent. excommunicat. in* 6. *cap. ſtatutum ibidem*, & alibi. Cornejo *dicto dub.* 2. Bonacina *num.* 5. Qui etiam aduertunt vrgente neceſſitate ſufficere vnam monitionem. Nec iſta requiritur ad validitatem Cenſuræ, cum nullus textus hoc dicat, ſed ſolum ad hoc, quod licitè feratur. Suarez *dicta diſp.* 3. *ſect.* 12. Cornejo ſuprà *dub.* 3. Excipe tamen caſum quo Prælatus excommunicationem ferat in eos, qui cum excommunicatis participant, hæc enim requirit ad ſui valorem trinam monitionem *ex cap. conſtitutus, de ſentent. excommunic. in* 6. Bonacina *ſup. num.* 6. Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 6. *in fine.*

Pro praxi ergo Prælatorum Regularium noto, quod cum ferunt Cenſuras per modum legis, ſtatuti, aut præcepti, videlicet præcipiendo ſub pœna Cenſuræ ipſo facto infligendæ ne committatur aliquod delictum, non exigitur alia monitio, propter impoſitionem ipſius, iuxta dicta. Quod idem dico, quando eſt aliqua lex, vel ſtatutum iure communi eodem modo latum. Nihilominus, vt declarent talem tranſgreſſorem incurriſſe eam Cenſuram, debent eum citare ad reſpondendum quare ita geſſerit, nam contra inauditam partem non debet ferri ſententia. Suarez *ſuprà ſect.* 10. *num.* 15. Cum verò ferunt Cenſuras per modum ſententiæ, vt ſi velint aliquem excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere propter inobedientiam ipſius, tunc debent permittere dictam trinam monitionem, vel vnam æquiualentem tribus, prout benè Cornejo *ſuprà dubio* 2. *quæſit.* 11. Quia illa eſt iure communi requiſita, & ſi oppoſitum non habeant ex Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica approbatis, illi ſtandum eſt. 8

Similiter etiam, quando eſt aliqua lex iuris communis, vel Religionis præcipiens aliquid ſub pœna alicuius Cenſuræ non latæ ſententiæ, ſed ferendæ, verbi gratia excommunicationis ferendæ, tunc ad hoc, quod illam ferat Prælatus in tranſgreſſorem probabilius eſt requiri etiam præfatam monitionem, quia hoc eſt conformius intentioni Eccleſiæ, quæ ſuauitatem ſeruat in ferendis Cenſuris, & iuri communi præcipienti illam. Caietanus *in Summa verbo Clericorum peccata, & verbo Præceptum.* Cornejo *dicto dubio* 2 *quæſt.* 5. Qua præmiſſa, ſi ſubditi non reſipiſcant, maximè ſi inde ſequatur aliquis abuſus, eam Cenſuram in ipſos ferat. Suarez *ſuprà num.* 20. & 21.

Nota etiam, quod eſto, quod Epiſcopi, aut alij Prælati ſæculares non poſſent extra proprium territorium Cenſuras ferre (de quo Cornejo *diſp.* 6. *dub.* 2.) nihilominus Prælati Regulares id poſſunt facere, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 37. ex Syluestro *in Summa verbo Excommunicatio*, 2. *n.* 15. & Cornejo *dicto dub.* 1. *quæſit.* 4. Eo quod ipſi non habent territoria diuiſa, ſed iuriſdictionem ſupra ſubditos vbicumque fuerint, cum ratione voti obedientiæ ſe illis abſolutè ſubiecerint. 9

Cenſura ferri non poteſt ob meram voluntatem Superioris eam ferentis, ſed ex rationabili cauſa. alias eius poteſtas non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem, contra doctrinam Pauli 2. Corinth. 10. *verſ.* 8. Auila *de Cenſur.* 1. *part. dub.* 9. Cornejo *diſp.* 8. *dub.* 1. Vnde ſolum propter peccatum inferri poteſt, quia Cenſura eſt pœna ſpiritualis, Cornejo *ibi dub.* 2. Bonacina *ſuprà punct.* 3. *num.* 2. Tale peccatum debet eſſe externum, quia Eccleſiaſtica poteſtas non eſt circa merè 10

interna,

interna, Suarez *diſput.4. ſect.2.* Cornejo *ſuprà dub.3.* Imò perfectum, & conſummatum, quia cum Cenſura ſit pœna, eſt odioſa, & ita reſtringenda. Suarez *ſect. 3.* Quod ſit peccatum mortale, quia debet eſſe proportionatum pœnæ, quæ eſt grauis. Bonacina *ſuprà num.6.* Excipe Cenſuras leues, ſcilicet excommunicationem minorem, & ſuſpenſionem leuem, ſi datur, de quibus ſuis locis. Deinde tale peccatum debet eſſe inobedientiæ, & contumaciæ, iuxta illud Matth. 18. relatum: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, &c.* & colligitur ex *cap. ex parte 1. de verbor. ſignificat.* Sayrus *lib. 1. cap.9. num. 28.* Laymanus *ſuprà cap.5. aſſertione 3.* Similiter, tale peccatum debet eſſe proprium, loquendo de excommunicatione, licet ſufficiat alienum pro ſuſpenſione, & interdicto, vt ſuis locis dicetur. Nec ferri poteſt Cenſura propter peccatum purè præteritum, niſi includat ordinem ad aliquid futurum, ſcilicet reſipiſcentiam, ſatisfactionem, vel pœnitentiam, &c. Ratio eſt, non ſolum quoniam ad Cenſuram requiritur monitio, quæ ſuperflua eſſet, ſi ſolum eſſet pro præterito peccato, ſed etiam, quia Cenſura non eſt purè vindicta, ſed medicina præſeruans à peccato. Ergo includit ordinem ad futura. Cornejo *ſupra dub.4.* Bonacina *ſuprà num. 19.* Qui tamen bene animaduertunt poſſe Prælatum peccata præterita punire aliis pœnis, quæ non ſint Cenſura, verbi gratia priuatione Officiorum, Dignitatum, &c. Vide alia pro qualitate peccati requiſiti ad contrahendum Cenſuram, dicenda inferius verbo *Clericus, num.4.* dum de excommunicatione, quæ incurritur ob Clerici percuſſionem, erit ſermo.

11 Hinc excuſantur à Cenſura incurrenda, qui non committunt peccatum, quod ſupra dixi eſſe neceſſarium pro ipſa ferenda. Cum enim ſolum propter ipſum validè ferri poſſit, vt communiter ſupponunt Doctores, ſanè ſi illud non committatur, non incurretur Cenſura. Similiter quoties Cenſura inualida eſt, non incurretur ab aliquo, prout etiam ſupponunt Doctores. Conſequenter etiam, ſi Cenſura lata eſt contra innocentem, eo quod iuxta allegata, & probata probatus eſt nocens, quoad Deum nullius eſt momenti; quoad forum tamen externum apud illos, qui ipſius innocentiam neſciunt, habet effectum. Auila *parte 2. cap.6. diſp.1.dub.2.& 3.* Laymanus *ſuprà cap.6.num.3.* Specialiter etiam excuſat à Cenſura ignorantia culpæ, propter quam fertur, quando eſt antecedens & inculpabilis, & quæ ſolet vocari probabilis; ſiue ſit iuris, ſiue facti, quia ea excuſat à culpa, ac per conſequens à pœna, Sotus in 4. *diſt. 22. quæſt. 1. art. 2.* Cornejo *ſuprà diſp.13. dub. 1.* Idem dico de ignorantia concomitanti, quia actus factus ex illa non eſt voluntarius, ac per conſequens nec inculpabilis. Suarez *diſp. 4. ſect.8. num.8.* Cornejo *ſuprà.* Ignorantia autem culpabilis, & conſequens, ſicut regulariter non excuſat à culpa, nec etiam à pœna Cenſuræ, niſi quando eſt lata contra præſumentes, iuxta dicta *tom.1. cap. 10. num.33.* Similiter, quando quis habet ignorantiam ſolius Cenſuræ, tametſi ſciat opus eſſe prohibitum, etiam Eccleſiaſtica lege, excuſatur à Cenſura, quia cenſura non incurritur, niſi præcedat monitio ipſius, iuxta dicta, Suarez *diſp.4. ſect. 9.* Cornejo *ſuprà dicto dub. 2. quæſit.3.* Metus etiam grauis, & cadens in virum conſtantem excuſat à Cenſura, quia excuſat à tranſgreſſione præcepti Eccleſiaſtici, cui eſt annexa. Præceptum enim Eccleſiaſticum non obligat cum tanto detrimento. Cornejo *ſup. dub.1.*

12 Circa abſolutionem à Cenſuris, præter dicta ſupra verbo *Abſolutio*, verbo *Bulla Cœnæ*, verbo *Bulla Cruciata*, & verbo *Caſus reſeruati*, addenda alia pro maiori notitia. Et primò, Cenſura incurſa propriè non tollitur, niſi per abſolutionem ab illa, quia non tollitur per mortem ferentis, *capite ſi Epiſcopus, 11. quæſt.3.* Nec per mortem illius, qui Cenſuram contraxit, cum etiam mortuus excommunicatus priuetur Eccleſiæ Suffragiis, & Sepultura, *cap. a nobis, de ſentent. excommunicat. & cap. ii eni, eodem titulo in 6.* Nec per ceſſationem à contumacia, *cap. cum deſideres, de ſentent. excommunicat.* Nec per pœnitentiam illius peccati, cuius cauſa incurritur Cenſura, *cap. a nobis 2. & cap. cum deſideres*, relatis. Et ratio omnium eſt, quia Cenſura eſt quoddam ligamen, quod non tollitur niſi ſoluatur. Cornejo *ſuprà diſp.11. dub.1.* Laymanus *ſup. cap.7.num.1.* Intelligitur tamen hoc de cenſura abſolutè, & indefinitè lata; nam illa, quæ imponitur ſolum ad tempus, ſcilicet donec fiat ſatisfactio, tollitur poſita conditione ſine noua abſolutione. Cornejo *dub. 2.* Laymanus *ſuprà*, poſt Couarruuiam, Suarez, & alios. Deinde cenſuræ non reſeruatæ abſoluuntur à quocumque Superiore delinquentis, vel à quocumque habente iure ordinario, vel ex priuilegio facultatem abſoluendi à Cenſuris, quia eo ipſo, quod nulli reſeruatæ ſunt, videntur remitti quibuſcumque iuriſdictionem habentibus, vel Ordinariam, vel delegatam, iuxta dicta *tom.1. cap.18. num.28. & cap.19. num.14. ex cap. Nuper, de ſentent. excommunicat.* Vnde conſequenter cenſuræ iuris nulli reſeruatæ abſolui poſſunt à quocumque ex prædictis, propter eandem rationem. Suarez *ſupr. diſp. 7. ſect. 3. num. 2.* Bonacina *ſupr. diſp. 1. quæſt.3. punct.1. num.9.* Idem dicendum de cenſuris ab homine latis per ſententiam generalem, nemini tamen reſeruatis, quia huiuſmodi cenſuræ æquiparantur cenſuris iuris, & non continent propriè ſententiam iudicis, ſicut continet ea, quæ fertur per ſententiam particularem. Portellus *in Dub. Regular. verb. Excommunicatio, num. 21.* Laymanus *ſuprà num. 3.* Vnde ſecus dicendum de cenſura lata ab homine per ſententiam particularem, quia hæc cenſetur reſeruata ei, qui eam tulit, vel eius Superiori, aut ſucceſſori, vel delegato, ne perturbetur ordo iudicandi, & iuriſdictio Prælati talem ſententiam ferentis, quod fieret ſi aliquis ſe intromitteret in abſoluendo eo quem ipſe per ſententiam ſpecialem cenſura ligauit, Bonacina *ſuprà num.5.* Portellus *ſupr.* Laymanus *ſuprà num.2.* Nota autem, quod ſententiam illam, quæ fertur in authorem particularis delicti, etiam incognitum, vocant etiam particularis, ſeu ſpecialis. Peirinus *tom. primo Priuileg. Minim. in Conſtitut.2. Iulij II. §.9. num.28.* De cenſuris etiam reſeruatis, ſiue à iure, ſiue ab homine, ſiue per ſententiam generalem, ſiue per ſpecialem dicendum, ſolum abſolui poſſe per eos, qui eas tulerunt, aut quibus reſeruarunt, vel per eorum Superiores, ſucceſſores, vel delegatos. Colligitur *ex cap. per tuas, cap. ſacro, de ſentent. excommunic.* & quia hæc eſt natura caſus, ſiue Cenſuræ, cum reſeruantur.

Hic notandum, quemlibet confeſſarium habentem 13
facultatem abſoluendi à peccatis mortalibus pœnitentes, habere etiam facultatem ad abſoluendum illos in foro interno à Cenſuris non reſeruatis, iuxta dicta *cap.19 num.14.* Eo enim ipſo, quod non ſunt reſeruatæ, committuntur propriis Sacerdotibus, confeſſarij autem ſubeunt vicem proprij Sacerdotis. Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 39.* Toletus *lib. 1. Summæ, cap.16. num. 2.* Suarez *dicta ſect.7. diſp.4. num.9.* Dixi in foro interno, quia abſoluere in foro externo non ſpectat ad confeſſarium, ſed ad Prælatum, vel iudicem.

Vide alia dicenda verbo *Ceſſatio à diuinis*, verbo *In-* 14
terdictum, verbo *Irregularitas*, & infra verbo *Suſpenſio.* Et pro appellatione à cenſura, quando ſcilicet fieri poſſit, vide dicta ſupra verbo *Appellare & Appellatio, num. 11.* Et pro maiori eorum luce nota quod quando cenſura, v.g. Excommunicatio, fertur purè de præſenti, v.g. *excommunicamus, ſuſpendimus, &c.* tunc non datur à tali ſententia cenſuræ, appellatio ſuſpenſiua, ſed ſolum deuolutiua, *cap. paſtoralis, §. Verum, cap.*

Is

Is cui, cap. ad hæc quoniam, de appellat. Quando verò non fertur abſolutè, ſed ſub conditione, vt dicitur *in diem*, v.g. quando dicitur *Excommunicamus, ſuſpendimus*, &c. niſi intra tot dies *deſtiteris, comparueris*, *reſtitueris*, &c. tunc à tali cenſura poteſt appellari antequam conditio adimpleatur, ſeu intra terminum illud non ſolum appellatione deuolutiua, ſed etiam ſuſpenſiua, *cap. præterea, de appellat.* Gloſſa *verbo impedire*, DD. ibidem. Genuenſis *in praxi Archiepiſcop. Neapolit. cap.28. num.2. pag.mihi* 110. Sanchez *in opuſc.lib.3. cap.vnic. dub.32. num.256. & 260.* Qui duo authores videndi. Ac notandum quod à ſententia, ſeu cenſura iure lata, etiam ſub conditione, ſeu in diem, non datur appellatio. Sanchez ibi *n.262.*

CESSATIO A DIVINIS.

SVMMARIVM.

1 *Ceſſatio à diuinis quid ſit.*
An differat à cenſuris. ibid.
2 *Qui poſſint illam imponere.*
3 *Effectus illius.*
De quodam priuilegio Leonis X. ibid.
4 *Priuat Sacramentis.*
5 *Sepultura Sacra.*
6 *Culpa, & pœna violantis ceſſationem.*
7 *Quid de Religioſis Mendicantibus.*
8 *Quomodo tollatur.*

1 CEſſatio à diuinis, quæ & *ſuſpenſio Organorum* dicitur, eſt ſimplex quædam prohibitio qua miniſtri Eccleſiæ prohibentur perſoluere diuina officia, miniſtrare Sacramenta, & ſepelire laicos in loco ſacro; itavt eius effectus ſit, vt dicetur poſtea, omiſſio, ſeu deſiſtentia à diuinis Officiis, adminiſtratione Sacramentorum, & ſepultura laicorum. Nauarrus *in Manual. cap.27. num.188.* Suarez *tom.5. de Cenſur. diſp.39. ſect.1.* Vnde quamuis Cornejo *tom.2. in 3. part. S.Thom. diſp.5. dub.2.* eam vocet cenſuram, communiter tamen tuetur oppoſitum, eo quod nec ſit pœna, ſed vt dixi, ſimplex prohibitio diuinorum in ſignum grauiſſimi mœroris Eccleſiæ, propter grauiſſimam iniuriam ſibi illatam, nec qui illam violat, incurrit irregularitatem, nec fertur directè in perſonam aliquam, ſed in locum: Laymanus *lib.1. tract.5. part.4. cap.6. num.1.* Bonacina *de Cenſur. diſp.6. punct.1. num.4.* Alia eſt generalis, qua prædicta prohibentur in loco vniuerſali, vt in Regno, Caſtro, aut ciuitate; alia particularis, qua prohibentur in loco particulari, v.g. in vna Eccleſia. Syluester *in Summa verbo Ceſſatio à diuinis, num.1.* In quo autem differat ab interdicto, conſtabit ex dicendis tum infra, tum verbo *Interdictum.*

2 Cauſa efficiens ceſſationis à diuinis, ſeu ille qui illam imponere poteſt, eſt Summus Pontifex pro tota Eccleſia, & Epiſcopus pro ſua Diœceſi, vel alij habentes iuriſdictionem in foro contentioſo. Saytus *lib.5. cap.18. num.3.* Hinc credunt aliqui, poſſe id competere Abbatibus. Tamburinus *de iure Abbatum tom.2. diſp.16. quæſt.8.* Sed ſolum eſt admittendum, quando habent populum ſubiectum, & iuriſdictionem in foro contentioſo. Finis illius eſt reſipiſcentia, & emendatio illius, cuius cauſa lata eſt ceſſatio. Sotus *in 4. diſtinct.22. quæſt.2. art.2. concl.1.* Cauſa veluti materialis eſt delictum & culpa, ratione cuius ponitur. Bonacina *ſupra num.4.* Etſi proprius loquendo cauſa materialis illius ſit locus in quo ponitur. Formalis verò ſunt verba quibus ponitur, videlicet, *Nos ob talem cauſam præcipimus, &c.* vel ſimilia. Saytus *dict. cap.18. n.11.* De conditionibus porrò in ea ferenda ſeruandis, Syluester *ſupra quæſt.2.* Suarez *ſupra ſect.3.* Tamburin. etiam *ſupra.*

Effectus illius ſunt primus, omiſſio recitationis publicæ officij diuini, id eſt horarum Canonicarum, Miſſarum, &c. etiamſi ſeruetur moderatio *capitis Alma mater*, pro diebus quibus tempore interdicti generalis id permittitur in eo cap. De quo dixi *tom.1. cap.21. num.19.* quia ibi ſolum eſt ſermo de interdicto generali, non de ceſſatione. Saytus *ſupra cap.19.* Suarez *ſupra ſect.2.* (licet oppoſitum pro feſtiuitatibus eo *cap. Alma mater*, relatis probabiliter teneant aliqui apud Henriquez *lib.13. cap.53. num.3.* Layman *ſuprà num.3.* eo quod ea conceſſio facta credatur ob reuerentiam dictarum feſtiuitatum.) Vnde conſequenter tali tempore non licet pulſare campanas, quia illæ pulſantur propter diuina officia, licet ad concionem, ad *Aue Maria*, & ſimilia, quæ non ſunt officia diuina, pulſari poſſint, niſi obſtet conſuetudo. Suarez *ſupra num.17.* Bonacina *ſupra punct.3. num.2.* Licent tamen priuatæ orationes, etiam in Templis, & Horæ Canonicæ priuatim dictæ, etiam ex obligatione, quia etiam iſtæ computantur inter priuatas orationes. Suarez *ſuprà n.2.* Imò, vt aliqui probabiliter exiſtimant, poſſunt dici etiam in Eccleſia Horæ Canonicæ à duobus, clauſis ianuis, & voce ſubmiſſa, ac ſine cantu, quia hoc modo non reputantur publicum officium. Epiſcopus etiam poteſt celebrare in Eccleſia durante ceſſatione, Saytus *lib.1. de Cenſur. cap.19. num.5.* Ganantus *in Manual. Epiſcopor. verbo Ceſſatio à diuinis, n.7.* Quod maximè credo, quando ceſſatio poſita eſt ab ipſo. Similiter ſemel in hebdomada celebrare licet cum vno miniſtro ad renouandam Euchariſtiam, ob neceſſitatem infirmorum, ne ſpecies putreſiant. Bonacina *ſupra num.3.* Laici verò eo tempore prohibentur diuinis aſſiſtere, quia pro illis præſertim ponitur ceſſatio. Suarez *ſuprà num.14.* Bonacina *ſupra num.4.* Hic nota, Rodriguez *tom.2. Quæſtion. Regular. quæſt.116. art.3.* & Portellum *in Dub. Regular. verbo Interdictum, num.74.* tenere licitum eſſe Regularibus tempore ceſſationis à diuinis celebrare ſecretò, propter priuilegium Leon. X. quod refert Caſſarubius *in Compend. verbo Interdictum 1. num.17.* Sed cum tale priuilegium fuerit viuæ vocis oraculum, vt conſtat ex ipſo Caſſarubio, qui propterea notat illud litera O, & huiuſmodi priuilegia abrogata ſint hoc tempore à Gregorio XV. & S.D.N. Vrbano, vt ſæpius dixi, ideo niſi poſtea per Bullam innouatum fuerit, nihil valet. Vide dicenda *num.7.* 3

Secundus ceſſationis effectus, eſt priuatio Sacramentorum. Itavt nec Matrimonium, nec Ordo, nec extrema Vnctio eo tempore adminiſtrari poſſint, ſed ſolum propter grauem neceſſitatem Baptiſmus paruulorum, Sacramentorum pœnitentiæ pro morientibus, & Euchariſtiæ pro viatico, *c. non eſt vobis, de Sponſalib.* Vnde etiam conſequenter admitti poteſt ea celebratio, quæ neceſſaria eſt pro conſecratione Hoſtiæ tribuendæ morienti, ſi aliàs non eſſet alia conſeruata. Extendunt id aliqui ad Sacramentum pœnitentiæ extra articulum mortis, & Baptiſmum adultorum, quod etiam dicunt quidam de Sacramento Confirmationis. De quibus Suarez *dicta ſect.2.* Laymanus *num.3.* Bonacina *dicto punct.3.* Alij etiam id extendunt ad Sacramentum Ordinis, quando deeſſent Sacerdotes neceſſarij. Saytus *ſupra n.11.* Ganantus *ſup. num.8.* 4

Tertius effectus, eſt priuatio Sepulturæ ſacræ, quoad laicos. Nam quoad clericos, ſeu Eccleſiaſticas perſonas, inter quas Religioſi numerantur, plerea aſſerunt non eſſe prohibitam, modo ſepeliantur ſine officiis diuinis. Imò quoad laicos id etiam admittunt aliqui, cum nullo iure, vt inquiunt, oppoſitum oſtendatur. De quibus relati auctores, Henriq. *lib.3. cap.53.* & alij. 5

6 Violans ceſſationem grauiter peccat, cum faciat contrà Eccleſiæ prohibitionem in re graui. Non tamen incurrit irregularitatem, cum ea non ſit in iure expreſſa, & nulla irregularitas ſit, niſi in iure expreſſa. Bonacina *ſuprà num.9.* Verumtamen Religioſi non obſeruantes ceſſationem generalem ſubiacent excommunicationi, ex Clement.1. *de ſentent. excommunicat.* Syluester *ſuprà queſit.5.* Suarez *ſupra num.36.*

7 Notat præterea Syluester *ibid.* quod Prædicatores, & Minores in hoc ſunt priuilegiati, quo denotare videtur non teneri obſeruare ceſſationem. Pro quo vide dicta *tom.1.cap.21. n.20.* Et animaduerte, quod cum interdictum, & ceſſatio ſint valdè diuerſa, ideo priuilegiati pro tempore interdicti non cenſentur priuilegiati pro tempore ceſſationis. Solum ergo ſpecialia priuilegia pro tempore ceſſationis quærenda ſunt.

8 Tollitur ceſſatio à diuinis ab eo à quo ponitur, vel à Superiore, vel à ſucceſſore, aut ab habente facultatem delegatam ad id faciendum, ſicut in ſimili diximus de abſolutione à cenſuris ſupra verbo *Cenſura,num.12.* Tamburinus *ſupra queſit.9.* Forma autem tollendi ceſſationem, cum non ſit iure præſcripta, erit ea per quam manifeſtetur voluntas eam tollendi, Reginaldus *in praxi fori pœnitent. lib.32. tr.3. n.84.* Tamb.*ſuprà.*

CLAVSVLA.

SVMMARIVM.

1 *Clauſularum notitia quomodo vtilis Regularibus.*
2 *Verba in Bullis contenta aliquid debent operari.*
3 *Clauſula in fine poſita refertur ad præcedentia.*
4 *Quid de Clauſula poſita in vna parte diſpoſitionis.*
5 *Quid de Clauſula poſita in vno verſiculo.*
6 *Clauſula generalis ad quos caſus extendatur.*
7 *Clauſula* Abſoluentes à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. *quid importet.*
8 *Clauſula* Actum, &c. *quid importet.*
9 *Clauſula* Ad beneplacitum noſtrum, *vel ſimiles quid denotent.*
10 *Clauſula* Appellatione remota, *quomodo intelligenda.*
11 *Clauſula* Arbitrio tuo, *quid ſignificet.*
12 *Clauſula* Auctoritate noſtra, *vel ſimiles, quam vim habeant.*
13 *Clauſula* Beneplacito tuo, *quid importet.*
14 *Clauſula* Canonica monitione præmiſſa, *quid ſignificet.*
15 *Clauſula* Citra pœnam ſanguinis.
16 *Clauſula* Confirmamus, & innouamus *quod ius tribuat.*
17 *Clauſula* Conſcientiam tuam oneramus, *quid operetur.*
18 *Clauſula* Contradictores quoſcumque compeſcendo, *quam facultatem tribuat.*
19 *Clauſula* Decernentes irritum, & inane, &c.
20 *Clauſula* De plano, *vel ſimiles, quid importent.*
21 *Clauſula* De plenitudine poteſtatis, *quos effectus operetur.*
22 *Clauſula* Dicitur plenius contineri.
23 *Clauſula* Diſcreto viro ex approbatis ab Ordinario.
24 *Clauſula* Diſtinctè iniungimus, præcipimus, &c.
25 *Clauſula* Dummodo aliam in eadem Eccleſia non conceſſerimus.
26 *Clauſula* Ex decretis Concil. Trident. non aduerſemur.
27 *Clauſula* Et ſacris Canonibus, &c.
28 *De Clauſula* Et pro potiori cautela.
29 *De Clauſula* Ex certa ſcientia.
30 *De Clauſula* Ex tunc prout ex nunc.
31 *De Clauſula* Facies, quod tibi videbitur.
32 *De Clauſula* Gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ.
33 *De Clauſula* Habeas liberum arbitrium iudicandi.
34 *De Clauſula* Indignationem omnipotentis Dei.
35 *De Clauſula* Indignationem Apoſtolorum Petri, & Pauli.
36 *De Clauſula* In foro conſcientiæ.
37 *De Clauſula* In omnibus, & per omnia.
38 *De Clauſula* In quo conſcientiam tuam oneramus.
39 *De Clauſula* Inuocato auxilio brachij ſæcularis.
40 *De Clauſula* Iudicio tuo.
41 *De Clauſula* Motu proprio.
42 *De Clauſula* Non obſtantibus, & n.43.44.45.46. *De praxi Priuilegiorum Regularium.* ibid.
47 *De Clauſula* Non poteſt.
48 *De Clauſula* Omni meliori modo.
49 *De Clauſula* Parte ſatisfacta.
50 *De Clauſula* Pœnitentia ſalutari iniuncta.
51 *De Clauſula* Pro expreſſis, &c.
52 *De Clauſula* Pro potiori cautela.
53 *De Clauſula* Prout conſcientiæ tuæ.
54 *De Clauſula* Prout de iure.
55 *De Clauſula* Prout eximimus.
56 *De Clauſula* Quatenus ſunt in vſu.
57 *De Clauſula* Quorum tenores.
58 *De Clauſula* Quoties expediens fuerit.
59 *De Clauſula* Ratum, & firmum.
60 *De Clauſula* Recuſatione remota.
61 *De Clauſula* Relinquo conſcientiæ tuæ.
62 *De Clauſula* Saluo aſſenſu Apoſtolico.
63 *De Clauſula* Saluo iure Parochiali.
64 *De Clauſula* Si, & in quantum.
65 *De Clauſula* Si, & prout de iure.
66 *De Clauſula* Sicut accepimus.
67 *De Clauſula* Sola rei veritate inſpecta.
68 *De Clauſula* Sublata facultate.
69 *De Clauſula* Super omnes & ſingulos.
70 *De Clauſula* Supplentes defectus.
71 *De Clauſula* Tuo iudicio, vel prudentiæ.
72 *De Clauſula* Vocatis vocandis.
73 *De aliis clauſulis remiſſiuè.*

CLauſularum notitia valde vtilis eſt Regularibus, quia in Bullis Pontificiis, priuilegiis, Conſtitutionibus, & decretis pro ipſis editis eædem ſæpius repetuntur, & non modicam difficultatem ingerere ſolent. De principalium ergo vſu, frequentiorum, & magis communium intelligentia agendum, Alphabeti ordine ſeruato, in ipſorum Regularium gratiam, præmittendo prius generales aliquas regulas ad ipſas ſpectantes. 1

Prima ſit. Verba quæcumque in prædictis Bullis, priuilegiis, Conſtitutionibus, &c. aliquid debent operari, alias eſſent ſuperflua, & impertinenter poſita, *l.3. in princip. ff. de iureiur. c. ſi Papa, in fin. de priuileg. in 6.* Gonzalez *de Regul.8. Cancellar. §.7. proœmial. n.127.* Tamb. *de Iure Abbatum tom.1. diſp.18. quæſit.6. n.62.* 2

Secunda Clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia, *l.1. C. de liber. præter. l. ſi talis ſcriptura, §. fin. ff. de leg.1. cap.2.* Sanchez *lib.3. de Matrimon. diſp.7. num.17.* Intellige quando eſt eadem in illis ratio, & ſolua recta ratione ad illa referri poteſt, aliàs ſolum refertur ad id, quod poteſt de iure determinari. Sanchez *lib.6. de Matrim. diſp.22. num.19. & lib.8. diſp.16. num.11. & lib.10. diſp.17. in fin.* 3

Tertia, quæ coincidit cum præcedenti. Clauſula poſita in vna parte diſpoſitionis, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, refertur ad omnia contenta in illa, quando omnium eſt eadem ratio. Sanchez *de Matrim. diſp.22. in fin.* ex Decio, Nauarro, & aliis. 4

Quarta

5 Quarta, Clauſula poſita in vno Paragrapho, vel verſiculo non refertur ad alium paragraphum, vel verſiculum. Gloſſa. *vnic. verbo ſic ſcilicet, de poſtul. Prælat. in 6.* Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſp. 108. num. 3.*

6 Quinta, Clauſula generalis ſubſequens aliquos caſus expreſſos ſpeciale mandatum petentes, extenditur ad alios caſus ſimiles exigentes ſimiliter ſpeciale mandatum, *cap. Quia ad agendum, de procurator. in 6.* Non autem maiores, Clement. *non poteſt, de procurat.* Gloſſa *dicto capit. Quia ad agendum, verbo non expreſſos.* Syluester *in Summa verbo Clauſula, num. 2.* Sanchez *lib. 2. de Matrimon. diſp. 11. num. 3.*

7 His Regulis præſuppoſitis, de ſingulis Clauſulis nobilioribus agendum; & primo de Clauſula *Abſoluentes à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. ſententiis*, quæ apponi ſolet in priuilegiis Summorum Pontificum, iam dixi ſupra verbo *Beneficium, num. 9.* ad quæ valeat, vel non. Et nota, quod hæc Clauſula introducta fuit ad tollenda pericula nullitatum, quæ poſſent oriri ex aliquibus impedimentis, cenſura, &c. vel ſimili, & reddit gratias efficaces, & validas, non obſtantibus dictis impedimentis. Sayrus *lib. 2. de Cenſur. cap. 5. n. 12.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 3.* Sic vero abſolutus nullam aliam gratiam conſequitur, niſi eam ad cuius effectum abſoluitur. Quare ſi celebret, diuinis interſit, &c. eas pœnas incurrit quas aliàs incurreret. Peirinis *tom. 1. Priuilegior. Minimorum, in Conſtit. 1. Iulij II. §. 30. num. 54.*

8 Clauſula *Actum, &c.* denotat inſtrumentum perfectum, & ipſa deficiente manet imperfectum. Baldus *in l. contractus, num. 15. Cod. de fide inſtrumentor.* Naldus *in Sum. verbo Clauſula.*

9 Clauſula *Ad beneplacitum noſtrum*, denotat conceſſionem eſſe perſonalem, ac per conſequens expirare per mortem, vel amotionem concedentis. Vnde approbatio Confeſſarij hoc modo conceſſa expirat per mortem, vel amotionem Epiſcopi concedentis. Quando verò dicitur *Ad beneplacitum Sedis noſtræ*, vel *Dignitatis noſtræ*, tunc eſt perpetua. Ratio eſt, quia in priori Clauſula ſolum denotatur volontas perſonæ, quæ non eſt perpetua, ſed ſolum ad tempus. In poſteriori vero denotatur voluntas Sedis, vel Dignitatis, quæ eſt perpetua, quia cenſetur manere eadem in ſucceſſore, *c. ſi gratiosè, de reſcript. in 6.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 28. à num. 49.* Naldus *in Summa, verbo Clauſula, & verbo gratia, num. 6.*

10 Clauſula *Appellatione remota*, primò tollit appellationes friuolas, prout eſt certum apud omnes, cum illas abominetur totum ius commune. De quo plura Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. diſp. 18. quæſit. 6. n. 57.* Secundò, aliquando etiam tollit legitimas appellationes, quia ſi ſolum friuolas tolleret, nihil operaretur ſupra ius commune, cum illud illas etiam abominetur. Abbas *in c. ſuper eo 2. n. 9. de appellat.* Peirinis *tom. 1. Priuil. Minim. in Conſt. 7. Iulij II. §. 4. n. 3.* Tamb. *ſupra.* Vnde tertio aliqui dicunt probabiliter tollere appellationes, etiam legitimas, quæ iure non ſunt expreſſæ. Naldus *in Summa verbo Clauſula, & verbo Appellare, n. 1.* vbi refert aliquos caſus, in quibus iure expreſsè conceditur appellatio. Fauet Sanchez *tom. 1. opuſc. Moral. lib. 2. cap. vnic. dub. 32. n. 39.* Melius videtur dicendum tollere omnes appellationes quantumuis legitimas, & iure expreſsè conceſſas, quando ſolum adeſt cauſa probabilis appellandi, ita vt ſolum propter grauem, iuſtam, & certam cauſam appellari poſſit. Sic enim ſaluantur tam ius naturæ, quam ius poſitiuum, quæ appellationem permittunt, & ſimiliter, quod illa clauſula aliquid vltra ius commune operetur. Sic colligo ex Franco *c. poſtremo de appellat.* Speculatore *1. part. tit. de recuſat. §. 1. n. 5.* & Sanchez *tom. 2. opuſc. Moral. lib. 6. c. 8. dub. 2. n. 24.* Adde, per dictam clauſulam non impediri quominus Iudex ex legitima cauſa recuſari poſſit, quia alia ratio eſt de appellatione, & alia de recuſatione. Abbas *in c. Nouit ille, de appellat. n. 3.* Peirinis *ſup.* Tamb. *ſup. n. 58.* Operatur etiam reſpectu partium, non reſpectu tertij comparentis pro ſuo intereſſe, vt *in c. ſuper eo, de offic. deleg.* Panorm. *ibid.* Naldus *ſup. verb. Clauſula.* Nec tollit appellationem ab interloquutoria, ſed ſolum à diffinitiua. Additio Panormitani *ad dict. c. ſup. eo.* Tamb. *ſup. n. 60.* vbi alia. Nota etiam, quod hæc clauſula in medio litterarum poſita reſpicit præmiſſa quibus annectitur, non ſequentia, niſi reperiatur in fine litterarum, & hoc ſi negotia ſint ſeparata, *cap. Inquiſitioni tuæ, de appellat.* Naldus *in Summa verbo appellare, num. 1.*

Clauſula, *Arbitrio tuo*, in Statuto diſponenti, quod Iudex procedat imponendo pœnas, intelligenda eſt de pœna proportionata, & ſolita apponi pro ſimili delicto. Quod etiam extendunt aliqui ad pœnam capitalem, niſi verba præcedentia aliud indicarent. Naldus *ſupra verbo Clauſula.* 11

Clauſula *Auctoritate noſtra*, ſeu *vice noſtra facias, &c.* quæ poni ſolet in aliquibus Litteris Apoſtolicis, imprimit auctoritatem delegatam ad illum effectum, quando ponitur in Litteris directis Iudici, aliàs habenti iuriſdictionem Ordinariam. Naldus *ſupra verbo Clauſula.* Idem dicerem, ſaltem ſæpius, etiamſi talis Iudex non haberet talem Ordinariam poteſtatem. 12

Clauſula *Beneplacito tuo*, non importat liberam omnino voluntatem, ſed arbitrium boni viri, relinquitur enim ipſi, vt rectè, & prudenter arbitretur. Naldus *ſup.* 13

Clauſula *Canonica monition. præmiſſa*, ſignificat præcedere non debere monitionem trinam per tria interualla, ſeu vnam cum aſſignatione trium interuallorum, iuxta *cap. Conſtitut. de ſentent. excommunic. in 6.* & dicta ſupra verbo *Cenſura Eccleſiaſtica, num. 7.*

Clauſula *Circa pœnam ſanguinis*, ponitur ad effugiendam irregularitatem, propterea vtitur accuſator Clericus, quando aliquem accuſat, iuxta dicta ſupra verbo *Accuſator, à num. 18.* 14

Clauſula *Confirmamus, & innouamus*, denotat confirmationem, & innouationem. Quæ eſt duplex: alia in forma communi, alia quæ dicitur *ex certa ſcientia.* Prior non reſtituit priuilegia reuocata, vel quomodocumque amiſſa, nec dat nouum ius, ſed antiquum conſeruat, *c. quia intentionis, de priuileg.* Poſterior vero confert nouum ius de ſe, & æquiualet conceſſioni, ideoque reſtituit priuilegium perditum, Suar. *de legib. lib. 8. c. 20. n. 2. & 8.* Peirinis *tom. 2. Priuil. Minim. in Conſt. vnic. Gregorij XIV. §. 1. n. 1.* Vide dicenda infra *Clauſula ex certa ſcientia, & 4. tom.* verbo *Priuilegium.* 15

Clauſula *Conſcientiam tuam oneramus*, remittit rigorem Iuris, & operatur quod ſi appelletur à ſententia Commiſſarij, non teneatur deferre appellationi, ex quo enim conſcientiæ ſuæ cauſa relicta eſt, appellatio non deuoluit illam ad Superiorem, nec ſuſpendit poteſtatem, eſto Superior poſſit emendare, quod male geſtum eſt. Panormitanus *in Clement. vt Conſtit. de iurepatron.* Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Conſt. 19. Leon. X. §. 2. n. 2.* Non tamen operatur, vt ordo Iuris omittatur in iudicando. Naldus *ſup.* Notans prædicta valere in praxi pro multis, ſcilicet executoribus teſtamentorum, & legatorum, quorum conſcientiæ remitti ſolent multa. 16

Clauſula *Contradictores quoſcumque compeſcendo, &c.* dat facultatem compeſcendi eos, qui de facto ſolum contradicunt, non eos, qui de iure, iuxta Gloſſam *in c. pro illorum, de prabend.* Vbi Abbas, Nauarrus *in cap. cum contingat, de reſcript. n. 3.* Rodrig. *tom. 1. q. Regul. q. 8. art. 12.* Dat tamen facultatem compeſcendi non ſolum partes moleſtantes, ſed etiam extraneos, vt ex Gloſſa, & Abbate notat Tambur. *de iure Abbatum ſupra n. 56.* Per eam non inducitur prohibitio appellationis, niſi forſan dicatur, remota quacumque contradictione, vel omni moleſtia, vel abſque aliqua contradictione. Naldus *ſupra verbo Clauſula, §. Procedatur abſque.* 17

Pro caſu quoque tranſlationis alicuius monialis ad aliud Monaſterium ratione infirmitatis extat epiſtola hæc Sacræ Congregationis de anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto, prid. duodecimo Aprilis ad Epiſcopum Tridentinum. *Eſſendoſi repreſentato à Noſtro Signore, ſe graui indiſpoſitioni d'humori malenconice, di ſtillaſioni, di cattari, o d'altro, che da molto tempo in qua patiſce ſuor Chiara Catherina ſubnera profeſſa in coteſſo Monaſterio della Santiſſima Trinita dell'ordine di S. Chiara, e doppo eſſer stati applicati infruttuoſamente i remedij poſſibili, come coſta dalle atteſtationi de Medici, non le reſti altra ſperanza di recuperar la ſalute, che con mutar aria, & Monaſterio, il che vien confirmato anche da V. S. la Santita ſua è benignamente condeſceſa à contentarſi, che reſtanda la dote gia data dalla ſubnera al Monaſterio, donde hora ſi ritroua, ella poſſa paſſarſene ad vn'altro Monaſterio di coteſſa Città del medeſima ordine: purche dalla maggior parte delle monache di queſto ſecunda Monaſterio ſia accettata capitularmente, & per voti ſegreti, da Parenti della medeſima ſi dia idonea ſigurta di pagare gli alimente ogni ſemeſtre anticipatamente, & che in lettiga, ò carozza, chiuſa, e con vna parte della faccia coperta, & accompagnata dalle Parenti ò altre Matrone di nota bonta, ſia condotta à dirittura da vn Monaſterio all'altro ſenza diuertire altroue, & con quella modiſtia, che ſi conuiene alle ſpoſe di Gesu Chriſto, volendo ſua Beatitudine, che queſta gratia ſuffraghi all'Oratrice ſolamente per vn'anno, doppo il quale ella doura ritornarſene al duo Monaſterio della Santiſſima Trinita, doue ha fatta la ſua ſolenne profeſſione. Il che io lo partecipo colle preſenti e Dio.*

Similiter pro caſu curandæ Monialis ab aliqua infirmitate extra monaſterium, ſic reſcripſit Vicario Vliſbonenſi eadem S. Congregatio Octaua Nouembris 1647. *Admodum R. Domine. Soror Ludouica de Mendoza in Monaſterio Sanctæ Monicæ iſtius Ciuitatis Vliſbonenſis profeſſa, Sacræ huic Congregationi Epiſcoporum, & Regularium præfecta expoſuit, ſe diuerſis, & periculoſis infirmitatibus cum euidenti vitæ periculo vexari; cumque vana de conſilio Phyſicorum medicamenta fruſtra applicuerit, aliud denique remedium ab eiſdem non præſcribi præter thermas Oppidi das Caldas proximiores prædicto Oppido, tanquam ſolum, & vnicum pro Oratrice refugium conclamata ſalutis. Itaque harum neceſſitatum intuitu ſuppliciter facultatem expoſcere adeundi prædicta Balnea, ibidemque loci cum proximiorum Conſanguineorum, & affinium aſſiſtentia commorandi, quamdiu dicti Medici neceſſarium duxerint, ea tamen lege, vt nec alio diuertere, nec alibi moram trahere vllo prætextu liceat, vt prolixius in adiuncto ſupplici libello continetur. Quapropter Eminentiſſimi Patres debita maturitate proceſſuri, priuſquam in re adeo graui reſcriberent, præſentes ad Dominationem tuam dari mandarunt, quatenus oratricis preces in publicum redigeret proceſſum, & expoſita ſeruatis ſeruandis verificaret, tam quoad morbi, & medicamentorum incaſſum hactenus adhibitorum qualitatem, quam circa præciſam harum thermarum neceſſitatem, itavt iudicio ac teſtimonio, etiam iurato, præcipuorum medicorum ægrotæ Monialis morbo, ac periculis, quibuſuis validis ab arte inuentis ſubſidiis occurri minimè poſſit; quæ omnia, vt completa, & in publicam formam redacta fuerint ſigillo probè munita ad hanc Sacr. Congregationē tuta via, ſubinde tranſmittere Dominatio tua nō ſuſtinebit. Valeat Romæ.*

Pariter enim pro alia moniali poſtulante tranſitum ex vno Monaſterio ad aliud, eo quod primum Monaſterium ipſam ſuſtentare non poterat, ſic etiam reſcripſit eadem Sacra Congregatio 11. Octobris 1647.

Sacra, &c. Viſis Litteris teſtimonialibus Ordinarij ſuper expoſitis, ac Sanctiſſimo Domino Noſtro annuente cenſuit committendum, prout præſenti decreto committit D. Epiſcopo Metenſi, vt conſtito ſibi ſeruatis ſeruandis de veritate narratorum, & præcipuè, quod deficientibus redditibus, præfatum Monaſterium Sancti Dominici Oratricem alere minimè poſſit, eidem ad aliud pariter eiuſdem Ordinis, & inſtituti Monaſterium (in quo beneuolas inuenerit Receptrices, & ſub perpetua clauſura ad præſcriptum Sacri Concilij Tridentini par, vel arctior vigeat regularis obſeruantia) de conſenſu Superiorum, ac Prioriſſæ, & Monialium vtriuſque Conuentus Capitulariter, & per vota ſecreta ſe transferendi facultatem pro ſuo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire iudicauerit, concedat, & impartiatur; ipſa Oratrix duabus grauibus, honeſtiſque Matronis comitata, recta via, & abſque vllo diuerticulo, rheda, ſeu lectica clauſa, ac oris parte velata, ea qua decet ſponſas Chriſti modeſtia iter aggrediatur, nec alibi, niſi cauſa neceſſarij hoſpitij, & hoc apud honeſtas perſonas pernoctando deuertat, ac habitum per huiuſmodi Moniales geſtari ſolitum, Regularibuſque Inſtitutis ſe conformare, & Prioriſſæ, ac aliis Superioribus Monaſterij, ad quod ſe transferet, obedire omnino teneatur. Romæ.

Clauſula *Decernentes irritum, & inane*, irritat in priuilegiis, ſeu alibi appoſita omnia, quæ in contrarium fiant, *c. ſi eo tempore, de elect. in 6. & cap. 1. verſ. adijcientes, de conceſſ. præbend.* etiam in 6. Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. Gloſſ. 67. à num. 12.* Tambur. *ſupra num. 47.* Quod intellige, etiamſi pars nihil opponat. Barboſa *in Tract. de Clauſul. vſufrequent. clauſ. 40. n. 3.* Tambur. *ibid.* Ligat etiam ignorantes, *dicto c. 1.* Ant. Gabriel *lib. 6. concl. tit. de Clauſ. cap. 3. n. 1.* Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in conſt. 23. Leon. X. §. 4. n. 5.* vbi alia. Nota tamen quoad pœnam aliam præter irritationem, *c. ſi Beneficia, de præbend. in 6.* Naldus *ſupra §. irritant*, apud quem alia in ſequentibus. 19

Clauſula *De plano*, & ſimiles, quid importent, habes *tom. 1. eo cap. 27. num. 26.* 20

Clauſula *De plenitudine poteſtatis*, operatur plures, & ſingulares effectus. Primus, quod quando Princeps ſic loquitur in priuilegio, nihil opponi poſſit contra illud. Barboſa *de Clauſ. vſufrequentib. clauſ. 41. n. 21. ſecundum Lugdunenſ. impreſſ.* Tamb. *ſupra n. 29.* Secundus tollit omnes defectus ſolemnitatis non prouenientes à natura, ac etiam obreptionem, & ſurreptionem. Tamb. *num. 30.* Tertius, operatur in præiudicium tertij, vt habet Naldus *ſupra*. Etſi hoc neget Tambur. *num. 31.* Conueniunt autem in hoc, quod non deroget iuri tertij, quando illud eſt adquiſitum. Barboſa *ſupra num. 42.* Alia apud hos auctores. 21

Clauſulæ *Dicitur plenius contineri*, aut *Dicis plenius contineri*, apponi ſolita à Summis Pontificibus in gratiis conceſſis ad inſtantiam, referuntur ad petitionem ab ipſis factam, & quando ponitur primo modo, non incumbit impetranti onus probandi, ſecus quando ſecundo modo ponitur. Nauarrus *in cap. ſi quando, de reſcript. except. 3. num. 2.* Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minimor. in Conſtit. 1. Sixti IV. §. 1. num. 1.* 22

Clauſula *Diſcreto viro ex approbatis ab Ordinario*, apponi ſolita à tergo literarum Sacræ Pœnitentiariæ, ab aliquibus extenditur etiam ad Confeſſarios approbatos ab Ordinario, non abſoluè, ſed limitatè, v.g. reſpectu virorum tantum, & non reſpectu fœminarum. Eo quod limitatio Confeſſariorum ad audiendas Confeſſiones virorum, & non mulierum, ſit ob defectum ſcientiæ; cum potius regulariter maior ſcientia requiratur ad audiendas Confeſſiones virorum, quam fœminarum, ſed ob defectum ſolum ætatis. Pœnitentiaria autem illa Sacra per verba potius attendere videtur ad ſufficientiam, quàm ad ætatem. Naldus *ſupra, §. diſcreto viro.* Qui bene ſecus dicit eſſe dicendum de approbatis tantum ad tempus, quia hoc arguit ſcientiæ defectum. Idem dico de approbatis pro vno loco tantum, v. g. pro oppido aliquo, propter eandem rationem, iuxta dicta ſupra verbo *Bulla Cruciata, n. 20. & 1. tom. c. 19. n. 19.* 23

Clauſula

24 Clauſula *Diſtrictè iniungimus*, vel *præcipimus*, aut *prohibemus*, vbi apponitur, inducit, ſecundum aliquos, peccatum mortale. Ex Clement. 1. *de Offic. Iudic. Ordin. verbo Iniungimus*, adiuncta Gloſſa marginali. Naldus *ſupra* §. *diſtrictè*. Sed conſideranda eſt grauitas, vel leuitas materiæ, quia peccatum mortale non cadit niſi ſupra materiam grauem. In illa autem Clement. ſermo eſt de enormibus criminibus.

25 Clauſula *Dummodo aliam in eadem Eccleſia non conceſſerimus*, apponi ſolita in conceſſionibus Indulgentiarum noſtri temporis, intelligitur de alia indulgentia ſimili expreſſa in eadem conceſſiona ob dictionem *aliam*, quæ eſt repetitiua eiuſdem qualitatis, quæ prius, ſeu immediatè fuerat expreſſa. Ita Naldus *ſup.* §. *Dummodo aliam*. Idem ſequitur Gauantus *in Manual. Epiſcop. verbo Indulgentia*, n. 17. Sicque video practicari.

26 Clauſula *Et decretis Sacri Concilij Tridentini non aduerſentur*, &c. quæ ſolet poni in confirmationibus priuilegiorum, intelligitur probabiliter, iuxta dicta *tom. 2. cap. 1. n. 58.* ſolum de illis decretis Concilij, quibus apponitur Clauſula *non obſtantibus*, &c. non de aliis quibus non apponitur. Solum enim per illa, non per iſta, cenſentur reuocata priuilegia Regularium, quia priuilegia, quæ non ſunt reuocata per decreta Concilij non dicuntur ſimpliciter ipſis contraria, aut illis aduerſari. Sic fermè Tamburin. *ſup. dicta diſp.* 18. *quæſit.* 6. *num.* 3. Qui tamen rectè & cautè in fine addit ex Peirino ſenſum communem iſtius Clauſulæ in praxi, vt per eam cenſeantur derogata priuilegia, non ſolum quæ à Concilio per Clauſulam *non obſtantibus* derogantur, ſed etiam alia, quæ ſunt ei ſimpliciter contraria. Propterea enim ego loco relato dixi oppoſitam ſententiam ſatis probabilem, & ſecuriorem eſſe.

27 Clauſula etiam *Et ſacris Canonibus*, &c. quæ etiam in confirmationibus priuilegiorum apponi ſolet, & coniungitur cum præcedenti, *Et decretis*, &c. refert quidem non Canones iuris Communis, quia aliàs cum omnia priuilegia ſint contra ius commune, ſi illa Clauſula illos referret, huiuſmodi confirmationes parum aut nihil operarentur. Solum ergo refert Canones Concilij Tridentini, ita vt particula illa *Et* ſit coniunctiua Canonum Concilij Tridentini cum decretis ipſius. Ita Sorbus *in Additionib. ad Compend. Priuilegiorum Mendicantium*, *verbo Priuilegia Fratrum*, §. *Eſt etiam aduertendum*. Fauet Rodriguez *tom.* 1. *Quæſtionum Regular. quæſt.* 8. *art.* 8. & ſequuntur Naldus *ſupra*, §. *dummodo non aduerſentur*. Peirinis *tom.* 2. *Priuilegior. Minim. in Conſtitut.* 1. *Gregor. XIII.* §. 3. *num.* 2. & Tamburinus *ſupra num.* 2.

28 Clauſula *Et pro potiori cautela*, ſeu *pro maiori cautela*, &c. quæ ad maiorem confirmationis priuilegiorum validitatem apponi ſolet, ſignificat, quod iam diſpoſita ſufficiant, & inducit abundantem diſpoſitionem. Tuſchus *verbo Clauſul. concluſ.* 31. Operatur etiam in vim nouæ conceſſionis. Ita ex Rotæ deciſ. Naldus *ſupra*, §. *& pro potiori*.

29 Clauſula *Ex certa ſcientia*, poſita in confirmationibus priuilegiorum confert nouum ius & æquiualet conceſſioni. Inſuper per ipſam actus nudus validus redditur, ſi Princeps de nullitate veriſimiliter habebat notitiam. Tamburinus *dicta diſp.* 18. *quæſit.* 1. *num.* 6. Naldus *ſupra*, §. *ex certa ſcientia*. Operatur, vt id, quod confirmatur, fiat ſolemne, ſi aliàs non erat tale. Barboſa *de Clauſul. vſufrequentib. clauſul.* 59. *num.* 13. In tertij graue præiudicium nihil operatur: ſecus in modico. Naldus, & Barboſa *ſupra*. Nec operatur, niſi circa ea, quæ ſunt iuris, & non quæ ſunt facti. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 4. *num.* 6. Naldus *ſupra*. Barboſa *ſupra num.* 34. & ideo nihil operatur, quando apponitur ſuper negotio de quo Princeps non habet notitiam. Tamburinus *dicta diſp.* 18. *quæſit.* 6. *num.* 28. ex aliis. Vide plura in Naldo *ſupra*.

Clauſula *Ex tunc prout ex nunc*, poſita in priuilegiis, 30
& reſcriptis Apoſtolicis, operatur quod vnum tempus videatur alteri ineſſe. Barboſa *ſupra clauſ.* 61. *num.* 6. Tamburinus *dicto quæſit.* 6. *n.* 51. Item quod actus poſtea factus cenſeatur factus à principio. Barboſa *ibid. num.* 2. Tamburinus *num.* 52. Non eſt tamen retrotractiua ad diem datæ in præiudicium Iuris alteri quæſiti medio tempore. Barboſa *num.* 8. Tamburinus *num.* 53.

Clauſula *Facias prout tibi videtur*, intelligitur de 31
Iure iuſto, importat enim arbitrium boni viri, id eſt arbitrium iuſtum. Naldus *ſupra*, §. *facias*, ex Gloſſa *in cap.* 2. *de corp. vitiat. verbo Viſum fuerit*.

Clauſula *Gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ*, 32
&c. quæ ſolet dici de Epiſcopis, intelligitur de Epiſcopo non excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto, Gloſſa *in cap. Veniens, de præſcript. verbo Gratiam*, & Gloſſa *in cap. Quod Sedem, de offic. Iud. Ordin. verbo Gratia*. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Minimor. in Conſtitut.* 2. *Iulij II.* §. 6. *num.* 24. Sine dubio etiam propterea excluditur per iſtam Clauſulam Epiſcopus hæreticus, aut ſchiſmaticus.

Clauſula *Habeas liberum arbitrium iudicandi*, non 33
tollit ſolemnitatem iuris. Naldus *ſup.* §. *Habens*. Nec tollit ea, quæ ſunt ſecundum rationem.

Clauſula *Indignationem omnipotentis Dei*, &c. facit 34
vt contrauenientes peccent mortaliter, quia eſt virtuale præceptum obedientiæ, Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Minimor. in Conſtitut.* 3. *Sixti IV.* §. 4. *num.* 7. Tamburinus *ſupra n.* 9. Non tamen denotat excommunicationem. Sayrus *lib.* 1. *de Cenſur. cap.* 11. *n.* 16. Importare tamen pœnam priuationis Officiorum ferendam colligitur ex Felino *in c. Veniens, de præſcript. num.* 1. Tuſco *verbo indignationis pœna, concluſ.* 91. Sed melius alij ſolum importare pœnam arbitrariam. Eraſmus Chokier *de iuriſdict. Ordinar. in exempt. part.* 4. *quæſt.* 62. *num.* 1. Barboſa *ſupra clauſul.* 91.

Clauſula *Indignationem Beatorum Apoſtolorum Pe-* 35
tri, & Pauli, idem importare videtur. & eodem modo de ipſa philoſophandum, Naldus *ſupra* §. *indignationem*.

Clauſula *In foro conſcientiæ*, quid importet, dixi *tom.* 1. 36
cap. 18. *n.* 45. & ſupra verbo *Abſolutio*, *n.* 6. & 7. Vide Henriquez *in Summa lib.* 7. *cap.* 13. §. 2. *littera V.* & *lib.* 14. *cap.* 20. §. 1. & Tamburinum *ſupra num.* 16.

Clauſula *In omnibus & per omnia*, importat vim ſpe- 37
cialis ſpecificationis. Tuſcus *verbo Clauſula, concl.* 354. *num.* 1. Marta *de Clauſulis part.* 1. *clauſul.* 62. *num.* 4. Vide Tamburinum *ſupra num.* 19.

Clauſula *In quo conſcientiam tuam oneramus*, potius 38
importat monitionem, quam formam delegationis, & ſic cauſa continens illam poterit per alium expediri. Naldus *ſupra*, §. *in quo conſcientiam*, ex Abbate, & Nauarro.

Clauſula *Inuocato ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcu-* 39
laris, vel alia ſimilis importat, quod quando remedia Eccleſiaſtica non iuuant, applicari poteſt brachium ſæculare. Vide Nauarrum *in cap. cum contingat, de reſcript. remed.* 1. Rodriguez *tom.* 1. *Quæſtionum Regularium, quæſt.* 8. *art.* 14. Et nota hanc Clauſulam implicitè contineri in omnibus litteris Papæ, tenentur enim Iudices ſæculares hoc auxilium Iudicibus Eccleſiaſticis præſtare iure communi, *can. Principes, can. Adminiſtratores* 23. *quæſt.* 5. licet ad maiorem cautelam in aliquibus Litteris Apoſtolicis ſtylo Curiæ exprimatur. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Minimor. in Conſtit.* 1. *Iulij II.* §. 38. *num.* 97. Naldus *ſupra* §. *Inuocato*. Quod ſi non præſtent, peccabunt mortaliter, poſita grauitate materiæ, & puniri debent, excommunicatione forſan. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *caſu* 451. Rodriguez *ſupra*. Cogi tamen ad id poſſunt per conſeruatores Religionum. Peirinis *ſupra*. In terminis tamen conſtitutionis Gregor. XV. de qua *tom.* 2. *cap.* 10. dixi.

40 Clauſula *Iudicio tuo* importat arbitrium boni viri. Naldus *ſupra* §. *Iudicio tuo.* Vide dicta ſupra in Clauſula *Facias prout tibi videbitur*, *num.* 31.

41 Clauſula *Motu proprio*, quæ eſt ſatis communis in Litteris Pontificiis, ponitur ad denotandum Summum Pontificem concedere illam gratiam non ad inſtantiam alicuius, ſed ex mera voluntate ipſius. Si vero in priuilegio præcedit petitio, vel inſtantia, & nihilominus Pontifex vtitur ea Clauſula, denotat cauſam finalem conceſſionis non fuiſſe eam petitionem, ſed meram Papæ liberalitatem. Ita habetur *ex capite Si motu proprio, de prabend. in ſexto.* Habet autem conceſſio ex motu proprio facta tres conditiones, quibus ſuperat conceſſionem factam ad inſtantiam. Prima, quod conceſſio motu proprio facta eſt magis voluntaria, & maius Beneficium; & ideo amplianda quantum proprietas verborum patitur. Secunda, quod nonquam retorquetur contra eum, cui conceditur, ſicut interdum ſolet retorqueri conceſſio ad inſtantiam. Tertia, quod priuilegium ad inſtantiam per ſurreptionem impetratum non valet, ſecus verò ſi motu proprio concedatur. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 8. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegiorum minimorum, in Conſtit.* 4. *Sixti IV.* §. 3. *n.* 2. Hæc tamen ſurreptio, quam tollit, ſolum eſt ea, quæ oritur ex parte impetrantis, non ea, quæ oriri poteſt, vel ex re ipſa, vel ea cauſæ falſæ expreſſione, ex defectu perſonæ, puta ſi ſit inhabilis, irregularis, &c. vel ſi præiudicet iuri tertij, Suarez *ſupra num.* 11. *cum ſequentibus.* Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 21. *n.* 47. & *ſequentibus.* Barboſa *ſupra clauſul.* 79. *num.* 16. & *ſequentibus.* Naldus *ſupra* §. *motu proprio, & ſequentib.* Tamburinus *ſupra num.* 20. & *ſequentibus*, apud quos alia.

42 Clauſula generalis *Non obſtantibus*, &c. hunc præcipuè operatur effectum, ſcilicet tollere ea quæ obſtare poſſunt illi diſpoſitioni, in qua eſt appoſita, Barboſa *ſupra clauſul.* 82. *n.* 4. Non auget tamen, nec ampliat gratiam, ſed ad limites ipſius appoſita cenſetur, Tamburinus *ſupra n.* 37. Vnde prouenit, illam nihil operari, ſi diſpoſitio ſuper qua eſt appoſita alias nulla eſſet. Marta *de Clauſul. part.* 1. *clauſul.* 79. *n.* 26. Vnde nec tollit ſurreptionis vitium. Marta *ibid. n.* 10. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 15. *num.* 32. Non ſufficit ad derogandum Clauſulis derogatoriis derogatoriarum, niſi in illa addantur ſequentia, *etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio, ac de verbo ad verbum facta fuiſſet.* Ita ex Rotæ *deciſ.* 87. *num.* 4. *part.* 2. Tamborinus *ſupra, num.* 39. Similiter quoties ſecundum priuilegium habeat Clauſulam derogatoriam, cum illis verbis, *etiamſi talia fuerint, de quibus mentio fieri oporteret de verbo ad verbum*, &c. cenſetur per illud reuocatum primum habens Clauſulam derogatoriam derogatoriarum. Menochius *de praſumpt. lib.* 6. *praſ.* 41. *num.* 22. Gonzalez *ſupra gloſſ.* 26. *num.* 23. Tamburinus *ſupra.*

43 Clauſula *Non obſtantibus etiam iis, quorum tenor de verbo ad verbum exprimi deberet, qua volumus pro expreſſis haberi*, tollit neceſſitatem inſerendi tenorem illorum, etiamſi in priori illa diſpoſitione, cui derogandum eſt, diceretur quod per hanc Clauſulam non poſſit ei derogari, cum contra plenitudinem poteſtatis Papæ nihil poſſit ſtatui. Naldus *ſupra* §. *non obſtantibus*, etiam ex Rotæ *deciſ.* 109. & Nauarro.

44 Clauſola *Non obſtantibus priuilegiis*, &c. non derogat priuilegia ad pias cauſas, nec illa, quæ commiſerationis cauſa, vel publicæ vtilitatis gratia conceſſa ſunt. Barboſa *ſupra clauſul.* 183. *num.* 18. *cum ſequentibus.* Tamburinus *ſupra num.* 40.

45 Clauſula *Non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus*, non videtur derogare conſuetudini immemorabili, ea enim eſt ſpeciali nota digna. Colligitur ea declaratione S. Congregationis de ann. 1575. & 1580. Gonzalez *ſupra gloſſ.* 33. *num.* 5. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Minimor. in Conſtitut.* 29. *Leonis X.* §. 3.

Circa hanc porro difficillimam, & intricatiſſimam Clauſulam *Non obſtantibus*, &c. vide Ioan. Andr. *in cap. vnic. de exceſſib. Prælat.* 6. Panormitanum *in capitulo nonnulli, de reſcript. à num.* 10. Felinum *ibid. à n.* 2. Rodriguez *tom.* 1. *Quaſtionum Regularium, quaſt.* 8. *art.* 11. Suarez *de Legib. lib.* 8. *cap.* 38. *per totum*, & Naldum *ſupra.* Maximè tamen pro praxi priuilegiorum Regularium notandum eſt, quod priuilegia concedentia illis facultatem abſoluendi à caſibus Papalibus, de quibus dixi *tom.* 1. *cap.* 18. & 19. & ſupra verbo *Caſus reſeruati*, & dicam infra verbo *Confeſſarius*, non cenſentur reuocata per Conſtitutiones Summorum Pontificum poſteriorum, in quibus prohibent, vel præcipiunt aliquid reſeruando ſibi talis caſus abſolutionem, etiamſi addant Clauſulam iſtam *Non obſtantibus*, &c. niſi declarent ſe derogare priuilegia concedentia facultatem abſoluendi à dicto caſu, ſeu quod idem eſt, niſi derogatio intenta per illam Clauſulam *Non obſtantibus*, cadat non ſolum ſuper rem prohibitam, aut præceptam, ſed etiam ſuper facultatem abſoluendi à tali caſu. Ratio eſt, non ſolum quia priuilegia Regularium, iſta præſertim, quæ ſolum concernunt ſalutem animæ, ſunt valdè fauorabilia, & latè explicanda, ſed etiam, quia quando Summi Pontifices volunt derogare dictæ facultati abſoluendi per priuilegia Regularium, illam exprimunt, prout fecit Sixtus V. in Conſtitutione aduerſus Clericos male promotos, de qua dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 39. Quando ergo id non exprimunt, cenſendi ſunt non velle derogare dictæ facultati. Vide dicta eo *cap.* 18. *num.* 41. & Peirinis *tom.* 1. *de ſubdito, quaſt.* 4. §. *vnic. verſ. ad primum reſpondeo.* Et ante ipſum Rodriguez *tom.* 1. *Quaſtion. Regular. quaſt.* 20. *art.* 8. 46

Clauſula *Non poteſt*, inducit ſecundum plures nullitatem actus. Ita Naldus *ſupra*, §. *non poteſt.* Melius tamen dicitur, quod quando ea non ponitur ob vitium, ſeu defectum, ſed ſolum ob honeſtatem perſonæ, & perfectionem ſtatus, tunc non inducit talem nullitatem. Secus vero quando ponitur ob vitium, ſeu defectum perſonæ. Gregorius Lopez *lib.* 2. *verbo Frailes, tit.* 10. *part.* 6. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 11. *n.* 43. & *cap.* 12. *num.* 10. Vide alia 4. tom. verbo *Leges.* 47

Clauſula *Omni meliori modo*, denotat meliorem viam pro actus validitate, Naldus *ſupra* §. *omni meliori modo.* 48

Clauſula *Parte ſatisfacta*, quo modo intelligenda, dixi ſupra verbo *Bulla Cruciata.* Vide & Naldum *ſupra* §. *parte ſatisfacta.* 49

Clauſula *Pœnitentia ſalutari iniuncta*, intelligitur de Orationibus, ſuſceptionibus Sacramentorum, & aliis ſpiritualibus operibus, non de eleemoſyna, vel alia corporali afflictione, niſi ea adiunctis oppoſitum colligatur, ſecundum Naldum *ſup.* §. *Pœnitentia ſalutari.* 50

Clauſula *Pro expreſſis*, &c. ſeu alia ſimilis, *quorum tenores pro expreſſis*, &c. habet vim ſpecialis, & indiuiduæ expreſſionis. Marta *de Clauſulis part.* 1. *clauſ.* 105. *num.* 6. Barboſa *ſup. de Clauſulis clauſ.* 101. *num.* 2. Tollit proinde neceſſitatem inſerendi tenorem illarum Conſtitutionum, quæ confirmantur, vel derogantur, etiamſi de illis diceretur expreſſè, quod non intelligerentur reuocatæ, niſi fieret de eis expreſſa mentio. Nauarrus *cap. ſi quando, de reſcript. except.* 1. *num.* 1. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Minimorum, in Conſtit.* 4. *Sixti IV.* §. 3. *n.* 3. Quando tamen fallat hæc regola, vide Naldum *ſup.* §. *pro expreſſis*, & §. *Quorum tenores*, & Barboſam *dicta clauſul.* 102. & *clauſul.* 127. 51

Clauſula *Pro potiori cautela* quid importet, dixi ſupra *num.* 28 cum loquerer de clauſula *Et pro potiori cautela.* 52

Clauſula *Prout conſcientia tua*, &c. quomodo intelli- 53

genda

genda vide ſup. *num.* 17. circa Clauſulam *Conſcientiam tuam oneramus*. Cui ſimilis videtur alia Clauſula apponi ſolita, *Prout videris expedire*. De qua Naldus *ſupra*, §. *prout videris*, *&c.*

54 Clauſula *Prorſus de iure*, ſeu *ſi prout de iure*, ſignificat iuris ordinem ſeruandum. Tuſchus *verbo Clauſula*, *concluſ.* 368. In reſcripto reſtringit tantum verba præcedentia, non autem refertur ad omnia contenta in commiſſione, in quibus adſit ſpecialis determinatio. Sic ex Rotæ deciſ. 922. Naldus *ſup.* §. *prout de iure*.

55 Clauſula *Prout eximimus*, *ac liberamus*, cum ſit valde generalis, non ſolum derogat priuilegiis priuatæ perſonæ conceſſis, ſed etiam vniuerſitati cuicumque, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia. Henriquez *in Summa*, *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 27. *num.* 4. aſſerens *in Comment. litter. F.* huius Clauſulam ſic geminatam excludere omnem interpretationem in contrarium. Hoc enim poſtulat dictio illa prorſus. Lege Barboſam *de dictionibus vſufrequentibus*, *dict.* 294. *num.* 1. Tamburinum *ſupra*, *num.* 6. *&* 7.

56 Clauſula *Quatenus ſunt in vſu*, qualiter intelligenda, dum eſt ſermo de priuilegiis Regularium, dixi *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 17. Vide & dicenda 4. tom. verbo *Priuilegia*, ac Reuerendiſſimum Stratium *in Inſtruct. pro Carmelit. cap.* 5. *Sum.* 7. [Clauſula autem illa quæ apponi ſolet in confirmationibus priuilegiorum Religionum poſt Concilium Tridentinum, ſcilicet, *Quatenus decretis Concilij Tridentini non aduerſentur*, ponitur ad declarandum per dicta priuilegia non derogari decretis Concilij. Etſi enim iuxta communem doctrinam Conciliis Generalibus non derogetur, niſi de illis fiat expreſſa mentio: quia tamen hoc fallit in Concilio Tridentino, eo quod in ipſo *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. expreſſè reſeruatur ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ in omnibus decretis ipſius, ideo ad hoc quod ipſi non derogarent, neceſſum fuit dictam clauſulam apponere. Ita doctè Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 5. ex variis Rotæ deciſionibus.]

57 Clauſula *Quorum tenores*, *&c.* habet vim ſpecialis, & indiuiduæ expreſſionis, iuxta dicta ſup. *num.* 51. de Clauſula *Pro expreſſis*, & deſeruit ad tollendam ſurreptionem. Naldus *ſup.* §. *Quorum tenores*, *&c.*

58 Clauſula *Quoties expediens fuerit*, vel *Quoties opus fuerit*, importat quamdam veluti infinitatem, prout etiam idem importat Clauſula *Quandocumque*, vel *Quotieſcumque*. Tuſchus *verbo Clauſula*, *concluſ.* 353. *n.* 2.

59 Clauſula *Ratum*, *&* *firmum* includit ius, & factum: *ratum* enim refertur ad ius, *&* *firmum*, ad factum. Naldus *ſup.* §. *Ratum*, *&* *firmum*.

60 Clauſula *Recuſatione remota*, intelligitur, vt credo, reſpectiuè, ſicut & alia ſimilis, ſcilicet *appellatione remota*, de qua ſuprà, *num.* 10. prout indicat Naldus *ſup.* §. *Recuſatione*.

61 Clauſula *Relinquo conſcientia tuæ*, videtur intelligenda, ſicut & illa, *prout conſcientia tuæ*, & illa *conſcientiam tuam oneramus*, de quibus ſupra *num.* 17. *&* 53.

62 Clauſula *Saluo aſſenſu Apoſtolico*, non excuſat à pœnis contra alienantes res Eccleſiaſticas inflictis, eos qui illas alienant, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 61. Et quamuis Naldus *ſuprà*, §. *Saluo aſſenſu*, ex Riccio, quem refert, dicat id eſſe intelligendum, quando non adduntur illa verba, *Et non alias*, *aliter*, *nec alio modo*, & res eſt facilis recuperationis; nihilominus etiam poſitis his conditionibus, ſi poſſeſſio tradatur ementi non effugiunt vendentes dictas pœnas, quia proteſtatio eſt contraria facto, iuxta dicta eo loco ex Quaranta, Peirinis, & Bonacina.

63 Clauſula *Saluo iure Parochiali*, ſeu *ſine Parochiæ præiudicio*, aut ſimilis intelligitur de decimis, & primitiis, aut aliis obuentionibus, quæ à laicis exhiberi debent Parochis. Ioannes de Cruce *de Stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *concluſ.* 157. Tamburinus *ſuprà*, *num.* 18. Barboſa *ſup. clauſul.* 157. Vbi plura circa Clauſulam *Sine præiudicio*. Maximè Reuerendiſſ. Stratius *in Inſtruct. relata*, *cap.* 6. *num.* 8. ex Sixto IV. *in Mari magno Carmelit.*

Clauſula *Si & in quantum*, operatur in appellatione 64
admiſſionem eorum, quæ ſunt admittenda, & negationem illorum, quæ de iure non debent admitti. Naldus *ſup.* §. *Si & in quantum*, ex Marta. In electionibus vero, quando res eſt dubia, an aliquis admitti debeat, & admittitur cum proteſtatione, *Si & in quantum*, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 30. operatur, quod valeat electio.

Clauſula *Si & prout de iure*, aliquando importare 65
videtur idem, quod præcedens, *Si & in quantum*, aliquando vero ſignificat iuris ordinem ſeruari debere. Tuſchus *verb. Clauſula*, *concl.* 368.

Clauſula *Sicut accepimus*, poſita in gratia motus 66
proprij non eget iuſtificatione, ſecus verò in gratia ad partis inſtantiam. Tamburinus *ſup. num.* 55. ex variis Rotæ deciſionibus.

Clauſula *Sola rei veritate perſpecta*, cui adiungi ſo- 67
lent *Summariè*, *ſimpliciter*, *de plano*, *ſine ſtrepitu*, *&* *figura iudicij*, quid importet, dixi *tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 26. Vide Naldum *ſupra*, §. *Sola facti*, *&c.* *&* *ſequentibus*.

Clauſula *Sublata facultate*, *&c.* claudit os iudici, & tol- 68
lit illi facultatem aliter iudicandi, ita vt pars contraria audiri non debeat, niſi obtenta à Summo Pontifice gratia de oris apertione, Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloſ.* 66. *num.* 3. *cum ſequentibus*. Garzia *de Beneficiis*, *part.* 6. *cap.* 3. *num.* 99. Vnde proceſſus in contrarium factus ſit nullus. Barboſa *ſuprà*, *clauſul.* 175. *num.* 5. Tamburinus *ſuprà*, *num.* 12. apud quos alia.

Clauſula *Super omnes*, *&* *ſingulos*, importat ſpecifi- 69
cationem ſpecialem, ac ſi omnes in indiuiduo nominarentur. Tuſchus *verbo clauſula*, *concluſ.* 296. *num.* 2. vbi etiam *num.* 3. dicit comprehendere etiam exemptos.

Clauſula *Supplentes defectus*, *&c.* non ſupplet illos, 70
qui ſunt iuris naturalis, vt ſunt citatio partis in cauſis damnum tertij concernentibus, quia Princeps non poteſt tollere id, quod iure naturæ eſt neceſſarium. Tuſchus *in verbo Clauſula*, *concluſ.* 243. Barboſa *ſuprà*, *clauſul.* 177. *num.* 8. Solum ergo ſupplere poteſt defectus iuris poſitiui. Idem Barboſa *ibidem*, *num.* 2. Cum autem huiuſmodi defectus ſint in duplici differentia, alij ſubſtantiales, verb. grat. quod reſcriptum impetrans non ſit excommunicatus, aut quod non impetretur per ſubreptionem, alij accidentales, ſcilicet qui pertinent ad iuris ſolemnitatem, vtputa, quod ſententia non ſit lata die feſto, &c. ad minus ſupplet hos poſteriores, & quandoque priores, iuxta modum reſcripti, vt ſi illud fuerit ex motu proprio, & de plenitudine poteſtatis, vel id colligatur ex contextu, vel circumſtantiis. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 10. *num.* 12. Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Minimor. in Conſtitut.* 1. *Sixti IV.* §. 2. *num.* 8. *&* 9. Barboſa *dicta clauſ.* 177.

Clauſula *Tuo iudicio*, vel *tua prudentia*, videtur im- 71
portare idem, quod *conſcientiam tuam oneramus*, de qua ſupra *num.* 17. Vide Naldum *ſuprà*, §. *Tuo iudicio*.

Clauſula *Vocatis vocandis*, ſeu *qui fuerint vocandi*, 72
&c. intelligitur de iis quorum intereſt. Naldus *ſupra*, §. *Vocatis*, *&c.* Significat etiam Iudicem ea diſpoſitione datum teneri obſeruare formam iudicialem, & non eſſe merum executorem, ſed mixtum, id eſt, partim executorem, & partim Iudicem, ac debere ex vi huius Clauſulæ vocare quorum intereſt, vel ſpecificè ſi certo ſciantur, vel per edictum publicum ſi ignorentur. Panormitanus *in cap. exhibita*, *de Iud. num.* 6. Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Conſtit.* 1. *Sixti IV.* §. 4. *num.* 4.

De aliis Clauſulis occurrentibus in diſcurſu operis 73
dicetur.

CLAVSVRA.

SVMMARIVM.

1 *De Clauſura Regularium, remiſſiuè.*
2 *De clauſura virorum Religioſorum.*
An poſſint obligari à Prælatis ad illam ſeruandam. ibid.
3 *Terminus huius Clauſuræ qualis ſit.*
4 *Egreſſio nocturna, aut furtiua è monaſterio eſt Caſus reſeruabilis.*
Quando incurratur hic caſus. ibid.
5 *Clauſura monialium à quo tempore cœperit.*
6 *Quæ moniales hoc præcepto aſtringantur.*
7 *An detur in hoc paruitas materiæ.*
8 *Quid de monialibus degentibus in domibus monaſterijs contiguis.*
9 *Quid de moniali ſupra murum monaſterij ſedente.*
10 *De moniali, cui vita periculum imminet.*
11 *De moniali grauida effecta.*
12 *An propter habendam curam conſanguineorum licitè exeant moniales.*
13 *De caſibus concedendi licentiam egrediendi.*
Quid declaratum à S. Congregatione. ibid.
14 *An poſſint moniales tranſire de vna Religione ad aliam.*
15 *An eiici propter incorrigibilitatem.*
16 *An transferri ad aliud monaſterium correctionis gratiâ.*
17 *An pro inſtitutione Nouitiarum.*
18 *Quid circa hoc S. Congregatio declarauerit, & n. 18.*
19 *An cum transfertur monialis, ſecum deferat dotem.*
20 *De abſolutione à Cenſuris contra tranſgredientes iſtam monialium clauſuram.*
An ſpectet ad Prælatos Regularium. ibid.
21 *Quid de diſpenſatione in pœnis incurſis.*
22 *De Clauſura Monialium quoad ingreſſum aliorum in ipſarum Monaſteria.*
23 *Quæ perſonæ ingredi prohibeantur in illa.*
24 *De Superiore, qui poteſt concedere licentiam pro tali ingreſſu.*
25 *Qualis debeat eſſe hæc licentia.*
26 *Quæ eſt cauſa legitima ipſam concedendi.*
27 *De ſocio Confeſſarij intrantis ad miniſtranda Sacramenta.*
28 *De Moniali energumena quomodo exorcizanda.*
29 *An liceat ingreſſus titulo ſepulturæ, vel funeralis Monialium.*
30 *Qui officiales Monaſterij ingredi poſſint.*
31 *De malefactoribus ad Monialium Monaſteria confugientibus.*
32 *Quando poſſunt Epiſcopi, & alij Superiores eò ingredi.*
33 *An, & quando Dominis Cardinalibus, aut Epiſcopis id permiſſum.*
34 *De fœminis quibus etiam eſt prohibitum ingredi Monaſteria Monialium.*
35 *De cenſuris, & pœnis quas incurrunt tranſgreſſores.*
A quo abſoluantur, vel diſpenſentur. ibid.
36 *Quid de alijs pœnis ab antiquioribus Pontificibus impoſitis.*

1 DE Clauſura Regularium perſonarum non pauca dixi tomo primo huius Summæ. De clauſura quidem virorum Religioſorum, quantum ad prohibitionem quam habent non admittendi fœminas in eorum Monaſteria, *cap. 10. à num. 9.* & quoad clauſuram, quam ipſi obſeruare debent, *cap. 16.* & de clauſura Monialium tam quoad egreſſum aliorum in illa, *c. 15. à num. 16.* Alia tamen, vel pro maiori materiæ complemento in præſenti addenda ſunt.

Et primò, loquendo de clauſura virorum Religio- 2
ſorum, quantum ad dictam prohibitionem non admittendi fœminas intra clauſuram ſuorum Monaſteriorum, præter dicta eo loco alia dicam 4. tom. verbo *Monaſteria.* Quod verò attinet ad clauſuram, quam ipſi obſeruare debent, certum eſt eos non teneri ſicut Moniales ad clauſuram perpetuam. Neque enim aliqua Lex Eccleſiaſtica ad eam eos obligauit, nec aliqua Religio cum tali, tantâue auſteritate inſtituta eſt. Bonacina *in Tractat. de Clauſura, quæſt. 2. punct. 1. num. 1.* Prælatos quoque Regulares non poſſe illam inducere probabile eſt, quia iuxta dicta *tom. 1. cap. 4. num. 13.* ea quæ ſunt omnino ſupra Regulam, non poſſunt præcipi à Prælatis. An verò Summus Pontifex poſſit hoc facere, Bañez *1. 2. quæſt. 1. art. 10. dub. 6.* & Bonacina *ſuprà, & de Legibus diſp. 1. quæſt. 1. punct. 3. num. 19.* affirmare videntur. Sanchez verò *lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 21.* id negat, licet *num. 45.* cum Bañez relato affirmet poſſe nedum Papam, ſed etiam Prælatos Regulares aliqualem clauſuram Monachis indicere, verbi gratia, quod non exeant è Conuentibus, niſi cum tali, vel tali limitatione. Teneri autem Religioſos ad aliquem modum Clauſuræ, iuxta ſuam Regulam, decreta Summorum Pontificum, & conſtitutiones Religionum, dixi eo *cap. 16. num. 1. & ſequentibus*, & tractat Bonacina loco relato, ex *Tractat. de Clauſura.*

Terminos verò huius Clauſuræ Religioſorum com- 3
prehendit totum circuitum Monaſterij, includendo etiam in illo hortum, nemus, & alia loca illi annexa, quæ muris Monaſterij, ſeu ſeptis cinguntur. Hæc enim omnia ſunt partes Monaſterij, & ea comprehendit ſeptorum nomine Clemens VIII. *in decretis ſuper caſ. reſeruat.* dum inter eos refert egreſſionem extra ſepta Monaſterij. Peirinis *tom. 2. de Prælato, quæſt. 3. cap. 1. §. 1. num. 39.* Ioannes Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Clauſura, num. 2.* Non tamen pertinent ad Clauſuram loca aliqua ſeparata à Monaſteriis, Infirmariæ videlicet, Hoſpitia, vel loca, quæ ædificari incipiunt. Naldus *in Summa, verbo Clauſura, num. 1.* Deſignare autem huius Clauſuræ terminos extra quos Religioſi non poſſint ſine licentia exire, pertinet ad Prælatos ipſorum, illi enim ſunt Ordinarij Iudices, & paſtores ipſorum. Naldus *ſupra*, ex Confectio.

Egreſſio nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu 4
Conuentu, quæ eſt caſus reſeruabilis in Religionibus ex decretis Clementis VIII. ſupra relatis, intelligenda eſt copulatiuè, ſeu complexiuè; & non diuiſiuè. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 5.* Naldus *in Summa verbo Clauſura, §. dummodo non.* Ideſt non ſufficit ſola nocturna, neque ſufficit ſola furtiua; ſed requiritur vtrumque. Nec enim gratis vſus eſt Pontifex coniunctione *ac.* Cum autem Pontifex dicat *nocturna*, & materia ſit odioſa, non videtur ſufficere, quod egreſſio ſit in crepuſculis, quia in illis non eſt nox, de cuius eſſentia eſt omnimodus receſſus à luce Solis. Peirinis *ſuprà, num. 40.* Cum verò dicat *furtiua*, id eſt ſine licentia Superioris, ideo ſi quis exeat, videntibus, expectantibus, vel cuſtodiam facientibus aliquibus ſociis de Monaſterio, incidet in hunc caſum. Peirinis *ibid.* Secus ſi Superior daret licentiam ſic exeundi, talis enim egreſſio, eſto eſſet iniqua, non tamen eſſet furtiua. Peirinis *ibid.* quamuis Suarez *ſuprà, num. 5.* oppoſitum probabiliter dicat, cum talia licentia non ſit legitima. Similiter, ſi ipſe Prælatus exiret dicto modo, etiam incideret in talem caſum, ſi aliàs eſſet reſeruatus à ſuo Superiori, quia talis egreſſio eſt contra voluntatem Religionis, Regulæ, & Superiorum. Suarez, & Peirinis relati. Vide pro hoc caſu Longum *de caſ. reſeruat. part. 2. caſ. 3.* Molfeſium *tom. 1. Summ. tractat. 7. cap. 25. à num. 26.*

Loquendo

5 Loquendo de clauſura Monialium, quoad prohibitionem, quam habent non egrediendi è ſuis Monaſteriis, præter dicta *tom. 1. huius Summæ, cap. 25. a n. 16.* addendum, vel pro pleniori notitia, tale præceptum initium aliquo modo habuiſſe in lege veteri, in qua etiam erant Virgines clauſæ propheticam vitam agentes, vt colligitur non ſolum ex *Iudith 8. verſ. 5.* ſed clarius ex 4. *Reg. 11. verſ. 2.* & multo clarius ex 2. *Machab. 3. verſ. 19.* illis verbis: *Virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ante Oniam.* De quo vide Abulenſem 1. *Reg. 2. quæſt. 12.* Caniſium *lib. 2. de Deipar. cap. 12.* Baronium *in Appar. ad Annal. §. ſi fidem adhibendam*, & alios. Habuit etiam initium in primitiua Eccleſia, in qua conſtat Sanctam Mariam Magdalenam, Martham eius ſororem, cum aliis Virginibus in quodam cœnobio vixiſſe, vt teſtatur Theodotus Melitus *in vita ipſarum, cap. 9.* & Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum, diſp. 18. quæſit. 2. num. 1.* vbi *num. 5.* id refert de aliis, & *quæſit. 3. num. 1.* refert plura antiqua Concilia in quibus aliquod veſtigium huiuſmodi Clauſuræ Monialium cernitur. Quamuis ergo à tempore Bonifacij VIII. Monialium Clauſura ſit ſub præcepto, temporibus tamen antecedentibus aliquo modo initiata fuit, & poſt Bonifacium à Concilio Tridentino, Pio V. & Gregorio XIII. rigidiſſimis pœnis intimata, iuxta dicta eo *cap. 25. num. 16.*

6 Quæ Moniales ſint quæ hoc præcepto obligantur, dixi *num. 17.* vbi etiam de Monialibus Nouitiis, Conuerſis, & Oblatis. De loco Clauſuræ, dixi etiam *n. 17.* Nunc verò agendum de aliquibus caſibus particularibus, de quibus dubitari poteſt, an in illis tranſgrediantur Moniales hoc præceptum, & Cenſuras impoſitas.

7 Et primò, in hoc præcepto dari credo paruitatem materiæ, & minimum, ita vt Monialis egrediens non ſecundum totum corpus, ſed ſecundum partem tantum, ita vt vno pede tantum Clauſuræ exierit, alio verò intus extiterit, non incidat in cenſuras, aut caſum reſeruatum. Ratio eſt, quia vt dixi ſupra verbo *Caſus reſeruati, num. 12.* ad caſum reſeruatum requiritur actio perfecta, & completa, in hoc autem caſu non eſt egreſſus completus, vel perfectus. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 16. num. 70.* fauet Diana *part. 5. tract. 5. reſolut. 22.* Idem credo, ſi Monialis eſſet in ipſo oſtio, quia oſtium eſt partim intra, partim extra Clauſuram. Pur-tellus *in dub. Regular. verbo Clauſur. Monial. num. 25.* Secus verò dici debet de Moniali, quæ vtroque pede, & toto corpore egreſſa eſt Clauſuræ ianuam, etiamſi ad vnum, vel duos tantum palmos egreſſa eſſet, hæc enim perfectè, & completè egreſſa eſt è Clauſura. Bonacina *ſuprà, quæſt. 1. punct. 8. num. 7.*

8 Deinde Moniales degentes in domibus Monaſterio contiguis pro eleemoſyna petenda, quales ſolent eſſe aliquæ Conuerſæ, ſeu potius Oblatæ, ex illis egredientes, etiam ad inhoneſta patranda, Clauſuram non frangunt, quia tales domus nec ſunt Regulares, neque locus Clauſuræ. Tamburinus *de Iure Abbatiſſar. diſput. 19. quæſit. 5. in ſolut ad 6.*

9 Item Monialis, quæ virili more quaſi equitans inſidet muro Monaſterij non frangit Clauſuram, quia re vera non exit perfectè extra Clauſuram. Tamburinus *ſuprà, in ſolut. ad 7.* ex Suarez.

10 Similiter Monialis cui vitæ periculum certò imminet ob graues moleſtias, & vexationes quas iniuſtè patitur, ſi Epiſcopum, vel Superiorem à quo ſubleuetur, habere non poteſt, non obligatur lege Clauſuræ, quia neceſſitas caret lege, & lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto diſpendio. Sanchez *dicto lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 62.* Tamburinus *ſuprà, in ſolut. ad 8.*

11 Monialis autem grauida effecta exire non poteſt ſine legitima licentia è Clauſura, vt fœtum edat, & delictum ſuum abſcondat, niſi inde timeat mortis periculum, quia ſolum propter præfatum timorem excuſari poteſt à fractione huius præcepti tam neceſſarij pro bono regimine Monialium. Tamburinus *ſuprà, in ſolut. ad 12.* An verò etiam extra mortis periculum excuſari poſſit, ſi id faciat ad euitandum ſcandalum, vel infamiam, dubium ſanè difficile eſt, cum ex vna parte ius naturæ, quod dictat vitari debere ſcandalum, & infamiam propriam, præponendum videatur cuicumque præcepto Eccleſiaſtico ſeruandi Clauſuram, ex alia verò præponendum potius videatur bonum commune Religionis omni priuato incommodo, præſertim cum Summorum Pontificum Conſtitutiones quoad hoc punctum rigidiſſimè prohibeant egreſſum, niſi in caſibus ab ipſis deſignatis, vt dixi eo *cap. 25. num. 50.*

Multo minus excuſari poteſt Monialis à tranſgreſſione Clauſuræ, ſi exeat illa ſine legitima licentia Summi Pontificis, vel aliorum Superiorum, propter habendam curam Nepotum, etiam omni auxilio deſtitutorum, prout declaratum eſt à Sacra Congregatione apud Armendariz *in Additionib. ad recopilat. legum Nauarræ, lib. 1. tit. 18. l. 7. de Relig. num. 105.* & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Monialium Clauſura circa ingreſſum.* Quod idem dico de egreſſu ad habendum curam conſanguineorum infirmorum. Cum iſti caſus non excipiantur à Pio V. in Conſtitutione, & Clauſuræ præceptum ſtrictiſſimè obliget Moniales. Bonacina *ſupra, dicta quæſt. 1. punct. 9. num. 4. & 5.* Tamburinus *ſupra, in ſolut. ad 13.* [idem dico de egreſſu propter adimpletionem alicuius conditionis impoſitæ in legato Moniali derelicto. Vnde declarauit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium in vna *Camerinenſi* menſis Martij 1634. ſolui debere cuidam Moniali legatum ſexaginta ſcutorum illi relictorum, etiamſi ratione ſui Status aſſiſtere non potuiſſet cuidam proceſſioni cum veſte alba, ſicut legatum requirebat.] An autem exire poſſit ad ſuccurrendum extremæ neceſſitati patris, matris, filij, aut filiæ, quibus aliter ſuccurrere nequeat, difficilius dubium eſt, cum vt ſupra dixi, ex vna parte lex naturæ, quæ anteponi debet cuicumque legi Eccleſiaſticæ, obliget pro ea occaſione; ex alia vero bonum commune Religionis, & Summorum Pontificum Conſtitutiones id poſtulent. Alij ergo Iudices ſunto. 12

Circa ea tamen, quæ dixi *dicto cap. 25. num. 20.* de caſibus in quibus ſolummodò concedi poteſt Monialibus licentia egrediendi è Clauſura, ſcilicet magni incendij, infirmitatis lepræ, & epidemiæ, iuxta Conſtitutionem Pij V. ibi relatam, animaduerſione digna eſt declaratio quædam Sacræ Congregationis ad Nuncium Hiſpaniarum anno 1594. facta, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Monialium Clauſura circa egreſſum 4.* quæ talis eſt: *Monialibus licentiam concedere exeundi è Clauſura non licet Ordinariis in aliis quantumuis grauibus caſibus in Conſtitutione Pij V. non contentis, niſi in caſu lepræ, magni incendij, & epidemiæ. Nomine autem epidemiæ quicumque morbus popularis contagioſus intelligitur.* Nihilominus Ioannes Maria Nouarius *in Lucern. Regular. verbo Clauſura, a num. 10.* allegationem quamdam affert Sanctiſſ. D.N. Vrbano directam, in qua probat in cauſis ſimilibus poſſe concedi Moniali facultatem egrediendi è Monaſterio, quam legere poteris apud ipſum. Caſus verò ſimiles in quibus licitè concedi poſſe licentiam prædictam putant plures Doctores, ſunt iſti: primus, tempus belli cum infidelibus, quando iuſtè timeri poteſt detrimentum Monialium, niſi ad locum tutum ſe recipiant, præſertim quia de militibus extat illud carmen: 13

Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Nauarrus *comment. 4. n. 48 de Regularibus*, Azor. *tom. 1. Inſtitut. Moral, lib. 13. cap. 8. quæſt. 1.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Alleg. 102. num. 22.* Secundus eſt, impetus magni torrentis, vel fluminis, aut imminens

Monaſterij

Monaſterij ruina. Scottia *in ſelect. Conſtit. Pontific. Theor.* 218. Barboſa *ſuprà*. Tamburinus *ſupra*, *diſp.* 20. *quæſit.* 2. *num.* 3. Tertius eſt, ſi Monaſterium in alium locum de Epiſcopi conſenſu transferatur. Sanchez *dicto cap.* 15. *num.* 53. Bonacina *ſuprà*, *punct.* 9. *num.* 8. Quoad hoc tamen extat declaratio quædam Sacræ Congregationis in vna Barcinonenſi anno 1615. cui attendi debet, his verbis: *Monialium tranſlatio Apoſtolica Sede inconſulta, minimè fieri poteſt.* Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Monialium tranſlatio* 8. Item alia huius tenoris in vna Vliſbonenſi ann. 1615. *Moniales transferri non poſſunt in monaſteria nouiter erecta, niſi eadem monaſteria auctoritate Apoſtolica extructa fuiſſe prius conſtiterit, ipſaque, prauia viſitatione, earumdem monialium capacia, eiſque accommodata, atque ita abſoluta reperta fuerint, vt cæmentariis, aliiſque fabris nulla ædificationis cauſa in ipſa poſtea ingrediendi neceſſitas relinquatur.* Barboſa *ſupra*. Vide alia infra à *num.* 16. Quartus eſt, ſi Abbatiſſa egrediatur è monaſterio, propter præſtandum iuramentum fidelitatis, caſu omnino neceſſario alicui Domino temporali. De quo dixi eo *tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 20.

14 Non obſtante etiam rigoroſa clauſura Monialium poſſunt ſeruatis ſeruandis tranſire de vna Religione ad aliam, iuxta dicta eo *cap.* 25. *num.* 41. Idque declaratum dicitur ſæpius à Sacra Congregatione in vna Nannetenſi 1615. & alia Redonenſi 1617. vt tradit Ricciullus *in tractat. de iure perſonarum extra grem. Eccleſ. vagant. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. Monialis autem tranſiens ad aliam Religionem debet in ea Nouitiatum habere, & profeſſionem emittere, prout ex Rotæ *deciſ.* 109. *n.* 2. *& ſequentib. in recentior.* elicit Tamburinus *ſuprà*, *diſput.* 11. *quæſit.* 1. *num.* 11. Vbi etiam ex eadem Rota habetur, quod ſi Monialis fuerit tranſlata cauſa pœnitentiæ, ali debet per Monaſterium à quo tranſf ttur.

15 Non tamen eiici poſſe Monialem à Religione propter incorrigibilitatem, dixi eo *cap.* 25. *num.* 17. ex declaratione Sacræ Congregationis, & ita deciſum fuiſſe in dicta Redonenſi affirmat Ricciullus loco citato *num.* 8. & confirmat Bonacina dicto *punct.* 9. *num.* 14. ex Rotæ deciſione in vna Vliſbonenſi 1625. Et ratio eſt, quia inde ſequeretur magnum clauſuræ detrimentum, & quod moniales ex ſuo delicto commodum, & vtilitatem reciperent, dareturque occaſio, vt aliquot ipſarum incorrigibilitatem fingerent, vt vel ſic eiici poſſent. Quare, etſi in iure communi ſtando id licitum eſſet, vt habet Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 6. & forſan ex priuilegio Innocentij III. pro Ciſtercienſibus, quod refert Hieronymus Rodriguez *in compend. Queſtion. Regular. reſolut.* 57. *num.* 3. propter deciſiones tamen adductas, & praxim Eccleſiæ, nullatenus admitti debet expulſio Monialis à Religione.

16 Addendum etiam, nec ad aliud monaſterium eiuſdem religionis transferri debere Monialem correctionis vel punitionis gratia, Sede Apoſtolica inconſulta. Ratio eſt, quia etſi id iure communi vetitum non ſit, quinimò aliquo modo permiſſum *in cap. quoniam, de Simonia*, & ita ſentiunt Rodriquez *tom.* 1. *Queſtion. Regular. quæſt.* 49. *art.* 5. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 15. *num.* 47. Portellus *in dub. Regular. verbo Clauſura Monialium*, *num.* 22. & Bonacina *ſuprà*, *num.* 12. nihilominus oppoſitum videtur declaratum à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium his verbis: *Monialem nullam ſibi ſubiectam ex vno monaſterio ad aliud tranſmittere poſſunt locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares, etiam ex cauſa ſeditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati*, Barboſa *in dictis Collectan. Bullarij, verbo monialium tranſlatio* 8. Tamburinus *ſuprà*, *diſp.* 21. *quæſit.* 5. *num.* 4. Vult ergo Sacra Congregatio, quod Monialis incorrigibilis, criminoſa, aut ſeditioſa in proprio Conuentu puniatur. Quia tamen Sanchez ſupra dicit oppoſitum in praxi eſſe receptum, videndum eſt, an ea praxis legitima ſit, legitimáve conſuetudine fundata.

17 Pro caſu tranſlationis Monialium ex vno ad aliud Monaſterium, pro inſtitutione Nouitiarum in eo introducendarum, hæc etiam declarauit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in vna Tortonenſi ann. 1603. *Moniales ab vno monaſterio non transferant locorum Ordinarij, aut Superiores Regulares in monaſteria recenter erecta pro Nouitiarum in eo introducendarum inſtitutione, niſi obtenta à Sede Apoſtolica, vel à Sacra Congregatione ſpeciali facultate.* Barb. *ſuprà*.

18 Pro caſu etiam dato tranſlationis monialium ex vno ad aliud monaſterium hæc etiam declarauit Sacra Congregatio. *Moniales vbi ad aliud monaſterium ex iuſta cauſa transferendæ ſunt, tranſlatio debet fieri in aurora, vt illa à paucis conſpici poſſint, atque à perſonis grauibus, & honeſtis, & ſanguine eis proximioribus deducantur.* Armendariz *in Additionibus ad recopilat. legum Nauarræ, lib.* 2. *tit.* 18. *l.* 7. *de Religioſ. num.* 100. Barboſa *ſuprà*, *& de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *num.* 26.

19 In his porrò caſibus tranſlationis monialium ad aliud monaſterium, vel Religionem, an deferre debeant ſecum dotem, & alia bona, quæ ad ipſas ſpectant, dicam infra verbo *Dos*.

20 Circa abſolutionem ab excommunicatione latæ ſententiæ, quam vt dixi eo *cap.* 25. *num.* 19. Pius V. in dicta Conſtitutione, quæ incipit *Decori*, ann. 1569. edita ſtatuit contra moniales egredientes è Clauſura in caſibus non permiſſis, aut eis licentiam concedentes, eas comitantes, vel recipientes, animaduertendum, quod cum ea ſit Papæ reſeruata, ſolum ad ipſum iure ordinario ſpectare poteſt abſolutio ab ipſa. Sanchez dicto *cap.* 15. *num.* 76. Conſequenter etiam ex commiſſione ipſius ſpectabit ad Sacram Pœnitentiariam, & Pœnitentiarios Romæ. Quando autem caſus occultus fuerit, poterit Epiſcopus ab ea abſoluere ex vi decreti Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* Etſi enim aliqui exiſtiment prædictum decretum non habere locum in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis poſt Concilium Tridentinum, propter declarationem Sacræ Congregationis quam afferunt, referuntque etiam alia declaratio Sacræ Congregationis, approbante Gregorio XIII. qua dicitur in delictis occultis materiæ clauſuræ derogatum fuiſſe dicto decreto per conſtitutionem Pij V. (Sanctarellus *Tract. de hæreſi*, *cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 1. & alij apud ipſum) nihilominus, vel quia de iſtis declarationibus authenticè non conſtat, vel quia oppoſitum eſt conſuetudine receptum, ideo poſſe Epiſcopos in hoc caſu, quando eſt occultus, abſolutionem dare, tenent Sanchez *ſuprà*, *dicto num.* 76. Bonacina *de Clauſura*, *quæſt.* 1. *punct.* 5. *num.* 1. *& de Cenſuris*, *diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 5. *num.* 1. §. *an verò*, *& diſp.* 2. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *num.* 40. & generaliter de omnibus caſibus etiam poſt Concilium reſeruatis tenent Toletus *in Summa*, *lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 7. & Vincentius Candidus *tom.* 1. *Diſquiſit. moral. diſquiſit.* 3. *art.* 28. Neque hoc ſolum eſt verum reſpectu ſæcularium, & Monialium Epiſcopis ſubditarum, ſed etiam reſpectu Regularium exemptorum, nec Epiſcopis ſubditorum, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 6. Poterunt etiam à prædicta excommunicatione abſoluere Prælati Regulares habentes facultatem abſoluendi à Cenſuris Papæ reſeruatis, de quibus dixi eo *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 36. animaduertendo tamen, quæ ibidem *num.* 41. animaduertenda duxi. Ad id etiam maximè deſeruit priuilegium Pij V. conceſſum Prælatis Ordinis Prædicatorum, de quo dixi eo *cap.* 18. *num.* 31. quo alij communicationem priuilegiorum cum ipſis habentes vti poſſunt, cum hoc priuilegium conceſſum ſit anno 1571. vt patet ex Bulla, quam refert Confectius *in Collect. Litterar. Apoſtolicar. in Pio V. num.* 10. reſeruatio autem hæc eiuſdem Pij V. facta ſit anno 1569. Tamburinus *ſuprà*,

Digitized by Google

ſuprà diſp.19. quæſit.5. num. 2. Vbi etiam animaduertit, quod eo *num.*13. ego etiam dixi, ſcilicet prædictos Prælatos Regulares vtentes hoc priuilegio Pij V. non poſſe hanc facultatem aliis delegare, quia Pontifex vult, quod id faciant ipſi per ſeipſos. In locis etiam vbi publicatur Bulla Cruciatæ poteſt Confeſſarius ex vi Bullæ electus ab hac Cenſura abſoluere ſemel in vita, & ſemel in morte, iuxta dicta ſupra verbo *Bulla Cruciata, num.*19. Sorbus *in Additionibus ad compend. Priuilegior. Mendicam. verbo ingredi Monaſteria Monialium, num.*11. *§. dica primò.* Sanchez ſupra. Sed pro Regularibus nota, quæ ibi *num.*29. dixi. Imò etiam omnes Confeſſarij, qui communicant in priuilegiis cum Ieſuitis, poſſunt ab illa toties quoties, & vbique abſoluere, propter priuilegium Pauli III. eiſdem Ieſuitis conceſſum, quod retuli eo *tom.*1. *cap.*19. *num.*15. eo præſertim, quod iſte caſus non comprehendatur in illis, quos Sacra Congregatio ſub Clemente VIII. & Sanctiſſ. D. N. Vrbano Confeſſariis prohibuit; de quibus egi eo *num.* 15. 16. *&* 17. Vide Bonacina *loco relato, num.* 2. & Tamburinum dicto *quæſit.*5. *num.*3.

21 Circa diſpenſationem ſaltem quoad forum conſcientiæ, in pœnis illis priuationium, & inhabilitatum, quas tam Moniales egredientes è Clauſura, quam eis licentiam concedentes, comitantes, vel recipientes incurrunt, iuxta dicta eo *cap.*25. *num.*19. dicendum eſt, poſſe in illis diſpenſare, tum Epiſcopos, quando caſus fuerit occultus, propter dicta ſuperius, tum aliquos Prælatos Religionum, iuxta dicta eo *tom.* 1. *cap.*18. *num.*46. *& cap.*10. *num.*35. & iuxta modum ibi præſcriptum. Vide Sanchez *ſuprà, num.*78. Portellum *ſuprà, num.*28. & Bonacinam dicto *punct.*5. & quoddam priuilegium Pauli III. pro Benedictinis infra verbo *Irregularitas, num.*72. Et nota has pœnas non eſſe Papæ reſeruatas.

22 Loquendo verò de Clauſura Monialium quantum ad ingreſſum aliarum perſonarum in ipſarum Monaſteria, licet etiam non pauca dixerim eo *tom.* 1. *cap.*25. *à num.*24. alia tamen, vel pro pleniori notitia addenda ſunt, maximè propter nouas declarationes Sacræ Congregationis, quæ de ea re extant.

23 Et primò, quoad Moniales quibus id prohibetur, an etiam ſint illæ, quæ non promittunt caſtitatem ſimpliciter, ſed ſolùm coniugalem, quales ſunt aliquæ Ordinum Militarium, agit Rodriquez 3. *tom. Summæ, in Additionibus ad cap.*95. *concluſ.*5. & Portellus *ſuprà, in Additionibus ad addit.* Deinde, quoad perſonas, quæ ingredi prohibentur, dixi eo *num.*24. eſſe omnes cuiuſcumque generis, conditionis, aut ſexus, vbi etiam quid de Regibus, & Regnis dicendum, quid de amentibus, aut de pueris infantibus. [Adde quoad amentes, quod etiamſi ipſi, ſi vſu rationis careant, nec peccent ingrediendo, nec incidant in cenſuras contra ingredientes impoſitas, ſecus tamen dicendum eſt de illis, qui cauſa fuerint eorum ingreſſus. Zerola *in praxi Epiſcop. verbo Moniales, ad quæſit.*8. Tamburinus *de Iure Abbatiſſ. diſp.*22. *quæſit.*5. De pueris infantibus dicendum ſimiliter, quod etſi illi nec peccent ingredientes in Monaſteria Monialium, nec incidant in cenſuras dictas, illi tamen, qui fuerint cauſa ingreſſus eorum peccare poſſunt, & incurrere in illas, propter declarationem Sacræ Congregationis, quam eo *num.*24. retuli, & declarationem Clementis VIII. quam refert Paulus Comitolus *in reſponſ. Moral. lib.*6. *quæſt.*19. & S. Congregationis anno 1585. quam refert Scortia *in Select. Concluſ. Theorem.*336. Etſi, vt verum fatear, hæc videantur intelligenda ſolum de pueris in ea ætate conſtitutis, vt poſſint Monialibus occaſionem peccandi eſſe. De quibus Naldus *in Summa, verbo Clauſura, num.* 4. Declaratum etiam eſt à Sacra Congregatione, quod vbi viget conſuetudo, vt puellæ habitum ſuſcepturæ per biduum, aut triduum antea introducantur in Monaſteria, tolerandam eſſe. Gauantus *in Manuali Epiſcopor. verbo Monialium Clauſura, num.*32.

Circa illum Superiorem, qui poteſt concedere licentiam ingrediendi dicta Monaſteria in caſibus permiſſis, iam dixi eo *cap.*25. *num.*25. & etiam *tom.*2. *cap.*1. *n.*22. eſſe vel Epiſcopum reſpectu Monialium ſibi ſubditarum, vel Superiorem Regularem reſpectu earum, quæ ſibi ſubditæ ſunt, licet quoad hoc attendenda ſit conſuetudo, vt ibi adduxi ex S. Congregationis declaratione. [Pro quo etiam extant duæ declarationes S. Congregationis Epiſcoporum & Regularium, vt vidi, alteram pro 3. die Februar. 1634. & alteram pro 16. Nouembris 1635.] Conſuetudine tamen ſecluſa, videtur Superiorem Regularem reſpectu Monialium ſibi ſubditarum plenùm ius habere independenter ab Epiſcopis concedendi hanc licentiam. Sic enim declaratum video à Sacra Congregatione: *Licentias ingrediendi infra ſepta Monialium, ex vera tantum neceſſitate concedendas, quoad Monaſteria Regularibus ſubiecta pertinere tantum ad ipſos Superiores Regulares.* Tamburinus *ſuprà, diſp.*23. *quæſit.*1. Hic verò Prælatus Regularis quandoque eſt Generalis, quandoque eſt Prouincialis, ſeu ipſorum Vicarij, quandoque Prælatus Conuentualis, iuxta morem, & ſtatuta Religionum, & ipſorum Monaſteriorum Monialium, illorum enim eſt hanc licentiam concedere, quorum intereſt clauſuram Monialibus indicere, quod ad dictos Prælatos ſpectare ſolet. Sanchez *dicto lib.*6. *cap.*16. *num.*15. Bonacina *de clauſura, quæſt.*4. *punct.*2. Nomine etiam Epiſcopi, qui poteſt hanc licentiam in prædictis caſibus concedere, intelligitur Vicarius Generalis ipſius ab ipſo habens ſpeciale mandatum. Armendariz *in Additionibus ad recopilat. legum Nauarræ, lib.* 2. *tit.*28 *l.*2. *de Relig. num.* 109. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 102. *num.*38. & Prouiſor à capitulo nominatus. Barboſa *ibidem.* Tamburinus *ſuprà, quæſit.*2. qui id etiam extendit ad Vicarium Generalem Capituli Sede vacante. Quid verò ſit dicendum de Fratribus Minoribus, & de Monialibus Sanctæ Claræ, & Conceptionis, propter ſpecialia Summorum Pontificum decreta, prætermitto, quia ea ſpectant ad particulares Religiones, & in illis præſertim attendendum ſit conſuetudini legitimè introductæ, de quo agunt Rodriguez *tom.*1. *quæſt.*46. *art.*3. *&* 6. Miranda *de Monialibus, quæſt.*2. *art.*2. *&* 3. Caſſarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Ingredi Monaſteria Monialium, à num.*2. Sanchez *dicto cap.*16. *à num.*17. Bonacina *dicta quæſt.*4. *punct.*2. *num.*6. *&* 7. & Tamburinus *ſuprà, quæſt.*4. 24

Hæc porò licentia ingrediendi Monialium Monaſteria debet eſſe primò ſpecialis, vt colligitur ex Tridentin. *ſeſſ.*25. *capit.*5. *de Regularibus*, vbi innouatur Conſtitutio Bonifacij VIII. *cap. Periculoſo, de ſtat. Regular. in* 6. in qua dicitur, *niſi ſpeciali licentia.* Dicitur autem *ſpecialis*, quia non ſufficit generalis pro omnibus, ſed ſpecialis ſaltem quoad genus perſonarum, quibus conceditur, ſcilicet Medicis, Chirurgis, &c. Azor. *tom.*1. *Inſtitut. Moral. lib.*13. *cap.*8. *quæſit.*8. Miranda *ſuprà, quæſt.* 2. *art.* 2. Secundò debet eſſe *in ſcriptis.* Ex Concil. Trident. *loco relato.* Vnde non ſufficit tacita. Coufertius *in priuileg. Mendicant. tit.*20. *cap.*6. Etiam pro foro conſcientiæ. Bonacina *ſuprà, punct.*3. *num.*2. Et ideo, qui ſine licentia in ſcriptis ingrederetur, peccaret mortaliter, & pœnas incurreret, Sanchez *dicto cap.*16. *num.* 32. Intelligenda autem eſt hæc facultas ingrediendi ſolum pro vna vice, niſi aliud in ea explicetur, prout iudicatum fuiſſe dicit Riccius *in prax. for. Eccleſiaſt. deciſ.*649. *in* 1. *edit.* Quando tamen repentina neceſſitas occurreret, & eſſet periculum in mora, ſi Superioris licentia in ſcriptis expectaretur, 25

Google

tur, non eſſet id neceſſarium, quia hic caſus, vel per epicheiam exceptus videtur, vt illi neceſſitati ſuccurratur. Nauarrus *comment.4.de Regular.num.60.verſ.4.* Azor. *ſupra.* Imò in caſu magnæ neceſſitatis, quo eſſet periculum magnum in mora ſi licentia etiam ore tenus petatur à Superiore abſente, licitus erit ingreſſus ſine illa, ſolum cum conſenſu Abbatiſſæ, propter eandem rationem, vel quia tunc præſumitur adeſſe licentia Superioris. Sanchez *ſuprà, a num.*34. Bonacina etiam *ſuprà.* Pro talibus ergo caſibus rectè facient Superiores, ſi Abbatiſſis licentiam concedendi facultatem tribuant. Sanchez *num.*35. Tamburinus *ſuprà, quæſit.*9. Vide 4. tom. verbo *Licentia.*

26 De cauſa porrò legitima concedendi hanc licentiam ingrediendi Monialium Clauſuram, præter dicta eo *cap.*25.*num.*26. Vlterius addendum, eam debere eſſe non ſolum rationabilem, ſed etiam manifeſtam. Ita enim habetur *in cap. periculoſo, de Statu Regular. in* 6. Nauarrus *ſuprà, num.*59. Azor. *ſuprà, quæſt.*6. Manifeſtum quidem non toti populo, aut omnibus, quia rariſſimè id contingit, ſed Superiori licentiam concedenti. Rodriguez *tom.* 1. *Quæſtion. Regular. quæſt.*45. *articulo* 4. *& quæſt.*46. *art.*8. Sanchez *ſuprà, num.*39. Debet etiam eſſe in caſibus neceſſitatis. Ita enim eam explicuit Concil. Trident. *ſupra*, & Gregor. XIII. in Bulla *Vbi gratia.* Bonacina *ſuprà, punct.* 4. *num.*1. Quæ tunc continget, quando aliquid oporteat fieri in Monaſterio, quod per Moniales commodè fieri non poſſit, ſecus enim, ſi per illas poſſet exerceri. Confectior *de Priuileg. Mendicant. titul.* 23. *cap.*7. Sanchez *ſuprà, num.*42. Hinc ſi fortè mulier prægnans in Monaſterio cum licentia moraretur, poſſet obſtetrix ad illam iuuandam tempore partus intrare. Tamburinus *ſuprà, diſp.*24. *quæſit.* Portellus *in Dub. Regular. verbo Clauſura monialium, num. vltim.* Hinc etiam, iuxta dicta eo *cap.* 25. *num.* 26. poſſunt ingredi prædicta Monaſteria Monialium (intellige cum licentia dicta) Confeſſarij, ſeu Sacerdotes miniſtrantes Sacramenta infirmis, quando illæ accedere non poſſunt ad ſolitam feneſtellam, ſecus ſi poſſent accedere, prout deciſum refert Gauantus *in manual. Epiſcop. verb. monialium Clauſura, num.* 39. & hoc quocunque tempore, etiam de nocte, aut pulſato *Aue Maria*, poſita neceſſitate, vt declarauit Sacra Congregatio anno 1593. Tamburinus *ſuprà, quæſit. ſecundo, numero ſecundo.* Declarauit autem Sacra Congregatio 23. Septemb. 1583. quod *Confeſſario Monialis infirmæ confeſſionem audiente cella ianua aperta remaneat, & ambæ comitatrices ad eiuſdem cellæ ianuam morentur, ita vt & Confeſſarius, & infirma ab eis commodè cerni poſſint*, Barboſa *in Collectaneis Bullar. verbo Confeſſarius monialium* 2. Item, quod Confeſſarius Monialium Clauſuram ingreſſus ad adminiſtranda Sacramenta, recta via, & abſque diuerticulo eat, redeatque; nec in alia Monaſterij parte diuagetur, etiam occaſione viſitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum adminiſtratio non eſt neceſſaria. Barboſa *ſuprà.* Vide alia circa prædictos Confeſſarios Clauſuram Monialium ingredientes eo *cap.* 25. *num.* 40. §. *circa eoſdem.* Et nota, quod licet ibi dixerim ex declaratione Sacræ Congregationis apud Gauantum, quam etiam refert Barboſa *ſuprà.* Confeſſarios Monialium adminiſtrantes illis Sacramentum extremæ Vnctionis non poſſe ibi manere poſt talem adminiſtrationem, etiam ad confortandum illas ad bene moriendum, ſeu commendandum Deo ipſarum animas, nihilominus oppoſitum dicitur vſu receptum. Tamburinus *ſuprà, quæſit.*1. *num.* 6. Videturque ſatis rationabile, vt habent Llamas *in Method. curat. in appendic.* §. 6. *verſ. addimus inſuper.* Sanchez *ſuprà, num.*48. Addit etiam Peirinis *tom.*2. *Priuilegior. Minimor. in Conſtit.*6. *Pij V. num.*30. poſſe ingredi Sacerdotem ad deferendum Moniali infirmæ inſignem aliquam reliquiam: quod non admitterem, niſi legitima conſuetudine eſſet introductum, cum hoc non pertineat ad neceſſitatem, ſed ad deuotionem, & declarationes Sacræ Congregationis adductæ valde vrgeant.

27 De ſocio Confeſſarij miniſtraturi Sacramenta Monialibus infirmis dicendum eſt ingredi poſſe, & debere cum illo, prout colligitur ex quadam declaratione Sacræ Congregationis 21. Februar. 1617. quam affert Barboſa *ſuprà.* Nec tunc requiritur expreſſa licentia pro eo, diuerſa ab ea, quam habet Confeſſarius, quia comprehenditur in priuilegio Confeſſarij, propter connexionem actionis. Tamburinus *ſuprà quæſit.* 3. *num.*3. Declarauit autem eadem Sacra Congregatio apud eundem Barboſam *ibid.* hunc ſocium debere eſſe ætatis ſupra quinquaginta annos, & vitæ exemplaris. Sed licet hoc poſterius ſemper obſeruari debeat, illud tamen prius de illa ætate, non niſi cum commodè talis ætatis ſocius reperiri poſſit. Declarauit autem eadem Sacra Congregatio apud eundem Barboſam *ſuprà*, tam Confeſſarium, quam eius ſocium alloqui non poſſe Moniales ſine licentia Sacræ Congregationis. Tamburinus *ſuprà num.*5.*&* 6.

28 Non poſſe tamen admitti ingreſſum alicuius intra Monaſteria Monialium ſub prætextu exorcizandi aliquam Monialem energumenam, & modum quo id ſit faciendum, ſic præſcripſit apud Aldanam *in Compend. Canon. reſolut. lib.*2.*tit.* 10. *num.* 26. & Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Monialium Clauſura circa egreſſum, num.* 4. Sacra Congregatio. *Monialis nulla energumena infra monaſterij ſepta à quocumque Presbytero ſæculari, vel regulari, etiam confeſſario exorcizetur, ſed ad Eccleſiam exteriorem eiuſdem monaſterij, obtenta prius à Sacra Congregatione licentia, ea de cauſa deducatur, vel transferatur. In tranſlatione autem huiuſmodi, ſicut & in actu exorcizationis, honeſta perſona conſanguinea, vel aliæ mulieres prouectæ ætatis, ac probæ conuerſationis energumenam comitentur. Exorciſta ſit ad actum huiuſmodi ab Ordinario approbatus. Exorcizatio minori, quo poterit, fiat ſtrepitu. Eccleſiæ ianua eò vſque occluſa remaneat, quouſque exorcizatione completa, ad monaſterium energumena reducatur. Ceterùm tam in reditu, quàm in acceſſu ad Eccleſiam aut monaſterium reſpectiuè, rectè & ſine diuerticulo tendatur.*

29 Similiter, quamuis iuxta dicta eo *cap.* 25. *num.*40. §. *Circa eoſdem*, neque prætextu ſepeliendæ Monialis, aut Officium funerale faciendi liceat Confeſſario ingredi clauſuram Monialium, conſuetudine tamen aliquibus in locis introductum eſt contrarium, prout Toleti in quodam Monaſterio Monialium vidi; & de aliis locis idem affirmare videntur Andreas Victorellus *de origin. & clauſur. Monial.* §. *An Confeſſor ad exequias, pag.*49. Portellus *in dub. Regular. verb. Clauſura Monial. num.*11. & Tamburinus *ſuprà quæſit.* 5. An verò etiam id liceat, quando aliquis ſæcularis ſepelitur intra Clauſtra Monaſterij Monialium, attendendum videtur ad moralem neceſſitatem, quæ tunc contingit cum Moniales id munus per ſe ipſas præſtare nequeant. De quo iidem auctores, præſertim Portellus, *ibidem, & in additionibus, numero* 3.

30 De Medicis, Chirurgis, ſanguinis minutoribus, fabricatoribus, portatoribus lignorum, & ſimilibus, dixi eo *cap.* 5. *numero* 26. poſſe ingredi Monialium clauſuram, de licentia tamen, vt dixi. Quod idem de Oeconomo Monaſterij in caſu quo quærendum neceſſariò eſt aliquod inſtrumentum in Archiuio intra Monaſterium exiſtente, & Moniales neſciunt id facere, habent Llamas *in Method. Curat. in Appendic.* §. 6. Sanchez *ſuprà num.*55. Quo autem comitatu ingredi prædicti debeant, ex conſuetudine, & ſtatutis Monaſteriorum deſumi debet, maximè

ex Conſtitutionibus Pontificiis, ſi quæ fuerint circa hoc. Caſſatubius *in Compend. Priuilegior. Mendicant. verbo Ingredi Monaſteria, notab. 5. verſic. quintus caſus.* Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 102. *num.* 55. Nota, quod licentia pro Medicis, Chirurgis, operariis, & ſimilibus concedi ſolita ſingulis quibuſque trimeſtribus, renouari debet ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regularium. Sellius *in ſelect. Canon. cap.* 58. *num.* 28. Tamburinus *ſuprà quæſt.* 6. *num.* 7.

31 Caſu quo Malefactores ad Monaſteria Monialium confugiant, admittendi non ſunt ab ipſis, dedecet enim earum ſtatum, & ſeaum id facere. Sanchez *ſuprà num.* 59. Si autem ipſi vi ingrediantur Clauſuram, prout iuſtè id aliquando facere poſſunt, ſi ſibi timeant mortem, aut aliquod magnum malum (Sanchez *ibidem*, & Bonacina *ſuprà quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 13.) ceſſante tamen periculo non poſſunt ibi manere. Bonacina *ibidem*. Si verò nolunt inde exire, & non gaudeant Immunitate Eccleſiaſtica, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 83. ea Conſtitutione Gregor. XIV. & *ſuprà* verbo *Bannitus*, & infra verbo *Immunitas Eccleſiaſtica*, tradi poſſunt Curiæ Eccleſiaſticæ, iuxta modum præſcriptum in dicta conſtitutione; ſi verò illa gaudent, ad minus extrahi debent è clauſura Monaſterij, & poni in alio loco ſacro extra illam, data etiam facultate in vtroque caſu viris ad illos eiiciendum è clauſura. Sanchez *ſuprà num.* 58. Bonac. *ſup.*

32 Epiſcopi, ſiue alij Superiores Regulares ingredi poſſunt clauſuram Monialium ſibi ſubiectarum viſitationis, ſeu alterius rei neceſſariæ cauſa. Ita enim ſupponitur in Bulla Gregorij XIII. *Dubiis, quæ emergunt*, quam retuli eo *cap.* 25. *num.* 55. Cauſa verò electionis faciendæ non licet illis ingredi clauſuram Monaſterij, ſed ante cancellorum feneſtram facienda eſt, prout decernitur in Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. & iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 56. *num.* 1. ac iuxta declarationem Sacræ Congregationis infra afferendam. In caſu tamen magnæ reuolutionis Monialium, propter quam timeretur electionem non poſſe fieri legitimè non interantibus prædictis Superioribus intra clauſuram, poſſent ingredi, talis enim caſus verè eſt caſus neceſſitatis. Miranda *de Monialibus, quæſt.* 5. *art.* 15. *concluſ.* 3. Barboſa *dict. Allegat.* 102. *num.* 47. Cauſa verò dandi habitum Nouitiis, aut Nouitias profeſſandi, vel Abbatiſſas conſecrandi, vel ſolemniter velum concedendi Monialibus, aut interueniendi electioni, aut Moniales examinandi, cum hæc omnia ad crates fieri debeant, non poſſe prædictos Prælatos clauſuram Monialium intrare, declarauit Sacr. Congregatio apud eundem Barboſam *de Iure Eccleſiaſtico, num.* 171. & Tamburinum *ſuprà quæſit.* 8. Debent autem ingredi prædicti Prælati comitati *à paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis*. Ita enim decreuit Gregorius XIII. in prædicta Bulla. Vnde tres poſſe eſſe huiuſmodi ſocios admittit Miranda *ſuprà*, licet (quod mihi non placet) alij etiam quatuor, aut quinque admittere videantur. Tamburinus *quæſit.* 10. Ex Victoſello relato. Qui per *Religioſas perſonas*, etiam ſæculares Religioſis moribus, & pietate decoratas, & etiam Matronas ſeniores ſanctimoniâ claras intelligunt.

33 Domini autem Cardinales, aut Epiſcopi, ſiue alij Prælati ingredi non poſſunt Monaſteria Monialium ſibi non ſubiectarum, propter deciſiones *cap. Periculoſo*, & Concilij Tridentini, & conſtitutiones Pontificias, de quibus *ſuprà*. Miranda *de ſacris Monialibus, quæſt.* 1. *art.* 13. Id etiam quoad Epiſcopos deciſum refert in vna Ianuenſi 10. Maij 1631. Aldana *in Compend. Canonicar. reſolut. lib.* 3. *tit.* 55. *num.* 8. & quoad Vicelegatum ex decreto Sacræ Congregationis apud Gauantum *in Manual. Epiſcop. verbo monialium clauſura, num.* 29. qui *num.* 30. ſubdit, quod Magiſtratus, & deputati ad curam Monialium non debeant ingredi cum Epiſcopo, niſi eos elegerit, ex Sacr. Congregatione 1. Martij 1581. Et *num.* 65. ait ea eadem Sacra Congregatione 15. Ianuarij 1616. haberi, quod Epiſcopus non permittat deputari à ciuitatibus aliquos, qui comitentur viſitatores Monialium Regularibus etiam ſubiectarum. An verò ſub prætextu Clauſuræ viſitandæ poſſint prædicti ingredi Monaſteria Monialium ſibi non ſubditarum, alibi dicetur.

De fœminis, cum etiam ipſis prohibitus ſit ingreſſus in Monaſteria Monialium ex *cap. periculoſo*, Concil. Trident. & Bullis Summorum Pontificum, dixi eo *cap.* 25. *num.* 24. ſpecialiter de viduis, vel coniugatis, an poſſint ob grauem cauſam admitti intra Monaſteria Monialium, & dicto *cap.* 25. *num.* 28. Vide & Tamburinum *ſuprà quæſit.* 54. De Moniali egreſſa è ſuo Monaſterio, an poſſit in aliud eiuſdem vel alterius Ordinis ingredi, vide Llamas *in Method. curat. in Appendic. in fine*, §. 11. & Sanchez *ſuprà n.* 9. & 10. Mihi enim ſolùm videtur dicendum poſſe ingredi monaſteria ſui Ordinis, aut habitus, non verò alterius, quia reſpectu illorum non cenſetur perſona extranea, ſed tantum reſpectu iſtorum. Quid ſentiendum de famulabus, ſeu ancillis monialium, dixi eo *cap.* 55. *num.* 35. Adde, declaratum eſſe in vna Abolenſi, vt refert Barboſa *ſuprà num.* 61. tales famulas clauſuræ legibus teneri. De matribus, & ſororibus monialium, dixi eo *cap.* 55. *num.* 31. ex declaratione quadam Sacræ Congregationis non licere ingredi monaſteria ad viſitandas filias, vel ſorores etiam in mortis periculo. Adde ea eadem Sacræ Congregationis declaratione haberi, multo minus id licere quando profeſſionem emittunt, aut habitum ſuſcipiunt. Tamburinus *ſuprà quæſit.* 17. De puellis autem ſæcularibus quid ſentiendum, dixi eo *cap.* 25. *num.* 29. 34

Circa cenſuras autem, & pœnas quas incurrunt Ingredientes Monaſteria monialium, vel talem ingreſſum permittentes, de quibus egi dicto *cap.* 25. *num.* 57. eodem modo reſpectiuè philoſophandum videtur quoad abſolutionem, & diſpenſationem, ac de cenſuris, ac pœnis quas incurrunt ipſæ Moniales egredientes è Clauſura, aut eis licentiam concedentes, comitantes, &c. de quo *ſuprà à num.* 20. dixi. Quare ab excommunicatione quam incurrunt ſimpliciter ingredientes ſine neceſſitate, & licentia in ſcriptis ea vi decreti Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. cùm ea nulli ſit reſeruata, poſſunt abſoluere iure ordinario Epiſcopi, & Prælati Regulares ſuos ſubditos reſpectiuè, & quilibet Confeſſarius approbatus ſuos pœnitentes, propter doctrinam ſæpius traditam *ex cap. nuper, de ſentent. excommunicat.* Dixi ſimpliciter ingredientes; nam ab excommunicatione quam ex Gregor. XIII. in Bulla *Vbi gratia*, anno 1575. in 2. tom. Bullar. Laërtij inter conſtitutiones illius *num.* 58. incurrunt præſumentes ingredi prædicta monaſteria prætextu facultatum obtentarum, & ingreſſum permittentes, cum ſit Papæ reſeruata nullus abſoluere poteſt, niſi ipſe, Pœnitentiarij ipſius, & Epiſcopi, vel Prælati, ſeu Confeſſarij, qui habent priuilegium abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus Papalibus, iuxta dicta ſuprà *num.* 20. Dixi etiam ſimpliciter ingredientes, nam ingredientes, ſeu violantes Clauſuram monialium *ad malum finem*, incident in caſum Papæ reſeruatum, vt notant Bonacina *ſuprà quæſt.* 4. *punct.* 5. *num.* 2. & Tamburinus etiam *ſuprà diſp.* 55. *quæſit.* 1. *num.* 3. ex decreto Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. quod retuli *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 15. Sed hoc intellige ſolum in Italia, propter dicta ibi, & *num.* 16. & reſpectu ſæcularium, vt notat Peirinis *tom.* 2. *Priuilegior. Minim. in Conſtitutione* 6. *Pij V. n.* 45. Qualiter etiam alius caſus violationis Clauſuræ monialium, ingrediendo earum monaſteria *ſine neceſſaria vrgenti cauſa, ac ſine Superiorum licentia, vel* 35

etiam cauſa, & licentia, abutendo omnino, Papæ reſeruatus ſit, ita vt nec per priuilegia abſolui poſſint ab illis Confratres: conſtat ex dictis *tomo 2. capite 15. num. 16.* ex Bulla *Quæcumque à Sede*, Clement. VIII. ibi relata, & ex Reuerend. Theodoro Stratio *in Inſtruct. pro Carmelitis, cap. 7. num. 1.* Quia tamen in prædicto decreto, & Bulla Clementis VIII. ſolum eſt ſermo de Confeſſoribus ſæcularium, ideo Prælati Regulares habentes facultatem abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus Papalibus, iuxta dicta ſupra eo *num. 20.* poterunt illos abſoluere à prædictis excommunicationibus. De quo Peirinis *ſupra*. In locis etiam, vbi publicatur Bulla Cruciatæ abſolui poſſunt ſæculares illam habentes ſemel in vita, & ſemel in morte, iuxta dicta eo *num. 20.* & verbo *Bulla Cruciata, num. 19.* An verò etiam ipſi Regulares hoc priuilegio Bullæ, vti poſſint, vide dicta eodem verbo *Bulla Cruciata, num. 29.* Ex quo patet, quid dicendum ſit de abſolutione ab aliis Cenſuris, Excommunicationis, Interdicti, & Suſpenſionis ab eodem Gregor. XIII. in alia Conſtitutione *Dubiis quæ*, contrà Prælatos illegitimè ingredientes dicta Monialium Monaſteria inflicta. Quid verò dicendum de diſpenſatione in pœnis priuationum, & inhabilitatum, quæ in eiſdem Conſtitutionibus continentur, conſtat ex dictis ſupra *num. 22.* & locis ibi relatis, Pro quo vide Portellum *in dub. Regular. verbo diſpenſare, num. 10.* Specialiter etiam, quid importet Cenſura illa ſuſpenſionis à diuinis, quæ in ea Conſtutione *Dubiis*, quæ ponitur contra Prælatos intrantes Monaſteria Monialium, præterquam in caſibus neceſſariis, dicetur infrà verbo *Suſpenſio*.

36 Ex dictis quoque elicitur, quomodo intelligendæ ſint pœnæ aliæ, ſeu cenſuræ antiquiores Gregorij IX. Bonifacij IX. Eugen. IV. & Iulij II. impoſitæ contra ingredientes peculiaria Monaſteria Monialium, quas referunt Caſſarubius *in Compend. Priuilegior. Mendicant. verbo Ingreſſus Monaſteriorum monialium*, & Rodriguez *tomo 1. Quæſtion. Regular. quæſtion. 74. art. 1. & 2.*

CLERICVS.

SVMMARIVM.

1 *Clerici nomine qui veniant.*
Qui, & quot Clerici dicantur. ibid.
2 *Canonis priuilegium quod ſit.*
3 *Quid denotetur in illo per verbum*, Si quis.
4 *Quid per verbum* Suadente diabolo.
5 *Quid per* Clericum.
6 *Quid per* Monachum.
7 *Quid per* violentas manus.
8 *An hæc excommunicatio Canonis extendatur ad mandantes, conſulentes, &c.*
9 *Qui ſint caſus, in quibus percuſſor Clerici excommunicationem non incurrit.*
10 *Qui clerici priuentur hoc priuilegio.*
11 *Verba illa Canonis* Nullus Epiſcopus, &c. *qualiter intelligenda.*
Triplex eſt percuſſio Clerici; leuis, mediocris, grauis, ſeu enormis. ibid.
12 *A percuſſione leui quis abſoluat.*
13 *A percuſſione mediocri.*
14 *A graui, ſeu enormi.*
15 *Quid de illis, qui non poſſunt adire ſummum Pontificem.*
16 *Maximè de Religioſis.*
17 *Quid quando Prælatus ſubditum percuſſerit.*
Quid ſi ad inuicem ſe percuſſerint. ibid.
18 *An aliqui Confeſſarij ab hoc caſu abſoluant.*
19 *Priuilegium fori quid importet.*
Quomodo intelligendum. ibid.
Quomodo abrogari poſſit. ibid.
20 *Qui clerici hoc priuilegio fruantur.*
Qui non fruantur. ibid.
21 *De aliis, de quibus id aſſeritur.*
22 *Gaudent hoc priuilegio Religioſi.*
23 *An Conuerſi, oblati, ſeu donati.*
24 *Qualiter Eccleſiaſtici iudicari non poſſint à laica poteſtate.*
25 *An aliquando capi poſſint.*
26 *Quid ſi Prælati ipſorum negligentes ſint in illorum correctione.*
27 *Quid ſi Eccleſiaſtici fuerint periuri.*
28 *Aut crimen læſæ Maieſtatis commiſerint.*
29 *Aut aſſaſſini, vel ſodomitæ fuerint.*
30 *Aut deliquerint in aliquo officio ſæculari.*
31 *Aut cum armis reperti fuerint.*
32 *Priuilegio hoc fori etiam Regulares potiuntur.*
33 *De Conſtitutione Sanctiſſ. D. N. Vrbani.*
34 *Alia remiſſiuè.*

CLericus dicitur à *Cleros* Græcè, quod Latinè ſonat *Sors*, vel hæreditas, quia ſcilicet eſt de ſorte, aut hæreditate Domini, *cap. Cleros, diſt. 21.* Syl- a
ueſter *in Summa, verbo Clericus 1. num. 1.* Hinc appellatione Clericorum, non ſolùm veniunt Clerici ſæculares in ſacris, aut minoribus conſtituti, vel prima tonſura decorati, vt per ſe patet, ſed etiam, ſaltem in fauorabilibus, Cardinales Epiſcopi, & alij ſimiles Prælati, imò etiam omnes Regulares vtriuſque ſexus, etiam Nouitij. Quia omnes iſti ſunt de ſorte Domini, & Dei cultui ſpecialiter dicati. Syluest. *ſuprà*. Bonacina *de legib. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 1. §. 2.* Dixi in fauorabilibus, quia in materia odioſa Clerici nomine non veniunt omnes illi. Syluester *ibidem*. Naldus *in Summa verbo Clericus, num. 1.* Deinde Clerici alij ſunt Regulares, qui ſub Regula aliqua approbata tria vota Religionis emittunt, vt ſunt Ieſuitæ, Theatini, & alij, de quibus *tom. 2. cap. 4.* egi: alij verò ſæculares, ſic dicti, non quia ſint laici & propriè ſæculares, *cap. Clerici vel ſæculares, 13. quæſt. 2.* ſed quia inſtar laicorum in ſæculo viuunt, & propria bona poſſident, non facta alicuius Regulæ profeſſione, Bonacina *ſup. num. 4.* De omnibus ergo, qui Clericorum nomine cenſentur, ac per conſequens etiam de Regularibus, in præſenti agendum, quoad duo ipſorum præcipua priuilegia, quæ *Canonis*, & *Fori* appellantur, quia de aliis ab ipſos ſpectantibus in diſcurſu operis tractatur.

Canonis ergo priuilegium eſt id, quod habetur *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4.* ex Innocent. II. vbi ſic: *Si quis ſuadente Diabolo huius ſacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat.* Faciunt *caput Non dubium, & c. cum illorum de ſentent. excommunicat.* 2

Aptatur ad intentum reſolutio cuiuſdam dubij mihi propoſiti circa obligationem clericorum Beneficiariorum ad geſtandum tonſuram, & habitum clericalem. Reſpondi autem talem obligationem eſſe ſub peccato mortali. Sic colligo ex Victoria citato à Bañez 2. 2. *quæſt. 12. art. 1.* Nauarro *in Summa, cap. 25. num. 110.* Sylueſtro *verbo Clericus 2. num. 21.* Armilla *num. 11.* Henric. *lib. 13. cap. 39. num. 3.* Sayro *in Claui Reg. lib. 11. cap. 12. num. 4.* Panormitano *in cap. ſi quis, num. 11. de vit. & honeſt. cleric.* Laymano *lib. 5. tract. 9. cap. 12. num. 3.* Reginaldo *lib. 30. num. 10.* Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. Allegat. 9. num. 11.* Baldello *lib. 3. diſp. 32. num. 11.* Ratio eſt, quia multis iuribus id ipſis præcipitur; & cum ſit in materia graui, obligatio erit ſub mortali. Primò enim *can. non liceat, diſt. 23.* dicitur, oportere quod 3

clerici

Digitized by Google

clerici comam non nutriant, *ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundùm Aaron talarem veſtem induere, vt ſint in habitu ornato.* Secundò, quia *in cap. clerici, de vit. & honeſt. clericor.* generaliter dicitur de clericis, *coronam & tonſuram habeant congruentem:* & infrà, *clauſa deferant deſuper indumenta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda.* Tertiò, quia in *Clem. Quoniam, de vit. & honeſt. cleric.* rigide id præcipitur, magnis contra tranſgreſſores pœnis impoſitis. Quartò, quia in Bulla Sixti V. *Cum Sacroſanctam,* ſtatutum eſt, vt clerici etiam in minoribus, vel prima tonſura, beneficia, aut penſiones obtinentes, etiam coniugati, aut exempti, tonſuram, & habitum clericalem, veſtes ſcilicet talares, vel ſi milites ſint, habitum ſuæ militiæ conuenientem deferre debeant: & in futurum talibus ſolùm beneficia conferri, aut penſiones reſeruari poſſint, qui actu clerici exiſtant, in habitu clericali, & tonſura, vel militibus in habitu ſibi conuenienti incedentibus, aliàs prouiſio, ſeu reſeruatio ſit nulla. Item vt clerici, ſi habitum, aut tonſuram non geſtauerint, & milites habitum ſuæ Religionis, vt ſupra, ipſo iure ſint priuati omnibus officiis Eccleſiaſticis, nulla monitione, aut ſententia expectata, & beneficia habentes talibus penſionibus grauata non teneantur vlterius eas ſoluere, & ea beneficia ſic amiſſa perpetuò remaneant collationi Sedis Apoſtolicæ reſeruata. Quarto, quia in Conc. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 6. de Reformat.* idipſum præcipitur innouando, & ampliando pœnas Clementinæ. Sexto conformiter ad dicta. Quia cum tam graues, & quaſi enormes pœnæ impoſitæ ſint clericis non geſtantibus coronam, & habitum clericalem, manifeſtè inferri videtur, hoc eſſe peccatum mortale; quia ex communi Theologorum placito tam graues pœnæ non ſolent ab Eccleſia imponi pro peccato ſolum veniali. Præterea, quia clerici obligantur à iure ad habitum clericalem, ſicut Religioſi ad habitum Regularem, quia vtrique notabiliter oſtendunt honeſtatem ſui ſtatus talem habitum deferentes: cum ergo Religioſi habitum Regularem dimittentes ſine dubio mortaliter peccent, ſic & clerici. Denique, quia tales clerici habitum & tonſuram relinquentes videntur, ſaltem externè apoſtatare ab ordine clericali, illumque deſerere, quod neque eſſe ſine peccato mortali ait Theſaurus *in praxi, part. 2. c. 4. num. 1.* Qui etiam *num. 3.* iudicat eos incurrere infamiam: infamia autem, cum ſit pœna grauiſſima, ſupponit culpam mortalem. Quare Henriquez *lib. 10. c. 11. num. 1.* & ſi qui ſunt alij oppoſitum aſſerentes, ſolum accipi debent, quando tales clerici ex iuſta cauſa, vel ex leuitate quadam ad modicum tempus id faciunt, etiam coram ſæcularibus. Quia tunc cum abſit contemptus, ac temeritas, excuſari poſſunt à culpa mortali. Sic colligo ex Marco Vidali *in Arca vitali de ſtat. Eccleſ. inquiſ. 1. num. 55.* Addo, quod Henriquez relatus ſolùm videtur loqui de clericis ſimplicibus, non de beneficiariis, de quibus eſt ſermo in præſenti, & in quibus eſt maior obligatio ad deferendum talem tonſuram, & clericalem habitum.

3 Pro cuius explicatione notandum per particulam illam. *Si quis*, etiamſi maſculini generis ſit, denotari, non ſolum virum, ſed etiam fœminam, prout ex Gloſſa, & Archidiacono approbat Syluester *in Summa verbo Excommunic. 6. num. 1.* & notat Toletus *lib. 1. cap. 31. num. 1. ex cap. mulieres, de ſentent. excommunicat.* Nomen enim maſculini generis, etiam fœminas comprehendere dixi *tom. 1. cap. 25. num. 15.* ex Nauarro, & Suarez. Comprehenduntur ergo vocabula illa *Si quis*, omnes vtriuſque ſexus; Ordinis, & Dignitatis perſonæ, quæ excommunicationis capaces ſunt, vt ait Layman. *lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 5. num. 3. §. Vocula.*

4 Per verbum *Suadente Diabolo*, denotatur hanc iniectionem manuum pro qua infligitur hæc excommunicatio, debere eſſe grauem, ſeu notabilem, itavt ſit peccatum mortale. Solum enim propter peccatum mortale infligitur excommunicatio maior, iuxta dicta ſuprà verbo *Cenſura Eccleſiaſtica, num. 10.* Toletus *ſup. num. 4.* Laymanus *ſup. num. 5.* Pro quo notandum, ad incurrendam hanc excommunicationem requiri, quod actus internus percutiendi peccatum mortale ſit, & quod ipſa etiam externa percuſſio ſit etiam mortale peccatum. Vnde ſi intentio interna percutiendi ſit mortalis, percuſſio verò ipſa externa venialis, quia exigua, non incurretur excommunicatio iſta, cenſura enim grauis non contrahitur, niſi propter peccatum mortale externum, iuxta dicta ſupra verbo *Cenſura Eccleſiaſtica*, Bonacina *de Cenſuris, diſp. 1. quæſt. 1. punct. 3. n. 7. §. ex quo patet.* Similiter, etiamſi percuſſio exterior fuerit grauis, ſi intentio interior non fuerit peccatum mortale, quia ſcilicet non fuit cum perfecta deliberatione, &c. nec contrahetur excommunicatio. Ratio eſt, quia excommunicatio non contrahitur, niſi per actum externum, qui ſit peccatum mortale. Actus autem externus non eſt peccatum mortale, niſi quando internus à quo imperatur, & à quo deſumit malitiam, etiam eſt peccatum mortale. Laymanus *ſup.*

Per *Clericum* intelliguntur non ſolum Preſbyteri, 5
Diaconi, & Subdiaconi, ſed etiam conſtitui in aliquo ex Minoribus Ordinibus, aut initiati prima tonſura, *cap. cùm contingat, de ætat. & qualitat.* Syluester *in Summa, verbo Excommunicatio 6. num. 3.* Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 79.* Amplia, etiamſi iſti habitum Clericalem, aut tonſuram non deferant, vel non deſeruiant alicui Eccleſiæ, vel non verſentur in aliqua vniuerſitate, vel ſchola de licentia Epiſcopi, quia in dicto *cap. cùm contingat*, hoc conceditur, omnibus prædictis, nec eſt ſublatum à Concilio Tridentino, quod ſolum loquitur loco inferius afferendo de priuilegio fori, non de priuilegio Canonis. Vnde video declaratum à S. Congregatione, nihil eo loco diſpoſuiſſe Concilium circa priuilegium Canonis. Vide Bonacinam *de legibus, diſp. 10. quæſt. 2. puncto 1. §. 4. num. 20.* & nota id intelligendum, dummodo ab Epiſcopis ter admoniti non ſint, vt habitum & tonſuram deferant, iuxta dicenda inferius. Amplia etiam hoc priuilegium ad prædictos, etiamſi coniugati ſint, dummodo non ſint bigami bigamia reali, aut interpretatiua, iuxta dicta ſupra verbo Bigamus, *num. 10. & 11.* & portent habitum, & tonſuram Clericalem, *ac alicuius Eccleſiæ ſeruitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant, vel miniſtrent.* Ex *cap. 1. de Cleric. coniugat. in 6.* Concil. Trid. *ſeſſ. 23. de reformation. cap. 6.* Laymanus *ſup.* Bonacina *de Cenſuris, diſp. 2. quæſt. 4. punct. 1.* Amplia etiam ad Clericos iſtos coniugatos cum virgine, qui relicto habitu & tonſura, poſtea illa reaſſumpſerunt, dummodo enim non ea reaſſumpſerint in fraudem, gaudent hoc priuilegio. Toletus *ſup. num. 4.* Bonacina *ſup.* Imò etiam ad clericos excommunicatos, interdictos, ſuſpenſos, irregulares, & degradatos ſolum verbaliter, & non realiter. Nauarrus, & Toletus *ſuprà.* Quando tamen clerici etiam in maioribus conſtituti perdant hoc priuilegium Canonis, inferius dicetur.

Per *Monachum* intelliguntur omnes Religioſi vtriuſ- 6
que ſexus, etiam conuerſi, & conuerſæ, Nouitij, & Nouitiæ, iuxta dicta *tom. 1. cap. 3. n. 16.* Imò & Religioſi bigami. Nullo enim iure conſtat ipſos priuari hoc priuilegio, ſicut priuantur clerici. Sylu. verbo *Bigamus, q. 8.* Bonacina *ſup. n. 6.* Idem dico de Religioſo, qui habitum dimiſit, per ſolam enim dimiſſionem habitus non perditur priuilegium Canonis. Bonacina *ſuprà punct. 4. n. 6. §. Hinc colligi poteſt.* Quid verò ſentiendum de Equitibus militaribus, dixi *tom. 2. cap. 5. n. 18.* Quid etiam de Eremitis, eodem *tom. 2. cap. 7. num. 6.* Quid de oblatis, eo *tom. 2. cap. 8. num. 6.* Quid verò de Tertiariis, ſiue viris, ſiue fœminis, eo etiam *tom. 2. cap. 14. num. 39.*

7 Per *violentas manus* ſignificatur quæcumque iniurioſa, ſeu contumelioſa actio exterior, ac corporalis, non verbis, ſed facto, clerici, vel Monachi perſonam, vel res ei adhærentes contingens, cuiuſmodi ſunt occidere, venenum propinare, mutilare, vulnerare, percutere manu, pede, enſe, fuſte, &c. vel eum violenter detinere in aliquo loco, vel eripere aliquid per vim ab ipſo, vel ipſum aqua, puluere, lapillis, &c. conſpergere, aut perſequi eum, vt in foueam, vel fluuium incidat, equo decidat, &c. ſeu inijcere manus violentas in equum, cui inſidet, illum occidendo, vulnerando, percutiendo, aut retento freno ſiſtendo. Sic enim communiter ferè Doctores intelligunt verbum illud *manus violentas*. Legantur Syluester *ſuprà num.5.* Caietanus *in Summ. verbo Excommunicatio, cap.* 10. Toletus *ſuprà num.2.* Suarez *5.tom.diſp.22.ſect.1.num.23.* Bonacina *ſupra, à num.11.* Laymanus *ſupr.num.5.* & alij. Qui id extendunt ad ipſum Clericum, ſi ipſe ſe percutiat, aut conſentiat percuſſioni, quia vtroque modo iniuriam infert Ordini Clericali, licet oppoſitum ea multis tueatur. Naldus *in Summa verbo Clericus, num.19.* Limitant tamen aliqui in eo, qui clam furatur marſupium clerico, aut illum dormientem veſtibus ſpoliat, aut præſcindit cingulum quo cingitur, quia iſtæ actiones non cenſentur violentæ. Ita Bonacina *ſuprà n.14.* referens Sà, Saytum, Reginaldum, & alios. Licet Naldus *ſupr.num.21.* in oppoſitum inclinet.

8 Maximè tamen extenditur hæc excommunicatio ad mandantes, conſulentes, conſentientes, & non impedientes (intellige ſaltem quando ex officio, ſeu ex iuſtitia tenebantur impedire) & ratam habentes percuſſionem Clerici ſuo nomine factam. Ratio eſt, quia licet regulariter loquendo cenſura contra aliquid facientes non extendatur ad prædictos mandantes, conſulentes, &c. niſi id exprimatur, vt habent Nauarrus *in Manual. cap.27. num.51.* & Sanchez *lib. 3. de Matrimon. diſp.49.* quia tamen *in cap. Mulieres, §. vltim. & cap. quanta, de ſentent. excommunicat. & cap. Cum quis, eodem titul. in 6.* ſupponitur hanc excommunicationem ad prædictos extendi, accedente etiam communi Eccleſiæ, & Doctorum conſenſu, ideo ita aſſerendum. Nauarrus *ſuprà num.* 78. Suarez *dicta ſect.* 1. Vt verò ratam habentes percuſſionem huiuſmodi incurrant hanc excommunicationem, requiruntur aliquæ conditiones, de quibus Toletus *ſuprà à num. 6.* Suarez *ſuprà*. Bonacina *ſupr. punct.3.* Vide dicta verbo *Bulla Cœnæ, num.32. & 33.* circa caſum 11. Quid etiam dicendum caſu quo quis mandans, vel ſuadens percuſſionem clerici, mandatum, vel conſilium reuocet, agit Laymanus *ſuprà num.6.*

9 Sunt tamen aliqui caſus, in quibus percuſſor Clerici, vel Monachi non incidit in hanc excommunicationem. Primus, quando ignorat eſſe Clericum, *cap. ſi verò 2. de ſentent. excommunicat.* iuxta dicta ſuprà verbo *Cenſura Eccleſiaſtica, num.* 11. Nauarr. *ſuprà cap. 27. num.80.* Suarez *ſuprà dicta ſect.* 1. Secundus, quando illum percutit ſolum per iocum, non ex odio, vel indignatione, quia talis percuſſio non cenſetur facta *ſuadente Diabolo, cap.1. de ſentent. excommunic.* Toletus *ſuprà cap.33. num.1.* Tertius, quando id fit fortuitò, vt ſi dum oſtiarius, aut alius officialis Principis irruentem turbam cohibet, fortuitò, & non prauo animo Clericum aliquem, vel Monachum percutiat, propter eandem rationem, *capit. ſi verò, de ſentent. excommunic.* Bonacina *ſupr. punct. 4. num.* 12. Quartus, cum quis percutit Clericum vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defenſionem ſui, vel ſui honoris, aut pudicitiæ, vel rerum ſuarum, *cap. ſi verò, & cap. ex tenore, de ſentent. excommunic.* Huiuſmodi enim percuſſio non cenſetur violenta, ſed defenſio iure naturæ debita. Suarez *ſuprà num.* 33. Laymanus *ſuprà num.8.* Qui etiam cum aliis hoc extendit ad eum, qui percutit Clericum ad defenſionem aliorum, intellige innocentium. Quintus, cum ſæcularis capit Clericum, & in carcerem trudit de mandato ſui Prælati Eccleſiaſtici. Cum enim conceſſum ſit hoc Prælatis, *cap. ſi Clericos, de ſentent. excommunic. in 6.* poterunt id per alios exequi, Bonacin. *ſuprà num.* 13. Imò ſi Clericus iniuriam inferens, vel in flagranti graui crimine deprehenſus de fuga ſuſpectus ſit, poterit à laico interim capi, & detineri, vt Iudici ſuo Eccleſiaſtico tempeſtiuè præſentetur. Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 82. & 85.* Toletus *ſuprà num.1.* Laymanus *ſuprà, §. Tertia.* Sextus, cum Clericus percutitur cauſa correctionis, & diſciplinæ ab habente legitimam poteſtatem. Verbi gratia Prælato, vel Magiſtro, & non exceditur modus in correctione, neque percutitur ex odio, vel ira, *cap.1. capit. ex tenore, cap. cùm voluntate, de ſentent. excommunicat.* Sylueſter *ſuprà num. 6. caſu* 8. Nauarrus *in Manual. cap.27. num.81.* Idem extendunt ſatis probabiliter ad patrem reſpectu filij, etiam in Sacris conſtituti, propter eandem rationem. Sylueſter *ibidem.* Nauarrus *num.82.* Suarez dicta *ſect.1 num.48.* Idem indicans de hero, & ſimilibus. De quo, & aliis ad intentum Toletus *ſuprà num.4. 5. 6. & 7.* Septimus, quando quis in continenti, & non ex interuallo temporis percutit Clericum turpiter, aut impudicè inuentum cum Matre, Filia, Vxore, vel Sorore; etſi enim tunc peccet illum percutiendo, non tamen contrahit hanc excommunicationem, *cap. ſi verò, de ſentent. excommunicat.* eo quod Eccleſia non reputet huiuſmodi percuſſionem factam eſſe ſuadente Diabolo, ſed ex vehementi paſſione, vel dolore. Nauarrus *ſupr. num.84.* Suarez *ſupr. num.37.* Dicta potiò excuſatio locum non habet in percutiente Clericum inuentum cum aliis conſanguineis, v.g. nepte, prout ſignificatur in dicto *cap. ſi verò*, iuncta Gloſſa verbo *Matre*, & præſertim, quia nullo iure id probatur, & in hoc caſu non procedit æquè ratio adducta. Bonacina ſuprà *num.5.* Layman. *ſuprà num.8.* ex aliis, quos referunt. Octauus, quando quis percutit Clericum priuatum hoc priuilegio Canonis.

Priuantur autem hoc priuilegio Canonis, primò 10
Clerici in minoribus bigami, iuxta dicta *ſuprà num. 5.* & verbo *Bigamus, & Bigamia, num.*10. Secundò, iidem Clerici in minoribus coniugati, qui non habent conditiones, de quibus *ſuprà num.* 5. Tertiò, etiam Clerici in minoribus degradati realiter, *capit. degradatio, de pœnis in 6.* Toletus dicto *cap.35. num.3.* Vide dicenda verbo *Degradatio.* Quartò iidem, quando relinquunt habitum Clericalem, qui in veſte, & tonſura conſiſtit, & ter admoniti ab Epiſcopo non ſe emendant, *cap. contingit 2. de ſentent. excommunicat.* Panormitanus *ibid.* & Sylueſter *verbo Excommunicatio 6. num.6.* Qui idem etiam dicunt de Clerico in minoribus exiſtente, propter eandem rationem, & approbat Bonacina ſuprà *punct. 4. num. 6. §. Hinc colligi.* Quintò, ſimiliter iidem, ſi exerceant officium Tabernariorum, vel Macellariorum, ſi ter admoniti non deſiſtunt, vel ſi iterum reuertuntur, etiamſi deſtiterint. *Clement. 1. de vita, & honeſtate Clericorum.* Laymanus *ſuprà num.3. §. Quintò Cleric.* Sextò, ſi faciunt ſe ioculatores, gollardos, hiſtriones, ſenras, & ter admoniti à Prælatis non deſiſtunt, *cap. vnic. de vita, & honeſtate Clericor. in 6.* Suarez *ſuprà dicta ſect.1. num.15.* Septimò, portantes arma militaria relicto habitu Clericali, ſi ter admoniti à Prælatis non reſipiſcunt, *cap. in audientia, de ſentent. excommunicat.* Toletus *ſuprà dicto num.3.* aduertens benè contra Nauarrum *ſuprà n.80.* ex textu requiri, quod iſti habitum non geſtent. Octauò, contemnentes Clericalem habitum, & tyrannidi, ac enormitati ſe immiſcentes, *cap. cùm non ab homine, de ſentent. excommunicat.* Suarez *ſuprà num.13.* Nonò, iidem Clerici facti milites ſeditionem facientes, & iniquam guerram, *cap. perpendimus, de ſentent. excommunicat.*

Digitized by Google

municat. Suarez *ſuprà num.* 12. Laymanus *ſuprà num.* 3. §. *Quartò Clerici.* Decimò, negotiationibus prohibitis ſe immiſcentes, ſi ter admoniti à Prælatis non deſiſtant, *cap. ex litteris, de vit. & honeſtat. Cleric.* iuxta Nauarrum, Toletum, & alios, licet probabilius ſit tales non priuari hoc priuilegio Canonis, ſed tantum priuilegio fori quoad facultates ſuas, vt patet ex contextu, Suarez *ſup. num.* 27. Bonacina *ſup. num.* 7. de Clericis incorrigibilibus idem ait Nauarrus *ſuprà num.* 81. & *cap. cum non ab homine, de Iudic.* Sed non benè, vt probat Suarez *ſuprà, num.* 8.

11 Circa illa verba Canonis *Nullus Epiſcopus eum abſoluere præſumat.*, notandum per illa denotari percuſſionem Clerici ſoli Papæ reſeruatam eſſe, vt communiter Doctores ſupponunt. Sunt tamen plures caſus in quibus alij, præter Papam poſſunt ab hac ex communicatione abſoluere. Pro quo præmittendum, Clerici percuſſionem, prout colligitur ex Extrauaganti *Perlectis* apud Nauarrum *ſup. n.* 91. & Molinam 4. *tomo, diſputat.* 57. *num.* 1. triplicem eſſe, ſcilicet leuem, mediocrem, grauem, ſeu enormem. Leuis percuſſio regulariter eſt, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel ſigillationem carnium relinquit, neque abſcindit membrum, ſine effractione dentium, ſine auulſione multorum capillorum, ſine effuſione multi ſanguinis. Quæ dicitur leuis, non quia non ſit, niſi peccatum veniale, cum certum ſit ex dictis debere eſſe mortale, ſed comparatiuè ad mediocrem, vel grauem. Toletus *ſuprà cap.* 32. *num.* 1. Dixi *Regulariter*, quia aliquando ex circumſtantiis loci, ſcandali, & qualitatis perſonæ offenſæ percuſſio leuis fieri poteſt grauis, vt colligitur ex dicta Extrauaganti. Mediocris, quæ eſt media inter leuem, & grauem, ſeu enormem, licet aliqui putent de illa non poſſe dari certam regulam, ſed hoc pertinere ad Epiſcopum: poteſt tamen definiri, quod ſit illa, qua vel dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut ſigillatio carnis relinquitur, aut ſanguinis copia effunditur, abſque graui tamen læſione. Bonacina ſuprà *punct.* 5. *num.* 2. Grauis verò, ſeu enormis eſt, quæ fit cum occiſione, ſeu membri mutilatione, vel magna ſanguinis effuſione (in alia parte, quàm in naribus, vel magno vulnere, aut ictu, etiam ſine ſanguine, &c. *capite cum illorum, de ſentent. excommunicat.* Nauarrus *ſuprà num.* 92. Suarez *dicta ſect.* 1. *num.* 88. Grauem autem, ſeu enormem percuſſionem pro eadem accipio, iuxta communiorem. Peiriniſ *tomo* 2. *de Prælat. quæſt.* 5. *cap.* 2. *num.* 58. Conueniunt autem omnes, & colligitur ex dicta Extrauaganti. Primò, quod ad iudicandum, quæ percuſſio ſit leuis, mediocris, aut enormis, attendendæ ſint omnes circumſtantiæ facti, vt dixi. Et ſecundò, quod in dubio de leuitate, potius iudicandum eſt eſſe grauem, quàm leuem.

12 Cum ergo percuſſio eſt leuis, poteſt ab excommunicatione, quæ tunc contrahitur abſoluere Epiſcopus, tam Clericos, quàm laïcos, iuxta textum *in cap. peruenit, de ſentent. excommunicat.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.* 41. *num.* 2. & communiter alij. Prælati etiam Regulares poſſunt ab ea abſoluere ſuos ſubditos, qui mutuo ſe percuſſerunt; iure quidem communi ex *cap. Monachi, de ſentent. excommunicat.* adiuncto *cap. cum illorum, eodem tit.* vbi id, quod conceſſum erat dicto *cap. Monachi*, ampliatur ad omnem percuſſionem, quæ non ſit enormis, aut in Epiſcopum, vel Abbatem. Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.* 2. *diſp.* 14. *quæſit.* 10. *num.* 1. & 2. videtur quoque id fieri poſſe, etiam iure communi, ex dicto *cap. peruenit*; cum enim conceſſio eo capite facta Epiſcopis non ſit priuilegium, ſed ius commune, vt habet Layman. *ſup. num.* 10. videtur etiam extendenda ad Prælatos Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum (quid alij dicant cum Bonacina *ſuprà punct.* 5. *num.* 1.) cum habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ſuprà illos, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 30. Quando autem Religioſus vnius Monaſterij percuſſit alium alterius Monaſterij, ab vtroque Superiori debet abſolui, *capit. cum illorum, relato.* Syluester *in Summa verbo abſolutio* 5. *num* 5. Quod intellige, ſiue illa Monaſteria ſint diuerſorum Ordinum, ſiue eiuſdem: Tamburinus *ſup. num.* 4. Credo tamen poſſe vnum Superiorem alteri Superiori ſuas vices quoad hoc committere, dum habens poteſtatem Ordinariam, eam alteri delegare poſſit. Syluester *ſupra.* Si autem percuſſus ſit Clericus ſæcularis, quamuis in dicto *capit. cum illorum*, dicatur abſoluendum Religioſum percutientem à ſolo Papa, tamen ex vi *capit. Religioſo, de ſentent. excommunicat. in* 6. abſolui poteſt ab Epiſcopo, non à Prælato Religioſi percutientis. Toletus *ſuprà num.* 2. Tamburinus *ſuprà num.* 3. Hæc verò intelligi debent ſtando in iure communi, nam ſecundum priuilegia Religionum Prælati habentes facultatem abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus Papæ reſeruatis; de quibus egi *tomo* 1. *cap.* 18. præſertim *à num.* 36. poſſunt abſoluere illos non ſolum ab excommunicatione propter percuſſionem leuem, de qua modo, ſed etiam propter mediocrem, & enormem, de quibus poſtea. Intelligi etiam debent, niſi aliter in ſtatutis particularium Religionum ſtatuatur, vt in noſtra, in cuius conſtitutionibus *parte* 3. *cap.* 10. *num.* 3. leuis percuſſio reſeruatur Prouinciali, quoad forum ſcilicet externum. Quid verò de Confeſſariis ſentiendum ſit, inferiùs dicetur.

Loquendo de excommunicatione, quæ incurritur ob percuſſionem mediocrem, quamuis ea etiam ſit Papæ reſeruata, ſunt tamen aliqui caſus in quibus ab aliis abſolui poteſt. Primus, quando Clerici collegialiter viuunt, & vnus alium percutit; tunc enim abſolui poſſunt ab Epiſcopo, *cap. quoniam, de vit. & honeſt. Clericorum.* Nauarr. *ſuprà num.* 91. & alij communiter. Secundus, quando ianitor, ſeu oſtiarius Principis ſui officij cauſa, vel arcendæ turbæ lædit Clericum, *cap. ſi verò, de ſentent. excommunic.* Toletus *ſuprà num.* 3. Similiter Regulares etiam ſeclusis priuilegiis de quibus ſupra, poſſunt ab hac excommunicatione abſolui, iuxta dicta ſupra ex *cap. cum illorum*, videlicet quando ipſi mutuo ſe percuſſerunt, à proprio Superiori, & quando percuſſerunt alium alterius Monaſterij, ab vtroque Superiori. Suarez *ſupr. num.* 71. & *ſequentibus.* Tamburin. *ſup. num.* 3. & 4. Quid verò dicendum in caſu quo Prælati percuſſiſſent ſuum ſubditum, infra habetur. 13

Ab excommunicatione etiam contracta ob grauem, ſeu enormem percuſſionem poſſunt abſolui ab Epiſcopis. Primò pueri, qui ante annos pubertatis, ſcilicet quatuordecim illam contraxerunt, *cap. ſuper eo* 1. *de ſentent. excommunicat.* etiamſi abſoluendi ſint poſt pubertatem, *cap. vltim. eod. tit.* Tolet. *ſuprà num.* 5. Cornejo *tomo* 2. *in* 3. *part. de excommunicat. tract.* 5. *diſp.* 31. *dub.* 2. Secundò, mulieres cuiuſcumque ætatis, *cap. mulieres, eod. tit.* Cornejo *ſuprà.* Bonacina *ſuprà dicto punct.* 5. *num.* 3. Tertiò, ſpecialiter Moniales, *cap. de Monialibus, eodem tit.* Syluester *ſuprà numero* 4. qui id extendit etiam ad Moniales exemptas. Quartò, ſerui qui exiſtunt ſub poteſtate alterius, quando ſcilicet id fecerunt in fraudem, vt ſe à Domino liberarent, vel quando etſi in fraudem id non fecerunt, eorum abſentia in magnum detrimentum Domini ſit, & ipſe in culpa læſionis non fuerit, ſi percuſſio fuerit tam enormis, vt ad vitandum ſcandalum, vel tollendum exemplum mitti debeant ad Papam, *cap. relatum, de ſentent. excommunicat.* Toletus *ſuprà numero* 3. & 4. Cornejo ſupra. Quintò, filiifamilias puberes, qui ſunt ſub 14

poteſtate patris, & non valent venire ad Papam ſine præiudicio ipſius. Nauarrus *ſup. num.*88. Cornejo *ſuprà ex capite mulieres, eodem tit.* Sexto illi, qui ſunt impotentes ad iter faciendum, quales ſunt ſenes, infirmi, valetudinarij, & pauperes, qui non poſſunt venire Romam, niſi ſtipem oſtiatim quærant, quam antea quærere non conſueuerant. Item, qui habent capitales inimicitias, propter quas timeant periculum mortis, ſi iter arripiant. Conſtant hæc ex *capite, quod de his, capite quamvis, capite ea noſcitur, capite de cætero, de ſentent. excommunicat.* Syluester *ſuprà verbo abſolutio 4. num.*3. Cornejo *ſuprà*, Barboſa *dicta Allegat.*41. *à num.*6. De multum potentibus, & delicatis decernitur *in cap, mulieres, eod.tit.* quod cauſa eſt intimanda Summo Pontifici, priuſquam ab Epiſcopo abſoluatur. Sylueſter *ſuprà*. Toletus *ſuprà num.* 6. Demum illi, qui habent quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis iudicetur legitimum, vt eſt regulariter in iis, qui habent curam animarum, & temporale dominium, quando timetur, quod propter abſentiam illorum oues, vel vaſſalli patientur detrimentum notabile. Saytus *lib.* 3. *de Cenſuris, cap.* 28. Cornejo *ſupra*.

15 Nota tamen primò, quod ij, qui non poſſunt adire Summum Pontificem, ſi poſſunt adire Legatum, vel alium habentem facultatem ad abſoluendum, non poſſunt ab Epiſcopo abſolui, ſed tenentur adire illos. Sayrus *ſuprà dicto cap.* 28. *num.* 39. Oppoſitum tamen tenet Cornejo *ſuprà*, referens Henriquez, & Auilam. Secundò, quod quando prædicti abſoluuntur ab Epiſcopo ratione impedimenti, propter quod non poſſunt accedere ad Papam, ſi illud impedimentum eſt perpetuum, vt ſi ſunt ſenes, cæci, claudi, &c. tunc abſoluuntur ſine onere præſentandi ſe Papæ, fruſtra enim illis iniungeretur onus, cui nunquam poſſent ſatisfacere; quando verò illud impedimentum eſt temporale, vt in infirmia, &c. iniungendum eſt illis præceptum cum iuramento comparendi coram Papa, illo impedimento ceſſante, *cap. de cætero, & cap. Quamuis, de ſent. excommunicat.* Vbi excipiuntur pueri. Si autem non compareant, quando commodè poſſunt, non ſolum ſunt periuri, ſed etiam incidunt in eandem ſententiam excommunicationis, vt habetur *cap. eos qui, de ſent. excommunic. in* 6. Sylueſter *ſuprà verbo Abſolutio* 3. *num.*16. Toletus *ſuprà num.*5. Cornejo *ſuprà*. Qui notat ex Caietano, & Nauarro ſatis eſſe, ſi ſe præſenterit Papæ per Procuratorem. Tertiò nota, quod quando percuſſio Clerici eſt occulta, poſſunt Epiſcopi omnes ſuos ſubditos, etiam non habentes impedimentum adeundi Romam ab excommunicatione tunc contracta in foro conſcientiæ abſoluere, ex facultate illis conceſſa à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.*6. Non autem, quod quamuis, iuxta dicta ſupra, verbo *Abſolutio, num.* 6. quando aliquis habet facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ tantum, probabile ſit, poſſe illa vti, etiam extra Sacramenta Confeſſionis, nihilominus limitari hoc debet, itavt Epiſcopus non poſſit vti facultate hac ſibi conceſſa per Concilium Tridentinum, niſi in Sacramento pœnitentiæ tantum. Ita enim video declaratum à Sacra Congregatione approbante Gregorio XIII. apud Garziam *de Benefic. parte* 11. *cap.*10. §. 1. *num.* 139. licet Sanchez *lib.*8. *de Matrimon. diſp.*54. *num.*29. oppoſitum in praxi obſeruari aſſerat. Nec tunc abſoluuntur cum onere comparendi Romæ, ſed ſimpliciter. Bonacina *ſuprà dicto punct.* 5. *num.*4. Idem dic, quando aliquis abſoluitur virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, aut alterius priuilegij. Cornejo *ſuprà*.

16 De Religioſis videtur dicendum etiam in caſu grauis, aut enormis percuſſionis, non teneri ad Papam recurrere pro abſolutione. Primò, quando non habent viaticum, & Monaſterium, quia paupertimum, non poteſt illis prouidere, nec poſſunt aliter facere iter, cum non ſint deterioris conditionis, quam alij pauperes, vt tenet Gloſſa *in cap. Religioſo, de ſentent. excommunicat. in* 6. & ſequitur Toletus *ſuprà num.* 6. Secundò, quia non ſunt ſui iuris, propter quam cauſam *cap. mulieres, de ſentent. excommunicat.* iis, qui ſui iuris non ſunt conceditur abſolui poſſe ab Epiſcopis. Et quamuis in his caſibus poteſtas abſoluendi concedatur Epiſcopis, eadem tamen videtur competere Prælatis Regularibus, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent in illos. Suar. 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*20. *num.*8. Peirinis *tom.* 5. *Priuileg. Minim. in Conſtit. Pyrrhi*, §. 8. *num.*46. Eſto tamen ex vi iuris communis id fieri non poſſit, ſaltem ex priuilegiis, de quibus *ſuprà num.* 12. dixi, id facere poterunt Prælati qui illis potiuntur. Poſſe etiam abſolui ab Epiſcopis, in caſibus in quibus Epiſcopi poſſunt abſoluere ſibi ſubitos, propter dicta *tomo* 1. *cap.*11. *num.*6. tenere videtur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.*105. *num.* 53. & expreſse affirmat Angelus Boſſius *in diſceptat.* 1. *de Iuriſdict. Epiſcop. quoad caſ. reſeruat. num.* 31. ex Panormitano, & Sylueſtro. Idemque ſequitur Vincentius Candidus *tom.* 1. *Diſquiſit. Moral. diſquiſit.*3. *art.*27.

17 Caſu autem quo Prælatus manus violentas in Regularem ſibi ſubditum, vel etiam non ſubditum iniiceret, abſolui poteſt, ſicut alij Regulares, iuxta dicta ex iure communi, & priuilegiis illius Religionis, vt enim ait Sylueſter *verbo abſolutio* 5. *num.* 4. caput non debet minus eſſe fauorabile membris. Quia tamen nullus poteſt ſeipſum abſoluere, ideo abſolui debet à ſuo Superiori. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 2. *diſp.*14. *quæſt.*11. *num.*1. & 2. Si autem Superiori in promptu non ſit, poteſt ab alio Sacerdote ab eo in Confeſſorem electo abſolui. Rodriguez *tom.* 1. *Quæſt. Regular. quæſt.*20. *art.*12. Miranda *tom.*2. *Manual. Prælatorum, quæſt.* 35. *art.*24. Peirinis *tom.*2. *de Prælat. quæſt.*1. *cap.*4. *num.*82. Nec hoc eſt exercere, aut delegare iuriſdictionem, ſed deſignare perſonam, cui Papa vi iuris communis, vel priuilegiorum eam iuriſdictionem concedit. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 12. *iuncto num.*8. *in fin.* Peirinis *ſuprà*, Tamburinus *ſuprà num.* 4. *in fine*. Si verò caſus eſſet, quod in vno Conuentu tantum eſſet Prælatus, & ſubditus Sacerdos, & quod ad inuicem ſe percuſſiſſent, nec eſſet alius à quo abſolui poſſent, plures dicunt poſſe ſe ad inuicem abſoluere, etſi enim excommunicatus maiori excommunicatione non poſſit abſoluere: in caſu tamen neceſſitatis, prout in præſenti, quia neceſſitas caret lege, id fieri poteſt. Tabiena *verbo Abſolutio* 2. §. 10. Rodrig. *ſuprà*. Miranda *ſuprà*. Coriolanus *de caſib. reſeruat. part.*2. *caſ.*10. *de Indic. Regular.* §. 10. *num.*18. *verſ. nam licet*. Peirinis relatus, referens etiam Paſſarellum. Barboſa *dicta Allegat.*41. *num.*17. Aliter reſpondet Suarez *ſuprà num.*10. & 12. quem ſequitur Tamburinus etiam *ſuprà*, ſcilicet, quod ſi talis excommunicatio eſt occulta, poteſt Prælatus abſoluere ſubditum, cum non ſit priuatus omnino iuriſdictione, & communicatione cum illo; & poſtea ab illo abſolui. Si verò eſt publica, ceſſat hoc remedium, propter contrariam rationem, & ita Prælatus extra Religionem debet eligere alium Sacerdotem habilem, & ab eo abſolui, & poſtea ipſo abſolutus abſoluere poteſt ſubditum. Adducit Suarez ad hoc aliqua iura, quæ meo videri intentum non conuincunt; Vide Portellum *in reſponſionibus caſ. moral. part.*2. *caſu* 30.

18 Ab hac etiam excommunicatione contracta ob percuſſionem Clerici, vel Monachi, ſiue percuſſio ſit leuis, ſiue mediocris, ſiue etiam enormis, abſoluunt illi Confeſſarij, qui facultatem habuerint abſoluendi à caſibus Papalibus, quales ſunt aliqui Regulares. De quibus dixi *tom.*2. *cap.*19. *num.*15. Quia tamen in decretis Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. ibi adductis declaratur, quod *per vniuerſam Italiam extra*

Vrbem,

Vrbem, non poſſint vti dictis priuilegiis, quoad hunc caſum iniectionis violentarum manuum in Clericos, ideo ſolum poſſunt vti illis in Vrbe, & in aliis regionibus extra Italiam, vt ibi dixi *num.* 16. Similiter, quia in poſteriori decreto Sacræ Congregationis, in quo moderatum eſt prius, vt in dicto *num.* 15. retuli, dum de huiuſmodi caſu dicitur non poſſe abſolui à Confeſſario virtute quorumcunque priuilegiorum, ſic habetur: *Iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta can. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. ac iuris diſpoſitionem*: cum iuxta iuris diſpoſitionem *in cap. peruenit, de ſent. excommunicat.* leuis percuſſio Clerici non ſit Papæ reſeruata, ſed Epiſcopo delegata, aut commiſſa, ideo videtur poſſe abſoluere, etiam intra Italiam, ab excommunicatione contracta per leuem percuſſionem Clerici, præfatos Regulares habentes dicta priuilegia, vt habet Naldus *in Summa verbo Clericus, num.* 39. [Pro quo conſulenda eſt declaratio quædam, quæ vt audiui, facta eſt à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium 18. Iulij 1642.] In locis etiam vbi publicatur Bulla Cruciatæ, poſſunt confeſſarij per illam electi abſoluere ab hac excommunicatione propter quamcumque Clerici percuſſionem contractam ſemel in vita, & ſemel in morte, iuxta dicta verbo *Bulla Cruciata, num.* 19. Idem dico ex vi Iubilæi, ſi iſtum caſum contineat, aut non excludat. De confeſſario ordinario approbato ab Epiſcopo nullum habente priuilegium, & de confeſſario Religioſorum ſolum à prælato approbato pro confeſſionibus Fratrum, ſeclusis priuilegiis, dicendum eſt ab ea abſoluere non poſſe, cum etiamſi ſit leuis percuſſio, eſt caſus per ſe verè reſeruatus Papæ, licet delegatus, & commiſſus Epiſcopo, iuxta dicta ſupra verbo *caſus reſeruati, num.* 1. An verò prædicti confeſſarij pro Fratribus duntaxat approbati habeant ad id faciendum aliqua priuilegia, dicetur infrà verbo *Confeſſarius Regularis, à num.* 11.

19 Loquendo de priuilegio fori, quo tam Clerici, quàm Regulares potiuntur, quod in eo conſiſtit, vt conueniri non poſſint coram laïcis, dicendum eos omnino, & ſimpliciter exemptos eſſe à laïca poteſtate, itavt ad illam nunquam trahi poſſint, *can. non placuit* 16. *quæſt.* 7. *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de Conſtit. cap. decernimus, de iudiciis*, & aliis iuribus infra referendis. Salon. 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 1. *controuerſ.* 1. Quod eſt intelligendum tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quia prædicti textus, & plures alij referendi vniuerſaliter loquuntur. Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 5. *cap.* 12. Primò quidem iure ciuili, ex Authent. *Statuimus, de Epiſc. & Cleric.* & ex celebri facto Conſtantini Imperatoris; cum enim libelli accuſationum contrà Clericos illi delati eſſent, dixiſſe fertur, *Vos à nemine iudicari poteſtis, ſed ſolius Dei iudicio reſeruamini.* Deinde iure Canonico, ex *can. ſi Imperator, diſt.* 96. *cap. ſi diligenti de for. compet. cap. Quamquam de Cenſib. in* 6. & aliis iuribus. Item ex Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 8. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. & ex Bulla Cœnæ Domini, grauiſſima impoſita excommunicatione per plures caſus circa tranſgreſſores, prout videri poteſt ſuprà verbo *Bulla Cœnæ.* Tertiò, ex iure etiam diuino, prout colligitur ex Concil. Lateran. ſub Innocentio III. *cap.* 43. & Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 19. & eodem Trident. dicente hanc immunitatem eſſe *Dei ordinatione conſtitutam.* Accedit ex veteri teſtamento Numer. 3. *verſ.* 10. & 45. & *cap.* 8. quod Leuitæ ſolùm Aaroni, & ſucceſſoribus erant ſubiecti, non Principibus ſæcularibus. Accedit & ratio, quod cum Eccleſiaſtici ſint paſtores, & patres laïcorum, laïci verò oues, & filij, non decet illos ab iſtis iudicari, præſertim cum laïca poteſtas, quaſi pro obiecto ſui adæquato & proprio ſolum habeat laicos, non autem Eccleſiaſticos, qui ſunt altioris Ordinis: Bellarminus *in opuſc. diſp. de exempt. Clericor*, Azor. *ſuprà*, & communiter Canoniſtæ. Vnde non poſſunt Clerici huic priuilegio fori renuntiare, tum quia eſt iure diuino introductum, tum quia licet illud ſola humana lege introductum eſſet, cum tamen ſit in fauorem totius Clericatus, non poteſt à particularibus renuntiari, *cap. ſi diligenti, de for. competent.* Salon. *ſuprà controuerſ.* 1. Diana *part.* 1. *Tract. de Immunit. Eccleſiaſt. reſol.* 3. Nec tolli poteſt per ſolam conſuetudinem quantumvis immemorabilem, tum quia contra ius diuinum conſuetudo non præualet: tum quia conſuetudo hæc, vt eſſet legitima, firmari deberet conſenſo tacito, vel expreſſo Summi Pontificis, de quo potius conſtat reprobare huiuſmodi conſuetudines, vt patet ex Bulla Cœnæ, caſu 15. Azor. *ſuprà, verſ. ſed dubitari poſſet.* Suarez *contra Regem Angliæ, lib.* 4. *cap.* 31. *num.* 25. & *cap.* 34. *num.* 16. Laymanus *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 10. *num.* 1. Ex priuilegio tamen eiuſdem Summi Pontificis poteſt hoc laicæ poteſtati competere in aliquibus caſibus, propter rationabilem cauſam, quia hæc poteſtas delegabilis eſt cuicunque Papa voluerit, & ad nutum ipſius reuocabilis. Laymanus *ibid. num.* 2. Bonacina *de legibus, diſp.* 10. *quæſt.* 1. *punct.* 1. §. 3. An verò de facto ſint talia priuilegia aliquibus Principibus conceſſa, aliqui reſpondent affirmatiuè, ſpecialiter loquentes de Regibus Hiſpaniæ, & Galliæ, & Republica Venetorum, prout retuli ſuprà verbo *Bulla Cœnæ, num.* 61. Sed quia ipſe vſque modo non vidi, nihil certi affirmare poſſum. Vide Conſtitutionem SS. D. N. Vrbani, de qua infra *num.* 33. An autem ſufficiat tolerantia, & conſenſus tacitus Summi Pontificis ad derogandum dictæ immunitati? aliqui reſpondent affirmatiuè cum Salgado *de poteſt. Regia tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *prælud.* 3. *num.* 39. Sed tenendum contrarium, *Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non debeant tolerari*, vt habetur *cap. Iam dudum, de præbend.* Præſertim, quia Principes plura ſæpius tolerant, vel quia commodè vitare non poſſunt, vel ad vitandum ſcandalum, vel vt benignius cum ſubditis agant. Filiucius *tom* 1. *tract.* 16. *cap.* 9. *num.* 156. Malder. *in part.* 1. *quæſt.* 96. *art.* 4. Diana *ſup. reſol.* 5.

Clerici autem hoc priuilegio fori fruentes ſunt omnes tam in maioribus, quàm etiam in minoribus Ordinibus, vel etiam prima tonſura conſtituti, iuxta dicta ſupra de priuilegio Canonis. Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo* 1. *diſp.* 15. *quæſit.* 19. *num.* 5. Caſu etiam quo Subdiaconus ex diſpenſatione Apoſtolica cum vidua contraxerit, & penſiones Eccleſiaſticas obtineret, gaudet priuilegio iſto, vt patet ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Subdiaconus.* Excipe primò Clericos in minoribus bigamos, iuxta dicta ſupra verbo *Bigamus, & Bigamia, num.* 10. & 11. Excipe ſecundò eoſdem Clericos prima tonſura initiatos, aut etiam in minoribus conſtitutos, qui non habent conditiones à Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. requiſitas, videlicet, quod Beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut Clericalem habitum, aut tonſuram deferentes alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos, verſentur. Henriquez *in Summa, lib.* 10. *cap.* 15. §. 2. & *lib.* 14. *c.* 49. §. 1. *in fine.* Vide declarationes Sacræ Congregationis circa hoc, alteram 24. Ianuar. 1631. alteram in vna Valentina 29. Iunij 1628. alteram in vna Maceratenſi 2. Auguſti 1631. & alteram 18. Martij 1628. apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Clericus*, & Dianam 5. *part. in Collectan. huiuſmodi declarationum.* Habentes autem beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi habitum Clericalem, aut tonſuram non deferant, potiuntur dicto priuilegio, quia Concilium verbis relatis ex ipſo loquitur disiunctiuè per particulam, *aut*, quæ eſt disiunctiua. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop.* 20

Alleg. 15. *num.* 6. Qui id extendit ad Clericum habentem Beneficium modici valoris, vel Coadiutorem poſitum per Papam, vel Capellanum perpetuum, vel habentem præſtimonium. Idem *num.* 7. *quæſt.* 10. *&* 11. Vide declarationem Sacræ Congregationis circa hoc apud Dianam *ſuprà*. Intellige etiam antequam Beneficiatius poſſeſſionem adeptus ſit, ex alia declaratione Sacræ Congregationis. Caſtrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 12. *diſp. vnic. punct.* 2. *num.* 5. Cenedo *in Quæſtion. Canonic. quæſt.* 4. *num.* 23. Diana *ſuprà num.* 50. Agit etiam Barboſa *ſuprà num.* 8. de habente penſionem ſolitam concedi Clerico. Quando verò dicitur Clericum in minoribus debere geſtare habitum, & tonſuram, vt potiatur dicto priuilegio, intelligendum eſt, regulariter. Neque enim ſemel, aut iterum ea reliquiſſe, tollit priuilegium, nec è contra aliquoties ea deferre, ſufficit. Barboſa *ſuprà num.* 15. Laymanus *ſuprà dicto tract.* 9. *cap.* 7. *num.* 2. Qualiter etiam aliquando, etiamſi Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſeruiant, nec Beneficium Eccleſiaſticum habeant, gaudeant priuilegio fori, vide quandam declarationem Sacræ Congregationis *in nullius*, 18. Martij 1628. apud relatum Barboſam *in dictis Collectaneis*. Excipe tertio Clericos coniugatos. Hi enim non gaudent priuilegio fori, niſi contraxerint cum virgine, id eſt non vidua, aut ab alio corrupta, & tonſuram, ac habitum Clericalem geſtent. Inſuper alicuius Eccleſiæ ſeruitio, vel Monaſterio ab Epiſcopo deputati eidem Eccleſiæ ſeruiant, vel miniſtrent, & tunc non gaudent hoc priuilegio, niſi ſolum in criminalibus, non in ciuilibus. Ita enim habetur *ex cap. vnic. de Cleric. coniugat. in* 6. adiuncto decreto Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. Riccius *in praxi aur. reſolut.* 272. *in princ.* Barboſa *ſuprà num.* 25. *& ſequentibus*. Pro illis vide tres declarationes Sac. Congregationis apud eundem Barboſam in dicto loco *ex Collectan.* alteram 13. Februarij 1610. alteram 27. Februarij 1630. & alteram 2. Augusti 1619. Gaudere etiam priuilegio fori in ciuilibus, vbi eſt talis conſuetudo, habetur ex vna declaratione Sacræ Congregationis Immunitatis apud Dianam 5. *part. in Collectan. num.* 38. Vide eum *in Additionib. ad dictam declarationem*, ex quadam Epiſtola Sacræ Congregationis ad Epiſcopum Regienſem. [Et declarationem Congregationis ſuper controuerſiis iuriſdictionalibus, in vna Squilacenſi 19. Ianuarij 1638.] Excipe quartò Clericos etiam in minoribus conſtitutos realiter degradatos, quia per degradationem omnia Clericorum priuilegia amittuntur, *cap. degradatio, de pœnis in* 6. Bonacina *ſuprà dicto puncto* 1. §. 4. *num.* 1. Vide dicenda verbo *Degradatio*, *num.* 5. Excipe quinto Clericos ioculatores, goliardos, hiſtriones, & ſcurras modo dicto *ſuprà*, ex *cap. vnic. de vit. & honeſt. Clericor. in* 6. Syluester *in Summa, verbo Excommunicatio* 6. *num.* 7. Item ſextò, illos, qui commiſſo delicto Clericalem ſtatum aſſumpſerunt, ſolum per fraudem, id eſt ſola intentione euitandi forum ſæculare. Zerola *verbo Clericus*, *num.* 6. Bonacina *ſuprà* §. 1. *num.* 16. *& ſequentibus*. Secus eſt, quando bono animo id fecerunt, tunc enim gaudent priuilegio fori, ſaltem quoad perſonas, vt patet ex declaratione Sacræ Congregationis 7. Decembris 1632. apud Barboſam in loco relato ex *Collectaneis Bullarij*. Vide dicenda infra verbo *Gabella quoad Regulares*, *num.* 9. Excipe ſeptimò, in cauſa feudi, nam in illa Clericus vaſſallus ſubiicitur Domino feudi quamuis ſæculari, *cap. verum, de for. compet. & cap. cæterum, de iudiciis*. Graffius *in deciſ. aur. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 528. Laymanus *ſuprà cap.* 5. *num.* 2. *&* 3. Excipe octauò, in cauſa reconuentionis in ciuilibus, id eſt, ſi Clericus conueniat laicum coram Iudice laico, & ipſe laicus reconueniat illum coram eodem Iudice, *cap.* 1. *&* 2. *de mut. pet.* Syluester *in Summa, verbo Iudex* 1. *num.* 4. Toletus *in Summa*, *lib.* 5. *cap.* 56. *num.* 2. Excipe nono, cum Epiſcopus dat facultatem, & in cauſis ciuilibus ſolum, *cap.* 2. *de Iudic.* Syluester, & Toletus *ibidem*.

Excipi etiam ſolent Clerici, qui dimiſſo habitu, & tonſura Clericali, tyrannidi, & enormitati ſe immiſcent, *capit. cum non ab homine, de ſentent. excommunic.* vel ſæuis enormitatibus, armis, ſeditioni, & guerræ, ex *cap. perpendimus, eod. tit.* ſaltem poſt trinam admonitionem, *cap. cum contingat eod. tit.* Sed in vtroque caſu non eſt ſermo, niſi de priuatione priuilegij Canonis, non priuilegij fori, & eſto id eſſet, videtur neceſſariò præmittenda declaratio criminis, per quam de eius enormitate conſtaret, quia qualitas tribuens iuriſdictionem, ante omnia probari debet, vt iuriſdictioni locus ſit, *l. ſi quis aliena, ff. de iudic.* Farinacius *de Inquiſit. quæſt.* 8. *num.* 53. Syluester *in Summa*, *verbo Excommunicatio* 6. *num.* 7. Suarez *tom.* 5. *de Cenſ. diſp.* 21. *ſect.* 1. *à num.* 8. Vide Dianam *ſuprà reſol.* 129. dum agit de quodam Religioſo profeſſo, qui ſe immiſcuit enormibus criminibus, & etiam quandam declarationem Sacræ Congregationis in vna Motulenſi 1. Februarij 1620. apud Barboſam *in Collectan. Bullarij*. Excipiendi etiam videntur Clerici incorrigibiles, ex *cap. cum non ab homine, de Iudic.* Sed nihil tale ibi habetur, niſi forſan poſt depoſitionem, excommunicationem, anathematizationem, & declarationem criminis. Suar. *ſupr.* Bonacina *dict. punct.* 1. §. 4. *num.* 7. Maiori probabilitate id dici poteſt de Clericis negotiationibus prohibitis ſe immiſcentibus, ſi ter admoniti non deſiſtant, *cap. ex Literis, de vit. & honeſt. Cleric.* tantum quoad facultates ſuas, iuxta dicta *ſupr. num.* 10. Excipiuntur etiam Clerici exercentes officium Tabernariorum, ſeu Macellariorum, ſi ter admoniti non deſiſtunt, aut ſi deſiſtunt, & iterum reuertuntur, iuxta dicta *ſuprà num.* 10. ex Clement. 1. *de vit. & honeſt. Cleric.* Obſerua tamen in dicta Clementina ſermonem ſolùm eſſe de Clerico coniugato, qui habitum, & tonſuram non geſtat. Quare Clericus coniugatus talia faciens priuatur omnino dicto priuilegio, Clericus verò non coniugatus habitum, & tonſuram geſtans, non amittit illud, niſi ſolùm quoad res ſuas. Suarez *ſuprà num.* 18. Bonacina *ſuprà num.* 8. §. *obſerua tamen*. Quando verò reaſſumptio habitus Clericalis ſuffragetur Clerico, qui illum dimiſit, habes apud Dianam *tomo* 5. *in Collectan. declarat. Sacr. Congregat.* ex vna Mazarienſi 27. Iunij 1630. & Boſſanenſi 18. Martij 1631. & ex alia 10. Decembris 1599.

Gaudet etiam dicto priuilegio fori totus Religioſus ſtatus, nam eo ipſo, quod per Eccleſiam approbatur, & inſtituitur, eſt ſtatus ſacer, & Eccleſiaſticus, & eius perſonæ ſunt Deo Sacræ, & Eccleſiaſticæ, ac per conſequens fruuntur priuilegiis Eccleſiaſticorum. Suarez 5. *tom. de Cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 19. *& ſequentibus, & in defenſ. fidei lib.* 4. *cap.* 10. *in fine*, *& cap.* 11. *&* 22. Vnde non ſolum profeſſi gaudent illo, ſed etiam Nouitij, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 24. *num.* 4. Itavt propter delictum Nouitiatus tempore commiſſum puniri non poſſint, niſi à Prælatis Religionum, iuxta ibidem dicta. Quod etiam intellige ſi poſt commiſſum delictum reuerſi ſunt ad ſæculum, habitu dimiſſo. Tum quia Clericus reuerſus ad ſtatum ſæcularem non iudicatur à magiſtratu ſæculari pro delicto commiſſo in Clericatu, prout deciſum dicitur in Concilio Neapolitano apud Dian. *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 34. & docet Laymanus *dicto tract.* 9. *cap.* 7. *num.* 5. Tum etiam, quia ad cognoſcendum cui foro quis ſubiiciatur, *tempus delicti inſpiciendum eſt*, prout ex Couarruuia *in practic. quæſt. cap.* 31. *num.* 8. & Iulio Claro affert idem Laymanus *eo tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 14. Cum ergo tempus patrati delicti fuerit Nouitiatus, in quo exempti ſunt Nouitij à ſæculari poteſtate, non poterunt ab ea iudicari, etiamſi habitum dimiſerint. Bonacina *ſuprà* §. 5. *num.* 5.

Digitized by Google

num. 5. Diana *ſuprà*, contra aliquos oppoſitum ſentientes. Amplia, quod neque puniuntur Nouitij à Iudice laïco, propter delictum ante Religionis ingreſſum commiſſum, ſaltem ſi non io fraudem ingreſſi ſunt Religionem, prout dixi ſupra de illo, qui poſt commiſſum delictum Clericus fuit factus, quia iam tales exierunt de laica poteſtate. Martha *de Iuriſdict. part.* 4. *centur.* 3. *cap.* 121. *num.* 22. Diana *ſupr. reſol.* 33. contra Bonacinam, & alios.

23 Qualiter gaudeant hoc priuilegio fori Conuerſi, Oblati, Donati, ſeu Commiſſi Religionum, dixi *tom.* 2. *cap.* 8. *num.* 78. & 81. De militibus Regularibus, dixi *ibid. cap.* 5. *num.* 39. & 40. De Eremitis, *cap.* 7. *num.* 4. & 5. De Tertiariis *cap.* 14. *num.* 35.

24 Collige ex dictis Clericos Religioſos, & omnes Eccleſiaſticas perſonas dicto priuilegio fori gaudentes non poſſe iudicialiter, & auctoritatiuè interrogari, examinari, iudicari, vel puniri à laïca poteſtate, vt à Prætore, Principe, Rege, Magiſtratu, &c. etiamſi grauiſſima crimina commiſerint; hæc enim omnia ſunt actus poteſtatis, & iuriſdictionis, quam prædicti non habent in exemptos. Bonacina *ſuprà* §. 1. *num.* 5. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 19. *num.* 16. Imò proceſſus compilatus, & ſententia lata, etiamſi ſit abſolutoria, & alia acta contra præfatos ſunt ipſo iure nulla, vtpotè facta à non habente iuriſdictionem. Farinacius *de Inquiſit. quæſt.* 8. *num.* 15. & alij apud ipſum.

25 Collige etiam non poſſe prædictos capi à laïca poteſtate, capi enim ordinatur ad punitionem, vnde ſicut non poſſunt puniri ab illa, ſic nec capi, præſertim quia vtrumque eſt actus iuriſdictionis, quam non habet laïca poteſtas in illos. Tamburinus *ſuprà num.* 24. Excipiuntur tamen aliqui caſus à Doctoribus. Primus eſt, quando prædicti inueniuntur in flagranti crimine graui, & pernicioſo Reipublicæ, ac periculum ſit, vt fugam arripiant. Tunc enim rationabiliter ſatis creditur Eccleſiam conſentire, vt capiantur à laïca poteſtate, non vt ab illa iudicentur, ſed vt ad Prælatum Eccleſiaſticum quamcitius, ſecurè, & ſine vlla ipſorum iniuria ducantur, *cap. fama, de ſentent. excommunicat.* Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 83. & plures apud Dianam *part.* 1. *tract.* 3. *reſol.* 10. Secundus eſt, quando etſi non inueniuntur in flagranti delicto, tamen ex ſignis, & coniecturis, quia videlicet noctu, & cum armis deprehenduntur, ſuſpecti vehementer ſunt de tali crimine patrando. Tunc enim idem dici poteſt, propter eandem rationem, & cum limitationibus adductis. Nauarrus *ſuprà*. Bañez, Lorca, Ioannes de la Cruz, & alij apud Dianam *ſuprà reſol.* 11. Idem dicunt plures procedere in Clerico debitore de fuga ſuſpecto, ita vt poſſit non tantum à Iudice ſæculari, ſed etiam à creditore capi, & detineri, vt præſentetur Iudici Eccleſiaſtico modo dicto, quia in tali caſu Clericus ſe habet, ac ſi alienam pecuniam auferret, ac proinde iure defenſionis detineri poſſe. Nauarrus *ſuprà num.* 82. Laymanus *ſuprà cap.* 4. *num.* 8. Video etiam Sacram Congregationem 11. Ianuar. 1619. declaraſſe apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Clericus* 1. hæc: *Clericus repertus à Curia ſæculari ſine habitu Clericali, donec doceat de ſuo Clericatu, in carceribus laicis poteſt detineri, dummodo non ſit notoriè Clericus. Et ſi per octo menſes ab incarceratione habitum dimiſerat, priuilegio Clericali nullo modo gaudet, &c.* [Item video eandem Sacr. Congregationem in vna Ianuenſi 18. Martij 1628. declaraſſe quod deprehenſus in habitu Clericali, qui pro laïco publicè ſe gerebat, & pro tali communiter habebatur, remanere debet ſub cuſtodia Iudicis laïci, donec coram Eccleſiaſtico legitimè docuerit de Clericatu.]

26 Colligitur etiam frui præfatos Eccleſiaſticos fori priuilegio, etiam in caſu quo Prælati Eccleſiaſtici negligentes eſſent in illorum correctione; niſi enim hæc negligentia valdè magna, & valdè noxia eſſet Chriſtianæ Reipublicæ, non propterea Eccleſiaſtici ſubeſſe debent laicæ poteſtati, vt habetur *ex cap. qualiter, & quando, de Iudic.* Et ratio eſt, quia talis negligentia non poteſt dare iuriſdictionem laïcis ſuprà Eccleſiaſticos, nec facere, quod poteſtas laïca extendatur extra proprios limites. Laymanus *ſuprà cap.* 4. *num.* 4. Nec obſtat *cap. filiis, vel nepotibus*, 16. *quæſt.* 7. vbi contrarium decerni videtur. Ex eo enim non colligitur poſſe Principes ſæculares ad ſe euocare cauſas Eccleſiaſticorum, ſed ſolum monere Prælatum Eccleſiaſticum de negligentia, vel non adminiſtrata Iuſtitia. Vel dic, eum Canonem, & alios ſimiles reuocatos fuiſſe *in cap. qualiter, & quando, de Iudic.* & in Bulla Cœnæ. Vide Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *quæſt.* 2. Suar. *contra Regem Angliæ lib.* 4. *cap.* 34.

27 Idem dicendum etiam in caſu quo Clericus, vel Religioſus repertus fuerit falſum iuraſſe coram Iudice ſæculari; nullo enim modo propterea ab ipſo puniri poteſt. Etſi enim *l. nullum, C. de teſtibus*, decernatur teſtem, qui aures Iudicis offendit, poſſe ab eo Iudice puniri, illi tamen non arctantur hac lege, cum merè ciuilis ſit, quare ſolùm à proprio Prælato iudicari debent. Farinacius *de Inquiſit. quæſt.* 8. *num.* 26. Bonacina *ſuprà* §. 1. *num.* 21.

28 Idem ſimiliter dicendum in caſu quo prædicti crimen grauiſſimum læſæ Maieſtatis commiſiſſent. Etſi enim vſus aliquorum Principum ſæcularium ſit eos punire, reprobatus tamen fuit à Clemente VIII. in caſu quodam atrociſſimæ rebellionis, vt refert Genuenſis *in praxi, cap.* 72. De quo Diana *ſuprà reſol.* 19. & 3. *part. tract.* 1. *reſol.* 30. De quo etiam noſter Epiſcopus Bouios *in reſponſ. part.* 4. *argument. fol.* 75. vbi in Hiſpania tempore Caroli V. Eccleſiaſticos quoſdam huius criminis reos ad ſuos Prælatos remiſſos fuiſſe refert.

29 Idem quoque dicendum de crimine aſſaſſinij, quidquid in contrarium aliqui dicant apud Farinacium *ſuprà num.* 82. Etſi enim *cap.* 1. *de homicid. in* 6. ſtatuatur pœna depoſitionis contra facientes, vel mandantes committi, &c. hoc ſcelus. Ad eam tamen incurrendam requiritur ſententia declaratoria criminis à Iudice Eccleſiaſtico ferenda. Ante illam ergo non priuatur Eccleſiaſtica perſona fori priuilegio, Bonacina *ſuprà punct.* 1. §. 4. *num.* 8. Duardus *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 11. *num.* 63. Quod idem affirmandum de Sodomia quantumcunque notorio, vt habet idem Duardus *ibidem num.* 61. & alij apud Dianam *dicto tract.* 1. ex 1. *part. reſol.* 52.

30 Pariter idem affirmandum etiam in caſu quo Eccleſiaſticus delinqueret in aliquo officio ſæculari ſibi à Principe ſæculari conceſſo, vel permiſſo; etſi enim plurium ſententia ſit eum puniri poſſe à Principe ſæculari in bonis, & ſub reſpectu merè ciuili, in eamque inclinet Suarez *contra Reg. Angliæ lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 26. & Laymanus *ſuprà cap.* 5. *num.* 2. probabilius tamen eſt oppoſitum, cum per aſſumptionem talis officij non fuerit priuatus fori priuilegio. Sanchez *tom.* 1. *Conſil. Moral. lib.* 3. *cap. vnic. dub.* 20. Duardus *ſuprà num.* 273. Diana *ſuprà reſol.* 18. Nec obſtat, quod diximus *ſuprà num.* 20. de Clerico habente feudum, quod ratione illius ſubiiciatur ſæculari, id enim fundatur in Iure Canonico, quod non contingit in caſu præſenti.

31 Multo magis dicendum, Clericum, vel Religioſum cum armis, etiam à Principe prohibitis repertum, non poſſe ab illo puniri, iuxta dicta ſupra verbo *Arma. num.* 5. ac per conſequens, nec à Miniſtris capi, niſi ſolum vt ducatur ad ſuum Prælatum cum conditionibus eo loco, & *ſuprà num.* 25. deſignatis. Caſu verò, quo armis ſpoliaretur (quod fieri non licet, vt ibidem dixi) cum talis ſpoliatio eſſet iniuſta, vtpotè facta à non habente auctoritatem, deberent reſtitui, vel ipſi, ſi forſan illis liceret ſaltem domi ea retinere, vel quod

ſecurius

ſecurius eſt, ipſorum Prælatis, vt iudicent, quid de ipſis agendum. Ita fermè Laymanus *ſup. cap.4. num.7.* ex Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4. cap.34. num.* 24. & Vaſquez 1.2.*diſp.*167.*cap.*4.*num.*32.

32 Nota, ea quæ dixi de priuilegio fori Clericorum, etiam applicari debere reſpectiuè ad omnes Religioſos, cum eodem priuilegio ſeruata proportione potiantur. Ita tamen, quod Religioſus profeſſus ſimilis ſit Clerico in ſacris conſtituto, cum vterque ab eo ſtatu recedere non poſſit; Religioſus verò Nouitius Clerico in minoribus, cum vterque etiam ſtatum quem habet poſſit deſerere. Rodriguez *tom.* 2. *Quæſt. Regular. quæſt.* 2. *art.*5. Diana *ſupra reſol.* 229. §. *ſuppono primò, & §. ſuppono ſecundò.*

33 Maximè notandum, tam dicta in præſenti, quàm dicenda inferius verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Gabella quoad Regulares*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*, omnino tenenda, regulanda, & explicanda eſſe, & non aliter, niſi iuxta Conſtitutionem nouam Sanctiſſ. D. N. Vrbani auctoritate editam ſub die 5. Iunij currentis an. 1641. quæ incipit, *Romanus Pontifex*: quam tamen videre non potui antequam typis tomus hic tertius mandari cœperit. De ea tamen nonnulla dicam, Deo dante, quarto tomo ſequenti.

34 Vide etiam declarationem Sacræ Congregationis Immunitatis in vna Terracinenſi apud Aldanam *in Compend. Canon. Reſol. tit.*8. *num.*21. & Dianam 5. *part. in Collectan. harum declarat.* ex qua habetur ad quem Iudicem ſpectet cauſa de damnis illatis per colonos, & familiares Eccleſiaſticorum. Vide etiam alia dicenda verbo *Decima*, verbo *Exemptio Regularium*, verbo *Gabella*, verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*, & 4.tom. verbo *Statuta*.

COEMETERIVM.

SVMMARIVM.

1 *Cœmeterium quid ſit.*
2 *Quæ in illo prohibita.*
3 *Gaudet priuilegio Immunitatis.*
4 *A quo benedicitur, vel reconciliatur.*
5 *Quando polluitur, vel violatur.*
6 *Quid declarauerit Sacra Congregatio.*

1 COEmeterium (quod ſecundùm quoſdam dicitur à cinere, quia in eo detinentur mortuorum cineres; vel à cis, quod eſt ante, quia ante Eccleſiam fieri ſolet, Syluester *in Summa, verbo Cœmeterium, num.* 1.) eſt locus ſacer Eccleſiæ adiunctus ad ſepulturam fidelium. Vnde à Calepino dicitur eſſe idem, quod Dormitorium, quia ibi mortui dormire dicuntur.

2 Eſt Cœmeterium locus ſacer, vt dictum eſt; vnde nec in ipſo, ſicut nec in Eccleſia tractanda ſunt placita ſæcularia. Eccleſiaſtica tamen poſſunt, *cap.* 1. *de Immunit. Eccleſ. & cap. cum Eccleſia.* Bacconius *in* 4. *diſt.* 12. *art.*3. Syluester *in Summa, verbo Immunitas, num.*1. Omnes proceſſus, ac ſententia Iudicis ſæcularis in eis data ſunt nulla, *cap. decet, eodem tit. in* 6. Maximè ſententia ſanguinis, & hoc ſub anathemate, dicto *cap. Cum Eccleſia.* Bacconius *ſuprà*. Syluester *ibidem*. Deinde, non debent in eis fieri conclamationes, ſeditiones, impetus vniuerſitatum, & quarumlibet ſocietatum contentiones, publica parlamenta, negotiationes, præcipuè nundinarum, & fori, *cap. decet relato.* Bacconius *ſuprà*. Syluester *ſuprà*, *num.*4. Angelus *ſuprà num.* 4. Similiter non debent in eis poni ſuppellectilia, nec hoſpitalarij in eis iacere, aut conuiuari, niſi propter hoſtiles incurſus, & alias neceſſitates. Bacconius *ſuprà*, Syluester *ſuprà num.* 7. Angelus *num.*8. Præterea nulla debet ibi fieri violentia, aut aliquis inde violenter extrahi, aut eorum confinia frangi, 17. *quæſt.*3. *cap.*3. *cap. ſicut antiquitus.* Syluester *ibid.* Angelus *n.*10. Hæc porrò, vel ſimilia agere peccatum eſt mortale, vel veniale, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ, aliaſque circunſtantias.

Gaudet etiam Cœmeterium priuilegio Immunitatis Eccleſiæ, ita vt ex eo delinquentes extrahi non poſſint, niſi in caſibus permiſſis. De quibus infra, verbo *Immunitas Eccleſiarum.* Eſt enim, vt dictum eſt, locus ſacer, & hoc ſiue ſit coniunctum, ſiue diſiunctum ab Eccleſia, propter eandem rationem. Caſtrus Palaus *tomo* 2. *diſput. vnic. de Immunit. Eccleſ. punct.*6. *num.*16. Diana *part.*4. *tract.* 1. *de Immunitat. Eccleſ. reſol.* 208. §. *notandum.* 3

Benedicitur, violatur, & reconciliatur ab eodem, & eodem modo, ſicut Eccleſia. Et ſi eſt Eccleſiæ contiguum, ea polluta polluitur, non verò è contra polluto Cœmeterio polluitur Eccleſia, quia nobilius, & principale trahit ad ſe minus nobile, & acceſſorium, non è contra, *de conſecr. Eccleſ. in* 6. *cap. vnic.* Bacconius *in* 4. *diſtinct.* 21. *artic.*2. Sayrus *de Cenſuris, lib.*5. *c.*16. *num.*18. Suarez 3. *tomo in* 3. *part. diſp.*81. *ſect.*4.5. *Quintò violatur.* Si verò non eſt Eccleſiæ contiguum, ea polluta non polluitur, *dicto cap. vnic.* Syluester *dicto verbo Cœmeterium, num.*2. Suarez *ſup.* Similiter, quando duo Cœmeteria ſunt contigua, polluto vno, non polluitur aliud; etiamſi porta eſſet in pariete, per quam tranſitus eſſet ex vno ad aliud, *dicto cap. vnic.* Syluester, & Suarez *ibidem.* Quid verò ſit dicendum caſu quo pollutio contingeret in porta intermedia, tractant prædicti Doctores *ibidem.* 4

Polluitur ergo Cœmeterium eiſdem caſibus, & modis, quibus Eccleſiam pollui dicetur infra verbo *Eccleſia*, videlicet effuſo ſemine, vel effuſo ſanguine, vel ſepultura hominis prophani, &c. Vide ibi dicenda: nec debet aliquis in eo ſepeliri antequam reconcilietur. Syluester *ſuprà verbo Cœmeterium, num.*2. 5

De his tamen, & modo quibus reconciliatur infra verbo *Eccleſia*. Vbi etiam ſimiliter de eius benedictione, & conſecratione, & infra verbo *Conſecratio*. Solum animaduertendæ modò ſunt duæ declarationes Sacræ Congregationis circa hoc apud Barboſam *in Collect. Bullar. verbo Cœmeterium.* Prima in vna Cameracenſi 9. Februarij 1608. huiuſmodi: *Cœmeterij conſecrati reconciliatio non eſt committenda alteri, quàm Epiſcopo, Presbytero autem in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto committi poteſt ſimplex benedictio Cœmeterij.* Secunda ad idem etiam in vna Pratenſi 21. Iulij 1632. *Cœmeteria conſecrata non niſi per Epiſcopum reconciliari poſſunt.* Quæ qualiter intelligenda, lucis relatis exponetur. 6

COMMISSIO, COMMISSARIVS Regularis.

SVMMARIVM.

1 *Duplex genus Commiſſariorum Generalium.*
An ſint Iudices Ordinarij, vel delegati. ibid.
An ſubdelegare poſſint. ibid.
2 *Quanto tempore durent.*
Eorum commiſſio an perpetua. ibid.
3 *Commiſſiones, ſeu priuilegia Prælatis Regularibus conceſſa, an perſonalia, vel realia.*
An poſſint ab ipſis delegari. ibid.
Quomodo ceſſent. ibid.
4 *Quando commiſſio cenſeatur perſonalis, aut realis.*
5 *Quando ceſſet ex parte delegantium.*
6 *Quando ex parte ipſarum commiſſionum.*
7 *Quando, & qui Prælati poſſint commiſſarios deſignare.*

8 An

Digitized by Google

8 *An Commiſſarij dicantur Prælati.*
9 *Alia remiſſiuè.*
10 *Reſolutio cuiuſdam dubij de Commiſſario volente celebrare capitulum Prouinciale in quadam Prouincia.*
11 *Reſolutum eſt iſtum Commiſſarium non potuiſſe ſe intromittere in celebratione talis capituli.*
12 *Iuriſdictio, quam habebat, erat diſtincta.*
13 *Mens Generalis fuit ſeparare vnam ab alia.*
14 *Conformiter ad vſum Religionis.*
15 *Delegatus non poteſt extendere ſuam iuriſdictionem contra voluntatem delegantis.*
16 *Conſtabat de mente Generalis in præſenti.*
17 *Ex Epiſtola quadam miſſa ad Prouincialem.*
18 *Et ex alia à Præſidente Capituli miſſa.*
19 *Sufficienter videbatur hoc declaratum ab ipſo Generali per diuiſionem talis Iuriſdictionis.*
20 *Qui tempus legis non obſeruat, formam legis dicitur non obſeruare.*
21 *Epiſtolis miſſiuis, ſeu familiaribus, fides adhibetur ex praxi Eccleſiæ.*
22 *Repræſentant perſonam mittentis.*
23 *Epiſtolæ ſummorum Pontificum, Epiſcoporum, Principum fidem faciunt.*
24 *In hac Religione etiam eſt hoc in vſu.*
25 *Poteſtas delegata eſt odioſa, & non extendenda.*
26 *Poteſtas talis viſitatoris ſolùm erat in determinato genere.*
27 *Neceſſarium erat alterare, & diſpenſare conſtitutionem Ordinis circa celebrationem talis capituli.*
28 *Viſitator non habebat hanc facultatem.*
29 *Etiamſi Commiſſariis detur facultas cum plenitudine poteſtatis, non extenditur ad ea, quæ iure, vel conſuetudine ſpecialiter competunt ſuperioribus delegantibus.*
30 *Nec ad ea, quæ ſunt ſpeciali notâ digna.*
31 *Non obſtabat clauſula illa*, ac ſi nos præſentes eſſemus.
32 *Vniuerſalitas illius clauſulæ ſolùm intelligi debebat in genere viſitationis, non in genere celebrationis Capituli.*
33 *Cauſa limitata ſolum limitatum producit effectum.*

1 EX dictis *tom. 2. cap. 13. num. 16.* conſtat Commiſſarios Generales in Religionibus eſſe in duplici differentia; alij enim ſunt per electionem, Conſtitutiones, aut iura Ordinum, vt contingit in Ordine Minorum in familiis Ciſmontanis, & Vltramontanis: alij verò ſunt, qui fiunt per nominationem, vel delegationem Generalis, prout ſæpiſſimè contingit. De prioribus dixi eodem loco eſſe Iudices Ordinarios, & poſſe ſubdelegare, nec amoueri poſſe à Generali, niſi propter culpam. De poſterioribus verò è contrario eſſe Iudices delegatos, amoueri poſſe à Generali, ſed non poſſe delegare, niſi in caſibus particularibus. Quæ doctrina applicari poteſt ad alios Commiſſarios Prouinciales, vel aliorum Prælatorum, quales in Religionibus reperiuntur. Quia tamen plura dubia circa iſtos, & eius auctoritatem ſæpius oriri ſolent, operæ pretium erit aliqua ad ipſos ſpectantia in præſenti diſcutere, præſertim circa eorum durationem, & auctoritatem.

2 Loquendo autem de duratione Commiſſariorum poſterioris generis (quia de aliis nulla ferè eſt difficultas) dicendum eſt expirare poſſe eorum commiſſionem, vel ex parte ipſorum delegatorum, vel ex parte delegantium, vel ex parte ipſius commiſſionis. Et quidem ex parte ipſorum, licèt commiſſio perſonalis, illa ſcilicet, quæ ſoli perſonæ conceditur, expiret morte ipſius, commiſſio verò realis, ea ſcilicet, quæ officio, vel dignitati, ſcilicet Prouincialatus, vel Prioratui, &c. conceditur, non expiret morte delegati, ſed tranſit ad ſucceſſorem. Ratio prioris partis eſt, non ſolum quia acceſſorium ſequitur principale, ſed etiam quia ea commiſſio inhærebat perſonæ tanquam ſubiecto: ea ergo extincta deficit commiſſio, ſicut generaliter corruptis nobis, corrumpuntur omnia, quæ ſunt in nobis. Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 27. num. 2.* Bonacina *de legibus, diſp. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 1. num. 1.* Ratio verò poſterior eſt à contrario. Cùm enim officium illud, ſeu dignitas perpetua ſint, & non pereant, nec etiam peribit commiſſio illa conceſſa, ſed tranſit ad ſucceſſores, quia repræſentant prædeceſſorem, vt habentem talem dignitatem, vel officium. Sanchez *ſuprà*. Bonacina *ſuprà num. 2.*

Hinc collige primò, commiſſiones, ſeu priuilegia per Sedem Apoſtolicam conceſſa Abbatibus, Generalibus, Prouincialibus, Prioribus, vel aliis Superioribus Regularium intuitu perſonarum perſonalia eſſe, & expirare morte ipſarum; ea verò, quæ intuitu officiorum, quales ſolent eſſe facultates abſoluendi, diſpenſandi, &c. eſſe realia, nec ipſorum morte finiri, ſed tranſire ad ſucceſſores. Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 1. diſp. 16. quæſt. 11. num. 2.* Collige etiam ſecundò, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 4.* Facultates iſtas conceſſas dictis Superioribus ratione officiorum, poſſe ab ipſis delegari ſuis inferioribus, niſi oppoſitum declaretur in priuilegio, vel niſi in illo denotetur eſſe electam induſtriam ipſorum, vt ſi dicatur *confidimus de tua induſtria, &c.* Ratio eſt, tum propter dicta eo *num. 4.* tum etiam, quia iuriſdictio ex Principis priuilegio competens perpetuò dignitati eſt delegabilis, *cap. final. de offic. delegati.* Syluester *in Summa, verbo Delegatus, num. 10. & 11.* Sà *in Summa verbo Delegatus, num. 2.* Peirinis *tomo 1. Priuilegior. Minim. in Conſtitut. Pyrrhi §. 5. & 6. num. 14.* Qui notant hoc intelligi, quando hæc facultas conceſſa eſt dictis Prælatis circa ſubditos in genere, non quando circa aliquos determinatos, v.g. hunc, vel illum. Collige tertiò, quod quando tales Prælati potiuntur dicta commiſſione, ſeu priuilegio ratione dignitatis, vel officij, ſi ab ea dignitate, vel officio remoueantur, non poſſunt illis vti. Ceſſat enim ratio propter quam illis competebat. Tamburinus *ſuprà num. 4.* Ex Azorio & Salas. Si verò potiuntur illis ratione perſonæ, etiam amoti ab officiis ipſi vti poſſunt, quia illa ſequuntur perſonam. Sanchez *dicta diſp. 27. num. 23.* ex aliis.

Si autem quæras, quando cenſeri debet commiſſio perſonalis, & quando realis, dicendum primò, hoc colligi debere ex verbis commiſſionis, & ſubiecta materia: ſi enim ibi dicatur, *Committimus hoc negotium Priori Conuentus Tranſpontinæ ob peculiarem ſcientiam, & probitatem ipſius*, cum hæ qualitates afficiant perſonam, & non officium, talis commiſſio erit perſonalis. Si verò ibi dicatur, *Committimus hoc negotium Priori Tranſpontinæ ob grauitatem, & auctoritatem ſui officij*, cùm hæc afficiant ipſum, erit realis. Sanchez *d. diſp. 27. num. 3.* Tamburinus *ſuprà num. 2.* Dicendum ſecundò, quando ex verbis, vel ſubiecta materia id non colligitur, attendendum eſt, an in commiſſione exprimatur ſolum nomen perſonæ, vt ſi dicatur *tibi Petro*; tunc enim cenſebitur commiſſio perſonalis, ſi verò exprimatur ſolum nomen officij, vt ſi dicatur *tibi Priori, &c.* tunc erit realis, ſi verò exprimatur vtrumque, ſcilicet nomen perſonæ, & officij, vt ſi dicatur *tibi Petro Priori, &c.* tunc cenſebitur perſonalis, tum quia in dubiis priuilegium potius cenſetur perſonale, quam reale: tum quia nomen perſonæ, cum ſit ſpeciale, limitat nomen officij, quod eſt generale, ſicut generaliter ſpecies limitat genus, alioquin fruſtra nomen perſonæ apponeretur. Fortior autem eſt præſumptio, quæ ex peculiaribus verbis ſumitur, quàm quæ ex generalibus, Sanchez *ſuprà*. Bonacina *ſuprà num. 5.* Tamburinus *ſuprà num. 3. 4. & 5.* ex aliis quos referunt.

Ea

Digitized by Google

5 Ex parte verò delegantium ceſſat authoritas Commiſſariorum. Primo quidem, morte ipſorum delegantium, Generalis videlicet; vel Prouincialis, iuxta dicta *tomo 2. cap.13.num.18.* quod & colligitur ex *capite relatum*, & *capit. gratum*, & *cap. licet vndique, de offic. delegat.* & *cap. ſi delegatus, eodem titulo in 6.* Secundò, ceſſatione, ſeu remotione ab officio; quia illa ceſſatio, vel remotio eſt veluti mors, Sà *in Summ. verbo Delegatus, num.6.* Bonacina *ſuprà num.24.* Suſpenditur etiam tertiò, ſi delegans incidit in excommunicationem, quia cum per illam ſuſpendatur Iuriſdictio delegantis, ſic etiam delegati, cum pendeat ab illa. Suarez *tom.5. in tertiam partem, diſp.14. ſect.1. num.2.* Cornejo *tom.2.in 3.part.tract.5.de excommunic.diſp.10. §.5.dub.1.* Hæc tamen omnia intelligenda ſunt, re integra manente, id eſt, ſi talis commiſſarius non incœpit exercere munus ſuum. Ita enim colligitur ex iuribus relatis, vt ſupponunt Sà, Suarez, & Bonacina relati. Quid verò requiratur ad hoc, quod Commiſſarius dicatur incepiſſe exercere munus ſuum, ſeu vt res dicatur non integra, agit Sanchez *ſuprà diſp. 28. à num. 8.* In prædictis etiam caſibus, quando eſt communis error, aut ignorantia mortis, vel ceſſationis ab officio delegantis commiſſionem, ſiue delegatus id ſciat, ſiue non, valebunt geſta ab ipſo, propter *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Henriquez *lib.6.de pœnitent. cap.13.num.3.in comment. littera A, & lib.10.de Sacrament. Ordin. cap.25. num.3. in comment. littera P.* Sanchez *lib.3.de Matrimon.diſp.22.num.59.*

6 Ex parte autem ipſius Commiſſionis ceſſabit, quando fuerit limitata, & determinata ad certum tempus, vel ſolum poſita tali, vel tali conditione, iuxta dicenda infra verbo *Gratia, num.2.* Vide Suar. *tom. 4. in 3. part.diſp.26.ſect.3.num.2.*

7 Prælati, qui poſſunt Commiſſarios conſtituere, ſunt omnes illi, qui habent iuriſdictionem ordinariam, vt ſunt Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, &c. Certum enim eſt omnes illos, qui habent iuriſdictionem ordinariam, quales ſunt dicti Prælati, poſſe illam delegare, quod eſt commiſſarium conſtituere. In hoc tamen ad Iura particularium Religionum attendendum eſt, ſi fortè in aliquibus talis auctoritas limitetur. Requiritur tamen, quod illa iuriſdictio ordinaria impedita, aut ſuſpenſa non ſit, vnde Prælatus excommunicatus, quantumuis toleratus, & occultus, non poteſt Commiſſarium conſtituere, ſeu delegare ſuam iuriſdictionem, quia iuxta dicenda infra verbo *Excommunicatio, num. 33.* excommunicatus priuatur omni vſu iuriſdictionis; delegatio autem iuriſdictionis eſt vſus illius, *l.Imperium, ff.de iuriſdict. omn. iudic.* Suarez, & Cornejo *ſupra.* An delegatio talis iuriſdictionis valida ſit, quando delegans eſt excommunicatus toleratus, conſtabit ex dicendis infra verbo *Excommunicatio, num.33.*

8 Commiſſarij huiuſmodi, ſiue Generales, ſiue Prouinciales, &c. etſi non poſſint dici Prælati, ſumendo hoc nomen ſtricto modo pro eo ſolùm, qui habet iuriſdictionem ordinariam, Prælati tamen dici poſſunt largo modo, prout omnis habens curam animarum, ſiue ordinariam, ſiue delegatam Prælatus dici poteſt. Abbas *in cap. decernimus, de Iudic.num.16. & cap. tua nos, de Clerico ægrotante, num.2.* Gloſſa *ibid.* Peirinis de ſubdito *tom.2. quæſt.1.de Obedientia, §.2.*

9 Alia, quæ ſpectant ad huiuſmodi Commiſſarios habes *tom.1.p.2.cap.13.n.10.& 18.* [Maximè quod non ſe debeant ingerere in iuriſdictionem ordinariam Prælatorum, *ibid.num.56.* ex declarationibus Sacræ Congregationis ibi relatis.] Quæ ad eorum auctoritatem *ibid. à num. 28.* & alia, quæ ſpectant ad ipſos, quatenus Iudices ſunt, præter dicta *tom.1. cap. 27.* habes etiam infra verbo *Iudex, & Iudicium Regularium.* Plura etiam ad intentum dabimus 4.tom. verbo *Mandatum.*

Eſt ad intentum doctrinæ traditæ reſolutio cuiuſ- 10
dam dubij, quod fuit inter quoſdam Religioſos pro-
pter commiſſionem quandam datam à Generali eiuſ
Religionis cuidam Religioſo, conſtituendo illum Vi-
carium Generalem, & Reformatorem vnius Prouinciæ
cum pleniſſima poteſtate viſitandi, & reformandi ip-
ſam, addendo etiam hanc clauſulam, *ac ſi Nos præſen-
tes eſſemus*; ſed cum limitatione temporis, ſcilicet *vſ-
que ad octauam Paſcha incluſiuè.* Dubitabatur enim, an
per huiuſmodi commiſſionem tam amplam derogaue-
rit præfatus Generalis litteris quibuſdam patentibus,
quas antea dederat cuidam Religioſo eiuſdem Prouin-
ciæ ad præſidendum in Capitulo Prouinciali, quod erat
celebrandum Dominica tertia poſt Paſcha eiuſdem an-
ni: Ita vt præfatus Viſitator poſſet ſe intromittere in
celebratione talis Capituli.

Et ex voto plurium DD. eius Prouinciæ, tam eiuſ- 11
dem, quàm aliarum Religionum deciſum eſt non po-
tuiſſe talem Viſitatorem intromittere ſe in aliquo ſpe-
ctanti ad celebrationem Capituli. Primò, quia cum
vtraque Iuriſdictio dependeret à voluntate Generalis,
vtique potuit vnam ab alia ſeparare, & diuidere, tri-
buendo vni Religioſo munus præſidendi, ſeu faciendi 12
ea, quæ ad tale Capitulum celebrandum ſpectabant;
alteri verò tribuendo facultatem viſitandi, reformandi,
&c. Non ergo vna poterat aliam impedire, aut cum
ipſa confundi, *cap. ſtuduiſti, de offic. legat.* & ibi DD.
quorum plures affert Barboſa *in collectan.* Quod autem
mens Generalis fuiſſet vnam Iuriſdictionem ab alia ſe- 13
parare, conſtat ex eo, quod Viſitatori terminum præ-
fixit vſque ad octauam Paſchæ, Præſidi autem capituli
vſque ad tertiam Dominicam poſt Paſcha, quo tempore
ſecundum Iura Religionis Capitulum erat celebran-
dum. Confirmatur ex vſu eiuſdem Religionis, in qua,
ſi alicui tribuit Generalis munus Viſitatoris, & Refor- 14
matoris, etiam cum plenitudine poteſtatis, ſi tamen
vult, vt in Capitulo præſideat, ei tribuit alias litteras
pro tali præſidentia: ſunt igitur duæ iſtæ Iuriſdictiones
diuerſæ, diuiſibiles, & ſeparabiles.

Secundò, ex principio in Iure certiſſimo, quod 15
ſcilicet Delegatus contra expreſſam mentem Delegan-
tis, non poteſt extendere iuriſdictionem, & quicquid
facit eſt irritum, *cap.P.& G. de Officio legati*, Nauarr.
cap. cùm contingat, de reſcript.7. cauſa vtilitatis, num.3.
Molin. *de iuſtit. tract. 5. diſp.25.* Atque expreſsè con-
ſtat de mente Generalis impedientis ſupradictum Vi-
ſitatorem, ne vllo modo in Capituli celebratione ſe
intromitteret, quia poſtquam prædictas litteras pa- 16
tentes ad viſitandum ipſi dedit, ſcripſit quandam epi-
ſtolam Prouinciæ, quæ inter alia hæc continet. *De- 17
creui mittere Viſitatorem bonarum qualitatum, & talen-
ti, qui conſoletur omnes; & non ſe intromittet in Ca-
pituli Prouincialis celebrationem, ſiquidem M. Anto-
nius iam recepit Præſidentiam*; & in alia epiſtola eidem
Præſidenti ſcripta, hæc ait: *Præfatus Viſitator non ſe* 18
*ingeret in rebus ſpectantibus ad celebrationem Capituli;
ſiquidem V. P. admod. R. iam habuit Præſidentiæ litte-
ras.* Confirmatur, quia eſto, quod Generalis id non
declaraſſet *per dictas litteras miſſiuas, ſufficienter vide-
batur* declaratum ex eo quod præfato Viſitatori ſolum 19
conceſſit authoritatem vſque ad tempus limitatum,
ſcilicet octauam Paſchæ: cum tamen, vt dictum eſt,
Capitulum celebrandum erat quindecim diebus poſt
dictam Octauam, ſcilicet tertia Dominica poſt Paſ-
cha eiuſdem anni; limitatus enim fauor limitatum
habet effectum *l. 2. ff. de ſeru. exportand. l. cum ſer-
uo 67. ff. de contrahend. emp.* Gloſſ. 1. *in cap. cùm Or-
dinem, de reſcript.* Felin. *ibid. num.4.5.& 6.* Gonzalez *in
Regul.8.Cancel. gloſſ.24. n.80.* Et qui tempus legis non 20
obſeruat, non dicitur formam legis obſeruare, *l. obſer-
uare, §.poſt hæc, ff.de offic. Proconſul.* Rebuffus *in Tract.
nominat.quæſt.14.n.6.* Cardoſ. *in prax.iudic.& aduocator.*

verb.

verb.tempus, *num.*1. Barboſa *in Axiomatib.axiom.*219. *num.*2.

21 Nec dicatur Epiſtolis miſſiuis, aut familiaribus non deberi fidem. Hoc enim facilè reiicitur ex praxi Eccleſiæ, qua conſtat oppoſitum. Repræſentant enim perſo-
22 nam mittentis, *l.nuda*, vbi Bartol. *num.*5. *ff.de donation.* & ſunt nudum miniſterium, vox, & organum Domini, textus *in l. & licet* 15. & ibi Gloſſ. *verbo miniſterium*, *ff. de conſtitut. pecunia*, vbi Baldus, & cæteri notant. Gloſſ. *verb. poteſt*, *in l.multum intereſt, Cod. ſi quis alteri, vel ſibi*, Imola *in cap.mandato, num.*7. Gonzalez *ſupra*, *gloſſ.*63.*n.*43. *&* 45. Vnde Epiſtolæ ſummorum Pontificum, Principum, Magiſtratuum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum fidem faciunt, *cap.*
23 *Sancta Romana Eccleſia*, *diſt.* 55. Burgos de Pace *in proœm.leg. Tauri*, *n.*450. Sanchez de Matrimon. *lib.*2. *diſp.*31.*num.*6. Suarez *de legib.lib.*4.*c.*14. Salas *diſp.*12. *de legib. ſect.*9. In iſta etiam Religione, de qua eſt ſermo in præſenti, Generalis ſolet per epiſtolas ſolum miſ-
24 ſiuas confirmare Acta, & decreta Prouinciæ, & præcipere plura ad regimen ſpectantia.

25 Accedit tertiò, quod poteſtas delegata eſt odioſa, & non extendenda vltra ſuam lineam ex vno caſu ad alium, *cap.P. & G. de offic.delegati*, *in fin.* Gloſſa *c.*1. *verbo proceſſus*, *de reſcript.in* 6. Angelus *verb. Delegatus*, *num.*5. Sylueſter *quæſt.*3. Tabiena *verbo Delegare*, *quæſt.*4. Maranta, Armilla, & alij cum Sanchez *lib.*3. *de matrim.diſp.*35.*num.*9. Cum ergo poteſtas talis Viſitatoris ſolùm ſit in determinato genere, ſcilicet viſitandi, & reformandi mores, non poteſt extendi ad aliud genus adeo diuerſum, vt eſt celebrandi capitulum, in
26 quo includuntur plura, & valdè diuerſa, ſcilicet Capitulum conuocare, in illo præſidere, & facere nominatam, pro vt eſt in vſu Religionis.

27 Quartò, quia Capitulum Prouinciale iuxta Ordinis conſtitutiones *part.*4. *cap.*10. §.5. debet celebrari tertia Dominica poſt Paſcha, & facere oppoſitum eſt conſtitutionem alterare, & in illa diſpenſare. Prædictus autem Viſitator omni etiam ſua Iuriſdictione vtendo
28 non poteſt id facere, cum non habeat à Generali facultatem ad diſpenſandum in conſtitutionibus, imo nec ipſemet Generalis eam habeat, niſi prout dicitur *part.*2. *cap.*1.*num.*11. *Id ipſo in literis patentibus expreſſè dicat.* Confirmatur, quia multo maius eſt tribuere facultatem ad diſpenſandum in multis caſibus, quàm in vno ſolo: ſed ſi Generalis alicui daret facultatem ad diſpenſandum contra Conſtitutionem in aliquo caſu, ſi non faceret expreſſam mentionem de tali diſpenſatione, factum eſt nullum, nulliuſque vigoris: ergo multo minus eſt intelligendum, quod voluerit diſpenſare in celebratione Capituli, pro qua multi actus ſunt neceſſarij, ſine expreſſa declaratione talis diſpenſationis.

29 Denique quintò, quia communis reſolutio Doctorum eſt pro huiuſmodi Commiſſariis, quod ſcilicet etiamſi illis ſit data facultas, *cum plenitudine poteſtatis*, illa tamen non extendatur ad ea, quæ iure, vel conſuetudine ſpecialiter competunt ſuperioribus concedentibus tales commiſſiones, aut ad illa, quæ ſunt ſpeciali nota digna, vt tradunt inter alios Rodriguez *tom.*1.*qq.Regul.quæſt.*54.*art.*1.*&* 2. Miranda *tom.*2.*q.*15. *art.*3.*concluſ.*2. Portel. *in dubiis*, *verb.Commiſſarius*, *n.*5.
30 Fragoſo *lib.*2. *cap.*18. *num.*6. Hieronymus Rodriguez *reſolut.*29.*num.*9. & ego *tom.*2. *cap.*53. *num.*30. ac maximè 4. *tom. verbo Mandatum*, *num.*4. Cum igitur diſpenſare in Conſtitutionibus, & facere prædicta ſint propria Generalis, & ſpeciali nota digna, non poterunt competere dicto Commiſſario.

31 Neque obſtat clauſula illa, *ac ſi nos præſentes eſſemus.* Quia eo ipſo quod Generalis illas facultates viſitandi, & celebrandi Capitulum diuiſit, & ſeparauit, vni concedens vnam, & alteri alteram, manifeſtè declarauit facto ipſo, quod eſt fortius ad demonſtrandum animum, quàm verba, *l.certum*, *ff.ſi cert.pet.l.fin.ff.de diuort.* vni- 32
uerſalitatem illius clauſulæ ſolum intelligi debere in genere illo viſitationis, non in genere celebrationis Capituli; ac perinde nihil poſſe facere dictum Viſitatorem circa dictum Capitulum: eo quod *cauſa limitata limi-* 33
tatum debet producere effectum, iuxta commune axioma, pro quo ampliando multa congerit ex Iuribus, & Doctoribus Barboſa *de axiomat. axiom.*40.*num.*29.

CONCIONARI, ET CONCIONATOR Regularis.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Concio, ſeu prædicatio quid ſit.*
3 *Prædicare, ſeu concionari ex officio ad quos ſpectet.*
4 *Quibus committi poteſt.*
5 *Quid de Regularibus, propter ipſorum priuilegia.*
6 *Quas conditiones debent habere.*
Quid ex Sacra Congregationis declarationibus habeatur. ibid.
7 *An ſuſpendi poſſint ab Epiſcopis.*
An examinari. ibid.
An etiam extra Quadrageſimam, & Aduentum habere debeant licentiam, vel benedictionem ab Epiſcopis. ibid.
8 *An obligentur ad faciendam profeſſionem fidei.*
9 *Quid de Prælatis Regularium.*
10 *Regulares prædicantes ſine licentia ſuorum Superiorum qualiter peccent.*
An poſſint ab ipſis ſuſpendi. ibid.
11 *Tempore interdicti non prohibetur prædicatio.*
12 *De mercede aſſignanda Concionatoribus.*
Quis illam tribuere debeat. ibid.
13 *Quibus diebus prohiberi poſſint prædicare.*
14 *De Indulgentiis conceſſis audientibus conciones quorumdam Religioſorum.*
15 *Alia remiſſiuè.*

LIcet de hac materia non pauca dicta ſint *tom.*1. 1
*cap.*20. per totum, & *tom.*2. *cap.*1.*num.* 12. alia tamen addenda pro maiori notitia ipſius.

Concio, ſeu prædicatio, prout in præſenti, eſt ſer- 2
mo publicus habens certam formam ſaltem conſuetudine introductam, ſcilicet, quod Concionator habeat gradum diſtinctum quoad locum, ſumat thema, inuocet Spiritum ſanctum, &c. Sic colligo ex Sylueſt. *in Summa, verbo Prædicatio*, *num.*5. Vnde infert exhortationes, quæ fiunt in ſcholis Diſciplinatorum, & Eccleſiis Monialium ianuis clauſis, & ſermones, qui fiunt in Refectoriis Religioſorum, prædicationes non eſſe. Idem credo dicendum de breuibus quibuſdam ſermonibus ſolum per quartam partem horæ, vel paulo amplius, qui in aliquibus Eccleſiis, etiam Romæ, vt in Monaſterio Carmelitarum apud Sanctam Mariam Tranſpontinam poſt Veſperas in Dominicis fiunt, non eſſe propriè prædicationes.

Prædicare, ſeu concionari ex officio, ſpectat primò 3
ad Papam, 59. *diſt.can. In memoriam*, & ex commiſſione ipſius, cui ipſe commiſerit, *de offic. delegat. cap. final.* Licet Commiſſarij eius id munus alteri delegare non poſſint, *dicto cap. final.* Syluester *ſuprà.* Angelus *in Summa, verbo Prædicare*, *num.*1. Quod intellige, quando Commiſſario nudum miniſterium eſt commiſſum, prout colligitur ex textu. Secundò, etiam ex officio id munus competit Epiſcopis, etiam in alienis Diœceſibus, niſi prohibeantur ab Epiſcopis Diœceſanis, 21. *diſt.cap.in nou.* Sylueſter, & Angelus *ibid.* Vnde à Clemente VIII. declaratum fuit poſſe Epiſcopum prohibere prædicare in aliena Diœceſi. Quod etiam eſt à Sacra

Congregatione deciſum apud Stephanum Gratianum *diſcept. forenſ. cap.393. à num.9.* & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Prædicator.* Imò eſt hoc præcipuum Epiſcoporum munus, vt habet Concil. Trident. *ſeſſ.5. cap.2. & ſeſſ.24. cap.4. ex can. Epiſcopus nullam, diſt.88.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.76. num.4.* Competit etiam id munus ex officio aliis omnibus Prælatis, Archiepiſcopis, Plebanis, & quibuſcumque habentibus Eccleſias Parochiales, vel curam animarum. Ex eodem Concilio. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.2. diſp.11. quæſt.1. num.3.*

4 Committi tamen poteſt munus prædicandi viris idoneis, vt habet idem Concil. *dict. ſeſſ.5. cap.2.* Non ſolum Sacerdotibus, ſed etiam Diaconis. Syluester *ſuprà.* Nauarrus *conſil.2. de temp. Ordin.* Imò etiam Subdiaconis, aut in Sacris non conſtitutis, quia prædicare non eſt actus Ordinis, ſed iuriſdictionis, quæ eſt delegabilis. Nauarrus *ſuprà, num.4.* Rudriguez *in Summa tom.2. cap.22. num.1.* Deciſum etiam referunt Rendina, & alij apud Barboſam *dicta Allegat.76. num.45.* & conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis apud eundem Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Prædicator.* Laicis etiam committi poſſe munus prædicandi, tenet idem Nauarrus *ſuprà, num.3.* & Suarez *tom.5. in 3. part. S. Thom. diſp.12. ſect.2. num.4.* Sed contrarium ſequitur Syluester *ſupra.* Et eſt verius, ſaltem ex conſuetudine.

5 Pro Regularibus ſpecialiter quamuis prædicta ipſis applicari poſſunt, extat priuilegium Gregor. XIII. in Bulla *Vigore priuilegij*, in Bullario Laërtij *tom.2.* inter Conſtitutiones Gregorij *num. 95.* & in Bullario Rodriguez inter Bullas eiuſdem Papæ *num.28.* vbi conformiter ad aliud priuilegium Pauli III. concedit Præpoſitis, & Religioſis Societatis Ieſu, quod Clerici prima tonſura initiati, etiam ad ſacros Ordines non promoti, aliàs tamen idonei, & à Præpoſito deputati poſſent prædicare publicè Verbum Dei. Quo priuilegio noſtri Carmelitæ, & alij communicationem priuilegiorum cum Ieſuitis habentes vti poſſunt. Notari tamen debet in eo contineri, hanc deputationem fieri debere à Præpoſitis. Vnde ſi præpoſiti nomine intelligitur Generalis, vt videtur, ſolum Generalibus aliarum Religionum id poterit conuenire. Quia tamen iure communi poteſt id fieri, iuxta dicta, vt etiam obſeruat Scholiaſtes marginalis dictæ Bullæ in Bullario Rodriguez relato, ideo parum curandum de hoc priuilegio.

6 Prædicti autem Regulares, quicumque illi ſint à ſuis Superioribus deſtinati ad concionandum, debent in primis ab ipſis de vita, moribus, & ſcientia eſſe approbati, iuxta dicta *tom.1. cap.10. n.1.* ex Concil. Trident. *ſeſſ.5. cap.2.* Deinde nequeunt prædicare inuitis, & contradicentibus Epiſcopis, iuxta dicta eo loco, *num.2.* ex eodem Concil. *ſeſſ.4. de reformat. cap.4.* Quod limitant Rodriguez *tom.3. Quæſtion. Regular. quæſt.32. art.1.* Miranda *in Manual. Prælat. quæſt.50. art.3. concluſ.1.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.2. diſp.11. quæſit.2.* & Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Prædicare, num.7.* ſolum ad tempus, & horam qua Epiſcopus prædicare voluerit, aut coram ſe ſolemniter prædicari, iuxta determinationem Concilij Vienneuſ. in Clement. *dudum, de Sepult.* & non aliàs, ne contrarium videatur ſibi ipſummet Concilium dum *ſeſſ.5. cap.2.* dicit Regulares poſſe prædicare in Eccleſiis ſuis cum ſola benedictione Epiſcopi ſine alia licentia. Quorum ſententiæ fauet declaratio Sacræ Congregationis 30. Ianuarij 1629. quam poſtea referam. Additur etiam in alia declaratione Sacræ Congregationis apud Gauantum *in Manual. Epiſcop. verbo Concio Sacra, num.52.* neque poſſe ſermocinari in Congregationibus ſæcularium hora illa in qua Epiſcopus ipſe prædicare voluerit, vel coram ſe facere ſolemniter prædicare. Tertiò, ad prædicandum in Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum, debent habere Epiſcopi licentiam, iuxta dicta eo *num.2.* ex eodem Concilio *dicta ſeſſ.5. cap.2.* Addunt aliqui ſic præſentatis Ordinario, ſi idonei fuerint, non eſſe negandam licentiam, nec poſſe illam ad libitum, & ſine cauſa ſuſpendere. Armendariz *in additionibus ad recopilat. leg. Nauarra, lib.4. tit.30. l.3. de Prædicatoribus, num.8. & 9.* Barboſa *ſuprà dicta Allegat.76. num.22.*

7 Si tamen ſuſpendat, non tenetur cauſam exprimere quare ad hoc faciendum moueatur. Franciſcus Leo *in Theſaur. for. Eccleſiaſt. part.1. cap.8. num.9.* Barboſa *ibid. num.22.* Poteſt etiam Epiſcopus prædictos Regulares in Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum prædicare volentes, examinare iuxta declarationem Sacræ Congregationis apud Barboſ. *in Collectan. Bullar. verbo Prædicare, & Prædicatio.* Quartò ad prædicandum in Eccleſiis ſuorum Ordinum ſufficit petere benedictionem ab Epiſcopo, vt ait idem Concilium *ſuprà.* Vnde non requiritur licentia ipſorum, vt patet ex contextu Concilij, & ex differentia, quam conſtituit inter eos, qui prædicare volunt in Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum, & eos, qui non niſi in Eccleſiis ſuorum Ordinum. Vide alia *dicto cap.20. num.3.* & nota declarationem hanc Sacræ Congregationis ſub die 20. Ianuarij 1629. apud Barboſam *in dict. Collectan. Bullar.* & Nouarium *ſupra, num.3.* per quam ea quæ modo, & quæ ſuperius dixi, magis declarantur. *Prædicare verbum Dei Regulares non poſſunt ſine Epiſcopi licentia in iis tantum Eccleſiis, quæ ſui Ordinis non ſunt. In aliis verò Eccleſiis ſui Ordinis, ſufficit Epiſcopi benedictio petita, licet non obtenta, ita tamen, vt ſi Epiſcopus non modo benedictionem ſimpliciter non conceſſerit, verum etiam Regularibus prohibuerit quo minus prædicent, adhuc illo contradicente, in ſui quidem Ordinis Eccleſiis licet illis prædicare.* Nota etiam ex alia declaratione Sacræ Congregationis apud Gauantum *in Manual. Epiſcop. verbo Concio Sacra, num.16.* haberi, quod doctrina tradita de petenda benedictione ab Epiſcopo, intelligitur etiam de Prædicatoribus extra Aduentum, & Quadrageſimam. Extat etiam hîc Romæ decretum Eminentiſſ. Cardinalis Sancti Honuphrij Prouicarij Generalis ſub die 17. Menſis Februarij anni 1640. in quo præcipitur ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, & aliis pœnis arbitrariis, ne aliquis, etiam Regularis, concionari audeat non habita prius prædicta licentia, vel benedictione ab eodem Eminentiſſimo, & ſucceſſoribus pro tempore, vel Domini Viceſgerente. Declaratur etiam in hoc decreto, non ſufficere eam poſtulare pro vna vice, ſed eſſe neceſſarium id facere ſingulis annis, tam pro Quadrageſima, quàm pro Aduentu, & tempore infra annum, non obſtantibus, &c. Sed aduertenda eſt alia declaratio Sacr. Congregationis die 21. Auguſti 1615. quam refert relatus Gauantus *ſupra verbo Regularium iura ſub Epiſcopis, num.36.* in qua habetur, quod *non debet denegari benedictio pro concione ſine cauſa.* [Vnde video Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium ſub die 9. Nouembris 1635. declaraſſe quemdam Concionatorem Auguſtinianum poſſe prædicare in ſua Eccleſia, etiamſi Epiſcopus illi negauerit benedictionem, dummodo nuo habuerit aliquam cauſam ad eam negandam. Fauet & alia declaratio eiuſdem Sacræ Congregationis pro 11. Ianuarij 1641. & pro 14. Februar. 1642.

8 Poſſe etiam Ordinarios à Regularibus antequam officium prædicationis concedant profeſſionem fidei exigere, referunt deciſum Franciſcus Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſtici, part.1. cap.9. num.8.* Armendar. *ſupra num.35. & 37.* Sed oppoſitum credo conſuetudine receptum, eſtque rationi ſatis conforme, niſi in caſu raro, & extraordinario.

9 Prælati etiam Regulares conſtringuntur eodem præcepto Concilij Tridentini, exceptis Abbatibus, & aliis habentibus territorium, tales enim ſunt veluti Epiſcopi,

&

Digitized by Google

& Ordinarij, & ita non egent alterius Epiſcopi, ſeu Ordinarij licentia, aut benedictione ad prædicandum, ſiue in ſuorum Ordinum, ſiue in aliorum Eccleſiis, quæ ſunt ſub eorum iuriſdictione. Tamburinus *ſuprà, dicto quæſit. 2. num. 3.* Idem credo dicendum de Regularibus Parochis, ſeu Curatis habentibus curam animarum. Cum enim illi ſint paſtores ipſarum, ac ex officio eis incumbat id munus, non videtur neceſſaria alia licentia pro ipſis, præſertim, quia Concilium locis relatis illud ipſis committat.

10 Regulares prædicantes ſine licentia ſuorum Superiorum peccare mortaliter, & excommunicationi, ac priuationi Officij prædicandi eſſe obnoxios, dixi eo *cap. 20. num. 1.* Nunc addendum, poſſe Regulares, etiam aliàs habentes licentiam prædicandi rationabili exiſtente cauſa à ſuis Superioribus ſuſpendi à dicto munere; pendent enim à voluntate ipſorum ratione obedientiæ. Peirinis *tom. 1. de Subdito, quæſt. 1. de obedientia, cap. 22. §. vltim.* Sic tamen ſuſpenſi, ſi nihilominus prædicauerint, licet mortaliter peccent, propter tranſgreſſionem præcepti Superiorum in graui materia, non tamen fiunt irregulares. Ratio eſt, quia prædicatio non eſt actus alicuius Ordinis, vt dictum eſt. Peirinis *ſuprà, §. verum quidem*, ex Armilla, Rodriguez, & Henriquez, quos refert. Dubitat etiam Syluester *in Summa, verbo Prædicatio, num. 5.* vtrum prædicans ſine licentia ſui Prælati reſtituere teneatur bona ſibi delata. Et reſpondet, quod ſi prædicat fingendo ſe quæſtuare pro aliqua Eccleſia, illi teneatur reſtituere, quæ ſibi dantur pro ea; ſi tamen non prædicat ſic fingendo, non tenetur ad reſtitutionem.

11 Tempore interdicti cuiuſcumque non prohibetur prædicatio, quia non eſt actus Ordinis, ſed potius ordinatur ad correctionem populi, propter cuius peccatum ponitur interdictum. Barboſa *dicta Alleg. 76. n. 46.* ex Henriquez, Sayro, Campanili, & aliis.

12 Poteſt Concionator etiam Regularis iuſtè accipere mercedem pro concionibus. Ratio eſt, quia etſi concionari propter dictam mercedem tanquam pretium concionis, Simoniacum ſit, quia eſt traditio, vel donatio rei ſpiritualis pro temporali, & contra illud Matthæi 10. *Euntes prædicate, &c.* & infra, *Gratis accepiſtis, gratis date.* (S. Thom. 2. 2. *quæſt. 100. art. 5.* Sotus 9. *de iuſtit. quæſt. 6. art. 2.*) Nihilominus accipere dictam mercedem titulo ſuſtentationis, nullo iure eſt prohibitum, imò permiſſum, tum ex Concilio dicta *ſeſſ. 5. cap. 2.* vbi etiam titulo mercedis eam vocat, tum ex vſu Eccleſiæ. Sotus *ſuprà*, & alij communiter. Id etiam ſupponitur in vna declaratione Sacræ Congregationis apud Gauantum *in Manual. Epiſcopor. verbo Concio Sacra, num. 56.* vbi ſic: *Prædicatorum eleemoſynam ne Vniuerſitates moderentur, Epiſcopi curent.* Item in alia apud eundem *num. 25.* vbi ſic: *Citra conſuetudinem contrariam poteſt Epiſcopus eligere concionatorem, ſed alimenta, & eleemoſynam eidem ipſe præſtare debet.* Imò poteſt fieri pactum de tali mercede, quia deducere in pactum rem licitam, licitum etiam eſt. Suarez *de Simonia, lib. 4. cap. 46. num. 4.* Bonacina *de Simonia, q. 6. punct. 2. obiect. 3.* Cauere tamen debet ne plus exigat pro ſuſtentatione quàm ferat ratio laboris, quia exceſſus ille non eſt debitus, ac per conſequens eſt iniuſtus, vel ſuſpectus de Simonia. Addit Sotus ſupra, quod non eſt ſimoniacum, quando prædicatio non eſt neceſſaria, Prædicatorem prædicare, vbi melius ſuſtentetur, nec culpam non prædicare, vbi non ſperatur ſuppeditandum alimentum. Addit verò, *Eſt tamen ſemper cauendum ſcandalum, idque præcipuè Monachis.* Quis verò tribuere illam debeat, aut quis Prædicatorem in Eccleſiis eligere, elici poteſt ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas referunt Sellus *in Selectis Canonic. cap. 8. num. 3. 9. & 17.* Naldus *in Summa verbo Prædicare, num. 1. & 2.* & ex Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Prædicare.* [Quibus adde Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 17. Februarij 1634. præcepiſſe quod Epiſcopus non prohiberet concionari Concionatorem quendam deſignatum à communitate de Francauilla. Ita eadem Sacra Congregatio de menſe Ianuar. 1635. præcepit Epiſcopo Imolæ, vt aſtringeret Archipreſbyterum de Fuſignano ad ſoluendum certam quantitatem pecuniæ ſolui ſolitam Concionatori.] In tis etiam conſulenda eſt conſuetudo Eccleſiarum.

Ex aliis etiam declarationibus Sacræ Congregationis circa prædicationes vel Concionatores ipſos, quas refert Gauantus *in Man. Epiſcop. verbo concio ſacra, num. 52. 53. & 54.* habetur, Regulares certa die prohiberi poſſe ne concionentur, vt totus populus conueniat ad Cathedralem. Prohiberi quoque poſſe concionem non ſolitam, extra Cathedralem tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, non tamen poſſe prohiberi in Parochiali Conciones Quadrageſimales eo titulo, vt frequentior ſit populus in Cathedrali. Poſſe etiam Epiſcopum prædicare in quacumque Eccleſia, etiam Regulari ſuæ Diœceſis, nec ab vllo prohiberi poſſe, refert etiam declaratum à Sacr. Congregatione Barboſa *ſupra verbo prædicare, prædicatio.* Ibidem etiam deciſum refert à S. Congregatione, poſſe Epiſcopum Synodali conſtitutione prohibere ne feria quinta in Cœna Domini fiat Concio, quo populus Officio eius temporis attentius aſſiſtere poſſit, & Regulares poſſe compelli ad id obſeruandum. Video tamen in Hiſpania communiter ea die fieri Conciones. 13

Audientes prædicationes fratrum Minorum, ac per conſequens aliorum Mendicantium cum illis communicationem priuilegiorum habentium, lucrantur Indulgentias quindecim annorum, ex Gregor. IX. centum dierum, ex Alexand. IV. centum triginta & octo annorum & ducentorum, & duorum dierum pro feriis 2. & 4. & 6. Quadrageſimæ, ex eodem Alex. IV. Nicolao III. Innocentio IV. Nicolao IV. & Benedicto XI. Audientes etiam ſermones annuales in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum, ac per conſequens etiam aliorum Mendicantium cum illis communicationem Priuilegiorum habentium, lucrantur Indulgentias centum dierum, ex Honor. III. Bonifac. VIII. Alexand. IV. Gregor. IX. Innocentio IV. Vrbano V. & Alexand. V. ac ducentorum dierum ex Benedicto XI. Caſſarubios *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Indulgentia, quas lucrantur audientes Verbum Dei, num. 1. 3. 4. & 6.* Vbi etiam *num. 2. & 5.* refert alias Indulgentias, quas plures Summi Pontifices conceſſerunt dari poſſe à Fratribus Minoribus prædicantibus, quas non refero, quia non video eſſe in vſu. Pro prædictis autem Indulgentiis, quas dixi lucrari poſſe audientes conciones præfatorum, quomodo non ſint reuocatæ, vide dicta *tom. 1. c. 3. n. 19.* & dicenda infra verbo *Indulgentia quoad Regulares.* 14

An excommunicatus concionari poſſit, habes infra verbo *Excommunicatio, num. 17.* An audire conciones, verbo *Excommunicatio, num. 19.* Vide alia verbo *Interdictum*, & verbo *Irregularitas.* 15

CONFESSARIVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De Confeſſariis Regularibus plura remiſſiuè.*
2 *An peccent audientes confeſſiones ſine licentia ſuorum Superiorum.*
An confeſſiones factæ ſine licentia ſuorum Prælatorum validæ ſint. ibid.
3 *Quomodo id intelligendum.*
4 *Confeſſarij Regulares quam facultatem habeant ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris.*
5 *Quam circa caſus reſeruatos.*

6 *Quid in caſibus tranſgreſſionis clauſuræ Monialium.*
Quid de aliis caſibus remiſſiuè. ibid.
7 *An priuilegia Regularium, & quando cenſeantur derogata per Conſtitutiones poſteriorum Pontificum.*
8 *An abſoluere poſſint à pœnis Eccleſiaſticu.*
9 *An à caſibus Papalibus occultis.*
10 *An diſpenſare in irregularitatibus.*
11 *Quid de confeſſariis Regularibus ſolum pro Religioſis deſignatis.*
12 *Quomodo intelligendum priuilegium Pauli III. pro Ieſuitis.*
13 *Quid de alio priuilegio eiuſdem Pauli III.*
14 *Quid de facultate commutandi vota.*
15 *Quid circa iuramenta.*
16 *An poſſint Regulares vti dicto priuilegio.*
17 *Quid de priuilegio alio Eugenij IV. pro Carmelitis.*
18 *An diſpenſent in irregularitatibus.*
19 *Quid de Confeſſariis Regularium circa caſus reſeruatos.*
20 *An validè abſoluant contra voluntatem Prælatorum.*
21 *Abſoluunt ſuos Religioſos vbique.*
Niſi mutauerint domicilium. ibid.
22 *Item ſuos Prælatos.*
23 *Alia remiſſiuè.*

1 DE Confeſſario plura dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*19. per totum, loquens de Confeſſariis Regularibus, eorumque facultatibus, & priuilegiis, & *part.*2. *cap.*18. loquens de approbatione ipſorum. item de Confeſſariis Monialium dicto *tom.*1. *part.*1. *cap.*25. *num.*40. 42. 45. & 46. Similiter de Confeſſariis pro ipſis Regularibus ſolum approbatis dixi *cap.* 18. *num.* 29. & 27. & *cap.* 19. *num.* 36. & 37. Plura etiam dixi *tom.*2. *part.* 1. *verb. Abſolutio*, *verb. Bulla Cœnæ*, verbo *Bulla Cruciata*, verbo *Caſus reſeruati*, & verbo *Cenſura Eccleſiaſtica.* Nunc alia addenda, ſpecialiter agendo primò de approbatione, ſeu licentia Superiorum Regularium, quæ requiritur ad hoc vt Regulares audire poſſint confeſſiones ſæcularium: ſecundo de caſibus, & cenſuris à quibus Confeſſarij Regulares, ſiue ex iure communi, ſiue ex priuilegiis abſoluere poſſunt ſuos pœnitentes, ſiue ſæculares, ſiue etiam alios Regulares ſuorum Ordinum.

2 Et quoad primum, certa res eſt, iuxta dicta eo *tom.*1. *cap.*19. *num.*12. Regulares audientes confeſſiones ſæcularium ſine licentia, aut approbatione ſuorum Superiorum peccare contra obedientiam ipſis debitam. Excipe caſum articuli mortis, quando non eſſet alius, qui in tali neceſſitate conſtituti confeſſionem audiret, tunc enim licitè id faceret Regularis contra præceptum ſui Superioris; vel quia pro tali caſu Superioris voluntas præſumi deberet; vel eſto non præſumeretur, tunc præceptum cuiuſvis Superioris eſſet irrationabile, & ita poſſet contra illud agere Religioſus. Nauar. *in Man. cap.*4. *num.* 6. Graſſius 2. *part. deciſion. lib.*1. *cap.*13. *num.* 87. Difficilius tamen eſt an poſſit valide Regularis approbatus ab Epiſcopo, ſed non præſentatus, licentiatus, aut approbatus à ſuo Prælato, audire Confeſſiones ſæcularium. Qua in re, licet ſatis probabilis ſit ſententia negatiua, quam etiam tenet Reuerendiſſ. Theodorus Stratius *in Inſtruct. pro Carmelit. cap.*6. *num.* 1. & *ſeqq.* eo præſertim, quod hæc approbatio ſeu licentia ſuperiorum ſemper fuit neceſſaria Regularibus ad audiendas confeſſiones, vt patet ex Clement. *Dudum, de ſepult*, nec hoc eſt reuocatum à Concilio Tridentin. Nihilominus; quia oppoſita ſententia eſt communis, vt patet ex pluribus authoribus, quos referunt, & ſequuntur Peirinis *tom.* 1. *de ſubdito, quæſt.*5. *de obedientia, cap.*22. *concluſ.*2. Diana *part.*1. *Tract.*11. *Reſolut*... Ideo conſequenter ad dicta *tom.*1. *cap.*19. *num.*12. tenenda eſt, non ſolum propter ibi dicta, ſed etiam quia Concilium Tridentinum talis approbationis non meminit, ſolamque approbationem ab Epiſcopo factam requiſiuit *ſeſſ.*23. *cap.*15. Et merito ſanè, quia cum Epiſcopi poſſint facultatem audiendi Confeſſiones ſuorum ſubditorum viris idoneis delegare, ideo vt illam conferant Sacerdotibus Regularibus idoneis repertis, non deſideratur conſenſus Prælati ipſorum. Ac proindè nec talis conſenſus requiretur ad hoc, vt ipſi validè ea vtantur. Limita hoc primò, iuxta dicta eo *num.*12. ſi in Religionibus ſit receptum Breue illud Iulij, quod ibi retuli, vel aliud ſimile Diploma Apoſtolicum irritans quaſcumque facultates conceſſas Regularibus ad audiendas confeſſiones independenter à voluntate ſuperiorum. Peirinis *ſuprà*, §. *in duobus.* Limita ſecundò, quoad eas facultates, quæ Regularibus confeſſariis competunt ex vi priuilegiorum ſuorum Ordinum, illis enim vti non poſſunt, nec licitè, nec validè contra ſuorum Prælatorum voluntatem: tum propter dicta eo *tom.* 1. *cap.*18. *num.*56. tum quia non eſt credendum Papam conceſſiſſe Regularibus eas facultates abſoluendi à reſeruatis, verbi gratia, independenter ab approbatione, & licentia ſuorum Prælatorum. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.*60. *art.*3. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*10. *lib.*9. *cap.*2. *num.*3. Diana *ſupra.* Limita tertiò, niſi tales confeſſarij fuerint per cenſuras excommunicationis, vel ſuſpenſionis impediti publicè, & notoriè ab exercitio muneris confeſſarij, iuxta dicenda tamen infra verbo *Excommunicatio*, & 4. *tom.* verbo *Suſpenſio.* Graſſius *in deciſ. aur. part.*1. *lib.*1. *cap.*13. *num.*88. Erit etiam inualida confeſſio facta cum iſtis, ſi caſu quo Prælati Regulares prohiberent illis ſub mortali audire confeſſiones, alij prohibitionem ſcientes cum eis vltro confiterentur, quia tunc inducerent eos ad peccatum mortale, & per conſequens mortaliter peccarent, & confeſſio ipſorum eſſet nulla. Peirinis *ſupr.* §. *ſecundus caſus.* Poſſe autem Prælatos talem prohibitionem facere, conſtat ex dictis eo *tom.*1. *cap.*16. *num.*12. & ex declarat. Sac. Congregation. 2. Iulij 1627. quam refert Nouatius *in lucern. Regular. verbo Generalis*, & *Generalatus*, *num.* 1. vbi dicitur poſſe Generalem Religionis quacumque de cauſa, & quamodolibet, etiam extraiudicialiter, ſubditos ſuos à confeſſionibus audiendis ſuſpendere.

Procedit autem tradita doctrina de validitate Confeſſionis factæ confeſſario Regulari ſolum approbato ab Epiſcopo, non autem à ſuo Superiori Regulari, ſiue dicamus confeſſarios Regulares accipere iuriſdictionem ab Epiſcopis approbantibus, ſiue dicatur eam non accipere niſi à Papa, prout communis ſententia tenet. De qua Peirinis *ſup.* §. *quod iuriſdictio*, & Reuerendiſſimus Theodorus Stratius *ſupra*, *n.*4. 3

Quoad ſecundum, confeſſarij Regulares ſæcularium poſſunt iure communi illos abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris non reſeruatis, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*19. *num.*14. Non ab irregularitate aliqua, vt ibi eſt dictum. Benè tamen ab interdicto perſonali particulari non reſeruato, propter *cap. nuper, de ſent. excommunic.* Suarez *tom.*5. *de cenſ. diſp.*38. *ſect.*2. *à num.*7. Cornejo *tom.*2. *in* 3. *part. S.Thom. tract.*5. *de Interdicto*, *diſp.*1. *q.*4. *in fine.* Cum conditionibus tamen ſatisfactionis, iuramenti, vel cautionis de iure neceſſariis, Suarez *num.*9. Cornejo *ibid.* Vide dicenda verbo *Interdictum*, & pro iis à quibus poſſunt abſoluere virtute Bullæ Cruciatæ in Regnis in quibus publicatur, verbo *Bulla Cruciata*, & virtute Iubilæi verbo *Iubilæum.* 4

Deinde, iidem Confeſſarij Regularium qui communicationem habent cum Patribus Ieſuitis poſſunt virtute priuilegij Pauli III. eiſdem conceſſi abſoluere ſæculares à caſibus omnibus, ſeu cenſuris Papæ reſeruatis, iuxta dicta eo *cap.*19. *num.*15. Excipe tamen confeſſarios *per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentes*, ij enim, propter decreta S. Congregationis eo *c.*19. *n.*15. & 16. relata nequeunt abſoluere à caſibus *violationis immunitatis* 5

immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis fœlicis recordationis Gregorij XIV. quæ incipit, Cum alias nonnulli, *violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem prouocantium, &c. pugnantium in duello iuxta decretum S. Concilij Trident. & conſtitutionum fœlic. recordat. Gregorij Papæ XIII. incipientem*, Ad tollendam; *iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta can. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. ac iuris diſpoſitionem; Simonia realis ſcienter contracta, atque etiam confidentia beneficialis.* Excipe etiam caſus Bullæ Cœnæ, & caſus quos Epiſcopi reſeruant; ab iis enim nullibi gentium, neque intra, neque extra Italiam, neque in Vrbe, nec extra Vrbem abſoluere poſſunt confeſſarij, propter decreta dicto loco *num. 16. & 17.* relata. [Vnde Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium 14. Auguſti 1643. admonendos eſſe decreuit quoſdam qui aggregati erant Ordini Sanctiſſ. Trinitatis, & virtute priuilegiorum huius Ordinis abſolui ſe fecerant ab aliquibus caſibus ex prædictis, vt prouiderent eorum conſcientiis, cum tales abſolutiones inualidæ eſſent, ob reuocationem dictorum priuilegiorum.]

6 Ex quo fit primò, prædictos Confeſſarios Regulares dicto Priuilegio fruentes vbique gentium abſoluere poſſe tranſgreſſores vi conſtitutionis Pij V. quæ incipit *Decori, & honeſtati*, anno 1569. editæ contra Moniales egredientes è Clauſura niſi in caſibus permiſſis, aut illis licentiam concedentes, aut eas comitantes, vel recipientes, iuxta dicta *ſuprà*, verbo *Clauſura, num. 10.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 76.* Secundò, tranſgreſſores, ſeu violatores Clauſuræ Monialium circa ingreſſum in earum Monaſteria, iuxta dicta ſupra verbo *Clauſura, num. 35.* De quo Peirinis *tom. 1. de ſubdito, quæſt. 4. cap. vlt. §. vnico.* Excipe tamen quando id eſt *ad malum finem*, vt habetur ex decreto ſupra relato, à tali enim caſu non abſoluuntur Confeſſarij per vniuerſam Italiam extra Vrbem, vt ibi dixi. Quid verò ſentiendum de caſu abortus, habes verbo *Abortus, num. 7. & 8.* Quid de Clerici percuſſione habetur verbo *Clericus, num. 11.* & ſequentibus. Quid de caſu duelli, & de dantibus ſeu accipientibus aliquid pro gratia, vel iuſtitia in Romanâ Curia obtinenda, dicam verbo *Duellum*, & verbo *Dare*. De quo etiam Peirinis *vt ſuprà*. Vide Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 10. de Sacram. Pœnitent. §. Tertia quæſtio, num. 18.* vbi de hoc priuilegio loquens dicit: *Vi huius priuilegij non tantum cenſuras propriè dictas, quæ ob contumaciam inferuntur, per abſolutionem tolli poſſe, ſed etiam Suſpenſiones, & interdicta Iuris, quæ ob delictum merè præteritum impoſita, ſeu ad tempus, puta biennium, triennium, in perpetuum. & ſine ſpe remiſſionis, qualis perpetua Suſpenſio, vel potius Depoſitio à Pio V. lata eſt in exercentes Sodomiam, qui ſi occultè ſint, ab Epiſcopis abſolui poſſunt ex commiſſione ipſis facta in Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformat. & à Confeſſariis ordinum Mendicantium, virtute dicti priuilegij.* Hæc ille. De quibus verbo *depoſitio, num. 5.* aliquid dicam. [Addit Portellus *in Reſponſionibus Moral. tom. 2. caſu 41. num. 1.* poſſe etiam Confeſſarios Regulares ex vi præfati priuilegij Pauli III. pro Ieſuitis abſoluere ſimoniacos in Ordinum ſuſceptione. Sed animaduertendum primò, Sixtum V. in Bulla *Sanctum & ſalutare, in 2. tom. Bullar. num. 91.* reuocaſſe quoad hæc omnia, & quæcumque priuilegia quibuſcumque conceſſa, & quamuis poſtea Clemens VIII. in Bulla *Romanum Pontificem*, præfatam Sixti V. Bullam moderatus fuerit quoad aliqua, ſed non quoad hoc de ſimoniacè ordinatis, & ordinantibus. Ac per conſequens manere in rigore Bullæ Sixti V. vt dixi *tom. 1. cap. 14. num. 5. & 11.* Etſi autem idem Portellus eo caſu 41. *num. 1.* dicat Minores impetraſſe à Clemente VIII. & Paulo V. confirmationem ſuorum priuilegiorum antiquorum; quia tamen has Bullas confirmatorias non vidi, iudicare non poſſum de ipſis. Addo ſecundò, eſto id fieri poſſet ex vi confirmationis talium priuilegiorum, ſed non in Italia, propter decreta relata *ſupra, num. 5.* vbi comprehenditur omnis ſimonia realis ſcienter contracta.

Qualiter etiam hoc priuilegium non cenſeatur derogatum per Conſtitutiones poſteriorum Pontificum prohibentium, vel præcipientium aliquid, reſeruando ſibi caſum cum clauſula *non obſtantibus, &c.* vel ſimili, niſi exprimant ſe etiam derogare priuilegiis concedentibus abſolutionem talis caſus, dixi ſupra verbo *Clauſula, num. 46.* 7

Similiter, quia in dicto priuilegio Pauli III. conceditur etiam facultas dictis Confeſſariis abſoluendi à *quibuſuis pœnis Eccleſiaſticis*, cum priuationes, inhabilitationes, incapacitates, &c. quæ in conſtitutionibus Summorum Pontificum poni ſolent contra tranſgreſſores illarum, ſint quædam pœnæ Eccleſiaſticæ, ideo probabile videtur etiam ab iſtis abſoluere poſſe prædictos Confeſſarios ſuos pœnitentes. Ita etiam habet Bartholomæus à S. Fauſto *de paupert. Religioſ. lib. 8. quæſt. 232.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 78. in fin.* Dixi ſolum *probabile*, quia oppoſitum tenet Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 1. num. 49.* de hoc priuilegio loquens, eo quòd huiuſmodi pœnæ non tollantur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem. 8

Volunt etiam aliqui poſſe Confeſſarios Regulares gaudentes dicto priuilegio Pauli III. non obſtantibus decretis *ſuprà num. 5.* relatis abſoluere etiam à caſibus in eis exceptis, imò ab omnibus caſibus Papalibus, quando ſunt occulti. Eo quod prædicti caſus, cùm occulti ſunt, non ſunt Papales, ſed Epiſcopales, vtpotè commiſſi Epiſcopis ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Diana *part. 1. tract. 1. Reſolut. 13. §. notæ quartò*, referens Sanchez *tom. 1. in Decalog. lib. 4. cap. 54. num. 27.* Maculum *diſp. 1. cap. 1. diff. 11. num. 540.* Sed hoc eſt contra mentem Summorum Pontificum in prædictis decretis, nec ex eo quod caſus Papales committantur Epiſcopis quando ſunt occulti, deſinunt eſſe Papales, iuxta dicta ſupra verbo *Bulla Cruciata, num. 16.*

Non poſſe autem Confeſſarios ex vi dicti priuilegij Pauli III. diſpenſare in aliqua irregularitate, dixi *tom. 1. cap. 19. num. 14.* vbi etiam dixi non vidiſſe aliquod priuilegium quoad hoc Regularibus conceſſum pro ſæcularibus. Poſtea tamen vidi priuilegium Sixti IV. pro Minimis conceſſum, quo Confeſſariis ipſorum conceditur facultatem diſpenſandi in omni Irregularitate Ordinario reſeruata, apud Caſſarubium *in Compend. priuil. Mendicant. verbo abſolutio quoad ſæculares 1. num. 10.* & Vegam *in Summ. verb. abſolutio, caſu 44.* Verumtamen ipſe Caſſarubius dicit non eſſe ſecutum vti hac gratia quoad ſæculares, & Cordoba *in annotationib. ad* Caſſarubium inquit ex teſtimonio cuiuſdam Prouincialis Minimorum eos non vti cum ſæcularibus hac facultate, & Portellus *in Dub. Regular. verb. Confeſſ. num. 33.* ait eam ob ſui magnitudinem dubiam videri quoad praxim, cum ſimilis facultas à Summis Pontificibus nunquam concedatur, nec in Iubilæis pleniſſimis, aut Bulla Cruciatæ. De alio priuilegio, quod refert idem Portellus *ſuprà, num. 32.* pro Confeſſoribus de Guadalupe ad diſpenſandum cum ſæcularibus in quibuſdam irregularitatibus, cum illud videre in fonte non potuerim, iudicare non poſſum. 9

Loquendo de Confeſſariis Religioſorum tantum à ſuis Prælatis pro ipſorum Religioſorum confeſſionibus audiendis deſignatis (de quibus *tom. 1. cap. 18. num. 27.* dixi poſſe illas audire ſine alia approbatione Epiſcoporum, quia hæc ſolum requiritur pro audiendis confeſſionibus ſæcularium) illi in primis (ſuppoſita licentia, ſeu approbatione ſuorum ſuperiorum, cum ſine illa nullo modo poſſint id facere, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 16. & 27.*) abſoluere poſſunt Religioſos ab omni peccato, & cenſura non reſeruatis. Etenim iuxta 10

Digitized by Google

regulam generalem ex *cap. Nuper, de ſentent. excommunic.* caſus non reſeruati cenſentur commiſſi cuilibet habenti auctoritatem ordinariam, vel delegatam, iſti autem Confeſſarij habent auctoritatem delegatam ſupra dictos Religioſos. A caſibus autem à Superioribus ſuis reſeruatis nullo modo abſoluere poſſunt, iuxta dicta ſupra verbo *caſus reſeruati, num.* 7. niſi ab ipſis ſuperioribus habuerint facultatem ad abſoluendum. Cæterum loquendo de caſibus reſeruatis non à ſuis ſuperioribus, ſed à iure, vel à Papa, &c. attendendum eſt ad priuilegia Religionis ipſorum: ſi enim ea habuerit priuilegium abſoluendi ſolum ſæculares, vel extraneos à dictis caſibus, procul dubio non poterunt eo vti ad abſolutionem Religioſorum. Similiter, ſi priuilegium concedat eam facultatem abſoluendi ſolum Confeſſariis approbatis ab Epiſcopis, cum iſti non habeant talem approbationem, non poterunt illo vti. Si vero talis Religio habuerit priuilegium aliquod abſoluendi à prædictis caſibus, non excludens dictos Confeſſarios ſolum à ſuis Prælatis approbatos, ſed generaliter abſoluendi Chriſti fideles, quicumque illi ſint, non determinando quod Confeſſarij ab Epiſcopis approbati fuerint, probabile videtur vti poſſe illo, etiam in ordine ad ſuos fratres, niſi forſan iſtorum confeſſariorum auctoritas iure, vel conſuetudine talis Religionis restricta, vel limitata ſit.

12 Quia ergo in ſuperius relato priuilegio Pauli III. pro Ieſuitis non eſt talis limitatio, aut reſtrictio, ſed generalis conceſſio pro Preſbyteris Societatis, & pro quibuſcumque Chriſti fidelibus ad eos accedentibus, & pro quibuſcumque caſibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, ideo niſi, vt dixi, oppoſitum in Religione, iure, vel conſuetudine habeatur, probabile videtur eo vti poſſe, tam illos, quam alios Regulares communicationem priuilegiorum cum ipſis habentes, quantum ad abſolutionem Religioſorum ſui Ordinis. Verba autem Bullæ quæ incipit: *Cum inter cunctas*, & habetur in Bullario Rodriguez *tom. 2. in Paulo III. num.* 7. & in Caſſarubio *in fine Compendij priuilegiorum Mendicantium, pag. mihi* 545. ſunt hæc: *Necnon illis ex vobis, qui Preſbyteri fuerint, quorumcumque vtriuſque ſexus Chriſti fidelium ad vos vndecumque accedentium confeſſiones audiendi, & confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus, ſententiis, Cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis* (*exceptis contentis in Bulla quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi*) *abſoluendi, ac eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungendi, &c. plenam, ac liberam facultatem auctoritate Apoſtolica concedimus.*

Agit de hoc priuilegio, & de alio illi ſimili ex eo-
13 dem Paulo III. Suarez 4. *tom. de Relig. Tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. & dicit quod etſi id fuerit ante Concil. Trident. poſt illud tamen requiri approbationem ab Ordinariis. Quod tamen ſolum eſt verum in ordine ad audiendas confeſſiones ſæcularium, non aliorum Regularium, vt in præſenti. Dicit etiam facultatem hanc intelligendam eſſe cum dependentia ſubditorum à ſuis Prælatis: quod eſt veriſſimum, & conforme iis quæ dixi *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 12. 29. & 41. Subiungit tales confeſſarios debere eſſe idoneos. Quid vero intelligatur Clauſula illa, *& pœnis Eccleſiaſticis*, agit eodem loco.

14 Concedit etiam prædictis idem Paulus III. in eadem Bulla facultatem commutandi quæcumque eorum vota (vltramarinis, viſitationis liminum Apoſtolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera. Ex quo etiam probabiliter colligi poteſt vti poſſe prædictos Confeſſarios hac etiam facultate in ordine ad Religioſos, quorum ſunt confeſſarij.

15 Quia etiam iuxta doctrinam traditam ſupra verbo *Bulla Cruciata, num.* 35. ex Suarez, & Sanchez ibi relatis, quam etiam tenent Caiet. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 9. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 30. Viuald. *part.* 5. *Candelabri, cap.* 14. *num.* 8. Rodriguez *tom.* 1. *Summæ, cap.* 102. *concluſ.* 10. & Laymanus *lib.* 4. *Tract.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. quicumque habet priuilegium commutandi vota, habet etiam facultatem commutandi iuramenta circa eandem materiam votorum, ideo idem videtur dicendum de prædictis Confeſſariis. Quod etiam dici poſſe videtur de votis iuratis, propter dicta eo *n.* 35. Intellige tamen, dummodo prædicta non ſint in vtilitatem tertij facta, propter dicenda infra verbo *Iuramentum quoad Regulares, num.* 26. & ſequentibus. Vnde Gregorius XIII. qui iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 23. priuilegium confeſſariorum Ieſuitarum extendit ad commutanda vota iurata, excepit quando ea commutatio eſt in præiudicium tertij. Pro quo vide Portellum *in Dub. Regular. verb. Confeſſor erga Sæculares, num.* 27. & dicenda *infra*, verbo *Votum*.

Nota tamen conſulto dixiſſe ſolum probabile eſſe 16
dictos Confeſſarios pro Regularibus duntaxat approbatos vti poſſe his facultatibus, quia re vera nec eſt certum id facere poſſe, nec ſecurum facere, non ſolum quia mens Pauli III. ſolum videtur eſſe illas concedere in ordine ad extraneos ſæculares, non ad Religioſos proprios, ſed etiam quia vt credo talis eſt praxis omnium Religionum. Et ita tenet expreſsè Portellus *in Dub. Regular. verbo Confeſſor erga Fratres, num.* 16. ex Rodriguez *in addit. ad* 3. *tom. Summæ, cap.* 12. *concl.* 2.

Idem dico de notabili alio priuilegio Eugenij IV. 17
in Bulla *Sacræ Religionis* inſerta in Mari magno noſtro *num.* 15. quo conceſſit Carmelitanorum Generali, & ipſius ſucceſſoribus, & ab eis deputandis Fratribus, *quod* (inquit Pontifex) *in Confeſſionibus audiendis, in abſolutionibus impendendis, & pœnitentiis iniungendis, aliiſque ſalutem animarum dumtaxat concernentibus exequendis, omnium, & ſingulorum dicti Ordinis Fratrum, præſentium, & futurorum eandem, & talem poteſtatem, & facultatem, qualem in præmiſſis Minores Pœnitentiarij noſtri in Romana Curia præſentes ex officio habent, & exercent.* Quod priuilegium moderatur Sixtus IV. in eodem Mari magno *num.* 62. excludendo ſolum abſolutionem Hæreticorum, relapſorum, Schiſmaticorum, & eorum qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent. Vide dictum Mare magnum *in Bullar.* Rodriguez *tom.* 1. *in Sixto IV. Bulla* 37. Excipe etiam omnes caſus Bullæ Cœnæ, propter annuam reuocationem omnium priuilegiorum, quæ quotannis fit in ipſa Bulla. Nota etiam, quod facultas, ſeu poteſtas minorum Pœnitentiariorum eſt incerta, & varia iuxta beneplacitum Summorum Pontificum, & maiorum Pœnitentiariorum, ac proinde vix conſtare poterit de ea quam habebant minores Pœnitentiarij tempore Eugen. IV. qui fecit dictam conceſſionem. Non ergo poterit quis ſecurè vti illa.

Addit Portellus *ſuprà, num.* 25. poſſe Confeſſorem 18
Regularem ex Mendicantibus ſemel in vita, & in articulo mortis ſuos conſubditos abſoluere ab omnibus caſibus, & peccatis plenariè, nullo caſu excepto, cum omnimoda authoritate, ac diſpenſare cum illis in omni irregularitate, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, & bigamia, & mutilatione membri: refertque ſe ad Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regularium, quæſt.* 62. *art.* 6. Animaduertere tamen debuit priuilegium hoc, quod eſt Sixti IV. conceſſum fuiſſe viuæ vocis oraculo, & non authentico, prout conſtat ex Caſſarubio, qui illud refert *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Abſolutio extraordinaria quoad fratres, num.* 5. vbi notat illud O paruo, quod eſt ſignum apud ipſum viuæ vocis oraculi non authentici. Tale ergo priuilegium hoc tempore, niſi poſtea per Bullam reualidatum fuerit,

nullius

nullius valoris eſt, propter dicta ſæpius de huiuſmodi viuæ vocis oraculorum reuocatione facta per Gregorium XV. & Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Vrbanum. Præſertim, quia vt dixi, illud non eſt authenticum; per conſequens enim erit incertum. Quid vero ſit ſentiendum de alio priuilegio eiuſdem Sixti IV. pro Confeſſoribus Fratrum Prædicatorum, & Minorum erga ſuos Religioſos, dixi *tom. 1. cap. 19. num. 27.* Addit Rodriguez hoc idem conceſſum fuiſſe ab Innocentio VIII. Monachis Caſſinenſibus, & haberi *in Compendio priuilegior. ordin. S. Hieronymi*, quod mihi non conſtat, nec de qualitate conceſſionis. Alia priuilegia conceſſa confeſſoribus Regularibus circa ſuos fratres referunt idem Rodriguez *ſupra, art. 13.* & Portellus *ſupra num. 18.* quibus illis concedi videtur facultas diſpenſandi in irregularitatibus. Sed quia hæc priuilegia in fonte videre non potui, nec mihi conſtat an ſint, vel non viuæ vocis oracula, ideo non refero, præſertim quia, vt credo, non ſunt in vſu multarum Religionum; & vt ipſe Portellus *num. 21.* animaduertit, ſecurius eſt in iis caſibus recurrere ad Prælatos, quàm ad ſimplices Sacerdotes. De alio priuilegio per Bullam conceſſo ab Eugenio IV. Eremitis Congregationis B. Petri de Piſis, dicam infra verbo *Infamia, num. 19.*

19 Prædicti autem confeſſores Religioſorum poſſunt illos abſoluere à caſibus reſeruatis Prælatis ipſorum, ſi ab ipſis Prælatis habuerint facultatem ad id faciendum. Ita enim ſupponitur in decretis Clementis VIII. pro caſuum Reſeruatione, quæ retuli *tom. 1. cap. 18. num. 19. & 29.* Vnde qui à Generali habent authoritatem abſoluendi à caſibus reſeruatis pro toto ordine abſoluere poſſunt ab illis omnes fratres Ordinis, & qui illam habent à Prouinciali abſoluere poſſunt omnes Fratres Prouinciæ, & qui à Priore Conuentuali, ſeu alio ſimili Prælato, omnes fratres illius Conuentus. Rodriguez *tom. 1. quæſtion. Regularium, quæſt. 21. art. 3.* Vincent. Candidus *tom. 2. diſquiſit. moral. diſquiſit. 14. art. 57. dub. 4.* Addit idem Candidus eo loco, & *dub. 6.* poſſe prædictos confeſſarios Religioſorum abſoluere etiam hoſpites Religioſos venientes ad ipſorum Prouinciam, vel Conuentum à caſibus reſeruatis à Prælatis ipſorum fratrum venientium ad illos, etiamſi dedita opera, & induſtria ad illos acceſſiſſent vt abſoluantur à prædictis caſibus reſeruatis. Eo quod in Prouincia vel Conuentu vbi prædicti Confeſſarij morantur, tales caſus reſeruati non ſint. Sed licet verum ſit, quod ſi prædicti Religioſi accederent ad prædictam Prouinciam, vel Conuentum bona fide, vt hoſpites videlicet, vel ad aliud negotium peragendum, tunc poſſent abſolui per dictos Confeſſarios Religioſorum à caſibus reſeruatis in Prouincia, & conuentu ipſorum fratrum venientium, quia iuxta dicta ſupra verbo *Caſus reſeruati num. 17.* caſus reſeruati ceſſant per mutationem domicilij, vel quaſi domicilij, præſertim inter Regulares, itavt qui commiſit aliquod peccatum reſeruatum in ſua Prouincia, vel conuentu, ſi tranſeat ad aliam vel alium vbi talis caſus non eſt reſeruatus, dum ibi moratur, abſolui poſſit à quocumque confeſſario. Quando tamen dedita opera, & ſolùm eo fine vt euitarent proprium prælatum ad prædictam prouinciam, vel conuentum accederent, non poſſent vt credo, per præfatos confeſſarios à caſibus reſeruatis abſolui. Hoc enim eſſet, non ſolum in fraudem reſeruationis, ſed etiam, & maximè contra intentionem tum Prælatorum reſeruantium illos caſus, tum totius Religionis, cum contrarium hoc eſſet bono communi ipſius Religionis. Ita in ſimili de Confeſſione peregrinorum, & iter agentium tenent Suarez *4. tom. in 3. part. diſp. 25. ſect. 2. num. 9.* Vaſquez *in tertiam partem quæſt. 93. art. 1. dub. 4. num. 6.* Coninch *de pœnit. diſp. 8. dub. 8. num. 61.* & alij quos ſequitur Bonacina *de pœnitent. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 2. num. 6.* Sed inſtat Pater Candid. hoc poſſe facere præfatos confeſſarios Regularium propter priuilegia Summorum Pontificum Mendicantibus conceſſa. Cæterum non extant talia priuilegia. Etenim priuilegia Gregor. XI. pro fratribus Prædicatoribus, & Clement. IV. pro Minoribus quæ affert, & idem dico de alio priuilegio Sixti IV. pro Carmelitis, quod retuli *tom. 1. c. 81. num. 33.*) non ſunt, vt eà legenti conſtabit, niſi pro caſibus extra Religionem reſeruatis. Deinde, eſto extendi poſſint ad caſus intra Religionem reſeruatos, ea tamen (vt intuenti conſtare poterit) non conceduntur niſi Prælatis, & iis quibus ipſi id commiſerint. Non enim priuilegium illud Gregor. XI. dicit, provt apud eundem Candidum (per errorem) legitur, *Concedimus Magiſtro generali, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus Fratribus eiuſdem Ordinis, &c.* Sed *Magiſter quoque, & ſinguli Priores Prouinciales, & Conuentuales, ac vices eorum gerentes in Prouinciis, ac locis ſibi commiſſis, prædictis Fratribus conſtituti ibidem.* Idem enim habet ipſa Bulla in Bullario Rodriguez *tom. 2. in Sixto IV. Bulla 33. & ſupra art. 3. versus.* Quibus etiam ſimilia habent Bulla Clementis IV. apud eundem Rodriguez *tom. 1. quæſt. 20. art. 1.* & Bulla Sixti IV. iam relatæ. Religioſi ergo communes Confeſſarij aliorum Religioſorum non habentes talem commiſſionem à ſuis Prælatis, non poſſunt vllo modo à reſeruatis abſoluere, provt etiam ſupponunt Pius V. Gregor. XIII. Clem. VIII. & Sanctiſſ. Dominus Noſter Vrbanus à me relati ſup. præſertim Clemens, & Vrbanus, dum ſtatuunt Religioſos quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, *diſpoſitioni ſuorum Prælatorum* ſubiectos eſſe debere, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis. Id etiam præcipuè idem Clemens VIII. in decretis pro reſeruatione caſuum approbatis ab Vrbano ſupponit, dum præcipit, quod *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori vel minori*, & infra: *Qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur.*

Hinc collige conſequenter ad dicta *tom. 1. cap. 18. num. 26.* Confeſſiones Religioſorum, ſiue Sacerdotum, ſiue iuuenum profeſſorum, ſiue conuerſorum, factas alteri Religioſo non deſignato Confeſſario pro illis, inualidas eſſe, vtpote factas contra voluntatem ſuorum Superiorum, qui ſunt Ordinarij ipſorum, & quorum diſpoſitioni ſtare debent quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, provt Summi Pontifices relati determinant. Coriolan. *part. 5. de Caſibus reſeruatis, ſeſſ. 3. art. 19.* Nec quoad hoc ſunt aliqua priuilegia Regularibus conceſſa (quidquid alij non rectè ſentiant) nec dato quod eſſent, illis vti poſſent contra voluntatem ſuorum Superiorum, tum propter adducta ex Summis Pontificibus relatis, tum quia iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 56.* poſſunt Prælati Regulares limitare, reſtringere, imo etiam tollere ſuis ſubditis vſum quorumcumque priuilegiorum, etiam à Sede Apoſtolica emanantium, itavt nequeant talibus priuilegiis vti. Verum quidem eſt Prælatos Religioſorum piè, & prudenter regulariter facturos, ſi in deſignatione confeſſariorum non intendant confeſſiones aliis factas inualidas eſſe. Punire tamen debent tam aliis confitentes, quam Confeſſarios ſine licentia ipſorum Fratrum Confeſſiones audientes. 20

Prædicti quoque Confeſſarij Religioſorum pro aliqua Prouincia vel conuentu à ſuis Superioribus deſignati, poſſunt, iuxta facultatem ſibi à Prælatis ipſorum conceſſam, abſoluere prædictos Religioſos vbicumque repertos, etiam extra ſuas prouincias, vel conuentus, provt in ſimili dixi de Confeſſariis regul. reſpectu ſæcularium dicto *cap. 19. num. 5.* Candidus *ſupra dub. 9.* ex Soto ab ipſo relato. Limitari tamen hoc debet, provt eo loco dixi, dummodo Religioſus non 21

mutauerit domicilium, quia tunc abſolui non poteſt niſi à prælato illius loci, ad quem translatus eſt, vel ab habente ab ipſo authoritatem.

22 Poſſunt ſimiliter dicti Confeſſarij pro Religioſis ſolum à ſuis prælatis approbati ipſorum prælatorum confeſſiones audire vbicumque, & quotieſcumque, iuxta *cap. fin. de pœnitent. & remiſſ.* & dicta *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 81.* Syluester *in Summ. verb. Confeſſor 1. quæſt. 8.* Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2. §. Similiter omnes.* Poſſunt autem prædicti Confeſſarij abſoluere dictos ſuos prælatos ab omnibus caſibus, à quibus ipſimet prælati eoſdem ſubditos abſoluere poſſunt. Non ſolum propter priuilegia aliquibus ipſorum conceſſa, quæ retuli *tom. 1. cap. 18. num. 34. & 81.* ſed etiam quia non debent eſſe peioris conditionis quam ſubditi. Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtitut. 2. Iulij II. §. 9. num. 29. & tom. 2. de Prælat. quæſt. 1. cap. 4. num. 81.* Non tamen poterunt illos abſoluere à caſibus ſuperioribus prælatis reſeruatis, quia ab iſtis nec ipſi inferiores prælati abſoluere poſſunt. Henriquez *lib. 6. cap. 13. num. 3.* Peirinis *dicto num. 81.* Quia etiam dicti prælati etiam in locis vbi hoſpites ſunt, poſſunt vti dicto priuilegio eligendi ſibi Confeſſorem, iuxta *cap. fin. de pœnitent. & remiſſ.* relatum, vt habet Rodriguez *tom. 1. quæſtionum Regularium, quæſt. 20. art. 28.* ideo prædicti Confeſſarij ſolum pro fratribus approbati eligi à prælatis ad id munus poſſunt. [Placet tandem hic agere de pœnis, quas incurrere poteſt confeſſarius malè abſoluens, ſeu abutens miniſterio ſuo. Hoc autem contingere poteſt multis modis. Et quidem ſi exiſtens in peccato mortali Confeſſiones audiat, peccat quidem mortaliter, ſicut generaliter id docent omnes Theologi de miniſtrante aliquod Sacramentum in peccato mortali; ſed pro tali delicto nullam pœnam in Iure video impoſitam. Si exiſtens in excommunicatione maiori, an & quomodo peccet mortaliter, & an propterea incurrat irregularitatem, ſicut an talis verè abſoluat, dico verbo *Excommunicatio quoad Regulares*, præſertim *num. 7.* De ſuſpenſo qualiter non poſſit munus Confeſſarij exercere, & de irregularitate, quæ propterea contrahitur, habes *in 2. tom. part. 2. verbo Suſpenſio quoad Regulares, n. 13. & 14.* Et de irregulari, *Irregularitas num. 5. & 6.* De pœnis quas incurrit Confeſſarius ſollicitans pœnitentes ad inhoneſta, habes ea dictis *tom. 1. cap. 19. à n. 33.* & infra *verbo Denunciatio.* De eo qui ſimoniacè, id eſt pro pretio Sacramentum pœnitentiæ adminiſtraret, vel abſolutionem tribueret, habes etiam ex dictis eo *cap. 19. num. 39. & 40. & 2. tom. p. 1. verbo Simonia quoad Regulares, num. 6. 22. & 23.* De pœnis quas incurrunt Confeſſarij non facientes conſcientiam ſuis pœnitentibus circa ſolutionem decimarum, dixi *tom. 1. cap. 9. num. 26.* De non Sacerdote adminiſtrante hoc Sacramentum, & qualiter à S. Inquiſitione puniatur, & de irregularitate quam propterea incurrit, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 22.* De quo etiam latè Bordonus *in Reſolutionibus, Reſolut. 9.* vbi, an hanc irregularitatem incurreret laicus ſi miniſtraret hoc Sacramentum, de quo nos infra *verb. Irregularitas, num. 59.* An etiam talis non Sacerdos, qui timore mortis confeſſiones audiret, incurreret dictas pœnas, tractat idem Bordonus *ſupra.* De Confeſſariis detegentibus ſigillum Confeſſionis, eorumque pœnis, dixi *tom. 1. cap. 19. num. 42.* Sed nota hoc crimen non pertinere ad S. Officium, vt benè probat Carena *de offic. S. Inquiſit. part. 2. tit. 17. §. 23.* poſt Molfeſium, & Dianam, niſi fortè ſit coniunctum cum hæreſi. Theſaurus *in praxi part. 2. verbo confeſſio, cap. 4.* De ſacerdote autem non Confeſſario qui audit Confeſſiones, qualiter verè non abſoluat, & de pœnis quas incurrit, dixi eo *cap. 19. num. 41.* De quo etiam Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. diſp. 5. quæſit. 11. num. 105.* Bordonus *ſupra num. 4.* poſt Riccium, Portellum, Hieronymum Rodriguez, & alios. Nota autem idem dici debere de ſacerdote Regulari, qui cum non ſit Confeſſor ſuorum Fratrum, eorum confeſſiones audit. Bordonus *ſupra.* Quod vero prædictus non incurrat excommunicationem latam contra vſurpantes iuriſdictionem pertinentem ad perſonas Eccleſiaſticas, de qua in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 11.* & in Bulla Cœnæ *caſu 17.* niſi fortè id faceret intentione vſurpandi Ius parochiale, nec irregularitatem quam incurrunt vſurpantes actum Ordinis Sacri, quem non habent, niſi forte condemnatus in foro externo habeatur vt infamis, ac de aliis pœnis huius delicti, Theſaurus *ſupra part. 2. verbo Abſolutio, cap. 1.* De confeſſario abſoluente à caſibus Bullæ Cœnæ, ſi ad id non habeat facultatem, iam dixi eo *cap. 19. num. 34.* qualiter excommunicationem incurrat. Sed hæc excommunicatio non eſt Papæ reſeruata. Nauar. *in Manuali cap. 27. num. 74.* Sorbus *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium, verbo Excommunicatio, in ſua annotatione, §. Secundò nota.* Theſaur. *ſupra cap. 3.* Nec incurritur ex incogitantia, obliuione, aut ignorantia: quia infligitur contra præſumentes. Nauarr. & Bordonus *ſupra.* Similiter de Religioſis præſumentibus abſoluere excommunicatos à canone, niſi in caſibus à Iure expreſſis, aut gratia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, vel excommunicatos à ſententiis per ſtatuta prouincialia, aut ſynodalia, qualiter incurrant excommunicationem ipſo facto Papæ reſeruatam, propter *Clement. Religioſi, de priuil.* dixi etiam eo *num. 43.* ex D. Antonino & Caietano. Imò etiam Ordinarij poſſunt illos declarare excommunicatos, prout dico verbo *Exemptio Regularium, num. 9.* Theſaurus *ſupra.* Nota tamen hanc excommunicationem, vt patet ex verbis Clementinæ, ſolum incurri contra præſumentes. Bordonus *ſupra.* Præterea qualiter Confeſſarij abſoluentes virtute indultorum ab aliquo ex caſibus deſignatis à Sacra Congregatione ſub Clement. VIII. incurrant excommunicationem, & alias pœnas, dico *verbo caſus reſeruati Regularium, num. 15.* & tractant præfati Theſaurus & Bordonus *ſupra.* De excommunicatione etiam quam incurrunt Religioſi abſoluere præſumentes aliquem (vt dicitur à culpa, & à pœna), ſeu quod idem eſt, indulgentiam plenariam concedentes, dico *verbo indulgentia quoad Regulares, num. 24.* Alia demum ad hanc materiam de Confeſſario malè abſoluente, ſeu abutente munere Confeſſarij, pœniſque quas incurrit, latè relatus Bordonus *in dicta reſolut. 9.*

Vide alia dicenda verbo *Confeſſio*, & circa Confeſſarium ſolicitantem pœnitentes ad inhoneſta, verbo *Denunciatio.*

CONFESSIO.

SVMMARIVM.

1 *De Confeſſione quæ tractanda.*
2 *Quot modis poteſt eſſe nulla.*
3 *Primò ex parte miniſtri.*
4 *Secundo ex parte ipſius confeſſionis.*
5 *Tertio ex parte materiæ.*
6 *Quarto ex parte formæ.*
7 *In quibus caſibus dimidiari poſſit.*
8 *Quomodo fieri poſſit in caſibus periculi, vel articuli mortis.*
9 *Quid in caſu quo morti proximus loqui non poſſit, & confeſſionem prius petierit.*
10 *Quid quando illam non petierit.*
11 *Quid quando nec ſigna contritionis dederit.*
12 *Quæ conditio, & quomodo adhibenda in aliquibus caſibus.*
13 *Quis poſſit in talibus caſibus abſoluere.*

14 An

14 *An id etiam ſit verum pro caſibus periculi mortis.*

15 *An Miſſa relinqui poſſit inchoata pro audienda Confeſſione moribundi.*

16 *Quæ cautio petenda à moribundo habente caſus reſeruatos.*

1 DE hac materia plura dici poſſent, præſertim de ſpectantibus ad Sacramentum Pœnitentiæ. Nunc ſolum erit, quæ magis practicabilia inter Confeſſarios etiam Regulares ſunt, de ea diſcutiemus. Primum, de caſibus in quibus Confeſſio eſt nulla, ſeu inualida. Secundum de caſibus in quibus dimidiari poteſt. Tertium, de caſibus periculi vel articuli mortis, quomodo ſcilicet tunc poſſit dari abſolutio.

2 Et quoad primum, Confeſſio poteſt eſſe nulla ſeu inualida, primò ex parte Miniſtri ſeu Confeſſarij. Secundò, ex parte ipſius Confeſſionis. Tertiò ex parte materiæ ipſius Confeſſionis. Et quartò ex parte formæ. De quibus ſigillatim agendum.

3 Primò Confeſſio erit nulla, ſeu inualida ex parte miniſtri, ſi facta ſit non Sacerdoti, quia ſolus Sacerdos eſt miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. Concilium Florentin. *in decreto Eugenij*. Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap*.6. *&* *canon*.10. & colligitur ex Ioan.20. illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, & cætera*. Ea enim ſolum ad Sacerdotes dicta ſunt. Ita communiter omnes. De crimine autem, & pœnis eius qui cum ſacerdos non ſit, ſacramentaliter abſoluit, dixi *tom*.1. *Summæ*, *cap*.10. *num*.22. & agit Theſaurus *in praxi part*.2. *verbo abſolutio Sacramentalis data à non Sacerdote*, *cap*.1. Hinc ſi caſus eſſet quod aliquis non Sacerdos eſſet Prælatus alicuius Conuentus Regularium, eos abſoluere non poſſet ſacramentaliter à peccatis, bene tamen à cenſuris, ſi ſaltem Clericus eſſet, iuxta dicta ſupra verbo *Abſolutio*, *num*.13. Vnde etiam, quod aliqui Doctores conſulunt in articulo mortis alicui non ſacerdoti etiam laico confiteri, non intelligitur in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, ſed ad exercitium humilitatis, & excitandam contritionem. Alenſis *part*.4. *quæſt*.78. *memb*.1. *art*.1. Bonauent. *in quartum diſt*.17. *part*.3. *art*.1. *quæſt*.1. Deinde ſecundò eſt inualida Confeſſio ex parte Miniſtri, quando fit alicui etiam ſacerdoti, ſi ille non habeat poteſtatem iuriſdictionis. Ea enim requiritur neceſſariò pro miniſtro. Concilium Tridentinum *ſeſſ*.14. *cap*.7. Ita etiam communiter Theologi, ſpecialiter Nauar. *in Man*. *cap*.9. *num*.6. De pœnis autem quas incurrit id faciens agit Theſaurus *ſupra verbo abſolutio Sacramentalis data à Sacerdote non approbato*, *cap*.2. Sunt tamen tres caſus, in quibus ſimplex ſacerdos, ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine poteſt validè abſoluere, & ad quos generalem obtinet iuriſdictionem. Primus, quando Confeſſio eſt tantum de venialibus. Secundus, quando eſt de mortalibus alias ritè confeſſis. Tertius in articulo mortis, iuxta dicta *tom*.1. *cap*.11. *num*.11. *& ſupra verbo abſolutio*, *num*.13. Diſcrimen autem eſt, quod primam, & ſecundam facultatem Eccleſia aufert Sacerdoti Excommunicato, denunciato, vel publico Clerici percuſſori; tertiam verò non aufert, propter neceſſitatem pœnitentis. Layman. *lib*.5. *Tract*.6. *cap*.10. *num*.2. In caſu etiam quo ſunt duæ opiniones probabiles circa iuriſdictionem Confeſſarij; ſi ille ſequatur bona fide vnam ex illis, eſto ſpeculatiuè ſit falſa, validè tamen abſoluit, tum quia regulariter in omni Confeſſione ſemper adeſt materia certa, à qua directè abſoluere poteſt, ſcilicet peccata venialia, & ita etiam indirectè abſoluit à mortalibus, tum quia Eccleſia in tali caſu illi tribuit iuriſdictionem. Quod eſt valde notandum pro Regularibus, quando ſunt opiniones diuerſæ circa valorem priuilegiorum quæ habent ad abſoluendum. Sanchez *de præcept. Decalog*. *tom*.1. *lib*.1. *cap*.9. *num*.35. Diana *part*.2. *Tract*.13. *Reſol*.2. & alij apud ipſos. Fauet valdè Suarez 4. *tom*. *in* 3. *part*. *diſp*.26. *ſect*.6. *à num*.7. Addunt Sanchez, & Diana id eſſe verum, etiam quando opinio affirmans habere talem confeſſarium iuriſdictionem eſt minus probabilis quàm oppoſita. Quando autem eſt dubium proprium circa iuriſdictionem, ita vt in neutram partem probabiliter inclinetur Confeſſarius, non poteſt audire Confeſſiones mortalium, niſi duobus concurrentibus, ſcilicet graui neceſſitate pœnitentis, & quod abſoluatur ſolùm ſub conditione, & cum onere iterum confitendi habenti certam iuriſdictionem. Alias enim iniuria fiet tum Sacramento, tum pœnitenti. Suarez dicta *ſect*.6. *num*.2. Naldus *in Summa*, *verbo Confeſſio*. Cornejo *tom*.1. *in* 1.2. *Tract*.8. *diſp*.4. *dub*.2. Similiter tertio eſt inualida Confeſſio ex parte miniſtri, ſi ille etiamſi Sacerdos ſit, & alias habeat iuriſdictionem, habet tamen illam impeditam per ſuſpenſionem ab officio Confeſſarij, vel excommunicationem denunciatam, aut contractam ob Clerici notoriam percuſſionem. Nauarr. *ſupra num*.8. Laymanus *ſupra cap* 9 *n*.4. Quod tamen qualiter accipiendum, & de caſibus in quibus Confeſſio facta cum taliter impedito ſit valida, dicam verbo *Excommunicatio*, & 4. *tom*. verbo *ſuſpenſio*. Interim videatur Cornejo *tom*.2. *in* 3. *part*. *Tract*.5. *de Excommunicat*. *diſp*.10. Quartò ſimiliter Confeſſio eſt inualida ex parte miniſtri, ſi ille non habeat intentionem actualem, vel virtualem abſoluendi. Hæc enim omnino neceſſaria eſt ad validitatem Sacramenti, Concil. Florentin. *in decreto Eugenij*, & Tridentinum *ſeſſ*.7. *can*.11. *de Sacramentis in genere*. S. Thom. 3. *part*. *quæſt*.64. *art*.10. & alij Theologi. Addunt aliqui, Confeſſionem etiam eſſe inualidam ex parte miniſtri, ſi ille ob ſurditatem, animive diſtractionem, omnia peccata mortalia non intellexerit. Sed hoc negant alij, quando pœnitens bona fide ſua peccata confeſſus eſt, & culpa ſolum fuit ex parte Confeſſarij. De quo Laymanus *dict*. *cap*.9. *num*.5.

4 Ex parte vero ipſius Confeſſionis eſt inualida, primo ſi debito dolore careat, vel quia nullum, vel ſolum ex motiuo naturali habet, aut non ad omnia mortalia ſe extendentem. Eſt enim de eſſentia Confeſſionis, quod ſit doloroſa, alias ſolum eſſet quædam hiſtorica narratio. Toletus *in Summa lib*.3. *cap*.10. *num*.5. Rurſus debet eſſe doloroſa dolore proportionato Sacramento, & effectui ipſius, quæ ſunt ſupernaturalia. Suarez *ſupra diſp*.20. *ſect*.4. Secundò, ſi ſine debito præcedenti examine, tunc enim peccaminoſa eſt talis Confeſſio, ſaltem ob periculum obliuionis alicuius peccati mortalis. Nauarrus *ſupra n*.16. Toletus *ſupra*, §. *Quartus caſus*. Tertiò, ſi ſit ſine vero propoſito non peccandi de cætero. Hoc enim etiam neceſſario includitur in Sacramento pœnitentiæ. Toletus *ſupra*. Naldus *in Summa*, *verbo Confeſſio*, *num*.1. Quartò, ſi in actuali Confeſſione peccet pœnitens mortaliter, vel mentiendo circa ea quæ ſpectant neceſſario ad Confeſſionem, vel non aperiendo excommunicationem, qua eſt ligatus, vel alio ſimili modo. Bonacina *de Sacram*. *pœnit*. *diſp*.5. *quæſt*.5. *ſect*.2. *punct*.3. *n*.1. Laymanus *ſupra dicto cap*.9. *num*.1. Quintò, ſi quis confiteatur ſine animo ſatisfaciendi, aut non faciendi id quod Confeſſarius indicauerit neceſſario faciendum. Toletus *ſupra num*.6.

5 Ex parte etiam materiæ eſt inualida Confeſſio non ſolum, vt dictum eſt, ob defectum doloris, propoſiti, aut voluntatis ſatisfaciendi, quæ pertinent ad materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ, ſed etiam ob defectum materiæ remotæ, videlicet, ſi quis non confiteatur vera peccata, ſed opera bona, aut in indiuiduo indifferentia (ſi fortè dantur) vel confiteatur peccata commiſſa ante Baptiſmum. Materia enim remota huius Sacramenti ſunt ſolum vera peccata, & poſt Baptiſmum commiſſa. S. Thom. 3. *part*. *quæſt*.84. *art*.1. & communiter Theologi.

6 Ex parte quoque formæ inualida erit Confeſſio, ſi defectus,

Digitized by Google

defectus, vel variatio formalis, ſeu ſubſtantialis fuerit in illis duabus vocibus *Abſoluo te*, quæ enim ſunt de eſſentia formæ, itavt illas formaliter, ſeu ſubſtantialiter immotare omnino ſit contra ſubſtantiam Sacramenti, illudque annullet, & irritet, prout communiter aſtruunt Theologi cum S.Thoma *3.part. quæſt.*84. *art.*3.

7 Circa ſecundum de caſibus in quibus dimidiari poteſt Confeſſio. Notandum, quod licet Confeſſionis integritas ſit de iure Diuino, prout communiter Theologi ſupponunt. De quo Alenſis *4.part.quæſt.77.mem.5. art.2. & 6.* Adrianus *in 4. de Confeſſ. quæſt.4.§. Quoad peccata.* Nihilominus ſunt plures caſus in quibus dimidiari poteſt, ſeu quod idem eſt, non eſſe integra materialiter, ſed ſolum formaliter, quatenus ſcilicet per eam manifeſtantur ea peccata, quæ moraliter manifeſtari poſſunt, ita tamen vt ſublato poſtea impedimento, manifeſtentur ea etiam, quæ occultata ſunt, prout Doctores loquuntur. Primus eſt, quando infirmus eſt proximus morti, & non poteſt omnia peccata confiteri. De quo infra erit ſermo. Candidus *tom.2. Diſquiſit. Moral. diſquiſit.24. art.24.* Secundus, quando pœnitens eſt mutus, vel ſurdus, aut ita lingua impeditus, vt omnia peccata manifeſtare non poſſit. Toletus *in Summa lib.3. cap.8. num.2.* Bonacina *ſupra punct.2.§.4.num.6.* Idem dicunt aliqui de homine loquente ignoto idiomate, quod à Confeſſario non rectè intelligitur. De quo Lopez *1. part. inſtruct. cap.27.* Henriquez *lib.5. Summ. cap.12. num.3.* Sed hoc intelligo in caſu quo non eſſet alius Sacerdos, qui prædictum idioma percipere poſſet. Bonacina *ſupra.* Tertius, quando naturali obliuione, ſeu negligentia inculpabili obliuiſcitur pœnitens alicuius peccati mortalis. Coninchus *de pœnit. diſp.7. dub.9.* Laymanus *ſupra cap.8. num.5.* Illud tamen nota, teneri pœnitentem hoc peccatum mortale, quod in Confeſſione oblitus eſt, quando memoriæ occurrerit confiteri in alia Confeſſione eidem, vel alteri Confeſſario. Toletus *ſupra cap.8. num.1.* Non tamen tenetur, ſi poſt Paſcha illud in mentem veniat, ſtatim confiteri, ſed poteſt in alium annum reſeruare. Syluester *in Summa verbo Confeſſio 1, num.3. in fine.* Toletus *ſupra.* Quartus, quando adeſt moralis neceſſitas ita faciendi, ne ſcilicet plures ſine Confeſſione moriantur, prout contingere ſolet tempore naufragij imminentis, aut prælij periculoſi, tunc enim poteſt Confeſſarius pœnitentes abſoluere etiamſi non omnia ipſorum peccata mortalia audiat, imo poteſt audito à ſingulis vno peccato, omnes ſimul abſoluere dicendo *Abſoluo vos.* Syluester *ſupra num.23.* Henriquez *ſupra.* Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſp.17. ſect.1. num.19.* Idem dicito de tempore peſtis, quando ſi Confeſſarius attenderet ad Confeſſionem integram vnius, plures morerentur ſine Confeſſione. Laymanus *ſupra cap.6. num.10.* Quintus caſus generalis, & ſub ſe plures comprehendens eſt quando neceſſitas vrget confitendi cum aliquo Confeſſario, cui ſine graui periculo animæ, corporis, famæ, aut fortunarum proprio vel alieno peccatum aliquod vel circunſtantia ipſius manifeſtari non poteſt. Tunc enim lex poſitiua integritatis Confeſſionis cedit iuri naturali euitandi graue illud damnum, atque ideo poteſt celari Confeſſario illud peccatum, aut circumſtantia. Ita communiter Doctores, ſpecialiter Sotus *in 4. diſtinct.18. quæſt.2. art.4.* Nauarrus *in Manual. cap.7.* Suarez *4. tom. in 3.part. diſp.23. ſect.2.* Candidus *ſupra.* Nota tamen quod ſi habuit rem cum matre, filia vel ſorore, ſi vt plerumque contingere ſolet, non ſequatur complici aliud damnum niſi aliqua ipſius infamia occulta apud prudentem Confeſſarium, rectè poterit ſecundùm aliquos manifeſtari tale peccatum, aut circumſtantia. Toletus *ſupra num.4.* Laymanus *ſuprà num.12.* qui referunt alios. Licet mihi ſatis arrideat contraria ſententia, quam præter alios tenet Nauarrus dicto *cap.7. num.3.* Sextus caſus, quem plures adiiciunt, eſt quando pœnitens habet caſus reſeruatos. Sed de hoc quid ſentiendum ſit, dixi ſupra verbo *caſus reſeruati.*

Circa tertium de cauſis periculi, ſeu articuli mortis, quomodo ſcilicet tunc Confeſſio fieri poſſit, conſtat ex dictis, tunc dimidiari poſſe, ſeu non fieri integrè, quando aliter fieri moraliter non poteſt, vel quia pœnitens non poteſt omnia peccata mortalia confiteri, vel quia eſt periculum quod moriatur antequam finiatur Confeſſio, vel quia in phreneſim incidit inter confitendum. Sotus *ſupra §. difficultates.* Toletus *ſupra num.2.* Lugo *dicta ſection.1. num.5.* Idem dicunt aliqui quando infirmus laborat morbo contagioſo, peſte ſcilicet, & Confeſſarius non poteſt ipſum etiam à longè audire ſine periculo vitæ. Bonacina *ſuprà punct.2.§.4. num.13.* ex Vaſquez, & Coninchо. Idem etiam dicit idem Bonacina *num.19.* ex Henriquez, quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum. Supponunt autem Doctores communiter in his, & ſimilibus caſibus pœnitentem teneri confiteri integrè, ſi ſuperuixerit, vel liberatus fuerit ab eo impedimento. 8

Caſus etiam quo proximus morti loqui non poſſit, ſi nutibus tantum confeſſionem petat, abſoluendus eſt à Confeſſario. Ratio eſt, quia talis confitetur eo modo quo poteſt, ergo credendum eſt Sacramentum Pœnitentiæ ita inſtitutum fuiſſe à Chriſto, vt illi debeat abſolutio concedi. Henriquez *lib.6. cap.10. num.7.* Coninchus *de Sacrament. diſp.7. dub.10. num.97.* Thomas à Ieſu *in Tribunali conſcientiæ cap.11. §.10.* Lugo *ſupra ſect.2. num.16.* Idem dico de illo, qui Sacramentum pœnitentiæ petijt, ſed poſtea, Confeſſario adueniente, loqui non poteſt, exprimit tamen ſigna contritionis, propter eandem rationem, & dicenda inferius, Bonacina §.4. *num.7.* Vincentius Candidus *in moral. Diſquiſit.3. part.15.* ex pluribus auctoritatibus quas refert. Nota tamen, id debere intelligi, quando prædicta ſigna adhibita ſunt in ordine ad claues, petendo videlicet abſolutionem, quia tunc ſolum ſunt virtualis Confeſſio: abſolutio enim ſolum ſupra Confeſſionem cadere poteſt. Suarez *4.tom. in 3.part. diſp.23. ſect.1. num.13.* Quia tamen regulariter loquendo ſigna pœnitentiæ, quæ à moribundis fidelibus exhiberi ſolent ſunt in ordine ad abſolutionem, ideo talis abſoluendus eſt ſub conditione. Diana *3.part. Tract.3. reſol.2.* ex Zambrano, Chapeauilla, & Laymano. Quod idem dico quando dubitatur an prædicta ſigna orta ſint ex contritione, an verò ex anguſtia mortis. Sancius *in ſelect. diſp.44. num.34. in fine.* Diana *ſupra reſol.3.* Lugo *ſupra n.29. 30. & 31.* 9

Similiter, quando infirmus proximus morti adueniente Confeſſario, nec verbis, nec nutibus Confeſſionem petit, nec aliqua ſigna contritionis exprimit, ſi tamen ex relatione aliquorum præſentium conſtet id ante Confeſſoris aduentum feciſſe, abſoluendus eſt ſub conditione. Ita enim ſatis probabiliter colligitur ex Concilio Arauſic.1. *cap.12.* & ex Concil. Carthaginenſi 4. *cap.76.* & ex Concilio Carthaginenſi 3. quæ referuntur 26. *quæſt.6. can. qui recedunt, & cap. is qui in infirmitate, & cap. ægrotantes, de conſecrat. diſt.4.* & Leone Papa *epiſt.91. ad Theodorum.* Idemque fertur declaraſſe Clementem VIII. & habetur ex Rituali Romano Pauli V. Eſtque ſatis conforme intentioni Chriſti volentis neminem perire. Et pro tali caſu videtur ſufficiens talis Confeſſio, vt ſupra eam abſolutio ſub conditione tribuatur: ſiquidem nulla iniuria fit Sacramento ſic faciendo, cum adſit iuſta cauſa, & melius ſit infirmum cum dubio Sacramento decedere, quam ſine vllo, cum magno periculo ſuæ damnationis. Et ita maximè his temporibus in hanc ſententiam inclinant innumeri Theologi, ſpecialiter Coninch. *de* 10

Sacra

Sacramentis diſp.7. dub.10. Naldus *in ſumma, verbo Infirmus, num.*8. Thomas de Ieſu *in Tribunal. conſcientia, cap.*11. §.10. Lugo *ſupra ſect.*4. Addo, non ſolum poſſe, ſed etiam teneri Confeſſarium abſoluere moribundum ea occaſione, conditionaliter, vt dixi. Charitatis namque lex obligat adiuuare proximum in extremo neceſſitatis Spiritualis periculo conſtitutum, meliori modo quo fieri poſſit. Suarez *dict. ſect.*2. *n.*15. Bonacina *dict.* §.4. *num.*8. Lugo *ſupra ſect.*5.§.3. Creditur etiam ſufficere, quod vnus teſtis teſtetur dictam voluntatem moribundi (etſi in prædictis Conciliis plures requiri videantur.) Naldus *ſupra*, Lugo *ſupra ſect.*5. §.1. *num.*82. Sanctus *in Select. diſp.*44.*num.*35. & alij apud Dianam *ſupra Reſol.* 5. Dixi ſolum ſub conditione abſoluendum eſſe, quia abſoluta abſolutio impendi ipſi non debet, vt probat Candidus *ſupra*, maximè propter decretum Clem. VIII. contra Confeſſionem factam abſenti per Internuncium.

11 Maius dubium eſt in caſu quo nec moribundus Confeſſionem poſtulauit, nec ſigna contritionis dedit, nec eſt aliquis qui id teſtetur, an ſcilicet tunc abſolui poſſit, aut debeat modo dicto, ſcilicet ſub conditione. Affirmant Molfeſius *in Summa, tom.*2. *tract.* 7. *cap.*5. *num.*48. & 49. Homobonus *in exam. Eccleſi. part.*1. *tract.*7. *cap.* 18. *quæſt.* 84. & alij, eo quòd dicant Clem. VIII. ita feciſſe cum quodam, quem ex fabrica S. Petri præcipitem ruere videbat, & quia credunt, quod eo ipſo quod homo eſt bonus fidelis, in tali caſu vellet confiteri ſua peccata. Sed negant communiter Doctores, tum quia Concilia relata ſolum loquuntur, quando moribundus petiuit Confeſſionem, tum quia abſolutio non poteſt dari ſine actuali Confeſſione, quæ in hoc caſu non extat. Vaſquez *in* 3. *part. tom.*4. *quæſt.*91. *art.*2. *dub.*1. Diana *ſupra reſol.*8. Lugo *ſupra ſect.*3. Ego verò licet hanc ſecundam ſententiam probabiliorem credam, primam tamen non reputo omnino improbabilem, eo vel maximè, quod exiſtiment omnes fideles in eo periculo conſtitutos, ſi vel modicum tempus ſui compotes exiſtant, non ſolum actu interno Confeſſionem deſiderare, ſed externo actu id deſiderium ſemper manifeſtare, quod videtur virtualis quædam Confeſſio, pro abſolutione conditionatè concedenda. Sed alij iudices ſunto.

12 Conditio autem, quam Confeſſarius caſibus aſſignatis adhibere debet, ſiue ea ſit mente concepta ſolum, ſiue expreſſa, eſt iſta. *Si poſſum*, vel *ſi adeſt vera Confeſſio*, aut ſimilis, *abſoluo te.* Prout Doctores communiter loquuntur: Vel *ſi es capax*, prout feciſſe Clement. VIII. in caſu relato refert Homobonus *ſupra.*

13 Confeſſarius porro qui poteſt moribundum in dicto periculo conſtitutum abſoluere modo aſſignato, eſt etiam ſimplex Sacerdos, iuxta dicta *ſupra num.*7. & colligitur ex Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*7. & aliis iuribus. Quod eſt etiam probabile, adhuc in caſu quo præſens adeſſet alius Confeſſarius, etiam proprius, quia in dicto articulo tam ille, quàm iſte habent iuriſdictionem. Petrus Ledeſma *in ſumm. tom.*1. *Tract. de pœnit. Sacrament. cap.*14. *diff.*2. Comitolus *in reſponſ. moralibus lib.*1. *quæſt.*22. *num.*2. Licet plures alij oppoſitum etiam probabiliter tueantur. Illud tamen eſt probabilius, quod ſi ſimplex Sacerdos cœpit audire talem Confeſſionem, non tenetur ab illa deſiſtere, etiam adueniente legitimo Confeſſore, aut Prælato, tum propter dicta, tum quia iura fauent rei inceptæ. Iacobus Granadus *de Sacram. in* 3. *part. controuerſ.*7. *tract.*10. *diſp.*4. *ſect.*2. *num.* 12. Ludouicus à Cruce *in expoſit. Bullæ Cruciatæ diſp.*1. *cap.*3. *dub.*15. *num.*10. Poteſt etiam in prædicto caſu articuli mortis abſoluere moribundum quicumque Excommunicatus, etiamſi talis ſit nominatim Excommunicatus, vel publicus Clerici percuſſor. Ratio eſt, quia Concilium eo loco dicit; *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & Cenſuris abſoluere poſſunt.* Ergo comprehendit etiam nominatim Excommunicatos, & publicos Clerici percuſſores. Cornejo *tom.*2. *in tertiam partem, tract.*5. *de Excommunicat. diſp.*1. *dub.*3. poſt Suarez, Sayrum, & alios. Idem dico etiamſi ſit Hæreticus, propter eandem rationem. Cornejo *ibidem*, & alij relati. Idem dico de Schiſmatico, propter idem fundamentum, Diana poſt plures alios *tom.* 4. *tract.*4. *reſol.*235. & *tom.*5. *tract.*4. *reſol.*57. Poteſt autem in tali caſu licitè pœnitens poſtulare à prædictis præciſis abſolutionem, imò tenetur id facere, quia obligatur ad Confeſſionem eo tempore ex præcepto diuino. Diana *dicta reſol.* 235. ex Guilielmo Mercero. Etiamſi credat illos indignè adminiſtraturos Sacramentum, quia hoc non imputatur ipſi pœnitenti, cum abſolutè poſſint, ſi velint, dignè adminiſtrare illud, ſi diſponantur per contritionem. Cornejo *ſupra*, Hurtad. *de Sacrament. pœnitent. diſp.*10. *diff.*8. Secus tamen ſi timeret ſcandalum aliorum, qui exiſtimarent eum profiteri errorem illius Hæretici, aut Schiſmatici, cum quo vult confiteri, aut periculum propriæ infectionis. Cornejo, & Hurtadus *ibid.*

Nota, ea quæ dixi de abſolutione conſtituti in articulo mortis, etiam intelligenda eſſe de eo, qui eſt in periculo mortis, quia quoad præſens pro eodem vſurpantur articulus, & periculum mortis, vt tenet Diana *dict. p.*5. *Tract.*3. *Reſol.*59. ex pluribus aliis, quos refert. Quod intellige iuxta dicta ſupra verbo *Bulla Cœnæ, n.*53. quando eſt moralis neceſſitas adeundi tale periculum, prout contingit in aggreſſione belli periculoſi, ſeu longæ nauigationis, non tamen quando aggreſſio talis periculi eſt omnino voluntaria. Sanchez *in Decalog. tom.*1. *lib.*2. *cap.*13. *num.*3. Ludouicus à Cruce *ſuprà dub.* 28. *num.*4. 14

Nota etiam, tantam obligationem eſſe audire Confeſſionem moribundi, vt propter eam audiendam poſſit relinqui Miſſa inchoata, caſu quo aliquis in tali periculo conſtitutus eſſet, nec adeſſet alius Sacerdos, qui ipſum audiret niſi Miſſam celebrans, nec poſſet expectari vſque ad finem Miſſæ, vt habet Zambranus *de Sacrament. pœnitent. cap.*4. *dub.*6. *num.*5. quem refert, & ſequitur Diana 5. *part. Tract.*3. *Reſol.*70. 15

Pro cautione petenda ab iſto moribundo caſu quo non moriatur, propter abſolutionem à cenſuris, vide dicta ſupra verbo *Abſolutio, num.*9. & 10. verbo *Bulla, num.*53. verbo *Bulla Cruciata, num.*32. Vide etiam pro hac materia dicta verbo *Abſolutio*, verbo *Caſus reſeruatus, verbo Confeſſarius.* 16

CONFRATERNITAS, Confratres.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Reſponſio ad quoddam dubium circa inſtitutionem confraternitatis Centuriatorum.*
3 *Videntur ritè inſtituta in Prouincia Caſtellæ.*
4 *Ex auctoritate Cardinalis Gregorij Patriarchini ſibi conceſſa à Gregorio XIV.*
5 *Verba Conceſſionis.*
6 *Quæ auctoritate Apoſtolica fiunt, rata, & firma cenſentur.*
7 *Papa poteſt ſibi adminiſtros, & ſuæ auctoritatis participes accipere.*
8 *Maximè auctoritate ſpeciali.*
9 *Dictio* ſpecialiter, *plus denotat quàm generaliter.*
10 *Talis eſt praxis omnium Religionum.*

11 *Confra*

Digitized by Google

11 *Confraternitates huiuſmodi vſque ad annum 1604. valida cenſeri debebant.*
12 *Poſt hoc tempus debent de nouo inſtitui.*
13 *Ex Bulla Clem. VIII.*
14 *Clauſula* quauis authoritate, *expenditur.*
15 *Ad quem ſpectat hac noua inſtitutio.*
Breue Gregorij XIII. ibid.
16 *An ſit reuocatum à Gregorio XIV.*
17 *Res facilè reuertitur ad ſuam primeuam naturam.*
18 *An id poſſit facere Vicarius Generalis.*
19 *Conceſſio Gregorij XV.*
20 *Clauſula* cum omnimoda poteſtate.
21 *Sine praiudicio Generalis.*
22 *Caſu quo id ſpectet ad Generalem, an poſſit delegari.*
23 *Poſtulatio facta ad S.Congregationem.*
24 *Reſponſio eiuſdem.*
25 *Viua vocis oraculum Pauli V.*
26 *Pœna contra tranſgreſſores.*
27 *Conſultum aliud de eadem materia.*
28 *Congregationes quadam concurrentes ad recitandum Pater noſter, & Aue Maria, in quadam Eccleſia ſunt Congregationes pia, & deuota.*
29 *Non tamen ſunt vera Confraternitates.*
30 *Sunt ordinata ad opera pia.*
31 *Ex fine res denominatur.*
32 *Non ſunt conformes Confraternitatibus, de quibus Clemens VIII.*
33 *Verba vbi non conueniunt, nec diſpoſitio habet locum.*
34 *Obiectio in contrarium.*
35 *Reſponſio.*
36 *Verba adaptari debent communi vſui, & modo loquendi.*
37 *Nullibi vocantur Confraternitates, niſi qua habent ſaccum, veſtes, vel ſigna.*
38 *Hoc non competit huiuſmodi Congregationibus.*
39 *An poſſint plures inſtitui in eodem loco.*
40 *Epiſcopus ad minus poteſt diſpenſare.*

1 DE hac materia ſufficienter dixi *tom. 1. cap. 15.* per totum, ita vt vix aliquid addendum ſuperſit. Lege tamen, quæ Reuerendiſſimus noſter Generalis Theodorus Stratius in perdocto opuſculo, cui titulus eſt *inſtructio pro Fratribus Carmelitis,* nuperrimè ſcripſit circa Indulgentias Confratrum Scapularis Ordinis noſtri, quæ & Confratribus aliorum Ordinum deſeruire poſſunt.

2 Placuit etiam hîc adiungere dubij cuiuſdam reſponſionem à me traditam circa inſtitutionem Confraternitatis Centuriatorum S. Auguſtini, & eos qui illam poſſint inſtituere ad poſtulationem cuiuſdam Religioſi huius Sacræ Religionis. Quæ eſt huiuſmodi.

3 Circa Confraternitates Centuriatorum S. Auguſtini in Eccleſiis Ordinis Eremitarum eiuſdem S. Auguſtini in Prouincia Caſtellæ cenſeo ritè & legitimè erectas & inſtitutas cenſeri debere in quolibet Conuentu, ſeu Eccleſia eiuſdem Ordinis in dicta Prouincia Caſtellæ. Etenim vt conſtat ex Manuele Rodriguez *tom. 1. qq. regul. quæſt. 58. art. 2.* Cardin. Gregorius Petrechinus au-
4 thoritate Apoſtolica Gregorij XIV. ſibi conceſſa reſcriptum in forma Breuis edidit de anno 1590. quod ex ipſo Rodriguez retuli *tom. 2. qq. regular. cap. 15. n. 66. & in quo in omnibus Eccleſiis Domorum & Conuentuum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Prouincia Caſtella iam erectis, ſeu de catero erigendis, ac earum*
5 *ſingulis vnam Confraternitatem vtriuſque ſexus Chriſti fidelium Corrigiatorum, ſeu Cincturiatorum D. Auguſtini, eiuſque D. Matris Monica, in Capella ſeu altari à Priori & Conuentu ſpecialiter ibi eligendo de nouo, perpetuò & ad perpetuam rei memoriam gratis vbique, & alias ſeruata forma dictarum literarum Papa Greg. XIII. erexit, & inſtituit, & fundauit, ac erectam, fundatam, & inſtitutam cenſeri, & omnino eſſe voluit, illaſque, & earum ſingulas ſic vt praefertur erectas & fundatas Archiconfraternitati B. Maria Virginis de Conſolatione Corrigiatorum ſeu Cincturiatorum S. Auguſtini, & eius Matris S. Monica in Eccleſia Domus, ſeu Conuentus Fratrum S. Iacobi dicti Ordinis Bononienſis, vt praefertur, inſtituta ſpecialiter, & expreſſè, etiam gratis & perpetuò aggregauit, vniuit, & incorporauit: ac ſingularum Confraternitatum ſub dicta inuocatione erectarum huiuſmodi vtriuſque ſexus Confratribus, & eorum quibuſlibet omnia & ſingula priuilegia, conceſſiones, & indulta, tam ſpiritualia, quam temporalia, ac etiam peccatorum remiſſiones & indulgentias etiam plenarias & perpetuas, vel quaſcumque alias qualitercumque & quomodolibet qualificatas & nuncupatas per quoſcumque ſummos Pontifices literis Apoſtolicis variis temporibus ſingulis Archiconfraternitatis pradicta Confratribus quomodolibet, & ex quauis cauſa conceſſas & elargitas perpetuò etiam communicauit, & ad ſingulas ex nunc dicta authoritate Apoſtolica extendit, & ampliauit, illiſque omnibus, & ſingulis eorum quemlibet gaudere debere, & de illis, aliiſ-*
6 *que ſpiritualibus ſuffragiis, operibus meritoriis dicta Archiconfraternitatis, & illius vtriuſque ſexus Confratribus conceſſis, & per eos, alioſque totius Ordinis Eremitarum D. Auguſtini fratres vbilibet pro tempore quomodolibet participes fecit, & participare debere dicta authoritate Apoſtolica declarauit.* Ea enim quæ authoritate Apoſtolica ab aliquo Commiſſario vel delegato Apoſtolico fiunt, non ſolum rata & firma eſſe debent, ſed etiam ab ipſo Papa facta cenſentur, iuxta illud Iuris axioma, Noſtra omnia facimus quibus authoritatem noſtram impartimur *l. 1. §. omnia, Cod. de veteri Iur. enucl.* Gloſſ. *verb. Conſule, in §. Plebiſcitum, Inſtit. de Iur. nat.* Rebuff. *in pract. Benef. part. 1. tit. de Inſtrum. gloſſ. 2. num. 3.* Tuſchus *pract. concl. tom. 5. litt. N, con-*
7 *cluſ. 67.* Præſertim, cum Papa ſibi adminiſtros, & ſuæ authoritatis particeps accipere poſſit. *Cap. Mandata, de præſumpt.* Nauar. *de ſpol. Cler. §. 11. num. 4.* Barboſa *in*
8 *Collect. DD. ad dict. Cap. Mandata, num. 2.* Quod maximè procedit quando facta ſunt authoritate ſpecialiter commiſſa, prout ſecundum Rodrig. relatum fuit iſta, quia ab ſpeciali validiſſimum ſumitur argumentum, vt tradunt Euerardus *in top. legal. loc. 68.* Menoch.
9 *conſ. 9. num. 10.* Et quia dictio *ſpecialiter* denotat pluſquam generaliter, *cap. 2.* vbi Gloſſ. *2. de offi. Ord. & cap. Quamquam, 30. diſt.* & æquipollet dictioni *expreſſè, vt in l. ſi quando, §. generaliter, C. de inoff. teſt.*
10 *& in l. fin.* vbi Gloſſ. *C. de negot. geſt.* Et talis eſt praxis omnium Religionum, vt priuilegia ſeu conceſſiones quæ ab aliquo, præſertim Cardinali, & Papæ authoritate emanarunt, valida & firma cenſeantur, ac ſi ab ipſo Papa conceſſa fuiſſent.

11 Quamuis autem præfatæ Confraternitates ab hoc Cardinali authoritate Papæ Gregorij XIV. inſtitutæ validæ cenſeri debeant vſque ad annum 1604. quia à nullo Pontifice reuocatæ fuerunt; poſt hunc annum tamen nullatenus validæ cenſeri poſſunt, niſi de nouo inſtitutæ ſint, iuxta formam præſcriptam à Cle-
12 mente VIII. in Bulla *quacumque à Sede Apoſtolica,* eo anno edita in Bullario Clementis *Bulla 115.* ibi enim ſic ſtatuit Pontifex: *Demum ſtatuimus, & pariter ordinamus, vt Confraternitates & Congregationes vbiuis locorum quauis authoritate, vt praefertur erecta & inſtituta, & quibus communicationes pradicta facta ſunt, ac quacumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, Archi-*
13 *confraternitatibus & Congregationibus vbilibet exiſtentibus hactenus aggregata ab eiſdem reſpectiuè Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, Archiconfraternitatibus & Congregationibus nouas erectionum, inſtitutionum, communicationum, & aggregationum literas, iuxta formam à Nobis nouiſſimè*

nouiſſimè approbatam infra annum, ſi in Europa ſint, &
ſi extra Europam fuerint infra biennium à die publicatio-
nis præſentium in Romana Curia faciendâ computandos
impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapſo erectio-
nes, inſtitutiones, & quæcumque communicationes priuile-
giorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque ſpiritua-
lium gratiarum & indultorum, & aggregationes illarum
vigore ipſis conceſſa nullius ſint roboris & momenti, ac re-
14 *uocata & abolita cenſeantur eo ipſo.* Clauſula enim illa,
quavis authoritate erecta, propter dictionem illam *qua-*
uis, quæ eſt vniuerſalis & omnia comprehendit, vt per
Alexand. *conſ.30. ſub num.14. vol.5.* quem refert Glorit.
reſp.1. part.1. num.193. Farin. *in prax. Crim. part.4.*
deciſ.93. num.1. Seraph. *deciſ.1022. num.1.* habet Bar-
boſa *in tract. de Dict. dict. 325. num.1.* & ſupponunt
communiter DD. qui poſt dictam Conſtit. Clem. VIII.
ſcripſerunt, ſpecialiter Pelizar. *in Manual. Regal. tom.2.*
tract.9. cap.3. ſect.6. num.229. & 230.
15 Innouare autem, ſeu de nouo erigere huiuſmodi Con-
fraternitates iuxta prædictam formam à Clem. VIII. in
dicta Conſtitutione præſcriptam ſolum videtur ſpectare
ad reuerendiſſimum Generalem huius Ordinis propter
Breu. Greg. XIII. de anno 1579. vbi in virtute S. Obe-
dientiæ præcipit *vt patentes vnionum & aggregationum,*
Confraternitatum ſeu ſocietatum Centuriatorum quæ pro
tempore de cætero fient Confraternitati S. Iacobi Ciuitatis
noſtræ Bononiæ, ſub nomine dilecti filij Generalis Ordinis
Sancti Auguſtini, non autem ſub nomine Cuſtodis expe-
diantur. Decernentes irritum & inane quidquid ſecus
16 actum fuerit quavis authoritate. Quod quidem Breue
non videtur vllo modo reuocatum per conceſſionem
factam à Gregorio XIV. Cardinali Petrochino, niſi
ſolum quantum ad perſonam ipſius, Confraternitates
ab ipſo inſtitutas, & prout ab ipſo inſtitutæ fuerunt,
non verò prout renouatæ & de nouo inſtitutæ, quia vt
ſic debent reduci ad terminos Iuris communis Reli-
gionis, quod eſt quod inſtitutio Confraternitatum
17 ſpectet ad Generalem. Res enim de facili reuertitur ad
ſuam primæuam naturam, *l. filio quem pater, ff. de liber.*
& poſthum. cap. ab exordio, 35. diſt. Seraph. *de priuileg.*
Iuram. priuil.58. num.8. Stephan. Gratian. *diſcept. fo-*
renſ. cap.544. n.31. Nec etiam per Bullam Clem. VIII.
de anno 1602. quia in eo ſolum conceditur facultas
Prouinciæ & Prouincialis, Conuentibus PP. Diſcal-
ceatorum; hoc autem munus inſtituendi Confraterni-
tates non pertinet ad Prouinciam ſeu Prouinciales, ſed
ſemper ſpectat ad Generalem.
18 Probabile tamen videtur poſſe Vicarium Genera-
lem Congregationis innouare huiuſmodi Confrater-
nitates ex vi authoritatis illi conceſſæ per Gregor. XV.
in Bulla ſeu Breui *Ad Sacram*, de anno 1622. vbi Pon-
tifex ſtatuit, quod *Vicarius Generalis toti Congregationi*
præſit, eamque regat, atque gubernet cum omnimoda pote-
19 *ſtate, ſicut habet Reuerendiſſimus Generalis in toto Ordine,*
tam ex iure quam ex priuilegiis. Cum enim hæc facultas
competat ipſi Generali, vt conſtat ex dictis & ex praxi
Religionis, etiam competet D. Vicario generali, qui vt
Pontifex ait, *cum omnimoda poteſtate* regit & gubernat
dictam Congregationem. Dictio enim *omnimoda* eſt vni-
20 uerſalis, & comprehendit omnia. Gloſſa *verb. omnimoda,*
in Clem. Quamuis, de ſer. Comp. Decian. *conſ.35. n.47.*
lib.2. Tuſch. *pract. concl. tom.2. litt. D, concl.320. n.1.*
verba autem illa eiuſdem Bullæ Gregorij, videlicet: *Sine*
tamen præiudicio eiuſdem P. Generalis, & facultatem ſibi
21 *in dictam Congregationem conceſſarum & competentiam,*
ſolum videtur reſtringenda ad ea quæ habentur ibi §.5.
& 6. circa iuriſdictionem, viſitationem, correctionem,
& reformationem Prouinciæ Recollectorum, diſcal-
ceatorum Hiſpaniarum, cui Prouinciæ ſucceſſiſſet poſtea
dicta Congregatio. Si autem maior authoritas de facto
competat Reuerendiſſimo P. Generali, Patres dictæ Con-
gregationis tenentur ſcire, & de ipſa mihi non conſtat.

Caſu autem, quo ad præfatum Reuerendiſſimum ſpe- 22
ctet dicta renouatio ſeu inſtitutio dictarum Confrater-
nitatum, exiſtimo poſſe delegare hanc authoritatem Vi-
cario generali vel Prouinciali alicui in dictis Prouinciis
Hiſpaniar. prout dixi *dict. tom.2. qq. regul. dict. cap.15.*
num.48. quod poſtea ſequuti ſunt Bordonus *tom.2. var.*
reſol. reſol.72. num.38. & Pelizarius *ſupra tract.8. cap.3.*
ſect.6. num.265. vel ſaltem, prout dixi eo *n.48.* quod
Ipſe Reuerendiſſimus Generalis abſens per ſuas litteras
patentes innouet dictas Confraternitates in illis locis
deſignatis, ſi tamen adſunt conditiones illæ à Cle-
mente VIII. requiſitæ, & illi conſtet ſaltem ex relatio-
ne fide dignorum illas adeſſe. Suppono autem ſine
prædictis conditionibus nullatenus poſſe dictas Con-
fraternitates innouari, aut de nouo inſtitui.
Video autem (quod deſeruit ad inuentum huius
dubij) quod cum Priores Generales diſcalceatorum S.
Auguſtini Congregationum Italiæ & Galliarum ſup-
plicaſſent ſacram Congregationem vt dignaretur decla-
rare eoſdem Fratres diſcalceatos vt veriſſimos S. Augu-
ſtini filios gaudere Priuilegio erigendi de ſola licentia
Vicarij Generalis vniuſcuiuſque Congregationis in eo-
rum Eccleſiis Societates Corrigiatorum, & Corrigia-
tarum præfati Sancti & Sanctæ Matris Monicæ, cum
eiſdem priuilegiis, gratiis & indulgentiis hactenus Ar-
chiconfraternitati eiuſdem Ordinis ſub titulo Domi-
næ noſtræ de Conſolatione in Eccleſia S. Iacobi Bono- 23
niæ erectæ conceſſis, & concedendis, perinde ac Fratres
Calceati dicti Ordinis eas erigunt in propriis ſuis Ec-
cleſiis de licentia Generalis, iuxta Breue Greg XIII. ſub
datum 12. Nouembr. 1579. quod incipit *volentes ſicut,*
cum non ſit æquum vt illorum maior, & ſtrictior Ob-
ſeruantia eis præiudicet, prodiit ſequens Decretum.
Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & con-
ſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita Emi- 24
nentiſſimo Carpineo referente cenſuit omnes eſſe veros S.
Auguſtini filios, & tam eos quam eorum Congregationem
gaudere omnibus Priuilegiis, quibus Calceati, illorumque
Religio gaudet. Romæ die 2 Septembris 1649.
Video etiam quod Dominus Cardinalis Saullus to- 25
tius Auguſtiniani Ordinis Protector ſub datum Romæ
die 12. Octobr. 1612. declarat viuæ vocis Oraculum
fel. rec. Pauli V. in quo inter alia aſſerit Fratres Diſcal-
ceatos Sancti Auguſtini eſſe vera membra, & filios
prædicti Sancti Patris, atque vt tales participes eſſe
omnium Priuilegiorum, & gratiarum Mendicantium,
tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, & maximè
eorum quibus Auguſtiniana gaudet Religio. Declarat
inſuper prædictos Fratres eſſe participes, & poſſe in ſin-
gulis ſuis Eccleſiis Societatis Corrigiatorum & Corri-
giatarum cum omnibus Priuilegiis, & gratiis erigere, à
Vicario eorum generali ſolummodo habita facultate,
ſicut aliæ Eccleſiæ eiuſdem Ordinis habita à Patre Ge-
nerali Reuerend. poſſunt, & inſtituunt. Subdit: *Qui-* 26
cumque igitur tantæ adhuc fuerit temeritatis, vt contrarium
ſuperius declaratis proferat, ſcribat, ſeu proferri, aut
ſcribi faciat, ſiue quicumque alio modo id efficere conetur,
ſciat tam ſe, quam eum, qui impulſu iubentis id egerit,
excommunicationem latæ ſententiæ, & amiſſionem vocis
actiuæ, & paſſiuæ, ſine ſpe recuperationis, aliaſque etiam pœ-
nas, arbitrio noſtro imponendas ipſo facto incurſurum.
Adiunxi & aliud breue Conſultum de eadem materia 27
ad Inſtantiam cuiuſdam amici factum. Quod tale fuit.
Congregationes ſiue virorum, ſiue fœminarum, 28
qui conuenientes ad aliquam Eccleſiam ſiue ſæcula-
rem, ſeu Regularem, in ea, vel aliqua Capella, ſeu al-
tari ipſius recitant aliquas pias Orationes, v. g. *Pater*
noſter, vel *Aue Maria*, certis diebus, &c. etiamſi poſſint
dici Congregationes piæ, & deuotæ; non tamen ſunt, 29
aut dici poſſunt Confraternitates, de quibus loquitur
Clemens VIII. in Bulla *Quæcumque*, de anno 1604.
edita, in 3. tom. Bullar. inter Conſtitutiones huius

Pontificis *num.115.* ac perinde vna illarum non impedit quominus alia ſimilis, vel diſſimilis in eodem loco fundari poſſit.

30 Ratio primæ partis eſt, quia tales Congregat. ſunt ordinatæ, & inſtitutæ, vt ſuppono, ad opera pia exercenda, ſcilicet recitationem talium orationum; ergo debent dici piæ, & deuotæ, ex parte ſcilicet cauſæ finalis ſuæ inſtitutionis. Etenim à fine rei denominatur, *l. ex imperfecto, ff. de legat.3. l. rem non nouam, §. fin. Cod. de iudic. l. ſed & ſi quis, §.1. ff. de vſufruct.* Et ita
31 tenent Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.75. num.27.* Poſt plures alios, Bordonus *Reſol.27. n.33.* me relato, & Diana *4.part. Reſol.37. de immunit. Eccleſ.*

32 Secunda vero pars conſtat ad oculum ex inſpectione dictæ Conſtitutionis Clem. VIII. in qua non loquitur de quibuſcumque Congregationibus, etiam piis, ſed de illis, quæ à Regularibus, vel alias inſtituuntur, vel aliis aggregantur, cum communicatione aliquorum priuilegiorum, gratiarum, & indulgentiarum: prout patet *ex* §.1. eiuſdem Conſtitutionis. Et de illis, quibus prædicta priuilegia, gratiæ, & indulta applicari debent, non ſub generali forma verborum, vel ad inſtar, ſeu per communicationem; ſed expreſſè, & in ſpecie; vt patet *ex* §.4. Ac de iis, pro quarum erectione exigitur conſenſus Ordinarij; non qualiſcumque, ſed cum litteris teſtimonialibus de pietate, & Chriſtianæ Charitatis officiis ab iis exercendis, vt etiam patet *ex* §.3. Item de illis, quæ habent ſtatuta, non quæcumque, ſed examinata, & approbata ab Epiſcopo Diœceſano, vt etiam conſtat *ex* §.5. Præterea de illis, quæ inſtituuntur iuxta formulam ab eodem Papa approbatam, prout etiam habetur *ex* §.6. Inſuper de illis, quæ habent certum modum petendi eleemoſynas, illaſque diſtribuendi per Ordinarium loci præſcribendum iuxta §.8. Maximè de illis, quæ habent priuilegia circa abſolutionem perſonarum talium Congregationum, iuxta §.9. Quæ omnia, cum non conueniant dictis ſimplicibus Congregationibus, ſicut non vocantur Confraternitates, ſic nec ſunt illæ, quæ iſta Clementina con-
33 tinentur. Siquidem certi iuris eſt, quod verba vbi non conueniunt, nec diſpoſitio habet locum, *l.4. §. toties, ff. de dam. infecto, l. quod conſtitutum, ff. de milit. teſtam.* Bartol. *in d. l.4. §. prætor*, Geminian. *conſ.65. in princip. num.2.*

34 Nec obſtat quod Pontifex in dicta Conſtitutione non ſolum loquatur de Confraternitatibus, ſed etiam de Congregationibus, ſæpè enim hac voce vtitur: ergo
35 quæcumque Congregationes comprehenduntur. Reſpondeo enim hîc intrare iuris illud axioma, *verba debent intelligi ſecundum ſubiectam materiam, & naturam actus, cui applicantur, l. cum Pater, §. donatum, ff. de legat.2. l. ſi vno*, & ibi Bartolus, *ff. locati, l. ſed etſi poſſeſſ.11. §. item ſi, ff. de iureiurando.* Cum ergo ex toto contextu Conſtitutionis conſtet ea, quæ in ea dicuntur, ſaltem *copulatim*, & maiori ex parte ſumpta, ſolum eſſe propria Confraternitatum, non autem ſimplicium Congregationum, vtique dicendum ſolum de illis, non de iſtis loqui. Præſertim etiam, quia Confraternitates etiam vocantur *Congregationes* genericè loquendo, & ita Pontifex vtroque nomine potuit illas vocare.

36 Porrò dictas ſimplices, ſeu deuotas Congregationes non poſſe vocari *Confraternitates*, nec tales eſſe, ex eo etiam ſuadetur, quod ſecundum communem vſum, & modum loquendi, cui verba adaptari debent, *l. librorum, §. quod tamen*, vbi Bartolus, *ff. de legat.3. l. Labeo, ff. de ſuppellect. legat. l. cum de lanionis, §. item, ff. de fundo inſtruct.* neque in vrbe, neque alibi aliquæ Congregationes vocantur Confraternitates, niſi habeant ſaccum, vel veſtes, quibus ipſæ denotentur: & meritò qui-
37 dem, cum ex habitu cognoſcatur qualitas perſonæ, Vlpianus *in l. item apud Labeonem, §. ſi quis virgines*, & ibi Bartol. *ff. de iniur.* vel aliqua inſignia propria talium Confraternitatum, quia etiam ipſa denotant perſonarum qualitatem, Bartolus *in tract. de inſigniis, & l.1. ff. de offic. proconſul. l. ſacrum, de rer. diuiſ.* Cùm 38
igitur dictæ Congreg. deuotæ nullum afferant ſignum, neque in veſtibus, nec alio modo, quo denotentur ipſorum perſonæ, proculdubio non erunt Confraternitates dicendæ, nec comprehendentur in dicta Conſtitutione Clementis.

Ex quibus clarè colligitur tertia pars. Cùm enim iſtæ 39
ſimplices Congreg. non ſint veræ Confraternitates, nec comprehenſæ in Bulla Clem. VIII. nulla adeſt prohibitio quominus plures inſtituantur eodem loco, aut quod vna impediat aliquam aliam, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ rationis ſint. Etenim diuerſorum diuerſum eſt iudicium, *l. inter ſtipulantem, §. ſacram, ff. de verbor. obligat.* Barboſa *axiom.74. num.6.*

Ad minus tamen videtur Epiſcopum poſſe diſpen- 40
ſare, vt non obſtante quod vna Congregatio inſtituta ſit in vno loco ab antiquo, poſſit alia in eadem ciuitate inſtitui, iuxta ea quæ dixi *tom.2. Summa, quæſt. Regul. c.15. n.8.* & declarationem S. Congregationis, quam ibi adduxi, & quam refert Ioannes Maria Nouarius *in Summa Bullary p.2. de Confraternitatib. & Congregat.*

SACRA CONGREGATIO.

SVMMARIVM.

1 *Eminentiſſimorum Cardinalium dignitas.*
Earum S. Congregationes. ibid.
2 *De S. Congregatione Rituum.*
3 *Ipſa inconſulta Ritus ſuos immutare non poſſunt Regulares.*
4 *De Litaniis ab ipſa approbatis.*
5 *Quibus declarationibus ipſius fides adhibenda.*
6 *De S. Congregatione Concilij.*
7 *De ipſius declarationibus, earumque auctoritate.*
8 *Quid quando fiunt non conſulto Papa.*
9 *Quid ſi appareant contraria.*
10 *Quæ habentur vt Authentica.*
11 *Quid de non ſufficienter publicatis aut promulgatis.*
12 *Sententia Rodriguez circa hæc.*
13 *Pro quibus caſibus deſeruiant.*
14 *Semper veneranda.*
15 *De S. Congregatione Regularium.*

SVnt Eminentiſſimi Domini Cardinales veluti 1
membra, & pars Papatus, cum Summo Pontifice vnum corpus myſticum conſtituentes, & veluti coniudices cum ipſo ad ardua Eccleſiæ negotia pertractanda, iuxta dicta *tom.2. part.1. cap.9.* & ſupra verbo *Cardinalis.* Idcirco Sixtus V. in Bulla *Immenſa æterni*, anno Incarnationis Domini 1587. Vndecimo Calendas Februarij, qui propterea correſpondet anno Chriſti 1588. edita in tom.2. Bullar. Laërtij inter Conſtitutiones huius Pontificis *num.74.* quindecim Congregationes ipſorum DD. Cardinalium inſtituit pro totius Eccleſiæ negotiis faciliùs expediendis. Quia tamen ſolum trium earum, ſcilicet Congregationis Rituum, Congregationis Concilij, & Congregationis Regularium notitia ad ipſos Regulares proprius ſpectat, ideo aliis prætermiſſis, de illis ſolum aliqua in medium proferam, certa quidem pro certis, dubia verò, & opinabilia pro talibus duntaxat ſtatuendo, ſub earum SS. Congregationum cenſura, quarum iudicio quidquid dixero ſubmitto.

Et primò, loquendo de Sacra Congregatione Ri- 2
tuum. Ad huius Congregationis Cardinales, prout Sixtus in ea Bulla inſtituit, & declarat, hæc ſpectant.

Ve

Digitized by Google

Vt veteres Ritus Sacri vbiuis locorum, in omnibus Vrbis, Orbiſque Eccleſiis, etiam in Capella noſtra Pontificia, in Miſſis, diuinis officiis, Sacramentorum adminiſtratione, cæteriſque ad diuinum cultum pertinentibus à quibuſuis perſonis diligenter obſeruentur, ceremoniæ ſi exoleuerint, reſtituantur, ſi deprauatæ fuerint, reformentur; libros de Sacris Ritibus, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent. Officia diuina de Sanctis Patronis examinent, & Nobis prius conſultis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, feſtorumque dierum ſolemnitatem, vt omnia ritè, & rectè, & ex Patrum traditione fiant, &c.

3 Ex quo fit, Regulares non poſſe inconſulta hac Sacra Congregatione communes veteres Ritus ſuarum Eccleſiarum immutare, nouos inſtituere, Sanctis officia concedere, aut aliquid ad ipſorum ſolemnitatem ſpectans de nouo efficere. Pro quo vide dicta *tom.1. cap.12. num.33. & ſequentibus, & cap.21.n.18. & ſequent.*

4 Non ſolet hæc Sacra Congregatio approbare aliquas Litanias præter ordinarias impreſſas in Breuiario, & eas quæ de Beata Maria recitantur in Eccleſia Lauretana. Similiter non ſolet paſſim concedere in Officiis ab ipſa approbandis aliud præter lectiones ſecundi nocturni. Ita enim habetur ex declarationibus eiuſdem Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Congregatio pro Sanctis Ritibus 2.*

5 Quia tamen quamplures declarationes, decreta, ſeu deciſiones ſub huius Sacræ Congregationis nomine abſque illius auctoritate impreſſæ circumferentur, & allegantur, multæque ex ipſis alteratæ creduntur, & aliquæ forſan confictæ, ideo eadem Sacra Congregatio iuſſu Sanctiſſ. D. N. Vrbani VIII. die vndecima Auguſti 1632. præcipit: *Huiuſmodi declarationibus, decretis, ſeu deciſionibus, tam impreſſis, quam imprimendis, ac etiam manuſcriptis, nullam fidem in iudicio, vel extra eſſe adhibendam, ſed tantum illis, quæ in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint.* Refert hoc decretum Barboſa *ſupra*. Ex eo autem infertur, aliis declarationibus, decretis, ſeu deciſionibus huius Congregationis, quæ prædicto modo munitæ non fuerint, non eſſe fidem adhibendam, intellige certam, & indubitatam; ad minus enim probabilem fidem merentur, ſi à viro fide digno referantur.

6 Loquendo de Sacra Congregatione Concilij, Sixtus V. in relata Bulla circa facultates ipſius, hæc habet. *Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent interpretationem, Nobis ipſis reſeruamus, Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis iudiciis, aliiſque huiuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerit, interpretandi facultatem, Nobis tamen conſultis, impartimur.* Circa quæ grauiſſima inter Doctores controuerſia eſt, an declarationes, decreta, ſeu deciſiones huius Sacræ Congregationis ſint ſolum doctrinales, id eſt ſolum habeant eam auctoritatem, quam habent ſententiæ Doctorum Sapientum, an verò ſint etiam deciſiuæ, & auctoritatiuæ, ita vt habeant vim legis obligantis in vtroque foro. Quidam enim patum liberales in dictam Sacram Congregationem priorem partem ſequuntur, alij benigniores poſteriorem; alij verò rei deciſionem à Sanctiſſ. expectandam dicunt, alij denique variis diſtinctionibus vtuntur: ego autem, vt dixi, quod probabilius mihi videtur, explicabo.

7 Et quidem loquendo de prædictis declarationibus, decretis, &c. factis à Sacra Congregatione iuſſu Sanctiſſimi, vel ipſo conſulto, indubitata res eſt habere vim Legis, & eſſe deciſiuas, & authoritatiuas. Ratio eſt, quia factæ ſunt auctoritate Papæ, ergo habent eandem auctoritatem, quam haberent, ſi à Papa immediatè factæ fuiſſent, cum in moralibus idem ſit facere per alium, ac facere per ſe. Salas *de Legibus, Tract.13. diſp.21. ſect.12.* Peirinis *tom.1. de Subdito, quæſt.1. de obedientia, cap.25.* & alij communiter.

Quando verò non fiunt ab eadem Sacra Congregatione, conſulto Papa, aut ex mandato ipſius, prout ſæpè contingit, magna lis eſt inter Doctores. Quamplures enim affirmant habere vim Legis, & eſſe deciſiuas, & diffinitas, nec ſolum doctrinales, quamplures etiam id negant, vtriuſque autem partis fautores referunt Diana *part.1. Tract.10. Reſol.29. & part.5. Tract.2. reſol.96.* & Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.1. cap.4. num.81.* Ego tamen affirmatiuam partem probabiliſſimam cenſeo, & ipſi adhærendum credo, cum limitatione tamen, quam ex ipſamet Sacra Congregatione inferiùs adducam. Ratio eſt primò, quia ipſamet Sacra Congregatio id declarauit, vt patet ex declaratione, quam referunt Garzia *de benefic. in præfat.* Zerola *in prax. Epiſcoporum part.1.* Salas *de legibus diſp.21. ſect.12.* Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Congregatio pro interpretat. Concil. Tridentin.3.* Secundò, quia Sacra Rota huiuſmodi deciſiones veneratur, ad inſtar communis Legis allegat, nec eas in dubium reuocare ſolet, vt patet in vna Auerſana Beneficiorum, 3. Iulij 1606. Panormitana Archipreſbyteratus, 5. Iulij. 1620. Nicienſi Parochial, 20. Maij 1624. Tiburtina Parochiali, 27. Iulij 1626. & aliis apud Barboſam relatum, & Bonacinam *de legib. diſp.1. quæſt.1. punct.8. num.4.* Tertiò, quia licet in dicta Bulla Sixti Quinti non videatur concedi prædictæ Congregationi aliquid niſi ſolum facultatem interpretandi dubia circa ſtatuta in Concilio, & id conſulto Papa, quia tamen paſſim, & quotidie à multis annis ipſa Congregatio, ſciente, conſentiente, & Romæ præſente Summo Pontifice, nouas edit declarationes, deciſiones, & decreta, cum ſolum in grauioribus dubiis ipſum conſulat, proculdubio credendum eſt, ex tacita, vel expreſſa eiuſdem Summi Pontificis conceſſione id fieri, ac per conſequens omnes prædictas declarationes, &c. vim legis Pontificiæ habere. Rodriguez, *tom.1. quæſt. Regular. quæſtione 11. art.1. & 2.* Garzia *de Beneficiis vt ſuprà.* Qui rectè ad intentum expendit, quod ex vſu Curiæ ſuper huiuſmodi declarationibus exequendis Papa Breue concedit, & Auditor Cameræ Monitorium, & quod à Rota recipiuntur abſque vlla controuerſia. 8

Nec obſtat ſi dicatur, aliquas ex iſtis declarationibus eſſe inter ſe contrarias, ac per conſequens fidem non mereri. Dicendum enim inter eas quæ iuſſu Papæ eduntur forſan non ita eſſe, ſed ſiue inter eas, ſiue inter alias talis contrarietas reperiatur, dicendum, quod etiam in legibus Pontificiis idem contingit, & tamen non propterea earum auctoritas euacuatur. Quemadmodum ergo lex Pontificia poſterior, ſi eſt contraria priori, eam derogare cenſetur, ſic declaratio poſterior Sacræ Congregationis, ſi eſt contraria priori, illam derogabit. Sic fermè Bonacina *ſuprà*, ex Suárez, & Salas quos refert. Quibus adde Merollam *in diſp. Theolog. tom.2. diſp.4. dub.12. num.175.* 9

Limitatur tamen id quod dixi de huiuſmodi declarationibus, deciſionibus, &c. ſcilicet eſſe auctoritatiuas, & habere vim legis; de illis ſolum loquendo, quæ *in Authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint.* Ita enim declaratum eſt ab eademmet Sacra Congregatione die 2. Auguſti 1631. in decreto authentico per Eminentiſſim. Cardinalem Vbaldinum Franciſcum Paulutium Sacræ Congregationis Secretarium ſubſcripto, 10

& in Typographia Camerali impreſſo. Cuius etiam meminit Barboſa *loco relato ex Collect. Bullar.* Vbi etiam ex ſpeciali Sanctiſſ. Domini N. Vrbani VIII. præcepto, aliis omnibus *Declarationibus, iam impreſſis, & imprimendis, quam manuſcriptis nullam fidem eſſe in Iudicio, vel extra à quoquam adhibendam*, decernitur.

11 Limitatur etiam, vt ſolum id teneat verum in declarationibus, deciſionibus, &c. ſufficienter publicatis, & promulgatis: cum enim ad hoc quod lex obliget, neceſſariò requiratur illius promulgatio, vt colligitur *ex cap. 1. de poſtulat. Prælat. §. verum*, ex S. Thoma 1.2. *quæſt.* 90. *art.* 4. & aliis Theologis communiter, non eſt credendum Sacram Congregationem velle prædicta obligare, niſi præmiſſa dicta publicatione. Imo propterea, vt credo, præcipit, vt non adhibeatur fides, niſi illis, quæ dicto modo ſigillatæ, ſubſcriptæ, & munitæ fuerint, quia illæ ſolum publicantur in Curia, & in locis ordinariè ad id deſignatis. Bonacina *ſupra*, aliis relatis.

12 Nec obſtat, quod ait Rodriguez *ſupra art.* 2. ſcilicet, quod quamuis promulgatio requiratur ad hoc, quod lex aliqua noua obliget, non tamen eſt neceſſaria pro declarationibus legum antiquarum, quia cum declarationes ſint quid acceſſorium legum, ipſis ab initio inſunt, & ita cum illis publicantur. Licet enim hoc ita ſit in rebus claris, & manifeſtis, tunc enim declarationes inſunt legibus; ſed non in rebus dubiis, & opinabilibus, in quibus poſſunt eſſe diuerſæ opiniones circa intelligentiam legis, quales ſunt huiuſmodi declarationes, ac proinde pro illis erit neceſſaria noua publicatio, quia ſunt veluti nouæ leges. Peirinis *ſupra*, Bonacina *ſupra*, Diana *dicta part. 1. Tract. 10. Reſol.* 29.

13 Ex quo fit, quod poſitis prædictis conditionibus in dictis declarationibus, ſcilicet quod ſint authenticæ, & promulgatæ, non ſolùm deſeruiunt pro illo caſu ſingulari, pro quo ſunt editæ, ſed generaliter pro omnibus, itavt Iudices omnes, ſiue ſæculares, ſiue Regulares, debeant iuxta eas iudicare. Ratio eſt, quia ſunt veluti leges generales, magnæ auctoritatis, Pontificiæ videlicet, ac per conſequens deſeruire debent, tam pro caſu quo editæ ſunt, quam pro ſimilibus. Salas *ſupra*. Garzia *de Beneficiis ſupra*.

14 Caſu etiam dato, quod aliquæ illarum nec authenticæ ſint, nec publicatæ, quales ſunt plures, quæ in hoc opere afferuntur, ſi tamen conſtet illas à Sacra Congregatione emanaſſe, tantæ quoque auctoritatis ſunt, vt quantumvis fides eis non ſit adhibenda, intellige certa, & indubia, neque in iudicio, nec extra, iuxta eiuſdem Sacræ Congregationis declarationem ſuperius adductam; nihilominus magnam inducunt probabilitatem, vtpote ab Eminentiſſimis Viris pietate, doctrina, rerumque vſu præſtantibus editæ, qui etiam Theologos, & Iuriſperitos, alioſque viros doctiſſimos ad conſilium adhibere ſolent. Vide Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 1. num.* 6. & Bonacina *ſupra*.

15 Loquendo autem de Sacra Congregatione pro negotiis Regularium, ea inſtituta fuit à Sixto V. in dicta Bulla pro *Controuerſiis, dubitationibus, conſultationibuſque ipſorum*, vt ait Pontifex. Vbi addit, *Cauſas verò quas inter ipſos Religioſos oriri contigerit, iuxta quarumcumque Religionum inſtituta, eorumque diſpoſitionem Superiores illorum definiant, atque terminent.* Quo denotatur Dominos Cardinales huius Congregationis, non debere Religioſorum cauſas definire, ſed remittere Prælatis definiendas, & terminandas. Quare, ſi quid aliud in praxi faciant, credendum eſt eos ex expreſſo, vel tacito Summi Pontificis conſenſu id efficere. Conceditur etiam illis in dicta Bulla facultas decidendi controuerſias inter ipſos Regulares exortas ſine formâ iudiciaria Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Viſitationis Apoſtolicæ decretorum obſeruantiam introducendi, dandi licentiam tranſeundi ad arctiorem Religionem, Apoſtatarum, & Eiectorum cauſas cognoſcendi, Viſitatores nominandi, ac obedientiam Subditorum erga Superiores, & beneuolentiam Superiorum erga ſubditos procurandi, *quaſi Religioſorum omnium tutiſſimum perfugium*, vt ait Pontifex. Vide dicta *tom. 1. cap. 9. num. 4. & 6.*

CONSECRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Cõſecratio quid ſit.*
Quomodo differat à benedictione. ibid.
2 *An pertineat ad Prælatos Regulares.*
3 *Chriſma quid ſit.*
4 *Alia remiſſiuè.*

Conſecratio propriè dicta eſt Sacra Chriſmatis vnctio. Differt autem à benedictione, quod licet ea largè ſumpta conſecratio etiam dicatur, propriè tamen loquendo conſecratio non eſt, cum non ſit Chriſmatis vnctio, ſed ſacramentale quoddam, ſeu ceremonia Eccleſiæ ad petendum à Deo fœlicia, & bona. Azor. *tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 12. cap. 20. quæſt. 2.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 11. quæſit. 1.* Quare quæ propriè conſecrantur, ſunt Epiſcopi, Eccleſiæ, Altaria, Calices, Patenæ. Quæ verò benedicuntur, dixi ſuprà verbo *Benedictio, & benedicere, num. 1.* 1

Ex quo fit, Conſecrationem propriè non pertinere ad Prælatos Regulares, quantumvis priuilegiatos, ſed ſolùm ad Epiſcopos. Ratio eſt, quia Conſecratio propriè fit Chriſmatis vnctione: Chriſmate autem non poſſe vti prælatus Regulares prædictos in aliquarum rerum benedictione, conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis, quam retuli ſupra verbo *Altare, n. 1.* & verbo *Benedictio, & benedicere, num. 8. & 11.* & ex aliis, quæ adduxi ſupra verbo *Calix, num. 3.* Vnde priuilegia, quæ quoad hoc referuntur à Tamburino *ſuprà diſp. 33. quæſit. 2.* his temporibus vacant. An tamen pro aliquo caſu durent, dicam verbo *Eccleſia, num. 5.* 2

Chriſma porrò, cuius vſus in benedictionibus prædictis Prælatis Regularibus interdicitur, & de quo plura Vualdenſis *tom. 2. de Sacrament. cap. 112. & 113.* eſt vnguentum ex oleo oliuarum, & balſamo confectum. Syluester *in Summa, verbo oleum Sanctum, num. 1.* Toletus *in Summa lib. 2. cap. 24. num. 2.* Annoatim debet eſſe confectum, itavt peccatum ſit ſine neceſſitate vereri vti, *cap. ſi quis alio, de conſecrat. diſt. 4.* Syluester, & Toletus *ſupra*. Conficitur ſolum in die Cœnæ, *cap. omni tempore, de conſecrat. diſt. 4.* Sylueſt. *ibid.* Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. Allegat. 31. num. 5.* Solùm ab Epiſcopo, S. Thomas 3. *part. quæſt. 72. art. 3.* An verò id poſſit à Papa ſimplici Sacerdoti committi, diſputant Theologi, de quo aliàs. 3 4

Vide plura de hac re infrà, verbo *Eccleſia*.

CONSERVATORES.

De hac materia latè egi *tom. 1. part. 2. cap. 10.* per totum, vt vix aliquid addendum occurrat.

CONSTITVTIONES.

De hac etiam materia, quatenus ſpectat ſpecialiter ad Regulares, ſcilicet de Religionum Conſtitutionibus, & obligatione ad illas obſeruandas, latè quoque dixi *tom. 1. cap. 8.* Vide etiam infrà, verbo *leges Regularium*.

CONVERSI, ET CONVERSÆ.

SVMMARIVM.

1 *De Conuerſis remiſſiuè.*
2 *Dubium de Conuerſis Ordinis Minorum, an debeant habere vocem in electionibus.*
3 *Id videtur conforme regulæ huius religionis.*
4 *Verba regulæ.*
5 *Regula eſt veluti amuſſis actionum Religioſorum.*
6 *Regulæ definitio, ex Gregorio Nazianzeno.*
7 *Regula eſt veluti anima Religionis.*
8 *Regula eſt Veluti alter Deus.*
9 *Obiectio ex Diuo Bonauentura.*
10 *Regula iſta à Deo inſpirata creditur.*
11 *Pro ſæculis futuris etiam fuit conſcripta.*
12 *Sanctus Franciſcus Prophetiæ Spiritu claruiſſe creditur.*
13 *Lex, ſi voluiſſet, expreſſiſſet.*
14 *Sanctus Franciſcus noluit mutare aliquid de Regula.*
15 *Quid ad Diuum Bonauenturam.*
16 *Fauet caput octauum regulæ.*
17 *Num dici poſſit eſſe abrogatam à Gregorio Nono.*
18 *Quid ad hoc dicendum.*
19 *In vno, vel altero puncto Regulæ pro caſu particulari diſpenſare admitti poteſt.*
20 *Laici per Regulam ius habebant ad præfatam vocem.*
21 *Quid ſi dicatur ipſummet Papam reuocaſſe hunc punctum Regulæ.*
22 *A ſolitis fieri validum deſumitur argumentum.*
23 *An talis reuocatio fuerit facta ad inſtantiam fratris Eliæ.*
24 *An fuerit retardata ab ipſo Papa.*
25 *Obiectio ex ipſomet Gregorio IX. ſoluitur.*
26 *Non fuiſſe talem reuocationem.*
27 *Fuerunt in hac Religione aliqui laici, qui habuerunt officia.*
28 *Inter Monachos antiquos multi, qui erant ſolùm laici, erant Superiores.*
29 *Non obſtat cap. ex eo, de elect. in 6.*
30 *Ibi non eſt ſermo de laicis fratribus.*
31 *Colligitur ex cap. licet Romanus, de conſtitut. in 6.*
32 *Non expreſſa non nocent.*
33 *Gloſſa cap. ex eo.*
34 *Textus cap. Meſſana de elect.*
35 *Ibi videtur eſſe ſermo de laicis ſæcularibus.*
36 *Nec obſtat Clem. vt ij.*
37 *Loquitur de iis, qui ſunt Clerici, aut Choriſtæ.*
38 *Gloſſa ibid.*
39 *Et ex mente Pontificis.*
40 *Quid de Concilio Tridentino.*
41 *Innouatorium eſt Clem. vt ij.*
42 *Declaratio Sacræ Congregationis.*
43 *Declaratio Pij Quinti.*
44 *An ſubſiſtat, quia eſt viuæ vocis oraculum.*
45 *Videtur ſubſiſtere, quia eſt mera declaratio.*
46 *Non obſtat, quod Vrbanus Papa eam appellet conceſſionem.*
47 *Lata ſignificatione, conceſſio dici poteſt.*
48 *Votum Academiæ Sorbonenſis.*
49 *Laici Sancti Franciſci acceperunt ius vocis habendæ ex cap. ſeptimo Regulæ.*
50 *Iſti iuri derogatum non eſt per Conſtitutionem Gregorij Noni.*
51 *Nec per alia iura.*
52 *Dicti Fratres Laici, nihil præter ius, & æquum prætendere debent.*
53 *Apud ſummum Pontificem eam vocem requirunt.*
54 *Subſcriptiones DD.*

55 *Non videtur inconueniens quod detur iſta vox actiua laicis.*
56 *Quid de paſſiua.*
57 *Decretum Concilij Tridentini.*
58 *Promoti ad dignitates, & Prælaturas Regulares, confeſſiones fratrum ſolent audire.*
59 *Alia munera ſolùm importans adminiſtrationem.*

SImiliter de hac materia ſufficienter ſcripſi *Tom. 1.* 1
part. 2. cap. 8. vbi per totum caput egi de Conuerſis Laicis, Oblatis, Donatis, ſeu Commiſſis Religionum. Pariter etiam de fœminis, quæ inter Moniales Conuerſæ vocantur, dixi *tom. 1. cap. 25.*

In hoc loco commodè videtur apponi poſſe Con- 2
ſultum quoddam à me ſcriptum ad inſtantiam quorumdam Patrum Ordinis Minorum de Obſeruantia, an ſcilicet expediens ſit in ea Religione quod Conuerſi ſeu laici vocem actiuam, ſeu paſſiuam, aut vtramque habeant in electionibus ſuæ Religionis. Quod eſt huius tenoris.

Conſultum.

Ad dubium mihi propoſitum, an videlicet conue- 3
niens ſeu expediens ſit, quod Conuerſi, ſeu Fratres laici in Ordine Minorum de Obſeruantia præſertim, habeant vocem actiuam, vel paſſiuam, ſeu vtramque in electionibus quæ fiunt in hac Religione. Reſpondeo, in primis id videri ſatis conforme Regulæ huius Sacræ Religionis à Sede Apoſtolica, præſertim Honorio III. approbatæ. Capite enim ſeptimo ſupponitur Miniſtros Prouinciales poſſe non eſſe presbyteros, ex quo infertur etiam non Sacerdotes poſſe habere tum vocem actiuam, tum etiam paſſiuam. Verba Regulæ
ſunt iſta: *Si qui fratrum, inſtigante inimico, mortaliter* 4
peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere quam citius poterunt ſine mora. Ipſi verò miniſtri, ſi presbyteri ſunt, cum miſericordia iniungant illis pœnitentiam: ſi verò presbyteri non ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundum Deum melius videbitur expedire. Quæ eo maius firmitatis robur habent, quod Religio-
nis Regula eſt veluti amuſſis actionum Religioſorum, 5
adeo vt eſſentia illorum in hoc conſiſtat, quod Regulæ adſtringantur. Aliter enim non definiuiſſet Gregorius
Nazianz. Iambic. 15. monachum ſic: *Monachus eſt* 6
qui viuit Regulæ & Deo. Et quia Regula eſt veluti ani-
ma Religionis ad differentiam ſtatutorum, ſeu Conſti- 7
tutionum quæ ſunt quaſi proprietates accidentales eiuſ-
dem, iuxta dicta *tom. 1. cap. 8. num. 2.* Hierocles philo- 8
ſophus Regulam appellauit *Deum*, dum dixit: *Oportet leges patriæ tanquam Deos alteros obſeruare.*

Nec vis huius argumenti ex Regulæ authoritate pe- 9
titi communi effugio eneruatur, quòd dicitur ex D. Bonauentura in ipſius expoſitione: *Iſtud autem dictum eſt pro Ordinis principio, in quo erat raritas ſacerdotum: maximè quia S. P. Franciſcus ex humilitate legitur Sa-*
cerdotium fugiſſe. Et quòd quæ aliquando propter ne- 10
ceſſitatem ſunt conceſſa in argumentum trahi non poſſunt, *cap. In argumentum*, vbi Gloſſ. *in fin. caſus, de regul. iur. in 6. & cap. quod pro remedio 1. quæſt. 6.* Etenim cum Regula iſta, vt piè & veraciter creditur, à Deo inſpirata fuerit, Deus autem præſcius omninò eſſet, quod Religio iſta ampliſſimè in Orbe ſuper alias propaganda eſſet, ſanè pro ſeculis futuris etiam fuit
conſcripta, & non pro neceſſitate *Ordinis in principio* 11
ſolum, in quo erat raritas ſacerdotum. Quod etiam robur accipit ex eo quod S. Patriarcha Franciſcus prophetico Spiritu claruiſſe dignoſcitur: eo namque ſpiritu prævidere potuit hanc ſui Ordinis latiſſimam propagationem;
ac perinde pro omni ſæculo venturo ſupponere, quod 12

non ſacerdotes poſſent in eo Miniſtri Prouinciales eſſe.
Huic enim intento aptè accommodatur vulgare illud
13 axioma, *Lex ſi voluiſſet expreſſiſſet*. Quod eſt deſum-
ptum *ex l.vnica, §. ſin autem aa deficientis, C.de caduc.
tollend. l. ſi ſeruum, §. Prætor ait, ff. de adquir. hared. cap.
Ad audientiam 2. de decim.* & aliis iuribus à Doctoribus
communiter recitatis. Vrgetur etiam, quod vt Bartho-
lomæus Piſanus ait *lib. 1. Conformit. fol.* 110. cum Papa
14 Honorius III. ex D. Franciſci Regula nonnulla immu-
tare vellet, ipſe Sanctus humiliter reſtitit dicendo, to-
tam à Deo fuiſſe inſpiratam, vt propterea Papa diuino
nomine tactus, eam prout iacet confirmauerit. Ex qui-
bus elicitur tum à Deo, tum à Chriſti Vicario, tum à
Patriarcha Franciſco haberi quod in hac Religione
etiam laici Fratres actiuam & paſſiuam vocem in ele-
15 ctionibus habere poſſent. Quod attinet ad D. Bona-
uenturam, cum nihil ipſe afferat quo ſignificet hoc Re-
gulæ ſtatutum ceſſaſſe, aut reuocatum eſſe, ex quo plu-
res extare experuot io Ordine ſacerdotes, liquidò con-
ſtare videtur ex mente ipſius adhuc in Ordine perſeue-
rare. Præſertim cum id confirmet exemplo primi Ordi-
nis Inſtitutoris Franciſci, qui quamuis primus Generalis
Miniſter eſſet, nihilominus Sacerdos nunquam fuit.
16 Fauet & cap. 8. ſequens eiuſdem Regulæ, vbi de ele-
ctione Generalis Miniſtri & Capituli generalis cele-
bratione ſic dicitur: *Vniuerſi Fratres vnum de Fratri-
bus iſtius Religionis teneantur ſemper habere in Gene-
ralem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitis, & ei te-
neantur firmiter obedire.* Vbi quemadmodum nonnulli
expendunt, magni ponderis eſt quod neque etiam pro
Generali Miniſtro Ordinis Deus Regulæ inſpirator,
Franciſcus conſcriptor, & Papa confirmator, nulla facta
diſtinctione inter huius Ordinis Religioſos, ſacerdotes
videlicet, vel non ſacerdotes, laicos Fratres, vel non
laicos, generaliter dicant *Vniuerſi Fratres vnum de Fra-
tribus*, &c. Cum tamen ſecundum rectam prudentiam
explicare deberent, quod Generalis iſte Miniſter eſſet
ſacerdos, aut preſbyter, & ſolum à preſbyteris, ſacerdo-
tibus, vel io ſacris conſtitutis electus. Eo vel maximè
quod in aliis cap. Regulæ, vt euidenter patet ex 3. ex-
preſſa & clara diſtinctio fiat Fratrum *Clericorum &
Laicorum.*
17 Si dicatur hæc & quæcumque alia ad intentum
puncta Regulæ abrogata fuiſſe à Gregorio IX. ſucceſ-
ſore Honorij III. Regulæ Confirmatoris, etenim,
prout habet Alphonſus de Caſſatubios *in Compend. pri-
uil. Fratrum Minorum & aliorum Mendicantium, verbo
laici Fratres*, quem ſequitur Sigiſmundus de Bononia
de elect. Prælat. part. 2. dub. 106. num. 18. Miranda *in
Man. Prælat. tom. 2. q. 9. art. 2.* & alij, *In Capitulo generali
in quo fuit electus quintus Miniſter Generalis, præſente
ſummo Pontifice Gregorio IX. inhabilitati ſunt Fratres
ad Officia Ordinis, qui vſque tunc dicta officia, vt Clerici
exercebant.* Refert autem ſe Caſſatubius ad librum cui
18 titulus eſt *Monumenta Ordinis*. Cæterum, præter quam
hunc librum videre non potui, vlterius notandum,
quod ſi huiuſmodi ſtatutum Regulæ reuocatorium or-
dinaria authoritate Ordinis factum fuit vel à Miniſtro
Generali ipſius, quem aliqui dicunt fuiſſe Hierony-
mum, vel Haymonem Angelum, eodem Gregorio IX.
præſente electum, valde dubitari poteſt de ipſius valore.
Etſi enim, iuxta plurium ſententiam, quos ſequor &
19 refero *tom. 1. cap. 7. num. 29.* integrum ſit Religionis
Prælatis in vno vel altero puncto Regulæ, ſaltem pro
caſibus particularibus, & particularibus Religioſis
diſpenſare, quod tamen queant punctum Regulæ ab
inſtitutore Religionis inſtitutæ, & Sedis Apoſtolicæ
authoritate approbatæ, eius præſertim, quæ omnino
à Deo inſpirata creditur, & quam propterea Pontifex
Honorius in nullo immutare voluit, difficile ſanè
20 videtur. Eo quoque quod per ipſam ius videbatur da-
tum dictis Fratribus laicis ad præfatam vocem acti-
uam & paſſiuam. Nam vnicuique, quod ſuum eſt tri-
bui & conſeruari debet, *l. Iuſtitia, §. Iuris præcepta,
Inſtit. eod. tit. Cap. Nouit, de Iudic. in princ.* & notat Imola
num. 1. & omnes, latè Mandoſ. *ſuper facul. A. C. in
proœm. in verb. Quod ſuum eſt, & verb. vnicuique*, adeo
vt tali iuri nec Pontifex ipſe præiudicare ſoleat. *Cap.
Super 7. de offic. deleg. cum ſimil.* Gonzal. *ſuper regul. 8.
Cancel. gloſſ. 15. §. 1. num. 74.*
Si tamen dicatur, huiuſmodi puncti Regulæ Reuo- 21
cationem ab ipſo Papa immediatè factam eſſe, certè
magnus ſcrupulus erit de huiuſmodi facto, cum nec
per Bullam, nec per reſcriptum aliquod, aut etiam per
viuæ vocis Oraculum authenticum conſtet, in re tam
contentioſa, tantique momenti pro tota Religione Pa-
trum Minorum, in qua plures aliæ ſimiles, vel etiam
minoris momenti declarationes ab hoc Pontifice, vel
aliis factæ magna diligentia & cura conſeruantur. Cum 22
præſertim à ſolitis fieri validum deſumatur argumen-
tum, *l. ſi quid donaturus, ff. de vſufruct. l. quod ſi nolit,
§. qui aſſidua, ff. de ædil. edict. l. Certi condictio, §. ſi
nummos, ff. ſi certum petatur*, & aliis iuribus ac DD. Et
quid ſi dicatur cum aliquibus huius Ordinis Scripto-
ribus, non placuiſſe huiuſmodi reuocationem eidem
Gregorio, & quod facta fuerit ad inſtantiam Fratris 23
Eliæ, qui cum ſuis partialibus ſimplicitati & humilitati
Franciſcanæ aduerſarij erant; imo quod ipſe Gregor. 24
in alio Capitulo & quadam exhortatione per ipſum
habita reuocationem præfatam veluti retractauit? Si
enim hæc ſubſiſtant, actum contra aduerſarios erit, &
firmius manebit intentum noſtrum. Pro qua hiſtoria
conſulendus doctiſſimus Annaliſta Lucas Vuadinghus
tom. 1. annal. anno 1239. pag. 579. Ad quem etiam
quoad factum huius conſulti me remitto; ſolum enim
ex iis, quæ videre potui, meam ſententiam in eo pro-
fero.
Nec refert ſi dicatur eundem Gregorium IX. *in cap.* 25
Sacroſancta, de elect. generaliter decidiſſe laicos non
poſſe etiam de conſenſu Prælati & Capituli habere ius
eligendi. Quia indubitatum videtur ibi ſermonem eſſe
de laico ſæculari, aut ſæculari vitæ addicto, vt ex
ipſo textu manifeſtè colligitur, non de laicis Religioſis,
& ſub Regula viuentibus. Præterquam ibi Pontifex
loquitur de quodam Comite, qui ex vi cuiuſdam com-
poſitionis cum monachis Cluniacenſibus id præten-
debat. Nos autem loquimur in caſu valde diuerſo,
in quo agitur de iure quæſito ex vi Regulæ à S.
Sede approbatæ, à Deo inſpiratæ & ab eximiæ
Sanctitatis viro Franciſco inſtitutæ, & nulli mu-
tationi ex ipſius voluntate ſubiectæ, vt ex dictis
liquet.
Neutiquam etiam extitiſſe talem prætenſam Regu- 26
læ reuocationem ab hoc Papa factam, non leuiter ſua-
detur, quo etiam principale intentum fulcitur, ex con-
ſuetudine Religionis, quæ in oppoſitum, poſt illa
tempora viguit. Ex hiſtoriis enim ipſius non ſolum
apud aliquos pro comperto eſt, primum Patriarcham
Franciſcum Laicum Fratrem fuiſſe, quando in primum
Generalem fuit electus, ſed etiam Fratrem Bernardum
à Quintaualle ipſius ſucceſſorem, *& filium dexteræ* 27
vocatum præ fratre Elia, qui non rectè in ſuo regimine
ſe geſſit. Et libro etiam, cui titulus eſt *firmamentum
trium Ordinum*, cum aliquot annis poſt Seraphici pa-
tris obitum conſcriptus eſſet, ſimiliter habetur vſque
ad id tempus laicos, ſicut & Clericos officia Ordinis
exercuiſſe. Reformatores Religionis numerantur frater
Gentilis de Spoleto, Frater Paulus de Trainchi, & Fra-
ter Thomas de Florentia, idiotæ quidem in mundana
ſapientia, ſed ſapientes in ſchola Chriſti, & laici, vt
ſcribitur. Illis adhæret Petrus de Melgar in Prouincia
Luſitaniæ Guardianus. Et plures alij ex reformatione
Patrum Capuccinorum. Demum ne actum agere vi-
dear, plena ſunt Annalia huius Sacræ Familiæ ſimilibus
Fratribus

Fratribus laicis ad Ordinis Officia aſſumptis. Conſola-
tur Reuerend. Pater Lucas Vuadinghus huius Sacræ
Religionis celebris Annaliſta.

28 Et quidni? Cum certò certius liqueat, Antonium,
Hilarionem, Pachomium, Benedictum, & mille alios
monachorum anteſignanos, laicos (conuerſos dicere
poſſumus) ſolùm extitiſſe, & cum hac ſimplicitate
Prælaturum dignitatem copulaſſe. *Communiter tunc
monachi etiam Abbates non erant Clerici*, inquit Suarez
3. tom. de Relig. lib.2. cap.18. num.8. Et quod mona-
chi ex ſua inſtitutione non eſſent Clerici, ſed laici, pro-
ut ex D.Dionyſio *cap. de Eccleſ. Hierarch.* habet idem
Suarez *ſuprà, lib.3. cap. 3. num. 9.* Ex his enim ſatis
congruè elicitur hos laicos Minoritas, ſicut propterea
non excluduntur à Monachatu, ſic neque à iure ha-
bendi vtramque vocem in Capitulis.

29 Nec obſtat in contrarium *cap. ex eo, de elect. in 6.* vbi
§. in Eccleſiis, ſic dicitur: *In Eccleſiis quoque regularibus
vel monaſteriis, hi qui non ſunt tacitè vel expreſſè pro-
feſſi, debent cum profeſſis, vel Conuerſi laici cum Clericis
30 electionibus intereſſe.* Nam præterquam quod dici po-
teſt ibi non eſſe ſermonem de conuerſis laicis Fratribus
& religioſis, quales ſunt ij de quibus eſt ſermo in præ-
ſenti, ſed per Conuerſos laicos intelligi alios qui in
monaſteriis Regularium eſſe ſolent ſub Tertiariorum
vel oblatorum nomine, qui verè Religioſi non ſunt,
ſed merè ſeculares & laici: vlterius etiam, & magis
forſan ad rem dici poteſt per hunc textum non excludi
vllo modo eas Religiones, quæ ex priuilegio, ſtatuto,
fundatione vel conſuetudine oppoſitum habent, qua-
lis in primis eſt Minorum Religio, quæ non ſolum
his modis, ſed ex Regulæ etiam præſcripto id habet.
Colligo hanc ſolutionem *ex cap. licet Romanor. de Con-
ſtitution. in 6.* vbi Bonifacius Octauus hæc definit:
31 *Quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingula-
rium conſuetudines & ſtatuta, cum ſint facti & in facto
conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare, ipſis, dum tamen
ſint rationabilia per Conſtitutionem à ſede editam (niſi
expreſſè caueatur in ipſa) non intelligitur in aliquo dero-
32 gare.* Et ex Regula illa, Non expreſſa non nocent, *ex
leg. nunquam, ff. de condition. leg. expreſſa 155. ff. de
regul. Iur.* ac ex Gloſſa huius *cap. Ex eo, verb. electioni-
33 bus*, vbi ſic habet: *Quid dices in quæſtione facti in ali-
quo Ordine, puta Humiliatorum, vel Sancti Marci, vel in
aliqua Eccleſia ſeculari præſcripſerunt laici Conuerſi, quod
debeant ad electionem admitti & vocari, per hanc Conſti-
tutionem Clerici nolunt eos admittere, quæritur quid iuris.
Dico quod de iure communi Conuerſi laici ad electionem
non admittuntur, vt hîc, ſed Decretalis iſta non tollit
ſpecialium locorum, Ordinum vel perſonarum conſuetudi-
nes præſcriptas.* Quæ etiam eſt doctrina Innocentij,
Friderici, Vitalini, Angeli, Sylueſtri, Tabienæ, &
aliorum quos referunt & ſequuntur Sigiſmundus *de
elect. dub.91.* Samuellius *de election. diſp.7. Controuerſ.2.*
& alij. Si dicatur hanc expoſitionem contrariam eſſe
34 textui *cap. Maſſana, de elect.* vbi Pontifex inquit: *Edi-
cto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pon-
tificis electio præſumatur. Quæ ſi fortè præſumpta fuerit,
nullam obtineat firmitatem, non obſtante contraria conſue-
tudine, quæ dici debet potius corruptela.* Facilè occurri-
tur (prætermiſſa conſideratione Suarez *4. tom. de Re-
35 ligion. tract.8. lib.2. cap.4. à num.4.*) ibi eſſe ſermonem
de laicis omnino ſecularibus, non de laicis religioſis,
ſeu quod idem eſt, ibi eſſe ſermonem de laicis profeſ-
ſione & habitu, non verò de laicis neque profeſſione,
neque habitu, quales ſunt Conuerſi Religionum. Ita
enim poſt Innocent. & Hoſtienſ. in capite ſecundo
de inſtitor. tradit Gloſſa *in d. §. In Eccleſiis*, in fine,
& poſt illos ex recentioribus Sigiſmundus & Samuel-
lius relati.

36 Pariter nec obſtat Clement. *Vt ij, de ætat. & qualitat.*
vbi Clemens Quintus in Concilio Viennenſi determi-
nauit: *Vt ij qui diuinis in Cathedralibus vel Collegiatis,
ſecularibus vel regularibus Eccleſiis ſunt mancipati offi-
ciis, vel mancipabuntur in poſterum, ad ſuſcipiendos ſa-
cros Ordines propenſius inducantur: ſtatuimus, vt nullus
de cætero in huiuſmodi Eccleſiis vocem in Capitulo habeat
(etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè concedatur) niſi ſaltem
in ſubdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus*, non ſolum
propter dicta ſupra, ſcilicet quod huiuſmodi decreto
non derogetur Regulæ, ſtatutis, conſuetudini, &c.
Sed etiam quia vt patet ex illis verbis, *ij qui diuinis*,
&c. *ſunt mancipati officiis, vel mancipabuntur*, &c. *ad
ſuſcipiendos ſacros Ordines promoueantur*, manifeſtum
eſt loqui de illis qui ſunt Clerici, aut Choriſtæ, vt
ita loquar: hi enim ſunt Clerici illi qui diuinis ſunt
mancipati officiis, & quos inducere ad ſuſceptionem
ſacrorum Ordinum intendit Concilium: non verò de 37
Conuerſis ſeu laicis fratribus, cum ipſi nec ſint man-
cipati diuinis officiis, nec expediat illos inducere ad
ſuſceptionem Ordinum, ſed potius quod maneant in
ſua vocatione. Vnde Gloſſa *ibid. verb. Mancipati*, ſic 38
clarè ad intentum: *In his ergo qui non ſunt deputati ad
diuina officia, quales ſunt Conuerſi vel profeſſi laici, præ-
cipuè in Eccleſiis regularibus nihil puto mutatum per hanc
Conſtitutionem, & ſic ſaluum manet quod notatur de elect.
c. ex eo quod, lib.6. in fin. Et ita ſeruatur: alias ſequeretur
quòd per hanc Conſtitutionem moniales non haberent vo-
cem in ſuis Capitulis, quæ propter ſexus fragilitatem non
ſunt capaces Ordinum.* Idem colligitur ex figura caſus
huius Clementinæ. Porro non fuiſſe in illa mentem
Papæ aut Concilij tollere vocem laicis fratribus Mi- 39
norum Ordinis, non incongruè elicitur ex eo quod in
alia Clementina ab eodem Papa & Concilio edita,
Clementina videlicet *Exiuis de Paradiſo*, non ſolùm
commendatur valde Regula S. Franciſci, latéque ex-
plicatur, ſed etiam, cum agitur de electione Miniſtro-
rum Generalium, vel Prouincialium, per Fratrum Ca-
pitula fieri decernit, nullo Clericorum, laicorumque
diſcrimine poſito, ſicut neque in ipſa Regula habetur.

Nec efficacius eſt id quod deſumitur ex Concilio 40
Tridentino *ſeſſ.22. cap.4. de reformat.* illis verbis: *Qui-
cunque in Cathedrali vel Collegiata, ſeculari vel regulari
Eccleſia diuinis mancipatus officiis in ſubdiaconatus Ordi-
ne ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in huiuſmodi Eccleſiis
in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ab aliis liberè fuerit
conceſſum.* Cum enim hoc Conciliare ſtatutum inno- 41
uatorium ſit Clement. *vt ij, de ætat. & qualit.* prout con-
ſtat ex verbis vtriuſque, & elicitur ex Stephano Vueyt-
nis & Barboſa *in Collect. Concilij ad hunc loc. num.1.* ex-
ponendum eſt ſicut ipſa Clementina. Vnde quemad-
modum de ea dixi, per ipſam non derogari Regulæ,
ſtatutis, conſuetudini, &c. ſic de iſto decreto Concilij
Tridentini declarauit S. Congregat. Cardinalium de 42
anno 1573. Gaſpari Paſſarello Generali Minimorum,
prout referunt Ioannes de Cruce *de ſtat. Relig. lib.2.
cap.3. dub.6. ad finem primæ concluſ.* Sigiſmundus & Sa-
muellius relati, videlicet quod per ipſum non deroge-
tur Conſtitutionibus Regularium. Et magis expreſſè
nullatenus eo decreto excludi Fratres laicos Ordinis
Sancti Franciſci, declarauit Pius V. modò referendus.

Hic enim Pontifex ſanctitate & pietate, maximè er- 43
ga Regularium Ordines omni æuo celeberrimus an-
no 1566. prout ex Bouerij annalibus & Conſtitutioni-
bus Patrum Capuccinorum quas referunt Sigiſmundus
& Samuellius relati, declarauit Fratres Clericos etiam
non ſubdiaconos ac etiam laicos poſſe habere vocem
in electionibus huius Religionis, non obſtante decreto
Concilij Trident. *ſeſſ.22. cap.4.* quod his verbis deſcri-
bitur. *I Chierici quantunque non ſiano ſubdiaconi, & an-
co i laici, poſſono hauere voce all'elettion per dichiaratione
e conceſſione di Pio V. di ſan. mem. non oſtante il decreto
del Concil. Trident. ſeſſ.22. cap.4. de reform.* Nec dicatur 44
huiuſmodi declarationem, eo quod viuæ vocis oraculo

Digitized by Google

facta ſit, nullius eſſe valoris, eo quod poſteriores Pon-
tifices, ſcilicet Gregorius decimuſquintus, & Vrbanus
VIII. omnia viuæ vocis oracula Religionibus à ſum-
mis Pontificibus prædeceſſoribus conceſſa diplomati-
45 bus datis reuocauerunt. Vt enim dixi *tom.1. ſumm.
cap.3.num.21. & infra, verb.Oracula viua vocis, num.5.*
per dictas Bullas Pontificias ſolum reuocata ſunt ea vi-
uæ vocis oracula, quibus aliqua gratia, priuilegium,
aut indultum Religionibus conceditur, non autem ea
quæ ſunt merè declarationes aut explicationes. Peiri-
nis *tom.2. priuileg. Minim.in Conſtit.8. Pauli V. num.1.*
Nouarius *in Lucerna Regular.verb. Priuilegia*, *num.5.*
Bordoous *reſol.31. num.7.* Cum ergo hoc viuæ vocis
oraculum nullam gratiam, priuilegium aut indultum
Religioni Minorum concedat, ſed ſolùm declaret ius
antiquum Religionis Regula & conſuetudine firma-
tum, nullatenus abrogatum cenſeri debet à Gregorio
46 Decimoquinto & Vrbano VIII. Nec refert quod idem
Vrbanus in Breui de anno 1637. pro Patribus Capu-
cinis dato præfatum viuæ vocis oraculum Pij V. con-
ceſſionem appellauerit; ex quo elici videtur non fuiſſe
meram declarationem iuris vocis actiuæ & paſſiuæ,
47 quod olim Fratres laici habebant. Reſpondeo enim
quod cum conceſſio ſit idem quod datio ſeu donatio
in bonum alterius, & declaratio hoc habeat, ideo ſal-
tem in lata ſignificatione poteſt vocari *conceſſio*, etſi
non in propria, quia vt ſic declaratio nihil noui con-
fert, aut facit, *l.heredes palam*, *§.ſi quid*, *ff.de teſtam.*
l.adeo, *§.videtur*, *ff.de adquir.rer.domin.* & aliis iuribus
& DD. apud Barboſam *axiom.66.*

48 Extat etiam prudens votum Sorbonenſis Acade-
miæ, in quo plura ex iis quæ adduxi continentur, &
ideo illud hoc loco referendum. *Nos in ſacra Theologia
Facultate Pariſienſi Doctores Sorbonici cenſemus Fratres
Minores Capucinos laicos iam inde ab inſtitutione ſui Or-
49 dinis, vt ſupponitur cap.ſeptimo Regula Sancti Franciſci,
accepiſſe ius actiua & paſſiua vocis, illudque perpetua
conſuetudine confirmatum etiam nunc retinere: iſti iuri
50 derogatum hactenus non eſſe Conſtitutione Gregorij IX. ob
hanc moderationem (niſi conſuetudine aliud fuerit introdu-
ctum) quia conſtat circa tempora Gregorij IX. ac deinceps
51 è Fratribus laicis Superiores fuiſſe: non item c.Ex eo, de
elect. in 6. cum in eo præterquam quod ſolos non Profeſſos
& Conuerſos ab electionibus excludit, ſpecialiter & ex-
preſsè non derogetur iſti iuri Fratrum laicorum, & tamen
per Conſtitutionem noviter editam, niſi expreſsè caueatur
in illa, locorum ſpecialium & perſonarum ſingularium con-
ſuetudinibus & ſtatutis non derogetur, cap. licet Romanus
de Conſtitut. in 6. Non denique Clement. 2. de ætat. &
qual. aut illo cap.4. ſeſſ.22. Concilij Tridentini, quibus
nihil ſtatuitur circa monaſticas & clauſtrales domos, ſed
tantum circa eos qui in Cathedralibus & Collegiatis Ec-
cleſiis, ſiue ſecularibus, ſiue regularibus diuinis Officiis
mancipantur, quos metu amittendi iuris actiua & paſſiua
vocis ad ſuſcipiendos Ordines induci conueniens fuit. Vn-
52 de cenſemus dictos Fratres laicos nihil præter ius &
æquum, ſed conuenienter iſto ſolicitudini facturos, qua con-
tenta ſuis regulis & ſeruata per conſuetudinem iura ſarta
tecta tranſmittere debent in futurum, ſi legitimis ac con-
53 gruentibus modis agant apud ſummum Pontificem, & ea
qua par eſt humilitate conſequi conentur; nec ius actiua
& paſſiua vocis è ſuis regulis & perpetua conſuetudine ad
eos tranſmiſſum, ſolum accepiſſe iudicentur à Pio V. viua
vocis oraculo, aut vi præfati Breuis ſummi Pontificis Vrbani
VIII. quod ius illud nomine priuilegij vocat, nec in poſterum
detrahatur. Actum Pariſiis in Sorbona, die 15. Septembris
anno Domini 1640.*

54 *Mulot Decanus Facultatis Pariſienſis & ſenior domus
Sorbonica.*

*N. Yſambert Doctor & Profeſſor. Regius in Theolo-
gia.*

*Tregor Doctor Sorbonicus ſacra totius Facultatis Syn-
dicus & Paſtor Eccleſia Parochialis S. Nicolai è
Cardineto Pariſienſis.*

*I. Charton Doctor Sorbonicus & Eccleſia Pariſienſis,
ſummus Pænitentiarius.*

*M. Grandin Doctor Sorbonicus & moralis Theologia
Profeſſor.*

Vela igitur colligendo, & ſub cenſura ſanctæ Sedis 55
Apoſtolicæ, ad quam huiuſmodi rei declaratio omni-
mode ſpectat, dicendum primò quoad vocem actiuam
iſtorum Conuerſorum, ſeu fratrum laicorum non vi-
deri inconueniens quod ipſam habeant in electionibus
ſuæ Religionis. Tum quia id ſatis congruum eſt Re-
gulæ & conſuetudini huius S.Familiæ. Tum etiam quia
id videtur intendiſſe S. Patriarcha Franciſcus qui ſpi-
ritu humilitatis ductus maximam in ſua Religione
æqualitatem introducere volebat. Tum prætereà quia
etiam eſt vſus Religionis Minimorum S. Franciſci de
Paula ex declaratione S. Congregationis in ſuperiori-
bus relata, prout colligitur ex Paſſarello *in priuileg.
Minimor. in annot. ſuper cap. Concilij Tridentini*, & Pe-
lizario *in Manuali Regularium*, *tom. 2. tract. 9. cap.2.
ſect.2. num.92.*

Cæterum loquendo de voce paſſiua dictorum fra- 56
trum laicorum diſtinguendum videtur. Vel enim eſt
ſermo de voce paſſiua ad Dignitates ſeu Prælaturas Re-
gulares, vel munera habentia curam animarum; vel
ſolum ad alia munera, quæ nec dignitates, nec Præla-
turæ ſunt, nec important curam animarum; qualia
ſunt Diſcretatus, Societatus, Diffinitoriatus, &c. &
de prioribus dicendum nullatenus ad illa habere debere
præfatos laicos vocem paſſiuam; bene tamen de poſte-
rioribus. Ratio primæ partis eſt *ex cap. Tuam, de æta-
te, & qualit.* vbi ad tales dignitates, &c. requiritur
quod eligendus ſit in ſacris, vel ſaltem poſtea conſti-
tuatur. Quod notant Butrius & Panormitanus *ibid.*
Biaxius *in direct. election. part.1. cap.9. num.1.* & Rota
deciſ.647. coram Seraphino, ac ſequuntur poſt alios
Sigiſmundus *ſupr. dub.45.* & Samuellius etiam ſupra
controuerſ. 3. Secundò ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24.
de reform. c.12.* ibi: *Nemo igitur deinceps ad dignitates 57
quaſcumque quibus animarum cura ſubeſt promoueatur, niſi
qui ſaltem vigeſimumquintum ſuæ ætatis annum attigerit,
& in Clericali Ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus
exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendc-
tur.* Etſi enim ſolum videatur loqui Concilium de Cle-
ricis, aut Eccleſiis ſecularibus, non de monachis aut
Eccleſiis Regularibus; nihilominus quia ſtylus Curiæ
& praxis Religionum eſt in contrarium, ideo illi ſtan-
dum. Eo præſertim quod veluti ex natura rei iſti ad
dignitates & Prælaturas Regulares aſſumpti debent ſal-
tem in multis caſibus confeſſiones ſubditorum audire,
prout colligitur ex decretis Clementis VIII. *ſuper ca-
ſuum reſeruatione*, ad quod requiritur Ordo nedum ſa-
cer, ſed etiam Sacerdotalis. Ratio verò ſecundæ partis 58
ſumitur ex oppoſito fundamento, & quia id nullo iure
communi prohibetur, nec ad illa exercenda requiri-
tur Ordo, cum ſolum importent meram adminiſtra- 59
tionem, ſeu iuriſdictionem externam, & in foro con-
tentioſo. Et quia iſto modo poſſet teneri media quæ-
dam via, quæ iuxta rectam prudentiam ſemper eſt ſe-
quenda, *§. penult. inſtit. Quibus ex cauſis manum. non
licet*, *§.Cum ex aliena*, *Inſtit. de rer.diuiſ.* Thomas de
Thomaſ. *in florib.leg. regul. 168.* Tuſchus *pract. Concl.
tom.5. lit.M. concl.170. per totam.* Videndi Sigiſmun-
dus & Samuellius relati, & doctiſſimi authores huius
Seraphicæ Religionis.

CREDO.

Quando debeat in Miſſis omitti, ſcripſi *tom.1.cap.21.
num.27.* Vide Barboſam *in Collectan. Bullarij*, *verbo
Credo.*

CRVX

CRVX QVOAD REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo non inferenda in Parochias pro defunctorum corporibus deferendis.*
An deferenda in proceſſionibus cooperta. ibid.
2 *An Cruces, vel noua inſignia ferenda in proceſſionibus.*
3 *Quomodo ponenda in altari.*
4 *Cruce pectorali qui poſſint vti.*

1 DE Cruce quomodo non inferenda à Regularibus in Parochias pro defunctorum corporibus deferendis, niſi ſub certis conditionibus à Sacrà Congregatione deſignatis, dixi *tom.1.cap.10.num.18.& tom.2.cap.1.num.31.* Similiter quomodo Crux non ſit deferenda à Regularibus in proceſſionibus publicis, niſi cooperta velo, ſeu panno, dixi eo *cap.10.num.19.* Pro quo extat declaratio Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan.Bullar.verb.Crux*, & apud Ioannem Nouarium *in Lucern. Regular. verb. Crux, num.1.* An etiam aliqui Prælati Regulares Cruces benedicere poſſint, dixi ſuprà verbo *Benedictio, & benedicere.*

2 Ex eiuſdem etiam Sacræ Congregationis declaratione habetur primò, non licere ferre in proceſſionibus Cruces, vel noua inſignia præter ſolitum. Secundò, Preſbyteros alicuius Parochiæ non poſſe Crucem propriam erigere in proceſſionibus, ſed incedere debere ſub Cruce Parochiæ. Tertiò, quod in funeralibus vna tantum Crux deferri debet, & illius Eccleſiæ ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interueniat Capitulum Cathedralis, ſub qua omnes funus aſſociantes incedere debent. Barboſa *ſuprà*. Apud quem, & Nouarium relatum de Cruce erigenda à Patribus Capuccinis.

3 Crux neceſſariò debet eſſe in Altari, vt in ipſo celebrari poſſit; ita enim habetur ex Regulis Miſſalium, & Cæremonialium, vſuque Eccleſiæ; licet hæc obligatio non videatur peccati mortalis, ſecluſo contemptu, cum res non ſit adeo grauis. Suarez *tom.3. in 3. part. diſput.80. sect.6.§ Quartò aduerte.* Bonacina *de Sacram. Eucharist. diſput.4. quæſt. vlt. punct.9. num.29.* Notant autem aliqui poſſe poni Crucem in Altari ornatam aliquibus paruis Reliquiis, quamuis ipſæ Reliquiæ aliàs poni non poſſent, eo quod non ſint approbatæ. Ratio eſt, quia tunc non ponuntur tales Reliquiæ propter ſe, aut vt adorentur, ſed per accidens ad ornamentum Crucis. Sanchez *tom.1. in Decalog. lib.2. cap.43. n.27.* Diana *part.5. tract. 5. reſolut. 34.* referens Caſtrum Palaum.

4 Poſſe Cruce pectorali vti aliquos Abbates ex priuilegiis ipſorum, habet Tamburinus *de Iure Abbat. tom.1. diſp.20. quæſit.1. num.14. & 24.* Nota tamen hæc priuilegia non communicari Prælatis Regularibus aliorum Ordinum, quantumvis communicationem generalem omnium priuilegiorum aliarum Religionum habentibus, propter dicta ſupra verbo *Altare, num.3.* & verbo *Baculus, num. 3.* ſcilicet, hæc priuilegia conceſſa eſſe Abbatibus, quia ipſi habent vſum Inſignium Pontificalium, vt Epiſcopi.

DARE, SEV DONARE QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
Qualiter donare ſit probibitum Regularibus à Clemente VIII. adhibita declaratione ſub Sanctiſſimo D. N. Vrbano. ibid.
2 *Quid prohibitum à Clemente VIII. & quibus perſonis.*
3 *Qualiter id prohibitum.*
4 *Bona ex quibus prohibita eſt donatio.*
5 *Prohibita eſt etiam donatio inter ipſos Regulares.*
Quomodo id intelligendum. ibid.
6 *Erogare, ſeu expendere in alicuius honorem, etiam ipſis prohibitum.*
Quid ex Declaratione ſub Sanctiſſimo Dom. Noſtro Vrbano. ibid.
7 *Caſus in quibus licet Regularibus munera largiri.*
8 *An in aliis caſibus id liceat.*
9 *An etiam quando propterea non diſſipantur bona Religionis.*
10 *Quid decernatur in Declaratione ſub SS. D. N. Vrbano.*
11 *Quomodo moderata Conſtitutio Clementis VIII.*
12 *Quæ notanda circa prædictam Declarationem.*
13 *Qualiter recipientes aliquid à Regularibus teneantur ad reſtitutionem.*
Quomodo id declaratum. ibid.
14 *Pœna impoſita contra Regulares aliquid donantes.*
15 *Qualiter illa intelligenda.*
16 *Quid ſi Religioſus ſucceſſiuè plura modica donauerit.*
17 *De abſolutione à prædictis pœnis.*
18 *Quomodo publicanda Conſtitutio Clementis, & Declaratio ipſius ſub Sanctiſſimo D.N.Vrbano.*
Quibus pœnis afficiantur non publicantes. ibid.
19 *De prohibitione contra dantes aliquid in Curia pro gratia, ſeu iuſtitia obtinenda.*
Conſtitutio Bonifacij VIII. ibid.
20 *Confirmatio ipſius à Greger. XIII.*
21 *Quomodo intelligendæ iſtæ Conſtitutiones.*
22 *Quas perſonas comprehendant.*
23 *Quid intelligitur nomine* gratiæ*, vel* iuſtitiæ.
24 *Quid per illud* apud Sedem Apoſtolicam.
25 *Quomodo id ampliandum.*
26 *An intelligatur Curia, & domus Papæ.*
27 *Quæ actiones ſint prohibitæ.*
28 *Pactum, ſeu promiſſio.*
29 *Receptio promiſſionis.*
30 *Dare quidquam ex pacto, ſeu promiſſione.*
31 *Recipere aliquid.*
32 *Quid per* paruum *intelligatur.*
33 *An facere promiſſionem de quacumque re ſit prohibitum.*
34 *An recipere promiſſionem.*
35 *An dare, ſeu recipere.*
36 *An dare ex liberalitate, ex conſuetudine, pro ſalario, &c.*
37 *An pro gratia, vel iuſtitia iam obtenta.*
38 *An non ſequuto effectu.*
39 *Pœna contra tranſgreſſores.*
Quis abſoluat ab illis. ibid.
40 *Cum qua conditione.*
41 *Gratia ſeu iuſtitia ſic accepta irrita ſunt.*
42 *Denunciari debent tranſgreſſores.*
43 *Actiones prohibitæ à Gregorio XIII.*
44 *Pœna contra tranſgreſſores.*
45 *Quomodo intelligendo.*

DE hac materia prout ſpecialiter ſpectat ad Regulares aliqua dicta ſunt in tomis præcedentibus. 1 Primò enim, quod illi nihil donare poſſint, dixi *tom.1. cap.6. à num.46.* præſertim 51. & *tom.2. cap.19. à num.54.* Similiter qualiter nihil poſſit dari aut recipi pro Ingreſſu Nouitij in Religionem, dixi eo *tom.1. cap.9. num.37. & cap.24. num.30.* Item de donationibus Nouitiorum qualiter, aut quomodo faciendæ.

ciendæ, eo *cap.* 14. *à num.* 52. Modo tamen duo præcipuè diſcutienda ſunt, primùm de donationibus Regularium prohibitis à Clemente VIII. in Conſtitutione *de largitione munerum*, quæ incipit *Religioſa*, anno 1594. 13. Kalend. Iulij edita, quæ habetur in 3. tom. Bullar. Laërtij inter Conſtitutiones Clem. VIII. *num.* 28. Etſi enim ea, vt dixi *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 55. multis in locis recepta non eſt, vel ſaltam non eo rigore quo verba ipſius ſonant; vt dixi *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 54. Nihilominus prætermittenda non eſt: tum quia inter magis timoratos eſt in vſu: tum quia videtur innouata in decretis Sacræ Congregationis *de Apoſtatis, & eiectis*, ſub SS. D. N. Vrbano, vt dixi dicto *cap.* 6. *num.* 55. Tum præcipuè, quia idem SS. D. N. Vrbanus nuper dum huic tomo Summæ edendo incumbebam, ſub die 16. menſis Octobris anni 1640. litteris datis in forma Breuis, confirmauit, & approbauit Declarationem quandam prædictæ Conſtitutionis Clement. VIII. factam à Congregatione nonnullorum Prælatorum Romanæ Curiæ ab ipſo SS. D. deputata, & coram Eminentiſſimo Cardinali S. Onuphrij habita, in qua præter alia inferiùs referenda de dicta Conſtitutione Clement. VIII. ſic habetur. *Quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas omnino obſeruari iubet, & quatenus opus ſit, innouat, quemcumque prætenſum non vſum, aut prætenſum vſum, ſeu prætenſam conſuetudinem damnando, & irritando.* Modo ergo his temporibus, excluſa quacumque non receptione dictæ Conſtitutionis Clementis, ſeu etiam conſuetudine in contrarium, idem Conſtitutioni ſtare debent Regulares omnes, iuxta Declarationes tamen dictæ Congregationis, quas ſuis locis inſerimus. Secundum, de quo agetur in præſentia, erit de donationibus, & promiſſionibus pro gratia ſeu iuſtitia obtinenda in Curia iuxta Conſtitutiones Bonifacij VIII. Gregor. XIII. & Clementis VIII. In quibus etiam ſpecialis mentio fit ipſorum Regularium.

2 Quoad primum ergo Clem. VIII. in dicta Conſtitutione verbis relatis dicto *cap.* 19. *num.* 55. Regularibus perſonis vtriuſque ſexus omnem, & quamcumque largitionem interdicit. Vnde quoad perſonas quibus interdicitur hæc largitio, comprehendit Conſtitutio hæc omnes Religioſos, & Religioſas, non tamen milites Regulares, vt patet ex contextu, & dixi *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 20. nec etiam Tertiarios, Pinzocheras, Oblatos, ſeu Oblatas non emittentes tria vota, quia tales vere Religioſi non ſunt, maximè quoad hæc odioſa. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo dare, in expoſit. huius Bullæ*, §. *& dum dicitur.* Bartholomæus à Sancto Fauſto *in Theſauro Relig. lib.* 8. *quæſt.* 105. Nec etiam Nouitios, aut Nouitias, propter eandem rationem. Idem *quæſt.* 106. Secus dic de eo qui facta profeſſione in vna Religione tranſiuit ad aliam, in qua eſt Nouitius. Ille enim verè eſt profeſſus prioris Religionis. Bonacina *in tract. de largitione munerum, punct.* 2. *num.* 5. Comprehendit etiam Religioſos, ſiue Religioſas extra clauſtra exiſtentes, quia locus non eximit ab obſeruantia Conſtitutionis Pontificiæ. Sorb. *ſuprà*, §. *ſed illa perſona.* Bartholomeus à Sancto Fauſto *ſuprà*, *quæſt.* 107. Quid ſentiendum de Religioſis habentibus beneficia Eccleſiaſtica, dixi *tom.* 2. *cap.* 18. *num.* 33. De Epiſcopis autem Religioſis dicendum non comprehendi hac Conſtitutione, quia ipſi habent tam liberam adminiſtrationem bonorum ſui Epiſcopatus, quam alij Epiſcopi non Regulares, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. *&* 6. An verò poſſint teſtari, agunt Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regularium*, *quæſt.* 69. *art.* 4. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 10. & alij. De quo alibi.

3 Quoad modum etiam largiendi interdicitur prædictis aliquid elargiri, prout ait Pontifex in Bulla, *directè, palam, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quouis Statuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptela, aut alio prætextu, vt quacumque cauſa.* Et infrà *non ſolum per ſe, ſed etiam per alios.* Vnde fit quod Regulares commodantes, vel mutuantes aliquid animò non repetendi, vel etiam condonantes aliquod debitum, tranſgrediantur hanc conſtitutionem, quia hoc eſt indirectè donare. Sorbus *ſupra, verſ. Tertia generalitas.* Regulares autem vendentes aliquam rem etiam infimo pretio, probabile eſt non tranſgredi dictam Conſtitutionem, ac per conſequens quod poſſunt Moniales, verbi gratia, res quas elaborant vendere exiguo, ſeu infimo ſui laboris pretio contentæ, quia non alienant aliquid adquiſitum Monaſterio, quod ſolum videtur prohiberi dicta Conſtitutione, ſed tantum non adquirunt id quod poſſent adquirere. Bonacina *ſupra, punct.* 1. *num.* 5. Diana *part.* 1. *tract.* 6. *de paupert. Religioſ. reſol.* 6. Tamburinus *de Iure Abbatiſſar. diſp.* 9. *quæſit.* 2. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 60. An verò poſſint Religioſi ſæcularem volentem illis dare aliquid, rogare vt det, verbi gratia, conſanguineo ſuo, dixi *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 47. Vide de hoc Soſam *in explicat. huius Bullæ, num.* 73. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcept. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 18. & Diana *ſuprà, reſolut.* 8.

Bona porro ex quibus largitio hæc prohibetur, vt 4
conſtat ex verbis Bullæ, quæ dicto *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 54. retuli, ſunt bona, ſiue communia Monaſteriorum, ſiue particularia Religioſorum, aut quomodocumque eis applicata ſeu appropriata, & quocumque etiam modo ab illis adquiſita. Exiſtimat autem Beia *in reſponſionibus caſ. conſcient. part.* 5. *caſu* 32. primò, Religioſum de iis quæ poſſidet ſæculiſte Sedis Apoſtolicæ poſſe ad libitum diſponere in licitos, & honeſtos vſus, & de his donare abſque ſuorum Superiorum licentia, præſertim intuitu pietatis, quia bulla ſolum loquitur de donatione eorum quæ ſunt ſubiecta reuocationi, & diſpoſitioni Prælatorum, qualia non ſunt ea quæ Religioſus poſſidet de indulto Sedis Apoſtolicæ. Hæc tamen ſolum ſunt vera, quando Papa concederet liberam adminiſtrationem independenter à Prælatis Religionis, quod rarò contingit. Quando enim penſionem, vel peculium Religioſo concedit, ſolum illi tribuit vſum illius, non diſpenſando in voto paupertatis, neque in iſta Conſtitutione Pontificia. Secundò ait Beia, quem ſequitur Diana *ſuprà, reſol.* 19. quod ſi ea quæ Religioſus adquirit, dentur ſibi à Prælato ad proprium vſum, ita vt de illis neque Prælato, neque Conuentui rationem reddat, ſed ſuo commodo, & damno impendat, poteſt tunc totum quod parcè viuendo ſibi detrahit, pio fine aliis donare. Nam ſi ea poteſt in vſus corporis conuertere, multo magis in vſus animæ. Vnde infert, quod quando Prælati Mendicantium concedunt Magiſtris ſui Ordinis, qui cathedras in publicis Vniuerſitatibus regunt, redditus omnes ipſarum ad vſum proprium, poſſe illos de iis quæ parcius, & Religioſius viuendo ſibi ſuperſunt, conſanguineis pauperibus ſubuenire. Hoc tamen non placet Bonacinæ *ſuprà, punct.* 2. *num.* 4. & ait, quod Beia nimium laxare videatur habenas in hac materia, eo quod cum Religioſo non detur libera adminiſtratio illorum bonorum, ſed tantum limitata pro ſui ſuſtentatione, & victu, non poteſt illa in alios vſus expendere, niſi ſeruatis ſeruandis. An vero ſaltem per modum eleemoſynæ iſtæ donationes licitæ ſint, inferius dicetur.

Prohibetur etiam in hac Conſtitutione quæcumque 5
largitio, ſeu donatio munerum inter ipſos Religioſos, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 54. Quia tamen huius prohibitionis cauſa aſſignatur à Pontifice, *Ne praua ambitione impulſi pro conſequendis in ſua Religione gradibus, & dignitatibus, alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur.* Ideo probabile eſt, non incurrere pœnas huius Conſtitutionis Religioſos qui alio titulo, præterquam dictæ ambitionis aliis Religioſis munera donant. Lex enim fundata in præſumptione ceſſat, quando ceſſat ipſa præſumptio, *leg. ceſſante, de Appellat.*

Appellat. Diana *ſuprà, reſolut*.18. Tamburinus *ſuprà, diſput*.9. *quaſit*. 9. poſt Ioannem Valerum *in different. vtriuſque fori, verbo munera, num*.82. Requiritur tamen licentia Prælati implicita, vel explicita, generalis, vel ſpecialis, iuxta leges, vel conſuetudines Religionum. Tamburinus *ſupra*. Quia vero in eadem Conſtitutione Clementis dicitur licentiam iſtam, quæ requiritur ad largitiones iſtas munerum inter ipſas perſonas Religioſas debere eſſe *in ſcriptis*, ideo in Declaratione, de qua ſupra *num*.1. dixi factam fuiſſe à Congregatione Prælatorum ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, declaratur, quod quando non eſt ſuſpicio ambitionis ſufficiat licentia *etiam ore tenus* conceſſa. Quo denotatur, quod ſi ſit talis ſuſpicio (intellige rationalis, & cum fundamento) requiratur dicta licentia etiam *in ſcriptis*. Nota etiam ex eodem Clemente ſolum debere eſſe *rerum minimarum*, vt in eius Conſtitutione dicitur.

6 Prohibentur etiam Regulares erogare, ſeu expendere pecunias in alicuius honorem, illis verbis. *Inſuper prohibemus ne vnquam eiſdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam benefactoris aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occaſione tranſitus, vel primi ingreſſus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi teſtificationem, ſeu pro prædictis perſonis quauis auctoritate, ſeu dignitate fulgentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, ſeu pro quibuſuis conuiniis eiſdem, aut cuiuis alteri quacumque occaſione, vel cauſa exhibendis, vel pro comeſſationibus, aut compotationibus quibuſuis perſonis tam eiuſdem Ordinis, Congregationis, Monaſterij, Domus, aut loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis ſpectaculis etiam piis intra Eccleſiam, Monaſteria, & domos ſacras, ſeu pias, vel extra eas, in quibuſuis publicis, aut priuatis, ſacris aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctorum vita aut res piè geſtæ etiam in memoriam paſſionis dominicæ populis ſpectanda proponuntur, aut alias in prædictis, ſiue in quibuſuis rebus ſupernacaneis, ad pompam, & oſtentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus*. Ex eo autem quod Pontifex addit verba illa *honorificè, lautè, & opiparè*, probabiliter colligitur non interdici Regularibus præbere prandia, ſeu conuiuia moderata, & honeſta, dictis, vel aliis perſonis benemeritis. Soſſa *in expoſitione huius Conſtitutionis, num*.91. Tamburinus *ſuprà, quaſit*.3. *num*.11. & 12. Cui conſonat ſupradicta Declaratio ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, in qua ſic habetur ad intentum. *Comeſſationes autem, compotationes, & conuiuia in excipiendis præſertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, de quibus in §.5. & 6. eiuſdem Conſtitutionis, cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentia ſtatus Regularis aduerſentur*. Vbi notanda illa vox *præſertim*; ea namque denotatur idem dici debere etiam reſpectu aliarum perſonarum ſimilium; cum illa tamen conditione *ſi decentia*, &c.

7 Sunt tamen aliqui caſus in ipſa Conſtitutione contenti, in quibus licita eſt Regularibus largitio, ſeu donatio monetarum, etiam ſtando in terminis ipſius, (nam quid ſentiendum ſit ſuppoſita Declaratione Congregationis ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro, de qua ſupra, inferius *num*.10. dicetur.) Primus quando fit propter cauſam, quæ in *Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re maturè diſcuſſa, vnanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu approbata fuerit*. Vnde non ſufficit ea cauſa, quæ ſolùm approbata eſt in Capitolo Prouinciali, aut aliquo diſſentiente, aut ſi non fit pro ipſius approbatione vltra conſenſum Capitularium permiſſio Superiorum. Sorbus *ſupra*, §.*primus caſus eſt*. Bonacina *ſupra, punct*.1. *num*.7. Secundus, quando ea quæ donantur ſunt *leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuſcula, communi tantum, nunquam vero particulari nomine (vbi Superiori de conſenſu Conuentus videbitur) tradenda*. Circa quem obſerua primò, quod licet per leuiora iſta eſculenta aut poculenta intelligant aliqui cum Sorbo *ſuprà*, §.*Tamen contrarium*, & Bartholomæo à Sancto Fauſto *ſuprà, quaſt*.218. ea quæ non attingunt valorem rei, quæ in furto induceret peccatum mortale, verbi gratia, valorem trium iuliorum, alij vero dicant intelligi ea quæ intra duos, vel tres dies conſumuntur, melius tamen dicitur id relinquendum arbitrio boni viri habita conſideratione dantis, & recipientis. Ioannes Valerus *ſuprà, num*.59. Diana *ſuprà, reſolut*.13. Per ea etiam intelligi poſſunt, & cum eadem licentia, res medicinales leuiores, quæ etiam eſu, aut potu ſumuntur, vt ſunt petræ Bexoar, pulueres, liquores, &c. Bonacina *ſuprà, num*.9. Per *ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuſcula*, intelligi poſſunt libelli aliquot deuoti, thecæ Reliquiarum, Imagines, Roſarij, *Agnus Dei*, & ſimilia exigui pretij, quæ dari poterunt ex prædicta licentia, Sorbus *ſupra*, §. *& aduertendum*. Obſerua ſecundo, probabile eſſe caſus prædictos exceptos in hac Conſtitutione extendi etiam ad ſimiles: ita vt Religioſi poſſint etiam leuiora alterius generis ex eadem licentia Prælatorum dare. Diana *ſupra, reſolut*.7. ex Ioanne de Cruce, Soſſa, & Scortia. Obſerua tertiò, hanc licentiam largiendi huiuſmodi leuiora ſufficere quod ſit data ſemel pro ſemper, ne obtundantur aures ſuperiorum, Sorbus *ſuprà*, §.*Hæc autem licentia*. Tertius, quando aliquid expenditur *pro diuino cultu*, v. g. pro apparatu diei feſti, Euchariſtia exponenda, proceſſionibus, &c. Bonacina *ſuprà, num*.10. Quartus, quando datur aliquid in eleemoſynam *pro veris Chriſti pauperum indigentiis, ſeruato in hoc charitatis ordine, & habita neceſſitatis ratione, de conſilio, & conſenſu Superiorum ſublenandis*. Eleemoſyna enim eſt opus pium, & aliquando debitum. Tamburinus *dicto quaſit*.3 *num*.13. & 14. ex Riccio, Soſſa, & aliis. Notat autem Pontifex pro duobus caſibus præcedentibus permitti in illis dictas expenſas, ſeu largitiones munerum *alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale non prohibitis, vel taxam ibi forſan præſcriptam non excedentibus*. Quintus eſt pro hoſpitalitate, præſertim erga pauperes, & peregrinos, iuxta modum in ipſa conſtitutione præſcriptum. Pro quo vide auctores relatos, præſertim Sorbum *in* §.*vltimus caſus*.

Sunt etiam alij caſus non comprehenſi in Bulla, quibus etiam licitè donare poſſunt, accedente licentia ſuperioris, Regulares. Primus quando non eſt mera donatio, ſed alius contractus, puta venditionis, locationis, mutui, vel commodati, ſeruatis aliàs ſeruandis, ſi talis res alienari non poſſit. Hi enim contractus non ſunt donationes liberales, quæ ſolæ in Bulla prohibentur. Bartholomæus à S.Fauſto *ſup. quaſt*.217. Secundus, quando datur aliquid titulo gratitudinis in recompenſationem beneficiorum. Talis enim donatio non eſt gratuita, & liberalis, de qua ſolum eſt ſermo in Bulla, ſed antidoralis, & aliquo modo debita, ſcilicet in recompenſationem beneficiorum, præſertim quia gratitudo iure etiam naturæ eſt debita hominibus, *l. ſi non forte, ff. de condict. indeb. & l. ſi non ſit, ff. de petit. hæred*. Vnde non eſt credendum prohiberi à Pontifice. Sorbus *ſup*. §, *Item alius caſus*, Bartholomæus à S.Fauſto *ſup*. Bonacina *ſup. punct*.3. *num* 2. Nec obſtat quod in verbis adductis *num*.6. expreſsè dicatur *in alicuius etiam benefactoris, &c. aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi teſtificationem*. Reſpondent enim prædicti auctores ibi ſolum id prohiberi erga Superiores, Protectores, Generales, &c. Sed quia ibi dicitur *benefactoris*, quod eſt nomen commune aliis, ideo commodius credo reſponderi poſſe iuxta ibi dicta, ſolum prohiberi prædicta, quando non 8

ſunt

fiant moderatè, & honeſtè, ſed lautè, opiparè, & honorificè, vt ibi notatur in ſequentibus. Similiter, quia lex gratitudinis poſtulat, quod plus reddatur quàm ſit acceptum, ex S. Thoma 2.2. *quæſt.*106. *art.*6. ideo aliquid pluſquam acceperit (moderatum tamen ad arbitrium prudentis viri) poterit Religioſus ex prædicta licentia largiri. Ioannes Valer. *in different. vtriuſque fori, verbo Munera, num.*97. Diana *ſuprà, reſol.*16. alios referentes. Vnde inferunt plures ex relatis auctoribus poſſe Regulares famulis, medicis, procuratoribus, aduocatis, & ſimilibus fideliter inſeruientibus, dare aliquid vltra ſalarium, vel recognitionem fidelitatis, vel vt fidelius agant, vel etiam ad redimendam vexationem, quæ eſſet ſi malè ſe gererent. Idem etiam dicunt de Monialibus dantibus ſuo Confeſſario aliquid vltra aſſignatum ſtipendium, Bartholomæus à S. Fauſto *ſuprà.* Tamburinus *ſuprà, quæſit.*8. Semper tamen in his caſibus præſupponenda eſt licentia ſuperiorum. Tertius caſus, in quo Regulares etiam poſſunt dare aliquid, præſuppoſita dicta licentia, eſt quando id datur alteri à quo maiores eleemoſynæ ſperantur. Quia hæc donatio non eſt gratioſa, cum intendat compenſationem, imò taliter dare potius eſt recipere, vel diſponi ad recipiendum, quam dare. Diana *ſuprà, reſol.*15. Etſi oppoſitum teneat Bonacina *ſuprà, punct.* 3. *in fine.* Quartus caſus aſſignari poteſt, & frequens valdè, quando ſcilicet Religioſus accipit aliquam pecuniam à ſæculari diſponendam nomine illius inter quoſcumque voluerit. Sed de hoc, quamuis dixerim *tom.*1. *cap.*6. *num.* 39. probabilius eſſe non poſſe fieri à Religioſo, nihilominus ſatis eſt probabile contrarium, & in praxi ſecurum, ſi fiat de licentia ſuperiorum. Bartholomæus à S. Fauſto *dicto lib.*8. *quæſt.*108. Tambur. *ſup.*
9 *quæſt.*6.

Addunt etiam aliqui, generaliter loquendo licitum eſſe Regularibus aliquid largiri quoties non diſſipantur bona Religionis, nec eſt occaſio ambitionis. Ita Diana *ſup. reſol.*35. ex Granado. Sed quia hæc regula ampla ſatis eſt, & multis periculis expoſita, & ex alia parte quæcumque donatio à Religioſo facta, ſit aliqualis diſſipatio bonorum Religionis, cum quidquid Monachus adquirit, ſint bona Religionis, ideo regulis ſupra adductis ſtandum erit, in vi conſtitutionis Clementis.

10 In declaratione tamen Congregationis ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, de qua ſupra *num.*1. & cui his temporibus ſtare debemus, hæc habentur, quibus tam ea quæ dicta ſunt circa Clementis conſtitutionem, quam quæ dicentur, valdè elucidantur. *Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. coram Eminentiſſimo Cardinali Sancti Onuphrij maiori Pœnitentiario, ac Vrbis Prouiſario deputata, authoritate ſibi attributa declarat, munera à Religioſis vtriuſque ſexus tribui poſſe ex cauſis gratitudinis, conciliationis, beneuolentiæ, eiuſque conſeruationis erga ipſam Religionem, vel Conuentum, aliiſque cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſtè tamen, ac diſcretè, & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu maioris partis Conuentus, ſi talis conſenſus de iure, vel ex conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cuiuſque Religionis reſpectiuè, in huiuſmodi caſibus requiratur. Conſenſum vero conuentus, in §. eiuſdem conſtitutionis, ad leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem, & Religioſitatem pertinentia munuſcula largienda, &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu alias de iure requiſito, & vbi concurrit ambitionis ſuſpicio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis, in §. eiuſdem Bullæ requiſitam, ſed ſufficere licentiam obtentam eiſdem conceſſam, declarat.* Hæc ibi.

11 Ex quibus iam patet qualiter id quod habetur in dicta conſtitutione Clementis, & quod retuli *num.*7. de cauſa propter quam concedi debeat Regularibus licentia largiendi munera, ſcilicet quod ſit approbata *in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione,* &c. moderatum & coarctatum ſit, ita vt ſufficiat licentia Superiorum localium, &c. cum conditionibus aſſignatis. Patet etiam, qualiter illud conſenſu Conuentus requiſito *ad leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem,* &c. *pertinentia munuſcula*, tribuenda, de quo eo *num.*7. etiam dixi, moderatum quoque ſit, & reſtrictum ſolum ad conſenſum de iure requiſitum, & vbi concurrit ambitionis ſuſpicio. Patet ſimiliter, qualiter id quod dixi *num.*8. de largitione munerum titulo gratitudinis maximè procedat in vi dictæ declarationis, vt conſtat ex illis verbis, *Ex cauſis gratitudinis*, &c. Idem dico de eo quod eodem *num.*8. dictum manet de largitione munerum illis à quibus maiores eleemoſynæ ſperantur.

Circa prædictam tamen Declarationem Congregationis Prælatorum ſub Sanctiſſ. D. N. aliqua expendenda ſunt. Primum, quod cum in ea concedatur facultas Regularibus munera largiendi ex cauſis *actum virtutis, & meriti continentibus*, &c. ſub hac clauſula, cum ampliſſima ſit, comprehendi non ſolum actum charitatis erga Deum, & proximos, ſed etiam pietatis erga parentes, eleemoſynæ erga pauperes, beneficentiæ erga proximos, & ſimiles; hi enim omnes ſunt actus virtutis. Secundum quod illa particula *ex ſua natura*, denotari videtur, quod quamuis aliqui ex prædictis actibus aliqua mala circumſtantia, finis, &c. vitientur, ſi tamen ex ſua natura, id eſt ex parte ſui obiecti ſunt actus virtutis & meriti, liceat munera elargiri ex illis. Tertium, quod illa particula *localium*, cum agitur de ſuperioribus, quorum licentia requiritur ad hoc quod Regulares poſſint donare, non eſt limitatiua, ſed potius ampliatiua. Hoc eſt, quod per illam denotatur, quod non requiratur ad id licentia Capituli Generalis, aut maiorum Superiorum, ſed ſufficiat *Superiorum localium.* Ita enim accepi à Viro quodam docto, qui prædictæ Congregationi aſſiſtit, & hanc eſſe ipſius mentem mihi dixit. Quartum quod illæ clauſulæ, *ſi talis conſenſus de iure requiratur*, vel *de conſenſu alias de iure requiſito*, appoſitæ maximè videntur ad denotandum hanc largitionem munerum Regularibus promiſſam de ſola licentia *Superiorum localium*, eſſe ſolum rerum mobilium non pretioſarum. Nam ad largitionem rerum immobilium, ſeu mobilium pretioſarum Eccleſiaſticarum, cum ſit quædam alienatio ipſarum, requiritur de iure conſenſus Capituli, ſeu maioris partis ipſius, *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.*2. *cap.*1. *de reb. Eccleſ. non alienand. in* 6. *& authent. hoc iure, de ſacroſanct. Eccleſ.* & notant communiter Doctores, ſpecialiter Panormitanus *in cap. nulli, de reb. Eccleſ. non alienand. & cap.*1. *de his, quæ fiunt à Prælat. & in cap. tua cum Apoſtolica, de reb. Eccleſ. non alien.* Syluester *in Summ. verb. alienatio, quæſt.* 2. *num.* 3. Quaranta *in Summ. Bull. verbo alienatio, num.* 4. Vide dicta 2. *tom. ſumm. cap.* 19. *num.*62.

Recipientes autem quicumque illi ſint, etiamſi Cardinales, vel Protectores fuerint, aut in quacumque alia dignitate conſtituti, aliquid à Religioſis in caſibus quibus ipſi dare prohibentur in Bulla Clementis, tenentur ad reſtitutionem rei acceptæ. Ita vt reſtitutione ipſa realiter non facta, neque in foro conſcientiæ abſolui poſſint. Ita enim decernitur expreſsè in Bulla. Vnde fit, quod abſolutio ante exhibitam actualem reſtitutionem ſoli Papæ reſeruata ſit. Bonacina *ſuprà, punct.*4. *num.* 5. Limita tamen modò pœnitens moraliter ſatisfacere poſſit, alias abſolui poterit data cautione de reſtitutione facienda, quando commodè poſſit. Præcepta enim Eccleſiæ benignè interpretari debent. Bonacina *ibid. num.*3. Tenentur autem ad reſtitutionem ante Iudicis ſententiam, quia hæc reſtitutio non tam eſt pœna, quàm obligatio ex natura rei orta, poſito 13

quod

Digitized by Google

quod Religioſus dare non potuit. Sorbus *ſuprà*, §. *nunc tertiò*. Bartholomæus à S.Fauſto *ſupra*, *quæſt*.225. Porrò reſtitutio facienda eſt non ipſi Religioſo, qui dedit, ſed Monaſterio de cuius bonis facta eſt donatio, vel ſi non de eius bonis facta eſt, illi Monaſterio, in quo Religioſus profeſſionem emiſit, vel ſi nomine alicuius communitatis facta eſt, ipſi Communitati, nunquam tamen nec qui donauit, nec aliqua Communitas Ordinis remittere poteſt hoc debitum, aut recipientem ab onere reſtituendi eximere, aut concedere, quod in pauperes id erogetur. Ita enim habetur expreſsè in Bulla. Bartholomæus à S.Fauſto *ibid.quæſt*.226. Additur autem circa hoc in prædicta declaratione ſub Vrbano, *Reſtitutionem vero receptorum Conuentibus faciendam, de qua in* §. 7. *ibidem cautum eſt, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data, donata, ſeu miſſa de iure pertinent, ſi id commodè fieri poteſt, alias Conuentui eiuſdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit abſolutio, reſtituantur*. Huic ergo diſpoſitioni hoc tempore ſtandum eſt.

14 Pœnæ autem impoſitæ contra Religioſum donantem ſunt priuatio eo ipſo dignitatum, graduum, munerum, & officiorum, inhabilitatis ad ea, & alia quæcumque, perpetua infamia, priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ abſque vllo Superioris decreto, & quod procedi poſſit contra eum tanquam contra furti, & ſimoniæ criminum reum. Ita enim habetur in Bulla. Circa quæ primò obſeruandum, quod per dignitates, & gradus, &c. intelligitur id quod dixi *tom*.1. *cap*.10. *num*.32. Quidquid alij dicant. Secundò, quod quamuis in Bulla dicatur has pœnas incurri *eo ipſo*, & *abſque vllo Superioris decreto, aut miniſterio*, & *ipſo facto*, nihilominus ſatis probabile eſt, iuxta dicta *tom*. 1. *eo cap*.10. *num*.31. requiri aliquam ſententiam criminis, aut delicti declaratoriam, prout etiam indicant Sorbus *ſuprà*, §. *circa quas*, Bartholomæus à Sancto Fauſto *ſuprà*, *quæſt*. 230. & probabile reputat Bonacina *ſuprà*, *punct*.5. *num*.3. Tertiò, quod circa diſpenſationem in huiuſmodi pœnis videnda ſunt quæ dixi *tom*.1. *eo cap*.10. *num*.35. & *cap*.18. *num*.46. An vero aliqui etiam Confeſſarij poſſint in eis diſpenſare, vide dicta ſupra verbo *Confeſſarius Regularis*, *num*.8. & 32. Et nota, quod Bartholomæus à S. Fauſto *ſuprà*, *quæſt*. 22. dicit, quod per priuilegium Pauli III. conceſſum Patribus Ieſuitis, de quo egi dicto loco, poſſunt Confeſſarij gaudentes tali priuilegio abſoluere à dictis pœnis, quia in eo priuilegio datur facultas abſoluendi ab omnibus pœnis. Pro quo vide dicta ibidem.

15 Quia autem prædictæ pœnæ rigidiſſimæ ſunt, & pœna debet eſſe proportionata culpæ, ideo ſine dubio non pro quacumque largitione, ſeu donatione munerum, etiam contra Bullam facta, illæ incurrentur. Quare probabile valde mihi eſt, quod etſi Religioſus donans ſine licentia rem eius valoris, quæ eſt ſufficiens materia in furto ad peccatum mortale, peccet mortaliter contra votum paupertatis, iuxta dicta *tom*.1. *cap*.6. *num*.57. non tamen incurret pœnas huius Bullæ, niſi donatio ſit duorum aureorum. Ratio eſt, quia ita declarauit ipſemet Clem. VIII. viuæ vocis oraculo Claudio Aquauiuæ Generali Societatis Ieſu, habetque fundamentum hæc declaratio in ipſo iure, in quo ſumma duorum aureorum dicitur modica, *l.ſi oleum* 15. §. *fin. iuncta l.ſequent.* vbi Gloſſa, *ff. de dolo*, cum Felino *in cap. interfeciſti*, *de homicidio*. Filliucio *tom*. 2. *tract*.34. *cap*.3. *quæſt*. 9. *num*.65. & aliis quos citat, & ſequitur Diana *ſuprà*, *reſol*. 5. Ad minus videtur ſtandum huic taxæ, vbi legitimus Superior aliud non determinauerit, prout in aliquo loco eſt factum. Bonacina *ſuprà*, *punct*.5. *num*.6.

16 An verò huiuſmodi pœnæ incurrantur à Religioſo, qui non ſemel, ſed ſucceſſiuè plura modica donauit, quæ tandem perueniunt ad dictam quantitatem notabilem, videtur philoſophandum, vt dixi *tom*.1. *cap*.6. *num*.58. de quo etiam Bonacina *ſuprà*, *num*.7. & 8.

Maximè tamen notanda, quæ circa abſolutionem à prædictis pœnis ſtatuuntur in Declaratione adducta ſub SS. D. N. Vrbano, his verbis: *Inſuper eadem facultate ſibi tributo, omnes qui hucuſque aduerſus ſupradictæ conſtitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuſcumque in eadem conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere à propriis Confeſſariis abſolui in foro conſcientiæ, etiam non facta prius huiuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos vero qui præter modicum prædictum grauiori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori Pœnitentiariæ, vt de præteritis vſque ad diem data præſentium, in foro conſcientiæ abſoluat, diſpenſet, & condonet, ſeu abſolui, diſpenſari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit.* 17

Vult etiam Pontifex Clemens in fine Bullæ, quod eius exempla, ſeu illorum compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monaſteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales in vernaculum, & vulgarem cuiuſque regionis verſa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, ſubſcripta inſerantur, & ſaltem quotannis in Capitulis, ſiue Congregationibus cuiuſque earum, alta, & intelligibili voce legantur. Hæc tamen vix obſeruantur, vt notat Ioannes Valerus *ſupra*, *verbo munera*, *num*.106. forſan quia Pontifex ſolum vſus eſt verbo *volumus*, quod non ſolet ad culpam obligare. Cæterum, quod attinet ad publicationem dictæ Conſtitutionis Clementis, ipſiuſque interpretationem, hæc præcipiuntur in præfata Declaratione. *Et ne prædicta Clementis VIII. Conſtitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuſcumque Monaſterij, Conuentus, Domus, ac Collegij Regularis ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo iure incurrenda efficere teneantur, vt in perpetuum ſingulis annis menſe Ianuario non ſolum prædicta Conſtitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas omnino obſeruari iubet, & quatenus opus ſit innouat, quemcumque prætenſum non vſum, aut prætenſum vſum, ſeu prætenſam conſuetudinem damnando, & irritando) verum etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltem in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus, quam laicis cuiuſcumque ſint Ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non comprehenderentur, prædictam Clementis Conſtitutionem contra præſentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.* 18

Circa hanc materiam pro caſu quodam particulari interrogatus reſponſum dedi tenoris ſequentis, de qua aliqua ex his quæ in ſuperioribus ſunt dicta, magis innoteſcent.

Ad dubium mihi propoſitum, an videlicet Moniales quædam, quæ tempore profeſſionis ſuis bonis renunciantes in fauorem fratris ipſarum ſub onere quod ipſis ſoluerentur ab eo quotannis decem ſcuta pro ipſarum neceſſitatibus, poſſint cum licentia Monaſterij & Epiſcopi remittere ipſi, vel eius hæredibus partem aliquam dictarum pecuniarum, quas ipſæ conſentientes non receperunt, ſic reſpondendum cenſeo.

Et primò quidem quod attinet ad futuram receptionem dictorum veluti redituum, non poſſunt ipſis renunciare ſine aſſenſu Sedis Apoſtolicæ. Sunt enim veluti quidam cenſus vitalitius, qui inter bona immobilia computatur. *Clement. exiuit de Paradiſo*, §. *Cumque annui redditus*, *de verb. ſignificat.* Abbas *in capit. Nulli*, *de reb. Eccleſ. alien.* Quaranta *in Summ. Bullar.*

verb. Alienatio, *num.* 26. Bordonus *controu.* 26. *num.* 40. & dixi *verbo Alienare*, *num.* 7. Nec dici poteſt præfatam ſummam decem ſcutorum pro re modica haberi poſſe iuxta *Can. Terrulas* 52. 12. *quæſt.* 2. Etſi enim ſolum pro vna vice aut paucis aliis ſumma decem ſcutorum pro modica haberi poſſet, multiplicata tamen per multos annos, in quibus præfatæ Moniales ſuperſtites eſſe poſſent, eſt magna ſumma pecuniarum, ac proinde, & quia eſt res immobilis, non poteſt alienari ſine præfata ſolemnitate propter extrauag. *Ambitioſæ*, Pauli II. & plura alia decreta vulgaria.

Cæterum loquendo de fructibus decurſis non plene ſolutis dicendum attendendum eſſe ad quantitatem ipſorum, & qualitatem, ſeu facultates dicti Monaſterij. Si enim fuerint in magna quantitate reſpectiue ad dictum Monaſterium, qualitatem, & facultates ac neceſſitates ipſius, non poteſt fieri talis remiſſio, aut tranſactio, inconſulta Sede Apoſtolica, bene tamen ſi penſata dicta quantitate, & præfatis qualitatibus Monaſterij, non fuerit magna, ſed parua. Ratio eſt non ſolum quia in primo caſu tales redditus, etiamſi non ſint bona immobilia, cenſentur tamen bona pretioſa, quæ eodem pacto prohibentur alienari, Sede Apoſtolica inconſulta, in dictis Iuribus. Secunda, quia hic intrat Conſtitutio Clementis VIII. *de largitione munerum prohibita Regularibus* ſub grauiſſimis pœnis in ipſa contentis. Accedente etiam declaratione quadam cuiuſdam Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. præſente Eminentiſſ. Cardinale Sancti Honuphrij, vbi ſic habetur: *Authoritate ſibi attributa declarauit & declarat munera à Religioſis vtriuſque ſexus tribui poſſe ex cauſis gratitudinis, conciliationis, beneuolentiæ, eiuſque conſeruationis erga ipſam Religionem, vel Conuentum, aliiſve cauſis ex ſui natura actum virtutis & meriti continentibus, modeſtè tamen & diſcretè, & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu maioris partis Conuentus, ſi talis conſenſus de iure, vel ex Conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus eiuſdem Religionis reſpectiuè in huiuſmodi caſibus requiratur.* Ex quibus elicitur tota noſtra deciſio. Si enim tales redditus fuerint in magna quantitate reſpectiuè ad qualitates dicti Monaſterij, non poterit dici hæc donatio fieri *modeſtè & diſcretè*; prout in hac declaratione dicitur; bene tamen ſi fuerint in parua ſeu mediocri quantitate. Ad quod etiam conſiderari poteſt qualitas conſanguinitatis & paupertatis debitorum; quia tunc maxime cohærebunt verba illa, *aliiſve cauſis ex ſui natura actum virtutis & meriti continentibus*. Siquidem ſubuenire conſanguineis actus pietatis eſt, & ſubuenire egenis actus eleemoſynæ & miſericordiæ.

Cum autem in iſta declaratione requiratur ad hanc largitionem munerum Superiorum localium licentia ac conſenſus maioris partis Conuentus, ſi talis conſenſus in huiuſmodi caſibus in Religione requiratur, ideo hoc obſeruandum in præſenti. Itaut requiratur licentia Epiſcopi, ſi ille fuerit ſuperior talis Monaſterij; ſecus autem ſi Monaſterium exemptum fuerit ab Epiſcopis, vt contra Peregrinum *in Compendio Priuilegiorum*, *verbo Alienatio*, *dubio nono*, probat ex multis Bordonus *dicta controuerſ. vigeſimaſexta*, *numero vigeſimoquarto*.

19 Circa ſecundum, quod propoſui tractandum ſub hoc verbo *dare*, ſcilicet de prohibitione Pontificia, quæ eſt contra dantes aliquid in Curia pro gratia, ſeu iuſtitia obtinenda. Notandum, Bonifacium VIII. in Extrauaganti *Excommunicamus*, quæ habetur inter Extrauagantes communes *in tit. de excommunic. cap.* 1. quæ etiam extat *in* 1. *tom. Bullar.* Laertij inter Conſtitutiones ipſius Bonifacij *num.* 1. ſic ſtatuiſſe: *Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, omnes clericos, Religioſos, & laicos vtriuſque ſexus, ſiue ſint familiares Curiæ, ſiue alij vndecumque, qui aliquod pactum fecerint, ſeu aliquod paruum, vel magnum promiſerint, vel promiſſione receperint, aut ex pacto, ſiue promiſſione occulta vel manifeſta facta ſub generalibus, & plenariè non expreſſis, ſiue ſit ſub ſpecialibus, & expreſſis apertè verbis, quicquam dederint, aut receperint, magnum vel paruum, vel promiſſionem de quacumque re aut vtilitate propter hoc conſequenda fecerint, vel receperint, pro aliqua iuſtitia, ſiue gratia pro ſe aut pro alio in cauſis, vel iudiciis, ſeu alias per litteras Apoſtolicas, & quibuſque modis apud Sedem Apoſtolicam obtinenda. Et hanc ſententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes, duximus extendendam. Illos quoque qui aliquem ſciuerunt culpabilem in prædictis, & nobis intra dierum trium ſpatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, ſimili decernimus ſententiæ ſubiacere. Decernimus etiam vt nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum abſque ſpeciali mandato noſtro abſolutionis beneficium valeat obtinere, niſi forſan ad Nos habere acceſſum non poſſet in mortis articulo conſtitutus; nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur, niſi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur. Iuſtitiam vero, ſiue gratiam ſic obtentam nullius prorſus eſſe momenti volumus, omnique ſtatuimus carere effectu, & robore firmitatis. Sed ſcienter vtentes ipſis ſimili ſententia excommunicationis aſtringimus, & reſeruantes Nobis abſolutionem eorum cum præmiſſis, in omnibus ad pœnas ſimiles obligamus.*

Quæ Conſtitutio, licet vt aliqui volunt, reuocata fuerit à Clem. V. nihilominus poſtea confirmata, & aucta fuit à Gregorio XIII. in Bulla ab ipſo anno 1574. edita, quæ eſt in 2. tom. Bullar. Laërtij inter Conſtitutiones huius Pontificis *num.* 24. vbi poſt relata verba Conſtitutionis Bonifacij ſubdit: *Sed hoc ſcelus ita hodie in mores inductum eſt, vt plerique cupiditate improbi quæſtus, potentiorum ſuffragationibus adnixi, huiuſmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpiſſimè nundinentur; alij alios quos gratia præſtare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant. Quidam etiam ſe talium operam atque induſtriam pretio, & muneribus quæſiſſe affingant. Quæ cum peſſima ſint, & Curiæ prædictæ exiſtimationem grauiſſimè offendant, in eos qui talia agunt animaduertendum fore arbitrati, Conſtitutionem prædictam cum ſuis cenſuris, & pœnis innouamus, eoſdemque omnes extendimus ad audientes qualecumque horum facinorum, quæ adſcripſimus, danteſque illis, & aliis ſupradictis auxilium, conſilium, vel fauorem. Quin etiam eos omnes omni beneficio, & officio Eccleſiaſtico, & ſæculari, ſiue temporali, ſiue perpetuo, ipſo iure priuamus, ac priuatos eſſe declaramus, & præterea infamia ſubiectos perpetuò, ac inhabiles ad illa, & alia eſſe volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris ſint exemplo. Illis tamen qui rem adhuc ignotam, compliceſque, fautores, & ſocios retexerint, impunitas concedatur.* 20

Pro quarum Conſtitutionum declaratione aliqua enodanda ſunt. Primum, contra quas perſonas ſint factæ, ſeu quas perſonas afficiant: ſecundum, quid in illis nomine *gratiæ*, vel *iuſtitiæ* intelligatur: tertium, quid per *Sedem Apoſtolicam*; quartum quæ actiones in eis prohibeantur, vel præcipiantur: quintum, quas pœnas incurrant tranſgreſſores. 21

Circa primum ex verbis Conſtitutionis Bonifacij colligitur, omnes, & quoſcumque, ſiue clericos, ſiue laicos, ſiue Regulares, ſiue ſæculares ipſa comprehendi. Dubitatur autem de Dominis Cardinalibus, an etiam ipſi hac lege comprehendantur; & licet plures affirmatiuè reſpondeant (Gloſſa in hac *Extrauag. Bonifacij*, Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 92. §. *hac Extrauagans*) 22

eo

eo quod ipſi etiam ſint Clerici, & quia lex generalis omnes ligat, *cap.1. de conſtitut.* præſertim cum ſecundum aliquos actiones in hac Conſtitutione prohibitæ, lege naturæ vetitæ ſint; nihilominus, licet in hoc attendi debeat ad praxim Curiæ, præcipuè S. Pœnitentiariæ, vt dixi ſupra verb. *Cardinalis*, *num.8.* ſatis probabile mihi eſt non comprehendi hac lege, tum propter dicta ibidem, tum quia cum Cardinales ſint perſonæ ſpecialiſſima nota dignæ, non cenſentur comprehendi in iis odioſis, niſi exprimantur, præſertim quia cùm Pontifices in ſuis Conſtitutionibus eos comprehendere intendunt, addere ſolent illa verba, *cuiuſcumque dignitatis, gradus vel præeminentiæ*, quæ in Conſtitutionibus iſtis Bonifacij, & Gregorij non ſunt. Idem etiam non omnino improbabiliter dici poteſt de Epiſcopis (etſi oppoſitum communius, & verius dicatur cum Gloſſa ſupra) propter ferè ſimilem rationem, & quia ipſi *cap. periculoſum, de ſentent. excommunicat. in 6.* excluduntur à generalibus ſententiis ſuſpenſionis, & interdicti, niſi exprimantur. Caſu autem admiſſo quo tam Cardinales quam Epiſcopi includerentur ſub hac lege, id ſolum eſſet limitandum ad pœnas illis non indecentes, ſcilicet excommunicationis, nullitatis obtentorum, reſtitutionis, &c. non ad alias rigidiores, ſcilicet priuationis beneficiorum, &c. infamiæ, &c. Nauarrus *in comment. de datis, & promiſſis, in 4. tom. operum ipſius, Romæ* 1588. *num.*11. Naldus *in ſumma, verbo Gratia, num.*14. Aide, hoc intelligendum eſſe de conſtitutionibus Bonifacij & Gregorij relatis, non de alia Clement. VIII. *Pro commiſſa*, anno 1593. in 3. tom. Bullar. Laërtij, inter conſtitutiones ipſius *num.*10. vbi pœnas dictarum conſtitutionum extendit ad cæterentes ſimiles actiones circa bona pertinentia ad aliquam communitatem, ciuitatem, ſeu locum Status Eccleſiaſtici. Ibi enim vtitur his verbis extenſiuis ad *perſonas etiam ſpeciali nota dignas*. Quibus procul dubio Cardinales, & Epiſcopi denotantur. Naldus *ſuprà*. Papa autem nullo modo includitur in his legibus, quatenus important aliquid ſupra ius diuinum, aut naturale, quia ipſe eſt ſupra totum ius poſitiuum. Bonacina *de legib. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 8. §. *incidenti* 17. Quod idem dicendum de illo, qui exerceret aliquam ex his actionibus cum ipſo Pontifice, vel cum aliquo miniſtro ipſius, Papa expreſſè vel tacitè conſentiente, quia tunc præſumeretur diſpenſare, aut abrogare illas. Molina §. *illud enim admittendum*. Bonacina *ſuprà*.

23 Circa ſecundum, nomine *gratiæ*, intelligitur quidquid gratioſè à Sede Apoſtolica concedi ſolet, qualia ſunt abſolutiones, diſpenſationes, Indulgentiæ, & ſimilia, ſiue per Breuia, ſiue ſolo verbo, aut quocumque alio modo, vt patet illis verbis Bullæ *per litteras Apoſtolicas, & quibuſcumque modis*. Nauar. *ſup. n.*29. Azor. *tom.*3. *Inſtit. moral. lib.*11. *cap.*23. *quæſit.*6. Nomine verò *Iuſtitiæ*, intelligi videtur quidquid à Iudice in cauſis, vel iudiciis effici ſolet, vt ſunt ſententia, liberatio à carcere, abſolutio à pœna, prorogatio, vel negatio termini, dilatio, vel anticipatio ſententiæ, vel quid ſimile, etiamſi arbitrarium ſit Iudici. Propterea enim Pontifex vſus videtur illis verbis *in cauſis, vel iudiciis*, quia hæc, & ſimilia in illis effici ſolent. Nauar. *ſuprà*, *num.*17. Azor. *ſuprà*. Farinac. 3. *part. crimin. quæſt.*151. *num.*339.

24 Circa tertium, videlicet quid intelligatur illis verbis Bullæ *apud Sedem Apoſtolicam*, Nauar. *ſup. num.*29. Molina etiam *ſup.* §. *Iam verò*. Naldus in ſumma *verbo verba*, *num.*3. intelligunt per illam Summum Pontificem, non vt Principem temporalem in Vrbe, & aliis Ciuitatibus, ſed ſolum vt habet iuriſdictionem Spiritualem à Chriſto acceptam; ac per conſequens etiam intelligunt miniſtros ipſius, non prout eſt Princeps temporalis, ſcilicet Gubernatores Vrbis, vel Burgi, Iudices Capitolij, Clericos Cameræ, &c. ſed quatenus ſolum habet iuriſdictionem dictam Spiritualem, videlicet Summum Pœnitentiarium, Datarium, Vicarium, Auditores Rotæ, Camerarium, &c. Alij verò per *Sedem Apoſtolicam*, intelligunt Summum Pontificem vtroque modo conſideratum, & miniſtros ipſius ſecundum vtramque conſiderationem. Azor. *ſup. punct.*7. Bonac. *ſup. num.*4. referens Filliucium, & alios; quamuis autem vtraque ſententia ſatis probabilis ſit, adhærendum tamen puto priori, vtpote quæ non ſolum benignior eſt, ſed quia magis conformis proprietati verborum; Sedes enim Apoſtolica propriè, & formaliter ſumpta ſolum importat poteſtatem ſpiritualem, qualis fuit in Apoſtolis, non temporalem, verba autem propriè, & formaliter accipienda ſunt, *l. in delictis*, §. *extraneus*, *ff. ad legem Aquiliam*.

Nota tamen quod id quod dicitur de Sede Apoſt. & miniſtris ipſius, etiam intelligendum eſt de aliis qui gratia, fauore, vel potentia valent apud illos, ita vt qui cum iſtis paciſcitur de aliqua re danda, vel dat, & ipſi qui recipiunt, pœnis harum conſtitutionum afficiantur. Nauar. *ſup. num.*16. 25

Nomine etiam Sedis Apoſtolicæ intelligi debet Curia, & domus ipſius Papæ, ſiue ipſe ſit ibi, ſiue non; hoc enim denotat Gregorius in Conſtitutione relata, dum in ipſius initio dixit: *Ab ipſo Pontificatus noſtri principio quammaximè poſſumus enitimur, atque contendimus, vt domus, & Curia noſtra à ſordibus expurgetur*. Nauar. *ſupra*, *num.*29. Molina *ſuprà*, §. *deinde*. Non tamen intelliguntur Sedis Apoſtolicæ nomine, quoad præſens ſpectat, Auenio, Ancona, aut alia loca vbi ſunt Legati, aut Delegati Papæ, & in quibus ipſe non eſt. Illa enim non ſunt Curia, aut domus Papæ. Nauarr. *ſuprà*, *num.*29. Molina *ſuprà*. Multo minus intelliguntur Epiſcopi, Legati, Nuncij, Collectores, Inquiſitores, aut alij ſimiles extra Curiam exiſtentes, propter eandem rationem. Bonac. *ſuprà*, *num.*5. Hæc tamen intelligenda ſunt de relatis conſtitutionibus Bonifacij, & Gregorij. Loquendo enim de conſtitutione Clementis VIII. quam *ſupra num.*22. retuli, ea extenditur ad delinquentes in actionibus prohibitis in dictis conſtitutionibus circa bona communitatum ditionis ſtatus Eccleſiaſtici, *non ſolùm apud Sedem Apoſtolicam, ſed in quibuſvis tribunalibus, & eorum quibuſcumque Iudicibus, etiam laicis Almæ Vrbis, ac tam in Romana Curia, quam extra eam in quibuſlibet temporali ditioni noſtræ mediatè, vel immediatè ſubiectis, Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, terris, & locis*, vt ait Pontifex. Naldus *in ſumma, verbo gratia*, *num.*14. *in fine*. Vide etiam pro explicatione huius conſtitutionis Clem. VIII. Theſaurum *in prax. part.*2. *verbo munera*, *cap.*7. 26

Circa quartum de actionibus, de quibus eſt ſermo in his conſtitutionibus, notandum præcipuas ipſarum, ſcilicet aliquid dare, promittere, paciſci, recipere, ſeu acceptare promiſſionem pro gratia, ſeu iuſtitia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam, vetitas eſſe iure diuino, vel naturali, & eſſe prohibitas, quia malas, non è contra malas, quia prohibitas. Id enim colligitur, tum ex verbis conſtitutionis Gregorij, quibus intentum ipſius declaratur, ſcilicet vt *domus, & Curia noſtra à ſordibus expurgetur*. Peccata enim *ſordes* appellantur ſacræ Scripturæ phraſi Apoc. vltim. v. 11. illis verbis: *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*. Tum etiam ex illis eiuſdem conſtitutionis, *quæ cum peſſima ſint, & Curiæ prædictæ exiſtimationem grauiſſimè offendant*, quæ etiam idem denotant. Tum quoque, quia vel ſunt ſimoniacæ, vel ſaltem contrariæ bono regimini Sedis Apoſtolicæ. Nauarrus *ſup. num.*4. Molina etiam *ſuprà*, §. *Nauarrus*, *ibid*. Dixi præcipuas ipſarum, quia aliquæ illarum, ſcilicet denunciare intra triduum Sedi Apoſtolicæ delinquentes, & reſtituere accepta, non videntur iure naturæ, aut diuino præceptæ. Bonacina *ſuprà*, *num.*7. 27

28 Ergo prima actio prohibita in Conſtitutione Bonifacij VIII. etiam à Gregorio XIII. innouata, eſt pactum, ſeu promiſſio dandi aliquid, ſiue paruum, ſiue magnum pro obtinenda aliqua gratia ſeu iuſtitia, ſiue pro ſe, ſiue pro alio apud Sedem Apoſtolicam. Oportet autem ad hoc quod ſic paciſcens, vel promittens incidat in pœnas harum Conſtitutionum, quod verè, & ex animo promiſerit; promiſſio enim ficta non eſt promiſſio niſi ore tenus, ac per conſequens ſic promittens non erit obnoxius quoad Deum pœnis harum Conſtitutionum. Dixi quoad Deum, quia quoad forum externum, quod non iudicat de occultis, ſed de externis, cenſebitur illis obnoxius. Peccat tamen grauiter ſic faciens, tum quia in re graui decipit proximum, tum quia illum inducit ad peccandum, ſcilicet ad dandum dictam gratiam, vel iuſtitiam propter rem de qua eſt ipſum pactum, vel promiſſio. Bonacina *ſuprà*, *num.*8. Credo autem incurri has pœnas etiamſi promiſſio acceptata non ſit, Pontifex enim, vt patet ex verbis Conſtitutionis Bonifacij diſtinguit promiſſionem à receptione promiſſionis, & vtramque actionem diſtinctè prohibet. Molina *ſuprà*, §. *Cum omnes*. Etſi oppoſitum teneat Bonacina *ſuprà*, *num.* 9. Quando etiam hæc promiſſio fieret à promittente animo ſe obligandi ſolum ex gratitudine, licet Nauarrus *ſuprà*, *num.*4. §. *Ad tertium reſpondeo*, dicat non incurrere has pœnas, probabilius tamen cenſeo contrarium, quia talis promiſſio ex natura ſua inflectit Iudicem, vel collatorem gratiæ, ſeu iuſtitiæ ad eam concedendam intuitu illius, quod eſt contra intentionem Pontificum in dictis Conſtitutionibus. Molina *ſuprà*, §. *Vnde quod*, Azor *ſup.* §. *ſed mox.* Secus dicendum quando promiſſio fieret per verba vrbanitatis ſolum abſque intentione aliqua ſe obligandi, quia talis promiſſio, & talia verba in communi modo loquendi nullam obligationem inducunt, nec multum mouent. Molina *dicto* §. *vnde quod*. Bonacina *ſuprà*, *num.*10. Qui verò nihil diceret, ſed in depoſitum poneret aliquid tribuendum, incurreret has pœnas, quia vt ait Gloſſa huius Extrauag. Bonifacij *verſ. ſub generalibus*, talis dicit, *quia facta loquuntur*. Non verò incurreret has pœnas, qui ſolum promitteret orare Deum, vel Sanctos pro collatore gratiæ, vel iuſtitiæ; huiuſmodi enim promiſſiones licitæ ſunt, & piæ, nec ſunt pretio æſtimabiles. Nauarrus *ſup. num.*53. & 58.

29 Secunda actio prohibita in Conſtitutione Bonifacij, & Gregorij eſt receptio promiſſionis pro gratia, ſeu iuſtitia dicto modo obtinenda. Quod continget non ſolum quando collator gratiæ ſeu iuſtitiæ intuitu promiſſionis ſibi factæ eam conferret (Molina *ſup.* §. *His ita.* Bonac. *dicto num.*10.) ſed etiam, vt credo, quando verbis, vel ſignis promiſſionem illi factam acceptaret, hoc enim eſt recipere promiſſionem.

30 Tertia actio prohibita in his Bullis eſt dare ex pacto ſeu promiſſione occulta, vel manifeſta, facta ſub generalibus, & plenariè non expreſſis, ſiue ſub ſpecialibus, & expreſſis apertè verbis, aliquid ſiue magnum, ſiue paruum pro gratia, ſeu iuſtitia, vt dictum eſt, obtinenda. Molina *ſuprà*, *dicto* §. *His ita.* Quæ explicanda eſt de promiſſione prout ſupra, & de donatione cuiuſcumque rei, ſiue ſit pecunia, ſiue quidquam aliud, cum Pontifices generaliter loquantur. Nauarr. *ſuprà*, *num.*55.

31 Quarta actio præcedenti correſpondens eſt recipere aliquid ex dicto pacto, & promiſſione, quæ eodem modo ſicut præcedens, exponenda eſt, vt credunt relati auctores.

32 Cum autem Pontifices prohibent in his Conſtitutionibus promittere, dare, vel recipere aliud, ſiue magnum, ſiue paruum, pro dicta gratia, ſeu iuſtitia obtinenda, notandum, quod illo verbo *ſiue paruum*, non intelligitur res tam parua, quæ ad minus non ſit ſufficiens ad peccatum mortale. Excommunicatio enim, & aliæ pœnæ impoſitæ in his Conſtitutionibus cadere non poſſunt niſi ſupra peccatum mortale, peccatum autem mortale requirit materiam grauem. Vnde dans, vel recipiens rem modicam, quæ non ſit materia peccati mortalis, non incurrit dictas pœnas, quamuis intentio dantis, vel accipientis mortifera aliàs ſit. Nauarrus *num.*20. Molina §. *verum verò*, & alij. Quanti autem valoris debeat eſſe talis res, vt incurrantur iſtæ pœnæ, licet Bonacina *ſuprà*, *num.*13. dicat, ſufficere quod ſit eius valoris quæ ſufficeret in furto ad peccatum mortale, melius tamen Nauarrus, & Molina *ſup.* Azor. *ſup.* §. *Tertiò quæritur*, & alij tenent arbitrio boni viri relinquendum id eſſe, vt penſatis circunſtantiis dantis, & recipientis, videat an valor illius rei ſufficiens ſit ad mouendum animum collatoris gratiæ aut iuſtitiæ, vel ad ipſam conferendam.

33 Quinta actio in eiſdem Conſtitutionibus prohibita, prout patet ex Conſtitutione Bonifacij VIII. eſt facere promiſſionem de quacumque re, aut vtilitate conſequenda propter dictam gratiam, vel iuſtitiam obtinendam. Et ne dicamus iſtam actionem coincidere cum prima, ac per conſequens ſuperfluè poni à Pontifice, dicendum eſt, per primam denotari promiſſionem dandi aliquid quod veniat in manus collatoris, v.g. pecuniam, veſtem, &c. Per quintam verò denotari promiſſionem alicuius, quod etſi non veniat ad manus illius, eſt tamen ipſi vtile, aut commodum, v.g. facere iter pro ipſo, & ſimilia. Indicant hoc Nauarrus *ſuprà*, *num.*58. Bonacina *ſup. num.* 11. Loquendum autem eſt de hac promiſſione ſicut de prima, propter eandem rationem.

34 Sexta actio pariter in his Conſtitutionibus vetita, eſt receptio huius promiſſionis, quæ quidem intelligenda eſt cum proportione ad ipſam promiſſionem, & loquendum de ea ſicut dixi *ſuprà* de ſecunda actione.

35 Septima actio, ad quam etiam extendunt Pontifices prædictam excommunicationem, eſt dare: & octaua, eſt recipere aliquid, videlicet pro iuſtitia vel gratia obtinenda. Cum autem huiuſmodi actiones aſſignentur vt diſtinctæ ab aliis ſimilibus, ſcilicet tertia, & quarta, de quibus *ſuprà*, neceſſe eſt dicere, duas illas actiones, ſcilicet tertiam & quartam importare dare, & recipere ex pacto, & promiſſione, vt ibi dixi; duas verò iſtas, ſcilicet ſeptimam, & octauam importare, dare & recipere ſimpliciter, etiam ſine pacto, aut promiſſione, Nauarrus *ſuprà*, *num.*71. Bonac. *ſuprà*, *num.*14. referens Bocacium, & Farinacium.

36 Dixi ſemper *pro gratia vel iuſtitia obtinenda*, quia ſi aliquis promittat, det, vel recipiat aliquid etiam ex pacto, & promiſſione, non pro ipſa gratia, & iuſtitia obtinenda, ſed alia iuſta cauſa, non incidet in pœnas harum Conſtitutionum, cum leges non ſint extendendæ vltra propriam verborum ſignificationem: iſtæ autem ſolùm dicto modo loquuntur. Bonacina *ſuprà*. Hinc primò non incurret illas, qui ob meram liberalitatem, & beneuolentiam ſine vllo reſpectu ad gratiam, vel iuſtitiam obtinendam dederit, propter rationem dictam. Nauar. *num.*36. Azor. *quæſit.*2. Nec qui dat, vel recipit ſportulas, propinas, vel xenia conſueta in Curia: eo enim ipſo quod ſunt conſueta, cenſentur iure debita. Molin. *ſuprà*, §. *Quando aliquid*. Bonacina *ſuprà*. Nec qui dat aut recipit aliquid pro ſalario, vel ſtipendio iure, vel conſuetudine debito Aduocato, Notario, Aſſeſſori, Procuratori, ſeu Solicitatori. Nauarrus *num.*56. & 32. Molina *ſuprà*. Pro hoc tamen, & præcedenti caſu aduertendum, quod ſi datur aliquid vltra id quod iure, vel conſuetudine eſt debitum, & id detur pro gratia, vel iuſtitia obtinenda, incurrentur pœnæ, ſecus ſi liberaliter donetur. Bonacina *ibid.* Nec qui dat ſolum ad redimendam iniuſtam vexationem in iure iam acquiſito. Nauarrus *num.* 16. Azor. *quæſit.* 2. Nec qui dat ad recompenſandum aliquod damnum, quod vel

Notarius,

Notarius, vel Procurator, aut Solicitator paſſi ſunt, vltra id, quod tenebantur, hoc enim etiam eſt debitum. Bonacina *ſuprà*. Idem dicit Nauarrus *num.* 16. de eo qui dat, vel promittit aliquid Iudici, vt cauſam citius expediat. Sed oppoſitum tenet Bonacina ex Farinacio *ſuprà*, *num.* 350. quia hoc eſt dare pro gratia, vel iuſtitia.

Porrò id quod dixi, videlicet, quod qui aliquid donant in Curia ad redimendam vexationem ſibi illatam in iure iam acquiſito, non incidunt in pœnas Conſtitutionum Bonifacij VIII. & Greg. XIII. *contra dantes pro gratia, ſeu iuſtitia obtinenda*: de hac re conſultus idem aſſerui, ſequutus non ſolum Nauarr. & Azor. relatos, ſed etiam Bonacinam *de legibus*, *diſp.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 8. *incidenti*, *num.* 14. referentem etiam Molinam, & Farinacium, contra Virginium Bocacium 3. *part. de pactis*, *num.* 96. Et ratio eſt, quia talis datio non eſt neque pro gratia, neque pro iuſtitia abſolutè, ſed ſolum pro redemptione vexationis, quæ illata eſt habenti ius iam acquiſitum in re illa. Deinde, quia etiam dum traditur pecunia pro redemptione vexationis, quam quis patitur circa rem ſpiritualem, non committit ſimoniam, prout ex pluribus Doctoribus affert idem Bonac. *de ſimonia*, *quæſt.* 6. *punct.* 5. tum quia ſic colligitur ex *cap. dilectus*, *de Simon.* tum quia in tali caſu temporale traditur pro temporali, non pro ſpirituali; ipſa enim vexatio eſt temporale impedimentum, ſimonia autem non committitur, dum temporale traditur pro temporali; ergo idem in præſenti dicendum. Ad quod accedit, quod qui dat aliquid pro redimenda tali vexatione in iure ſibi iam acquiſito, vel in re quam poſſidebat, dat illud pro conſeruatione rei ſuæ. Conſeruatio autem ſui, & ſuorum iure naturali eſt licita, *l. vt vim*, *ff. de iuſt. & iur.* & *l.* 1. & *tot. tit. de furt. adiunct. cap. olim*, & *toto tit. de reſtit. ſpol.* & *cap. dilecto*, *de ſent. excommun. lib.* 6. ex quibus ortum eſt illud Catonis, *Rem tuam cuſtodi.* De quo Nauarrus *in commentario de datis*, & *promiſſis pro iuſtitia*, *vel gratia obtinenda*, *num.* 16. fundans ſe in Panormitani doctrina. Et addens benè, id intelligi debere in foro conſcientiæ, non in foro exteriori. Addit etiam Bonacina *ſuprà*, id intelligendum ex parte dantis, non ex parte accipientis; quia eſto quod dans, ſeu donans excuſetur propter dictam vexationem redimendam, ille tamen qui accipit, cum nullam habeat iuſtam rationem accipiendi, nullo pacto excuſari poteſt.

37 Dixi etiam ſemper *pro gratia*, *vel iuſtitia obtinenda*, quia ſi quis det vel recipiat aliquid poſt gratiam, vel iuſtitiam obtentam, titulo ſcilicet gratitudinis, vel alio titulo honeſto, non incurret pœnas harum Conſtitutionum, quæ ſolùm ſunt taxatæ pro traditione, vel receptione, &c. pro gratia, vel iuſtitia obtinenda. Nauarrus *ſuprà*, *num.* 31. Niſi id dirigat ad aliam gratiam, vel iuſtitiam in poſterum obtinendam, quia iſte reuera comprehenditur in his legibus. Nauarrus *ſuprà*, Bonacina *ſuprà*, *num.* 15. Aut niſi talis donatio, vel receptio fit ob præuiam promiſſionem, aut pactum. Tunc enim etiam comprehenderetur. Nauarrus *n.* 25. Molina *ſup.* §. *Porrò qui*. Azor. *ſup. quæſt.* 4. Nota tamen, quod ſi gratia, vel iuſtitia obtenta, fuerit materia Simoniæ, dans aliquid pro ipſa, vt pretium, erit Simoniacus, & pœnas etiam Simoniæ incurrit. Azor *ſuprà*.

38 Nota etiam, pœnas harum Conſtitutionum incurri per quamlibet ex actionibus prædictis, etiam non ſecuto effectu obtentionis gratiæ, vel iuſtitiæ. Ratio eſt, quia licèt regulariter loquendo ad incurrendam aliquam cenſuram requiratur actus completus, & conſummatus, nec ſufficiat conatus, aut actus imperfectus, hinc enim excommunicatio *cap. ſi quis* 18. *quæſt.* 4. contra percuſſores Clericorum non incurritur ab eo qui ſagittam, vel lapidem in Clericum iecit, ſi illum non tetigit; quando tamen conatus ipſe, ſeu actiones imperfectæ per ſe, & principaliter prohibentur, tunc per illas præcisè incurretur cenſura. Hoc autem contingit in propoſito, nam facere pactum, vel promiſſionem, dare, vel recipere, prohibentur principaliter, & ſeparatim, vt patet ex contextu Conſtitutionis Bonifacij; ideo illæ ſolæ ſufficiunt ad incurrendas pœnas. Nauarrus *num.* 13. Molina *ſuprà*, §. *cum omnes*, Azor. §. *Quintò quæritur*. Sanchez 1. *tom. opuſc. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *num.* 56.

Imponunt autem Pontifices excommunicationem latæ ſententiæ contra aliquam actionem ex prædictis perpetrantes, eamque ſibi reſeruant, præterquam ſi ad illos acceſſum habere non poſſent in articulo mortis conſtituti. Quia tamen non derogatur priuilegiis, quæ habent Prælati Regulares ad abſoluendum ſuos ſubditos à cenſuris Papæ reſeruatis, ideo Prælati talia priuilegia habentes, de quibus egi *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 36. & *ſuprà*, verbo *clauſura*, *num.* 20. illis vti poſſunt. Epiſcopi etiam poſſunt ab hoc caſu abſoluere quando fuerit occultus, ex priuilegio. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. iuxta ibidem dicta. Confeſſarij ſimiliter habentes facultatem abſoluendi à caſibus Papalibus virtute Iobilei, Bullæ Cruciatæ, vel alterius ſimilis priuilegij, id facere poſſunt, iuxta modum in tali priuilegio deſignatum. Hinc conſequenter Ieſuitæ, & alij, qui communicant in priuilegiis cum ipſis, propter priuilegium Pauli III. id facere poſſunt, iuxta dicta ſuprà verbo *confeſſarius*, *num.* 5. Vnde in ſpecie de hoc caſu id affirmat Peirinis *tom.* 1. *de ſubdito*, *quæſt. vlt.* §. *vnico*. 39

Sed pro quocumque qui ab hoc caſu abſoluendus eſt, ſubiungitur in Conſtitutione Bonifacij, quod & confirmatur in Conſtitutione Gregorij: *Nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur, niſi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.* Quod de recipiente facilè intelligitur, ita vt abſolui non poſſit, niſi id quod acceperit, prius pauperibus elargiatur. De dante verò in eo ſenſu id accipi debet, quod ſcilicet, ſi in eius poteſtate eſt facere, quod ille qui recepit, reſtituat, vel ipſi reſtitutum eſt, quod dederat, tunc non poſſit abſolui niſi reſtitutione prius realiter, & integraliter facta: ſecus verò ſi neque ipſi reſtitutum eſt, nec eſt in poteſtate ipſius, quod qui accepit reſtituat. Molina *ſup.* §. *pœna*. Bonacina *ſup. num.* 18. Non ſufficit autem quod reſtitutio fiat danti, aut quod is condonet reſtitutionem. Nam Pontifices volunt, quod reſtitutio fiat pauperibus, & dantem priuant iure rei datæ in pœnam ſui delicti. Nauarrus *num.* 38. Azor *ſuprà*, *quæſt.* 8. Bonacina *ſup.* An verò caſu quo talis ſit pauper, poſſit ſibi retinere, vide Sanchez *ſuprà*, *dubio* 114. præſertim *num.* 14. 40

Volunt etiam Pontifices vt gratia, ſeu iuſtitia ſic accepta, irrita omnino ſit, & carens omni effectu, & quod qui illa vtitur ſcienter, ligetur eadem excommunicatione Papæ reſeruata, & aliis pœnis quibus tranſgreſſores huius legis puniuntur. Nauarrus, Azor, & Bonacina *ſup.* Addit Nauarrus pœnam nullitatis inductam per has Conſtitutiones eſſe in foro conſcientiæ ſubeundam, quia iſta eſt intentio pontificia. 41

Addunt prætered Pontifices, *illos quoque*, *qui aliquem ſciuerint culpabilem in prædictis* (ſcilicet in actionibus dandi, recipiendi, promittendi, &c. de quibus ſupra) & *Nobis intra dierum trium ſpatium non reuelauerint*, *vel alicui per quem ad Nos verbum fideliter perferatur*, *ſimili decernimus ſententia ſubiacere*, ſcilicet excommunicationis, de qua ſupra. Quod etſi forſan non obliget extra Romam exiſtentes (Nauarrus *numero* 37. Molina §. *Cum omnes*,) obligat tamen Romæ exiſtentes, & etiam, vt credo, extra Romam commorantes, quando commodè prædictam denunciationem facere poſſunt, etſi non in triduo illo, ſaltem eo elapſo. Bonacina *n.* 39. Semper etiam præmittenda eſt correctio fraterna, quando ſperatur correctio, iuxta 42

28 Ergo prima actio prohibita in Conſtitutione Bonifacij VIII. etiam à Gregorio XIII. innouata, eſt pactum, ſeu promiſſio dandi aliquid, ſiue paruum, ſiue magnum pro obtinenda aliqua gratia ſeu iuſtitia, ſiue pro ſe, ſiue pro alio apud Sedem Apoſtolicam. Oportet autem ad hoc quod ſic paciſcens, vel promittens incidat in pœnas harum Conſtitutionum, quod verè, & ex animo promiſerit; promiſſio enim ficta non eſt promiſſio niſi ore tenus, ac per conſequens ſic promittens non erit obnoxius quoad Deum pœnis harum Conſtitutionum. Dixi quoad Deum, quia quoad forum externum, quod non iudicat de occultis, ſed de externis, cenſebitur illis obnoxius. Peccat tamen grauiter ſic faciens, tum quia in re graui decipit proximum, tum quia illum inducit ad peccandum, ſcilicet ad dandum dictam gratiam, vel iuſtitiam propter rem de qua eſt ipſum pactum, vel promiſſio. Bonacina *ſuprà*, *num.*8. Credo autem incurri has pœnas etiamſi promiſſio acceptata non ſit, Pontifex enim, vt patet ex verbis Conſtitutionis Bonifacij diſtinguit promiſſionem à receptione promiſſionis, & vtramque actionem diſtinctè prohibet. Molina *ſuprà*, §. *Cum omnes*. Etſi oppoſitum teneat Bonacina *ſuprà*, *num.* 9. Quando etiam hæc promiſſio fieret à promittente animo ſe obligandi ſolum ex gratitudine, licet Nauarrus *ſuprà*, *num.*4. §. *Ad tertium respondeo*, dicat non incurrere has pœnas, probabilius tamen cenſeo contrarium, quia talis promiſſio ex natura ſua inflectit Iudicem, vel collatorem gratiæ, ſeu iuſtitiæ ad eam concedendam intuitu illius, quod eſt contra intentionem Pontificum in dictis Conſtitutionibus. Molina *ſupra*. §. *Vnde quod*, Azor *ſup.* §. *ſed mo.* Secus dicendum quando promiſſio fieret per verba vrbanitatis ſolum abſque intentione aliqua ſe obligandi, quia talis promiſſio, & talia verba in communi modo loquendi nullam obligationem inducunt, nec multum mouent. Molina *dicto* §. *vnde quod*. Bonacina *ſuprà*, *num.*10. Qui verò nihil diceret, ſed in depoſitum poneret aliquid tribuendum, incurreret has pœnas, quia vt ait Gloſſa huius Extrauag. Bonifacij *verſ. ſub generalibus*, talis dicit, *quia facta loquuntur*. Non verò incurreret has pœnas, qui ſolum promitteret orare Deum, vel Sanctos pro collatore gratiæ, vel iuſtitiæ; huiuſmodi enim promiſſiones licitæ ſunt, & piæ, nec ſunt pretio æſtimabiles. Nauarrus *ſup. num.* 23. *&* 28.

29 Secunda actio prohibita in Conſtitutione Bonifacij, & Gregorij eſt receptio promiſſionis pro gratia, ſeu iuſtitia dicto modo obtinenda. Quod continget non ſolum quando collator gratiæ ſeu iuſtitiæ intuitu promiſſionis ſibi factæ eam conferret (Molina *ſup.* §. *His ita*. Bonac. *dicto num.*10.) ſed etiam, vt credo, quando verbis, vel ſignis promiſſionem illi factam acceptaret, hoc enim eſt recipere promiſſionem.

30 Tertia actio prohibita in his Bullis eſt dare ex pacto ſeu promiſſione occulta, vel manifeſta, facta ſub generalibus, & plenariè non expreſſis, ſiue ſub ſpecialibus, & expreſſis apertè verbis, aliquid ſiue magnum, ſiue paruum pro gratia, ſeu iuſtitia, vt dictum eſt, obtinenda. Molina *ſuprà*, *dicto* §. *His ita*. Quæ explicanda eſt de promiſſione prout ſupra, & de donatione cuiuſcumque rei, ſiue ſit pecunia, ſiue quidquam aliud, cum Pontifices generaliter loquantur. Nauarr. *ſuprà*, *num.*25.

31 Quarta actio præcedenti correſpondens eſt recipere aliquid ex dicto pacto, & promiſſione, quæ eodem modo ſicut præcedens, exponenda eſt, vt credunt relati auctores.

32 Cum autem Pontifices prohibent in his Conſtitutionibus promittere, dare, vel recipere aliud, ſiue magnum, ſiue paruum, pro dicta gratia, ſeu iuſtitia obtinenda, notandum, quod illo verbo *ſiue paruum*, non intelligitur res tam parua, quæ ad minus non ſit ſufficiens ad peccatum mortale. Excommunicatio enim, & aliæ pœnæ impoſitæ in his Conſtitutionibus cadere non poſſunt niſi ſupra peccatum mortale, peccatum autem mortale requirit materiam grauem. Vnde dans, vel recipiens rem modicam, quæ non ſit materia peccati mortalis, non incurrit dictas pœnas, quamuis intentio dantis, vel accipientis mortifera aliàs ſit. Nauarrus *num.*20. Molina §. *vtrum verò*, & alij. Quanti autem valoris debeat eſſe talis res, vt incurrantur iſtæ pœnæ, licet Bonacina *ſuprà*, *num.*13. dicat, ſufficere quod ſit eius valoris quæ ſufficeret in furto ad peccatum mortale, melius tamen Nauarrus, & Molina *ſup.* Azor. *ſup.* §. *Tertiò quæritur*, & alij tenent arbitrio boni viri relinquendum id eſſe, vt penſatis circunſtantiis dantis, & recipientis, videat an valor illius rei ſufficiens ſit ad mouendum animum collatoris gratiæ aut iuſtitiæ, vel ad ipſam conferendam.

Quinta actio in eiſdem Conſtitutionibus prohibita, prout patet ex Conſtitutione Bonifacij VIII. eſt facere promiſſionem de quacumque re, aut vtilitate conſequenda propter dictam gratiam, vel iuſtitiam obtinendam. Et ne dicamus iſtam actionem coincidere cum prima, ac per conſequens ſuperfluè poni à Pontifice, dicendum eſt, per primam denotari promiſſionem dandi aliquid quod veniat in manus collatoris, v.g. pecuniam, veſtem, &c. Per quintam verò denotari promiſſionem alicuius, quod etſi non veniat ad manus illius, eſt tamen ipſi vtile, aut commodum, v.g. facere iter pro ipſo, & ſimilia. Indicant hoc Nauarrus *ſuprà*, *num.*28. Bonacina *ſup. num.* 11. Loquendum autem eſt de hac promiſſione ſicut de prima, propter eandem rationem. 33

Sexta actio pariter in his Conſtitutionibus vetita, eſt receptio huius promiſſionis, quæ quidem intelligenda eſt cum proportione ad ipſam promiſſionem, & loquendum de ea ſicut dixi *ſuprà* de ſecunda actione. 34

Septima actio, ad quam etiam extendunt Pontifices 35 prædictam excommunicationem, eſt dare: & octaua, eſt recipere aliquid, videlicet pro iuſtitia vel gratia obtinenda. Cum autem huiuſmodi actiones aſſignentur vt diſtinctæ ab aliis ſimilibus, ſcilicet tertia, & quarta, de quibus *ſuprà*, neceſſe eſt dicere, duas illas actiones, ſcilicet tertiam & quartam importare dare, & recipere ex pacto, & promiſſione, vt ibi dixi; duas verò iſtas, ſcilicet ſeptimam, & octauam importare, dare & recipere ſimpliciter, etiam ſine pacto, aut promiſſione. Nauarrus *ſuprà*, *num.*71. Bonac. *ſuprà*, *num.*14. referens Boeacium, & Farinacium.

Dixi ſemper *pro gratia vel iuſtitia obtinenda*, quia ſi 36 aliquis promittat, det, vel recipiat aliquid etiam ex pacto, & promiſſione, non pro ipſa gratia, & iuſtitia obtinenda, ſed alia iuſta cauſa, non incidet in pœnas harum Conſtitutionum, cum leges non ſint extendendæ vltra propriam verborum ſignificationem: iſtæ autem ſolùm dicto modo loquuntur. Bonacina *ſuprà*. Hinc primò non incurret illas, qui ob meram liberalitatem, & beneuolentiam ſine vllo reſpectu ad gratiam, vel iuſtitiam obtinendam dederit, propter rationem dictam. Nauar. *num.*36. Azor. *quæſit.*2. Nec qui dat, vel recipit ſportulas, propinas, vel xenia conſueta in Curia: eo enim ipſo quod ſunt conſueta, cenſentur iure debita. Molin. *ſuprà*, §. *Quando aliquid*. Bonacina *ſuprà*. Nec qui dat aut recipit aliquid pro ſalario, vel ſtipendio iure, vel conſuetudine debito Aduocato, Notario, Aſſeſſori, Procuratori, ſeu Solicitatori. Nauarrus *num.*26. *&* 32. Molina *ſuprà*. Pro hoc tamen, & præcedenti caſu aduertendum, quod ſi datur aliquid vltra id quod iure, vel conſuetudine eſt debitum, & id detur pro gratia, vel iuſtitia obtinenda, incurrentur pœnæ, ſecus ſi liberaliter donetur. Bonacina *ibid.* Nec qui dat ſolum ad redimendam iniuſtam vexationem in iure iam adquiſito. Nauarrus *num.* 16. Azor. *quæſit.* 2. Nec qui dat ad recompenſandum aliquod damnum, quod vel Notarius,

Digitized by Google

... ſimonia pec-
las pœnas, quamuis ni-
ortifera alias ſit, Nauar.
...rò, & alij. Quanti au-
..., vt incurrantur iſtæ
...num.13 dicat, ſufficere
...ter in furtu ad pecca-
...uarrus, & Molina *ſup.*
...alij tenent arbitrio bo-
... penſans circunſtantiis
... valor illius rei ſuffi-
... collatoris gratiæ aut
...am.

33 ...ſtitutionibus prohibita,
...iſacij VIII. eſt facere
..., aut vtilitate conſe-
..., vel iuſtitiam obtinen-
...onem coincidere cum
...tè poni à Pontifice,
...ri promiſſionem dan-
...ollatoris, v.g. pecu-
...rò denotari promiſ-
...tat ad manus illius,
..., v.g. facere iter pro
...rrus *ſuprà*, *num.*18.
...m autem eſt de hac
... eandem rationem.

34 ...ſtitutionibus vetita,
...quæ quidem intelli-
...pſam promiſſionem,
...us *ſupra* de ſecunda

35 ...extendunt Pontifices
..., eſt dare: & octaua,
...iuſtitia vel gratia ob-
...actiones aſſignentur
...licet tertia, & quar-
...cere, duas illas actio-
...mportare dare, & re-
... ibi dixi; duas verò
...n importare, dare &
...cto, aut promiſſione,
...*ſupra*, *num.*14. reſo-

36 ...*tia obtinenda*, quia ſi
... aliquid etiam ex pa-
... gratia, & iuſtitia ob-
... incidet in pœnas ha-
... non ſint extendendæ
...ationem: illæ autem
...onacina *ſupra*. Hinc
...meram liberalitatem
...ctu ad gratiam, vel
...ropter rationem di-
...2. Nec qui dat, vel
...ia conſuetam in Curia
...enſentur iure debita.
...Bonacina *ſuprà*. Nec
...io, vel ſtipendio iu-
...io, Notario, Aſſeſ-
... Nauarrus *num.*26.
..., & præcedenti ca-
...quid vltra id quod
...& id detur pro gra-
...r pœnæ, ſecus ſi li-
...Nec qui dat ſolum
...n in iure iam ad-
...*quæſt.* 2. Nec qui
...amnum, quod vel
Notarius,

tuto. Bonacina *ſuprà*. ... Nauarrus *num.*... de eo qui dat, vel promittit aliquid Iudici, vt cauſam citius expediat. Sed oppoſitum tenet Bonacina ex Farinacio *ſuprà*, *num.*350. quia hoc eſt dare pro gratia, vel iuſtitia.

Porrò id quod dixi, videlicet, quod qui aliquid donant in Curia ad redimendam vexationem ſibi illatam in iure iam acquiſito, non incidunt in pœnas Conſtitutionum Bonifacij VIII. & Greg. XIII. *contra dantes pro gratia, ſeu iuſtitia obtinenda*: de hac re conſultus idem aſſerit, ſequutus non ſolum Nauarr. & Azor. relatos, ſed etiam Bonacinam *de legibus*, *diſp.*10. *quæſt.*2. *punct.*8. *incidens*, *num.* 14. referentem etiam Molinam, & Farinacium, contra Virginium Bocacium 3. *part. de pactis*, *num.*96. Et ratio eſt, quia talis datio non eſt neque pro gratia, neque pro iuſtitia abſolutè, ſed ſolum pro redemptione vexationis, quæ illata eſt habenti ius iam acquiſitum in re illa. Deinde, quia etiam dum traditur pecunia pro redemptione vexationis, quam quis patitur circa rem ſpiritualem, non committit ſimoniam, prout ex pluribus Doctoribus affert idem Bonac. *de ſimonia*, *quæſt.* 6. *punct.* 5. cum quia ſic colligitur ex *cap. dilectus*, *de Simon.* tum quia in tali caſu temporale traditur pro temporali, non pro ſpirituali; ipſa enim vexatio eſt temporale impedimentum, ſimonia autem non committitur, dum temporale traditur pro temporali; ergo idem in præſenti dicendum. Ad quod accedit, quod qui dat aliquid pro redimenda tali vexatione in iure ſibi iam acquiſito, vel in re quam poſſidebat, dat illud pro conſeruatione rei ſuæ. Conſeruatio autem ſui, & ſuorum iure naturali eſt licita, *l. vt vim*, *ff. de iuſt. & iur.* & *l.* 1. & *tot. tit. de furt. adiunct. cap. olim*, & *toto tit. de reſtit. ſpol.* & *cap. dilecto*, *de ſent. excommun. lib.* 6. ex quibus ortum eſt illud Catonis, *Rem tuam cuſtodi*. De quo Nauarrus *in commentario de datis*, & *promiſſis pro iuſtitia*, *vel gratia obtinenda*, *num.* 16. fundans ſe in Panormitani doctrina. Et addens benè, id intelligi debere in foro conſcientiæ, non in foro exteriori. Addit etiam Bonacina *ſupra*, id intelligendum ex parte dantis, non ex parte accipientis; quia eſto quod dans, ſeu donans excuſetur, propter dictam vexationem redimendam, ille tamen qui accipit, cum nullam habeat iuſtam rationem accipiendi, nullo pacto excuſari poteſt.

37 Dixi etiam ſemper *pro gratia*, *vel iuſtitia obtinenda*, quia ſi quis det vel recipiat aliquid poſt gratiam, vel iuſtitiam obtentam, titulo ſcilicet gratitudinis, vel alio titulo honeſto, non incurret pœnas harum Conſtitutionum, quæ ſolùm ſunt taxatæ pro traditione, vel receptione, &c. pro gratia, vel iuſtitia obtinenda. Nauarrus *ſuprà*, *num.*51. Niſi id dirigat ad aliam gratiam, vel iuſtitiam in paſterum obtinendam, quia iſte reuera comprehenditur in his legibus. Nauarrus *ſupra*, Bonacina *ſuprà*, *num.* 15. Aut niſi talis donatio, vel receptio ſit ob præuiam promiſſionem, aut pactum. Tunc enim etiam comprehenderetur. Nauarrus *n.*25. Molina *ſup.* §. *Porrò qui*. Azor. *ſup. quæſit.*4. Nota tamen, quod ſi gratia, vel iuſtitia obtenta, fuerit materia Simoniæ, dans aliquid pro ipſa, vt pretium, erit Simoniacus, & pœnas etiam Simoniæ incurrit. Azor *ſupra*.

38 Nota etiam, pœnas harum Conſtitutionum incurri per quamlibet ex actionibus prædictis, etiam non ſecuto effectu obtentionis gratiæ, vel iuſtitiæ. Ratio eſt, quia licèt regulariter loquendo ad incurrendam aliquam cenſuram requiratur actus completus, & conſummatus, nec ſufficiat conatus, aut actus imperfectus, hinc enim excommunicatio *cap. ſi quis* 18. *quæſt.*4. contra percuſſores Clericorum non incurritur ab eo qui ſagittam, vel lapidem in Clericum iecit, ſi illum non tetigit; quando tamen conatus ipſe, ſeu actiones

tingit in propoſito, nam facere pactum, vel promiſſionem, dare, vel recipere, prohibentur principaliter, & ſeparatim, vt patet ex contextu Conſtitutionis Bonifacij; ideo illæ ſolæ ſufficiunt ad incurrendas pœnas, Nauarrus *num.*15. Molina *ſupra*, §. *cum omnes*, Azor. §. *Quintò quæritur*. Sanchez 1. *tom. opuſc. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *num.*56.

Imponunt autem Pontifices excommunicationem latæ ſententiæ contra aliquam actionem ex prædictis perpetrantes, eamque ſibi reſeruant, præterquam ſi ad illos acceſſum habere non poſſent in articulo mortis conſtituti. Quia tamen non derogatur priuilegiis, quæ habent Prælati Regulares ad abſoluendum ſuos ſubditos à cenſuris Papæ reſeruatis, ideo Prælati talia priuilegia habentes, de quibus egi *tom.* 1. *cap.* 18. *num.*36. & *ſuprà*, verbo *clauſura*, *num.* 20. illis vti poſſunt. Epiſcopi etiam poſſunt ab hoc caſu abſoluere quando fuerit occultus, ex priuilegio. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.*6. iuxta ibidem dicta. Confeſſarij ſimiliter habentes facultatem abſoluendi à caſibus Papalibus virtute Iubilei, Bullæ Cruciatæ, vel alterius ſimilis priuilegij, id facere poſſunt, iuxta modum in tali priuilegio deſignatum. Hinc conſequenter Ieſuitæ, & alij, qui communicant in priuilegiis cum ipſis, propter priuilegium Pauli III. id facere poſſunt, iuxta dicta ſuprà verbo *confeſſarius*, *num.*5. Vnde in ſpecie de hoc caſu id affirmat Pellizarius *tom.* 1. *de ſubdito*, *quæſt. vlt.* §. *vnico*. 39

Sed pro quocumque qui ab hoc caſu abſoluendus eſt, ſubiungitur in Conſtitutione Bonifacij, quod & confirmatur in Conſtitutione Gregorij: *Nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur*, *niſi prius quantum dedit*, *vel recepit*, *integraliter pauperibus largiatur*. Quod de recipiente facilè intelligitur, ita vt abſolui non poſſit, niſi id quod acceperit, prius pauperibus clargiatur. De dante verò in eo ſenſu id accipi debet, quod ſcilicet, ſi in eius poteſtate eſt facere, quod ille qui recepit, reſtituat, vel ipſi reſtitutum eſt, quod dederat, tunc non poſſit abſolui niſi reſtitutione prius realiter, & integraliter facta: ſecus verò ſi neque ipſi reſtitutum eſt, nec eſt in poteſtate ipſius, quod qui accepit reſtituat. Molina *ſup.* §. *pœna*. Bonacina *ſup. num.* 18. Non ſufficit autem quod reſtitutio fiat danti, aut quod is condonet reſtitutionem. Nam Pontifices volunt, quod reſtitutio fiat pauperibus, & dantem priuant iure rei datæ in pœnam ſui delicti. Nauarrus *num.* 38. Azor *ſuprà*, *quæſit.* 8. Bonacina *ſup.* An verò caſu quo talis ſit pauper, poſſit ſibi retinere, vide Sanchez *ſuprà*, *dubio* 114. præſertim *num.*14. 40

Volunt etiam Pontifices vt gratia, ſeu iuſtitia ſic accepta, irrita omnino ſit, & carens omni effectu, & quod qui illa vtitur ſcienter, ligetur eadem excommunicatione Papæ reſeruata, & aliis pœnis quibus tranſgreſſores huius legis puniuntur. Nauarrus, Azor, & Bonacina *ſup.* Addit Nauarrus pœnam nullitatis inductam per has Conſtitutiones eſſe in foro conſcientiæ ſubeundam, quia iſta eſt intentio pontificia. 41

Addunt præterea Pontifices, *illos quoque*, *qui aliquem ſciuerint culpabilem in prædictis* (ſcilicet in actionibus dandi, recipiendi, promittendi, &c. de quibus ſupra) & *Nobis intra dierum trium ſpatium non reuelauerint*, *vel alicui per quem ad Nos verbum fideliter perferatur*, *ſimili decernimus ſententiæ ſubiacere*, ſcilicet excommunicationis, de qua ſupra. Quod etſi forſan non obliget extra Romam exiſtentes (Nauarrus *numero* 37. Molina §. *Cum omnes*,) obligat tamen Romæ exiſtentes, & etiam, vt credo, extra Romam commorantes, quando commodè prædictam denunciationem facere poſſunt, etſi non in triduo illo, ſaltem eo elapſo. Bonacina *n.* 19. Semper etiam præmittenda eſt correctio fraterna, quando ſperatur correctio, iuxta 42

præceptum diuinum Chriſti Matth.18.*verſ.*15. Nauarrus *num.*37. Bonacina *num.*20.

43 His ita explicatis ex Conſtitutione Bonifacij in qua continentur, & ex Conſtitutione Gregorij in qua confirmantur, ſubiiciendæ ſunt aliæ actiones, quas ipſe Gregorius addidit, & prohibuit. Inter quas aliæ ſunt principaliter & veluti per ſe prohibitæ, aliæ ſolum acceſſoriè. Principaliter autem vetitæ ſunt tres. Prima eſt, prout ex verbis eiuſdem Gregorij colligitur, nundinari conquirendo expeditiones negotiorum, innitendo ſuffragationibus potentiorum. Secunda eſt ambire donis, aut pollicitationibus eos, quos gratia præſtare arbitrantur, vt ſcilicet pro ſe, vel pro aliis gratiam aliquam, vel iuſtitiam apud Sedem Apoſtolicam obtineant. Tertia eſt, fingere, ſeu mentiri dicendo ſe dediſſe pretium vel munera prædictis gratia valentibus ad obtinendam talem gratiam, vel iuſtitiam. Acceſſoriè etiam prohibitæ ſunt tres, prima eſt, dare prædictis auxilium; ſecunda, dare conſilium; tertia, dare fauorem. Cum autem illæ tres priores ſint principaliter, & per ſe prohibitæ, ideo quælibet ipſarum etiam non ſecuto effectu ſufficiens eſt ad incurrendas pœnas harum conſtitutionum, iuxta dicta *ſuprà*, *num.*38. Molina §. *Atque tres*, & ſequentibus. E contra verò, quia iſtæ poſteriores ſolum ſunt acceſſoriæ, ideo illis non incurrentur pœnæ prædictæ, niſi effectu ſecuto, ſcilicet ipſa conſecutione gratiæ vel iuſtitiæ, vel ſaltem aliqua alia actione principaliter prohibita, ſcilicet pactione, datione, receptione, &c. vt habent Molina §. *Ad tres*, Azor *quæſit.*8.§.5. Bonacina *ſuprà*, *num.*21.

44 Statuit etiam contra tranſgreſſores Gregorius priuationem officij, & beneficij, & inhabilitatem ad illa, & alia. Quæ qualiter intelligenda, & quis poſſit in illis diſpenſare, vide dicta hoc eodem verbo *dare*, *n.*14. circa Conſtitutionem *de largitione munerum*, Clem. VIII. cum aliis locis, ad quæ ibi remiſſiuè. Quia etiam ſtatuit pœnam infamiæ, nos eam non incurri ante ſententiam Iudicis declaratoriam exiſtimamus Azor. *ſup.* §.*Septima*, Bonac. *num.*19.

Cum autem pœnæ ſpecialiter ſtatutæ à Gregorio ſint ſolum contra audentes, vt patet ex Bulla ipſius, ideo non incurruntur niſi propter dolum, malitiam, vel præſumptionem, ac per conſequens ex ſcientia, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*10. *num.*33. Secus dicendum de pœnis ſtatutis à Bonifacio, & confirmatis ab eodem Gregorio; iſtæ enim cum non ſtatuantur contra audentes, ſed contra ſimpliciter tranſgreſſores, incurrentur etiam propter ignorantiam craſſam, ſupinam, vel affectatam, iuxta dicta *ibid.* De quo etiam Bonacina *ſupra*, *num.*22.

DECIMA QVOAD REGVLARES.

SVMMARVIM.

1 *Nomine Decimæ quid intelligatur.*
Quomodo differat ab oblatione. ibid.
Quo iure ſit introducta. ibid.
Quotuplex ſit. ibid.
2 *Regulares ex multis Priuilegiis ab ea ſoluenda exempti ſunt.*
3 *Alia priuilegia pro aliis Regularibus.*
4 *Pro Carmelitis.*
5 *Quæ notanda circa illa.*
6 *An debeant ampliari, vel reſtringi.*
7 *An ſint perſonalia, vel realia.*
8 *An in illis valeat communicatio Priuilegiorum Regularium.*
9 *Quando perdantur per non vſum.*
10 *Notabilis Rotæ Deciſio in cauſa Carmelitarum.*
Quæ habeantur ex ipſa. ibid.
11 *An Regulares eximantur à Decimis ex agris illis acquiſitis, vel ſolùm ex noualibus.*
12 *Qualiter prohibitum ſit illis à Decimarum ſolutione retrahere alios.*
Quid præcipiatur ipſis in Concilio Lateranenſi. ibid.
Quomodo intelligendum hoc præceptum. ibid.

NOmine Decimæ intelligitur quota bonorum debita Eccleſiæ Miniſtris in ipſorum ſubſidium, & ſuſtentationem. Ita habetur ex *cap.*1. *de Decimis*, & *Parochiis*, *cap. non eſt*, *cap. tua nobis*, *cap. cum ſit in homine*, *eod. tit.* Hoſtienſis *in ſum. de Decimis*, §.1. Bonacina *de præcep. Eccleſ. diſp. vlt. quæſt.*5. *punct.*1. *n.*1. 1
Differt Decima à primitia, quia primitia denotat primam partem frugum, decima autem aliam partem. Syluester *in ſumma*, *verb. Decima*, *num.*1. Et ab oblatione, quia oblatio fit immediatè Deo, licet conſequenter cedat in vſum Miniſtrorum: Decima verò fit immediatè ipſis Miniſtris Eccleſiæ. Syluester *num.*2. Sotus 9. *de iuſtit. quæſt.*4. *art.*1. Eſt de iure naturali, & diuino, quatenus importat aliquam partem indeterminatam, & indefinitam pro Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatione. Iure quidem naturali, quia ius naturæ dictat quod ſicut Eccleſiæ Miniſtri plebi Spiritualia præbent, ſic plebs illis pro ſuſtentatione corporalia tribuat. Iure autem diuino 1. *Corinth.* 19. per totum caput, præſertim *verſ.*11. *Si nos vobis Spiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus.* Eſt verò de iure poſitiuo Eccleſiaſtico in lege noua, quatenus importat certam partem bonorum, ſcilicet decimam, non octauam, vel duodecimam. In lege autem veteri de iure diuino erat Decima, ſed quia illud præceptum non erat morale, ſed iudiciale, ceſſauit in noua, quatenus importat determinatam partem. S.Thom. 2. 2. *quæſt.*87. *art.*1. Sotus *ſup.* Azor. *tom.*1. *inſtit. moral. lib.*7. *cap.*34. *quæſit.*4. Cum autem ius exigendi illam ſolum pertineat ad Miniſtros Eccleſiæ, ideo pertinere etiam poterit ad Regulares, quando illi habuerint Parochiam, in qua ſpiritualia adminiſtrauerint, Fagundez *in* 5. *Eccleſ. præcept. lib.*3. *cap.*1. *num.*34. & 35. ex Syluestro, Suarez, & aliis. Porrò Decima triplex eſt, alia perſonalis, illa ſcilicet, quæ debetur ex induſtria, & opera perſonæ, vt ex venatione, negotiatione, &c. alia prædialis, quæ debetur ex fructibus prædiorum, ſcilicet vinea, oliueto, &c. mixta verò eſt, quæ partim ex induſtria perſonæ, & partim ex fructibus prædiorum eſt debita, vt ex fœtura animalium, lana, lacte, &c. Ioan. Beetz *in* 4. *præcept. Decalog. expoſit.*3. *cap.* 3. Toletus *in Summa*, *lib.*6. *cap.*20. Bonacina *ſup. punct.*1. Horum porrò omnium debetur Decima, ſi adſit conſuetudo illam ſoluendi. Caietan. *in Summa*, verbo *Decima*, Syluester *ſuprà*, *num.*9. Conſuetudine etiam contraria tolli poteſt hæc obligatio, ea ratione qua eſt introducta lege Eccleſiaſtica, ſcilicet quoad ſolutionem talis, vel talis partis. Miranda *in Manual.* *tom.*2. *quæſt.*49. *art.*5. Et etiam ex Papæ diſpenſatione. Miranda *ibid. art.*6. Suarez *tom.*1. *de Religione*, *tract.*2. *lib.*2. *cap.*14.

Quamuis autem Decima ab omnibus ſolui debeat, 2
Regulares tamen, iuxta dicta *tom.*3. *cap.*3. *num.*15. exempti ſunt à ſolutione ipſius, tum iure communi, *cap. Quæſtio*, & *cap. Decimas* 16. *quæſt.*1. quoad aliquas (Fagundez *in* 5. *Eccleſ. præcept. lib.*2. *cap.*3. *num.*7.) tum quoad alias ex priuilegiis Summorum Pontificum multis Ordinibus conceſſis. Specialiter Clem. IV. pro Minoribus, Bonif. VIII. pro Religioſis perſonis in communi. Eugenij IV. pro Monialibus S. Claræ, & Fratribus ac Monialibus Ordinis Prædicatorum. Sixti IV. pro Prædicatoribus, Minoribus, Carmelitis, & Monialibus S. Claræ, Alexandri VI. pro eiſdem Monialibus: Leon. X pro eiſdem, Clem. VII. pro eiſdem, & Lucij III. ac Bonifac. VIII. pro Fratribus S. Ioan. Ieroſolymitani.

Refert

Pium IV. eximit à ſolutione Decimarum Monachos quorumcunque Ordinum, & Pium V. id ampliaſſe pro omnibus Ordinibus Mendicantibus, licet poſtea Gregor. XIII. ad ſex Decimas eos obligauerit, & tandem ad tres ſolas id poſtea reſtrinxerit.

Deinde Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15.
3 *quæſt.* 18. *à num.* 8. Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.* 3. *Titulo de decimis, cap.* 26. *à num.* 21. & Ioannes Maria Nouarius *in lucern. Regul. verbo Decima*, plura alia priuilegia Religionum referunt. Videlicet Sixti IV. pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus, Eugenij IV. pro Caſſinenſibus, Leonis X. pro Camaldulenſibus, Innocent. II. Cœleſtini II. & Eugen. III. pro Monachis Vallis Vmbroſæ, Martini V. pro Ciſtercienſibus, Gregor. X. & Eugen. IV. pro Cœleſtinis, Innocent. II. pro Cluniacenſibus, Clem. VII. pro Benedictinis Valliſoleti, Vrbani III. pro Præmonſtratenſibus, Cœleſt. III pro Monachis montis Virginis, Pij II. pro Oliuetanis, Innocent. IV. pro Syluestrinis, Iulij II. pro Canonicis Regularibus S. Saluatoris, Greg. XIII. pro Monachis S. Baſilij, Clem. VII. pro Fratribus ſancti Antonij Vienneſis, Gregor. XI. pro Prædicatoribus, & Fratribus B. Mariæ de mercede, Iulij II. pro Minimis, Vrbani III. pro Cruciferis, Martini V. pro Carthuſianis, Sixti IV. pro Minoribus, Gregor. XIII. pro Ieſuitis, ac Sixti IV. Leon. X. Clem. VII. Pauli III. & eiuſdem Gregorij pro Monialibus S. Claræ. Hæc porro priuilegia cum varia, & diuerſa ſint, alia alijs ampliora, alia minus ampla ſunt, vt videre eſt in Bullis horum Pontificum.

4 Pro Carmelitis verò extat notabile illud priuilegium quod *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 32. retuli ex Sixto IV. in Mari magno Ordinis, confirmante quæ Innoc. IV. Clem. IV. Innocent. VI. & Alex. IV. antea conceſſerant, & ipſe Sixtus ampliauit.

5 Circa hæc autem priuilegia animaduertendum primò, ritè, & legitime à Summis Pontificibus potuiſſe concedi Religionibus, quamuis Gloſſa *in cap. quæſtus*, 16. *quæſt.* 1. de hoc dubitauerit. Etſi enim ſolutio Decimarum ſit de iure diuino, iuxta modum dictum ſupra *num.* 1. quia tamen illæ ſolui debent Miniſtris Eccleſiæ pro labore quem impendunt in adminiſtratione ſpiritualium, & Religioſi etiam hoc munus exercent, rectè potuerunt Pontifices illa remittere Religioſis. Rebuffus *tract. de Decimis, quæſt.* 1. *num.* 103. & alij apud Tamburinum *ſupra, num.* 30. Præſertim, quia per hoc priuilegium non immutatur generalis ratio, & quaſi adæquatus finis, & per ſe intentus in Decimis, qui eſt diuinus cultus, & ſuſtentatio Miniſtrorum Dei, ac pauperum; ſed ſolùm mutatur particulare ius applicandi hanc partem Decimarum huic Eccleſiæ, vel illi, his perſonis, vel illis. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 25.

6 Secundò, communiter dici huiuſmodi priuilegia cum ſint in præiudicium tertij habentis intentionem fundatam de iure communi, non eſſe amplianda, ſed strictè interpretanda, vt lædant minus quàm fieri poſſit. Ita enim deciſum video à S. Rota in vna Valentina coram Cardinali Lancellotto, 28. Nouemb. 1603. quam refert dictus Tamburinus *ſup. num.* 38. & tenet Suarez poſt alios quos refert *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 18. Semper tamen ita eſt hæc reſtrictio facienda, vt verba priuilegij in ſua proprietate ſaluentur. Suarez *ibid.* Imò ſemper cum conſideratione quod Religioſi quibus conceduntur ſunt optimè meriti de Eccleſia Sancta, & vt dixi, & cooperatores Miniſtrorum Eccleſiæ in adminiſtratione ſpiritualium.

7 Ex quo etiam inferri videtur tertiò, talia priuilegia eſſe ſolùm perſonalia, & non realia, ac per conſequens non tranſire ad colonos, ſeu arrendatarios. Priuilegia Rota in vna Decimarum coram Blanchetto, 17. Decembris 1584. & ex alia Pampilonenſi *Decimarum* coram Illuſtriſſ. D. Coccino, 15. Decembr. 1615. & alijs apud Tamburin. *ſupra num.* 35. Oppoſitum tamen tuentur Azor. *tom.* 1. *inſtit. Moral. lib.* 7. *cap.* 37. *quæſt.* 7. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgen. cap.* 17. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regul. quæſt.* 44. *art.* 4. Peirinus *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Conſtitut.* 2. *Iulij II. num.* 132. & alij apud ipſos. Qui & aſſerunt ita iudicatum fuiſſe in multis Tribunalibus. Crederem ego quoad hoc attendendum eſſe ad priuilegia Religionum, & explicanda iuxta dicta numero præcedenti. Vide Suarez *ſup. cap.* 19. & Portellum *in Dub. Regul. verbo Decima, num.* 3. ac declarationes quaſdam S. Congregat. apud Marzillam *fol.* 317.

Sed quia hic communiter afferri ſolet communicatio priuilegiorum aliarum Religionum, ita vt in hac materia, ſicut in alijs deſeruiat communicatio priuilegiorum, quam aliquæ Religiones habent, obſeruandum quartò, S. Rotam in vna Valentina anni 1603. ſupra relata deciſiſſe, priuilegium eximens à ſolutione Decimarum non comprehendi in generali communicatione priuilegiorum vnius Religionis alijs facta, niſi expreſſe fiat mentio talis priuilegij, etiamſi inter priuilegia communicata adſit aliquod quod non continet aliud quam exemptionem à ſolutione Decimarum. Cuius deciſionis duplex aſſignatur ratio; prima, quod in conceſſione generali non veniunt ea quæ vel non concedi ſolent, vel magna cum difficultate conceduntur. Secunda quod nec conceduntur ea, in quibus agitur de præiudicio tertij, talia enim priuilegia debent strictè interpretari. Sed quamuis multum deferendum ſit huiuſmodi S. Rotæ deciſionibus, & quia à viris ſapientiſſimis, & magna adhibita diligentia factæ ſunt, nihilominus rationes adductæ non videntur valdè efficaces: non quidem prima, quia huiuſmodi priuilegium exemptionis non rarò, ſed ſæpius, nec magna cum difficultate à Sede Apoſtolica concedi ſolet in Religionibus, vt patebit intuenti priuilegia *ſup. n.* 2. 3. & 4. relata. Nec ſecunda, quia doctrina illa intelligi debet quando recta ratio non dictat contrarium, vt quando agitur de cauſa pia, & religioſa, maximè concernente vtilitatem totius Religionis, aut Monaſterij, vt in præſenti. Tunc enim priuilegia quamuis contra ius commune ſint, & in præiudicium tertij, ampliari debent. Quia vt benè Iuriſconſultus *in l. ſunt perſonæ, ff. de Religioſis, & ſumptibus funer. Summa ratio eſt quæ pro Religioſis facit.* Suarez *de Legib. lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 7. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 1. *num.* 13. Quare ſub aliorum cenſura, non video rationem ſufficientem, quare in alijs materiis ſubſiſtat communicatio priuilegiorum, quæ Religiones habent, non verò in iſta. 8

Quintò notandum, huiuſmodi priuilegia non perdi alicui Monaſterio, etiam per non vſum illorum in ipſo, ſi in alijs Monaſterijs eiuſdem Ordinis cui illa conceſſa ſunt, fuerint in vſu; nam per vſum aliorum Monaſteriorum ius illius Monaſterij præſeruatum cenſetur, non ſecus ac ius Patronatus, quod per exercitium vnius ex compatronis alijs reſeruatur. Tamburinus *ſuprà num.* 37. ex varijs Rotæ deciſionibus, & Panormitano. 9

Sextò nota notabilem Rotæ deciſionem coram Illuſtriſſ. Domino Coccino 17. Decembris 1618. in caſu *Decimarum*, quam idem Tamburinus *ſupra poſt n.* 39. ad longum refert, ex qua habetur, an ex bonis relictis Monaſterio habenti exemptionem à Decimis, Decima ſolui debeat, quando illa bona tali ſolutioni obnoxia erant. Cum enim Conuentui Carmelitarum Abulenſis Ciuitatis nobiles quidam reliquiſſent quædam prædia ſita in quibuſdam Oppidis, quæ aliàs ſolita erant 10

Decimas ſoluere Parochiæ Sancti Thomæ eiuſdem Ciuitatis, & aliqui prætenderent etiam eſſe ſoluendas à dictis Religioſis, Sacra Rota decreuit eos eſſe liberos à tali onere, eo quod talea Decimæ non poſſent prætendi à dicta Parochia, neque vt prædiales; cum illa prædia ſita non eſſent intra limites ipſius, nec vt ſacramentales, cum præfatis Religioſis Sacramenta non adminiſtrarent, conſuetodoque eſſet à quadraginta, & amplius annis eas non ſoluendi. Quod verò nec prædictæ Decimæ etiam vt prædiales exigi poſſent à Parochis illorum Oppidorum, vbi ea prædia ſita ſunt, etiam dato quod alias eſſent obnoxia tali oneri, colligitur ex eo quod poſtquam tranſierint in poſſeſſionem dictorum Religioſorum, ceſſauit ratio quare prius ſoluebantur, ſcilicet adminiſtratio Sacramentorum, vt notatur in dicta Deciſione, §. *non obſtat*, & etiam propter conſuetudinem prædictam non ſoluendi illas à quadraginta, & amplius annis. Accedit etiam priuilegium Sixti IV. in Bulla *Dum attenta,&c.* quæ eſt Mare magnum Religionis, verbis adductis *tom.1. part.2. huius ſumma,cap.1. num.32.* Maximè facit declaratio quædam Sacr. Congregat. apud Marzillam ipſarum Collectorem *fol.317.* quæ eſt *num.168.* in qua habetur Decimas debitas pro adminiſtranda cura animarum non deberi Mendicantibus.

13 Ex quo ſeptimò infertur, Religioſos habentes priuilegia quod eorum bona generaliter immunia ſint à ſolutione prædialium decimarum (prout de Carmelitis dici poteſt, propter priuilegium relatum) exemptos etiam eſſe non ſolum à decimis agri noualis, illius ſcilicet, quem illi ſuis laboribus denuo excolere cœperunt. Eſt enim *nouale* iuxta *cap. quid per nouale, de verb. ſignificat.* ager ſeu prædium de nouo cultum, de quo non eſt memoria quod fuerit cultus, Layman. *lib.4. Tract.4. cap.3. num.4.* ſed etiam à ſolutione decimarum ex agro illis adquiſito, qui aliàs Parochiæ Decimas ſoluebat, quia priuilegia id ſonant, & accipienda ſunt iuxta proprietatem verborum. Suarez ſupra dicto *lib.1. cap.39. num.2.* Quare declarationes Sacræ Congregationis huic doctrinæ contrariæ, quas afferunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Decima*, & Nouar. *in Lucern. Regul. verbo Decima*, intelligendæ ſunt de Regularibus non habentibus ſpecialia priuilegia, prout colligitur ex Aldana à Nouario relato. Extenduntur etiam dicta priuilegia ad nouialia poſt conceſſa priuilegia culta, & ad prædia tam adquiſita, quam adquirenda, propter eandem rationem. Suarez *ibid. num.6. & 7.* Secus ſi agri non ſint proprij, propter oppoſitam rationem. Licet de iis bonis, quæ ipſis data ſunt in emphyteoſim, probabiliter dici poſſit contrarium, cum ea aliquo modo etiam dicantur propria, ſcilicet quoad dominium vtile. De quo Azor. *tom. 1. inſtit. Moral. lib.7. cap.37. quæſt.8.* Suarez *ſupra num. 8.* & ſequentibus, Attendendum tamen eſt ad verba priuilegiorum, & propriam ipſorum ſignificationem.

12 Qualiter incidant in excommunicationem Religioſi, qui aliqua in ſermonibus ſuis, vel alibi præſumunt proferre, vt audientes à Decimarum ſolutione retrahant, & quid de ſcientes non facientibus conſcientiam confitentibus de illis ſoluendis, dixi *tom.1. cap.9. num.26.* Adde ex Leone X. in Concil. Lateranenſ. quod Fratres Confeſſores tenentur hortari, & admonere, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, ad ſoluendum Decimas, ſiue aliam ſimilem quotam iure debitam, & abſolutionem denegare recuſantibus illas ſoluere, & ſuper hoc requiſiti id populo prædicare, & perſuadere. De quo Rodriguez *dict. tom.2. quæſt.44. art.1.* & Miranda *tom.2. quæſt.49. art.34.* Vbi adnectit circa hoc præceptum, ex conceſſione Eugenij Quarti, quæ habetur in Compend. priuilegior. Mendicant. Caſſarubius *verbo Abſolutio quoad Regulares 2.* §.2. quod Fratres Minores (idem de aliis, qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habent) non tenentur facere conſcientiam dicto modo confitentibus, niſi quando ab Ordinariis fuerint requiſiti. Quod ſatis rationi & conſuetudini conforme eſt, vt credo, & ita obſeruandum, etiamſi dicta conceſſio Eugenij Quarti fuerit ſolum viuæ vocis oraculum. De Religioſis etiam vſurpantibus Decimas, qualiter incidant in excommunicationem, dixi *tom.1. cap.9. num.23.*

DEFVNCTVS.

SVMMARIVM.

1 *Defunctis ſepultura libera.*
2 *Quid ſtatutum à S. Congregatione pro Regularibus circa leuanda cadauera Defunctorum.*
3 *Quid quando aliquis moritur extra ſuam Parochiam, & vult ſepeliri in Eccleſia Regularium.*
Quomodo ad accipiendum. ibid.
4 *De munere Parochorum circa ſepulturam Defunctorum.*
4 *Cadauer non debet manere inſepultum occaſione controuerſia ſepultura.*
6 *Officia mortuorum à quibus facienda tempore ſepulturæ.*
De aliis ad illam ſpectantibus. ibid.
7 *Decretum Auditoris Cameræ.*
8 *Alia remiſſiuè.*

Circa Defunctorum ſæcularium cadauera ſepelienda, & funeranda, maximè in Eccleſiis Regularium, & ipſorum cadauerum ad Eccleſias aſſociationem, multæ ſuboriri ſolent controuerſiæ, de quibus in præſenti agere operæ pretium eſt. Et primò, quod attinet ad ſepulturam ipſorum, ex dictis *tom.2. cap.1. num.31.* conſtat, eam debere eſſe liberam pro Eccleſiis Mendicantium. Vnde Defuncti corpus, quod præter eius voluntatem non ſine violentia in quadam Eccleſia Cathedrali ſepultum fuit, transferri præcepit Sacra Congregatio ad Eccleſiam in qua ſepeliri voluit, 12. Iulij 1607. Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Defunctus.* De hoc etiam 4.tom. verbo *Sepultura.* 1

Non poſſe leuari à Regularibus corpora Defunctorum, niſi vocato, & expectato proprio ipſorum Parocho, eoque ibidem præſente, niſi ipſe aliter fieri conſentiat, aut venire expreſsè renuat, conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis dicto *cap.1. num. 31.* relata, & ex aliis quas referunt Barboſa *ſuprà*, & Nouarius *in Lucern. Regularium, verbo Defunctus, num.5.* Imo nunquam Parochum excludendum eſſe; quamuis ad ſepeliendum cadauera ſoli Fratres vocentur, conſtat ex declaratione S. Congregationis Epiſcopor. & Regular. quam eodem *cap.1. num.46.* retuli. In caſu etiam quo ad Eccleſiam Parochialem tranſlatum fuerit Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, non poſſe leuari corpus defuncti per Capitulum, aut Canonicos, niſi requiſito Parocho dictæ Eccleſiæ, declarauit S. Congreg. apud eundem Barboſam *ſupra verbo Cadauer.* 2

Pro caſu autem, quo aliquis moriatur extra ſuam Parochiam, & velit ſepeliri in Eccleſia aliqua Regularium, declarauit S. Congregatio Epiſcopor. & Regularium, 21. Decembris 1615. in vna Nepeſina Defuncti, cadauer deferendum eſſe ad Eccleſiam Parochialem ad benedictionem, ac vltimum *vale* à Parocho recipiendum, niſi Parochus ab ipſis requiſitus id facere renuerit, quia tunc recto tramite, etiam Parocho inuito, ad Eccleſiam Regularium deferri poteſt. Barboſa *ſupra verbo Defunctus.* Nouarius etiam *ſupra num.1.* ex Aldana ab ipſo relato. Hoc tamen non eſt conſuetudine 3

...ſatis fuerint requiſiti.
...dinē conformé eſt, vt
...niſi dicta conceſſio E...
...e vocis oraculum. De
...Decimas, qualiter inci-
...dixi *tom.* I. *cap.* 9.

...CTVS.

...IVM.

...gatione pro Regularibus
...functorum.
...extra ſuam Parochiam,
...Regularium.
...d.
...ſepulturam Defuncto-
...ſepultum occaſione con-
...facienda tempore ſepul-
...ibid.

...um cadauera ſepelien- 1
...io Eccleſiis Regula-
...d Eccleſias aſſociatio-
...controuerſiæ, de quibus
...eſt. Et primò, quod
..., ex dictis *tom.* 2. *cap.* 1.
...le liberam pro Eccleſiis
...corpus, quod præter
...olentia in quadam Ec-
...it, transferri præcipit
...iam in qua ſepeliri vo-
... *Collectan. Bullar verbo*
...n. verbo *Sepultura.*
...ibus corpora Defuncto- 2
... proprio ipſorum Paro-
...aſi ipſe aliter fieri con-
...tat, conſtat ex declara-
...cto *cap.* 1. *num.* 31. te-
...arboſa *ſupra*, & Noua-
...*rbo Defunctus, num.* 5.
...idendum eſſe; quamuis
...ares vocentur, conſtat
...ir Epiſcopor. & Regu-
...retulit. In caſu etiam
...tranſlatum fuerit Capi-
...ion poſſe leuari corpus
...anonicos, niſi requiſito
...rauit S. Congreg. apud
...Cadauer.
...mortuus extra ſuam 3
...cleſia aliqua Regula-
..., Epiſcopor. & Regu-
...a vna Nepeſina De-
...l Eccleſiam Parochia-
...vale à Parocho re-
...requiſitus id facere
..., etiam Parocho in-
...ferri poteſt. Barboſa
...etiam *ſupra num.* 1.
...men non eſt conſue-
...tudine

lem intra cuius limites cadauer exiſtit conueniant, & inde cum Parocho ad domum Defuncti, & ex ipſa ſub Cruce illius Eccleſiæ, ad quam tumulandus defertur, recto tramite ad ipſam pergunt. Pro quo vide dicta *tom.* I. *cap.* 12. *num.* 41. *circa quartum dubium*, & *tom.* 2. *cap.* I. *num.* 47. ac Peirinis *tom.* I. *Priuileg. Minim. in Conſtit.* 26. *Leon. X. num.* 29. [Maximè declarationem Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, 28. Nouembris 1642. vbi declaratur non licere Regularibus expectare per plateas, & vias Parochum & Clerum, ſed debere eum illis coniungi in Eccleſia Parochiali.] Conſonant etiam aliæ declarationes S. Congregationis, quas referunt idem Barboſa *ſupra*, & idem Nouarius etiam *ſupra num.* 2. in quibus decernitur quod Defunctorum corpora poſſunt directè deferri ad Eccleſiam in qua ſepelienda ſunt, non obſtante conſuetudine quod prius deferantur ad Eccleſiam Matricem, dummodo Curato ſoluantur iura ſepulturæ, & ſolita emolumenta. Pro caſu etiam quo alicubi obſeruetur, vt prædicta corpora Defunctorum antequam deferantur ad Eccleſiam Regularem, in qua elegerunt ſepulturam, deponantur in Parochiali, declarauit etiam S. Congregatio nihil propterea deberi Eccleſiæ Parochiali, exceptis iuribus Parochialibus. Barboſa *ſuprà*. Nouarius etiam *ſupra num.* 3. ex Sellio.

4 Pertinet etiam ad Parochum declarare per quam viam duci debeant Defunctorum corpora, etiam quando ad Eccleſias Regularium deferuntur, vocare Presbyteros quoſcumque, etiam relictis viciniotibus, niſi aliter diſponatur ab hæredibus Defunctorum, & omnia neceſſaria vſque ad ianuam Eccleſiæ diſponere. Ex declarationibus S. Congreg. apud Barboſam *ſupra verbo Funerale*, & Nouarium *ſupra num.* 4. ex Aldana, quem refert. Cui etiam conſonant Statuta Cleri Romani *dict. cap.* 5. Præcedit etiam Parochus in funeralibus Defunctorum Canonicos Collegiatæ, & alios Presbyteros, non autem Canonicos Cathedralis. Ex declarationibus S. Congreg. Idem Barboſa *ſupra verb. Parochianus, Parochus.*

5 Quia tamen ſæpius contingit, vt occaſione iuris Sepulturæ, controuerſiæ oriantur, declarauit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, nullo modo propterea cadauer debere manere inſepultum, ſed ſtatim ſepeliendum. Barboſa *ſupra verbo Cadauer.*

6 Qualiter officia mortuorum facienda ſint à ſolis Regularibus in eorum Eccleſiis, dixi *tom.* I. *cap.* 12. *num.* 38. & *tom.* 2. *cap.* I. *num.* 47. Declaratum tamen eſt à S. Congregatione, quod ſi Parochus fuerit in quaſi poſſeſſione id faciendi, manutenendus eſt in illa. Barboſa *ſupra verbo Parochianus, Parochus.* Quia tamen in aliis declarationibus, quas ipſe refert *ibidem verbo officium Defunctorum* I. dicitur, hoc ſpectare ad Regulares, non obſtante quauis contraria conſuetudine, ideo quoad hoc, vel attendendum ad poſteriores declarationes, vel ad patriæ conſuetudinem. De Cruce in mortuorum proceſſionibus deferenda, vide dicta verbo *Crux, num.* I. & 2. De Miſſis defunctorum dicendis, vel cantandis, & quando, vide *tom.* I. *cap.* 21. *num.* 28. Barboſam *ſuprà verbo Officium Defunctorum* I.

7 Placuit pro materiæ complemento apponere hic decretum Illuſtriſſ. D. Auditoris Cameræ, 6. Iunij 1640. quo ea quæ dixi circa funera Defunctorum à Regularibus ex decretis S. Congregationis obſeruanda, executioni mandari iubentur ſub magnis cenſuris, & pœnis contra inobedientes deſignatis. Eſt autem huiuſmodi.

[Vniuerſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prio- ... rum Rectoribus, ſeu Locumtenentibus, earum Plebanis, Viceplebanis, Curatis, vel non Curatis, cæteriſque Presbyteris, necnon Clericis, Notariis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ litteræ peruenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, imò verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. NOVARITIS ex parte, & ad inſtantiam RR. Fratrum S. Franciſci Minoris, & ſtrictioris Obſeruantiæ, ac quorumcunque eorundem RR. Fratrum Conuentuum in quibuſvis mundi partibus exiſtentium, principalium inſtantium decretum Sacræ Congregationis Rituum de, & ſuper declaratione quod officium ſuper Cadaueribus in Eccleſiis Regularium ſpectet ad ipſos Regulares, ad ſupplicationem dictorum inſtantium emanatum ſub die 17. Nouembris 1638. Nobis præſentatum fuiſſe ſub infraſcripto tenore, videlicet: SACRA Rituum Congregatio, iuxta alias reſoluta reſpondit, officium ſuper Cadaueribus in Eccleſiis Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in poſterum ſeruari mandauit, non obſtante contraria conſuetudine. Die 27. Nouembris 1638. C. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Pius, Iulius Cincius Secretarius. Loco † ſigilli. Necnon pariter aliud decretum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum DD. Cardinalium negotiis Epiſcoporum præpoſitæ ad ſupplicationes pariter eorundem RR. inſtantium emanatum die 14. Ianuarij 1639. de, & ſuper eo quod defunctorum cadauera ſepelienda ab Ædibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Eccleſias recto tramite deferri licitè poſſunt, nobis præſentatum pariter fuiſſe, ſub infraſcripto tenore, videlicet: S. Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit defunctorum Cadauera in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepelienda ab Ædibus Defunctorum ad eorundem Fratrum Eccleſias recto tramite deferri licitè poſſe, monito tamen prius, & requiſito, ac expectato proprio Defunctorum Parocho, à quo Benedictionem, & vltimum vale recipere poſſint: quo venire expreſsè recuſante, poſſint iidem Fratres etiam ipſo inuito dicta Cadauera ad ſuas Eccleſias tranſportare. Conſanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum etiam Cathedralibus Eccleſiis, compelli nullo modo poſſint. Si quæ verò immemorabilis conſuetudo in contrarium ſuper præmiſſis exiſtere prætendatur, legitimè probetur: interim præſens Decretum ad vnguem ſeruetur, prout eadem Sacra Congregatio ſeruari mandauit. Romæ die 14. Ianuar. 1639. Cardinalis Antonius Barberinus, C. Fachinetus. Loco † ſigilli. Necnon aliud Decretum Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum de, & ſuper declaratione quod quoties Cadauera defunctorum, & alia quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, ab ipſiſmet Fratribus peragi debeant ad inſtantiam eorumdemmet RR. Fratrum pariter editum die 3. Decembris 1639. Nobis præſentatum fuiſſe ſub infraſcripto tenore, videlicet: Die 3. Decembris 1639. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, cenſuit quoties Cadauera defunctorum ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia mortuorum, & reliqua quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, & peragi debere. I. B. Cardinalis Pamphilius, Franciſcus Paulutius Sacræ Congregationis Concilij Secretarius. Loco † ſigilli. Necnon aliud Decretum Sacræ Congregationis Rituum ſub die 14. Ianuarij 1640. ad ſupplicationem

tationem dictorum RR. inſtantium emanatum ſub eo quod electio, & numerus Religioſorum pro aſſociandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectet, Nobis præſentatum fuiſſe, ſub infraſcripto tenore, videlicet: SACRA Rituum Congregatio iuxta aliàs reſoluta reſpondit, electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectare, & pertinere, & ita vbique ſeruari debere declarauit. Die 14. Ianuarij 1640. P. Cardinalis Creſcentius, Iulius Cincius Secretarius: Locus † ſigilli. POST quorum quidem præinſertorum Decretorum præſentationem ex parte, & ad inſtantiam dictorum RR. Fratrum inſtantium coram Nobis infraſcripta die comparitum, & expoſitum extitiſſe, quod licet ex forma præinſertorum Decretorum Officia ſuper Cadaueribus in Eccleſiis ipſorum RR. Fratrum celebranda ad ipſos RR. Fratres ſpectent, & pertineant, non autem ad Curatos defunctorum; ac etiam pariter iidemmet RR. Fratres inſtantes poſſint, & valeant defunctorum cadauera in ipſorum Eccleſiis ſepelienda ab Ædibus defunctorum ad eorundem Fratrum Eccleſias recto tramite deferre, ſeruata ad hoc præinſerti ſecundi Decreti forma. Ac etiam ex forma tertij Decreti præinſerti, Officia mortuorum, & reliqua, quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus prædictis peragi debeant. Ac etiam ex forma quarti præinſerti decreti electio, & numerus Religioſorum pro aſſociandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectet, & pertineat, præinſertaque Decreta inuiolabiliter obſeruari, debitæque exequutioni abſque vlla contradictione in omnibus, & per omnia, ac iuxta eorum tenorem, & formam dari debeant, tamen ad eorum aures deueniſſe aſſertum extitit, quod nonnulli in exequutione præſertim nominandi & cognominandi, neſcitur quo iure ducti, qua ratione ſuffulti iactarunt, & iactant ſe velle præfatos Reuerendiſſimos inſtantes contra formam præinſertorum Decretorum, ac in eorum contemptum de, & ſuper præmiſſis in partibus moleſtare, & inquietare, & forſan moleſtant: ideo ad Nos vti exequutorem eorundemmet Decretorum recurſum habuerunt, vt de opportuno iuris remedio prouidere dignaremur. Nos igitur attendentes requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, rationique conſonam, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam vigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus ex parte Noſtra, imò verius Apoſtolica authoritate, necnon ad omnem inſtantiam, quæ vobis omnibus, & ſingulis prædictis, & veſtrûm cuilibet fieri ex parte cuiuſvis Conuentus dictorum Fratrum, moneatis, & requiratis primo, ſecundo, tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica, prout Nos etiam monemus, & requirimus, omnes, & ſingulos prædictos, & in exequutione præſentium nominandos & cognominandos, tam coniunctim, quàm diuiſim, & alias omni meliori modo, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio, vltimo, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem ſub mille ducatorum auri in auro R. Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & pro illius mandati executione ſuſpenſionis à diuinis, priuationis beneficiorum, inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, ac in iuris ſubſidium, quatenus opus ſit, excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſi ſecus, &c. debeant, & quilibet veſtrum debeat, præinſertis Decretis in omnibus, & per omnia obtemperaſſe, dictaque præinſerta Decreta fore, & eſſe exequenda, debitæque exequutioni demandanda, ipſoſque in iuris ſubſidium excommunicandos, & declarandos fore, & eſſe ob non paritionem illorum, ac niſi illis paruerint, declarari vidiſſe, ac de omnibus damnis, expenſis, & intereſſe præmiſſorum occaſione quomodolibet paſſis, & factis, & in futurum forſan faciendis, & patiendis integrè ſatisfeciſſe, & in illis ſe condemnari vidiſſe; & quaſcumque ſententias etiam declaratorias, Decreta, ſeu mandata in præmiſſis neceſſaria, & opportuna, aliaque de iure quomodolibet requiſita fieri, ferri, & decerni, & relaxari vidiſſe, & audiuiſſe ad fauorem præfatorum RR. inſtantium deducentium in præmiſſis omne ius, omneque remedium prædicto, & omni alio meliori modo, ſibique ius, & iuſtitiam miniſtrari petentium, ac nobile officium Iudicis, & beneficium iuris implorantium, non ſolùm præmiſſo, verum etiam omni alio meliori modo, &c. Et inſuper inhibeatis eiſdem prout Nos tenore præſentium inhibemus, & inhibendo expreſsè præcipimus, & mandamus, ne viſis, & receptis præſentibus ſub pœnis, & cenſuris antedictis, audeant, ſeu præſumant, aut aliquis ipſorum audeat ſeu præſumat quidquam contra formam præinſertorum decretorum innouare, ſeu attentare, aut innouari facere, ſub quouis prætextu, cauſa, ingenio, vel quæſito colore: quod ſi ſecus factum fuerit, id totum reuocare, & in priſtinum ſtatum reducere curabimus iuſtitia mediante. ALIOQVIN prædictos ſic monitos, ſi in præmiſſis ſe fore grauatos ſenſerint, modo, & forma præmiſſis peremptoriè citetis, & citati curetis, prout Nos etiam citamus eoſdem quatenus decimaquinta die poſt præſentium exequutionem ſi dies ipſa iuridica fuerit, alioquin prima die iuridica ex tunc proxima immediatè ſequente, compareant Romæ in iudicio legitimè coram Nobis, vel noſtro in Ciuilibus cauſis R.P.D. Locumtenente infraſcripto cauſam eorum grauaminis allegaturi, aliaque dicturi, & facturi, prout iuſtitia ſuadebit, & ordo dictauerit rationis, &c.]

[Et ſpecialiter nota intentionem S. Congregatio- 8
nis Regularium eam eſſe, vt non ſolum cadauera defunctorum qui ſibi Sepulturam elegerunt in Eccleſiis Regularium, in eiſdem ſepeliantur, ſed etiam quod caſu quo alibi ſepeliantur, reſtituantur dictis Eccleſiis, prout conſtat in facto ex declaratione eiuſdem S. Congreg. 1. Martij 1641. vbi ſimiliter declarauit quod in caſu quo cadauer ſit ita corruptum, vt non poſſit ab aliis diſcerni, & transferri ad Eccleſiam in qua ſepoltura electa erat, quod Parochus faciat decretum per quod declaret, non propterea præiudicatum fuiſſe iuri ſepulturæ, & aliis rationibus dictorum Regularium.] Vide alia verbo *Habitus*, & 4. tom. verbo *Sepultura*.

Vidi etiam poſtea declarationes aliquas Sacræ Congregationis circa quæſita aliqua Patrum diſcalceatorum S. Auguſtini, quas hoc loco placuit adiungere pro maiori intelligentia eorum quæ dicta ſunt in præcedentibus.

Prima eſt in quadam *Tropenſi*, vbi cum Archipreſbyter Cathedralis cum ſuis presbyteris geſtarent corpus cuiuſdam Defuncti ad Eccleſiam prædictorum Patrum vbi erat relictum, violenter ingreſſi fecerunt officium pro illo, & ex feretro acceperunt candelas. Ad quæ *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, iuxta aliàs reſoluta, reſpondit officium ſuper Cadaueribus in Eccleſiis Regularium, ad ipſos Regulares ſpectare, & pertinere, & nullo modo ad Parochos defunctorum, etiamſi ſint Archipreſbyteri, aut curati Cathedralium, & ideo in caſu propoſito cenſuit reſtituendam eſſe ratam Candelarum, ſeu Intorſitiorum, cum quibus fuit aſſociatum cadauer Regularibus Oratoribus, prout omnino*

nino reſtitui , & ita in poſterum ſeruari mandat die 27. *Maij* 1639.

Similiter cum Procurator Generalis eorundem Patrum ſupplicauit Sacram Congregationem, vt declararet verba Conſtitutionum eius Religionis *part.* 1. *cap.* 14. §.12. videlicet , *ſi qui ob deuotionem in noſtris Eccleſiis ſepeliri velint, illorum corpora à fratribus ante Eccleſia portam expectabuntur & recipientur ſepultura mandanda : auditis partibus , Sacra Congregatio iuxta aliàs reſoluta reſpondit, corpora Defunctorum , qui in Eccleſiis Regularium ſepulturam ſibi elegerunt, eſſe prius ad Eccleſiam Parochialem deferenda , ſed Parochos teneri Cadauera ſuorum Parochianorum leuare è loco vbi aſſeruantur , & aſſociare vſque ad Portam Eccleſia Regularium , etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus , nec Parochos ſe ingerere poſſe in faciendo ſuper eiſdem Cadaueribus officium in Eccleſiis Regularium , ſed ad ipſos Regulares in propria Eccleſia ſpectare , & pertinere , & ita in caſu propoſito ſeruari mandauit die* 6. *Iuly* 1641.

DEGRADATIO.

SVMMARIVM.

1 *Degradatio quid ſit.*
Quotuplex ſit. ibid.
2 *Quomodo differat à cenſuris.*
Quomodo ab Irregularitate. ibid.
3 *Cui competat degradare.*
4 *Cui degradatos reſtituere.*
5 *Degradati quibus priuentur.*
6 *Alia remiſſiuè.*

1 DEgradatio propriè , & quatenus à depoſitione diſtinguitur, prout colligitur *ex cap. Degradatio, de pœnis* 6. eſt duplex : alia verbalis, alia actualis, ſeu realis. Degradatio verbalis eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua Eccleſiaſtica perſona verbis priuatur omni officio, beneficio, & priuilegio clericali in perpetuum ſine ſpe illud conſequendi. Degradatio vero actualis, ſeu realis, eſt pœna Eccleſiaſtica , qua Eccleſiaſtica perſona realiter, ac actualiter priuatur omni officio , beneficio , & priuilegio clericali in perpetuum, abſque vlla ſpe illud conſequendi cum quadam ſolemnitate. Syluester *in ſumma verbo Degradatio, num.* 1. Vnde degradatio verbalis & realis computantur ſicut ſententia , & executio ſententiæ : nam per illam profertur ſententia ; per iſtam verò mandatur executioni quoad aliquas actiones. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 2. Conueniunt in hoc quod non priuant caractere clericali, & conſequenter non impediunt quo minus actus Ordinis facti à degradatis validi ſint, cum caracter ſit ſignum indelebile , licet illi peccent eos exercentes contra Eccleſiæ prohibitionem. Syluester *ſuprà num.* 9. Suarez *ſupra.* Conueniunt etiam in hoc quod per illas non priuantur degradati illis oneribus, quæ ex ordinatione Eccleſiæ ſequuntur Ordines , vt ſunt obligatio recitandi Officium , ſeruandi caſtitatem cum inhabilitate ad matrimonium contrahendum , cum non imponantur ad tollendum onera , ſed honores. Toletus *in Summa lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 1. Suarez *ſupra num.* 3. Item conueniunt, quod neutra ſit à iure ipſo facto incurrenda, ſed per hominis ſententiam, vt de ſe patet, & conſtat ex vſu Eccleſiæ. Suarez *ibid. num.* 3. Vtraque etiam reddit hominem infamem , cum non imponantur niſi propter grauiſſimum delictum publicum. Suarez *n.* 5. De cæremoniis autem quibus fiunt, agitur in dicto *cap. Degradatio, de pœnis in* 6. Vide Syluestrum *ſupra n.* 1. 2. *&* 3. Toletum *ſupra n.* 2. & Laymanum *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. *&* 5. ac præcipuè Pontificale Romanum. De criminibus quæ merentur degradationem agunt Syluest. *ſupra n.* 6. Bonacina *de Cenſuris diſp.* 4. *punct. vnico, num.* 6. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Allegat.* 110. *num.* 18. & ſequentibus.

Differt Degradatio propriè dicta , de qua in præſenti , ab excommunicatione, ſuſpenſione , & interdicto , quia iſtæ ſunt cenſuræ , cum ſint pœnæ medicinales, quæ auferri poſſunt, poſita reſipiſcentia delinquentia. Degradatio verò non eſt talis , ſed purè vindicatiua pœna, & vinculum indiſſolubile , carens ſpe remiſſionis, Suarez *ſupra num.* 9. Bonacina *de cenſur. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 4. Eſto Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. S. Thom. tract.* 5. *de Cenſur. diſp.* 1. *dub.* 2. poſt alios degradationem inter cenſuras referat. Differt etiam à depoſitione , quia depoſitio propriè, & prout à Degradatione ſecernitur, non includit priuationem priuilegij clericalis, ſcilicet canonis, & fori, prout eam includit degradatio. Syluester *ſupra n.* 1. Sanchez *tom.* 1. *conſil. mor. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 32. *num.* 248. Hinc tamen nota , depoſitionem vocari Degradationem verbalem, & Degradationem verbalem vocari depoſitionem, *cap. dictum* 81. *diſt. & cap.* 2. *de Cleric. excommunicat. miniſt.* Aldrete *de religioſa diſciplina lib.* 2. *cap.* 27. §. 4. *n.* 9. Ab Irregularitate quoque differt , quia irregularitas vt talis non eſt pœna , ſed inhabilitas quædam ; Degradatio verò eſt pœna. Ab aliis autem priuationibus quæ etiam ſunt pœnæ differt Degradatio , non ſolùm quia Degradatio veluti priuatio eſt totalis ab officio , beneficio, & priuilegio Clericorum ; illæ autem veluti partiales, ab officio ſcilicet , beneficio , vel ſimilibus ; & quia non fiunt cum ea ſolemnitate qua Degradatio, ſed etiam quia illæ non ſunt pœnæ irremiſſibiles , aut carentes ſpe diſpenſationis, ſicut ipſa. 2

Specialiter quod attinet ad Regulares nota , Prælatos Regulares non habere poteſtatem degradandi Degradatione actuali , ſeu reali ſuos ſubditos, nec iure communi , quia ius commune deſignat ſolum ad id munus Epiſcopum, *cap. degradatio, de pœnis in* 6. vel ſaltem eius Vicarium, ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *de reformat. cap.* 4. Et ratio eſſe poteſt, quia ſicut admittere ad Ordines, ſeu Ordinare, ſolum ſpectat ad Epiſcopum, ſic deiicere ab illis , eo modo quo fieri poteſt talis deiectio, ſolum ſpectabit ad illum. Neque ex priuilegio, quia nullum de hac re, quod ego viderim, extat, nec denique ex conſuetudine, de qua nihil audiui , Saytus *de cenſur. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 28. Barboſa *ſupra num.* 25. Quare ſi caſus eſſet quod Religioſus committat crimen Degradatione dignum , vocandus eſt Epiſcopus. Quo ſenſu , & non alio accipiendi ſunt Ioannes de Ligniaco *in cap. nec in agro , de ſtatu Monach.* & Abbas *in cap. cum contingat*, quos referunt, & ſequuntur *de iuriſdict. Ordinar. in exemp. part.* 2. *quæſt.* 45. *n.* 98. & Barboſa *ſupra num.* 28. dum dicunt Epiſcopum cognoſcere contra exemptos in omnibus criminibus actualem ſeu ſolemnem Degradationem requirentibus. De verbali autem degradatione loquendo, fieri poſſe à Prælatis Regularibus admittit Aldrete *ſupra , lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. *&* 25. 3

Similiter nec poſſunt dicti Prælati ſubditos degradatos in priſtinum ſtatum reſtituere , ſeu cum illis diſpenſare in hac pœna , caſu quo poſt degradationem Religioſus non eſſet tradendus Curiæ ſeculari , vel conſtaret iniuſtè eſſe condemnatum. Eſt enim ex natura ſua indiſpenſabilis , niſi ſolum à Papa. Syluester *ſupra num.* 21. Bonacina *ſupra n.* 4. Nec ex vi quorumcumque priuilegiorum concedentium facultatem dictis Prælatis diſpenſandi cum ſuis ſubditis in quibuſcumque pœnis , de quibus egi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 35. *cap.* 18. *num.* 46. propter eandem rationem , & etiam quia vt habetur *cap. vltim. de offic. Vicarij in* 6. in generali conceſſione non veniunt illa quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus : hoc autem priuilegium, 4

quia

quia eſt de grauiſſima, & rarò contingenti, non eſt credendum à Pontifice concedi, niſi illud exprimatur. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 13. & tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 49.*

5 Degradati realiter, aut etiam verbaliter non potiuntur priuilegio canonis, nec fori, itavt percutiens illos non maneat excommunicatus, & iudicari poſſit apud Iudices ſæculares, *cap. nouimus, de verb. ſignificat. cap. Degradatio, de pœnis in 6.* Syluester *ſupra num. 1. & 8.* Aldrete *ſupra lib. 2. cap. 27. §. 4. num. 13.* Vnde cum Authores communiter dicunt per degradatiunem verbalem non amittere degradatum priuilegium clericale, intelligendi ſunt de degradatione verbali, quæ eſt idem quod depoſitio, quæ ſcilicet non ordinatur ad actualem; non de illa verbali, & reſpectiua, quæ eſt præambula ad degradationem actualem, de qua in præſenti. Aldrete *ſuprà num. 11. & 13.*

6 Vide alia verbo *Depoſitio*, & 4. *tom.* verbo *Pœna Eccleſiaſtica.*

DELINQVENS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
De Regulari intra clauſtra degente, ſed extra illa notoriè delinquente. ibid.
2 *An incarcerari poſſit ab Epiſcopo.*
3 *Quid facere debeat Prælatus ab Epiſcopo monitus.*
4 *An ſufficiat mittere ſententiam contra illum latam.*
5 *Intra quod tempus debeat ipſum punire.*
6 *Quid ſi Religioſus delinquat intra Eccleſiam.*

1 DE hac materia non pauca dixi *tom. 1. cap. 11. n. 8. 10. & 11. & cap. 16. num. 26. & 27.* & in hoc tertio tomo verbo *Cauſa iudiciales Regularium*: nunc tamen aliqua addenda ſunt maximè circa Regularem intra clauſtra degentem, ſed extra illa notoriè, & ſcandaloſè delinquentem. De hoc enim decernit Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 14.* quod Epiſcopo inſtante à ſuo Superiori intra tempus ab Epiſcopo præfigendum puniri debeat, & Clemens VIII. in Bulla *Suſcepti muneris*, ſtatuit pœnas in Superiores negligentes illum punire, prout in *cap. 16. num. 26.* retuli.

2 Quamuis autem nec Concilium, nec Clemens Papa ſtatuerint prædictum Regularem intra clauſtra degentem, extra illum delinquentem ab Epiſcopo incarcerari poſſe, quod etiam declaratum à S. Congregatione refert Aldrete *lib. 1. de Religioſ. diſcipl. cap. 3. num. 40.* ſed ſolum debere inſtare Prælato pro ipſius punitione; nihilominus aliqui quos retuli eo *num. 27.* in 2. & 3. editione, quibus adde Piaſecium *in praxi Epiſcopor. part. 2. cap. 3. num. 43.* & Nouarium *in lucern. Regular. verbo delinquens, num. 5.* autumant id fieri poſſe. Quod intelligo, iuxta dicta ibidem in caſu quo Epiſcopus timeret fugam Religioſi, aliàs ſecus. Quorſum enim incarcerare debet quem non poteſt punire, nec ipſius fugam timet? Caſu autem quo incarceretur, quamuis ſimiliter nec ex decreto Concilij, nec ex Clement. VIII. habeatur Epiſcopum poſſe ſumere informationem ſuper delictum, & eius notorietatem, nihilominus quia ex declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 105.* & Nouarius *ſupra num. 9.* habetur id fieri poſſe, admittendum id eſt, dummodo tamen ſtatim, & ſine mora id fiat, & informatio ſtatim ad Superiorem Religioſi remittatur, prout etiam declaratum videtur à S. Congregatione in declaratione, quam affert idem Nouarius *num. 6.* ſicque indicat Barboſa *ſuprà num. 19.* ex Piaſecio *ſupra.* Addit idem Nouarius *n. 7.* ex Genuenſi *in Praxi Curiæ Epiſcop. c. 19.* & rectè, quod ſi Epiſcopus differret capere informationem, & Regularem carceribus vexaret, non euitaret excommunicationem (intellige impoſitam contra Ordinarios procedentes contra Regulares priuilegiatos, vel *in cap. ſi quis*) idque Neapoli obſeruatum teſtatur.

Quamuis etiam ad hoc quod Superior Regularis 3
debeat punire prædictum Regularem, poſſet quantum ex vi decreti Concilij, & Conſtitutionis Clement. VIII. expectare quod ſæpius de ea re moneatur ab Epiſcopo, quia Concilium, & Pontifex vtuntur verbo inſtare, *inſtante Epiſcopo*, quod denotat vrgere cum quadam importunitate (Baldus *in l. eos, §. Apoſtolos, num. 3. Cod. de appellat.* Aldrete *ſupra num. 37.* ex Rodriguez ab eo relato) idque ſit rationi conſentaneum, cum poſſit contingere quod Epiſcopus deceptus ſit, ſeu non benè informatus de delicto Religioſi, nihilominus Superior Regularis ſtatim ad primam monitionem Epiſcopi debet procedere ad punitionem talis Religioſi, non ſolum ne propter eius moram credatur illius delicto conniuere, vt habet idem Aldrete *ſupra num. 38.* ſed etiam, quia ita declaratum dicitur à Sacra Congregatione, referentibus Barboſa *ſupra num. 20.* & Nouario etiam *ſupra num. 9.*

Cum autem in dictis decreto Concil. Trident. & Conſtit. Clementis ſtatuatur, vt Prælatus Regularis certiorem faciat Epiſcopum de punitione dicti Religioſi, ideo non ſufficit quod ad illum mittat Prælatus ſententiam, ſeu copiam illius, vel Acta ſuper delictum illius; ſed requiritur quod de punitione ipſa, aut executione ſententiæ illum faciat certiorem. Ita enim declaratum eſt à S. Congregat. referentibus eiſdem Barboſa, & Nouario *ſupra.* Quod tamen limitandum videtur, niſi executio ſententiæ requireret ſucceſſionem temporis, vt ſi Religioſus propter illud delictum damnatus eſſet ad diſciplinam, v. g. recipiendam per annum omnibus ſextis feriis, tunc enim ſufficeret certiorem facere Epiſcopum de ſententia, & qualiter incepta eſt adimpleri.

Quia tamen Concilium, & Clemens VIII. locis relatis ſtatuunt Prælatum Regularem teneri punire dictum Religioſum intra tempus ab Epiſcopo deſignandum, animaduertendum eſt, quod ſi intra illud tempus 4
non potuerit illum punire, vel ob defectum iuriſdictionis, vel ob aliam cauſam, poſtulare debere ab Epiſcopo termini prorogationem, quam debet Epiſcopus concedere, quia terminus competens concedi debet, *cap. 1. de dilat. cap. ſecundò requiris, §. 1. de appellat. cap. legitima, de appellat.* alioquin irrita eſſet ratio, qua breuiſſimo tempore aſſignato, Epiſcopus Religioſum contra exemptionem Religioſorum ſemper punire poſſet. Aldrete *ſupra num. 38.*

Nota hic aliam declarationem Sacræ Congrega- 5
tionis, quam referunt relati Barboſa, & Nouarius *ſupra*, ex qua habetur Concilij deciſionem non ſolum procedere in caſu quo Religioſus extra clauſtra deliquerit, intellige notoriè, & ſcandaloſè, vt dictum eſt, ſed etiam quando deliquerit intra Eccleſiam ſui Monaſterij. Quod etſi durum videatur, cum Religioſus in Eccleſia ſui Monaſterij exiſtens intra clauſtra exiſtere dicatur, acquieſcendum tamen deciſioni Sacræ Congregationis, ſi de ea authenticè conſtet. Niſi fortè dicatur, & congruentiùs, intelligi de alia Eccleſia ſui Ordinis extra propriam ſui Monaſterij. [Similiter nota Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 17. Auguſti 1635. ordinaſſe Illuſtriſſimo Nuncio Neapolitano, ne procederet contra quendam Religioſum ſub prætextu quod extra clauſtra deliquiſſet, quandoquidem Reuerendiſſimus Generalis Ordinis contra ipſum procedere volebat.

DENVN

Digitized by Google

Denunciare pro Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio remiſſiuè.*
2 *Denunciatio quid ſit.*
Quotuplex ſit. ibid.
3 *De Euangelica, & iudiciali remiſſiuè.*
4 *Tenentur Regulares denunciare hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos.*
Etiamſi non poſſint probare delictum. ibid.
An præmittere debeant correctionem fraternam. ibid.
Quæ ſcientia requiratur delicti ad hanc denunciationem faciendam. ibid.
An pater filium, filius patrem, vir uxorem, & vxor virum teneantur denunciare. ibid.
An idem ſeipſum. ibid.
5 *Quid de obligatione denunciandi Confeſſarios ſollicitantes ad inhoneſta.*
Quomodo intelligenda quæ dixi tomo 1. Summæ, in prima editione. ibid.
Denunciari debent tales Confeſſarij, etiam non diffamati. ibid.
Sub peccato mortali. ibid.
Quando, & quomodo facienda. ibid.
6 *Quid de Confeſſario ſolicitato à fœmina.*
De quibus ſolicitatoribus intelligenda Conſtitutio Gregorij XV. ibid.
An etiam de Sacerdotibus, non Confeſſarijs, aut de merè laicis accipienda. ibid.
7 *Edicta, quæ præcipiunt hanc denunciationem licita ſunt.*
Etiamſi præcipiant illam, non præmiſſa correctione fraterna. ibid.
Qui teneantur ad illam? ibid.
An denunciantes fiant irregulares ſecuta morte denunciati. ibid.
8 *Denunciatio facienda eſt intra terminum præfixum in edictis.*
Quid ſi non fiat intra talem terminum. ibid.
Quid de illo, qui ignorauit edictum tempore quo terminus currebat. ibid.
An ante terminum obligent aliquando talia edicta. ibid.
9 *Dubium, an in Inquiſitione generali denunciatio accipiatur formaliter.*
10 *Reſponſio affirmatiua, ſi aliqua ſeruentur.*
11 *Denunciatio eſt delatio criminis ad vindictam.*
12 *In Generali Inquiſitione hoc contingit.*
13 *Differentia, quæ eſt inter denunciationem Euangelicam, & iudicialem.*
14 *Denunciatio, quæ fit in generali Inquiſitione formaliter eſt accipienda.*
15 *Natura Inquiſitionis generalis.*
16 *Et præparatio ad Iudicium perfectum.*
17 *Sapit naturam ipſius.*
18 *Colligitur ex monitoriis.*
19 *Verba accipienda ſecundum propriam ſignificationem.*
20 *Forma, & ſtylus, qui ſeruatur.*
21 *Fruſtra fieret Inquiſitio.*
22 *Debet præcedere infamia delicti.*
23 *In aliquibus delictis non requiritur.*
24 *Ea præcedente, Iudex vocat denunciatorem.*
25 *Denunciator non tenetur probare ſuum teſtimonium.*
26 *Si conuincitur falsò denunciaſſe, punitur tanquam calumniator.*
27 *De quodam damnato ad mortem, qui tenebatur denunciare hæreticum.*

29 *Abſolutio Sacramentalis non datur indignis.*
30 *Iſte eſt indignus.*
31 *Decretum ſanctæ Inquiſitionis.*
32 *Aliud decretum.*
33 *Excuſatio, quæ non admittitur.*
34 *Per accidens eſt, quod iſte damnetur.*
35 *Quid de quadam declaratione Sacræ Congregationis.*
36 *Quid de circumſtantiis, in quibus creditur bona fides.*
37 *Quomodo ea colligatur.*
38 *An debeat admoneri.*

DE hac materia præter dicta ſuprà verbo *Accuſare, & Accuſator*, alia addenda, maximè quatenus ad Regulares ſpectare poteſt. 1

Denunciatio eſt *criminis manifeſtatio facta ſuperiori*. Syluester *in ſumma, verbo Denunciatio, num.* 1. Sanchez *tom. 2. conſil. Moral. lib. 6. cap. 1. in Proœmio.* Eſt duplex, iuxta dicta *tom. 1. cap. 27. num. 1.* ſcilicet Euangelica, & iudicialis. Prior eſt, quæ fit Prælato, non vt Iudici, ſed vt Patri, non ad proceſſum formandum, ſed ad correctionem, vel emendam: poſterior eſt, quæ fit Prælato vt Iudici ad formandum proceſſum, & puniendum delinquentem. Addit Sanchez *ſuprà* denunciationem canonicam, quæ fit Superiori ad impedienda mala quæ ex peccato procedunt, & alij alias denunciationes adiungunt: ſed illæ coincidunt cum duabus aſſignatis. Syluester *ſupra*. 2

Loquendo de denunciatione Euangelica, quæ fit Prælato vt Patri, aliqua dixi eo *cap. 27.* & deſeruiunt ea, quæ attuli ſupra verbo *Accuſare, & Accuſator*. Solùm ergo diſcutienda eſt denunciatio iudicialis, & non ea quæ fit Prælatis Regularibus pro Regularium iudiciis, quia de iſta ſufficienter dixi locis relatis; ſed de ea tantum quæ præcipitur facienda in aliquibus edictis, verbi gratia de hæreticis, ſolicitatoribus ad inhoneſta in Confeſſione, & ſimilibus. 3

Et quidem Regulares omnes quicumque illi ſint, teneri denunciare hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectas quaſcumque perſonas, conſtat ex dictis ſuprà verbo *Accuſator, num. 7.* ex Conſtitutione Pauli V. & decreto S. Generalis Inquiſitionis Romanæ eo loco adductis, & idem eſt proportionaliter in Regnis Hiſpaniarum, vbi ſupremum Tribunal S. Inquiſitionis Hiſpanæ viget, propter edicta ipſius. Tenentur autem ad huiuſmodi denunciationem faciendam, etiamſi delictum probare non poſſint, propter dicta eo verbo *Accuſator*, ſcilicet, quod in Tribunali S. Inquiſitionis ſeruatur, quod denunciator non teneatur probare delictum quod denunciat. An verò teneatur id facere non præmiſſa correctione fraterna, quando eſt ſpes emendæ, eſt grauis controuerſia inter Doctores, & duplex opinio: vna affirmatiua; negatiua alia, quarum auctores refert Diana *part. 1. Tract. 4. reſol. 2.* Eſto autem vtraque probabilis ſit, in praxi tamen ſequi conuenit opinionem negantem præſequiti talem correctionem fraternam, tum quia vix, aut nullo modo credi debet hæreticum, qui Eccleſiam non audit, auditurum monitionem vnius perſonæ: tum quia ita ſolent præcipere DD. Inquiſitores in ſuis edictis, quibus parendum eſt, vtpotè viris doctiſſimis, & qui magna diligentia & zelo bonum commune Fidei, & Religionis procurant; de quo etiam inferiùs *num. 7.* Suarez *de fide diſput. 20. ſect. 4. num. 11.* Sanchez *tomo 2. Conſil. moral. lib. 6. cap. 2. dub. 5. num. 6.* Ioannes Sanctius *in ſelect. diſp. 11. num. 56.* Hoc tamen intelligendum eſt de hæreticis pertinacibus, illis ſcilicet, qui errores in fide ex malitia proferunt, non de illis, qui ex aliqua ſimplicitate, vel ignorantia, quales ſunt aliqui Concionatores, id faciunt; iſti enim non ſunt propriè 4

qnia eſt de grauiſſima, & rarò contingenti, non eſt credendum à Pontifice concedi, niſi illud exprimatur. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 13. & tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 49.*

5 Degradari realiter, aut etiam verbaliter non potiuntur priuilegio canonis, nec fori, itavt pecutiens illos non maneat excommunicatus, & iudicari poſſit apud Iudices ſæculares, *cap. nouimus, de verb. ſignificat. cap. Degradatio, de pœnis in 6.* Syluester *ſupra num. 1. & 8.* Aldrete *ſupra lib. 2. cap. 27. §. 4. num. 13.* Vnde cum Authores communiter dicunt per degradationem verbalem non amittere degradatum priuilegium clericale, intelligendi ſunt de degradatione verbali, quæ eſt idem quod depoſitio, quæ ſcilicet non ordinatur ad actualem; non de illa verbali, & reſpectiua, quæ eſt præambula ad degradationem actualem, de qua in præſenti. Aldrete *ſuprà num. 12. & 13.*

6 Vide alia verbo *Depoſitio*, & 4. *tom.* verbo *Pœna Eccleſiaſtica.*

DELINQVENS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
De Regulari intra clauſtra degente, ſed extra illa notoriè delinquente. ibid.
2 *An incarcerari poſſit ab Epiſcopo.*
3 *Quid facere debeat Prælatus ab Epiſcopo monitus.*
4 *An ſufficiat mittere ſententiam contra illum latam.*
5 *Intra quod tempus debeat ipſum punire.*
6 *Quid ſi Religioſus delinquat intra Eccleſiam.*

1 DE hac materia non pauca dixi *tom. 1. cap. 11. n. 8. 10. & 11. & cap. 16. num. 26. & 27.* & in hoc tertio tomo verbo *Cauſa iudicialis Regularium*: nunc tamen aliqua addenda ſunt maximè circa Regularem intra clauſtra degentem, ſed extra illa notoriè, & ſcandaloſè delinquentem. De hoc enim decernit Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 14.* quod Epiſcopo inſtante à ſuo Superiori intra tempus ab Epiſcopo præfigendum puniri debeat, & Clemens VIII. in Bulla *Suſcepti muneris*, ſtatuit pœnas in Superiores negligentes illum punire, prout eo *cap. 16. num. 26.* retuli.

2 Quamuis autem nec Concilium, nec Clemens Papa ſtatuerint prædictum Regularem intra clauſtra degentem, extra illum delinquentem ab Epiſcopo incarcerari poſſe, quod etiam declaratum à S. Congregatione refert Aldrete *lib. 1. de Religioſ. diſcipl. cap. 3. num. 40.* ſed ſolum debere inſtare Prælato pro ipſius punitione; nihilominus aliqui quos retuli eo *num. 27.* in 2. & 3. editione, quibus adde Piaſecium *in praxi Epiſcopor. part. 2. cap. 5. num. 43.* & Nouatium *in lucern. Regular. verbo delinquens, num. 5.* autumant id fieri poſſe. Quod intelligo, iuxta dicta ibidem in caſu quo Epiſcopus timeret fugam Religioſi, aliàs ſecus. Quorſum enim incarcerare debet quem non poteſt punire, nec ipſius fugam timet? Caſu autem quo incarceretur, quamuis ſimiliter nec ex decreto Concilij, nec ex Clement. VIII. habeatur Epiſcopum poſſe ſumere informationem ſuper delictum, & eius notorietatem, nihilominus quia ex declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 105.* & Nouarius *ſupra num. 9.* habetur id fieri poſſe, admittendum id eſt, dummodo tamen ſtatim, & ſine mora id fiat, & informatio ſtatim ad Superiorem Religioſi remittatur, prout etiam declaratum videtur à S. Congregatione in declaratione, quam affert idem Nouarius *num. 6.* ſicqua indicat Barboſa *ſuprà num. 19.* ex Piaſecio *ſupra.* Addit idem Nouarius *n. 7.* ex Genuenſi *in Praxi Curia Epiſcop. c. 19.* & rectè, quod ſi Epiſcopus differret capere informationem, & Regularem carceribus vexaret, non euitaret excommunicationem (intellige impoſitam contra Ordinarios procedentes contra Regulares priuilegiatos, vel *in cap. ſi quis*) idque Neapoli obſeruatum teſtatur.

3 Quamuis etiam ad hoc quod Superior Regularis debeat punire prædictum Regularem, poſſet quantum ex vi decreti Concilij, & Conſtitutionis Clement. VIII. expectare quod ſæpius de ea re moneatur ab Epiſcopo, quia Concilium, & Pontifex vtuntur verbo inſtare, *inſtante Epiſcopo*, quod denotat vrgere cum quadam importunitate (Baldus *in l. eos, §. Apoſtolos, num. 3. Cod. de appellat.* Aldrete *ſupra num. 37.* ex Rodriguez ab eo relatu) idque ſit rationi conſentaneum, cum poſſit contingere quod Epiſcopus deceptus ſit, ſeu non benè informatus de delicto Religioſi, nihilominus Superior Regularis ſtatim ad primam monitionem Epiſcopi debet procedere ad punitionem talis Religioſi, non ſolum ne propter eius moram credatur illius delicto conniuere, vt habet idem Aldrete *ſupra num. 38.* ſed etiam, quia ita declaratum dicitur à Sacra Congregatione, referentibus Barboſa *ſupra num. 20.* & Nouatio etiam *ſupra num. 9.*

Cum autem in dictis decreto Concil. Trident. & Conſtit. Clementis ſtatuatur, vt Prælatus Regularis certiorem faciat Epiſcopum de punitione dicti Religioſi, ideo non ſufficit quod ad illum mittat Prælatus ſententiam, ſeu copiam illius, vel Acta ſuper delictum illius; ſed requiritur quod de punitione ipſa, aut executione ſententiæ illum faciat certiorem. Ita enim declaratum eſt à S. Congregat. referentibus eiſdem Barboſa, & Nouario *ſupra.* Quod tamen limitandum videtur, niſi executio ſententiæ requireret ſucceſſionem temporis, vt ſi Religioſus propter illud delictum damnatus eſſet ad diſciplinam, v. g. recipiendam per annum omnibus ſextis feriis, tunc enim ſufficeret certiorem facere Epiſcopum de ſententia, & qualiter incepta eſt adimpleri.

4 Quia tamen Concilium, & Clemens VIII. locis relatis ſtatuunt Prælatum Regularem teneri punire dictum Religioſum intra tempus ab Epiſcopo deſignandum, animaduertendum eſt, quod ſi intra illud tempus non potuerit illum punire, vel ob defectum iuriſdictionis, vel ob aliam cauſam, poſtulare debere ab Epiſcopo termini prorogationem, quam debet Epiſcopus concedere, quia terminus competens concedi debet, *cap. 1. de dilat. cap. ſecundò requiris, §. 1. de appellat. cap. legitima, de appellat.* alioquin irrita eſſet ratio, qua breuiſſimo tempore aſſignato, Epiſcopus Religioſum contra exemptionem Religioſorum ſemper punire poſſet. Aldrete *ſupra num. 38.*

5 Nota hic aliam declarationem Sacræ Congregationis, quam referunt relati Barboſa, & Nouarius *ſupra*, ex qua habetur Concilij deciſionem non ſolum procedere in caſu quo Religioſus extra clauſtra deliquerit, intellige notoriè, & ſcandaloſè, vt dictum eſt, ſed etiam quando deliquerit intra Eccleſiam ſui Monaſterij. Quod etſi durum videatur, cum Religioſus in Eccleſia ſui Monaſterij exiſtens intra clauſtra exiſtere dicatur, acquieſcendum tamen deciſioni Sacræ Congregationis, ſi de ea authenticè conſtet. Niſi fortè dicatur, & congruentiùs, intelligi de alia Eccleſia ſui Ordinis extra propriam ſui Monaſterij. [Similiter nota Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 17. Auguſti 1635. ordinaſſe Illuſtriſſimo Nuncio Neapolitano, ne procederet contra quendam Religioſum ſub prætextu quod extra clauſtra deliquiſſet; quandoquidem Reuerendiſſimus Generalis Ordinis contra ipſum procedere volebat.

DENVNCIATIO, ET Denunciare pro Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio remiſſiuè.*
2 *Denunciatio quid ſit.*
Quotuplex ſit. ibid.
3 *De Euangelica, & iudiciali remiſſiuè.*
4 *Tenentur Regulares denunciare hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos.*
Etiamſi non poſſint probare delictum. ibid.
An præmittere debeant correctionem fraternam. ibid.
Quæ ſcientia requiratur delicti ad hanc denunciationem faciendam. ibid.
An pater filium, filius patrem, vir vxorem, & vxor virum teneantur denunciare. ibid.
An idem ſeipſum. ibid.
5 *Quid de obligatione denunciandi Confeſſarios ſolicitantes ad inhoneſta.*
Quomodo intelligenda quæ dixi tomo 1. Summæ, in prima editione. ibid.
Denunciari debent tales Confeſſarij, etiam non diffamati. ibid.
Sub peccato mortali. ibid.
Quando, & quomodo facienda. ibid.
6 *Quid de Confeſſario ſolicitato à fœmina.*
De quibus ſolicitatoribus intelligenda Conſtitutio Gregorij XV. ibid.
An etiam de Sacerdotibus, non Confeſſariis, aut de merè laicis accipienda. ibid.
7 *Edicta, quæ præcipiunt hanc denunciationem licita ſunt.*
Etiamſi præcipiant illam, non præmiſſa correctione fraterna. ibid.
Qui teneantur ad illam? ibid.
An denunciantes fiant irregulares ſecuta morte denunciati. ibid.
8 *Denunciatio facienda eſt intra terminum præfixum in edictis.*
Quid ſi non fiat intra talem terminum. ibid.
Quid de illo, qui ignorauit edictum tempore, quo terminus currebat. ibid.
An ante terminum obligent aliquando talia edicta. ibid.
9 *Dubium, an in Inquiſitione generali denunciatio accipiatur formaliter.*
10 *Reſponſio affirmatiua, ſi aliqua ſeruentur.*
11 *Denunciatio eſt delatio criminis ad vindictam.*
12 *In Generali Inquiſitione hoc contingit.*
13 *Differentia, quæ eſt inter denunciationem Euangelicam, & iudicialem.*
14 *Denunciatio, quæ fit in generali Inquiſitione formaliter eſt accipienda.*
15 *Natura Inquiſitionis generalis.*
16 *Et præparatio ad Iudicium perfectum.*
17 *Sapit naturam ipſius.*
18 *Colligitur ex monitoriis.*
19 *Verba accipienda ſecundum propriam ſignificationem.*
20 *Forma, & ſtylus, qui ſeruatur.*
21 *Fruſtra fieret Inquiſitio.*
22 *Debet præcedere infamia delicti.*
23 *In aliquibus delictis non requiritur.*
24 *Ea præcedente, Iudex vocat denunciatorem.*
25 *Denunciator non tenetur probare ſuum teſtimonium.*
26 *Si conuincitur falsò denunciaſſe, punitur tanquam calumniator.*
27 *De quodam damnato ad mortem, qui tenebatur denunciare hæreticum.*
28 *Non eſt abſoluendus à Confeſſario, niſi in aliquibus circumſtantiis.*
29 *Abſolutio Sacramentalis non datur indignis.*
30 *Iſte eſt indignus.*
31 *Decretum ſanctæ Inquiſitionis.*
32 *Aliud decretum.*
33 *Excuſatio, quæ non admittitur.*
34 *Per accidens eſt, quod iſte damnetur.*
35 *Quid de quadam declaratione Sacræ Congregationis.*
36 *Quid de circumſtantiis, in quibus creditur bona fides.*
37 *Quomodo excolligatur.*
38 *An debeat admoneri.*

De hac materia præter dicta ſuprà verbo *Accuſare,* 1
& Accuſator, alia addenda, maximè quatenus ad Regulares ſpectare poteſt.

Denunciatio eſt *criminis manifeſtatio facta ſuperiori.* 2
Syluester *in ſumma, verbo Denunciatio, num.* 1. Sanchez *tom. 2. conſil. Moral. lib. 6. cap. 2. in Proœmio.* Eſt duplex, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 1. ſcilicet Euangelica, & iudicialis. Prior eſt, quæ fit Prælato, non vt Iudici, ſed vt Patri, non ad proceſſum formandum, ſed ad correctionem, vel emendam: poſterior eſt, quæ fit Prælato vt Iudici ad formandum proceſſum, & puniendum delinquentem. Addit Sanchez *ſuprà* denunciationem canonicam, quæ fit Superiori ad impedienda mala quæ ex peccato procedunt, & alij alias denunciationes adiungunt: ſed illæ coincidunt cum duabus aſſignatis. Sylueſter *ſuprà.*

Loquendo de denunciatione Euangelica, quæ fit Præ- 3
lato vt Patri, aliqua dixi eo *cap.* 27. & deſeruiunt ea, quæ attuli ſupra verbo *Accuſare, & Accuſator.* Solùm ergo diſcutienda eſt denunciatio iudicialis, & non ea quæ fit Prælatis Regularibus pro Regularium iudiciis, quia de iſta ſufficienter dixi locis relatis; ſed de ea tantum quæ præcipitur facienda in aliquibus edictis, verbi gratia de hæreticis, ſolicitatoribus ad inhoneſta in Confeſſione, & ſimilibus.

Et quidem Regulares omnes quicumque illi ſint, te- 4
neri denunciare hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectas quaſcumque perſonas, conſtat ex dictis ſuprà verbo *Accuſator, num.* 7. ex Conſtitutione Pauli V. & decreto S. Generalis Inquiſitionis Romanæ eo loco adductis, & idem eſt proportionaliter in Regnis Hiſpaniarum, vbi ſupremum Tribunal S. Inquiſitionis Hiſpanæ viget, propter edicta ipſius. Tenentur autem ad huiuſmodi denunciationem faciendam, etiamſi delictum probare non poſſint, propter dicta eo verbo *Accuſator*, ſcilicet, quod in Tribunali S. Inquiſitionis ſeruatur, quod denunciator non teneatur probare delictum quod denunciat. An verò teneatur id facere non præmiſſa correctione fraterna, quando eſt ſpes emendæ, eſt grauis controuerſia inter Doctores, & duplex opinio: vna affirmatiua, negatiua alia, quarum auctores refert Diana *part.* 1. *Tract.* 4. *reſol.* 2. Eſto autem vtraque probabilis ſit, in praxi tamen ſequi conuenit opinionem negantem præſequiri talem correctionem fraternam, cum quia vix, aut nullo modo credi debet hæreticum, qui Eccleſiam non audit, auditurum monitionem vnius perſonæ: tum quia ita ſolent præcipere DD. Inquiſitores in ſuis edictis, quibus parendum eſt, potè viris doctiſſimis, & qui magna diligentia & zelo bonum commune Fidei, & Religionis procurant; de quo etiam inferiùs *num.* 7. Suarez *de fide diſput.* 20. *ſect.* 4. *num.* 11. Sanchez *tomo* 2. *Conſil. moral. lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 6. Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.* 11. *num.* 56. Hoc tamen intelligendum eſt de hæreticis pertinacibus, illis ſcilicet, qui errores in fide ex malitia proferunt, non de illis, qui ea aliqua ſimplicitate, vel ignorantia, quales ſunt aliqui Concionatores, id faciunt; iſti enim non ſunt propriè

hæretici, cum ad hæreſim pertinacia requiratur, & ita ſeruandus eſt cum illis ordo Euangelicus. Sanchez *ſuprà num.* 7. & Nauarro, Corduba & aliis. De hæretico verò iam emendato, & correcto plures tenent denunciandum non eſſe, alij affirmant, quibus aſſentior quando peccatum fuit publicum, vel inde ortum eſt nocumentum aliquod in aliis: etſi enim talis emendatus ſit, ſatisfacere tamen oportet Reipublicæ propter infamiam, & damnum illatum. Sanchez *ſup. dub.* 15. *num.* 6. Sanctarellus *in Tract. de hæreſ. cap.*9. *num.* 11. Diana *ſup. Reſolut.* 3. Denunciare etiam debent hæreticum non ſolum ij, qui certò ſciunt illius delictum: ſed etiam illi qui à perſonis fide dignis de eo certificati ſunt. Quia tales verè, & propriè dicuntur habere notitiam delicti. Sanchez *ſupra dub.*16. *num.* 1. ex Nauarro, Rodriguez, & aliis. Secus quando id audierunt à leuibus perſonis, quia hæc notitia nullam generat fidem. Corduba *lib.* 1. *qq. quæſt.* 43. *dub.* 2. §. *Sextò quando.* Nauarrus *in Man. cap.*25. *n.*46. Quamvis autem plurium ſententia ſit non teneri filium denunciare patrem, aut matrem hæreticos, ſicut nec è contra patrem aut matrem filium hæreticum, quia iure naturæ pater, mater, & filius ſunt veluti vna perſona, itavt bonum, & malum vnius in alterum refundatur; quando tamen hæreſis eſſet pernicioſa Reipublicæ, quia publica, vel in alios ſeminata, tenerentur id facere, quia bonum commune Reipublicæ præponendum eſt particulari patris, matris, vel filij. Caſtro *lib.*2. *de iuſta hæretic. punit. cap. vlt.* Suarez *Tract. de fide, diſp.*20. *ſect.*4. Idem proportionaliter dicendum eſt de vxore reſpectu mariti, aut mariti reſpectu vxoris, propter eandem rationem. Qualiter autem nullus teneatur propalare ſeipſum, dixi ſuprà verbo *Accuſator.* Inſuper, licet regulariter nullus teneatur alium denunciare, quando ex denunciatione timet ſibi ſaltem probabiliter aliquod malum notabile mortis, infamiæ, &c. iuxta *dicta tom.* 1. *cap.*19. *n.*34. nihilominus quando ex omiſſione denunciationis ſequeretur malum etiam notabile Reipublicæ, aut Communitati, debet fieri denunciatio, propter rationem aſſignatam. Genuenſis *in prax. cap.* 18. *num.*8.

5 Loquendo autem de obligatione denunciandi Confeſſarios ſolicitantes ad inhoneſta in Confeſſione, præter dicta *tom.* 1. *cap* 19. *num.* 35. & quamuis plura ex dictis ſupra hic applicari poſſint, alia tamen iungenda ſunt. De quibus nouiſſimè Hieronymus Trimarchus Ordinis Minimorum Tractatum vnicum valdè doctum ſcripſit. Et primò quidem, licèt eo loco aliquorum ſententiam ſequens dixerim in prima editione Romæ anno 1634. & ſecunda Venetiarum anno 1637. Confeſſarios teneri monere pœnitentes, quos ſciuerint ab aliis ſolicitatos, & eos denunciare *niſi fortè.* (dixi) *ſolicitati credant Confeſſorem ſolicitantem eſſe fraternè corrigibilem, aut eſſe emendatum.* Cautius tamen, & conformius ad mentem Sacræ Congregationis Generalis Inquiſitionis Romanæ addidi in tertia editione Venetiarum anno 1640. ſequentia: *Et nota, quod in praxi non debent ſolicitati credere Confeſſarios ſolicitantes eſſe fraternè corrigibiles, aut emendatos, cum ſint de hæreſi ſuſpecti, propterea tenentur illos ante quamcunque monitionem, ſeu correctionem S. Officio Inquiſitionis denunciare.* Huiuſmodi autem denunciatio facienda eſt etiamſi Confeſſarij aliàs de tali crimine diffamati non ſint. Hæc enim praxis Sanctæ Inquiſitionis tam in hoc, quam hæreſis caſu, eſt conformis Conſtitutioni Gregorij XV. quam dicto loco retuli, vbi cum agitur de obligatione denunciandi, non apponitur talis conditio. Sanctarellus *Tract. de hæreſ. capit.*44. *dub. vnic. num.*8. Diana 4. *part. Tract.* 5. *Reſol.* 1. ex aliis quos refert. Eſtque ſine dubio peccatum mortale denunciationem omittere, quia eſt tranſgreſſio præcepti in re grauiſſima, & magni ponderis pro Republica Chriſtiana: ſicque ſemper conſuetudine fuit receptum. Sanctarellus *ſuprà, cap.*45. *dub. vnic. num.* 10. Imò in caſu quo non adeſſet S. Inquiſitionis edictum præcipiens denunciationem, adhuc eſſe faciendam tenet Diana *ſuprà Reſol.* 3. ex Ioanne Sancio. Fieri porro debet talis denunciatio, etiamſi materia ſolicitationis non videatur in genere luxuriæ grauis, ſed leuis, quia quomodocumque ſit, ſemper ſit grauis iniuria Sacramento, poſito quod pro tali occaſione ſit peccatum mortale. Ioannes Sancius *in Select. diſp.* 11. *num.*22. Similiter etiamſi Confeſſarius immediatè poſt ſolicitationem pœniteat, adhuc denunciandum eſſe, tenent Sanctarellus *dicto cap.* 4. *dub. vnico, num.* 18. & Bonacina *in Tract. var. diſp.*6. *punct.* 3. *num.*4.

Specialiter tamen, circa Conſtitutionem Gregorij 6
XV. de qua ſuprà, in qua nouiſſimè, & rigidiùs agitur de hoc caſu ſolicitationis, notandum primò, quod licet probabile ſit id, quod dicto *cap.* 19. *num.*34. dixi, videlicet Confeſſarium ſolicitatum à fœmina, & illi conſentientem non eſſe denunciandum, quia ea Conſtitutio ſolùm videtur eſſe contra ſolicitantes, & in tali caſu Confeſſarius non eſt ſolicitans, ſed ſolicitatus; nihilominus ſatis probabile etiam eſſe oppoſitum, propter verba illa Conſtitutionis dictæ, *aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerit,* & infra: *ſeu tractantes vt ſuprà.* Quibus denotatur non ſolùm Confeſſarios ſolicitantes, ſed etiamſi ſolicitatores non ſint, ſi prædicta egerint, comprehendi in ea Conſtitutione, & eſſe denunciandos. Fagundez *de præcept. Eccleſ. in* 2. *edit. præcept.* 2. *lib.* 4. *capit.* 3. *num.* 56. *&* 57. Diana *ſuprà Reſol.*42. Notandum ſecundò, quod quamuis ex vi Conſtitutionis dictæ Gregorij XV. debeant denunciari Confeſſarij ſolicitantes ad inhoneſta non ſolùm in actu Confeſſionis, aut ante, vel poſt immediatè, ſed etiam *occaſione vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi*, vt in ea dicitur, id tamen intelligendum eſt quando paulò poſt Confeſſionem, occaſione vel prætextu ipſius ſequitur ſolicitatio, non verò ſi poſt multum tempus id fiat. Ita enim videtur benignè interpretanda mens Pontificis. Souſa *in opuſc. de confeſſar. ſolicitant. in additionibus, num.* 10. Cum autem in dicta Conſtitutione dicatur, *ſiue ante, ſiue poſt immediatè, ſeu occaſione, &c. etiam Confeſſione non ſequuta*, ideo denunciandus eſt Confeſſarius, qui fœminam accedentem ad confitendum ſolicitat, etiam dilata Confeſſione in aliud tempus. Diana *ſuprà, Reſolut.* 39. Et qui concubinam eo tempore laſciuè, ſeu zelosè obiurgat, quod cum alio tractet, propter dicta. Sancius *in ſelectis diſput.* 11. *num.* 32. Idem habet Diana *Reſolut.* 45. de Confeſſario qui petijt à pœnitente domum ſuam, vt eò adducat concubinam. Etſi Souſa *ſuprà tractat.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. oppoſitum teneat. Notandum tertiò, quod cum in dicta Conſtitutione ſemper ſit ſermo de Sacerdotibus, & ea committentibus ſub prætextu Confeſſionis, ideo ipſi, ſi talia crimina commiſerint, erunt denunciandi, quamvis aliàs verè Confeſſarij non eſſent. Acugna *tract. de Confeſſ. ſolicitant. quæſt.* 14. *num.* 4. Sancius *in Select. diſp.* 1. *num.* 39. Secus dic de merè laïcis, aut non Sacerdotibus, propter oppoſitam rationem, Sanctarellus *de hæreſ. cap.*45. *dub. vnic. num.* 9. Vide alia in Trimarcho *ſup.*

Loquendo autem generaliter de huiuſmodi edictis, 7
quæ à Iudicibus, vel Prælatis promulgari ſolent, tam pro prædictis caſibus hæreſis, aut ſuſpicionis hæreſis, & ſpecialiter pro ſollicitantibus in Confeſſione, vel circa eam, quàm pro rebus furatis reſtituendis, vel ſimilibus, notandum, quod etſi aliqui dicant eſſe illicita, quia præbent occaſionem peccandi, ſaltem ſimplicibus; nihilominus illicita eſſe conſtat, tum ex vſu Eccleſiæ, tum quia nullo iure prohibita ſunt. Bañez 2.2. *quæſt.*33. *art.*8. *dubio* 2. *ad* 7. Sanchez

tomo 2.

tom. 2. *conſil. Moral. lib.* 6. *cap.* 2. *dubio* 26. Imò hæc edicta licita eſſe, etiam quando illis præcipitur denunciare delictum hæreſis, vel ſollicitationis ad inhoneſta in Confeſſione, qui eſt caſus de hæreſi ſuſpectus, non præmiſſa correctione, colligitur, tum quia rariſſimè poteſt adhiberi conueniens remedium per ſolam monitionem, & prudentiam hominis priuati, ob periculum infectionis hæreſis, & aſtutiam hæreticorum: tum quia finis adæquatus huius denunciationis non eſt ſola emendatio fratris, ſed correctio publica, & ſecuritas aliorum fidelium. Suarez *de fide diſp.* 3. *num.* 12. Diana *ſuprà Reſolut.* 24. Tenentur autem denunciare etiam ij qui iurauerunt ſe id non facturos, tale namque iuramentum pro illo caſu eſt de re illicita, ac per conſequens non obligat. Syluester *in ſumma verbo teſtis, quaſt.* 8. Sanchez *ſuprà dubio* 21. Tenentur quoque denunciare etiam Clerici vel Religioſi, quantumuis inde timeatur ſequenda mors hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, propter dicta ſuprà verbo *Accuſator, & accuſare*, à *num.* 18. Dicere poteſt aliquis cum Sanchez *ſuprà dub.* 10. tunc requiri proteſtationem, de qua eo loco diximus, ſed tu vide dicta *ibidem num.* 21. Obligantur etiam ad denunciandum ij, qui ſolum ſub ſecreto naturali ſciunt delictum, quando illud eſt in damnum tertij vel Communitatis, in iis enim Caſibus non obligat ius ſecreti naturalis. Caſtr. Palaus *tom.* 1 *tract.* 4. *diſp.* 9. *punct.* 10. *num.* 5.

8 Circa terminum tandem qui in huiuſmodi edictis aſſignari ſolet, præter dicta ſuprà verbo *Annus, à num.* 22. quæ huic etiam propoſito deſeruire poſſunt, dicendum denunciationem debere fieri intra terminum præfixum in edictis. Quod ſi quis ſciens edictum non denunciauit intra terminum illius, non propterea, eo termino tranſacto, liber eſt à tali obligatione, quia ille terminus non aſſignatur eo fine, vt extinguatur obligatio, ſed vt non differatur. Suarez *de cenſuris diſput.* 20. *ſect.* 2. *num.* 15. Acugna *Tract. de Confeſſar. ſollicit. quaſt.* 21. *num.* 4. Ioannes Sancius *in ſelect. diſput.* 11. *num.* 59. De eo autem qui ignorauit edictum tempore quo eius terminus currebat, probabile eſt non teneri denunciare ſtatim ac habuit notitiam illius, ſed poſſe expectare tantum tempus quantum edictum deſignauerat, cum non ſit peioris conditionis ac alij, Suarez *ſuprà ſect.* 3. *num.* 15. Acugna *ſuprà*, Portellus *in dub. Regular. verb. denunciatio, num.* 3. Sancius ſuprà. Per accidens autem poterit contingere quod quis teneatur denunciare etiam antequam terminus præfixus in edicto finiatur, vt, ſi prævideat ſe habiturum impedimentum ad denunciandum tranſacta ea occaſione, ſicut plures dicunt de obligatione Confeſſionis, vel communionis. Diana *ſuprà Reſolut.* 29. ex aliis. Nota tandem, quod edicta S. Inquiſitionis, cum illud tribunal ſit perpetuum, ſunt per modum legis, & ita durant vſque ad aliorum promulgationem, ſicut dixi de Bulla Cœnæ verbo *Bulla Cœna, num.* 2. Suarez *de fide diſput.* 20. *ſectione* 4. *num.* 11. Auila *de Cenſuris, parte* 2. *cap.* 5. *diſput.* 5. *dub.* 5. *concluſ.* 3. Sancius *in ſelect. diſput.* 12. *num.* 62. Vnde caſu dato, quod Inquiſitores aliquando eſſent negligentes in edictis promulgandis, ex vi priorum deberet fieri denunciatio. Diana *ſuprà Reſolut.* 41. Edictum porrò S. Inquiſitionis Rom. attuli *ſuprà verbo Accuſator, num.* 7. Vide Peirinis *tomo* 1. *priuileg. Minim. in Conſtitut.* 9. *Pauli V. num.* 27. & Trimarchum *ſuprà*. [Nouiſſimè Cardinalis Lugo *tom.* 2. *de Iuſt. & iure, diſput.* 38. *ſect.* 2. *à num.* 17. ſupponit, vt diximus, licita eſſe huiuſmodi edicta, & fieri poſſe ab omnibus Prælatis Eccleſiaſticis, præcipiendo ſub variis pœnis, vt qui ſciunt aliquod delictum, illud manifeſtent. Deinde notat præcipuè attendendum eſſe in eiuſmodi edictis ad mentem Prælatorum illa promulgantium, quod generale eſt omnibus legibus, vt dico *infra verbo leges Regularium*. Tertiò notat Superiores in huiuſmodi edictis ſemper habere tacitam, vel expreſſam intentionem, quod delicta manifeſtentur, ſeruato Iuris Ordine, ſcilicet, correctione fraterna, quando ſeruari debet. De quo etiam alias diximus. Alia etiam addit, de quibus nos ſuprà verbo *Accuſare, & Accuſatio, & hoc verbo Denunciatio*, & infrà *verbo hæreſis, & hæreticus*. Plura etiam apud hunc Authorem de delictis, quæ denunciari debent, ac de termino talibus edictis præfixo, de quibus etiam nos egimus.]

Hic placuit adiungere reſolutionem cuiuſdam dubij
mihi propoſiti, videlicet,

An in Inquiſitione generali facta v.g. ab Epiſcopo, 9
vel Inquiſitore denunciatio accipiatur formaliter.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi tamen in ea denuncia- 10
tione ſeruentur ea de quibus infrà. Ratio ſumitur pri-
mo ex natura & definitione denunciationis, quæ eſt
delatio criminis apud Iudicem competentem, vt ex munere 11
ſuo ad vindictam delicti, ſeu contra delinquentem pro-
cedat. Suarez *in tract. de fide, diſput.* 20. *ſect.* 4. *num.* 2.
Salelles *de mater. S. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 21. *regul.* 152.
num. 23. Cum enim in generali inquiſitione facta
coram Epiſcopo, vel Inquiſitore per denunciationem
deferatur crimen ad vindictam, denunciatio erit *for-*
maliter talis. Secundò ex differentia quæ verſatur in- 12
ter denunciationem *Euangelicam*, de qua agitur Mat-
thæi 18. & Luc. 17. & *cap. Nouit, de iudic.* & *cap. ſi* 13
peccauerit in te 2. *quaſt.* 1. & *iudicialem*, de qua ſæpius
in iure, quòd illa cum fiat Prælato aut Superiori vt
Patri, ſolùm tendit ad emendationem fratris, & ipſius
correptionem fraternam: hæc verò cum fiat Supe-
riori, vt iudici, tendit ad vindictam, & punitionem
delicti. Suarez ſuprà, Coriolanus *de Caſibus reſeruat.*
part. 2. *caſ.* 5. *num.* 5. Salelles *num.* 24. Ex hoc autem
infertur denunciationem, quæ fit in generali inquiſi-
tione Epiſcopo, vel Inquiſitori *formaliter* eſſe accipien- 14
dam; ſiquidem ea eſt vt in plurimum iudicialis, &
tendit ad vindictam & punitionem delicti denunciati.
Tertio, ex natura ipſius Inquiſitionis generalis: etſi 15
enim ea non ſit perfectum iudicium, eo quod in illa
non adeſt accuſator, neque aliquis qui vicem accuſa-
toris teneat, ſed Iudex ex officio illam facit propter
generalem obligationem ipſius, *cap. Cùm oporteat, de*
accuſ. Syluest. *verb. Inquiſitio*, §. 4. Sanchez *tomo* 2. 16
conſ. moral. lib. 6. *cap.* 3. *dub.* 16. nihilominus eſt via,
præparatio, ſeu præambulum quoddam ad perfectum
Iudicium, Sotus *part.* 2. *in relect. de rat. teg. ſecret.*
membr. 2. *quaſt.* 7. *concluſ.* 3. *dub.* 1. Coriolanus *ſuprà*
num. 17. ſapit ergo naturam ipſius, & veluti acceſſo-
rium ſequitur naturam principalis, *leg. etiam, C. de* 17
Iur. dot. regul. Acceſſorium, de regul. Iur. in 6. ac proin-
de denunciatio, quæ in illa fit, erit *formaliter* talis.
Præſertim quarto, quia id videtur ſupponi in edictis 18
ſeu monitoriis, quæ publicantur antecedenter ad hu-
iuſmodi Inquiſitiones generales: dicitur enim in illis,
quod teneantur ſubditi reuelare & notificare *iuridicè*
delinquentes. Quæ verba accepta in ſenſu formali, 19
prout accipi debent, cum generaliter loquendo verba
accipienda ſint ſecundùm propriam ſignificationem,
l. non aliter, ff. de legat. 3. denotant formalem denun- 20
ciationem. Quinto, ex forma & ſtylo, quem Inquiſi-
tores ſeruare ſolent in recipiendis huiuſmodi denuncia-
tionibus, de quibus Eymeric. 3. *part. direct. num.* 68.
Peña *ibid. com.* 15. Caſtrus Palaus *part.* 1. *tract.* 4. *diſ-*
putat. 8. *punct.* 3. *num.* 3. ſcilicet quod fiant in ſcriptis,
vel ſaltem verbis quæ à notario in ſcripta rediganv-
tur, & quod ſint iuratæ à denunciatoribus; imò etiam,
ſaltem de iure, iuxta *cap. Et officium, de hæret. in* 6. vt 21
recipiantur præſentibus aliquibus honeſtis perſonis.
Sexto, quia aliàs fruſtra fieret inquiſitio generalis,
ſaltem quoad aliqua delicta, ſi denunciatio in ipſa

facta non poſſet ſeruire Iodici pro formali denun-
ciatione. Ita plures DD. quos refert & ſequitur San-
chez *ſup.dub.19 num.1.*

22 Ad hoc autem, quod Epiſcopus vel Inquiſitor poſ-
ſit vti dicta denunciatione pro formali & iudiciali pro-
cedendo ad inquiſitionem ſpecialem alicuius perſo-
næ, requiritur vlterius quod procedat infamia delicti
iuxta *cap. Qualiter & quando, de accuſ.* Simanch. *de
Cath. Inſt. tit. 44. num.* 8. Palaus *ſuprà punct.* 4. *num.* 2.
Quamuis in delictis hæreſis, vel ſpectantibus ad ſa-
ctum Officium non requiratur hæc infamia, ſed ſuf-
ficiant indicia, præſumptiones, & ſuſpiciones veri-
ſimiles, *cap. Excommunicamus, §. Adjicimus, de hæret.*
23 Ita Cardinal. Felin. Franch. Symanch. & alij plures
quos refert & ſequitur Sanchez *ſuprà dub.* 19. *num.* 16.
& ſeq. Imò non videntur requiri indicia valde vrgen-
tia, ſed ſufficiunt probabilia, prout ex pluribus etiam
probat Carena *de Offic. S. Inquiſit. part.* 3. *titul.* 1. §. 2.
num. 17. *&* 18.

24 Tali autem infamia, indiciis, vel ſuſpicionibus,
&c. exiſtentibus, poteſt Iudex vocare præfatum de-
nunciatorem, & ipſum pro teſte accipere. Non enim
repugnat aliquem eſſe denunciatorem & teſtem. Re-
pert. Inquiſ. *verb. Teſtes*, Symanch. *Cath. Inſtit. titu-
lo* 19. *rubr. de denunc. num.* 17. Zanchin. *in tract. de
hæretic. cap.* 13. *num.* 8. Ioannes à Rojas *ſingul.* 7. *&
ſing.* 192. *num.* 4. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 185. *num.* 32.
Et ita eſt conſuetudine receptum in Sacto officio. Pa-
laus *ſuprà punct.* 3. *num.* 1. Carena *ſuprà num.* 20. Nec
tenetur denunciator probare ſuum teſtimonium.
25 Quidquid enim ſit de Iure communi, conſuetudine
hoc eſt receptum. Paramus *de Orig. S. Inquiſ. lib.* 3.
quæſt. 8. *num.* 21. *&* 22. Farinacius *ſuprà, num.* 71.
Palaus *ſuprà*, ſi tamen conuincatur falſo denunciaſſe,
26 tanquam calumniator arbitrio Inquiſitoris punien-
dus eſt, quia grauiſſimè lædit delatum, cum aperiat
viam Iudici ad procedendum contra illum per inqui-
ſitionem ſpecialem. Peña ad Eymeric. 3. *part. rubric.
de* 12. *modo termin. proceſſ. com.* 40. Palaus & Care-
nas *ſuprà.*

Dvbivm alivd.

27 *De quodam damnato ad mortem & proximè
morituro, qui tenebatur denunciare quendam
hæreticum S. Officio Inquiſitionis, & nolebat
id facere etiamſi moneretur à Confeſſario de
obligatione id faciendi. Quærebatur enim an
iſte poſſet abſolui à Confeſſario. Ad quod du-
bium mihi propoſitum ſic reſpondi.*

Responsio.

28 REſpondeo generaliter loquendo, non poſſe ab-
ſolui à Confeſſario, niſi forſan credat illum ob
aliquam cauſam, puta ignorantiam, imbecillitatem
iudicij, aut quia non habet plenam ſatisfactionem de
ſcientia Confeſſarij, vel ſimilem, non præbere ipſi fi-
dem circa obligationem illam de denuntiando hæreti-
co. Ratio eſt ex generali regula Theologorum, quod
29 ſcilicet abſolutio ſacramentalis non poſſit impendi in-
digno, ſeu ponenti obicem, aut indiſpoſito, prout ex
communi ſententia docent Medina *de Confeſſ. quæſt.* 19.
Sotus *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 2. *articulo* 4. *ad* 2. San-
chez *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 38. *num.* 2. Coninch.
diſput. 8. *de pœnit. dub.* 17. *num.* 136. Layman. *lib.* 5.
ſum. tract. 6. *capite* 13. *quæſt.* 4. *num.* 5. Caſtrus Pa-
laus *de Sacrament. Pœnit. tract.* 23. *diſp. vnica, punct.* 18.
30 *num.* 6. Iſte autem ſine dubio eſt indignus abſolutione,
qui ponit obicem ipſius effectui. & eſt indiſpoſitus,
propterea quod obedire non vult in re grauiſſima
non ſolum confeſſario, ſed etiam Eccleſiæ præcipienti
denunciationem hæreticorum. Accedit quod Con- 31
feſſarius tenetur non abſoluere illum ſub pœna ex-
communicationis latæ ſententiæ impoſitæ in decreto,
ſeu edicto S. Inquiſitionis, quod refert Carena *part.* 2.
de offic. S. Inquiſit. titulo 9. §. 7. vbi hæc habemus
contra non reuelantes, aut denunciantes hæreticos.
*E perche dall' opera de Confeſſori in queſti particolari
dipende grandemente il ſeruicio di Dio, & il ben pri-
uato e publico, comandiamo a tutti li RR. Confeſſori che
nel miniſtrare il ſacramento della Penitenza vſino con li
loro penitenti quella diligenza d'interrogationi ſopra
tutti li ſudetti capi che ſtimeranno reſpettiuamente ne-
ceſſaria alle perſone, coſi de principali delinquenti
come de partecipi e conſapeuoli in qualſiuoglia modo
d'eſſi delitti, e ſotto la detta pena di ſcommunica di
lata ſentenza come di ſopra, alli medemi Confeſſori
comandiamo che non ardiſcano di aſſoluere quelli che
trouaranno delinquenti, o partecipi, ouero conſapeuoli
come ſopra, ne ſopradetti capi, eſſendo che ſono in-
corſi nelle cenſure della ſanta Sede a aluoi Delegati ri-
ſeruate.* Idem edictum cum alio S. Inquiſitionis Hiſ-
panicæ refert D. Traſmiera *de obligat. denunciandi
quæſt.* 2. *cap.* 7. *num.* 27. Præterea, quia ſi propter ali- 32
quam cauſam poſſit Confeſſarius iſtum damnatum ad
mortem abſoluere, ea eſſet, quia poterit exiſtimare
præceptum Eccleſiaſticum de denunciatione hæretici
non obligare in tali caſu in quo agitur de damnatione
æterna iſtius hominis: hæc autem ratio inſufficiens 33
eſt, quia obligatio denunciandi hæreticum non ſo-
lùm oritur ex iure Eccleſiaſtico propter decreta Sum-
morum Pontificum, Canonum, & Conciliorum;
ſed etiam oritur ex Iure diuino, prout ex Suarez, Ca-
rena, Sanctarello, Simanchas, Rojas & Caſtro affert
Traſmiera *ſuprà quæſt.* 2. *cap.* 2. Imò etiam ex iure na-
turæ, prout etiam ex Suarez, Rojas, Carena, & mul-
tis aliis ab his citatis habet idem Traſmiera; quæ autem
ſunt de iure diuino & naturali, ſunt immutabilia, &
indiſpenſabilia.

Nec refert ſi dicatur, quod ſi Confeſſarius non im- 34
pendit abſolutionem tali pœnitenti, ſine dubio pœ-
nitens damnabitur. Nam reſpondetur, id eſſe per ac-
cidens ex malitia ipſius pœnitentis, non Confeſſarij,
qui nec poteſt, nec tenetur illum abſoluere, etiamſi
inſtet periculum ipſius damnationis: non enim ſunt
facienda mala, vt inde eueniant bona, iuxta Apoſto-
lum *ad Rom.* 3. Nec etiam refert ſi dicatur, Sacram
Congregationem declaraſſe, quod non obſtante quod 35
fœmina ſolicitata in Confeſſione tenetur denunciare
Confeſſarium ſolicitantem, ſi tamen renuat id facere,
poſſe Confeſſarium illam abſoluere; non enim mihi
conſtat de hac declaratione, & in caſu quod ea ſubſi-
ſtat, exiſtimandum prudentiſſima ratione, ita reſpon-
ſum ab eadem Sacra Congregatione condeſcendendo
fragilitati fœminarum, quæ timent ſui honoris amiſ-
ſionem propter dictam reuelationem. Quod non pro-
cedit in caſu præſenti hominis damnati ad mortem, &
proximè morituri.

Dixi autem ſupra, non poſſe Confeſſarium abſol- 36
uere iſtum de quo in caſu, *niſi credat ipſum ob aliquam
cauſam, puta ignorantiam, imbecillitatem iudicij, aut
quia non habet plenam ſatisfactionem de ſcientia Confeſ-
ſarij, vel ſimilem, non præbere ipſi fidem circa obligatio-
nem illam de denunciando hæretico.* Quia in iſto caſu
videtur ipſe pœnitens eſſe in bona fide, ac perinde non
indiſpoſitus aut indignus ſacramentali abſolutione.
Vnde Innoc. III. *in cap. Quia circa, de conſang. & affin.*
diſſimulari præcepit ob vitandum ſcandalum cum
quibuſdam qui bona fide matrimonium contraxerant
cum impedimento occulto. Quod maximè videtur 37
probabile ſi talis pœnitens interrogatus à Confeſſario
dicat ſe non exiſtimare eſſe obligatum ad talem denun-
ciationem,

ciationem, & habere voluntatem adimplendi omnia præcepta etiam Eccleſiæ. Nec videtur neceſſarium, vt ſi etiam moneas illum de obligatione faciendi talem denunciationem. Quia ſi ex monitione fructus non ſperatur, ſed potius timetur quod ipſa facta in eodem ſtatu pœnitens perſeueraturus ſit, potius illa abſtinere debet: quia cum in bonum pœnitentis dirigatur, eo bono ceſſante, ceſſare debet monitio. Sic colligo tum ex illo relato ex Auguſtino *in cap. Si quis autem, de pœnitent. d. 7.* ibi: *ſi ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non terrerem.* Ac ex Vaſquez *de pœnitent. quæſtione 93. artic. 3. dubio 9.* Suarez *diſput. 32. ſect. 4. num. 4.* Coninch. *dub. 17. num. 137.* Laymano *lib. 5. tract. 6. cap. 13. quæſt. 4. num. 5.* & Caſtro Palao *ſuprà relat. num. 7.*

DEPOSITIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit depoſitio.*
Quomodo differat à degradatione, cenſuris, & pœnis, ibid.
2 *Quibus priuetur clericus, vel Religioſus depoſitus.*
3 *Non priuatur oneribus, & obligationibus.*
4 *Propter quæ delicta imponenda hæc pœna.*
5 *Ad quos pertinet in illa diſpenſare.*

1 Depoſitio (quæ etiam verbalis degradatio dici ſolet iuxta dicta ſuprà verbo Degradatio *num. 5.*) eſt *perpetua ab Altaris miniſterio, & gradu Eccleſiaſtico remotio ſine ſpe reſtitutionis, & cum retentione priuilegij fori, & Canonis.* Sylueſter *in Summa verbo Degradatio, num. 5.* Aldrete *de Relig. Diſciplina lib. 1. cap. 27. §. 4. num. 7.* Vnde, iuxta dicta eo verbo, *Depoſitio*, differt à degradatione, quia degradatio includit priuationem priuilegij, & Canonis, quam non includit depoſitio propriè de qua in præſenti: & à cenſuris, & aliis pœnis, quia illæ ſunt pœnæ medicinales, & cum ſpe reſtitutionis, Sylueſter *ibid.* Sanchez *tom. 5. Conſil. moral. lib. 3. cap. 1. dub. 32. num. 248.* Ab irregularitate vero differt, quia depoſitio eſt pœna, irregularitas verò ſecundùm communem rationem irregularitatis pœna non eſt, ſed inhabilitas quædam. Hinc ſpecialiter, quamuis ſæpius confundatur cum ſuſpenſione, ab ea tamen differt, tum quia ſuſpenſio eſt cenſura, non autem depoſitio: tum quia depoſitio eſt ſine ſpe reſtitutionis, quod non conuenit ſuſpenſioni etiam perpetuæ. Etſi enim talis ſit, vt propterea quaſi depoſitio cenſeatur ab aliquibus, nihilominus differt ab ea depoſitio, quia in hac ordinariè loquendo nunquam diſpenſatur, licet de plenitudine poteſtatis Papæ id fieri poſſit: In ſuſpenſione autem perpetua diſpenſatio cadit etiam ordinariè. Suarez *de Cenſuris diſp. 30. ſect. 1. num. 11.* Differunt etiam quia ſuſpenſio non priuat officio, & beneficio quoad titulum, ius, ſeu dominium illorum, ſed quoad vſum, vel fructus; depoſitio vero etiam quoad titulum, ius ſeu dominium illis priuat. Suarez *dicta ſect. 1.* Cornejo *de Suſpenſione diſput. 1. dub. 1. num. 4.*

2 Clericus, vel Religioſus depoſitus non ſolùm priuatur functionibus Eccleſiaſticis, ſcilicet vſu cuiuſcunque Ordinis, officij, aut beneficij, vt colligitur ex definitione allata, ſed etiam, ſi celebrat, priuatur quoque laica Communione, niſi ſolùm tempore mortis; licèt in hoc poſt pœnitentiam peractam diſpenſet Epiſcopus, *capite Accedens, diſt. 50.* Aldrete *ſuprà num. 8.* Quamuis autem peccet grauiter exercendo actus Ordinis propter Eccleſiæ prohibitionem, nihilominus validi illi ſunt, quando iuriſdictionem non requirunt, prout contingit in abſolutione. Suarez *ſuprà numero 7.*

3 Non priuantur ſic depoſiti oneribus, & obligationibus Clericorum, ſcilicet Officij diuini recitandi, caſtitatis, &c. iuxta dicta ſuprà verbo *Degradatio, num. 1.* Suarez *ſuprà num. 9.* Graffius *in Deciſ. aureis, part. 2. lib. 3. cap. 57. numero 6.* Videtur autem non poſſe tales dicere *Dominus vobiſcum*, quia hoc denotat aliquam dignitatem, quam illi non habent, prout de degradatis dicitur communiter. Sylueſter *ſuprà num. 10.* Sanchez *tomo 2. Conſilior. moral. libro 7. capite 2. dubio 54. numero 4.* Licet autem poſſint dicere Officium in choro, non tamen poſſunt Officium facere, quia hoc pertinet ad Hebdomadarium, cuius officio etiam priuantur. Sylueſter, & Sanchez.

4 Poteſt imponi hæc pœna depoſitionis propter grauia valdè crimina. Toletus *in Summa, libro 5. cap. 50. num. 10.* Quæ verò ſint crimina depoſitione digna, ſic reſpondet Sà *in Summa verbo Depoſitio, numero 2. Depoſitione digna ſunt ſtuprum, inceſtus, adulterium, & omnia adulterio maiora (quin etiam capite peruenit, diſtinctione 59. indicat ſufficere fornicationem) item furtum, periurium, homicidium, etiam ſolo conſilio, vel hortatione factum, & omne crimen inducens irregularitatem, denique quodvis enorme Iudicis arbitrio.* Hæc ille. Ex quibus infertur, propter hæc crimina poſſe Prælatos Regulares hac pœna afficere ſuos ſubditos, intellige tamen dummodo ſtatuta propria Religionis id permittant, aut aliud non ſtatuant, Papa approbante. Quo ſenſu accipiendus eſt Aldrete *ſuprà lib. 1. capite 3. num. 19.* dum dicit Superiorem Regularem poſſe deponere verbaliter ſuos ſubditos, & *num. 25. & 23.* dum ex priuilegiis id ipſis competere aſſerit. Quando autem imponitur hæc pœna, ſolet ſententia his verbis proferri: *Quapropter præfatum N. ab Ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis deponimus, ipſum perpetuo ab omni altaris miniſterio remouentes,* argum. *cap. veritas, in fin. de dolo, & contumacia.* Aldrete *ſuprà libro 2. cap. 27. §. 4. num. 12.* ex Menochio & aliis.

5 Diſpenſare verò in illa pertinet ſolum iure communi ad Papam. Suarez *ſuprà num. 25.* ex Abbate *in cap. Cum in te, de re Iudic. num. 10.* & colligitur ex Cornejo *de Suſpenſione diſp. 5. dubio 5.* Et ad Epiſcopum, cum delictum non eſt grauius adulterio, *cap. At ſi clerici, de iudic.* Theſaurus *in praxi Eccleſiaſtic. part. 1. capite 27. §. Quæres 2.* ex Alterio, Riccio, & aliis. An verò poſſit tolli per priuilegia Religionum concedentia Prælatis earum facultatem diſpenſandi in pœnis, de priuilegio dixi *tom. 5. capite 10. num. 35. & cap. 18. num. 46.* aut propter aliud priuilegium res eſt valdè dubia, cum hæc pœna dicatur eſſe irremiſſibilis, ſeu ſine ſpe veniæ, vt dictum manet. Maximè quia iuxta dicta *tomo 5. 1. part. capite 19. num. 14.* ex Suarez ibi relato, ſecundùm ſtylum Curiæ ſub generali clauſula abſoluendi à pœnis non venit depoſitio, ſicut nec irregularitas, aut degradatio. Nihilominus Layman. *libro 5. tractatu 6. cap. 10. de Sacrament. pœnitent. §. Tertia quæſtio, num. 18.* dicit, ex vi priuilegij Pauli III. conceſſi Confeſſariis Ieſuitarum poſſe diſpenſare in depoſitione lata à Pio quinto in Bulla, quam retuli *tom. 1. cap. 5. num. 55.* contra Sodomitas, quæ tamen eſt etiam perpetua, imò videtur eſſe degradatio, cum per illam priuentur omni priuilegio clericali, quod per depoſitionem, de qua in præſenti eſt ſermo, non fit. Quod an ſit probabile, aliorum iudicio remitto.

DICTIO.

SVMMARIVM.

1 *Dictionum vtilitas pro Regularibus.*
2 *Dictiones A, Ab, Ad, ſignificantes terminum, quomodo accipienda.*
3 *Dictio abſque, non ſemper ſtat excluſiuè.*
4 *Dictiones accumulatiuè, & priuatiuè, quid denotent.*
5 *Dictio alius, quid importat.*
6 *Dictio ante, denotat principium.*
7 *Dictio aut, eſt alternatiua.*
Quæ regula notanda pro alternatiuis, ibid.
8 *Dictio circa, quomodo accipienda.*
9 *Dictio commodè, quid importat.*
10 *Dictio competenter, & ſimiles quid ſignificent.*
11 *Dictio continuò, iuxta ſubiectam materiam accipienda.*
12 *Dictio cum, aliquando ſtat principaliter.*
13 *Dictio de, naturalitatem, ſeu originem importat.*
14 *Dictio deinde, continuat præcedentia.*
15 *Dictio donec, eſt reſtrictiua temporis.*
16 *Dictio dummodo, quid importet.*
17 *Dictio dumtaxat, & ſimiles non excludunt caſus in quibus eadem ratio militat.*
18 *Dictio eo caſu, quomodo accipienda.*
19 *Dictio Et, aliquando ponitur pro ſeu, vt disiunctiua.*
20 *Dictio etiam, eſt implicatiua, & amplificatiua.*
21 *Dictio ex, quomodo verificanda.*
22 *Dictio in, intrinſecitatem importat.*
23 *Dictio inſuper, diuerſitatem ſignificat.*
24 *Dictio legitimè, idem eſt ac ordine iuris ſeruato.*
25 *Dictio multum, ſeu multa, aliquando contenta eſt duobus.*
26 *Dictio nullatenus, ſeu nullo modo, quemcumque caſum excludit.*
27 *Dictio omnimodè, vniuerſalitatem denotat.*
28 *Dictio omnino, omnia comprehendit.*
29 *Dictio omnis, eſt vniuerſalis.*
30 *Dictio per, ſignificat perfectionem.*
31 *Dictio priuatiuè, quid importet.*
32 *Dictio, propè finem, diuerſimodè ſumitur.*
33 *Dictio prorſus, excludit omnia, & ſingula.*
34 *Dictio qualitercumque, comprehendit maiora expreſſis.*
35 *Dictio quomodolibet, comprehendit omnia.*
36 *Dictio ſemper, vel ſimiles ſumuntur ciuiliter, & humaniter.*
37 *Dictio ſæpiſſimè, ad minus debet verificari in tribus.*
38 *Dictio ſolus, alios omnes excludit.*
39 *Dictio ſtatim, vel ſimiles verificari ſolent cum aliquo temporis interuallo.*
40 *Dictio tanquam, quos effectus habet.*
41 *Dictio tantum, quid importet.*
42 *Dictio temerè, vel ſimiles, excludunt ignorantiam.*
43 *Dictio vel, ponitur inter diuerſa.*
44 *Dictio verè, quid importet.*
45 *Dictionis repetitio magnum indicat myſterium.*
46 *Alia remiſſiuè.*

1 VTilis valde erit materia hæc pro intelligentia dictionum, quæ in Bullis, Priuilegiis, & aliis Conſtitutionibus Regularium reperiuntur, idcirco non prætermittenda.

2 Dictiones *A*, *Ab*, *Ad*, ſignantes vltimum terminum à quo, vel ad quem, an intelligendæ incluſiuè, itavt dies termini includatur in termino; an vero excluſiue, ita vt non claudatur, licet anceps de eo quæſtio ſit, nihil clarius, aut breuius mihi occurrit dicendum, niſi quod in odioſis ſtant excluſiuè, in fauorabilibus autem incluſiuè, iuxta Regulam iuris 15. *Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari.* Niſi aliud appareat expreſſum in ipſo iure, aut niſi abſurdum aliquod, vel inconueniens inde ſequeretur. De quo ex variis Rotæ deciſionibus, & Doctoribus Naldus *in ſum. in princ.*

Dictio *Abſque*, non ſemper ſtat excluſiuè, ſed ſæpius incluſiuè, vt in S. Scriptura Cantic. 4. *Abſque eo quod intrinſecus latet*, id eſt, cum eis quæ intrinſecus latent, & 2. Corint. 11. *Præter illa quæ extrinſecus ſunt*, id eſt ſimul cum illis. Naldus *in Summa verbo occidere, num.* 10. 3

Dictio *Accumulatiuè* denotat rem fieri poſſe cum alio, itavt detur locus præuentioni, ad differentiam dictionis *priuatiuè*, quæ ex oppoſito importat rem fieri poſſe ab vno ſolo, alio excluſo. Couarruuias *in cap. Alma mater, parte prima*, §. 10. *num.* 3. Peirinis *in* 1. *tom. priuil. Minim. in Conſt.* 4. *Greg. XV. num.* 20. 4

Dictio *Alius*, regulariter importat ſimilitudinem, & refert diuerſum in ſubſtantia, ſed idem in qualitate, prout ex Bartolo, Baldo, & Quintiliano Mandoſio habet Rodriguez *tomo* 1. *quæſt. Regularium, quæſt.* 30. *art.* 15. Vnde infert, quod ſi lex dicat aliquem plectendum pœna tali, vel *alia*, per ly *alia* intelligendam eſſe pœnam priori ſimilem. Aliquando verò non denotat qualitatem ſimilem præcedenti, vt patet *Matt.* 28. & *Marc.* 15. vbi dicuntur cum Chriſto *crucifixi alij duo latrones*. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 10. *num.* 4. Ex ſubiecta ergo materia deſumendum eſt. Naldus *ſup. verbo Dictio, num.* 2. 5

Dictio *Ante*, quando apponitur ad tempus aliquod, denotat principium illius, & non finem, vt ſi dicatur veniam ante Paſcha, intelligitur ante inchoatum Paſcha. Naldus *ſuprà num.* 3. ex Baldo, Iaſone, & aliis. Vide dicta ſuprà verbo *Annus*, *n.* 6. 6

Dictio *Aut*, eſt alternatiua. Rodriguez ſuprà. Dicitur autem, quod in alternatiuis, ſeu diſiunctiuis, ſufficit alterum verificari. Tuſchus *verbo Dictio, concl.* 268. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtit.* 2. *Pauli III. num.* 4. Nota etiam, quod vna pars alternatiuæ intelligi debet ſecundum aliam. Vnde ſi pro delicto eſt impoſita pœna amputationis membri, aut *alia*, per ly *alia* non debet intelligi amputatio capitis, quia hæc pœna multum diſtat ab amputatione membri, & alternatiua ſemper præſumitur eſſe inter æqualia, & parum diſtantia. Naldus *ſuprà num.* 4. 7

Dictio *Circa*, cum additur incertæ quantitati temporis, vel alterius rei, vt cum dicitur circa annos decem plus minuſve, quid importet, vix poteſt generalis regula aſſignari, præter arbitrium Iudicis. Vide tamen Rebuffum *in ſua prax. beneficiorum, titul. de diſpenſat. ratione ætatis, verſic. circa.* Garzia *de benefic. part.* 11.² *cap.* 3. §. 1. & Naldum *ſup. num.* 5. ex variis Rotæ deciſionibus. 8

Dictio *Commodè*, quæ in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. & in decretis Summorum Pontificum ponitur cum dicitur, eum ſolum numerum Regularium conſtituendum in Monaſteriis, *qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari*, denotat victum, & veſtitum, & alia onera neceſſaria, iuxta conſuetudinem loci, & perſonarum in dictis Monaſteriis degentium. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Conſt. Pyrrhi*, *n.* 49. 9

Dictio *Competenter*, ſignificat idem quod *mediocriter*, vel *vt par eſt*, vel *ſufficienter*. Peirinis *ſuprà*. 10

Dictio *Continuò*, licet ex ſua natura ſignificare videatur ſine vllo temporis interuallo, id tamen intelligi debet magis, vel minus, iuxta ſubiectam materiam. Naldus *ſuprà num.* 6. ex Decio, & aliis. 11

Dictio *Cum*, quando coniungit nomina collectiua, 12
vel

vel dignitatem, ſemper ſtat principaliter. Tuſchus *verbo Dictio, concluſ.* 538.*num.*20. Peir. *tom.* 2. *de Prelat, quaſt.* 1.*cap.*2.*num.*23.

13 Dictio *De*, naturalitatem, ſeu originem importat, vt probat textus *in l.* 1. *ff. ad municip.* Surdus *deciſ.*129. *num.* 15. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi Allegat.* 4. *num.* 9. Vbi etiam habet ſub nomine patriæ, ſeu originis non tantum propriam, ſed paternam denotari, vt ſi quis natus eſt Matriti, & pater eius Toleti.

14 Dictio *Deinde*, continuatiua præcedentium eſt. Sanchez *de Matrim. lib.*3.*diſp.*7.*num.*17.

15 Dictio *Donec*, eſt reſtrictiua temporis, habetque naturam ſuſpenſiuam. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcopi Allegat.* 19.*num.*89.ex Chaſſaneo, Menochio, & aliis.

16 Dictio *Dummodo*, regulariter non facit conditionem, ſed modum. Rebuffus *de verbor. ſignific.leg.*157. *verſic. dummodo.* Quod quidem verificatur quando adiicitur actui perfecto, vt Do tibi hoc, dummodo hoc facias. Sanchez *ſupra diſp.*33.*num.*2.

17 Dictio *Dumtaxat*, vel ſimilis alia taxatiua, ſcilicet *tantùm*, *tantummodò*, quamuis excludat omnes caſus præter expreſſos, exponitur enim per affirmatiuam eius cui adiungitur, & negatiuam aliorum (Rodriguez *tom.* 3. *quaſtionum Regularium, quaſt.*5.*art.*4.) non excludit tamen caſus ſimiles, in quibus eadem, ſiue vrgentior ratio militat, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 20. Gloſſa *in l. ob as, C. de prad. minor. & in l. ſi mora, verbo dumtaxat, ff. ſoluto Matrim.* Rodriguez *ſup.* Sanchez *lib.*7. *de Matrim. diſp.* 31.*num.*6. *& lib.*6. *in Decal. cap.* 15.*num.*37.

18 Dictio *Eo Caſu*, & ſimiles reſtringere ſolent diſpoſitionem cui inſeruntur ad tempus, & caſum in illa expreſſum, ita vt non admittant extenſionem ad alium. Verum ſi talis dictio apponatur ſine vlla alia dictione taxatiua, v.g. *tantùm*, *ſolummodò*, vel alia ſimili, tunc ſecundum ſuam naturam ſtabit demonſtratiuè, ſeu declaratiuè, non reſtrictiuè. Ita ex Rotæ deciſionibus Naldus *ſup.num.*18.

19 Dictio *Et*, quamuis ſit copulatiua, ita vt cum in diſpoſitione duo coniunguntur per dictionem *&*, oporteat vtrumque interuenire, *l. ſi quis ita ſtipulatus, ff. de verbor. obligat.* Peirinis *tomo* 2. *de Prelato, quaſt.*1.*cap.*2. *num.*12. Nihilominus aliquando ponitur pro *ſeu*, vt disiunctiua. Pro quo habes exemplum in Conſtitut. Gregor. XIV. de qua infra verbo *immunitas Eccleſiarum, num.*11. quod iuxta ſubiectam materiam intelligendum eſt. Tuſchus *verbo dictio, concl.* 254. *num.* 3. Rodriguez *tom.* 3. *quaſt.* 17. *art.* 19. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtitut.* 1. *Pauli III. num.*4. Quando etiam inſeritur in commiſſione, vel priuilegio, & continet plures cauſas, quæ non omnes ſunt neceſſariæ ad operandum aliquem effectum, ſufficit vt vna illarum, quæ effectum operari poſſet, illum operetur, verbi gratia, ſi diſpenſetur ieiunium cum ſupplicante dicto nobili, & infirmo, licet non ſit nobilis, ſed infirmus, poteſt facultate illa vti, quia illa cauſa ſufficit. Naldus *ſuprà num.*7. ex Nauarro.

20 Dictio *Etiam*, eſt implicatiua, & ampliatiua, *leg. etiam, ff. de Minor. Clement. Religioſis, de procur.* Vbi Cardinalis *num.*1. *& Clement.* 1. *de teſtament.* Vbi Cardinal. *num.*1. Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Conſtit.*14. *Leonis X. num.*4. Vnde vnum caſum exprimit, & alium includit. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 92. *num.* 12. Similiter tam hæc dictio, quam omnis alia implicatiua, quales ſunt *maximè*, *præſertim*, implicant idem eſſe in caſu contrario, quamuis ratio expreſſa deficiat, aut licet in illo militet fortior ratio. Sanchez *lib.*2. *de Matrim. diſp.*39.*num.*7. *& lib.*6. *diſputat.*14. *num.*21.

21 Dictio *Ex*, naturalitatem exigit, nec ciuili eſt contenta, vt habet Barboſa *ſuprà num.* 10. ex Pereira *de poteſtat. eligendi cap.* 13. *num.* 21. Nec verificari ſolum ob domicilium, ſeu beneficium ibi habitum, tenet idem Barboſa *ibidem* ex aliis.

22 Dictio *In* intrinſecitatem importat, id eſt, intus. Baldus *in l. in rebus ff. ſolut. Matr. n.*7. Bartolus *in l. Gallus*, §. *illo caſu, num.*2. *ff. de liber. & poſthum.* quos refert, & ſequitur Barboſa *de Iur. Eccleſiaſt. lib.*2. *cap.*3. *num.* 118.

23 Dictio *Inſuper*, importat diuerſitatem, & ita clauſula poſita in principio, vel ad finem vnius articuli non refertur ad ſequentia, quando in illis adeſt dictio *Inſuper.* Ita Tuſchus *verbo Dictio, concl.* 295. & Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtit.* 2. *Gregorij XIII. n.*2. Licet oppoſitum iudicet Naldus *ſuprà num.*9.

24 Dictio *Legitimè*, ſignificat idem, ac ordine iuris ſeruato. Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Conſtit.* 1. *Sixti IV. num.* 1.

25 Dictio *Multum*, ſeu *multa*, &c. plura ſignificat, & aliquando eſt contenta duobus, *l. vbi numerus, ff. de teſtibus, cap. pluralis locutio* 40. *de Regul. iuris in* 6. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi Allegat.*72.*num.*30. 31. *&* 32.

26 Dictio *Nullatenus*, cum vniuerſalitatem importet, excludit quemcunque caſum. Tuſchus *verbo Dictio, concluſ.*315. Peirinis *tom.* 2. *Priuileg. Minim. in Conſtit.*26. *Leon. X. num.*11. Vnde inferre ſolet nullitatem actus, & tollere omnem potentiam. Barboſa *ſuprà Alleg.*19. *num.*75. Idem dicitur de dictione *nullo modo.* Vnde de vtraque dicunt aliqui excludere omnem diſpenſationem. Gloſſa *in Clem. vt ſi, de atat. & qualitat. verb. nullo modo.* Rodriguez *tomo* 2. *quaſt. Regul. quaſt.*78. *artic.*2. Idem videtur dicendum de dictione *penitus*, de qua dicitur importare ipſo iure. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.*21.*num.*75. *&* 76.

27 Dictio *Omnimodè*, *& plenè*, denotat vniuerſalitatem. Gloſſa *in Clem. vn. de for. compet. verſ. omnimodam.* Panormit. *in cap. conqueſtus, de for. compet. num.*4.

28 Dictio *Omnino*, *indiſtinctè*, ac *omni ex parte*, omnia comprehendit. Barboſa *ſuprà Allegat.* 95. *num.* 6. Et omnem excludit diſpenſationem. Gloſſa *in Clem. vt hi, de atat. & qualitate.* Rodriguez *tom.* 3. *quaſt. Regul. quaſt.*67.*art.*5.

29 Dictio *Omnis* eſt vniuerſalis, ac per conſequens nihil excludens, quia qui *omne dicit, nihil excludit.* Idem Barboſa *ſuprà Allegat.*102.*num.*39.

30 Dictio *Per* ſignificat perfectionem, *l. Vrbana, in fin. de verb. ſignific.* Naldus *ſup.* & conſonant quæ dixi ſuprà verbo *Annus*, *num.*5.

31 Dictio *Priuatiuè*, quid importet vide ſuprà in dictione *accumulatiuè.*

32 Dictio *Propè finem*, ſeu *propè annum*, vel talem temporis terminum, ſumitur diuerſimodè iuxta naturam, & qualitatem ſubiectæ materiæ. Naldus *in Summ. verbo Tempus*, *num.*8. *&* 11.

33 Dictio *Prorſus*, excludit omnia, & ſingula quæ in contrarium excogitari poſſunt, *cap. ſtatutum*, §. *prouiſurus, de reſcript. in* 6. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 18. *quaſit.* 6. *num.*7. Vide dicta verbo *clauſula*, *num.*55.

34 Dictio *Qualitercumque*, eſt vniuerſalis, & comprehendit maiora expreſſis, *cap. ſolita*, *verſ. quodcumque ligaueris*, & omnia quæ cogitari poſſunt, *leg. etiam, ff. ſoluto Matrim.* Barboſa *ſuprà Alleg.*57.*n.*177.

35 Dictio *Quomodolibet*, ex ſui generalitate comprehendit omnia, de quibus ſatis eſt in genere fuiſſe cogitatum, iuxta terminos *leg. ſi de certo, Cod. de tranſaction.* Naldus *ſuprà verbo Clauſula, verſ. quomodolibet.*

36 Dictio *Semper*, vel ſimiles, v.g. *continuè*, *ſine intermiſſione*, *quotidie*, *indeſinenter*, *&c.* ſumuntur ciuiliter, & humaniter, id eſt pro omni hora, & tempore,

quo id fieri potuit, non pro ſemper metaphyſicè. Naldus *ſup. verbo dictio, num.* 13.

37 Dictio *Sapiſſimè, plurimùm*, & aliæ ſimiles ſuperlatiuæ ad minùs debent verificari in tribus. Naldus *ſuprà num.* 12.

38 Dictio *Solus* alios omnes excludit præter expreſſum, *leg. his ſolis, C. de reuoc. don.* Rota in vna Nouatienſi *legitimæ* coram D. Ghiſlerio 1629. *num.* 7.

39 Dictio *Statim, illico, incontinenti*, & ſimiles, verificari ſolent cum aliquo temporis interuallo, maiori, vel minori, vt credo, iuxta varietatem materiæ, & viri prudentis arbitrium. Naldus *in ſumma verb. verba, num.* 22.

40 Dictio *Tanquam*, multos, & diuerſos effectus habet in iure, & propterea conſpiciendæ ſunt circomſtantiæ, quo nomine, quo reſpectu, qua contemplatione aliquid fiat, Naldus *dicto verbo Dictio, num.* 16.

41 Dictio *Tantùm*, vel *tantummodo* quid importet, vide ſuprà in dictione *Dumtaxat*.

42 Dictio *Temerè*, vel ſimiles, quales ſunt *præſumptuosè, audacter, &c.* denotant audaciam, præſumptionem, & temeritatem in operante, & ita non comprehendunt ex ignorantia etiam culpabili operantem, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. de quo Naldus *ſuprà verbo dictio, num.* 17. *& verbo verba, num.* 21.

43 Dictio *Vel* ponitur inter diuerſa, vt notant DD. *l. ſi quis, in princip. ff. de reb. dub.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 18. *num.* 2.

44 Dictio *Verè* importat idem quod *propriè*, vt probat idem Naldus *ſuprà verbo Dictio*, ex Farinacio.

45 Nota tandem, quod dictionis repetitio, vt communiter dicitur, magnum indicat myſterium, emphaſim ſcilicet vel energiam ſic loquentis.

46 Vide dicta ſuprà verbo *Clauſula*.

DIMISSORIÆ.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Sunt litteræ Superiorum pro ſubditis ab aliis ordinandis.*
3 *An concedantur à Prælatis Regularibus pro ſubditis ſæcularibus.*
4 *Pro ſubditis Regularibus poſſunt illas concedere.*
5 *Qualiter concedendæ.*
Decretum S. Congregationis pro ea re. ibid.
6 *Quid dicendum de Regularibus in locis nullius Diœceſis.*
Alia de huiuſmodi Dimiſſoriis remiſſiuè. ibid.
An Nouitiis concedi poſſint. ibid.
7 *Qui Prælati illas concedant.*
8 *Concedere illas eſt actus iuriſdictionis.*
9 *An expirent morte concedentis.*
10 *De pœnis vtentium fictis dimiſſoriis.*
11 *Alia remiſſiuè.*

1 De hac materia aliqua dicta ſunt *tom.* 1. *capite* 14. *num.* 12. 13. *& cap.* 18. *num.* 64. *&* 65. nunc verò alia addenda ad Regulares ſpectantia, vel maioris lucis gratia.

2 Dimiſſoriæ ergo, quæ etiam appellantur Reuerendæ, ſunt litteræ quas Superiores ſuis ſubditis concedunt, vt ab aliis ordinari poſſint. Ita eas vocat Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 10. *& ſeſſ.* 7. *de reformat. cap.* 10. Vocantur autem *Dimiſſoriæ*, quia per eas dimittunt Prælati ſuos ſubditos aliis ad Ordines ſuſcipiendos. Vnde illas concedere poſſunt cuncti Epiſcopi, vel alij Prælati, quibus à Sede Apoſtolica id eſt commiſſum, *cap. cùm nullus, de tempor. Ordinat. in* 6. Campanile *in Diuerſ. iuris Canon. Rubr.* 9. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Alleg.* 7. *à num.* 1. *vſque ad* 6.

Quoad Prælatos Regulares, licèt Abbates, & alij exempti olim huiuſmodi litteras dimiſſorias ſuis ſubditis ſæcularibus concedere poſſent, ex dicto *cap. cùm nullus*, vt ibi Antonius, Andreas, Ancharanus, & Franchus; hodie tamen poſt Concil. Trident. dicta *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. hoc eſt illis prohibitum ſine licentia Epiſcopi, cum derogatione omnium priuilegiorum. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſit.* 26. *num.* 1. Vnde etiam in caſu quo aliquis Abbas, vel Prælatus Regularis habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, contentioſam, & voluntariam in ſæculares, adhuc non poterunt dictas dimiſſorias concedere, ſed hoc pertinet ad Epiſcopum. Henriquez *in Summa, lib.* 10. *cap.* 22. §. 3. Tamburin. *ſup.* ex deciſione Rotæ in vna Vrbinat. *Parochialis* 14. Decembr. 1592. coram Blanchetto. Limita tamen, niſi huiuſmodi Prælatus eſſet Ordinarius priuatiuè ad Epiſcopum, iuſque haberet congregandi Synodum, contra hunc enim non procedere determinationem Concilij defendit Stephanus Gratianus *in diſceptat. for. tom.* 2. *cap.* 112. quem ſequuntur Campanile ſupr. & Tamburinus etiam *ſuprà num.* 2. ex alia deciſione Rotæ in vna Salmantina *Iuriſdictionis*, die nona Maij 1594. coram Seraphino. 3

4 Suis tamen ſubditis Regularibus poſſunt Abbates, & alij Prælati Regulares dictas dimiſſorias concedere. Primo quidem ad tonſuram, & minores Ordines, ex relato Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. vbi prohibetur Abbatibus, vel exemptis concedere ad ea dictas dimiſſorias *cuiquam qui Regularis ſibi ſubditus non ſit*. Quo denotatur Regularibus ſubditis concedi poſſe. Deinde de dimiſſoriis ad maiores Ordines etiam id colligitur ex eodem loco Concilij, ſubditur enim: *Nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus concedant.* Ex eo enim quod negat id pro Clericis ſæcularibus, argumento deducto à contrario ſenſu, ſupponit pro Regularibus id fieri poſſe. Tertiò ex eodem Concil. *dicta ſeſſ.* 23. *cap.* 8. vbi dicitur nullum ordinari poſſe, *niſi eius probitas, ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur.* Verbum enim *Ordinarij ſui*, Regularibus applicatum eorum denotat Superiores, qui de illorum moribus teſtificari poſſunt, non verò Epiſcopi, qui illos nec agnoſcunt. Quartò, ex priuilegiis Summorum Pontificum, videlicet Ioan. XXII. & Sixti IV. pro Carmelitis, prout in Mari magno habetur, & aliorum quæ refert Caſſarobius *in Compendio, verb. Ordines ſacri*. Quæ quoad hoc punctum reuocata non ſunt à Concilio. Et præſertim Clem. VIII. pro Ciſtercienſibus Monaſterij de Alcobaxa Regni Portugalliæ, quod referunt Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 18. *art.* 5. & Mirand. *in Man. tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 3. Quintò, ex declarat. S. Congregat. ſub Clement. VIII. de qua poſtea. Ac tandem Sextò, ex praxi, & vſu omnium Religionum, ita vt mirum ſit aliquos id in dubium vertiſſe. Vide præter relatos à me *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 18. Barboſam dicta *Allegat.* 7. *num.* 31. & Tamb. *ſup. quæſit.* 25. cum aliis, quos illi referunt.

Porrò hæ litteræ dimiſſoriæ dandæ ſunt à Prælatis Regularibus, iuxta modum, & formam præſcriptam in decreto Clement. VIII. & Sacræ Congregationis, quod eſt huiuſmodi: *De mandato S. D. N. Clementis diuina Prouidentia Papæ octaui tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, vt de cætero obſeruent, & obſeruari faciant ea quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini continentur, cuius tenor eſt talis. Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito item Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen* 5

Diœceſanum,

Diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cuius familia ab iis ad quos pertinet, ut Regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas habiturus Ordinationes eſſet. Verum cùm à Superioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, litteræ Dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiuſdem S.D.N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent. In quorum, &c. Datum Romæ die 16. Martij, anno 1596. Referunt hoc decretum præter eos quos retuli *tom.1. dict. cap.14.n.*12. Piaſecius *in praxi noua Epiſcop. p.*1.*cap.*2. *num.*14. Campanile *ſup. rubr.*12. *cap.*13.*n.*37. Barboſa *ſup. num.*18. Ioannes Maria Nouar. *in lucern. Regular. verbo Dimiſſoria, num.*1. & alij apud ipſos.

6 Quid verò dicendum de Regularibus degentibus in Monaſteriis ſitis in locis nullius Diœceſis, ad quem videlicet Epiſcopum dirigi debeant litteræ dimiſſoriæ, dixi ex declaratione S. Congregationis eo *cap.*14.*num.*12. Similiter qualiter Prælati Regulares poſſint dare litteras dimiſſorias ſuis ſubditis ad aliquos Abbates, vt ab eis recipiant minores Ordines, dixi *ibid. num.*13. & *cap.*18. *num.*65. vbi de conditionibus ad id requiſitis agi. Præterea de Nouitiis, an Prælati Regulares poſſint illis dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos tribuere, dictum eſt eo *cap.*14. *num.*20. & *cap.*18. *num.*6. Quibus adde, quod etſi ſtando in iure communi non poſſent dicti Prælati dimiſſorias Nouitiis concedere, prout aliqui exiſtimant, ex eo quod non habent circa illos omnimodam poteſtatem, ſed eam tantum, quæ neceſſaria eſt ad bonum regimen, & finem probationis ipſorum, ad quod non videtur neceſſaria hæc auctoritas, nihilominus ſaltem ex vi priuilegiorum, quæ habent Prælati aliquarum Religionum ad concedendum ſuis ſubditis dimiſſorias, poterunt eas Nouitiis concedere, cum illi ſint etiam eorum ſubditi. De quo Tamburinus *ſuprà, quæſit.*27. Diana *part.*3.*tract.*2. *reſol.*27.

7 Porrò Prælati, qui dimiſſorias ſubditis Regularibus præbere poſſunt, ſunt Generales pro tota Religione, & Prouinciales pro tota Prouincia, imò etiam inferiores Prælati, ſcilicet Priores, Guardiani, &c. ſi conſuetudine id ſit introductum, vel Conſtitutiones Religionum non contradicant. Colligitur primò ex eo quod Concilium dicta *ſeſſ.*23.*cap.*8. hoc remittit Ordinario. Nomen autem Ordinarij quoad Regulares in præſenti his omnibus Superioribus aptatur, vt dixi. Secundò, ex decreto S. Congreg. relato, vbi dicit hoc poſſe facere *Superiores Regulares.* Quo nomine iſti omnes comprehenduntur. Miranda *in Manual. Prælator. tom.*1. *quæſt.*39. *art.*3.

8 Concedere autem huiuſmodi dimiſſorias eſt actus iuriſdictionis. Suarez *de Cenſur. tom.*5. *diſp.*14. *ſect.*1.*n.*6. Vnde conceſſæ ab excommunicato, vel ſuſpenſo declarato inualidæ ſunt. Suarez *ibid.* Tamb. *ſup. q.*28. Et ordinatus cum illis incideret in pœnas contra ordinatos ſine dimiſſoriis. Tambur. *ibid.* poſt alios quos refert.

9 Non expirant huiuſmodi dimiſſoriæ per mortem, vel ceſſationem officij illas concedentis, niſi à ſucceſſoribus reuocentur. Etenim gratia, vel fauor expirat morte concedentis, *cap. ſi cui nulla, de præbend. in* 6. *cap. ſi ſuper gratiam; de offic. Iudic. delegat. eodem ſexto*, Henriq. *in Sum. lib.*10. *c.*22.§.*fin.* Tamb. *ſup. quæſit.*29. & alij apud ipſum. Sic etiam declaratum à S. Congregatione Epiſcop. & Regul. in Oriensi 21. Nouemb. 1620. refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Dimiſſoria.*

De pœnis quas incurrunt vtentes falſis Dimiſſoriis, vide dicta *tom.*1. *ſum. cap.*14. *num.*3. 18. & 19. & dicenda infra verbo *falſarius, num.*3.

Vide alia dicenda 4. tom. verbo *Ordines Sacri.*

DISPENSARE, ET DISPENSATIO inter Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Diſpenſatio quid ſit.*
3 *Alia remiſſiuè de hac poteſtate.*
4 *De poteſtate Prælatorum ad diſpenſandum.*
5 *De facultate Confeſſariorum ad diſpenſandum.*
6 *Quid de diſpenſatione cum inceſtuoſis.*
7 *Quid in votis Epiſcopis reſeruatis.*
8 *De quodam caſu ad intentum ſpectante.*
9 *Diſpenſatus à Papa ad quendam Canonicatum, an poſſit alium Canonicatum obtinere.*
10 *Poteſt, niſi ex verbis ſupplicationis colligatur Papæ conceſſionem reſtrictam fuiſſe.*
11 *Diſpenſatio eſt ſtricti Iuris, & indiuidua.*
12 *Diſpenſatus ad beneficium propter illegitimitatem, non poteſt niſi vnum beneficium obtinere.*
13 *Quæ à Iure communi exorbitant, ad conſequentiam non ſunt trahenda.*
14 *Odioſum eſt aliquem eximi à lege, quæ æqualiter obligat omnes.*
15 *Authores pro hac parte.*
16 *Quid in caſu contrario, quando non colligitur Papæ reſtrictio.*
17 *Beneficium Principis latè eſt explicandum.*
18 *Poteſtas diſpenſandi latè interpretanda.*
19 *Gratia, & beneficium interpretandum amplè.*
20 *Fauores conuenit ampliari.*
21 *Quoties vnum conceditur propter aliud, debet participare ipſius naturam.*
22 *Quid ſi admitteretur diſpenſatio ſtrictè.*
23 *Debet extendi ad id quod concedens intendit.*
24 *Authores pro hac parte.*
25 *Qualis fuerit intentio Papæ in hac diſpenſatione.*
26 *Diſpenſatio non debet eſſe captioſa, aut illuſoria.*
27 *Priuilegium debet intelligi iuxta materiam, in quam cadit.*
28 *Quid in caſu, quo Pontifex concedat facultatem ad teſtandum.*
29 *Authores huius partis.*
30 *An valeat in diſpenſationibus argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus.*
31 *An quando eſt eadem ratio.*
32 *Quando fiat extenſio de vno caſu ad alium.*
33 *In quibus diſpenſationibus id procedat.*
34 *Quid de Religioſo diſpenſato ad aliquod officium ſuæ Religionis.*
35 *De probabilitate huius ſententiæ.*
36 *Diſpenſatio quando cadit ſupra perſonam.*
37 *An diſpenſatus ad beneficium, cenſeatur diſpenſatus pro pluribus vicibus.*
38 *Quid pro caſu præſenti.*
39 *Quid de diſpenſato in votis caſtitatis.*
40 *An ſit hæc lata interpretatio.*
41 *De diſpenſato à Papa ad beneficium ſimplex.*
42 *Opinio quorundam.*
43 *An diſpenſatus ad beneficium poſſit illud permutare.*
44 *An procedat in hoc caſu regula de æquiparatis.*
45 *Concluſio dictorum.*

MVlta ſub hoc titulo comprehendi poſſunt, de 1
quibus partim eſt dictum, & in ſequentibus dicetur. Comprehenduntur enim ea in quibus Prælati

Regulares

Regulares cum ſuis ſubditis, & Confeſſarij cum ſuis pœnitentibus diſpenſare poſſunt. De quibus omnibus agendum remiſſiuè ſaltem aliqua, tamen omni diſpenſationi communia prius ſtatuendo.

2 Diſpenſatio ergo eſt *rigoris iuris per eum ad quem ſpectat miſericors, & canonicè facta relatio.* Syluester *in ſumma, verbo diſpenſatio, num.* 1. ex Hoſtienſi. Requirit iuſtam cauſam, itaut ſine illa, nec licita, nec valida ſit, quando fit ab inferiori in lege Superioris, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 42. Imò talis diſpenſatio ſine iuſta cauſa data, potius eſt diſſipatio, & taliter diſpenſantes diſſipatores ſunt, non diſpenſatores. Syluester *ibid. num.* 2. ex D. Bernardo. Vnde diſpenſatio impetrata ex falſa cauſa, vel tacita veritate, nulla eſt, *cap.* 2. *de fil. Presbyter. in* 6. *cap. ad audientiam* 2. *de reſcript. & cap. non poteſt, de prabend. in* 6. Et illa vtentes non ſunt ſecuri in conſcientia. Bonacina *de legibus, diſp.* 1. *quaeſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 13. poſt plures alios. Cauſæ verò ad diſpenſandum, quamuis variæ ſint, iuxta varia genera diſpenſationum, regulariter tamen ſunt iſtæ: pietas erga Deum, neceſſitas communis, vel priuata, vtilitas communis, vel priuata, qualitas perſonæ cum qua diſpenſatur, & aliæ quæ pro qualitate loci, & temporis arbitrio prudentis fuerint legitimæ iudicatæ. Syluester *ſuprà, num.* 3. Azor *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. *quaeſt* 8. Nota etiam quod diſpenſatio facta à Prælato legiſlatore, vel ab habente æqualem auctoritatem cum ipſo in lege ipſius ſine cauſa, licet ſit aliquo modo illicita & imprudens, cum per eam eximat partem ab obligatione totius cum quo debet conformari, valida tamen eſt, quia obligatio legis pendet tam in fieri quam in conſeruari à legiſlatore, & ita poteſt eam validè tollere, ſicut pro tota Communitate, ſic pro parte ipſius, Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 17. *num.* 27. *& diſput.* 18. *num.* 3. Bonacina *ſuprà, num.* 1. Eodem etiam modo, & propter eandem rationem peccabit vtens hac diſpenſatione, ſicut ipſe diſpenſans, prout tenet Naldus *in Summa, verb. Diſpenſatio, num.* 7. ex Nauarro. [Caſu verò quo Prælatus diſpenſaret cum ſubdito in aliqua re bona fide, ſcilicet putans cauſam eſſe iuſtam, & ſufficientem, cum revera quoad Deum non ſit talis, quamuis aliqui putent non valere diſpenſationem, prout tenet Philiarchus *de Sacerdot. tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 3. *c.* 4. nihilominus eam valere tenent probabiliter Azor. *tom.* 2. *inſtitut. moral. lib.* 7. *cap.* 29. *quaeſt.* 6. Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 17. *num.* 8. & Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 4. *quaeſit.* 9. *num.* 8. quia ita piè credendum eſt de facultate à Deo, & Papa conceſſa Prælatis ad diſpenſandum. Si autem Prælato poſtea conſtet de falſitate cauſæ propter quam dedit diſpenſationem, debet illam reuocare, & monere ſubditum. De hoc Ludouicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 4. Tambur. *ſup. num.* 9.] Pro hac quoque facultate Prælatorum Regularium ad diſpenſandum cum ſubditis aliqua animaduertenda ſunt: primum, quod etſi diſpenſatio ipſa ſtrictè interpretanda ſit, eo quod ſit abrogatio legis communis, facultas tamen ipſa diſpenſandi, in caſu verbi gratia dubio, an poſſit ad hoc, vel illud extendi, amplè eſt interpretanda, retenta propria ſignificatione verborum. Quia eſt beneficium Principis, ſcilicet Eccleſiæ illam concedentis, quod latè interpretandum eſt; Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio, diſp.* 1. *&* 2. Portel. *in dubiis Regularium, verb. diſpenſ. num.* 24. *& in additione num.* 14. Secundum, quod in omnibus in quibus poſſunt Prælati diſpenſare cum ſubditis, poſſunt id facere extra ſuum territorium, & etiamſi ſubditi ſint abſentes. Ratio eſt, quia etſi iuriſdictio contentioſa, quæ ſcilicet exercetur cum ſtrepitu iudicij, non poſſit à Prælato exerceri extra proprium territorium, ne turbet Prælatum alieni territorij; iuriſdictio tamen voluntaria, quæ exercetur circa voluntarios, & volentes, & ſine ſtrepitu iudicij, cum neminem turbet, poteſt exerceri extra territorium proprium. Portell. *in dicta Additione, num.* 10. ex Suarez, & Sanchez. Tertium, diſpenſationem datam non petenti ſubdito validam eſſe. Ad validitatem enim illius non requiritur poſtulatio. Suarez *de legibus, lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 8. Portel. *ſup. n.* 11. Quartum, Prælatus diſpenſare potens, validè etiam diſpenſat, quamuis Superior ipſius diſpenſationem negauerit. Ex eo enim quod Superior negauerit diſpenſationem, non aufert poteſtatem quam habet inferior Prælatus ad illam concedendam. Sanchez *ſup. diſp.* 14. Portel. *ſup. n.* 28. [Quintum quod in caſibus in quibus Prælati poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, poſſunt illos compellere ad recipiendum talem diſpenſationem. Ea enim ſuppoſita, res diſpenſata redditur licita, & honeſta, ac per conſequens materia obedientiæ. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. c.* 3. *num.* 8. Tamb. *tom.* 3. *de Iure Abbatum, diſp.* 4. *q.* 13.]

3 Loquendo ergo de facultate Prælatorum ad diſpenſandum, poteſt primo eſſe in ordine ad diſpenſandum in Regula Ordinis, ſecundo in Conſtitutionibus, ſeu Statutis illius; tertio, in legibus, & præceptis communibus Eccleſiæ; quarto in irregularitatibus, ac pœnis Eccleſiaſticis maximè; quintò cum illegitimis; ſextò in interſtitiis ad Ordines recipiendos. De quibus omnibus ſigillatim eſt agendum, remiſſiuè ſaltem.

4 Et primò, de facultate Prælatorum Regularium ad diſpenſandum in Regula Religionis, ex dictis *tom.* 1. *cap.* 7. *num.* 29. *&* 30. conſtat qualiter, aut quomodo intelligenda. Similiter de facultate ipſorum ad diſpenſandum in Conſtitutionibus, ſeu ſtatutis Religionis, dixi eo *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 23. *& cap.* 18. *num.* 54. Et de facultate diſpenſandi in legibus, & præceptis communibus Eccleſiæ, dixi eo *cap.* 18. *num.* 55. Ac de facultate diſpenſandi in irregularitatibus eo *cap.* 18. *à num.* 40. Dicam etiam infra verbo *Irregularitas.* Idem de facultate Prælatorum ad diſpenſandum in pœnis, dixi eo *cap.* 18. *à num.* 46. Et cum illegitimis ibidem *à num.* 60. & dicam in ſequentibus verbo *Illegitimus.* Ac demum quis poſſit diſpenſare in interſtitiis ad Ordines requiſitis, dixi eo *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 15.

5 Loquendo autem de facultate Confeſſariorum ad diſpenſandum cum ſuis pœnitentibus, quæ poteſt eſſe vel in petitione debiti, quando ſunt coniuges, & vnus illorum habuit rem cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius, vel in diſpenſatione votorum, vel in aliis pœnis, ſeu inhabilitatibus, aliqua dicenda ſunt in præſenti remiſſiuè ſaltem ad dicta in ſuperioribus.

6 Et quidem de facultate Confeſſariorum Regularium ad diſpenſandum cum prædictis coniugibus inceſtuoſis, quid ſentiendum dixi *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Quod, & me relato, nouiſſimè ſecutus eſt Ioannes Maria Nouarius *in lucern. regular. verbo Diſpenſare, num.* 5. Sed vide dicta ſupra verbo *affinitas, à num.* 4. vbi ea quæ dicto loco ex primo tomo dixi, ampliantur.

7 Quoad facultatem verò eorumdem Confeſſariorum Regularium ad diſpenſandum in votis, quæ Epiſcopis reſeruata ſunt, præter dicta eo *cap.* 19. *num.* 22. quæ nouiſſimè etiam, me relato, approbat idem Nouar. *ſuprà, num.* 2. vlterius aduertendum, conceſſionem illam Eugen. IV. pro Benedictinis Valliſoletanis, de qua ibi dubitaui an eſſet viuæ vocis oraculum, modo dicendum illam non videri viuæ vocis oraculum, ſed Reſcriptum quoddam à Papa ſignatum, ac per conſequens validum his temporibus, cum conditionibus tamen quas eo *num.* 22. aſſignaui. Quibus adiungit etiam Pontif. aliam, ſcilicet quod ea gratia valeat *quamdiu fuerint*, (Intellige prædicti Monachi) *in obſeruantia Regulari.* Quo denotatur, quod ſi ipſi, aut alij Regulares qui communicationem priuilegiorum cum illis habent, aliquando à Regulari obſeruantia deſciuerint, non poſſent vti dicto priuilegio. Vide hanc conceſſionem in Bullario Rodriguez, in Eugenio IV. *num.* 25.

Congruit

8 Congruit ad intentum huius materiæ de diſpenſa-
tione reſolutio quædam à me annis præteritis data cir-
ca quendam diſpenſatum à Papa ad quandam dignita-
tem, quæ talis fuit.

9 Diſpenſatus a Papa in defectu ætatis ad obtinen-
dum quendam Canonicatum, cui annexa erat dignitas
in quadam Eccleſia Cathedrali propter obitum cuiuſ-
dam, qui obiiſſe putabatur, ſi caſus ſit, quod ille non
obierit, ac perinde non vacauerit talis Canonicatus,
ſeu dignitas, videtur poſſe ex vi dictæ diſpenſationis
10 obtinere alium Canonicatum in eadem Eccleſia, niſi
ex verbis ſupplicationis factæ Papæ, & conceſſionis
ipſius Papæ (quam non vidi) colligatur Papæ conceſ-
ſionem reſtrictam fuiſſe dumtaxat ad prædictum Cano-
nicatum, & dignitatem.

11 Ratio huius limitationis eſt, quia diſpenſatio eſt
ſtricti Iuris, indiuidua, & ſolum intelligitur quoad
expreſſa, *cap. 1. de fil. presbyt. in 6. §. ille verò*, vbi ha-
betur, quod ſi Papa diſpenſet cum illegitimo ad bene-
12 ficium, non poteſt per hoc, niſi vnum obtinere, quia
diſpenſatio eſt exorbitans, inquit textus, & tanquam
odioſa reſtringenda, iuxta regulam 15. Iuris *Odia conue-
nit reſtringi*, cui ſuffragatur regula Iuris 28. quæ ſic
habet, *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad con-*
13 *ſequentiam ſunt trahenda.* Et ratio id etiam demonſtrat,
quoniam odioſum eſt eximi à lege, quæ æqualiter om-
nes obligat. Sic vniuerſi Doctores animaduertunt, vt
notat Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 1. num. 3.* ſpeciali-
14 ter Azorius, Aulla, & Garzia, quos citat, & ſequitur
Theſaurus *in prax. part. 2. verb. Illegitimus, cap. 2. §. an au-
tem*, de quo etiam Rebuffus *in prax. beneficior. in form.
mandat. Apoſt. pag. mihi 715.* & Bordonus *reſol. 100.*
15 *num. 78.* addens, quod diſpenſatio debet apparere claris
verbis, & non deduci ex ambiguis. Felin. *in c. mandatis,
de ſimon.* apud Verallum *part. 2. deciſ. 145. num. 6.*

16 Ratio autem noſtræ reſponſionis, pro caſu videlicet,
quod neque ex ſupplicatione facta Papæ, neque ex
conceſſione ipſius colligatur iſta reſtrictio, ſumitur pri-
mò ex Regula illa communi *Beneficium Principis latè*
17 *eſt explicandum*, quæ ſumitur ex *cap. olim, de verb. ſig-
nif. & l. Beneficium, ff. de conſtit. Princip.* Cum enim
diſpenſatio ſit quoddam Principis beneficium, latè erit
explicanda, ac per conſequens applicanda caſui, de
quo in præſenti.

18 Secundò quia poteſtas diſpenſandi in omnium ſen-
tentia eſt late interpretanda. Quoniam poteſtas diſpen-
ſandi eſt gratia, & beneficium Principis: gratia autem,
19 & beneficium amplè interpretandum eſt: ergo & pote-
ſtas diſpenſandi. Minor conſtat, tum ex Regula Iuris
20 *Fauores conuenit ampliari 15.* & *16. Decet conceſſum à
Principe beneficium eſſe manſurum.* Conſequentia autem
ex eo videtur manifeſta; quia cum poteſtas diſpenſandi
detur propter exercitium diſpenſationis, quemadmo-
dum ipſa poteſtas eſt fauorabilis, & late interpretanda,
21 ſic & diſpenſatio, quæ eſt effectus illius. Quoties
enim vnum conceditur propter aliud, videtur debere
participare ipſius naturam, vt conſtat ex doctrina Bar-
toli *l. Conſtitutionibus, num. 1. ff. de municip.* vbi allega-
to Dyno, indè probat ſtatuta eſſe ſtricti Iuris, eo quod
actio ex eis deſcendens ſit ſtricti Iuris.

22 Tertiò, quia etiamſi admittatur, quod diſpenſatio
debeat accipi ſtricte, ac per conſequens iſta, de qua in
præſenti, ſtrictè accipi debeat, nihilominus tamen certi
Iuris videtur, quod debeat extendi ad id, quod con-
cedens intendit, vt conſtat *cap. in his, de verb. ſignif. &*
23 *cap. 1. verſ. ex parte vero tua, de conceſſ. prabend. in 6.* ibi
*Ex quorum tenore liquidò noſci poteſt, quod talis circa ea
fuerit intentio concedentis.* Quare dum *cap. porro, de priui-
leg.* deciditur, à verbis, & tenore priuilegij non eſſe re-
cedendum, intelligi debet, niſi aliud de concedentis
24 mente conſtat: Atque ita docent Gloſſa *cap. ſuper eo,
verb. Intentionis, de offic. deleg.* & *cap. quanto, verſ. ſola,*
de priuil. vbi Abbas *num. 3.* Anch. *n. 4.* Socinus *cap. ex
ore, n. 2. eod. tit.* Archidiacon. *cap. ſeruantes 25. quæſt. 2. n. 2.*
& *cap. 1. num. 3. de conceſſ. prabend. in 6.* vbi Franc. *§. ex
parte, n. 2.* & latiſſimè alios referens Tiraquell. *l. ſi vn-
quam, verb. libertis, n. 55. & 56. Cod. de reuoc. donat.* Pariſ.
conſ. 4. n. 22. lib. 2. Capitius *dec. 4. n. 1.* Angelus *verb. pri-
uilegium, num. 3.* vbi Sylueſter *quæſt. 3.* Tabiena *quæſt. 3.
n. 4.* Mandoſius *regul. 17. Cancellar. quæſt. 8. num. 3.* Hen-
riquez *lib. 7. de Indulg. cap. 30. num. 1.* Rodriguez *quæſt.
regul. tom. 2. quæſt. 64. art. 11.* Sanchez *ſupra, num. 11.*
Videtur autem intentionem Pontificis, qui conceſſit 25
hanc diſpenſationem, fuiſſe diſpenſare in ætate ad Ca-
nonicatum illius Eccleſiæ intuitu ipſius perſonæ, non
autem intuitu talis Canonicatus, vel dignitatis illi pro-
poſitæ, quia iſta ſolum occaſionaliter ſe habuerunt
reſpectu conceſſionis, & gratiæ, ac per conſequens
innitendo huiuſmodi intentioni extendi debere præfa-
tam diſpenſationem ad caſum propoſitum.

Quartò, quia non obſtante, quod diſpenſatio ſit 26
ſtrictè interpretanda, nihilominus ſic ſemper inter-
pretari debet, vt non ſit captioſa, ac illuſoria, argu-
mento ex *cap. ſi Ciuitas, de ſentent. excommun. in 7.* quia
priuilegium debet intelligi iuxta materiæ, in quam
cadit, naturam, *l. in contractibus, §. fin. Cod. de non num.* 17
pec. & l. ſi vno, ff. locati. Et conſtat in caſu, quo Pon-
tifex concedat licentiam alicui Epiſcopo, vel Mona- 28
cho ad teſtandum; talis enim licentia non reſtringitur
ad primum teſtamentum, ſed ad quodcumque aliud
etiam poſt reuocationem prioris, quia alias talis diſ-
penſatio redderetur illuſoria, & captioſa, prout tenent
Nauarrus, Albanus, Couarruuias, Peralta, & pluri- 29
mi alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *ſupra, n. 18.*
videtur autem, quod huiuſmodi diſpenſatio in defectu
ætatis redderetur etiam captioſa, & illuſoria, ſi ſolùm
intelligeretur pro illo Canonicatu, qui putabatur va-
caſſe, qui reuera non vacauit.

Quintò, quia non obſtante dicta reſtrictione diſ- 30
penſationis, eſt nihilominus ſententia plurium Docto-
rum aſſerentium in diſpenſationibus locum habere ar-
gumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus:
ita vt in iis extenſio fiat à caſu in quo eſt par, aut mi-
nor ratio, ad caſum, in quo eſt eadem, aut maior con-
ceſſionis ratio, prout tenent Decius, Hyppolitus, Fran-
chus, Gambata, & Borgaſius, quos refert Sanchez
ſup. num. 31. vbi etiam *num. 32.* dicit hoc eſſe probabile:
maximè Diana *part. 8. tract. 3. de diſpenſat. reſol. 102.* vbi 31
cum Sanchez probabile exiſtimat, quod quando ea-
dem ratio expreſſa in diſpenſatione procedit in caſu
non expreſſo, tunc diſpenſatio extendatur ad caſum
non expreſſum, quod etiam admittunt Merolla, & Ro-
driguez ab ipſo relati: & probat doctrina Gloſſæ *verb.
Italia, in cap. 1. de tempor. ordinat. in ſexto*, dicentis,
quod vbi eſt eadem ratio, & omnimoda ſimilitudo,
non propriè dicimus extendere. Probat etiam textus *in
§. vnico, Inſtitut. de legitim. Patron. tutel.* vbi fit exten- 32
ſio de vno caſu ad alium ſimilem. Fauet & textus in
leg. Ideo quia, ff. de legibus, & *l. 1. Cod. de interdict.*
quæ ita ſummatur: *Statutum Prætoris per rationis iden-
titatem interpretationem recipit extenſiuam*, vbi Salice-
tus, & alij. Quamuis autem Diana ſupra hæc intelli-
gat de diſpenſationibus in Iure concluſis, non in factis
per hominem: nihilominus quia eadem videtur eſſe in
vtriſque ratio, ideo non tollitur probabilitas huius ſen- 33
tentiæ, ita vt diſpenſatio, de qua in præſenti, quamuis
non poſſit extendi ad aliam perſonam, quàm ad ex-
preſſam, extendi tamen poſſit ad alium caſum eiuſdem
perſonæ, prout tandem idem Diana admittere videtur.

Idem comprobat Franciſcus Bordonus *reſol. 10.*
quæſt. 21. vbi quærit, an in caſu, quo aliquis Regularis 34
ſit diſpenſatus ad aliquod officium ſuæ Religionis, v.g.
ad Primatum triennalem, poſtquam compleuit tale
officium, poſſit eligi ad aliud ſimile ſine alia noua

diſpenſatio

diſpenſatione. Et reſpondet non egere noua diſpenſatione, ſed quod illa prior perpetuò durat; ita quod eligi poteſt ſæpius, & pluries, qui primò ſimpliciter diſpenſatus fuit ad aliud officium. Quod ſine dubio valdè
35 probabile eſt. Et deſeruit ad intentum, quia etiam dicere poſſumus, quod diſpenſatus à Papa in defectu
36 ætatis, ſemper manet diſpenſatus. Et probatur cum eodem, quia diſpenſatio cadit ſimpliciter ſuper perſonam: & non reſpicit officium, niſi veluti per accidens, quatenus ſcilicet data eſt, vt proſit pro electione eius officij: ergo ſicut perſona ſemper durat, ita & diſpenſatio. Quæ ratio etiam procedit in noſtro caſu, ſiquidem dici poteſt hanc Papæ diſpenſationem per ſe ſolum reſpexiſſe perſonam; Canonicatum autem non niſi per accidens, vt ſcilicet prodeſſet pro eo obtinendo.

37 Fauet etiam aliud exemplum, quod idem Bordonus affert, quia ſemel diſpenſatus ad beneficium, cenſetur diſpenſatus non pro illa vice tantum, ſed indefinitè pro pluribus ſucceſſiuè. Ioan. Andr. *in c. 1. de fil. preſbyt. in 6.* Angel. *verb. Beneficium, num.* 24. Armilla *num.* 29. Syluester *verb. eod.* 3. *quæſt.* 18. *num.* 14. Tabiena 2. *p. q.* 15. *num.* 19. quos citat Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 31. *num.* 11. di-
38 cens eorum ſententiam eſſe ſatis probabilem, propter rationem adductam, ſcilicet quod diſpenſatio non reſpicit beneficium, ſed perſonam. Quæ etiam ad noſtrum caſum trahi poſſunt, ita vt iſte diſpenſatus à Papa in defectu ætatis pro Canonicatu, etiam cenſeatur diſpenſatus pro alio Canonicatu, quia diſpenſatio illa non cadebat ſupra Canonicatum, ſed ſupra perſonam diſpenſati: vnde *cap. 1. de fil. preſbyt. in 6.* vbi deciditur illegitimum diſpenſatum ad beneficium non poſſe *niſi vnicum beneficium obtinere*, intelligitur à Sanchez *ſuprà*, ita vt ſolum velit non poſſe obtinere plura ſimul, non tamen ſucceſſiuè.

39 Fauet quoque & aliud exemplum ab eodem Bordono relatum. Quia diſpenſatus ſimpliciter, & abſolutè in votis caſtitatis, Religionis, & non nubendi, plures poteſt ſucceſſiuè ducere vxores, vt multis probat idem Sanchez *dict. diſp.* 31. *num.* 8. ergo multo magis in caſu noſtro, in quo non videtur eſſe tanta difficultas (cum defectus ætatis ſolum ſit ex iure canonico,
40 non ex naturali, aut diuino procedens) iſte ſemel diſpenſatus in defectu ætatis poterit ſucceſſiuè plures obtinere Canonicatus. Præſertim, quia non videtur hæc lata interpretatio huius diſpenſationis, cum non fiat, niſi de maiori ad minus, ſcilicet de dignitate & Canonicatu ad ſimplicem Canonicatum.

41 Idem etiam ſuadet doctrina, quam affert Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 45. *num.* 35. vbi quærens ferè in ſimili caſu, an diſpenſatus à Papa ad beneficium ſimplex obtinendum ante ætatem quatuordecim annorum, quæ ex Concilio requiritur, poſſit aliud beneficium ſimplex obtinere ab Epiſcopo abſque noua diſpenſatione, & reſpondet ſic: in qua quæſtione dicendum eſt, quod cum obtinens diſpenſationem ad beneficium ſimplex, dicatur habilitatus ad cætera ſimplicia, vt reſoluit Campanil. *in Diuerſ. Iuris Can. rubr.* 12. *c.* 13. *num.* 98. poterit in euentu, de quo agimus, huiuſmodi capax, & habilis per diſpenſationem fieri ad alia ſimi-
42 lia ſimplicia ab Epiſcopo impetranda, dummodo ius non reſiſtat, vt ſunt duo ſimplicia beneficia. Ita in terminis Riccius *in Prax. Aur. reſol.* 64. Hæc Barboſa. Applicata etiam ad noſtrum intentum vtique ſuadent, quod cum iſte, de quo in præſenti, diſpenſatus ſit in defectu ætatis ad Canonicatum, factus ſit habilis ad alium Canonicatum ab Epiſcopo obtinendum.

43 Item fauet, quod quemadmodum habet Gonzalez *ſuper reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 14. *n.* 56. diſpenſatus ad vnum beneficium tantum, poteſt illud permutare pro alio, vt Ioan. Andr. & Anchar. ac alij relati per Franc. *in c. non poteſt, §. illud, num.* 6. *& 7. de prebend. lib.* 6. tenent, & ſequuntur Petrus Andreas Gambara *in cap. 1. de rer. permutat. lib.* 6. *num.* 79. Creſcent. *deciſ.* 1. *num.* 6. *de reb. Eccleſ. non alien.* Ex his enim, quæ *in puncto iuris* vera ſunt, vt habet idem Gonzalez (eſto, vt ipſe ait, non ſecundum ſtylum Curiæ, & Rotæ deciſionem) ferè in terminis ſimilibus elicitur, quod ſi diſpenſatus, de quo in præſenti, non potuit obtinere dictum Canonicatum, poſſit obtinere alium ab Epiſcopo, veluti per modum commutationis.

Nec abs re dici poteſt in hoc caſu procedere regulam
de æquiparatis, eo quod dignitas, & Canonicatus illi 44
quæ non vacarunt, æquiparentur alteri Canonicatui. Æquiparatorum autem eadem eſt diſpoſitio, *l.* 1. *ff. de leg.* 1. vbi DD. communiter, quod extenditur etiam ad pœnalia, exorbitantia, & correctoria, vt tenent Barbatus, Tuſchus, Ruinus, Decianus, & alij, quos refert, & ſequitur Barboſa *in axiomat. Iuris, axiom.* 14. *num.* 3. diſpenſatus ergo iſte ad Canonicatum, & dignitatem propter æquiparantiam, & æquipollentiam, cenſeri debet
diſpenſatus ad alium Canonicatum; ſi tamen, vt dixi- 45
mus in principio, ex ſupplicatione facta Papæ, & reſcripto ipſius colligatur ipſius intentionem reſtrictam non fuiſſe ad Canonicatum, & dignitatem vacantes, & non ad alios Canonicatus.

DOS MONIALIVM.

SVMMARVIM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Qualiter dari poſſit dos pro Monialium ſuſtentatione.*
3 *Taxare dotem Monialium ad quos pertineat.*
4 *An ſit danda antè Profeſſionem.*
Quomodo pecunia implicari debeat. ibid.
5 *Solui debet ære, non in bonis ſtabilibus.*
6 *Quid quando Monialis tranſit de vna Religione ad aliam.*
7 *Dos Monialis durat apud Monaſterium poſt ipſius mortem.*
8 *De dote pro Monialibus ſupernumerariis.*

AGere de dote, quæ cauſa Matrimonij dari ſolet, 1
parum, aut nihil ſpectat ad intentum noſtrum, quod eſt de dubiis, & quæſtionibus Regularibus; ideo ſolum de dote, quæ Monaſteriis Monialium pro earum ſuſtentatione datur, agendum nunc eſt.

Et quidem dotem licitè dari poſſe pro Monialium 2
ſuſtentatione, conſtat ex dictis *tom. 1. cap.* 25. *n.* 5. *&* 39. vſu Eccleſiæ, & deciſione Clem. VII. quam refert Caſſarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verbo Moniales, num.* 35. & ſupponitur in pluribus declarationibus Sacræ Congregationis, de quibus infra. Et quamuis dicto *num.* 5. dixerim ſæpius eſſe peccatum auaritiæ quod Monaſteria opulenta hanc dotem exigant, & Naldus *in Summa, verb. Dos, num.* 15. *& verb. Moniales, num.* 7. ex aliis quos refert, dicat videri Simoniacum, & ex quadam viſione id confirmet, communiter tamen oppoſitum approbatur. De quo Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſp.* 5. *quæſit.* 3. *num.* 3. Illud tamen non prætermittendum, quod abuſus qui in hoc eſſe poſſunt, & forſan alicubi videntur, tolli omnino debent à Prælatis Monialium ad quos ſpectat, vt modo dicam, taxare hanc dotem.

Taxare ergo Monialium dotem quoad quantitatem 3
ipſius, pertinet ad Superiores ipſarum, ſicut ad poteſtatem ſæcularem, vel parentes fœminarum miſerabilium ſpectat ordinare de dote pro ipſarum Matrimonio. Rodriguez *tom.* 2. *Quæſt. Regular. quæſt.* 48. *art.* 3. *&* 4. Miranda *de ſacris Monialibus, quæſt.* 8. *art.* 8.

Cum autem iuxta decretum Concilij Tridentini 4
ſeſſ. 25. *de Regularibus, cap.* 16. nihil poſſit tribui Monaſteriis ex bonis nouitij, vel nouitiæ ante profeſſionem, quocumque prætextu, à parentibus, propinquis, vel

curatoribus

Digitized by Google

curatoribus ipſorum, ſub pœna excommunicationis dantibus, & recipientibus, de quo dixi eo *tom. cap.24. à num.32.* Ideo non licet Monialibus recipere pecunias pro computo dotis ante profeſſionem, ſub prædicta pœna, ſed iuxta dicta eo *cap.25. num.38.* ex declaratione S.Congregationis, quam etiam referunt Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Dos, num.3.* vbi ſic: *Dos Monialium penes illarum conſanguineos, vel affines relinqui non debet, ſed priuſquam puellæ induantur habitu, actualiter deponatur apud mercatorem, vel penes aliam perſonam fide, & facultatibus idoneam, vt ſtatim profeſſione emiſſa, in emptionem bonorum ſtabilium, & annuorum redditunm illicè implicetur.* Conſonat etiam alia declaratio Sacræ Congregationis, quam idem Barboſa *ibidem*, & Nouarius *num.2.* referunt. Vnde Monaſterium dotem exceſſiuam recipiens pro ingreſſu nouitiæ, teneri ad reſtitutionem quoad exceſſum, tenet Tamburinus *ſupra quæſt.5. num.4.* Sed ſi idem detur non ex bonis conſanguineorum, vel curatorum, & omnino liberaliter, non video cur debeat reſtitui, iuxta dicta eo *cap.24. num.32.* Ratione tamen damni emergentis ex dilatione dotis prouenientis (etſi non ratione lucri ceſſantis) poſſe aliquid vltra dotem iure debitam à Monaſteriis recipi, habetur ex Rodriguez *ſupra art.7.* & Miranda *etiam ſuprà art.10. concl.1. & 2.* licet in hoc cautè procedendum, propter periculum, aut ſuſpicionem auaritiæ. Rodrig. *ibid.* Quamuis autem ex mente S.Congregationis, iuxta ſuperius dicta, quibus etiam conſonant ea, quæ dixi *tom.2. cap.19. num.59.* pecunia pro dote accepta ſtatim implicari debeat in bona ſtabilia, quia tamen Gauantus *in Man. Epiſcop. verb. Monialium alimenta, n.13.* & Tamburinus *ſupra quæſt.7. num.6.* referunt aliam declarationem S. Congreg. in qua dicitur dotem expendi poſſe in vſus communes Monaſterij neceſſarios, ne dicatur S.Congregationem ſibi ipſi fuiſſe contrariam, ideo priorem illam declarationem intelligendam credo regulariter, & communiter, hanc vero poſteriorem, non niſi in caſu grauis neceſſitatis Monaſterij.

5 Debet dos ſolui in ære, non in bonis ſtabilibus, iuxta dicta eo *cap.25. num.39.* ex declaratione S.Congregationis, quam ibi retuli, quam etiam afferunt relati Barboſa, & Nouarius ex Aldana. Declarauit etiam Sacra Congregatio apud Gauantum loco relato, *n.12.* prout etiam retuli dicto *num.39.* quod in dotibus recipiendis nulla debeat fieri differentia inter indigenas, & aduenas. Inſuper declaratum à Sacra Congreg. apud relatum Tamb. dicto *quæſt.7. num. 7.* quod in dotis Monialium, & annuarum præſtationum ſolutione valor monetæ attenditur iuxta tempus contractus.

6 Cum Monialis tranſit de vna Religione ad aliam (prout iure communi fieri poſſe dixi eo *cap.25. n.41.* & *ſupra* verbo *clauſura, n.14.*) ſatis congruum rationi eſt, vt ſecum deferat dotem, ſi ille tranſitus eſt de licentia vel conſenſu Religionis, à qua fit tranſitus. Ratio eſt, non ſolum propter dicta *ibidem*, ſed etiam quia vt habetur *leg. ſi is qui 57. ff. de iure dotis*, dos eſſe debet vbi onera Matrimonij ſunt. Secundò, quia dos datur pro Monialibus acceſſoriè ad perſonas ipſarum, & ſub tacita conditione, dum illæ in illa Religione perſeuerauerint, ſicut dos propter Matrimonium carnale viro tradita habet eandem conditionem. Baldus *in Nouell. de dote, part.1. n.10.* Socinus *conſil.222. n.3. verſ. ſed in caſu noſtro volunt.* Tapia *authentica Ingreſſi, verbo ſua, cap.6. num.10.* Sicque deciſum videtur in vna Barchinonenſi 30. April. 1615. vt refert Tamburinus *de Iure Abbatiſſar. diſp.25. quæſt.6.* ex Barboſa. Ibi enim inter conditiones neceſſarias pro tranſlatione Monialium, vna eſt, vt dotem à cæteris Monialibus præſtari ſolitam ſoluat. Dixi, ſi ille tranſitus fiat de licentia, vel conſenſu Religionis, à qua fit tranſitus, quia ſi fiat ſolum ex voluntate Monialis tranſeuntis, & Religionis ad quam tranſit, valde probabile eſt non debere ferre ſecum dotem, quia cum prior Religio non conſenſerit in hunc tranſitum, non debet priuari dote iam ſibi adquiſita, & Religio poſterior cum volens admittat Monialem, hoc incommodum ſibi imputare debeat. Quo ſenſu accipiendi ſunt Nauarrus & Rodriguez, quos dicto *n.45.* retuli, & ſequitur Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.32. n.12.* Dixi etiam quando tranſitus eſt ad aliam Religionem, quia ſi ſolum ſit ad aliud Monaſterium eiuſdem Religionis, probabilius videtur non requiri quod Monialis tranſiens deferat ſuam dotem; etenim inter Monaſteria eiuſdem Religionis maior conuenientia eſt, & veluti implicita conuentio, vt ad inuicem admittatur iſte tranſitus, quando fieri oporteat, accedente præſertim voluntate Superioris, quæ omnino neceſſaria eſt pro iis caſibus. Et in hoc ſenſu intelligo id quod Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.102. num.26.* ex Armendariz *in addit. ad recopilat. Nauarræ, lib.5. tit.18. l.7. de Relig. n.100. & 105.* refert deciſionem de dote relinquenda Monaſterio à quo receditur. Ea verò quæ dixi applicari poſſe credo ad caſum, in quo Monialis ex ſola voluntate Papæ tranſiret de vno loco ad alium, itavt ſi ſit ad eandem Religionem, non requiratur delatio dotis; ſecus verò ſi ſit ad diuerſam, propter fundamenta adducta.

Dos Monialis durat apud Monaſterium etiam poſt Monialis mortem, dummodo profeſſionem emiſerit. Ratio eſt, quia licet dos, quæ datur pro carnali matrimonio, non maneat apud virum vxore mortua, ſed tranſeat ad hæredes vxoris, de quo Syluester *in Summa, verbo Dos, n.22.* conſuetudine tamen introductum eſt in fauorem ſtatus Religioſi, quod dos, quæ datur pro Moniali ipſa mortua poſt profeſſionem, remaneat apud Monaſterium. Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.9. num.23.* Dixi dummodo profeſſionem emiſerit, quia ſi tempore nouitiatus obierit, reſtituenda eſt dos hæredibus Monialis, iuxta dicta eo *cap.25. num.39.* Imò etiam cum fructibus, ſi quos Monaſterium recepiſſet, deductis inde expenſis victus, & veſtitus, prout declaratum eſt à S. Congregatione, teſtibus Armendariz *ſuprà num.30.* Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Dos,* Nouario *ſupra num.4.* 7

Qualiter dos pro Monialibus ſupernumerariis aſſignanda ſit, dixi dicto *cap.25. num.6.* ex declaratione Sac. Congreg. quam ibi retuli, & ad verbum refert Tamburinus ſupra dicta *diſp.5. quæſt.7.* 8

DVBIA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Quid & quotuplex ſit dubium.*
3 *Quando agere, vel omittere aliquid cum dubio ſit peccatum.*
4 *An id liceat cum dubio ſpeculatiuo.*
5 *Regula illa*, In dubiis melior eſt conditio poſſidentis, *quomodo intelligenda.*
6 *Quomodo illa*, In dubiis tutior pars eſt eligenda.
7 *Quid de Religioſo dubitante de lege, aut præcepto ſuæ Religionis, aut Superioris.*
8 *Quid de dubitante an ſit irregularis.*
9 *Quid quando dubitat an ſit affectus aliqua cenſura.*
10 *Quid quando dubitat an omiſerit, vel adimpleuerit aliquod votum, vel iuramentum.*
11 *De Religioſo dubitante an teneatur ieiunare, vel dicere Officium.*
12 *De dubitante an compleuerit ætatem ad ieiunandum, vel recipiendum Ordines.*
13 *De dubitante an poſt mediam noctem aliquid cibi, vel potus ſumpſerit.*

14 *De dubitante die Iouis an ſit tranſacta media nox.*
15 *De dubitante de alterius excommunicatione.*
16 *De dubitante de valore profeſſionis.*
17 *De dubitante an omiſerit aliquam partem horæ canonica.*
18 *Alia remiſſiuè.*
19 *Reſolutio cuiuſdam dubij circa illud,* In dubiis tutior pars eſt eligenda.
20 *Habetur hæc Regula ex multis iuribus.*
21 *Et ex Doctoribus.*
22 *Loquendo de dubio practico eſt præceptum.*
23 *De dubio ſpeculatiuo eſt conſilium.*
24 *Maximè quando adeſt poſſeſſio.*
25 *Qui poſſidet dicitur* Beatus.
26 *Pro qua parte ſit poſſeſſio.*
27 *Iudicium vtriuſque fori eſt idem, niſi, &c.*
28 Melior conditio poſſidentis *maximè eſt in materia iuſtitiæ.*
29 *Quid de aliis materiis.*
30 *Sententia probabilior.*
31 *Poſſeſſio eſt titulus Vniuerſalis.*
32 *Aliqui caſus in quibus in dubio tutiorem partem ſequi ſit præceptum.*
33 *Primus de dubio facti circa homicidium.*
34 *Secundus de dubio excommunicationis nota ex fama.*
35 *Tertius deſumptus* ex cap. iuuenis, de ſponſal.
36 *Alia remiſſiuè.*

1 DE hac materia plura Theologi in materia de conſcientia. Quibus relictis, ea ſolum quæ magis practicabilia ſunt inter Regulares, hic apponenda.

2 Eſt autem dubium duplex: aliud proprium, aliud improprium. Dubium proprium eſt motus intellectus indifferens in vtramque partem contradictionis. Quod contingit quando intellectus neutri parti aſſentitur, ſed manet in æquilibrio abſque determinato aſſenſu ad aliquam partem. Dubium verò improprium eſt idem quod opinio, quæ eſt aſſenſus incertus intellectus ad aliquam partem contradictionis, cum formidine tamen oppoſitæ. In præſenti ergo agimus de dubio propriè dicto, quamuis conſequenter etiam de dubio impropriè, ſeu de opinione dicetur. Cornejo *tom. 1. in 1. 2. tract. 8. diſp. 4.* Rurſus dubium, aliud eſt ſpeculatiuum, aliud practicum: ſpeculatiuum eſt quod de aliqua re in genere, v.g. an ſit licita, vel illicita, habetur, v.g. an aliquis contractus ſit, vel non ſit vſurarius; practicum eſt, quod eſt de aliqua re in particulari, & hic, & nunc conſiderata, ſcilicet in ordine ad appetitum rectum, & cum omnibus ſuis circumſtantiis, an ſcilicet ſit, vel non ſit licita, vt ſi dubitem de hoc contractu in particulari. Nauar. *in Man. præludio 9. num. 9.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9.* Cornejo *ſupra dub. 1.* Diuiditur etiam vlterius in dubium iuris, quod eſt de lege, præcepto, &c. & dubium facti, quod eſt de facto aliquo, voto videlicet, iuramento, homicidio, &c. Cornejo *ſupra dub. 2.* Quo ſuppoſito, ſtatuendæ ſunt aliquæ regulæ generales in hac materia, ex quibus reſolui poſſunt varij caſus conſcientiæ ad Regulares ſpectantes.

3 Prima eſt, agere, vel omittere aliquid cum dubio practico de illa actione, vel omiſſione, an ſit, vel non licita, ſemper eſt peccatum. Primò, ex illo Paul. *ad Rom. 14. omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, id eſt, quod non eſt ex determinato iudicio de bonitate actus, vel omiſſionis, prout communiter Expoſitores. Secundò, quia ſic operans exponit ſe periculo peccandi, quia agit id de quo dubitat an ſit peccatum. Tertiò, quia omnis actus humanus rectus, & honeſtus debet eſſe prudens, prudentia autem conſiſtit in iudicio intellectus determinantis honeſtatem actus. Cornejo *ſuprà dub. 1. concl. 1.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 1. n. 3.* Tale autem peccatum eſt eiuſdem ſpeciei ac illud de quo dubitatur, ita vt ſi dubium ſit, an talis actio, vel omiſſio ſit ſacrilegium, ſic agere, vel omittere erit ſacrilegium. Habet enim eandem malitiam, vt propterea *Eccleſ. 3.* dicatur: *Qui amat periculum peribit in illo.* Sanchez *ſupra cap. 10. n. 6.* Bonacina *de legib. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 7. num. 3. & 7.*

Secunda, licitum eſt agere, vel omittere aliquid cum dubio tantum ſpeculatiuo, dummodo adſit iudicium practicum de honeſtate actionis, vel omiſſionis. Ratio eſt, quia conſcientia practica eſt, quæ eſt proxima, & immediata regula actuum humanorum, non autem ſpeculatiua, niſi quando cogit ad eandem conſcientiam practicam formandam. Sanchez *dicto cap. 9. num. 3. & cap. 10. num. 7.* Cornejo *ſupra dub. 1.* Hinc dubitans ſpeculatiuè an res, quam poſſidet bona fide ſit ſua, poteſt illam retinere, ſi facta ſufficienti diligentia non eſt certus cuius ſit, quia tunc ratione poſſeſſionis poteſt formare iudicium practicum prudens de illa retinenda. Similiter, miles dubitans ſpeculatiuè de iuſtitia belli, poteſt licitè præliari, quia ſuppoſito præcepto Principis, poteſt iudicare prudenter id ſibi licere. Cornejo *ſupra.* 4

Tertia eſt regula illa communis, ſcilicet *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, quæ deſumitur ex regulis Iuris *num. 65.* vbi ſic, *In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, non ſolum eſt vera in materia iuſtitiæ, ſed etiam in materiis aliarum virtutum. Titulus enim poſſeſſionis generalis eſt omnibus virtutibus, & ratio quare poſſeſſio fauet in materia iuſtitiæ, ſcilicet quia tunc certitudo poſſeſſionis ſtat pro poſſidente, etiam procedit in aliis virtutibus. Fauet Suarez *in 3. part. tom. 5. diſp. 40. ſect. 5. num. 16.* præcipuè tamen, & clarius *tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto, cap. 5. num. 7.* Sanchez *ſupra dicto cap. 10. num. 11.* Cornejo *ſupra dub. 3.* & alij quos refert, & ſequitur Diana *part. 4. tract. 2. Reſolut. 2.* Id tamen intelligendum eſt quando in reliquis par vtriuſque eſt cauſa, prout colligitur ex Regula Iuris illis verbis *In pari, &c.* Sanchez *ſupra num. 22.* 5

Quarta eſt regula illa, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: deſumitur ex *cap. iuuenis, de ſponſalibus, cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti 2. cap. petitio tua, de homicidio, cap. illud, de Clerico excommunicato, & ex cap. ſi quis autem, diſt. 7. de pœnit.* Potius conſilium continet, quàm præceptum. Nauarrus *cap. ſi quis autem, à n. 24. & in Man. cap. 27. num. 281.* Suarez *5. tom. in 3. part. diſp. 40. ſect. 6. num. 9.* Sanchez *dicto cap. 10. num. 25.* Layman. *ſupra, §. 2. num. 8.* Excipe tamen caſus illos à iure expreſſos in textibus adductis, in iis enim Pontifex præcipit ſequendam eſſe tutiorem partem. Sanchez *ibid. numero 33. in Summa verbo Dubium, numero 39.* 6

Ex iis collige primò Religioſum, qui dubitat an in ſua Religione ſit aliqua lex, vel Conſtitutio, vel aliquod præceptum ſui Superioris aliquid præcipiens, vel prohibens, non teneri obedire; poſito enim tali dubio, & quod non poſſit certiorari de tali lege, aut præcepto, poteſt ratione poſſeſſionis libertatis, quam habet, prudenter iudicare non teneri ad obediendum. Henriquez *lib. 8. de Euch. cap. 45. num. 2. in comment. lit. P.* Sanchez *dicto cap. 10. num. 32.* Secus verò eſt quando Regularis certus eſt de lege, aut præcepto, ſed dubitat an res quæ præcipitur, ſit licita, necne; quia tunc poſſeſſio ſtat ex parte præcipientis, & ita tenetur ille obedire, iuxta dicta *tom. 1. cap. 4. num. 24.* Idem dicit Sanchez *ſupra num. 35.* de eo qui dubitat an lex ſit vſu recepta, abrogata, aut diſpenſata, quia tunc poſſeſſio ſtat ex parte legis, licet oppoſitum probabiliter etiam teneatur Azor. *tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 2. cap. 19. quæſt. 12.* Conſule Dianam *ſuprà reſolut. 14.* Tenetur etiam Religioſus obedire in caſu quo dubitaret rem præceptam excedere Regulam, & limites poteſtatis Superioris, aut 7

Prælatum

Prælatum non eſſe legitimum, aut confirmatum, dummodo ſit in pacifica poſſeſſione, propter eandem rationem, iuxta dicta *cap.4. num.25.* Limitant hoc aliqui, niſi ex eo ſequatur magnum incommodum in perſona, bonis, aut honore Religioſo ipſi, aut aliis; ratione enim talis nocumenti habet ſufficiens fundamentum ad iudicandum practicè in ſui fauorem, præſertim ratione poſſeſſionis libertatis, & quod lex non obligat niſi ſit ſufficienter promulgata, qualis non eſt ea, quæ ſolùm ſub dubio proponitur. Cornejo *ſupra dub.2.* Layman. *ſupra* §.2. *num.12.* poſt Medinam, Aragon. & alios quos referunt. Limitari etiam poteſt in caſu quo non ſolum ſubditus, ſed etiam Prælatus ipſe dubitaret de ſua poteſtate; tunc enim cum non ſit pacifica poſſeſſio poteſtatis ex parte Superioris, poteſt fauere ſubdito poſſeſſio ſuæ libertatis. Caſtrus Palaus *tom.1. diſp.3. punct.13. num.13.* Diana *part.4. tract.3. Reſol.9.* Quid verò ſentiendum non in caſu dubij propriè, prout in præſenti, ſed in caſu quo eſt varietas opinionum inter Superiorem, & ſubditum, dixi eo *cap.4. n.26.* licet oppoſitum tueatur Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.33.* per totam.

8 Secundò, Religioſum ſpeculatiuè dubitantem an ſit, vel non ſit irregularis, ſi poſita ſufficienti diligentia adhuc maneat dubius, poſſe credere ſe non eſſe irregularem, quando dubium eſt de iure, an ſcilicet ſit in eo caſu impoſita irregularitas. Ratio eſt, quia vt habetur ex *cap. Is qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* nullus eſt irregularis cenſendus, niſi talis irregularitas expreſſa ſit in Iure. A fortiori ergo non erat irregularis cenſendus, quando Ius eſt dubium. Azor. *ſupra quæſt.31.* Quando verò dubium eſt facti ratione homicidij, quia ſcilicet dubitat an verè fuerit homicida, tunc cenſendus eſt irregularis, iuxta dicta *tom.5. cap.4. num.30.* quia ſcilicet *in cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti 2. & capite petitio tua, de homicidio*, ita decernitur. Azor. *ſupra quæſt.10.* Cornejo *ſupra num.3.* & ſolum quantum ad hoc, quod eſt abſtinere à celebratione, & altaris miniſterio, non quoad alias pœnas, quia illa iura ſolum ſunt ſtatuta in fauorem reuerentiæ altaris. Cornejo *ibidem.* Si verò dubium ſit facti in aliis materiis præterquam homicidij, non debet ſe credere irregularem, quia textus adducti ſolùm loquuntur in materia homicidij, quare in aliis materiis ſtandum eſt pro poſſeſſione, præſertim cùm inter regulas iuris *n.11.* habeatur: *Cum iura partium ſunt obſcura, reo fauendum eſt potius, quam actori.* Sanchez *ſupra num.48.* Amplia hoc ad dubium de mutilatione, propter eandem rationem, & quia mutilatio non eſt propriè, ſeu impropriè, ac ſecondum quid homicidium. Sanchez *num.49.* Amplia etiam ad dubium de legitimitate, ita vt dubium habentes circa illam, ſiue illud ſit iuris, ſiue facti, ſi in poſſeſſione talis exiſtat, poſſit ſe gerere vt legitimum, propter rationem adductam de poſſeſſione, quæ fauet in dubiis, Layman. *ſup.* §.5. *n.39.* Diana *ſup. Reſol.6.*

9 Tertiò, Religioſum dubitantem an excommunicationem, ſuſpenſionem, vel interdictum contraxerit, vel an ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti contra eum lata ſit, ſi facta ſufficienti diligentia ad inueniendam veritatem, adhuc maneat dubius, ſiue tale dubium ſit iuris, ſiue facti, non eſſe cenſendum excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum. Ratio eſt, quia illi fauet poſſeſſio, & nullum ius eſt determinans in tali dubio cenſendum eſſe aliquem excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, ſicut extare dixi de irregularitate in dubio facti de homicidio. Sanchez *ſupra num.55.* Diana *Reſolut.35.* Vnde talis audire poteſt Miſſam, & efficere alia excommunicatis prohibita. Cornejo *ſupra dub.2.* Secus eſt, quando Religioſus certus eſſet de talibus cenſuris contra eum latis; dubitaret tamen an cauſa fuerit iuſta, vel ſufficiens, quia tunc ſtat poſſeſſio pro Iudice, ſeu Prælato. S. Thom. *quodlibet.4. art.14.* Saytus *de Cenſ. tom.1. lib.4. cap.1. n.21.* Idem eſt quando dubitaret an Iudex, vel Prælatus ſeruauerit modum procedendi iure requiſitum, propter eandem rationem. Sanchez *ſupra num.56.* apud quem alia. Quando verò dubitaret an cenſura ſit lata, vel ferenda, poteſt iudicare eſſe ſolum ferendam, quia odia ſunt reſtringenda. Coninch *de Sacrament. diſp.5. n.22.* Hurtado *tract. de cenſur. in comm. diff.5. num.22.*

Quartò Religioſum modo prædicto poſt factam ſufficientem diligentiam dubitantem an emiſerit aliquod votum, vel iuramentum, non teneri ad illa, quia poſſeſſio ſtat pro ipſius libertate, etiam in hac materia, & nullum eſt ius talem obligationem illi imponens. Sotus *de Iuſt. quæſt.3. art.2. docum.2.* §. *ſed eſt hic.* Cornejo *ſupra dub.2.* §. *Tertiò colligo.* Si verò ſit certus de voto, vel iuramento, dubius tamen an adimpleuerit, tenetur illud adimplere, quia tunc poſſeſſio ſtat pro ipſo voto, vel iuramento. Sanchez *ſupra*, §.4. *num.31.* Quid verò dicendum, quando dubium eſt non de voto, ſed de materia voti, an ſit bona, vel mala, conſule Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. cap.6. num.52.* & Dianam *ſuprà reſol.13.* 10

Quintò, Religioſum valetudinarium, vel impeditum dubitantem an teneatur ieiunare, vel dicere horas canonicas, ſi Prælatus illi præcipiat ne ieiunet, aut ne recitet, tenetur obedire ipſi, iuxta dicta *eo cap.4. n.28.* quod & tenet Cornejo *ſupra dicto dub.2.* §. *colligitur quintò*, quia cum præceptum Prælati ſit certum, & poſſeſſio ſit ex parte ipſius, præferendum eſt aliis præceptis dubiis & incertis. 11

Sextò, qui poſt accuratam inquiſitionem dubitat vtrum expleuerit tempus requiſitum ad obligationem præcepti Eccleſiaſtici ieiunandi, non tenetur ieiunare, quia etiam iſte poſſidet ſuam libertatem. Sanchez *lib.2. de Matrim. diſp.41. num.38.* Layman. *ſupra*, §.4. *num.33.* Naldus *in Summ. verbo Dubium, num.23.* Aliter verò loquuntur de eo qui dubitat an compleuerit ætatem ad recipiendum Preſbyteratus Ordinem neceſſariam, propter reuerentiam Sacramenti. Idem Sanchez *ibid. num.41.* Layman. *ibid. num.35.* Naldus *ibid.* 12

Septimò, de Sacerdote qui dubitat an poſſit celebrare manè, eo quod etiam dubitat an poſt mediam noctem aliquid cibi, vel potus ſumpſerit, quamuis Sanchez *ibid. num.40.* dicat celebrare non poſſe, probabile tamen eſt, quod Layman. *ſupra num.36.* dicit, ſcilicet poſſe, quia lex Eccleſiaſtica de ieiunio celebrantis non videtur tam rigoroſè explicanda. Quod idem dicit de eo, qui dubitat an maſticando aliquid glutiuerit. Idem ſequitur Diana *part.3. tract.4. Reſol.29.* Quid verò dicendum, quando aliquis manducauit aliquid poſtquam vnum horologium ſonuit pro media nocte, & poſtea ſonuit aliud, inferius dicenda manifeſtabunt. 13

Octauò, dubitans die Iouis an ſit tranſacta media nox, cum dies ſequens ſit dies ieiunij, poteſt edere carnes, quia poſſeſſio eſt ex parte libertatis, cui fauendum eſt, quando non conſtat de præcepto. Naldus *in Summa, verbo Dubium, num.24.* Villalobos *in Summa, tom.1. tract.1. diff.21. num.7.* Secus verò ſi hodie eſt dies ieiunij, & dubitatur an ſit media nox; non enim poteſt ſic dubitans comedere, cùm poſſeſſio ſit ex parte ieiunij. Naldus & Villalobos *ibid.* Si autem ſint diuerſa horologia in vno loco, & vnum ſonuerit pro media nocte, & aliud non, tunc illa horologia haberi debent veluti opiniones probabiles, & ſequi poſſumus quodlibet, ſi non conſtat euidenter quod errent. Naldus *ſupra*, Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.53. num.3.* 14

Nonò, dubitans de alterius excommunicatione, videlicet, an ſit percuſſor Clerici, vel denunciatus, non debet illum vitare, quia faceret illi iniuriam, cum quiſque poſſideat ius, vt illi non negetur communicatio, 15

niſi conſtet legitimè de delicto propter quod debeat
eo priuari. Fillinccius *tom.1. tract.13. cap.7. num.159.*
Diana *ſupra Reſol.35.* Propter eandem rationem di-
cendum eſt dari debere Euchariſtiam peccatori, de quo
dubitatur an ſit publicus, vel ſolum occultus. Ocha-
gauia *tract.5. de Euchar. effect. quæſt.10. num.4.*

16 Decimo Religioſus dubitans de valore profeſſionis
à ſe emiſſæ, eſt aſtrictus votis, & tenetur iudicare in
fauorem Religionis: tum quia Religio eſt quæ poſſi-
det ipſum, cum profeſſio facta ſit verbis inducentibus
obligationem ipſius, & traditionem Religioſi, tum quia
præſumptio fori externi ſtat pro verbis profeſſionis,
& ita dum certò non conſtat de contrario, ſtandum eſt
etiam in foro conſcientiæ huic præſumptioni. Sanchez
de præcept. Decalog. lib.4. cap.2. Diana *ſupra reſol.55.*
Quod extenditur ad caſum dubij metus grauis, quia
cum conſtet de profeſſione, & excuſatio dubia ſit, poſ-
ſeſſio ſtat pro profeſſione. Sanchez *ibidem cap 3. n.57.*
Imò generaliter ad omne dubium valoris profeſſionis,
propter eandem cauſam. Suarez *de Relig. tom.2. lib.7.
cap.2. n.6.* Sanctarellus *variar. reſolut. tom.1. quæſt.48.
num.48.* Idem dico quando eſt dubium an Religioſus
ratificauerit poſt quinquennium, non verò ante illud
expletum, profeſſionem alias inualidam. Cum etiam
Concilium Trident. *ſeſſ.25. cap.9.* ſolum aſſignet ſpa-
tium quinquennij ad reclamandum contra inualidita-
tem profeſſionis, ſupponit pro illo tantum ſpatio non
debere præſumi ratificationem eſſe profeſſionem, benè
tamen illo tranſacto, ac per conſequens tunc, & non
antea iuuabit Religionem poſſeſſio Religioſi. Sancta-
rellus *in var. reſol. part.1. quæſt.48. à num.46.* Diana
reſol.49.

17 Vndecimò, Religioſus verè dubitans an recitauerit
aliquam horam, vel omiſerit aliquem pſalmum, &c.
regulariter loquendo tenetur illa recitare, quia cum
obligatio præcepti ſit certa, & adimpletio dubia, poſ-
ſeſſio ſtat pro ipſo præcepto, non pro Religioſo, vt
colligitur ex Suarez *tom.2. de Relig. de hor. canon. lib.4.
cap.28. num.21.* Dixi *verè*, quia ſi non adeſt verum
dubium, de quo ſermo eſt in præſenti, quod contingit
quando intellectus ad neutram partem inclinatur vllo
modo, ſed adeſt probabilis coniectura pro aliqua parte,
iſti parti adhærendum, quia talis coniectura eſt quaſi
opinio probabilis. Dixi etiam *regulariter*, quia ſcrupu-
loſi non debent facilè credere huiuſmodi dubiis, ſed
ſequi benigniorem partem. Homobonus *in conſult.
caſ. conſcient. volum.2. part.5. Reſponſ.210.* Diana *ſup.
reſol.68.*

18 Quid agendum in eo caſu de dubio an caſus aliquis ſit
reſeruatus, necne, dixi ſuprà verbo *Caſus reſeruati,
num.14.* Quid quando Confeſſarius eſt dubius an ha-
beat, vel non iuriſdictionem, ſupra verbo *Confeſſio,
num.3.* [Religioſus etiam dubitans, an Prælatus diſ-
penſans eum eo in aliquo caſu excedat limites ſuæ au-
thoritatis, tenetur, vel ſaltem poſt eſſe ſecurus, & con-
formari voluntati Prælati, credendo in dubij cauſa non
erraſſe. Tamburinus *de iure Abbat. tom.3. diſp.4. quæ-
ſit.7. num.13.* addens cum Sanchez & Rodriguez ſecus
eſſe ſi certus eſſet erraſſe Prælatum, tunc enim acce-
ptando diſpenſationem omnino peccaret.]

19 Iuuat ad intentum huius materiæ reſolutio à me data
ad inſtantiam cuiuſdam egregij viri, quomodo vide-
licet *in dubiis tutior pars ſit eligenda.* Quæ talis eſt.

20 Quod in dubiis tutior pars ſit eligenda, habetur ex
*leg. ſi fuerit, §. vltim. ff. de reb. dub. cap Iuuenis, de ſpon-
ſal. cap. Ad audientiam, cap. ſignificaſti 2. cap. petitio
tua, de homicid. cap. Illud, de Cleric. excom. cap. ſi quis
autem, diſt.7. de pœnit.* vbi illud ex D. Auguſtino *Tene
certum, dimitte incertum,* Couarruuia *in cap. Alma ma-
ter, part.1. §.1. n 5. caſ.2. & de ſponſal. part.1. cap.4. §.1.
n.4.* Nauarro *in man. cap.17. n.139.* vbi intelligit præ-
21 cipuè quando agitur de ſalute animæ, Emanuel Rodri-
guez *in ſum. tom.2. cap.51. n.6. concl.4.* Vaſquez *1.2.
quæſt.19. art.6. diſp.65. cap.3. & diſp.66. cap.1.* Salas
1.2. quæſt.21. tract.8. diſp. vnic. ſect.17. num.152. Sayro
*de cenſur. lib.1. cap.16. num.30. caſ.1. & lib.6. cap.2.
num.16.* Eſt autem pars tutior illa in qua aut nullum
peccatum eſſe poteſt, aut quando propter euitandum
maius malum, eligitur minus, ſi in alterutrum illorum
incidere eſt neceſſe, *cap. duo mala 13. diſt. & cap. nerui,
ead. diſt.* Medina *1.2. quæſt.19. art.6. quæſt.4. concl.4.*
Vaſquez *diſp.66. cap.1. in init. & cap.4. num.21.* San-
chez *lib.1. in Decal. cap.10. num.16.*

Regula autem iſta, loquendo de dubio gratiæ, ſcili- 22
cet quando adeſt iudicium practicum de aliqua re in
particulari hic, & nunc facienda, v.g. quod homo te-
neatur hic & nunc ieiunare, ita vt non adſit etiam aliud
iudicium practicum ſaltem probabile in contrarium,
eſt verè præceptum. Sic intelligenda ea quæ dixi *ſuprà
num.3.* ex fundamentis, & authoribus ibi relatis. Quod
etiam docent Syluester *in ſumm. verbo dubium, quæſt.2.
§.4.* Nauarrus *cap. ſi quis autem, de pœnit. diſt.7. n.42.*
Corduba *lib.2. qq. quæſt.3. propoſ.3.* Sanchez *de ma-
trim. lib.2. diſp.41. num.9.* & ex communi DD. dixi
tom.2. Theolog. tract.2. diſp.12. quæſt.5. Loquendo
tamen de dubio ſpeculatiuo, quod eſt de re in ge-
nere ſecundum ſe conſiderata, verbi gratia, an aliquis
contractus ſit, vel non ſit vſurarius, talis regula po-
tius eſt conſilium, quam præceptum. Nauarrus *in dict.
cap. ſi quis autem, à num.24. & in Man. cap.27.
num.281.* Suarez *tom.5. in 3. part. diſp.40. ſect.6.* Mal-
derus *in 1.2. quæſt.19. art.5. diſp.87.* Merolla *tom.1.
diſp.3. cap.3. dub.2. num.67.* Layman. *lib.1. tract.1.
cap.5. §.2. num.8.* & fauent D. Antoninus, Gutierrez,
Henriquez & alij, quos refert & ſequitur Sanchez
lib.2. de matrim. loco relato. Eo videlicet quod cùm
conſcientia practica ſit proxima regula noſtrarum ope-
rationum, non autem ſpeculatiua, ideo non obſtante
dubio ſpeculatiuo conſcientiæ, ſi adſit conſcientia pra-
ctica, id eſt dictamen de honeſtate actionis, licitè po-
terit ipſi voluntas conformari, ac per conſequens in
dubio ſpeculatiuo ſequi tutiorem partem ſolum erit
conſilium, non præceptum.

Maximè autem hoc procedit quando adeſt poſſeſ- 23
ſio. Tunc enim non tenemur ſequi tutiorem partem in
dubiis, eo quod iuxta communem regulam *in dubiis
melior eſt conditio poſſidentis, l. ſi debitor, ff. de pignor.
l. is qui deſtinauit, ff. de rei vendic. l. fin. C. eod. tit.* &
aliis iuribus, maximè in reg. Iur. in 6. regula illa 65.
In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis. 24
Vnde qui poſſidet dicitur *Beatus.* Gloſſa *verb. requi-
rat, in cap.1. de pace tenenda in vſib. feud.* Pro qua au-
tem parte ſit poſſeſſio, tractant Sotus *lib.7. de Iuſt.* 25
quæſt.3. art.2. col.3. verſ. Is verò, Aragon *2.2. quæſt.88.
art.9. notab.2.* quos ſequitur Sanchez *lib.1. in Decal.
cap.10. n.13.* & illum Bonacina *de leg. diſp.1. quæſt.4.* 26
punct.7. num.14. Inquiunt poſſeſſionem eſſe pro qua
eſt iuris præſumptio, eo quod ius non ſine cauſa de-
beat præſumere, ne eius præſumptio temeraria ſit: eo
quoque quod quando forum exterius præſumit de va-
liditate legati, idem præſumendum eſt in foro conſcien-
tiæ, niſi rei veritas in contrarium appareat: idem enim 27
eſt vtriuſque fori iudicium, quando forum externum
falſa præſumptione non nititur. Pro quo videndus
Caſtrus Palaus *punct.6. num.2.*

Hæc porrò regula, *Melior eſt conditio poſſidentis,* ma- 28
ximè procedit in materia iuſtitiæ. Vnde cum dubium
eſt æquale inter duos circa dominium alicuius rei, ille
cui fauet poſſeſſio rem retinere poteſt, etiamſi partem
minus tutam ſequatur, quia melior eſt eius conditio.
Suarez *tom 5. in 3. part. diſp.40. ſect.5. à num.14. &
2. tom. de Relig. lib.4. cap.5. num.7.* Sanchez *lib.2. de
matrim. diſp.41. num.32. & lib.1. in Decal. cap.10.
num.11. in fine,* Ioannes Sanchez *diſp.42. n.7.* Trcuiño
de

*de beneſic. punct.7. cap.2. num.*14. Villalobos *tract.*1. *de conſil. diffic.*21. Filliuccius 2.*tom. tract.*21. *cap.*4. *num.*165.

29 Quamuis autem in aliis materiis à iuſtitia, ſcilicet Religionis, temperantiæ, vel alterius virtutis nonnulli Doctores dicant non obſtante poſſeſſione teneri hominem in dubio ſequi tutiorem partem, ne ſe exponat periculo peccandi, prout ſunt Azor *tom.*1. *Inſtit. moral. lib.*2. *cap.*19. *quæſt.*10. *& lib.*11. *cap.*15. *quæſt.*2. Vaſquez 1. 2. *diſp.*65. *cap.*3. *num.*13. Anton. Perez *certam.*10. *Scholaſt. num.*132. Saytus *in Clau. reg. lib.*1. *cap.*13. *num.*36. Salas *tract.*8. *diſp. vnic. ſect.*17. *n.*162. *& ſect.* 25. *num.*252. Turrian. *in opuſc. de conſc. dub. diſp.*1. *dub.*1. Comitolus *in reſp. moral. lib.*2. *quæſt.*18.

30 Probabilior tamen eſt ſententia contraria, quam tenent Suarez *de relig. tom.*2. *lib.*4. *de voto, cap.*5. *num.*7. Sanchez *in ſumm. tom.*1. *lib.*1. *cap.*10. *num.*11. Coninch *de Sacram. diſp.*34. *dub.*10. *num.*86. Henriquez *lib.*8. *cap.*3. *in gloſ. litt.P*, Filliuccius *tom.*2. *tract.*21. *cap.*4. *num.*159. Sanchius *in ſelect. diſp.*42. *n.*7. Villalobos *in ſumm. tom.*1. *tract.*1. *diffic.*21. *num.*1. Sanctarellus *var. reſol. tom.*1. *quæſt.*44. *n.*9. Tannerus *tom.*2. *diſp.*2. *quæſt.*6. *dub.*4. *num.*47. Maidetus *in* 1.2. *quæſt.*19. *art.*5. *diſp.*87. Merolla *tom.*1. *diſp.*3. *cap.*3. *dub.*2. *num.*60. Caſtrus Palaus *part.*1. *diſp.*3. *punct.*6. *num.*1. Diana *part.*4. *tract.*3. *reſol.*2. & ego dixi *ſupra num.*5. Eo videlicet quod poſſeſſio eſt titulus vniuerſalis pro omnibus virtutibus, & ita qui illam tenet habet titulum pro ſe, & in dubio poteſt illud deponere, & practicè operari, etiam relicta tutiori parte.

31 Maximè quia cum nemo obligetur lege, niſi ſit illi ſufficienter propoſita, quando res eſt dubia, non eſt illi talis lex propoſita ſufficienter.

32 Sunt tamen iuxta ea quæ dixi *ſupra num.*6. aliqui caſus in quibus tenetur quis in dubio tutiorem partem ſequi.

33 Primus eſt de dubio facti circa homicidium: tunc enim qui illud habet, tenetur ſequi tutiorem partem, & ſe habere pro irregulari: propter textum expreſſum *cap. Ad audientiam*, vbi Pontifex ait de Sacerdote de quo erat tale dubium: *Cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos conuenit iniungere presbytero memorato, vt Sacris Ordinibus non miniſtret.* Et in cap. *ſignificaſti*, il 2. vbi de quodam alio Sacerdote de quo etiam idem dubitabatur, ait Papa: *A Sacerdotali Officio abſtinere debet, cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius quam temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur.* Et *cap. Petitio tua*, vbi de quodam Clerico de quo idem dubitabatur, inquit etiam Pontifex, *A miniſterio altaris abſtineas reuerenter, cum ſit conſultius in huiuſmodi dubio abſtinere, quam temerè celebrare.*

34 Secundus eſt in dubio de excommunicatione nota ex ſola fama: eo enim caſu etiamſi res ſit dubia tenetur qui illud habet, non celebrare ante abſolutionem. Ait enim Pontifex *in cap. Illud de cler. excom. miniſt.* de iſto tali, *Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitiſſe, quia tamen in dubiis via tutior eſt eligenda, etſi de lata in eum ſententia dubitaret, debuerat tamen potius ſe abſtinere, quam Sacramenta Eccleſiaſtica pertractare.* Vide Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *num.*63.

35 Tertius eſt deſumptus ex *cap. Iuuenis, de ſponſal.* vbi decernit Pontifex iuuenem, qui puellam nondum ſeptennem duxit, forſanque conſummare tentauit, nec potuit, ac poſtea illius puellæ conſobrinam duxit, debere ab hoc poſteriori matrimonio tanquam irrito ſeparari, ratione impedimenti publicæ honeſtatis: quod quidem impedimentum erat dubium, eo quod dubium erat an priora ſponſalia valida eſſent, ex quibus id incurrendum erat. Et reddit Pontifex rationem his verbis: *Quia in his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.*

Pro iſtorum tamen textuum & caſuum expoſitione, & an ad ſimiles ſint extendendi, videndi ſunt Sanchez *dict. lib.*1. *cap.*10. *n.*15. & Caſtrus Palaus *dict. part.*6. *num.*4. de quibus etiam in propriis locis dicetur.

DVELLVM.

SVMMARIVM.

1 *De duelli materia.*
2 *Quid ſit duellum.*
3 *Quando committatur.*
4 *Quomodo ſit prohibitum.*
5 *A quibus Summis Pontificibus.*
Quomodo à Concilio Tridentino. ibid.
6 *De quo duello loquatur Concilium.*
7 *Qualiter prohibitum à Gregorio XIII.*
8 *De cenſuris, & pœnis à Concilio & Gregorio impoſitis.*
9 *Quomodo prohibitum à Clem.VIII.* & num.10.
11 *An pœnæ duelli incurrantur non ſecuto effectu pugnæ.*
12 *De excommunicatione quæ incurritur.*
13 *Qui abſoluere poſſunt ab illa.*
14 *De pœna carentiæ Eccleſiaſticæ ſepulturæ.*
15 *De aliis pœnis.*
16 *Caſus in quibus non incurrantur.*
17 *Quid de prouocante ad duellum, ſeu illud acceptante ſolum fictè.*
18 *Quid de Religioſis, vel Clericis duellantibus.*

DVelli materia quamuis extranea videatur Regularibus, ipſis tamen neceſſaria eſt pro multis caſibus, qui in Confeſſionibus ſæcularium occurrere ſolent, ideo non prætermittenda. 1

Eſt duellum idem quod *duorum bellum*, græcè *monomachia*, id eſt ſingularis pugna, *cap. Monomachiam* 2. *quæſt.*5. Ioannes Beetz *in* 5. *præcept. Decalog. expoſit.*3. *cap* 4. Syluester *in Summa, verbo duellum, num.* 1. Sumitur autem dupliciter, ſcilicet propriè, & impropriè: duellum impropriè, eſt quodcumque certamen inter duos, ſiue licitum, ſiue illicitum. Propriè verò eſt certamen inter duos vel plures in pari numero priuata auctoritate ex condicto, id eſt, ex pacto inuicem inito, ſtatuto tempore, & loco cum periculo vulneris, aut mutilationis aut mortis. Bonacina *de cenſuris diſp.*2. *quæſt.*6. *punct.*2. *num.*1. Hinc bellum non eſt duellum, cum non ſit priuata auctoritate, ſed Principis auctoritate indictum. Nec etiam illi conflictus qui fiunt inter milites quando Dux vnius exercitus mittit, verbi gratia, decem milites contra decem alterius, quia hoc etiam fit publica authoritate. Similiter nec quotidiani conflictus, qui fiunt ſubito iræ feruore, vel ex aliqua altercatione, cum non fiant ex condicto, & pacto, ſed veluti caſu. Idem dicendum de conflictibus, qui fiunt inter milites, vel alios ſimiles, qui propter inimicitias quas inter ſe habent cum ſibi obuiant, ſe inuitant ad pugnandum, & eo loco pugnant, etiamſi vnus alij dicat, Diſtringe enſem, vt pugnemus, quia tunc non eſt certamen cum determinatione loci, & temporis. Idem dico de pugna, quæ ſolet eſſe inter mulieres, vel etiam inter viros ſine inſtrumento periculoſo ad vulnerandum, quia ea non eſt cum periculo occiſionis, mutilationis, aut vulneris. De iis Filliuccius *tract.*15. *cap.*5. *num.*107. Peregrinus *de duello*, præſertim *quæſt.* 2. Bonacina *dicto punct.*2. 2

Committitur verò duellum primò, quando cauſa pugnandi vnus dicit, veni ad talem locum, ibi te expecto. Nam ibi adeſt pactum cum deſignatione temporis præſentis ſcilicet, & loci. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.*39. *num.*28. Bonacina *ſupra num.*6. Similiter, quando aliquis iniuria ab alio affectus videns ipſum enſe 3

carere, dicit ei: Abi, affer enſem, hic te expecto, vel in tali loco, propter eandem rationem. Sanchez & Bonacina *ibidem*. Similiter, quando aliquo exiſtente in platea, vel loco publico alius illi diceret, exeamus hinc ad pugnandum, quia hoc eſt verè deſignare locum, & tempus. Idem Sanchez, & Bonacina *ibid.* ex Farinacio *vol.1. conſil.9. in fin.* Aliter tamen dicunt ſentiendum, quando aliquis inimico ſuo in Eccleſia, aut loco ſibi periculoſo exiſtenti, eo quod alter habeat ibi adiutores, dicit, exeamus hinc, non determinando locum, ſed ſolum fugiens Eccleſiæ irreuerentiam, & ſuum periculum, propter oppoſitam rationem. Quamuis autem idem Bonacina *ibid.* dicat committi duellum ab eo qui alterum prouocat ad pugnandum dicens, tecum pugnabo prima vice qua tibi per vrbem obuiam ero, probabilis tamen eſt oppoſita ſententia, quia tunc non deſignatur locus certus, aut tempus certum, quod videtur neceſſarium pro duello, maximè cum materia hæc odioſa ſit, & pœnalis. Diana *5.part.Tractat.13.Reſol.59.* ex Mancino.

4 Hoc ergo duellum propriè dictum prohibitum eſt, tum iure naturæ, quia in illo exponitur homo periculo homicidij propria auctoritate facti; quod iure naturæ eſt prohibitum; tum iure diuino, quando fieret ad veritatis indagationem, vel criminis purgationem, vel litis terminationem, prout olim erat in vſu apud Longobardos, vt refert Ioannes de Lignano *in tract. de duello*, quia non eſt remedium accommodatum ad hunc finem, & eſt tentare Deum, contra illud Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tum iure Canonico, vt patet *de cleric. propugnant. in duello per tot.* & *2. quaſt.4. cap. conſuluiſti.* Tum denique iure ciuili, *Cod. de gladiatoribus, l. vnica, lib. 11.* Ioannes Beetz *in Decalog. circa 5. precept. expoſit.3. cap.4.* Syluest. *ſupra num.2.* Azor. *tom.3. inſtit. moral. lib.2. cap.5. §.1. quaritur.*

5 Specialiter tamen poſt Iulium II. Leonem X. Clem. VII. & Pium IV. qui duellorum vſum, præſertim in ſtatu Eccleſiaſtico, damnarunt, vt videre eſt in Bulla *Ea qua, &c.* eiuſdem Pij IV. anno 1560. edita, *in 2. tom. Bullar.* inter Bullas ipſius *num. 11.* poſtea Concilium Trident. *ſeſſ. 25. de reformat. cap.19.* ſic habet: *Deteſtabilis duellorum vſus, fabricante Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos concesserint, eo ipſo ſint excommunicati, ac iuriſdictione, & dominio Ciuitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & vt homicida, iuxta ſacros Canones, puniri debent, & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli, tam iure quam facto dederint, necnon ſpectatores, excommunicationis, ac perpetua maledictionis vinculo teneantur, non obſtante quocumque etiam priuilegio, ſeu praua conſuetudine, etiam immemorabili.*

6 Circa quæ notandum primò, Concilium duntaxat videri loqui de duellis publicis, & ſolemnibus, non de priuatis, & ſine ſolemnitate factis. Farinacius *conſ.9. lib.1. num.10. 13. 18. 19. 21. & 34.* Sanchez *ſupra num.21.* Layman. *lib.3. de Iuſtitia, tract.3. part.3. cap.5. num.4.* Quamuis Henriquez *lib.13. de excommunicat. cap. 39. in comment. litt. T*, dicat, etiam de priuato duello locutum eſſe. Secundò, loqui Concilium de quocumque duello, ſiue de eo quod cauſa veritatis alicuius eruendæ initur, ſiue ob aliam quamcumque cauſam. Loquitur enim de duellis conſuetis, quæ non ſunt ad eruendam dictam veritatem, cum iam talia non ſint in vſu, ſed ob alias cauſas. Sanchez *ſupra num.24.* Tertiò, Concilium loqui de bello inter Chriſtianos, ac proinde Principes permittentes in ſuo territorio duellum inter Turcas, non comprehendi hac lege, ſicut neque ipſi Turcæ comprehenduntur. Secus verò dicendum ſi duellum fieret inter Chriſtianum, & Turcam. Sanchez *ſupra num. 29.* Bonacina *ſupra num.10.* Quartò, excommunicationem impoſitam à Concilio non eſſe ſolum ferendam, ſed etiam latam tam contra dominos concedentes locum ad duellum, quam contra alios relatos, ab illis verbis, *qui verò pugnat.* Nam verbum *incurrant*, latam ſententiam notat. Suarez *5. tom. in 3. part. diſp.23. ſect. vlt. num.11.*

Deinde Gregorius XIII. in Conſtit. *Ad tollendam*, 7
anno 1582. edita, in 2. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius num.78. & apud Naldum in Sum. verbo *duellum*, num.7. ſic habet: *Statuimus, omnes illos qui ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento, monomachiam commiſerint, etiamſi nulli patrini, ſociiue ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullaue prouocatoria littera, aut denuntiationis chartula præceſſerint, cenſuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propoſitis teneri, perinde ac ſi publico, & conſueto abuſu ſingulare certamen iniſſent. Volentes etiam locorum Dominos, ſi certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios quouis modo ſeſe præbentes, eiſdem cenſuris, & pœnis ſubiacere, etiamſi illi qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit quominus illa committatur.*

Cenſuras ergo, & pœnas à Concilio impoſitas in 8
caſu duelli publici, vel ſolemnis, etiam ad duella priuata extendit Gregorius, & loquitur de duellis ex quauis cauſa initis, & illa excommunicatio eſt latæ ſententiæ, iuxta dicta. Sanchez *ſuprà num.14. & 26.* comprehenduntur etiam mandantes, inſtigantes, & fauorem dantes, qui tamen non exprimebantur in decreto Concilij. Item ex compoſito ſpectatores, id eſt illi, qui ea induſtria, & non caſu aliquo duellum aſpiciunt. Filliucius *ſupra num.114.* Addit Naldus *ſupra num.6.* eos intelligi, qui ex tractatu, ſeu conuentione præhabita cum ipſis pugnaturis ad locum certaminis cauſa illud ſpectandi deſcendunt. Item ſocij, ſeu comitantes, niſi fortè comitentur vt impediant duellum. Bonacina *ſupra num.10.*

Poſt quæ Clemens VIII. in Conſtitutione *Illius vi-* 9
ces, anno 1592. edita in 3. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius *num. 11.* & apud Naldum *ſuprà num.7.* Conſtitutiones, & decreta Pij IV. Concilij Tridentini, & Gregorij XIII. approbauit, confirmauit, & innouauit, ipſaque declarando, & extendendo, hæc adiunxit: *Ac inſuper auctoritate, & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus eaſdem Conſtitutiones, ac decretum locum habere vbique gentium, & terrarum, inter quaſcumque perſonas etiam armatas, & in caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiam vbi noſtrorum, & S.R. Eccleſia, aut Catholica fidei hoſtium furor impunè graſſatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis. Idem quoque iuris cenſendum eſſe, ſi publico, & forſan iuſto bello indicto, miles aliquis alterum in aduerſariorum exercitu militantem, ſiue alias in hoſtium caſtris, præſidiis, aut terris degentem, priuatas ſimultates, atque inimicitias publica cauſa intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu, ex condicto ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum prouocet. Necnon iiſdem pœnis, decreto, & Conſtitutionibus*

Digitized by Google

nibus teneri eos, inter quos pactiones inita ſint de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numeras vtrinque illatus fuerit, vel ſi conuenerint, vt non ſinguli cum ſingulis, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent: & non ſolum locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces & Capitaneos in Caſtris, vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cum militibus exercitus aduerſariorum monomachiam in quocumque caſu per præſentem, & alias Conſtitutiones huiuſmodi prohibito permittentes, vel quantum in ipſis eſt, non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen veniam, & immunitatem concedentes.

10 *Præterea pari ratione prohibemus omnia, & ſingula eius generis ſcripta, manifeſta, ſeu fides vulgo appellata, quæ etiam ſine expreſſa prouocatione ad certamen, tamen quaſi præparatoria quedam ad chartulas, ſeu libellos prouocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices, aut ſemina, vtplurimum laceſſendi aliquem ad pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis atque inimicitiæ materiam, & occaſionem præbent. Dum ſcilicet in illis per modum epiſtolæ, libelli, aut publicæ atteſtationis, & intimationis, ſiue per authentica documenta, ſiue per vnius, pluriumve chirographum, ſubſcriptiones, aut relationes, ſub prætextu proprij, vel alieni honoris & famæ, more militari, atque vt vulgo dicitur,* canallereſco, *tuendi, aut lædendi, ſiue ad illata, propulſataue contumeliæ, aut iniuriæ probationem, ſiu tollendam illius ſuſpicionem rei alicuius geſtæ ad id pertinentis, vel verborum, aut reſponſionum ſeries, & ordo narratur, vel ex ſimili abuſu hac de cauſa aliquid tale adeo firmiter aſſeritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is ſiue nominatim, ſiue in genere mendacij arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam conſuetudine quæritur, declaratur, aut reſpondetur, qua mente, aut quo ſenſu quippiam eiuſmodi, quod ad ſuperius expreſſa ſpectet, geſtum, dictumve ſit, vel denique offert ſe quiſquam contra certam vel incertam perſonam, vel generatim contra quemcumque, ad probandum armis, & verificandum etiam inito certamine aliquid ita eſſe, aut fuiſſe, vel non fuiſſe, necnon quaſcumque etiam ſine ſcripto factas talium rerum ſupradicta quoquomodo concernentium, & ob huiuſmodi cauſas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire ſoleat, denunciationes, narrationes, declarationes, & teſtificationes. Volentes eos omnes, & ſingulos, qui ſuo, vel alieno nomine, ad effectum de quo ſuperius dictum eſt, prædicta, vel his ſimilia; multoque magis ad certandum prouocatoria ſcripta, libellos, epiſtolas, earumve exempla dictauerint, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, detulerint, diuulgauerint, affixerint, exemplauerint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, ſiue atteſtati fuerint, quive aliis ad ſingulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, ſiue ad huius generis ſcripta, quæ* Manifeſta, *quæque Chartulæ prouocatoria appellantur, ſcribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda auxilium, conſilium, operam, vel fauorem præſtiterint, ſiue ſuaſerint, aut mandauerint, quive in præmiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint, etiamſi neque pugna aliqua, neque certamen, aut effectus, nec acceſſus aut actus ad pugnam proximus, neque expreſſa, & aperta prouocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones prædictæ, quæ* Manifeſta *dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimata extiterint, ſi per eos non ſteterit, quo minus publicatio, aut denunciatio fieret. Nihilominus cenſuris, & pœnis omnibus in præſenti, & aliis prædictis Conſtitutionibus, & Decreto contentis ſubiacere, tam ſi ſuperius enumeratis, quam ſi aliis etiam maioribus Eccleſiaſticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentiis excellant. Quinimò de nouo etiam per præſentes ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoſcumque publicè, vel priuatim, palam, vel occultè, in quibuſcumque locis, & formis ac caſibus, ſub præſenti Noſtra, vel aliis prædictis Conſtitutionibus, ac decreto comprehenſis, ſingulare certamen (quod* duellum *vulgo dicitur) ex compoſito ineuntes, necnon id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes, opem, conſilium, vel fauorem præſtantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, ſeu libellos, litteras, nuncios, aut quacumque alia ſcripta huiuſmodi quomodolibet peccantes, huiuſque delicti ſocios, de induſtria ſpectatores, patrinos fautores, defenſores, quacumque tam ſuperius expreſſa, quam alia Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate. Ita vt ſingulares etiam perſonæ cuiuſlibet Communitatis, Vniuerſitatis, Collegij, aut Reipublicæ, quæ huius criminis participes quoquo modo fuerint, nequaquam excuſentur, ſed ſupradictos omnes, eorumque ſingulos ipſo facto abſque vlla monitione, Iudicis decreto, aut miniſterio, perpetui anathematis, excommunicationis maioris, & maledictionis æternæ mucrone perculſos, & damnatos harum ſerie declaramus, & ſi in ipſo conflictu obierint, ſepulturæ Eccleſiaſtica perpetuò priuatos eſſe volumus. Ipſas verò Ciuitates, terras, oppida, vel caſtra, & loca in quorum territoriis id facinus, ſcientibus & tacitè, vel expreſsè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut populo admiſſum fuerit, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis abſolutionem, ab alio, quam à Nobis, aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice, pœnitentia, & ſatisfactione congruâ peracta, niſi in mortis articulo conſtituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſvis perſonis tam Eccleſiaſticis cuiuſcumque Ordinis, aut Militiæ, ſtatus, aut gradus, aut conditionis exiſtentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præminentia inſignitis per Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſorum. Quæ omnia, quoad præmiſſa, nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari. Pœnis aliis tam ſpiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in ſuo robore permanſuris.*

Circa quæ, prolixitatis vitandæ cauſa, ſolum aliqua animaduertenda ſunt. Primum, quod licet ſtando in terminis decreti Concilij Tridentini, & Conſtitutionis Gregorij XIII. non videatur incurri dictas pœnas à diffidante ad duellum, vel illud acceptante, niſi ſecuto effectu pugnæ, quia excommunicatio lata ob aliquod crimen, non incurritur, niſi ſecuto effectu, iuxta dicta ſupra verbo *Caſus reſeruati, num.* 12. idque indicet Gregor. illis verbis, *monomachiam commiſerint;* in tali enim caſu illi monomachiam non commiſerunt, ſed voluerunt committere (Sanchez *ſupra, n.*28. Bonacina *ſupra num.*16. Naldus *ſupra num.* 6. Diana *part.* 3. *tract.*6. *Reſolut.*3. §. *Dico octauò,*) ſtando tamen in terminis Conſtitutionis Clementis VIII. incurrere illos dictas pœnas, habent idem Naldus *ſupra*, & alij apud Dianam *part.*5. *tract.*14. *Reſolut.*102. Sed id negant Hurtadus de Mendoza 2. 2. *diſp.* 170. *ſect.* 21, §. 190. & ſequentibus, quem idem Diana refert. Naldi tamen & aliorum ſententia probabilior eſt, & conformior verbis Pontificis, & ſtylo Curiæ. Stando etiam in terminis Concilij, & Conſtitutionis Gregorij, incurrunt illas, vt credo, omnes illi, de quibus loquitur idem Gregorius ab illis verbis: *Volentes etiam locorum Dominos,* Nam Clauſula illa, *etiamſi illi* 11

qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, cum ſit clauſula in fine, cuius natura eſt reſpicere omnia præcedentia, ad illos refertur. Quamuis Sanch. & Bonac. relati ſolum ea referunt ad ſocios, & Nald. *ſupra* ad ſocios, & ex compoſito ſeu condicto ſpectatores.

12 Secundum, quod licet excommunicatio impoſita à Concilio, & Gregorio XIII. reſeruata non ſit, nullum enim ibi verbum eſt reſeruationem indicans, impoſita tamen à Clemente VIII. reſeruata eſt Papæ, vt patet illis verbis, *Excommunicationis abſolutionem ab alio quam à Nobis aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice, &c. niſi in mortis articulo conſtituti nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & Indultorum quibuſuis perſonis tam Eccleſiaſtici cuiuſcumque Ordinis, aut Militiæ, ſtatus, aut gradus, aut conditionis exiſtentibus.* Sanchez *ſupra num.* 27. Addit tamen Rodriguez *tom.* 1. *Summæ cap.* 73. *num.* 3. etiam fuiſſe reſeruatam à Gregorio XIII. in dicta Bulla, eo quod in ipſa extenderit excommunicationem à Pio IV. impoſitam etiam ad duella priuata; ea enim excommunicatio Pij IV. reſeruata eſt.

13 Nihilominus ab hac excommunicatione abſoluere poſſunt, quando caſus fuerit occultus, Epiſcopi propter priuilegium illis conceſſum à Concil Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. quod non eſt derogatum per hanc Conſtitutionem Clementis, cum de illo nulla fiat mentio, prout debebat fieri, vt derogatum cenſeretur. Sanchez *ſupra num.* 27. Bonacina *ſupra num.* 15. Abſolui etiam poteſt hæc excommunicatio virtute Bullæ Cruciatæ in Regnis vbi publicatur, vt volunt Sanchez *ibid.* & Hurtadus de Mendoza *ſupra data ſect.* 21. *num.* 201. De Religioſis autem ait Sanchez, quod nullus Religioſus poteſt virtute ſuorum priuilegiorum concedentium omnes caſus Papæ ab illa abſoluere. Quod non placet Hurtado *ſupra* loquenti de priuilegiis Societatis, quia illa (inquit) non derogantur, niſi de eis fiat expreſſa mentio, quam non fecit Clemens. Sed quidquid de hoc ſit cum ex decretis Sacræ Congregationis de anno 1602. eiuſdem Clem. VIII. iuſſu editis, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. conſtet nullum Confeſſarium, ſiue ſæcularem, ſiue Regularem abſoluere poſſe intra Italiam extra Vrbem à caſu duelli, iuxta decretum (vt ibi dicitur) Sacri Concil Trident. & Conſtitutionem fœlic. recordat. Gregor. XIII. incipientem *Ad tollendam*, ideo quoad hoc ſublata ſunt omnia priuilegia in contrarium quarumcumque Religionum. [Vnde video Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 14. Septembr. 1635. præcepiſſe cuidam Theatino, vt redderet rationem qua authoritate abſoluiſſet quoſdam duellantes.] A caſu autem duelli, & excommunicatione illi annexa iuxta Conſtitutionem Clement. VIII. id eſt quoad illas actiones ſpeciales, quas hic Pontifex in materia duelli prohibuit, quæ aliàs non continebantur in decreto Concil. Trid. & Conſtitututione Gregorij XIII. abſoluere poſſunt vbique gentium Ieſuitæ, & qui communicant cum ipſis in priuilegiis, propter priuilegium Pauli III. quod retuli ſupra verbo *Confeſſarius, num.* 5. Imo etiam ab eodem caſu duelli in terminis Concil. Trid. & Conſtitutionis Gregorij XIII. abſoluere poſſunt ſupradicti extra Italiam, & in Vrbe, cum ſolum id prohibeatur in dictis decretis intra Italiam extra Vrbem. Vide Naldum *ſupra verbo duellum, num.* 6. *&* 7. & Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtitutione prima Iuly II. num.* 64. Et nota, prædicta decreta poſteriora eſſe Conſtitutione Clement. VIII. & ita potuiſſe modificare illam. Iuxta hæc intellige Laymani doctrinam, quam ex Filliuccio, Reginaldo, & Comitolo refert loco relato *num.* 4. *in fine.*

14 Circa pœnam illam à Concilio, & Clement. VIII. deſignatam contra duellantes, quod ſcilicet ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura, notandum, quod ſi aliquo tempore poſt peractum duellum obierint, etiamſi ob vulnus in duello acceptum talis mors ipſis contigerit, non ſunt priuandi dicta Eccleſiaſtica ſepultura. Concilium enim, & Pontifex loquuntur de illis, qui in ipſo conflictu, non poſt ipſum, deceſſerint, & cum ſit lex pœnalis, extendi non debet, ſed potius reſtringi. Portellus *in reſponſionibus caſ. Conſcient. part.* 3. *caſu* 10. *num.* 3. *&* 4. Licet oppoſitum teneatur Homobonus *in reſolut. caſ. Conſcient. tom.* 2. *part.* 7. *reſponſ.* 64. & Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.* 36. *num.* 8. Nec obſtat ſi dicatur, quod cum iſti moriantur in excommunicatione priuari debent Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. in ſacris, de ſepult.* & *Clement.* 1. *eod. tit.* & aliis iuribus. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 12. *ſect.* 4. Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.* 5. *de excommunicat. diſp.* 10. §. 8. Tum quia poſſunt ante mortem abſolui, vel ſaltem poſt mortem quoad hunc effectum, tum quia id procedit ſolùm in excommunicatis vitandis, ſcilicet publicis percuſſoribus Clericorum, aut declaratis, non in aliis. Suarez, & Cornejo *ibidem.* Si verò in ipſo duello deceſſerint, etiamſi ante obitum dederint contritionis ſigna, priuandi ſunt ſepultura Eccleſiaſtica propter decretum Concilij, & Conſtitutionem Clementis. Quibus adde, ita haberi in Rituali Romano Pauli V. *in Rubrica de exequiis.* Diana 4 *part. Reſolut.* 92. Qui etiam cum dicto Portello, & aliis habet, quod ſi tales decedentes in duello ſigna contritionis dederint, poſſit pro illis offerri Sacrificium Miſſæ, eo quod etſi excommunicati decedant, non tamen ſunt excommunicati Clericorum percuſſores, aut denunciati, nec certo conſtat obiiſſe in peccato mortali, cum ratione contritionis ab illo peccato duelli emendari potuerint. Qualiter tamen proſit, vel non proſit ſacrificium Miſſæ excommunicatis, habes infra verbo *Excommunicatio, num.* 12.

15 Circa alias pœnas tam à Conſilio, quam à Clement. VIII. contra delinquentes in caſu duelli aſſignatas, ſatis probabile eſt omnes illas præter interdictum, quia eſt cenſura, requirere ſententiam declaratoriam criminis, iuxta dicta ſæpius, præſertim *tom.* 1. *cap.* 20. *n.* 29. 30. *&* 31. De quo Sanch. *ſupra num.* 32.

16 Sunt etiam aliqui caſus, in quibus nec excommunicatio, nec aliqua ex dictis pœnis incurretur ob duellum. Primus eſt, cum publica auctoritate ob honeſtum finem, & non ſpectaculi, vel voluptatis cauſa indicitur in bello, vt ſi hoſtes exercitui duellum offerant, idque ab aliquo acceptari ad auertendam ignominiam, animos hoſtium debilitandos, ſuorumque confirmandos, neceſſarium videatur, vel quando ſedandi belli cauſa ob Reipublicæ bonum, vel ſecuritatem ab hoſtibus conſequendam inſtituitur; neque enim in his caſibus aliquid contra ius naturæ, aut leges Pontificias fieri, vel per epicheiam exiſtimant plures, ſpecialiter Caietanus *in Summa verbo Duellum*, Nauarrus *in Man. cap.* 15. *num.* 27. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 1. Layman. *ſuprà num.* 3. Secundus eſt cum quis compellitur ſub vitæ periculo moraliter certo acceptare duellum, tunc enim illud acceptare in ſui defenſionem iure naturæ præſcribitur. Bonacina *ſuprà num.* 11. Naldus *ſuprà num.* 1. Layman. *ſupra n.* 2. Addit Bonacina, etiam ad defenſionem rerum propriarum videri eſſe licitum acceptare duellum, quando aliquis eas inuadit, nec aliud adeſt remedium ad eas defendendas præter acceptationem, quia tunc non tam eſt duellum, quam iuſta defenſio rerum propriarum. Melius tamen Laymanus ſupra dicit non videri hoc conſentaneum homini Chriſtiano, propter ſcandalum, aliaque incommoda, quæ plerumque cum duellis coniuncta ſunt. Pro defenſione tamen honoris (in caſu videlicet, quo vir nobilis prouocatus ad duellum, ſi illud non acceptaret, reputaretur timidus, nec crederetur id feciſſe ob timorem Dei, quia aliàs

commu

communiter æſtimatur vt homo prauæ conſcientiæ, & ita eſſet ſemper deſpectus, & inglorius inter ſimilis qualitatis homines) poſſe illud acceptare, aliquibus forſan probabile videbitur, quibus fauet Hurtadus *ſupra diſp.*170. *ſect.* 13. §. 106. & ſequentibus. Sed oppoſitum in praxi ſemper obſeruandum, nec tale duellum acceptandum. Etſi enim apud vulgares, & improbos (de quibus prudentes parum curare debent) ignominiæ tribuatur talis duelli recuſatio, tamen apud ſapientes, & probos id honori aſcribetur, tum propter honorem Dei, & Eccleſiæ obedientiam, tum propter magnas pœnas etiam temporales, etiam infamiæ, quæ ex duello ſequuntur, propter quas non ſolum pij, & prudentes, ſed improbi, & vulgares debent laudare hominem recuſantem. Bañez 2. 2. *quæſt.*40. *art.*1. *in fin. & quæſt.*64. *art.*7. *dub.*3. *in ſolut. ad* 3. Sotus *lib.*5. *de iuſt. quæſt.*1. *art.*8. *ad finem corporis*, §. *Quod ſi hinc quiſpiam*, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *ſupra num.*9. vbi etiam *num.*10. *&* 11. ex eodem Bañez habet qualiter reſpondere debeat talis prouocatus vt fugiat infamiam. Quibus adde, reſpondere poſſe: *Qui duellum ineunt infames in Eccleſia ſunt, & propter hanc cauſam inter alias non admitto illud.* Tertius caſus, in quo licitè (ſecundum probabilem opinionem) acceptari poteſt duellum, eſt quando iniquus Iudex innocentem cogat ad illud acceptandum, vel quod mortem ſubeat. Tunc enim, etſi duellum acceptare non poſſit ad probandum ſui innocentiam, vel veritatem certò comprobandam, poteſt tamen illud aſſumere ad ſui neceſſariam defenſionem. Ioannes Becix *ſupra*, Bonacina *ſupra num.*12. ex aliis, quos refert. Sed addit Laymanus *ſupra num.*1. id ſolum eſſe verum ſi ille cum quo ineundum eſt duellum, non ſit etiam innòcens. De aliis porrò caſibus an licitum id ſit, diſputant relati auctores.

17 Nota tamen, quod ſi quis fictè, & non animo pugnandi, ſed ea ſolum intentione vt videatur fortis, & animoſus, prouocat ad duellum, ſeu illud acceptat, cum morali ſecuritate quod nullum damnum inde prouenturum ſit, quia ſperat certò pacem componendam, non videri incurrere in foro conſcientiæ duelli cenſuras, ſicut nec hæreticorum pœnæ (iuxta aliquorum ſententiam, de qua verbo *Irregularitas, num.*61. incurrentur ab eo, qui ſolum fictè, & externè hæreſes profert, Naldus *ſupra num.*2. & Diana 3. *part. tract.*6. *Reſolut.*1. *in principio*, ex Filliuccio, & aliis.

18 Nota etiam ſpecialiter pro Religioſis, quod cum Clerici ſponte duellum offerentes, vel oblatum ſuſcipientes, ſiue victores, ſiue victi ſint, deponi debeant, iuxta *cap.*1. *de Cleric. pugnant. in duello* (quod intellige de depoſitione ferenda, vt habent Nauarrus *in Man. cap.*27. *num.*156. Henriquez *lib.*3. *de excommunicat. cap.*39. *num.*23.) idem dici debet de Religioſis, propter eandem rationem. Excipe caſum quando alij ipſos occidere vellent, quia tunc non eſt duellum, ſed defenſio iure naturæ debita, iuxta dicta *ſupra*. Vide Sanchez *ſuprà num.*18.

ECCLESIA, SEV TEMPLVM.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia materialis quæ, & quotuplex ſit.*
2 *Ad quem ſpectat illam conſecrare.*
3 *An ex delegatione competat ſimplici Sacerdoti.*
4 *Quid de Eccleſiis Regularium.*
5 *Quid quando Epiſcopus ab illis requiſitus id facere recuſauerit.*
6 *De cæmeterij conſecratione.*
7 *Benedicere ſolemniter Eccleſias Regularium ad quos pertineat.*
8 *Conſtruine aut ædificari poſſint ſine dote competenti.*
9 *An Epiſcopus primarium lapidem, & Crucem ponat.*
10 *Celebrare non licet niſi in Eccleſia conſecrata, aut benedicta.*
11 *Celebrare in Eccleſia violata quale peccatum ſit.*
12 *Polluitur Eccleſia multis caſibus.*
Quales ij ſint. ibid.
13 *An tunc polluantur etiam cœmeteria, & alia partes Eccleſiæ.*
Quale peccatum requiratur ad iſtam pollutionem. ibid.
An reconcilietur Eccleſia, ſi vel ſemel in ipſa poſtea celebretur. ibid.
14 *Eccleſia conſecrata quomodo reconcilietur.*
15 *Quid de priuilegiis Regularium.*
16 *An Prælati Regulares habeant circa hoc aliquod priuilegium.*
17 *Declarationes S. Congregationis.*
18 *Aliæ declarationes pro Eccleſiarum reuerentia.*

ECCLESIA materialis, de qua in præſenti, *eſt locus publicus Epiſcopali authoritate conſtitutus, & conſecratus, ad quem fideles conueniunt ad percipienda fidei Sacramenta.* Syluester *in Summ. verbo Eccleſia* 2. *num.*1. Eſt duplex, alia conſecrata, & alia non conſecrata, ſed ſolum benedicta. Quæ licet conueniant in aliquibus, differunt tamen in conſecratione, & benedictione, pollutione, ſeu violatione, & reconciliatione. De quibus modo agendum, quia propriora Regularibus. 1

Eccleſiam conſecrare ſpectat iure communi ſolum ad Epiſcopum, *cap. Nemo, de conſecrat. diſt.*1. Imò ad Epiſcopum proprium, non ad alienum, *cap. tua fraternitas, de conſecrat. Eccl.* Nec hoc poteſt delegare Epiſcopus niſi Epiſcopo, *cap. aqua, eod. tit.* vbi expreſsè prohibetur id committi ſimplici Sacerdoti, non obſtante patriæ conſuetudine, quia eſt actus proprius Ordinis Epiſcopalis. 2

Ex delegatione autem Papæ id competere poteſt etiam ſimplici Sacerdoti. Syluester *ſupra verbo Conſecratio, n.*2. Azor. *tom.*1. *inſtitut. Moral. lib.*10. *cap.*26. *quæſt.*10. De conditionibus autem ad conſecrationem Eccleſiæ requiſitis agitur *cap. pia mentis* 16. *quæſt.*7. *cap. ſi quis Baſilicenſis, de conſecrat. diſt.*1. *cap. omnes Baſilicæ, ibid. & cap. tuo, de conſecrat. Eccleſ.* De quibus Miranda *in Man. Prælat. tom.*2. *quæſt.*39. *art.*1. *concl.*3. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Allegat.*27. *à num.*1. Declaratum autem eſt à S. Congregatione ſæpius Eccleſiam poſſe conſecrari omiſſis aliquibus cæremoniis, quæ propter ſitum non poſſunt obſeruari, dummodo Epiſcopus quantum licet ſe conformet Rubricis, & Regulis Cæremonialis. Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Eccleſia.* 3

Ex quo infertur, ſolum ab Epiſcopo, iuxta dicta, poſſe conſecrari Eccleſias Regularium, præſertim cum de hac re nullum, quod ſciam extet priuilegium Summorum Pontificum Abbatibus, aut Prælatis Regularibus conceſſum. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*1. *diſp.*23. *quæſit.*7. *num.*3. Imò talis Epiſcopus debet eſſe diœceſanus, vel de licentia ipſius, vt colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.*6. *de reformat. cap. vltim.* vbi dicitur, *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum.* Tamburinus *ſupra quæſit.* 9. *num.*1. Addens propterea non valere amplius priuilegia Monachis conceſſa, quibus poterant abſque Diœceſani licentia Epiſcopos quoſcumque ad eorum Eccleſias conſecrandas vocare.

Pro caſu verò quo Epiſcopus Diœceſanus à Regularibus requiſitus eorum Eccleſias conſecrare noluerit, extant aliqua priuilegia Religionibus quibuſdam conceſſa. Primò enim Honorius IV. conceſſit Minoribus, *vt ſi Diœceſani ab ipſis debita humilitate requiſiti noluerint* 4

vint in Eccleſiis eorum primarium lapidem ponere, ac Eccleſias, vel Oratoria, & Altaria ſua conſecrare, vel id facere vltra quatuor menſes diſtulerint, poſſint prædicti fratres per quoſcumque voluerint Epiſcopos, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, præmiſſa recipere. Ita refert Caſſarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Altare num. 1.* Similiter Iulius II. in Bulla *Dudum ad Sacrum*, apud Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in conſtitut. 1. eiuſdem* Iulij conceſſit Minimis, vt poſſent omnes, & ſingulas eiuſdem *Ordinis Eccleſias, & Oratoria quæcumque recepta, & recipienda, nondum conſecrata, ſeu conſecrata, facta prius requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſdemque recuſantibus vel negligentibus, per quemlibet alium Catholicum Epiſcopum, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, conſecrari facere.* Quæ priuilegia moderans Leo X. in Concilio Lateranenſi pro Mendicantibus ait: *Nec ab alieno Epiſcopo Conſecrationem Eccleſiæ, vel Altaris, aut Cœmeterij benedictionem petere, ſeu in Eccleſiis per eos pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi vbi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reuerentia, & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſauerit.* Hæc verò reuocata eſſe per Concilium Trident. loco relato tenet Peirinis *ſupra in dicta Conſtitutione Iulij, num. 46. & 47.* Licet Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 19. art. 4.* Miranda *ſupra*, quos non reiiciunt Barboſa *ſupra num. 11.* & Tamburinus *ſupra quæſit. 8. n. 3.* dicant concceſſionem illam Leonis X. non eſſe reuocatam à Concilio, quia Concilium ſolùm reuocat priuilegia Regularium: illa autem conceſſio non tam eſt priuilegium, quàm ius commune, iuxta *cap. 1. de ſupplenda negligentia Prælatorum.* Quia ergo dicti capitis deciſio ſolum procedit in caſu neceſſitatis, ideo ſolum pro illo, ſi daretur, amplectendam cenſeo ſententiam Rodriguez, & Mirandæ, prout in ſimili dixi de caſu neceſſitatis conſecrationis Altarium *ſup.* verbo *Altare, n. 5.* Regulariter autem vix contingere poteſt talis caſus in Religionibus, cum vix neceſſarium illis poſſit eſſe conſecrare ſuas Eccleſias, cum ſufficiat illas benedicere, quod plures Prælati Regulares poſſunt facere, vt dicetur inferius, Peirinis *ſupra num. 47.*

6 De Cœmeterij conſecratione idem proportionaliter dicendum eſt, cum iuxta dicta ſupra verbo *Cœmeterium, num. 1. & 2.* ſit locus ſacer, & Eccleſiæ adiunctus, ſcilicet, non poſſe fieri niſi ab Epiſcopo, & Epiſcopo Diœceſano, vt ſupponunt auctores relati, qui etiam referunt priuilegium Ioannis XXII. pro noſtris Carmelitis, quod habetur in noſtro Mari magno Bulla 30. vbi hæc Pontifex. *Pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt cum plerumque contingat, quod locorum Ordinarij ſeu Diœceſani in locis, quæ pacificè obtinetis, cœmeteria veſtra benedicere, & conſecrare indebitè contradicant, prouidere vobis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, vt in quibuſcumque locis, quæ nunc obtinetis, & in poſterum iuſto titulo, dante Domino, obtinebitis, ſi locorum ipſorum Ordinarij à vobis ſuper hoc humiliter requiſiti noluerint, aut recuſauerint indebitè cœmeteria veſtra benedicere, ſeu etiam conſecrare, poſſitis huiuſmodi cœmeteria per aliquem Antiſtitem gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, quoties opus fuerit facere benedici, & etiam conſecrari, idemque Antiſtes huiuſmodi cœmeteria authoritate Apoſtolica benedicere, & conſecrare valeat, ſine iuris præiudicio alicui, deuotioni veſtræ tenore præſentium indulgemus.* Quamuis etiam relatus Miranda, conformiter ad doctrinam Rodriguez etiam relati, quos non reiiciunt Barboſa, & Tamburinus *ſuprà*, dicant hoc priuilegium non videri reuocatum à Concilio Tridentino in decreto ſuperiùs relato, ſed permanere in ſua vi, iuxta moderationem Leonis X. de qua etiam *ſupra*, eo quod non tam videatur priuilegium, quam ius commune, iuxta dicta ex *cap. 1. de ſupplend. negligent. Prælator.* nihilominus ſolùm pro caſu raro neceſſitatis id accipiendum exiſtimo, iuxta dicta etiam ex Peirinis. Nota etiam, quod Corduba *in annotationibus ad compend. priuileg. Mendicant. verbo Benedicere Eccleſiaſtica*, refert ſimile priuilegium conceſſiſſe Bonifac. IX. Ordini Prædicatorum.

7 Benedicere autem Eccleſias, ſeu cœmeteria, quamuis etiam proprium munus Epiſcoporum ſit iuxta dicta ſupra verbo *benedictio, num. 5.* vbi etiam an id munus ſimplici Sacerdoti committere poſſint, nihilominus benedicere, etiam ſolemniter, Eccleſias, & cœmeteria Regularium conceſſum eſt pluribus Prælatis ipſorum, & ita hoc priuilegio tam ipſi, quàm alij qui cum ipſis communicationem habent priuilegiorum vti poſſunt. Primò enim Iulius II. in Bulla ſuperius relata pro Minimis conceſſit, *quod ipſius ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque Vicegerentes, omnes, & ſingulas eiuſdem Ordinis Minimorum Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria, &c. vbicumque receptas, ſeu recepta, & recipiendas, ſeu recipienda, ſolemni benedictione benedicere poſſent.* Deinde Leo X. in Bulla *Religionis honeſtas*, anno 1514. edita, quæ habetur apud relatum Peirinis *tom. 1. Priuil. Minim. in Leone X. Bulla 18.* conceſſit Generalibus, Prouincialibus, Vicariis, & Cuſtodibus, ac Guardianis Ordinis Minimorum de Obſeruantia pro tempore exiſtentibus, *Vt omnia, & ſingula eiuſdem Ordinis, & Obſeruantiæ Eccleſias, Cœmeteria, ac Capitula, & Oratoria vbicumque exiſtentia receptas, & recepta, & recipiendas ſeu recipienda, &c. ſolemni Benedictione* benedicere poſſent. Agunt de iis priuilegiis Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicantium, verbo Benedicere Eccleſiaſtica, §. 12. & 14.* Cum autem in vtroque priuilegio habeatur clauſula *eiuſdem Ordinis*, ideo pro comperto eſt, non poſſe id facere dictos Prælatos pro Eccleſiis aliorum Ordinum. Quod etiam notat Caſſarubius *ſup. in fine.* Notat etiam Sorbus *ibidem*, ſolemnem benedictionem eſſe illam quæ fit cum illa ſolemnitate *Adiutorium noſtrum, &c. ſit nomen Domini, &c.* Vide pro illa Pontificale, ſeu Rituale Romanum.

8 Quamuis iure communi Eccleſia conſtrui, aut ædificari non poſſit ſine dote competenti, prout colligitur ex *c. Nemo, de conſecr. diſt. 1.* (Syluest. *in ſum. verbo Eccleſia 2. num. 3.*) licet tamen Mendicantibus ædificare ſine dote, ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, vel quia ſic intellecta ſunt eorum priuilegia. Syluester *ibid. num. 4.*

9 Similiter, quamuis iure communi pro ædificatione Eccleſiæ neceſſarium ſit quod Epiſcopus primarium lapidem ponat, & Crucem ibi figat, prout colligitur ex *cap. nemo*, relato (Syluester *ſuprà n. 3.* Azor. *tom. 2. Inſtitut. Moral. lib. 9. cap. 3. quæſt. 4.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 22. quæſit. 9.*) imò id ſpectet ad Epiſcopum Diœceſanum, vt conſtat ex Bulla Leon. in Concil. Lateranenſi, de qua *ſuprà num. 5.* niſi forſan in caſu ibi aſſignato: nihilominus ex priuilegio Cœleſtini V. confirmato ab Eugenio IV. in Bulla *Ad decorem*, in Bullario Rodriguez inter Bullas Eugen. *n. 18.* conceſſum eſt Priori Sancti Spiritus de Sulmona Ordinis Cœleſtinorum, vt in ædificandis Capellis, Eccleſiis, aut Hoſpitalibus, primum lapidem, & fundamenta Pontificali more benedicere poſſet. Refert hoc priuilegium Tamburinus relatus, & vocat hunc Priorem totius ordinis Cœleſtinorum, Generalem, ac dicit hoc priuilegium eſſe in vſu inter Abbates Regulares.

10 Celebrare non licet iure communi, niſi in Eccleſia conſecrata, aut benedicta. Ita enim habetur *ex cap. 1. cap. ſicut, cap. nullus, de conſecrat. diſt. 1.* S. Thomas *3. part. quæſt. 83. art. 3.* Expoſitores ibid. & Canoniſtæ *in cap. vlt. de conſecrat. Eccleſ.* ac Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3.*

In

Google

11 In Eccleſia autem polluta, ſeu violata, Miſſam celebrare, mortalis culpa eſt; quia hæc ipſa pollutio, ſeu violatio Eccleſiæ nihil eſt aliud, quam cenſura quædam, ſeu prohibitio iure Eccleſiaſtico introducta, vt nec Sacrum, nec diuina Officia in ea celebrentur, quando in illa factum eſt aliquid in grauem ipſius irreuerentiam. Et cùm hoc præceptum ſit de materia graui, procul dubio obligat ad mortale. Suarez *ſupra ſect.*4. Layman. *lib.*5. *tract.*5. *cap.*5. *n.*6. Non eſt tamen impoſita aliqua cenſura, aut irregularitas transgreſſoribus huius præcepti. Suarez & Layman *ſuprà*.

12 Polluitur autem ſeu violatur Eccleſia, ſiue conſecrata, ſiue benedicta, itavt indigeat reconciliatione, in multis caſibus. De quibus Syluester *in Summa verb. Conſecratio* 2. *quæſt.*4. *&* 5. Sotus *in* 4. *diſt.*13. *quæſt.*2. *art.*3. Nauarrus *in Man. cap.*27. *à n.*256. Suarez *ſupra ſect.*4. Layman *ſupra*. Barbuſa *de poteſt. Epiſcop. Allegat.*28. Lugo *de Sacr. Euchariſt. diſp.*29. *ſect.*2. *à n.*52. Primus eſt, quando intra eam commiſſum eſt homicidium voluntarium, & iniuriosum, *ex cap. propoſuiſti, de Conſecrat. Eccleſ. & cap. ſi motum, de conſecrat. diſt.*1. Dixi *intra eam*, quia ſi homicidium fiat ſupra tectum, vel in parietibus extra illam, vel ſubtus illam, non violatur Eccleſia. Dixi *homicidium*, quia non quælibet percuſſio, aut vulneratio ad id ſufficit, niſi ſequatur mors, aut effundatur multus ſanguis, iuxta dicenda poſt. 2. Dixi *voluntarium*, quia nec homicidium caſuale, neque factum in amentia, aut ebrietate, quæ ſunt inuoluntaria, ſufficiunt ad hoc. Dixi etiam *iniurioſum*, quia homicidium ſecutum ex pura defenſione non ſufficit. Imò nec ſufficit, quod actio iniurioſa ex qua ſequitur mors, extra Eccleſiam data ſit, quamuis mors in Eccleſia contingat. E conuerſo tamen ſufficit, quod lethale vulnus in Eccleſia inflictum ſit, quamuis mors extra illam ſequatur. Lugo *ſupra num.*53. Secundus eſt, quando in Eccleſia ſanguis humanus iniurioſè effunditur, *cap. ſi Eccleſia, de conſecrat. Eccleſ. cap. Eccleſiis, de conſecrat. diſt.*1. Intelligitur autem non de effuſione naturali, medicinali, licita, aut caſuali, nec de effuſione in quantitate parua, nec de ea, quæ non eſt facta in ipſa Eccleſia. Quid verò dicendum, quando effuſio ſanguinis orta eſt ex ioco, agit idem Suarez *ſupra*. Quid quando ea contingit in gradibus Eccleſiæ, agit Sanchez *de matrimon. lib.*9. *cap.*15. *num.*28. Tertius eſt, quando humanum ſemen viri, ſiue fœminæ, ſiue fidelis, ſiue infidelis in ea voluntariè quoquo modo effunditur, *cap. vnic. de conſecrat. Eccleſ. in* 6. *& cap. Eccleſiis, de conſecrat. diſt.*1. Lugo *ſupra num.*55. Dixi *voluntariè*, quia non ſufficit quod fiat in ſomnis. Dixi *quoquo modo*, ad denotandum id eſſe, ſiue id fiat per mollitiem, ſiue per fornicationem, adulterium, ſodomiam, &c. imò etiam per copulam coniugalem, præterquam ſi hæc ob vrgentem neceſſitatem, & probabile periculum incontinentiæ à culpa mortali excuſetur. Quartus caſus eſt, quando in Eccleſia ſepultus eſt aliquis excommunicatus vitandus, *cap. conſuluiſti, de conſecr. Eccleſ.* Quintus, quando in ea ſepelitur aliquis infidelis, vel non baptizatus, *cap. Eccleſiam* 1. *&* 2. *diſt.*1. *de conſecratione*. Quo etiam caſu non ſolùm Eccleſia eſt reconcilianda, ſed & parietes eius radendi. Quod etiam intelligitur de pueris, qui ante baptiſmum decedunt, etiamſi ſint fidelium. Sextus caſus addi ſolet, quando Eccleſia per Epiſcopum publicè excommunicatum eſt conſecrata, vel benedicta, argument. *dict. cap. conſuluiſti, de conſecratione*. Sed non video vnde ex eo capite colligatur, quia ſolum ibi eſt ſermo de Eccleſia, in qua aliquis excommunicatus eſt ſepultus. Layman *ſuprà num.*9. Septimus etiam additur, quando parietes Eccleſiæ ſucceſſiuè reparantur, ſed hoc non admittitur à Syluestro *ſupra* §. 4. *&* 5. & Nauarro etiam *ſup. n.*258. niſi quando omnes, aut maior pars eorum ſimul deiiciuntur, quod rarò fit, vel corruerint, vel quando combuſti ſunt, vel notabiliter decruſtati in toto, vel in maiori parte, *cap. Eccleſiis, de conſecrat. diſt.*1. *& cap. ligneis, de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.*

Pro horum tamen caſuum praxi notandum Religioſis primò, quod in caſibus, in quibus violatur Eccleſia, violatur etiam cæmeterium illi contiguum, non ècontra, iuxta dicta ſupra verbo *Cæmeterium, num.*4. & quod violata Eccleſia, violantur Capellæ ipſius, è contra, quia Capellæ ſunt partes Eccleſiæ, Sanchez *lib.*9. *de Matrim. diſp.*15. *num.*25. Layman. *ſup. n.*10. Idem dico de Choro, propter eandem rationem. Sanchez *ibid. n.*33. Secus dicendum de Sacriſtiis, aut aliis cameris, vel cryptis ſubtus, propter oppoſitam rationem. Sanchez *ibid. n.*31. Naldus *in Summ. verbo Eccleſia, n.*29. Secundò, quod licet ad violationem Eccleſiæ in tribus caſibus prioribus requiratur actio culpabilis, vt dictum eſt, in caſibus verò poſterius non eſt neceſſaria culpa, ſed ſufficit factum ipſum. Layman *ſup. n.*8. Tertiò, quod Eccleſia, vel cæmeteria occultè violata, quamdiù violatio latet, non indigent reconciliatione, & poteſt in illis celebrari. Nauar. *ſup. n.*256. Suar. *ſup. dicta ſect.*4. §. *Secundò dubitari ſolet.* Requiritur ergo quod res manifeſta ſit, vel per facti euidentiam, aut iuridicam confeſſionem, vel probationem. Sanchez *ibid*, Sà *in Sum. verb. Eccleſ. n.*19. An verò ſi in prædictis caſibus occultis, vel ſemel in Eccleſia celebratur, maneat reconciliata, itavt non indigeat alia reconciliatione, affirmat Sà *ſup.* cum aliis, celebratio enim eſt etiam reconciliatio, & conſonant ea quæ dixi ſuprà verbo *Calix, n.*8. de Calice non conſecrato, ſi in eo celebretur: negant verò plures alij, cum nullo iure id fundetur. Layman *ſup. n.*13. Ego verò licet hanc poſteriorem ſententiam ſecuriorem cenſeam, priorem tamen probabilem iudico, quando celebratio fuit bona fide facta, prout etiam tenet Naldus *ſup. verbo Eccleſia, n.*24. aliis relatis. Qui extendit etiam hanc doctrinam ad Calices, & paramenta, ſi cum eis bona fide celebretur. Quartò, ſi violatio Eccleſiæ contingat tempore quo in ea dicitur Miſſa, ſi non eſt inceptus Canon, debet illam Sacerdos relinquere, ſi verò eſt inceptus, debet proſequi, quia in hoc ſecundo caſu cenſetur Sacrificium inchoatum. Suarez *ſupra*, & alij communiter. 13

Si Eccleſia, quæ violatur erat conſecrata, reconciliari non poteſt niſi per Epiſcopum, & cum aqua ab ipſo ſolo cum vino, & cinere benedicta, non per ſimplicem Sacerdotem, niſi ex Papæ commiſſione. Ita enim colligitur *ex cap. Aqua, & cap. propoſuiſti, de conſecratione Eccleſ.* Bacconius in 4. *diſt.*11. *art.*3. Sotus *in* 4. *diſt.*13. *quæſt.*2. *art.*3. Miranda *in Man. Prælator. tom.*2. *quæſt.*39. *art.*8. *concl.*2. Idem dicendum de reconciliatione cæmeterij conſecrati, iuxta dicta ſuprà verbo *Cæmeterium*, vbi duas declarationes Sacræ Congregationis ad intentum retuli. Extat etiam alia in vna Cameracenſi 9. Februarij 1608. quam refert Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Eccleſia*, vbi ſic: *Eccleſiæ conſecratæ, & cæmeterij reconciliatio, non alteri, quam Epiſcopo committenda eſt.* 14

Nihilominus, quia Iulius II. in Bulla *Dudum ad ſacrum*, quam *ſupra num.*5. retuli, conceſſit Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, eorumque vices gerentibus Ordinis Minimorum, vt poſſent reconciliare ſuas Eccleſias quomodocumque pollutas, quoties opus foret, *aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antiſtitem (vt moris eſt) benedicta*: ſimiliter quia Leo X. in Bulla *Religionis honeſtas, ſuprà num.*7. relata conceſſit Generalibus, Prouincialibus, Vicariis, Cuſtodibus, & Guardianis Ordinis Minorum, vt poſſent Eccleſias ſuas, *quoties opus fuerit* (inquit Pontifex) *aqua per vos, præſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas diſtantem adire non poteritis, benedicta, reconciliare liberè, & licitè*; ideo plures exiſtimare videntur poſſe hos Prælatos, & alios etiam reſpectiuè, 15

qui

Digitized by Google

qui cum eis communicant in priuilegiis, vti his conceſſionibus iuxta earum tenores in reconciliatione Eccleſiarum etiam conſecratarum. Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 19. art. 6.* Layman, *ſupra num. 12.* Antonius Nouarius *in ſumm. Bullar. tit. de pollut. Eccleſiar. num. 7.* Quod eſt ſatis rationi conforme. Primò, quia ad reconciliandum Eccleſiam non conſecratam non requiritur aqua ab Epiſcopo benedicta, ſed ſufficit iure communi aqua luſtralis, ſeu benedicta communia, prout tenet Syluester *ſuprà quæſt. 8.* Sotus *ſuprà*, Nauarrus *ſupra num. 156.* Suarez etiam *ſupra*, Miranda *dicto art. 8. concl. 1.* Aula *de Cenſuris part. 5. diſp. 7. dub. 4.* Barboſa *dicta Allegat. 28. num. 57.* & alij contra Tolerum *in Summa lib. 5. cap. 8. num. 9.* Cum ergo Pontifices in prædictis priuilegiis ad reconciliationem Eccleſiarum requirant aquam ab Epiſcopo benedictam, credendum eſt loqui de reconciliatione Eccleſiarum conſecratarum. Secundò, quia iure communi poteſt fieri reconciliatio Eccleſiæ non conſecratæ per ſimplicem Sacerdotem, prout tenent modò relati auctores, & alij quos refert Diana *part. 4. Reſol. 91.* vt ergo dicatur Pontifices aliquod priuilegium concedere in locis adductis, credendum eſt eos loqui de reconciliatione Eccleſiarum conſecratarum. Iure autem communi poſſe fieri reconciliationem Eccleſiæ non conſecratæ à ſimplici Sacerdote, & per aquam luſtralem communem, probant plures ex relatis authoribus *ex cap. ſi Eccleſia, de conſecratione*, adiuncta Gloſſa ibidem. Pontifex enim ait ibi: *Si Eccleſia non conſecrata cuiuſcumque ſemine fuerit, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lauetur, ne diuinæ laudis organa ſuſpendantur.* Illud enim *aqua protinus exorcizata lauetur*, ſatis denotat non eſſe expectandum ad id Epiſcopum, aut quod aqua ab ipſo benediceretur, aut benedicta mitteretur. Præſertim, quia ſi intendiſſet Pontifex ad id eſſe neceſſariam Epiſcopi auctoritatem, vel aquam ab ipſo benedictam, illud expreſſiſſet, quemadmodum fecit *in cap. aqua*, proximè præcedenti, vbi ſermo erat de reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ.

16 Ex quibus patet, quod ſi Eccleſia aliqua conſecrata Regularium polluatur, reconciliari poterit iuxta tenorem dictorum priuilegiorum per Prælatos relatos, vel alios ſimiles earum Religionum, quæ cum ipſis habent communicationem in priuilegiis. Circa illud autem verbum priuilegij Iulij II. ſcilicet *per aliquem Catholicum Antiſtitem*, &c. nota videri reuocatum à Concilio Trident. *ſeſſ. 6. de reformat. cap. vlt.* niſi forſan pro caſo neceſſitatis, iuxta dicta *ſuprà num. 5.* Similiter circa illud Leonis X. *per duas dietas*, nota quod dieta continet viginti milliaria, ſeu circiter ſeptem leucas, prout colligitur ex Gloſſa *in cap. nonnulli, de reſcript. verbo duas dietas.* Miranda *ſupra*, Barboſa *ſuprà n. 65.* Si verò Eccleſia quæ polluitur, non fuerit conſecrata, ſed tantum benedicta, reconciliari poteſt per quemcunque Sacerdotem, iuxta dicta. Licet decens ſit id fieri per Prælatos Regularium: imò, & quod de ea re admoneatur Epiſcopus, prout conſuetum eſſe refert Laymanus *ſupra num. 2. §. Addendum tertiò*, niſi caſus eſſet quod Eccleſia pollueretur dum Miſſa incepta eſt, tunc enim poterit ab ipſomet Sacerdote reconciliari, vt habent Suarez *ſuprà*, & Layman. loco relato. Pro forma autem reconciliationis Eccleſiæ vide Portellum *in dub. Regul. verbo Eccleſia, in addition.*

17 Contra dicta tamen obſtare videntur aliquæ declarationes S. Congregationis, quas affert Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Eccleſia.* In vna enim Placentina 19. Maij 1617. cui conſonat alia etiam Placentina (niſi forſan ſit eadem) quam affert verbo *Epiſcopus*, 19. Maij 1617. habetur, reconciliationem Eccleſiæ non poſſe fieri per ſimplicem Sacerdotem ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. In alia etiam Galtillenenſi 24. Septembr. 1605. id conceditur Vicario Generali attenta abſentia Epiſcopi, & in alia Rothomagenſi 13. Iulij 1601. dicitur id committi poſſe Abbati ſeu Decano, vel Sacerdoti in dignitate conſtituto, aqua tamen prius per Epiſcopum benedicta. Sed in his declarationibus ſermo videtur eſſe de reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ, & non benedictæ tantum. Nec obſtat, quod in alia Rhemenſi 9. Maij 1609. conceditur reconciliatio Eccleſiæ non conſecratæ cuidam Archidiacono, & in alia Hydruntina 15. Decembr. 1632. id videatur committi Vicario Capitulari. Reſpondeo enim, quod licet id poſſit competere ſimplici Sacerdoti, decet tamen quod id non faciant niſi Prælati, aut perſonæ in dignitate conſtitutæ, & propterea ipſis tantummodo hoc munus committit Sacra congregatio.

Pro Eccleſiarum debita reuerentia notanda eſt declaratio Sacræ Congregationis apud Dianam *5. part. in Collect. ipſar. num. 49.* vbi habetur: *Gubernator, & Magiſtratus recuſantes contra ſolitum accedere ad Eccleſiam Cathedralem, debitis remediis cogendi ſunt vt accedant.* Habes etiam declarationes Sacræ Congregat. Epiſcopor. & Regular. *in 1. tom. Summ. cap. 21. n. 34.* pro iis, quæ Regulares in ſuis Eccleſiis facere poſſunt. Item in eodem *1. tom. cap. 12. num. 21.* plures declarationes Sacr. Congregationis ad intentum. An & quando Altare exſecretur, ſeu violetur, exſecrata, ſeu violata Eccleſia, ſupra verbo *Altare, num. 21.* Item pro iis, quæ non licet facere in Eccleſiis ſuprà verbo *Cæmeterium, num. 2.* 18

EIECTI REGVLARES ab Ordine.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *Qualiter viuentes in ſæculo debeant eſſe.*
3 *An ſint ſuſpenſi ab exercitio Ordinum.*
An irregulares. ibid.
4 *Promoueri non poſſunt ad ſuperiores Ordines.*
5 *An caſu quo diſpenſentur, a quo Epiſcopo ordinari poſſint.*
6 *Quo titulo.*
7 *An ſint capaces beneficiorum.*
8 *In quo habitu debeant incedere.*
9 *An audiantur circa bona relicta Religioni.*
10 *Quid ſi eiecti ſunt propter crimina ſibi falsò impoſita.*
11 *Quid de Monialibus.*

DE Regularibus eiectis non pauca dicta ſunt *tom. 1. cap. 23.* ſed quia res eſt nouis difficultatibus implicita, alia addenda ſunt, videlicet de iis, quæ competunt huiuſmodi eiectis, quamdiu extra Religionem viuunt. 1

Et primò, iuxta dicta eo *cap. 23. num. 12.* prædicti eiecti tenentur in ſæculo exiſtentes viuere morigeratè, & aptos ſe reddere ad viuendum in Religione, ſi ad eam vocentur à Superioribus. Ratio eſt, quia per profeſſionem quam emiſerunt, obligarunt ſe ad perſeuerandum in Religione vſque ad mortem, nec per electionem ſunt ſoluti ab hac obligatione, ſed ſeparati ad tempus, donec corrigantur, propter crimina commiſſa, & ne aliis ſcandalo ſint. Ergo quantum ex parte ſua debent eſſe parati ad implendum id quod promiſerunt: ſed niſi ſe corrigant, & emendentur, non redduntur apti, vt admittantur, ſed potius reſiſtunt. Ergo. Sotus *7. de iuſt. quæſt. 2. art. 5. in ſolut. ad 3. dub. fin.* Aragon. *2. 2. quæſt. 88. art. 3.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 9. num. 25. & 30.* Bonacina *de clauſura quæſt. 2. punct. 12. §. 2. num. 1.* Fateor quidem Dianam, quem & ſequi videtur Ioannes Maria Nouarius *in lucern. Regular. verb. Eiecti à Religione, num. 3.* probabilem vocare 2

oppoſitam

Digitized by Google

oppoſitam ſententiam, quod an ita ſit alij viderint; mihi autem non ſatis probatur, propter rationem adductam, & quia *in cap. fin. de Regular.* innouato à Sacra Congregat. Concilij in decreto quod retuli dicto *cap.23. num.7.* præcipitur Prælatis Religionum, vt tales eiectos quærant & ad religionem reducant, quando ſalua Ordinis diſciplina admitti poſſunt; ex hoc enim infertur, nullum eiici poſſe tam in perpetuum, vt Religio non debeat illum admittere, ſi eſt correctus, ac proinde corrigi teneri, vt adimpleat quod in profeſſione promiſit. Vnde Naldus *in Summa verbo Religioſus, num. 8.* Nauarrum oppoſitum dicentem minus rationabiliter id conſuluiſſe aſſerit. Addit Bonacina relatus poſt Saytum, Sotum, & alios, hos eiectos teneri petere à Religione vt admittantur, quia ad id obligantur ex vi profeſſionis quam fecerunt, & in qua non ſunt diſpenſati.

3 Deinde, cum ex dictis ex Decreto Sacræ Congregationis eodem *cap.23. num.18.* conſtet taliter eiectos ſuſpenſos eſſe perpetuo ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinariis facultate cum ipſis diſpenſandi; certum eſt non poſſe Ordines quos habent exercere ſine Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione: an autem illos poſſint exercere ſi Prælati Religionis ipſorum habentes priuilegia ad diſpenſandum cum ſubditis in ſuſpenſionibus, vel cenſuris à Sede Apoſtolica impoſitis, quorum aliqua adduxi *tom. 1. cap. 18. num.36.* cum ipſis diſpenſent, dubiæ quæſtionis res eſt, & licet videatur id fieri poſſe, cum adhuc perſeuerante eiectione maneant aliquo modo ſubditi Religioni, ſiquidem eos tenetur quærere, aliquando etiam recipere, vt dictum eſt, nihilominus quia per electionem excluſi ſunt vt indigni à fauoribus Religionis, ideo credo non poſſe cum illis tales Prælatos diſpenſare, nec priuilegia eſſe ipſis conceſſa in ordine ad tales ſubditos. Vnde à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium in vna Vliſſiponenſi declaratum eſt, prædictos celebrare non poſſe, niſi præcedente diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. Nouarius *ſuprà, num.6.* Vide Sanchez *tom. 2. conſil. Moralium, lib.7. cap.1. dub. 24. num. 3.* Cum autem ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſi illos exerceant, fiant irregulares, vt communiter ſupponunt Doctores, & ex illis Coninck *tom.2. in 3. part. S. Thom. tract.5. de Irregularit. diſp. 6. dub. vnic. in principio*, ideo prædicti, ſi ſuos Ordines exerceant, fiunt irregulares, vt habent Bonacina *ſuprà, dicto punct. 12. §.6. num.4.* & Nouarius *ſuprà, num.5.* In qua irregularitate diſpenſari non poſſunt à Prælatis ſuarum Religionum, propter dicta; ſed ſolum vel à Papa, vel ſi delictum fuerit occultum ab Epiſcopo, propter decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 7.* Sanchez *dicto lib. 6. in Decalog. cap.6. num.39.* & loco proximè relato ex *tom.2. conſiliorum Moralium.*

4 Nec promoueri poſſunt ad ſuperiores Ordines. Tum, quia cui vetita eſt functio Ordinis, vetita etiam eſt illius ſuſceptio, cum Ordines ſuſcipiantur, vt exerceantur. (Bonacina *ſup.*) iſti autem prohibitum eſt functio cuiuſcumque ordinis, vt patet ex verbis Decreti S. Congregationis, *ſint perpetuo ſuſpenſi ab exercitio Ordinum.* Tum quia vt dixi eo *cap.23. num.18.* ſunt irregulares, quia infames, ſaltem infamia facti, vtpotè eiecti non ſolùm propter grauia delicta, ſed etiam propter incorrigibilitatem, ſine qua eiici non poſſunt, prout ex dicto decreto S. Congregationis retuli eo etiam *cap.23. num.4.* Idem dicendum de huiuſmodi eiectis, ſi alias non erant in Sacris conſtituti, ſcilicet non poſſe promoueri ad Sacros Ordines, propter dicta.

5 Caſu autem quo prædicti eiecti diſpenſentur in prædictis impedimentis, & alias habiles ſint, ita vt Ordines Sacros ſuſcipere poſſint, illos ſuſcipere debent ab Epiſcopo ſuæ originis, cum ſemper retineant hoc domicilium. Sanchez loco relato ex 2. *tom.1. conſil. Moral. num.2.* referens Nauar. Barb. *de offic. & poteſt Epiſcop. Allegat.4. num.21.* plures alios referens.

Ordinari autem debent non titulo Religionis, cum ab ea ſint expulſi, & ab ipſa ſuſtentari non debeant, nec titulo patrimonij proprij, cum illius non ſint capaces ratione voti paupertatis emiſſi, in quo non ſunt diſpenſati. Sanchez dicto *num.59.* Bonacina *ſup. n.4.* Sed titulo aliquorum reddituum ab Epiſcopo deſignatorum, qui ſint in proprietate Eccleſiæ, vel Epiſcopi, aſſignati tamen quoad vſum prædictis eiectis. Ita enim videtur arbitrandum ne cogantur mendicare. Rodriguez *tom.1. queſt. Regular. quæſt.30. art.14.* Sanchez *ſupra*, ex Nauarro. An verò titulo alicuius Beneficij ordinari poſſint, modo dicetur. 6

Non ſunt capaces iſti eiecti Beneficij cui annexum ſit alicuius Ordinis exercitium, cum enim ſuſpenſi maneant ab exercitio Ordinum, incapaces erunt Beneficij cui annexa eſt functio talium Ordinum, Bonacina *ſup.* Beneficij autem, ſiue ſimplicis, ſiue penſionis, quibus annexum non fuerit Ordinum exercitium, incapaces non ſunt, & ita ratione illorum ſi ipſis concedantur ab habente facultatem, ordinari poterunt ſublatis dictis impedimentis. 7

Eiecti à Religione vigore dicti decreti, quovſque in ſæculo ſtant, ſi in Ordinibus etiam minoribus conſtituti ſint, tenentur incedere in habitu clericali. Ita enim declarauit Sacra Congregatio 1. Aprilis 1628. apud Nouarium relatum *num. 7.* Eſtque huiuſmodi declaratio ad mentem prædicti decreti, in quo etiam dicitur: *Eiecti quandiu non redierint ad Religionem in habitu Clericali incedant.* Ex quo collige, Conuerſos ab Ordine expulſos non teneri incedere in habitu Clericali, cum nec in minoribus ſint conſtituti. [Quamuis autem eo *cap.23. num.17.* dixerim eiectos non teneri portare habitum Religionis à qua ſunt eiecti, cum illo ſint iuridicè priuati in pœnam ſuorum delictorum, imo non debere illum portare, prout ibi ex Suarez retuli, quia hoc cederet in dedecus Religionis; nihilominus caſu dato quod Religio eos eiiciens propter aliquam rationabilem cauſam ipſos habitu non priuaret, tenentur ad illum portandum, cum verè Religioſi ſint, nec habitu priuati, & alias poſſint extra Religionem viuere cum illo, quemadmodum Epiſcopi è Religionibus aſſumpti extra illas viuunt cum Religionis habitu. Ita Sanchez *lib.6. in Decal. cap.9. num.55.* ex Rodrig. & Sayro, & Tamb. *de iure Abbat. tom.3. diſp.8. quæſt.8. num.10.*] 8

Prædicti eiecti à Religione tanquam incorrigibiles non audiuntur ſi velint venire aduerſus renunciationem bonorum factam ex cauſa ingreſſus Religionis. Ita enim ex Rotæ quadam deciſione refert Nouarius *ſuprà, num.14.* Eſtque ſatis conforme iis, quæ dixi eo *cap.33. num.14.* Quibus adde, quod cum prædicta adquiſita ſint Religioni, non debet ipſis priuari illa ex cauſa, præſertim quod aliàs ex ſuo delicto commodum maximum reportarent eiecti, & ideirco etiam plures eiectionem procurarent. 9

Si aliqui eiecti ſunt à Religione propter crimina falſa, quæ ipſi ſibi impoſuerunt, non ſunt ſecuri in conſcientia extra illam, ſed veri apoſtatæ. Ratio eſt, quia talis eiectio eſt inuoluntaria, & fraudulenta, vtpotè fraudibus, & falſitatibus extorta, & propterea nihil ipſis ſuffragatur. Sanchez *dict. lib.6. in Decalog. cap.9. num.67.* Vnde tenentur detegere fraudem, & redire ad Monaſterium. Bonacina *ſuprà, §.1. num.13.* Secus dicerem, quando commiſerunt crimina eo animo vt eiicerentur, etſi enim intentio illa peccaminoſa valde fuerit, poſita tamen eiectione, liberi ſunt ſicut alij. Quia tamen iuxta dicta ſupra *num. 2.* tenentur extra Religionem moderatè viuere, vt reducantur ad illam, parum illis prodeſt ſua malitia. 10

Moniales quamtumuis incorrigibiles non poſſe eiici à Religione dixi ſupra verbo *Clauſura, num. 15.* in 11

caſu tamen quo de Papæ licentia eiicerentur, philoſophandum de illis erit reſpectiuè, ac de viris electis, quantum ad obligationem votorum, Regulæ, Obſeruantiarum, &c. iuxta dicta eo *cap.* 23. *à num.* 11. [Vide duo decreta Sacræ Congregationis Concilij pro Ordine Minimorum *in Addiamentis ad Peniuus, decreto* 1. *&* 2. in quorum 1. habetur, quod illi qui detinentur in carceribus, vt anno tranſacto eiiciantur, ſi incorrigibiles inueniantur; quando ex carceribus fugiunt puniri debent pro fuga, & poſſunt ferrea cuſtodia detineri. Quo denotatur non poſſe eiici ante impletum annum carceris. In ſecundo verò conceditur Generali Minimorum, vt loco ſex Patrum eligendorum in Capitulis Generalibus, de quorum Conſilio poſſunt eiici incorrigibiles, poſſit in Conuentibus immediatè ſibi ſubiectis vltra tres ipſius collegas, loco Prouincialis, & duorum ipſius Collegarum, qui iuxta decretum cuiuſdam Capituli Generalis aſſumendi erant, Procuratorem Generalem, Superiorem Conuentus, eiuſque Socium ſeniorem ad id munus aſſumere. Vide dicta *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 8.]

ELECTIO INTER REGVLARES.

S V M M A R V I M.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Seruari debere in electionibus Regularium formam capit.* Quia propter.
An in omnibus electionibus. ibid.
3 *Quid de electionibus, quæ fiunt per compromiſſum, & per communem inſpirationem.*
4 *Quid quando duo, vel tres ſolum ſunt in aliqua communitate.*
5 *Qui & quomodo vocandi ad electionem.*
6 *Quid ſi aliquis ex electoribus contemptus ſit.*
7 *De deſignatione Procuratoris ad eligendum.*
8 *De conditionibus eligentium.*
9 *Electio Prælati non facienda ante prædeceſſoris ſepulturam.*
10 *Qualiter Spiritus Sancti adiutorium inuocandum ſit.*
11 *De ſecreto ſeruando in electionibus.*
12 *De libertate ad ipſas requiſita.*
13 *Quo tempore petenda eſt confirmatio.*
14 *Hymnus* Te Deum laudamus, *in fine electionis an ſit de eſſentia.*
15 *De qualitatibus eligendorum.*
Alia remiſſiuè. ibid.
16 *De ſociis Priorum, ſeu Guardianorum.*
17 *Decretum Sacræ Congregationis pro Minoribus de obſeruantia.*
18 *An conſuetudo laudabilis.*
19 *Dubium aliud de electione cuiuſdam ſocij pro quodam Capitulo Generali.*
20 *Factum quale fuerit.*
21 *Talis ſocij electio non videtur legitima.*
22 *Quia electus erat definitor.*
23 *Ex mente Conſtitutionis.*
24 *Dictio* nullus, *nullitatem actus importat.*
25 *Clauſula* nullus poteſt, *eſt ſimilis illi* non poteſt.
26 *Non obſtant alia verba Conſtitutionis.*
27 *Explicatur conſtitutio.*
28 *Qui caſualiter abeſt, abeſſe non dicitur.*
29 *Expenditur alia Conſtitutio.*
30 *Alius locus Conſtitutionum.*
31 *Verba* ſtatuto tempore, *ad quodcumque tempus referenda.*
32 *Ex natura definitoriatus.*
33 *Regimen huius Religionis non eſt monarchicum.*
34 *Ius commune id præſcribit.*
35 *Alia Conſtitutio.*
36 *Occurritur obiectioni in contrarium.*
37 *Quomodo intelligatur illud: Subrogatum ſapit naturam eius, cui ſubrogatur.*
38 *Occurritur alij obiectioni.*
39 *Ex alia Conſtitutione.*
40 *Doctrina S. Thomæ ad intentum.*
41 *Diffinitores habent votum deciſiuum.*
42 *Quomodo applicandum ad intentum illud, Ceſſante cauſa, ceſſat effectus.*
43 *Solutio ſecundi dubij.*
44 *Electio inhabilis nulla eſt ipſo Iure.*
45 *Non obſtat conſtitutio quædam, quæ adducitur.*
46 *Expoſitio ipſius.*
47 *Ille Magiſter erat etiam Commiſſarius generalis.*
48 *An cenſendus Conuentualis illius Conuentus.*
49 *Mendicantes vocantur Religioſi, etiamſi actu non mendicent.*
50 *Regula neceſſarium, de regulis Iuris.*
51 *Exemplum aliorum abſentium.*
52 *Decretum Generalis.*
53 *Admiſſio talis Magiſtri pro legitimo ſuffragatore.*
54 *Aliud dubium circa materiam electionis.*
55 *Caſus dubij.*
56 *Electiones contra ſtatuta Prouinciæ caſſantur à Generali.*
57 *Caſſantur electiones factæ contra modum præſcriptum in Conſtitutionibus.*
58 *Praxis, & ſtylus S. Congregationis.*
59 *Poteſt Generalis creare nouum Prouincialem.*
60 *Quia prima prouiſio non eſt ſortita ſuum effectum.*
61 *In prouiſionibus ſolus effectus attenditur.*
62 *Verba diſpoſitionis intelliguntur cum effectu.*
63 *Idem eſt actum eſſe nullum, & non eſſe effectuatum.*
64 *Præſertim in gratiis factis a Papa.*
65 *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.*
66 *Occurritur obiectioni cuidam.*
67 *Parum iuuat habere prouiſionem Apoſtolicam, ſi non habet effectum.*
68 *Prouiſio ſine effectu, eſt ſicut corpus ſine anima.*
69 *Maximè in fauorabilibus, & gratioſis.*
70 *Et quando ſunt in Eccleſiæ fauorem, vel publicam vtilitatem.*
71 *Occurritur cuidam obiecto.*
72 *Quando prouiſio valet etiam pro ſecunda vice.*
73 *Occurritur alteri obiectioni.*
74 *Factum non reputatur, quod non habet effectum.*
75 *Factum non dicitur, dum aliquid addendum ſupereſt.*
76 *Quando aliquis cenſeatur ſuperior ſecundum ſtylum Religionum.*
77 *Poſſeſſio, & quaſi poſſeſſio, quando contingant.*
78 *Quæ conditiones ad illam requirantur.*
79 *Poſſeſſio ex actu æquiuoco non releuat.*
80 *Authoris ſubmiſſio.*
81 *Aliud dubium de quodam Capitulo, vbi erant quinque vocales.*
82 *Poteſt fieri electio.*
83 *Electionis definitio.*
84 *Ex nullo capite vitiata eſt hæc electio.*
85 *Quodlibet Collegium poteſt eligere.*
86 *Non obſtat paucitas habentium vocem paſſiuam.*
87 *Quid quando ſunt duo, aut tres eligibiles.*
88 *Colligitur ex electione Sancti Mathiæ.*
89 *Et declaratione quadam Sacræ Congregationis.*
90 *Quando ſaluetur eſſentia electionis.*
91 *Non obſtat huic electioni defectus ſecreti, & libertatis.*
92 *Quia lex non obligat, quando ſeruari non poteſt.*
93 *Adhuc ex alio capite ſaluatur ſecretum.*
94 *Quia vota non publicantur ex culpa, vel dolo.*
95 *Quomodo in illa ſaluetur libertas.*
96 *An electiones Regularium fieri poſſint per Procuratorem.*

97 *Votum*

97 *Votum non poteſt exprimi per litteras.*
98 *Quid ſi oppoſitum habeatur per conſtitutiones approbatas.*
99 *Quid, quando aliquis electus eſt infirmus.*
100 *De quibus infirmis eſt intelligenda quædam Conſtitutio Ordinis Prædicatorum.*
101 *Inſtitutio Procuratoris, ſtando in Iure communi admittitur.*
102 *Probatur ex Iuribus, & Doctoribus.*
103 *Poſſunt etiam conſtitui plures Procuratores.*
104 *Quando elector eſt abſens à loco, vbi fit electio.*
105 *In aliis negotiis ab electione etiam præſens poteſt conſtituere Procuratorem.*
106 *Quid cum elector in eſt ea Ciuitate.*
107 *Alia conditio eſt, quod elector ſit impeditus.*
108 *Quæ cauſa efficiant hoc impedimentum.*
109 *Quomodo debeat conſtare de hoc impedimento.*
110 *Quid ſi Capitulum non credat Procuratori.*
111 *Quid poſſit tunc Capitulum.*
112 *Poteſt Capitulum admittere Procuratorem, etiamſi mandans non ſit legitimè impeditus.*
113 *Iſte Procurator debet eſſe vnus de Collegio.*
114 *Subrogans, & ſubrogatus debent eſſe eiuſdem qualitatis.*
115 *Poteſt admitti procurator, etiamſi non ſit de gremio Capituli.*
116 *Habere tamen debet conditiones requiſitas pro Gremialibus.*
117 *Poteſt habere duas voces, ſeu ferre duo ſuffragia.*
118 *Tenetur dare illa vni ſoli.*
119 *Quid pro caſu, quo principalis mandaſſet Procuratori, vt det ſuum votum determinatæ perſonæ.*
120 *Quid poſt Concil. Trident.*
121 *Quid pro caſu, quo inter eligendos eſſent aliqui omnino æquales.*
122 *An admittendus ſit caſus.*
123 *Subſiſtantne iſta poſt Concilium Tridentinum.*
124 *Quid ex declarationibus Sacræ Congregationis.*
125 *Stando in Iure communi poſſunt admitti Procuratores, ſi habeant conditiones neceſſarias.*
126 *Declaratio alia Sacræ Congregationis.*
127 *Etiam poteſt hoc fieri, quando in aliqua Religione id permittitur.*
128 *Secus quando non permittitur.*
129 *Quid de Carmelitana Religione, propter conſtitutiones quaſdam.*
130 *Reſponſio ad quandam obiectionem de caſu, quo contigit contrarium.*
131 *Admiſſus tunc fuit quidam veluti extraneus, quod fieri potuit.*
132 *Videtur vtile, & conueniens Religionibus.*
133 *An probabile ſit contrarium.*
134 *Ius commune eſt priuilegiatiſſimum.*
135 *Praxis moralis de electione.*
136 *Electio antiquiſſima inter homines.*
137 *Conuenienter fit reſpectu electionum Prælatorum.*
138 *Nunquam deficit in ſtatu Eccleſiaſtico, & Regulari.*
139 *Plurimi etiam Reges, & Principes per electionem aſſumebantur.*
140 *Aliqua remiſſiuè ad inuentum.*
141 *Cuius virtutis actus ſit electio.*
142 *Ad illam requiritur præciſio finis, & conſultatio de mediis.*
143 *Quis ſit finis electionis canonicæ.*
144 *Solicitudo ſalutis animarum.*
145 *Identitas eligendorum.*
146 *Boni Prælati conditiones.*
147 *Omne tulit punctum qui miſcuit clementiam cum auſteritate.*
148 *Scientia, virtus, & prudentia pro Prælatis requiritur.*
149 *De conditionibus ſubiecti eligibilis.*
150 *Ambitio prohibet eligi quemquam ad Prælaturas.*
151 *Crimen etiam ſimoniæ.*
152 *Præferendi digniores.*
153 *Decretum Concilij Tridentini.*
154 *Decretum Innocentij III.*
155 *Decreta Clementis VIII. & Vrbani VIII.*
156 *Aurea verba Diui Hieronymi.*
157 *Alia Iura, & fundamenta.*
158 *Non eſt tutus in conſcientia qui deſerit digniorem.*
159 *Qui præfert dignum meliori eſt periurus.*
160 *Maior dignitas ſumitur ex moribus, doctrina, & prudentia.*
161 *Scientia eſt valde neceſſaria.*
162 *Ignorantia errorum mater.*
163 *Requiritur aliqua negotiorum temporalium diſcretio.*
164 *Qui doctior, ſanctior, & prudentior, eſt cenſendus dignior.*
165 *Nec doctrina abſque ſanctitate, & prudentia, nec ſanctitas abſque doctrina ſufficit.*
166 *Quid ſi aliquis eſt minus doctus, & magis ſanctus, aut vice verſa.*
167 *Primis temporibus eligebantur Prælati cum teſtimonio Populi.*
168 *Forma præſcripta in cap. quia propter, de elect.*
169 *Quomodo fiat.*
170 *Per modum compromiſſionis.*
171 *Per inſpirationem.*
172 *Explicatur decretalis.*
173 *Quid ſit tractatus.*
174 *Quomodo faciendus.*
175 *Explicatur hic author.*
176 *Cauenda eſt ſubornatio.*
177 *Declaratio S. Congreg.*
178 *Decreta Clementis VIII. & Vrbani VIII.*
179 *Malitia ſubornationis, & ambitionis.*
180 *Ad Deum recurrendum.*
181 *An liceat præferre minùs dignum digniori.*
182 *Omnes abſentes an ſint vocandi.*
183 *An poſſint conſtituere Procuratorem.*
184 *Quas conditiones habiturus eſt.*
185 *Quid ſi abſens eſt ægrotus in loco vbi fit electio.*
186 *Quæ alia animaduertenda in huiuſmodi Procuratore.*
187 *Forma cap. quia propter, vniuerſaliter ſequenda.*
188 *Item quod præcipit Concilium circa ſecretum.*
189 *Eſt ſupplementum Iurium antiquorum.*
190 *Strictè ſeruandum decretum.*
191 *An irrita reddatur electio, ipſo non ſeruato.*
192 *De hoc decreto remiſſiuè.*
193 *Validus eſt vſus Procuratorum.*
194 *Pro Monialibus quid ſtatuat Concilium.*
195 *Quæ aduertenda.*
196 *Alia circa formam electionis.*
197 *Scrutatores quales eſſe debeant.*
198 *De illis remiſſiuè.*
199 *Quæ ſpectent ad illos.*
200 *Vota danda abſolutè, non conditionatè, neque incertè.*
201 *Alia remiſſiuè.*
202 *Compromiſſum quomodo faciendum.*
203 *Forma inſpirationis.*
204 *Solutio difficultatum, quæ occurrere ſolent.*
205 *An ſit in poteſtate ſuffragatorum non ſuffragari.*
206 *De cauſa efficiente electionis.*
207 *Debent electores maturo tempore vocari.*
208 *Qui priuentur Iure eligendi.*
209 *Nemo poteſt ſeipſum eligere.*
210 *Eligentes debent eſſe in ſacris ordinibus.*
211 *Non irretiti Cenſuris.*
212 *Qui alij priuentur Iure eligendi.*
213 *De conſenſu electi.*
214 *Qualiter requiratur.*
215 *Quid ſi recuſetur electio ab electo.*
216 *De confirmatore electionis.*
217 *Quos effectus habeat.*

218 *Quo tempore obtinenda.*
219 *Quibus mediis ſolicitanda.*
220 *An electio coarctari poſſit electoribus.*
221 *An libertas illius limitari poſſit.*
222 *Superior poteſt excludere aliquos ab electione paſſiua.*
223 *Non eſt contra libertatem electionis ſi reſtringatur ad certum genus perſonarum.*
224 *Quid ſi reſtringatur ad certas perſonas nominatim.*
225 *Alia remiſſiue.*
226 *Corollaria ex electione.*
An elector poſſit vti ſcientia habita per confeſſionem Sacramentalem ad non eligendum aliquem, ibid.
227 *Poſſunt recurrere in aliquo caſu electores ad remedium poſtulationis.*
228 *An poſtulari poſſint Bigami, crimioſi, Irregulares.*
229 *An peccator publicus.*
230 *Alia Corollaria praxis electionum.*

1 ETſi de hac materia non pauca dictæ ſint *tom. 1. Summ. cap. 15. & tom. 2. cap. 12. & 13.* aliqua tamen addenda ex Sacr. Congregationis præſertim, & Rotæ deciſionibus, quia res eſt valdè familiaris inter Regulares, & nouis quotidie difficultatibus expoſita.

2 Primò ergo id quod ſuppoſui dicto *tom. 1. cap. 15. num. 11. & tom. 2. cap. 12. num. 25.* ſcilicet, in electionibus Prælatorum Regularium obſeruari debere formam præſcriptam *in cap. Quia propter, de elect.* firmatum eſt à Rota in vna Treueren. Abbatiæ S. Maximi coram Illuſtriſſ. D. Coccino 20. Nouembris 1624. & in alia Metenſi Monaſterij coram eodem 5. Iunij 1521. prout refert Nouarius *in lucern. Regular. verb. electio, num. 12.* Idque ſupponitur in alia Treuerenſi coram eodem Illuſtriſſ. Coccino 24. Ianoarij 1625. quam refert ad verbum Tamburin. *de iure Abbat. tom. 1. diſput. 5. quæſit. 1. ſub num. 6.* Etſi enim in dicto capite ſolum videatur eſſe ſermo de electione Epiſcoporum, quia ibi agitur de Eccleſiis viduatis, ſoli autem Epiſcopi ſint ſponſi Eccleſiarum, *cap. ſicut 21. quæſt. 1.* Nihilominus, quia etiam Eccleſiæ Regulares dicuntur viduatæ mortuo Prælato, *cap. ne pro defectu, & cap. officij, de elect.* ideo Regularium etiam Prælatorum electiones eo capite comprehenduntur. Ita ex antiquioribus Doctoribus ſupponit Bacconius noſter *in 4. diſtinct. art. 2.* & ex Recentioribus poſt plures alios Barboſa *de iure Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 19. num. 150.* & ſequentibus. Vnde electiones celebratæ contra formam dicti *cap. Quia propter*, irritæ ſunt, & nullæ, prout ex ipſo texto habetur, vbi dicitur, *Alias electio facta non valeat*, & deciſum eſt à Rota Tambur. *ſuprà, quæſit. 5. num. 5.* Etiamſi Religio habeat priuilegium in contrarium, ſi per illud non ſit reuocatum expreſsè dictum *cap. quia propter*, quia iſtud caput continet Conſtitutionem Concilij Generalis Lateranenſis ſub Innocent. III. cuius decreta nunquam cenſetur derogatum per clauſulas generales, niſi fiat expreſſè mentio illorum. Sigiſmundus à Bononia *de elect. & poteſt. Prælat. Regular. dub. 4.* Tambur. *ſuprà, n. 7.* ex variis etiam Rotæ deciſionibus. Nec poſſunt Capitula Regularia etiam Generalia, aut Prælati etiam Generales, ſupplere defectus contingentes in electionibus ob non ſeruatam formam dicti capitis, quia vt dixi, continet Conſtitutionem Concilij Generalis, cui ſunt inferiora quæcumque Capitula, & quicumque Prælati Regularium. Sigiſmundus de Bononia *ſuprà*, Barboſa *ſuprà, num. 165.* Quod vero prædictæ forma obſeruari non debeat in electionibus Definitorum, ſeu Sociorum, & ſimilium, ſed tantum in electionibus Prælatorum, tenet Iulius Lauorius *variar. lucubrat. tom. 2. tit. 4. c. 19. num. 7.* nec contradicit Barboſa *ſuprà, num. 154.* Licet in hoc ſeruari debeant iura Religionum, ſicut in noſtra Conſtitutiones ordinis, & quod decreuit Reuerendiſſim. Pater Theodorus Stratius Generalis in forma celebrandi Capitula, quam attuli *tom. 2. Summa, cap. 12.* *à num. 55.* [Notæ tamen quod quamuis vt dictum eſt, in electione facta per modum ſcrutinij ſeruari debeat forma *cap. Quia propter*, ita vt aliàs electio ſit nulla, & irrita, hoc tamen probabiliter limitandum eſt, vt ſolum ſit verum pro foro externo; non pro interno conſcientiæ: ſi tamen quæ de Iure diuino, aut naturali requiruntur ad electionem obſeruata fuerint, qualis eſt liber conſenſus maioris partis eligentium. Ratio eſt, quia illæ ſolennitates Iuris poſitiui *cap. Quia propter*, vel ſimiles ſolùm adinuentæ ſunt ad cauendum ne in electionibus deeſſet præfatus conſenſus, & ita ſi adſit, non eſt de defectu illarum ſolennitatum curandum. Innocentius *in cap. Cum iure, & cap. Quod ſicut, de elect.* quem ſequuntur communiter Doctores, ſpecialiter Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 27. art. 30.* Sà *in Summa, verb. electio, num. 5.* Sigiſmundus *ſuprà, dub. 3.* ex Rotæ deciſione & aliis DD. Vnde electus contra formam canonicam *dict. cap. Quia propter*, ſed ſeruatis conditionibus Iure diuino & naturali requiſitis, ſi confirmatus ſit, poteſt in conſcientia exercere ſuum officium, nec tenetur illud renunciare. Miranda, & Sigiſmundus *ſuprà*, ex Innocentio, Bellamera, Panormitano, Syluestro, & aliis.]

Cum autem in dicto *cap. Quia propter*, non ſolum approbentur electiones per modum ſcrutinij, ſed etiam illæ, quæ fiunt per compromiſſum, & per communem inſpirationem, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 11.* ideo omnes illæ iure communi ſunt validæ, & licitæ inter Regulares, nec reuocatæ à Concilio Tridentino, vt ibi etiam dixi. Quia tamen à Sacra Congregatione declaratum dicitur electionem Prælatorum Regularium ita fieri debere per vota ſecreta, vt non poſſit fieri per viam compromiſſi, aut inſpirationis, vt referunt Garzia *de beneſic. part. 5. cap. 4.* Caſtellinus *de elect. cap. 7. num. 4. §. Ad quorum*, Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub. 2. num. 7. & dub. 31. num. 14. §. & inſuper*, ideo cautè procedendum Regularibus, maximè ſi de hac declaratione authenticè conſtet. Nota tamen quod compromiſſum mixtum ſcrutinio, quod contingit quando compromiſſarij exquirunt vota ſingulorum, & eum eligunt in quem ſanior, & maior pars conſenſerint, legitimum eſt, & Canonicum, prout habet Rota ſupra relata in vna Treuerenſi 24. Ianuarij 1625. §. *Quantum attinet.* 3

Cum electio Prælatorum Regularium, iuxta dicta eo *cap. 15. num. 1.* ſpectet ad ipſos Regulares, ſi duo, vel tres ſolùm eſſent in aliquo Collegio, ad illos ſpectaret, vt ibi etiam dixi. Adde, quod ſi poſtquam Collegium in duobus ſaltem fuerit conſtitutum, ad vnum reducatur, aliis mortuis, priuatis, ſuſpenſis, vel excommunicatis, ad illum deuolueretur ius eligendi, quia vt dixi eo *cap. 15. num. 6.* in tali caſu ille ſolus repræſentaret totum Capitulum, prout ex variis Rotæ deciſionibus, & ex aliis auctoribus afferunt Tamborinus *ſuprà, quæſt. 8. num. 3. 4. & 5.* Barboſa *ſuprà, num. 6.* Non tamen ille poſſet ſe eligere, vt dixi eo *n. 6.* nec conuenit quod ipſe procedat ad electionem, iuxta dicta ibidem *num. 8.* 4

Ad electionem vocandi ſunt omnes præſentes per ſigna ſolita, ſiue campanæ, ſiue viuæ vocis, & abſentes per litteras, vel nuncium, iuxta Religionum ſtatuta, vel conſuetudines, *cap. in Geneſi, cap. inter cunctas, cap. Quia propter, de elect.* Miranda *in Manual. tom. 2. quæſt. 23. art. 6. concl. 2.* Tamburinus *ſup. quæſit. 3. num. 10.* Pro tenore autem litterarum citationis vide Sigiſmundum de Bononia *ſuprà, dub. 9. num. 3. §. litteras autem.* Et nota, quod nuncio, præſertim iurato, creditur an aliquis ex vocalibus abſens ſit vocatus, necne. Gloſſa *verb. vocatos, in cap. quod ſicut 28. de elect.* Caſtellinus *ſup. cap. 8. n. 18.* Qualiter autem poſt aſſignatum terminum ad eligendum, ſi aliqui non comparerent, non ſine amplius expectandi, dixi eo *n. 8.* Quod tamen intellige 5

ſi

ſi ſine incommodo expectari non poſſint, & non ſit aliqua rationabilis cauſa detentionis eorum, pluuia ſcilicet, vel ſimilis, & Præſidens Capituli pro certo haberet eos longè abeſſe, aliàs doloſe facta credi poteſt acceleratio electionis. Sigiſmundus de Bononia *ſuprà*, *dub.* 13. *num.* 7. Barboſa *ſuprà*, *num.* 98. ex Rodriguez, & aliis.

6 Si aliquis ex legitimis electoribus contemptus fuit, id eſt non vocatus ad electionem, poteſt illam irritam facere, *cap. Quod ſicut*, *de elect.* ita vt ſi ipſam tacitè, vel expreſsè non ratificet, electio per ſententiam retractanda eſt, & ea caſſata omnes electores ad eam noniter celebrandam conuenire debent. Lauorius *dicto tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. Tamburin. *dict. quæſit.* 3. *num.* 2. & 3. [Vnde Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium 2. Martij 1635. annullauit quoddam Capitolum Auguſtinianorum propter prohibitionem factam quibuſdam Gremialibus, ne eidem aſſiſterent.] Non tamen talis electio eſt ipſo iure nulla, ſed ſolum contempto poſtulante annullanda, *cap. bonæ* 2. *de elect.* Bacconius noſter *ſuprà*. Lauorius *ſup. num.* 17. Nec votum ipſius contempti aliis accedens poteſt facere vt electio, quæ aliàs nulla fuit, ratificetur. Lauorius *ibid. num.* 12. Barboſa *ſup. num.* 314. Reclamatio etiam contempti facienda eſt ante confirmationem electionis, niſi adſit ignorantia, quia tunc etiam poſt confirmationem reclamare poterit. Lauorius *ibid. num.* 14. Sigiſmundus de Bononia *ſup. dub.* 10. *num.* 4. & 5. Addit idem Lauorius *num.* 15. ſolum eum qui neglectus eſt, & non alium de contemptu agere poſſe.

7 Iuxta dicta etiam eo *cap.* 15. *num.* 9. deſignatio Procuratoris ad ferendum ſuffragium in electionibus non eſt contra ius commune, licet in hoc conſeruari debeant ſtatuta, & conſuetudines Religionum. Pro quo extant hæ declarationes Sacr. Congregationis. Prima. *Procuratores legitimè conſtituti cum generali mandato ad eligendum ab iis qui legitimè impediti ſunt, non excluduntur, dummodo non habeant ſpeciale mandatum de eligenda certa perſona, quia tunc votum non poſſet eſſe ſecretum.* Garzia *de benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 200. Sigiſmundus à Bononia *ſupr. dub.* 14. *num* 9. Secunda eſt: *Non eſt prohibitum Superioribus Ordinum, quibus id ex Regula conceditur, vt aliquem fratrem idoneum ſuo loco delegent, ſeu mittant ad Capituli Generalis celebrationem, vt ſuo nomine electionem faciat, ſi ex inſtitutis, & decretis ſuæ Religionis, licet Superioribus abſentibus, & legitimè impeditis mittere alium ad Capitulum Generale, qui ſuo loco, & nomine in electione ſuffragium ferat.* Caſtellinus *ſup. cap.* 5. *num.* 98. Tamburinus *ſup. quæſit.* 4. *num.* 9. Vt ergo id fieri poſſit obſeruandæ ſunt conditiones à S. Congregatione adductæ, & vlterius quod Rota in vna Calagurritana Beneficij 13. Nouembr. 1620. coram Vbaldo declarauit, videlicet, tria requiri ad hoc vt votum abſentis per Procuratorem poſſit ſuſtineri, primò quòd ſit in loco vnde euocari poſſit: ſecundò, quod iuſto impedimento detentus ſit: tertiò, quod Procurator habeat mandatum ad iurandum ſuper dicto impedimento. De quibus ex antiquioribus Bacconius ſupra, & ex Recentioribus Iulius Lauorius *ſup. titul.* 4. *cap.* 17. *num.* 30. 34. & 44. Barboſa *ſup. n.* 108. 109. & 110.

8 De conditionibus, quas debent habere eligentes, & impedimentis propter quæ priuantur iure eligendi, dixi eo *cap.* 15. *n.* 2. 3. 4. 5. 6. & 7. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *à n.* 29. Nota tamen, quod licet dicto *cap.* 15. *num.* 5. dixerim, irregulares non poſſe eligere ex *cap. is qui*, *de ſentent. excommunicat. in* 6. quod plures alij ſequuntur. Nihilominus Nauar. *in Man. cap.* 27. *num.* 244. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 40. *ſect.* 2. *num.* 17. & plures ex Recentioribus oppoſitum tenent ſatis probabiliter. Pro eo autem quod dixi *d. cap.* 15. *num.* 6. & *dict. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 29. circa admiſſionem inhabilium ad electionem, vide dicenda infra verbo *Excommunicatio*, *num.* 31.

Electio Prælati non eſt facienda antequam mortuus prædeceſſor traditus ſit ſepulturæ, *cap. nullus*, *diſt.* 79. *cap. bonæ* 2. *de elect.* Rodrig. *tom.* 2. *quæſt. Regular. q.* 52. *art.* 14. *in princip.* Miranda *tom.* 2. *Manual. quæſt.* 23. *art.* 10. *concl.* 1. Et quamuis Rodriguez *ibid.* ex multis aliis dicat talem electionem validam non eſſe, nihilominus Miranda ſequens Syluestrum *in Summ. verb. Elect.* 1. *quæſt.* 6. meritò oppoſitum tenet. Caſu etiam quo in rigore iuris prior ſententia tenenda eſſet, in caſu tamen vrgentis neceſſitatis, v. g. quando timeretur magna vis, aut violentia alicuius Principis, poſſet accelerari electio. Rodriguez, & Miranda ibidem. Afferunt etiam priuilegium Clem. IV. pro Minoribus, quo ipſis concedit, quòd in electione Prælatorum non aſtringantur quoad tempus iuris Regulis. Sed nota, quod hoc priuilegium refertur à Caſſarub. *in Comp. priuileg. Mendicant. verb. Electio*, *num.* 4. & illud tantum eſt pro electione Generalium, & Prouincialium, non pro electione Prælatorum immediatorum. 9

De modo faciendi electionem iuxta *cap. Quia propter*, dixi *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 27. & 28. & latè tractant Bacconius ſupra, & ex Recentioribus Tamburinus *ſup. quæſit.* 6. & Barboſa *ſup. à num.* 167. Nunc addendum, Spiritus Sancti adiutorium eſſe ante electionem inuocandum, vt habetur ex *cap. cùm in terra*, & *cap. cum inter* 2. *de elect.* Quamuis autem aliqui exiſtiment hanc Spiritus Sancti inuocationem per Miſſæ ipſius celebrationem, omnibus Gremialibus aſſiſtentibus, eſſe de ſubſtantia electionis, propter decretum Concilij Baſileenſ. *in pragmat. ſanct.* 6. *cum humana fragilitate*, prout ex Petro Biaxio ſequi videtur Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regula*, *quæſt.* 31. *art.* 1. Verius tamen eſt id non eſſe de ſubſtantia electionis, ſed ſolum de ſolemnitate ipſius. Sigiſmundus de Bononia *ſuprà*, *dub.* 39. *num.* 5. Tamburinus *ſuprà*, *dict. quæſt.* 6. *num.* 28. Si tamen in aliqua Religione eſſet Conſtitutio de hoc cum clauſula irritante electionem, talis electio irrita eſſet. Barboſa *ſuprà*, *num.* 18. 10

Eſt autem facienda electio omnino ſecreta, iuxta dicta ex Concil. Trident. *eo cap.* 15. *num.* 27. & *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 34. Adeo vt nec ignorantia talis decreti Concilij excuſet aliter facientes, prout decìſum à Sacra Congregat. referunt Riccius *in deciſ. Curiæ Archiepiſc. Neapolit.* 397. *num.* 7. *part.* 4. Nouarius *in lucern. Regular. verb. electio*, *num.* 5. Similiter ſi poſt electionem factam in litteris ſeu patentibus confirmationis exprimerentur nomina eligentium, inualida redderetur, prout etiam decìſum à Congregatione referunt Caſtellinus *de elect. cap.* 4. *num.* 61. Nouarius *ſuprà*, *num.* 1. Reddi etiam nullam, ſi vel vnum tantum votum publicetur, eſt etiam decìſum à Rota in vna Treuerenſi 21. Nouembris 1614. coram Illuſtriſſ. D. Coccino. Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 31. *num.* 4. Nouarius *ſup.* Quod intellige iuxta à me dicta in locis relatis, ſi id fiat publicè, & conſentiente Capitulo. Licet circa hoc multi multa dicant, vt videre eſt in Barboſa *ſuprà*, *n.* 209. 210. & 211.] Video etiam Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium ſub die 3. Martij 1640. decreuiſſe quod Procurator Generalis Auguſtinianorum Prouinciæ del Quito in India priuatus eſſet voce actiua, & paſſiua, quia permiſit quod fuiſſet electus viua voce Prouincialis illius Prouinciæ, in Capitulo in quo erat Præſes.] Similiter eligentes per ſchedulam aliquo patenti ſigno ſignatam, vt innoteſcat ſcrutatoribus, vel vni ex illis, quod tales eligentes elegerunt illum nominatum in ſchedula, faciunt electionem non ſecretam, & peccant mortaliter, ac proinde ſic electus ſactus de hoc certus tenetur reſignare Prælaturam, ſiue Officium, vel petere à Sanctiſſimo confirmationem cum diſpenſatione. Ita enim habetur ex declaratione Sacræ Congregationis, prout habet Barboſa *in Collect. Bullar. verb. Elector, eligentes*, & *ſup. n.* 207. 11

Pariter etiam electio erit nulla, quando aliqui ex electoribus vnicam ſchedulam recipiunt vnico nomine ſcriptam, & nomen electi notum ſcribæ, vel alteri reponunt in capſula, vel quando accipiunt de manu ſcribæ duas ſchedulas, & vnam quam voluerint reponunt, & alteram ſcindunt, quia potuit ſcriba reuelare talem qui non habuit niſi vnam ſchedulam, vel talem, qui non habuit duas. Ita referunt deciſum à Sacra Congregatione Garzia *dict.cap.*4. *num.*193. & Sigiſmundus de Bononia *dict.dub.*31.*num.*6. & à Rota in Treuerenſi *ſuprà*. Nouarius *ſuprà*, *num.* 9. Non tamen redditur electio nulla, ſi aliquis ante ſcrutinium dicat, ſe velle eligere hunc, vel illum, ſi quidem potuit alij ſuffragium ſuum dare. Sic enim deciſum etiam eſt à Sacra Congregatione teſte Caſtellino *ſuprà*, *cap.*5. *num.*26. *in fine*. Nec etiamſi electi fuerint à Superioribus aliqui qui vota omnium diligenter excipiant, prout declaratum eſſe à S.Congregatione referunt Garzia *ſup. dict. cap.*4.*num.*189. Caſtellinus *ſup.cap.*4.*num.*4. Declarauit etiam S.Congregatio in electione Abbatiſſarum, vel alterius Superiorisſæ, poſſe vota per Epiſcopum vna cum Vicario; vel alio viro aſſumpto oretenus accipi. Garzia *ſuprà*, *dict. num.* 189. Caſtellinus *ſup. cap.*4. *num.*4.*&* *cap.*5.*num.*28.

12 De libertate requiſita ad electionem dixi eo *tom.*1. *cap.*15. *num.*21. præſertim *in* 2. *&* 3.*edit*. Adde declaratum eſſe à Sacr. Congregat. eam electionem in qua ſcrutatores nolunt admittere quædam vota, ſed dicunt electoribus, vt ea dent aliis, eſſe irritam. Caſtellinus *ſup.cap.*4. *num.*66. Lauorius *ſup.cap.*21. *num.*16. Adde etiam, quod licet publicato ſcrutinio non ſit liberum electoribus variare, ſed ſtatim ad collationem & electionem procedi debeat, *ex cap. publicato*, *de elect.* ante publicationem tamen ſcrutinij licet variare, & alios eligere, vt colligitur à contrario ſenſu ex dicto *cap.publicato*, & ex *cap. Quod ſicut*, *eo titulo*. Syluester *in Summ.verbo electio* 1. *quæſt.*7. Miranda *ſuprà*, *quæſt.*23. *art.*24. Idque ex Rotæ deciſione 22. Maij 1628. refert Barboſa *ſup. num.*217. Sed quo pacto id accipiendum, conſule dicta eo *cap.*15.*num.*22.

13 Facta electione tenentur electores intra octo dies petere ab electo conſenſum, alioquin negligentes excluduntur à proſecutione proceſſus, & ſunt ſuſpenſi per tres annos ab omnibus Beneficiis ipſius Eccleſiæ; & ſi ad illa ſe ingeſſerint, ipſis iure perpetuò ſunt priuati. Hæc & alia ad intentum concernentia habentur ex *cap. cupientes*, §.*cæterum*, *de elect.in* 6. Syluester *in Summa*, *verb.electio* 1.*num.*7. Miranda *in Man.tom.*1. *quæſt.*23. *art.*10. *concluſ.*3. Similiter electus ipſe tenetur intra menſem à præſentatione conſentire, alias priuatus eſt iure electionis, niſi fortè ea ſit electi conditio, quod non poſſit conſentire abſque licentia Superioris, quo caſu tenetur ipſe, vel electores licentiam petere cum ea celeritate, quam patitur abſentia, vel præſentia Superioris, & ſi non habeatur licentia, procedent ad aliam electionem. Syluester *ibid.* Miranda *ibid.concl.*4. Nota autem quod quoad hæc, & ſimilia videatur ſuffragari poſſe Regularibus communicantibus in priuilegiis cum Minoribus, priuilegium Clem. IV. quod *ſuprà* attuli, prout notat Miran. *ſup.concluſ.*3. pro electoribus videlicet Generalium, vel Prouincialium, non aliorum Prælatorum, vt eo loco dixi. Electus etiam qui ſemel electioni de ſe factæ renunciauerit, non eſt amplius ea de re audiendus, *cap.in præſentia*, *de renunciat.* Lauorius *ſup.cap.*18.*num.*33. Barboſa *ſuprà*, *num.*147.

14 Hymnus *Te Deum laudamus*, qui in fine electionis Prælatorum adiungi ſolet, non eſt de eſſentia illarum, in iure communi ſtando. Lauorius *ſup.cap.*19.*num.*103.

15 De qualitatibus eligendorum in Prælatos dixi eo *cap.*15.*num.*25. & dicam tom.4.verbo *Prælati*. De Præſide Capitulorum pro electionibus, dixi etiam eo *c.*15. *num.*34.& *tom.*2.*cap.*12.*à num.*35. & dicam *tom.*4.*verb. Præſes Capitulorum*. De confirmatore etiam electionum dixi eo *cap.*15. *num.*35. *&* 36. & *tom.*2. *dict. cap.*12. *à num.*39. De electione etiam, quæ confirmanda eſt, vel non confirmanda, eo *cap.*12. *à num.*40. & Bacconius *ſup.* Quando in electionibus Regularium committatur Simonia, dixi eo *cap.*15.*à num.*28. & dicam 4. tom. verbo *Simonia*. De decreto electionis egi eo *cap.*12. *n.*49. De aliis autem modis creandi Prælatos Regulares, ſcilicet de poſtulatione, & nominatione, dixi eodem *cap.*12. *à num.*50. De quibus omnibus relati authores latè agunt.

Hic notandum, quod quamuis *tom.*2.*cap.*12. *num.*17. 16
dixerim, ſocios Priorum ſeu Guardianorum in aliquibus Religionibus ſublatos eſſe, in aliis verò fieri per ſortes; nihilominus quod attinet ad Ordinem Minorum S.Franciſci de Obſeruantia in familia Ciſmontana, obſeruandum eſſe decretum S. Congregationis de anno 1645. editum, & à ſanctiſſimo approbatum; quo talium electio præcipitur, & piè etiam monentur dicti Religioſi de modo illam celebrandi. Decretum porro tale eſt. *S. Congregatio S. R. E. Cardinalium nego-* 17
tiis & conſultationibus Regularium præpoſita, viſa ſupplicatione plurimorum Fratrum Minorum, tam de Obſeruantia, quam Reformatorum S.Franciſci familia Ciſmontana ſuper reſtitutione antiquæ, & laudabilis conſuetudinis eligendi, ac mittendi vocales, aut diſcretos ab vnoquoque Conuentu ad Capitulum Prouinciale, rebuſque aliis in libello ſupplici fuſius deductis. Audiſiſque ſæpius in particulari Congregat. PP. Commiſſariis Generali & Curia, necnon Viceprocuratore Generali, reque maturè diſcuſſa, ac poſtmodum in plena Congregatione pluries relata, iiſdem Patribus Commiſſariis, &c. informantibus, cenſuit ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, reſtituendum omnino eſſe vſum Diſcretorum in tota familia Ciſmontana, tam Obſeruantium, quam Reformatorum, quibuſcumque non obſtantibus. Quo vero ad inconuenientia quæ occurrere poſſent electionibus eorumdem Diſcretorum, prouidendum eſſe per Congregationem particularem ad hoc deputandam. Sacra Congregationis ſententiam per eminentiſſimos Cardinales Paleottum, Carpineum, & Franciottum in conſiſtorio ſecreto Sanctiſſimo Domino noſtro relatam Sanctitas ſua probauit, & expediri decretum mandauit. Romæ 19. Maij 1645. M.Card. Ginettus, loco † ſigilli. H. Archiep. Patracenſis ſecretarius.

Hanc autem conſuetudinem laudabilem eſſe, & 18
plus vtilitatis afferre huic Religioni, quam detrimenti, habet Sigiſmundus de Bononia *de electione*, *dub.*113. *num.*7. & latiùs Miranda *tom.*1. *Man. Prælat.quæſt.*22. *art.*2. ac ſequitur Iacobus Raggius *de Regimine Regularium*, *tract.*9. *dub.*171. afferens etiam decretum S. Congregat. relatum.

Quia autem materia hæc de electione communiſſi- 19
ma eſt inter Regulares, & circa illam plures, variæque controuerſiæ in dies excitari ſolent, ideo reſolutionem cuiuſdam dubij mihi circa quandam electionem propoſiti, in hoc loco adiungendam cenſui.

In Religione N. & quodam Capitulo ipſius cele- 20
brato in partibus Hiſpaniæ, dum ageretur de electione ſocij ſeu diſcreti pro capitulo generali Romæ celebrando P.Præſentatus N. habuit vota 26. & poſt eum P. M.N, habuit vota 15. Peracto autem ſcrutinio cum P. ille præſentatus plura vota habuiſſe repertus eſſet, declaratus eſt in ſocium, cui electioni & declarationi opponitur præfatus P.Magiſter N. eo quòd dictus P.Præſentatus tempore electionis erat Definitor Prouinciæ illius, in qua fuit electus pro ſocio Capituli generalis. E contra verò dictus P.Magiſter oppoſuit non potuiſſe eligi in ſocium Capituli generalis, eo quòd tempore electionis abſens erat à Prouincia, & Commiſſarius generalis cuiuſdam Conuentus, ſeu Hoſpitij Ciuitatis Neapolitanæ. Quæritur ergo quid iuris in caſu præſenti.

RESPON

Reſponſio.

21 Quoad primum de electione in ſocium prædicti P.
Præſentati videtur dicendum non fuiſſe legitimam, aut
validam, ſed potius irritam & caſſam. Illi enim obſtat
quædam Conſtitutio generalis huius Ordinis *part. 4.*
cap. 10. num. 2. vbi dicitur: *Statuimus vt inter vnum*
& alterum Capitulum Prouinciale, in vnaquaque Pro-
uincia ſingulis annis Dominica 3. poſt Paſcha in aliquo
Conuentu commodo per Prouincialem aſſignando fiat Con-
gregatio, ad quam conuenire debeant Prouincialis cum ſuo
22 *ſocio, & quatuor Diffinitores.* Cum enim præfatus P.
præſentatus vnus ſit ex Diffinitoribus illius Prouinciæ,
ad eum ſpectat ex vi talis muneris aſſiſtere cum aliis de-
finitoribus dictæ Congreg. ac per conſequens incapax
fuit vt eligeretur in ſocium pro Capitulo generali Ro-
mæ celebrando eodem fermè tempore quo Congrega-
tio facienda erat: Omni enim iure cautum eſt, quod
electus ad aliquod munus non poteſt illud retinere niſi
relicto alio priori incompatibili cum ipſo, vt colligi-
tur *ex l. nimirum*, & ibi Bart. *C. de decur. lib.* 10. facit
§. Qui in poteſtate, 2. reſponſ. Inſtit. de excuſ. tut. Betta-
chinus *in Repert. verb. electus.*

23 Quod autem mens Conſtitutionum fuerit, quod De-
finitores Prouinciæ non poſſent eligi in ſocios Capi-
tuli generalis, ſatis colligitur ex eo quod N. Generalis
eius Ordinis in tractatu quodam qui eſt modus ſeu
forma celebrandi Capitula Prouincialia, & quæ in
omnibus Prouinciis Religionis pro ipſorum celebra-
tione recepta eſt, ſic habet: *Cum omnes quatuor Diffini-*
tores accedere teneantur ad Congregationem intermediam
faciendam in Dominica 3. poſt Paſcha Reſurrectionis, &
contingere poſſit, vt tunc temporis ſocij accedant ad Ca-
pitulum generale, & ita non valeant interuenire dictæ
Congregationi, nullus Diffinitor poteſt eligi in ſocium Pro-
uincialis pro Capitulo generali. Vbi ponderanda dictio
24 illa *nullus*, quæ cum ſit vniuerſalis negatiua, nullitatem
actus ipſo iure importat, vt per *Gloſ. verb. nullam, in cap.*
Innotuit, de elect. & plures alios citatos habet Tiraq.
l. ſi vnquam, verb. reuertatur, num. 243. Præſertim quia
25 clauſula *nullus poteſt*, eſt ſimilis alij *non poteſt*, quæ
quando ponitur ob defectum, vitium, ſeu incapacita-
tem perſonæ (provt contingit in caſu præſenti, ſiqui-
dem, vt dictum eſt, & dicetur, Definitor non poteſt
exercere munus ſocij pro Capitulo generali, quia non
poteſt abeſſe à Prouincia) denotat actus nullitatem,
provt ex Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 11. num. 44. &*
cap. 12. num. 10. dixi *tom. 3. ſumma, verb. Clauſula, n. 47.*

26 Nec refert ſi dicatur, quod loco relato ex Conſtitu-
tionibus huius Ordinis poſt verba ſuperius citata ad-
iungatur: *Caſu quo aliquis eorum*, ſcilicet Definitorum,
ex quauis cauſa defecerit, perfici & ſuppleri poterit ex
illis qui in præcedenti Capitulo poſt ipſos Definitores plu-
ra habuerint ſuffragia: quaſi ex hoc inferatur, quod ab-
ſente prædicto P. Definitore pro Capitulo generali ce-
lebrando, eius abſentia ſuppleri poſſit per aliquem ex
illis qui pro Definitoribus plura vota habuiſſent; ac
proinde quod eius electio in ſocium generalis Capi-
tuli inualida cenſeri non debeat. Hoc, inquam, non tol-
27 lit difficultatem propoſitam. Conſtitutio enim intelli-
gi debet de cauſa accidentali & caſuali, provt denota-
tur verbo illo *Caſu*, ſeu de caſu omnino fortuito, im-
prouiſo, aut contingenti, qualis eſt infirmitas, mors,
&c. quæ præter propoſitum eueniunt, *l.* 1. cum Gloſ-
28 ſa, *C. de ſicar.* Nam qui caſualiter abeſt, abeſſe non dici-
tur, *leg. quæſitum* 78. *§. fin. ff. de leg.* 3. & aliis iuribus
& DD. apud Gonzalez *ſuper regul. 8. Cancell. gloſ.* 74.
num. 4. Et euentus ſiniſtri non habentur in conſidera-
tione, *l. ſi quis ab alio, ff. de re iud.* Barboſ. *in axiom. Iur.*
axiom. 84. *num.* 2. ex pluribus: non de cauſa aut caſu
præuiſis, prouiſis, aut intentis, qualis eſt abſentia à
Prouincia tempore Capituli Generalis, quæ cum na-
turaliter, & per ſe ſequatur ex munere ſocij pro eodem
Capitulo, attendenda potius eſt in præſenti, *l. Qui ha-*
bent, ff. de tutel. l. filio quem pater, ff. de liber. & poſthum.
Cap. Præſenti, §. Idem, de præbend. in 6.

Eo etiam quod ſecundum iura alia eiuſdem Reli- 29
gionis, dato etiam quod non fuiſſent in illa dictæ Con-
gregationes intermediæ, nihilominus neceſſe eſt dicere
non potuiſſe dictum Definitorem eligi in ſocium pro
Capitulo generali Romæ celebrando, ſed debere adeſſe
in Prouincia toto tempore ſui Definitoriatus ad alia
negotia communia peragenda. Etenim in Capitulo ge-
nerali Romæ celebrato anno 1620. provt habetur in
Papyro Ordinis fol. 232. tale decretum extat: *Pro*
Prouinciis Hiſpaniarum ſancitum eſt, vt Definitores ele-
cti in Capitulis Prouincialibus permaneant vſque ad ele-
ctionem noui Prouincialis, ad hoc tantùm vt eos PP. Pro-
uinciales teneantur adhibere, cum voto deciſiuo in expul-
ſione fratrum incorrigibilium, & in priuatione ab Officio
Prioratus & gradus. Cum ergo caſus iſti occurrere poſ-
ſint toto tempore Prouincialatus (eſto pro illo de ex-
pulſione incorrigibilium aliter ſit prohibitum per S.
Congregationem *in decreto de apoſt. & eiect.* ſub Vr-
bano VIII.) vtrique dicendum videtur, non poſſe Defi-
nitores per tantum tempus, aut tam longa abſentia,
provt requiritur ad eundum ad Capitulum generale
Romæ celebrandum, & ab ipſo redeundum, abeſſe à
Prouincia, ac proinde, nec eligi in ſocios pro dicto
Capitulo; quippe neceſſe eſt illis toto hoc tempore
abeſſe.

Deinde in eiſdem Conſtitutionibus *part. 4. cap. 10.* 30
num. 5. ſic generaliter ſtatuitur: *Ordinamus, & præcipi-*
mus vt in poſterum in qualibet Prouincia noſtri Ordinis
PP. Definitores electi in Capitulo Prouinciali permaneant
& perſeuerent vſque ad alterum immediatè ſiquens, ad
hoc vt cum illis teneatur Prouincialis ſtatuto tempore gra-
uiora negotia communicare, & de eorum conſenſu ac voto
deciſiuo expedire. Verba autem illa, *ſtatuto tempore*, non 31
eſſe reſtringenda ad tempus celebrationis dictæ Con-
gregationis intermediæ, ſed ad quodcumque tempus
in quo occurrat cauſa aliqua grauis decidenda, colligi-
tur ex decreto Capituli generalis Romani de anno 1620.
iam relato. Secundò ex natura Definitoriatus, ſeu mu- 32
neris Definitoris, quæ iuxta praxim Religionum eſt
eſſe coniudices cum Generalibus vel Prouincialibus in
cauſis grauibus occurrentibus, vt dixi *tom. 2. ſum.*
cap. 13. num. 23. adiuncto 36. & tenent Rodriguez
tom. 2. qq. regul. quæſt. 45. art. 2. Miranda *in Man. tom. 2.*
quæſt. 17. art. 2. concluſ. 4. Sigiſmund. de Bononia *de*
elect. dub. 111. num. 8. & 9. ac ſupponunt Eminentiſſ.
de Lugo *tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 14. ſect. 7. num.* 120.
Tambutin. *tom. 3. de Iur. Abbat. diſp. 1. quæſt. 3. num.* 4. &
Raggius *de regim. regular. Centur. 2. tract. 6. dub.* 148.
& participes officij Prouincialatus, vt ait Sigiſmondus
ſuprà num. 8. Tertiò, quia regimen huius Religionis
ex vſu & conſuetudine illius, provt dixi *tom. 5. in Mari*
magno Carmelit. num. 56. non eſt monarchicum, ſed mix- 33
tum ex monarchico, & Ariſtocratico, quod eſſe aptiſ-
ſimum dixi eo loco ex Nauarro, Bellarmino, Thoma
de Ieſu, & Tamburino: ex natura ergo ipſius prouenit
quod Prouincialis nequeat grauiora negotia Prouinciæ
decidere ſine eorum conſilio. Quartò, quia id eſt con-
forme iuri communi, *cap. Nouit. & cap. Quantò*, iuncta
Gloſſ. in narratione caſus alia iura cumulante, de his
quæ fiunt à Prælatis. Panorm. ibid. Sigiſmund. *ſuprà*
num. 11. Quintò quia adeo exactè id obſeruare intendit 34
hæc Religio, vt in eiſdem Conſtitutionibus *part. 4. c. 18.*
num. 4. vbi eſt ſermo de Vicario Prouinciæ pro tempo-
re abſentiæ ratione Capituli generalis, dicitur: *Item* 35
ſtatuimus quod nullus Vicarius de prædictis, &c. aliquid
immutet de ſtatu Prouinciæ abſque magna neceſſitate, &
conſilio PP. Definitorum, vſque ad regreſſum Prouincia-
lis à Capitulo, & ſub pœna, &c.

36 Si dicatur abſentiam iſtius Definitoris potuiſſe ſup-
pleri per alium, ac proinde non obſtante munere De-
finitoris quod gerebat, potuiſſe eligi in ſocium Pro-
uincialis pro Capitulo generali. Contra hoc eſt, quod
cum ſubrogatio ſit odioſa, & aliquo modo à iure exor-
bitans, admitti non debet, niſi in caſu neceſſitatis.
Bald. *in l. Cum antiquitas, circa med. C. de vſufr.* Bertra-
chin. *in repert. verb. ſubrogatio.* In præſenti autem nul-
la fuit neceſſitas talis ſubrogationis, cum plures eſſent
apti & idonei vt in ſocios pro Capitulo generali eligi
poſſent. Præſertim quia etſi ſubrogatum ſapiat natu-
ram ejus in cuius locum ſubrogatur, *l. ſi cum, §. Qui*
37 *iniuriarum, ff. ſi quis caut.* & aliis vulg. iuribus & DD.
hoc tamen intelligitur in ſubrogatione legis, ex Rimin.
iun. *conſ.* 18. *num.* 88. *& conſ.* 113. *num.* 128. *& ſeqq.*
quem refert Toſchus *lit. S. concl.* 757. *num.* 49. & ex
ipſis Barboſa *axiom.* 213. *num.* 2. In caſu autem præſen-
ti lex Religionis reſiſtit huiuſmodi ſubrogationi, cùm
ſolùm illam admittat pro caſu præuiſo, aut prouiſo,
vt dictum manet.

38 Si inſtetur, quod deficiente vno Definitore poſſunt
tres alij negotia Prouinciæ pertractare, ac proinde
quod vnius abſentia nihil noceat. Occurritur dicendo
iuxta ſuperius notata, intentionem Religionis eſſe
quod ſint quatuor Definitores cum Prouinciali pro
negotiis Prouinciæ peragendis, prout colligitur non
ſolùm ex Conſtitutione illa *ex cap.* 20. 4. *pars. num.* 2.
relata, ibi: *Et quatuor Definitores*, & ex forma cele-
brandi Capitula Prouincialia, ibi: *Cùm omnes quatuor*
Diffinitores; ſed etiam ex eo quod in eiſdem Conſtitu-
39 tionibus *part.* 4. *cap.* 15. *num.* 5. ſtatuitur, quod *ſi conti-*
gerit vnum de Diffinitoribus in Prouincialem eligi, vel in
Vicarium Prouinciæ, tum ſtatim poſt electi pronunciatio-
nem alius eligatur Diffinitor loco eius. Et quia in eadem
4. *part. cap.* 13. *num.* 2. *& cap.* 10. *num.* 2. diligenter caue-
tur, quod deficiente aliquo ex quatuor Diffinitoribus
ſuppleatur eius abſentia per vnum ex illis qui in præce-
denti Capitulo plura vota habuerunt pro Diffinitori-
bus, merito etiam Religio id intendit, quia expedit Re-
ligioni, vt negotia grauiora tractentur potius per plu-
res, quàm per pauciores. Vt enim inquit D. Thomas
2. 2. *queſt.* 183. *art.* 2. *magis pax conſeruatur in quantum*
40 *plures ſunt, qui communicant actibus publicis*: quia vt
colligitur ex Ariſt. 5. *polit. cap.* 8. in paucorum guber-
nationibus tyrannis inuadit. Eo quoque quod tales
Diffinitores, iuxta dictas Conſtitutiones *cap.* 10. *relato*
num. 1. habent votum deciſiuum, quod maioris pon-
41 deris eſt quàm conſultiuum. Imò etiamſi ſolùm con-
ſultiuum haberent, quia ſincerius eſt iudicium, quod
plurimorum ſententia comprobatur, *cap. prudentiam, de*
offic. deleg. Anchar. *conſ.* 157. & Gloſſ. *ibid.*

42 Ex quibus etiam corruit id cui præcipuè innititur
pars aduerſa, ſcilicet quod ceſſante in dicta Prouincia
Congregatione intermedia, ceſſat etiam neceſſitas præ-
ſentiæ Diffinitoris, eo quod ceſſante cauſa ceſſat effe-
ctus, *l. adigere, §. quamuis, ff. de Iurep. l. ſi pater. ff. de he-*
red. Inſtit. & aliis iuribus aut DD. Hoc enim iuris
axioma Brocardicum, ſolùm tenet in cauſa adæquata,
non in inadæquata, prout dixi *tom.* 4. *verb. leges Re-*
gul. num. 59. Manifeſtum autem eſt ex dictis, non eſſe
cauſam adæquatam præſentiæ Definitorum in Prouin-
cia celebratio Congreg. prædictæ, ſed tractare negotia
grauia occurrentia, quæ non ceſſat in præſenti, vt di-
ctum etiam manet.

43 Patet iam ex dictis aditus ad ſolutionem ſecundi,
quod quærebatur, & dicendum præfatum Magiſtrum
N. qui poſt prædictum præſentatum N. habuit plura
vota pro ſocio Capituli generalis dictæ Religionis,
haberi debere pro legitimo ſocio dicti Capituli. Cùm
enim præfatus Præſentatus qui plura vota habuit, in-
habilis eſſet ad munus, propter definitoriatus officium
quo fungebatur, vtique ſuccedere debet iſte, qui poſt
illum plura habuit vota. Electio enim inhabilis nulla 44
eſt ipſo iure, eo quod ſubiectum non eſt capax, & re-
ceptibile ad modum recipientis recipitur, *cap. Cùm in*
cunctis, cap. Scriptum, cap. nihil, de elect. cap. Quan-
quam, eod. tit. in 6. Gloſſa *ibid.* Bordonus *in controuerſ.*
controu. 30. *num.* 31. *&* 33. ex aliis; & vota, ſeu ſuffra-
gia illi data ſunt inutilia, & cenſentur pro non adie-
ctis, nec debent computari in numero votorum, ſeu
ſuffragiorum. Cucchus *inſtit. maior. lib.* 4. *tit. de elect.*
num. 214. *&* 215. Sigiſmund. *de elect. dub.* 29. *num.* 1.
& ſeqq. Samuellius *de elect. tract.* 1. *diſp.* 4. *controu.* 13.

Nec obſtat præfato magiſtro, quod in Conſtitutio- 45
nibus huius Religionis *pars.* 4. *cap.* 16. *num.* 2. dum agi-
tur de conditionibus eligendorum in ſocios pro Capi-
tulo generali, dicatur: *Nec poteſt aliquis exiſtens Prior,*
aut Lector, aut Conuentualis in aliqua Prouincia eligi in
altera, ſed ſolum in ipſa, in qua ipſe eſt conſtitutus Prior,
Lector, aut Conuentualis. Ille autem tempore electio-
nis abſens eſſet à Prouincia, & Commiſſarius generalis
cuiuſdam Conuentus in Ciuitate Neapolis. Primò
enim dici poteſt, quod ipſe non erat in dicto Conuentu
Prior, Lector, aut Conuentualis. Sed Commiſſarius ge- 46
neralis, ac proinde non comprehenditur in dicta Con-
ſtitutione, & cum ſit odioſa, & reſtrictiua iuris com-
munis, non debet ampliari vltra caſus de quibus lo-
quitur, iuxta vulgaria iura de odiis non ampliandis,
ſed potius reſtringendis, *l. Cùm quidam, ff. de liber. &*
poſthum. cap. renouantes, 22. *diſt. cap. Odia, de reg. Iur.*
in 6. Nec admittitur extenſio etiamſi adeſſet identitas
rationis. Corſet. *in ſingular. verb. extenſio, il* 2. *num.* 1.
Tiraquell. *de retract. in præfat. num.* 62. *&* 65. & alij apud
Barboſam *in axiom. Iur. axiom.* 166. *num.* 7. Præterquam 47
quod dici poteſt, quod cum præfatus Magiſter ſit Com-
miſſarius Generalis, non debet comprehendi ſub illa
generalitate verborum, eo quod ſit perſona ſpeciali
nota digna, cum ſit veluti Prouincialis, & Generalem
repræſentans: ſicut nec lex generalis comprehendere
cenſetur caſum ſpecialem, *gloſ.* 2. *in l. fin. C. de ſilent.*
lib. 12. Bald. *in l. non plures, num.* 4. *C. de ſacroſ. Eccleſ.*
Caſſad. *deciſ.* 6. *num.* 11. *ſuper reg.* Accedit quod ipſe non 48
debet cenſeri vt Conuentualis dicti Conuentus, ſed vt
Conuentualis ſuæ Prouinciæ: eo quod per litteras pa-
tentes Reuerendiſſimi Generalis conſtitutus erat Con-
uentualis in vno Conuentu dictæ ſuæ Prouinciæ, &
per illas acquiſiuit ius plenum & perfectum ad dictam
Conuentualitatem, quamuis poſſeſſio non eſſet capta,
quemadmodum per collationem beneficij adquiritur
ius plenum & perfectum in illo, quamuis poſſeſſio
non capiatur, *cap. fin. in fin. de conceſ. præbend. lib.* 6. &
plures alij DD. & S. Rotæ deciſiones apud Gonzalez
ſuper reg. 8. *Cancel. gloſſ.* 15. *§.* 1. *n.* 15. *& ſeqq.* & quem- 49
admodum Mendicantes vocantur illi Religioſi qui
de iure & Conſtitutionibus mendicare poſſunt, etſi
de facto non mendicent, Mandoſ. *in reg.* 23. *queſt.* 3. *n.* 5.
Gonzal. *ſup. num.* 30. Eo etiam vel maximè quod Con-
uentus ille cui præerat vt Commiſſarius iſte P. Magi-
ſter non debet cenſeri extra Prouincias Hiſpaniæ, ſed
veluti pars ipſarum, vtpote quia eſt veluti hoſpitium
fratrum Hiſpanorum ad illam Ciuitatem confluentium,
ac proinde veluti acceſſorium ipſis, vt propterea iuxta
communem regulam ex *l. etiam, C. de iur. dot.* & regu-
lam *acceſſorium, de reg. Iur. in* 6. debeat ſequi naturam
ſui principalis. Nec ſit ſubordinatus alicui alteri Pro- 50
uinciæ, aut ſubiectus alicui Prouinciali. Vnde exiſtere
in illo non eſt exiſtere in aliena Prouincia. Nec omitti
debet quod præfatus Magiſter in illa Ciuitate erat ve-
luti Procurator ſuæ Prouinciæ, & pro negotiis in ea
tractandis apud excellentiſſimum Proregem. Quem-
admodum ergo Canonici, Procuratores abſentes à
propriis Eccleſiis, durante eorum officio, lucrantur
fructus & diſtributiones quotidianas ac ſi eſſent præ-
ſentes, prout ex Summorum Pontificum Diplomatibus,

aliiſque

51 aliiſque DD. affert Barboſa *de Canonic. & Dignitat.*
cap.24.num.3. & 52. ac generaliter in toto eo cap. de
Canonicis abſentibos ax iuſta cauſa, & licentia ſupe-
riorum: cum hæc competant R.P.Magiſtro, dicendum
videtur vel ex æquo & bono, etſi ea quæ ſuperius ad-
ducta ſunt, non ſubſiſterent, non debere priuari illis
emolomentis; quibus gaudent Religioſi præſentes in
ſua Prouincia.

52 Meritò ergo Reuerendiſſimus Generalis huius Or-
dinis re maturè diſcuſſa, & eum peritis aliquot com-
municata pro die 20. Februarij currentis anni 1654.
litteris datis declarauit prædictum P.Magiſtrum *Subin-
trare in dictum Socium, eſſeque verum & legitimum
ſocium pro Capitulo generali futuro, ſeruato tamen iure
prædicti Patris præſentati, & rationibus ipſius.* Quæ eo
maiur robur accipiunt, quod Generalis huius Religio-
nis non ſolum ex vi iuris communis, quia eſt ſupremus
Præſesio illa, ſed ex Conſtitutionibus ipſius *part.2.
cap.1.num.9.* habet facultatem eas interpretandi, *quan-
do dubium apparebit.*

53 Meritò etiam idem Magiſter, pro legitimo ſuffraga-
tore acceptus eſt in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis
eo anno 1654. Romæ celebrato.

54 Aliud dubium circa materiam electionis, quod mihi
propoſitum fuit, congruè huic loco apponitur.

C a s v s.

Reuerendiſſimus Generalis Ordinis N. certior fa-
ctus, quod in quadam Prouincia ſuæ Religionis electus
fuerit in Prouincialem ipſius quidam contra ſtatuta ip-
ſius Prouinciæ authoritate Apoſtolica ſtabilita, po-
ſtulauit & obtinuit à Sanctiſſimo authoritatem Apo-
ſtolicam ad creandum nouum Prouincialem, prout fecit.
Sed antequam Prouinciam ingrederetur mortuus eſt.

55 Cum autem propterea eadem Prouincia iterum ad
noui Prouincialis electionem inconſulto eodem Gene-
rali proceſſerit, quæſitum eſt à me, an potuerit dictam
electionem caſſare, & ex vi authoritatis Apoſtolicæ
primo ſibi conceſſæ nouum Prouincialem creare.

R e s p o n s i o.

56 Cenſeo primo, electiones iſtas factas contra ſtatuta
illius Prouinciæ caſſari poſſe & debere à R.P.Generali.
57 Quoties enim in Conſtitutionibus Religionum maxi-
mè approbatis à Sede Apoſtolica præcipitur modus ali-
quis in electionibus ſeruandus, ſi non ſeruetur, ele-
ctiones caſſari debent. Vtpote factæ contra obedien-
tiam, & ipſo iure nullæ. Bartolus *in l.Vniuerſa*, & ibi
Iaſon, vbi de communi *num.* 8. dicens in toto mundo
hanc opinionem eſſe receptam, *C.de precibus Imper.offer.*
Roman. *conſ.203.num.2.* Alexand. *in l.1. num.8. de li-
ber. & poſthum.* Puteus *deciſ.338.n.6.lib.1.* Sigiſmund.
de Bononia *de elect.dub.8.num.5.& 7.*Samuell. *de elect.*
58 *diſp.1.contron.* 14. Ad quod accedit praxis & ſtylus S.
Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, in qua
electiones factæ contra Ordinum Conſtitutiones, pro
nullis habentur, vt patet in vna pro 6. Nouembris
1647. & 20. Nouembris eodem anno: & conſonant
decreta Clementis VIII. & Vrbani VIII. pro reforma-
tione Regularium, in quibus ſtrictè præcipitur obſer-
uantia formæ electionis in Conſtitutionibus Ordinum
requiſitæ ſub grauibus pœnis.

Cenſeo ſecundò probabile eſſe poſſe Reuerendiſſi-
mum Generalem ex vi authoritatis Apoſtolicæ ſibi
conceſſæ creare nouum alium Prouincialem illius Pro-
59 uinciæ, poſita morte primi. Ratio fundamentalis eſt,
quia illa prima prouiſio non eſt ſortita ſuum effectum,
ac proinde manet apud præfatum Reuerendiſſimum
60 authoritas ad eam faciendam. Etenim in prouiſionibus
ſolus effectus attenditur, *l.ſi mater* 3. vbi notat Baldus
ante num.1.C.de inſtit.& ibid. Decius & cæteri ſeriben-
61 tes. Romanus *conſ.295.incip.Donatio, ſub num.2.* Hyp-
pol. de Marſil. *in prax.§.2.num.22.* Rota *deciſ.276.n.3.
part.2.diu.* Gonzal. *ſuper reg.8.Cancell.gloſ.55. num.11.*
Cum igitur prouiſio primi effectu caruerit, iterum erit
in poteſtate P. Generalis illam facere. Præſertim etiam
quia intentio Papæ talis debuit cenſeri in conceſſione
illa facultatis datæ eidem Generali. Eo quòd verba cu-
iuſlibet diſpoſitionis ſunt cum effectu intelligenda, *l.1.* 62
*§. hac autem verba,ff.quod quiſque iuris, cap. Relatum,de
Cler. non reſid. cap.1.de eo qui mittitur in poſſeſſ.* Rota
Biſigneti *deciſ.21. num.11. de conceſſ. prabend.* Caſſad.
deciſ.10. num.1. de conceſſ. prabend. Gonzal. *ſup. n.20.*
Aliàs cum paria ſint prouiſionem Apoſtolicam non
habere, vel illam ſine effectu habere, Iaſon plura ad-
ducens *in l.fin. num.3.ff.de offic. eius cui eſt mandat. iu-
riſdict.* Marcouius *conſ.16.num.41.* Surdus *conſ.3.n.29.
vol.1.* cumulat plura in propoſito. Idemque ſit actum 63
eſſe nullum vel non effectuatum, Aymon. *conſ.10.n.5.*
Achilles de Graſſis *dec.5.de præſcript.* dici deberet com-
miſſionem Papæ omnino inutilem & caſſam fuiſſe, aut
ſine aliquo commodo. Quod tamen iura abhorrent,
cum nihil aliud velint niſi effectum ad finem, vt ait
Rebuffus *in Comp.alienat. rerum Eccleſ. num.34. in fin.
ex l.1.§. vnde,ff.de nou. oper.nunc.* Præſertim in Papa, in
cuius lingua gratia, & in litteris teſtimonium, & in
effectu ac executione commodum. Azeuedus poſt alios 64
in l.2.tit.7.lib.5.recopil.num.13. Gonzal. *ſupra num.23.*
Accedit quoque Regula illa inter regulas iuris 16. vi- 65
delicet: *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe man-
ſurum.* Quæ deſumitur *ex cap.ſi ſuper gratia 9. de offic.
delegati in 6. & ex cap.ſi cui nulla 36.de prabend. eod.lib.*
cum aliis ibi à Gloſſa citatis. Et quia Princeps inten-
dit beneficium quamperfectum & firmum conferre,
vt ita ſit plenior libertas, *cap. 1. de donat.* Molina *de
primog. lib.4. cap.3.num.10.* Barboſa *in collect. DD. de
regul.Iur.ad regul.16.*

Si autem dicatur Papæ intentionem non extendi 66
niſi ad primum illum prouiſum de Prouincialatu, quia
de illo ſolum videbatur loqui. Satis congruè occurri-
tur dicendo, oppoſitum eſſe credibilius, eo quod in
huiuſmodi diſpoſitionibus (maximè gratioſis, vt po-
ſtea dicam) magis conſideratur effectus in quem diri-
gitur, quàm is cum quo loquitur, *l.miles 75.l.Cùm pa-
ter 77.§. Donationis,ff.de legat.2.* Anchatan. *conſ.155.
num.4.* Gonzal. *ſup. num.23.* Eo quòd (præter dicta)
parum iuuat habere prouiſionem Apoſtolicam, ſi non
habeat ſuum effectum, & executioni mandetur. Gloſſ. 67
*in Rubr. C.de except. rei iudic. l.2. §. poſt originem, ff.de
orig. Iur. cap.3. §. Præterea, de elect.in 6. cap.vnic. §. Et
quoniam, de ſtat. regular. etiam in 6.* Nam ſicut corpus
ſine anima non dicitur homo, ſed cadauer, ſic prouiſio
ſine effectuatione prouiſio dici non debet. Textus *in
cap. ſi quis obiecerit 1.queſt.3.*Gonzal. *ſup.num.25.* De- 68
inde eſto id eſſet in prouiſionibus odioſis, quibus de-
betur reſtrictio, *l.cùm quidam, ff.de liber. & poſthum.
cap. Renouantes, 22.diſt.& cap. odia, de Regul.Iur. in 6.*
quia in illis non admittitur extenſio vnius ad aliud,
etiam ex identitate rationis, Corſetus *in ſingul. verb.
extenſio, il 2. num. 2.* Tiraquellus *de retract. in præfat.
num.62. & 63.* Hondedeus *conſ. 95. num. 98. & 112.
lib.1.* Non tamen in fauorabilibus & gratioſis, qualis
eſt iſta facultas conceſſa P. Generali à Sanctiſſimo; 69
quia in illis admittitur talis extenſio, prout ex iiſdem
& aliis iuribus colligunt omnes Iuriſtæ. Ad quod ter-
tio accedit, quod etſi admitteretur, huiuſmodi Papa-
lem diſpoſitionem fuiſſe odioſam; quia nihilominus
erat in Eccleſiæ fauorem & publicam vtilitatem illius
Prouinciæ, vt ſcilicet lites & contentiones, quæ in
illa naſci poterant ex electione illa facta contra ſtatu-
ta ipſius Prouinciæ, ſedarentur, & animi Religioſo- 70
rum pacati manerent: aliàs nec P. Generalis, qui eſt
vir pius & prudens, illam poſtularet à Papa, nec Papa
illam conceſſiſſet, etiam poterat ampliari, & extendi

l.2.

l. 1*s.* §*. fin. C. de caduc. tollend. l. quemadmodum , C. de agric. & cenſit. lib.* 12. Marcus Anton. Genuenſis *in pract. Eccleſ. quæſt.* 545. Ioannes Maria Nouarius *quæſtionum Forenſ. lib.* 5*. quæſt.* 156*. num.* 6. & ex illis Barboſa *in axiom. Iur. axiom.* 166*. num.* 3.

Vnde etiam ceſſat quod aliquis dicere poterat, nem-
71 pe talem prouiſionem ſolum pro prima vice , non pro
ſecunda , aut alia , intelligi debere , vt conſtat *ex l. bones , §. hoc ſermone , ff. de verb. ſignificat. & l. dotis promiſſio , ff. de Iure dotium* , vbi dicitur , & admittunt ibi DD. quod ſermo ſimpliciter prolatus de primo tan-
72 tum actu intelligi debet. Reſpondetur enim Regulam
iſtam intelligendam in odioſis & oneroſis , non verò in fauorabilibus & gratioſis , prout ex Abbate *capit. Cum Apoſtolus , de cenſib. columna* 1*. num.* 2. Oldrado *conſil.* 32. Anania *conſilio* 14. Alexandro *conſ.* 570*. col.* 2. elicit Sanctarellus *var. reſol. quæſt.* 74*. in fine.*

73 Difficilius obiici videtur , quod vt in facto ſupponitur , iſte primus Prouincialis à Reuerendiſſimo Generali nominatus , priuſquam Prouinciam ingrederetur, litteras ſuæ creationis ad illam tranſmiſit , & alias, quibus in ſua abſentia inſtituebat Vicarium Prouinciæ quendam Religioſum ipſius : hæc enim omnia indicare videntur Prouincialatum ipſius habuiſſe aliquem effectum ; ac perinde corruere omnia , quæ in præcedentibus ſunt allata , in eo quippe innixa , quod nullum effectum Prouincialatus iſtius habuerit. Sed reſpondetur, quod cum litteræ iſtæ non fuerint ſuum effectum ſortitæ, prò nihilo haberi debent , quia factum non re-
74 putatur id quod non habuit effectum, *l.* 1*. §. nihil, ff. de inoff. teſtam. l. ſi quis ſub condit. ff. de teſtam. tutel. l.* 2*. §. Sed etſi ſint , ff. de ſuis , & legit. hæred. l. ex conſenſu, §.* 1*. ff de appel.* Surdus *conſ.* 436*. num.* 54. Et quia factum non dicitur quod non durat factum , *l. ſi pro parte, §. verſum , ff. de in rem.* Angel. *conſ.* 34. Surdus *de alim. tit.* 7*. quæſt.* 20*. num.* 9*. cum ſeqq.* Gonzal. *ad regul.* 8*. Cancel. gloſ.* 61*. num.* 24*. cum ſeqq.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 115*. num.* 33*. & cap.* 532*. num.* 25*. cum ſeqq.* Bronor. a Sole *in locis commun. verb. factum, n.* 16.
75 Farinac. *in prax. crim. part.* 4*. conſ.* 60*. num.* 72. Et quia nihil factum eſſe dicitur dum aliquid addendum ſupereſt, *l. Cum Syllanianum , in fin. C. de his quibus vt indig.* vbi Baldus *num* 2 *l. ſoluendo , ff. de verb. ſignif. cap.* 1*. de baptiſ. cap. nihil* 78 *quæſt.* 5. Nec dicitur actus perfectus quando eſt partim factus , & partim non , vt ad ſenſum rationis clariſſimè patet , & probat textus *in l.* 2*. ibi, Quia ipſi animaduertunt aliquid deeſſe , ff. de orig. Iur.* Gonzalez *ſup. gloſſ.* 63*. num.* 24*. &* 25. Eo vel etiam
76 quod ſecundùm Religioſorum ſtylum aliquis non cenſetur alicuius communitatis ſuperior , aut Prælatus, niſi primo poſſeſſionem in ipſa Communitate per manuum oſculationem , vel aliud obedientiæ Religioſæ ſignum , acceperit. Quod in præſenti caſu non contingit , cum nullam Prouincialis ille defunctus poſſeſſionem accepiſſe dici poſſit. Non veram aut realem, quia hæc iuxta Paulum *in l.* 5*. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* in pedum poſitione conſiſtit , & ſolùm poſita
77 eſt in rebus corporalibus. Nec quaſi poſſeſſionem, quia etſi ipſa in rebus etiam ſpiritualibus conſiſtat , & ex vnico actu dumtaxat acquiratur, *cap. Cùm Eccleſia Sutrina* , & ibi Gloſſa *verb. Breuitatem tempor. de cauſ. poſſeſſ.* & ibi DD. nihilominus inter alias conditiones,
78 quæ ad illam requiruntur , vna eſt quod actus ille vel illi, ex quo vel quibus prætenditur acquiſita poſſeſſio, ſint clari & certi, non turbidi, dubij & obſcuri. Rota in Taruiſina *Præbiti* 3. Iunij 1587. coram Bubalo , Caputaquenſ. *deciſ.* 200*. num.* 1*. part.* 2. Pamphilius *in Cæſaraugustana fructus* , 13. Ianuarij 1597. quod nec in propoſito contingit , cum non conſtet , vt ſuppono, de actu aliquo claro, certo, aut manifeſto poſſeſſionis: ſiquidem dictæ litteræ non fuerunt iuridicè publicatæ, nec habuerunt ſuum effectum : vt propterea poſſeſſio reſultans ex illis nihil releuet , cum poſſeſſio ex actu
æquiuoco reſultans non releuet. Abbas *in cap.* 2*. in fine* 79
de cenſib. Felinus *in cap. Cum Bertholdus , num.* 36*. de re iudic.* Decius *in cap. In præſentia , n.* 58*. de probat.* Gonzal. *ſup. gloſ.* 45*. §.* 2*. num.* 40. referens ſe ad Antonium Gomeſium *in l.* 45*. Tauri , num.* 95.

Hæc ſub cenſura, & in terminis probabilis duntaxat 80
ſententiæ.

Aliud Dubium. 81

In Capitulo cuiuſdam Eccleſiæ vbi ſunt quinque 82
vocales habentes votum , ſeu vocem actiuam pro electione Superioris illius Eccleſiæ , & tantum duo ex illis habentes vocem paſſiuam , poteſt fieri electio canonica officij talis Superioris. Ratio ſumitur primò ex definitione electionis Canonicæ , quæ non eſt aliud,
quam *Alicuius perſonæ ad Prælaturam , vel fraternam* 83
ſocietatem canonicè facta vocatio. Hoſtienſis , & Ioannes Andreas apud Syluestrum *in ſumm. verb. electio* 5*. §.* 1. Panormitan. *in Rubric. de poſtulat. Prælat. num.* 1. Dec. *in Rubric. de elect. num.* 1. & alij communiter. Hæc enim omnia interuenire poſſunt hoc caſu. Quia autem Gregorius Tholoſan. *in tit. de elect. cap.* 2*. num.* 2. Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 1*. num.* 3. & Rota *deciſ.* 66*. num.* 6. coram Gregorio XV. addunt dictæ definitioni *Confirmatione Superioris legitimè approbata*, quod maximè eſt verum loquendo de electione completa , & conſummata , Oldrad. *conſ.* 146. cum hoc etiam poſſit interuenire in præfata electione , nullum dubium reſtat quin canonica appellari poſſit.

Secundò , quia vel talis electio deſineret eſſe cano- 84
nica ob paucitatem electorum , ſeu eligentium ; vel ob paucitatem eorum , qui eligi poterant : ſed neutro capite hoc habet : Ergo. Subſumpta minor conſtat ex parte electorum , ſeu eligentium , quia certi iuris eſt,
quod quodlibet collegium , ſeu Capitulum poteſt fa- 85
cere Electionem , & quod collegium , ſeu Capitulum ſolum requirat duos Electores , ſeu eligentes, *cap.* 1*. de elect.* vbi Abbas *num.* 5*. &* 6. Nauarrus *conſil.* 6*. de elect. num.* 2. Miranda *tomo* 2*. Manual. quæſt.* 23*. art.* 5*. concl.* 21. Paſqualigus *in deciſ. Moral. deciſ.* 253*. num.* 1. Nec obſtat quod ſecundum ius ciuile requirantur tres, *l. Neratius , ff. de verbor. ſignificat.* Gloſſ. *in cap.* 1*. quæſt.* 1. Butrius *in cap. gratum , num.* 19*. & ſeqq. de poſtulat. prælat.* tum quia ius Canonicum præualet ciuili , maximè in cauſa Eccleſiaſtica , qualis eſt electio alicuius Prælati ; tum etiam quia æquum eſt, vt electio canonica facilior reddi debeat ; quia eſt valdè neceſſaria communitatibus , & aliquæ illarum non habent niſi paucas perſonas , quæ habere poſſint votum in electionibus. Paſqualigus *ſupra num.* 1.

Quod verò nec deſinat eſſe canonica ob paucitatem 86
eorum , qui habebant vocem paſſiuam , etiam conſtat , quia communis , & veriſſima ſententia eſt , quod in Capitulo vbi ſunt vocales , & duo illorum ſunt eligibiles , electio eſt canonica. Sic enim tenent quamplures DD. quos referunt , & ſequuntur Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 24. & Samuellius *de elect. diſ-*
put. 3*. controuerſia* 8*. &* 9. quibus iunguntur Bordonus 87
reſol. 26*. num.* 56. & Pelizzarius *tom.* 2*. Man. Regular. Tract.* 9*. cap.* 2*. num.* 32. & colligitur à fortiori ex iis, qui dicunt , etiam inter duos electores , quorum vnus eſt neceſſariò eligendus , poſſe eſſe electionem canonicam, prout tenent Ancharanus , Paulus de Eleazariis , Ioannes Andreas , Panormitanus, Biaxius, Boich. Tuſchus, & Sigiſmundus , quos referunt , & ſequuntur Paſqualigus *ſuprà num.* 4. & Samuellius etiam *ſuprà contron.* 8. etſi oppoſitum teneant Nauarrus , & Miranda , quos referunt, & ſequuntur Bordonus *Reſol.* 61*. n.* 58*. &* 59. & Pelizzarius *ſuprà.*

Præterea tradita doctrina colligitur primò ex S. Scri- 88
ptura , *Actor.* 5. vbi cum fieri deberet electio ad Apo-
ſtolatum

ſtolatum loco Iudæ traditoris, dicitur: *Et ſtatuerunt duos, Ioſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſtery huius, & Apoſtolatus: de quo prævaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſuper Mathiam,*

89 *& annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.* Colligitur ſecundò ex declaratione quadam S. Congregationis, quæ habetur in declarationibus Gallemart. & refertur à Sigiſmundo, Samuellio, Bordono, & Paſqualigo relatis: in ea enim ſupponitur quod electio, in qua ſunt duo, vel tres eligibiles, eſt canonica, & non contraria Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regularib.*

90 *cap.6.* Si non obſtant ſtatuta Religionis. Tertiò quia in ea ſaluatur eſſentia electionis canonicæ, quæ eſt, vt dicit, *Alicuius perſonæ vocatio ad prælaturam*, cum vnus ex illis duobus poſſit vocari. Præterea quartò, quia in ea ſaluari poteſt ratio electionis generice ſumpta ſecundum ius naturale, aut gentium. Quæ ſecundum Ariſtotelem 3. *Ethic. cap. 3. & 6. Ethicor. cap. 2.* eſt *eorum, quæ in nobis ſunt conſultatiua appetitio*; clarius ſecundùm Euſtratium, *tom. 1. Moral.* videlicet, *Electio eſt duorum quæ propoſita fuerint, hominis iudicium, quo alterum alteri ex inclinatione, appetituque antepenit*: adhuc clarius, ſecundùm Albertum Magnum *in Topic. cap. 53. & lib. de princ. mot. & proceſſ. tract. 2. cap. 2. & Ethic. 3. tract. 1. cap. 14.* ſcilicet *Eligere eſt, cum duo, vel plura propoſita ſunt, alterum præoptare.* Quæ omnia adamuſſim competunt præſenti electioni.

91 Nec obuiat tali electioni, quod electio canonica debeat eſſe ſecreta, & libera; hæc autem electio non poteſt eſſe ſecreta, neque libera, quia duo illi eligibiles ſibi neceſſariò ſuffragari debent inuicem, & hoc erit notum omnibus. Etenim, quod attinet ad ſecretudinem electionis S. Congregatio in declaratione adducta ad intentum *cap. 6. ſeſſ. 25.* vbi agitur de ſecreto electionis, reſpondit eſſe canonicam ſimilem electionem, ſi non obſtent ſtatuta Religionis. Rationem aſſignant Sigiſmundus, Bordonus & Paſqualigus relati, quia lex non obligat quando non poteſt ſeruari, *cap. Erit autem lex, diſt. 4. & l. fin. ff. quæ ſent. ſine, & l. ita autem,*

92 *ff. de adm. tut.* Cum ergo ſecretum in ea electione ſeruari non poſſet, quod non obſeruetur nihil ipſi obuiabit. Addo ego, eſſe ſecretam talem electionem, quia non eſt certum vnum ex illis duobus ſuffragium dediſſe alteri; quia eſſi ſecundum ius non poſſent ſibi dare

93 ſuffragium, *l. planè*, & ibi DD. poſt Gloſſ. *ff. quod cuiuſq. vniu. nom. l. ſi mandauero, §. Si tibi*, & ibi Barboſ. *ff. mandati, cap. per noſtras, de iur. patron. cap. in ſcripturis 8. quæſt. 1. cap. fin. de inſtit.* & plures DD. apud Sigiſmundum ſuprà *dub. 24. & 115.* de facto tamen id facere poſſent, & non conſtat ita feciſſe. Maximè, quia, vt rectè notat Moronus *in reſponſionibus, reſ-*

94 *ponſ. 72. num. 16.* ex Nauarro, Rodriguez, & Caſtellino, tunc electio eſt nulla ex defectu ſecreti, quando vota publicantur ex culpa, vel dolo totius, vel maioris partis Capituli: vel quando manifeſtatio vnius vel plurium votorum eſt cauſa realis, vel præſumptiua, quod electio ſequatur in hanc, vel illam perſonam particularem. Quæ non contingunt in propoſito. Addo vltimò, quando aliquis eligitur concorditer à toto Capitulo, certum eſt electionem eſſe canonicam, & tamen certum etiam eſt tunc omnes electores dediſſe ſuffragium electo. Ergo idem in præſenti arbitrandum.

95 Quod verò attinet ad libertatem, etiam fuiſſe in hac electione conſtat; tum quia cum illi eligentes poſſent renunciare ſuæ voci actiuæ, & non renunciauerint, manifeſtè inde infertur eam electionem fuiſſe liberam, ſaltem libertate quoad exercitium. Pellizzarius *ſuprà num.* 34. Samuellius *de elect. tract. 2. diſp. 1. controu. 3.* ex aliis. Tum quia electores poſſent ex illis duobus capacibus vnum, quem vellent eligere. Quia qui ex duobus vnum eligit, verè liberè eligit. Samuellius modò citatus ex *controuerſ. 3. concluſ. 3.* Tum etiam, quia, vt dictum eſt, ſaltem de facto poſſent electores ſeipſos eligere, aut etiam alios extraneos non eligibiles. Tum denique quia neceſſitas quæ obuiat electioni, debet eſſe illa, quæ oritur ab extrinſeco, & per coactionem; non ea, quæ ex lege diuina, vel humana procedit, qualis iſta, de qua in præſenti eſt ſermo.

Alivd Dvbivm.

Quia ſæpius verti video in dubium, an electiones 96
Regularium fieri poſſint per Procuratorem, ita vt elector abſens poſſit aliquem inſtituere, qui ſui nomine ſuffragium ferat, ideo operæpretium cenſui hanc difficultatem diligenter tractare.

Responsio.

VT certum ſupponitur apud omnes non poſſe Ele- 97
ctorem abſentem exprimere ſuum votum per litteras. Ita enim habetur expreſsè *in cap. ſi quis iuſto, §. fin. de elect. in 6.* Et ratio quæ ibi adducitur eſt, quia ſcilicet votum non eſt exprimendum ante ſcrutinium, ſed in ipſo ſcrutinio, ſecretè, & ſigillatim tantummodò. Quæ ratio cum fundetur in diſpoſitione *cap. Quia propter, de elect.* per conſequens actus contrarius eſt ipſo iure nullus, propter decretum irritans ibidem appoſitum. Lanotius *de elect. tit. 4. cap. 17. num. 53.* Ex Ioanne Andrea & Lancelloto, Sigiſmundus de Bononia *de*
elect. dub. 14. num. 5. Bordonus *in reſol. tom. 1. reſol. 26.* 98
num. 59. Si tamen in aliqua Religione ex vi ſuarum Conſtitutionum à Sede Apoſtolica confirmatarum oppoſitum habeatur, obſeruari poteſt. Quo ſenſu, & non alio accipiendi ſunt Azor *tom. 1. Inſtit. moral. lib. 13. cap. 10. quæſt. 2.* & Portellus *in reſponſ. part. 2. caſ. 1. n. 2. & 5.* dum oppoſitum generaliter dicere videntur. Hoc etiam ſenſu intelligendum id quod idem Portellus affert de praxi Congregationis S. Ioannis Euangeliſtæ in Luſitania.

Caſu tamen quo aliquis Elector maneat infirmus in 99
eodem Conuentu, in quo facienda eſt electio, poteſt ſuffragium ſuum dare, illud mittendo per ſcrutatores ad illum miſſos à Capitulo ad ipſius votum accipiendum. Ita enim ex vſu Ordinis Prædicatorum affert Samuellius *de elect. Canon. tract. 1. diſp. 2. pag. 72.* Quamuis autem Conſtitutio hæc Ordinis Prædicatorum ſolum videatur loqui de infirmis decumbentibus in eo Conuentu in quo fit electio, nihilominus etiam extendenda eſt ad infirmos exiſtentes in eadem Ciuitate, ſeu oppido in quo fit electio. Tales enim pro præſentibus reputantur. Et ita iuxta *cap. Quia propter*, debent ferre ſuum ſuffragium modo dicto. Ita Hoſtienſis, & Innoc. *in d. cap. Quia propter, num. 2.* Angel. *tit. Elect. n. 17.* Syluest. *eod. tit. 1. quæſt. 5.* Tholoſ. *in tit. de elect. cap. 56. num. 7.* Azor. *part. 2. lib. 8. cap. 14. quæſt. 7. §. Verùm quid*, Sigiſmundus *ſupra dub. 26. num. 2.* Peirinis *tom. 1. de ſubd. quæſt. 1. cap. 31. §. 6. verſ. Dico tertiò*, Tamburin. *de Iur. Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 3. num. 20.* addens etiam poſſe procuratorem vnum de Collegio conſtituere, cum legitimo impedimento detentus ſit, & pro abſente habeatur. De quo an verum ſit, inferiùs dicetur.

Loquendo autem de inſtitutione Procuratoris ad 100
ferendum ſuffragium in electione, certum etiam eſt, ſtando in vi iuris communis, poſſe id fieri. Ita enim clarè habetur *cap. Quia propter, de elect. §. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco de quo debeat euocari, iuſtoque impedimento detentus venire non poſſit.*

102 *poſſit: ſuper quo ſi opus fuerit fidem faciat iuramento, &
tunc ſi voluerit, vni committat de ipſo Collegio vicem ſuam.
Et in cap. ſi quis iuſto, de elect. in 6. vbi ſic: *Si quis iu-
*ſto impedimento detentus in electionis negotio nequeat com-
*modè intereſſe, poteſt nedum vni (prout dicitur in Con-
*cilio generali) ſed & pluribus committere vices ſuas,
*dum tamen eorum cuilibet det inſolidum poteſtatem, &
erit tunc melior conditio occupantis. Ita etiam tradunt
communiter DD. ſpecialiter Innoc. Ancharan. & Pa-
normit. *in cap. Quia propter, de elect.* item Panorm.
Præpoſ. & Franch. *in cap. Conſtitutus, de appellat.* An-
gel. *tit. Electio, num.5.* Syluest. *eod. tit. quaeſt.3.* Tabien.
eod. tit. 1. *num. 7.* Lambettinus *de Iurepatron. libr. 2.
part. 2. quaeſt.2. Azor. *parte 2. lib.6. cap.14. quaeſt.7.* Cuch.
Inſtit. maior. lib.4. tit. de elect. à num. 224. vſque ad 228.
quos refert & ſequitur idem Sigiſmundus *eodem dubio
14. num. 3.*

103 Poteſt etiam elector abſens, in eodem iure commu-
ni ſtando non ſolum vnum, ſed etiam plures procura-
tores conſtituere ad ferendum ſuffragium pro ſe. Ita
enim habetur expreſsè *in d. cap. Si quis iuſto*, verbis re-
latis, & communiter docent DD. Quid autem facere
debeat Capitulum, quando plures Procuratores ſunt
electi ſic deciditur, *eodem capit. ſi quis iuſto: Verum ſi
*ambo concurrant inſimul & poſtulent ſe admitti, audiri
*eos non expedit, quia poſſent vota ſua dirigere in diuer-
*ſos, ſicque res non haberet exitum, & quod ab eis hoc ca-
*ſu fieret, non valeret, ſed is admittatur dumtaxat, quem
*Capitulum, vel pars maior elegerit, vel ſi concordare ne-
*queant, is qui primo in Inſtrumento vel litteris procura-
*tionis extiterit nominatus. Si autem nullus ipſorum inſoli-
*dum fuerit deputatus, tunc propter rationem eandem, ip-
*ſorum aliquis non debebit admitti, ſibique imputet, qui ſic
eos conſtituit indiſcretè. Ita etiam Tamburinus *ſuprà
quaeſt.4. num.4. & 5. & alij DD.

104 Sunt tamen aliquæ conditiones eodem iure requiſi-
tæ pro eiuſmodi procuratoribus ad electiones facien-
das. Prima eſt, quod iſte elector potens Procuratorem
conſtituere, ſit abſens à loco vbi fit electio. Ita enim ha-
betur, *in d. c. Quia propter*, ibi: *Niſi ſit abſens in eo loco
de quo debeat aduocari. Et tenent Abbas *in d. §. Illud*, La-
uorius *d. cap. 17. num. 34.* Barboſa *de Iur. Eccleſ. lib. 1.
cap. 19. num. 108. Animaduertit autem Abbas relatus,
& ex eo Lauorius hoc eſſe ſingulare in electione; nam
105 in aliis negotiis Capituli, ſeu Vniuerſitatis poteſt quis
procuratorem conſtituere etiamſi ſit præſens, & per
ſemetipſum poſſit intereſſe: in electione verò requiri-
tur quod ſit abſens: Eo quod in negotio electionis
electa videtur induſtria perſonæ, *arg. cap. Is cui, de offic.
deleg. in 6. l. Inter artifices, de ſolut. Et ita ſi elector po-
teſt aſſiſtere electioni, non poteſt procuratorem pro
illa deſtinare. Ex quo infertur contra Petrum Grego-
rium & Azorium, quos refert & ſequitur Lauorius
ſuprà num. 44. imò Tamburinum *d. quaeſt. 3. num.* 20.
6 quod cum elector eſt in ea ciuitate, oppido, vel loco,
vbi eſt facienda electio, & propter infirmitatem, vel
ſimile impedimentum non poteſt electioni intereſſe,
non poſſe conſtituere procuratorem loco ſui, ſed ad
eum mittendos eſſe ſcrutatores, qui eius votum acci-
piant, iuxta dicta *ſup. num.* 100. Ratio eſt quia iſte talis
non cenſetur abſens, ſed potius præſens, prout ex In-
nocentio, Panormitano, Felino, Angelo, Syluestro
& aliis affert Sigiſmundus *ſuprà dub.9. n.2. & dub.* 26.
*num.*2. non ergo poteſt vti dicto priuilegio conſtituen-
di Procuratorem.

107 Secunda conditio, vt elector abſens poſſit conſti-
tuere procuratorem eſt, vt legitimo impedimento de-
tentus ſit, itavt aliàs ipſius procurator non debeat ad-
mitti. Ita enim colligitur ex verbis relatis *cap. quia pro-
pter, §. Illud, & ſupponitur etiam *in cap. ſiquis iuſto*,
verbis etiam relatis, *num.* 102. & communiter à DD.
Imò Abbas *eo §. Illud*, quem ſequuntur Lauorius
ſuprà num. 35. & Tamburin. *ſuprà d. quaeſt. 4. num.* 1.
dicunt hoc etiam eſſe ſpeciale, in electione, propter
ſuperius dicta. Idem habet Miranda 2. *tom. Man. q.* 23.
art.7. concl. 2. Hoc autem impedimentum eſt, v.g. ſi 108
ob inimicitias capitales venire non poſſit. *cap. bonæ, de
*elect. cap. ex parte, de appel. cap. ſiue 33. quaeſt.2. l. ſi longius,
ff. de iudic. vel ob infirmitatem grauem non autem le-
uem, *cap. ſi ægrotans 5. quaeſt.3. cap. Querelam, de pro-
cur. l. quaeſitum, de re iud. vel ſi aduerſa nauigatione im-
pediatur, *l. fin. ff. ad l. Rhod. de iact.* vel ſi vocetur ad
maius Tribunal, *l. contra pupillum de re iud.* vel ſi obſeſ-
ſus in aliquo Caſtro inde egredi non poſſit, & ſimilia.
De his Tholoſ. *tit. de elect. cap.6. num.8.* Lauorius *ſu-
prà num. 36. Barboſa *ſup. num.* 109. Debet etiam con- 109
ſtare de hoc impedimento per iuramentum ipſius prin-
cipalis, ſeu domini procuratorem conſtituentis, prout
patet ex verbis relatis *cap. quia propter, §. Illud.* Quia
autem ibi dicitur, *ſuper quo ſi opus fuerit fidem faciat
iuramento, ideò Gloſſa ibidem & etiam Gloſſa *in cap.
ſi quis iuſto, de elect. in 6. verbo detentus, & Sigiſmun-
dus *d. dub. 14. num.3.* inquiunt non multum referre hu-
iuſmodi iuramentum principalis ſeu Domini. Caſu ve- 110
rò quo capitulum non credat procuratori, videtur
quod procurator ipſe teneatur iurare quod ſuus princi-
palis tenebatur tali impedimento, ad hoc vt credatur.
Sic colligo ex Rota coram Vbaldo in Calagurritana
beneficij, quam refert Lauorius *ſuprà num. 67.* referen-
te ſe ad aliam deciſionem Rotæ, & ad Gloſſas *in d.
cap. Quia propter, & cap. ſi quis iuſto. Et ſi non credi-
tur procuratori poteſt appellare. Gloſſa *in 6. cap ſi iuſto,
verb. detentus, in fin. ex Hoſtienſi. Poteſt tamen capitu- 111
lum remittere hoc iuramentum procuratori, *arg. l. ſi
*quis in conſcribendo, C. de Epiſc. & Cleric. l. penult.
C. de poſt. cap. Cum apoſtolicam, de regul. Lauorius *ſup.
num.37. Barboſ. *ſup. num.* 110. apud quos alia circa hoc
impedimentum. Illud tamen maximè notandum, quod 112
etiamſi mandans procuratorem non ſit verè & legiti-
mè impeditus, nihilominus ſi Capitulum velit, poteſt
illum admittere ad dandum ſuffragium. Ratio eſt,
quia etiamſi *in §. Illud*, relato dicatur, *Interdicimus ne
*quis in negotio electionis procuratorem conſtituat niſi, &c.
iuſto impedimento detentus, nihilominus quia hæc diſ-
poſitio eſt in fauorem capituli, & ita poteſt illi renun-
ciare & admittere hunc procuratorem non legitimè
impediti, ſicut poteſt etiam admittere ad votandum
aliquem omnino extraneum, vt dixi *tom.1. ſumm. c.15.
num.20. conformiter *ad cap. ſcriptum, de elect.* Hoſtien-
ſis & Abbas *in d. §. Illud.* Syluester *verb. electio 1. quaeſt.3.
dict.1. Lauorius *ſupr. num.* 110.

Tertia conditio pro procuratore electionis requiſi- 113
ta eſt quod ille ſit vnus de Collegio ſeu capitulo, id
eſt, quod ſit aliàs Gremialis, ſeu capitularis eius Ca-
pituli ad quod deſtinatur procurator. Ita enim habetur
expreſſe *d. cap. Quia propter, §. Illud.* verbis relatis *ſu-
pra num. 101. Et ſupponitur *in d. cap. ſiquis iuſto, §. ab-
ſens quoque. Et tradunt concorditer DD. nullo dempto,
quem viderim, ſpecialiter Lancellotus *in Inſtit. can. de
elect. §. Sed ſi quis, Ioannes Andreas, & Antonius de
Butrio *in d. §. Abſens quoque.* Syluester *ſuprà dict.1.* Mi-
randa *tom.2. Man. quaeſt.23. art.7.* Lauorius *ſuprà n.* 45.
Tamburin. *eo quaeſt.4. num.2.* Barboſa *ſuprà num.* 104.
Sigiſmundus *ſuprà dub.14. num.2.* Laymanus *de elect.
Prælator. cap.4. num 43. Samuellius *ſuprà pag.69.* Bor-
donus *tom.2. reſol.61. num.9.* Nec hoc eſt mirum, quia
generaliter loquendo ſubrogans & ſubrogatus debent
eſſe eiuſdem qualitatis, iuxta doctrinam Bartoli *in
l.3. C. de princ. agent. lib. 12. Maximè in actibus fa- 114
ciendis per Capitulum ſeu Vniuerſitatem, ne cogantur
ſecreta ſua communicare extraneo, *cap. Quod alicui, de
re iudic. lib.6. l. mercatores, ff. de comm. & mercat. Syl-
uester *ſuprà dict.1.* Lauorius, Tamburinus, & Barbo-
ſa *ſuprà.* Nota tamen quod ſi Capitulum ex gratia
cor ſentiis

Digitized by Google

conſentit poteſt admitti iſte Procurator, etiamſi non ſit
115 de gremio ipſius capituli, prout dixi ſupra de procura-
tore non impediti legitime, & rationem ibi aſſigna-
ui, ſcilicet quia ſi poteſt Capitulum admittere ad vo-
tandum aliquem omnino extraneum, multò magis po-
terit admittere procuratorem vnius de capitulo. Et ita
tenent expreſſe Abbas *in d.§. Illud, num.* 2. Lauorius
num. 46. Tamburinus *num.* 3. Syluester, Barboſa, Si-
giſmundus, & Samuellius *ſupra*. Tenetur tamen ha-
bere eas qualitates, quas alij gremiales ſeu capitulares
de iure, vel conſuetudine debent habere, vt interſint
116 electionibus, ſcilicet eſſe conſtitutus in Sacris, &c. niſi
adſit conſuetudo, vel priuilegium in contrarium. La-
uorius *ſupra num.* 47. Barboſa *ſupra*, Sigiſmundus *ſuprà
num.* 5. *&* 6. Samuellius *ſupra pag.* 69. *&* 70.

117 Ex quibus infertur, quod iſte procurator de Colle-
gio conſtitutus poteſt habere duas voces, ſeu ferre duo
ſuffragia, vnum ratione iuris proprij quod habet, &
aliud procurator alterius. Ita enim colligitur *ex cap. ſi
quis inſto, relato §. Porrò*, & Gloſſa *d.cap. §. ſi quis*, &
docent vel ſupponunt communiter DD. ſpeciatim Gloſ-
ſa *in cap. Quia propter, de elect. §. Illud verb. venire*,
Bordonus *ſuprà*, & Portellus *in dub. Regular. verb. ele-
ctio, in addit. num.* 2. cum aliis ſtatim referendis. Et ratio
euidens eſt, quia non debet priuari iure proprio, eo
quod iure alterius etiam vtatur.

118 Notandum tamen, quod iſte procurator habens
iſta duo ſuffragia ſeu vota, non poteſt dare vnum vni,
& alterum alteri, ſed tenetur dare vtrumque vni ſoli,
illi ſcilicet, cui aliàs tenebatur ſuffragium dare, quia
ſcilicet, eſt dignior, &c. Sic enim elicitur *ex d.§. Por-
rò*, Gloſſa *ibid. verb. Nihil agit*, Lancelluto *ſup. §. Etſi
tantùm*, Lauorio *num.* 58. Sigiſmundo *num.* 7. ex mul-
tis aliis, Miranda *ſuprà concl.* 5. ex Sylueſtro & Bar-
boſa *num.* 105. poſt plures quos refert & ſequitur. Et
ratio eſt quia, vt inquit Gloſſa relata, & Lauorius *ea
num.* 58. iſte eadem conſcientia, id eſt obligatione
conſcientiæ, tenetur eligere nomine ſui principalis &
119 proprio: ergo ſolum vnum, id eſt digniorem. Non
ergo poteſt dare vnum votum vni, & alterum alteri,
ſed vtrumque vni ſoli. Excipitur caſus in quo princi-
palis ei ſpecialiter mandauerit, vt det ſuum votum de-
terminatæ perſonæ: tunc enim ex duplici illo voto
quod habet, poſſet vnum dare tali perſonæ, & aliud
alteri, digniori videlicet, ſeu magis idoneo; illud qui-
dem iure procuratorio; iſtud verò iure proprio. Quia
ita deciditur *in d.cap. ſi quis inſto, §. Porrò, verſ. niſi de
certa*, & tradunt Gloſſa *ibid*. ex aliis DD. Sylueſter *ſuprà
dict.* 1. Lancellot. §. *Etſi tantùm*, Nicolaus Garzia *de
benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 199. Lauorius *num.* 54. Sigiſ-
mundus *num.* 8. Tamburin. *quaſt.* 4. *num.* 6. Barboſa
120 *num.* 105. Bordonus *num.* 9. & alij. Notant tamen, &
bene, hoc ſolùm procedere iure antiquo, non nouo
poſt Concil. Trident. eo quod *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap* 6.
diſtinctè præcepetit vt electiones Regularium fiant *per
vota ſecreta*, tale autem votum non eſſet ſecretum,
cum deberet conſtare capitulo de hac commiſſione in
Inſtrumento procuræ. Et ita declarauit S. Congreg.
Concilij, vt infrà videbitur. Addunt etiam Molina *de
primog. lib.* 2. *cap.* 5. *à num.* 51. Gutierez *in qq. canon.*
121 *cap.* 11. *num.* 9. quos ſequuntur Sigiſmundus, & Barbo-
ſa relati, quod in caſu quo inter eligendos eſſent ali-
qui tam æquales in meritis, vt non poſſet ab electori-
bus diſcerni quis eſſet dignior, aut magis idoneus, tunc
etiam poſſet præfatus procurator dare vni vnum votum
nomine proprio, & alij aliud nomine ſui Domini, ſeu
principalis. Cæterùm non placet hæc ſententia, quia
nullum video in iure fundamentum pro ipſa, nec pla-
122 cet aliis DD. & caſus qui in ea ſupponitur de omnimo-
da æqualitate meritorum eorum qui eligi poſſunt, eſt
merè metaphyſicus, cum nunquam duo ſint ita æqua-
les in meritis, vt in aliquo non ſe excedant.

Hæc porrò quæ dicta ſunt de Inſtitutione procura- 123
toris ad electiones faciendas, ſeruatis dictis conditio-
nibus, etiam ſubſiſtunt poſt Concilium Tridentinum,
quantum eſt ex vi iuris communis. Etſi enim Conci-
lium loco proximè relato, loquens de electionibus
Prælatorum Regularium dixerit, *Nec in poſterum liceat
voces & ſuffragia abſentium ſupplere*, per id tamen
non excluditur inſtitutio procuratoris cum conditio-
nibus requiſitis, ſed ſolùm conſuetudo quædam quo-
rumdam Prælatorum, qui vt facerent electiones ad
ſuum beneplacitum, voces & vota abſentium dabant
aliis, prout dixi *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 9. ex Rodriguez
& Paſſarello, & tenent communiter DD. præſertim
ex ſuprà relatis Lauorius, Sigiſmundus, Tamburi-
nus, & Barboſa. Et conſtat ex declaratione S. Con- 124
gregationis Concilij, quam eo loco retuli, & ex aliis
authenticis, quas in additionibus ad eum locum at-
tuli, & quæ mihi datæ ſunt ab Illuſtriſſimo D.D.
Paulucio eiuſdem S. Congregationis digniſſimo Se-
cretario.

Ex his autem patet reſponſio ad commune dubium, 125
quo quæritur, an in electionibus Regularium admitti
poſſint procuratores conſtituti ab electoribus abſen-
tibus. Conſtat enim ex dictis id fieri poſſe ſtando in
iure communi Canonico, & Concilij Tridentini, ſer-
uatis tamen illis tribus conditionibus aſſignatis, ſcili-
cet quod electores ſint abſentes à loco in quo fiunt ele-
ctiones, & quod procuratores deſignati ſint ex gre-
mialibus, ſeu vocalibus capitulorum, & quod non
habeant mandatum ſpeciale de eligenda determinata
perſona, ſed generale. Quæ omnia clariùs conſtant ex
alia declarat. S. Congregationis, quam ex Caſtellino
afferunt Barboſa *loco relato in ſuperioribus, num.* 107.
& Tamburinus *quaſt.* 4. *num.* 9. huius tertoris. *Item ex* 126
decreta d.cap. 6. *non eſſe prohibitum Superioribus Ordi-
num, quibus id ex regula conceditur, vt aliquem fratrem
idoneum ſuo loco delegent, ſeu mittant ad capituli gene-
ralis celebrationem, vt ſuo nomine electionem faciat, ſi
ex inſtitutis & decretis ſuæ Religionis licet Superioribus
abſentibus, & legitimè impeditis mittere alium ad Capi-
tulum generale, qui ſuo loco & nomine in electione ſuf-
fragium ferat*. Sic etiam fertò è Conſertius in ſum. ma-
ter. priuileg. Ordin. inter decreta Concil. Trid. *num.* 40.
& Samuellius *ſupra pag.* 73. Caſu ergo quod in aliqua
Religione ex Regula, ſtatutis, vel Conſtitutionibus
id permittatur, fieri poteſt ſine ſcrupulo, vt ſpeciali-
ter notant Portellus & Bordonus *locis relatis*. Etiamſi 127
antea non habuerint conſuetudinem id faciendi. Quia
cùm hæc facultas non ſit ex priuilegio, ſed ex vi iuris
communis, non poteſt perdi per non vſum. Præſertim
quia etiamſi eſſet ex priuilegio, requirerentur ad amiſ-
ſionem ipſius ea quæ adduxi *infrà verb. Priuilegia Re-
gularium, num.* 15. *&* 16. quæ etiam tangit Bordonus
ſuprà num. 10.

Quia ergo hæc facultas prohibetur inter Monachos 128
Caſſinenſes, Cœleſtinos, & Vallumbruſanos, vt habet
Tamburinus *ſuprà num.* 10. & in Ordine Prædicato-
rum, prout refert Samuellius *ſuprà pag.* 72. & apud
PP. Capucinos, vt ſcribit Sigiſmundus *ea dub.* 14. *n.* 15.
ideo apud illos nullatenus obſeruari, aut introduci
poteſt huiuſmodi Procuratorum pro electionibus in-
ſtitutio.

De noſtro etiam Carmelitarum Ordine idem vide- 129
tur dicendum propter plura quæ in ipſo reperiuntur
contraria huiuſmodi Procuratorum inſtitutioni. Et-
enim in Capitulo generali S. Martini de Montibus an-
no 1564. ſic decernitur: *Et quoniam Sacroſanctum
Concilium Tridentinum decreuit non poſſe vota ſeu ſuffra-
gia abſentium pro electione Generalium, Prouincialium,
&c. ſuppleri, nemo ab huiuſmodi decreto deſciuit, &
omnino ſupplementum prædictum fuit dimiſſum. Imò anni
reuerentia & obſequio decreuit vniuerſus Diffinitorum*

cœtus, ſupplementum votorum non poſſe, nec debere in poſterum obtineri, ne adeuntium labores fraudibus circumueniantur; abſentes verò ſuis commodis intendentes grauiſſimum Patrem Ordinis eligant, ipſumque præficiant Ordini noſtro in Patrem & Paſtorem, quod quidem eſſet valdè præpoſterum & abſurdum. Item in Conſtitutionibus Ordinis iuſſu Generalis Caſard editis de an. 1586. *part.4. cap. 6.* ſic: *Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per abſentium, ſed præſentium duntaxat vota, legitimè habentium locum & vocem in capitulo Generali.* Quæ etiam habentur in nouiſſimis Conſtitutionibus de anno 1625. iuſſu Generalis Gregorij Canalis editis *part.4.cap.6.num.3.* Eo etiam quod in capitulo Generali S.Martini de Montibus de anno 1598. celebrato, cum quidam habens procuram à duobus Prouincialibus Hiſpaniæ ad dandum ſuffragium in eodem capitulo pro ipſis, vel aliquo ipſorum, non eſt auditus aut receptus, ſed omnino reiectus, prout ex papyro Ordinis *fol.* 188.*pag.2.* clarè conſtat. Ex quibus ſimul iunctis ſatis perſpicitur intentum Religionis noſtræ fuiſſe non admittere huiuſmodi Procuratores pro electionibus faciendis.

130 Nec contra hoc obſtat quod in capitulo generali de
anno 1648. Romæ celebrato quidam Prouinciæ Caſtellæ alumnos admiſſus eſt ad ſuffragium ferendum in eodem capitulo nomine cuiuſdam electoris abſentis, qui hoc ipſi commiſerat. Reſpondendum etenim eſt hunc admiſſum ad ſuffragium ferendum non fuiſſe admiſſum vt legitimum Procuratorem conformiter ad *cap. Quia propter, de elect.* vel *ad cap. ſi quis iuſto, eod. tit. in 6.* eo quod nec erat de gremio capituli, prout ex *d. cap. requiritur*, nec conſtabat inſtitutum eſſe ab electore legitimè impedito ad accedendum ad celebrationem capituli. Vnde ſolùm fuit admiſſus veluti extraneus, & de communi conſenſu gremialium, prout
131 fieri poſſe, dixi *ſuprà num.* 112. etiamſi non eſſet de
gremio capituli, ſeu de Collegio, nec inſtitutus à legitimè impedito. Admittere autem hoc modo electores non ſolùm eſt permiſſum per *cap. ſcriptum, de elect.* & communem DD. ibid. *vt eo loco* dixi, ſed etiam vide-
132 tur vtile & conueniens electionibus Regularium, quia
quo per plurium ſuffragatorum vota fiunt, eo ſecuriores ſunt, quia multitudo ſuffragatorum eſt cauſa quod magis liberè fiant, quia impedit ne ad nutum alicuius ipſorum vota trahantur, prout eſt difficile fieri, quando eſt multitudo ſuffragatorum, iuxta doctrinam S. Thomæ 2. *Polit. lect.7.* ex Ariſt. deſumptam, quam ſequitur Iacobus Ragius Cupucinus *de regim. Regular. centur.2.tract.9.dub.171.num.4.*

133 Hìc tamen non prætereundum, quod cum in prædictis decretis nulla fiat mentio de prohibitione conſtituendi talem Procuratorem pro electionibus faciendis, ſed ſolum de non ſupplendis votis abſentium iuxta morem Concilij Tridentini, qui vt viſum eſt, non eſt contrarius tali inſtitutioni, dummodo non ſit pro determinata perſona, ideo probabile videtur admitti poſſe in electionibus etiam noſtri Ordinis præfatos Procuratores habentes prædictas conditiones, videlicet quod inſtituti ſint ab electoribus abſentibus, & legitimè impeditis, & quod ipſi procuratores aliàs ſint de gremio Capitulorum, prout in ſimili de ſua Religione, non obſtante quodam decreto Regulæ dixit Bordonus *ſuprà num.*11. Ratio quæ me mouet, ea eſt, quod ius commune ſemper eſt priuilegiatiſſimum, & dum
134 non conſtat ipſi derogatum fuiſſe, illi ſtandum. Quia
iura iuribus debent concordari, & iurium correctio ſemper eſt vitanda, *cap. Cum expediat, de elect. in 6.* Surdus *dec.*21.*num.*19. Tuſchus *pract. Concl. tom.2. litt. C. concl.* 1036. Pichard. *ad princ. Inſtit. de leg. Falcid. num.*34. Cephal. *conſ.*323. *num.*18. *vol.*3. Cum igitur in terminis Iuris Communis ſtando permiſſa ſit talis procuratorum inſtitutio, dum clarè non conſtat per ſtatuta Religionis reuocatam eſſe, poterit permitti. Eo quoque quod res de facili reuertitur ad ſuam naturam, *l. Igitur nuda, §. pactus ne peteret, ff. de pact. l. fil. quem pater, ff. de lib. & poſthum. can. Ab exordio, diſt.* 35.

Praxis moralis de electione.

Pro complemento autem huius ampliſſimæ mate- 135
riæ *de electionib. inter Regulares*, placuit hoc loco adiungere praxim quandam moralem electionum inter Regulares compoſitam à docto quodam noſtri Ordinis Profeſſore in Galliis; notando etiam loca, in quibus de iis quæ in dicta praxi habentur, aliqui Doctores agunt, & ego ſermonem inſtituo in meis ſcriptis, ea approbando, explicando, ſeu limitando.

Praxis Electionum inter Regulares iuxta normam Canonum Eccleſiaſticorum, Conciliique Tridentini Decreta, & ſummorum Pontificum placita.

Electio non minùs antiqua videtur eſſe inter homi- 136
nes quàm ipſorum ſocietas; hæc enim ab illa regitur, nec pacificè conſeruari poteſt, niſi quatenus per electionem legitimam prouidetur de capite idoneo membris corporis myſtici, ſeu ſocietatis humanæ ſuſtentandis, & in fines proprios dirigendis. Siquidem ex vna parte neceſſaria eſt ſubiectio inferiorum erga Superiores, cum nequeant omnia membra fungi munere capitis in vno & eodem corpore, quale eſt illud humanæ ſocietatis: ex alia etiam tam eſt naturalis libertatis vſus hominibus, vt ab illis ſeparari nequeat abſque illorum conſenſu; ex quo fit vt iuxta rectum rationis dictamen priuati non debeant prædicto libertatis vſu, aliiſque ſui ſimilibus ſubjici, niſi annuente ipſorum voluntate, quæ quidem conſentit pro communi bono & publica tranquillitate, vt exuatur ſuo arbitrio, alterique ſubdatur, ſed ea conditione, vt bene viſum exiſtat caput illud, à cuius moderamine dependeat neceſſe eſt. Hoc autem conuenientiori modo non potuit apta-
ti, quàm ſi praxis eligendi Superiores & Prælatos in- 137
ſtituerentur in hominibus, qui conſentiunt eò libentiùs ad exhibendam illis obedientiam, quo liberiùs eoſdem ſibi præpoſuerunt, eiſque ſuam libertatem renunciarunt meliori ac ſuauiori modo qui viſus eſt hominibus in ſocietate congregatis.

Atque licet hæc procedendi forma non fuerit tam 138
fideliter in ſtatu ſæculari & laïco omni tempore cuſtodita; nunquam tamen eadem defuit in Eccleſiaſtico & Regulari, vtpote qui totus in humilitate Chriſtiana ſubſiſtit: tantum denique recedit ab Authoris ſui propoſito, quantum deflectit in ſpiritum ambitionis, elationis & cupiditatis dominationem ſuper alios exercendi: contrà verò in ſtatu ſæculari & laïco, vbi Dominantes in Gentibus præferuntur aliis, & quilibet nihil cogitans quod homines à natura ſunt liberi, omnia tentat & audet vt cæteros opprimat, ſibique ſubjiciat, eo ſe reputando beatiorem quo plures poſſidet inferiores. Huiuſce vſurpationis luculentum præbuit teſtimonium qui primus inter homines ſocialiter viuentes, ſibi violenter illos ſubiecit non multo tempore poſt ſeparationem & diſperſionem filiorum Noëmi. Etenim tentauit, ac perfecit quod ante ipſum nemo fuerat auſus, ſibique tam multos ſubdidit, vt exinde prima fuerit orta Monarchia, quæ fuit Babyloniorum; vnde aliæ conſecutæ ſunt ſucceſſu temporum, prout vi & armis homines ſeſe inuicem ſubiugauerunt. Non ſic in ſtatu Eccleſiaſtico, vbi Chriſto ipſo edocente dum congregauit diſcipulos & ex illis Apoſtolos elegit, ſemper in viridi obſeruantia praxim Electionum viguiſſe fidem faciunt Annales Eccleſiaſtici; id etiam connotando nullo maiori dolore afflictam, aut periculo quaſſatam

quaſſatam fuiſſe Eccleſiam Dei, quàm dum aliquid vitioſum contra ſinceritatem Electionum irrepſit.

139 Quinimo ſatis compertum eſt ex hiſtoria prophana, plurimos Reges ac Principes initio Regnorum & ſtatuum naſcentium per Electionem liberam Populorum euectos fuiſſe ad Principatum, etiam cum iure ſuccedendi deſcendentibus ipſorum reſeruato: extant inſuper modò quædam Imperia & Regna, quibus eadem plane formâ de Rectoribus & Dynaſtis prouidetur. Quia verò non ſpectat ad nos de illis, ſed tantùm de ſacra Eccleſiæ politia pertractare, quæ multoties etiam in hac parte fuit alterata pro diuerſis rerum ac temporum mutationibus, ac ferè ſola ſupereſt quæ fit inter Regulares perſonas Electionum praxis; Nos idcirco de hac fuſius & accuratius diſcurremus attingendo ſigillatim naturam Electionis, finem, formam, ſubiectum, cauſam efficientem, omneſque circunſtantias quæ vel illam veſtire debent, vel etiam eidem nocere poſſunt. Quæ omnia quantæ conſiderationis eſſe debeant Electoribus hoc ſolùm perſuadere poteſt, quod certiſſimum eſt ex bene vel malè pertractatis Electionibus pendere ſtatus Eccleſiaſtici vel Regularis pacem, proſperitatem & fœlicem exitum; aut contrà perturbationem & ruinam nulla re vnquam in Ordines Religioſos efficacius inuectam fuiſſe, quam prauâ & abuſiuâ Capitum & Prælatorum ac Officialium cæterorum intru-

140 ſione. *Ad hæc deſeruiunt quæ ſcripſi in libro de Reformatione Regularium, cap. 15. vbi multa ſpectantia ad bonos, vel prauos Prælatos Regulares, qui ab ipſis eligi ſolent, ex diuerſis authoribus habeo.*

Capvt I.

Quid ſit Electio, & cuius Virtutis actus?

141 Qvantum ſpectat ad rem noſtram, definitur communiter, perſonæ habilis ad Eccleſiam Paſtore deſtitutam canonicè facta vocatio; ſicut enim in corpore reſidet vnicum caput, ita nec in ſocietate plures poſſunt præeſſe Paſtores, niſi forè ſubalternentur inuicem, vt quod vnus inſtituit alter non deſtituat. Porrò ex illa Electionis definitione, quam voluntatis actum exiſtere certum eſt, ſatis colligitur virtutis eſſe opus, ſi fiat legitimè. Quamuis enim Electio ſit per ſe indifferens, poſſitque tam facilè peruerti, quàm bene fieri, non eſt tamen dubitandum induere naturam virtutis, ſi fideliter pertractetur ſecundum leges præſcriptas. Quemadmodum ergo ſtudium litterarum per ſe quidem indifferens, habet nihilominus ſpeciem & honeſtatem virtutis, ſi ex huius motiuo eliciatur, daturque habitus ſtudioſitatis inter cæteras virtutes ſedem habens, cuius officium eſt dirigere ſtudium litterarum & actus proprios illius elicere: ita pertinet ad virtutem prudentiæ dirigere canonicas electiones & actus earum proprios elicere: quamquam & ab aliis virtutibus præcipi poteſt Electio, nimirum à fidelitate erga Eccleſiam aut Religionem, à Iuſtitia legali propter bonum commune, à charitate ſeu zelo ad ſalutem & profectum animarum, & aliis eiuſmodi. Ex quo fit vt non vnicum contrahatur peccatum in prauis electionibus, ſed tam multiplex quàm poſſunt aduerti per rationem humanam mala & damna ex peruerſa electione ſecutura, verbi causâ, iniuſtitiæ contra Iuſtitiam regalem & communem, infidelitatis, defectus zeli, maximeque ſtultitiæ contra rectam prudentiam; quæ quidem peccata tantumdem grauitatis ac malitiæ continent, quanta inerat obligatio virtutes oppoſitas exercendi; quam certè ſtrictiſſimam eſſe credendum eſt, quandoquidem inter cæteras virtutes morales non eſt ferè vlla quæ firmius aſtringat quàm prædictæ.

142 Ergo vt Canonicè procedat Electio ſecundum prudentiæ leges, ſic procedendum venit, vt primò quidem præuideatur finis electionis faciendæ, nam imprudens eſt ex ſcriptura & inſipiens qui nouiſſima rei non prouidet. Secundò maturè conſulendum erit de mediis pluribus efficaciter conducentibus ad finem intentum, qui eſt legitima gubernatio & cuſtodia fidelis populi commiſſi: vt deinde, Tertiò iudicium ſanum ac firmum feratur de illo medio, quod eſt cæteris aptius, nimirum vt ille ſeligatur qui plures & meliores partes habet pro regimine ſuſcipiendo; quod dum ſemel decretum eſt in animo, ſtatim executioni mandari conuenit, nihil conſiderando cætera quæ diuertere fortè poſſent à propoſito legitimo. Atque hi ſunt actus proprij ex quibus prudens & diſcreta electio componitur, quorum ſi quiſpiam defuerit, peccaminoſam eſſe indubium eſt, nimirum vel eſt impræuiſa, vel indiſcreta, vel temeraria, vel puſillanimis; quibus in omnibus culpam reperiri neceſſe eſt, cum bonum ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu, ac generaliter virtus ſubeſſe nequeat vbicumque prudentia deficit. *De hoc puncto tractant Theologi in materia de actibus humanis, vbi ego etiam tom. 2. Theologiæ nonnulla dixi.*

Capvt II.

Quis ſit legitimus finis Electionis Canonicæ.

Cvm nihil ſit quod Eccleſiæ Dei magis officiat, 143
quàm quòd indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum, *cap. nihil eſt, de Elect.* & ars artium ſit regimen animarum, *cap. cum ſit, de ætat. & qualit. ordin.* magnumque ſit opus aliis prælucere & exemplo eſſe, baſes Eccleſiæ & columnas ſubiicere, nempe Paſtores tales Eccleſiæ præponere, qui doctrinæ & meritorum viribus eam ſuſtentent, *§. 1. de Elect. in Prag. Sanct.* hinc fit quod finis primarius Electionis faciendæ non alius eſſe debeat, quàm ſollicitudo ſalutis animarum, & earumdem progreſſus in via virtutis & ſanctitatis; nam vbi periculum maius intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum *de Elect. in 6.* Ex quo patet vlte- 144
riùs in id maximè incumbere teneri Electores, vt illum ſedulò perquirant, & determinatè ſeligant, qui coram Deo & in rei veritate idoneus exiſtat, vel ſaltem talis bona fide reputetur, prout ſubinde inculcant iura vetera & noua; namque ſi ſunt eligendi artifices pro magnitudine & qualitate cuiuſque operis agendi, certè multo magis ad curam Eccleſiæ obeundam idonei Miniſtri ſunt aduocandi, *cap. conſtitutus, de appel.* ne vlla canonica conſtitutione reiiciantur, *cap. obitum 61. diſtinct. Ad hoc etiam inuentum deſeruiunt quæ dixi in Tract. de Reformat. Regul. cap. 15.*

Porrò idoneitas in tribus maximè conſiſtit, virtute 145
nimirum, doctrina & prudentia, iuxta illud Apoſtoli, *in omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate*: nihil enim *æquè animum hominis inducit ad ſalutem, iunioreſque ad laborandum incendit, ac ſi doctorem reipſa & exemplo ad virtutem cohortatorem inuenerint*, aiebat ſanctus Ephrem: *& illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam docentis vita commendat; quia dum aliquid loquendo imperat, oſtendendo adiuuat vt fiat. Sit ergo primus in aſperis, vltimus in mollibus, ſibi nunquam parcat.* Sanctus verò Chryſoſtomus ſic Prælatum inſtruit verbis prorſus aureis, *qui docet & facit quod docet, ille verè docet, qui autem non facit quod docet, non alium docet, ſed ſeipſum condemnat.* Imitetur ergo Superior Duces militiæ, qui primi ſunt in periculis, ſudoribus, vigiliis; nam doctrina verborum ſine exemplis operum, eſt ſicut cæmentum ſine calce aridum, & inualidum: Ipſi linebant parietem abſque temperamento: dic eis quòd caſurus eſt, clamat Scriptura. De correctis exemplaribus correcta

ſcribuntur volumina, de corruptis corrupta; tenacius
inhæret doctrina operum quàm verborum, nam cu-
ius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contem-
146 natur. Sit itaque Prælatus verax, animi candidi, fidus
cuſtos depoſitorum ſecretorum, fortis in aduerſis, li-
beralis erga ſuos, conſultet de rebus agendis, delibe-
rata conſtanter exequatur, non nimis diffidat ſuis,
alioquin eo ipſo miſerrimus, non ita aliquibus tribuat
vt alios negligat. In omni delatione Reo potiores par-
tes tribuat, adulatores fugiat, detractores non au-
diat, nunquàm corrigat cum paſſione, Deo potiſſi-
mùm confidat, quem oratione perſeueranti quærat.
Ecce breuiter formam Superioris, qui vt exiſtat idoneus
regimini & vtilis Eccleſiæ, ſpiritualis quoque debet
eſſe, iuxta illud Apoſtoli, vos qui ſpirituales eſtis, in-
ſtruite in ſpiritu lenitatis. Qui quidem ſpiritus in eo
conſiſtit, vt malis eos qui tecum conuerſantur, re-
uereri te quàm metuere; ſiquidem reuerentiam admi-
ratio, timorem odium comitatur, vnde Philo Iudæus
ita monet, *Si vis bonus eſſe Rex, cum fortitudine benig-
nitatem ac manſuetudinem ſerua, vt non formidoloſus, ſed
reuerentia dignus tuis ſubditis videaris*; & ex diuo Au-
guſtino, *nulla eſt maior ad amorem inuitatio, quam præ-
uenire amando*. Studeat ergo Prælatus, vt ſit idoneus
ad curam animarum, magis amari quàm timeri, & vt
ipſe ametur, amet; ſic imperet ſuis, vt pater filiis, ma-
lit prodeſſe quàm præeſſe, non ſit in domo ſua quaſi
leo ſubuertens domeſticos & opprimens ſubditos. Sunt
qui dicunt, *oderint dum metuant*, error eſt nunquam
tolerandus, malè ſiquidem terrore veneratio acquiri-
tur, & ipſa poteſtatis authoritas facit Superiorem ſa-
tis timendum ſubditis, cui ſi iungatur auſteritatis ſe-
ueritas, pauidis fiet mentibus oneroſus, in tantum vt
clamori prophetico locus detur, plagæ infirmorum
non eſt *circumligata, nec curata medicamine, neque lo-
ta oleo.*

147 Enimverò, *omne tulit punctum qui miſcuit vtile dul-
ci*. Ergo nec auſteritate exulcerentur ſubditi, nam ro-
boratur clementiâ thronus eius. *Prou*. 20. neque nimia
benignitate ſoluantur, ne Prælati vocentur canes mu-
ti latrare non valentes. Sit illis amor, ſed non emol-
liens, ſit vigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non im-
moderatè ſæuiens; ſit pietas, ſed non pluſquam expe-
diat parcens; nam miſericordia ſola ſi fuerit, ſecuri-
tatem facit peccandi ſubditis: ſi diſciplina ſemper ade-
rit, vertit animum delinquentis in deſperationem. Er-
go *pœnam ſi tutò potes, donabis; ſin minùs, tempera-
bis*, concludit Seneca. Quibus ex omnibus patet qua
ratione Prælatus exiſtat idoneus tum prudentiâ, tum
moribus, præter alias capacitates quas quiſque priua-
tim ſecundum proprias leges poſſidere tenetur, ante-
quam admittatur ad Prælaturam, vel ſaltem eaſdem
breui conſequi; quæ tamen omnes ad triplex illud
caput initio relatum reducuntur, ſcientiæ, virtutis, &
prudentiæ; nam ſcientia ſine virtute per ſe infirma eſt,
virtus abſque ſcientia, cæca exiſtit, prudentia vtram-
que applicat; præ cæteris autem virtus eſt neceſſaria,
148 quia ſi peruerſa Prælati perpetrant, tot mortibus dig-
ni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla
tranſmittunt, vnde neceſſe eſt vt tanto ſe cautiùs à
culpa cuſtodiant, quanto per praua quæ faciunt, non
ſoli moriuntur, ſed aliorum animarum quas prauis
exemplis deſtruxerunt, rei ſunt. Verùm circa finem
prædictum occurrit maior adhuc difficultas, quæ quia
magis ſpectat ad ſubiectum electionis, illam idcirco in
eodem conſiderabimus capite ſequenti. Adamuſſim
ſpectant ad iſta ea quæ ſcripſi cap. illo 15. relato.

Capvt III.

Quale ſubiectum ſit capax Electionis recipiendæ.

Plerique certè iure prohibentur eligi, tum pro- 149
pter crimina commiſſa, tum propter alias inhabi-
litates quæ continentur in iuribus communibus, &
priuatis. Quod ſpectat ad iſtas, conſuli debent ab
vnoquoque ſecundùm proprias cuiuſlibet Ordinis
conſtitutiones: quoad crimina verò quæ priuant iure
eligibilitatis, intelligi debent ea quæ ſcandalum gene-
rare poſſunt, & infamiam inurere, *cap. infamibus, de
Regul. iuris in 6*. Quinimò crediderim propter graue
crimen occultum, ineligibilem eſſe reum illius, maxi-
mè vbi ſuffragia ſecretò feruntur, niſi tamen ita pera-
cta fuiſſet de eo pœnitentia, vt nihil periculi ſubeſſet
ampliùs, nec crimen præteritum futuro regimini &
bonæ famæ foret nociturum. *De hoc puncto dixi tom.1.
ſummæ, cap.15. num.2.3.4.5.6. & 7. ac tom.2. cap.12.
à num.29. & ſuprà num.8.*

Porrò inter crimina quæ prohibent eligi quem- 150
quam ad Prælaturam, ita ſemper exoſa fuit ambitio,
vt non ſolùm prohibeatur eligi ad Prælaturam qui de
illa ſuſpectus eſt, *cap. Diſplicet 23. quæſt.4. & cap. In Scri-
pturis 8. quæſt.1.* ſed etiam cautum fuit ne valeat illius
electio qui ante ipſam factam ſuum eidem præbuit aſ-
ſenſum, *cap. Poſt petitam, de elect.* item ſi facta fuerit
adhibito priùs colloquio cum eligendo, vel cum eius
amicis, *cap. Per inquiſitionem*: vnde caſſata fuit, &
propter ambitionem corruit electio in Abbatem illius
qui Monachus factus eſt cum promiſſione quod futu-
rus eſſet Abbas, *cap. Cùm ad noſtram, & cap. Cùm
officij, eodem titulo*. Imò etiam reprobatur diſpenſatio
per Superiorem Monacho indulta, vt poſſit conſenti-
re electioni de ſe faciendæ, tanquam parans viam am-
bitioni, *cap. fin. de Elect. in Clem.* Quæ omnia confir-
mari poſſunt tum ex Apoſtolo *Hebr.5.* nemo debet ho-
norem ſumere ſeu petere, niſi vocatus tanquam Aaron:
tum ex illo Gregorij magni Siagrio Epiſcopo, & re-
lato 1. *quæſt.6.* ſicut is qui inuitatus renuit, quæſitus
refugit, ſacris eſt altaribus admouendus; ſic qui vl-
tro ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt procul dubio
repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcende-
re, quid agit, niſi vt creſcendo decreſcat? Quicumque
deſiderauerit Primatum in terra, inueniet confuſio-
nem in cœlo. *De ambitione Regularium egi in opere illo
de Reformat. Regular. cap.13. per totum, & in hoc 3. tom.
verbo Ambitio.*

Venit deinde crimen Simoniæ, quod reddit ineli- 151
gibiles eam committentes, ineundo pactiones illici-
tas per ſe, vel per alios cum eligentibus vel aliis, *capit.
ſuper eo, de Elect.* Item Sacrilegium facit ineligibilem,
cap. Venerabilem, eodem titulo, imò & ab aliis legiti-
mis actibus explodit, *cap. Nulli 3. quæſt. 4.* Item nec
falſarius litterarum Summi Pontificis, *cap. ad falſa-
riorum, de crimine falſi.* Item nec Regularis, *cap. Is
qui, de ſententia excommunicationis in ſexto.* Item nec
Schiſmaticus, nec hæreticus, nec Excommunicatus,
nec Suſpenſus, nec Interdictus, nec Periurus, nec
denique Reus alicuius criminis eligi poteſt, propter
quod electio facta irritanda foret. Ex quibus omni-
bus ſatis deduci poteſt, bonum nomen vndequaque
neceſſarium eſſe illi qui debet eligi ad Prælaturam,
imò & ad Officium qualificatum. *De huiuſmodi defe-
ctibus, pro quibus aliqui ſunt ineligibiles ad dignitates,
dixi tom.1. cap.15. num.25. & num.28. & ſequentibus, &
dicam infrà verbo Prælati, ac de illis Summiſtæ omnes
verbo Electio.*

Verùm expreſſiùs patebit hæc veritas, ſi manifeſtum 152
fiat non tantùm eligibiles eſſe illos ſolos qui ſunt ido-
nei

nei & probi, ſed etiam illos ex obligatione ſtricta præferendos eſſe qui ſunt digniores, meliores & magis idonei, ſicut apertè docent communiter omnes poſt Iura Canonica, Concilia, Patres, rationem, Iuſque ipſum Naturale. Equidem ſcio gloſſam multis in locis aſſerere ſufficiens eſſe ſi dignus eligatur, *vt in capite Conſtitutis, de appell. & cap. licet 8. quaſt. 1.* & alibi. Verùm ſoluitur hæc difficultas dicendo gloſſam id ſolùm ita voluiſſe, vt electio de digno facta non ſit irrita ipſo iure, nec veniat irritanda, quamuis illicitè peracta ſit; namque multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, *de Regulis Iuris in ſexto*; vel etiam addendo illius authorem tunc nondum vidiſſe quæ poſtea definita ſunt à Conciliis & Summis Pontificibus. Vide dicta *tomo 1. cap. 15. num. 12. 13. 14. & 15. & ſupra verbo Beneficium, num. 13.*

De Digniore eligendo.

153 Vt autem inconcuſsè ſtabiliatur hæc Doctrina, profero imprimis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform.* vbi ſic dicitur, omnes & ſingulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius quacunque ratione à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin ſuam operam præſtant, monet ſancta Synodus eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint. Quod quidem Decretum de omnibus intelligi debet, qui curam animarum ſuſcepturi ſunt, tamque de Prælatis Regularibus qui poteſtatem quaſi Epiſcopalem habent, hoc eſt ſimilem iuriſdictionem in ſibi ſubditos, quàm de ipſis Epiſcopis. Vide dicta *locis relatis*, & Sigiſmundum de Bononia *de electione Prælator. cap. 5. per totum.*

154 Profero deinde *caput primum, vt Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur*, vbi ſcribit Innoc. III. cuidam Epiſcopo, Non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum Officium & Beneficium in perſona magis idonea diſpenſare. Quod confirmat Trident. *cap. 18 ſeſſ. citata*, vbi agendo de ſubſtitutione Parochi in locum defuncti per concurſum & examen eorum qui ſe præſentauerint, ſic dicitur, ex his Epiſcopus eum eligat quem cæteris magis idoneum iudicauerint, atque illi & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. Atteſo etiam Decreto Clementis VIII. pro Reform. Regularium; necnon Vrbani VIII. ſi-
155 cut Innocentij X. in Bullis & Conſtitutionibus recentioribus noſtri Ordinis. Quibus in omnibus præcipitur non ſolum vt Electores eligant magis idoneos & probiores ad bonum Religionis promouendum & conſeruandum; ſed etiam conſtituitur vt Præſidentes Electionibus faciendis, præcipiant Electoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, eoſdemque iurare faciant expreſsè, quod quiſque feret ſuffragium, & eliget ſecundum Deum & in conſcientia quos probiores & magis idoneos iudicauerint; voluntque inſuper prædicti Pontifices tale iuramentum ſemper inclusum intelligi in præcepto Præſidentis, etiamſi expreſsè non pronunciaretur. *Circa hæc dico, quod ea quæ habentur in Decretis Clement. VIII. & Vrbani VIII. à me relata ſunt tom. 1. part. 2. Summa, cap. 12. num. 33.* Vide Sigiſmundum de Bononia *de elect. Prælator. dub. 26. num. 3. & 4. & etiam quæ dixi tom. 1. cap. 15. num. 12. & 13.*

156 Adiungo inſuper Diuum Hieronymum *cap. Licèt, ſuprà citato*, qui ſic ait, in ordinando Sacerdote requiritur, vt qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, eligatur. Quod ſimiliter confirmat Leo Papa relatus *cap. Metropolitano, diſt. 63.* Imò in Concilio
Baſileenſi *ſeſſ. 12.* extat ſanctio confirmata à Marti- 157
no V. vbi Electores iubentur iurare ſe electuros quem nouerint digniorem. Nec dubium eſt idem tenuiſſe prorſus ſanctum Doctorem 2. 2. *quæſt. 63. artic. 1. ad tertium*, vbi dicit eſſe peccatum, & quidem acceptionis perſonarum contra Iuſtitiam Diſtributiuam, ſi non eligantur digniores; ſic vero habet, quantum ad hoc quòd Electio impugnari non poſſit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia ſic omnis Electio poſſet habere calumniam. Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam Dignitatem, & alius præferatur, oportet quòd hoc ſit propter aliquam cauſam, quæ quidem, ſi pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus; ſi verò, non pertineat ad negotium id quod conſideratur vt cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ, & eo maius peccatum quo ſpiritualia temporalibus præſtant. Quod ipſum confirmat *quæſt. 185. art. 3. in corp.* ex Diuo Auguſtino circa *illud Iacobi ſecundo*, fratres mei nolite in perſonarum acceptione errare: nam & Samuel 1. *Reg. 9.* de Saüle in Regem electo teſtatus eſt, quia non erat alius melior illo in Iſraël; & Chriſtus voluit à Petro diligi pluſquam à cæteris, antequam ipſi Primatum Eccleſiæ conſideret; hoc eſt maiori perfectione pollere, quæ maximè conſiſtit in charitate.

Ex iis facile eſt inferre, primò non poſſe tutum eſſe 158
in conſcientia, quia cognoſcendo digniorem deſerit eundem, vt dignum eligat; namque fruſtra Iura, Concilia, Pontifices, & Patres terminis comparatiuis vſi fuiſſent, ſi ſola dignitas in eligendo ſuffeciſſet, nec vlla ratio debuiſſet haberi maioris dignitatis. Item fruſtra condemnarent peccati mortalis Electores qui non præferunt digniores. Fruſtra ſimiliter ſolemne iuramentum interponeretur de præferendo digniore, niſi ſecundum intentionem Eccleſiæ fieret, cui ſeſe conformare tenentur qui iurant in hac parte, cum tale iuramentum ſit de re bona, proindeque licita, imò meliore & obligatoria, prout declarant Patres & Concilia. *Vide pro hoc puncto quæ dixi tomo 1. ſumm. cap. 15. num. 14.* & Laymanum *in quæſtionibus Canonicis de elect. cap. 6. quæſt. 82. & ſequentibus*, ac Sigiſmundum *ſuprà dub. 32. & 33.*

Secundò infert eum qui præfert eligendo dignum 159
meliori, eſſe reum periurij contra iuramentum, infidelitatis ſacrilegæ & iniuſtitiæ contra Religionem. De periurio patet ex dictis; de iniuſtitia etiam certum eſt propter Ius quod ſibi retinet Eccleſia & Religio vt ſibi eligantur miniſtri, non quidem ex affectu proprio, & intereſſe priuato eligentium, quod ſemper in ruinam adduxit ſtatum Eccleſiaſticum, Ordineſque Religioſos; ſed ex diſcreto zelo boni communis, quod efficaciùs procurari non poteſt, quàm ſi aptiores eligantur ad regimen & progreſſum illius. Denique patet etiam infidelitatem ſacrilegam committi contra corpus myſticum Religionis; nam ex vna parte habet illa in animo promouere Religioſos ad perfectionem ſemper quantùm poterit eminentiorem; ex altera, non poteſt id ipſum præſtare, niſi miniſterio ſuorum Officialium, quos requirit à ſuis Religioſis per viam Electionis, vt eò ſint amabiliores ſingulis; ex quo concluditur nihil grauius contra fidelitatem Religioni debitam committi poſſe ab Electoribus, quàm ſi denegentur illi qui ſunt magis idonei, minúſque capaces promouendo bono, maximè ſpirituali, ſubintrudantur loco meliorum. Nihil item iniquius contra charitatem fraternam denegando fratribus Superiores illos, qui poſſunt efficacius illis adiumentum

præbere pro amplectenda magis ac magis virtutum excellentiorum praxi, maiorique ſemper conſequenda perfectione. At poteſt eſſe dubium,

In quo ſit perpendenda maior illa Dignitas.

160 Dico perpendendam eſſe ex moribus, doctrinâ & prudentiâ, *cap. cùm in cunctis, de elect.* nam quod ſpectat ad ætatem menſuranda eſt ſecundum diuerſas ſtatuum ordinationes, quamuis ad trigeſimum annum communiùs in iure reducatur. Quoad mores, ſeu ſanctitatem, ea conſiſtit aut in virtutum praxi continua & exemplari, aut in orationis ac pietatis exercitio, aut in ſingulari mortificatione carnis & ſpiritus; quæ omnia certum eſt conferre multum in modum ad ſanctitatem veram, quæ tamen dignoſci non poteſt, niſi per illos actus externos; cùm in ſtatu gratiæ & charitatis, vel etiam in puritate interna conſiſtat. Quoad ſcientiam, ea poteſt eſſe vel communis, vel eminens: maximè verò requiritur Theologica & Canonica, vt Superior per illam inſtruere, per hanc dirigere valeat; per illam mores excoluntur, & intellectus in rebus fidei colluſtratur, per hanc conduntur leges, malum arcetur, & bonum promouetur. Quoad Prudentiam, rectè dicitur rerum Magiſtra per experientiam illarum, tantúmque differt à ſcientia ſpeculatiua, quantùm muſica ſolâ mente concepta, diuerſa exiſtit à cantu numeris omnibus abſoluto. *Pro hoc etiam videndi authores relati*, & Samuellios *de elect. pag.* 165. *& ſequentibus.*

161 His poſitis, certum eſt Prælato non ſufficere bonam conuerſationem, & morum honeſtatem, niſi ſit etiam ſcientia commendabilis, *cap. nihil eſt, de elect.* vnde *cap. qualiter poſt obitum*, ſtatuitur non poſſe eligi illum qui non habet ſufficientem ſcientiam ſtatui ad quem eligitur, imò nec acceptare poteſt qui ſic electus eſt, ne ſe periculo exponat errandi in regimine; non eſt enim ſine culpa, qui rei quæ ad ipſum non pertinet, ſe immiſcet, id eſt cuius capax non exiſtit, *de Regul. iuris in* 6. nam ignorantia mater eſt cunctorum erro-

162 rum, maximéque vitanda in Prælatis qui docendi officium ſuſcipiunt, *cap. ignorantia* 38. *diſtinct.* proinde non licet illis Canones ignorare, vt nec quidquam facere quod Patrum poſſit Regulis obuiare, *capit. nulli Sacerdotum, eadem diſtinct.* Vnde triplex Officium videtur impoſitum Prælato iuxta illud 1. *Timot.* 4. attende lectioni, exhortationi & doctrinæ; nimirum, ait Dinus Hieronymus *in cap.* 8. *Leuitici*, diſcere legendo, docere prædicando, & orare. Denique præter Sancti-

163 tatem & ſcientiam requiritur etiam in Prælatis aliqua negotiorum temporalium diſcretio, vt prudentiâ illorum familiæ ipſis commiſſæ conſeruentur indemnes, & neceſſaria cuique tribuantur, vt patet *ex diſtinct.* 39. vnde Paulus vult Epiſcopum eſſe prudentem, nec ſub nomine ſimplicitatis excuſare oportet ſtultitiam Sacerdotum ſubditis periculoſam, *diſtinct.* 37. ſed coniungenda prudentia innocenti ſimplicitati: habere quippe debent Prælati ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machinentur dolos, & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplantentur inſidiis, *capit. ex merito* 16. *quæſt.* 1. Non ſufficit ergo lectio cum oratione, ſed oportet manum admouere diſpenſationi, & neceſſitatem patientibus ſuccurrere. *De hac ſcientia pro Prælatis requiſita dicam infra verbo Prælatus Regularis, num.* 3. & tractat de ea Sigiſmondus relatus, *dub.* 63.

1[illegible] Iam verò ad quæſtionem reſpondendo dicendum eſt, digniorem illum eſſe Prælaturâ, qui Doctior, Sanctior & Prudentior exiſtit, non tamen abſolutè & ſimpliciter, ſed per reſpectum ad Præfecturam, ad quam aſſumitur, vtilior & aptior exiſtit, quamuis alius abſolutè melior illo reperiatur: vnde fit vt maximè ſit habenda ratio locorum, perſonarum & temporum; nam quoad loca ſunt in quibus plus exigitur ſcientiæ Thologicæ, alia quibus maior cognitio doctrinæ canonicæ; ac ſimiliter de temporum varietate iudicandum eſt. Nihilominus quod ſpectat ad perſonas Religioſas, quæ non minùs ſpiritualiter regi debent, quàm temporaliter prouideri, propter quod committitur Prælatis earum duplex adminiſtratio in ſpiritualibus & temporalibus, exiſtimo prudentiam quidem communem in rebus temporalibus pertractandis eſſe ſufficientem, vtpote quæ iuuari poteſt aliorum conſilio & induſtriâ: ſingularem autem in rebus ſpiritualibus peritiam, necnon vitam prorſus exemplarem eſſe neceſſariam; & hanc quidem propter rationes capite ſuperiori ſatis inſinuatas: illam autem tum pro iuuandis illis qui iugiter aſpirant ad perfectiorem ſanctitatem, tum pro ſubleuandis aliis qui vel humana infirmitate, vel tentationum violentia ad ima deſcendunt; ſiquidem parum aut nihil vtilitatis ferè perciperet ſtatus Religioſus à Prælatis, ſi ſola temporalium adminiſtratione, vel amplificatione, vel etiam aliquali externa & ſenſibili Religioſæ ſanctitatis apparentia, ſe ſatisfeciſſe crederent Religioni & eligentium votis.

Ex his patet nec doctrinam abſque ſanctitate & prudentia; neque ſanctitatem abſque doctrina ſufficere Prælato, vt cenſeatur electus ſecundum mentem ſacrorum Canonum: ſimiliter ſcientiam illius complecti debere imprimis Theologiam vtramque ad docendum, necnon ſufficientem Iuris Canonici peritiam ad dirigendum, præcipiendo, prohibendo, puniendo, diſpenſando, & rationabiliter obligando: inſuper non mediocrem rerum ſpiritualium, interiorïſque vitæ notitiam, quatenus ægros ſanare, benè valentes corroborare, languentes exſuſcitare valeat mediis ad vitam ſpiritalem conducentibus. Patet inſuper ſanctitatem Prælato neceſſariam eo fore maiorem, quo erit profundiùs radicata in ſolida praxi virtutum interna magis quàm externa; quam etiam ſuſtentet firmiter iugis legis Dei meditatio, inordinatorumque motuum perpetua mortificatio. 165

Quod ſi quis minùs doctus in prædictis, ſed magis ſanctus, aut vice verſa reperiatur in alio minor ſanctitas cum maiore ſcientia; vel etiam in aliquo excellens inſit prudentia cum minore doctrina & perfectione: quæſtionis eſt, quiſnam illorum cæteris præferri debeat? Certè decidendum erit ex conſideratione circumſtantiarum adiacentium: nam alicubi præferenda erit doctrina ſanctitati, aliàs contrà: imò interdum ſola prudentia vtilior eſſe poterit, modò tamen non omnino deſit ſanctitas, nec vitæ bonus odor in Prælato: Tunc ſiquidem pro digniore reputabitur qui erit vtilior pro tempore, loco, & perſonis. Atque hæc ſufficere debent tum pro ſedandis eligentium conſcientiis, quando bona fide procedunt, ſolam Religionis vtilitatem attendentes, tum vt appareat vniuerſaliter vera noſtra propoſitio de digniore ſemper, & vbique præferendo minùs dignis in Prælatorum electionibus: quod adeò verum exiſtit vt ipſa ratio naturalis id euincat; nam qui digno electo digniorem prætermittit, perſonarum rationem habet, non autem Eccleſiæ, fidem ſuam non exſoluit, quandoquidem negotium Religionis maximi inter cætera momenti non adminiſtrat meliori quo poſſit modo, imò & contra rectam rationem agit, quæ dictat in electionibus eligendum eſſe quod melius eſt, prout agnouerunt ipſi Ethnici dicentes, electionem rectam à virtute fieri, & circa id quod melius eſt verſari. *De hoc etiam puncto legendi authores relati.* 166

CAPVT

CAPVT IV.

De formâ Electionis facienda.

167 NOn eſt dubium quin primis temporibus fuerint electi Prælati cum teſtimonio populi, quem ritum *ex Actorum c. 6. & aliis capp.* deſumptum, Eccleſia diu ſeruauit, non quòd crederet Chriſtum id iuſſiſſe, ſed quia ſequi voluit Apoſtolorum exemplum, ideoque ſanciuit, ne ſine populi ſuffragio, aut ſaltem teſtimonio & aſſenſu, Eccleſiarum Præfecti eligerentur; tum vt Paſtot inuitis ouibus non præficeretur, tum vt ab ouibus magis amaretur, & coleretur. Verùm decurſu temporum ea Decretis eiuſdem Eccleſiæ, reſeruatæ ſunt Electiones ſolis Clericis, maximè Religioſis reſpectu Abbatum & aliorum Præpoſitorum; qui mos adhuc retinetur.

168 Vt autem exerceatur debita forma, ſic ſtatutum fuit ab Innocentio III. in Concilio Generali Lateranenſi, & habetur *titulo de elect. Quia propter diuerſas electionum formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis, ſtatuimus, vt cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus qui debent & volunt & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto; vt is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior & ſanior pars Capituli conſentit: vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ prouideant de Paſtore; aliter electio facta non valeat, niſi fortè communiter eſſet ab omnibus quaſi per inſpirationem abſque vitio celebrata. Qui verò contra præſcriptas formas eligere attentauerint, eligendi ea vice poteſtate priuentur.* Huc vſque Decretalis; ex qua triplex elicitur forma eligendi: prima per ſcrutinium; ſecunda per compromiſſum; tertia per quaſi inſpirationem diuinam. Quibus etiam adiici poteſt quarta, quæ mixta ſit ex ſcrutinio & compromiſſo.

169 Fit electio primo modo, cùm vocatis vocandis, & præſentibus illis qui volunt & poſſunt & debent adeſſe, tres ſcrutatores de gremio ſpecialiter ad hoc electi ſecretò perquirunt à ſingulis gremialibus ſua ſuffragia, quæ ſigillatim in ſcripturam redacta ſtatim denunciant publicè, quo facto nequeunt electores variare, *cap. Publicato, de elect.* tum collatione habitâ votorum cenſetur electus is in quem maior pars collegij conſenſerit.

170 Secundo etiam modo celebratur electio, cum plures eliguntur à toto gremio, in quos deuoluitur tota poteſtas eligendi Prælatum: in hac autem forma neceſſe eſt compromiſſarios diligenter cuſtodire fines compromiſſi, atque ex omnium Gremialium arbitrio eſſe conſtitutos, nullo prorſus repugnante, alioqui foret irritum quidquid agerent.

171 Denique per inſpirationem fit Electio cum Electores nulla præcedente deliberatione, quaſi Diuini Spiritus impulſu excitati, ſimul omnes in vnum repentè conſentiunt, nominant & eligunt: ad quod ſimiliter requiritur, ne vnus quidem ſit diſcors ab illo conſenſu. De his formis electionis Canonicæ multa diximus *tom. 1. cap. 15. num. 11. & tom. 2. cap. 12. à num* 26. ac ſupra in hoc verbo Electio quoad Regulares, *num. 2. 3. &* 4.

Prædicta Decretalis explicatur fuſius.

172 Debet itaque primò inchoari Electio per tractatum inter Electores, non qui ſit conuentionalis aut conditionalis, pactionalis & ambitioſus de tali aut talibus nominatim eligendis, ſed tantùm conſultorius, ſcilicet nominando plures, proponendoque illorum qualitates & virtutes, nihil tamen priuatim de vllo determinando, vt poſtea quiſque eligentium poſſit iudicium certius apud ſeipſum ferre de digniore eligendo. Ita Petrus Gregorius *cap. 15. de Elect. ex Gloſſa ſuper cap. in nomine Domini, diſtinct. 23.* aitque non valituram Electionem, ſi non permitteretur eiuſmodi tractatus, quemadmodum non probatur alienatio rerum Eccleſiaſticarum, niſi præceſſerit de alienatione tractatus,
quod colligit *ex capite in Geneſim, de elect.* Aduerte 173
tamen tractatum de quo loquitur, eſſe collationem illam quæ iuxta Decretalem noſtram debet comitari ſcrutinium, vbi per ſcrutinium eligitur: nos verò loquimur de tractatu, quem multis etiam diebus poſſe fieri dicimus ante electionem: in quo fit diſcuſſio eorum quæ facienda ſunt, ſine vlla tamen concluſione: eſtque proinde præparatio ad electionem, qua nominantur vtrinque plures, qui digni videantur electione, & fit collatio nominatorum perſonæ ad perſonam, & meritorum zeli ad zelum, *cap. Cumana, de elect.* Nec dubium eſt id licitè poſſe fieri, quandoquidem viuente etiam Papa haberi poteſt tractatus conſultorius de ſubſtitutione ſummi Pontificis, *cap. ſi tranſitus, diſt. 79.* Verùm difficultas eſt, ſeu periculum in modo ſimul tractandi, vt bona proximi exiſtimatio non iniuſtè pertractetur, eaque detegantur quæ in perpetuo ſecreto deliteſcere
neceſſe foret. Namque de virtutibus & qualitatibus 174
bonis in illo tractatu agendum eſt, non verò de malis & vitioſis, niſi fortè Religioni detrimentum allaturæ eſſent, ſi non reuelarentur Electoribus: tunc enim officium charitatis & iuſtitiæ, ac bonum commune expoſcere videtur, vt per ſecretam admonitionem edoceantur illi, quos lateret neceſſaria notitia vitioſarum qualitatum, quæ bono Religionis officere poſſent, modò tamen ſint in comperto, & non ſolùm in dubio: quo tamen etiam probabili exiſtente, certè non dubito, quin tunc etiam reuelari poſſent, quantum neceſſe eſt, vt Religio ſeruetur indemnis, & non exponatur periculo peruerſi regiminis: peccarent autem grauiter electores, ſi quæ incerta ſunt, pro certis exponerent, aut eiuſmodi reuelationibus ad alium finem vterentur, quàm vt Religionis bonum intemeratum cuſtodiretur: item ſi plura detegerent quàm neceſſe ſit, hoc eſt, vel ea quæ ſunt extra rem, vel quæ audita ſunt à perſonis quæ fidem non merentur, vel ea rumore vago proceſſerunt, vel ita correcta ſunt, vt nullum ampliùs ſubſit periculum damni alicuius incurrendi. *Id quod dicit iſte auctor de tractatu conſultorio de eligendo ſummo Pontifice Papa viuente, videtur eſſe contra Bullam*, Cum ſecundum, *Pauli IV. & ideo moderandum.*

Nihilominus cauendum eſt attentiſſimè, ne ſub ſpe- 175
cioſo prætextu inuicem tractandi de perſonis eligibilibus, ſubintroducatur praxis ambitioſæ ſubornationis inter electores, tam pro ſeipſis quàm pro aliis: namque fieri poſſet non minus efficaciter precibus & promiſſionibus importunis, necnon reuerentiali metu, quàm pretio & violentia extorqueri: quod totum ita
diſtrictè prohibitum eſt à Pio V. *in Bulla quæ incipit* 176
Paſtoralis officij, data Romæ apud Sanctum Petrum die 28. Maij 1551. vt excommunicationis ſummo Pontifici reſeruatæ ſententia, vociſque actiuæ & paſſiuæ priuatione perpetua coërceat eos, qui in electionibus, vel ante eas per ſex menſes, pro ſe vel pro alio ſubornauerint. Atque vt diſtinctiùs elucidaretur illa prohibitio, factum eſt conſequenter in quadam Congregatione Cardinalium Statutum authoritate Apoſtolica confir-
matum, cuius tenor eſt. *Quia ex mutuo colloquio Colle-* 177
gialium nonnulla oriuntur in electionibus incommoda, propter quæ huiuſmodi electiones indebitè præter Ius & æquum celebrantur; Nos volentes huiuſmodi diſpendio obuiare, præſentis conſtitutionis tenore ſtatuimus & ordinamus, quod nullus Collegialium, in electionibus tractandis, vel

*faciendis , quempiam alium precibus , ſubornationibus,
ſiue quouis alio quæſito colore ad præſtandum ſuffragium
ſiue votum alicui , alliciat , nec ſuper huiuſmodi ſuffragio
præſtito vel præſtando cuipiam perſonæ votum ſuum ape-
riat , ſiue referat : quod ſi quiſpiam huic noſtræ conſtitu-
tioni contrauenerit , ſententiam excommunicationis incur-
rat ipſo facto , volumuſque hanc noſtram conſtitutionem li-
gare & locum habere in foro conſcientiæ. Vide etiam de-*
178 *creta Clem. VIII. & Vrbani VIII. quæ refero tom.1.
cap.15.num.12.& 13.& tom.2.cap.12.num.33.*

179 Porrò non debet videri mirum quod tam rigidè pu-
niantur ab Eccleſia ſubornantes & ambientes ,tam pro
ſe quam pro aliis; namque ſicut temeritatis ac ſuper-
biæ peccatum incurrit , quod eſt ſcaturigo cæterorum,
qui pro ſe : ſic iniuriosè præfert iudicium proprium
cæteris omnibus , eoſque libertate ſibi à naturâ & Ec-
cleſiâ conceſſa priuare præſumit , qui pro aliis impor-
tunè ambit & ſubornat , ſuadendo ſæpe illum fore
digniorem , qui vel eſt indignior omnibus , vel ſaltem
minùs dignus. Cæterùm quo fine tot orationes , in-
uocationes Diuini Spiritus, inclamationes auxilij San-
ctorum , humiliationes fidelium ac Religioſorum co-
ram Deo , mortificationes etiam carnis , rigidique ſi-
lentij obſeruationes , Miſſarum denique ſacrificia , &
alia pietatis opera præmittuntur electionibus , prout
paſſim præcipitur in Conciliis , ſacris canonibus , Or-
dinum conſtitutionibus ; ſi vt vnius ambitioni ſatis-
fiat , electores omnes , vel ſaltem maior pars illorum
coarctentur ſuaſionibus doloſis , allegationibus falſis,
precibus ac promiſſionibus importunis , vel etiam mi-
nis ac terroribus, ad eligendum eum de quo nec etiam
cogitaſſent , ſi nullus eos ſubornare contenderet ? Con-
fecta quippe res eſt per ambitum antequam cœpta , ac
ſæpe proclamant ipſi extranei, quem prætendunt am-
bientes eligendum , priùs quàm de ipſa electione per-
tractare debuiſſent. Ergo vt præambula illa deuotio-
nis & pœnitentiæ opera ſint vtilia fini prætento , ex-
pedit quidem eligentes ſimul colloqui tempore oppor-
tuno de qualitatibus eligendorum , deque perſonis illis
quibus eas præfulgere plus minúſve comperrum eſt,
vt inuicem edoceantur illa circa quæ fortè patieban-
tur ignorantiam inuincibilem. At poſito ſufficiente de
his colloquio , necnon conſilio ſuper prædictis habito,
180 ſupereſt demum , vt Diuino Numini , ſanctoque ipſius
flamini ſuus reſeruetur locus , & opus proprium , quod
eſt determinare efficaciter per lumen infuſum eligentes,
ad illum præferendum abſque vlla alia conſideratione,
quàm debitæ Deo & Eccleſiæ ac Religioni obedien-
tiæ , qui hîc & nunc coram Deo & in conſcientia iu-
dicatur futurus melior & vtilior loco, tempori & per-
ſonis , proindeque dignior cæteris cenſetur moribus,
doctrina & prudentia. Quia verò perrarum eſt , vt pri-
ma in electione maior pars electorum , modò ſubor-
nati non fuerint , concordet in eadem perſona , ſequi-
tur vt vicibus conſequentibus, eodem Spiritu ſancto
affulgente , illi ex electoribus qui minùs conuenerint
prima vice cum aliis , ſeſe poſtea adiungant maiori par-
ti , ſi modò feratur iſta circa perſonam quæ appareat
181 magis idonea. Quinimo dixerim licitum eſſe , inter-
dumque expediens , vt aliqui electores præferant mi-
nus dignum , de facto tamen dignum , alteri digniori,
nimirum ſi videant eſſe neceſſarium ad impediendum,
ne indignus eligatur ; nam ex duobus malis minus
ſubeundum eſt , vt maius euitetur, ſicut membrum cor-
poris amputatur , vt vita totius incolumis euadat. *De
hoc tamen vide quæ dixi tom.1.cap.15.num.14.* & Sigiſm.
de Bononia *dub.37.52.& 61.* ac Samuellium *pag.180.
& ſequentibus.*

Abſentes ad Electionem vocandi.

182 Per Regulam iuris , quod omnes tangit , debet ab
omnibus approbari , *in 6.* & ex ipſa Decretali *Quia
propter* , eadem eſt vniuerſos qui habent ius eligendi,
vocandos eſſe , vt electioni poſſint intereſſe , ſi velint:
nam omiſſio vnius tantùm in hac parte redderet irri-
tam electionem, *cap.in Geneſ.cap.Quod ſicut,& c.Cum
inter vniuerſas , de elect.* niſi tamen ille qui vocatus
non fuit , ratam poſtea vellet electionem , quod eſt in
eius arbitrio , vt deinde confirmetur vel infirmetur à
Superiore. Non diffiteor tamen introduci poſſe mo-
rem , vt abſentibus non vocatis electio valeat , prout
docet Panormitanus *in cap.coram , & cap. Cumana , de
elect. Vide quæ dixi tom.1.cap.15.num.8. & ſupra n.5.*
cum Authoribus ibi relatis.

Porrò ſi vocatus legitimè impediatur , de iure pote- 183
rit Procuratorem ſuo loco conſtituere , poteſtatemque
plenariam illi tribuere ſuffragium ferendi ſuo nomine,
vel ipſi determinatè nominando eum in quem velit
ſuffragari , vel etiam eius arbitriu remittendo. Debet
tamen eiuſmodi Procurator conſtitutus eſſe de corpore
Capituli , vt dicitur in fine Decretalis præfatæ , & ha- 184
beri Procuratorium ſpeciale , namque generale non
ſufficeret in re tanti momenti, tamque ſpecifica. Nihi-
lominus Capitulum ex benignitate poſſet acceptare
extraneum ad ſuffragandum pro abſente , non poteſt
tamen ad id cogi, *cap.Si quis iuſto, de elect, in 6.* Quod
ſi abſens conſtituere nequeat Procuratorem de Capi-
tulo , non ſequitur inde quod votum ſuum per literas
tranſmittere valeat , vt notant Doctores *in cap. prædi-
cto Si quis iuſto.* Si verò præſens exiſtat in loco man- 185
ſionis vbi fit electio , ſed ægrotat in lecto , debet ha-
beri pro præſente , ad illumque mittendi ſunt aliqui
de Gremio , vt illius ſuffragium petant , niſi malit ipſe
cedere iuri ſuo , quod poteſt quilibet extra neceſſitatem,
vel conſtituat Procuratorem , vt prædictum eſt. Ad-
uerte autem vnicum eſſe conſtituendum ; nam ſi plu-
res exiſtant , vnuſquique illorum erit in ſolidum , &
qui primus occupauerit , dare ſuffragium valebit. Quod
ſi plures non in ſolidum Procuratores abſens inſtitue-
rit,nullus admittentur , quia poſſent ſua vota in diuer-
ſos dirigere , ita vt res exitum non haberet , *cap. ſi quis
iuſto* , ſupra. Cæterùm aduerte quod ſi abſens Procura-
torem inſtituendo nominauit illi eum quem vult eligi,
tenetur Procurator inſiſtere tali nominationi , quam- 186
uis pro ſua parte remaneat liber , vt proprium ferat
ſuffragium in quem voluerit : ſi autem plenam is con-
tulerit Procuratori libertatem nominandi quem voluue-
rit , tunc ipſe Procurator tenetur eundem nominare
tam pro alio quam pro ſe , nam idem iuramentum non
poteſt proferri circa diuerſa , nec idem iudicium eſſe
reſpectu oppoſitorum , qualia ſunt eſſe digniorem &
minus dignum. Denique conſtat pro prima vice tan-
tùm Procuratorē nominari poſſe illum in quem debeat
ſuffragari , nam ſi ea vice non concludatur electio,
conſtat liberum eſſe debere Procuratorem ex ipſa rei
natura , vt electio ad finem perducatur. *Pro hoc puncto
videnda quæ dixi ſupra in dubio ſpeciali de huiuſmodi pro-
curatoribus deſignatis ab electoribus abſentibus.*

*In quo differat Electio Regularium à formâ
Decretalis* , Quia propter.

Præſupponendum eſt formam capitis *Quia propter*, 187
ita vniuerſaliter ſequendam eſſe pro diuerſitate modo-
rum ibidem contentorum , vt nullus eorum qui eli-
gendi poteſtatem habent, ab illa diſpenſetur, nec etiam
Religioſis ſtatus , quamuis aliquid contrarium conti-
neri videatur in Concilio Trident. Namque ſuperad-
ditum potiùs prædictæ Decretali cenſendum eſt pro
maiori cautela , vt mox patebit , quàm diuerſum ab
eadem. Itaque poſita regula iuris , quòd vbi non exci-
pit aut diſtinguit lex , nec nos excipere aut diſtinguere
debemus,Dico Religioſos ipſos obligatos eſſe ſicut cæ-
teros

teros ad tenendam formam Decretalis prædictæ, tam
quoad electionem per Inſpirationem, aut per compro-
miſſum, quàm per ſcrutinium. Verùm quia viſum eſt
Eccleſiæ vniuerſali, ſecreti ſigillum non claudi ſuffi-
cienter per viam ſimplicis ſcrutinij, eoque detecto, vt
facilè reuelari poteſt à ſcrutatoribus, qui receperint ea
auditu ſuffragia, quod de facto creabat infinita iurgia
& odia & lites, aliaque peiora inter Religioſos; id-
188 circo Concil. Trident. *ſeſſ.25. cap.6. de Regul.* ſuper-
addendo prædictæ Decretali, ſic ſtatuit: *In Electione
Superiorum & quorumcunque Abbatum temporalium, &
aliorum Officialium ac Generalium & Abbatiſſarum at-
que aliarum Præpoſitarum, quò omnia rectè & ſine vlla
fraude fiant, in primis ſancta Synodus diſtrictè præcipit,
omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita vt
ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec
in poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores aut
alios quoſcumque Titulares ad effectum electionis faciendæ
conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. Si
verò contra huius Decreti conſtitutionem aliquis electus
fuerit, electio irrita ſit, & is qui ad hunc effectum ſe in
Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit,
deinceps ad omnia Officia in Religione obtinenda inhabilis
exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ eo ipſo abrogatæ
cenſeantur, & ſi in poſterum alia concedantur, tanquam
ſubreptitia habeantur.*

189 Circa quam conſtitutionem, aduerte primò, ex
illa, ſicut & ex aliis particularibus conſtitutionibus
ſupplendum eſſe quod deficit in Decretali *Quia prop-
ter*, tam pro maiori ſecreto, quàm aliis circumſtan-
tiis, ita tamen vt concordent iura iuribus, ſicque hoc
Decretum ſuperadditum, ſicut & alia quædam poſtea
proferenda, eſt propriè ſupplementum iurium anti-
quorum & vniuerſaliorum, quæ ita coarctari debue-
runt circa Regulares.

190 Aduerte ſecundò, in Electionibus Regularium ita
ſtrictè ac tenaciter ſecretum præcipi, ne duo grauiſſi-
ma damna ex illius reuelatione conſequantur. Primum
eſt, grauiſſimi peccati inobedientiæ contra Eccle-
ſiam, quod euitari non poteſt quocunque tandem
modo reuelentur ſuffragia, ſiue ab ipſis ſuffraganti-
bus, ſiue ab aliis qui certam aliquam de ſuffragiis latis
habent notitiam; vnde tutius erit Electores ſcriptu-
ram confingere, & ſtrictiſſimè prohibitum eſt ſeru-
tatoribus ſub pœna periurij reuelare, ſi contigerit eos
alicuius ſchedulæ ſcripturam diſcernere. Cenſeo de-
mùm ſimiliter prohibitum, ne quiſquam diuinare
contendat per varias coniecturas, quinam ſuffragia
dederint tali vel tali, ac ne ipſe electus cogitet etiam
de iis quorum vota non habuerit; ſiquidem hæc om-
nia & ſingula directè tendunt contra intentionem Ec-
cleſiæ, quæ vult abſolutè nomina eligentium nuſquam
publicari, nec diſcerni, quo pax & vnanimitas firmior
inter Religioſos cuſtodiatur; atque ibi latet vitium
curioſitatis indiſcretæ, amoriſque erga ſeipſum inor-
dinati, quo inficitur ille qui vellet omnium ſuffragiis
electus eſſe; ſicque ſeſe imprudenter exponit & alios
alienationibus animorum mutuis, diffidentiis, & cæte-
ris grauioribus. Secundum eſt, quod ſecreto non cu-
ſtodito irrita redditur electio, quod eſt contra iuſti-
191 tiam legalem & bonum publicum Religionis, quod
tamen intellige de reuelatione publica per culpam Ca-
pituli, nec facta eo fine malo ab aliquibus priuatis vt
irritetur, alioquin valida; nam alias Decretum iſtud
faueret malitiæ priuatorum, qui Electionem validam
192 poſſent ſua reuelatione malitioſa irritare. Adde inſuper
creari à reuelatoribus illis occaſionem ſcandali reſpectu
puſillorum, & ſcrupuli reſpectu Electorum, quod cul-
pâ vacare nequit. *De hoc ſecreto pro electionibus neceſſa-
rio plura dixi ex variis Doctoribus, tom.1. part.1. cap.15.
num.17. & part.2. cap.12. num 34. & ſuprà num.11. vbi
etiam de aliis DD. de hoc puncto tractantibus.*

Aduerte tertiò, non obſtante hoc Decreto, vali- 193
dum adhuc eſſe vſum Procuratorum in electionibus,
prout antea declaratum fuit, ſupplementum enim illud
abſentium ibi prohibitum non debet intelligi reſpectu
Procuratorum, ſed ratione habita ad Titulares ibidem
expreſſos, & diſtrictè prohibitos, hoc ſiquidem diſ-
crimen exiſtit inter illos, quod Procuratores ab abſen-
tibus cum iure creantur, *cap. Quia propter: & ex Re-
gula iuris in 6.* qui facit per alium perinde eſt ac ſi fa-
ciat per ſeipſum: at verò Titulares dicti creantur à Su-
perioribus electioni Præſidentibus abſque vllo iure,
aut neceſſitate: ſed ex ſola intentione multiplicandi
vota, vt ſic electio cedat ſecundùm illorum mentem.
Vnde diligenter attendere debent Electores, vt nun-
quam eiuſmodi Titulares recipiant, quantumuis ſua-
deatur ex legitima facultate illos introduci: nam ex-
preſsè Concilium declarat talem facultatem, ſi exſtat
aliqua, ſubreptitiam.

Similiter in eodem Concilio pro Monialibus ſic 194
fuit conſtitutum *cap.7. Abbatiſſa & Prioriſſa, & quo-
cumque alio nomine Præfecta vel Præpoſita appelletur,
eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis
poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit: quod ſi
his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio
eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum
Superiori qui electioni præeſt, videatur, ex iis quæ in eo-
dem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quin-
que ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſ-
copo vel alio Superiore conſentiente eligatur.* Tum qui-
buſdam interiectis ad rem noſtram nihil conducenti-
bus ſubdit, *Is verò qui electioni præeſt, Epiſcopus, ſiue
alius Superior, clauſtra monaſterij non ingrediatur, ſed
ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat vel
accipiat.* Circa quam conſtitutionem, aduerte primò 195
cum aliquibus Doctoribus, quòd ſi Prælatus præſi-
dens Electioni iudicet non poſſe fieri Canonicè inter
Moniales Electionem ipſo non intrante ob inquietudi-
nem ipſarum, & ſuſpicionem ſubornationis vuto-
rum inter ipſas ortæ, vel ob alias iuſtas cauſas à Su-
periore prudenter arbitrandas, tunc eidem licitum
eſſe ingreſſum apud moniales, vt vota recipiat. Aduer-
te ſecundò, Statutis etiam priuatis monialium aſtringi
illum qui præeſt earum electioni; nam expreſsè nota-
tur in fine capitis citati, quod in reliquis ſeruentur
ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum conſtitutio-
nes, ſiquidem contingere poteſt vt aliquid ſtrictius con-
ſtituendum veniat pro cuſtodiendo illarum ſecreto,
cùm aliunde mulieres à natura ſuſpicioſæ ſint, & faci-
lè diffidant vbi locus non eſt. *De huiuſmodi etiam ele-
ctionibus Monialium plura dixi tom.1. cap.21. & ſuprà
verbo Abbatiſſa, vbi etiam refero authores de hoc tra-
ctantes.*

Expenduntur cætera formam Electionis ſpectantia.

Ac primò circa ſcrutinij formam, propriè definitur, 196
ſecreta cuiuſque ſententiæ, diligens & accurata inquiſi-
tio, vt exinde percipiatur in ſcrutatoribus, nihil com-
mendabilius eſſe debere quàm ſecretum, ideoque per
ſcrutinium electio facta dicitur neceſſitatis eſſe for-
ma, eo quod vel vnico ex pluribus Electoribus in-
ſtante, vt Electio fiat hoc modo, cæteri neceſſariò ad
eam ſequendam coguntur: duæ verò aliæ formulæ di-
cuntur voluntatis, quia nemo compellitur inuitus per
illas ad Electionem procedere, etiamſi maior numerus
Electorum in eas conſentiat, cui vel vnus poteſt reſi-
ſtere, quanquam in aliis actibus Capitularibus major
pars ſuffragiorum vincat minorem. Porrò fide digni
ſcrutatores cenſendi ſunt contra quos nihil oppo-
ni poteſt, quod fidem illorum minuere debeat,
cap. fin. de Præſumpt. Quoad officium ſcrutatorum præ-
ter

ter illa quæ deſumenda ſunt ex priuatis conſtitutio-
nibus, præterquam quod etiam iurati debent eſſe illi
in animarum ſuarum periculum, vt primò conſtitu-
tum fuit in Conc. Baſil. ac deinde confirmatum à
ſummis Pontificibus; in aliquibus certè apud Regula-
198 res diuerſificatur ab eo quod præſcribitur *in cap. Quia
propter*; namque recipere ſolum debent à Religioſis
ſuffragia ſcripta in ſchedulis, illaque euoluere, legere
& diſtinguere, vt deinceps appareat quot quiſque
vota habeat, quod tamen ſecreto non minus inuiolabili
præſtare tenentur, quàm alij qui ſequuntur formam
Decretalis. *De munere horum Scrutatorum dixi nonnulla
tom. 1. cap. 15. num. 11. & tom. 2. cap. 12. num. 26. 27.
& 28. & in meis conſultis.*

199 Differunt inſuper in eo quod non ſpectet ad illos
declarare ſaniorem partem eligentium, nec nomine
omnium eligere illum in quem maior pars conſenſit;
ſed iſtud ad Præſidem Electionis ſpectat, illud verò
ſic tenendum eſt, vt maior pars ſemper exiſtimetur
eſſe ſanior propter ſecretum, quod prohibet, ne vn-
quam eligentium nomina publicentur; vbi obitet nota
nec Electores, nec ſcrutatores, nec ſuffragia Electio-
nem perficere, ſed Prælatum Præſidem qui nomine
omnium eligentium eligit eum in quem maior pars
illorum conſpirauit; qua quidem declaratione facta,
nemo amplius variare poteſt, per Regulam iuris quod
nemo poſſit mutare conſilium in præiudicium alterius;
vnde cætera omnia quæ præcedunt hunc Præſidis
actum, ſunt ſolum Electioni præambula, poſſetque du-
rantibus illis ante prædictum actum fieri aliqua varia-
tio ab Electoribus; poſt Electionem verò ſolummodò
poterit opponi contra illam, ſi caſus aliquis rationa-
bilis eueniat. Hinc fit vt apud Regulares non fiat
collatio zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, quia
ſtatim maius eſſe creditur in eo qui gaudet pluribus
votis, quàm omnes alij, iuxta normam cuiuſque Ordi-
nis. *De hoc etiam dixi eo tom. 2. cap. 12. num. 28.*

200 Sequitur inſuper quod eodem tenore perficienda
ſunt omnia, quæ ſpectant ad Electionem, vſque ad vlti-
mum eius complementum, nec contingeret aliqua de-
ceptio, ſi differretur electionis publicatio, *cap. Cum
poſt petitam, de Elect.* vnde dicuntur in iure Electiones
clandeſtinæ, quando non publicantur ſtatim ac fue-
rint celebratæ. Infertur denique vota in Electionibus
abſolutè danda eſſe, non verò conditionaliter, nec
alternatiuè, nec incertò, ſiquidem *cap. 2. de Elect. in 6.*
eiuſmodi vota penitus reprobantur, & habentur pro
non adiectis, proindeque ea vice priuantur eligendi
iure, qui ſic elegerunt, hoc eſt, nulla prorſus habetur
ratio eiuſmodi votorum, quemadmodum ſi non inter-
fuiſſent in ea Electione, qui ſic ſuffragati ſunt; tunc-
que ſolùm habenda erit ratio cæterorum, quæ abſo-
luta exiſtunt, nam ex puris conſenſibus celebratur ele-
ctio. Vnde ſi quis v. g. ſcribat vel dicat, eligo talem
ſi maior pars Capituli voluerit, vel ſi ſanus exiſtat, aut
Regularitatem ſequi poſſit, aut iſtum vel illum, prout
plura habuerit ſuffragia; hæc ſiquidem omnia nihil
efficiunt magis, quàm ſi eſſent albæ ſchedulæ non
ſcriptæ, quæ ſimiliter nunquam debent impedire, ne
procedat Electio, *cap. Quod nobis, de elect.* in his ſiqui-
dem & aliis ſimilibus iura interpretantur, voluiſſe eos
qui ſic ſuffragati ſunt, renunciare iuri ſuo, quod quiſ-
que poteſt facere extra neceſſitatem, vt poſtea dicetur;
atque hoc totum fundatur in hac regula iuris in 6.
actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem,
hoc eſt, à legibus ita introducti, qualis eſt actus ele-
201 ctionis, ex locis citatis. *De his etiam, quæ hoc loco
notat iſte author, dixi tom. 1. cap. 15. num. 16. & 18. &
plures DD. qui de hoc puncto agunt.*

202 Secundò circa formam compromiſſi notandum eſt,
fieri quando viris prudentioribus committitur ab om-
nibus eligentibus cura & poteſtas Prælatum eligendi,
quem digniorem & vtiliorem cognouerint, omnibus
ſimul compromittentibus, ſe ratum habituros quid-
quid ipſi vice omnium hac in re fecerint. Aduerte
verò ſæpe etiam compromiſſarios eiuſmodi teneri ad
ſic eligendum ſecretò, quando nimirum ſatis multi
exiſtunt, vt fit communiter in Definitorio Regularium,
vbi propterea ſcribuntur vota ſecretò, nec minus obli-
gantur tunc ſigillo ſecreti, quam in aliâ formâ ſupra
declaratâ; vnde ſequitur velut quarta ſpecies, ſeu for-
ma electionis, compoſita nimirum ex ſcrutinio &
compromiſſo, quæ locum habere poteſt vtiliter in
magno numero Capitularium, qui nimis multi exi-
ſtentes difficiliùs concordare ſolent, quàm ſi ad pau-
ciores deuoluantur negotia tum electionum, tum alia,
vt videre eſt apud Regulares, qui per Definitores quaſi
per compromiſſarios exequuntur ferè omnia in capi-
tulis & Congregationibus. Quinimò certum eſt in vni-
cam perſonam compromitti poſſe à Gremialibus, ſi
velint, *cap. ſi compromiſſarius, cap. ſicut, de elect. in 6.*
Nec propterea neceſſe eſt illum aſſumi de gremio, ſed
vndecumque poſſe ex conſenſu omnium gremialium,
vt ſæpe factum eſt in Eccleſiâ Catholicâ pro electio-
nibus ſummorum Pontificum. *De hoc puncto diffusè
egi tom. 1. ſummæ impreſſionis Lugdunenſis, cap. 15. dub. 1.
in Additionibus.*

Tertiò forma inſpirationis Diuinæ poteſt eſſe du- 203
plex, nimirum per inſpirationem ſimpliciter & im-
mediatè à Deo factam, vel per quaſi inſpiratio-
nem Spiritus ſancti. Primo modo fertur electus diuus
Nicolaus ex laico in Epiſcopum, Beatus Seuerus
aſſumptus ex lanificio in Archiepiſcopum, Sanctus
quoque Ambroſius ex Catechumeno in Prælatum.
Secundo vero modo dicitur fieri, quando conſen-
tientibus omnibus, vno ore, & ſine contentione
vnus eligitur, quemadmodum tempore Apoſtolorum
electi ſunt ſeptem Diaconi, & ipſi Maiores Eccleſiæ
elegerunt Paulum & Barnabam; namque concordia
plurium in bono indicat præſentiam & authoritatem
Spiritus ſancti, vbicumque enim duo vel plures fue-
rint in nomine Chriſti Congregati, idem ipſe in me-
dio illorum ſe interfuturum promiſit; ſicut abeſt in
ſchiſmate & diſcordia & collitigationibus & mono-
poliis, ex quibus etiam ſequi ſolent electiones perni-
cioſæ eorum quos Deus non eligit, ſed permittuntur
ab illo prout merita depoſcunt, iuxta illud *Oſeæ* 8.
fecerunt ſibi Regem, & non per me; Principem, &
non per conſilium meum; nam ipſe qui potens eſt fa-
cere Angelos ſuos Spiritus, poteſt ſimiliter habere
miniſtros ſuos ignem vrentem, id eſt vltores infide-
litatis & impietatis illorum qui eos elegerunt.

Pro complemento prædictorum, ſoluo difficulta-
tem quæ non rarò contingit inter Regulares, ſiqui- 204
dem præpediti ſæpe ſcrupulis circa electiones dignio-
rum, quos credunt ſe non poſſe ſatis tuto diſcernere,
vel timore ne ſcriptura eorum internoſcatur, vel
quia nolunt concurrere ad eligendum, nec tamen au-
dent id expreſsè ſignificare, propter aliquam humanam
conſiderationem, tunc mittunt in vrnam ſchedulam
albam: alij etiam malitiosè pingunt ita difformiter, vt
nullus homo queat talem ſcripturam legere, vel potiùs
diuinare; tunc enim ſi vellent electores iterare denuo
ſuas ſchedulas, quantumvis monerentur aut minarentur
vt nullus ſic eos perturbaret in ſua electione, non id-
circo tamen ceſſaret occaſio perturbationis, quandiu
pertinaces forent alij in ſchedis ſimilibus confingen-
dis. Ergo quæſtionis eſt, quale remedium huic morbo
ſit afferendum. Dico breuiter & certò tunc eiuſmodi
ſchedulas eſſe pro nullis reputandas, nullamque ad
illas rationem habendam, quemadmodum ſi volentes
illi non interfuiſſent electioni, & iudicandum eoſdem
cedere iuri ſuo; quod non eſt dubium quemlibet poſſe
facere extra neceſſitatem, *cap. quia propter, cap. quod
ſicut*

ſicut, de elect. ſecundùm doctrinam Abbatis; nam inul-
105 to beneficium non confertur, & nemo tenetur vti ſuo priuilegio. Dixi extra neceſſitatem, quia contiogere poteſt, vel propter paucitatem eligentium, vel pro impediendo indigno ne eligatur, tunc enim ſicut quodlibet membrum debet ſuccurrere toti corpori, ne deficiat, ita quilibet gremialis opem teoetur ferre communitati, dum eſt in neceſſitate conſtituta, maximè pro præficiendo ſibi capite, quod ſit capax regẽdi corporis, vel pro ſedaoda perturbatione, qoæ aliàs non eſſet deſituta: oamque bonum commuoe ſemper præferendum eſt commodis priuatorum. Dixi ſemper, nam interdum fieri poteſt, vt aliqui ambitione ſtimulati pro ſe, vel pro aliis ita cautè multiplicent ſchedulas ſuas, vt loco vnius quam ſolam mittendi ius habent, plures alias conferant eodem nomioe conſcriptas & confictas doloſè per modum vnius. Verùm aliâ viâ non poteſt auerti hæc pernicies, niſi quod Præſide electionis iubente iterari ſuffragia, ſerutatores diligeoter intendant, vt talis multiplicatio oon fiat denuo; quod præſtare poterunt quacumque tandem viâ, etiam euoluendo ſchedas ſcriptas, modò tamen tunc oon perlegant.

CAPVT V.

De cauſa efficiente Electionis.

106 SVnt illi qui eligendi ius habent, vel ex propria conditione, vt Gremiales Collegij, vel ex aliorum pacto, velut compromiſſatij; vel Priuilegio ſi quibus conceſſum fuerit, vel ex præſcriptione; non enim eſt dubium ius eligendi præſcribi poſſe ſaltem ſpatio quadraginta aonorum, ſicut & alia ſpiritualia, modo tameo occaſio eligendi occurrerit intra illud tempus: vel per Procurationem, vt prædictum eſt, vel per Deuolutum, quando propter negligentiam Electorum, vel indignitatem electi, vel defectum in forma electionis, aut eiuſdem concordia, deuoluitur ad maiorem Prælatum ios eligendi.

107 Vnde ſi aliquis ex illis qui ius habent ad Electionem abſit dum celebrari debet, vocandus erit maturo tempore antequam procedatur ad eligendum, eique dari tempus competens ad comparendum ſi velit: alioquin ſi contemptum ſe videat, poterit Electioni ſeſe opponere, imo & illam irritare, vel etiam confirmare prout voluerit, *cap. Quod ſicut, de his quæ fiunt à Prælat.* requiritur tamen vt commodè fieri queat eiuſmodi citatio, aut non ſit introducta conſuetudo contraria, vel etiam aliqua conſtitotio priuata, quibus proinde ſtandum erit, vt docet Abbas *in cap. Coram, & cap. Cumana, de elect.* Porrò modus vocandi, vel citandi poteſt conſiſtere in verbis aut ſcriptis aut ſono campanæ iuxta conſuetudinem receptam. Abbas *in cap. In cauſa, de elect.* Egi de hoc puncto *tom. 1. cap. 15. num. 8. & ſuprà num. 5. & 6.*

108 Verùm dantur aliqui caſus, & ſatis multi, quibus eligendi iure priuantur, qui cæteroquin extra illos illud habere videntur: nam primò nemo ſibi poteſt viuens adhuc eligere ſucceſſorem cum effectu etiam in Beneficiis, ne illa fiant hæreditaria, vt habetur in Concilio Romano ſob Innoc. II. *cap.* 6. ex quo ſumptum eſt *cap. Apoſtolica 8. quæſt. 1.* vnde quando Beneficiatus in morbo lethali reſignat Beneficium, non propterea ſuccedit defuncto Reſignatarius, ſed debet collatio eſſe ipſi facta viginti diebus ante mortem Reſignantis per Regulam Cancellariæ.

109 Ex quo ſequitur, quod nemo ſe eligere poteſt, ſicut nec ſibi dare Beneficium, nec ſeipſum inſtituere: quia inter dantem & accipientem debet eſſe differentia, *cap. fin. de inſt.* & nemo plurium perſonarum vices ſubire poteſt ſimul & ſemel, *cap. Presbyteris 16. quæſt. 1.*

Tertiò omnes eligentes debent eſſe in ſacris Ordinibus conſtituti, ſaltem in Subdiaconatu. *Clementina, vt his qui, de ætate & qualitate ordinandorum.* Nec propterea tenentur alij electores expectare per tempus aliquod, & electionem differre vſquequò in proximis anni temporibus ſuſceptus fuerit Ordo ſacer: ſicut nec excommunicatum dicentem ſe citò abſoluendum. 210

Quartò ius item eligendi non habet qui maioris excommunicationis vinculo ligatur, *cap. Conſtitutis, de appellat.* Secus eſt de minori, nec qui ſuſpenſus eſt ab officio, ſecus ſi à beneficio tantum, aut alia minori ſuſpenſione. Gloſſa *in cap. Cùm Vuintonienſis, de elect.* Item nec interdictus, *cap. Cùm inter, de elect.* Nec irregularis, *cap. Is qui, de ſent. excommunicationis, in 6.* Nec qui ſcienter ſacris operatus eſt in loco interdicto, *cap. Is qui.* Nec qui ſcientes elegerunt indignum, *cap. Cùm in cunctis, cap. Cùm innotuit, de elect.* Sed tunc deuoluitur ad ſuperiorem ius eligendi, *cap. Quamquam, de elect. in 6.* Item qui poteſtate ſæculari ad eligendum vſi ſunt, *cap. Quiſquis, de elect.* Aut in Laicorum gratiam aliquem elegerunt, *cap. Meſſana, & cap. Cum tota, ibid.* Item qui infra tres menſes non elegerunt, eâ vice prohibentur eligere, *cap. Qui pro defectu, de electionib. &* 211
cap. Ex eo quod, in 6. Item fratres laici inter Religioſos, *cap. Ex eo quod, cit.* niſi ex ſtatuto ſpeciali id valeant: Item qui ex Regula, vel ex conſtitutionibus ab eligendo excluduntur: Item Religioſi Mendicantes qui transeunt in ordinem non mendicantium, *Clementina 1. de Regularib.* Item compromiſſarij ſi tempore præſcripto non elegerunt, quos tamen excuſare poſſet legitimum impedimentum, ſicut & alios qui intra trimeſtre non elegerunt, ſed pertinet ad vtroſque probare impedimentum. Item hæretici, *cap. fin. 9. quæſtione 1.* Simoniaci & electores legitimi, qui coacti eligunt, totum eſt inualidum quod faciunt, quia vt valeat electio libera eſſe debet, *cap. Vbi periculum, de electionib. in 6.* nec idcirco aliunde procedere quàm ex voluntate eligentium, & conſuetudines contrariæ reprobantur *cap. Cùm terra, de electionib.* Non item furioſi & mente capti, niſi habeant lucida interualla, quæ ſufficiant ad diſcretionem qualitatum eligendi. Gloſſa *in cap. Cùm ex eo, de electionib. in 6.* Aduerte autem ius electionis eſſe ſolum actum officij, non autem ordinis, vel iuriſdictionis, etiamſi ordo ſacer præſupponatur. *De iis qui priuantur iure eligendi, ſeu qui habent aliquod impedimentum ad eligendum, dixi ſuprà num. 8. referens me ad alia loca Summæ, in quibus de ea re egeram. Vbi etiam adduxi Authores de hoc puncto tractantes.* 212

De conſenſu Electi.

Quandoquidem electiones actiuæ & paſſiuæ ſe habent per modum contractus reciproci inter Electores & electum, hinc ſequitur non eſſe ſatis, quod illi liberi fuerint in eligendo, niſi etiam iſte ſit volens, & lubens in conſentiendo: ergo electio facta debet præſentari ſtatim electo, & quidem intra octo dies, ſi diſtantia loci patiatur, vt poſſit intra menſem conſenſum præbere, vel diſſentire, alioquin iuſto impedimento ceſſante priuabitur iure quod habet ex electione, *cap. Quàm ſit, de electionib. in 6.* Quod ſi requiratur etiam Superioris aſſenſus, debet quamprimum exquiri & haberi, prout patietur illius abſentia, *cap. Si Religioſus, de electionib. in Extrauag. commun.* Sed quia poteſt fieri, vt electores ſint tardi ad requirendum electi conſenſum, hoc tamen non officit electo: nam alteri per alterum non debet iniqua conditio fieri, *de Regulis iuris:* ſed ipſi electores tunc puniendi ſunt, iuxta *cap. Cupientes, de elect. in 6. De hoc quoque egi ſuprà num. 13.* ex Syluestro, Miranda, & aliis. 213

Porrò conſenſus electi ſic requiritur, quia neque in- 214
uitus

uitus poteſt cogi conſentire electioni de ſe factæ, nec
poteſt exerceri liberalitas in nolentem, & nemo digni-
tate creſcere cogendus, *cap. 5. diſtinct. 74.* Attamen ſpe-
cialis ratio militat in Religioſis, qui propter votum
obedientiæ teneri videntur abſolutè ad conſentiendum
electioni de ſe factæ, etiam ſub peccato lethali. Verùm
rectè ſoluit S. Doctor *quodlibeto 5. artic. 22. & 23.* di-
cens quod qui electus eſt canonicè, ſi aliquid tempo-
rale intendit, puta honorem, diuitias, excutere iugum
obedientiæ, & ſimilia, melius faceret diſſentiendo,
cum eius intentio ſit praua; ſed ſi intendit profectum
Eccleſiæ, intentio eius eſt bona. Addo etiam poſſe il-
lum laudabiliter conſentire ex fraterna charitate, vt ſa-
lutem proximorum procuret, quando ſecundum iudi-
cium ſuæ conſcientiæ timet, vel imminere diſpendium
monaſterio niſi conſentiat, vel ſe poſſe id præſtare
vtiliùs quam alij, *cap. in ſcripturis*, & *cap. olim 8.*
quæſt. 1. Iuxta illud Iſaiæ, Ecce ego, mitte me. Ergo
totum negotij ſecretum vertitur in diſcernendo, an à
vero animarum zelo, & non ambitione, aut alio
prauo fine conſenſus oriatur; vel etiam diſſenſus à
ſpiritu humilitatis, vel negligentiæ, vel diſſimulatio-
nis, vel liberioris genij, qui coarctari refugit; & quia
difficile eſt hoc diiudicare, præſtat certè Prælationis
officium potiùs declinare, modo non interueniat perti-
nacia cum ad hoc ſuſcipiendum Diuina voluntas ag-
noſcitur, quod eſt Gregor. Magni conſilium. Imò in
pertinacia perſiſtentes puniri poſſunt, *cap. Si qui cleri-*
ci, *cap. Placuit*, *diſtinct. 74.*

215 Quod ſi recuſatur Electio ab Electo, vel etiam poſt
conſenſum præſtitum renunciat iuri ſuo, vel fortè mo-
ritur, vel etiam propter cauſam rationabilem irritatur,
tunc Electores quos ſuppono ritè functos officio, re-
grediuntur ad priſtinum ius eligendi, tam integrum ac
ſi vacatio noua eſſet, *cap. Si electio, de elect.* Excipe ta-
men Communitates illas in quibus viget Conſtitutio
priuata contraria, nam priuatæ leges derogant iuri
communi, etiamſi nulla de hoc in illis fiat mentio,
non verò contra, & maximè ſi leges priuatæ ſint po-
ſteriores iure communi. Cæterùm Nota quod electio-
ne facta, vel appellatione ab ea interiectâ, ſi proce-
dendum ſit ad aliam nouam, ante omnia caſſari debet
illa prior, quamuis etiam nulla foret, proindeque ap-
pellationis deciſio expectari; nam ea pendente ſuſpenſa
remanet Electorum poteſtas, & ideo noua, non caſſatâ
priore, fit irrita *cap. Conſiderauimus, de elect.*

De confirmatione Electionis, & huius effectibus.

216 Hæc debet à ſuperiore Prælato fieri, *cap. Poſtquam,*
de elect. vt effectus ſuos producere valeat, nam ſi ele-
ctio dat ius electo acceptanti, confirmatio adminiſtra-
tionem iuris illius confert, vnde propriè eſt titulus
Canonicus, quo quis ius acquirit in officio & benefi-
cio, & veluti contractus inter Prælatum & communi-
tatem, vinculum vtrique imponens, quod ſine legiti-
ma Superioris maioris authoritate non fit. Attamen
noli exiſtimare, per electionem ſolam quouſque con-
firmata fuerit, nullum ius acquiri electo; licet enim
non recipiat ius in officio vel dignitate, niſi per con-
firmationem, ſic verò acquirit ius ad illa, quod qui-
dem erit vel reuocabile, vel confirmabile per Superio-
rem, prout recta ratio dictabit *cap. Noſti*, & *cap. Qua-*
liter, de elect.

217 Porrò ſic differunt illa duo iura, vt illud quod dici-
tur in officio, conferat plenam authoritatem circa ſpi-
ritualia & temporalia: contra verò, ſi ſe ingerat Præ-
latus electus ante confirmationem, quantumcumque
ſub nomine procuratoris aut œconomi, aut alio, vel
in partem, vel in totum adminiſtrationis officij ad quod
electus eſt, ipſo facto priuatur omni iure quod per ele-
ctionem acquiſierat, *cap. Auaritia, de elect. in 6.* quod
tamen non ſic habet in Abbatiſſa, quæ ritè electa po-
teſt adminiſtrare ante confirmationem, ſi à duabus par-
tibus Monialium non impugnetur, *cap. indemnitatibus,*
de elect. in 6. Alienare nihilominus nihil poterit, nec
Monialem de nouo recipere.

Cæterùm vbi non ſunt Conſtitutiones ſpeciales, 218
quæ protrahunt tempus confirmationis habendæ, de-
bet impetrari de iure communi intra tres menſes, alio-
quin à iure ſuo cadit electus, ſubducto tamen legitimo
temporis impedimento, *cap. Quam ſit, de elect. in 6.*
poteſtque peti vel ab electo, vel ab electoribus, *cap.*
Cum dilecti, de conſuetudine, & *cap. Cum Eccleſia.*
Quando tamen confirmatio illa dependet immediatè
à ſummo Pontifice, tunc derogatur tribus menſibus
petendæ confirmationi conſtitutis, quia negotia Cu-
riæ Romanæ tam multa ſunt, vt impediant ſæpe, ne
intra tres menſes poſſit obtineri confirmatio, *cap. Cu-*
pientes, de elect. in 6. Denique cauendum eſt, ne in 219
confirmatione procuranda fauor ſæcularium aut ex-
traneorum adhibeatur, vel etiam ſimoniæ peccatum
contrahatur; namque primum diſtrictè prohibetur à
Pio V. ſub pœna excommunicationis ipſo facto, &
priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, & carceris ad men-
ſem; quod fuit poſtea confirmatum & declaratum à
Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit. *Ad tollendam*
ambiguitatem, & habetur communiter in Conſtitutio-
nibus Ordinum, ad reſcindendam ambitionem exe-
crabilem eorum, qui non pertimeſcerent illam ſæcula-
ribus etiam perſonis & Magnatibus producere ſub ra-
tionibus fictulis & doloſis. Secundum etiam irritat
prorſus electionem, *cap. Et alicuius, de elect.* quod &
explicatur in Concilio Baſil. *de elect. in Pragmatica San-*
ctione. De confirmatore, & confirmatione electionum dixi
tom. 1, cap. 15. num. 35. & 36. & tom. 2. cap. 12. à n. 39.

An Electio coarctari poſſit Electoribus.

Certè tam libera eſſe debet ex iure Canonico *cap.* 220
vbi periculum, *§. cæterum*, *de elect. in 6.* vt valida eſſe
non poſſit aliter, eſt enim libertas velut anima vitam
tribuens electioni, ex quo fit vt etiam in foro con-
ſcientiæ, ſolo metu reuerentiali præpediatur eius valor,
ſi modò ille metus fuerit cauſa efficax illius.

Poteſt nihilominus talis contingere difficultas circa 221
libertatem electionis, vt abſolutè quidem non reddatur
cuacta ex omni parte, ſed tamen coarctetur & reſtrin-
gatur ad aliquem numerum perſonarum, vel in ſpecie,
vel in numero: V. G. ad ſolos Doctores, vel ad tres
aut quatuor nominatus, ex quibus neceſſariò ſit eli-
gendus vnus.

Ad quam difficultatem dicam in primis non eſſe ex- 222
tra poteſtatem Superioris excludere aliquem vel aliquos
ab electione paſſiua, ſi modò ducantur ratione legiti-
ma iis declarata ad quos ſpectat: V. G. quia ſunt crimi-
noſi probati vel ſuſpecti, nec ſe purgauerunt Canonicè,
vel aliquod aliud patiuntur impedimentum Canoni-
cum; talis enim excluſio propriè non eſt coarctatio,
ſed inſtructio eligentium, vt non eligant indignum.

Aſſero deinde non eſſe contra libertatem electioni 223
connaturalem, ſi reſtringatur ad certum genus perſo-
narum; ſic enim fit in electione Papæ, quæ reſtringi-
tur ad Cardinales, ſimiliter in electionibus Definito-
rum, qui deſumendi ſunt ex gremio Capituli, ſic etiam
Matrimonium reſtringitur reſpectu filiorumfamilias ad
perſonas eiuſdem Religionis. Vnde concludo non eſſe
illicitum V. G. Generali Ordinis, electionem Prouin-
cialium coarctare ad Doctores in Prouincia, vbi poſ-
ſunt ab omnibus proeuerari gradus: hoc enim ita fit,
quis ex illo numero prudentiores & doctiores haberi
ſolent: quo tamen non obſtante, ſi nemo dignus ex illo
numero poſſet eligi, foret liberum recurrere ad alios
qui

qui eſſent digniores, quamuis Magiſtri non exiſterent, quemadmodum licet in ſtatuto fundationis Beneficij conſtitutum ſit, quod conferri debeat alicui deſcendenti à progenie fundatoris, poterit attamen extraneus in eo licitè prouideri, nullo idoneo in ea progenie reperto, vt poſt Diuum Thom. 2.2. *quæſt.*63. *art.*2. tradit Nauarrus *de oratione, miſcellaneo* 34. *num.* 3.

224 Adiungo denique irritam videri electionem, ſi reſtringatur ad certas perſonas nominatim, ſic enim tollitur libertas ad eam neceſſaria, quod nulla conſuetudine fieri poteſt, *cap. Cum terra, de elect.* Vnde neceſſariam iudico ſummi Pontificis authoritatem ad hoc præſtandum, *cap. quod ſuper his, de maioritate & obedientia*; eſt enim valde diuerſa diſpoſitio ab illa qua reſtringitur electio ad certum genus perſonarum, ſiquidem in hac prouidetur bono publico, quod efficacius promoueri poteſt à Gremialibus v. g. Capituli Prouincialis, ſi Definitores ex illis aſſumantur, vtpote qui velut prudentiores à conuentibus directi fuerunt ad Capitulum; in illa vero, ſola conſideratio priuatarum perſonarum videtur mouiſſe affectum illius Superioris qui coarctat electionem, quod potius opponitur bono publico; vnde non crediderim legitimam eiuſmodi coarctationem, quodque ſi alius à nominatis eligatur, ſi fuerit dignus, valebit electio. Cæterum non eſt eadem ratio, ſi eligentes ſeipſos coarctant ad aliquem numerum, quia volentibus non fit iniuria, & pro maiori

225 vnione ſic fieri poſſe non dubito. *De hac etiam coarctatione, ſeu reſtrictione eligibilium ſcripſi tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 21. *ac generaliter de libertate ad electiones requiſita plura locis & authoribus relatis.*

Inferuntur aliqua pro Electoribus.

226 Primum eſt, quidquid Nauarrus dixerit in contrarium, nullum Electorem poſſe vnquam vti ſcientia parta per confeſſionem Sacramentalem, ad non eligendum aliquem, quem aliunde non nouit indignum: alias ſiquidem multi delinquentes retraherentur à Confeſſione auriculari facienda de grauioribus peccatis, ſi præuiderent ex eorum Confeſſione ſumi poſſe occaſionem ipſis denegandi ſuffragia in electionibus. Nec refert quod forte ſequeretur ex eorum electione detrimentum aliquod temporale, vel etiam ſpirituale; hoc enim non ita nocebit Eccleſiæ vniuerſali, ſicut noceret auerſio & horror ſacramenti pœnitentiæ, ſi ex eo ſumi poſſet anſa denegandi ſuffragium in electione. Non item refert, quod ille peccator ſit indignus qui eligatur; nam eiuſmodi indignitas non magis cognoſcitur ex Sacramentali ſcientia, quàm ſi igitur ignoraretur. Denique qui confitetur animo contrito, poſt abſolutionem debet à Confeſſario pro innocente reputari, alioquin abſolui non debuiſſet, ſi rediturus iterum ad vomitum præſumebatur.

227 Secundum eſt, poſſe contingere, vt aliquis digniſſimus exiſtat officio vel beneficio, nec tamen poſſit eligi propter aliquod impedimentum canonicum, quia v.g. eſt illegitimus, *cap. Innotuit, de elect.* In quo caſu recurrere debent Electores ad remedium poſtulationis, quæ nihil eſt aliud quàm ſupplex ab electoribus ad Superiorem facta petitio, vt aliquis Eccleſiæ præficiatur vel conuentui, cui per impedimentum canonicum, quod non eſt animi vel corporis vitium, eligi iure non poteſt, *cap. Bone, de poſtul. Prælat.* Vnde fit vt poſtulatio ſit opus gratiæ, electio verò actus iuſtitiæ. Aduerte autem ſufficere ad poſtulationem, ſi maior pars Capituli conſenſum præſtiterit, *cap. ſcriptum, de elect.* Vnde licet omnes de Capitulo concordare debeant, vbi gratia ab illo conferenda eſt, non ſic tamen quando ipſum Capitulum debet petere gratiam, ſicut in poſtulatione. Porrò ſpectat ad Superiorem, qui poteſt diſpenſare cum poſtulato, ſimiliter admittere poſtulationem, *cap.* 1. *de poſtul. Prælat.* Quo facto remanet poſtulatus liber ab impedimento, propter quod eligi non poterat. Verùm non poteſt indignus poſtulari magis quam eligi ex ipſo iure naturæ, nec ſimoniacè fieri poſtulatio per pactionem de dando vel recipiendo commodo temporali intuitu ipſius, *cap. vlt. de pactis, & cap. Tua, de Simonia.*

Item nec criminoſus, nec bigamus, nec irregularis, quia non ſolet in his relaxari rigor iuris; at bene poſtulatur qui nondum habet legitimam ætatem, qui non eſt legitimè natus, qui eſt alteri Eccleſiæ, vel officio alligatus. Denique quamuis electores nequeant variare poſt electionem propter ius electo acquiſitum vt confirmationem petat; ſic vero poſtulantes, vtpote qui per poſtulationem nullum ius conferunt poſtulato, quia ſupponitur præpeditus à iure canonico, *cap. Bone, de poſtul.* 228

Tertium eſt electores peccare grauiter qui eligunt eum quem inueterata conſuetudine aut malitia manifeſta peccatorem nouerunt, quamuis non ſit ex eorum numero qui dicuntur in iure criminoſi; quod ſi peccatum ſit notorium, mereaturque depoſitionem ſecundum canones, eo grauior erit eligentium offenſa; quinimò cenſent communiter Doctores poſt S. Thomam, ipſum electum conſentiendo in ſuam electionem pro ſua parte etiam peccare; tum quia ſe nouit indignum, tum quia puſillis præbet anſam ſcandali. *Tacta etiam ſunt aliqua ex iſtis locis relatis, & apud authores, quos retuli.* 229

Corollaria totius Praxeos electionum pro Regularibus.

I.

Conſtans eſſe debet, quod ſi dignus digniori præferatur in electione, quamuis peccatum ſit, non minùs tamen valet electio in vtroque foro, nec poteſt irritari, vt tenent communiter Doctores, etiamſi ante ipſam electionem denunciatum ſit electoribus digniorem eligendum eſſe: alioquin certè omnes electiones exponerentur infinitis litibus & perturbationibus; imò & ſæpe ſcrupulis torquerentur electi ambigentes de ſua dignitate maiori, vel minori, ad quod non tenentur. 230

II.

Cauendum eſt diligenter, ne ratione ſanguinis aut amicitiæ præferantur dignioribus digni, vt non detur puſillis anſa ſcandali. Quod ſi æquè ſit capax conſanguineus aut amicus ac quilibet alius, nihil tunc impedit quin eligatur ſicut & alij.

III.

Si certum exiſtat aliquem eſſe dignum, dubium verò an alius dignior exiſtat; tunc licitum eſt eligere dignum, quia certa & euidens notitia poteſt in hac parte præferri opinioni dubiæ, vel etiam probabili.

IV.

Superior electionis confirmandæ non tantum poteſt licitè, ſed etiam tenetur inquirere de qualitatibus electi antequam confirmet, quia ſpectat ad illum abſolutè de idoneitate iudicare, *cap. Poſtquam, de elect.*

V.

Vbicumque electio fuerit facta per compromiſſum, tenentur compromittentes recipere electum à compromiſſario, ſi eſt idoneus, *cap. cauſam, de elect.*

VI.

Quando caſſata fuit electio, non propter vitium perſonæ, ſed ob electionis modum, poteſt iterum eligi eadem perſona, *cap. ſuper eo.*

VII.

Non incumbit obligatio eligentibus vocatos expectandi, ſi de iure vocandi non erant, *cap. cùm inter.*

VIII.

Non eſt licitum recipere poſtulatum ad Eccleſiam regendam

regendam ante admiſſiooem poſtulatioois à Superiore factam, alioquin electores priuantur poteſtate eligendi pro illa vice, ſicut & illi qui ſcienter eligunt indignum, *cap. Bona memoria, & cap. cum Vinctonienſis.*

IX.

Appellatio eios cuius non intereſt facta contra electionem nou valet, ſic verò illius qui queritur ſe contemptum, & caſſare poteſt electionem etiam confirmatam, *cap. quod ſicut.*

X.

Quando reuocatur poteſtas data compromiſſariis eligendi, re adhuc integra reuocari poteſt, non verò amplius poſtquam cœperunt habere tractatum, *cap. in cauſis.*

XI.

Non poteſt in Superiorem Regularem eligi qui non eſt ſufficienter inſtructus in Regula Monachali & Conſtitutionibus Ordinis, non enim poteſt eſſe Magiſter qui nondum bene diſcipulus extitit, *cap. Officy.*

XII.

Ex quo ſemel eligentium ſuffragia publicata fuerint, non poſſunt amplius variare, ſed ſtatim à Præſidente facienda eſt electio, *cap. Publicato.*

XIII.

Vbicumque Electores poſſunt auferre impedimentum electionis faciendæ, vel confirmationis habendæ, ad hoc tenentur, alioquin currit tempus contra illos.

XIV.

Prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, grauare electores pro eo quod eligere noluerint eum pro quo rogabantur, *cap. Sciant cuncti, de elect. in 6.*

XV.

Licet plures compromiſſarij conſtituti fuerint ad eligendum, per vnicum tamen facienda eſt Electionis pronunciatio, aliuqui Electio facta non valet, *cap. Sicut, ibidem.*

XVI.

Caſſata confirmatione, vel irrita declarata propter defectum confirmantis, non ideo caſſatur electio, *cap. ſi confirmationem.*

XVII.

Moniales non poſſunt eligere, niſi habeant duodecim annos profeſſionis completos, *cap. Indemnitatibus.*

XVIII.

Qui ponunt vel nutriunt diſcordiam in electione Monialium, ipſo iure ſunt excommunicati, *ibidem.*

Hæc ſunt circa totam electionum materiam, quæ proximiùs ſpectant ad Religioſos & Moniales, quæ tamen ita diuiſim accipienda ſunt, vt quod pro Monialibus ſpecialiter conſtitutum eſt, non afficiat Religioſos ipſos, vt expreſsè habetur *in dicto cap. Indemnitatibus, §. ad hac.*

EPISCOPVS QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *De Epiſcopo reſpectu Regularium non exemptorum.*
Reſpectu Regularium exemptorum. ibid.
3 *Quam auctoritatem habeant circa Monaſteriorum conſtructionem.*
Quam quantum ad Eccleſias, quas recipere poſſunt. ibid.
4 *Quid caſu quo erigantur aliqua Monaſteria, in quibus duodecim Religioſi ſuſtentari non valeant.*
5 *De auctoritate, quam habet Epiſcopus ſupra diſpoſitionem bonorum nouitiorum.*
6 *Circa reſtitutionem ipſorum.*
7 *Circa numerum Monialium.*
8 *Ad explorandum voluntatem virginis habitum ſuſcepturæ.*
9 *Ad declarandum poſſeſſionem inualidam.*
10 *Pro caſibus nullitatis.*
11 *Quid circa clauſuram Monialium.*
Sacræ Congregationis declarationes. ibid.
12 *De approbatione licentiæ exeundi extra Monaſterium.*
13 *De auctoritate, quam habet ſupra Regulares in iis, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis.*
14 *Quoad Monachos Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Regularis.*
15 *Quoad editionem.*
16 *Circa Imagines, miracula, & Reliquias.*
17 *Circa obſeruantiam feſtorum.*
18 *Circa Oratoria in priuatis domibus.*
Circa Sacerdotes exteros non admittendos ad celebrandum. ibid.
19 *Circa ſolemnes benedictiones.*
20 *Quoad controuerſias circa precedentiam in proceſſionibus.*
21 *Circa Regulares extra Monaſteria degentes, & delinquentes.*
Quid declaratum à S. Congregatione. ibid.
22 *De aliis facultatibus ipſius.*
23 *An in aliis caſibus preter aſſignatos.*
24 *De caſibus in quibus poſſunt contra Regulares per cenſuras procedere.*
25 *Alia remiſſiuè, vſque ad num 29.*
30 *Reſolutio cuiuſdam dubij, an Sanctiſſimus poſſit cogere aliquem Epiſcopum, vt transferatur ad aliam Eccleſiam.*
31 *Reſponſio affirmatiua.*
32 *Ex ſententia Doctorum.*
33 *Quia facultas transferendi Epiſcopum ex vna Eccleſia ad aliam, indubitanter competit Papæ.*
34 *Poteſt illam exercere circa inuitos.*
35 *Probatur à ſimili de poſtulatione.*
36 *A ſimili de poteſtate ciuili.*
Qua poteſt cogere ciues ad Reipublicæ munera. ibid.
37 *Ex ſententia Doctorum.*
38 *Et quia ſubditus tenetur obedire ſuperiori obliganti ad acceptandum Epiſcopatum.*
39 *Doctores pro hac re.*
40 *Argumentum ex ipſo Papa potente cogere aliquem non Epiſcopum ad Epiſcopatum.*
41 *Per tranſlationem ſolum mutatur materia talis regiminis.*
42 *Obiectio in contrarium.*
43 *Soluitur.*
44 *Cum Papa ſit ſupremus Paſtor, pertinet ad ipſum prouidere de Paſtoribus particularibus.*
45 *Militat hoc in tranſlatione.*
46 *Non obſtat, quod dicitur, quod vinculum Epiſcopi cum Eccleſia ſit iure diuino, & naturali indiſſolubile.*
47 *Negatur enim aſſumptum.*
48 *Vinculum hoc ſolum eſt de Iure Pontificio.*
49 *Authores qui id docent.*
50 *Ac proinde poteſt Papa facere contra illud.*
51 *Nec manus Papæ ligatur, eo quod voto, vel iuramento ſe adſtrinxerit alicui Eccleſiæ.*
52 *Tale enim votum, aut iuramentum ſolum obligabunt Epiſcopum ad non procurandam tranſlationem, non vero ad non obediendum Papæ.*
53 *Quia in omni voto, & iuramento includitur hac conditio, niſi ſuperior aliter preceperit.*
54 *Poteſt Papa in tali voto, aut iuramento diſpenſare.*
55 *Abſoluendo à vinculo, quod Epiſcopus habet cum illa Eccleſia.*

Relaxando

56 *Relaxando votum, aut iuramentum quodcumque in contrarium emiſſum.*

57 *Rationes propter quas Papa id poteſt facere.*

58 *Attendendum Epiſcopo ad verba S. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 2.*

59 *Et quæ habet idem S. Doctor eo art. 2. in ſolutione ad primum.*

Audiat ipſum in ſolutione ad ſecundum. ibid.

1 DE Epiſcopo Regolari, ſeu quod idem eſt, de Regularibus ad Epiſcopatum aſſumptis egi *tom. 1. Summ. cap.* 17. per totum. De iis in quibus Religioſi tenentur obedire DD. Epiſcopis, dixi *tom. 1. cap.* 11. Maximè de cauſis Regularium in quibus intromittere ſe poſſunt Epiſcopi, vel Ordinarij, egi ſupra verbo *Cauſa iudicialis Regularium*, & verbo *Delinquens Regularis*. De eiſdem etiam plura incidenter tam in 1. quam in 2. & in hoc opere dicta ſunt, & dicentur. Modò autem generaliter, ſaltem remiſſiuè, de iis agendum in quibus Epiſcopi circa Monaſteria Regularium, aut Regulares ipſos auctoritatem, ſeu iuriſdictionem habeant. Erit autem ſermo non ſolum de Regularibus non exemptis, ſed etiam de exemptis, quales ſunt fermè Religioſi, vt dicetur infrà verbo *Exemptio Regularium*.

2 Loquendo ergo de Epiſcopo reſpectu Regularium non exemptorum, ſeu ſibi ſubiectorum, videtur non ſolum poſſe facere circa illos, & eorum Monaſteria ea, quæ circa exemptos, ſed etiam ea, quæ alij Prælati Regulares circa ſuos ſubditos agere poſſunt. Pro quo notandum, inter huiuſmodi non exemptos alios eſſe, qui ipſi Epiſcopo obedientiam emittunt, prout ſunt aliquæ Moniales, alios verò, qui non emittunt ipſi talem obedientiam, ſed ſolum Abbati, vel Generali. Et quidem circa priores, cum Epiſcopus ſit verus eorum Prælatus, poterit circa illos facere quidquid alij Prælati Regulares circa ſuos ſubditos, iuxta dicta *tom. 1. cap.* 11. *num.* 1. Circa poſteriores verò, cum ſolum ſubſint Epiſcopo quoad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſicut alij Clerici, non verò quoad obſeruantias Regulares, quia quoad eas ſolum ſunt ſubditi ſuis Prælatis, iuxta dicta eo *cap.* 11. *num.* 4. ideo ſolum quoad ea, quæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiaſticam habet authoritatem ſuper illos. Vnde tales, licet quoad diſciplinam Eccleſiaſticam magis teneantur obedire Epiſcopo, quàm ſuo Prælato Regulari, quoad obſeruantias verò Regulares magis tenentur obedire ſuo Prælato, quàm Epiſcopo, prout habent S. Thomas *in* 2. *diſtinct.* 44. *in fine.* Syluester *in Summ. verbo obedientia, quæſt.* 8. *& quæſt.* 10. *dict.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 13.

3 Loquendo autem de Epiſcopo in ordine ad Regulares exemptos, habet primò auctoritatem ſupra illos quantum ad hoc, quod ſine ipſius conſenſu nequeant de nouo conſtruere Monaſteria, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 34. *&* 35. ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 3. & litteris Sanctiſſ. D. N. Vrbani, quod etiam ſupponitur à Clem. VIII. in Conſtitutione *Quoniam ad inſtitutam*, in 3. tom. Bullar. in Clement. VIII. num. 99. & à S. Congregat. ſub Gregor. XV. in Conſtitutione *Cum alias*, in 4. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius num. 31.

4 Habet etiam auctoritatem circa eorundem Monaſteriorum conſtructionem, ad vocandum & audiendum Priores, Procuratores, ſeu alios intereſſe habentes aliorum Monaſteriorum illorum locorum, vbi fundari debent noua Monaſteria, ad hoc vt illi conſtet an dicta noua Monaſteria commodè ſuſtentari poſſint ſine aliorum detrimento. Hoc etiam addito, quod ſi ab ipſius ſententia à Sede Apoſtolica appellatum fuerit, tamdiu dictorum Monaſteriorum erectionem ſuſpendere debeat, quouſque à dicta Sede in eadem cauſa pronunciatum fuerit. Ita enim decreuit Clem. VIII. in Conſt. relata. Quod etiam innouauit Sacra Congregatio ſub Greg. XV. Conſtitutione etiam relata. Et ampliauit quantum ad hoc, quod non ſolum ad id vocari, audiri, & conſenſum præſtare deberent Priores, & Procuratores aliorum Monaſteriorum in illis locis vbi erigi debent Monaſteria, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumvicinia, niſi alias ipſi Epiſcopo conſtiterit Religioſos dicti Monaſterij abſque detrimento aliorum Religioſorum aliorum Monaſteriorum manuteneri poſſe commodè, & congruè in numero duodecim, & quod in caſu etiam quo in illis locis nulli alij Regulares reperiantur, prædicta inquiſitio cum locorum incolis & habitoribus facienda ſit. Quæ omnia approbata, & innouata fuerunt cum derogatione quorumcunque priuilegiorum à SS. D. N. Vrbano in Conſtitutione *Romanus Pontifex*, inter Conſtitutiones ipſius 4. tom. Bullar. *num.* 25. Nota autem quod Conſtitutio relata Clem. VIII. etiam habet locum circa erigenda Monaſteria Monialium, vt declarauit S. Congregatio 19. Decembris 1620. vt teſtantur Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 7. & Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp.* 31. *quæſit.* 1. *num.* 4.

Similiter habet auctoritatem Epiſcopus in Regulares quantum ad hoc, quod non poſſunt recipere Eccleſias à ſæcularibus ſine conſenſu illius, *cap. decimas* 16. *quæſt.* 7. *cap. Quod autem, in fin. cap. Illud, verſic. tum quia, cap. nullus, de iurepatronat. cap. cum & plantare, in princip. verſic. Eccleſias, de priuileg.* Quod eſt intelligendum ſolummodo de receptione Eccleſiarum à laicis, non de receptione iuris patronatus in Eccleſiis. Hoc enim ius poſſunt recipere Regulares à laicis, non expectato Epiſcopi conſenſu. Azor. *tom.* 2. *Inſtit. Moral. lib.* 6. *cap.* 20. *quæſt.* 5. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de ſimonia, cap.* 28. *num.* 16. 5

Caſu etiam quo erigantur aliqua Monaſteria de nouo ſine prædicta conditione, ſcilicet quod, vt dictum eſt, in illis duodecim Religioſi ſuſtentari valeant, habet auctoritatem Epiſcopus ſuper illa, itavt ipſius *viſitationi, correctioni, atque commoda iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.* Ita enim decernitur à Sacra Congregatione Concilij in decretis *de celebrat. Miſſarum*, ſub eodem SS. Vrbano, quæ habentur inter Conſtitutiones ipſius 4. tom. Bullar. *num.* 43. Declaratum etiam eſt ab eadem Sacr. Congregat. iuſſu eiuſdem SS. in declarationibus additis eiſdem decretis *dub. vltim.* hoc decretum habere locum etiam extra Italiam. Hæc verò omnimoda iuriſdictio, viſitatio & correctio, ſolum quod attinet ad diſciplinam Eccleſiaſticam, non quoad obſeruantias regulares, accipienda ſunt iuxta dicta ſuprà *num.* 2. & dicenda inferius *num.* 16. 6

Habet etiam Epiſcopus authoritatem ſupra diſpoſitionem bonorum faciendam à nouitiis, ita ſcilicet vt nequeat ab ipſis fieri niſi intra duos menſes ante profeſſionem, & cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 24. *à num.* 33. ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularib. cap.* 16. Nomine autem Epiſcopi cui competit dare hanc licentiam, intelligi debet non ſolum Epiſcopus conſecratus, ſed etiam confirmatus, quia à tempore confirmationis competunt ipſi omnia quæ ſunt iuriſdictionis, quale eſt hoc. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 65. Archiepiſcopus quoque in ſua diœceſi ante receptionem pallij, propter eandem rationem. Sanchez *ibid. num.* 66. Bartholomæus à S. Fauſt. *in theſaur. Religioſ. lib.* 5. *quæſt.* 196. Item Abbates, & alij Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuis Diœceſibus, propter eandem etiam rationem. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 99. *n.* 6. Item Capitulum Sede vacante, quia illud ſuccedit in omnem ordinariam iuriſdictionem Epiſcopo competentem. Sanchez *ſuprà num.* 67. Qui idem etiam extendit ad Vicarium ipſius Capituli; ille enim etiam 7

vocatur Vicarius Epiſcopi. Bartholomæus à S. Fauſto *ſuprà quaſt.*198.

8 Item habet authoritatem ad faciendum etiam mediis cenſuris Eccleſiaſticis quod nouitiis profeſſionem facere renuentibus reſtituantur omnia quæ ſua erant. Ita enim habetur ex eodem Concilio dicta *ſeſſ.*25. *cap.*16. Tambur. de Iure Abbat. *tom.*1. *diſp.*15. *quaſit.*7. *num.*29.

9 Item habet auctoritatem circa numerum Monialium in Monaſteriis ſtatuendum, ita ſcilicet, vt tam in Monaſteriis ſibi ſubiectis, quam in exemptis (cum interuentu tamen Superioris Regularis) curare debeat, vt conformiter ad iura antiqua, Concilij Trident. decretum *ſeſſ.*25. *cap.*3. & Conſtitutionem Pij V. *Circa paſtoralis*, is tantum Monialium numerus ſtatuatur, qui vel ex redditibus propriis, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſit. Ita enim decreuit Gregorius XIII. in Conſtit. *Deo Sacris*, & S. Congregatio Epiſcop. & Regular. in vna Sertonenſi 27. Maij 1603. & eadem S. Congregatio pro Monialibus Regni Portugaliæ 6. Iunij 1615. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.*98. *n.*3. *& in Collectan. Bullar. verb. numerus.* Tamburinus *de Iure Abatiſſar. diſp.*5. *quaſit.* 1. *num.* 4. Qui notat *num.*3. de conſuetudine multorum locorum Conuerſas non haberi in conſideratione ad effectum augendi numerum Monialium. Pro Monialibus autem ſupernumerariis vide dicta *tom.*1. *Summ. cap.*25. *num.*6.

10 Habet quoque Epiſcopus, vel eo impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus deputatus auctoritatem explorandi voluntatem virginis, quæ habitum Regularem ſuſceptura eſt, vel profeſſionem emiſſura, an coacta, vel ſeducta ſit, &c. iuxta doctrinam Concilij Trid. *ſeſſ.*25. *cap.*17. & dicta *tom.* 1. *Summ. cap.*15. *n.*12. *& cap.*16. *n.*17. Hoc autem (quod fieri ſolet ante profeſſionem) ſic faciendum ex declarat. S. Congregationis. Præfigatur huiuſmodi puellis certus dierum numerus 15. vel 20. intra quem declarare debent, vtrum velint profeſſionem emittere vel non, & ſi noluerint, remittendæ ſunt ad domos conſanguineorum, vel affinium. Campanile *in Diuerſ. Iuris canon. Rubric.*12. *cap.*16. *num.* 16. Epiſcopum etiam teneri intra 25. dies poſtquam monitus fuerit hoc examen perficere, itavt ipſis elapſis amplius de eo non ſe debeat intromittere, deciſum referunt Campanile *ſuprà num.*10. & Armendariz *in Addit. ad recopilat. leg.* Nauarr. *lib.*2. *tit.*18. *l.*7. *de Religionibus*, *n.*44. apud quos alia ad intentum. Alias etiam declarationes S. Congregationis circa hoc habet Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Epiſcopus quoad Regulares.*

11 Inſuper facultatem habere Epiſcopum declarandi profeſſionem ante 16. annum factam nullam eſſe, ſicque deciſum eſſe, refert Armendariz *in Addit. ad recopilat. leg. Nauarr. ſuprà num.*11. Cum autem Concilium Tridentinum *ſeſſ.*25. *cap.*19. dicat profeſſi reclamationem faciendam eſſe coram Superiore, & Ordinario, ideo talem declarationem facere non ſpectat ſolum ad Epiſcopum, ſed ſimul cum Superiore Religionis. Si autem intra biennium tales cauſæ non terminentur, quid agendum ſit, dixi ſuprà verbo *Cauſa iudicialis Regularium*, *num.*9.

12 Idem dico de aliis caſibus nullitatis profeſſionis, puta propter vim, vel metum, aut quid ſimile, propter decretum eiuſdem Concilij *ſuprà.* Talis enim cauſa decidenda eſt coram Epiſcopo, & Superiore Religionis. Vide dicta *tom.*1. *Summ. cap.*2. *num.*7. *&* 8. Azorium *tom.*1. *inſt. Moral. lib.*12. *cap.*4. *quaſt.*10. & Miranda *tom.*1. *Man. quaſt.*30. *art.* 1. cum ſequentibus, ac dicenda 4. *tom.* verbo *Profeſſio Regularium.*

13 Pertinet etiam ad Epiſcopum procurare quod clauſura Monialium reſtituatur, & conſeruetur; in Monaſteriis quidem ſibi ſubiectis ordinaria, & in aliis Sedis Apoſtolicæ authoritate, iuxta dicta *tom.*1. *Sum. cap.*25. *num.*49. ex decreto Conc. Trid. *ſeſſ.*25. *cap.*5. Adde & Conſtitutionem Pij V. *Circa Paſtoralis Officij*, & aliam Gregorij XIII. *Deo Sacris*. Quamuis autem ſtando in vi Concilij probabile ſatis videatur hanc facultatem non competere Epiſcopo in ordine ad Moniales Regularibus ſubiectas, ita vt particula illa Concilij *in aliis verò*, ſolùm ſit intelligenda de aliis Monaſteriis exemptis, non tamen Regularibus ſubiectis, prout colligitur *ex cap. periculoſo*, §. *vltim. de ſtatu Regular. in* 6. cui Concilium non derogat, imò ſe illud innouare proteſtatur, & ex Conſtitutione dicta Pij V. vbi non ſolum probat dictum *cap. Periculoſo*, ſed etiam per illud *in aliis verò*, intelligit Monaſteria, quæ ad Romanam Eccleſiam mediatè, vel immediatè ſpectant, & ita tenent Nauar. *Comment.* 4. *num.*60. *de Regularibus*, Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*15. *num.*21. Bonacina *de clauſura quaſt.*1. *punct.*6. Nihilominus quia à Sacra Congregatione ſæpius oppoſitum declaratum dicitur, vt referunt Galletus *in Margarit. caſ. conſcient. verbo clauſura*, *num.*1. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.*102. *num.*6. 7. 8. *&* 9. *& in Collectan. Bullar. verbo Clauſura*, Gauantus *in Man. verb. Monialium clauſura*, *num.*57. 58. 59. 60. 61. *&* 62. & conſonat Conſtitutio Gregorij XV. *Inſcrutabili*, cum reſolutione Sacræ Congregationis ad nonum dubium circa illam, quæ omnia retuli dicto *cap.*25. *num.*45. *&* 46. (Etſi eam ſuſpenſam fuiſſe pro Regnis Hiſpaniarum dixerim eo *tom.* 1. *part.*1. *cap.*19. *num.*35.) Ideo huic parti adhærendum. Ex iis autem declarationibus habetur, poſſe Epiſcopum viſitare clauſuram Monialium non ſibi ſubditarum, etiamſi nunquam aliàs viſitata fuerit, & toties quoties expedire iudicauerit, nec ab ipſis Regularibus poſſe impediri, ac ingredi etiam Monaſterium, & interrogare Moniales de pertinentibus ad dictam clauſuram. Gauantus *ſuprà*, Barboſa *ſuprà*, referens Galletum, Zerolam, & Armendariz. Addit Gauantus *ibidem num.*56. cui conſonat alia declaratio apud Barboſam *in Collect. Bullar. ſuprà*, declaratum eſſe à Sacra Congregat. Epiſcop. & Regular. poſſe Epiſcopum viſitare clauſuram non ſibi ſubditarum ſine aſſiſtentia Superiorum Monaſterij. Cum tamen in Conſtitut. Pij V. relata dicatur ad faciendum *vna cum Superioribus eorundem Monaſteriorum*; ideo qualiter hæc cohæreant alij viderint. Poſſe etiam Epiſcopum ob clauſuram cuſtodiendam Monaſteriis Monialium Regularibus ſubiectarum excommunicationis latæ ſententiæ pœnam imponere, & ſibi reſeruare, circa aperitionem oſtij clauſuræ extra caſus indigentiæ, necnon circa acceſſum, & colloquia cum Monialibus, & quod dicta excommunicato liget nedum Regulares accedentes, verùm etiam Moniales, facta de eis mentione, adeo ut Superior Regularis ab eadem excommunicatione abſoluere nequeat, referunt declaratum à Sacra Congregatione in vna Viterbienſi 6. Iunij 1626. Barboſa *in collectan. Bullar. verbo Epiſcopus* 1. & Ioan. Nouarius *in lucern. Regular. verbo Epiſcop. quoad Regulares*, *num.*7. [Et habetur authenticè *in additamentis ad Peirinis*, *decreto* 5.] Additur autem in loco relato ex Concilio poſſe Epiſcopum prædictam clauſuram procurare, *inuocato ad hoc*, *ſi opus fuerit*, *auxilio brachij ſæcularis.* Quod auxilium præbeatur, hortatur Concilium omnes Chriſtianos Principes, & ſub excommunicationis ſententiæ latæ pœna omnibus, & ſingulis Magiſtratibus ſæcularibus iniungit. Vide Sanchez *ſuprà num.*22.

Prædictæ autem clauſuræ Monialium conſeruandæ 14
gratia pertinet etiam ad Epiſcopum approbatio licentiæ exeundi è Monaſterio, iuxta dicta *tom.*1. *Summ. cap.*25. *n.*21. De quo etiam Tamburinus *de Iure Abbatiſſ. diſp.*20. *quaſit.*5. Item facultas concedendi licentiam pro ingreſſu, iuxta modum explicatum *eo c.*25. & ſuprà verbo *Clauſura*, *n.*24. *&* 25. Item poſſe prohibere, vel

Digitized by Google

vel etiam aliquando permittere acceſſum ad illas alloquendas, iuxta dicta eo *cap.25.n.35. & 36.* De quo Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.102.n.69.* & ſequentibus. Etiam ſub pœna excommunicationis ſibi reſeruatæ, vt habent Barboſa, & Nouarius *ſuprà*, ex declaratione S. Congregationis. Pro eis tamen Regularibus, qui huiuſmodi excommunicatione ligantur, vide dicenda infra verbo *Exemptio Regularium, num.11.*

15 Habet etiam Epiſcopus auctoritatem in Regulares quoad illa omnia, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, v.g. Chriſmatis confectionem, Ordinum collationem, & ſimilia, *cap. veniens.* Eraſmus Cochier *de iuriſdict. Ordinar. in exempt. part.2. quæſt.45. num.16. & part.4. quæſt.11.* Nouarius *ſupra num.4. & 5.* referens S. Congreg. declarationem. Hoc tamen intellige, ſeclusis priuilegiis particularibus Regularium, de quibus ſuo loco.

16 Habet præterea Epiſcopus omnimodam iuriſdictionem in Monachos Eccleſiæ Cathedralis Regularis, quales aliquot ſunt in Sicilia, ſcilicet Panormitana, & Montis Regalis, quoad ea videlicet, quæ non pertinent ad Regularia Inſtituta, *cap. nullus, de elect. in 6.* & ibi Ancharan. Ioan. Andreas, Geminianus, & alij. Tamburinus *de iure Abbat. diſp.15. quæſit.7.* Idque conſtat ex Bulla quadam Pauli III. & Rotæ deciſione coram Illuſtriſſimo Domino Coccino de anno 1604. Vbi agitur de Iuriſdictione Archiepiſcopi Montis Regalis in Monachos eiuſdem Eccleſiæ. Vnde habebit hanc auctoritatem ſupra prædictos Monachos in aliis rebus ſpectantibus ad diſciplinam Eccleſiaſticam, quemadmodum ſupra clericos alios ſæculares. Hæc enim non ſpectant ad Regularia Inſtituta, iuxta dicta ſuprà *num.6.* Quæ verò veniant nomine Regularium Inſtitutorum dixi aliquando interrogatus in cauſa Eminentiſſimi Cardinalis de Torres Archiepiſcopi dictæ Eccleſiæ Montis Regalis cum Monachis illius, eſſe ea, quæ priuatiuè propria, & peculiaria ſunt Regularium, inquantum tales ſunt, qualia ſunt ieiunia, ſilentia, abſtinentia à carnibus, humilitas in habitu, & lectiſterniis, ſimileſque mortificationes, quæ in Regulis, & ſtatutis ipſorum præcipiuntur, *cap. quanto, de offic. Iudic. ordin.* Quare quoad iſta debet Epiſcopus dictos Regulares remittere ſuo Prælato Regulari, vel ſaltem tempore viſitationis adhibere ſecum vnum illius Religionis, vt diſponitur in Extrauaganti *Debent Superioribus ſuis, de offic. Ordinar.* inter communes *lib.1.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Allegat.105. num.77.*

17 Habet inſuper Epiſcopus auctoritatem ſupra quoſcumque Regulares quoad editionem librorum cum approbatione ipſius. Ex Conc. Trid. *ſeſſ.4. in decr. de edit. librorum.* De quo *tom.4.* verbo *Libri*, latius dicetur.

18 Item ſuper imagines inſolitas ponendas, noua miracula admittenda, nouaſve Reliquias recipiendas, iuxta decretum Conc. Trid. *ſeſſ.25. in decr. de Inuocat. & venerat.* Pro quo vide dicenda *tom.4.* verbo *Reliquiæ Sanctorum.* Sanchez *in Decalog. tom.1. lib.2. cap.43.* & Fagundez *in quinque præcepta Eccleſ. lib.1. cap.4.*

19 Item quantum ad non celebrandum in priuatis domibus, aut omnino extra Eccleſiam, & Oratoria ab Epiſcopo deſignanda, iuxta Concilium Trid. *ſeſſ.22. in decret. de obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſ.* Quo caſu poſſunt Ordinarij contra Regulares procedere etiam per cenſuras, non obſtantibus ipſorum priuilegiis, vt habetur in fine dicti decreti Concilij. Pro eius tamen intelligentia vide dicta *tom.1. part.1. Summ. cap.21. num.14. & 15.* & ſuprà verbo *Altare, num.13.* ac dicenda infra verbo *Exemptio Regularium.*

20 Item prohibere poteſt Epiſcopus ne Regulares in eorum Eccleſiis Sacerdotes ſæculares exteros ad diuina Officia celebranda admittant, niſi prius ab ipſo, viſis litteris commendatitiis, ipſi Sacerdotes admiſſi fuerint, ex declaratione S. Congreg. teſtibus Armendariz *in Additionib. ad recopilat. leg. Nauarr. lib.2. tit.18. l.1. de Relig. n.45.* & Barboſa *in collect. Bullar. verbo Epiſcopus quoad Regulares.* [Nota tamen ex declaratione S. Congreg. 27. Iulij 1626. quod Ordinarij locorum non poſſunt prohibere Regularibus peregrinis ne celebrent ſine eorum licentia in Eccleſiis eorum Ordinum.]

Similiter habet auctoritatem in illos circa obſeruationem dierum Feſtorum, quos ipſe Epiſcopus obſeruare præceperit, propter decretum Concil. Trident. *ſeſſ.25. cap.12.* quod retuli *tom.1. cap.9. num.46.* iuxta ibidem dicta. Vnde Rodriguez *tom.2. quæſt. Regular. quæſt.70. art.2.* acriter inuehitur in Regulares id non facientes, & Prælatos permittentes. Quæ autem Feſta poſſit Epiſcopus indicere, & quæ poſſint in illis Regulares facere, & an ſint aliqua priuilegia Regularium quoad hoc, vide dicenda infrà verbo *Feſti dies*, vbi etiam an poſſint cogi ab Epiſcopis ad annunciandum in ſuis Eccleſiis Feſta, & ieiunia Eccleſiæ, & per cenſuras ad dictorum Feſtorum obſeruantiam. 21

Inſuper habet Epiſcopus authoritatem faciendi in locis exemptis ſuæ Diœceſis ſolemnes benedictiones, ac diuina Officia celebrandi. Eraſmus Cochier *dicta quæſt.45. n.34. & 35.* Barboſa *dicta Alleg.105. num.66.* Vnde declaratum à S. Congregatione in vna Fanenſi die 11. Aprilis 1601. quod ſi Epiſcopus in die Palmarum vnà cum Capitulo, & Clero perſonaliter ad Monaſterium Regularium accedere meatur, debere ipſum Benedicere palmas priuatiuè quoad Abbates. Nouarius *in lucern. verb. Epiſcop. quoad Regulares, n.1.* Item poſſe Epiſcopum etiam in Eccleſiis Regularium cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos, declaratum quoque eſt ab eadem S. Congreg. in vna Firmana 25. Ianuarij 1603. Nouarius *ibidem num.40.* 22

Pariter etiam auctoritatem habet Epiſcopus in Regulares quoad componendas amota omni appellatione controuerſias ortas circa præcedentiam in proceſſionibus, iuxta Conc. Trid. *ſeſſ.25. cap.3.* quod breui manu, ſommariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij fieri debet, vt declaratum à S. Congregatione refert Campanile *Rubric.12. cap.13. n.120.* Vide dicta *tom.1. part.2. Sum. cap.1. num.27.* & dicenda infrà verbo *Proceſſio.* 23

Maximè etiam Regulares extra Monaſterium degentes, & delinquentes poſſe ab Epiſcopo viſitari, puniri, & corrigi, conſtat ex iis quæ dixi *tom.1. Summ. cap.11. num.8.* ex decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.6. cap.3.* Quamuis autem ibi dixerim hoc decretum ſolùm intelligi de Regularibus degentibus extra Monaſterium ſine licentia ſui Superioris, non de iis qui degunt cum tali licentia, nam Monachus qui ex licentia ſui prælati degit extra Monaſterium, intra illud cenſetur habitare, vt ex Abbate antiquo, Panormitano, Angelo, Sylueſtro, Nauarro, & Henriquez tenet Sanchez *tom.2. Conſil. Moral. lib.6. cap.9. dub.3. num.4.* Nihilominus quia graues auctores, videlicet Piaſegus *in praxi noua Epiſc. part.2. cap.3. num.42.* Barboſa dicta *Allegat.105. num.16.* & Nouarius *in lucern. Regular. verbo delinquens, num.10.* referunt declaratum eſſe à Sacr. Congregatione oppoſitum, ſcilicet quod Regularis manens extra clauſtrum de licentia ſui Superioris, etiam in domo deputata ad erectionem Monaſterij, niſi in dicta domo ſit Regularis obſeruantia, vt ſaltem viuat ſub Superiore conuentualiter, ſi deliquerit, poſſit puniri ab Ordinario, idque ex Rotæ *deciſ.223. num. 5.* referat Tamburinus *dicto quæſit.6. num.7.* huic parti ſtandum. Hac tamen limitatione, vt intelligatur de Regulari extra Monaſterium per notabile tempus exiſtente, & ibi habente domicilium etiam de licentia ſui ſuperioris, non de illo qui ad breue tempus extra Monaſterium in quo habet domicilium, exiſtit. Hæc namque videtur mens Concilij. Dicit enim, *Regularis extra Monaſterium degens*, non dicit *exiſtens.* Degere autem 24

denotat exiſtentiam permanentem, & diuturnam, non breuem, aut tranſeuntem. Vide Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Conſt.2. Sixti IV. num.22.* Imò etiamſi Regularis maneat per multum tempus de licentia ſui Superioris ſub Regulari obſeruantia in aliquo membro, ſeu grangia ſui Conuentus pro ſeruitio Religionis, & ibi delinquat, non ab Epiſcopo, ſed à ſuo Superiori puniri debet, nam talia loca gaudent priuilegiis Monaſteriorum quorum membra ſunt, *cap. recolentes, §. Cæterum, de ſtat. Monachor.* Riccius *deciſ.281. num.4. part.4.* Barboſa *ſuprà num.17.* Nauar. *ſuprà num.11. & 12.*

25 Declaratum quoque eſt à S. Congregatione in vna Melitenſi apud Nouarium *ſuprà num.24.* Epiſcopum poſſe viſitare, & corrigere Regulares degentes extra clauſtra occaſione docendi doctrinam Chriſtianam. Refert etiam idem auctor *ibidem verbo Ieſuita, num.32.* declaratum ab eadem S. Congregatione in vna Liman. ſub 20. Iunij 1591. Ieſuitas doctrinam Chriſtianam extra clauſtra docentes, ſi habeant in illis locis ſuperiores qui curam ipſorum gerant, & apud quos ſe recipiant, iuxta Regulæ inſtitutum viuentes, non poſſe corrigi, aut viſitari ab Ordinariis locorum. Idem dic de aliis Regularibus, ſi eædem circumſtantiæ concurrant.

26 De Regulari intra clauſtra degente, & extra ea notoriè delinquente, quomodo ſubiiciatur Epiſcopo, dixi *tom.1. part.1. Summ. cap.16. num.26. & 27.* & ſuper verbo *Delinquens Regularis, à num. 1.* Qualiter etiam Regulares extra Monaſterium degentes ſubiiciantur Epiſcopo in cauſis ciuilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum, dixi eo *tom.1. part.1. cap.11. n.10. part.1. cap.10. num.6. & 7.* & ſuprà verbo *Cauſa iudicialis Regularium, num.5.* Item quomodo ſubdantur eidem quoad habendam lectionem S. Scripturæ in ſuis monaſteriis *tom.1. Summ. cap.9. num.48.* Vbi nota, ad iſtam lectionem S. Scripturæ non requiri licentiam, ſeu examen Ordinarij, prout deciſum refert Galler. *in Margarit. caſ. conſcient. verbo legere, & verbo licentia 3.* De ſubiectione Regularium ad Epiſcopos quad conciones habendas dixi *tom.1. part.1. Sum. cap.20.* per totum, & *tom.2. cap.1. num.17.* & ſupra verbo *Concionari, & concionator.* Quoad confeſſiones ſæcularium audiendas *tom.1. part.1. cap.19.* ferè per totum, & *part.2. cap 1. n.18.* & ſuprà verbo *Confeſſarius.* Quoad interdicta, & cenſuras publicanda, & ſeruanda *tom.1. part.1. cap.9. n.29. & part.2. cap.1. n.21.* Quoad accedendum ad proceſſiones *tom.1. cap.9. n.47.* Quoad reddendam rationem executionis teſtamentorum *tom.1. cap.9. n.9.* Quoad quæritandum extra loca vbi habent Conuentus *tom.1. part.1. cap.6. n.44.* Pro quo vide ibi *n.43.* & *part.2. cap.1. n.4.* Quoad Dimiſſorias ſæcularibus concedendas ſupra verbo *Dimiſſoria, num.3.* De ſubiectione etiam Regularium curam animarum habentium ad Epiſcopos, in iis videlicet quæ ad dictam curam ſpectant, dixi *tom.1. part.1. cap.11. num.9. & part. 2. cap.1. num.28. & cap.18. num.9.* An poſſint eorum Eccleſiæ parochiales ab ipſis viſitari, dixi *tom.1. cap.11. num.7.* An in aliquibus caſibus poſſent etiam Epiſcopi abſoluere Regulares à cenſuris, vel cum ipſis diſpenſare in irregularitatibus, dixi *tom.1. part.1. cap.11. num.6.* & ſuprà verbo *Clerici, num.16.* Qualiter etiam in aliquibus caſibus ad S. Officium Inquiſitionis ſpectantibus, vt ſunt hæreſis, ſollicitationis in confeſſione ad inhoneſta, Aſtrologiæ iudiciariæ, obloquentium contra puriſſimam Virginis Mariæ conceptionem, aut celebrantium, qui non ſunt in gradu ſacerdotij conſtituti, ſeu indebitè colentium ſub prætextu Sanctitatis defunctos non Canonizatos, aut beatificatos, iudicari poſſunt ab Ordinariis, dixi ſupra verbo *Cauſa iudicialis Regularium, num.14.* vbi & caſum monetariorum ad eoſdem Ordinarios ſpectare etiam dixi. De iis quoque Regularibus qui ſine mandato ſuorum ſuperiorum in ſcriptis extra Conuentus reperti fuerint, vel ſi miſſi ad Vniuerſitates in Conuentibus non inhabitant, qualiter Epiſcopo ſubiiciantur, dixi *tom.1. cap.11. num.11.*

Alios caſus in quibus Regulares Epiſcopo ſubjiciantur, aſſignant aliqui auctores, præſertim Eraſm. Cochier locis relatis. Barboſa *dicta Alleg.105.* Tamburin. dicto *quæſit.7. num.54.* quos omittendos cenſeo, quia magna egent limitatione, vel coarctatione, & quia eſto ſtando in iure communi ſuſtineri poſſint, non tamen poſitis priuilegiis Regularium, quæ in materia hac ampliſſima ſunt, & vniuerſaliſſima, & quia de illis in diſcurſu operis partim dixi, partim alibi Deo dante copioſiùs dicetur. 27

De caſibus autem in quibus Epiſcopi poſſunt contra Regulares per cenſuras procedere, dixi eo *tom.1. cap.11. num.14. & 15.* & dicam infra verbo *Exemptio Regularium.* 28

Vide dicta ſuprà verbo *Cauſa iudicialis Regularium,* & dicenda inferiùs verbo *Exemptio Regularium,* & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium.* 29

Obiter tamen, & incidenter, quia agitur de Epiſco- 30
pia, hūc loco iungenda reſolutio cuiuſdam dubij mihi
propoſiti à quodam grauiſſimo Prælato, videlicet an
Sanctiſſimus poſſit cogere aliquem Epiſcopum inui-
tum, & reluctantem, vt transferatur ad aliam Eccleſiam, 31
ſeu Epiſcopatum. Reſpondit enim affirmatiuè.

Primò, quia in propriis terminis, poſſe videlicet ali- 32
quem ex vna Eccleſia ad aliam ex cauſa rationabili,
etiam inuitum à Papa transferri, eſt communis opinio,
vt per Roman. *conſ.345. n.3. & ſeq.* & præcipuè *n.5.*
Felin. *in cap. quæ in Eccleſiarum, num.43. de conſtit.* de
communi atteſtatur Horat. Mandoſ. *in addit. ad dict.
conſil. Romani,* tenent Flamin. Pariſ. *de reſignat. lib.3.
quæſt.18. num.14.* & Barboſa *in Collect. Doctor. tit. de
tranſlat. Epiſcop. cap. inter corporalia, num.7.*

Secundò, quia facultas transferendi Epiſcopos ex 33
vna Eccleſia ad aliam competit Papæ indubitanter, &
independenter à quocumque, *can. mutationes, & can.
ſicut alterius 6. quæſt.1. cap. cum ex illo, cap. inter corpo-
ralia, & cap. licet in tantum, de tranſlat. Epiſcop.* Poteſt 34
ergo vti hac facultate, etiam circa inuitos, ſicut vtitur
aliis facultatibus condendi leges, ferendi cenſuras, cum
ſimilibus. Quod etiam roboratur à ſimili de poſtula-
tione, qua decet aliquem ex minori ad maiorem digni-
tatem poſtulari, *l. vt gradatim, ff. de muneribus, & hono-
ribus, cap. vlt. de tranſlat. Epiſcop.* Layman. *de poſtulat.
cap.1. quæſt.9.*

Ex quo etiam tertiò idem confirmatur, quia cum 35
Papa ſummam auctoritatem habeat pro regimine Ec-
cleſiæ, & ad ipſum pertineat totius Eccleſiæ cura, opor-
tuit vt Chriſtus illi reliquerit poteſtatem compellendi
etiam inuitos ad acceptandum aliorum regimen, &
Epiſcopatum. Quemadmodum poteſtas ciuilis poteſt 36
ciues ad Reipublicæ munera capeſſenda cogere, *l. ſi
magiſtratum, C. de Decurionib. lib.11. & tot. tit. de ex-
cuſat. muner. cod. lib.* Sicque ſupponunt non ſolum 37
S. Thom. 2.2. *quæſt.185. art.2.* Richard. *quodlib.3. quæſt.21.*
D. Antonin. *3. part. tit.20. cap.2. §.6.* Turrecrem. *cap.
olim, num.18. quæſt.1.* Angel. *verbo electio, num.30.* &
ibi Armilla *num.37.* Syluſt. *verbo electio 2. quæſt.19.*
Sot. *lib.10. de Iuſt. quæſt.2. art.2.* dum dicunt ſubdi- 38
tum teneri obedire ſuperiori obliganti ad acceptandum
Epiſcopatum; ſed etiam Cordub. *in expoſit. regul. D.
Franc. cap.10. quæſt.2. dict.7.* Valent. *2. 2. diſp.10.
quæſt. 3. punct. 3. col. 5. concluſ.6.* Ludouicus Lopez
1. part. inſtruct. cap.56. col.2. Leonard. Leſſius *lib.2. de* 39
Iuſt. cap.41. dub.9. num.76. Rodriguez *2. tom. Sum.
cap.9. num 5. & quæſt. Regul. tom.3. quæſt.19. art. vlt.*
& Sanchez *lib.6. in Decal. cap.2. num.49.* dum dicunt
poſſe aliquem cogi à Papa ad Epiſcopatum acce-
ptandum.

Ex

40 Ex quo ſimiliter quartò efficacius confirmatur
intentum: ſi enim Papa poteſt cogere aliquem non
Epiſcopum, ad Epiſcopatum acceptandum, multo
magis poterit cogere Epiſcopum vnius Eccleſiæ ad
41 Epiſcopatum alterius Eccleſiæ recipiendum; ſiqui-
dem per hanc tranſlationem, non tam imponitur ipſi
nouum onus regiminis animarum, quam mutatur ma-
teria talis regiminis, præbendo illi alias oues guber-
nandas vice illarum, quas primò regebat.
42 Nec obſtat ſi dicatur rectè poſſe Papam cogere non
Epiſcopum ad Epiſcopatum acceptandum, quia hoc
eſt cogere tranſire ad ſtatum perfectiorem; cum autem
Epiſcopus transfertur de vna Eccleſia ad aliam, non
tranſit ad ſtatum perfectiorem, & ideo non poſſe cogi
à Papa ad eum tranſitum faciendum. Hoc, inquam, non
obſtat, quia ratio quare non Epiſcopus poteſt cogi à
43 Papa ad Epiſcopatum acceptandum, non eſt propter
ſtatus Epiſcopalis perfectionem, alioquin etiam poſſet
cogere ſæcularem ad ſtatum religioſum inuitè ſuſci-
piendum, cum ſtatus Religionis ſit perfectior ſæculari
ſtatu. Sed eſt quia, cum Papa ſit ſupremus Paſtor Ec-
44 cleſiæ, pertinet ad illum prouidere de Paſtoribus par-
ticularium Eccleſiarum, etiam cogendo illos ad id mu-
nus acceptandum propter neceſſitatem, aut vtilitatem
Eccleſiæ. Cum autem hæc ratio militet etiam fortius
45 in tranſlatione Epiſcopi ex vna Eccleſia ad aliam, ſi
poteſt Papa cogere aliquem non Epiſcopum ad Epiſ-
copatum acceptandum, melius poterit cogere Epiſco-
pum ad transferendum ſe ad aliam Eccleſiam.
46 Nec ſimiliter obſtat ſi dicatur cum aliquibus, quod
vinculum, quo Epiſcopus ligatur ſuæ Eccleſiæ ſit de
Iure diuino, & naturali indiſſolubile, ac per conſe-
quens nequeat à Papa diſſolui. Reſpondetur enim ne-
47 gando aſſumptum. Si enim vinculum Epiſcopi cum
ſua Eccleſia eſſet de Iure diuino, & naturali indiſſolu-
bile, nec ipſo volente, aut conſentiente poſſet ad
alium Epiſcopatum transferri, quod eſt contra vſum,
& praxim Eccleſiæ, imò contra conſuetudinem mul-
tarum Prouinciarum Eccleſiæ, in quibus talis tranſ-
mutatio Epiſcopatuum introducta eſt, vt habent Iu-
lius Primus epiſt. 1. & Oſius *in Concil. Sardicenſi.*
48 Vinculum ergo, quo Epiſcopus ligatur ſuæ Eccleſiæ
ſolum eſt de Iure humano Pontificio, prout tenent
Card. Imola, & Abbas *in cap. inter corporalia, de tranſ-
lat. Epiſcop.* Suarez *de Relig. tom.3. lib.1. cap.16.* Pe-
trus Ledeſma *in tract. de matrimonio, quæſt. 53. art.3.*
Sanchez *de matrimonio lib.7. diſp.28. num.13.* & alij,
quos refert, & ſequitur Sebaſt. Cæſar *in relect. de Ec-
cleſiaſt.* Hierarch. *part.1. diſp.6. de Epiſcopis,* §.2. vbi
plura pro hac parte fundamenta, quæ etiam affert Sua-
50 rez citatus. Si autem hoc vniuerſum ſolum eſt de Iure
poſitiuo Eccleſiaſtico, vtique ſine difficultate erit poſſe
Papam contra illud facere, non obſtante reſiſtentia
Epiſcopi.
51 Nec manus Papæ ligari poſſunt ad id faciendum, eo
quod Epiſcopus voto, vel iuramento aliquo ſe adſtrin-
xerit ad non deſerendam Eccleſiam ſibi deſponſatam.
52 Eſto enim tale votum, aut iuramentum ipſum obligare
poſſint ad non procurandam tranſlationem ad aliam
Eccleſiam, non tamen ad non obtemperandum Papæ
præcipienti illam. Cum in omni voto, & iuramento
53 infirmorum includatur hæc conditio, *niſi ſuperior aliter
præceperit,* prout communiter DD. colligunt *ex cap. ve-
niens, cap. venientes, & cap. quemadmodum, verbo conditio*
54 *de Iureiuran.* Poterit ergo Pontifex tale votum, aut iu-
ramentum diſpenſare, prout communis ſententia tenet,
& forſam irritare iuxta quorumdam opinionem, ma-
ximè cum tale votum, aut iuramentum ſpectent ad gu-
bernationem Eccleſiæ, in quo maximè includitur dicta
conditio, videlicet ſi Papa non contraxerit. De quo
Sanchez *lib.4. in Decalogum, cap.24. num.9.* poſt Azo-
rium, Sayrum, Leſſium, Philiarchum, & Suarez.

Rationes autem, propter quas Sanctiſſimus iure 55
poteſt cogere dictum Epiſcopum ad tranſitum ad aliam
Eccleſiam, ipſum abſoluendo à vinculo, quod habet
cum ſua Eccleſia, relaxando quoque votum, aut iura- 56
mentum quodcumque ab eodem Epiſcopo in contra-
rium emiſſum, ſunt. Prima propter cognitam virtutem,
probitatem, & humilitatem ipſius. Secunda propter 57
Eccleſiæ, ad quam transfertur, vtilitatem. Tertia pro-
pter dignitatem talis Eccleſiæ, quæ exigit, vt ſibi pro-
uideatur Paſtor expertus, & iis qualitatibus præditus,
quas habet præfatus Epiſcopus. Quarta ſi fiat ad in-
ſtantiam, ſeu præſentationem magni alicuius Princi-
pis, aut Regis ſupremi, qui propter eximia merita erga
ſanctam Sedem dignus eſt accipere hoc præmium.
Quod maximè procedit, ſi talis Rex eſſet patronus
alicuius Eccleſiæ, qualis eſt Rex Catholicus Hiſpania-
rum reſpectu plurimarum Eccleſiarum ſuæ Monar-
chiæ.
Attendat D. Epiſcopus, quæ Sanctus Thomas 2.2. 58
quæſt. 185. art. 2. ipſi & aliis ruminanda proponit. *Di-
cendum, quod in aſſumptione Epiſcopatus duo ſunt conſi-
deranda. Primo quidem, quid deceat hominem appetere
ſecundum propriam voluntatem. Secundo quid hominem
deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad
propriam voluntatem, conuenit homini principaliter inſi-
ſtere propria ſaluti: ſed quod aliorum ſaluti intendat,
hoc conuenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem
habentis, vt ex ſupradictis patet: vnde ſicut ad inordi-
nationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu
feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur, ita
etiam ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis
omnino contra ſuperioris iniunctionem prædictum guberna-
tionis officium finaliter recuſet propter duo. Primo qui-
dem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum
vtilitati ſe aliquis debet exponere pro loco & tempore.
Vnde Aug. 19. de Ciuit. Dei dicit quod negotium iu-
ſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Secundo quia hoc re-
pugnat humilitati per quam aliquis ſuperiorum man-
datis ſe ſubiicit. Vnde Gregorius dicit in paſtorali:
Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cum ad reſ-
puendum hoc, quod vtiliter ſubire præcipitur, pertinax
non eſt.*
Si tamen excuſationem ſuam Dominus Epiſcopus 59
in eo poſuerit, quod videlicet attendere deſideret ad
vitam contemplatiuam, & quod id commodius faciet
in primo Epiſcopatu, quam in hoc ſecundo, ad quod
vocatur, audiant eundem Angelicum Doctorem eo
art. 2. in ſolutione ad primum, ſic dicentem: *Dicendum,
quod quamuis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, vita con-
templatiua potior ſit, quam vita actiua, & amor Dei,
quam dilectio proximi: tamen ex alia parte bonum mul-
titudinis præferendum eſt bono vnius. Vnde Aug. dicit in
verbis præmiſſis: Neque otium veſtrum neceſſitatibus Ec-
cleſiæ præponatis, præſertim quia hoc ipſum ad dilectio-
nem Dei pertinet, quod aliquis ouibus Chriſti curam pa-
ſtoralem impendat. Vnde ſuper illud Ioan. vlt. Paſce oues
meas, dicit Auguſt. ſit amoris officium paſcere dominicum
gregem, ſicut fuit timoris indicium negare paſtorem. Si-
militer etiam Prælati non ſic transferuntur ad vitam acti-
uam, vt contemplatiuam deſerant. Vnde Auguſt. dicit 19.
de Ciuit. Dei, quod ſi imponatur ſarcina paſtoralis officij,
nec ſic deſerenda eſt delectatio veritatis, quæ ſcilicet
in contemplatione habetur.*
Si denique cauſetur, quod illicitum ſit id facere, 60
audias etiam eundem Sanctum Doctorem eo loco in
ſolutione ad ſecundum, ſic loquentem: *Dicendum, quod
nullus tenetur obedire prælato ad aliquid illicitum, ſicut
patet ex his, quæ ſupradicta ſunt de obedientia. Poteſt
ergo contingere, quod ille, cui iniungitur prælationis offi-
cium, in ſe aliquid ſentiat, propter quod non licet ei
prælationem accipere. Hoc autem impedimentum quando-
que quidem remoueri poteſt per ipſummet, cui paſtoralis*

cura iniungitur, putà, ſi habeat peccandi propoſitum, quod poteſt deſerere: & propter hoc non excuſatur, quin finaliter teneatur obedire prælato iniungenti. Quandoque verò impedimentum, ex quo fit ei illicitum paſtorale officium, non poteſt ipſe remouere: ſed prælatus, qui iniungit, puta ſi ſit irregularis, vel excommunicatus: & tunc debet defectum ſuum prælato iniungenti oſtendere, qui ſi impedimentum remouere voluerit, tenetur humiliter obedire. Vnde Exod. 4. cum Moyſes dixiſſet, Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius: Dominus reſpondit ad eum, Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Quandoque vero non poteſt remoueri impedimentum, nec per iniungentem, nec per eum, cui iniungitur, ſicut ſi Archiepiſcopus non poſſit ſuper irregularitate diſpenſare. Vnde ſubditus non tenetur ei obedire ad ſuſcipiendum Epiſcopatum, vel etiam ſacros ordines, ſi ſit irregularis.

EREMITÆ.

De illis ſufficienter egi *tom. 1. part. 2. cap. 7.* & ideo pro nunc ſuperſedendum.

EVCHARISTIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Qualiter non liceat Regularibus adminiſtrare hoc Sacramentum ſine licentia Parochi.*
3 *An idem dicendum de Clericis Sæcularibus.*
4 *Quid pro articulo mortis.*
5 *Quid pro caſu quo Parochus negaret Euchariſtiam ſæcularibus.*
6 *Quid pro aduenis & peregrinis.*
7 *Quid pro extraneis Religioſis.*
8 *Quid pro familiaribus ipſorum.*
9 *An per modum viatici adminiſtrari illis poſſit Euchariſtia.*
10 *An ſit aliquod priuilegium circa hoc.*
11 *De adminiſtratione Euchariſtiæ in priuatis Oratoriis.*
12 *Ad quos ſpectat adminiſtrare Euchariſtiam Religioſis.*
13 *Quomodo accipienda à Sacerdotibus tempore Paſchatis.*
14 *An ſolus Sacerdos poſſit miniſtrare Euchariſtiam.*
15 *An ſolus ipſe ſe poſſit communicare in articulo mortis.*
16 *De ieiunio obſeruando à Communionem ſumptura.*
17 *In quibus caſibus liceat Communio non ieiunis.*
18 *An Sacerdos non ieiunus poſſit quandoque celebrare.*
19 *Quid quando dubitat an ſit ieiunus.*
20 *Quando concedenda Euchariſtia incidentibus in amentiam, ſeu phreneſim.*
21 *Energumenis an concedenda.*
22 *An Sacerdos poſſit dare partem ſuæ Hoſtiæ volenti communicare.*
23 *Quando publico peccatori deneganda Euchariſtia.*
24 *Quando, vel non exponenda.*
25 *Alia remiſſiuè.*

1 DE hoc venerabiliſſimo Sacramento quatenus ad Regulares ſpectat, quædam dixi in duobus Summæ locis, quæ tamen modò ampliari iure debent, vel pro caſibus crebriùs occurrentibus.

2 Primo ergo non licere ſub pœna excommunicationis Papalis Regularibus iure communi adminiſtrare Euchariſtiam ſine licentia Parochi, propter Clement. *Religioſi, de priuileg.* vbi id ſtatuitur, bene tamen extra diem Paſchatis ex priuilegiis Summorum Pontificum quibuſdam Religioſis conceſſis, quibus tam ipſi, quam alij, qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habent, vti poſſunt, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 31. & cap. 21. n. 8.* & *part. 2. cap. 1. n. 22.* Quia tamen eo *n. 8.* circa eam difficultatem, an ſcilicet qui in Paſchate ſatisfecit Eccleſiæ præcepto Communionem in Parochia ſumendo, poſſit alio die eiuſdem Paſchatis apud Regulares Euchariſtiam ſumere, dixi cautè procedendum, quia vt refert Gauantus *in Man. Epiſc. verba Euchariſtia, n. 23.* declaratum eſt à Sacra Congregatione non poſſe id fieri, ideo modo animaduertendum, præfatum Gauantum referre ibi duas declarationes Congregationis ad intentum, alteram de anno 1586. & alteram de anno 1619. Quia ergo in illa declaratione poſteriori, videlicet de anno 1619. quam Barboſa *de officio Parochi cap. 20. n. 10. & in Collect. Bullarij verba Euchariſtia,* refert, ſolum dicitur *fratres non poſſe in die Paſchatis adminiſtrare populo Euchariſtiam, ſtante quod in priuilegio Eugenij IV. hoc eis expreſſè interdicitur pro illa die,* cum probabile ſatis ſit mentem Summorum Pontificum prohibentium ne Regulares eo die Euchariſtiam adminiſtrent, ſolum eſſe de communione formaliter Paſchali, id eſt de ea, quæ præcepto Eccleſiæ fieri debet, non de alia, prout tenet Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 72. ſect. 2. §. Cenſeo igitur, & tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 7.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 56. art. 3.* & alij, ideò probabile etiam ſatis eſt, ſi oppoſitum non conſtet ex aliqua declaratione authentica S. Congreg. eum, qui in Paſchate Communionem in Parochia ſumpſit, poſſe in alia die eiuſdem Paſchatis apud Regulares dictos priuilegiatos communicari, prout nouiſſimè tenet Nonatius *in lucern. Regular. verbo Euchariſtia, num. 11.* plures alios referens. Idem etiam videtur dicendum de eo, qui intra tempus determinatum ab Eccleſia ſumpturus eſt Euchariſtiam in parochia pro adimplendo præcepto Eccleſiæ, poſſe videlicet antea in alia die eiuſdem Paſchatis communicari apud prædictos Regulares, propter eandem rationem. Suarez, Rodriguez & Nouatius relati. Fauent ad hoc Nicolai V. & Antonij Cardinalis ac Pœnitentiarij Pauli III. priuilegia pro Hieronymianis de Guadalupe, quæ refert idem Rodrig. *ibid. §. Reſpondeo ſecundò.* Ad minus tamen conſuetudini legitimæ ſtandum eſt in caſibus prædictis.

Nota tamen Clement. *Religioſi, de priuileg.* relatam 3
vbi adminiſtratio Euchariſtiæ prohibetur Regularibus ſine licentia Parochi ſpeciali, non comprehendere clericos ſæculares, quia ſolum loquitur de Religioſis. Syluester *in Summa, verbo Excommunicat. 7. num. 32.* Comprehendit autem omnes Religioſos Religionis approbatæ, etiam clericos Militiarum. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4.* Et etiam non ordinatos, Conuerſos, ſeu Moniales, quia omnes iſti clauduntur nomine *Religioſi.* Syluester, & Suarez *ibidem.* De nouitiis autem probabile valde eſt non comprehendi, quia & illi in fauorabilibus nomine Religioſorum veniunt, non tamen in odioſis. Suarez *ibid.* & Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtit. 1. Iulij II. n. 83.* contra Syluestrum ibid. Nomine etiam *Preſbyteri Parochialis,* quo vtitur Clementina, intelligitur Rector Eccleſiæ parochialis, etiamſi Sacerdos non ſit, Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 102.* Hæc porrò excommunicatio, quæ in Clementina ponitur, eſt ſolum contra præſumentes, vt patet ex verbo *præſumpſerint,* & ita ab ea excuſantur, qui ex ignorantia etiam culpabili id facerent, iuxta ſæpius dicta. Nauarrus *ibid.* Fagundez *in 3. Eccleſ. præcept. lib. 3. cap. 2. num. 14.*

In articulo autem mortis, abſente Parocho poſſe 4
licitè adminiſtrari hoc Sacramentum à Regularibus cuicumque conſtituto in tali neceſſitate, dixi eo *c. 21. num. 8.* & tenent Ioannes de Lugo *de Sacr. Euchariſt. diſp. 18. ſect. 2. n. 53.* Hurtadus *de Sacram. Euchariſt. diſp. 11. diff. 6.* & alij. Et meritò ſanè in tali caſu præſumitur conſenſus Parochi, & quamuis is non præſumeretur, præſumitur tamen Eccleſiæ conſenſus.

Similiter

5 Similiter ſi caſus eſſet quod Parochus negaret Euchariſtiam ſæcularibus Mendicantibus confeſſis, malitiosè, aut ſine rationabili cauſa, aut illam adminiſtrare diff. rret, licet ex priuilegio Sixti I V. pro Minoribus, quod refert Caſſarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verbo excommunicare, num.*6. & pro Carmelitis, quod retuli *tom.*1. *Summ. cap.*21. *num.*10. poſſent illam ipſis adminiſtrare, ſtandum tamen eſt limitationi, quam affert idem Caſſarubius *ibid. n.*10. videlicet, quod poſſet illis à Mendicantibus (& etiam aliis qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habent, miniſtrari, quando ſcilicet talis negatio ſine legitima cauſa vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario pulico facta doceretur. Ita enim habet Leo X. in Bulla *Dum intra*, in 1. tom. Bullar. inter Bullas ipſius *num.*22. Miranda *in Man. tom.*1. *quæſt.*49. *art.*1. Naldus *in Summ. verbo Euchariſtia, num.*15. *& verbo Religioſus num.*33. vbi ſcandalum in hoc fugiendum rectè monet. Addunt iidem Caſtarubius, & Miranda ſtare poſſe Mendicantes conceſſioni factæ per Sixtum I V. eo quod ipſe Leo X. viuæ vocis oraculo ita declarauit. Quia tamen omnia viuæ vocis oracula hoc tempore reuocata ſunt à SS. D.N. iuxta dicta *tom.*1. *Summ. cap.*3. *n.*21. ideo cautè procedendum.

6 Poſſe etiam prædictos Regolares miniſtrare Euchariſtiam aduenis, & peregrinis etiam in die Paſchatis, & ad implendum præceptum annuæ communionis, cum in ea re nulla iniuria fiat propriis Parochis, quia tales aduenæ, & peregrini ab illis abſunt, tenent non ſulùm Peirinis, quem dicto *cap.*21. *num.* 8. retuli, ſed etiam Sanchez *de Matrim. lib.*3. *dub.*23. *n.*17. Diana *part.*3. *tract.*2. *de dub. Regular. reſolut.*12. Nouarius *ſuprà num.*4. & alij quos ipſi referunt, eſtque id ſatis probabile, maximè accedente priuilegio Iulij II. pro Minimis à Peirinis eo loco relato, quo tam ipſi Minimi, quàm alij cum ipſis priuilegiorum communionem habentes vti poſſunt.

7 Poſſunt præterea Religioſi extraneis Religioſis miniſtrare Euchariſtiam, etiam tempore Paſchatis, & ad impletionem præcepti Communionis, quando abſunt à loco vbi ſunt ipſorum Prælati. Ratio eſt, quia nec in hoc fit iniuria Parochis, cum illi Religioſi Parochis non ſubdantur, & præſumatur licentia Prælatorum ipſorum, nec contradicat Clement. *Religioſi, de priuil.* quia ſolum eſt in fauorem Parochorum, & quoad ipſorum ſubditos. Nauarrus *in Man. cap.*27. *num.*102. Sanchez *ſuprà*. Fagandez *ſuprà*.

8 Poſſe etiam eo tempore Paſchatis plures Religioſos miniſtrare Euchariſtiam ſuis familiaribus, conſtat ex dictis *tom.*2. *cap.*16. *num.*19. Quare declaratio quædam S. Congregat. quam refert Gauantus *in Man. verbo Euchariſtia, num.*24. in qua dicitur famulos ſæculares in Monaſteriis degentes ad Parochiam in Paſchate ire debere, intelligi poteſt de famulis Regularium non habentium priuilegium quoad hoc. Nota tamen circa conditiones, quas ex Leone X. & Concil. Trid. eodem *cap.*16. *num.*15. dixi requiri ad hoc quod prædicti familiares hoc, & ſimilibus vtantur priuilegiis, & quia vna illarum eſt ex dicto Concilio, quod illi intra Regularium ſepta ac domos reſideant, difficile videtur quod famulus coniugatus, qui nocte dormit extra Conuentum, illis vtatur, prout Diana *ſuprà* tenere videtur, niſi forſan illi ſuffragetur priuilegium de quo *num. ſequenti* dicam. Ex quo conſtat quid dicendum de famulis mercenariis, qui ſcilicet ſolum ad breue tempus Regularibus inſeruiunt ad fodiendum, fabricandum, &c. ſi enim iſti manent intra eorum ſepta etiam nocte, & ſub eorum obedientia, illiſque actu inſeruiunt, videtur poſſe Regulares potientes dictis priuilegiis illis adminiſtrare Euchariſtiam, etiam in Paſchate, quia verè ſunt familiares ipſorum pro eo tempore, & in eis reperiuntur conditiones aſſignatæ à Leone Papa & Concilio, ſecus verò ſi aliqua ex dictis conditionibus illis deſit. Quando tamen iſti non habent Parochiam, ſed ſunt ex aliena patria, iudicandum de illis ſicut dixi *ſuprà num.*6. de aduenis, & peregrinis. Sanchez *ſupra num.*18. Tamburin. *de iure Abbat. tom.*2. *diſp.*5. *quæſt.*3. *num.*7.

Poſſe autem etiam quoſdam Regulares adminiſtrare Euchariſtiam famulis ſuis dictis conditiones habentibus, etiam per modum viatici in articulo mortis, colligi poteſt ex priuilegio Leonis X. pro Minimis, quod eo *cap.*16. *num.*11. retuli, & ita ſupponit Peirinis *tom.*1. *priuil. Minim. in Conſtitut. prima Iulij II.* §.15. *num.*11. & Iacobus Mancinus *in Practic. viſitandi infirmos, pract.*8. *dub.*2. Addit pro ea re Diana *part.*5. *tract.*3. *reſol.*52. priuilegium Pij IV. & Pij V. in Bulla *Ad immarceſcibilem, &c. tom.*2. *Bullar.* inter Bullas eiuſdem Pij *num.*31. vbi Theatinis Religioſis idem conceditur, etiam pro mercenariis famulis, operariis, & ſeruis eorundem Congregationis. 9

Plures etiam Regulares, (& alios qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habuerint) poſſe miniſtrare Euchariſtiam, etiam per modum viatici, ſæcularibus hoſpitibus infirmantibus, & commorantibus in eorum Monaſteriis, tenet Peirinis *ſuprà* §.37. *n.*92. propter priuilegium Iulij II. Minimis conceſſum, & Peregrinus 1. *part. ſui Compend. tit. communicare, num.*3. propter priuilegium relatum Pij I V. & Pij V. pro Theatinis. Conſule illa, maximè hoc poſterius Pij V. quod eſt ſatis amplum. Et notat, quod ad hoc vt Religioſi vti valeant ipſis, non requiritur quod ſint approbati ab Epiſcopis, ſed ſufficit licentia Superiorum, poſitis ipſis priuilegiis, Peirinis *ſupra num.*93. 10

Poſſe etiam aliquos Regulares adminiſtrare Euchariſtiam ſæcularibus in priuatis ipſorum ſæcularium Oratoriis, in quibus licentiam habent audiendi Miſſam, etiamſi Epiſcopus prohibuerit ne in illis communionem acciperent, tenet Porcellus *in Reſponſionibus Moralib. part.*3. *caſu* 39. cui fauet Diana 4. *part. tract.*4. *Reſol.*14. ex priuil. Pauli I V. conceſſo Minoribus in Bulla, quam refert Rodriguez in Bullario inter Bullas Pauli I V. *num.*3. Quia tamen priuilegium hoc clarum non eſt (vt inuenti illud, & proœmium Bullæ patebit) ſicut nec alia, quæ affert ipſe Rodriguez *tom.*1. *quæſt. Regular. quæſt.*56. *art.*3. ideo meritò relatus Diana conſulit Regularibus non vti illo ſine conſenſu Epiſcoporum, præſertim cùm Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *in decr. de obſeruand. in celebrat. Miſſar.* conceſſerit Epiſcopis facultatem prohibendi Regularibus ne celebrent in Oratoriis priuatis ab eiſdem non approbatis; conſequenter enim videtur etiam poſſe illis prohibere ne Euchariſtiam adminiſtrent. Nouarius *ſuprà n.*9. *&* 10. Ex priuilegio tamen Bullæ Cruciatæ videtur id fieri poſſe in locis vbi viget, vt habet Diana relatus, quamuis prudenter etiam conſulat ne id fiat contradicente Epiſcopo. Addit *in* 4. *part. tract.*4. *Reſol.*81. poſſe in dictis Oratoriis ex vi Bullæ Cruciatæ adminiſtrari Euchariſtiam etiam in Paſchate. Sed vide dicta *ſuprà* verbo *Bulla Cruciata, num.*14. 11

Adminiſtrare Euchariſtiam Religioſis ſolùm ſpectat ad eorum Prælatos, vel habentes ab ipſis licentiam expreſſam, vel præſumptam. Ratio eſt, quia adminiſtratio Sacramentorum ſolum pertinet ad paſtores ordinarios, vel de commiſſione ipſorum. Paſtores autem ordinarij Regularium ſunt eorum Prælati. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*2. *diſp.*5. *quæſt.*1. Quid verò dicendum de Tertiariis viris, aut fœminis, conſtat ex dictis *tom.*2. *cap.*14. *num.*34. 12

Licet Sacramentum Euchariſtiæ manu alterius accipientes, vt ſunt laici, teneantur in Parochia tempore Paſchatis pro adimpletione præcepti communicare, celebrantes tamen, ſcilicet Sacerdotes, etiam ſæculares, non ita. Sic enim conſuetudine receptum 13

eſt

eſt. Naldus *in Summa, verbo Euchariſtia, num.* 5. ex Henriquez.

14 Licet etiam regulariter loquendo miniſter Sacramenti Euchariſtiæ debeat eſſe Sacerdos, *cap. peruenit de conſecrat. diſtinct.* 2. prout S. Thom. & Theologi cum ipſo docent *3. part. quæſt.* 82. ferè per totam, imò non quilibet Sacerdos, ſed ille, qui habet poteſtatem Iuriſdictionis, ſiue ordinariam, ſiue delegatam, quia diſpenſatio Sacramentorum pertinet ad paſtorem ſpiritualem, Vaſquez *de Euchariſt. diſp.* 219. *cap.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 23. Nihilominus tempore neceſſitatis, vt in mortis articulo, poteſt Diaconus illam adminiſtrare, vt habetur ex Conciliis Nicæno, Arelatenſi, & Carthaginenſi IV. S. Thom. *ſuprà art.* 3. & Expoſitores cum ipſo *ibid.* Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 56. *art.* 8. Requiritur autem iuſta cauſa vt hæc facultas Diacono conferatur, & vt ipſa legitimè vtatur. Iura enim prædicta eam requirunt. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 72. *ſect.* 5. Rodriguez *ſuprà.* Vnde ſi præter Diaconum ſint alij Preſbyteri, qui poſſint, & velint id facere, non poteſt committi Diacono, quia iam ceſſat ratio neceſſitatis. Suarez *ibid.* Caſu etiam quo Euchariſtia ſit de neceſſitate adminiſtranda, & non adſit Sacerdos, vel nolit id facere, Diaconus eam adminiſtrat ex præſumpta voluntate Eccleſiæ, præſertim cum neceſſe non ſit in hoc Sacramento vt ab eius adminiſtratione excludatur, qui ipſum conficere non poteſt. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 3. Suarez *ſuprà.* Similiter ſi in aliquo Monaſterio contingat ſolum Prælatum eſſe Sacerdotem, & ipſum nullo modo miniſtrare poſſe Euchariſtiam Religioſo, aut famulo Conuentus morituro, poteſt id committere Diacono. Rodriguez *ſuprà.* Si tamen ſine neceſſitate, aut licentia illam adminiſtraret, non ſolum peccaret mortaliter contra Eccleſiæ prohibitionem, ſed etiam fieret irregularis, quia exerceret actum proprium Ordinis Sacerdotalis, quem non habet, vt tenet Layman. *ſuprà n.* 3. §. *porrò irregularitatem.* Adminiſtrans etiam ex commiſſione, ſi eſt cenſura irretitus, etiam efficitur irregularis, quia talis adminiſtratio eſt actus Ordinis Diaconatus, ratione cuius efficitur capax illius. Naldus *in Summa verbo Euchariſtia, num.* 18. Inferiori autem Clerico, ſcilicet Subdiacono nunquam munus hoc conferri poteſt. Ita enim colligitur *ex cap. peruenit,* relato, maximè accedente Eccleſiæ conſuetudine, quæ nunquam hoc permiſit. Suarez *ſuprà.*

15 Nulli niſi Sacerdoti ſacrificanti licere communicare ſeipſum plures aſſerunt, alij negant. Sed dicendum, in articulo mortis, ſi non ſit Sacerdos, qui Euchariſtiam adminiſtret, probabile eſſe quemcumque fidelem etiam laicum ſeipſum poſſe communicare, ſicut feciſſe fertur celebrem illam Reginam Scotiæ in Anglia morti proximam. Ratio eſt, quia etſi hoc Sacramentum non ſit tam neceſſarium ſicut pœnitentia, eſt tamen valde neceſſarium, præſertim pro articulo mortis, cum iuxta probabiliſſimam plurium opinionem, quam ex S. Thom. *3. part. quæſt.* 79. *art.* 3. ſequitur inter alios Cornejo *ibid. diſp. vnic. dub.* 2. in aliquo caſu poſſit conferre primam gratiam, & cauſare remiſſionem peccati mortalis, & ex alia parte hoc non eſt contra ius diuinum, cum in eo ſtando olim fideles propriis manibus communicarent ſeipſos, & ſacras Hoſtias domos ſuas deferrent, vt Hiſtoriæ referunt, nec ius humanum *cap. peruenit, de conſecrat. diſt.* 2. quod id prohibet, ſicut nec conſuetudo Eccleſiæ, videntur obligare in caſu tam grauis neceſſitatis, vel ſaltem maximæ vtilitatis. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *punct.* 1. *in fin.* Suarez *in* 3. *p. diſp.* 72. *ſect.* 3. *in fin.* Diana & alij quos refert *part.* 3. *tract.* 4. *Reſol.* 47. *& part.* 5 *tract.* 3. *Reſol.* 47. Addit Cornejo *tract.* 5. *de excommun. diſp.* 10. *dub.* 1. poſſe id facere ſe communicando in dicto caſu articuli mortis Sacerdotem excommunicatum, etiam non toleratum, ſiue ex præconſecratis Hoſtiis, ſiue etiam celebrando, præſertim ſi non ſe agnoſcat contritum, ſed ſolùm attritum. Probabile etiam multis eſt, quemcumque fidelem etiam laicum poſſe aliis in eo caſu extremæ neceſſitatis, & articuli mortis conſtitutis ſimiliter Euchariſtiam adminiſtrare, propter eandem rationem, Coninchus *de Sacram. quæſt.* 82. *art.* 3. *num.* 23. Iacobus Granadus *de Sacram. in* 3. *part. controu.* 6. *tract.* 32. *diſp.* 1. *n.* 4. Diana *ſuprà.* Hæc tamen intelligenda ſunt ſecluſo ſcandalo, quod ſæpius erit, vt credo. Layman. *ſuprà n.* 6. Extra articulum etiam mortis licitum erit Sacerdoti non potenti ſacrificare, ſeipſum communicare, rationabili aliqua ſubſiſtente cauſa, & ſcandalo ceſſante, prout defendunt Suarez *ſup.* Coninch. *ſuprà n.* 15. & alij. Caſu autem quo Sacerdos ægrotaret, nec eſſet alius, qui ei adminiſtraret Euchariſtiam niſi ſolus Diaconus, potius deberet ab ipſo illam accipere, quàm ſibi ipſi miniſtrare, quia in tali caſu Diaconus ex licentia Sacerdotis non habet cauſam ad id faciendum. Diana *tract.* 3. *Reſolut.* 48.

Euchariſtiam ſumpturo neceſſarium eſt obſeruaſſe à media nocte præcedenti ieiunium, non ſolùm Eccleſiaſticum, ſed etiam naturale, ita vt vel minimum cibi, aut potus ſumpſiſſe communionem impediat, ſub mortali, *cap. Sacramenta, de conſecrat. diſt.* 1. *cap. nihil* 7. *quæſt.* 1. & aliis iuribus, S. Thom. *3. part. quæſt.* 80. *art.* 8. & ibi Theologi. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſp.* 15. *ſect.* 1. etiamſi id fuerit per modum medicinæ, quia intentio Eccleſiæ in hoc præcepto eſt vt propter reuerentiam Sacramenti nihil ante illud ea die in ſtomachum deueniat. Syluester *in Summ. verbo Euchariſtia* 3. *quæſt.* 6. Etiamſi id quod trajicitur, non habeat rationem nutrimenti, vt papyrus, creta, linum. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſtia, cap.* 49. Naldus *in Summa verbo Euchariſtia, num.* 10. Imò etiamſi illud poſtea euomatur. Naldus *ibidem.* Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *punct.* 2. *num.* 10. Secus verò quando trajicitur aliquid caſu aliquo, & non ex intentione, aut per modum cibi, aut potus, vt ſi per modum reſpirationis quis attraxerit, & deglutiat aliquid pulueris, vel terræ, vel aliquam pluuiæ guttam, vel aliquam muſcam in os intrantem, aut etiam per modum ſaliuæ, vt quando os abluitur, & aliquid aquæ tranſmittitur in ſtomachum, aut quando præter intentionem reliquiæ cibi, quæ heſterno die dentibus adhæſerunt, trajiciuntur. Sotus *ſuprà,* Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 68. *ſect.* 4. Bonacina *ſuprà n.* 6. Lugo *ſuprà.* De tabachi ſumptione noua quæſtio eſt, propter nouum vſum, forſan abuſum, huius ſæculi, an impediat communionem. Aliqui enim reſpondent negatiuè. Diana 5. *part. tract.* 13. *Reſol.* 1. Quod mihi non placet, quia tabacus verè eſt nutrimentum, vt conſtat ex multis experientiis plurium, qui ex ipſo ſolo ſuſtentati ſunt: verè etiam eſt medicina, hoc enim prætextu ſumitur etiam non caſu, ſed ex intentione, & propoſito, vt ſuppono, & quod ſumatur per nares non tollit quo minus talis actio ſit comeſtio, etſi non communis, & ordinaria, ſed extraordinaria, qualis eſſet ſi ægroto edere per os non potenti aliquis liquor daretur per nares, vnde in ſtomachum deueniret. Quare credo, quod ſiue ſumatur in fumo, ſiue in folio, ſiue per os, ſiue per nares, niſi ſit in tam parua quantitate vt moraliter certum ſit, nihil ipſius ſubſtantiæ ad ſtomachum perueniſſe, impedire communionem. Lege Antonium de Leone *in quæſt. moral. de Chocolate, p.* 2. §. 4. *à n.* 10. vbi affert duo Concilia Prouincialia, Limenſe, & Mexicanum, à S. Congregatione Cardinalium approbata, vbi hæc ſententia confirmatur. 16

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus licitum eſt ſumere Euchariſtiam non ieiunis, primus eſt de infirmis, quibus non ieiunis poteſt conferri Euchariſtia per modum Viatici, quando commodè aliter fieri non poteſt. 17

Ita

Digitized by Google

Ita tenet communis vſus Eccleſiæ. Intellige etiam toties quoties ſtatus morbi mutantur ita, vt ceſſet, redeatque mortis periculum. Suarez *ſuprà ſect.* 5. Imò etiamſi non mutetur, poſſe infirmum eodem modo communicare in eadem infirmitate poſt octo, vel decem dies poſt præcedens Viaticum propter magnam vtilitatem huius Sacramenti pro illo periculo mortis, tenet Suarez ſuprà, & Toletus *in Summa lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 2. In caſu etiam quo quis, verbi gratia, iſto mane ſe communicauit, ſi poſt prandium incidat in periculum mortis, poſſe illi iterum dari Euchariſtiam, etſi plures negent, probabiliter tamen affirmant Hurtadus de Mendoza *de Sacrament. diſp.* 10. *de Euchariſt. diffic.* 2. & alij quos ſequitur Diana 5. *part. tract.* 3. *reſol.* 33. Secundus caſus eſt, quando ita poſtulat reuerentia huius Sacramenti, vt ſi Sacerdos animaduertat fore, quod alioqnin perueniet ad manus hæreticorum, vel aliorum, à quibus iniquè tractabitur. Henriquez *ſuprà cap.* 50. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 21. Qui in tali caſu animaduertit debere eum reuerentia ſumi à Sacerdote, vel ſi is non adſit, à Clerico, vel laico. Tertius eſt, etſi rarus, quando aliquis non ieiunus cogitur communicare, vel celebrare ad vitandum ſcandalum; tunc enim præceptum Eccleſiaſticum cedit naturali conſeruandi famam. Suarez *ſuprà ſect.* 3. Layman. *ſuprà.* Idem dico ſi aliquis cogeretur non ieiunus ad celebrandum, quando id non eſſet in contemptum Eccleſiæ. Diana *tract.* 3. *reſol.* 39. Quartus contingit in celebratione Miſſæ, ſi Sacerdos peracta conſecratione ante communionem moriatur, & non eſt alius, qui ſubſtituatur ad perficiendum ſacrificium, niſi Sacerdos non ieiunus, talis enim ſubſtituendus eſt, quia præceptum perficiendi ſacrificium ſtrictius eſt præcepto ſumendi Euchariſtiam ieiuno ſtomacho, quia illud eſt diuinum, iſtud humanum. Nauarrus *in Man. cap.* 15. *num.* 86. Vel quando Sacerdos loco vini conſecrauit aquam, & hoc non animaduertit, niſi poſt aquæ ſumptionem. Tunc enim de nouo debet vinum conſecrare, & conſecratum ſumere, propter eandem rationem. Henriquez *dicto cap.* 5. Vel quando Sacerdos cœpta Miſſa recordatur ſe non eſſe ieiunum, nec poteſt omittere Miſſam propter ſcandalum, quod inde oritur, aut quia eſt iam poſt conſecrationem. Suarez *ſuprà ſect.* 6. Laymanus *ſuprà num.* 21. Quintus contingit Sacerdoti etiam poſt ſumptam abſolutionem, quando reperit aliquam particulam Hoſtiæ in patena, vel quando adhuc illi reſtant aliquæ particulæ adhærentes palato, quia huiuſmodi particularum abſumptio pertinet ad vnum, idemque ſacrificium, & reputatur pro vna communione. Suarez *ſup. ſect.* 6. Henriquez *ſuprà cap.* 50. De reliquiis etiam manentibus in vaſe communionis poſtquam diſpenſata eſt Euchariſtia, idem videtur dicendum, quando fuerunt conſecratæ in eadem Miſſa, propter eandem rationem, vel quando etiamſi in alia conſecratæ fuerint, non poſſunt reuerenter cuſtodiri, propter reuerentiam tanti Sacramenti. Aliàs autem melius eſt, quod conſeruentur. Bonacina *ſupra num.* 14. ex aliis.

18 An verò Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare ad conſecrandum Hoſtiam pro communione moribundi, quamuis communis ſententia negatiuè reſpondeat, eo quod maior ratio habenda ſit de reuerentia Sacramenti, quàm de communione moribundi, præſertim cum eo caſu non obligetur præcepto communicandi, niſi adſit aliqua Hoſtia conſecrata (Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. Nauar. *in Man. cap.* 25. *n.* 88. & alij. Nihilominus aliquibus eſt probabile oppoſitum, intellige ceſſante ſcandalo. Layman. *ſup. n.* 21. cui fauent Suarez *ſup. dicta ſect.* 5. Granadus *in* 3. *part. de Sacram. contron.* 6. *tract.* 10. *diſp.* 8. *n.* 12. & Diana 5. *part. tract.* 3. *Reſol.* 35. poſt Maiorem, Zambranum, & Zanardum. Ad communicandum tamen ſeipſum in prædicto articulo mortis conſtitutum poſſe Sacerdotem non ieiunum celebrare, ſi aliunde ſacram Euchariſtiam non haberet, etiam probabiliter tenent Laymanus *ſupra n.* 20. & Lugo *de Sacrament. Euchariſt. diſp.* 15. *ſect.* 4. *num.* 69.

Quid autem dicendum in caſu, quo Sacerdos dubius ſit an aliquid ſumpſerit poſt mediam noctem, vel quando poſtquam vnum horologium ſonuit pro media nocte, aliquid comedit antequam aliud ſonaret, conſtat ex dictis ſupra verbo *Dubia Regularium, n.* 13. 19

Etiam iis, qui in amentiam ſeu phreneſim inciderint eſſe adminiſtrandam in mortis articulo Euchariſtiam, non ſolum quando eam prius explicitè petierunt, ſed etiam quando implicitè deſiderarunt, colligitur ex Concilio Carthaginenſi 4. *cap.* 76. & Arauſic. 2. *cap.* 3. vt referunt *canone is qui* 26. *quæſt.* 6. Ratio eſt, quia tales obligantur hoc præcepto, & tanti Sacramenti receptio vtiliſſima illis eſt pro ſalute animæ; non ergo eis denegari debet, Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *n.* 4. & 5. Requiruntur autem ad id tres conditiones. Prima, quod non credatur tales eſſe in ſtatu peccati mortalis, vt ſic enim ſunt indigni Euchariſtiæ receptione. Secunda, quod non ſit ſpes redituros ad vſum rationis. Tunc enim expectandum eſſet, vt maiori cum fructu, & deuotione communionem reciperent. Tertia, quod non ſit periculum irreuerentiæ in Sacramentum, puta quod illud eſſent expuituri, &c. cuius rei experientia capi poteſt dando illi prius Hoſtiam non conſecratam. Layman. *ibid.* Vt verò credantur implicitè deſideraſſe hoc Sacramentum, ſufficit piè, & catholicè vixiſſe, Granad. *de Sacram. in* 3. *part. contron.* 6. *tract.* 10. *diſp.* 5. *num.* 3. & 4. Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſp.* 13. *ſect.* 3. *num.* 24. & 25. Lege Sancium *in Select. diſp.* 38. 20

Energumenis etiam tribui debet Euchariſtia, niſi ſit periculum irreuerentiæ, & habeant vſum rationis, propter rationem adductam. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. Layman. *dicto cap.* 4. *num.* 6. 21

Poſſe Sacerdotem celebrantem dare partem ſuæ Hoſtiæ alicui volenti communicare, nonnulli approbant. Sed cum hoc ſit contra vſum Eccleſiæ, & cæremonias Miſſalis, nullo modo admittendum eſt, niſi in caſu raro in quo inſignis aliqua perſona communicare vellet, nec eſſet alia Hoſtia, & ſcandalum tunc eſſet. Quo ſenſu accipiendus Granadus *de Sacram. in* 3. *part. contron.* 6. *tract.* 13. *diſp.* 13. *num.* 4. Merito ergo in Conſtitutione Synodali à Sereniſſ. Cardinali infante edita 1622. id prohibitum eſt. Caſu tamen quo eſſet communicandus moribundus, nec alia Hoſtia eſſet, id fieri ſine dubio poſſet, propter dicta in ſuperioribus. Granadus *ibid. num.* 3. 22

Publico peccatori, v. g. publico vſurario, vel publicæ meretrici antequam de ipſius pœnitentia conſtet, publicè, vel occultè petenti Euchariſtiam, denegari debet, tum quia margaritæ non ſunt mittendæ ante porcos, tum quia talis eſt indignus tanto Sacramento, & Sacerdos cui commiſſa eſt illius diſpenſatio, debet illud prudenter adminiſtrare. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 67. *ſect.* 2. Rodriguez *in Summa tom.* 1. *cap.* 68. *concl.* 2. *num.* 2. Occulto autem peccatori, quamuis ſi in occulto petat, denegari etiam debeat, propter dicta, ſecus verò, ſi in publico petat, tum exemplo Chriſti, qui illam non denegauit Iudæ, quem ſciebat peccatorem, tum ad euitandum ſcandalum aliorum, & illius infamiam. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 6. Nauarrus *in Man. cap.* 21. *num.* 55. & 56. Si tamen ſine ſcandalo, & infamia repelli poſſet, repellendus eſt. Suarez *ſuprà diſp.* 67. *ſect.* 4. *in fin.* Quando etiam peccatum occultum eſt cognitum ſolum per Confeſſionem, cum non licet Confeſſario vti ſcientia Confeſſionis, ne ea reddatur odioſa, denegari non debet communio, niſi Sacerdos bono modo, & ſine offenſione ſigilli excuſare ſe poſſet. Bonacina *de Sacram. diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 4. *n.* 4. 23

Digitized by Google

Si tamen aliquis in vno loco, v.g. Romæ, ſit publicus peccator, & exiſtens Matriti petit publicè communionem, licet plures dicant poſſe illi negari, quia per ſuum peccatum Romæ publicum amiſit ius ſuæ famæ, nihilominus probabile valdè eſt poſſe illi concedi eo modo quo dixi peccatori occulto concedendam eſſe: tum quia in dubio credendus eſt emendatus, tum quia eſto Sacerdoti conſtet emendatum non eſſe, Matriti tamen retinet bonam famam, & ibi eſt occultus peccator. Sotus *ſuprà*, Henriquez *de Euchariſt. cap.* 57. Quid vero dicendum quando Sacerdos dubitat, an ille, qui petit communionem ſit publicus peccator, aut non, habes ſupra verbo *Dubia Regularia* 15.

24 5. Qualiter Euchariſtia exponi non debeat à Regularibus publicè adoranda ſine cauſa ab Ordinario approbata, dixi ex declarationibus S. Congregationis *tom.* 1. *part.* 2. *Summ. cap.* 1 *num.* 26. [Imò etiam video Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 26. Aprilis 1641. ſtatuiſſe quod Ordinarius procederet, etiam per cenſuras, contra Regulares, qui ſine ipſius licentia Sanctiſſimum Sacramentum exponunt in ſuis & Monialium Eccleſiis.] Vide & Barboſam *in Collect. Bullar. verbo Euchariſtia*, vbi etiam habet ex alia declaratione non eſſe ſingulis diebus exponendam (intellige etiam ab illis, qui id poſſunt facere,) ſed in quibuſdam tantum Solemnitatibus. Qualiter etiam non retinenda in Oratoriis Confraternitatum, dixi ex declarationibus etiam Sacr. Congreg. eodem *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 22. Multo minus poſſe ab illis exponi, conſtat ex alia declaratione apud eundem Barboſam *ſupra*. Renouandam eſſe ſingulis octo, vel quindecim diebus, habetur ex Clement. VIII. in conſtit. *Sanctiſſimus*, in 3. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius *n.* 34. Naldus *in Summa, verbo Euchariſtia, num.* 19. Sumenda eſt ſemper à Sacerdote, ſiue ſano, ſiue infirmo habente Stolam, ex Concil. Bracarenſi, Rituali Romano Pauli V. & conſuetudine. Naldus *ſuprà verba Sacerdos, num.* 7. Deferendam eſſe (intellige in proceſſionibus) à celebrante propriis manibus, non obſtante quavis contraria conſuetudine, etiam conſtat ex alia declaratione S. Congregationis apud Barboſam *ſuprà*. Vbi etiam ex aliis declarationibus habetur feria quinta in Cœna Domini ſub vnica tantum claue retinenda per Sacerdotem in craſtinum celebraturo aſſeruari debere, & nullo modo apud perſonas laicas, & ſæculares cuiuſcumque ſtatus, & conditionis, non obſtante conſuetudine in contrarium, etiam apud Regulares.

Vide dicenda *infra*, verbo *Miſſa*.

EXAMEN, EXAMINATORES.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*

2 *De Examinatoribus Synodalibus.*
Quales ij debeant eſſe. ibid.
De conditionibus ipſorum. ibid.
An Regulares eligi poſſint. ibid.

1 DE examine Confeſſariorum Regularium dixi *tom.* 1. *part.* 1. *Summ. cap.* 59. *à num.* 2. *& part.* 2. *cap.* 1. *num.* 18. De examine Concionatorum eo *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 20. *à num.* 1. *& part.* 2. *cap.* 1. *n.* 17. & ſupra verbo *Epiſcopus, num.* 22. De examine puellæ ſuſcepturæ habitum Religionis, vel profeſſionem emiſſuræ, dixi eodem *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 15. *n.* 22. *& part.* 2. *cap.* 1. *num.* 24. & ſuprà verbo *Epiſcopus, num.* 8. De examine autem Regularium ad beneficia Regularia dixi eo *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 11. De examinatoribus autem pro Regularibus Confeſſariis, Concionatoribus, lectoribus publicis, ac promouendis ad Sacros Ordines, iuxta decreta Summorum Pontificum Clement. VIII. & Vrbani VIII. deſignandis in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, dixi *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 33.

Solùm hic aliquid dicendum de Examinatoribus 2
ſynodalibus à Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. aſſignatis pro prouiſione Eccleſiarum Parochialium; pertinet enim eius rei notitia ſpecialiter ad Regulares. Conſtat namque ex Concilio ibidem huiuſmodi Examinatores debere eſſe Magiſtros, ſeu Doctores, aut Licentiatos in Theologia, aut iure Canonico, vel alios clericos, ſeu Regulares etiam ex Ordine Mendicantium. Vnde ex aliis Ordinibus etiam aſſumi poſſunt. Gauantus *de Synodo part.* 1. *cap.* 31. *& in Man. verb. Examinatores, n.* 5. Nouarius *in lucer. Regul. verb. Examinatores, num.* 2. Declaratum etiam eſt à Sacra Congregatione in vna Turritana ſub die 10. Martij 1629. in prædictos Examinatores ſynodales non poſſe eligi Clericos ſæculares aut Regulares, qui dictis gradibus non ſunt inſigniti, niſi illi viri qualitatis expreſſæ non extent, quo caſu ſunt eligendi, qui ad munus exercendum magis idonei videbuntur, eorumque vota æqualis valoris, & efficaciæ erunt, ſicut aliorum. Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi cap.* 2. *num.* 75. Debent autem illi Examinatores iurare ad Sancta Dei Euangelia ſe, quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros, prout habet idem Concilium vt ſupra illis verbis, *Iurentque omnes, &c.* itavt ſi non iurauerint, Concurſus vitietur. Declaratum enim eſt à Sacra Congregatione in vna Biſignan. ſub 2. Decembris 1628. Concurſus factos non præſtito iuramento ab Examinatoribus Synodalibus fuiſſe nullos. Barboſa *ibidem, num.* 78. *& de Offic. & poteſtat. Epiſcop. Allegat.* 58. *n.* 48. Vide iuramentum illud, & ad S. Dei Euangelia pertinet ad formam. Nicolaus Garzia *de benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 356. Barboſa *ſupra dict. n.* 48. Cauere autem debent, *ne quidquam prorſus occaſione huius examinis, nec ante, nec poſt accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipſi, quam dantes incurrent, à qua abſolui nequeant niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque etiam ante obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur.* Ita enim habetur eo loco Concilij. Garzia *ſuprà à num.* 368. Franciſcus Leo *in Theſaur. fori Eccleſiaſt. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 35. Itavt nec poſſit Ordinarius ſtatuere aliquod ſtipendium etiam minimum pro illis, & ſi ſecus ſtatutum fuerit, decretum irritum ſit. Ita enim eſt deciſum, vt refert idem Garzia *dict. cap.* 2. *num.* 374. In Eccleſiis autem Hiſpaniarum contrarium receptum eſſe teſtatur Petrus Ledeſma *in Summa part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *concl.* 7. *prope finem.* Poſſe autem Epiſcopum aliquid de ſuo præfatis Examinatoribus conferre titulo præmij, ſtipendij, ſeu ſuſtentationis, quia Concilium non videtur loqui de Epiſcopo, probabiliter tenet Garzia *ſuprà, n.* 379. Bonacina *de Simonia quaſt.* 7. *punct.* 2. *diff.* 1. *num.* 6. An verò examinatus poſſit aliquid dare in eleemoſynam Conuentui, vel Monaſterio vnde erat Religioſus ipſius Examinator, intuitu examinis, eſt dubium, & problematicè diſputari poteſt. Idoneitas de qua iudicare debent, prout colligitur ex Concilio, non ſolum eſt reſpectu ſcientiæ, ſed etiam ætatis, morum, &c. Sigiſmundus à Bononia *de elect. dub.* 32. Naldus *in Summa verbo Examinatores, num.* 2. id referens deciſum à Sacr. Congregatione. Dicit etiam *num.* 1. Examinatores non poſſe aliquem reprobare propter defectum notum in ſola Confeſſione, quod mihi certum eſt, non enim eſt licitus vſus ſcientiæ Confeſſionis pro externa gubernatione, prout ſæpè dixi. Alia ad intentum in prædictis Auctoribus reperies lector.

Digitized by Google

EXCOMMVNICATIO QVOAD Regulares.

SVMMARVIM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
Quatenus ſpectat ad Regulares. ibid.
2 *De Religioſo minori excommunicatione ligato, quæ illi ſint prohibita.*
3 *An eligi poſſit.*
4 *Num priuetur iure eligendi.*
5 *Excommunicatio minor à quo, & in quibus caſibus feratur.*
6 *Ab illa quis abſoluat.*
7 *Excommunicato maiori excommunicatione quorum Sacramentorum adminiſtratio ſit prohibita.*
8 *Quorum Sacramentalium vſus.*
9 *Quomodo peccet Sacramenta recipiendo.*
10 *Quid de illo, qui ipſi Sacramenta miniſtrauerit.*
11 *De priuatione ſuffragiorum Eccleſiæ.*
Quomodo ea intelligenda. ibid.
12 *An Miſſa pro hæreticis celebrari poſſit.*
13 *Excommunicatus non celebrat, nec actum Ordinis exercet.*
14 *Nec diuina officia ex officio celebrat.*
15 *Priuatim diuinum officium recitat.*
Quomodo id facere poteſt. ibid.
16 *Prohibitæ non ſunt illi priuatæ orationes.*
17 *An prohibeatur concionari.*
18 *An exercere Officium lectoris.*
19 *An aſſiſtere Miſſæ, aut Officiis diuinis.*
20 *An alij eum admittere poſſint ad diuina.*
21 *Quid faciendum ſi excommunicatus velit diuinis aſſiſtere.*
22 *Prohibitum eſt aliis cum excommunicato diuinis aſſiſtere.*
23 *An teneatur diebus feſtiuis audire Miſſam.*
An poſſit intrare in hæreticorum templa. ibid.
24 *Incapax eſt beneficiorum Eccleſiaſticorum.*
Quid ſi ad illa eligatur. ibid.
25 *An ſit capax penſionis.*
26 *An fructus beneficij, vel penſionis recipere poſſit.*
27 *Regulares excommunicati quorum officiorum Ordinis ſint incapaces.*
28 *Quid ſi in excommunicatione ea obtinuerint.*
29 *Grauiter peccat qui excommunicato confert aliquod Officium, vel beneficium.*
30 *Quid faciendum pro noua collatione.*
31 *Iure eligendi quomodo priuetur excommunicatus.*
32 *Suſpenditur ab Officiis.*
33 *Priuatur vſu iuriſdictionis.*
34 *Actus iuriſdictionis ab ipſo facti an valeant.*
35 *Quomodo ſe gerere debeat ſubditus cum Prælato excommunicato.*
An Prælatus excommunicatus abſoluat. ibid.
36 *Priuatur excommunicatus omni communicatione forenſi.*
An ſaltem actoris munus exercere poſſit. ibid.
37 *An munus patroni, ſeu aduocati.*
38 *An poſſit teſtis eſſe.*
39 *An tabellio.*
40 *An vt reus conueniri poſſit.*
41 *Irritat excommunicatio literas, & reſcripta Apoſtolica obtenta.*
42 *Priuatur excommunicatus omni ciuili, & politica communicatione.*
In quibus caſibus. ibid.
43 *Cum moderatione tamen Extrauagantis* Ad euitanda.
44 *An laij fideles cum excommunicatis communicare poſſint.*
45 *Caſus in quibus poſſunt.*
46 *Quid intelligatur per particulam* Lex.
47 *Quid per particulam* humile.
48 *Quid per particulas* res ignorata.
49 *Quid per particulam* neceſſe.
50 *An etiam in diuinis communicare poſſit in caſibus prædictis.*
51 *Debita num ſolui debeant excommunicato.*
52 *De excommunicato in excommunicatione per annum perſiſtente.*
53 *Priuatur excommunicatus Eccleſiaſtica ſepultura.*
Quomodo id intelligendum. ibid.
54 *Alia remiſſiuè.*

DE hac cenſura plura dixi, tum primo tomo, 1
*part.*1. & 2. *Summ.* tum in hoc *tomo*, verbo *Abſolutio*, verbo *Bulla Cœna*, verbo *Bulla Cruciata*, verbo *Caſus reſeruati*, verbo *Cenſura*, verbo *Confeſſarius*, & ſparſim per totum opus. Nunc verò applicando materiam excommunicationis ſpecialiter Regularibus, in gratiam ipſorum agam de natura, & effectibus excommunicationis, quatenus ad ipſos regulariter ſpectare poteſt. Cum autem excommunicatio ſit duplex, alia maior, & alia minor, maior quidem illa, quæ priuat hominem bonis communibus fidelium, videlicet Sacramentis, ſuffragiis Eccleſiæ, & communicatione humana: minor verò quæ priuat communione paſſiua Sacramentorum, *cap. ſi celebrat, de Cler. excommunic. miniſt.* (Toletus *in Summa, lib.*1. *cap.* 4. & 5. Cornejo *tom.*2. *in* 3. *part. S. Thom. tract.* 5. *de excomm. diſp.*1. *dub.*3.) ideo de vtraque agendum, & primò de excommunicatione minori.

Ergo Religioſus minori excommunicatione ligatus a
non poteſt aliquod ſacramentum, v. g. Euchariſtiam, Ordinem, &c. ſuſcipere, ita vt ſi illud ſuſcipiat peccet mortaliter. Ita enim colligitur tum ex *d. cap. ſi celebrat*, adiuncta communi expoſitione Doctorum; tum ex eo quod violat præceptum Eccleſiæ in materia graui, Ioannes Beetz *in præcep. Decalog. præcept.* 3. *expoſit.*4. *cap* 10. *littera B*, Cornejo *ſuprà, diſp.*9. *dub.*2. Layman. *lib.*1. *tract.*5. *part.*2. *cap.*3. *num.*4. Non tamen propterea incurrit irregularitatem, aut aliam cenſuram, *d. cap. ſi celebrat.* Beetz, & Cornejo *ſup.* Conſequenter etiam miniſtrans illi Sacramenta grauiter quoque peccat, niſi excuſetur ratione ignorantiæ, ſcandali, aut alterius mali vitandi; cooperatur enim peccato illius. Bonacina *de excommunicat. diſp.*2. *quæſt.*3. *num.*3. Sacramenta autem quæ recipit, validè recipit, quia per excommunicationem minorem non redditur incapax Sacramentorum. Corn. *ſup.* Excepto Sacramento pœnitentiæ, quia cum peccet mortaliter illud recipiendo, non ſolum ponit obicem gratiæ, ſed etiam ipſum reddit nullum, Cornejo, & Bonacina *ſup.* Secus ſi petat prius abſolutionem cenſuræ, aut ſciat abſolutionem ab illa eſſe ſibi concedendam antequam abſoluatur à peccatis. Bonacina *ſup.* Poſſe autem recipere Sacramenta quando id neceſſe eſſet ad vitandum ſcandalum, infamiam, &c. à fortiori conſtabit ex dicendis infrà *num.*9. cum de excommunicato maiori excommunicatione idem dicam. Quamuis autem plurium ſententia ſit, talem excommunicatum excommunicatione minori peccare mortaliter, vel ſaltem venialiter in adminiſtratione Sacramentorum, ſi ſine neceſſitate id faciat, ex eo quod *in d. cap. Si celebrat*, dicatur: *Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta* (Ioannes Beetz *ſup.* & alij Recentiores) nihilominus oppoſitum eſt probabilius, aliàs dici deberet, quod excommunicatio minor ſicut priuat communicatione paſſiua Sacramentorum, ſic & actiua. Textus autem ille intelligitur de illa collatione Sacramentorum, quæ eſt adiuncta cum receptione, prout contingit Epiſcopo ordinante, qui ſimul celebrat, & ſe communicat, & in Sacerdote etiam celebrante,

qui etiam ſe communicat. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.*24. Suarez *tom.*5. *in* 3. *part. diſp.*24. *ſect.*2. *num.*7. & 12. Cornejo *ſup. dub.*5.

3 Religioſus etiam excommunicatione minori ligatus, ſi electus fuerit ſcienter, talis electio eſt irritanda. Ita enim habetur *dict. cap. ſi celebrat*, vbi ſic: *Si ſcienter talis electus fuerit, eius electio eſt irritanda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. Patribus eſt priuatus.* Vnde ſi ignoranter talis electio facta eſt, ſiue ignorantia ſe teneat ex parte electorum, ſiue ex parte electi, ſiue vtrorumque, valida erit, quia textus dicit *ſi ſcienter*, & ratio, quæ ibi adducitur de omnibus probat. Suarez dicta *ſect.*2. *n.*18. Cornejo *ſup. dub. vlt.* Cum autem dicatur in textu *eſt irritanda*, colligitur non eſſe ipſo iure irritam, ſed annullandam per ſententiam, Ioan. Beetz *ſup.* Toletus *in Summa, lib.*1. *cap.*17. *num.*2. Cornejo *ſup.* Intelligitur etiam communiter textus de electione ad aliquam dignitatem, vel beneficium, ea ſcilicet quibus annexa eſt ſuſceptio alicuius Sacramenti, non ad alia propter rationem in textu aſſignatam. Suarez *ſup. num.* 14. & 15. Cornejo *ſup.* Idem dico de collatione ipſorum, tum quia talis collatio eſt virtualis quædam electio, cum ſit acceptio vnius præ multis: tum quia ratio textus æquè in vtroque procedit. Suarez *ſuprà*, *num.*21. Cornejo *ſup.* Et de præſentatione, propter eandem rationem. Layman. *ſuprà*, *num.*5. Quæ verò Officia ſint in Religionibus, quæ nomen dignitatis merentur, dixi *tom.*2. *Summ. cap.* 53. *num.*2. & quæ dicantur beneficia Eccleſiaſtica in illis *tom.*1. *cap.*15. *n.*32.33. & eo *tom.*2. *cap.*18. Hinc talem eligentes peccant mortaliter, & ſimiliter ipſe electus, ſi ſe eligi permittat. Tranſgrediuntur enim legem canonicam in materia graui. Bonacina *ſup. n.*7. Peirinis *tom.*2. *de Prælato, quæſt.*2. *cap.*5. *n.*24. Non tamen propterea incurrunt aliquam pœnam, vel cenſuram, cum non ſit in iure expreſſa, ſecundum Suarez *ſup. num.*22. & alios. Licet Peirinis *ſup. num.*26. probabiliter dicat talem eligentes incurrere pœnam, *e.. ùm in cunctis*, §. *clerici*, *de elect.*

4 Non tamen Religioſus ſic ligatus excommunicatione minori priuatur iure eligendi, *cap. ſi celebrat*, relato. Vnde poteſt ipſe eligere, præſentare, & vti omni iuriſdictione, quam aliàs habet, audire Miſſam, ſumere pacem, diuinis Officiis intereſſe, frui ſuffragiis, communicare cum aliis, abſoluere alios à peccatis, cenſuris, &c. Nauarrus *in Man. cap.*27. *num.*24. Bonacina *ſup. num.*7.8.9. & 10. Peirinis *ſuprà*, *num.*25.

5 Hæc porro excommunicatio minor licet ab homine ferri poſſit, ſicut & maior, vſu tamen Eccleſiæ rarò, aut ferè nunquam ſic fertur. Nauar. *ſup. num.*5. Toletus *ſup. num.*3. Similiter, eſto ſecundum aliquos à iure ſit lata propter aliquos caſus, de quibus Suarez *ſuprà*, *ſect.* 3. nunc autem ſolum propter vnum incurritur, ſcilicet propter communicationem, aut participationem indebitam cum excommunicato maiori excommunicatione, *cap. Nuper*, *de ſentent. excommunication.* Toletus *ſuprà*. Suarez *ſup. num.*2. Dixi *indebitam*, quia ſi communicatio ſit inculpabilis, ſcilicet vel in caſibus iure permiſſis, de quibus *à num.* 45. dicetur, aut etiam quando vel ob ignorantiam, vel ob aliam cauſam ſic communicans non peccat, non incurrit hanc excommunicationem, cum enim ſit pœna, non incurritur niſi ſuppoſita culpa. Suarez *ſuprà*, *num.*3. Non requiritur autem ad hoc culpa mortalis, ſed ſufficit venialis. Etſi enim ſi communicatio eſt in diuinis, tunc ſit mortalis, quando verò in humanis, regulariter ſolum reputatur tranſgreſſio leuis, & venialis, niſi adeſſet contemptus, aut communicatio eſſet cum excommunicato de participantibus, aut in crimine criminoſo, iuxta dicenda infra *num.*44. Toletus *ſuprà*. Forſan etiam non ſufficit ad eam incurrendam culpa, quæ ſolum eſt venialis ex defectu aduertentiæ, aut deliberationis, vt putat Suarez *ſup.* quia in tali culpa non reperitur perfecta inobedientia, aut contumacia, quæ ad incurrendam cenſuram eſt neceſſaria. Dixi etiam ſuprà *cum excommunicato maiori excommunicatione.* Quia communicans cum excommunicato minori excommunicatione, ſiue in diuinis, ſiue in humanis nullam aliam excommunicationem incurrit, nec excommunicatio minor, vt dicitur, parit aliam. Nauarrus, & Toletus *ſuprà*. Adde, quod licet olim ad incurrendam excommunicationem minorem ſufficeret communicare cum quocumque excommunicato, reſpectiuè tamen, ſcilicet cum publico publicè, & cum occulto occultè, *ex cap. cum non ab homine*, *de ſentent. excommunicat.* (Cornejo *dict. tract.*5. *de Excommunicat. diſp.*10. *dub. vltim.* Layman *lib.*5. *tract.*5. *part.*2. *cap.*3. *in princip.*) modo verò poſt Concilium Conſtantienſe, vt teneamur vitare excommunicatum, ac proindè, vt incurratur excommunicatio minor propter communicationem cum ipſo, requiritur, quod talis excommunicatus ſit, vel tam notorius percuſſor Clerici, quod nulla tergiuerſatione celari poſſit, aut iuris ſuffragio excuſari, vel ſic à Iudice, vel Superiore ſpecialiter publicatus, vel denunciatus. Ratio eſt, quia ita decretum fuit in dicto Concilio Conſtantienſi confirmato à Martino V I I I. *in Extrauaganti Ad euitanda*, quam referunt S. Antonin. 3. *part. tit.*26. *cap.*3. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.*35. Sotus *in* 4. *diſtinct.*22. *quæſt.*1. *art.*4. Quæ licet poſtea correcta fuerit à Concilio Baſilenſi *ſeſſ.*20. vbi quicumque notorij excommunicati vitandi dicuntur, hoc tamen Concilium approbatum non eſt quoad hoc, & conſuetudine Eccleſiæ receptum eſt oppoſitum. Suarez *tom.*5. *in* 3. *part. diſput.* 9. *ſect.*2. Cornejo *dub. vltim.* Layman. *ſuprà*, *num.* 5. Solum ergo hoc tempore excommunicati vitandi, & non tolerati ſunt vt dictum eſt, publici clericorum percuſſores, aut publicati, & denunciati: reliqui autem excommunicati dicuntur tolerati, & non vitandi. De quibus plura infra.

Ab excommunicatione minori inter Regulares contracta, ſi lata eſſet ab homine, ſolum conditor ipſius abſoluere poſſet, iuxta dicta ſupra *verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.*12. Bonacina ſupra *dict. quæſt.*3. *num.*11. 6
Lata tamen à iure, qualis regulariter ferè ſemper eſt, abſoluitur quoad forum externum à quocumque Prælato ordinario ipſius excommunicati. Layman. ſupra *cap.*3. *num.*6. Quoad forum verò internum non ſolum à quocumque Prælato, qui proprius Sacerdos ſit, *cap. Nuper*, *de ſentent. excommunicat.* ſed etiam à quocumque Confeſſario ipſorum Regularium tolli poteſt, cum iuxta dicta ſupra *verb. Confeſſarius Regularis*, *n.*11. Confeſſarij pro Regularibus aſſignati poſſint illos abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris non reſeruatis. An verò id poſſint facere ſimplices Sacerdotes qui nullo modo Confeſſarij ſunt, quamuis probabilis ſit pars affirmatiua, quando ſcilicet hæc excommunicatio incurreretur ſolum propter peccatum veniale, probabilius tamen eſt oppoſitum, iuxta dicta *tom.*1. *Summæ*, *cap.*21. *num.*13. De quo Layman. *ſup. num.*6. Bonacina *ſup. num.*15. Qui etiam *num.*16. addit ad abſolutionem ipſius ſufficere verba exprimentia abſolutionem, & quod detur ſub conditione quando pœnitens dubitat ſe illam incurriſſe.

Religioſus autem, & quicumque alius excommunicatione maiori ligatus non poteſt miniſtrare aliqua 7
Sacramenta, *cap. Apoſtolicæ*, & *cap. Si celebrat*, *de Clerico excommunic. celebrant.* & *cap. Engeltrudam* 3. *quæſt.* 4. Vnde ea adminiſtrans, mortaliter peccat, quia in re valdè graui violat præceptum Eccleſiæ. Cornejo *dict. tract* 5. *diſput.* 10. §. 1. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.*5. Quod intellige, non ſolum de excommunicato non tolerato, ſeu vitando, vt de ſe patet, ſed etiam de tolerato, ſeu non vitando,

quantum

quantum eſt ex parte ſua, ſi videlicet ſe ingerat in adminiſtratione Sacramentorum, quia Extrauagans *Ad euitanda*, adducta nihil ſuffragatur illi, licet ſi ab illo petantur Sacramenta, poſſit ea adminiſtrare, vt infra dicetur. Suarez *ſupra, diſp.* 51. *ſect.* 1. *num.* 5. & *ſect.* 4. *num.* 10. & ſequentibus. Incurrit etiam irregularitatem ſi illa adminiſtret ex Officio. Suarez dicta *diſp.* 51. *ſect.* 3. Cornejo *dict.* §. 5. *dub. vltimo.* Vide dicenda verbo *Irregularitas*, *num.* 55. Sacramenta tamen ab excommunicato quocumque adminiſtrata valida ſunt, quia Sacramentorum valor ſolum pendet iure diuino ex applicatione veræ materiæ, & formæ. Vaſquez *tract. de excommunic. dub.* 3. Bonacina *dict. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 1. & §. 4. *num.* 1. Excipe Sacramentum pœnitentiæ, adminiſtratum enim ab excommunicato non tolerato, nullum, & irritum eſt ob defectum iuriſdictionis. Vaſquez *ſuprà, dub.* 4. Bonacina *dict.* §. 4. *num.* 1. niſi in caſu quo eſſet publicus error facti, & titulus præſumptus, quia tunc Eccleſia ei tribuit iuriſdictionem, iuxta *l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* Laym. *ſup.* In caſu etiam extremæ neceſſitatis proximi poteſt quilibet excommunicatus, etiam non toleratus, adminiſtrare ei Sacramenta, v. g. Baptiſmi, Pœnitentiæ, &c. non ſolum validè, ſed etiam licitè, pia namque mater Eccleſia ne deficiat ſuis filiis in neceſſitatis, prouidet, vt etiam ſic excommunicatus adminiſtret Sacramenta neceſſaria. Cornejo *ſup. dub.* 2. Imò etiam tenetur id facere, quia ad id obligatur præcepto charitatis, propter proximi extremam neceſſitatem. Cornejo *ibid.* Vbi etiam cum aliis aſſerit, quod ſi tale Sacramentum eſt Baptiſmus, debet adminiſtrari ſine cæremoniis, & ſolemnitate, & in ſequentibus tractat an id facere poſſit excommunicatus in præſentia aliorum ſimilium, vel diſſimilium. Poterit quoque prædictus excommunicatus, etiam non toleratus, miniſtrare omnia Sacramenta licitè, imò & validè (excepto Sacramento pœnitentiæ, propter dicta) quando id eſſet ſibi neceſſarium ad vitandum mortis periculum, vel infamiam, quia lex eccleſiaſtica id prohibens non obligat cum tanto diſpendio. Cornejo *ſup. num.* 1. Niſi adeſſet ſcandalum, aut talis adminiſtratio extorqueretur in odium, vel contemptum Eccleſiæ, quia tunc lege naturali & diuina potius deberet pati mortem, quam id facere. Cornejo *ibid.* An verò ſic excommunicatus poſſit adminiſtrare ſibi Euchariſtiam in articulo mortis, vide dicta ſupra verbo *Euchariſtia*, *num.* 55.

8 Prædictus etiam Religioſus, ſicut & quicumque alius maiori excommunicatione ligatus, ſiue ſit toleratus, ſiue non, grauiter peccat conficiendo Sacramentalia, verbi gratia aquam benedictam, & faciendo ſimiles benedictiones, ſeu conſecrationes, quia hoc eſt immiſcere ſe diuinis, quod illi eſt prohibitum. Ea tamen valida ſunt, & rata, ſi habeat Ordinem ad ea requiſitum, quia non ſunt actus iuriſdictionis, ſed ſolum Ordinis, nec ab Eccleſia irritata. Suarez dicta *diſp.* 11. *ſect.* 2. *num.* 9. & 10. Bonacina *ſup. dict.* §. 4. *num.* 4. & 5. Incurrere tamen irregularitatem ea conficiendo, inferiùs dicam.

9 Similiter prædictus Religioſus excommunicatus mortaliter peccat quodcumque Sacramentum ſuſcipiendo: repellitur enim tanquam indignus à participatione illorum, *cap. Cum illorum*, & *cap. ſi quem, de ſentent. excommunic. cap. ſi celebrat, de Cleric. excommunic. miniſtr.* Nauarrus *cap.* 27. *num.* 18. Cornejo *dict. diſp.* 10. §. 2. Quod intellige etiam de excommunicato quantumuis tolerato, quia in Extrauaganti *Ad euitanda*, nullus fauor ipſi conceditur. Suarez *ſup. diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 4. Corn. *ſup.* Excuſari tamen poteſt à peccato non ſolum propter ignorantiam, aut inaduertentiam, iuxta dicta verbo *Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.* 15. ſed etiam quando id faceret ad vitandum mortis periculum, vel grauem infamiam, iuxta dicta *ſuprà, num.* 7. Nulla autem pœna eſt iure impoſita ſic facienti, excepto excommunicato Ordinis Sacramentum ſuſcipiente, de quo alibi. Suarez *ſup. num.* 5. Corn. *ſup.* Sacramenta autem ab excommunicato ſuſcepta valida ſunt, cum ipſorum valor ſolum pendeat à debita materia, & forma, & iis poſitis non ſit in poteſtate Eccleſiæ ea irrita reddere. Vgolinus *de excommunic. maiori*, *Tab.* 2. *c.* 7. §. 2. Laym. *ſuprà, cap.* 2. *num.* 1. Idem dico de Sacramento pœnitentiæ, propter eandem rationem. Vnde caſu quo pœnitens excommunicatus, bona fide, aut ignorantia probabili ſolum, confiteatur ſua peccata non manifeſtando excommunicationem, vel Confeſſarius bona etiam fide, aut ignorantia, vel etiam malitia non abſoluat ab excommunicatione, ſed ſolum à peccatis, vel prius à peccatis, quam ab excommunicatione, verum recipitur Sacramentum, & cum gratiæ effectu. Ioannes Beetz *in* 3. *præcept. Decalog. expoſit.* 4. *cap.* 5. Sayrus *de excommunic. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. Corn. *d.* §. 3. *dub. vlt.* Bonacina *d. quæſt.* 2. *punct.* 2. §. 1. *num.* 1. Licet plures alij, quos refert, & ſequitur Ioannes Sancius *in ſelect. diſput.* 32. *num.* 11. oppoſitum tueantur.

Sacerdos proinde, qui adminiſtrat aliquod Sacramentum excommunicato, licet ſi id faciat in caſibus in quibus ipſe excommunicatus ea poteſt licitè ſuſcipere (de quibus *ſuprà, num.* 9.) non peccet, quia cum excommunicatus in tali caſu licitè petat, licitè etiam illi conceditur quod petit (Suarez *dict. diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 4. Cornejo *dict.* §. 2. *dub.* 1.) in aliis autem caſibus, in quibus licitè non petit ea excommunicatus, peccat mortaliter illi ea adminiſtrans. Diuerſimodè tamen, nam ſi talis excommunicatus eſt toleratus, non peccat adminiſtrans illi Sacramenta ex vi cenſuræ, cum Extrauagans *Ad euitanda*, adducta permittat omnem communicationem etiam in diuinis, & in adminiſtratione Sacramentorum cum excommunicatis toleratis: peccat tamen regulariter contra ius naturale, & diuinum, ſiquidem dat Sacramenta indigno. Dixi *regulariter*, quia quid faciendum ſit in caſu quo occultus peccator, ſeu excommunicatus peteret publicè Euchariſtiam, habes ſuprà verbo *Euchariſtia*, *num.* 23. Si verò talis excommunicatus ſit non toleratus, non ſolum peccat Sacerdos illi adminiſtrans Sacramenta contra ius naturale, & diuinum, propter adductam rationem, ſed etiam ex vi cenſuræ, quia communicat in diuinis cum excommunicato vitando, quod eſt prohibitum non ſolum iure antiquo, ſed etiam nouo dictæ Extrauagantis. Suarez *d. diſp.* 10. *ſect.* 2. Cornejo *dict.* §. 2. *dub.* 1. & 2. Bonac. *d. punct.* 2. §. 2. Quare licet adminiſtrans Sacramenta dicto excommunicato tolerato nullam incurrat cenſuram, aut pœnam, quia nulla eſt in iure expreſſa, nec ille peccet contra ius Eccleſiaſticum, ſed ſolum contra diuinum, aut naturale, vt dictum eſt, nihilominus ea adminiſtrans excommunicato non tolerato, in primis incurrit excommunicationem minorem, ſicut generaliter eam incurrunt omnes, qui communicant cum illo. Deinde incurrit etiam ipſo iure interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, *c. Epiſcoporum, de priuil. in* 6. vbi etiam habetur qualiter ab eo abſolui poſſit. Suarez, Cornejo, & Bonacina relati. Addendum eſt *ex c. Significauit, de ſentent. excommunicat.* Clericum participantem cum excommunicato à Papa in diuinis (qualis eſt dans illi Sacramentum) incurrere etiam excommunicationem Papæ reſeruatam. Toletus *in Summa. lib.* 1. *c.* 11. Sunt tamen aliquæ conditiones ad incurrendam hanc excommunicationem, quas aſſignant Caietan. *in Summa, verbo Excommunicat. cap.* 58. & Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 93. Prima, quod admittens ad participationem diuinorum ſit Clericus. Secunda, quod ſit participatio in diuinis. Tertia, quod ſcienter admittatur. Quarta, quod ſponte. Quinta, quod ſic excommunicatus ſit à Papa. Sexta, quod ſit excommunicatus à Papa per ſententiam ſpecialem, vel generalem, 10

ſi eſt poſtea ſpecialiter denunciatus. Theſaurus *in prax. part.2.verbo abſoluens, cap.7. §.2. Excommunicationem.* Non enim ſatis eſt eſſe ab eo excommunicatum ſententia Canonis generalis, vt ait Graſſius *in Deciſ. aur. lib.4. cap.12. num.* 24. nec eſſe publicum Clerici percuſſorem, ſi non ſit denunciatus, vt ait Bonacin. *ſup. dict.* §.2. *num.*7. ex Coninch.

11 Priuatur etiam prædictus Religioſus, & quilibet alius maiori excommunicatione ligatos communibus Eccleſiæ ſuffragiis, ita vt qui ea ipſi applicauerit mortaliter peccet, *cap. à nobis, de ſent. excommunicat.* S. Thom. *in 4. diſt.*18. *quæſt.*2. *art.*1. Sotus *in 4. diſt.*22. *quæſt.*1. *art.*1. *&* 4. §.*hoc ſuppoſito.* Sunt autem huiuſmodi ſuffragia communia quædam auxilia ſpiritualia, quæ à Clericis veluti Eccleſiæ miniſtris offeruntur pro fidelibus, qualia ſunt Sacrificium Miſſæ ea ratione, qua offertur à Sacerdote nomine Eccleſiæ, Horæ Canonicæ, publicæ proceſſiones, Rogationes, &c. Sotus ſuprà, Corn. *dict. diſp.*10. §.3. *dub.*1. Bonacina *dict. quæſt.*1 *punct.*1 *num.*1. Item Indulgentiæ, quæ ex communi Eccleſiæ theſauro fidelibus applicantur. Layman. *d.cap.*2.*num.*2. Iis ergo omnibus priuatur excommunicatus. Quod intellige non ſolùm de excommunicato non tolerato, ſed etiam de tolerato, quia iure antiquo ita ſtatutum erat, & ius nouum Extrauagantis *Ad euitanda*, non fauet excommunicato tolerato, quantum ad hæc ſuffragia ſpiritualia, ſed ſolum quoad communicationem in aliis. Sotus *d.art.*4. Suarez *ſupra, diſp.*9. *ſect.*2.*à num.*17. Licet oppoſitum probabiliter teneant Henriquez *lib.*13. *cap.*11. *num.*2. Layman. *ſupr. cap.*4. *num.*8. & alij. Adde, id eſſe verum etiamſi talis excommunicatus ſit contritus, quia per contritionem non eſt ablata excommunicatio, *d.cap.à nobis*, Suarez *ſup.ſect.*3.*à num.*5. Corn. *ſuprà* §.3. *dub.*2. Licet etiam oppoſitum teneant Nauarrus *in Man. cap.*27. *num.*18. & alij. Feria autem ſexta in Paraſceue Eccleſia ipſa diſpenſat vt oret Sacerdos nomine ipſius pro omnibus etiam excommunicatis, ad imitationem Chriſti, qui ea die pro omnibus orauit, & pro omnibus applicauit ſuam mortem quoad ſufficientiam. Sotus *in 4. diſt.*11. *quæſt.*2.*art.*7. *ad* 2.*& diſt.*22.*quæſt.*1.*art.*2. Corneus *ſup. dub.*1. Imò ſi de facto talia excommunicato applicantur, nihil ei proſunt, quia eo ipſo quod excommunicatus eſt, priuatur communicatione paſſiua ipſorum. Suarez *ſuprà, ſect.*4. *num* 7. Cornejo *ſupra, dub.*2. Addunt Nauarrus *ſupra, num.* 36. & Bonacina etiam *ſuprà, dict. punct.*1. *num.*4. eum qui publica oratione, & vt miniſter Eccleſiæ orat pro excommunicato vitando, incurrere excommunicationem minorem, quia communicat cum eo. Non tamen priuatur excommunicatus orationibus priuatis fidelium, etiam Sacerdotum, & in Miſſa, ac in ipſo *Memento* Miſſæ, quia illæ non ſunt ſuffragia nomine Eccleſiæ facta, ſed à priuata perſona. Sylueſter *in Summa, verb. Excommunicatio* 1.§.2. Sotus *ſuprà*, §.*quomodo autem.* Imò etiam loquendo de Sacrificio Miſſæ provt offertur à Sacerdote in perſona Chriſti prodeſt excommunicato, ſi ei applicetur à ſacerdote, quia ſolum redditur incapax fructus Miſſæ provt offertur nomine Eccleſiæ. Suarez *dict. diſp.*9. *ſect.* 4. Corneus *ſuprà, dub.*2. Dicunt autem peccare mortaliter ſacerdotem ſic facientem, quia agit contra prohibitionem Eccleſiæ. Alij verò excuſant ſic offerentem pro excommunicato tolerato. Sayrus *lib.*2. *cap.*4. *num.*6. Henriquez, & Layman. ſuprà relati. Sacerdos autem excommunicatus pro ſe offerens, non ſolum grauiſſimè peccat celebrando, ſed etiam ratione obicis, quem ponit, non recipit fructum ſacrificij, niſi ponatur ratione inuincibilis ignorantiæ, vel extremæ neceſſitatis id facere, tunc enim participabit de fructu ſacrificij id quod excommunicatus participare poterit. Suarez *dict. diſp.*9. *ſect.*4.*num.*8.

12 Hic nota, morem quarumdam Religionum, & piarum perſonarum offerentium ſacrificium Miſſæ pro conuerſione hæreticorum, laudabilem videri, nec reprehenſione vlla dignum. Etſi enim hæretici excommunicati ſint, ac per conſequens pro ipſis vt tales offerri non poſſit, qui tamen offerunt pro ipſorum conuerſione, non tam offerunt pro ipſis quam pro deſtructione, vt ita dicam hæreſis, & excommunicationis, quibus ligati ſunt. Quod eſt licitum, & conforme vſui Eccleſiæ, quæ ſæpius in Collectis aliquot orat pro exſtirpatione hæreticorum. Sic colligo ex Bellarmino *lib.* 2. *de Miſſa, cap.*6.*in fine*, & Laym. *ſuprà loco relato.*

Prohibitum etiam eſt prædicto Religioſo, ſicut & cuicumque alij excommunicato maiori excommunicatione, Miſſam celebrare, aut actum alicuius Ordinis etiam minoris exercere, *cap. Si quis Epiſcopus* 1. *&* 2. 11.*quæſt.*3. *cap. Clerici, cap. Latores, cap. illud, & cap. Fraternitati tuæ, de Clerico excommun. celebrante.* Vgolinus *de excommunicat. maiori, Tab.*2. *cap.*8. Toletus *in Summa, lib.*1.*cap.*13.*num.*6. Intellige, etiamſi ſit toleratus propter dicta ſuperius. Cornejo *tract.*5. *de irregularitate, diſputatione* 6. *in princip.* Bonacina *de irregularitate, diſp.*7.*quæſt.*3. *punct.*5.*num.*1. Eſtque hoc peccatum mortale, provt colligitur non ſolum ex eo quod eſt tranſgreſſio præcepti Eccleſiaſtici in graui materia, ſed etiam ex pœna grauiſſima, quæ in dictis iuribus ponitur. Vgolinus *ibid.* Excuſari tamen poteſt ab hoc delicto propter ignorantiam inuincibilem, naturalem obliuionem, ſeu inaduertentiam, vel etiam ſi id fiat ad euitandum ſcandalum, vel infamiam, vel magnum damnum, aut tempore extremæ neceſſitatis, iuxta dicta in ſuperioribus, & dicenda inferius. Suarez *ſuprà diſputat.* 11. *ſect.* 1. Alias tamen ſic faciens efficitur irregularis, provt partim colligitur ex iuribus citatis, partim ex toto fermè titulo *de Clerico excommunicat. celebrante*, accedente præſertim communi Doctorum expoſitione. Toletus *ſupra*, Suarez *diſputat.*11. *ſect.*2. *a numero* 7. Requiritur tamen ad incurrendam hanc irregularitatem, vt talem actum Ordinis ſolemniter faciat, id eſt, cum illis cæremoniis, & veſtibus, quæ ei competunt ex officio, & Ordine. Sylueſter *in Summa, verb. Irregularitas, num.*16. Cornejo *ſuprà*, §.*Secunda conditio.* Vnde, quia ſecundum vſum Eccleſiæ actus minorum Ordinum rarò, vel numquam fiunt à Clericis, ita vt eodem modo non poſſint fieri à laicis (Suarez *ſupra num.*10. Layman. *lib.*1. *tract.*1. *part.*5. *cap.*3. *num.*4.) ideo non niſi rarò Clerici in minoribus conſtituti excommunicati hanc irregularitatem contrahent, quando ſcilicet ex vſu alicuius Eccleſiæ peculiares veſtes illis eſſent aſſignatæ, & cum illis exercerent ſuum miniſterium. Suarez *ſuprà*. In Subdiacono autem non eſt ſic. Eius enim munus, quod eſt cantare Epiſtolam ex vſu Eccleſiæ, conceditur laicis in Choro ſine veſtibus, & non Subdiaconis in altari ſine manipulo. Quare ſi ſubdiaconus excommunicatus Epiſtolam canat ſine veſtibus in Choro, aut ſine manipulo in altari, quia tunc non facit actum Ordinis ſolemniter, non efficitur irregularis. Sylueſt. & Corn. *ſuprà*, Bonacina *ſuprà, num.*4. Qui duo dicunt hoc etiam eſſe verum in Diacono ſi Euangelium canat ſine ſtola, propter eandem rationem. Quod mihi valde difficile eſt, quia Diaconi miniſterium regulariter non ſolet in Eccleſia fieri à laicis, aut ſine veſtibus ſacris, & ſtola, quod ſecus contingit in ſubdiacono. Si vero alicubi fuerit conſuetudo canendi etiam Euangelium ſine ſtola, provt Layman. *ſuprà n.*2. ſupponere videtur, idem dici debet. Addunt etiam, idem eſſe dicendum de Sacerdote excommunicato, qui ſine ſolemnitate baptizat more laicorum, videlicet non incurrere irregularitatem. De quo etiam Sylueſter *ſup.* Quando verò Sacerdos excommunicatus efficeret ea, quæ nullo modo ab aliis fieri poſſunt, vt ſunt conſecrare, abſoluere, vngere infirmos, etiamſi caſu dato ſine vlla ſolemnitate ea faciat, incurret irre-

gularitatem

Digitized by Google

gularitatem, quia ſunt actus proprij Ordinis ſacerdotalis, Cornejo *ſuprà*, §. *ſed notandum eſt ſecundò*.

14 Similiter prohibitum eſt prædicto Religioſo, ſicut & alij cuilibet maiori excommunicatione ligato diuina Officia ex officio aut veluti Eccleſiæ miniſtrum celebrare, *cap. ſi quis Epiſcopus*, relato, *cap. Clerici*, *cap. Lectores*, *cap. illud*, *cap. fraternitati tuæ, de Cleric. excommunicat. celebrant.* Eſtque id peccatum mortale, niſi fortè adſint aliquæ cauſæ excuſantes, de quibus ſupra, quia eſt tranſgreſſio præcepti in materia valdè graui. Cum enim excommunicatus ſit veluti membrum abſciſſum ab Eccleſia, grauis deformitas eſt ingerere ſe ad publicas functiones nomine Eccleſiæ peragendas. Vgolinus *ſup.* Cornejo *d. diſp. 18. de excommunicat. §. 4. dub. 1.* Hæc verò Officia diuina ſunt non ſolum ſacrificium Miſſæ, & exercitium cuiuſque Ordinis etiam minoris, vt dictum eſt, ſed etiam omnia, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ ſolum à Clericis, vt miniſtris publicis, effici poſſunt, vt ſunt Officium Canonicum, & publicum ſeptem horarum, publicæ proceſſiones, ad quas fideles concurrunt, publicæ orationes, ſolemnes cæremoniæ Eccleſiaſticæ, aut ſolemnes benedictiones aquæ, oliuarum, candelarum, ramorum, olei, ſepulturæ, & ſimilium, & conſecrationes Eccleſiarum, Altarium, Chriſmatis, Virginum, &c. Nauarrus *in Manual. c. 27. num. 36. §. Ad quintum*, Suarez *d. ſect. 2. num. 2.* Cornejo *ſup.* Si ergo hæc, & ſimilia ab excommunicato fiant, efficitur irregularis, prout habetur ex iuribus relatis. Vgolinus, & Syluester *ſup.* Etiamſi talis excommunicatus ſit occultus, aut toleratus, propter rationem ſæpius adductam, quia ſcilicet illi nullus fauor quoad hoc conceditur Extrauaganti *Ad euitanda*.

15 Non tamen prohibetur excommunicatus quicumque dicere priuatim diuinum Officium, ſeu Horas Canonicas; nullum enim eſt ius id prohibens. Corn. *ſup.* Bonac. *quæſt. 2. punct. 3. §. 2. num. 3.* Vnde, ſi ipſe tenebatur ad Officium diuinum recitandum, non excuſatur propter excommunicationem, aliàs commodum reportaret ex ſuo delicto. Nau. *in Man. cap. 25. n. 102.* Suar. *d. ſect. 2. num. 54.* Non tamen debet tunc dicere *Dominus vobiſcum*, ſed *Domine exaudi orationem meam*, propter dicta *tom. 1. p. 1. Summ. cap. 12. n. 6.* Addit Nauarrus *in lib. de Orat. cap. 7. n. 56.* excommunicatum dicentem *Dominus vobiſcum*, fieri irregularem, quia denotat dicere Officium nomine Eccleſiæ, quod eſt prohibitum excommunicato ſub pœna irregularitatis, vt dictum eſt. Cum tamen hæc irregularitas non incurratur niſi propter peccatum mortale, & peccatum mortale requirat grauitatem materiæ, quæ hic non videtur eſſe, ideo probabile eſt valde non propterea incurri irregularitatem. Bonacina *ſuprà*, *num. 6.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 6.* Nec poteſt ſic excommunicatus dicere Officium diuinum cum ſocio, quia iuxta dicta in *c. 12. num. 6.* hoc eſt communicare in diuinis cum aliis, quod eſt prohibitum excommunicato. Licet, quia hoc non videatur grauis materia, probabile eſt non eſſe peccatum mortale, ſecluſo contemptu, & ſcandalo. Cornejo *ſuprà*, ex Couarru. & Suarez. Probabile etiam eſt excuſari poſſe etiam à veniali Religioſum excommunicatum recitantem priuatè Officium cum ſocio ſibi à Prælato ad eius ſeruitium deputato, quia talis eſt veluti famulus ipſius. Sic colligo ex Vgolino *de Cenſur. Tab. 1. cap. 13. §. 14. num. 1.* Suarez *d. ſect. 2. num. 18.* & Cornejo *ſuprà*. Illud certius, non propterea incurri aliquam irregularitatem. Suarez *ibid. num. 19.*

16 Similiter nec eſt prohibitum excommunicato dicere priuatas orationes, qualis eſt *Aue Maria*, quando datur ſignum ad ſalutationem Angelicam, quia licet ſignum ſit publicum, oratio tamen vniuſcuiuſque priuata eſt. Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 36. §. Ad quintum.* Suarez *dict. ſect. 2. num. 16.* Secus dicerem de Pſalmo, & oratione pro defunctis, quæ etiam dato ſigno ſolent dici, maximè in Italia, ea enim dicuntur ab omnibus ſimul, quod eſt prohibitum excommunicato, quia eſt communicare in diuinis cum aliis. Licet, quia materia videtur leuis, non credo tunc committi peccatum mortale, propter dicta. Addit Nauarrus *ibid.* licitum eſſe excommunicato benedicere menſam. Quod tamen intelligendum de benedictione ſimplici (vt ipſe ait) id eſt, de priuata benedictione more laicorum, non de illa, quæ fit in refectorio à Religioſis; ea enim ex vſu Religionum appropriata eſt Ordini Sacerdotali, & Officio Hebdomadarij., Vnde non credo dari poſſe ab excommunicato propter dicta, aliàs incurret irregularitatem, niſi fortè ob paruitatem materiæ ab ipſa, & peccato mortali excuſetur. Vide dicta ſupra verbo *Benedictio*, *& benedicere*, *num. 10.* Poteſt tamen excommunicatus vti rebus ſacris, vt priuata perſona, & quatenus deſeruiunt priuatæ deuotioni, verbi gratia Imaginibus, Reliquiis Sanctorum, ſigno Sanctæ Crucis, & ſimilibus. Bonacina ſupra *num. 9.* ex aliis quos refert. Addit ex Vgolino non poſſe vti aqua benedicta, quia eſt quoddam Sacramentale ex inſtitutione Eccleſiæ ſuffragans fidelibus: excommunicatus autem priuatur Eccleſiæ ſuffragiis, vt dictum eſt ſupra. Sed quamuis propter hunc finem fruendi ſuffragiis Eccleſiæ non poſſit illa vti, propter alios tamen fines pios, & honeſtos poterit ipſa, & aliis Sacramentalibus vti. Suarez [illegible] *diſp. 12. ſect. 3.*

Prohibitum etiam eſt præfato excommunicato concionari. Primò quidem ſi ſit vitandus, propter ſcandalum quod inde oriri poſſet. Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 4.* Cornejo *ſuprà*, *dub. 4.* Secundò, etiamſi ſit toleratus, quia etiam eſt illi prohibitum cum aliis communicare, iuxta dicenda inferiùs. Suarez *dict. ſect. 2. num. 3.* Cornejo *ſuprà*. Niſi in caſu quo propter audientium vtilitatem, ipſis petentibus, & non eo ſe ingerente id fiat. Suarez *num. 4.* Cornejo *ibid.* An verò cum excommunicatus concionatur, incurrat irregularitatem, affirmare videtur Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 163. §. 8. inferius*, quando ſolenniter, & ex Officio id faciat. Sed negat Suarez *num. 4.* quia prædicare non eſt alicuius Ordinis, ſed potius iuriſdictionis, iuxta dicta ſupra verbo *Concionare*, *& Concionator*, *num. 4. & 10.* Fauent Rodriguez *in Summ. tom. 2. cap. 14. concl. 7.* Peirinis *de ſubdito*, *quæſt. 1. cap. 22. §. verum quidem eſt*, & Bonacina *ſupr. §. 2. num. 11.* 17

Similiter prohibitum erit prædicto Religioſo excommunicato officium lectoris, ſiue artium, ſiue Theologiæ, aut Sacræ Scripturæ exercere, intromittendo ſe huic muneri, quia vt dictum eſt, prohibita eſt illi communicatio cum aliis. Suarez *dict. ſect. 2. num. 5.* Si tamen fuerit excommunicatus toleratus, poterit id facere, quando ex vi ſui muneris ad id eſt aſtrictus, nec per alium ſupplere poteſt, quia tunc ratione obedientiæ, & boni communis ad id aſtringitur. Sotus *ſuprà*, Bonacina *ſuprà*, *num. 12.* Siue autem ſit toleratus, ſiue non toleratus, non propterea legendo incurrit aliquam irregularitatem, cum talis lectio non ſit Officium diuinum, aut munus alicuius Ordinis etiam minoris. Nec vt credo, peccabit mortaliter, cum illa communicatio non ſit in Sacris, ſed in humanis. 18

Prohibitum quoque eſt ſic excommunicato aſſiſtere, ſeu intereſſe Miſſæ, aut Officiis diuinis, quæ ab aliis celebrantur, *cap. Epiſcoporum*, *de priuilegiis in 6. cap. is qui*, *& cap. alma mater*, *de ſentent. Excommunicat. in 6.* & aliis iuribus, Syluester *verbo Excommunicatio 3. num. 1.* Vgolinus *Tab. 2. cap. 9. §. 3. num. 1.* Et hoc ſub mortali peccato, quia ſemper hoc reputatur materia grauis. Syluester. & Vgolinus *ibid.* Cornejo *ſuprà*, *dub. 2.* Et hoc, ſiue Miſſa, & Officia celebrentur in Eccleſia, ſiue in choro, ſiue in Oratorio, ſiue in alio quocumque loco, ſiue incedendo, & ambulando, prout fit in proceſſionibus, quia procedit in iis caſibus 19

eadem ratio. Vgolinus *ibid.num.*2. Etiamſi talis excommunicatus ſit toleratus, & occultus, quia Extrauagans *Ad euitanda*, nihil quoad hoc ipſi fauet. Cornejo *ibid*, Non tamen propterea incurritur irregularitas, cum aſſiſtere Miſſæ, aut diuinis Officiis non ſit actus Ordinis. Cornejo *ibid*. Excipe, quando ipſe excommunicatus non ſolum audit Miſſam, ſed etiam auctoritate ſua in cauſa eſt, vt Miſſa coram eo celebretur, ex *cap. illud, de Cleric. excommunic. celebran.* accedente communi ſententia Doctorum. De quo Nauarrus *in Man. cap.*27. *num.*44. & Suarez *d. diſp.*12. *ſect.*2. *à num.*4. Excuſari etiam poterit excommunicatus Miſſæ, & Officiis diuinis aſſiſtens propter ignorantiam inuincibilem, obliuionem, vel inaduertentiam, aut ſi id faciat ad euitandum ſcandalum, infamiam, vel aliud magnum damnum, ſicut in ſimili dixi in ſuperioribus. Imo etiam ratione neceſſitatis ſi caſus eſſet, quo aliquis Sacerdos non haberet miniſtrum, qui illi inſeruiret Miſſæ, & peteret ab excommunicato tolerato, vt id miniſterium illi præſtaret, poſſet enim id facere. Suarez *d. ſect.*1. *num.*3. Cornejo *ſuprà*. Poteſt etiam excommunicatus cum Miſſa, & Officia non celebrantur, ingredi Eccleſiam, orare priuatim in ea ab aliis ſeiunctus. Syluester *ſuprà*, Nauarrus *ſuprà*, *num.*19. Audire concionem, cum concio non ſit Officium diuinum. Idque colligitur ex *cap. reſponſo, de ſentent. excommunicat.* Suarez *ſuprà*, *ſect.*2. *num.*3. Bonacina *d.* §.2. *num.*10. Ex quibus collige Religioſum excommunicatum non poſſe ingredi chorum cum diuina Officia ibi celebrantur. Secus quando non celebrantur, ad orandum priuatè, ita tamen vt eo tempore Miſſa non celebretur in Eccleſia.

20 Inſuper prohibitum eſt aliis excommunicatum ad Miſſam, & Officia diuina admittere, ſeu coram eo illa celebrare, *cap. ſignificauit, & cap. nuper, de ſentent. excommunicat. & cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6. & cap. Is qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* Vgolinus *ſuprà*, §.4. Cornejo *ſup. dub.*3. Quod limitandum eſt ad ſolum excommunicatum non toleratum: nam cum nullus teneatur vitare alios toleratos propter dictam Extrauagantem *Ad euitanda*, ideo poteſt coram eis celebrare. Cornejo *ſuprà*. Imo caſu quo eos ſine cauſa quis induxerit ad aſſiſtendum, etſi peccauerit ratione inductionis ad malum, non tamen ratione communicationis cum illis. Cornejo *ibid*. Admittentes autem excommunicatum non toleratum ad prædicta, ſeu coram illo celebrantes peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem minorem, quia participant in diuinis cum excommunicato vitando *d. cap. Is qui*, Cornejo *ſuprà*. Bonacina *ſuprà*, §.1. *num.*10. Imò, etiamſi tales admittentes excommunicatum ſint exempti ab Epiſcopis, quales ſunt Religioſi, incurrunt pœnam interdicti *ex capite Epiſcoporum*, relato. Cornejo, & Bonacina *ibid.* ex aliis. Conſequenter celebrantes cum interdicto fient irregulares. Bonacina *ibid.*

21 Hinc, ſi excommunicatus vitandus velit intereſſe Miſſæ, ſi ea inchoata non eſt, potius debet Sacerdos illam omittere, quam coram excommunicato celebrare. Si verò Miſſa eſt inchoata, & excommunicatus vitandus ſuperuenit, & vult ei intereſſe, ſiſtendum eſt, & monendus vt diſcedat, vt colligitur ex Clement. *graues, de ſentent. excommunicat.* vbi noua etiam excommunicatio Papæ reſeruata imponitur, ſi noluerit parêre. Quod ſi hæc admonitio non ſufficiat expellendus eſt, etiam vi, & coactione in defenſionem immunitatis Eccleſiaſticæ, quamuis ſit Sacerdos, vel Religioſus. Neque propterea incurritur excommunicatio *cap. ſi quis, ex cap. veniens, de ſentent. excommunic.* Hoc autem videtur pertinere ad Oſtiarium. Quod ſi expelli nequeat ſine periculo, omittenda eſt Miſſa etiam inchoata, modò non ſit inchoata conſecratio; quia ſi conſecratio inchoata eſt, perfici debet Miſſa vſque ad ſumptionem ſanguinis incluſiuè, eo quod integritas ſacrificij, quæ eſt de iure diuino, præponderare debet præcepto humano de non participando cum excommunicato, & tunc in Sacriſtia, vel in alio loco perficienda, Syluester *in Summ. verb. excommunic.* 5 *num.*3. Sotus *in* 4. *diſt.*22. *quæſt.*1. *art.*4. Cornejo *ſuprà*, *dub.*2. Bonacina *d.* §.1. *num.*12. & 13. Layman. *d. cap.*2. *num.*6. Vbi nota quod conſecratio dicitur cœpta ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur.* Layman. *ſuprà*. Imo ſecundum alios à principio Canonis ab illis verbis, *Te igitur Clementiſſime Pater.* Syluester, Sotus, & Bonac. *ſuprà*.

Hinc etiam prohibitum eſt omnibus cum excommunicato vitando audire Miſſam, aut aſſiſtere diuinis Officiis, hoc enim communiter reputatur communicatio quædam in diuinis cum eo, quæ prohibita eſt, etiam ſub mortali. Cornejo *ſupr. dub.*4. Bonacina *ſupr.* §.1. *num.*9. Vnde ſic facientes incurrunt excommunicationem minorem. Cornejo *ibid*. Hinc etiam, ſi inchoata Miſſa modo dicto ſuperius, velit excommunicatus vitandus eam audire, tenentur fideles egredi relicto ſolo Miniſtro cum Sacerdote, vt ei inſeruiat. Corn. *ſup.* Bonacina *ſuprà*, *num.*13. Si autem talis excommunicatus vitandus Eccleſiam ingrediatur, non vt Miſſam, aut diuina officia audiat, ſed titulo tranſeundi per illam, vel ad eam confugiendi ne capiatur à miniſtris iuſtitiæ, vel etiam vt oret priuatim, & ſeorſum, non tenentur fideles egredi, quia non communicant cum eo in diuinis. Caietanus *verbo Excommunicatio maior, cap. vltim. in fin.* Vgolinus *ſupr.* §.5. *num.*4. Idem dico, & propter eandem rationem, ſi talis excommunicatus non velit audire eam Miſſam, ſed aliam in alia Capella. Caietanus *ſup.* Cornejo *ſup.* Hæc verò quæ dicta ſunt de Miſſa, intelligi etiam debent de officiis diuinis. Vnde addit Caietan. *ibid.* quod ſi fideles intereſſent cum tali excommunicato Veſperis, aut vni Miſſæ, aut vni proceſſioni, etiamſi illi eſſent in capite, & excommunicatus in cauda proceſſionis extenſæ per duo milliaria, vel è contra, dicerentur communicare cum illo. 22

Hinc collige valdè probabile eſſe excommunicatum maiori excommunicatione, ſiue toleratum, ſiue non toleratum, non peccare mortaliter contra præceptum Eccleſiaſticum audiendi Miſſam in diebus feſtis, non audiendo illam. Ratio eſt, quia præceptum audiendi Miſſam ſolum cadit ſuper eos qui non ſunt impediti; excommunicatus autem cum prohibeatur ab Eccleſia aſſiſtere Miſſæ, aut diuinis officiis, vt dictum eſt, impeditus eſt ne illa audiat. Nauarr. *in Man. cap.*21. *n.*3. Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.* 88. *ſect.* 6. Quod intellige etiamſi per ipſum ſtet ne abſoluatur, aut negligens ſit in procuranda abſolutione; ex hoc enim ſolum infertur peccare contra alia præcepta, non contra iſtud de audienda Miſſa, quod ſolum obligat eos qui iure eam poſſunt audire, ſicut infirmus, vel detentus in vinculis, qui non procurat tollere hæc impedimenta, non peccat contra idem præceptum audiendi Miſſam. Bonac. *ſup. dict.* §.1. *num.*4. 23

Collige etiam ex dictis, Religioſum in terris hæreticorum commorantem adeuntem templa ipſorum, & eorum ritibus aſſiſtentem non peccare præcisè propter talem excommunicationem, cum illi hæretici, vt ſuppono, non ſint excommunicati denunciati. Azor. *tom.*1. *inſtit. Moral. lib.*8. *cap.*11. *quæſt.*1. Sanchez *in Decal. lib.*2. *cap.*9. *num.*5. Adde tales ritus non eſſe propriè officia diuina, cum non ſint ab Eccleſia inſtituta, ſed potius reprobata. An verò peccet ſic communicans ſaltem ratione ſcandali, periculi peruerſionis, vel hæreſis profeſſionis, latè idem Sanchez *ſup. cap.*4. *à num.*26.

Maximè præterea Religioſus excommunicatus, ſicut & quicumque alius maiori excommunicatione ligatus, ſit incapax, & inhabilis ad quodcumque Eccleſiaſticum beneficium, ita vt collatio talis beneficij ipſi facta irrita ſit, & nulla, *cap. poſtulaſtis, & cap. vltim. de cleric. excommunicat. miniſtrant.* Nauarrus *in Manual.* 24

cap.27.

*cap.*27.*num.*21. Garzia *de Benefic.part.*7.*cap.*13. Intellige, etiamſi ſit excommunicatus toleratus, cum nullum priuilegium ei concedatur per Extrauagantem *Ad euitanda.* Cornejo *ſupra* §. 7. *dub.* 1. & alij apud Dianam *part.* 5. *tract.* 9. *de excommunicat. Reſol.* 99. Etiamſi inuincibiliter ignoret ſuam excommunicationem, quia licèt ignorantia excuſet à noua culpa, non tamen facit habilem. Conineh. *de excommunicatione, diſp.* 14. *dub.*9. Cornejo *ſuprà.* Intellige etiam de excommunicato, ſiue à iure, ſiue ab homine, cum iura abſolutè loquantur. Vaſquez *tract. de excommunicat. dub.*6. Bonacina *ſupra punct.*4. §.1.*num.*1. ex Rotæ deciſione. Extenditur id ad quodvis munus, vel dignitatem Eccleſiaſticam, vt ſunt Legati Apoſtolici, Inquiſitoris, Epiſcopalis adminiſtratoris, & Prælati Religioſi; quia cum excommunicato prohibitum ſit exercitium cuiuſlibet Eccleſiaſtici muneris, vel dignitatis, conſequenter etiam prohibita erit collatio ſeu inſtitutio illius. Prohibito enim exercitio actus, cenſetur prohibitum illud omne, per quod peruenitur ad illum actum. Suarez *ſupra diſp.* 13. *ſect.*1. *num.*4.5. & 6. Laymanus *ſuprà num.*7. §. *moues verè*, ex Abbate *in cap. vltim. de Cleric. excommunicat.* Extenditur etiam ad dignitatem quamcumque temporalem, vt Imperatoris, Regis, Ducis, &c. propter rationem aſſignatam, & *cap. venerabilem, de elect.* Toletus *in Summ. lib.* 1. *cap.*13. *num.*4. Bonacina *ſuprà num.* 3. Excipe quando collatio fit à Papa ſciente illum cui confertur dignitas, vel beneficium eſſe excommunicatum. Tunc enim cenſetur virtualiter cum eo diſpenſare, Cornejo, & Bonacina *ſuprà.* Excipe etiam quando aliquis ex teſtamento, vel iure hæreditario adquirit aliquam dignitatem, vel dominium temporale, quia tunc ea tenere poteſt, non obſtante excommunicatione, quamuis ea durante, vſu iuriſdictionis careat, vt infrà dicetur. Sayrus *de Cenſuris, lib.*2.*cap.*5.*num.*37. Cornejo *ſuprà.* Quod dixi de collatione, intelligi etiam debet de electione, poſtulatione, nominatione, præſentatione, & commendatione, imo de impetratione litterarum. Sayrus *dicto cap.*5. Cornejo *ſuprà.* Secus dico de acceptatione, validè enim acceptatur beneficium ab excommunicato, ſi tempore collationis, ſeu electionis, &c. excommunicatus non erat. Iura enim non irritant acceptationem, ſed electionem, collationem, &c. Couarruuias *cap. Alma mater*, 1. *part.* §. 7. *num.*4. Bonacina *ſupr. num.*9. Cornejo *ſuprà.* Si verò tempore electionis, præſentationis, nominationis, &c. ſic nominatus, electus, aut præſentatus, &c. excommunicatus erat, & ante acceptationem, abſolutionem impetrauit, licet communiter probabilius, & ſecurius dicatur non poſſe retinere tale beneficium ſine noua collatione, aut diſpenſatione, quia non eſt aliquis titulus validus ad illud retinendum; cum ea electio, præſentatio, &c. inualida fuerit, quia ille electus, præſentatus, &c. erat incapax: probabile tamen eſt oppoſitum in caſu quo præter alias conditiones locis infrà à me referendis adductas, conueniat etiam quod electores, præſentatores, &c. permaneant in ſua prima voluntate, ratione enim talis permanentiæ prior electio, præſentatio, &c. videntur ratificari, & approbari, ſuppoſita abſolutione. Vide Henriquez *lib.*13.*cap.*13. Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.*7. *num.*12. Bonacina *ſup. num.* 10. & dicta à me *tom.*2. *cap.*13. *num.* 52. ac ſuprà verbo *Beneficium*, *num.*10. vbi conditiones alias ad hoc neceſſarias aſſignaui.

25 Similiter præfatus excommunicatus, licet capax videatur penſionis titulo ſæculari, & ob temporale obſequium præſtitæ, cum talis penſio ſtipendij temporalis rationem ſubeat, quod poteſt excommunicatus recipere; incapax tamen eſt penſionis titulo Clericali ob ſpirituale miniſterium datæ, cum enim ipſe præſtare non poſſit tale miniſterium, non videtur capax penſionis, quæ propter illud datur. Auila *de Cenſur. part.*2. *cap.*6.*diſp.*5. *dub.*5. Cornejo *ſup.* Layman. *ſupr. num.*8.

Ex quo ſequitur talem excommunicatum qui beneficium, vel penſionem titulo Clericali obtinuit, non poſſe fructus percipere. Nullum enim ius ad illos habet, cum id quod habere poterat, ſolum eſſet collatio valida beneficij, vel penſionis, qualis in hoc caſu non eſt. Bonacina *ſupr.num.*5. poſt plures alios. Apud quos etiam an ſaltem poſtea legitimè beneficium obtinens poſſit ſibi fructus antea perceptos retinere, præſertim ſi beneficij onera per ſe, vel per alium ſuſtinuerit, aut ſi bona fide, credens non eſſe excommunicatum, beneficium accepit. De quo etiam Layman. *ſup. num.* 7. & *lib.*4.*Tract. de benefic. Eccleſ. cap.* 15. *num.*3. Quid verò ſit dicendum de fructibus beneficij ante excommunicationem legitimè poſſeſſi, an ſcilicet excommunicatus ſit ipſis priuatus, agit Suarez *d.diſp.*13. *ſect.*2. Corn. *ſupr.*§.6.*dub.*1. & Diana *ſupr. Reſol.* 104. 26

Maximè ex dictis ad praxim Regularium ſequitur ea omnia procedere reſpectiuè in ipſis, ita ſcilicet, vt excommunicatione innodati incapaces ſint non ſolum cuiuſcumque beneficij etiam Regularis, aut penſionis dictæ, ſed etiam Officiorum Religionis, quæ ſunt dignitates, qualia eſſe omnes Prælaturas, ſcilicet Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Guardianatus, &c. dixi *tomo* 2. *cap.*13.*num.* 2. Idem dicendum de aliis muneribus Religionis, quæ eſto dignitates propriè non ſint, ſunt tamen veluti Perſonatus, & officia grauiora, videlicet Definitoriatus, Sociatus, Diſcretatus, &c. ea enim ordinantur ad electiones faciendas: quare ſicut excommunicatus priuatur iure eligendi, ſic & illis muneribus, quæ ad id ſunt inſtituta. Idem colligitur *ex cap. poſtulaſtis, de Cleric. excommunicat. celebr.* Ratio enim illius etiam procedit in præſenti. Peirinis *tom.*2. *de Prælat. quæſt. cap.*3. *num.*5. Secus verò dicendum de aliis officiis Religionis, ſcilicet Procuratoris, Sacriſtæ, Magiſtri nouitiorum, &c. propter oppoſitam rationem, & iuxta dicta in ſimili de illegitimis *tom.*1.*cap.*18. *num.*62. & *tom.*2. *cap.*12. *num.*50. Quia tamen excommunicatus non poteſt licitè communicare cum aliis iuxta dicenda inferius, ideo peccat acceptando hæc officia, quæ exerceri non poſſunt ſine communicatione cum aliis, niſi ea acceptet ſub certa ſpe non exercendi illa ante abſolutionem. Peirinis *ſupr. num.*8. De gradibus autem Doctoratus, ſeu magiſterij, Licentiatus, ſeu Baccalaureatus, plures exiſtimant excommunicatum non eſſe illorum incapacem. Vgolinus *de excommunicat. tab.*2.*cap.*18. §.1. *n.*1. & alij quos ſequitur Bonacina *ſupr. quæſt.*2. *punct.*7. *num.*4. De quo dicam infrà verbo *Gradus*, & *Graduati*, *num.*2. 27

Qualiter etiam Religioſus non poſſit retinere etiam poſt impetratam abſolutionem ab excommunicatione ea beneficia, dignitates, vel perſonatus Religionis, quorum eſt incapax excommunicatus, iuxta dicta, ſi excommunicatione ligatus ea obtinuit, ſed indigeat noua collatione, ſeu diſpenſatione in inualiditate primæ, dixi *tom.*1. *part.*2. *cap.*13.*num.*52. & ſuprà verbo *Beneficium*, *num.* 10. & tenet Peirinis *ſuprà num.* 6. conformiter ad doctrinam Nauarri *in Man. cap.*27. *num.*21. Suarez *ſupra diſp.*12.*ſect.*1. *num.*2. & aliorum & communiter (licet oppoſitum probabile eſſe eodem loco dixerim.) Quare ſi caſus eſſet, quod ſic excommunicato traderetur aliqua ex ſupradictis dignitatibus, beneficiis, &c. tenetur ſe excuſare, quantum commodè fieri poteſt, vel ſi neceſſarium fuerit, declarare excommunicationem, ſi talis eſt, vt ex ea non ſequatur infamia, vel ſcandalum. Quod ſi ſequatur, & cogitur acceptare, poteſt id facere ad ea vitanda, intentione tamen obtinendi quamcitiùs diſpenſationem. Suarez *ſupr. num.* 31. Cornejo *ſuprà d.* §. 7. *dub.* 2. 28

Bonacina *ſuprà d. §. 1. num.* 12. Hinc iurè optimo pro electionibus faciendis in Ordine noſtro cautum eſt per Reuerendiſſimum Theodorum Stratium Generalem in Inſtructione pro celebratione Capituli Prouincialis, quam retuli *tom.2.cap.12. in fin.* quod ante electiones abſoluantur Gremiales à cenſuris, & impedimentis, &c. Idemque conſulerem faciendum à Prælatis Religionum in prouiſionibus dictorum Officiorum ad inſtar Summi Pontificis, qui idem facit in collationibus ſimilium, iuxta dicta ſupra verbo *Beneficium, num.9.* vbi etiam dictum manet ad quos caſus ſe extendat dicta abſolutio Papæ.

29 Infertur etiam ex dictis grauiter peccare electorem, qui excommunicato conferret aliquod ex prædicta beneficiis, officiis, dignitatibus, &c. ſiquidem ea conferret non ſolum indigno, ſed etiam incapaci, vt dictum eſt. Pœna autem conferentis eſt ſuſpenſionis à beneficiorum collatione, recipientis verò annullatio, ſeu irritatio collationis, *cap. poſtulaſtis, de Cleric. excommunicat. celebrant.* Suarez *d. ſect.* 1. *num.*34. Adde, quod ſi prædictus excommunicatus fuerit vitandus, vlterius etiam collator incurret excommunicationem propter participationem cum illo. Cornejo ſuprà *dict. dub.1.in fin.* Quando verò agitur de electione alicuius excommunicati occulti, tunc ſi ea ſit per ſuffragia publica, non debet elector eum infamare, & niſi habeat aliam cauſam ad negandum illi ſuffragium, non eſt illi negandum, quia actio illa publica per ſcientiam publicam regulanda eſt. Secus ſi ſit electio ſecreta, quia tunc è conuerſo per ſcientiam etiam priuatam, dummodo ſit extra confeſſionem habita, regulari debet. Suarez *ſuprà num.*31. Cornejo *ſup.*

30 Quando etiam huiuſmodi beneficia, dignitates, &c. excommunicato collata conferri non poſſunt niſi per electionem, debent iterum per electionem nouam prouideri. Si verò talia fuerint, quæ à Prælatis conferri poſſunt ſine electione, tunc ab eiſdem, vel Superioribus, vel habentibus eandem authoritatem iterum debent prouideri. In quo ad diuerſa Religionum ſtatuta attendere oportet. Cum autem in noſtro Ordine propter Conſtitutiones noſtras *part.2. cap.1. §. 9.* Generales habeant eandem authoritatem, quam Capitulum Generale, quibuſdam caſibus ibi relatis, ideo pro illis occaſionibus deſeruire poteſt. Generaliter etiam loquendo diſpenſare in incapacitate, quam habet excommunicatus ad retinendum beneficium, dignitatem, &c. tempore excommunicationis obtenta, pertinet ad eum Superiorem, qui prædicta conferre poteſt. Ea enim diſpenſatio eſt virtualis collatio. De quo Suarez *d. ſect.1. à num.*34. Peirinis *ſup. num.* 7. & alij apud ipſum. Lege & Sanchez *tom.1.conſil.Moral. lib.2. cap.2.dub.*10.

31 Priuatur etiam prædictus excommunicatus iure eligendi, ita vt in electione beneficiorum, dignitatum, &c. vocem actiuam habere non poſſit, iuxta dicta *tom.1.cap.15.num.5. & tom.2.cap.12.num.29. &* 30. vbi multa ad praxim electionum Regularium. Vnde ſi eligat, aut conferat beneficium, &c. ſe ingerendo, peccat mortaliter, quia iniuriam irrogat Eccleſiæ, cuius ſe quaſi prouiſorem agit, & aliis electoribus, quorum numerum iniuſtè auget. Sanchez *ſuprà*, ex Caietano & Soto. Electio etiam ab ipſo facta eſt nulla, & irrita, *cap. Conſtitutis 1. de appellat. cap. tanta, de exceſſib. Prælat.* & aliis iuribus. Nauarrus *in Man. cap.25. num.*27. Cornejo *ſup. §.5. dub.*1. Si tamen eſt excommunicatus ſolum toleratus, & ſe ſolo, vel cum aliis electoribus eligit, electio valida eſt, non ſolùm quia vt dicetur inferius, geſta per excommunicatum toleratum valida ſunt, ſed etiam quia licet Extrauagans *Ad euitanda*, nullum intendat fauorem impertiri excommunicatis, hoc tamen quod eſt eligere non tam eſt in fauorem eligentis, quàm electi, & Eccleſiæ. Suarez *ſup. diſp.*14. *ſect.2.num.3.& 18.* Peirinis *ſuprà num.13.&* 15. Quod intelligitur etiam in caſo quo alij electores eum ſcienter ad electionem admittant; licèt enim poſſint ipſum repellere poſita exceptione, *cap. exceptionem, de except.& cap.1.eod. in 6.* (Layman. *ſupra d.cap.2.n.*13.) ſi tamen eum permittunt, eius acta valida ſunt, quia quamuis quoad ſe ſit priuatus tali facultate, ac per conſequens peccet mortaliter id faciendo, iuxta dicta, quamdiu tamen non repellitur, ſed toleratur, Eccleſia ſupplet, ſeu confert ipſi poteſtatem ad talem actum. Suarea *d. num.*18. Peirinis *d. num.*13. Solum ergo de excommunicato vitando, ſeu non tolerato procedit id quod dixi de nullitate electionis ab ipſo factæ. Suarez *ibid.* Peirinis *ſup. num.* 14. Et quod dictum eſt *tomo 1. cap.15.num.6. & tom.2.cap.12.num.29. &* 30. de inhabilibus ad electionem admiſſis, quibus conſonat Cornejo *ſuprà d.dub.*1. & Laymanus etiam *ſuprà.*

32 Quamuis autem excommunicatus non priuetur propter excommunicationem officio, beneficio, aut dignitate legitimè à ſe iam antea poſſeſſis, quia nullus textus id ſuadet (Garzia *de benefic. part.7.cap.13. num.*90. Peirinis *ſuprà num.* 11.) ſuſpenditur tamen ab illis, *cap. Paſtoralis, §. fin. de appellat.* Nauarr. *in Summa, cap.17. num.21.* Vgolinus *d. Tabul. 2. cap. 11. num.2.* Cornejo *ſuprà dicto dub.1.& §.6.* in principio, vbi addit illis priuandum eſſe, ſi per multum tempus in excommunicatione perſeuerет, iuxta textum *in cap. Cum bonæ memoriæ, de ætat.& qualit. Ordin.*

33 Priuatur etiam omni vſu iuriſdictionis, *cap. audiuimus, 24.quaſt.1.* vbi propterea habetur quod excommunicatus non poteſt excommunicare, *cap. 1. de ſupplend. negligent. Prælator. in 6.cap. ſi is qui, de Offic. Vicar. eod.lib.* Et colligitur, tum ex eo quod omnis Eccleſiaſtica communicatio eſt illi prohibita; ſine ipſa enim non poteſt exerceri hæc iuriſdictio, tum quia cum ille ſit ſuo modo ſeparatus ab Eccleſia, indignus eſt vt in illa ius dicat iuriſdictionem exercendo. Vgolinus *ſuprà num.*1. Cornejo *dicto §.5. dub.*2. Quod intellige tam de actibus iuriſdictionis externæ, quales ſunt præcipere, leges ferre, cenſuras imponere, iudicare, diſpenſare, licentias, ſeu indulgentias concedere, &c. quàm de actibus internæ, vt ſunt Sacramentaliter abſoluere, pœnitentias iniungere, &c. iura enim generaliter aliquando loquuntur, & eſto aliquando non ſic loquantur, ratio eorum, ſcilicet quia excommunicatus eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, in omnibus illis procedit. Suarez *dicta diſp. 14. ſect. 1. num.*2. Cornejo *ſuprà.* Vnde aliter faciens mortaliter peccat, niſi fortè aliquando propter leuitatem materiæ à mortali excuſetur. Suarez *num.* 3. Cornejo *ſuprà.* Intelligitur etiam tam de excommunicato vitando, quàm de tolerato, propter dicta ſæpius Extrauaganti *Ad euitanda*, quod ſcilicet nullatenus excommunicatis ipſis ſuffragetur. Suarez & Cornejo *ſuprà.* An Parochus excommunicatus non toleratus validè aſſiſtat Matrimonio, aut validè conferat licentiam alij Sacerdoti aſſiſtendi, agit Diana *ſupra Reſolut.* 78. 79. *&* 80. vbi etiam an licitè id faciat. An etiam excommunicatus poſſit delegare ſuam iuriſdictionem, ſeu conſtituere Commiſſarium ad aliquid, dixi ſuprà verbo *Commiſſio, & commiſſarius, num.*7.

34 Licet autem actus iuriſdictionis ab excommunicato vitando facti, ſiue in foro externo, ſiue interno nullius valoris ſint ob defectum iuriſdictionis, & quia ita colligitur *ex cap. Audiuimus, 24. quaſt. 1. & cap. ad probandum, de re iudicat.* (Vgolinus *d. cap.11.§.1.num.*2. Suarez *d.ſect.1.num.*4.) facti tamen ab excommunicato tolerato validi ſunt. Quamuis enim vſu iuriſdictionis careat, Eccleſia tamen, & Reſpublica propter commune bonum illi tribuit eo caſu iuriſdictionem, non quidem ita vt illi liceat exercitium ipſius, ſed tantùm vt valeat quod efficit. Colligitur *ex l. Barbarius, ff. de offic.*

Digitized by Google

offic. Prator. vbi de ſeruo quodam, qui Prætoria dignitate functus eſt, dicitur, *nihil eorum* (quæ ſcilicet geſſerat) *reprobari*, & ratio adiungitur: *cum populus Romanus etiam ſeruo potuiſſet decernere hanc poteſtatem*, & *ex cap. infamis*, 3. q. 7. §. *verumtamen*, vbi de ſententia data à ſeruo dum putaretur liber dicitur, *rei iudicatæ firmitatem tenet*. Suar. *ſupra num.4. & ſequentibus*. Sanchez *de Matrim. lib. 3. diſp. 21. per totam*. Requiruntur autem ad id duæ conditiones. Prima, quod adſit titulus collatus à ſuperiori, quamuis inualidus ſeu impeditus propter excommunicationem, v.g. Iudicis, Prælati, Confeſſarij, &c. Secunda, quod adſit communis error, quo ille titulus communitet, & probabiliter exiſtimetur verus. Sanchez *ibid. n. 5.6.7.8. & 9.* Cornejo *ſup. §. 1. dub. 5.*

35 Ex quo ad praxim Regularium aliqua elici poſſunt. Primum, quod licèt Religioſus non teneatur obedire ſuo Superiori excommunicato non tolerato, ſeu vitando, imò quod nec id licitè facere poſſit, iuxta dicta *tom. 5. pars. 1. cap. 4. num. 38.* niſi forſan ex vrbanitate id faciat, & in re leui; quia tunc non peccabit mortaliter, vt habet Cornejo *d. §. 5. dub. 1.* ſi tamen Prælatus eſt excommunicatus toleratus, illi tenetur ſubditus obedire, cum adhuc toleretur Eccleſia in ſua iuriſdictione. Vgolinus *d. cap. 11. num. 3.* Eſto ipſe Prælatus peccet ea vtens, propter dicta. Secundò, quod licèt Religioſus excommunicatus vitandus non poſſit exercere licitè nec validè officium Confeſſarij ob defectum iuriſdictionis ad validitatem Confeſſionis ex Concil. Trident. requiſitæ, niſi pro conſtituto in articulo mortis, quia pro tali articulo conceditur iuriſdictio ab Eccleſia omnibus Sacerdotibus etiam hæreticis, propter magnam huius Sacramenti neceſſitatem (Sayrus *lib. 2. cap. 2. num. 18.* Cornejo *d. §. 1. dub. 3.*) vel etiam quando talis, etſi ſit excommunicatus vitandus in vno loco, in eo tamen in quo eſt, id ignoratur, & pœnitens bona fide ad eum accedit, quia tunc Eccleſia ſimiliter iuriſdictionem tribuit, vt validè abſoluat (Cornejo *d. §. 1. dub. 5.* Bonacina *ſup. §. 4. num. 3.*) Religioſus tamen excommunicatus toleratus, qui eſt Sacerdos, & aliàs Confeſſarius, validè ſemper abſoluit, propter dicta. Sanchez *ſuprà num. 13.* Cornejo *ſup. dub. vltim.* Dixi, qui eſt Sacerdos, quia non Sacerdos nunquam abſoluit validè, etiam in caſu quo communi errore æſtimetur vt Sacerdos, quia Eccleſia non poteſt ſupplere iuris diuini impedimenta, qualeq; eſt hoc, ſicut poteſt ſupplere iuriſdictionem. Caietanus *in Summ. verbo Confeſſionis iteratio, §. confeſſio quare ex parte Confeſſoris iteranda*. Sanchez *ſupra num. 27.* Idem dic de aliis impedimentis iuris naturalis, vt ſunt defectus vſus rationis, propter eam rationem. Sanchez *ibid. & n. 29.* Dixi etiam, & aliàs Confeſſarius, quia vt dixi, ad hoc vt geſta per excommunicatum valida ſint, requiritur titulus collatus à Superiori. Syluester *in Summa verbo Confeſſor 1. quæſt. 19.* Nauarr. *in Man. cap. 9. num. 11.* Sanchez *ſupra num. 49.* Cornejo *dicto dub. 5.* Adde etiam, licere prædicto excommunicato tolerato abſoluere alios, non ſolùm quando ignoranter ab eo poſtulatur Sacramentum pœnitentiæ, ſed etiam quando ſcienter, vel quia eſt Parochus, vel propter aliam rationabilem cauſam, dummodo ad id non ſe offerat ipſe, ſed ſit in vtilitatem recipientis. Cum enim in Extrauag. *Ad euitanda*, concedatur fidelibus facultas communicandi cum excommunicatis toleratis, etiam in adminiſtratione, aut receptione Sacramentorum, conſequenter etiam conceditur eadem facultas ipſis excommunicatis, vt quando ipſi non ſe offerunt ad hoc, ſed rogantur à fidelibus, vt ea faciant, poſſint id facere, Cornejo *d. §. 1. dub. vltim. per totum*. Bonacina *ſuprà §. 3. num. 4. & 5.* Hoc tamen intellige quantum eſt ex parte excommunicationis præcisè, qui enim aliunde eſt in peccato mortali, peccabit mortaliter adminiſtrando Sacramentum ſine puritate conſcientiæ requiſita, propter doctrinam generalem de miniſtro Sacramentorum. Tenetur enim eſſe in gratia, ſaltem medio actu contritionis. Cornejo *ſupra*.

Priuatur quoque præfatus Religioſus, ſicut & quilibet alius maiori excommunicatione innodatus omni communicatione forenſi, id eſt actibus iuridicis Iudicis, actoris, teſtis, patroni, &c. id enim, quod attinet ad actus Iudicis, habetur ex communi conſenſu, accedente inter alia iura *cap. ad probandum, de ſentent. & re iudicat.* vbi ſententia lata à multis, quorum vnus erat excommunicatus, dicitur caſſata, id eſt, caſſa, & irrita nunciata, vt notauit Gloſſa ibi. Cornejo *d. §. 5. dub. 1.* Layman. *d. cap. 2. num. 14.* Quoad actus verò actoris, patroni, & teſtis, *ex cap. decernimus, de ſentent. excommunicat. in 6.* Toletus *in Summa lib. 1. cap. 13. num. 7.* Layman. *ſuprà*. Vnde quoad Iudicem ſpectat, etſi acta ab ipſo dum eſt excommunicatus vitandus valida non ſint, ſiquidem pro eo tempore priuatur vſu iuriſdictionis (Cornejo *ſupra*, Bonacina *ſupra quæſt. 2. punct. 7. num. 2.*) ita vt teneatur reſtituere damnum illatum reo, quem condemnauit, vel eius hæredibus, probabilius eſſe tenet Sanchez *tom. 1. Conſil. Moral. lib. 3. cap. vnic. dub. 18.* Si tamen eſt excommunicatus toleratus, valida ſunt ipſius acta, propter dicta ſuprà *num. 34.* Cornejo *ſupr. dub. 2.* Quod etiam intelligendum eſt, ſi tamen partes velint coram eo cauſam agere, quia iuxta dicta in ſuperioribus *num. 7. 17. 19. & 20.* maximè 31. etſi fideles poſſint cum excommunicato tolerato communicare, ita vt licitè id facere poſſint, non tamen ad id coguntur, ſed poſſunt ei excommunicationem obiicere. Suarez *ſup. diſp. 16. ſect. 1. num. 7.* Peccat autem ipſe Iudex quantumuis toleratus hoc miniſterium exercendo, intellige (iuxta dicta, ſi ad id ſe intromittat) grauiter, vel venialiter iuxta materiæ capacitatem; Sanchez *ibid. num. 8. 9. & 10.* Nota tamen quod quamuis ipſe *ſect. 2.* ſatis probabilem eſſe credat ſententiam tenentem, quod excommunicatus validè poſſit eligi, ſeu creari in Iudicem, probabilior tamen eſt oppoſita, quia vt dictum eſt ſuperius, Excommunicatus incapax eſt cuiuſcumque dignitatis etiam temporalis annexam iuriſdictionem habentis, propter *cap. venerabilem, de elect.* ex Doctorum conſenſu. Bonacina *d. punct. 7. num. 4.* poſt alios quos refert. Eadem autem quæ de Iudice dixi, etiam de arbitro accipienda ſunt, quia arbiter ad formam Iudicis conſtituitur, *l. 1. ff. de arbitris*, Suarez *dicta ſect. 1. num. 5.* Cornejo *d. dub. 1.* Secus verò quando aliquis conſtituitur, non vt verus arbiter, ſed vt vir prudens de partium conſenſu. Suarez *ibid.* Bonacina *ſuprà num. 2.* Vnde arbitramentum ipſius tenet, cum fiat ſine ordine iudiciario. Cornejo *ibid.* ex Sayro, & aliis. 36

Quod verò attinet ad actorem excommunicatum, quamuis in cauſa propriæ excommunicationis admittendus ſit, non tamen in aliis caſibus, nec per ſe, nec per alium, nec per modum reconuentionis, propter *cap. decernimus* relatum, & ideo exceptio excommunicationis reſpectu illius ſemper admittitur, *cap. exceptionem, de exceptionibus*, & *cap. 1. eod. tit. in 6.* Suarez *ſuprà ſect. 3. num. 1. & 2.* Sayrus *lib. 2. cap. 7.* Licet autem excommunicatus vitandus à Iudice repelli debeat, non tamen toleratus, quia hic licet repelli poſſit exceptione obiecta, ſi tamen non obiicitur, talis exceptio admitti poteſt, prout habetur *ex d. cap. 1. de except. in 6.* Layman. *ſuprà*. Bonacina *dict. punct. 7. num. 9.* Geſta etiam per actorem excommunicatum, ſiue toleratum, ſiue non toleratum, quando admiſſus eſt in iudicio, nec repulſus, valida ſunt, cum ius illa non irritet, imo potius oppoſitum elici. Videatur *ex cap. 1. de except.* Layman. *ſupr.* Bonacin. *num. 10.* Peccat tamen mortaliter vel venialiter iuxta capacitatem materiæ actoris munus exercendo, propter Eccleſiæ prohibitionem. 37

bitionem, & quia ſe immiſcet hominum communioni, niſi magna neceſſitate cogente id faciat. Suarez *ſup. num. 9.*

37 Quoad munus patroni, ſeu aduocati, cum illud ſit excommunicato vetitum non ſolum *d. cap. decernimus*, ſed etiam ex communi prohibitione communicandi cum aliis, idcirco peccat excommunicatus etiam toleratus illud exercendo. Geſta tamen ab ipſo (niſi repulſus fuerit) valida ſunt etiamſi ſit excommunicatus vitandus, prout in ſimili dixi de actore. Cornejo *ſup. §. 9.* Layman. *ſup.* Quod idem proportionaliter dicendum de munere procuratoris, tutoris ſeu curatoris. Cornejo *ibid.* Bonacin. *ſup. num. 13. & 15.* Vbi etiam *num. 16.* non teneri ad reſtitutionem pretij accepti pro exercitio officij aduocati, adde & procuratoris, tutoris, ſeu curatoris

38 De teſte etiam dicendum ſicut de patrono, & aduocato, videlicet excommunicatum prohiberi eſſe teſtem *ex eod. cap. decernimus*, & ex communi prohibitione communicandi cum aliis. Excipitur cauſa hæreſis *cap. in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* Vnde in aliis caſibus peccat excommunicatus teſtificando, niſi ſit toleratus, & non ſe ingerat ad hoc faciendum, ſed id ſit in vtilitatem aliorum. Caſu tamen quo excommunicatus etiam vitandus non repellatur, vel à Iudice, vel à parte, validum erit eius teſtimonium, prout in ſimili dixi de actore, & aduocato. Layman. *ſupra*, Bonacina *ſuprà num. 11. & 12.*

39 De munere tabellionis, cui correſpondet in Religionibus munus ſecretarij, ſeu Notarij, dicendum, etiam eſſe prohibitum excommunicato cuicumque, etiam tolerato, quia illi prohibita eſt communicatio cum aliis, ſine qua non poteſt id munus exerceri. Cornejo *d. §. 9.* An verò eius acta valida ſint, tractant Henriquez *lib. 13. cap. 9.* Auila *part. 2. cap. 6. diſp. 6. dub. 5.* Suarez *diſp. 16 ſect. 5.* & Cornejo *ſuprà.*

40 Poſſe autem excommunicatum quemcunque veluti reum in cauſis conueniri, & tunc ſe defendere, procuratorem creare, & alia facere, quæ ad ſui defenſionem legitimam neceſſaria ſunt, conforme eſt tum iuri naturali, tum aliis iuribus, præſertim *cap. intelleximus, de iudiciis, cap. cùm inter priorem, de except.* De quo Syluester *in Summa, verb. excommunicatio 3. num. 2. effectu 12.* Toletus *in Summ. lib. 3. cap. 13. num. 8.* Layman. *ſup. num. 15.* Quod maximè procedit quando ipſe eſt reus neceſſarius, ſeu coactus, non quando volunta-

41 rius. Cornejo *ſup. d. §. 9.* ex Suario, & Sayro.

Excommunicatio prætereà irritat, & annullat litteras & reſcripta Apoſtolica ab excommunicato impetrata ſuper alio articulo, quam excommunicationis, *ex cap. 1. de reſcript. in 6.* Syluester *ſuprà d. num. 2. effectu 16.* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 22.* Intelligitur hoc de excommunicato etiam tolerato, quia textus generaliter loquitur, nec Extrauagans *Ad euitanda*, aliquem fauorem tribuit excommunicato, quamuis tolerato. Suarez *diſput. 17. ſect. 1. num. 4.* Bonacina *ſup. punct. vlt.* Nota autem hoc ſolum procedere in reſcriptis Pontificiis, non in aliis Epiſcopalibus, aut à Prælatis Religioſorum impetratis; textus enim adductus non probat aliud. Suarez *num. 3.* & Bonacina *ibid.* Hac ergo de cauſa in reſcriptis Papalibus præmitti ſolet abſolutio excommunicationis ad valorem eorum: quæ abſolutio quando non valeat, dixi ſuprà verbo *Beneficium, num. 9.*

42 Maximè etiam priuatur præfatus Religioſus, & quilibet alius maiori excommunicatione innodatus, omni ciuili, & politica communicatione fidelium contenta illo verſu, *Os, orare, vale, communio, menſa negatur.* Ex *cap. cum excommunicato 11. quæſt. 3. cap. nuper, cap. ſi aliquando, de ſentent. excommunic. cap. 2. de except.* & aliis iuribus. Syluester *ſup. d. num. 2. effect. 5.* Nauarrus *ſup. num. 19. & 20.* Toletus *in Summa, lib. 1. cap. 11. num. 3.* Quæ prohibitio intelligenda eſt de actiua, & paſſiua communicatione, ita vt non ſolùm excommunicatus ipſe teneatur aliorum fidelium communicationem fugere, iuxta moderationem tamen Extrauag. *Ad euitanda*, de qua ſæpius dixi. Cornejo *ſup. §. 10. dub. 1.* Nomine autem fidelium comprehenduntur hoc loco omnes baptizati, etiam aliàs excommunicati, aut hæretici. Layman. *ſuprà num. 16.* Per *os* intelliguntur colloquia etiam ſecreta, ſiue per verba, ſiue per ſigna, aut per litteras, vel nuncios, oſcula, amplexus, munerum donatio, vel receptio. Nauarrus *ſuprà num. 20.* Sayrus *lib. 2. cap. 13.* Per *orare* intelligitur omnis participatio cum excommunicato in Sacramentis, diuinis Officiis, & aliis orationibus, ſiue ſuffragiis. Nauarrus *ibid.* Toletus *ſup.* Per *vale* ſalutationes, reſalutationes, honoris exhibitiones, quales ſunt excommunicato aſſurgere, detegere caput, locum dare in ſedili, &c. Suarez *ſupra diſp. 15. ſect. 1.* Cornejo *ſupra.* Bonacina *ſup. punct. 6. §. 2. num. 4.* Quamuis Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4.* Sayrus *ſupra num. 7.* & alij hoc reſtringant ſolum ad ſalutationem verbis factam, non ad alia ſigna honoris. Quorum ſententia ſolum admittenda eſt, quando ea fierent ad vitandum ſcandalum, magni damni periculum, velut media ad conuerſionem excommunicati. Proptereà licitum erit illi dicere: *Deus te conuertat, Deus te illuminet*, Bonacina *ſuprà num. 4.* In caſu etiam, quo liceat illi ſcribere, loco ſalutationis debemus dicere, *Spiritum ſanioris conſilij, &c.* Cornejo *ſupra, ex* D. Antonino, & aliis. Nota tamen, quod Diana *ſuprà Reſolut. 116.* referens Henriquez, Coninch, Præpoſitum, Fillincium, & alios tenet probabile eſſe non eſſe prohibitum reſalutare excommunicatum, etiam non toleratum, quia hoc non tam eſt ſalutare, quàm ſoluere debitum ipſi, quia ipſe priùs ſalutauit. Per verbum *communio*, intelligitur primò omnis humanus, & ciuilis contractus; etſi enim tales contractus cum excommunicato initi ſæpiùs validi ſint (Syluester *in Summa, verbo excommunicatio 3. num. 7.* Toletus ſuprà) ſunt tamen illiciti: Sayrus *lib. 2. cap. 13.* Intelligitur etiam quæcumque communicatio in ſocietate, cooperatione, & habitatione. Cornejo *ſuprà.* Vnde conſedere, commanducare, condormire, collaborare, cooperari, ſi hæc fiant formaliter per modum ſocietatis, aut communicationis, ſunt prohibita, ſecus vero ſi fiant caſu aliquo, & materialiter ſolum. Suarez *ſuprà diſp. 15. ſect. 1. num. 8. & 9.* Bonacina *ſuprà n. 5.* Per *menſam* intelligitur communicatio in cibo, & potu, in eadem menſa formaliter, vt contingit in Monaſteriis, & Seminariis in quibus licet diuerſæ menſæ ſint diſpoſitæ in eodem refectorio, omnes tamen ei loco cenſentur adeſſe per modum ſocietatis. Cornejo *ſuprà*, Bonacina *ſup. num. 6.* referens Auilam, Henriquez, Sayrum, & alios. Vnde rectè infert eum qui ſcit in ſuo refectorio eſſe aliquem notorium percuſſorem clerici, peccare non recedendo. Idemque videtur dicendum de magiſtro, vel lectore lectionem aliquam legentibus coram multis diſcipulis, ipſiſque audientibus, ſi vnus ipſorum ſit excommunicatus vitandus. Auila *2. part. cap. 6. diſp. 11. dub. 3. concl. 8.* Bonac. *ſup. punct. 3. §. 2. num. 12.* Licet oppoſitum teneant Suarez *ſup. diſp. 12. ſect. 2. num. 5.* & Naldus *in Summa verbo excommunicatio, num. 30. & verbo legere, num. 7.*

Hæc tamen omnia intelligenda ſunt, vt dixi, iuxta moderationem Extrauagantis *Ad euitanda*, de qua ſuprà *num. 5.* Ex quibus habetur, quod licet excommunicatus ipſe, quicumque ſit, non poſſit in aliquo ex prædictis caſibus cum aliis communicare abſque peccato; alij tamen poterunt communicare cum illo, ſi ſit toleratus, id eſt ſi non ſit vel iam notorius clerici percuſſor, quod nulla tergiuerſatione celari poſſit, vel nominatim denunciatus, ſeu publicatus; ſolùm enim hoc duplex genus excommunicatorum euitare tenemur, 43

propterea

propterea namque vocantur excommunicati vitandi, ſeu non tolerati. Hoc verò peccatum ex parte ipſius excommunicati cum aliis communicantis, regulariter & per ſe ſolum erit veniale, quia materia cenſetur leuis. Suarez *d. diſp.* 55. *ſect.* 2. *num.* 4.] Cornejo *ſuprà dub.* 1. Dixi *regulariter*, quia ſi id fiat ex contempto clauium Eccleſiæ, tunc ob grauem iniuriam, quæ Eccleſiæ fieret, eſſet mortale, iuxta dicenda inferius. Dixi *per ſe*, non ſolum, quia per accidens ratione neceſſitatis excuſari poteſt excommunicatus cum aliis communicans etiam à veniali, iuxta dicenda inferius; ſed etiam, quia ſi excommunicatus communicet cum aliis non ſeſe ſponte ingerendo, ſed ab ipſis inuitatus, aut prouocatus, excuſari ſimiliter poterit à veniali. Nam cum in dicta Extrauaganti *Ad euitanda*, conceſſum ſit fidelibus priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis, conſequenter etiam dici debet idem priuilegium indirectè concedi ipſis excommunicatis eo caſu. Bonacina *ſup. punct.* 6. §. 1. *num.* 1. Layman. *ſuprà cap.* 4. *num.* 6.

44 Alij etiam fideles cum excommunicatis vitandis in prædictis caſibus extra diuina communicantes ſolùm peccant venialiter, iuxta dicta ſuprà *num.* 43. Excipe, vt ibi dixi, quando adeſt contemptus excommunicationis, aut clauium Eccleſiæ, quia tunc peccarent mortaliter. Nauarrus *ſupra num.* 59. Cornejo *d. dub.* 1. Incurrunt etiam, iuxta ſæpius dicta excommunicationem minorem. Quando autem excommunicatio eſſet poſita etiam contra participantes, tunc communicare cum ſic excommunicato eſſet peccatum mortale, & incurreretur excommunicatio maior. Suarez *d. ſect.* 2. *num.* 17. Toletus *dicto cap.* 57. *n.* 3. Cornejo *ſup.* Nota tamen quod hæc excommunicatio in participantes non eſt lata à iure, ſed ſolùm imponitur ab homine, & per ſententiam ſpecialem nominando eos, cum quibus communicatio prohibetur, & monitione canonica præmiſſa, *cap. ſtatuimus, de ſent. excommunicat. in* 6. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 5. *art.* 4. Suarez *ſuprà*. Tollitur etiam ab eodem à quo tollitur principalis. Toletus *ſuprà cap.* 16. *num.* 7. Similiter etiam quando communicatio eſſet, vt dicitur, in crimine criminoſo cum excommunicato, tunc cum illo communicans incurreret etiam excommunicationem maiorem, & peccaret mortaliter, *cap. ſi concubinæ, & cap. nuper, de ſent. excommunicat.* Sotus *ſuprà*, Cornejo *ſup.* Bonacina *d. punct.* 6. §. 1. *num.* 8. Requiritur autem ad incurrendam hanc excommunicationem, primò, quod talis excommunicatus ſit vitandus: ſecundò, quod communicatio ſit cooperando crimini, vel contumaciæ, propter quam lata eſt contra eum excommunicatio, ſeu propter quam contraxit excommunicationem, poſtquam illam contraxit, vt aliquis præbeat auxilium, fauorem, vel conſilium excommunicato propter retentionem concubinæ, vel non reſtitutionem bonorum, ne ea faciat, quæ illi præcipiuntur. Tertiò, vt id faciat ſcienter, ſciens videlicet illum eſſe excommunicatum propter tale crimen, *cap. nuper relatum.* Nauarrus *d. cap.* 27. *num.* 5 1 2. Bonacina *ſuprà num.* 9. Adde, nec ſufficere, quod excommunicatus cum quo participatur, ſit quomodocunque vitandus, ſed vt ſit nominatim excommunicatus, quia de hoc eſt ſermo *in d. cap. nuper.* Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 10. *num.* 50. Abſolutio etiam ab hac excommunicatione acceſſoria pertinet ad eum ad quem ſpectat abſolutio principalis. Layman. ſuprà *cap.* 3. *num.* 1.

45 Sunt tamen aliqui caſus in quibus ſine aliqua culpa etiam veniali, aut aliqua excommunicationis, etiam minoris, pœna licitum eſt communicare cum excommunicato, quantumvis vitando, & non tolerato, vt deciditur à Gregorio VII. *in cap. quoniam multos* 11. *quæſt.* 3. quos communiter Doctores in hoc verſiculo comprehendunt, *vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.* Per *vtile*, intelligitur vtilitas, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis ipſius excommunicati, vel participantis cum illo. Ita quod ea interueniente licitè cum ipſo communicare poſſumus. Vaſquez *de excommunicat. dub.* 9. Cornejo *ſuprà d.* §. 10. *dub.* 2. Vnde non ſolùm Concionatur habere poteſt concionem coram ipſo, ſed etiam poſſunt fideles eum hortari vt reſipiſcat, & ad meliorem frugem ſe recipiat, etiamſi alia verba intermiſceantur, vrbaniter ſalutetur, aut ſi ad ipſum ſcribatur, ſalutatione ordinaria in principio epiſtolæ præmiſſa id fiat, ordinatè tamen ad ipſius reſipiſcentiam, *cap. cum voluntate, de ſentent. excommunicat.* Syluester *in Summa, verbo Excommunicatio* 5. *num.* 4. Nauarrus *ſup. cap.* 27. *num.* 56. Bonacina *ſup.* §. 2. *num.* 50. Addit Cornejo ſuprà ex Sayro etiam pro vtilitate ſpirituali alicuius tertij poſſe nos communicare cum excommunicato. Addendum, quod quia vt dixit Syluester *ſup.* in hoc habenæ laxandæ non ſunt, ideo ad hoc, quod ratione vtilitatis poſſimus cum excommunicato communicare, oportet quod hæc vtilitas, ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis noſtra, vel ipſius excommunicati, ſit notabilis, vt Laymanus *ſup. cap.* 5 *num.* 16. §. *Itaque* 1. dixit, id eſt, vt ſit moralis quædam neceſſitas ad melius eſſe, vt ait Suarez *ſup. diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 10. Addit idem *num.* 15. etiam ipſum excommunicatum ob ſimilem vtilitatem ſuam, quæ moralis neceſſitas ad melius eſſe cenſeatur, poſſe cum aliis communicare. De lectore etiam, vel magiſtro, quod propter vtilitatem diſcipuli excommunicati coram eo legere poſſit lectionem Theologiæ, & ipſi reſpondere ad dubia, tenet Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 4. Sed iure non admittitur hoc ab aliis, niſi intercederet dicta notabilis vtilitas.

Per particulam *lex* intelligitur lex matrimonij. Vnde vxor non peccat cohabitando cum marito excommunicato etiam non tolerato, nec communicando cum illo tam in petitione, & redditione debiti, quàm in gubernatione domus, communi menſa, familiari colloquio, *c. quoniam multos* 11. *quæſt.* 3. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 14. *num.* 4. Cornejo *ſup.* Similiter vir non excommunicatus communicare poteſt cum vxore excommunicata, propter æqualitatem mutuæ obligationis inter coniuges ad omnia obſequia, Sanch. *ſup. num.* 16. Cornejo *ſup.* Diana *ſup. Reſolut.* 122. & 153. Apud quos alia ad intentum, quæ quia Regularibus minùs neceſſaria ſunt, prætermitto. 46

Per particulam *humile*, intelligitur quicquid pertinet ad ſubiectionem, ita ſcilicet vt qui alteri ſubijciuntur, vt ſunt filij reſpectu parentum, famuli reſpectu dominorum, & quod propriùs ad nos ſpectat, ſubditi reſpectu ſuorum Prælatorum, poſſint cum eis quantumvis excommunicatis communicare, *cap. quoniam multos.* Sylueſter *ſup. verbo Excommunicatio* 5. *num.* 4. Bonacina *d.* §. 5. *num.* 25. Sed quod attinet ad Religioſos reſpectu ſuorum Prælatorum, cum iuxta dicta *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 38. ſubditus non teneatur obedire ſuo Prælato excommunicato vitando, imò nec debeat id facere, niſi forſan ex vrbanitate (quidquid dicat Bonacina *ſuprà num.* 26.) ideo hæc communicatio, quæ permittitur Religioſo cum ſuo Prælato excommunicato vitando non eſt in ratione Prælati, cum nullum actum Prælatus ipſe exercere poſſit, cum ſit ſuſpenſus ab Officio, ſed ſolùm videtur eſſe illa, quæ ratione habitationis vitari moraliter non poteſt. Suarez *ſuprà diſp.* 15. *ſect.* 7. *num.* 2. Diana *ſupr. reſol.* 157. Quo ſenſu accipiendus Cornejo *ſuprà* §. *Reſpondetur Clericos.* Solùm ergo ille, qui eſt ſibi ad corporale obſequium deputatus, poterit familiariter communicare cum ipſo, & ipſe cum illo, non titulo prælationis, ſed quaſi ſeruitutis, vel neceſſitatis, ſicuti poſſet facere quilibet alius Religioſus eodem modo excommunicatus. Suarez *ibidem.* Idem dicendum eſt è contra de Prælato reſpectu Religioſi excommunicati non tolerati, ſcilicet non 47

poſſe

poſſe communicare cum illo niſi in caſu neceſſitatis, vel notabilis vtilitatis, aut quantum ſpectat ad paternalem gubernationem, & regimen ipſius. Graffius *in deciſ. aur. lib. 4. cap. 13. num. 9.* Suarez *ſupra num. 5.* Serui autem Religioſorum generaliter loquendo communicare poſſunt cum illis, etiamſi excommunicati ſint non tolerandi, *ex d. cap. quoniam multos.* Bonacina *d.* §. 2. *num.* 31. Quod intellige, etiamſi ſeruitus fuiſſet poſterior excommunicatione, prout plures probabiliter exiſtimant. Coninch. *diſp.* 14. *dub.* 12. *num.* 129. Hurtadus *diſp. 9. de excommunicat. diff. 4. num.* 14. Idem dicendum è contra, quando ipſi ſerui ſunt excommunicati, ius enim quod conceſſit huiuſmodi priuilegium ſeruis reſpectu dominorum ſuorum, idem videtur conceſſiſſe dominis reſpectu ſeruorum, quia in correlatiuis diſpoſitum in vno habet locum etiam in alio. Vaſquez *de excommunication. dub.* 9. Bonacina *ſupra num.* 38. Qui verò intelligantur nomine filiorum, cum dicitur filios poſſe communicare cum patre excommunicato, latè tractant Auctores relati. Solum aduertendum ad intentum noſtrum, quod cum Magiſter nouitiorum ſit veluti pater ſpiritualis ipſorum, quidquid dicitur de communicatione patris excommunicati cum filiis, & è conuerſo, dici etiam debet de Magiſtro nouitiorum, & ipſis nouitiis. Bonac. *ſup. num.* 39.

48 Per particulam *res ignorata*, denotatur, à peccato, & excommunicatione, quæ incurritur ob communicationem cum excommunicato vitando, excuſare ignorantiam inuincibilem, vel inaduertentiam iuris, vel facti. Syluester *ſup. verb. excommunicatio 5. num.* 4. Cornejo *ſupr.* Qualiter autem dubius, an alius ſit excommunicatus vitandus, non teneatur illum euitare, dixi ſuprà verbo *dubia Regularia, num.* 15. Vide Nauarrum *ſupra cap. 27. num.* 27. Nec ſufficit ad hoc vt euitetur ſcientia, quæ per Sacramentum Confeſſionis habetur, quia id quod ſola Confeſſione ſcitur, cenſetur ignoratum. Cornejo *ſupr.* Bonacina *ſup. num.* 45. Nec etiam requiritur, quod perſonaliter viderit excommunicatum publicè denunciari, aut publicè percuſſiſſe Clericum; ſed ſufficit, quod de hoc ſit fama publica, vel id aſſeratur à fide dignis, aut ab ipſumet excommunicato. Syluester *d. n. 4. & 28.* Cornejo *ſup.* Quem verò ſemel ſcio eſſe excommunicatum vitandum, ſemper debeo ipſum vitare, donec mihi conſtet de ipſius abſolutione, niſi ipſe aliàs ſit pius & fide dignus, ac dicat ſe eſſe abſolutum, aut non ſeruet excommunicationem. Syluester *ſupra num.* 26. Nauarrus *ſuprà n.* 36. Cornejo *ſuprà.*

49 Per particulam *neceſſe*, denotatur, neceſſitatem tam ipſius excommunicati, quam aliorum, ſiue extrema ſit, ſiue ſolum grauis, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis, excuſare communicantem cum excommunicato vitando à peccato, & excommunicatione incurrenda. Ita enim colligunt *d. cap. quoniam*, Auctores relati. Explicanda porro videtur de neceſſitate notabili, ſicut in ſimili dixi circa particulam *vtile.* Vnde quamuis Nauarrus *ſuprà num.* 27. eam vocet magnam neceſſitatem, melius tamen Suarez *d. diſp. 15. ſect. 5. num.* 8. eam appellat alicuius momenti, & grauitatis. Vnde ad noſtrum intentum plures aſſerunt Religioſos poſſe poſtulare eleemoſynas etiam ab excommunicato vitando. Bonacina *ſuprà num.* 59. ex Sayro, & Auila. Præſertim cùm poſtulare alicui eleemoſynam ſit ſuadere illi opus charitatis, miſericordiæ, vel beneficentiæ, quod non eſt prohibitum cum excommunicato.

50 Quamuis autem contenta in prædicto verſu *vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*, aliqui credant ſolum excuſare à communione in politicis, ſeu humanis, non à communicatione in diuinis (Syluester *ſuprà num.* 5. Toletus *ſuprà num* 6.) plures tamen alij ea extendunt etiam ad communicationem in diuinis, quia dictum *cap. quoniam multos*, generaliter loquitur. Sà *in Summa, verb. excommunicatio, num.* 44. Auila *part. 2. cap. 6. diſp. 11. dub. 6.* Cornejo *ſuprà*, Layman. *d. cap. 2. num. 16.* §. *deinde*, & alij. Illud tamen certum communicationem in crimine criminoſo, de qua ſuprà *num.* 44. nullatenus permiſſam eſſe quibuſcumque. Layman. *ibid.* & alij.

Quamuis etiam aliquorum ſententia ſit excommunicato non teneri debitorem ſoluere debitum, ſaltem citra extremam neceſſitatem (Leſſius *lib. 2. c. 16. dub. 9. num.* 77. Naldus *in Summa, verbo excommunicatio, n.* 32.) probabilius tamen eſt contrarium, cum nullo iure naturali, aut humano debitor excludatur à ſolutione talis debiti. Etſi enim *cap. nos Sanctorum, & cap. Iuratos 15. quæſt. 6.* declaretur, eos qui obnoxij erant alicui titulo fidelitatis, aut iuramenti, liberari à tali vinculo ſi is inciderit in excommunicationem, & fauet *cap. grauem, de pœnit.* ibi tamen non eſt ſermo de debitis realibus pecuniarum, &c. ſed de debitis ſubiectionis, ſeu de debitis ſolis verbis contractis. Toletus *ſuprà dict. cap. 13. num. 7.* Auila *part. 2. cap. 6. diſp. 11. dub. 4.* Diana *ſup. Reſolut.* 130. 51

Religioſus quoque, & quicumque alius excommunicatus maiori excommunicatione, in ea per annum perſeuerans, tanquam ſuſpectus de hæreſi inquiri poteſt ab Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis. Colligitur *ex cap. grauem, de pœnit.* & ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 3.* Toletus *ſupra num.* 10. Nald. *in Summ. verbo Excommunicatio, num.* 41. Quod ſi citatus ad ſe purgandum de tali ſuſpicione non ſe purget ab illa, tunc iterum excommunicatur; & ſi per annum inſordeſcit reputatur vt hæreticus, *cap. Cum contumacia, de hæretic. in 6.* Toletus *ſup. num.* 11. Naldus vt ſuprà. Apud quos alia ad intentum. Huiuſmodi etiam excommunicatus per annum inſordeſcens priuari poteſt beneficiis, quæ obtinet. Abbas, & Doctores *in cap. cùm bona, de ætat. & qualit.* Toletus *ſupra num.* 9. Suarez *diſp. 17. ſect. 1. num.* 7. Habetur etiam *ex cap. rurſus, & cap. quicumque 11. quæſt. 3.* quod ſi excommunicatus intra annum cauſam ſuam purgare contempſerit, poſtea non audiatur. Nauarrus *in Man. cap. 27. num.* 13. Suarez ſuprà. Qualiter autem per annum inſordeſcens non gaudeat generali abſolutione, quæ in reſcriptis Pontificiis præmitti ſolet, dixi ſuprà verbo *Beneficium, num.* 9. Quid verò requiratur ad dictam inſordeſcentiam, agit Naldus *ſup. num.* 40. 52

Nec ſolum viuens, ſed etiam mortuus punitur ab Eccleſia excommunicatus. Si enim ante abſolutionem obtentam deceſſerit, priuandus eſt Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. ſacris, de ſepulturis*, & *Clem. 1. eod. tit.* Et ratio traditur à Pontifice, vt quibus non *communicamus viuis, neque mortuis communicemus.* Cornejo *ſup.* §. 8. *dub.* 1. Layman. *ſupra num.* 19. Negatur etiam ipſis funebre Eccleſiaſticum Officium, propter eandem rationem. Cornejo, & Layman. *ibidem.* Per Eccleſiaſticam verò ſepulturam intelligitur ſepultura in loco Sacro, ideſt in Eccleſia, vel Cæmeterio, vel alio loco ad ſepulturam, vel diuina Officia peragenda legitimâ auctoritate deſtinato. Cornejo *ſupra*, Bonacina *ſuprà* §. *3. num. 3. & 4.* Non autem in loco proximo Cæmeterio, vel Eccleſiæ, qui non eſt locus ſacer. Cornejo, & Bonacina *ibidem.* Caſu ergo quo in loco Sacro ſepultus eſſet excommunicatus, extumulari debet, & poni in loco non ſacro, *cap. Sacri, de ſepulturis.* Toletus *ſuprà dict. cap. 13. num. 9.* Cornejo *ſuprà.* Qualiter verò hæc intelligantur ſolum de excommunicato vitando, ſeu non tolerato, & quod propter ſic excommunicati ſepulturam in loco ſacro violetur Eccleſia, itavt indigeat reconciliatione, habes ſuprà verb. *Eccleſia, num.* 12. De quo etiam authores relati. Nota tamen quod ſi talis excommunicatus dederit ante mortem ſigna contritionis, non ſolum tunc poteſt abſolui, & poſtea ſepeliri in loco ſacro, vt de ſe patet, quod intellige 53

lige etiamſi ſolùm abſolutus fuerit à quolibet Sacerdote ob neceſſitatem, *cap. vltim. de ſepulturis.* (Vgolinus *Tabul. 2. cap. 9. §. 5.* Suarez *ſupra diſp. 12. ſect. 4. num. 3.*) ſed etiam caſu quo ante mortem abſolutus non fuerit, nec per eum ſteterit quominus abſolutionem conſequeretur, ſed ſigna contritionis dederit, poteſt poſt mortem abſolui, ſepeliri in loco Sacro, & frui ſuffragiis Eccleſiæ, *cap. a nobis 2. cap. ſacris, de ſentent. Excommunicat.* Suarez *ſuprà*, Laymanus *ſuprà*. Vnde declaratum eſt à Sacr. Congregatione apud Barboſam *in Compend. Bullar. verbo Excommunicatio*, quod ſi excommunicatus in mortis articulo dixit: *Confeſſione, Madonna Santiſſima aiutami*, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi debat. Sepelientes autem excommunicatum vitandum in loco Sacro, non ſolùm peccant mortaliter, quia communicant in diuinis cum excommunicato, nec ſolùm incurrunt excommunicationem, minorem, quam generaliter incurrunt omnes communicantes cum excommunicato non tolerato, ſed etiamſi id faciant ſcienter, & ex præſumptione, incidunt ipſo facto in excommunicationem maiorem, à qua non poſſunt abſolui niſi prius ad arbitrium Diœceſani eis quibus irrogata eſt iniuria ſatisfactionem exhibuerint competentem. Ita enim habetur Clement. I. *de ſepult.* Vgolinus *ſuprà §. 6.* Suarez *ſup. num. 8. & ſequentibus.* Naldus *in Summa, verbo Excommunicatio, num. 29.* Incurrunt etiam pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ſæculares, ſiue Regulares id facere præſumentes, *ex cap. Epiſcoporum, de priuilegiis in 6.* Cornejo *ſup.* Vide & Theſaurum *in prax. part. 2. verbo Cenſura, cap. 7. & 14.* Quinam autem cenſendi ſint ſepelientes excommunicatum, an videlicet quoquo modo ad id cooperantes, &c. agunt Vgolinus, & Suarez relati, Naldus ſuprà, & *verbo ſepultura, n. 5.* Diana ſuprà *Reſol. 98.*

Circa hanc etiam materiam vide dicenda infrà ver-
54 bo *Interdictum*, verbo *Irregularitas*, & infrà verbo *Suſpenſio.*

EXEMPTIO REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *De illa remiſſiuè.*
2 *Quid, & quotuplex ſit.*
3 *Exemptio Regularium ab Ordinariis, an illis competat iure communi.*
4 *Saltem ex priuilegiis Summorum Pontificum ea competit ipſis.*
5 *Qualiter intelligenda, & à quibus Ordinariis.*
6 *Per quæ verba denotetur huiuſmodi exemptio.*
7 *An illis,* Suſcipimus ſub defenſione, vel ſub protectione.
An illis, Suſcipimus in proprios filios, vel in ius S. Petri. *ibid.*
8 *Quid quando Ordinarij procedunt contra Regulares in caſibus in quibus exempti ſunt.*
An quando procedunt per cenſuras. ibid.
9 *An Ordinarij poſſint declarare excommunicatos Regulares exemptos.*
Declaratio S. Congregat. quoad hoc. ibid.
Quid habeatur ex Clementina I. de priuilegiis. *ibid.*
10 *An Legati habeant prædictam facultatem.*
11 *Quid de caſibus in quibus, vel ex decreto Concilij Tridentini, vel ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Regulares ſubduntur Ordinariis.*
Quid ſi Regulares habeant priuilegium in contrarium. ibid.
12 *Regulares non obedientes Ordinariis in caſibus quibus illis ſubduntur, a quibus puniendi.*
13 *Declarationes S. Congreg. quoad hoc.*
14 *Citati Regulares ab Epiſcopo an teneantur comparere.*
An oſtendere priuilegium exemptionis. ibid.
15 *Regulares ad tribunalia ſæcularia an aliquo prætextu trahi poſſint.*
16 *Non prætextu grauaminis, aut violentia, vel etiam defenſionis.*
Quid de Iudice ſæculari oppoſitum faciente. ibid.
Quid quando Iudex Eccleſiaſticus, vel non adeſt, vel ſi adeſt, non vult auxilium ferre. ibid.
17 *Recurrere Regulares ad ſæcularia tribunalia abuſus quorundam eſt.*
18 *An liceat illis appellatio ad prædicta tribunalia.*
Quid de appellationibus tuitiuis. ibid.
Optima Soti doctrina. ibid.
19 *An ſaltem auocatio cauſarum Regularium ad prædicta tribunalia licita ſit.*

DE hac re præter dicta *cap. 51.* ferè per totum, & 1
ſuprà verbo *Cauſa iudicialis Regularium*, & verbo *Clericus*, & verbo *Delinquens Regularis*, & verbo *Epiſcopus*, alia addenda ſunt pro maiori ipſius notitia.

Eſt autem exemptio idem, quod liberatio, ſeu edu- 2
ctio alicuius à poteſtate alterius, & exemptus, qui potitur tali exemptione. Syluester *in Summa, verb. Exemptio, n. 1.* Ea verò prout ad Regulares ſpectat eſt duplex, alia ab Ordinariorum iuriſdictione, & alia à ciuili, ſeu ſæculari poteſtate. De vtraque ergo dicendum.

Et de priori loquendo, licet videatur iure commu- 3
ni competere Regularibus, *cap. Quam ſit neceſſarium, & cap. nullam 18. quæſt. 2.* oppoſitum tamen dicendum eſt, cum conſtet ex *cap. nullam*, potius haberi contrarium illis verbis: *Clerici ſingulorum Monaſteriorum ſint in poteſtate Epiſcoporum.* Idemque ſupponitur fermè per totam illam *quæſt. 2. cap. hoc tantùm, cap. Abbas, cap. quidam, cap. qui Religioſis, de Monachis, cap. Cellulas, cap. ſi quis Abbas, cap. Abbates, cap. Monaſteria, cap. Abbatibus, cap. cognouimus, cap. viſitandi, cap. non ſemel, cap. ſeruitiam,* & aliis iuribus. De quo Campanile *in diuerſ. iur. canon. Rubric. 12. cap. 13.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 105. num. 1. & 2.* Tamburinus *de iure Abbat. tomo 1. diſp. 15. quæſt. 1. & 2.* Limitant hoc Syluester *in Summa, verbo Epiſcopus, quæſt. 7.* Sanchez *tom. 5. conſil. Moral. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 8.* dicentes Regulares iure communi exemptos eſſe à lege Diœceſana Epiſcopi, *11. quæſt. 1. cap. 1. & quæſt. 3. cap. interea, & 18. quæſt. 2. cap. quam ſit, & 16. quæſt. 5. cap. placuit*, non autem à lege iuriſdictionis, prout ex prædictis iuribus, *& cap. obitum, diſt. 61. cap. omnes Baſilicæ, 16. quæſt. 7.* & aliis colligitur. Limitandum etiam videtur, vt ſcilicet dicatur Monachos iure communi exemptos eſſe ab Ordinariorum iuriſdictione, quantum ſpectat ad Regulæ obſeruantiam. Ita enim ſupponitur *in d. cap. nullam*, vbi dicitur, ea quæ pertinent *ad diuini cultus venerationem, vel vtilitatem Monaſterij*, ad Abbatem ſpectare, idque conſtat ex præſenti vſu Eccleſiæ: ea enim Monaſteria, quæ Ordinariis ſubdita ſunt, ſubduntur quoad Regularem obſeruantiam ſuis Prælatis, vt dixi ſuprà verbo *Epiſcopus* quoad Regulares, *num. 15. & 16.*

Quidquid autem de hoc ſit, certum eſt, ſaltem ex pri- 4
uilegiis Sedis Apoſtolicæ, omnes fermè Regulares ab Ordinariorum iuriſdictione exemptos eſſe, vt conſtat ex variis ipſorum priuilegiis, quæ prolixitatis vitandæ cauſa prætermitto, & ſupponunt Authores relati. Specialiter Carmelitæ eam habent à Clemente IV. Ioanne XXII. Clemente VI. Sixto IV. & aliis Summis Pontificibus, vt videre eſt in Mari magno Ordinis, Bulla ſcilicet eiuſdem Sixti IV. quæ incipit, *Dum attenta*, & extat in Bullario Rodriguez *tom. 1.* in eodem Sixto, *n. 17.* & agnoſcit Tamburinus *dicta diſp. 15. quæſt. 4. num. 19.* Qui etiam refert ibidem exemptionem noſtrorum Patrum Diſcalceatorum, & eo *quæſt. 4.* exemptiones per diuerſos Summos Pontifices conceſſas Ordinibus

Baſilianorum , Canonicorum Regularium , Caſſinenſium , Cluniacenſium , Camaldulenſium, Vallumbroſanorum , Ciſterciensium , Celeſtinorum , Sylueſtrinorum, Oliuetanorum , Montis Virginis, Præmonſtratenſium, Carthuſianorum , Prædicatorum , Minorum, Eremitarum S. Auguſtini , Cruciferorum. Seruitarum, Minimorum, Ieſuitarum , Theatinorum , Clericorum Regularium de Somaſcha, Miniſtrantium infirmis, Scholæ piæ Fratrum B. Ioannis Dei, & aliorum. Idem intentum proſequitur Barb. *ſup. dicta Alleg.* 105. Ioannes Maria Nouarius *in lucern. Regul. verb. exemptio.* Aliorum vero Ordinum Regularium, quos Auctores iſti prætermiſerunt, exemptio conſtare poteſt, tum ex dictis *tom.* 1. *p.* 2. tum ex Compendiis ipſorum priuilegiorum.

5 Circa quæ priuilegia , & pro praxi Regularium circa ipſa, aliqua animaduertenda ſunt. Primum , quod quamuis in ea graui quæſtione qua quæritur, quid nomine Ordinariorum in priuilegiis exemptionis Regularium intelligendum ſit, an ſcilicet ſolus Epiſcopus vel Archiepiſcopus , & eorum Vicarius , an etiam Legati Papæ , diximus dicto *cap.* 11. *num.* 18. Legatos à latere non comprehendi , præſertim propter litteras ſuarum Legationum , nunc vero addendum , etiam ſtando in vi iuris communis , poſſe dici non comprehendi dictos Legatos à latere , eo quod *cap. Abbatum , de elect. in* 6. *& cap.* 1. *de verbor. ſignificat. etiam in* 6. quoad iuriſdictionem in exemptos pariſicatur Legatus à latere Papæ , Sanchez *ſup. n.* 19. Quod ſecus videtur dicendum de aliis Legatis, ſeu Nunciis Apoſtolicis, illi enim Ordinarij ſunt , & nomine Ordinarij comprehenduntur. Sylu. *in Summa , verbo exemptio , num.* 1. Henriq. *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 25. Vide dicenda infrà *num.* 10. ex priuilegio Clem. IV. pro Minoribus.

6 Secundum , quia verba , quæ in prædictis priuilegiis legi ſolent , varia ſunt , & multiplicia , ideo dicendum , ea quæ ſufficienter probant hanc exemptionem ab Ordinariis, quantum colligi poteſt *ex cap. ſi Papa, de priuileg. in* 6. in primis eſſe illa , vel illis ſimilia, quæ in Bulla Ioannis XXII. ſupra relata pro exemptione Ordinis Carmelitarum leguntur : *A cuiuſcumque Diœceſani , & cuiuſlibet alterius poteſtate , iuriſdictione , & dominio omnino eximimus.* Bacconius *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 14. *art.* 1. Sylueſter *ſupra quæſt.* 4. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcopi allegat.* 123. *num.* 11. Deinde illa , eximimus *cum plena libertate.* Sylueſter *ibidem.* Eraſmus Cochier *de Iuriſdict. Ordinar. in exempt. part.* 1. *quæſt.* 9. Item illa , *Eccleſia , ſeu Religio gaudeat libertate Eccleſiæ.* Sylueſter , & Cochierus ibidem. Similiter illa , quod Epiſcopus non audeat illic *Cathedram collocare*, ſeu aliquod imperium exercere, Syluest. & Cochierus *ibid.* Sanchez *ſup. n.* 4. Pariter illa (quibus etiam ſimilia in dicto priuilegio Ioannis XXII. reperiuntur) *ſoli Romano Pontifici , vel Sedi Apoſtolicæ immediatè , aut ſine medio ſubiicimus*, aut *ſubiacere volumus.* Sylueſter & Sanch. *ſup.* Ac illa , *recipimus in proprios , ſeu ſpeciales ſubiectos.* Sylueſter , & Sanchez *ſup.* ac Barboſa etiam *ſup. num.* 20.

7 Secus vero dicendum ſi ſolùm dicatur *ſuſcipimus ſub defenſione* , quia hoc non denotat exemptionem ab Ordinariis. Sylueſter *ſup.* Idem dici debet de verbis *ſuſcipimus ſub protectione* , quia ita habetur expreſsè *in cap. ex parte* 2. *de priuilegiis.* Et ſanè rationabiliter, cum protegere idem ſit , quod defendere, & protectio non ſit ſignum ſuperioritatis, cum conſtet milites protegere ciuitatem , & Imperatorem dici Protectorem Eccleſiæ Roman. *in Clement.* 1. *de iureiurando.* De quo benè Barboſa *ſup. num.* 26. & Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 25. *quæſit.* 5. *à num.* 15. Verba etiam illa *ſuſcipimus in proprios filios* , non probant hanc exemptionem , vt expreſsè habet *cap. ſi Papa* , relatum. Sylueſter *ſup.* Barboſa *num.* 20. Tamburin. *n.* 23. Quando autem illa verba *ſuſcipimus in Ius Sancti Petri* , vel ſimilia arguant exemptionem ab Ordinariis, & quando non, ac de concordia *cap. recepimus , de priuileg. & cap. ſi Papa, de priuilegiis in* 6. quæ contraria videntur , doctè agit Barboſa *ſup. num.* 15. & ſequentibus , quem ſequitur Tamburinus *ſup. num.* 4. & ſequentibus.

Tertium , quod ſi in illis rebus , in quibus Regulares exempti ſunt ab Ordinariorum iuriſdictione, procedunt contra illos , proceſſus , & omnia geſta prorſus irrita , & inania ſunt , iuxta dicta ſuprà verbo *Cauſæ Iudicialis Regularium* , *num.* 15. Adde , hoc etiam intelligi , etiam in caſu , quo id prætenderent facere Ordinarij , eo quòd Prælati Regularium eſſent negligentes in eorum punitione , iuxta dicta *ibidem num.* 16. Adde etiamſi procedant per cenſuras , quia tales cenſuræ ex defectu iuriſdictionis ſunt nullæ in vtroque foro. Sanchez *ſupra num.* 28. Maximè quia priuilegia plurium Religionum id expreſsè continetur , vt in priuilegio Ioannis XXII. relato pro Carmelitis , confirmato per Clement. VI. & Sixtum IV. de quo Bacconius noſter *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 14. *art.* 4. vbi ſic : *Ita quod nec locorum Ordinary, nec alia quæuis perſona Eccleſiaſtica in Vos , & Ordinem veſtrum , perſonas , Eccleſias, Oratoria , domos , & loca prædicta, vtpotè prius exempta, poſſint excommunicationis , ſuſpenſionis aut interdicti promulgare ſententias.* Et in priuilegio Pauli III. anno 1549. pro Ieſuitis , quod refert Sanchez ibidem. Ac in priuilegiis Martini V. & Eugenij IV. pro Prædicatoribus, & Sixti Quarti pro Minoribus , quæ refert Caſſarubius *in Compend. Priuilegiorum Mendicant. verbo Exemptio , num.* 15. 16. *&* 23. Quod etiam intellige adhuc in caſu dato , quod Ordinarij ignorarent , aut prætenderent ignorare , aut ignoraſſe exemptionem Regularium. Nam auocatio cauſæ cum clauſula irritante hanc vim obtinet , vt acta à Iudice prohibito etiam ignorante ſint ipſo iure nulla , vt ex multis probat Couarruuias *quæſt. practic. cap.* 9. *num.* 7. Atqui in præſenti priuilegia Religionum afferunt clauſulam irritantem , vt videre eſt in dictis priuilegiis Ioan. XXII. Clement. VI. & Sixti IV. pro Carmelitis , illis verbis : *Quod ſi forſan quidquam contrarium à quocumque fuerit attentatum , illud omnino irritum ſit , & inane,* & Pauli III. pro Ieſuitis , *eo ipſo irrita , & nullius roboris ſit.* Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 25. Sanchez *ſupra.* 8

Nec etiam poſſunt præfati Ordinarij declarare ex- 9
communicatos Regulares exemptos, etiam in caſu quo illi notoriè in excommunicationem incidiſſent , iuxta dicta eo *cap.* 11. *num.* 15. ex Peirinis. Quod & ſequuntur Diana 3. *part. tract.* 2. *de dub. Regul. Reſol.* 35. Vulpius *in praxi for. Eccleſiaſtic. cap.* 42. & alij. Et ratio eſt , quia talis declaratio eſt actus iuriſdictionis , cum debeat fieri cognita cauſa iudicialiter , imò & ſæpius citata parte , præfati autem Ordinarij nullam iuriſdictionem exercere poſſunt in exemptos. Poſſunt tamen Ordinarij Religioſum exemptum excommunicatum vitandum , vel quia eſt publicus percuſſor Clerici , vel quia à ſuo Prælato eſt denunciatus vt talis , denunciare illum ſuis ſubditis , hoc enim non eſt exercere iuriſdictionem in illum , ſed monere ſuos ſubditos de obligatione , quam habent ſic excommunicatum vitandi. Hoc enim ſenſu accipio declarationem Sacr. Congregat. in vna Limana 29. Ianuar. 1633. quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Epiſcopus* 1. in qua habetur , Epiſcopum poſſe Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in cenſuras incidit , denunciare pro publico excommunicato , vt talis ab omnibus euitetur. Eodem etiam ſenſu accipiendi ſunt Barboſa *ſuprà allegat.* 105. *n.* 73. & Tamburinus *d. diſp.* 15. *quæſit.* 7. *num.* 38. dum dicunt poſſe Epiſcopum declarare Regulares exemptos excommunicatos, quando notoriè eſſent tales , prout melius explicat Sanchez *ſuprà num.* 29. Imò etiam videtur poſſe Ordinarios declarare

excommu

Digitized by Google

excommunicatos Regulares Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis miniſtrantes, aut matrimonia ſolemnizantes, aut excommunicatos in certis cauſis abſoluentes (iuxta Clem. I. *de priuileg.* §.1. vbi id expreſsè habetur, vt tenet Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Conſt. 2. Sixti IV.* §.10. *num.* 33. cum aliis, quos refert Nec per priuilegia poſteriora Ioannis XXII. Clementis VI. Sixti IV. Martini V. Eugenij IV. & Pauli V. relata cenſebitur hoc ius reuocatum, niſi de eo in ipſis expreſſa mentio fiat, quia eſt decretum Concilij Generalis Viennenſis, ſcilicet cui non derogatur, vt ſæpè dixi, niſi de eo mentio expreſſa fiat.

10 Nec ſolum Epiſcopi, Archiepiſcopi, aut alij communiter dicti Ordinarij carent poteſtate ferendi cenſuras in Regulares exemptos, ſed etiam Legati, (Legatis à latere exceptis) Delegati, vel Subdelegati Apoſtolici, ex conceſſione Clementis IV. pro Minoribus in Bulla *Exigentibus*, quam refert Rodriguez *in tom.1. Bullar. in Clem. IV.* qua gaudent tam ipſi Minores, quam alij Ordines cum ipſis priuilegiorum communionem habentes. Limitat hoc idem Pontifex niſi prædicti Legati, Delegati, &c. in ſuis litteris mentionem facerent huius indulti, & Ordinis Minorum. Addit Nouarius *in lucern. Regular. verbo Excommunicare, n.*8. Regulares non comprehendi in excommunicationibus in communi fulminatis etiam à Legatis à latere, niſi ſpecialiter in ipſa nominentur. Refertque Rodriguez *tom.2. quaſt. Regul. quaſt.*59. *art.*5. in quo nihil tale reperio.

11 Cum autem dico Epiſcopos, & alios Ordinarios non poſſe cenſuras ferre in Regulares exemptos, non ſolùm intelligendum eſt pro caſibus, in quibus ipſi Regulares eiſdem ſubditi non ſunt, vt ex dictis patet, ſed etiam pro illis, in quibus ex Concilio Tridentino, aut in aliis Conſtitutionibus Summorum Pontificum illis ſubiciuntur, de quibus egi ſupra verbo *Epiſcopus*. Niſi expreſsè talis facultas ferendi cenſuras illis concedatur, aut ipſi Regulares non habeant priuilegium in contrarium, quale dixi ſuprà *num.* 8. habere Carmelitas, Prædicatores, Minores, Ieſuitas, & alios cum ipſis communionem priuilegiorum habentes. Quod ſic declaratur. Quando vel ex Concilio Tridentino, vel ex alia Conſtitutione Pontificia conceditur Ordinariis poteſtas in Regulares exemptos cum facultate procedendi contra illos per cenſuras (prout in eodem Concil. cernitur *ſeſſ.*22. *in decret. de obſeruand. & vitandis in celebratione Miſſa*, quoad hoc, quod eſt non celebrare in Oratorio priuato, vel omnino extra Eccleſiam, *& ſeſſ.*25. *capit.* 5. quoad clauſuram Monialium, & *cap.* 16. quoad reſtitutionem bonorum Nouitiorum reſipiſcentium à Religione) tunc præfati Ordinarij per dictas cenſuras procedere poſſunt contra Regulares quantumuis exemptos, & priuilegiatos, propter auctoritatem illis conceſſam, cum abrogatione præſertim priuilegiorum. Ita communiter Doctores. Quando verò ipſis ordinariis conceditur poteſtas ſupra Regulares exemptos ſine facultate expreſſa procedendi contra illos per cenſuras, prout cernitur in multis caſibus, quos retuli ſuprà verbo *Epiſcopus*, tunc etſi poſſint per cenſuras procedere contra Regulares non habentes priuilegium in contrarium, quia cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa videntur, ſine quibus ea explicari non poteſt, *l.2. ff. de iuriſd. omn. iudic. cap. paſtoralis, cap. præterea, de offic. delegat.* non tamen poſſunt per cenſuras procedere contra Regulares habentes priuilegium in contrarium. Colligitur clarè *ex cap.1. de priuil. in 6. verſ. In eos autem*, vbi cum decretum fuiſſet Epiſcopum habere iuriſdictionem in exemptos in aliquibus caſibus, ſubdit textus: *In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari à quoquam valeant à Sede Apoſtolica indultum (ſicut ſunt Religioſi quamplures) in quorum priuilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Monaſteriorum ſuorum Monachos pro vlla cauſa, vllove loca interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat, iidem Ordinarij iuriſdictionem ſuam quantum ad iſta, vbicunque illi fuerint, penitus exercere non poſſunt.* Hæc ibi. Ex quibus elicitur vel à ſimili idem in noſtro propoſito dicendum. Colligo id ſecundò ex declaratione S. Congregationis de anno 1586. quam retuli *tom.1. part.1. cap.*25. *n.*35. & referunt Rodrig. *tom.1. quaſt. Regul. q.*45. *art.*2. *in fin.* Suarez *tom.4. de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *n.*27. in qua dicitur: *Regulares adeuntes Monaſteria Monialium ſine licentia Epiſcopi incidant in pœnam excommunicationis, quam Epiſcopus ſuo edicto propoſuit, niſi Regulares illi haberent ex priuilegio, quod non poſſint excommunicari, & tunc deberent puniri à ſuis Superioribus alia pœna*: vbi clarè habetur tradita doctrina. Quæ & confirmatur, quia cum Concil. Trident. in aliquibus caſibus, in quibus Regulares ſubijcit Ordinariis, expreſsè tribuat hanc facultatem procedendi contra illos per cenſuras, in aliis verò non, intelligi datur quod in iſtis non vult Concilium vt procedant per cenſuras contra Regulares priuilegiatos. De quo Henriq. *lib.7. de Indulg. cap.*25. *ſub* §.7. Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.*33. *num.*23. *& lib.6. in Decalog. c.*1. *num.*14. Vulpius *in praxi fori Eccleſiaſt. cap.*44. Nouarius *in lucer. Regul. verbo excommunicare, num.*5 *&* 6. & alij apud ipſos.

Vnde infero primò, Regulares dicto modo priuilegiatos non obedientes Ordinariis in caſibus, quibus illis ſubiiciuntur, puniri debere vel à propriis Prælatis, vt habetur ex dicta declaratione S. Congregat. vel ab ipſis Ordinariis, aliis tamen pœnis citra cenſuras. Quaranta *in Summa Bullar. verb. præcedentia*, §. *an in caſu*. Nouarius *ſup.* 12

Infert ſecundò, declarationes aliquot Sacræ Congregationis, quæ aſſerere videntur Regulares excommunicari poſſe ab Epiſcopis in aliquibus caſibus in quibus illis ſubjiciuntur, qualis refertur vna Nebienſis, 7. Februar. 1633. à Nouario *ſuprà num.*1. & Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Epiſcopus*, per hæc verba: *Epiſcopus poteſt etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis compellere Regulares in iis caſibus in quibus in eos iuriſdictio illi tribuitur à Iure communi & S. Concilio, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis*, intelligi debere de Regularibus non habentibus dictum priuilegium. Quæ explicatio conformis eſt iuri communi in dicto *cap.* 1. *de priuileg. in* 6. & menti S. Congregationis, propter declarationem ſuperiùs adductam. 13

Pro praxi tamen Regularium circa eorum priuilegia notandum, quod licet iuxta dicta *tom.1. cap.* 11. *num.* 15. citati ab Epiſcopo non teneantur comparere, licet decens ſit id facere ad allegandum priuilegium exemptionis, nunquam tamen tenentur coram ipſo exhibere exemptionis priuilegium. Ratio eſt, quia etſi quando exemptio non eſt notoria, teneantur exempti exhibere Ordinariis intra terminum ab illis præſcriptum priuilegia ſuæ exemptionis, quia ita habetur *ex cap. Cùm perſona, de priuileg. in* 6. & quia cùm Ordinarij habeant ſuam intentionem iure communi fundatam, qui ſe exempti eſſe prætendunt, debeant exhibere priuilegium exemptionis, vt probent illam (Syluester, *in Summa, verbo exemptio, quaſt.*7. Sanchez *tomo* 2. *Conſil. Moral. lib.6. cap.9. dub.* 4.) quando tamen ea eſt notoria, id non tenentur facere, prout colligi videtur ex Clement. *paſtoralis, de ſentent. & re iudicat.* §. *Notorium.* Et ratio eſt non ſolum, quia hoc eſſet facere Ordinarium Iudicem in ſua cauſa, quod non licet, per text. *in l. quia iuriſdictio, ff. de iuriſd. omnium iudic. & cap. ne quis in ſua cauſa*, ſed etiam quia cum dare exemptionem ſolùm ad Papam ſpectet, ideo ſolum ipſe debet de priuilegio exemptionis iudicare. Syluester, & Sanch. ſuprà, & Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quaſit.*6. *n.*3. Quia ergo notiſſimum in orbe eſt 14

Regulares fermè omnes, Mendicantes maximè, & qui cum illis communicationem habent priuilegiorum, exemptos eſſe ab Ordinariorum iuriſdictione, ideo illi non tenentur exhibere priuilegia ſuæ exemptionis coram illis. Syluester, & Sanchez *ſuprà*. Poſſunt ergo caſu quo ab Ordinariis citentur, ſuam exemptionem defendere reſpondendo, ſe illos audire, vel ſe ab illorum iuriſdictione exemptos eſſe, ac proinde ab illa declinare, & tunc recurrere ad Conſeruatorem, vt dictos Ordinarios inhibeat. Sanchez *ſuprà dub.* 5. Tamburinus *dict. quæſit.* 6. Qui etiam habet, quod in caſu dubij circa priuilegia, non pertinet eorum interpretatio ad Ordinarios, propter aliqua priuilegia Religionum. Vide alia infrà verbo *Priuilegia Regularium*.

55 Circa exemptionem Regularium à Iudicibus ſæcularibus, præter dicta ſuprà verbo *Clericus*, *à num.* 19. & dicenda inferiùs verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*, nunc ſolùm tria tangenda ſunt puncta. Primum, an cauſæ Regularium poſſint per viam violentiæ vt dicitur, vel ſub prætextu violentiæ ad tribunalia ſæcularia deferri, eo ſcilicet fine, vt Principes ſæculares à tali violentia eos defendant. Secundum, an ſaltem per modum appellationis. Tertium verò, an per modum auocationis.

56 Et quoad primum, licet plurium, Canoniſtarum præſertim, ſententia ſit poſſe Magiſtratus, aut Principes ſæculares iudicare de cauſis Eccleſiaſticorum (idem dic de Regularium cauſis) quando ipſi Eccleſiaſtici, vel Regulares grauari, aut violentiam pati à ſuis Superioribus credùntur, ad tollendum videlicet, vel reprimendum dictam violentiam, vel ipſos defendendos, prout tenent Salgado *in tract. de poteſt. Regia, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *& ſequent.* Pereira *de manu Regia part.* 1. *cap.* 4. *& quæſt.* 7. Ceuallos *in tract. ſuper hac materia edito*, & alij non pauci, quibus fauent aliqui Theologi, ſpecialiter Rodriguez *in Summ. tomo* 1. *cap.* 51. *n.* 8. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 6. *& lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 4. *in Gloſſ. littera A*, & alij: tenendum tamen eſt oppoſitum. Primò, quia in Bulla Cœnæ, caſu 14. & 15. verbis relatis verbo *Bulla Cœnæ*, *num.* 28. *&* 40. excommunicatione Papali innodantur ſic facientes. Secundò Magiſtratus, aut Principes ſæculares nullo alio modo poſſunt tollere dictam violentiam, aut defendere ſic oppreſſos à Iudice Eccleſiaſtico, niſi aduocando ad ſe dictas cauſas, acta, & proceſſum Iudicia ad ſe afferri præcipiendo, eaque examinando, & Superiorem illum Eccleſiaſticum ad eorundem reſciſſionem compellendo. Hæc autem non competunt, aut competere poſſunt laïcæ poteſtati reſpectu Eccleſiaſticæ, ſecluſo Sedis Apoſtolicæ priuilegio, cum ſint actus iuriſdictionis, & Superioris poteſtatis quam non habent, nec habere poſſunt ſæculares in Eccleſiaſticos, iuxta dicta ſuprà verbo *Clericus*, *à num.* 19. Et confirmatur, quia tunc defenſio, ſiue propria, ſiue alterius cum tertij damno eſt licita quando fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ideſt, quando non eſt alia via ad impediendum illud malum, quod timetur, vt patet in eo, qui occidit iniuſtum inuaſorem, non habens aliud remedium ad effugiendum mortem, quam volebat illi inferre, ſed in hoc caſu adeſt oppreſſo alia via ad impediendum grauamen illatum, adire ſcilicet Superiorem Eccleſiaſticum illius Prælati, qui violentiam fecit, vt ſi clericus ſit, & grauari ſe putat, appellet ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ab Archiepiſcopo ad Primatem, & à Primate ad Papam, prout Canones decernunt, vel ſi fuerit Regularis ex Priore, ſeu Guardiano ad Prouincialem, & ab eo ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, & ab ipſo ad S. Congregationem, vel ad Papam, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. nullo ergo modo licet adire Iudicem ſæcularem, nec ipſi Iudici ſæculari aſſumere talem cauſam. Accedit, quod Iudex ſæcularis in tali cauſa ſe intromittens vſurpat iuriſdictionem, quam non habet, & ſe facit ſuperiorem Iudicis Eccleſiaſtici, quod omni iure eſt prohibitum. Suarez *contra Reg. Angliæ lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 34. *&* 35. Azorius *tom.* 1. *inſtitut. Moral. lib.* 5. *cap.* 12. *§. ex dictis*, *& cap.* 14. *quæſt.* 1. Bonacin. *de legib. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *num.* 10. Tollere ergo talem violentiam etiam in caſu quo adſit, non ſpectat ad Iudicem ſæcularem, ſed ad Eccleſiaſticum Superiorem illius, qui eam fecit, prout colligitur ex multis decretis *diſtinct.* 87. Suarez *ſuprà num.* 35. Azor. *ſuprà d. §. ex dictis*. Bonacina *ibid.* Vnde oppoſita ſententia periculoſa, & contra ſacrorum Canonum auctoritatem vocatur à S. Rota in Oſcenſi *Canonicatus*, coram D. Pegna, die prima Decembris 1595. Quamuis etiam aliqui addant id ſaltem licere quando Iudex Eccleſiaſticus, qui dictam violentiam tollat, vel non adeſt, vel ſi adeſt, id non vult facere, quod ſentire videntur Malderus *part.* 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Portellus *in additionib. ad dub. Regular. verb. appellare*, *num.* 4. Fauet Souſa *in Bulla Cœnæ*, *cap.* 15. *diſput.* 78. *num.* 2. de quo Diana 1. *part. in tract. de Immunit. Eccleſiaſtica*, *Reſol.* 13. Nihilominus quia nec abſentia, nec mala voluntas Prælati Eccleſiaſtici tribuere poteſt iuriſdictionem Principi ſæculari in Regulares aut Eccleſiaſticos, quia talis iuriſdictionis capax non eſt niſi ex commiſſione Prælati Eccleſiaſtici, ideo nec in tali caſu id licitum erit. Solum ergo poſito caſu rarò certiſſimæ violentiæ, magnæ, & vrgentis neceſſitatis, ac poſita abſentia, vel dicta mala voluntate Iudicis Eccleſiaſtici ſuperioris illius, qui violentiam facit, videtur (ſub cenſura Sedis Apoſt.) id admitti poſſe; eo enim caſu ſicut licitum eſt ipſi oppreſſo vim ſibi illatam repellere, ſic & ſæcularis poteſtatis adiutorio vti, non per modum iuriſdictionis, ſed per modum defenſionis, iuxta rectam rationem faciendæ. Suar. *ſup. n.* 6 *&* 9. Azor. *d. quæſt.* 2. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *n.* 4. Dixi autem, certiſſimæ violentiæ, quia ſi res ſit dubia, ſemper pro Superiori Eccleſiaſtico præſumendum eſt, ideoque tunc nulla poteſtas laica impedire poteſt ne agat, quod vult in ſubditum, cum vtatur iure ſuo quod habet in dubiis. Suarez *ſup. n.* 33. Diana *part.* 3. *tract.* 1. *Reſol.* 53. *& part.* 5. *tract.* 1. *Reſol.* 13. *§. vrget* 2.

Vnde infero quoad praxim Regularium, vſum quorumdam male morigeratorum Religioſorum recurrentium ad Principes, ſeu iudices ſæculares, vt vim ſibi illatam à ſuis Superioribus tollant, peſſimum eſſe, & contrarium Bullæ Cœnæ, tum propter dicta, tum quia eſto in caſu certiſſimæ violentiæ illis inflictæ, & cum conditionibus aſſignatis id eſſet licitum, iuxta dicta, nihilominus rariſſimè ita contingit; ſemper enim eſt caſus dubius, cuius ſignum eſt, quod Principes illi, & Iudices ſæculares examinant, an ſit facta talis violentia, malè ergo faciunt tam ipſi recurrentes, quam recurſum acceptantes, ſiquidem priuant Prælatum Regularem iure quod habet in caſu dubio. Diana *d. Reſol.* 53. contra Portellum, & Hieronymum Rodrig. quos refert. 57

Quoad ſecundum de appellatione, qualiter ea omnino illicita ſit Eccleſiaſticis, ſeu Regularibus, ſi fiat ad Principes, ſeu Iudices ſæculares, conſtat ex dictis *tom.* 1. *cap.* 9. *à num.* 4. & ſuprà verbo *appellatio*, *num.* 5. & ex excommunicatione poſita in Bulla Cœnæ caſu 13. contra appellantes à decretis Sedis Apoſtolicæ, vt retuli verbo *Bulla Cœnæ*, *num.* 36. Vnde appellationes quædam, tuitiuæ appellatæ, quæ in aliquibus partibus ſunt in vſu, conceſſæ à Principe ſæculari contra Iudicem Eccleſiaſticum, reprobatæ etiam videntur, non ſolum ex dictis, ſed ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. Diana *part.* 1. *tract. de Immunit. Eccleſiaſtic. Reſolut.* 102. Qualiter etiam eadem doctrina ſit tenenda etiam in caſu quo cauſa deciſa fuit à duobus Iudicibus, vno Eccleſiaſtico, & altero laïco, ita vt nec tunc liceat appellatio ad Iudicem laïcum, agit idem Diana *p.* 5. *tr.* 1. *Reſol.* 54. 58

ex

ex Felino, Ambroſino, & Bonacina. Specialiter etiam pró Regularibus, qualiter hoc genus appellationis nullatenus eis expediat, nec etiam in caſu raro ſuperius allato, præter dicta locis relatis optimè habet Sotus *lib. 5. de iuſt. & iure, quaſt. 6. art. 3.* ſic: *Reſpondetur nihilominus perquam ſanctè è Religionibus abigi appellandi vſum. Nam etſi fortaſſe accidere quandoque poſſit, vt Monachus aliquis iniuria laſus affligatur, tamen ex alia parte talia damna (quæ rariſſimè contingunt) pace, & quiete compenſantur; neruus enim, & decus Religionis in hoc maximè conſiſtit, vt altiſſimo inter ſe ſilentio amma veluti inter fratres, quæ ſua eſt profeſſio, planiter tractent, & tranſigant, neque ſe ſeculo prodant. Etenim vbi primùm Religionum cauſa Clauſtrorum metas exierint, actum de illis eſt.*

19 Quoad tertium de auocatione cauſarum Regularium, & aliorum Eccleſiaſticorum ad tribunalia ſæcularia, dicendum eſt, etiam nullo modo licere, ſicque facientes incidere in excommunicationem Papalem Bullæ Cœnæ caſu 14. verbis relatis ſuprà, verbo *Bulla Cœnæ, num. 38.* Cum autem ibi dicatur, *aliiſque Iudicibus Eccleſiaſticis*, ideo incurrent dictam cenſuram non ſolum auocantes cauſas ſpirituales ad laica tribunalia, ſi auocatio ſit à Iudicibus Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam ſi ſit ab aliis Iudicibus Eccleſiaſticis, quales ſunt Prælati Regulares: Particula enim illa *aliis*, vniuerſalis eſt. Nec refert, quod dictio *aliis*, ſit relatiua ſimilium, quia non ſemper ita contingit, ſed iuxta ſubiectæ materiæ qualitatem oppoſitum ſæpè contingit, vt dixi ſuprà verbo *dictio, num. 5.* Quod maximè verum eſt in præſenti, cum in quolibet Iudice Eccleſiaſtico reuerenda ſit auctoritas Eccleſiæ, quod eſt intentum Summorum Pontificum in dicta Bulla Cœnæ. Filincius *tom. 1. tr. 16. cap. 10. n. 250.* Naldus *in Summa, verb. Bulla Cœna, num. 49.* Diana *part. 3. tract. 1. Reſol. 55.* contra Vgolinum, & alios. Qualiter autem nec huiuſmodi auocatio, de qua in præſenti, nec appellatio, de qua ſupra, excuſari poſſit, vel per conſuetudinem etiam immemorabilem, vel per ſimplicem tolerantiam Summorum Pontificum, niſi adſit aliquod verum priuilegium ab ipſis conceſſum, nec reuocatum, dixi ſuprà verb. *Clericus, n. 19.* vide Alterium *de Cenſuris, lib. 5. diſp. 25. c. 2.* & Duardum *in Bulla Cœnæ, cap. 15. q. 13.*

EXTREMA VNCTIO.

SVMMARIVM.

1 *De Regularibus an poſſint miniſtrare hoc Sacramentum, & quibus perſonis.*
2 *Quid de excommunicatione poſita in Clementina* Religioſi, de priuilegiis.
3 *Notabile priuilegium Patrum Theatinorum.*
Priuilegium Iulij II. pro Minimis. ibid.
4 *Miniſtrare hoc Sacramentum Religioſis ſpectat ad eorum Prælatos.*
Sacerdotes non vnguntur in palma manus. ibid.
5 *Qualiter adminiſtrandum hoc Sacramentum tempore peſtis.*
6 *Adminiſtratur ſemper in periculo vitæ propter infirmitatem.*
7 *An debeant vngi ſemper omnes quinque ſenſus.*
An etiam tempore peſtis. ibid.
8 *An vnctio renum, & pedum debeat adhiberi.*
9 *Miniſter huius Sacramenti vnus tantum an ſit.*
10 *Vnctiones an ſucceſſiue fieri debeant.*
11 *An in modum Crucis.*
12 *Quæ quantitas olei ſufficiat pro vnctione.*
13 *De oleo quod eſt materia remota huius Sacramenti.*
An renouari debeat ſingulis annis. ibid.
14 *Forma huius Sacramenti quæ.*
Non omnia verba ipſius pertinent ad ſubſtantiam. ibid.
15 *Multo magis id dicendum de Pſalmis, & Orationibus.*
16 *Excommunicatus an poſſit adminiſtrare hoc Sacramentum.*
17 *Adminiſtrandum eſt illis qui in amentiam inciderunt.*
Item pueris capacibus Sacramenti pœnitentiæ. ibid.
18 *Sacerdos moribundus non poteſt ſe inungere.*
19 *Praxis adminiſtrandi hoc Sacramentum inter Regulares.*
20 *Alia remiſſiuè.*

DE hoc Sacramento quatenus ad Regulares ſpecialiter ſpectat, dixi *tom. 1. cap. 9. num. 31. & cap. 21. num. 10.* non poſſe adminiſtrari ſæcularibus à Religioſis ſine Parochi licentia extra caſum neceſſitatis, ſub pœna excommunicationis Papæ reſeruatæ, de qua in Clement. *Religioſi, de priuileg.* benè tamen in caſu neceſſitatis, quando Parochi licentia interpretatiuè præſumitur. Addunt aliqui, quod inſtante articulo mortis poſſet Religioſus, & quilibet alius Sacerdos miniſtrare illud ægroto in tali periculo conſtituto, etiamſi ſciret Parochum id ægrè laturum, cum veriſimile ſit id velle Eccleſiam piam matrem propter fidelium vtilitatem. Naldus *in Summa, verb. Extrema vnctio, num. 10.* De Tertiariis Religionum, an ſaltem iiſdem adminiſtrari poſſit hoc Sacramentum à Regularibus, dixi *tom. 1. part. 2. cap. 14. num. 34.* De familiaribus autem, ſeu famulis Regularium, dixi eo *tomo 1. part. 2. cap. 16. num. 20. & 21.* Qualiter etiam Regulares poſſint pauperibus in Hoſpitalibus ipſorum Religioſorum degentibus hoc Sacramentum miniſtrare, dixi eo *tom. 1. part. 1. cap. 21. num. 10.* ex Miranda *in Man. tom. 1. quaſt. 49. art. 1.* Nota tamen id eſſe ſolùm intelligendum de illis Regularibus, quibus à Sede Apoſtolica eſt hoc conceſſum. Ita enim decernitur in dicta Clem. *Religioſi.* Quamuis etiam dicto *num. 10.* dixerim Sixtum quartum Carmelitis conceſſiſſe, quod poſſent adminiſtrare hoc Sacramentum, ſicut & Euchariſtiam perſonis eiſdem confeſſis quando Parochialium Eccleſiarum Rectores difficiles ſe reddunt in exhibitione iſtorum Sacramentorum, illa ſine rationabili cauſa denegando, ſeu malitioſè differendo (cui conceſſioni ſimilis etiam eſt alia, quam ex eodem Sixto quarto pro Minoribus refert Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Excommunicare, num. 6.*) Nihilominus propter limitationem huius priuilegij factam per Leon. X. in Bulla *Dum intra*, quam retuli ſupra verbo *Euchariſtia, num. 5.* ſolùm eſt hoc admittendum, quando talis negatio ſine legitima cauſa vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram notario publico facta doceretur. Vide ibi dicta, ac Caſſarubium, & Mirandam eo loco relatos. 1

Nota etiam circa hanc Clementinam *Religioſi, de priuil.* id quod in ſimili dixi ſupra verbo *Euchariſtia, n. 3.* ſcilicet, excommunicationem in ea poſitam non comprehendere Clericos ſæculares, ſed omnes Religioſos Religionis approbatæ. Quamuis autem ibi dixerim, quod attinet ad adminiſtrationem Euchariſtiæ, comprehendere etiam Religioſos non Ordinatos, Conuerſos, & Moniales, id tamen non poteſt dici in præſenti, dum de Sacramento Extremæ vnctionis eſt ſermo, quia etſi Euchariſtia ab iſtis adminiſtrata vera Euchariſtia ſit, cum Euchariſtiæ Sacramentum non conſiſtat in fieri, ſed in facto eſſe, cæterùm Extrema vnctio ab illis miniſtrata non eſt verum Sacramentum, ſed fictum, quia ſolus Sacerdos eſt Miniſter huius Sacramenti: proinde ergo ſolum à Sacerdote incurri poteſt hæc excommunicatio. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. num. 5.* Alia verò, quæ ibi dixi de Nouitiis, & de Preſbytero parochiali, ac de præſumptione 2

requiſita ad incurrendam hanc excommunicationem, etiam applicari poſſunt in præſenti.

3 Pro notabili priuilegio, quod habent ex Pio IV. & Pio V. Patres Theatini ad miniſtrandum hoc Sacramentum etiam mercenariis famulis, operariis, & ſeruis Congregationis Ipſorum, ac quibuſvis hoſpitibus etiam ſæcularibus, quos in locis ſuæ Congregationis reperiri contigerit, conſule Bullam eiuſdem Pij V. inter Conſtitutiones ipſius 2. *tom. Bullar. num.* 31. & dicta ſuprà verbo *Euchar. num.* 9. ac Peregrinum, & Peirin. ibi relatos. Putat etiam Peirinis eo loco *num.* 93. poſſe Minimos (idem dic & de aliis cum ipſis communicationem priuilegiorum habentibus) miniſtrare hoc Sacramentum prædictis ſæcularibus, propter priuilegium Iul. II. quod illis concedit facultatem miniſtrandi talibus Euchariſtiam; conceſſo enim maiori cenſetur etiam conceſſum minus, *cap. ex parte* 3. *de decimis*, & de Regulis iuris in ſexto *num.* 53. Quod non placet, quia in priuilegiis non valet argumentatio à maiori ad minus, niſi quando minus continetur ſub maiori, vt pars Ipſius. Congruentius id probat ex priuilegio Nicolai Franci Nuncij cum poteſtate Legati à latere Sixti IV. quod refert Rodriguez *in Bullario tomo* 1. *in Sixto IV. Bulla* 42. Ibi enim conceditur facultas dandi extremam vnctionem iis, qui intra ſepta Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoletani, & quorumdam aliorum, infirmati fuerint.

4 Miniſtrare hoc Sacramentum Religioſis ſpectat ad ipſorum Prælatos, vel de eorum licentia, propter dicta à ſimili de miniſtratione Euchariſtiæ ſuprà verbo *Euchariſtia*, *num.* 7. De quo Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. Nota tamen, quod Sacerdotes non vnguntur in palma manus, ſed in exteriori parte, quia in palma ſemel vncti fuerunt in Sacerdotalis Ordinis ſuſceptione, Viualdus *de Extrema vnct.* §. *vbi conferendum*, *num.* 3. Sà *in Summa, verbo Extrema vnctio*, *num.* 16. Quamuis ſi oppoſitum ſit conſuetudine receptum, obſeruari poſſit, cum hæc vnctio ab altera diuerſa ſit. Layman. *lib.* 5. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 3. ex Paludano, & Zambrano.

5 Pro caſibus autem occurrentibus tempore neceſſitatis, in quibus præſertim, iuxta dicta, competit hæc facultas Regularibus, dicendum primò, probabile eſſe tempore peſtis poſſe inungi infirmum non digito, ſed virga oblonga, ſiue lignea, ſiue argentea, aut ex alia materia, nulla enim in hoc irreuerentia fit Sacramento, & talis modus vnctionis excuſabilis eſt propter euitandum mortis periculum. Chapeauilla *de Sacram. Extremæ vnction. quæſt.* 34. Syluius *in* 3. *part. q.* 32. *art.* 3. & alij, quos refert, & ſequitur Diana 3. *p. tract.* 4. *de Sacram. Reſol.* 167. & 5. *part. tract.* 3. *Reſol.* 79. Dixi poſſe, quia cum hoc Sacramentum non ſit de neceſſitate ſalutis, aut de præcepto diuino, non tenetur aliquis illud adminiſtrare cum periculo mortis, niſi in caſu quo infirmus nullum aliud Sacramentum ſuſcipere valeret, ad ſubueniendum ipſius neceſſitati ſpirituali quantum fieri poſſet. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 44. *ſectione* 2. *numero* 2. Naldus *in Summa, verb. Extrema Vnctio*, *num.* 6. Licèt alij id etiam negent cum Hurtado *de Sacramento Extremæ vnctionis*, *diff.* 12. *in fin.*

6 Quamuis etiam hoc Sacramentum adminiſtrari non debeat niſi cum homo eſt in periculo vitæ propter aliquam infirmitatem, iuxta illud Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ* (S. Thomas *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2. Sotus *ibid.*) tempore tamen peſtis, cum hæc infirmitas fallax ſit, & interdum hominem inopinatò occidat, poteſt etiam dari in principio. Suarez *ſuprà ſect. vltim. in fin.* Layman. *lib.* 5. *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 4. Imò, quando adhibito conſilio medicorum dubitatur an homo ſit peſte infectus, poteſt etiam in principio adminiſtrari, propter morbi huius fallaciam, ſed ſub conditione, Chapeauilla *de Sacrament. miniſtr. tempore peſtis*, *cap.* 5. *quæſt.* 15. Naldus *ſup.* In aliis etiam morbis non eſt expectandum extremum periculum vitæ, aut quod naturaliter omninò ſit deſperata ſalus, quia ſalus infirmi, quæ etiam eſt effectus ſecundarius huius Sacramenti, non cauſatur ab ipſo miraculosè, ſed virtute ordinaria ſupernaturali. Ioan. de la Cruz *in Direct. conſcient. part.* 2. *de Sacram. Extrema vnct. dub.* 3. *concluſ.* 4. Naldus *ſup.* Miniſtrari debet, ſi fieri poteſt, quando infirmus vſu rationis gaudet, vt ſe magis ad fructum illius diſponat. Bonacina *diſp.* 6. *de Sacram. Extrema vnct. quæſt. vnic. punct.* 5. *num.* 7. poſt plures alios.

Similiter, quamuis de neceſſitate huius Sacramenti 7
videatur eſſe, quod vngantur omnes quinque ſenſus, ſcilicet oculi, aures, nares, os, & manus, tum quia ita colligi videtur ex Concilio Florent. *in decr. Eugenij*, tum quia inſtitutum eſt ad remittenda peccata, ſeu reliquias peccatorum, quæ ex omnibus trahunt originem (S. Thom. *ſup. art.* 3. Sotus *ibid.*) nihilominus plures Theologi exiſtimant, caſu quo infirmus peſte eſſet infectus, ob euitandum periculum contagionis in Sacerdote vngente, ſufficere vnam ſolam vnctionem in vno, vel altero ſenſu magis expoſito, v.g. manu, vel oculo, dicendo formam conſuetam. Ita enim tenent Siluius *in* 3. *part. quæſt.* 32. *art.* 7. Chapeauilla *de Sacrament. cap.* 5. *quæſt.* 30. & alij, approbantes paſtorale Mechlinienſe, vbi id habetur, quos refert, & ſequitur Diana 3. *part. tract.* 4. *Reſolut.* 168. & 5. *part. tract.* 3. *Reſolut.* 80. Quidquid tamen ſit de probabilitate huius opinionis, & an eam in praxi poſſit Sacerdos amplecti, illud tutius, & ſecurius, vt in tali caſu ſolum ſub conditione miniſtretur hoc Sacramentum, vngendo videlicet ſenſum magis proximum, & proferendo formam virtualiter in ſe complectentem omnes formas partiales, dicendo videlicet: *Per hanc Sacram vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum.* Retinendo ſcilicet in mente hanc conditionem, *ſi licitè poſſum*, vel ſimilem. Layman. *ſupra cap.* 3. *num.* 3. Granadus *de Sacrament. in* 3. *part. contron.* 8. *tract. vnic. diſput.* 7. *num.* 12. Idem conſulendum, quando Sacerdos poſt vnam, vel alteram vnctionem videt infirmum exſpirare. Layman. *ibidem*. Illud probabilius, in talibus caſibus neceſſitatis ſufficere dictas vnctiones quinque ſenſuum fieri in vno organo ſolo ipſorum; ſcilicet in vna manu, in vno oculo, & vna aure, &c. Quia ad ſignificationem Sacramenti hoc ſufficit, & ab obligatione præcepti ſeu conſuetudinis Eccleſiæ, quæ eſt in contrarium, excuſat neceſſitas. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 129. Naldus *ſup. num.* 3. poſt Suarez & alios.

Pariter etiam, quamuis vnctio renum, & pedum de- 8
beat etiam adhiberi iuxta varias locorum, & Eccleſiarum conſuetudines, præſertim quia illius meminit Concilium Florentinum *ſuprà*; omitti tamen poteſt vnctio in lumbis tempore neceſſitatis, cum non ſit de eſſentia Sacramenti. Sotus *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2. Bonacina *ſuprà punct.* 5. *num.* 18. Omittitur etiam vnctio in lumbis in fœminis propter honeſtatem. Bonac. *ibid.* Imò & in Religioſis, propter eandem cauſam. Sotus *ſup.* Naldus *in Sum. verbo Extrema vnctio*, *n.* 4. Licet in Religione noſtra oppoſitum fiat, propter humilitatis exercitium. Dimitti tamen poteſt vbi ægrotus abſque periculo moueri non poſſet. Nald. *ibidem*.

Item quamuis ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ ne- 6
ceſſarium ſit neceſſitate præcepti ad culpam grauem obligante, quod Miniſter huius Sacramenti ſit tantum vnus, quia tamen aliqui credunt id non eſſe neceſſarium, ſed poſſe plures Sacerdotes ſimul illud miniſtrare, ita vt vnus vnum ſenſum vngat partiali forma prolata, & alius alium, &c. eo præſertim, quia *Iacob.* 5. dicitur:

dicitur; *Inducat Preſbyteros*, &c. in numero plurali (Henriquez *lib.*1. *cap.*27.) Ideo in caſu neceſſitatis, ſcilicet quando inſtaret mors infirmi, id poteſt admitti. Naldus *ſuprà*, *num.*5. Bonacina *ſuprà*, *punct.*4.*n.*7. Idem dico quando caſus eſſet, quod Sacerdos inungens, inchoata vnctione, moreretur; tunc enim alius Sacerdos poſſet ſupplere vnctiones alias. Bonacina *ibid.* Layman. *ſuprà*, *cap.*6.*num.*3.

10 Hinc collige, non eſſe de eſſentia huius Sacramenti quod vnctiones ſucceſſiuè fiant, ſiquidem conſtat ex dictis poſſe in caſu periculi mortis infirmi plures Sacerdotes ſimul eum inungere. Suarez *ſup. diſput.* 43. *ſect.*5.*num.*8. Nota tamen nunquam poſſe adminiſtrari hoc Sacramentum à pluribus, ita vt vnus vngat, & alter verba formæ proferat, quia hoc eſt contra vſum Eccleſiæ. Suarez *ibid. num.*3.

11 Quòd vnctiones fieri debeant in modum Crucis, ſaltem ex neceſſitate præcepti obligantis ad mortale, propter Eccleſiæ vſum, tenent aliqui, ſpecialiter Nugnus *in Additionib.ad* 3. *part.S.Thom. quæſt.*29. *art.*6. Quia tamen id non eſt neceſſarium neceſſitate Sacramenti, vt communiter tenent Doctores, nec de hoc eſt præceptum impoſitum expreſsè, & conſuetudo Eccleſiæ non videtur introducta cum tanto onere, ideo ſaltem in caſu neceſſitatis, quando Sacramentum hoc propter periculum mortis celeriter adminiſtratur, quod vnctiones ſine Cruce fiant, nihil obſtat. Zambran. *de caſibus occurrentibus tempore mortis*, *cap.*5.*num.*12. Layman. *ſuprà*, *cap.*5.*num.*7.

12 Vnam ſolam guttam olei ſufficere in vnaquaque vnctione pro validitate huius Sacramenti, probabile eſſe indicat Diana *ſuprà*, *part.*3.*tract.*4.*reſolut.*177. Alij verò cum Filiucio *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *num.*78. tenent oppoſitum, quia vnctio ſecundum communem modum loquendi requirit perfuſionem, quæ vna ſola gutta non fit. In caſu tamen neceſſitatis, de qua in præſenti, quando maior quantitas olei non eſſet, ſequi poteſt Sacerdos primam opinionem, applicando tamen formam ſolum ſub conditione.

13 Oleum iſtud infirmorum ab Epiſcopo benedictum, quod eſt materia remota huius Sacramenti, quamuis ex Eccleſiæ vſu renouari debeat ſingulis annis, quia tamen de hac re nullum extat præceptum, ſaltem expreſſum (Henriquez *lib.* 3. *cap.*8. *num.*2. & *lib.*2.*cap.*29.*num.*3. Naldus *ſup.num.*2.) vel ſi eſt tale præceptum, illud non videtur obligare in caſu vrgentia mortis infirmi, de quo in præſenti eſt ſermo (Zambranus *ſup.cap.*5. *dub.*4.*num.*5.&*.ſequentibus*, Bonacina *ſup. punct.*2. *num.*6.) ideo in tali caſu poteſt illi adminiſtrari Extrema vnctio cum oleo veteri. Ita etiam declaratum eſt à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, teſte Gauanto *in Man. Epiſcopor. verbo Extrema vnctio*, *num.*10. Sà *in Summ. verb. Extrema vnctio*, *num.*6. Diana *dict. tract.* 4. *reſol.* 176. Quod etiam eſt dicendum in caſu, quo Epiſcopus non miſiſſet oleum nouum. Zambranus *ſuprà*, *num.* 15. Layman. *ſuprà*, *cap.*2. *num.*4. Qualiter propterea Clemens VIII. in Bulla *Exponi nobis*, præceperit Archiepiſcopis, & Epiſcopis, vt Carmelitis oleum pro miniſtranda Extrema vnctione petentibus exhibere debeant, dixi *tom.*1. *cap.*3. *num.*20.

14 Quamuis etiam ex vſu Eccleſiæ omnia iſta verba dici debeant in forma Extremæ vnctionis, ita vt ſine peccato omitti non poſſint: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* In caſu tamen neceſſitatis, quando ſcilicet vrget mors infirmi, omitti poſſunt illa: *In nomine Patris, & Filij, &c.* Quia nec ſunt de neceſſitate, nec de præcepto. Filiucius *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *num.*86. Bonacina *ſuprà punct.*3. *num.*2. Similiter illa, *Sanctam & piiſſimam miſericordiam*, quia non videntur pertinere ad ſubſtantiam formæ, cum ſine illis ſenſus ipſius ſit perfectus. Suarez *ſuprà diſput.* 40. *ſect.* 3. Reginaldus *in Praxi*, *tom.* 1. *lib.*28. *cap.*9. *num.*56.

Multo magis idem dicendum de Pſalmis, & Orationibus ab Eccleſia præſcriptis pro adminiſtratione huius Sacramenti; etſi enim ea regulariter omitti non debeant, quia ſunt neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, in caſu tamen inſtantis mortis infirmi, vel periculi contagionis, vt tempore peſtis, immediatè procedi poteſt ad vnctiones, & poſtea illa recitari. Layman. *ſuprà cap.*8.*num.*1. ex Zambrano, Naldus *ſuprà n.*50. Secus dicens de veſtibus Sacris; ſine illis enim non licet Sacerdoti miniſtrare hoc Sacramentum. Naldus *ibid.* Bonac. *ſuprà punct.*6.*num.*9. ex Suarez, & aliis. 15

Similiter quamuis iuxta dicta ſupra *verbo Excommunicatio*, excommunicatus maximè non toleratus prohibeatur adminiſtrare Sacramenta, in caſu tamen quo infirmus eſſet in periculo mortis, & nullum aliud Sacramentum poſſet recipere, quia nec illud petierit, nec ſigna contritionis dederit, licitum erit Sacerdoti excommunicato etiam tolerato adminiſtrare tali infirmo hoc Sacramentum ad ſubueniendum ipſius ſpirituali neceſſitati; contingere namque poteſt quod ſaltem ſit attritus, & ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti, iuxta plurium opinionem. Cornejo *tom.*2. *in* 3. *part. S.Thom. diſput.* 10. §.1. *dub.*4. & Diana 5. *part.tract.*5. *Reſolut.*81. Vbi idem dicit de ſuſpenſo, ac ex Ioanne Præpoſito, quem ibi refert, approbat id fieri poſſe etiam caſu quo infirmus ſuſcepiſſet Sacramentum pœnitentiæ, propter magnam vtilitatem huius Sacramenti Extremæ vnctionis. 16

Adminiſtrandum eſt hoc Sacramentum etiam illis, qui in amentiam inciderunt, & illud non poſtularunt, quia ex eo quod chriſtianè vixerint interpretari debemus habere voluntatem illud ſuſcipiendi. Nauarrus *in Man.cap.*22. *num.*13. Filliucius *tom.*1.*tract.*3. *cap.*5. *num.*101. Granadus *de Sacram. controuerſ.*8. *tract. vnic. diſput.*6. *num.*4. Item pueris, qui ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi nondum ſuſceperint Euchariſtiam, ſunt enim tales capaces effectus huius Sacramenti, quod eſt inſtitutum contra reliquias peccatorum. Layman. *ſupra cap.*4. *num.*2. Sancius *in Select. diſput.*27. *num.*6. & alij apud ipſos. Caſu verò quo dubitetur de capacitate pueri, vngendus eſt ſub conditione. Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſput.* 13. *ſect.* 4. *num.*41. item adultis, qui immediatè poſt Baptiſmum in periculum mortis inciderunt, eſto non peccauerint poſt Baptiſmum, illi enim ſunt capaces effectus huius Sacramenti, quia retinent reliquias peccatorum præteritorum, verbi gratia prauos habitus, &c. contra quas inſtitutum eſt, & indigent auxiliis, quibus roborentur in illo periculo, quæ etiam præſtat hoc Sacramentum, Syluester *in Summa*, *verb. Vnctio*, *num.* 5. Zambranus *de caſib. tempor.mortis*, *cap.*5. *dub.*3. Naldus *ſup. num.*9. Non tamen adminiſtratur pueris ante vſum rationis, aut perpetuò amentibus, quia non ſunt capaces fructus huius Sacramenti, quod contra peccata inſtitutum eſt. Syluester *ſuprà*, Layman. *ſuprà*, *cap.*4.*num.*3. 17

Sacerdotem moribundum non poſſe ſe vngere, etiamſi nullus alius adeſſet, qui id faceret, videtur certum, tum generaliter quia Sacramenta, quæ in vſu conſiſtunt, requirunt Miniſtrum à ſuſcipiente diuerſum: tum ſpecialiter quia verbum illud, *Tibi*, quod eſt in forma huius Sacramenti, petere videtur dictam diuerſitatem. Diana *dict.*5. *part. tract.* 3. *Reſol.*94. ex Mercero, quem refert. 18

Circa praxim huius Sacramenti inter Regulares notandum, quod ſi caſus eſſet, quod dum Sacerdos curat reuolui infirmum ad ipſum vngendum, moreretur, non propterea cenſendus eſſet irregularis Sacerdos 19

eum vngens, cum nec talis irregularitas in iure ſit expreſſa, & ſic faciens daret operam rei licitæ. Fauet Sotus 5. *de inſtit. quaſt.* 1. *art*. 9. *circa med.* & tenet Bonacina *dict. punct.* 4. *num.* 10.

Vide alia *verb. Interdictum quoad Regulares.*

FALSARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Falſarius quis ſit.*
2 *De falſificante literas Apoſtolicas.*
Falſarij quas pœnas incurrant. ibid.
3 *De Religioſo falſificante literas ſuorum Superiorum.*
Eſt caſus reſeruabilis inter Regulares .ibid.
Quando, & quomodo. ibid.
4 *De falſificante per artem Alchimiæ.*
5 *De cudente falſam monetam.*
Maximè propter conſtitutionem Sanctiſſimi D. N. Vrbani. ibid.
6 *Cognitio huius delicti pro Regularibus ad quos pertineat.*
7 *Alia de falſariis remiſſiuè.*

1 FAlſarius generaliter loquendo eſt is, qui crimine falſi tenetur, vel illud admittit. Falſi autem crimen eſt peruerſio veritatis cum dolo, & alterius iactura. Sylueſter *in Summa, verb. Falſarius, num.* 1. Condemnatus autem de hoc crimine in iudicio, quia eſt crimen depoſitione dignum, incurrit infamiam iuris, & per conſequens eſt irregularis ſecundum Theſaurum *in Praxi, part.* 2. *verb. Falſum, cap.* 1. Sed de hoc infra *verb. Infamia.* Hoc autem crimen multipliciter ad Regulares ſpectare poteſt, videlicet litteras Apoſtolicas, ſeu patentes ſuorum Superiorum falſificando, alchimicum aurum, vel argentum efformando, falſam monetam cudendo, ſeu fingendo, aut falsè in iudicio teſtificando, ſeu falſis Reliquiis vtendo, de quibus omnibus ſigillatim agendum.

2 Et quidem quod falſificantes, ſeu falſo fabricantes litteras Apoſtolicas quaſcumque excommunicationem Papalem Bullæ Cœnæ Domini incurrant, conſtat ex verbis ipſius Bullæ in ſexto caſu relatis ſupra *verb. Bulla Cœnæ, num.* 20. Circa quæ primò notandum, quod in Bullis antiquis, prout patet in ea, quam refert Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 62. hic caſus magis extenſus erat, quam in præſenti Bulla Sanctiſſ. D. N. Vrbani. Ei ergo ſolum ſtandum eſt. Secundò, quod *in cap. Ad falſariorum, de crimin. falſ.* etiam erat prohibitum ſub excommunicatione non reſeruata litteras Apoſt. falſare, per ſe, vel per alios, quæ excommunicatio etiam ad fautores, & defenſores ibi extenditur. Clerici etiam falſarij deprehenſi omnibus officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis perpetuò priuantur, & poſt degradationem ſæculari poteſtati traduntur, ſicut etiam laici de falſitate conuicti. Similiter clerici falſis litteris vtentes officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliari iubentur, & laici excommunicari, donec ſatisfaciant. Theſaurus *ſuprà, cap.* 4. Tertiò, aliud eſſe falſificare litteras, aliud falſo fabricare; falſificare enim eſt veras litteras ab earum ſincera veritate immutare; fabricare verò eſt eas confingere. Quamuis ergo *in dict. cap. ad falſariorum*, ſolum prior actio prohibita eſſet, & ſub pœna excommunicationis nulli reſeruatæ, at in Bulla Cœnæ vtraque eſt prohibita, & ſub excommunicatione reſeruata. Suarez 5. *tom. n.* 3. *part. S. Thom. diſp.* 21. *ſect.* 2. *in* 44. Quartò nota circa priorem actionem, quod licet aliqui credant ſufficere ad illam excommunicationem incurrendam, quod vel minima immutatio in vna littera, vel puncto fiat, Caietanus *in Summa, verb. Excommunicatio, cap.* 26. *in fin.* poſt alios; alij verò contrarium ſentiant cum Nauarro *in Manual. cap.* 27. *num.* 62. probabilius tamen eſt attendendum eſſe ad mentem Pontificis, ſi enim per talem mutationem mutatur ſenſus à Pontifice intentus, ſemper incurretur dicta excommunicatio, etiamſi mutatio per vnius apicis, aut puncti mutationem fiat. Si verò non variatur ſenſus à Pontifice intentus, non incurretur cenſura, ſi ſic corrigens commodè non poterat adire Officiales Curiæ, ad quos pertinet talem correctionem facere. Suarez *ſuprà, num.* 45. Naldus *in Summa, verb. falſum, num.* 4. Quinto nota ſub hac excommunicatione Bullæ non comprehendi vtentes litteris falſis, ſicut continentur *in dict. cap. Ad falſariorum.* Nauarrus *ſuprà*, Naldus *ſuprà*. Imo *in c. dura*, §. *Adjicientes, de crimin. falſ.* excommunicatio promulgari iubetur in eos, qui apud ſe litteras falſas habere cognoſcentes non eas reſignant, aut deſtruunt intra viginti dies, & eſt Papæ reſeruata. Suarez *ſupra, num.* 49. Sexto, impetrantes litteras falſas ſubreptitiè, vel obreptitiè, non comprehendi ſub hac excommunicatione Bullæ Cœnæ, quæ ſolùm tangit falſificantes, vel falſo fabricantes illas. Nauarrus *ſuprà*. Suarez *ſuprà, numero* 50. Incurrunt tamen illas pœnas quas illi, qui vtuntur litteris falſis, *cap. ad falſariorum*, & carent omni commodo litterarum, *cap. Sedes, cap. ex tenore, cap. ſuper litteris, de reſcriptis.* Suárez *ibid.* Septimò, quod falſarij litterarum Epiſcopi, vel Nuncij non comprehenduntur in excommunicatione Bullæ Cœnæ, neque in ea, quæ ponitur, *cap. Ad falſariorum*, relato. Nauarrus *ſuprà*. Octauò, quod cenſuram Bullæ Cœ- næ incurrent tales falſarij, etiamſi dictis litteris non viantur, aut etiamſi erroris pœnitentes, illas ad priſtinum ſtatum reducere conentur, quia actio ibi prohibita eſt falſificatio. Naldus *in Summa, verb. Bulla cœna, num.* 33. Idem dic reſpectiuè de fabricantibus dictas litteras falſas.

De Religioſo falſificante litteras, ſeu patentes ſuorum ſuperiorum, ſeu de falſificante litteras Ordinariorum loquendo, dicendum eſt nullam iure communi eſſe latam cenſuram contra ipſum, ac perinde ſtandum eſſe Conſtitutionibus particularium Religionum, Theſaur. *ſupra, cap.* 5. Qui etiam addit, vtentes falſis litteris, ſeu dimiſſorialibus ad Ordinum ſuſceptionem incurrere ſuſpenſionem ex Pio II. De quo vide *dict. tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. Itali etiam cum falſis dimiſſoriis ordinati, poſt Iudicis declarationem fori priuilegiò priuantur, & ſæculari iuriſdictioni ſubduntur à Sanctiſſimo D. N. Vrbano in Bulla *Secretis*, in tom. 4. Bullar. n. 35. ea verò ſolum comprehendere videtur clericos ſæculares, non Regulares.

Pro paxi tamen eorumdem Regularium notandum, inter caſus, quos Clemens VIII. in decreto relato *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 20. permittit reſeruari poſſe inter Regulares, numerari *falſificationem manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus*; ex hoc enim infertur falſificare litteras patentes Prælatorum eſſe caſum reſeruabilem in Religionibus. Nomine enim *Officialium Monaſterij, &c.* veniunt non ſolum Superior, Procurator, Sacriſta, &c. ſed etiam maximè iuxta intentionem Pontificis, Prior, ſeu Guardianus, Prouincialis, Generalis, imò Procurator generalis, & Secretarius, ſeu Socius Generalis: hi enim ſunt Officiales Religionis, & conſequenter Conuentuum, vt contra Portellum *in dub. Regular. verbo falſarius, n.* 1. habet Peirinis *tom.* 2. *de Prælato, quaſt.* 3. *cap.* 2. *num.* 50. & ante ipſum Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 18. *num.* 8. Cum autem Pontifex dicat *Monaſterij, aut Conuentus*, non verò Monaſteriorum, aut Conuentuum, ideo placet quod idem Portellus habet, ſcilicet ſolùm loqui Papam de Officialibus eius Monaſterij, aut Conuentus, in quo falſarius commoratur, non aliorum. 3

aliorum. Cum autem Pontifex dicat *falſificatio*, *&c.* Ideo contra Peirinis relatum credo litteras prædictas falſificare, etſi caſu dato quod falſarius illis non vtatur, caſum eſſe reſeruabilem, quia actio ibi adæquatè prohibita ſolum eſt iſta, iuxta dicta *ſupra*, *num.* 2. ex Naldo. Sicut ea oppoſito vti litteris ab alio falſificatis non puto eſſe caſum hic comprehenſum, quia hoc non eſt falſificare, quod ſolum caprimitur à Pontifice. Bordonus *reſol.* 46. *num.* 7. Nec ſimiliter incurrent hunc caſum conſulentes, auxiliantes, ſuadentes, aut ſimiles, quia ſumus in materia odioſa, & reſtringibili, Pontifex autem ſolum loquitur de falſificante. Peirinis *ibid.* Imo etiam per falſificationem manus, aut ſigilli non intelligo quamcumque fabricationem manus, aut ſigilli ad inſtar manus, aut ſigilli Officialium, &c. ſed eam per quam falſæ litteræ conſignantur, vt bene Suarez *ſuprà*, *num.* 9. Bordon. *ſuprà*, *num.* 2. Quid verò dicendum de falſificante manum, aut ſigillum Officialium, non in rebus pertinentibus ad Monaſterium, ſed ad perſonas ipſorum Officialium, an ſcilicet peccatum iſtius ſit de quo in præſenti, an non. Quamuis Suarez *num.* 10. & Portellus *num.* 8. vtrumque caſum credant comprehendi, quia tamen res eſt odioſa, ac per conſequens reſtringibilis, probabile propterea cenſeo Pontificem loqui de falſificante manum, aut ſigillum Monaſterij in rebus ſolum ad ipſum Monaſterium ſpectantibus, ita vt particula *Officialium*, ſumatur formaliter, prout Officiales ſunt.

4 De falſificante per artem Alchimiæ dicendum, in Extrauag. *Spondent*, *de crim. falſi*, eos qui chimicum, ſeu alchimicum aurum, vel argentum faciunt, aut fieri mandant, ſequuto effectu, aut facienti miniſtrant ſcienter, & præſertim qui monetam ex auro, vel argento alchimico faciunt, ſeu fabricant, aut fieri mandant, incurrere pœnam infamiæ iuris, & teneri pauperibus erogare tantumdem probæ monetæ, ſeu ponderis metalli. Pro qua primò notandum, quod ſiue dicatur cum quibuſdam, per huiuſmodi artem poſſe fieri verum aurum, vel argentum ex rebus vilioribus, ſiue etiam cum aliis, id eſſe impoſſibile per naturam, & ſtudium humanum, ſiue tertiò cum aliis quos ſequitur Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 13. *punct.* 2. (quod videtur probabilius) eſto id fieri poſſit per naturam, eſſe tamen valde difficile, incertum, periculoſum, & Diaboli fraudibus expoſitum: quomodocumque id ſit, meritò contra talem artem prædictam Extrauagantem editam eſſe, ac proinde eam artem eſſe illicitam, & prohibitam. Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 40. *num.* 51. Secundò pœnam illam reſtitutionis obligare ante omnem ſententiam Iudicis iure naturali, ſi id quod factum eſt non fuit verum aurum, aut argentum, & pro tali erogatum eſt, propter damnum tertij inde ſecutum. Quando autem (caſu dato) fuiſſet verum aurum, vel argentum, erogatum non eſſet pro vero, ſed pro alchimico tali quali, non videtur obligare ad talem pœnam. Quia nullum damnum proximo illatum eſſet. De quo Theſaurus *ſuprà*, *cap.* 2. ex aliis quos refert. Tertiò, quoad praxim Regularium, meritò propter dicta inter illos talem artem prohibitam eſſe variis pœnis, prout in noſtris Conſtitutionibus *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. vbi inter proprietarios Alchimiſtæ reponuntur.

5 Circa illud de cudente falſam monetam, præter dicta *tom.* 5. *part.* 5. *cap.* 10. *num.* 23. ex Conſtitutionibus Pij V. & præſertim Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, qui pœnam degradationis contra perſonas quaſcumque Eccleſiaſticas, etiam Regulares in tota Italia exiſtentes, *quæ aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint*, ſtatuit, notandum multis modis falſationem, ſeu falſi crimen circa monetas accidere poſſe. Primò quidem, eas cudendo priuata auctoritate, *l.* 2. *&* 3. *Cod. de falſa moneta.* Sic enim faciens peccat mortaliter contra ius Principis, vel Ciuitatis, ad quos ſpectat id facere, & tenetur ad reſtitutionem iacturæ, quam paſſi ſunt Principes, vel Ciuitas in hoc. Syluester *in Summa*, *verb. Falſarius*, *num.* 7. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. contra Nauarrum *in Man. cap.* 17. *num.* 167. Punitur etiam in Italia pœna degradationis, propter Conſtitutionem adductam Vrbani, prout notatur illo verbo *fabricare.* Secundò, falſam monetam cudendo, ſcilicet pondere iniquo, vel materia adulterina, *cap. Quanto*, *de iureiurando*, *& l.* 3. *Cod. de vet. numiſm. collat.* Syluester *ſupra*, *num.* 9. Nauarrus *ſupra.* Sic etiam faciens peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem ei cui intulit damnum, propter dicta, & punitur ex dicta Conſtitut. Vrbani, propter illud verbum *alias adulterare*, dicta pœna degradationis. Tertiò, de iuſto pondere monetæ detrahendo, abſcindendo, radendo, *leg. quicumque*, *ff. ad legem Corneliam de falſ.* Angelus *verb. falſarius*, §. 8. Nauarrus *ſuprà*, *num.* 168. Qui autem hoc facit, ſimiliter peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem ei cui damnum inferunt, vt de ſe patet, & comprehenditur In dicta Conſtitutione illo verbo *tondere.* Hic tamen nota, quod tondens priuata auctoritate monetas plus æqui ponderis habentes in ea quantitate qua excedunt, etiam peccat mortaliter, quia vſurpat id quod eſt publicæ auctoritatis, Nauarrus *dict. num.* 168. Layman. *ſuprà.* Licet Angelus *vt ſuprà*, illos excuſare videatur. Tenetur etiam ad reſtitutionem Principi, vel Ciuitati de materia illa, quam auferunt, quia ea ſpectat ad monetas cudentes, cum ſolum per errorem illam ibi appoſuerint. Syluester *ſuprà*, *num.* 10. Nauarrus *ſuprà.* An vero comprehendatur dicta Conſtitutione Vrbana mihi incertum eſt, ad minus tamen miriori pœna puniri debet. Quartò, adulterinæ materiæ nummos, puta ſtanneos, vel plumbeos tingendo, ſeu colorando, vt appareant aurei, vel argentei, *dict. leg. Quicumque.* Layman. *ſuprà.* ex Abbate, & Couarruuia. Sic autem facientem dubium non eſt quin mortaliter peccet, & teneatur ad reſtitutionem illi, quem decepit, ac puniatur dicta Conſtitutione Vrbani, propter illud verbum *colorare.* Quintò, prædictas falſas monetas pro veris exponendo, *cap. Quanto*, relato. Vnde ſic faciens peccat mortaliter (intellige ſuppoſita grauitate materiæ) & tenetur ad reſtitutionem ei, cui tales pecunias pro veris dedit, & ſi neſcitur, tenetur dare pauperibus, argumento eorum, quæ habentur *in cap. cum tu*, *de vſuris.* Syluester *ſuprà*, *num.* 7. Nauarrus *num.* 167. Punitur quoque dict. Conſtitutione Vrbani, vt patet illis verbis, *ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare.* Vbi etiam aliæ pœnæ ſtatuuntur contra detinentes ſcienter huiuſmodi pecunias adulteratas, ſeu de loco ad locum transferentes, aut opem præſtantes ad præmiſſa.

Pro praxi tandem Regularium notandum, quod ex 6
vi dictæ Conſtitutionis Vrbani cognitio huius delicti In Italia nullatenus ſpectat ad ſuperiores Religionum, ſed ad Cardinales Legatos, vel Ordinarios, iuxta dicta *eo cap.* 10. *num.* 23. extra Italiam verò poterunt prædicti Superiores Regularium vti iure ſuo, puniendo ſubditos in præmiſſis delinquentes. Vide dicenda *infrà*, verbo *Monetarij.*

De falſitate, quæ eſt In falsè teſtificando in iudicio, 7
dicam verbo *Iuramentum.* De ea quæ contingit in Reliquiis falſis pro veris vtendo, *infra* verbo *Reliquiæ Sanctorum.*

Placuit hic adiungere reſolutionem quandam à me datam circa dubium mihi propoſitum, an videlicet quidam Reuerendiſſimus Generalis Mendicantium poſſet punire quendam Religioſum falſarium Breuis Apoſtolici, vel ſaltem impedire exequutionem falſi Breuis.

Poteſt

Poteſt Reuerendiſſimus Generalis Ordinum Mendicantium impedire exequutionem Breuis falſo fabricati ab aliquo Religioſo, quando conſtat de tali falſitate certò. Ratio eſt non ſolum quia tale delictum eſt commiſſum intra clauſtra, & non eſt ſcandaloſum ſæcularibus, ſed ſolum ipſis Religioſis, ac proinde intrat authoritas Ordinaria Prælati Religionis, qui in ordine ad ſuos ſubditos habet eandem authoritatem, quam Epiſcopi in ſuos. Rodriguez *tom.3. quæſtionum Regularium, quæſtione 23.art.3.* Miranda *tom.2.quæſt.16.art.6.* Sanctorius de Malfi *de pæn.cap.11.de pœnis in falſarios, §. Reſpondee ipſi.*

Nec obſtat quod *ex can. In memoriam, 19.diſt. c.2.* vbi Gloſſa *verſ. Ad præſentiam, de reſcript.* falſarius litterarum Apoſtolicarum dicitur remittendus ad Sedem Apoſtolicam, vt à Papa iudicetur & puniatur. Tum quia hæc decreta non procedunt in præſenti: ſiquidem falſarius prædicti Breuis iam obiuit, & iudicatus eſt à Deo, & ita non debet aut poteſt ab alio iudicari & puniri. Tum quia ſolum agitur de impediendo ne ex vi talis Breuis falſi aliqua inconuenientia ſequantur in Religione. Tum præcipuè quia his temporibus propter *cap. Ad falſariorum, de crim. falſi*, Ordinarius ſuperior delinquentis poteſt procedere ad capturam, & cauſam cognoſcere, & ſententiam proferre in exequutionem pœnarum impoſitarum, *ex dict.cap. Ad falſariorum*, præſertim quando falſificatio eſt manifeſta. Angel. *in l.2. fallent. 7. ff.de Iuriſdict. omn. Iud.* Felinus *in cap. ſuper litteris, num.31. verſ. limita 3. de reſcript.* Hoſtienſis *in ſumm. tit.de crimine falſi, num.8. verſ. in falſar. D. Papa*, Præpoſitus *in dict. cap. In memoriam, num.13.* & ibi Archid. Bald. Card. & Imola quos allegat & ſequitur Felinus *in dict. cap.2. num.20. de reſcript.* Et quidem Felinus ibi, & Anania dicunt nullo caſu hodie reum remittendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, niſi ſuperior, ſeu Ordinarius proprius delinquentis carceraſſet talem reum ex commiſſione Sedis Apoſt. Sic etiam ſentit P. Antonius Theſaurus Pœnitentiarius S.Petri de hac re conſultus.

FAMVLI, SEV FAMILIARES Regularium.

De his non pauca dixi *tom.5.huius Summæ, cap.16. & 17.* ita vt nihil occurrat addendum. Vide tamen ex iis qui poſt me ſcripſerunt Ioannem Marlam Nouarium *in Lucerna Regularium, verbo familiares*, ac dicenda circa exemptionem eorum à gabellis infra verbo *Gabella, num.11.*

FESTI DIES QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Feſti dies, quos Epiſcopi ſeruandos in ſuis Diœceſibus præceperint, qualiter obſeruentur à Regularibus.*
2 *Num obligari poſſint ad id per cenſuras.*
3 *An ad Octauas Feſtorum.*
4 *An ad Feſta votiua populorum.*
5 *Regulares an poſſint annunciare dies Feſtos, & ieiunia.*
6 *An eleuare Feſta ad nobiliorem ritum.*
7 *Dies Feſtos qui poſſint inſtituere.*
Quorum Sanctorum. ibid.
8 *Quæ opera ſint prohibita diebus Feſtis.*
9 *Quæ permiſſa ratione cultus diuini.*
10 *Quid ex priuilegiis Regularium.*
11 *Decretum S.Congregationis circa obſeruantiam Feſtorum.*
12 *De facultate Prælatorum Regularium quoad hoc.*
13 *An Indulgentia dici Feſti transferatur in alium.*

FEſtos dies, quos in Diœceſi ſua ſeruandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus obſeruari debere, dixi *tom.1.part.1.cap.9.n.46.* ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.25.cap.12.* vbi etiam ex declaratione Sacræ Congregationis obſeruaui qualiter illis diebus ritus Regularium permaneat, licet quoad Conciones, & lectiones conformare ſe debeant Clero ſæculari. Quæ omnia præter auctores ibi relatos confirmat Nouarius *in Lucern.Regular.verb.Feſtum*, ex Piaſego, Riccio, Campanili, & aliis. Vide & dicta *tom.1.part.2.cap.1.num.26. & 43.* & ſupra *verb. Epiſcopus, num.21.* & modò addenda. 1

Licet Epiſcopis præcipientibus dies Feſtos obedire teneantur Regulares, iuxta dicta, illi tamen Regulares, qui priuilegium habent à Sede Apoſtolica ne poſſint ab Ordinariis obligari per cenſuras ad aliquid faciendum, non poſſunt obligari ad hoc per cenſuras ab ipſis Epiſcopis impoſitas, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.1. num.14. & 13.* & ſupra *verb. Exemptio Regularium, num.11.* Vbi etiam dixi, quinam Regulares tali priuilegio potiantur. Vnde declaratio quædam Sacræ Congregationis, quam ex Sellio *in ſelect. Canonic. cap.2. num.11.* refert Nouarius *ſuprà, num.1.* quam etiam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Feſtum*, in qua dicitur, declaraſſe Sacram Congregationem in vna Oſtienſi anno 1627. Regulares poſſe compelli per cenſuras ab Epiſcopis ad obſeruantiam Feſtorum, intelligi debet (caſu quo illa declaratio ſit authentica) de Regularibus non habentibus tale priuilegium iuxta dicta ſupra eo *verb.Exemptio Regularium, num.12.* 2

Eſto etiam cogi poſſint ad obſeruantiam Feſtorum, non tamen quoad Octauas, prout ex declaratione Sac. Congregat. & Aldana *in Compend.reſolut.Iur.Can.lib.1. tit.3.num.10.* refert idem Nouarius *ſup.num.5.* 3

Quamuis etiam Regulares obligentur ad obſeruantiam Feſtorum ab Epiſcopis indictorum, non tamen obligari ad Feſta votiua populorum, eo quod Concilium ſolum loquatur de Feſtis indictis ab Epiſcopo, tenent Nald. *in Summa, verb.Feſtum, num.4.* & Nouarius *ſuprà, num.1.* Limitandum tamen eſt, ſi enim feſta votiua dicantur ea, quæ ex deuotione obſeruantur à populo, ad illa quidem non tenentur Regulares, niſi ex quadam decentia, vt videlicet populis conformentur: ſi verò Feſta votiua dicantur ea quorum obſeruantiam populus vouit, aut promiſit, probabilius eſt ad ea teneri Regulares, non ſolum quando ea cum populis obſeruare vouerunt, ſed etiam quando caſu dato illis inconſultis populi cum Epiſcopo tale votum emiſerunt. Sunt enim, iuxta dicta *tom.1.cap.11. num.16.* Ciues, & membra Reipublicæ ſæcularis, participantque illius bonis, ac per conſequens debent conformari cum ipſa in iis, quæ pertinent ad communem vtilitatem, dummodo contraria non ſint Eccleſiaſticæ libertati. Vaſquez *in lib.2. diſp.167. num.34.* Sanchez *lib.4. in decalog.cap.15. num.21.* Credo tamen hæc vota non obligare Regulares, qui ea non emiſerunt, nec acceptarunt propria obligatione voti, quia impoſſibile eſt aliquem obligari propria obligatione voti ſine propria voluntate, & conſenſu. Suarez *tom.2. de relig. tract.6. lib.4.cap.9.* Neque ex vi præcepti Eccleſiaſtici Epiſcopi, vel Prælati Eccleſiaſtici, cuius auctoritate fiunt, propter Exemptionem Regularium ab Ordinariis, ſed ſolum ex vi iuris naturalis, quod præſcribit vt pars Reipublicæ conformetur toti corpori, iuxta dicta *tom.1. eo cap. 11. num. 13. 16. & 17.* Quod & iudicat Layman. *lib.4.tract.7.cap.1.num.3.* 4

Poſſunt etiam Regulares dies Feſtos, & ieiunia in ſuis Eccleſiis annunciare ad Altare in celebratione Miſſarum. Ita enim decreuit Sacra Congregatio, prout 5

retuli

retuli *tom.1.part.1. cap.12.num.41.* & approbat Nouarius *ſup. num.6.* Imò cogi poſſe ad id faciendum tenet Rodriquez *tom.1. qq. Regular. quæſt.43. art.7.* (vbi dicit ita etiam obſeruatum vidiſſe in Regno Portugalliæ) & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, alleg.24.num.21.* & *de offic. Parochi, cap.16. num.26.* referens Portellum. Eſtque id ſatis probabile, maximè vigente rationabili cauſa.

6 Feſta Calendarij Romani non poſſe eleuari à Regularibus ad nobiliorem ritum, videlicet à ſemiduplici ad duplicem, niſi præcedente Sedis Apoſtolicæ licentia, refert declaraſſe Sacr. Congregat. ann.1628. ſub die 28. Octob. Nouarius *ſuprà.* An verò ſaltem priuatim id liceat, dixi *tom.1. part.5. cap.1. num.10.*

7 Dies Feſtos inſtituere non pertinet ad Dominos temporales, Magiſtratus, vel Ciuitates, &c. quia hæc eſt cauſa ſpiritualis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ. Suarez *tom.1. de Relig. tract.2. lib.2. cap.12. num.2.* Sanchez *in Conſil. moralib. tom.2. lib.5. cap.2. dub.3. num.7.* Quare ſi præcipiant aliquos dies Feſtos obſeruari ſub aliqua pœna, pœnam à violatoribus exigere poſſunt, ſed ipſi culpam non incurrent. Sanchez *dicto num. 7.* referens S. Antonin. Armillam, Syluestrum, & alios. Solum ergo ad Papam pro tota Eccleſia id ſpectat, quia ille ſolum habet vniuerſalem poteſtatem legiſlatiuam. Suarez *dicta lib.2. cap.3. num.3.* Epiſcopi etiam (idem dico de Abbatibus habentibus iuriſdictionem in ſæculares) id facere poſſunt in ſua Diœceſi. Sic enim habetur *cap. pronunciandum, de conſecrat. diſtinct.3. & cap. conqueſtus, de feriis.* Azor. *tom.2. inſtit. moral. cap.26. quæſt.1.* cum conſenſu tamen populi, prout habetur *ex dicto cap. pronunciandum, & cap. conqueſtus*, eo quod agitur de intereſſe populi in hoc. Sanchez *ibid. num.6.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, Allegat.305. num.26.* Etſi oppoſitum tueatur Naldus *in Summa, verb. Feſtum, num.1.* Vnde declaratum eſt à Sacra Congregatione in vna Pacenſi 20. Aprilis 1602. non poſſe cogi populum ſeruare feſtum nouum. Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Feſtum.* Item in vna Brundusina 2. Mart. 1602. & Hiſpalenſi 22. Auguſti 1604. Feſta noua de præcepto ſeruanda inſtitui non poſſe inuito populo. Barboſa *ibid.* Item in alia Brunduſina 21. Auguſti 1604. Feſta Sanctorum, quæ de præcepto non ſeruantur, ſi populus ſponte voluerit ſeruare, non eſſe prohibenda, ſed nullum ſub pœna cogendum, vt illa die ab operibus abſtineat. Barboſa *ibid.* Videtur etiam ad hoc requiri conſenſum Cleri. Ita enim colligitur *ex dicta cap. conqueſtus.* Azor. *vt ſupra, quæſt.3.* Suarez *ſuprà, cap.11. num.7.* Requiritur etiam quod Sanctus, de quo Feſtum inſtituitur, ſit canonizatus ab Eccleſia, quia *cap. Audiuimus, de reliq. & vener. Sanctor.* negatur cultus Sanctis non canonizatis ab Eccleſia. Azor. *ſuprà quæſt.4.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.43. num.9.* Sufficit tamen, quod ſit Sanctus antiquus, de cuius ſanctitate per traditionem, aut vniuerſalem Eccleſiæ conſenſum conſtet, quia hoc æquiualet canonizationi. Sanchez *ibid. num.11.* Et conſonat decretum Sacræ Congregationis ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, quod retuli *tom.1. part.1. cap.12. num.39.* Volunt etiam aliqui poſſe inſtitui Feſtum de Sancto Beatificato. Sed oppoſitum eſt probabilius; Beatificatus enim ſolum habet cultum valde limitatum ad aliquam Eccleſiam, vel locum. Vnde de ipſo nec ab aliis perſonis, nec alio die, aut modo quam aſſignatur in Bulla, poteſt fieri Officium, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.12. num.37.* Et ita videntur ſupponere Authores relati, & Syluester *in Summa, verbo Dominica, quæſt.1.* & Bonacina *de 3. præcept. Decal. diſp.5. quæſt. vnica, punct.1. num.2.*

8 Cum autem diebus Feſtis ſolum prohibeantur opera ſeruilia, ea ſcilicet, quæ ſunt propria ſeruorum, aut quæ ab illis ſolum communiter exerceri ſolent, vt ſunt arare, ſuere, &c. non opera libera, quæ ſcilicet ſunt propria liberorum, vt legere, docere, &c. nec opera communia liberis, & ſeruis, vt ſunt iter agere, &c. de quibus Caietanus 2. 2. *quæſt.122. art.4.* Sotus 2. *de iuſt. quæſt.4. art.4.* ideo Regularibus, de quibus ſpecialiter in præſenti, licitum erit diebus Feſtis legere, docere in ſcholis verbo, & ſcripto, quia hæc ſunt pia & opera libera. Caietanus, & Sotus relati, ac Lopez *in inſtruct. conſcient. lib.1. cap.52.* Congregationes, ſeu Capitula facere, propter eandem rationem. Caietanus *ſuprà*, Armilla *verb. Feſtum.* Scribere conſilia ſeu conſulta, maximè ad caſus conſcientiæ, propter eandem rationem, Bonacina *ſuprà, part.2. num.8.* Scribere ſiue litteras, ſiue libros, propter eandem rationem. Nauar. *in Manual. cap.13. num.14.* Lopez *ſuprà.* Imo & tranſcribere, ſimiliter propter eandem rationem, & quia tranſcribere non eſt aliud quam ſcribere. Lopez *ſuprà*, Medina *in Summa, lib.1. cap.14. §. 8.* Bonacina *dicta punct.2. num.25.* Adde, etiamſi id fiat pretio, vel propter lucrum, quia ſpes pretij non mutat naturam operis, nec facit quod opus alias licitum ſit prohibitum, vel è contra. Lopez, Medina & Bonacina relati. Layman. *dicta tract.7. cap.2. num.3. & 4.* contra Caietanum, Nauarrum, & alios. Scribere autem, ſeu tranſcribere libros cantus, maximè cum ex pretio, aut propter lucrum fit, vel etiam illuminare libros, aut litteras, opus ſeruile eſſe, & illicitum die Feſto tenet Sanchez *in 2. tom. conſil. moral. lib.3. cap.2. dub.9. num.6.* ex aliis quos refert. Pingere etiam opus ſeruile eſſe, nec licere Religioſo diebus Feſtis, etiam pro ſuo Conuentu, probabilius eſt, vt tenet cum aliis idem Sanchez *dub.12.* Bonacina *ſuprà*, & alij. Licet oppoſitum non ſit omnino improbabile, maximè ſi non fit propter lucrum, ſed recreationis gratia ad reficiendum animum, ſine apparatu, ac magno labore. Layman. *ſuprà, num.3.* ex Lopez, & Medina, impreſſio verò librorum opus ſeruile eſt, & per conſequens prohibitum in Feſtis. Laymanus *ibid.*

Ratione etiam cultus diuini non ſolum licet die Feſto prædicare, & adminiſtrare Sacramenta, vt per ſe patet, ſed etiam facere ea opera corporalia, in quibus diuinus cultus conſiſtit, vt ſunt baiulare in proceſſionibus Cruces, Imagines, organa, inſtrumenta muſica, &c. Nauarrus, & Lopez relati. Imò etiam facere opera ſeruilia præparatoria ad cultum diuinum, quando aliis diebus fieri non potuerunt, vt ſunt ornare, ſeu mundare Templa, conficere Hoſtias pro Miſſis celebrandis, &c. Sanchez *ſuprà, dubio 22.* ex aliis. An verò talia opera ſeruilia poſſint fieri eiſdem diebus ratione pietatis, ſcilicet ad ſuſtentandum Monaſterium egens, vel propter Eccleſiam, aut pium locum, agunt ipſe Sanchez *dub.23.* Fagundez *in præcept. Eccleſ. lib.1. cap.14. num.6.* fauetque parti affirmatiuæ declarat. Sac. Congreg. inferius afferenda. 9

Quoad priuilegia vero Regularium Rodriquez *tom.1. quæſt. Regularium, quæſt.70. art.2.* dicit nullum eſſe, quod viderit, Regularibus *conceſſum priuilegium, quo in diebus feſtiuis poſſint in opere ſuorum Monaſteriorum operibus ſeruilibus ſæculares, & ipſi Religioſi occupari, quapropter, vt id licite facere, aut permittere poſſint, petere licentiam ab Epiſcopis, & Ordinariis tenentur, qui ad hæc, & alia minima diſpenſandi habent conſuetudine authoritatem; ſine dicta enim licentia laborantes, & Prælati permittentes laborare in dictis diebus peccato ſunt irretiti, niſi aliqua neceſſitate præſenti, aut imminenti excuſentur.* Hæc ille. Caſarubius autem in *Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Feſtiuitas, num.4.* refert Eugenium IV. dixiſſe, quod ſæculares laborantes in Feſtis Sanctæ Crucis, & Sancti Michaëlis Septembris, ac Sanctorum Innocentium, ac Sancti Syluestri, non peccent mortaliter, niſi venerint in Dominica. Item *num. 5.* eundem Eugenium diſpenſaſſe cum barbitonſoribus, vbi eſt conſuetudo, in Sabbatis, 10

&

Poteſt Reuerendiſſimus Generalis Ordinum Mendicantium impedire exequutionem Breuis falſo fabricati ab aliquo Religioſo, quando conſtat de tali falſitate certò. Ratio eſt non ſolum quia tale delictum eſt commiſſum intra clauſtra, & non eſt ſcandaloſum ſæcularibus, ſed ſolum ipſis Religioſis, ac proinde intrat authoritas Ordinaria Prælati Religionis, qui in ordine ad ſuos ſubditos habet eandem authoritatem, quam Epiſcopi in ſuos. Rodriguez *tom.3. quæſtionum Regularium, quæſtione 23. art.3.* Miranda *tom.2. quæſt.16. art.6.* Sanctorios de Malſi *de pœn. cap.11. de pœnis in falſarios,* §. *Reſpondeo ipſi.*

Nec obſtat quod *ex can. In memoriam, 19. diſt. c.2.* vbi Gloſſa *verſ. Ad præſentiam, de reſcript.* falſarius litterarum Apoſtolicarum dicitur remittendus ad Sedem Apoſtolicam, vt à Papa iudicetur & puniatur. Tum quia hæc decreta non procedunt in præſenti: ſiquidem falſarius prædicti Breuis iam obiuit, & iudicatus eſt à Deo, & ita non debet aut poteſt ab alio iudicari & puniri. Tum quia ſolum agitur de impediendo ne ex vi talis Breuis falſi aliqua inconuenientia ſequantur in Religione. Tum præcipuè quia his temporibus propter *cap. Ad falſariorum, de crim. falſi,* Ordinarius ſuperior delinquentis poteſt procedere ad capturam, & cauſam cognoſcere, & ſententiam proferre in exequutionem pœnarum impoſitarum, *ex dict. cap. Ad falſariorum,* præſertim quando falſificatio eſt manifeſta. Angel. *in l.1. fallent. 7. ff. de Iuriſdict. omn. Iud.* Felinus *in cap. ſuper litteris, num.31. verſ. limita 3. de reſcript.* Hoſtienſis *in ſumm. tit. de crimine falſi, num.8. verſ. in falſar. D. Papa,* Præpoſitus *in dict. cap. In memoriam, num.15.* & ibi Archid. Bald. Card. & Imola quos allegat & ſequitur Felinus *in dict. cap.2. num.20. de reſcript.* Et quidem Felinus ibi, & Anania dicunt nullo caſu hodie reum remittendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, niſi ſuperior, ſeu Ordinarius proprius delinquentis carceraſſet talem reum ex commiſſione Sedis Apoſt. Sic etiam ſentit P. Antonius Theſaurus Pœnitentiarios S. Petri de hac re conſultus.

FAMVLI, SEV FAMILIARES Regularium.

1 De his non pauca dixi *tom.2. huius Summæ, cap.16. & 17.* ita vt nihil occurrat addendum. Vide tamen ex iis qui poſt me ſcripſerunt Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regularium, verbo familiares,* ac dicenda circa exemptionem eorum à gabellis infra verbo *Gabella, num.11.*

FESTI DIES QVOAD Regulares.

SVMMARVIM.

1 *Feſti dies, quos Epiſcopi ſeruandos in ſuis Diœceſibus præceperint, qualiter obſeruentur à Regularibus.*

2 *Num obligari poſſint ad id per cenſuras.*

3 *An ad Octauas Feſtorum.*

4 *An ad Feſta votiua populorum.*

5 *Regulares an poſſint annunciare dies Feſtos, & ieiunia.*

6 *An eleuare Feſta ad nobiliorem ritum.*

7 *Dies Feſtos qui poſſint inſtituere.*

Quorum Sanctorum. ibid.

8 *Quæ opera ſint prohibita diebus Feſtis.*

9 *Quæ permiſſa ratione cultus diuini.*

10 *Quid ex priuilegiis Regularium.*

11 *Decretum S. Congregationis circa obſeruantiam Feſtorum.*

12 *De facultate Prælatorum Regularium quoad hoc.*

13 *An Indulgentia diei Feſti transferatur in alium.*

1 Feſtos dies, quos in Diœceſi ſua ſeruandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus obſeruari debere, dixi *tom.1. part.1. cap.9. n.46.* ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.25. cap.12.* vbi etiam ex declaratione Sacræ Congregationis obſeruaui qualiter illis diebus ritus Regularium permaneat, licet quoad Conciones, & lectiones conformare ſe debeant Clero ſæculari. Quæ omnia præter auctores ibi relatos confirmat Nouarius *in Lucern. Regular. verb. Feſtum,* ex Piaſego, Riccio, Campanili, & aliis. Vide & dicta *tom.1. part.2. cap.1. num.26. & 43.* & ſupra *verb. Epiſcopus, num.21.* & modò addenda.

2 Licet Epiſcopis præcipientibus dies Feſtos obedire teneantur Regulares, iuxta dicta, illi tamen Regulares, qui priuilegium habent à Sede Apoſtolica ne poſſint ab Ordinariis obligari per cenſuras ad aliquid faciendum, non poſſunt obligari ad hoc per cenſuras ab ipſis Epiſcopis impoſitas, iuxta dicta *tom.1. part. 5. cap.1. num.14. & 15.* & ſupra *verb. Exemptio Regularium, num.11.* Vbi etiam dixi, quinam Regulares tali priuilegio potiantur. Vnde declaratio quædam Sacræ Congregationis, quam ex Sellio *in ſelect. Canonic. cap.2. num.11.* refert Nouarius *ſuprà, num.1.* quam etiam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Feſtum,* in qua dicitur, declaraſſe Sacram Congregationem in vna Oſtienſi anno 1627. Regulares poſſe compelli per cenſuras ab Epiſcopis ad obſeruantiam Feſtorum, intelligi debet (caſu quo illa declaratio ſit authentica) de Regularibus non habentibus tale priuilegium iuxta dicta ſupra eo *verb. Exemptio Regularium, num.11.*

3 Eſto etiam cogi poſſint ad obſeruantiam Feſtorum, non tamen quoad Octauas, prout ex declaratione Sac. Congregat. & Aldana *in Compend. reſolut. Iur. Can. lib.1. tit.3. num.10.* refert idem Nouarius *ſup. num.5.*

4 Quamuis etiam Regulares obligentur ad obſeruantiam Feſtorum ab Epiſcopis indictorum, non tamen obligari ad Feſta votiua populorum, eo quod Concilium ſolum loquatur de Feſtis indictis ab Epiſcopo, tenent Nald. *in Summa, verb. Feſtum, num.4.* & Nouarius *ſuprà, num.1.* Limitandum tamen eſt, ſi enim feſta votiua dicantur ea, quæ ex deuotione obſeruantur à populo, ad illa quidem non teneotur Regulares, niſi ex quadam decentia, vt videlicet populis conformentur: ſi verò Feſta votiua dicantur ea quorum obſeruantiam populus vouit, aut promiſit, probabilius eſt ad ea teneri Regulares, non ſolum quando ea cum populis obſeruare vouerunt, ſed etiam quando caſu dato illis inconſultis populi cum Epiſcopo tale votum emiſerunt. Sunt enim, iuxta dicta *tom.1. cap.11. num.16.* Ciues, & membra Reipublicæ ſæcularis, participantque illius bonis, ac per conſequens debent conformari cum ipſa in iis, quæ pertinent ad communem vtilitatem, dummodo contraria non ſint Eccleſiaſticæ libertati. Vaſquez *in lib.2. diſp.167. num.34.* Sanchez *lib.4. in decalog. cap.15. num.21.* Credo tamen hæc vota non obligare Regulares, qui ea non emiſerunt, nec acceptarunt propria obligatione voti, quia impoſſibile eſt aliquem obligari propria obligatione voti ſine propria voluntate, & conſenſu. Suarez *tom.2. de relig. tract.6. lib.4. cap.9.* Neque ex vi præcepti Eccleſiaſtici Epiſcopi, vel Prælati Eccleſiaſtici, cuius auctoritate fiunt, propter Exemptionem Regularium ab Ordinariis, ſed ſolum ex vi iuris naturalis, quod præſcribit vt pars Reipublicæ conformetur toti corpori, iuxta dicta *tom.1. eo cap.15. num.13. 16. & 17.* Quod & iudicat Layman. *lib.4. tract.7. cap.5. num.5.*

5 Poſſunt etiam Regulares dies Feſtos, & ieiunia in ſuis Eccleſiis annuntiare ad Altare in celebratione Miſſarum. Ita enim decreuit Sacra Congregatio, prout

retuli

retuli *tom.1.part.1. cap.12.num.41.* & approbat Nouarius *ſup. num.6.* Imò cogi poſſe ad id faciendum tenet Rodriquez *tom.1. qq. Regular. quæſt.43. art.7.* (vbi dicit ita etiam obſeruatum vidiſſe in Regno Portugalliæ) & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, alleg.24.num.21.* & *de offic. Parochi, cap.16. num. 26.* referens Portellum. Eſtque id ſatis probabile, maximè vigente rationabili cauſa.

6 Feſta Calendarij Romani non poſſe eleuari à Regularibus ad nobiliorem ritum, videlicet à ſemiduplici ad duplicem, niſi præcedente Sedis Apoſtolicæ licentia, refert declaraſſe Sacr. Congregat. ann.1628. ſub die 28. Octob. Nouarius *ſuprà*. An verò ſaltem priuatim id liceat, dixi *tom.1. part.1. cap.1. num.10.*

7 Dies Feſtos inſtituere non pertinet ad Dominos temporales, Magiſtratus, vel Ciuitates, &c. quia hæc eſt cauſa ſpiritualis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ. Suarez *tom.1. de Relig. tract.2. lib.2. cap.12. num.2.* Sanchez *in Conſil.moralib. tom.2.lib.5. cap.2.dub.5.num.7.* Quare ſi præcipiant aliquos dies Feſtus obſeruari ſub aliqua pœna, pœnam à violatoribus exigere poſſunt, ſed ipſi culpam non incurrent. Sanchez *dicto num. 7.* referens S. Antonin. Armillam, Syluestrum, & alios. Solum ergo ad Papam pro tota Eccleſia id ſpectat, quia ille ſolum habet vniuerſalem poteſtatem legiſlatiuam. Suarez *dicto lib.2.cap.3. num.3.* Epiſcopi etiam (idem dico de Abbatibus habentibus iuriſdictionem in ſæculares) id facere poſſunt in ſua Diœceſi. Sic enim habetur *cap. pronunciandum, de conſecrat. diſtinct.3. & cap. congeſtus, de feriis.* Azor. *tom.2.inſtit. moral. cap.26. quæſt.1.* cum conſenſu tamen populi, prout habetur *ex dicto cap.pronunciandum, & cap. congueſtus*, eo quod agitur de intereſſe populi in hoc. Sanchez *ibid.num.6.* Barboſa *de offic.& poteſt. Epiſcopi; Allegat.105.num.26.* Etſi oppoſitum tueatur Naldus *in Summa, verb. Feſtum, num.1.* Vnde declaratum eſt à Sacra Congregatione in vna Pacenſi 20. Aprilis 1602. non poſſe cogi populum ſeruare feſtum nouum. Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Feſtum.* Item in vna Brunduſina 2. Martij 1602. & Hiſpalenſi 22. Auguſti 1604. Feſta noua de præcepto ſeruanda inſtitui non poſſe inuito populo. Barboſa *ibid.* Item in alia Brunduſina 21. Auguſti 1604. Feſta Sanctorum, quæ de præcepto non ſeruantur, ſi populus ſponte voluerit ſeruare, non eſſe prohibenda, ſed nullum ſub pœna cogendum, vt illa die ab operibus abſtineat. Barboſa *ibid.* Videtur etiam ad hoc requiri conſenſum Cleri. Ita enim colligitur *ex dicto cap. congueſtus.* Azor. *vt ſuprà, quæſt.3.* Suarez *ſuprà, cap.11. num.7.* Requiritur etiam quod Sanctus, de quo Feſtum inſtituitur, ſit canonizatus ab Eccleſia, quia *cap. Audiuimus, de reliq.& vener. Sanctor.* negatur cultus Sanctis non canonizatis ab Eccleſia. Azor. *ſuprà quæſt.4.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap.43. num.9.* Sufficit tamen, quod ſit Sanctus antiquus, de cuius ſanctitate per traditionem, aut vniuerſalem Eccleſiæ conſenſum conſtet, quia hoc æquiualet canonizationi. Sanchez *ibid. num.11.* Et conſonat decretum Sacræ Congregationis ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, quod retuli *tom.1. part.1. cap.12.num.39.* Volunt etiam aliqui poſſe inſtitui Feſtum de Sancto Beatificato. Sed oppoſitum eſt probabilius; Beatificatus enim ſolum habet cultum valde limitatum ad aliquam Eccleſiam, vel locum. Vnde de ipſo nec ab aliis perſonis, nec alio die, aut modo quam aſſignatur in Bulla, poteſt fieri Officium, iuxta dicta *tom.1.part.1. cap.12. num.37.* Et ita videntur ſupponere Authores relati, & Sylneſter *in Summa, verbo Dominica, quæſt.1.* & Bonacina *de 3.præcept. Decal.diſp.5. quæſt.vnica, punct.1.num.2.*

8 Cum autem diebus Feſtis ſolum prohibeantur opera ſeruilia, ea ſcilicet, quæ ſunt propria ſeruorum, aut quæ ab illis ſolum communiter exerceri ſolent, vt ſunt arare, ſuere, &c. non opera libera, quæ ſcilicet ſunt propria liberorum, vt legere, docere, &c. nec opera communia liberis, & ſeruis, vt ſunt iter agere, &c. de quibus Caietanus 2. 2. *quæſt. 122. art.4.* Sotus 2. *de iuſt.quæſt.4. art.4.* ideo Regularibus, de quibus ſpecialiter in præſenti, licitum erit diebus Feſtis legere, docere in ſcholis verbo, & ſcripto, quia hæc ſunt pia & opera libera. Caietanus, & Sotus relati, ac Lopez *in inſtruct. conſcient. lib.1. cap.52.* Congregationes, ſeu Capitula facere, propter eandem rationem. Caietanus *ſupra*, Armilla *verb. Feſtum.* Scribere conſilia ſeu conſulta, maximè ad caſus conſcientiæ, propter eandem rationem, Bonacina *ſuprà, part.2.num.8.* Scribere ſiue litteras, ſiue libros, propter eandem rationem. Nauar. *in Manual.cap.13. num.14.* Lopez *ſuprà.* Imo & tranſcribere, ſimiliter propter eandem rationem, & quia tranſcribere non eſt aliud quam ſcribere. Lopez *ſuprà*, Medina *in Summa, lib.1. cap.14. §. 8.* Bonacina *dicto punct.2.num.25.* Adde, etiamſi id fiat pretio, vel propter lucrum, quia ſpes pretij non mutat naturam operis, nec facit quod opus alias licitum ſit prohibitum, vel è contra. Lopez, Medina & Bonacina relati. Layman. *dicto tract.7.cap.2.num.3.& 4.* contra Caietanum, Nauarrum, & alios. Scribere autem, ſeu tranſcribere libros cantus, maximè cum ea pretio, aut propter lucrum fit, vel etiam illuminare libros, aut litteras, opus ſeruile eſſe, & illicitum die Feſto tenet Sanchez *in 2. tom.conſil. moral.lib.5. cap.2. dub.9. num.6.* ex aliis quos refert. Pingere etiam opus ſeruile eſſe, nec licere Religioſo diebus Feſtis, etiam pro ſuo Conuentu, probabilius eſt, vt tenet cum aliis idem Sanchez *dub.12.* Bonacina *ſupra*, & alij. Licet oppoſitum non ſit omnino improbabile, maximè ſi non ſit propter lucrum, ſed recreationis gratia ad reficiendum animum, ſine apparatu, ac magno labore. Layman. *ſuprà, num.3.* ca Lopez, & Medina, impreſſio verò librorum opus ſeruile eſt, & per conſequens prohibitum in Feſtis. Laymanus *ibid.*

Ratione etiam cultus diuini non ſolum licet die Feſto prædicare, & adminiſtrare Sacramenta, vt per ſe patet, ſed etiam facere ea opera corporalia, in quibus diuinus cultus conſiſtit, vt ſunt baiulare in proceſſionibus Cruces, Imagines, organa, inſtrumenta muſica, &c. Nauarrus, & Lopez relati. Imò etiam facere opera ſeruilia præparatoria ad cultum diuinum, quando aliis diebus fieri non potuerunt, vt ſunt ornare, ſeu mundare Templa, conficere Hoſtias pro Miſſis celebrandis, &c. Sanchez *ſuprà, dubio 22.* ex aliis. An verò talia opera ſeruilia poſſint fieri eiſdem diebus ratione pietatis, ſcilicet ad ſuſtentandum Monaſterium egens, vel propter Eccleſiam, aut pium locum, agunt Ipſe Sanchez *dub.23.* Fagundez *in præcept. Eccleſ. lib.1. cap.14. num.6.* fauetque parti affirmatiuæ declarat. Sac. Congreg. inferius afferenda. 9

Quoad priuilegia vero Regularium Rodriquez 10
tom.1. quæſt. Regularium, quæſt.70. art.2. dicit nullum eſſe, quod viderit, Regularibus *conceſſum priuilegium, quo in diebus feſtiuis poſſint in opere ſuorum Monaſteriorum operibus ſeruilibus ſæculares, & ipſi Religioſi occupari, quapropter, vt id licite facere, aut permittere poſſint, petere licentiam ab Epiſcopis, & Ordinariis tenentur, qui ad hæc, & alia minima diſpenſanda habent conſuetudine authoritatem; ſine dicta enim licentia laborantes, & Prælati permittentes laborare in dictis diebus peccato ſunt irretiti, niſi aliqua neceſſitate præſenti, aut imminenti excuſentur.* Hæc ille. Caſarubius autem *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Feſtiuitas, num.4.* refert Eugenium IV. dixiſſe, quod ſæculares laborantes in Feſtis Sanctæ Crucis, & Sancti Michaëlis Septembris, ac Sanctorum Innocentium, ac Sancti Sylueſtri, non peccent mortaliter, niſi venerint in Dominica. Item *num. 5.* eundem Eugenium diſpenſaſſe cum barbitonſoribus, vbi eſt conſuetudo, in Sabbatis,

&

& Vigiliis de ſeto radere barbas. Sed præter quod hæc ſunt viuæ vocis oracula, quæ hoc tempore nihil valent, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.3. num.* 21. in poſteriori hoc non video aliquod priuilegium, cum laborare in vigiliis, ac Sabbatis vſque ad mediam noctem non ſit prohibitum, & quando adeſt legitima conſuetudo, per eam ſublata eſſet lex poſitiua Eccleſiæ. Dolendum tamen eſt ipſos barbitonſores etiam diebus Feſtis, & Dominicis id ſolitos facere, reclamantibus Epiſcopis, & aliis Ordinariis. Vnde nullatenus Religioſis illis hoc permittere pro ſeipſis poſſunt. Aliud priuilegium ex Eugen. IV. refert Rodrig. *ſuprà art.*1. quod tamen parum valet, quia ſolum per illud concedit Benedictinis laborare in Feſtis, quæ Eccleſia vniuerſalis non colit, niſi communiter ab omnibus in illis locis colantur, & ſcandalum vitetur.

11 Extat tamen Decretum Sacræ Congregationis quod referunt Quaranta *in Sum. Bullar. verb. Dies Feſti*, & Barboſa *de offic. & pot. Epiſc. alleg.* 105. *num.* 40. quo declarauit, licere diebus Feſtis dare operam rebus ad victum neceſſariis, ac tempore perituris, præſertim tempore vindemiarum & meſſium, ac recollectionis fructuum, vel vbi neceſſitas vrgeat, aut ſuadeat pietas. Vide apud illos aliam Declarationem circa nundinas diebus Feſtiuis, & ea, quæ eo tempore licent, aut non, quæ prætermitto, quia parum conducunt ad intentum noſtrum de Regularium inſtructione.

12 Pro illis tamen nota, quod in caſibus in quibus Epiſcopi poſſunt ſuis ſubditis concedere facultatem laborandi diebus Feſtiuis, videtur etiam idem poſſe facere Prælatos Regulares reſpectu ſuorum etiam ſubditorum Regularium, cum ſint veri ipſorum Prælati habentes in illos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Azor. *tom.* 2. *Inſtit. moral. lib.* 1. *cap.* 28. Portell. *in dub. Regular. verb. Abbas*, *num.* 11. bene etiam notans, hanc facultatem non poſſe concedere ſæcularibus ſeruitutibus, cùm non ſint ipſorum Prælati.

13 Nota etiam, quod ſi aliquis dies Feſtus habeat Indulgentiam annexam lucrandam tali die, ſi contingat Officium illius diei transferri in alium diem, tunc Indulgentia non transfertur. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap. vlt. quæſt.* 8. Portellus *in dub. Regular. verb. Feſto dies*, *in additionib. num.* 1. [Præcipue quoque notandum quod cum non ſolum ſint prohibita in diebus feſtis opera ſeruilia, ſed etiam alia opera liberorum, ſcilicet mercatura, placitum, iudicium ad mortem, & iuramentum, vt patet *cap.* 1. *& vlt. de ferijs*, vbi Doctores communiter, Summiſtæ & Theologi, ideo omiſſis aliis, quæ parum conducunt pro Regularibus, ſolummodo dicendum, illis etiam prohibita videri in diebus feſtis iudicia, & proceſſus iudiciales. Quia lex illa canonica generalis eſt, & omnes comprehendit. Vnde proceſſus formatio, cauſæ cognitio, & ſententiæ prolatio in feſtis ſunt prohibita. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 1. Imò irrita, etiamſi partes in eo conueniant, *d. cap. vlt. de feriis*, Suarez *ſuprà*. Sanchez *tom.* 2. *Conſil. moral. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 17. ex aliis. Similiter citari partes ad comparendum vel reſpondendum, in die feſto, Suarez *ſuprà à num.* 3. Sanchez *ſuprà n.* 8. licita tamen prædicta erunt in duobus caſibus, ſcilicet, neceſſitatis, quando id fuerit neceſſarium ad effectum ipſius iudicij, & pietatis, *cap. vlt. de fer.* relato. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. & alij communiter. Extendi videtur titulus iſte pietatis non ſolùm ad opera miſericordiæ, ſed etiam ad opera Religionis, & perſonas ac cauſas Religioſas, vt Suarez *ſuprà num.* 20. exiſtimat. Ac proinde quando pro bono Religionis oportuerit fieri præfata die feſto, videtur poſſe fieri. Illud certius, poſſe Prælatos Regulares diebus etiam feſtiuis viſitare Eccleſias, & Monaſteria Regularia, ipſoſque Religioſos more Religioſo, & abſque ſtrepitu iudiciali imponere præcepta ſubditis, etiam cum excommunicatione, aut aliis cenſuris, abſoluere ipſos, diſpenſare, &c. Hæc enim omnia, quando fiunt abſque ſtrepitu iudicij, ſunt actus extraiudiciales, ac per conſequens non prohibiti diebus feſtis. Caietanus & Sanchez ſupra, poſt alios. Vide dicta hoc *tom.* 3. *verb. Cenſura Eccleſiaſtica, n.* 6.]

Aduertendum quoque Sacram Congregationem quandoque ſolitam eſſe concedere facultatem etiam laicis, ſeu ſæcularibus ad aliqua operandum in diebus feſtiuis propter ſubuentionem alicuius Conuentus Religioſorum pauperum. Prout patet in quadam declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis pro 16. Nouembris 1646. in qua ad inſtantiam PP. Minimorum Oppidi de Xabea, ſic reſcripſit.

Sacra Congreg. attentis narratis, & Eminentiſſ. de Queua referente, benignè indulſit, vt Piſcatores laici oppidi præfati de Xabea, diebus feſtiuis, exceptis tamen Natiuitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis & Pentecoſtes, & aliis duplicibus primæ Claſſis, audito ſacro, & diuinis peractis, licitè piſcari valeant, modo tamen lucrum exinde proueniens pro Eccleſia oratorum conſtruenda penes depoſitarium antedicti Conuentus integrè deponatur, & in fabricam præmiſſam omnino erogetur: præſentibus ad quinquennium tamen duraturis. Romæ.

FIDEI PROFESSIO.

De hac materia quoad Regulares ſpectat, videlicet, an illi teneantur facere fidei profeſſionem prouiſi de Prælaturis, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 102. in ſecunda, & tertia editione, & *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 55. An prouiſi de beneficiis Regularibus, *eod. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 38. an Concionatores, ſuprà verbo *Concionari*, *& Concionator*. An lectores loco relatu ex primo tomo, part. 1. Vide & Nouarium *in Lucern. Regular. verbo Fidei profeſſio*, & nota Conſtitutionem *Iniunctum nobis*, Pij IV. cuius memini *dicto numero* 102. vbi præcipit etiam prouiſos de Monaſteriis, & domibus Regularium teneri ad dictam fidei profeſſionem, maximè intelligi de prouiſis à Sede Apoſtolica, quibus Eccleſiæ, ſeu Monaſteria Regularium in titulum conferuntur, quod vt credo eſt vſu receptum. Theſ. *in prax. part.* 2. *verb. fidei profeſſio*, *c.* 1. *§. Aduerte* 2.

FVNERALIA.

De hac quoque materia, prout etiam ad Regulares ſpectat, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 38. *&* 41. *circa quartum dubium*, & *cap.* 21. *num.* 28. *ac tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 31. 46. *&* 47. & ſupra verbo *Crux*, & verbo *Defunctus*, ac dicam infra verbo *Habitus*, & verbo *Quarta funeralis*, & verbo *Sepultura*, ideo pro nunc ſuperſedendum.

FVRTVM.

SVMMARIVM.

1 *Furtum quid ſit.*
2 *Quid de furto, quo Religioſus aliquid ſurripit ſæculari.* *De pœnis talis delicti.* ibid.
3 *Quid quando ſurripit aliquid Conuentui.* *Quando ſit caſus reſeruabilis.* ibid.
4 *De furto rerum Eccleſiæ, Reliquiarum, &c.*
5 *Quid ſi illa ſurripiantur abſque effractione.*
6 *Quid de furto rei alteri Religioſo applicatæ.*
7 *De abſolutione ab hoc peccato.*

FVrtum (quod ſecundum S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 3. eſt occulta acceptio rei alienæ) multipliciter 1
inter Regulares contingere poteſt, ex parte illius à quo

quo res ſurripitur. Vel enim Religioſus furatur rem alicuius extranei, v.g. ſæcularis, vel rem Communitatis Monaſterij, vel rem alterius religioſi vſui applicatam. De quibus omnibus ſigillatim dicendum.

2 Et quidem ſi Religioſus rem alicuius extranei, v.g. ſæcularis furetur, eodem modo ſentiendum, ac ſi vnus ſæcularis alteri ſæculari rem aliquam furatus eſſet; qualitas enim Religioſi non minuit, ſed potius auget malitiam furti. Quoad pœnas vero licet fur ſæcularis variis pœnis fuſtigationis, furcæ, &c, puniatur, Clericus verò fur, (idem dic de Religioſo fure) iuxta dicta *tom.1. part.1.cap.9.num.43.* perpetuo deponitur, & aliquando in arctum Monaſterium detruditur, & multiplicantur pœnæ iuxta quantitatem furti, & conſuetudinem furandi. Aldrete *de Diſcipl. Regul. lib.2. cap. 16. num.8. & 9.* Non tamen propterea eiici poſſe à Religionibus, niſi ſeruatis aliis ſeruandis ex iure nouo decreti S.Congregat. ſub S. D. N. Vrbano, dixi eo loco. Efficitur etiam infamis ipſo iure, *l.1.de his qui not.inf.* & per conſequens irregularis. Theſaurus *in praxi, part.2. verbo furtum, cap.1.* Quamuis etiam Religioſus fur, ſecundum aliquos (Valentia 2. 2. *diſp.10. quæſt.4. punct.3. col.2. verſ. patet enim,* Leſſius *lib.2. de iuſtit. cap.41. dub.9.num.79.verſ.7.*) ſit etiam proprietarius, eo quod adquirit aliquid contra rectam voluntatem ſui Superioris, quæ in eo caſu non eſt, nec poteſt eſſe, nihilominus iuxta dicta *tom.1.part.1. cap.6. num.33.* ex Nauarro, & Sanchez, probabile eſt talem ſolum eſſe furem, non proprietarium, quando id quod furatur tradit Superiori, & vtitur eo ex licentia ipſius. Etſi enim Superior non poſſit talem licentiam concedere; id tamen non prouenit ex obligatione voti paupertatis, ſed ex malitia furti, & ita talis Superior, & fur ſolum peccant furti malitia, quia faciunt contra voluntatem domini illius rei ſublatæ. Sanchez *lib.7. in decal. cap.19. num.55.* Limitat tamen, vt id ſolum ſit verum quando Superior dans licentiam retinendi illam rem, nouit illam eſſe furto ſublatam, ſi enim id non nouit, licentia ipſius eſſet inuoluntaria, & ſurreptitia, ac per conſequens non excuſaret religioſum, nec à peccato proprietatis. Quando autem ſurripiens pauca ſucceſſiuè, peccet mortaliter; & an furtum hoc ſit caſus reſeruabilis inter Regul. conſtabit ex dicendis.

3 Similiter ſi Religioſus ſurripiat rem aliquam Communitatis Monaſterij ſui, vel alieni, reus eſt peccati furti, quia aufert rem alienam contra voluntatem domini. Eſtque hic caſus reſeruabilis à Superioribus, vt patet ex decreto Clem. VIII. *de reſeru.caſuum*, quod retuli *tom.1.p.1.c.18. n.20.* ibi enim inter caſus quorum reſeruatio permittitur Superioribus Regularium, eſt vnus, *Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* Quæ autem ſit hæc quantitas ſufficiens ad peccatum mortale, etſi in hoc ad circumſtantias Monaſterij, facultatem ipſius, perſonarum, loci, & temporis, iudicio prudentis attendendum ſit, dixi tamen *tom.1.part.1. cap.6.n.57.* communiter, & regulariter loquendo, & ſecluſis prædictis circumſtantiis eſſe duos Iulios, vel Regales Hiſpanos. Alij vero credunt eſſe quantitatem quatuor Regalium. Sanchez *lib.7.in decal.cap.20.n.3.* Peirinis *tom.2.de Prælat. q.3. cap.2. num.52.* & alij apud ipſum. Cum autem Nauarrus, & Corduba à Sanchez relati putent ſufficere vnum argenteum, ideo inter iſtos, & alios qui credunt exigi quatuor, ne plus æquo prout his temporibus contingit non raro, laxentur habenæ conſcientiarum, mediam viam me tenuiſſe credo, dum dixi regulariter loquendo ſufficere quantitatem duorum Regalium, prout etiam tenet Quaranta *in Summa, verb. Caſus reſeruati, num.9.* referens Marium Andream, quem vocat virum eruditione inſignem, & indicat Medina *lib.1.ſum.c.10. in fin.* ac Sotbus *in Compend. verbo Abſolutio Ordinarij quoad fratres, §.hoc fuit*, dum inſinuare videtur ſufficere duos Carlenos, qui ſunt minus quam duo Regales. Licet ſententiam Sanchez valde probabilem credam maximè pro Hiſpania, de qua ipſe loquitur. Illud certius, furantem ſucceſſiuè res minimas, tunc committere peccatum mortale, & per conſequens incidere in caſum reſeruabilem, cum peruenerit ad dictam grauem quantitatem, iuxta dicta in ſimili eo *tom.1.part.1.cap.6.n.58.* Quod limitandum eſt, quando iſti actus furandi ſunt aliquo modo vniti, vel ratione loci, vel temporis. Si enim ſunt omnino diſparati, credo non committi peccatum mortale, nec incurri caſum reſeruatum, aut reſeruabilem, etiam quando perueniunt ad dictam grauem quantitatem, iuxta ibidem dicta, & Author. ibi citatos. Debent etiam eſſe in intentione vniti illi plures actus furandi, id eſt, quod ſic furans recordetur ſe perueniſſe ad magnam illam quantitatem, habeatque intentionem ad illam perueniendi, aliàs non erit illi voluntarium illud furtum grauis quantitatis. Nauarrus *in Manual. cap.17. num.139.* Quaranta *ſuprà, §.an autem*, Peirinis *ſuprà*. Eſt etiam furtum, & caſus reſeruabilis ſurreptio Reliquiarum; licet enim non ſint nummis æſtimandæ, ſunt tamen res valde pretioſæ. Quaranta *ſupra, §.eſſet etiam.* Peirinis *ſup.num.53.* Bene animaduertens non ſufficere ad hoc conſenſum Sacriſtæ, qui conſeruat Reliquias; Sacriſta enim non eſt dominus ipſarum, ſed Monaſterium ipſum. Idem dico de furto codicum, aut Concionum, tractatuum, aut ſimilium rerum ſcriptarum, quia etiam iſta ſunt res magnæ æſtimationis, & res tantum valent quantum æſtimantur, *l.vnic. Cod.de ſent.quæ pro eo quod intereſt profer.* Quaranta *ſuprà*, Graffius *de caſibus reſeruatis, lib.3.cap.7. num.27.* Idem dico de furto rerum comeſtibilium notabilis quantitatis, quia etiam illæ ſunt pretio æſtimabiles, & in ipſis procedit eadem ratio. Graffius *1.part.dec.lib.3.cap.5.num.58.* Sanchez *lib.7.in Decal.cap.21. num.33.* Bene etiam animaduertens, maiorem horum comeſtibilium quantitatem, prudentis tamen arbitrio, & penſatis circumſtantiis taxandam, requiri, vt ſit materia peccati mortalis (ac per conſequens reſeruabilis) quàm in aliis rebus, quia in comeſtibilibus non debent eſſe Prælati ita inuiti, aut rigidi, ſicut in aliis. Præſertim, quia Religioſi comparantur cum ſuis Prælatis, veluti filij cum parentibus, *cap.licet. de ſepultur. & l.qui in poteſtat. ff.de teſtamentis, & Authent. ingreſſi, Cod.de Sacroſanct.Eccleſ.* Parentes autem non ſolent ægrè ferre, quod filij furentur ipſis res comeſtibiles non magni valoris. Fiamma *3.part. Method.c.9.§.11.* Fagund. *in 2.Eccleſ.præcep. lib.8.c.6.n.7.& 8.* An autem in iis comeſtibilibus procedat tradita doctrina de minimis ſucceſſiuè furatis, dixi *num.58.* relato. Nota tamen, quod quando Conuentus eſt pauper, vel huiuſmodi comeſtibilia caro pretio comparantur, eodem modo philoſophandum de illis eſt quantum ad quantitatem pro peccato mortali, ſeu reſeruabili ſufficientem, & quantum ad minima ſucceſſiuè furata, ſicut in aliis rebus. Sanchez *ſup.n.34.* Laym. *lib.3.tr.3.p.1.c.1.n.5.*

Circa furtum vero rerum Eccleſiæ, vtpute Calicum, Patenarum, Reliquiarum, &c. notandum quod ſi quis Religioſus ad illa furandum frangat violenter muros, vel portas Eccleſiæ, ſeu Sacriſtiæ, vbi ea ſunt, vltra peccatum mortale reſeruabile, de quo dixi, incurret etiam ipſo facto excommunicationem *ex cap.Conqueſti, de ſent.excomm.* Sylueſt. *in Sum.v.Furtum, num.8.* Suar. *tom.5.in 3.part.diſp.22.ſect.2.n.11.& 12.* vbi de actionibus per quas incurritur hæc excommunicatio. Toletus *in Summ.lib.1.cap.35.n.6.* Naldus *in Summa, verb. Furtum, num.4.* Hæc vero excommunicatio ante denunciationem factam ab Epiſcopo (vel Prælato Regulari) non eſt reſeruata. Caiet. *verb.Excommun. cap.21.* Toletus *ſuprà*. Debet tamen prius præcedere ſatiſfactio. Sayrus *de cenſ.lib.3.cap.29. num.15.& 20.* Theſaur. *in praxi part.2.verb.Sacrilegium, c.3.* Si verò tale furtum 4

committens fuerit per Epiſcopum, vel Superiorem denunciatus, non poteſt abſolui à Papa, iuxta textum eiuſdem *cap. conqueſtus*. Suarez *ſupra, num.* 14. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 19. Tenentur etiam Prælati eos denunciare. Ita enim præcipitur illis in textu eiuſdem *cap.* Suarez *num.* 21. Nomine vero Eccleſiarum, de quibus eo *cap.* eſt ſermo, intelliguntur Monaſteria, Hoſpitalia, & reliqua ædificia pia. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 94. Non vero arca, ſeu ſcrinia, vbi res Eccleſiarum reponuntur, quia iſta non ſunt Eccleſia, nec pars Eccleſiæ, Nauarrus *ibid.* Suarez *num.* 12. Nec ſufficit reſerare portas claue. Nauarrus *ibid.* Extenditur etiam hæc excommunicatio contra effractores Eccleſiarum, etiam ad incendiarios illatum, propter eandem rationem. Naldus, & Laymanus *ſupra*.

5 Qui vero res Sacras abſque effractione furatur excommunicandus venit, *capite conqueſtus, de foro competenti*. Peirinis *ſuprà*, *num.* 54. & aliis. Imò etiam videtur fures iſtos de iure eſſe excommunicatos, etiamſi nihil fregerint, *ex cap. Canonica* 16. *quæſt.* & *c. Omnes Eccleſiæ* 17. *quæſt.* 4. vbi etiam id extenditur ad conſentientes eis, idemque ſupponi dicto *cap. conqueſtus, de ſentent. Excommunicat.* Bordon. *tom.* 1. *Reſolutionum, reſolut.* 47. *num.* 13. Qui propterea miratur Syluestrum, Nauarrum, Rodriguez, Graſſium, & alios ſolum referre dictam excommunicationem ad fures rerum ſacrarum, cum effractione aliqua. Vt puto tamen hæc excommunicatio prædictorum Canonum ſolum fuit intellecta de furibus effractoribus, vt notat Gloſſa ibidem. De quo rectè Suarez ſupra *à num.* 5. Cui fauet *d. cap. conqueſtus, de foro competent.* & *cap. vltim. de furtis*, vbi pro furibus rerum ſacrarum, qui nihil effregerunt non deſignatur excommunicatio ipſo facto.

6 Loquendo etiam de furto, quo Religioſus rem alterius Religioſi vſui applicatam ſurriperet, eodem modo reſpectiuè, ac de aliis furtis philoſophandum videtur. Vnde tale furtum eſt caſus reſeruabilis, tum quia ita declarauit Clemens VIII. vt refert Sorbus *in Compend. verb. Abſolutio Ordinar. quoad fratr.* §. *Hoc fuit*: tum quia ex eo, quod aliqua res ſit applicata vſui alicuius Religioſi, non deſinit eſſe Monaſterij. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 11. Peirinis *ſuprà*, *num.* 51. Idem dic ſi talis Religioſus eſt Generalis, vel Prouincialis, quia etiam bona iſtorum pertinent ad Monaſterium, ſcilicet Religionem. Suarez *ibid.* Limita tamen iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 35. ſi caſus eſſet, quod aliquis Religioſus neceſſitate vrgenti, cui alio modo ſubuenire non poteſt, auferret ab alio quæ haberet ſuperflua, & contra voluntatem ſuorum Superiorum, ceſſante ſcandalo, ſuſpicione, &c. in tali enim caſu debet præſumi voluntas Superioris, quod res ſuperfluæ vni applicentur illi indigenti, ac per conſequens nec tunc erit furtum, nec caſus, de quo in præſenti.

7 Circa abſolutionem verò prædictorum, præter generalia principia, quod ſcilicet fur non eſt abſoluendus niſi reſtituat, & quod caſus reſeruatus non abſoluitur niſi ab eo qui reſeruauit, aut Superiore ipſius, aut ab habente ab ipſo authoritatem, iuxta ſuperius dicta. Notandum, Superiorem audientem confeſſionem Religioſi, qui aliqua furatus eſt Conuentui, cui ille Superior præeſt, poſſe abſoluere illum ſine obligatione reſtituendi, ſicut poteſt illa, quæ abſtulit concedere. Idem dico, quando ea abſtulit alij Religioſo, ſi videt ea eſſe parum neceſſaria illi, qui illa habebat, vel magis neceſſaria ei, qui illa ſurripuit, penſata ipſorum qualitate, propter eandem rationem. Caſu verò, quo ſit facienda reſtitutio rei ſublatæ alicui particulari Religioſo, ſufficit, quod fiat Communitati, quia tunc ad prælatum ſpectabit reddere illam ei qui primò habebat, ſi illi eſſet neceſſaria, vel applicare alij. Molfeſius *tom.* 1. *Summæ, tract.* 7. *cap.* 20. *n.* 92. Peirinis *ſup. num.* 55.

GABELLA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit gabella, vectigal, &c.*
2 *Quando iuſta ſunt, ſolui debent etiam ante iudicis ſententiam.*
3 *Quid quando eſt dubium de iuſtitia ipſius.*
4 *Quid quando eſt diuerſitas opinionum.*
5 *Eccleſiaſtici ad illam non tenentur.*
Nec Regulares. ibid.
Idem de aliis contributionibus, ſeu oneribus. ibid.
6 *Quid de Clericis prima Tonſura, aut minoribus Ordinibus inſignitis.*
7 *Quid de Nouitiis Religionum.*
8 *Quid de Religioſis Militaribus.*
9 *Quid quando aliquis habitum Clericalem, vel Regularem aſſumit animo non perſeuerandi in illo.*
10 *De Eremitis & Tertiariis, remiſſiuè.*
11 *De famulis, & familia Clericorum, & Regularium.*
12 *An idem dicendum de gabella quæ vocatur* Alcauala.
13 *An de illa quæ vocatur* Siſſa.
14 *An hoc priuilegium tranſeat ad colonos.*
15 *Quæ bona Clericorum eo potiantur.*
16 *An quæ illis ſunt donata.*
17 *Quid de fructibus, ſeu redditibus ipſorum.*
18 *Quid quando Eccleſiaſtici habent bona indiuiſim cum laicis.*
19 *In quibus caſibus non ſunt exempti à gabellis, & tributis.*
Quando negotiationem exercent. ibid.
20 *Quando acquirunt bona affecta onere certo, vel inuariabili.*
21 *An quando gabella, vel tributum imponitur æquè principaliter pro ipſis.*
22 *Non poſſunt cogi à ſæcularibus ad illa ſoluenda.*
23 *Quam pœnam incurrant imponentes collectas Eccleſiis.*
24 *An quando non deuenitur ad actualem exactionem.*
25 *Decretum S. Congreg. circa hæc.*
26 *Quid agere debeant Diœceſani contra eos, qui onera ab Eccleſiaſticis exigunt.*
27 *Alia remiſſiuè.*

QVid ſit gabella, vectigal, pedagium, teloninium, portorium, dohana & ſimilia, dixi ſupra *verb. Bulla Cœnæ*, *n.* 17. vbi etiam *n.* 19. de conditionibus ad iuſtam gabellam requiſitis, & *n.* 18. qualiter imponentes nouas gabellas prætterquam in caſibus ſibi à Iure, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceſſis, incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ. Similiter qualiter imponentes collectas, decimas, tallias, & alia onera Eccleſiaſticis etiam incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ *ibid. n.* 46. & 47. Specialiter etiam quoad Regulares, eos exemptos eſſe ab huiuſmodi gabellarum, & ſimilium contributionum ſolutione, dixi *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 14. & *p.* 2. *c.* 1. *n.* 32. Nunc prædicta amplificanda prout ſpecialiter ad Regul. ſpectant. 1

Et primò notandum, quod licet gabellæ, ſeu tributa quæcumque iuſtè impoſita ſolui debeant etiam in conſcientia ab iis, quibus impoſita ſunt, prout colligitur ex illo *ad Rom.* 13. *v.* 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, &c.* (Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 6. Nauar. *in Man. c.* 17. *n.* 200.) etiam ante omnem Iudicis ſententiam, quia tributa iſta non ſunt pœnæ, ſed ſunt veluti præmium, & merces Principum, pro labore, quem ſuſtinent in conſeruanda, & gubernanda Republica (Sanchez *tom.* 1. *conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 1. poſt plures quos refert) ac proinde aliter facientes teneantur ad reſtitutionem 2

(Syluester

Digitized by Google

(Syluester *in Summa* , *verbo Gabella* 3. *num.* 21. *&* 22. Nauarus *ſupra*) quando tamen iniuſtè ſunt impoſita, ſcilicet non ſeruando conditiones requiſitas ad iuſtitiam gabellæ , vel tributi , de quibus dixi ſupra *verbo Bulla Cœnæ* , *num.* 19. non tenentur in conſcientia ad ſolutionem. Ceſſat enim tunc ratio obligationis, ſcilicet iuſtitia gabellæ , vel tributi. Syluester *ſup. num.* 12. Sanchez *d. dub.* 1. *num.* 11. cum communi aliorum. Abſtinendum tamen à mendacio , periurio , ſcandalo , & ſimilibus , quia hæc ſunt intrinſece mala. Syluester *ibid.* Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 5.

3 Secundò notandum , quod licet plurium ſententia ſit , quod in dubio de iuſtitia tributi , ſeu gabellæ (loquo de dubio negatiuo , non de poſitiuo, ſeu opinione probabili , de quo poſtea) non teneantur ſubditi ad ſolutionem illius, præſertim quando ea non ſunt à tempore antiquo, ſed de nouo impoſita (Sanch. *ſup. dub.* 6. alios referens) probabilius tamen eſt oppoſitum. Ratio ſumitur ex generali principio, a quo ſi ſemel receditur , tota ruet boni regiminis ratio , ſcilicet quod in dubiis præſumendum eſt pro Principe , ſeu Superiori, vt quod idem eſt, in dubiis ſtandum eſt ſententiæ Principis, ſeu Prælati. Confirmatur, quia quando non adeſt moralis certitudo de iniuſtitia cauſæ , præſumendum eſt pro Principe vel Superiori : ſed quando adeſt dubium de iuſtitia, non eſt moralis certitudo de iniuſtitia: ergo, &c. Sotus 4. *de iuſtit. quæſt.* 6. *art.* 4. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 18. *num.* 16. Vnde exiſtente tali dubio, publica tributa exigentes ex mandato Principis non peccant, quia præceptum Superioris eos excuſat , *c. quod culpatur* 23. *quæſt.* 1. Sylu. *ſup. num.* 20. Nauar. *ſup. num.* 201. Sanch. *ſup. dub.* 7. qui ſecus dicunt quando exiſtente tali dubio tributa exigunt ſponte, nec compulſi à Principe, quia tunc exponuntur periculo faciendi contra iuſtitiam ſubditorum, nec excuſantur obedientiæ bono.

4 Similiter tertiò notandum , quod licet plurium ſententia ſit , quod quando eſt diuerſitas opinionum probabilium circa iuſtitiam gabellæ , vel tributi, quadam opinione affirmante eſſe iuſtam, alia vero negante, non teneantur ij, quibus impoſita ſunt ad ſolutionem (Diana *part.* 2. *Reſolut.* 59. plures alios referens) nihilominus oppoſitum eſt probabilius , non ſolum propter dicta, ſed etiam quia vt in ſimili dixi de obedientia Regularium erga ſuos Prælatos *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *n.* 26. certè eſſet magna confuſio , & deſtructio Communitatis, ſi prætextu opinionis probabilis nollet quis Superiori opinioni etiam probabili innitenti obedire , nec eſſet melior conditio Superioris , quàm ſubditi in dubio æquali , Azor. *tom.* 3. *inſtitut. moral. lib.* 5. *cap.* 22. *quæſt.* 7. Suarez *de legibus* , *lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 20. Addendum tamen , quod quando rationes contra iuſtitiam gabellæ ſunt vrgentiores , & præſertim ſi iuuantur publico rumore , & fama vel ſuſpicione virorum ſapientum ſic exiſtimantium, tunc opinio de iniuſtitia gabellæ erit probabilior , quam contraria de iuſtitia , & ita illam poterunt ſequi ſubditi , & non ſoluere impoſitionem. Suarez *ſuprà* , Layman. *ſuprà*.

5 His præiactis, certiſſima res eſt Eccleſiaſticos omnes , ac per conſequens Regulares etiam omnes , immunes, & exemptos eſſe à datiis, gabellis, vectigalibus, & aliis quibuſcumque contributionibus, ſeu oneribus, tam realibus , quàm perſonalibus , & tam impoſitis, quam imponendis. Ita enim colligitur ex Iure canonico multis in locis , ſpecialiter *cap. non minus* , *& cap. aduerſus* , *de immunitat. Eccleſ. cap. Quamquam* , *de cenſibus* , *in* 6. *& cap. fin. de vita & honeſtat. Clericorum*, & ex iure ciuili , multis etiam in locis , ſpecialiter *leg. Sancimus* , *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. & Authent. Item nulla* , *Cod. de Epiſcop.* item ex Concil. Trident. (alia antiquiora Lateranenſi omittendo) *ſeſſ.* 25. *c.* 28. Ioannes Beetz *in præcept. Decalog. expoſ.* 1. *cap.* 9. vbi hæc ab Eccleſiaſticis exigentes rapinam committere , ait Proſper Auguſtinus *in additionibus ad Quarant. verb. Vectigal.* Tamburinus *de iure Abbat. tom* 1. *diſput.* 15. *quæſt.* 21. *num.* 3. *&* 4. Barboſa *de iure Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 39. § 5. poſt plures alios. Fauent etiam ſpecialiter quoad Regulares plura priuilegia ipſis à Sede Apoſtolica conceſſa, quorum aliqua pro Carmelitis retuli *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 32. vbi etiam *n.* 12. attuli Bullam Pij V. in qua inter alia hoc etiam conceditur Mendicantibus, & alia pro Caſſinenſibus , & Monachis Vallis Vmbroſæ refert Tamburinus *ſupra* , *num.* 6. cum aliquibus etiam Rotæ deciſionibus : plura etiam Caſſarubius *in Compend. priuilegior. Mendic. verb. Decima.* Ratio verò generalis huius priuilegij ſumitur *ex cap.* 2. *de Cenſibus* , ex quo habetur , quod tributum ſit ſignum ſubiectionis, ſed Eccleſiaſtici non ſunt ſubiacti ſæculari poteſtati, ergo, &c. Suarez *in Defenſ. Fidei*, *infrà cap.* 18. *num.* 4.

Extenditur hoc priuilegium Clericorum ; & Regularium ad Clericos non coniugatos , prima tonſura, aut minoribus tantum Ordinibus inſignitos. Ita enim colligitur *ex cap. Non minus*, *& cap. Aduerſus*, *de immunit. Eccleſiaſt. cap. fin. de vita & honeſt. Cleric.* & aliis iuribus. Tales enim dicuntur perſonæ Eccleſiaſticæ , & ita debent gaudere talium priuilegio. Sanch. *ſup. dub.* 49. Diana *part.* 1. *de immunit. Eccleſiaſt. reſolut.* 35. poſt plures alios. Quod intellige etiamſi non habeant conditiones requiſitas à Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. quarum memini ſupra *verb. Clericus* , *num.* 20. ſcilicet, quod beneficium Eccleſiaſticum habeant , aut Clericalem habitum , & tonſuram deferentes alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiant , vel in Seminario Clericorum , aut in aliqua Schola vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi verſentur. Ratio eſt , quia Concilium eo loco ſolum requirit eas conditiones pro fori priuilegio ab huiuſmodi Clericis retinendo , non pro aliis ipſorum priuilegiis , ac proinde reſtringendum eſt ſolum ad dictum priuilegium fori , cum ſit materia odioſa , ſicque declaratum video à S. Congregat. apud Comitulum *in Reſponſionib. Moral. lib.* 6. *quæſt.* 20. & Dianam *ſup. reſolut.* 36. Aliam quoque declarationem Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium de anno 1631. refert Barboſa *dicto* §. 5. *num.* 16. Apud quos etiam alij auctores huius ſententiæ. Locutus autem ſum de Clericis non coniugatis , prima tonſura, aut minoribus Ordinibus inſignitis , quia Clerici coniugati , etiam cum vnica , & virgine huiuſmodi exemptione à tributis non gaudent, *cap. vnico de Clerico coniugato* , *in Sexto* , vbi talibus certas conditiones obſeruantibus ſolum conceditur priuilegium Canonis , & fori , non alia Clericorum priuilegia , & ita notat Gloſſa ibi, *verbo In cæteris.* Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *capite* 7. *numero* 4. & alij , quos citat , & ſequitur Barboſa *ſuprà num.* 18. Qui etiam *numero* 19. oppoſitum reſoluit cum aliis de Clericis Græcis ; iſti enim etiamſi coniugati ſint , huiuſmodi priuilegio gaudent. Imo etiam Latinos mortua vxore, quam vnicam, & virginem duxerant , hoc priuilegio gaudere , tenet Sanchez *ſuprà dub.* 53. ex Couarruuia , Panormitano , & aliis, eo quod *dictum caput vnic. de Clerico coniugato* , ſolum videtur loqui perſeuerante coniugio. Nota etiam, quod tales Clerici non coniugati, prima tonſura , aut minoribus Ordinibus inſigniti , in Hiſpania , attenta quadam lege nouæ Recopilat. & in Luſitania propter Ordinationem etiam quandam Regiam non ſunt immunes à gabellis , niſi beneficium aliquod obtineant. Quæ leges validæ erunt ſi approbationem à Summo Pontifice tacitam, vel expreſſam obtineant. De quo Barboſa *ſuprà num.* 17. & *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 13. *numero* 2. 3. 4. *&* 5. ex pluribus aliis Auctoribus. [Maximè nota quod cum dico Clericos in minoribus non coniugatos gaudere hoc priuilegio immunitatis , id intelligendum , niſi conſuetudine aliqua ex tacito Summi Pontificis conſenſu alicubi oppoſitum 6

habeatur. Ita Lugo *de inſt. & iure tom. 1. part. 2. diſp. 36. ſect. 107. num. 103.* aſſerens rationem huius limitationis propter magnam multitudinem iſtorum Clerieotum qui ad hunc finem non ſoluendi Gabellas Clericatum accipiunt ſine animo attendeodi ad Ordines ſacros, propter quam cauſam dicit hanc conſuetudinem, ſi approbata eſt à Summo Pontifice, validam eſſe.]

7 Extenditur etiam hoc priuilegium immunitatis à gabellis ad Nouitios Religionum, iuxta dicta *tom. 1. part. 5. cap. 24. num. 4.* quia etiam ipſi ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ac per conſequens comprehenduntur in illis iuris Capitibus, & priuilegiis Religionum ſuperius relatis, in quibus eximuntur à gabellis Eccleſiaſtici. Accedit, quod in fauorabilibus nomine Religioſorum veniunt. Accedit etiam, quod iuxta dicta *verb. Clericus, num. 32.* ſicut Religioſi profeſſi comparantur quoad hæc priuilegia Clericis conſtitutis in Sacris, ita Nouitij Clericis in minoribus; hos autem Clericos in minoribus conſtat exemptos eſſe à gabellis, ergo & Nouitios. Molina, Sanchez, & Diana, quos dicto loco retuli. Vide Hieronym. Rodrig. *in Compend. qq. Regular. reſol. 137. num. 9.* & Viual. *part. 2. Sum. tract. 8. diffic. 14.* Vide & dicta de illis ſupra *verb. Clericus, num. 22.*

8 Extenditur quoque ad Religioſos Militares, ideſt, non ſolum ad illos, qui inter eos Clerici ſunt, Hiſpanè *Freiles*, quia de iis cum ſint verè, & ſimpliciter Religioſi, tam certum eſt immunes eſſe à gabellis, quam de aliis Religioſis, ſed etiam ad eos qui inter ipſos ſunt milites inter ſæculares viuentes, quales ſunt Commendatores Sancti Iacobi, & Sancti Ioannis, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. tria vota Religionis emittentes, quia tales ſunt non ſolum perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam veri Religioſi, iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 5. num. 6. & 14.* imò etiam ad alios, qui duo tantùm vota emittunt, quia etſi tales non ſint veri Religioſi, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, cum Dei cultui ſpeciali modo, & ſub Regula approbata dicati viuant, iuxta ibidem dicta. Vnde omnes illos gaudere hoc priuilegio immunitatis à gabellis, dixi *eo cap. 5. num. 40.* vbi etiam Auctores id aſſerentes retuli. Nota tamen in Hiſpania propter *leg. 9. tit. 18. lib. 9. nouæ recopil.* limitari hoc ad fructus ſuarum Commendarum, non quoad alia. Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. n. 264.* Sanchez *ſup. dub. 58.* & in Luſitania ad aliquos illorum propter Ordinat. Reg. *l. 2. tit. 11. §. vlt.* ſi habuerint Præceptoriam militarem, vulgo *Commendam.* Barb. *de iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 39. §. 5. n. 26.* Quod & ad alios trahendum eſſe tenet Molina *de iuſtit. tom. 3. diſp. 663. n. 6.*

9 Extendi etiam poſſe videtur hoc priuilegium ad illos, qui habitum Clericalem, vel etiam Regularem, ſuſceperunt non animo perſeuerandi in eo ſtatu, niſi ſolum pro aliquo tempore, quia ſaltem pro illo tempore ſunt verè clerici, & verè Regulares, & ita debent gaudere talium priuilegio. Tambur. *ſup. num. 22.* Secus dic, quando habitum talem aſſumpſerunt ſine vlla intentione peragendi ea, quæ ſunt propria illius ſtatus, neque ad tempus, ſed ſolum in fraudem harum gabellarum, arg. text. *in l. qui ſub prætextu, C. de Sacroſanctis Eccleſ.* Proſper Auguſt. *ſuprà, §. Eandem limita.* Vide declarationes aliquas Sacræ Congregationis apud Dianam *5. part. in Collectan. ipſarum.*

10 An hoc priuilegium extendi debeat ad Eremitas, dixi *tom. 1. part. 2. cap. 7. num. 7.* De quo etiam Rodriguez *tom. 3. qq. Regular. quæſt. 74. art. 12.* An ad Tertiarios, vel Tertiarias, dixi eo *tom. 1. part. 2. cap. 14. num. 35.* & agit Rodriguez *ſuprà.*

11 Extendunt plures idem priuilegium ad famulos, & familiam Clericorum, *l. 5. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* De quo Riccius, Carolus de Graſſis, Catanna, Grilenzon, & alij apud Barboſam *dicto §. 5. num. 20. & 21.* Quod ipſe recipit *num. 22.* ſaltem quoad mancipia, & ſeruos illorum, quia iſti ſunt in ipſorum dominio veluti bona ipſorum, & etiam quando onera, & tributa impoſita dictis famulis redundarent in damnum ipſorum Clericorum. Sanchez autem *ſupra dub. 54.* generaliter de famulis Clericorum id ſupponit. Vnde declaratum eſt à S. Congreg. in vna Regienſi 14. Februarij 581. & in vna Taurinana 18. Maij 1603. familiares Epiſcopi fori priuilegio gaudere, Barbuſa *in Collectan. Bullar. verb. Familia, Familiaris.* Vbi etiam aliæ declarationes, quibus deciditur, licere Epiſcopo familiam ſuam amatam augere, dummodo circa numerum, & qualitatem prudenter, & moderatè ſe gerat. Pro quo etiam Diana *5. part. in Collectan. Declarat. Sac. Congregat.* plures refert. Quæ omnia conſequenter dici debent de Regularibus propter dicta, & quia ipſi nomine Clericorum veniunt, præſertim quia familiares Regularium dicuntur de corpore ipſorum, ac per conſequens debent gaudere ipſorum priuilegiis, prout ex Hermano Sam. *de ſeruit. perſon. lib. 2. cap. 7. num. 6.* Alzedo *in prax. Epiſcop. cap. 12. num. 77. part. 1.* Gratiano *in forenſib. diſceptat. tom. 1. part. 2. cap. 340. & 341.* ac Graſſis *de Effectib. Cleric. effect. 1. à num. 128.* firmat Nouarius *in Lucern. Regular. verb. Familiares, num. 2.* An vero idem ſit dicendum de famulis familiarum ipſorum Clericorum, vel Regularium, concurrentibus præſertim prædictis rationibus, conſule à ſimili Mandoſium *in Regul. Cancellar. 3. quæſt. 16.* Sanchez *tom. 2 Conſil. Moral. lib. 7. c. 1. dub. 20. num. 24.* & Dianam *4. part. tract. 4. Miſcellan. reſol. 145.* dum loquuntur de famulis familiarium Epiſcoporum, Salicetum, Odoardum, & alios apud eundem Sanchez, & Nouarium *ſuprà num. 3. & 4.*

Extenditur etiam hoc priuilegium immunitatis à gabellis Clericorum, & Regularium ad eam quæ Hiſpanè vocatur *Alcauala*, etſi enim aliqui dixerint huic gabellæ ſoluendæ adſtrictos eſſe etiam Eccleſiaſticos, oppoſitum tamen eſt veriſſimum, non ſolum quia iura relata in ſuperioribus vniuerſaliſſima ſunt, ſed etiam quia ita ſtatuitur *lib. 11. tit. 3. l. 5. & lib. 6. tit. 19. l. 9. nouæ recopil.* Ioſeph. Angles *in Floreb. qq. Theologic. 2. part. vbi de reſtitut. fraudantium gabellas.* Sanchez *tom. 1. Conſil. Moral. lib. 2. cap. 4. dub. 50.* & alij apud ipſum. Quod intellige etiam quando propria bona, aut proprios fructus vendunt, iuxta dicenda infra. 12

Idem dicendum de alia gabella in Hiſpania vocata *Siſa*, Latinè *Aſſiſium*, quæ ſolet imponi ob communem Reipublicæ neceſſitatem in carnibus, vino, oleo, &c. propter eaſdem rationes, & quia coguntur Eccleſiaſtici prædicta carius emere, vel aliunde emere, quod vtrumque eſt contra ipſorum immunitatem. Azor. *tom. 1. Inſtitut. Moral. lib. 9. cap. 31. §. in dubium vocatur.* Portellus *in Addition. ad dub. Regul. verb. Tributum, n. 8.* Hieronymus Rodrig. *in Compend. qq. Regul. reſol. 63. num. 32.* Meritò ergo multis in locis vſu receptum eſt, vt Eccleſiaſtici talem gabellam non ſoluant, vel ſi ſoluunt intra annum, ad exitum anni Reſpublica, vel Princeps damnum reſarcit, Azor. *ſupra.* An verò talis gabella licita ſit, etiam reſpectu laicorum, eo quod ſit de rebus, quæ pertinent ad vſum, & quod per eam grauentur non ſolum ciues, ſed etiam exteri, agunt Azor. *ſuprà*, Sanchez *d. cap. 4. dub. 45.* poſt alios. In caſu autem quo ſæcularis habens in ſua familia aliquem Clericum, filium verbi gratia, emens carnes, vinum, &c. pro ſua familia; an ſcilicet debeat integrè aſſiſium, an vero non debeat eam partem, quam Clericus conſumit, licet hoc poſterius ſatis probabile videatur, & conſonum immunitati Eccleſiaſticorum, oppoſitum vero tenet Sanchez *ſup. dub. 54.* 13

Cum autem hoc priuilegium exemptionis Clericorum, & Regularium à gabellis ſit reale, vt conſtat ex iuribus relatis, vbi non ſolum perſonæ, ſed etiam bona exempta dicuntur, ideo tranſit ad colonos, ſeu arrendatarios bonorum ipſorum, ita vt illi etiam, quoad illa bona, quorum ſunt coloni, vel arrendatarij, & 14

quatenus

Digitized by Google

quatenus ad ipſos Clericos, vel Regulares ſpectant, immunes ſint à gabellis, & tributis. Colligitur id primò non ſolum ex iuribus relatis, ſed etiam ex Pio V. in Bulla *Durum ad vberes, &c. tom.2. Bull. inter Bullas Pij V. num.* 11. vbi nominantur expreſsè *Laboratores, Coloni, Arrendatarij, Locatarij, & Affictuarij* bonorum Mendicantium. Quam Bullam reuocatam non fuiſſe à Gregor. XIII. in Bulla *In tanta*, dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 14. Maximè id infertur ex dictis *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 1. *a n.* 14. vbi oſtendi ſolum reuocaſſe Greg. XIII. per illam ſuam Bullam ea quæ Pius V. conceſſerat Regularibus contraria Concil. Trident. decretis. Hæc vera bonorum Regularium immunitas à gabellis non eſt contraria ipſi Concilio, ſed potius conformis, iuxta adducta ſuperius ex eodem Concil. *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. Colligitur ſecundo ex declaratione S. Congregat. Epiſcoporum, & Regularium in vna Oppiden. ſub die 18. Septembr. 1618. vbi declaratum eſt colonos, affictuarios, vel partiarios bonorum Eccleſiaſticorum gaudere exemptione Collectarum, tam ordinariarum, quam extraordinariarum pro portione colonica. [Cui etiam fauet declaratio Congregat. ſuper controuerſiis iuriſdictionalibus in vna Agrigentina 14. Febr. 1628. & vt ait Lugo *tom.* 3. *p.* 2. *de iuſt. & iur. diſp.* 36. *ſect.* 7. *n.* 107. hoc eſt certius quando in ipſo contractu affictuationis, ſeu locationis expreſſum eſt, quod coloni retineant hanc exemptionem, iuxta doctrinam Menoc. & Marcambruni, & quando fructus non ſunt ſeparati à ſolo Eccleſiaſtico communi iuxta deciſionem factam Pan. & doctrinam Caroli de Graſ. *de effect. Cler. eff.* 3. *n.* 90.] Tertiò, ex deciſione Cardinalium Millini, Camporei, & Lancellotti, & S. Suſannæ pro Paulo V. in cauſa quadam Mediol. Tambur. *de iur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 21. *num.* 9. Barboſa *d.* §. 5. *n.* 30. *&* 31. ex aliis pluribus, vbi etiam in ſequentibus diſputat, an redditus quos iſti conductores, & coloni bonorum Eccleſiaſticorum percipiunt, gaudeant eadem libertate. Maximè *num.* 62. an tranſeat hoc priuilegium ad emphyteutas bonorum Eccleſiaſticorum. De quo Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 14.

15 Nomine porrò bonorum dictorum Clericorum, & Regularium, quæ exempta eſſe diximus à gabellis, & tributis, non ſolum intelliguntur bona Eccleſiaſtica, ſed etiam quæcumque ipſorum bona quantumvis laicalia, ſeu patrimonialia; iura enim generaliter loquuntur, & omnia illa bona dici poſſunt patrimonium Chriſti, quatenus ſunt eorum, qui specialiter Chriſti obſequio dicati ſunt, præſertim quia cum ſoluere tributum ſit proprium ſubditorum, cum Eccleſiaſtici non ſubdantur ſæculari poteſtati, immunes erunt etiam quoad iſta à tributis ab eadem impoſitis. Suarez *in defenſ. Fidei, lib.* 4. *c.* 23. *&* 24. Laym. *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 6. *n.* 9. poſt plures alios.

16 Idem dico de bonis, quæ data, ſeu donata ſunt Eccleſiaſticis perſonis; propter eandem rationem, ſcilicet, quia iura generaliter loquuntur. Vnde mirandum quod in Regno Neapolitano oppoſitum habeatur, niſi ſit ex beneplacito Sedis Apoſt. Guardua *in Bull. Cœna, lib.* 2. *Can.* 18. *quæſt.* 6. Diana *part.* 1. *tract. de immunit. Eccleſiaſt. Reſol.* 41.

17 Idem etiam dicendum de fructibus, prouentibus, ſeu redditibus bonorum Clericorum, ſeu Regularium, ſi ab ipſis vendantur, ſiue ad groſſum, ſiue minutum (vt dicitur,) quod ſcilicet liberi etiam ſint à prædictis gabellis. Cum enim generaliter loquendo omnia bona ipſorum, vt dictum eſt, habeant hanc exemptionem, non eſt cur id negetur prædictis fructibus, redditibus, ſeu prouentibus, ex eo quod vendantur, cum talis venditio ipſorum non ſit negotiatio ipſis prohibita, vt bene Bertachin. *de Gabellis, part.* 7. Syluester *in Summa, verb. Excommun.* 9. *num.* 46. & alij, quos referunt, & ſequuntur Tamb. *ſuprà num.* 16. Barboſa etiam *ſuprà num.* 34. & Vide dicenda infra *num.* 19. vbi explicabo quando venditio talium erit negotiatio.

Idem quoque dicendum pro caſu quo Eccleſiaſtici, 18
vel Regulares haberent aliqua bona in communi, & indiuiſo cum laicis, ſcilicet adhuc tunc portionem illam bonorum, quæ dictis Eccleſiaſticis, vel regularibus competit, immunem eſſe ab impoſitionibus, propter eandem rationem. Molfeſius *in Summ. Theolog. Moral. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *n.* 170. Tamburinus *d. quæſt.* 21. *num.* 24. Licet quoad hoc ſtandum eſſe conſuetudini declaratum eſt à S. Congregat. Epiſcoporum, & Regularium, teſte Barboſa *dict.* §. 5. *num.* 61.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus Clerici, & Re- 19
gulares immunes non ſunt à gabellis, & tributis. Primus eſt, quando negotiationem exercent; tunc enim licitè ab eis dicta tributa exigi poſſunt, ex illis quæ vendunt, & emunt. Ita enim colligitur *ex cap. Quamquam, de Cenſibus in* 6. & ex Clement. fin. *de Cenſib.* Syluester *ſuprà*, Bonacina *diſp.* 2. *de reſtitut. quæſt.* 9. *punct.* 2. *num.* 2. Comitolus *in Reſponſionibus Moral. lib.* 1. *quæſt.* 53. & alij communiter. Tunc autem dicuntur negotiationem exercere, quando aliquid emunt, vel contractu onaroſo adquirunt, vt ex illius venditione lucrum referant. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 23. *ſect.* 4. *n.* 2. Adde, tunc propriè negotiationem faciunt, quando aliquid emunt, vt immutatum carius vendant, Syluester *ſuprà*, Molina *de Contract. diſp.* 342. *num.* 1. Tolet. *in Summa, lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 13. Diana 5. *part. tract.* 1. *Reſolut.* 27. Vnde non dicuntur negotiationem exercere quando aliquid emunt ad ſuæ familiæ ſuſtentationem, & poſtea data occaſione lucri, illud cum lucro vendunt, cum tunc non emerint ad vendendum. Syluester, Suarez, Bonacina *ſupra*. Nec qui vendunt redditus propriorum beneficiorum, vt dictum eſt. Nec qui extrahunt fructus ſuos, ſiue ſuorum beneficiorum, ſiue bonorum patrimonialium, ex vno loco ad alium, vt ibi carius vendant. Souſa *in Bull. Cœna, cap.* 19. *diſput* 92. *conſ.* 1. *num.* 4. Diana *ſuprà, dict. reſolut.* 27. Nec etiam dicentur negotiatores, qui emunt animalia, vt illa paſcant in propriis prædiis, & cum pinguia facta fuerint, illa vendunt. Vel cum emunt materiam aliquam ex qua artefacta conficiant, illaque vendant. Tunc enim non vendunt rem immutatam, ſed induſtriosè mutatam. Molina *dicta diſp.* 342. *num.* 14. Bonacina *ſuprà, num.* 6. *&* 7. Dummodo id fiat ad ſubueniendum propriis neceſſitatibus, nec propterea ſe ſubtrahant à Clericali, vel Religioſo officio, & artificium illud ſit honeſtum. Syluester *in Summa, verb. Clericus* 3. *num.* 2. Proſper Auguſtinus *ſupra*, §. *Difficultas verſatur*. Multo minus dicuntur negotiationem exercere, ſi ſemel id faciant; cum enim negotiatio ſit nomen verbale, requirit frequentiam. Sanchez *tom.* 1. *Conſiliorum Moralium, lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 51. *num.* 7. Barboſa ſupra. In caſibus autem, in quibus licita eſt illis negotiatio (de quibus Tamburinus *ſuprà num.* 18. & ego infra *verbo Mercatura*, & *verbo Negotiatio*, & de quibus plures extant Sacræ Congregationis declarationes apud eundem Barboſam *dicto lib.* 1. *de iure Eccleſiaſt. cap.* 40. *num.* 127.) etiam videntur eſſe immunes à gabellis. Barboſa *dicto cap.* 39. §. 5. *numero* 67. *&* 68. ex aliis. Vide declarationem Sacræ Congregationis apud Dianam 5. *part. in Collectan. ipſar. numero* 44. An vero ad hoc, quod Clerici, & Regulares negotiatores teneantur ſoluere gabellas de his quæ emunt, & vendunt, neceſſaria ſit trina monitio, de qua agitur *in cap. fin. de vita & honeſt. Cleric.* quæſtio dubia eſt, cui affirmatiuè reſpondent Barboſa *ſuprà num.* 65. *libro* 1. *cap.* 39. §. 5. & plures alij apud ipſum, & Dianam *part.* 1. *tract. de Immunit. Eccleſiaſt. reſolut.* 46. Probabilius tamen eſt oppoſitum, ſcilicet, quod quamuis ad hoc quod dicti Eccleſiaſtici gabellas ſoluant ex bonis, & facultatibus ſuis, neceſſaria ſit dicta trina monitio *in dicto c. fin.* expreſſa, ad ſoluendum tamen illas ex illis bonis cum quibus negotiantur, non requiratur dicta

trina monitio, cum id abſolutè habeatur *dicto cap. quamquam, de cenſibus, & dicta Clement. fin.* De quo relatus Sanchez *dicto cap.4. dub.51.* & plures alij quos ipſe, & Diana *ſuprà* referunt. Illud certius, tales Eccleſiaſticos negotiatores non poſſe cogi ad ſolutionem talis gabellæ, niſi à Iudice Eccleſiaſtico, non ſæculari, cùm illi, non iſti ſubdantur. Sanchez *ſuprà, dub.52.* Barboſa *ſuprà, num.69.* ex aliis. Imò in caſu dubij an Clericus negotietur, ſtandum eſt ipſius iuramento, niſi contrarium probetur. Sanchez *ibid.* Bonacina *ſuprà, num.2.* Vide Maſcardum *de Probationibus, concluſ.953. num.15.* An verò poſſint cogi tunc ad iurandum, dixi *tom.1.part.1.cap.11.num.25.*

20 Secundus caſus, in quo tam Clerici, quam Regulares non ſunt exempti à gabellis, eſt quando adquirunt aliqua bona affecta onere certo, vel inuariabili ſoluendi illas; tunc enim res tranſit cum ſuo onere, *cap. paſtoralis, & cap. cum non ſit, de decimis, cap.1. de Cenſibus*, & aliis. Idque conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum DD. Cardinalium controuerſiis iuriſdictionalibus præpoſitorum, de qua infra *num.25.* Syluester *in Summa, verb. Immunitas 1. num.19.* Proſper Auguſtin. *ſuprà, §.eandem limita.* Bonacina *ſupra, num. 2.* Tamburinus *ſuprà, num.7.* Hoc tamen intelligendum ſolum in caſu quo talia bona affecta eſſent tali onere per ſe, & ratione ipſorum, verbi gratia ex præcedenti pacto feudali, cenſuali, emphyteutico, &c. tunc enim tranſeunt cum ſuo onere, non verò quando eſſent illa affecta per accidens ratione perſonæ, quæ illa poſſidebat, quia tunc mutata perſona mutatur ſtatus rei. Sanchez *ſuprà, dub.57.* per totum. Layman. *ſuprà, dict. num.9.* [Addit tamen Lugo *ſuprà, num.10.* contra Dianam, etiam bona præfata Eccleſiaſticorum eſſe ſubiecta impoſitionibus, quando illa erant primitus affecta hoc onere, quamuis id non eſſet certum, determinatum, & inuariabile, ſed indeterminatum, & variabile. Sed oppoſitum videtur deciſum à Sacra Congregatione in decreto adducendo infrà *num.25.* vbi deciditur bona per Eccleſiaſticos poſſeſſa gaudere exemptionibus à quibuſcumque impoſitionibus, & oneribus, quæ non ſint copulatiuè certa, realia, & inuariabilia. Ergo ab oneribus incertis & variabilibus exempta ſunt.

21 Tertius eſt, quando gabella, vel tributum imponuntur æquè principaliter propter vtilitatem, vel commoditatem tam Eccleſiaſticorum, quàm laicorum, v.g. pro reparatione aggerum, ne flumen vicinos Eccleſiaſticorum, & laicorum agros inundet, vel pro reficienda via per quam eſt eundum ad domos, vel prædia ipſorum, vel pro communi damno, ſeu periculo imminenti vitando, vt pro expellendis hoſtibus vaſtantibus territorium, vel peſte infectis, ne inficiant ciuitatem, vel pro communi cuſtodia vinearum, pratorum, agrorum, &c. Id enim & recta ratio ſuadet, nec iura contradicunt. Nauarrus *in Manual. cap.27. num.115.* Tamburinus *ſup.d.num.7.* Barboſa *ſuprà, num.57. & ſequentibus.* Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in conſtit. 2. Iuly II. num. 141.* Non tamen tenentur ad contributiones pro iis, quæ primò, & principaliter ad Communitatem ſpectant, & non niſi ſecundariò ad Eccleſiaſticos, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.11. num.26.* de cuſtodia Regni, reparatione pontium, turrium, &c. aliàs enim nimis anguſtum, & coarctatum eſſet Eccleſiaſticorum priuilegium, quoad publica onera, Tamburinus *ſup.* idem dico de gabella poſita pro primo Introitu Regis in Ciuitatem, quia hæc neceſſitas tantùm indirectè, ac remotè tangit Eccleſiaſticos. Diana 3. *part. tract. 1. reſolut.11.* ex aliis. Excipe ſi caſus eſſet, quod facultates laicorum ad huiuſmodi neceſſitates non ſufficerent, tunc enim poſſet imponi aliqua contributio ſuper bona Eccleſiaſticorum, interueniente tamen conſenſu Pontificis, vel in caſu vrgenti, Epiſcopi pro Clericis, & Prælatorum Regularium pro Religioſis exemptis, Martha *de iuriſdictione part. 4. centuria 1. caſu 1.* afferens decretum Clement. VIII. anni 1600. pro cauſa inter Clerum, & Populum Piſanum. Peirinis *ſupra*, Diana *part.1. in tract. de Parlamento, reſol.22. & part.5. tract.1. reſolut.11.* vbi dicit id etiam eſſe intelligendum, quando neceſſitas publica concernit æquè principaliter Clericos, ac laicos. Tamburinus *ſupra*, & plures alij apud ipſos. [Nota tamen Cardinalem de Lugo, qui nouiſſimè de hac re ſcripſit *tom.2. de iuſtit. & iure, diſp.36. ſect. 8.* latè contendere, vt diximus, Eccleſiaſticos non debere ſoluere gabellas aut ſimiles impoſitiones, propter reparationem pontium, murorum, fontium, & aliorum eiuſdem generis, quæ directè reſpiciunt communem vtilitatem, aliàs immunitas Eccleſiaſtica ferè ad nihilum valeret, cum communiter gabellæ pro huiuſmodi neceſſitatibus imponi ſoleant. Secundò dicit non obſtare leges ciuiles, ſi quæ ſunt in contrarium, cum eæ non poſſint immunitati Eccleſiaſticæ derogare. Ad quod addendum, quod cum ex legibus Canonicis, decretis Summor. Pontificum, & Conciliorum, de quibus dixi *ſuprà, verb. Bulla Cœnæ, & verb. Clericus*, & dicam infra, verbo *Immunitas Eccleſiaſtica*, conſtet oppoſitum, cenſeri debet Eccleſiam correxiſſe, prout poterat, iura ciuilia quoad hoc. Tertiò ait refellendum eſſe omnino quod aliqui dicunt in eiuſmodi contributione ad has communes neceſſitates non requiri quod laicorum bona non ſufficiant, vt Eccleſiaſtici contribuere debeant: quia iuxta mentem Conciliorum, & vſum Curiæ id exigitur. Sed nos iam diximus etiamſi facultates laicorum ad huiuſmodi neceſſitates non ſufficerent, adhuc requiri ad impoſitionem talium onerum ſupra Eccleſiaſticos conſenſum Pontificis, Epiſcopi, &c. Circa gabellam autem aut impoſitiones, quæ poni ſolent pro vtilitate immediata, & directa Eccleſiaſticorum, ad quam obligati poſſe Eccleſiaſticos diximus, notat idem Lugo adhuc pro hoc caſu requiri conſenſum Pontificis, vt obligentur Eccleſiaſtici, niſi ipſi Eccleſiaſtici vltro ſe ad ſubueniendum tali neceſſitati aſtringant. Sed quia oppoſitum tenet communis ſententia Doctorum, quorum plurimos affert Sanchez *dict. cap.4. dub.55. n.7.* & Diana *tom.2. reſol.4. & 132.* ideò non videtur reiiciendum.]

Notant autem communiter Doctores, iuxta dicta *ſupra*, nec in prædictis caſibus, in quibus gabella debet ſolui ab Eccleſiaſticis, poſſe cogi à Iudicibus ſæcularibus ad eam ſoluendam, cùm non habeant vim coactiuam ſuper illos, ſed ſolum à ſuis Superioribus. Bonacina *ſup. num.3.* Peirinis *ſuprà.* Addit Bonacina *ibid.* poſſe tunc Principem ſæcularem facere executionem in bonis, quibus eſt annexum onus ſoluendi tributum, illa enim non ſunt exempta. 22

Notandum etiam, quod contra laicos imponentes tallias, vel collectas Eccleſiis (intellige in caſibus non permiſſis) impoſita eſt excommunicatio in Concil. Lateranenſi, & refertur *cap. Non minùs, & cap. Aduerſùs, de Immunit. Eccleſ.* Præſertim Bonifacius VIII. *in cap. Quamquam, de cenſib. in 6.* contra exigentes, vel extorquentes per ſe, vel per alios, ſuo nomine, vel alieno, pedagia, vel guidagia ab Eccleſiaſticis, ſi fuerint perſonæ ſingulares, excommunicationem, ſi verò Communitas, vel Collegium, interdictum impoſuit. Prohibentur autem hæc, quatenus ſunt onera, vel tributa, non quatenus ſunt præmium iuſtum pro aliquo labore: nam pedagium, v.g. eſt tributum, quod exigitur ſolum ratione tranſitus, ſi tamen per flumen tranſeundum eſt in nauicula, exigere aliquid pro illo tranſitu, non eſt contra hanc legem. Similiter guidagium dicitur, quod ſoluitur pro ducatu, ſeu oſtenſione itineris, quod tunc eſt tributum, quando homo non vult ducem viæ, neque illum accipit, & ſoluere cogitur: ſi autem Eccleſiaſticus huiuſmodi ducem conducat, illi debetur ſtipendium. 23

Digitized by Google

ſtipendium. Caietanus *in Summa, verbo Excommunicatio, cap.* 39. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 21. Maximè tamen in *Bulla Cœna, num.* 18. verbis relatis ſuprà verbo *Bulla Cœna, num.* 46. Excommunicatio etiam ſtatuitur contra eos qui prædicta onera abſque Summi Pontificis licentia imponunt Eccleſiaſticis, eaque exigunt, aut impoſita etiam à ſponte dantibus recipiunt, & contra eos, qui in præmiſſis auxilium, conſilium, vel fauorem præſtant. Differt autem hæc excommunicatio ab alia impoſita à Bonifacio VIII. Primò, quòd excommunicatio Bullæ Cœnæ eſt Papæ reſeruata, non vero illa Bonifacij. Secundò quod ea quæ ponitur in Bulla Cœnæ, comprehendit copulatiuè imponentes dicta onera Eccleſiaſticis, & ab illis ea exigentes, vt patet in illis verbis Bullæ *Imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt*: ea verò, quæ ponitur à Bonifacio, non eſt contra imponentes dicta onera Eccleſiaſticis, ſed contra ea ab ipſis exigentes. Vnde fit quod ſi Exactores gabellarum ſolum laicis, & non Eccleſiaſticis impoſitarum, exigant illas ab Eccleſiaſticis, non incurrent excommunicationem Bullæ Cœnæ, ſed Bonifacij. Tertiò, quod excommunicatio Bullæ Cœnæ incurritur etiam à recipientibus dictas gabellas ab Eccleſiaſticis ſponte eas dantibus, non ſic autem excommunicatio dicta Bonifacij VIII. vt patet ex contextu *dicti cap. Quamquam.* De iis Caietanus *in Summa, verbo Excommunicatio, cap.* 39. Bonacina *ſuprà num.* 10. & ſequentibus. Peiſinis *ſupra n.* 138. & ſequentibus, & alij. Nota tamen, ea dici in præſenti dari ſpontè, non quæ abſoluta, & omnino libera voluntate donantur, ſed quæ dantur præcisè propter impoſitionem, ſeu exactionem communem. Suarez *tomo* 5. *in* 3. *part. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 99. Naldus *in Summa, verb. Bulla Cœna, num.* 57. Quartò differunt prædictæ excommunicationes, quòd illa quæ eſt in Bulla Cœnæ, extenditur ad auxiliantes, conſiliantes, fauentes, &c. non autem illa Bonifacij, vt patet ex textu.

24 Nota etiam, quod imponentes dictas gabellas Eccleſiaſticis, quamuis non deueniant ad actualem exactionem illarum, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, non quidem illam *num.* 18. vt dictum eſt, ſed illam *num.* 15. verbis relatis ſuprà verbo *Bulla Cœna, num.* 40. Ibi enim excommunicantur qui Statuta, Ordinationes, &c. fecerint, contra libertatem Eccleſiaſticam, in quo includitur etiam impoſitio dictarum gabellarum, cum ea ſit contra libertatem Eccleſiaſticam. Tamburinus *ſuprà num.* 13.

25 Pro dictis autem maximè notanda declaratio nuper à Sacr. Congregat. DD. Cardinalium controuerſiis iuriſdictionalibus præpoſitorum lata de anno 1640. apud Typographiam Cameralem typis impreſſa, in qua ſic: *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium controuerſiis iuriſdictionalibus præpoſitorum aliàs cenſuit bona per Eccleſiaſticos poſſeſſa gaudere exemptionibus à quibuſcumque impoſitionibus, & oneribus, quæ non ſint copulatiuè certa, realia, & inuariabilia, iuxta deciſionem in Brundiſina Gabellæ carnium bon. mem. Penna, & concordan. necnon ab impoſitionibus Cameralibus, etiam comprehenſiuis Eccleſiaſticorum, quando Eccleſiaſtici libertatem ea non ſoluendi præſcripſerint, iuxta decretum anni* 1600. *tempore fœlic. mem. Clementis VIII. editum.*

26 Qualiter Diœceſani teneantur publicare excommunicatos, vel interdictos eos, qui pedagia, vel guidagia ab Eccleſiaſticis exigunt, vel extorquent, habetur ex *Clement. vlt. de Cenſibus.* Vide Barboſam *ſupra n.* 13.

27 Vide dicenda verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium.*

GENERALES REGVLARIVM.

De ipſis adeo plura in præcedentibus, maximè primo tomo dixi, vt illis remiſſiuè ſolùm hoc loco relatis, ſufficienter ſatisfieri poſſit huic materiæ. Teneri obedire Papæ ex vi etiam voti obedientiæ, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 33. Plures illorum eo ipſo quo ſunt electi, eſſe à Sede Apoſtolica confirmatos, eodem *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 35. Non poſſe eximere ab obedientia ſui Prælati immediati aliquem Religioſum, eodem 1. *tomo, cap.* 18. *num.* 23. Nec fundare aliquam Prouinciam de nouo, aut fundatam diuidere, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia *ibidem, num.* 24. Teneri Legibus, & Conſtitutionibus ſuorum Ordinum, quoad vim directiuam, & aliquo modo quoad coactiuam, eodem *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 21. De caſibus, & cenſuris, à quibus abſoluere poſſunt ſuos ſubditos, eodem *tom.* 1. *cap.* 18. *à num.* 36. Quam doctrinam nouiſſimè recipit Ioannes Maria Nouarius *in Lucern. Regularium, verbo Generalis, & Generalatus, num.* 14. Pro ea tamen, quod attinet ad priuilegium Gregor. XIV. pro Clericis Miniſtrantibus infirmis, vide dicta ſuprà verbo *Abortus, num.* 8. An poſſint dare licentiam ſuis ſubditis ad legendum libros prohibitos, eodem *cap.* 18. *num.* 96. Quam etiam doctrinam approbat Diana *part.* 5. *tract.* 13. *Reſol.* 49. Quas pœnas, vel cenſuras incurrant dando ſuis ſubditis gradus, officia, &c. propter fauores extraneorum, eodem *cap.* 18. *num.* 82. Eos eſſe ſuprema capita Religionum *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. Eorum dignitatem aſſimilari quodam modo Patriarchali, *ibid.* Quomodo creandi, *ibidem.* Quæ conditiones pro ipſis, *ibidem num.* 11. Habere ſupremam auctoritatem in Religionem, *ibid. num.* 12. Inferiorem tamen, & dependentem à Capitulis Generalibus. *ibid.* Poſſe officia, & beneficia Religionum diſpenſare, *ibid. num.* 13. Dignioribus, & melioribus, *ibid.* An condere Leges, & Decreta, *ibid. num.* 14. An mortaliter peccantes teneantur confiteri circumſtantiam Generalatus, *ibid. num.* 15. An poſſint diſpenſare cum illegitimis, *ibid. cap.* 12. *num.* 21. Pro quo etiam vide dicenda infrà verbo *Illegitimi Regulares.* De Abbatibus Generalibus dixi hoc *tomo, verbo Abbas.* Quæ poſſint benedicere, verbo *Benedicere, & Benedictio.* Quæ poſſint conſecrare, verbo *Conſecrare, & Conſecratio.* An adminiſtrare bona Monaſteriorum, verbo *Adminiſtrator, & Adminiſtrare.* Quæ ætas pro illis requiratur, verbo *Ætas.* An geſtare poſſint baculum paſtoralem, verbo *Baculus.* Quomodo poſſint applicare bona ſpiritualia ſuorum ſubditorum extraneis, verbo *Bona.* Vide & dicenda infrà verbo *Gradus, & Graduati Regulares,* & *infrà* verbo *Prælatus,* vbi plura ad illos ſpectantia.

GRADVS, ET GRADVATI Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Tres huiuſmodi gradus.*
3 *Quibus conditionibus recipiendi.*
4 *Priuilegium Innocentij VIII. pro Ordine Prædicatorum.*
5 *Bonifacij IX. pro eiſdem.*
6 *Sanctiſſimi D.N. Vrbani pro Carmelitis.*
7 *Suſcipientes gradum an teneantur facere fidei profeſſionem.*
8 *Dubium circa Inſtitutionem cuiuſdam Magiſtri.*
9 *Poteſt fieri ſi habeat qualitates requiſitas.*
10 *Ex Conſtitutione Papæ Innocentij.*
11 *Verba ipſius.*
12 *Lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda.*
13 *Etiamſi ſit maior ratio in vno, quàm in alio.*
14 *Lex vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.*

Digitized by Google

15 *Lex ſi voluiſſet, expreſſiſſet.*
16 *Quia eſt lex fauorabilis, & amplianda.*
17 *Etiamſi eſſet conceſſa in fauorem Prouinciarum.*
18 *Fauori ſuo quilibet renunciare poteſt.*
19 *Nec refert, quod Prouincia id poſtulet, accedente beneplacito Sanctiſſimi.*
20 *Quia non ſit cum clauſula illa*, Non aliàs, aliter, nec alio modo.
21 *Obiiciuntur verba Breuis Papæ Innocentij.*
22 *Non faciunt contra reſolutionem traditam.*
23 *Conſtitutio Gregorij XIII.*
24 *Intelligentia ipſius.*
25 *Paria ſunt aliquid fieri tempore habili, & quod effectus confertur in tempus habile.*
26 *Obiectio ex Conſtitutione Vrbani.*
27 *Videtur extra rem.*
28 *A diuerſis non eſt illatio.*
29 *Diuerſorum diuerſum eſt iudicium.*

1 DE hac etiam materia aliqua dixi in præcedentibus, videlicet, quid ſint gradus *tom.1. part. 2. cap.13. num.6.* Poſſe tribui Religioſis, eodem *cap.13.num.41.* maximè ſtudentibus linguarum Hebraicæ, Græcæ, &c. *tomo 1.part.1. cap.18. n.85.* Graduatos etiam in Theologia, vel Doctores, debere ab Epiſcopis approbationem obtinere ad audiendas Confeſſiones, eodem *tom.1. part.2.cap.19.num.6.* Teneri ſequi chorum *dict. cap.18. num.70.& part.2.cap.13. num.42.* Non poſſe vti aliquo gradus ſui priuilegio, niſi actu legant, vel prædicent, *ibid.* Quomodo id accipiendum *ibid.* Inepti, & Idiotæ qualiter peccent hos gradus ambiendo, vel obtinendo, *ibid.* An Confeſſores aperturi Breuia S. Pœnitentiariæ debeant eſſe graduati *tomo 1.part.1.cap.19. n.38.* Quomodo ambientes hos gradus mediis fauoribus extraneorum incidant in pœnas à Summis Pontificibus deſignatas, *cap.10.num.17.* Quid verò quando litteræ pro eis impetrandis datæ non eſſent, vel eſſent interceptæ, *cap.15. num.27.* Qualiter prohibitum Superioribus concedere illos propter dictos fauores, *cap. 18. num.82.* Quomodo graduati Examinatores præferendi ſint non graduatis hoc *3. tom. verb. Examinatores, num.2.*

2 Nunc addendum primò, tres eſſe huiuſmodi gradus ſecundum vſum plurium Vniuerſitatum, & Religionum, ſcilicet Baccalaureatum, Licentiatum, ſeu Præſentatum, Doctoratum, ſeu Magiſterium. Nauarrus *de finibus humanorum actuum, num.45.* Naldus *in Summa, verbo Doctor. num.2.* qui eos vocant *Mineruales Laureas*, ſeu Coronas. Baccalaureatus, qui vt puto, dictus eſt à *Baccalia* lauri ſpecie à baccarum fertilitate dicta, de qua Plinius *lib. 15. cap. 30.* eſt infimus gradus ſcholarum, quo ad Magiſterium aſcenditur. Licentiatus eſt gradus illius, qui poſt examen non recepit inſignia, ſeu gradum Doctoratus. Naldus *in Summa, verb. Doctor, num.2.* referens Decium *cap. cum te, num.21.* Doctoratus, ſiue Magiſterium ſolum differunt penes hoc, quod Magiſterium eſt in Theologia, vel Artibus, & Doctoratus in Iure, vel Medicina, ſecundum vſum in toto mundo celeberrimæ Salmantinæ Vniuerſitatis, & aliarum, apud Gloſſam *in Clement. cum ſit, de Magiſtris, verbo Doctoratus.* Syluester *in Summa, verbo Doctor, num.1.* Eſt autem Doctoratus, ſiue Magiſterium, authoritas, ſeu facultas ad docendum conceſſa à publica Vniuerſitate ob ſufficientiam perſonæ. Gloſſa *in Clement. cum ſit, relat.* Cum autem non ſint dignitates propriè, neque beneficia huiuſmodi gradus, ideo conferri poſſunt excommunicato, iuxta dicta ſuprà verbo *Excommunicatio, num. 27.* Naldus *ſup. n.4.* apud quem alia.

3 Addendum ſecundò, huiuſmodi gradus recipi non poſſe à Regularibus, ſiue in Vniuerſitatibus, ſiue extra illas, niſi iuxta conditiones aſſignatas in Conſtitutionibus Religionum, ſub pœnis ipſis taxatis. Extant etiam quoad hoc priuilegia Martini V. & Eugenij IV. pro Minoribus, & conſequenter pro aliis, qui eorum fruuntur priuilegiis, quæ refert Caſſarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium, verbo Gradus Scholaſtici, num.1.2.3.& 4.* Primò enim dictus Martinus V. præcepit in virtute S. Obedientiæ vniuerſis Cancellariis, Rectoribus, Decanis, Magiſtris, & Doctoribus ſtudiorum, ac vniuerſitatibus eorumdem, ne fratribus Minoribus Magiſterium conferrent, niſi curſum per Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis inſtituta perfeciſſent, & idonei eſſent, ſub pœnis priuationis gradus, & honoris Magiſterij, Lecturarum, & aliorum actuum, ſeu gratiarum Magiſtralium ipſo facto incurrendis, & inhabilitatis ad ea tam à concedentibus, quàm ſuſcipientibus dictum gradum. Caſſarubius *ſuprà num. 1.* Item quoad gradum Baccalaureatus conceſſit idem Pontifex, quod ſi aliqui prædictorum Fratrum eum adepti fuerint contra Conſtitutiones Apoſtolicas, & Inſtituta prædicti Ordinis, & illius prætextu libros Sententiarum publicè & actualiter legerint, à lectura eiuſmodi ceſſent, alias à Superioribus per cenſuram Eccleſiaſticam arceantur, Caſſarubius *ſupra num.2.* Item contra eos, qui ex dicto Ordine gradum Magiſterij obtinuerint non ſeruatis conditionibus ad id requiſitis, ſtatuit idem Pontifex, confirmante etiam Eugenio IV. nullatenus gaudere poſſe beneficiis & priuilegiis talis gradus, nec haberi, aut reputari pro Magiſtris, nec ſe pro talibus gerere, & nominare poſſe. Præcipiens etiam Capitulis, & Superioribus dicti Ordinis ſub pœna Excommunicationis, vt prædicta facerent inuiolabiliter obſeruari. Caſſarubius *ſuprà num.3.* Quo priuilegio, vt dixi, poſſunt vti aliæ Religiones communicantes in priuilegiis cum Minoribus, imò & debent eo vti, vt indigni, & ambitioſi, qui illegitimè ad dictos gradus in Religionibus aſcenderunt, ab eis remoueantur. [Contra quos pro Fratribus S. Mariæ de Mercede Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium 28. Septembris 1635. notabile edidit decretum, de talibus videlicet repellendis à gradibus indignè ſuſceptis, & priuilegiis ipſorum. Quod iure optimo in aliis etiam Religionibus obſeruari debet. Maximè quia vt declarauit S. Congregatio Concilij in vna Capuana 20. Martij 1623. Doctor ignarus habetur ac ſi non eſſet Doctor. Ex priuilegio etiam Innocentij VIII. quod refert Rodriguez *tom.2.quæſt. Regular.q.74. art.3.* Religioſi Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Hiſpaniæ præſumentes accipere quemcumque gradum in Theologia, niſi ad illum per Capitulum dictæ Prouinciæ fuerint expoſiti, erit irritum totum quod faciunt. Rodriguez *ibid.* Sanchez *tom. 2. in Decalog. lib. 6. cap.14.num.49.*

Ex conceſſione autem Innocentij VII. pro Fratribus Ordinis Prædicatorum Congregationis Hiſpaniæ habetur, quod ad euitandas magnas expenſas, quæ ſuſcipiendis gradibus in Vniuerſitate Salmantina fiunt, Regens domus Sancti Stephani Salmantinæ, & in eius abſentia Prior eiuſdem Conuentus, poſſint dare quoſcumque gradus Fratribus eiuſdem Congregationis per eandem Congregationem expoſitis, & admiſſis per Capitulum, vel Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, dummodo ſic graduandi peregerint curſus ſuos. Caſſarubius *ſuprà num.7.* 4

Item Bonifacius nonus conceſſit Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum pro tempore exiſtenti, quod in quolibet Capitulo, Generali dicti Ordinis, pro tempore celebrando vni ex Fratribus dicti Ordinis in Theologica facultate prouecto, qui per Generalem, & Diffinitores dicti Capituli, vel aliquos Magiſtros ad hoc aſſumendos diligenti examine ſufficiens & idoneus inuentus fuerit Magiſterij honorem, & docendi licentiam, ſeruatis conditionibus Concilij Vien. & aliis 5

ſulemnita

ſolemnitatibus in talibus conſuetis, auctoritate Apoſtolica elargiri poſſit. Sibique intra dictum Ordinem, & extra, omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus, & Indulgentiis, tam à Sede Apoſtolica, quàm ab Ordine prædictis Fratribus eiuſdem Ordinis in eadem Theologia Pariſienſi Magiſtris conceſſis, perinde vti, & gaudere liceret, ac ſi in Pariſienſi ſtudio huiuſmodi Magiſterium recepiſſet. Hæc ad verbum Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Generalis Ordinis, num. 5.* referens Bullam, quam tamen videre non potui. Circa quæ nota, quod licet illa particula *Sibique, &c.* videatur poſſe referri ad Generalem ipſum, commodiùs tamen refertur ad ipſum Fratrem Magiſtrum conſtitutum. Circa conditiones Concil. Viennen. quæ in hoc priuilegio referuntur, vide Clement. *Cum ſit nimis, de Magiſtris*, & nota ex Gloſſa *ibid. verbo Inſignia Doctoratus*, talia inſignia eſſe cathedram, birretum, & apud alios librum, annulum, oſculum. Nota etiam ex eadem Clement. quod conferens gradum Magiſterij, etiamſi ſit Epiſcopus, non præmiſſo à Doctorando iuramento, quod in ſolemnitate ſua non expendet vltra ſummam trium millium Turonenſium argenteorum, eſt ſuſpenſus per ſex menſes à collatione Magiſterij. Hoc tamen non videtur neceſſarium quando Regulares conferunt hos gradus ſuis Religioſis, quia tunc non fiunt tales expenſæ, ac per conſequens ceſſat finis huius Clementinæ. Sylueſter *in Summa, verbo Doctor, num. 7.* Notat etiam Gloſſa *ibid. verbo Sequentes, & verbo Suſpenſum*, quod ſi ſic ſuſpenſus conferat Doctoratum, valida erit collatio, ſi ſuſpenſio eſt occulta, non autem ſi ſit publica, & quod violans hanc ſuſpenſionem non ſit irregularis. Vide dicenda *tom. 4. verbo Suſpenſio.* Notat inſuper collationem Doctoratus non imprimere characterem, ſed eſſe quandam authorizationem, qua declaratur, doctorandum eſſe dignum ad officium doctrinæ, & ei concedi facultatem ad docendum.

6 Extant etiam literæ in forma Breuis à Sanctiſſ. Domino Noſtro Vrbano VIII. die 26. Auguſti 1634. emanatæ, quibus de Conſilio Eminentiſſ. Cardinal. negotiis Regularium Præpoſitorum, conceditur Generali Carmelitarum pro tempore exiſtenti, ut Fratribus Prouinciarum Hiſpaniæ, & Luſitaniæ ab eodem Generali poſt curſus, & lecturas, & exercitia literaria ſecundum Ordinem requiſita expleta, in Magiſtros creatis, quod poſſint gradum Magiſterij, ſeu Doctoratus in Theologia ſuſcipere in Collegio Carmelitar. Sanctæ Thereſiæ Salmantino à Superiore eiuſdem Collegij cum rigoroſo examine, & approbatione Regentium, & aliorum Magiſtrorum, ſeruatis aliàs ſeruandis ſecundum Regularia Inſtituta.

7 Suſcipientes gradum aliquem tenentur fidei profeſſionem facere, ſub pœnis quoad id permittentes, ſi Antiſtites fuerint, interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu; ſi verò inferiores alij, excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis, inhabilitatis, &c. dignitatum, beneficiorum, &c. Quoad ipſos verò promotos irritationis, & inualiditatis graduum ſuſceptorum. Ita enim habetur ex Conſtitutione Pij IV. *In ſacroſancta, tomo 2. Bullar.* inter Conſtitutiones ipſius *num.* 88. & notat Naldus *ſuprà num.* 2. Quæ Conſtitutio obligat Generales, & alios gradus conferentes, & eos recipientes, niſi ea conſuetudine legitima recepta non ſit, iuxta dicta à ſimili de eadem fidei profeſſione *tomo 1. part. 1. cap. 18. num. 102.* in poſterioribus editionibus, *& part. 2. cap. 14. num. 55.*

8 Congruit ad hoc intentum reſolutio quædam à me data, quæ talis eſt. Ad dubium mihi propoſitum, an Reuerendiſſ. P. Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini poſſit, ſtante Breui SS. D. N. Innocentij X. creare pro quadam Prouincia extra Italiam vltramontana quendam Magiſtrum, qui non eſt filius, aut alumnus eius Prouinciæ: reſpondendum videtur affirmatiuè; dummodo ſit prouidendus omnibus qualitatibus requiſitis prædictus ſit, & præuio rigoroſo examine, iuxta formam Conſtitutionis felic. recordat. Vrban. VIII. 9
de anno 1625. pro die 24. Aprilis. Ratio eſt, quia 10
Papa Innocentius nullatenus requirit pro tali promotione, quod promouendus ſit filius, vel alumnus eius Prouinciæ pro qua promouetur; ſed ſolùm quod ſit prædicti Ordinis Profeſſor. Dicit enim: *In aliis extra* 11
Italiam eiuſdem Ordinis Prouinciis quinque dumtaxat pro vnaquaque Prouinciarum huiuſmodi ſimiliter Ordinis prædicti profeſſores, &c. in Magiſtros in S. Theologia ſupranumerarios promouere valeat, &c. Ex hoc enim infertur, quod dummodo ſit prædicti Ordinis profeſſor, etſi non alumnus eius Prouinciæ pro qua prouidetur, prouideri poſſit. Præſertim, quia lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda, *l. de pretio, ff. de publ.* 12
in rem, act. l. in fraudem, §. vlt. ff. de teſtam. milit. l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt. Etiamſi ſit maior ratio in vno quàm in alio. Fuſarus *de ſubſtit. quæſt.* 394. 13
num. 56. & 57. Barboſa *in Axiomat. axiom. 136. num. 1.* Præſertim etiam, quia lex vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. non diſtinguemus, ff. de recept. arbitr. l. Præſes, ff. de offic. Præſid. l. 2. §. conuenire, ff. de iudic.* & aliis iuribus. Et quia, vt aliud axioma iura 14
habet, lex ſi voluiſſet, expreſſiſſet, *l. vnic. §. ſin autem ad deficientis, C. de caduc. tollend. l. ſi ſeruus, §. Prætor ait, verſ. non dixit, ff. de adquir. hæredit. cap. ad audientiam, de decimis, cap. 2. de tranſact.* Quod maximè procedit, 15
quia lex iſta eſt fauorabilis, ac proinde amplianda, iuxta vulgaria iura, *l. cum quidam, ff. de liber. & poſthum. cap. odia, de regul. iur. in 6.* & ibi DD. Eſt enim priuilegium conceſſum in fauorem Reuerendiſſ. Generalis. 16
In eo caſu quo eſſet conceſſum in fauorem Prouinciarum, cum Prouincia pro qua promouetur hic, de quo 17
in præſenti, nedum conſentiat in talem promotionem, ſed eam humillimè ſupplicet ab eodem P. Generali, poterit fieri. Quia certa regula eſt, quod fauori ſuo quilibet renunciare poteſt, *l. cum pater, §. libertus,* 18
ff. de legat. 2. l. ſi index circumuento, ff. de minorib. l. poteſt, ff. de legib. Nec refert quod ea Prouincia id poſtulet, *Accedente SS. D. N. beneplacito.* Etſi enim illud 19
obtinere ſit valdè expediens, propter reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, & quia agitur de explicatione Breuis Apoſtolici; & propterea illud P. Generalis à S. Congregatione poſtulet: nihilhominus non videtur neceſſarium. Etſi enim quandu reſeruatio Beneplaciti Apoſtolici ſit eum clauſula illa, *non aliàs, aliter, neque alio modo, &c.* ſit omnino neceſſarium, etiamſi aliàs neceſſarium non eſſet, vt ſæpius S. Rota determinauit apud 20
Barboſam *in tract. de clauſ. cl. 81. n. 16.* Quando tamen reſeruatum eſt beneplacitum Apoſtolicum ſine tali clauſula, prout contingit in præſenti, tunc poteſt omitti, ſi aliàs ipſum de iure neceſſarium non eſt, prout etiam accidit in hoc caſu. Gabriel *conſ. 92. num. 7.* Rota *1. part. diuerſor. deciſ. 519. num. 3.* & alia coram Seraphino *deciſ. 1027 num. 7.* & Barboſ. *ſup.* Eo quod illa clauſula recipit iſtam explicationem, *quatenus opus ſit.* Puteus *deciſ. 42. lib. 2.* & Rota relata coram Seraphino.

Obiiciuntur tamen verba illa Breuis SS. D. N. Innocentij, *Omnibus qualitatibus & per Apoſtolicas, & dicti Ordinis Conſtitutiones, necnon Conſtitutiones, & vſus earum Prouinciarum requiſitis præditos*, quibus denotatur promouendos ad dictum Magiſterium debere habere omnes conditiones ſecundum Conſtitutiones tum Ordinis, tum Prouinciarum, & vſum earum requiſitas. Nihil enim facit hoc contra reſolutionem traditam. Nulla enim Conſtitutio, vt ſuppono, eſt in hoc Ordine, quod Generalis non poſſit conſtituere aliquem Magiſtrum in aliqua Prouincia, niſi ſit filius ipſius Prouinciæ. Et quod attinet ad vſum, iam vſus inoleuit vicibus replicatis, vt fratres vnius Prouinciæ in alia habeantur 21 22

habeantur pro Magiſtris, ſi ad aliquod Monaſterium
illius transferantur, & in eo pro filiis recipiantur, in
vim Conſtitutionis Gregorij XIII. in Bullario huius
Religionis Conſtit. 4. vbi §. 4. ſic legitur: *Sin autem
etiam ex aliis, dummodo promouendi ipſi ad aliquod Mo-
naſterium illius Prouinciæ, in qua promouendi fuerint,*
23 *transferantur, & ab eo in filios legitimè ſuſcipiantur.* Etſi
enim huiuſmodi Gregoriana Conſtitutio ſolum loqua-
tur de Prouinciis, ſeu Congregationibus Italiæ, quia
tamen eadem ratio adeſſe poterat in aliis Prouinciis,
meritò potuit is vſus introduci. Vnde Scholiator eius
Conſtitutionis in margine vniuerſaliter dicit, *Eligi*
24 *poſſunt ex alienis Prouinciis.* Præſertim, quia iuxta Re-
gulam Iuriſtarum, quam ex pluribus ipſorum appro-
bat Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 2. num. 54.* & recipit
Barboſa *in axiomatib. axiom. 17. num. 31. Paria ſunt ali-
quid fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, dum-
modo effectus conferatur in tempus habile, l. in tempus,
ff. de hæred. inſtit.* Idem ergo erit conferri magiſterium
filio alicuius Prouinciæ, ac conferri non filio, dum-
modo filius efficiatur illius. Sicut etiam idem eſt be-
neficium Parochiale conferri Presbytero, ac conferri
25 non Presbytero cum onere ſuſcipiendi Ordinem Preſ-
byteratus, *cap. licèt canon 14. de elect. in 6. & cap. com-
miſſa 35. eod. tit.*
26 Id porro quod objicitur ex Breui, ſeu Conſtitutio-
ne Vrbani VIII. de an. 1625. in Bullario huius Ordi-
nis conſtit. 6. §. 3. videlicet, *Nullus Ordinis, & Pro-
uinciarum huiuſmodi Religioſus*: & infrà, *ne quempiam
Ordinis, & Prouinciarum huiuſmodi Religioſum, &c.*
27 omnino videtur extra rem; non ſolùm quia eo ipſo
quod aliquis promouetur in Magiſtrum pro aliqua
Prouincia, debet affiliari in aliquo conuentu ipſius,
per quod conſtituitur filius illius Prouinciæ; ſed etiam
quia Pontifex ibi loquitur de *Prouinciis Hiſpaniarum,
& Indiarum* dumtaxat, quorſum ergo extendenda ad
alias Prouincias? cum à diuerſis non ſit illatio, *l. Pa-
28 pinianus exuli, ff. de minorib.* Abbas *conſ. 10. lib. 1.* So-
cinus iun. *conſ. 1. num. 46.* & ſæpiùs alibi. Et diuerſo-
rum diuerſum eſt iudicium, *l. inter ſtipulantem, §. Sa-
29 cram, ff. de verbor. obligat.* Gratianus *deciſ. Marchiæ 32.
num. 9. & deciſ. 42. num. 10.* Maximè, quia in Prouin-
ciis Hiſpaniarum, & Indiarum eſt magis copioſus nu-
merus Religioſorum ad magiſterium idoneorum, quam
in aliis Prouinciis.

GRATIA PRO REGVLARIBVS.

SVMMARIVM.

1 *Gratia in præſenti quomodo ſumitur.*
2 *Gratia determinata quoad tempus, locum, &c.*
3 *Gratia vniuerſaliter ſumpta.*
4 *Gratia quando finiatur in primo actu.*
5 *Gratia quando trahitur ad ſocium.*
6 *Quando expiret morte concedentis.*
7 *Gratia facienda expirat morte concedentis.*
8 *Gratia facta an etiam expiret morte concedentis.*
9 *Quid de gratia facta ad beneplacitum concedentis.*
Quid de gratia cum aliis limitationibus facta. ibid.
10 *Quoad praxim Regularium de gratiis factis à Supe-
rioribus.*
11 *Quid de pœnis ab ipſis impoſitis.*
12 *De gratia concedi ſolita.*
13 *An ſit neceſſaria ſcriptura pro gratia.*
14 *Dare, vel promittere pro gratia qualiter ſit prohibi-
tum, remiſſiuè.*

1 GRatia, prout ad præſens attinet, non ſumitur ſi-
cut apud Theologos pro dono ſupernaturali, ſeu
ſupra debitum naturæ à Deo homini concesſo, ſed pro
conceſſione gratioſa, ſeu liberali alicuius rei à prin-
cipe, Prælato, ſeu Superiori facta. Quo ſenſu vtilis
valdè eſt Regularibus notitia huius materiæ, pro in-
telligentia videlicet priuilegiorum, commiſſionum,
facultatum, licentiarum, &c. à Sede Apoſtolica, ſeu
Prælatis Ordinis impetraturum. Eſt autem duplex
gratia, alia facta, alia facienda, de quibus poſtea di-
cetur. Rurſus gratia alia eſt abſoluta, vniuerſalis, &
indefinita, alia verò limitata, coarctata, vel conditio-
nata. De ſingulis ergo per regulas generales diſcurren-
dum eſt.
Prima ſit. Gratia quæcumque ſiue à Papa, ſiue à 2
Principe, ſiue à Prælato Religioſo obtenta determi-
nationem aliquam, ſiue conditionem quoad tempus
v.g. locum, vel perſonam continens, iuxta illam li-
mitanda eſt, & extra illam non trahenda, quia gratia
non valet, niſi iuxta intentionem concedentis, & ha-
bens talem gratiam non habet facultatem ad vtendum
illa, niſi iuxta modum illi præſcriptum, Suarez *de le-
gib. lib. 8. cap. 28. num. 3.* Naldus *in Summ. verb. Gratia,
num. 2.*
Secunda ſit. Gratia à prædictis vniuerſaliter, & ſine 3
vlla reſtrictione conceſſa, accipi debet etiam vniuer-
ſaliter, & ſine vlla reſtrictione, iuxta poteſtatem con-
cedentis. Ratio eſt, tum quia vt dicitur, *Indulgentiæ
tantum valent quantum ſonant*: tum etiam, quia iuxta
communem regulam, vbi lex non diſtinguit, nec nos
diſtinguere debemus. Suarez *dict. lib. 8. de legibus, c. 26.
num. 2.* Limitari tamen debet hæc regula tum iuxta
intentionem ipſius, ideſt, niſi aliud conſtet de mente
concedentis, vt Suarez *ibid.* Tum iuxta aliam regu-
lam iuris communis, quæ eſt 81. inter Regulas Iuris,
ſcilicet, *In generali conceſſione non veniunt ea quæ quis
non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*
Tertia regula ſit. Gratia vniuerſaliter à prædictis 4
conceſſa non finitur primo actu, niſi ex circumſtantiis,
vel forma conceſſionis colligatur oppoſitum. Vnde
habens facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, eli-
gendi confeſſarium, &c. non perdit eam gratiam pro
prima vice, quo ipſa vtatur. Nauarrus *in cap. Placuit,
de pœnit. diſt. 6. num. 167.* Azor. *tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 5.
cap. 23. quæſt. 5.* Qui hoc intelligunt ſolum in fauorabi-
libus, non in odioſis, vel pœnalibus, aut quæ ſunt in
detrimentum aliorum.
Quarta regula. Gratia conceſſa alicui trahitur ad 5
ſocium, quando eſſet inutilis ſi ad ſocium non trahe-
retur, vt ſi alicui concederetur gratia celebrandi in lo-
co interdicto, cenſetur etiam extendi ad miniſtrum,
qui illi inſeruiat, quia ſine ipſo non poteſt celebrare.
Azor. *ſuprà quæſt. 7.*
Difficilius dubium eſt, an gratia expiret morte con- 6
cedentis. Pro quo ſupponendum quod gratia, vt cœpi
dicere, eſt duplex: alia quæ vocatur *Facta*, alia quæ
vocatur *Facienda*. Gratia *Facta* dicitur illa, quæ data
eſt directè, & abſolutè alicui in fauorem ipſius, vt ſi
Prælatus concedat alicui Religioſo in gratiam ipſius
facultatem eligendi Confeſſarium, ſuſcipiendi Ordi-
nes, &c. vel vt diſpenſet eum aliquo in irregularitate,
illegitimitate, &c. Gratia verò *Facienda* eſt, quæ non
conceditur directè, & abſolutè ei in cuius fauorem
datur, ſed alij mandatur, vt eam ipſi conferat, vt ſi
Prælatus in fauorem alicuius Religioſi habentis caſum
reſeruatum concedat facultatem alicui Confeſſario, vt
poſſit eum abſoluere à tali caſu. Sanchez 8. *de Ma-
trim. diſp. 28. num. 48.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23.
num. 18.* Naldus *in Summa, verbo Gratia, num. 4.* Bordon.
reſol. 39. num. 62.
Sit ergo quinta regula. Gratia facienda ab aliquo 7
ex prædictis conceſſa, ceſſat morte concedentis. Ratio
eſt, tum quia gratia facienda non eſt perfecta in ſe ip-
ſa, ſed indigens executione alterius ab illo in cuius fa-
uorem fuit conceſſa, ac proinde ceſſare debet morte
conceden

Digitized by Google

concedentis, tum quia ita habetur expreſsè *in cap. ſi cui aulla, de prabend. in 6.* vbi gratia cuidam collata ad conferenduio beneficia certæ perſonæ non in ſui fauorem, ſed eius cui conferenda erant, quæ eſt gratia faciods, dicitur expirare morte concedentis. Gloſſa ibidem. Syluester *in verbo Gratia, num. 3.* Nauarrus *de priuileg. conſ. 1. num. 1.* Sanchez *ſupra num. 64.* Hoc tamen intellige ſi res ſit integra, ideſt, ſi nondum eſt inchoata executio gratiæ; ſi enim inchoata erat, non ceſſat morte concedentis, Syluester, & Sanchez *ſup.* Bordon. *ſupra.*

8 Sexta regula ſit. Gratia facta à prædictis vniuerſaliter, indefinitè, & ſine vlla determinatione, aut limitatione conceſſa, durat etiam poſt mortem, vel ceſſationem officij concedentis, etiam re integra, *cap. ſi ſuper gratia, de offi. Iudic. delegat. in 6.* Ratio eſt, non ſolum quia gratia facta eſt perfecta in ſe ipſa, ſed quia gratia ſic conceſſa eſt quædam donatio, donatio autem non ceſſat ob mortem vel ceſſationem officij donantis. Syluester, Nauarrus, & Sanchez *lib. 8. de legib. cap. 31. num. 17.* Bonacina *de legib. diſp. 1. quaſt. 3. punct. 8. §. 1. num. 19.* Intellige hoc, etiamſi gratia non acceptetur, niſi poſt mortem concedentis, aut non ſit poſita in executione niſi poſt mortem ipſius, propter eandem rationem, Sanchez *ſuprà num. 43.*

9 Dixi gratia facta *vniuerſaliter, indefinitè, & ſine vlla determinatione, aut limitatione conceſſo*, quia ſi talis gratia, quantumvis *Facta*, conceſſa foit vſque ad beneplacitum concedentis, vel ad arbitrium ipſius, ſeu donec voluerit, finitur morte ipſius, quia per mortem deſinit beneplacitum, voluntas, arbitrium, aut velle hominis, *cap. ſi gratioſè, de reſcript. in 6.* Sanchez *ſupra num. 49. & ſequentibus.* Nauarrus *ſup. conſil. 2.* Bonacina *ſuprà* Naldus *ſuprà num. 2.* Secus dicendum de gratia conceſſa ad beneplacitum Sedis, Officij, vel Dignitatis, quando enim talis Sedes, Dignitas, vel Officium fuerint perpetua, vt ſunt Sedes Apoſtolica, Officia, & Dignitates Religionum, quæ reputantur eadem in ſucceſſore, tunc gratia ad beneplacitum ipſorum conceſſa erit perpetua, niſi à ſucceſſore reuocetur, *cap. ſi gratioſè*, relato. Sanchez *ſup.* Naldus *ſup. num. 6.* Secus ſimiliter dicendum de gratia conceſſa à dicente, *donec voluero, donec reuocauero, donec aliud decreuero.* Hæc enim non finitur morte concedentis, quia illa verba important actum contrarium reuocatiuum gratiæ conceſſæ, qui actus cum poſt mortem haberi non poſſit, ſi in vita habitus non eſt, durabit gratia in perpetuum, donec à ſucceſſore reuocetur. Angelus *in Summ. verbo Voluntas, num. 1.* Nauarrus *ſupra.* Sanchez *ſupra num. 25.* Qui etiam *num. 35.* benè addit idem eſſe dicendum ſi gratia concedatur à dicente, *donec aliquid fecero*: ſi enim cum ſuperſtes fuit id non fecit, cum poſt mortem id facere non poſſit, gratia erit perpetua. De quo Azor. *tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 5. cap. 23. §. Quæres quid dicendum.*

10 Ex dictis autem quoad praxim Regularium infert Syluester *ſuprà num. 5.* quod ſi Prælatus aliquis habens à Papa anctoritatem ad diſpenſandum cum Religioſo illegitimo ad prælaturas, diſpenſauit cum illo, ſed antequam in prælatum eligeretur mortuus eſt diſpenſans, durat illa diſpenſatio, quia eſt gratia facta, *cap. ſi cui, & cap. ſi ſuper*, relatis. Infert ſecundo Sanchez *d. diſp. 28. num. 85.* licentias omnes conceſſas à Superioribus quibuſcumque, quando non ad certum, & limitatum vſum temporaneum, vel ad certum tempus, ſed abſolutè conceſſæ ſunt, eſſe perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius ſucceſſore, aut Superiori reuocentur, quia ſunt gratiæ factæ. Infert tertiò Peirinis *tomo 1. de priuileg. Minimor. in Conſtitut. Pyrrhi, §. 5. & 6. num. 14. & 15.* quod ſi Generalis, vel Prouincialis alicui fratri commiſerit particulariter, & expreſsè diſpenſationem alicuius caſus, vel aliquam gratiam, non erit neceſſarium ab alio Generali, vel Prouinciali, poſtquam concedens officio functus fuerit, priuatus, vel mortuus eam petere propter rationem aſſignatam, quia ſcilicet talis gratia eſt gratia facta, & ſine limitatione conceſſa. Idem dico de gratiis factis à Viſitatoribus, vel Commiſſariis tempore viſitationis, quia quamuis eorum auctoritas expiret citius, & parum duret, iuxta dicta verbo *Commiſſio, & Commiſſarius*, hoc tamen non tollit quominus ſi pro eo tempore quo gratias aliquas poſſunt concedere concedant, illæ durent, ſicut aliæ conceſſæ à Superioribus Ordinariis. Peirinis *ſupra num. 16.* quod intellige, niſi Religionum ſtatuta aliter diſponant.

Nota tamen primò, quòd quamuis gratiæ factæ illimitatè à Superioribus conceſſæ, ſint perpetuæ, non tamen pœnæ ab ipſis impoſitæ, eæ enim ceſſant morte ipſorum, vel cum ab officiis ceſſant, iuxta illud de Regulis iuris *Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari*, præſertim cùm pro gratiis factis extent iura expreſſa *cap. ſi cui, & cap. ſi ſuper*, relata: de pœnis verò text. *in l. ſin. ff. de pœnis*, dicat, quod ſi aliquis Magiſtratus interdicit alicui ob ſuum delictum ne exerceat certam artem, tollitur hæc prohibitio ipſo facto, finito Magiſtratu, vel per mortem ipſius. Nauarrus *in cap. pla. ut, de pœnit. diſt. 6. num. 165.* Graſſius *1. part. deciſ. lib. 4. cap. 2. num. 27. & 28.* Peirinis *ſupra num. 18.* Hoc tamen intellige quando pœnæ ſolum ſunt poſitæ per modum præcepti, vt ſi Prælatus præcipiat alicui propter aliquam cauſam ne exeat à Conuentu, ne vadat ad Eccleſiam, quod dicat culpam in Refectorio, &c. non de pœnis impoſitis per modum ſententiæ. Nauarrus *ibid.* Peirinis *ſup.* referens Innocentium, & Panormitanum. Nota etiam ſecundo, hæc quæ dixi de perpetuitate gratiarum factarum à Superioribus, Procedere ſolùm ſtando in iure communi; quare ſi aliqua Religio habeat Statuta in contrarium, illis ſtandum eſt. Peirinis *ſuprà num. 15.* Nota tertiò, quod licet prædictæ gratiæ poſſint à ſucceſſoribus, vel etiam à Superioribus eorum, qui illas conceſſerunt reuocari, quia aliàs præiudicium illatum eſſet illis contra ius, quod habent (Rodriguez *tomo 1. quaſt. Regul. quaſt. 17. art. 11.*) non debet tamen id fieri ſine rationabili cauſa iuxta Regulam iuris 16. *Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum.* Aliàs faciens peccabit, licet non mortaliter, niſi quando ex odio, vel mala voluntate id fecerit, vel ex eo ſequatur aliquod ſcandalum. Suarez *lib. 8. de legib. cap. 37. num. 10.* Peirinis *ſuprà num. 17.* 11

Gratiam concedi ſolitam petenti non ſine iniuria denegari, tenet Naldus *ſuprà num. 12.* Limita tamen, niſi adſit rationabilis cauſa denegandi. 12

Ad eſſentiam, & valorem gratiæ non eſt neceſſaria ſcriptura, prout colligitur ex Clement. *Dudum*, & *ex cap. conſtitutionis 25. quaſt. 2.* & etiam ex eo quod gratia eſt quædam donatio, ad cuius eſſentiam, & valorem non requiritur ſcriptura. Syluester *in Summ. verb. Priuilegium, quaſt. 14.* Graſſius *1. parte deciſ. lib. 1. cap. 13. num. 51.* Vnde fas eſt in foro conſcientiæ ea vti ante expeditionem litterarum. Sà *in Summa verbo Gratia, num. 21.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 29. num. 4.* Naldus *in Summa, verbo Gratia, num. 15.* Ad probationem autem gratiæ (intellige ſi publicè non fuit conceſſa) requiritur ſcriptura. Syluester, & Graſſius *ſuprà.* De quo Maſcardus *de Probat. concl. 845. à num. 21.* De gratia autem à Sede Apoſtolica conceſſa dicit primò Theſaurus *in praxi part. 2. verbo Gratia, cap. 1.* quod quando ea eſt conceſſa per viuæ vocis oraculum, neque pro foro conſcientiæ valet, propter Bullas Gregorij XV. & Vrbani VIII. Sed ibi tantum reuocantur priuilegia, vel gratiæ conceſſa per viuæ vocis oracula, non autem concedenda, vt poſtea vir doctus à me monitus cognouit. Dicit ſecundò ex Sanchez *ſuprà num. 10.* nec 13

commiſſio

commiſſionem ſine litteris valere. Idem dicit tertiò de caſibus, in quibus ipſe Papa inhibet ſub cenſuris, & pœnis vſum gratiæ ante litteras expeditas, de quibus agit in ſequentibus.

Qualiter ſub grauiſſimis pœnis probibitum ſit dare, vel promittere, &c. aliquid pro gratia à Sede Apoſtolica obtinenda, dixi ſuprà verbo *Dare ſeu Donare.*

HABITVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Habitum Religioſi dimittentes excommunicantur.*
3 *Habitus vnius Religionis non portandus ab alia.*
4 *Ludibriosè tractantes habitum Religioſum qualiter peccant.*
5 *De ſæcularibus in habitu Religioſo ſepeliri volentibus.*
6 *Sixti IV. priuilegium.*
7 *Priuilegium pro Prædicatoribus, & Minoribus.*
8 *An ſæculares cum habitu Religioſo ſepulti aliquas Indulgentias conſequantur*, & n.9.
10 *Quomodo intelligenda ſint huiuſmodi concesſiones*, & n. 11.
12 *De Indulgentia conceſſa oſculantibus habitum S. Dominici.*
13 *An tales Indulgentiæ ſint reuocatæ.*
14 *De priuilegio habitus, ſeu Scapularis Carmelitarum.*

1 DE obligationibus Regularium quoad habitum Religioſum portandum egi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 13. per totum. Nunc ſpecialiter pro maiori rei notitia habenda de ipſius priuilegiis agendum.

2 Primum habitus Religioſi priuilegium eſt, quod illum temerè dimittentes ſunt excommunicati excommunicatione maiori non reſeruata *in cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi in* 6. de qua copiosè egi eo *cap.* 13. *à n.*2. vbi etiam *num.* 6. qualiter etiam in lecto, & tempore ſomni geſtari debeat. Qualiter etiam vt reclamatio profeſſi audiatur, debeat fieri cum habitu proprio Ordinis, dixi eo *tom.*1.*part.*3.*cap.*2.*num.*8. Qualiter ſimiliter Religioſi Cardinales, ſeu Epiſcopi facti, vel extra Religionem aſſumpti, illum portare debeant, dixi eo *tom.*1.*cap.*17.*num.*9.

3 Secundum eſt, quod habitus proprius vnius Religionis non poſſit geſtari à Religioſis alterius Ordinis ſub pœna excommunicationis, prout dixi eo *cap.* 13. *num.* 12. de geſtantibus habitum Carmelitarum, & Minimorum. Id etiam prohibuit Gregor. IX. ſub cenſuris ferendis monitione præmiſſa contra mulieres deferentes habitum S.Claræ. Caſſarub. *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Habitus*, *num.*3. Similem fermè prohibitionem fecerunt pro Minoribus contra geſtantes eorum habitum Innocent. IV. & Clemens IV. Caſſarub. *ibid. num.* 4. *&* 5. Item Cœleſtinus V. pro Monachis ſuæ Congregationis, concedens, vt habitum ſimilem portantes ab Ordinario ad illum deponendum per cenſuras Eccleſiaſticas compelli poſſint, quod ipſe Ordinarius ſub ſuſpenſionis pœna ipſo facto incurrenda exequi teneatur. Rodriguez *tom.* 2. *quaſt. Regular. quæſt.*76.*art.*4.

4 Tertium eſt, quod ſæculares ludibriosè, ſeu ignominiosè vtentes habitu Religioſo, peccant mortaliter, & grauiter puniri poſſunt, vt *in Auth. de ſanct. Epiſcop.* §. *vlt. Collat.*9. Syluest. *in Summa, verbo habitus*, *num.*6. Idem dic de mimis, ſeu hiſtrionibus tali habitu vtentibus in vituperoſis. Syluester, & Rodriguez *ſuprà.*

5 Quartum eſt, quod fideles ſæculares in habitu Religioſo ſepeliri volentes poſſint id facere, etiam contradicentibus Parochis. Ita enim conceſſit Sixtus IV. pro Minoribus in Bulla *Apoſtolicæ manſuetudinis*, apud Rodriguez *ſuprà art.* 8. Caſſarubium *ſuprà num.*8. & Conſettium *in Collectan. litterarum Apoſtolicarum, in Sixto IV. Bulla* 7. vbi etiam inhibentur Prælati & Rectores Eccleſiarum ſub pœna excommunicationis, canonica monitione præmiſsâ incurrenda, & ſoli Papæ reſeruata, ne taliter ſepeliri volentes, quouis modo impedimentum afferant, ſed permittant illos patenter ad Eccleſias, & locum ſepulturæ in habitu huiuſmodi deferri, iure Eccleſiarum ſemper ſaluo. Quo etiam priuilegio vti poſſunt Carmelitæ, & alij cum Minoribus communicationem priuilegiorum habentes, iuxta dicta *tom.*1.*part.*2.*cap.*1.*num.*51. & fauet vſus, qui eſt in Hiſpania, ſepeliendi fideles cum Carmelitarum habitu.

Volens autem idem Sixtus IV. quod hoc priuilegium omnino obſeruaretur, ſtatuit vt illi, qui ordinauerint, quod eorum corpora cum habitu Fratrum Minorum ſepelirentur, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca prædictis Fratribus iniuria irrogaretur, tales apud Fratres prædictos ſepeliri debere, etiamſi alibi ſuam elegiſſent ſepulturam, niſi fiat de aſſenſu, & licentia Fratrum domus loci, in quo tales deceſſerint. Rodriguez *ſuprà art.*8. Caſſarubius *ſuprà num.*9. Eadem conceſſit idem Sixtus IV. pro Carmelitis, vt patet ex Mari magno ipſorum. Vbi etiam habetur non poſſe illos, qui cum Carmelitarum habitu ſepeliri voluerint, etiamſi alibi ſuam elegiſſent ſepulturam, in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet ſepeliri, aut ad ſepeliendum portari abſque Fratrum domus, vel loci in quo tales deceſſerint expreſſa licentia, & aſſenſu, contradictoreſque ipſe Sixtus excommunicauit. Conſonatque ferè ſimilis conceſſio eiuſdem Sixti IV. pro Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla aurea, de qua poſtea. Hæc tamen reuocata ſunt à Leone decimo in Concil. Lateranenſi in Bulla *Dum intra mentis*, vbi dicitur: *Volentes quoque ſepeliri habitu eorundem Fratrum* (idest Mendicantium) *in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum vltima voluntate ſepulturam ſibi eligere poſſint.* Rodriguez *ſuprà num.*10. Caſſarub. *ſuprà num.*10. Tales ergo cum habitu ſepeliri volentes poſſunt eligere ſepulturam in quacunque Eccleſia voluerint. Bordon. *Reſolut.*35.*num.*69.

7 Illud verò reuocatum non eſt, ſed manet in ſuo vigore, quod conceſſit idem Pontifex Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* vocata apud relatum Conſettium *ſuprà in Sixto IV. num.*3. Rodriguez *ſuprà art.*9. & Caſſarub. *ſuprà num.*11. per hæc verba: *Cùm autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum ſpecialiter gerentes deuotionis affectum eorum cadauera cum habitu Fratrum Prædicatorum, vel Minorum, ſeu Fratrum, vel Sororum de pœnitentia vtriuſque Ordinum prædictorum, ſepeliri mandent, & perſæpè antequam moriantur habitum huiuſmodi eis poſtulant exhiberi, decernimus habitum huiuſmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere continget, vel per Superiorem Prælatum ipſorum Ordinum, domorum, ſeu Prioratus, & Guardiana, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quavis auctoritate, vel prælatione fungentem exhiberi debere.* Et infrà: *Illorum ſic indutorum cadauera diſcooperta, nullo pallio, vel tegumento ſuperimpoſito, cum habitu huiuſmodi ad ſepulturam deferri poſſe, Ordinariorum etiam ſub cenſuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obſtante, quas quoad hoc modificamus.* Quo etiam priuilegio Carmelitæ, & alij cum Prædicatoribus, & Minoribus priuilegiorum communionem habentes, vti poſſunt, licet cauendum ſit à nouitatibus, quæ non niſi ſcandala, & tumores parturire poſſunt.

Quintum

8 Quintum Religioſi habitus priuilegium eſt, quod ſæculares cum eo decedentes Indulgentias varias à Summis Pontificibus conceſſas conſequuntur. Primò enim pro deferentibus Zonam Fratrum S. Auguſtini datam ab aliquo Prælato einſdem Ordinis refertur Leonem X. conceſſiſſe Indulgentias prædictorum Fratrum. Caſſarub. *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Indulgentias, quas poſſunt lucrari ſæculares ratione habitus prædictorum Fratrum*, *num.* 10. & Rodriguez *ſupra articul.* 10. Non vidi tamen hoc priuilegium, ac proinde non mihi conſtat an extendatur etiam ad decedentes cum tali zona, etiamſi in vita non eam geſtauerint. Idem dico de extenſione præfatæ conceſſionis ab eodem Leone X. factæ ad deferentes chordam S. Franciſci, quam refert idem Caſſarubius *ſuprà num.* 11. Clariora ergo ſunt primò, priuilegium Clement. IV. & Nicolai III. concedentium morientibus cum habitu Fratrum Minorum, & cum eo eligentibus ſepeliri, remiſſionem tertiæ partis omnium peccatorum. Caſſarubius *ſuprà num.* 1. *&* 2. Rodriguez *d. art.* 10. Ad idem eſt priuilegium Vrbani V. concedentis ſimiliter Indulgentiam remiſſionis tertiæ partis (aliàs quartæ partis) peccatorum morientibus cum præfato habitu Fratrum Minorum. Caſſarubius *ſupra num.* 3. Rodriguez *ſuprà*. Referuntur etiam ab eiſdem authoribus conceſſiones aliæ Leonis X. Prima, qua confirmauit prædictas gratias conceſſas pro habitu S. Franciſci, & explicauit eam Indulgentiam fore plenariam; ſecunda, qua illa extendit ad morientes & ſepeliendos cum habitu Sororum tertiæ Regulæ eiuſdem S. Franciſci ſub obedientia Generalis, & Prouincialis degentium: tertia, qua declarauit ſufficere prædictum habitum petere, ac ſuper ſe vſque ad mortem habere, ac in eo ſepeliri, etiam ſi ante mortem non induatur. Quia tamen hæ conceſſiones ſunt viuæ vocis oraculo factæ, vt notat idem Caſſarub. *ſuprà num.* 6. 7. *&* 8. & Bordon. *ſuprà num.* 68. ideò earum auctoritas ceſſat hoc tempore, niſi poſtea per Bullam confirmatæ fuerint (quod mihi non conſtat) propter reuocationem conceſſionum viuæ vocis oraculorum factam à Gregorio XV. & nouiſſimè à Sanctiſſ. D.N. Vrbano VIII. iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. Quod etiam dico de alia conceſſione Alexandri VI. pro mulieribus ſuſcipientibus ante mortem, vel poſt mortem, habitum S. Claræ, quam refert idem Caſſarubius *ibidem num.* 5.

9 Extat tamen alia conceſſio per Bullam facta eiuſdem Leonis X. & Adriani VI. pro Fratribus Ordinis Sanctiſſ. Trinitatis, quam refert idem Caſſarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant. verb. Communicatio priuilegior. num.* 39. ex qua ad propoſitum habetur, omnes, & ſingulos Chriſti fideles verè pœnitentes, & confeſſos, qui in habitu dicti Ordinis deceſſerint, aut qui ſcapularium eiuſdem de manu alicuius illius Prælati, etiam ſine vllius voti emiſſione ſuſceptum detulerint, conſequi omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones Fratribus dicti Ordinis conceſſas. Hanc verò conceſſionem, ſicut & præcedentes, communicari Carmelitis, & geſtantibus habitum ipſorum, conſtat reſpectiuè ex dictis *tomo* 1. *cap.* 3. *num.* 17. *& tomo* 2. *cap.* 1. *num.* 52. 61. *&* 62. propter Bullas Leonis X. & Clem. VII. ibi relatas. Nam in Bulla Leonis X. omnia priuilegia, & Indulgentiæ conceſſa, ac concedenda Mendicantibus fiunt illis communia: in Bulla autem Clement. VII. omnia etiam priuilegia, & Indulgentiæ (citra plenarias) quibuſcunque Ordinibus, ſiue Mendicantibus, ſiue non Mendicantibus conceſſa, & concedenda noſtro Ordini communia fiunt. Quod idem dico de aliis Religionibus habentibus ſimilem communicationem priuilegiorum, & Indulgentiarum cum illis, quibus dictæ conceſſiones factæ ſunt, iuxta dicta locis relatis.

Addit Rodriguez *ſuprà art.* 10. non haberi in huiuſmodi conceſſionibus eſſe neceſſarium, quod ſuſcipientes dictum habitum dent eleemoſynam pro conſequenda Indulgentia: imò quod ſi id fieret, talis Indulgentia reuocata eſſet per Conſtitutionem Pij V. reuocantis omnes Indulgentias ratione quarum aliqua eleemoſyna tribuitur, quam Conſtitutionem refert noſter Reuerendiſſimus Theodor. Stratius *in Inſtruct. pro Fratribus Carmelit. cap.* 17. *num.* 1. Quod quidem veriſſimum eſt. Cæterùm dantes eleemoſynam pro habitu ipſo Religioſo ad induendum eo moribundum, prout in Hiſpaniæ partibus ſæpiſſimè contingit, non cenſentur dare eam pro ea Indulgentia concedenda, ſicut dantes pecuniam pro imagine, corona, vel medalla, quibus eſt annexa Indulgentia, non cenſentur illam dare pro ipſa Indulgentia. Huiuſmodi autem eleemoſyna excedere non debet pretium habitus pro quo datus, aliàs intelligi daretur concedi pro indulgentia. 10

Notandum etiam ad conſequendas prædictas Indulgentias, videri non ſufficere, quod cadauer induatus dicto habitu Religioſo, ſed neceſſarium eſſe, quod homo viuus, etſi moribundus, eo indutus moriatur, aut decedat, prout colligitur ex verbis Pontificum in priuilegiis relatis. Ad quod ſufficere videtur, quod ipſe habitus ponatur ſuper lectum hominis agonizantis, prout in Hiſpaniæ partibus obſeruatur. 11

Sextum habitus Religioſi priuilegium eſt, quod ipſum oſculantes conſequantur Indulgentias, Etenim Ioan. XXIII. conceſſit omnibus Chriſti fidelibus oſculantibus habitum Ordinis S. Dominici quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis. Caſſarubius *ſupr. verbo Indulgentia quas poſſunt lucrari ſæculares ratione habitus Fratrum*, *numero* 9. Rodriguez *ſuprà art.* 11. Qui etiam animaduertunt eandem Indulgentiam lucrari oſculantes habitum aliorum Mendicantium, ratione communicationis priuilegiorum. 12

Pro prædictis tamen Indulgentiis id maximè notandum, eas non eſſe reuocatas per reuocationem generalem Indulgentiarum factam à Paulo V. in Bulla *Romanus Pontifex*, quam retuli *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *n.* 19. non ſolum quia omnes illæ (ea excepta, quæ eſt pro oſculantibus habitum Religioſum) videntur eſſe conceſſæ pro mortuis, ſeu morientibus, aut decedentibus, ac per conſequens non comprehendi in dicta reuocatione generali Pauli V. iuxta ibi dicta, ſed præſertim, quia licet omnes illæ conceſſæ ſint intuitu Religionum, vt proinde dici poſſint Indulgentiæ Religionum, ac propterea ſuprà dixerim poſſe quoad illas deſeruire communicationem priuilegiorum, & Indulgentiarum, quam plures Religiones habent, nihilominus ſimpliciter, & abſolutè loquendo illæ conceſſæ fuerunt pro ſæcularibus, vel pro omnibus fidelibus, ac proinde non cenſentur reuocatæ per reuocationem Pauli V. in qua ſolùm reuocantur eæ Indulgentiæ, quæ pro fratribus conceſſæ ſunt, non quæ pro ſæcularibus, aut pro omnibus fidelibus vniuerſaliter. Quod maximè eſt tenendum, cum materia hæc Indulgentiarum fauorabilis valdè ſit, & nulli præiudicium afferens, ac proinde amplianda quantum ſeruata proprietate verborum fieri poſſit. Vide dicenda infrà in verbo *Indulgentia*. 13

Septimum, & ſingulariſſimum habitus Religioſi priuilegium eſt id, quo Ordo Carmelitarum fruitur de ſpeciali protectione Deiparæ Sanctiſſimæ, Fratrum, Confratrum, & Sororum animas, vt à Purgatorij pœnis liberentur, adiuuando, Sabbato poſt ipſorum mortem, iuxta diplomata Summorum Pontificum, Ioan. XXII. Alexand. V. Clem. VII. Gregorij XIII. & decreta SS. Congregationum Inquiſitionis, & Rituum, de quo aliquid dixi eo *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. 14

& part.2.cap.15.num.35. Quia tamen de hac ee nouiſſimè Reuerendiſſ. Pater Theodorus Stratius Generalis Ordinis *in ſua Inſtructione pro Carmelit.* Romæ huc anno 1640. typis edita, doctiſſimè egit, & in noſtris Annalibus latius diſcutietur, nunc ab ea ſuperſedendum, & ad prædictam Inſtructionem pro ipſius notitia lectores remittendi.

HÆREDITAS QVOAD Regulares.

SVMMARVIM.

1 *Poſſunt plures Religioſi ſuccedere, vt heredes.*
2 *Dubium circa hoc de quodam Religioſo, poſt cuius mortem dubitabatur, an mater ipſius ſuccedere deberet in eius bona.*
3 *Omnia, quæ prædictus Religioſus acquiſiuit poſt profeſſionem, pertinent ad Religionem.*
4 *Quia omnia illa cenſentur ipſi acquiſita.*
5 *Omnia etiam illa, quæ habuit ante profeſſionem, tranſierunt cum ipſo ad Religionem.*
6 *Et pertinent ad ipſam.*
7 *Quia ab ipſa erat alendus.*
8 *Et quia ipſe ſe dedicauit Monaſterio.*
9 *Regula illa, quicquid Monachus acquirit, Monaſterio acquirit.*
10 *Omnia bona ipſius defuncti pertinent ad Monaſterium.*
11 *Quia Monaſterium eſt heres Religioſorum.*
12 *Authores.*
13 *Saltem iure acquiſitionis naturalis, & acceſſione.*
14 *Excipitur legitima matris.*
15 *Authores.*
16 *An debeatur aſcendentibus ex Theologis.*
17 *An Monaſterium ſuccedat in bona profeſſi, quæ ſunt legitima Patris.*
18 *Legitima eſt debita aſcendentibus, ſicut deſcendentibus.*
19 *Peculium filij quadruplex.*
20 *Ex quibus debeatur legitima.*
21 *Bona Caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, & aduentitia ſunt ſub dominio filij.*
An profectitia. ibid.
22 *Quæ pars bonorum ſit legitima.*
23 *Sententiæ DD.*
24 *Legitima debita parentibus ſolùm eſt ad trientem.*

1 POſſe Religioſos (quibuſdam exceptis) ſuccedere vt hæredes in bonis temporalibus, quæ ad illos ſpectant, vel ipſis legantur, conſtat ex dictis non ſolùm *tom.1. cap.6. num.45.* ſed præcipuè *tom.2.cap.19.* ferè per totum, vbi etiam ſpecialiter de bonis, ſiue mobilibus, ſiue immobilibus, in quibus iure hæreditatia, ſeu legati ſuccedere poſſunt, & qualiter illa poſſidere, aut alienare, cum quibus & dicendis 4. *tomo* verbo *Legata Regularib.* ſufficienter huic materiæ, prout ad Regulares ſpecialiter ſpectat, ſatisfactum videtur.

[Sed notandum Monaſterium non ſuccedere titulo hæredis in bona Nouitiorum ante profeſſionem decedentium è vita ab inteſtato. Quia ante profeſſionem non cenſentur ſimpliciter Religioſi, ac per conſequens nec tranſtuliſſe bona ſua in Religionem. Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.3. num. 92.* Portellus *in reſponſionibus moral. tom.2. caſu 69. num.2.* limita niſi fecerint donationem Monaſterio de ſuis bonis iuxta conditiones aſſignatas à Concilio Tridentino. De quibus *tom.1. part.1. cap.24. à num.32. & infrà verbo Nouitij & Nouitia Religionum, num.32. & ſequentibus.* De quo Azor. *tom.1 inſtit. moral. lib.12. cap.3. quæſt. 3.* Sanchez *ſuprà num.97.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. diſput.6. quæſit.10. num.9.* Vnde ſi Nouitius moriatur intra bimeſtre ante profeſſionem facta renunciatione iuxta formam præſcriptam à Concilio Tridentino in fauorem Monaſterij, bona illa reddenda ſunt hæredibus, non Monaſterio. Sorbus *in Compendio priuileg. Mendicantium, verbo Nouitius, §. Et hinc inde.* Tamburinus *ſuprà.* Si tamen fecerit teſtamentum, hæredes vocati in illo veniunt. Tamburinus ſuprà ex Suarez, & Pelrinis. Vide dicta *tomo 1. & quarto loco relato.*

Notandum etiam Religioſos (quibuſdam, vt dixi, exceptis) capaces eſſe ſucceſſionis hæreditatis, ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento, ſiue bonorum mobilium, ſiue immobilium, prout nos in locis relatis ſupponimus, & latè probant Sanchez *d. lib.7. in Decalog. cap.25.* Lugo *de iuſtit. & iur. tom.1. diſp.3. ſect.5.* & Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. diſp.11. quæſit.4.*

Nouitij etiam cuiuſcumque Ordinis ſint, inſtitui poſſunt hæredes, & ſuccedere in paterna hæreditate ex teſtamento, vel ab inteſtato, eſto Religiones aliquæ, quarum ſunt Nouitij, id non poſſunt. In huiuſmodi enim odioſis nomine Religioſorum non veniunt Nouitij. Corduba *in Regul. S.Franciſci, cap.6. q.11.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. diſp.6. quæſit.27. num.33.* Poſt Sanchez, & Peirinis.

Conformiter ad dicta interrogatus de quibuſdam 2
bonis relictis à quodam Religioſo cuiuſdam Religionis
capacis bonorum, an ea bona, vel pars aliqua ipſorum pertinerent ad matrem talis Religioſi defuncti, ſic reſpondi.

Primò, quod cum Religio illa ſit capax habendi 3
bona, etiam ſtabilia in communi, iuxta decretum Concilij Trident. *ſeſſ.25. de Regularib. cap.3.* & dicta à me *tom.1. part.1. ſumm. cap.6. num.5. & part.2. cap.1. n.2. & cap.19.* per totum, ideo omnia bona, quæ prædictus Religioſus adquiſiuit poſt profeſſionem pertinent
ad illam Religionem, & non ad ipſius matrem, aut 4
quemlibet alium. Ratio eſt, quia illa omnia cenſentur adquiſita illi Religioſo vt monacho, non vt filio talis matris, aut alio reſpectu; ergo ſolùm ſpectant ad Religionem, non ad alium, Authentica *ſi qua mulier,* ibi *res eius,* & ibi *rebus ſuis.* Nauarrus *in comment.2. de Regularib. num. 58.* Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.6. num.22.* Layman. *lib.3. tract.5. cap.5. num.6.* & fauent quæ dixi circa illam regulam. Quidquid monachus adquirit, Conuentui adquirit, *tom.1. part.1. cap.6. n.40. & part.2. cap.19. num.31.*

Similiter, loquendo de bonis illis, quæ Religioſus 5
ille habuit in ſæculo, vel ante profeſſionem, dico ſecundò, omnia etiam illa tranſiiſſe cum ipſo ad Religionem, nec quidquam illorum pertinere poſſe ad ip-
ſius matrem. Ratio eſt, quia per profeſſionem illius 6
omnia iura, & bona ipſius, de quibus ipſe ante profeſſionem non diſpoſuit, ſiue ab ipſo ante profeſſionem quocunque titulo acquiſita, ſiue poſt pertinent ad Religionem, *Auth. de ſanctiſſimis Epiſcopis, §. ſi qua mulier, & Auth. Ingreſſi, C. de ſacroſ. & cap. ſi qua mulier,*
& cap. quia ingredientibus 19. quæſt.3. idque iure opti- 7
mo, tum quia cum ſe dedicans Monaſterio vitam per-
petuò ducturus eſſet in eo, ab eoque alendus, æquum 8
eſt, vt res eius Monaſterio cedant. Tum etiam quia ſe dedicans Monaſterio, conſequenter etiam dedicat omnia, quæ habet. Angelus *in ſumma, verbo Religioſus, num. 52.* Syluester verbo *Religio 3. num. 24. & verbo Religio 6. quæſt.1. dict.2.* communiter Summiſtæ, Sanchez *lib.7. in Decalog. cap. 12. num. 4.* & ego *tom.1.*
part.2. ſumma, cap.19. num.31.32. & 53. Ad quod etiam 9
deſeruit Regula tradita, *Quidquid Monachus acquirit, Conuentui acquirit.* Et Rota in vna Romana *ceſſionis bonorum,* coram Buratto 17. Maij 1619. & in alia Bononienſi *Hæreditatis,* coram Merlino, 18. Aprilis 1622. *num.1.*

Hinc

10 Hinc 3. dicendum quæcumque bona prædicti Reli-
gioſi defuncti pertinere poſt ipſius mortem ad Mona-
ſterium : tum propter dicta *inferiùs, in ſumma verbo ſpo-*
11 *lia Regularium*, *num.* 1. Tum quia hæres Religioſi eſt
Monaſterium, prout habent Gloſſ. *Authent. ſi qua mu-*
lier, verbo competere, in fine, C. de ſacroſ. Eccleſ. Al-
bericus *Auth. ingreſſi, num. 7. fin. C. eodem titul.* Bar-
batius *cap.* 11. *in præſentia, num.* 125. *de probat.* Angel.
12 *in ſumma verbo Monaſterium, num.* 4. Sylueſter *verbo*
Religio 8. *quæſt.* 2. Tabiena *verbo Monachus, quæſt.* 15.
13 *num.* 16. vel ſaltem, vt alij propriùs loquuntur, eſto
Monaſterium propriè hæres Religioſorum non ſit,
ſaltem iure cuiuſdam acquiſitionis naturalis, &
acceſſoriæ perſonæ, bona Religioſi defuncti perti-
nent ad Monaſterium, prout ex pluribus Docto-
ribus probat Sanchez *ſuprà capit.* 12. *numero* 21.
Tum quia Monaſterium eſt loco filij, vt firmat
Rota in vna Bononienſi *Hæreditatis*, coram Merlino
num. 25.

14 Excipitur tamen à prædictis bonis legitima matris
ipſius Religioſi : hæc enim eſt debita matri, præcipuè
quando ſuperuiuit Religioſo, ita Bart. *in Auth. ſi qua*
mulier, num. 18. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & Iaſ. *ibi nu-*
mero 36. Abbas *in cap. In præſentia, num.* 53. *de pro-*
15 *bat.* Rojas *in epitom. de ſucceſſ. cap.* 29. *ampliat.* 8. *num.* 40.
& eſſe opinionem æquiorem & magis communem
probat Gratian. *deciſ. Marchiæ* 7. *num.* 5. 6. *cum ſe-*
quent. ac in caſu noſtri dubij tenet Merlinus *de legiti-*
16 *ma, lib.* 1. *titul.* 2. *quæſt.* 12. *num.* 9. Propterea ſimiliter
hanc legitimam deberi aſcendentibus, in eaque præ-
ferri Monaſterio, tenent ex Theologis Molina *tom.* 1.
de Iuſt. diſp. 140. *column.* 5. §. *hoc tamen.* Leſſius 2. *de*
Iuſt. cap. 41. *dub.* 10. *num.* 83. Rodriguez *tom.* 2. *qq. Re-*
gular. quæſt. 128. *artic.* 2. Lopez 2. *de contractib. cap.* 39.
quæſt. 3. *notab.* 5. ex iis, & aliis Sanchez *dict. lib.* 7.
17 *cap.* 9. *num.* 19. & 21. Vnde Monaſterium non ſucce-
dere in bona profeſſi, quæ ſunt legitima partis, dixi
tom. 1. *part.* 2. *ſumma, cap.* 19. *num.* 57. & tenent Lay-
18 man. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Quorum omnium
ratio eſt, quia legitima eſt debita aſcendentibus eo-
dem iure, quo deſcendentibus, ſcilicet naturali, non
ciuili, vt probat benè textus *in* §. *Primum itaque, in*
Auth. de hæred. & falcid. Peregr. *tract. de fideicomm.*
art. 49. *num.* 49. *in fine*, & cenſuit Rota coram Seraphi-
no *deciſ.* 1332. *num.* 1. & 15. Merlin. *lib.* 2. *de leg. tit.* 2.
quæſt. 12. *num.* 4.

19 Notandum tamen primò circa huiuſmodi legiti-
mam debitam parentibus, quod cum peculium filii-
familias iuxta communem ſententiam ſit quadruplex,
ſcilicet Caſtrenſe, illud videlicet, quod in Caſtris
acquiritur, & quaſi *Caſtrenſe*, illud nempè, quod ex
publico aliquo officio acquiſitum eſt, & *aduentitium*,
quod ſcilicet neque ex bello, neque ex officio pu-
blico, neque ex bonis parentum, ſed aliunde, ſci-
licet donatione, legato, ſucceſſione alterius paren-
tis, opera propria, aut artificio acquiritur, ac *pro-*
fectitium, quod videlicet pecuniis, aut rebus Patris,
aut eius occaſione acquiritur : ſolùm ex profectitio
peculio, non autem ex Caſtrenſi, quaſi caſtrenſi,
aut aduentitio legitima aſcendentium debetur, vt
20 probat Merlin. *de legitima lib.* 2. *titul.* 1. *quæſt.* 12.
numero 1. 2. 3. & 4. & eodem *libro* 2. *tit.* 2. *quæſt.* 27.
numero 1. & 3. ex variis iuribus, & Doctoribus. Et
21 ratio eſt, quia bona Caſtrenſia, quaſi Caſtrenſia, &
aduentitia ſunt ſub dominio filij, non verò profe-
ctitia, ſaltem omnia, vt propterea in diuiſione bo-
norum cum aliis Fratribus non debeat filius addu-
cere bona Caſtrenſia, quaſi Caſtrenſia, & aduentitia,
ſed ſolùm profectitia, prout probat Bonacina *de con-*
tractib. diſput. 5. *quæſt.* 6. *punct.* 6. §. *vnico, numero* 3.
ex Gomez, Molina, & Sà. Secundò nota, quod quem-
admodum, iuxta dicta *inferiùs in ſumma, verbo le-*
gitima quoad Regulares, num. 2. licèt olim legitima de- 22
bita deſcendentibus ſolùm eſſet quarta pars bonorum,
modò verò ſit tertia, ita etiam legitima debita aſcen-
dentibus ſit etiam aucta de quarta ad trientem, prout
probat Molina *tomo* 1. *de Iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 159. &
idem Merlinus *ſuprà lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 4. ex variis etiam 23
iuribus, & DD. Addens ibidem *num.* 15. ex aliis DD.
quod quamuis legitima debita aſcendentibus aucta ſit
ad trientem, non tamen ad ſemiſſem, quod etiam te-
net Cardinalis Lugo *de contractibus, diſp.* 24. *ſect.* 8.
§. 2. *num.* 153. Ex quo collige quamcumque legitimam 24
debitam parentibus prædicti Religioſi, ſolum eſſe ad
trientem, id eſt tertiam partem, licet in Caſtella, &
Luſitania importet duas partes bonorum, vt habet
idem Molina *ſup.*

HÆRESIS, ET HÆRETICVS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia, quæ dicta ſint in ſuperioribus, re-*
miſſiuè.
2 *Quæ requirantur ad hoc, quod quis hæreticus dici*
poſſit.
De dubio in fide, an ſit hæreticus. ibid.
3 *Suſpecti de hæreſi qui dicantur.*
Suſpicio quotuplex. ibid.
4 *Quæ delicta præbeant ſuſpicionem hæreſis.*
5 *Non omnes ſunt ſuſpecti eodem gradu ſuſpicionis.*
An omnes illi denunciari debeant. ibid.
6 *De pœnis hæreticorum.*
7 *De pœnis credentium hæreticis.*
8 *De pœnis receptatorum hæreticorum.*
9 *De pœnis fautorum hæreticorum.*
10 *De pœnis defenſorum hæreticorum.*
11 *De pœnis ſuſpectorum.*
12 *De abſolutione ab excommunicatione.*
Quibus competat. ibid.
13 *De abſolutione credentium, fautorum, receptatorum,*
defenſorum, &c.
14 *De Irregularitate quam illi incurrunt, remiſſiuè.*

De hæreſis caſu, qualiter antiquitus iudicare pote- 1
rant Superiores aliqui Regulares, Carmelitæ
præſertim, propter priuilegium Clem. VII. licet hoc
tempore propter Conſtitutionem quandam Pauli V.
id fieri non poſſit, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 18.
vbi etiam qualiter Regulares hæretici, aut de hæreſi ſuſ-
pecti debeant Dominis Inquiſitoribus denunciari; ex
edicto eiuſdem S. Inquiſitionis, & qualiter ex decreto
Pij V. Religioſi ad S. Officium recurrentes intra
quinquennium moleſtari non poſſint à ſuis Superiori-
bus. Similiter quomodo pœnitentiati à Sancto Officio
inhabiles ſint ad officia Religionum, dixi eo *tom.* 1. *p.* 1.
cap. 15. *num.* 39. Qualiter etiam propter nullum priui-
legium Regularium abſolui poſſint à caſu hæreſis, dixi
eo *cap.* 18. *n.* 38. Item qualiter Religioſi omnes teneao-
tur denunciare Dominis Inquiſitoribus, nulla expectata
licentia, aut conſenſu ſuorum Superiorum, hæreticos
quoſcumque, ſeu de hæreſi ſuſpectos, dixi ſuprà verbo
Accuſare, & Accuſator, num. 7. vbi etiam retuli edi-
ctum Sanctæ Inquiſitionis, quo id præcipitur. De aliis
circunſtantiis ſpectantibus ad huiuſmodi denunciatores,
videlicet an teneantur denunciare hæreticos, non præ-
miſſa aliqua correctione fraterna, & an pater filium, ſeu
filius patrem, vir vxorem, aut vxor virum, an iam
emendatos, vel quando ex denũciatione timetur aliquod
malum, dixi ſuprà verbo *Denunciator, & Denunciare.*
De excommunicatione autem in Bulla Cœnæ fulmina-
ta contra omnes, & ſingulos hæreticos quocumque
nomine cenſeantur, dixi verbo *Bulla Cœnæ, n.* 6. Alia autẽ

ad intentum ſparſim per totum opus dicta ſunt, & dicentur. Nunc verò ſpecialiter pro praxi Regularium duo diſcutienda: primum, quinam ſint cenſendi hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, vt teneantur denunciari; ſecundùm, quas pœnas incurrant.

Et quod attinet ad primum, quemadmodum iuxta
a dicta ſuprà verbo *Bulla Cœnæ*, n.8. & verbo *Bulla Cruciata, num.* 33. ad hoc quod aliquis incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ contra hæreticos impoſitam, duo requiruntur, ita vt vnum ſine altero non ſufficiat, ſcilicet, quod mente diſcredat, & quod ſigno aliquo externo ſuum prodat errorem, eo quod etſi peccatum hæreſis in ſola mente, aut actu interiori conſummetur, Eccleſia tamen, quæ non iudicat de occultis, non punit hoc delictum excommunicatione, aut, alia pœna fori externi, niſi aliquo ſigno externo manifeſtetur (Sotus *in* 4.*diſt*.22. *quæſt*.2.*art*.2.*col*.3. *verſ. hoc autem ſuppoſito*, & *art*.3.*poſt* 5.*concl.caſ*.1. Bañez 2.2.*quæſt*.11. *art*.4.*dub*.2.*concl*.1. poſt Caiet. *in Summ. verbo Hæreſis*, & alios communiter) ſic etiam ad hoc quod teneamur denunciare hæreticum, oportet quod ipſe errorem ſigno aliquo externo manifeſtauerit, alias nec nobis innoteſcere poterit, nec Eccleſia de ipſo iudicabit. Deinde, quia de ratione hæreſis eſt, quod ſit error in fide hominis baptizati, ideo catechumenus hæreſim proferens hæreticus non eſt cenſendus, cum fidem ſolemniter in baptiſmo profeſſus non fuerit. Arag. 2.2.*q*.11. *art*.2.*dub*.3. Tolet. *in Sum.lib*.4.*cap*.3.*n*.2. ideoque talis denunciandus non venit, præſertim cum nec excommunicationis capax ſit, nec Eccleſiæ iuriſdictioni ſubiectus, cuius membrum factus non eſt per Baptiſmi ſuſceptionem. Sanch. *lib*.2.*in Decal. cap*.7.*n*.34. Secus dicendum de ficte baptizato ſi hæreſim proferat, quia iſte in foro externo reputatur hæreticus. Pariter, quia de ratione hæreſis eſt quod ſit error voluntarius, quia ſicut aſſenſus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita etiam hæreſis oritur ex impia voluntatis electione, ideo ſi conſtat aliquem inuoluntariè protuliſſe aliquem errorem, v.g. quia erat in ſomno, vel ebrietate, ſicut nec tunc putandus eſt hæreticus (Petrus Ledeſma 2. *tom.Summ.tract*.1. *cap*.6.*poſt* 19.*concluſ.diff*.5. Sanchez *ſup.cap*.8. *num*.24.) ſic nec denunciandus erit. Similiter, quia ad rationem hæreſis requiritur pertinacia, quæ conſiſtit in hoc, vt quis ſciens, & prudens teneat aliquid contra Eccleſiam Catholicam, id eſt, quod ſciens Eccleſiam Catholicam aliquid docere, ipſe contrarium profiteatur (Valentia 2.2.*diſp*.1.*q*.11.*punct*.1. *in* 4.*difficult*. ex Caietano, & Cano) ideo ad hoc vt teneatur quis denunciare hæreticum, oportet exiſtimare eum errare cum tali pertinacia. Item quia dubius in fide cenſetur hæreticus, *c*.1.*de hæret*. maximè cum moraliter loquendo cum dubitatione intellectus ſoleat eſſe coniunctum iudicium, quo iudicatur res fidei non eſſe certas (Caietan. 2.2.*quæſt*.11. *art*.2. *notab*.1. Azor. *tom*.1. *inſtit.moral.lib*.8. *cap*.9. *quæſt*.5.) ideo talis in fide dubius cum dicta pertinacia, qua ſuum dubium externè manifeſtauit, etiam debet denunciari.

Suſpecti autem de hæreſi, quos etiam denunciandos
3 eſſe præcipitur in edicto S. Inquiſitionis, quod retuli ſup. v. *Accuſare*, & *Accuſator*, *num*.7. ſunt illi quorum delicta ſunt ſigna, vel indicia hæreſis. Diſtinguitur autem in hac materia triplex ſuſpicio, ſcilicet leuis, ſeu modica, grauis, ſeu vehemens, & violenta. Prima eſt, quæ procedit ex indiciis, quæ aliquando, ſed raro concludunt. Secunda quæ procedit ex indiciis efficacibus, quæ tamen aliquando deficiunt. Tertia, quæ moraliter æquiualet ſufficienti probationi. Suarez *de fide tract*.1.*diſp*.24.*ſect*.2.*num*.1. Sanctarellus *de hæreſ.cap*.41. *dub*.3. Vide & Eimericum *in Director. Inquiſit. part*.2. *quæſt*. 55. Peñam ipſius Commentatorem *ibidem*, Menochium *de præſumptionibus*, *lib*. 5. *præſumpt*.6.*num*.15.

Hi igitur ſuſpecti de hæreſi ſunt primò ſollicitantes 4
quaſcumque perſonas in Confeſſione, vel ante, aut poſt ipſam, occaſione ipſius ad inhoneſta, vel cum eis inhoneſta gerentes, iuxta dicta maximè ex Conſtitutione Gregorij XV. *tom*.1. *part*.1. *cap*.19.*num*.33. & 34. præſertim in 3. editione Veneta, ac ſuprà verbo *Denunciatio*, *ac Denunciator*, *num*. 4. Secundò, qui non ordinati Miſſas celebrant, aut Confeſſiones audiunt, de quibus egi *tom*.1.*cap*.10.*num*.22. Tertiò, Regulares Matrimonium contrahentes, ſiue publicè, ſiue ſecretè. Quartò, apoſtatæ à fide, tranſeuntes videlicet ad Iudæos, Sarracenos, Idololatras, vel Hæreticos, etiamſi id faciant non animo relinquendi fidem Catholicam, ſed ex libidine, deſperatione, &c. Quintò, Schiſmatici, ij ſcilicet qui ab vnitate Eccleſiæ diuiſi Rom. Pontifici ſubeſſe renuunt, de quibus egi ſuprà verb. *Bulla Cœnæ*, *num*.9. Sextò, ſortilegi, diuinatores, magi, incantatores, & pactum cum Dæmone habentes, vel ipſum inuocantes, ij præſertim, qui Sacramentis, Sacramentalibus, vel rebus ab Eccleſia benedictis ad id vtuntur. Septimò, blaſphemi, ſiue maledici, qui verba hæreſim, vel ſignificationem infidelitatis continentia proferunt. Octauò, credentes hæreticorum, illi ſcilicet, qui quamuis nullum errorem in mente habeant, verbis tamen, vel factis profitentur ſe credere, quod hæretici credunt. Nonò, receptores, ſeu receptatores hæreticorum, ij ſcilicet qui hæreticos recipiunt, vel hoſpitantur, non vt amicos, conſanguineos, proximos, &c. ſed vt hæreticos. Decimò, defenſores hæreticorum, qui ſcilicet eos defendunt non vt amicos, proximos, aut conſanguineos, &c. ſed vt hæreticos, ne ſcilicet denuncientur, accuſentur, capiantur, puniantur, &c. Vndecimò, fautores hæreticorum, ij ſcilicet, qui ipſis fauent non prædictis titulis proximi, amici, aut conſanguinei, ſed hæreſis. Duodecimò, legentes, retinentes, vel typis mandantes libros hæreticorum. Tertiodecimò, diffamati, ſeu malè opinati in Ciuitate, Villa, Vicinia, Monaſterio, &c. de hæreſi. Quartodecimò, in excommunicatione per annum perſeuerantes, iuxta dicta verbo *Excommunicatio*, *num*.52. Quintodecimò, officium S. Inquiſitionis impedientes. Decimoſextò, fidelium conſortia vitantes, aut occulta conuenticula facientes, aut cum hæreticis familiariter conuerſantes. Decimoſeptimò, peccata ſua rarò, aut nunquam confitentes. Decimo octauò, diuina Officia nunquam audientes. Decimononò, carnes aut cibos prohibitos diebus vetitis comedentes. Vigeſimò, nunquam, aut rariſſimè ieiunantes. Vigeſimoprimò Aſtrologiam iudiciariam exercentes, aut libros de ea re tractantes retinentes, iuxta dicta ex Conſtitutionibus Sixti V. & Sanct. D.N. Vrbani VIII. *tom*. 2. *cap*. 10. *num*.27. Vigeſimoſecundò, facilè, & ſæpè carnaliter cognoſcentes conſanguineas, affines, commatres, &c. Vigeſimotertiò, horrenda iuramenta proferentes, aut frequenter deierantes. Vigeſimoquartò, teſtes recuſantes ſe examini in caſu hæreſis ſubjicere. Vigeſimoquintò, primo de ſe, vel aliis hæreſim confeſſi, id poſtea negantes. Vigeſimoſextò, duas ducentes vxores priori viuente. Vigeſimoſeptimò, fideles cum hæreticis matrimonium contrahentes. Vigeſimo octauò, Officiales, & Domini temporales negligentes in puniendis, fugandis, requirendis, & capiendis hæreticis. Vigeſimononò, hæreticorum conciones audientes. Trigeſimò eos ſepelientes. Trigeſimoprimò, falſas cæremonias, aut ritus obſeruantes, vt ſunt reliquias Mahumeti, aut hæreticorum venerantes, carne porcina, aut vino non vtentes. De quibus omnibus, & aliis conſimilibus Eimericus *in* 2.*part. Director. Inquiſit*. præſertim *à quæſt*.55. Peña ipſius Commentator *ibid*. Menochius *de Præſumptionibus lib*.5. *præſumpt*.6. Ricciullus *de Iure Perſonarum lib*. 5. *cap*. 11. Farinacius *de hæreſ. præſertim à quæſt*.181. Suarez *de fide*, *tract*. 1. *diſp*.24.

ſect.2.

Digitized by Google

ſect.2.num.1. Naldus *in ſumma, verbo Hæreſis, à num.3.* Sanctarellus *in tract. de hæreſ. cap.41. dub.3.* & Peirinis *tom.2. priuileg. Minor. in conſt.9. Pauli V. §.2.*

5 Circa quæ primò notandum, non omnes prædictos eſſe ſuſpectos de hæreſi eodem gradu ſuſpicionis, ſed alios ſolùm leui, alios vehementi, alios etiam violenta ſuſpicione: qui verò tales ſint, cum res potius ad forum externum, quam ad internum ſpectet, ad præfatos auctores remitto diſcutiendum. Secundò, quòd etſi quantum eſt ex vi edicti S. Inquiſitionis, quod retuli ſuprà verbo *Accuſare, & Accuſator, n.7.* omnes prædicti etiam leui ſuſpicione de hæreſi ſuſpecti, denunciari debeant ad S. Officium, vel locorum Ordinarios reſpectiuè, vt ibi notatur, dicitur enim ibi denunciari debere *omnes, & ſingulos hæreticos, ſeu de hæreſi quomodolibet ſuſpectos.* Particula enim *quomodolibet*, cum ſit vniuerſalis, ad quoſcumque etiam leui ſuſpicione ſuſpectos extendi videtur; ſeruari tamen in hoc debent, cum regulæ charitatis, & iuſtitiæ, tum dicta ſuprà verbo *Accuſator, & Accuſare*, & verbo *Denunciator, & Denunciare.* Tertiò, quod prædicti hæretici, aut ſuſpecti denunciari debent, quamvis ſtrictiſſimo ſecreto (excepto quod eſt Confeſſionis Sacramentalis) cognoſcantur; quia talis denunciatio fit propter bonum commune, quod præponi debet cuicumque iure priuato orto ex ſecreto humano, & non ſacro, aut religioſo, quale eſt ſecretum Confeſſionis. Suarez *ſuprà diſp.20. ſect.4. num. 17.* Sanctarellus *in tract. de hæreſ. cap.9. dub. vnic. num.10.* Quod amplia etiamſi id ſcientes iurando promiſerint non reuelare, quia tale iuramentum eſſet de re iniqua, ac per conſequens obligare non poteſt, S. Thom. *2.2. quæſt.70 art.1. ad 2.* Syluester *in Summa, verb. Denunciatio, in fin.* Suarez *ſuprà.* Amplia, etiamſi talis hæreticus dixiſſet alicui: Manifeſto hoc tibi ſub confeſſione, nam hæc confeſſio non eſt Sacramentalis, nec ille habet animum confitendi. Sotus *de ſigillo, memb.7. quæſt.7. concl.4.* Sanctarellus *ſuprà*, ex aliis. Quartò, quod tales denunciari debent, etiamſi ſolus denuncians id nouerit, propter neceſſitatem huius denunciationis pro bono communi, & ſpecialem malitiam criminis hæreſis, Suar. *ſupr. à num.7.* Sanctarellus *ſuprà num.2.* Qualiter autem Eccleſiaſtici, aut Regulares non debeant abſtinere ab accuſatione, ſeu denunciatione prædictorum ob metum irregularitatis, collige ex dictis ſuprà verbo *Accuſare, & Accuſator, num.19.20. & 21.*

6 De pœnis autem hæreticorum loquendo, prima eſt excommunicatio latæ ſententiæ impoſita *cap. Achacius 24. quæſt.1.* & *cap. Ad abolendam, & cap. excommunicamus, de hæretic. cap. nouerit, de ſent. excommunicat.* quæ quamuis iis locis non ſit reſeruata (Caietanus *in Summa, verbo Excommunicatio, cap.1.*) in Bulla tamen Cœnæ reſeruata eſt, vt patet ex dictis verbo *Bulla Cœnæ, num.52.* Suarez *ſupr. diſp.21. ſect.4. num.3.* Secunda eſt infamia iuris, *cap. alieni 2. quæſt.7. & cap. infames 6. quæſt.1.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.26. à num.1.* qui putat cum aliis ad incurrendam hanc pœnam requiri ſententiam Iudicis, ſaltem declaratoriam criminis. Tertia eſt irregularitas, prout ex multis iuribus probat Sanctarellus *tract. de hæreſ. cap.25. dub.2.* De quo dicam verbo *Irregularitas, à num.61.* Quarta eſt priuatio omnium officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, & inhabilitas ad illa. *cap. Ad abolendam, de hæret. cap. vt commiſſi, de hæretic. in 6.* Suarez *ſuprà ſect.5. à num.16.* Theſaurus *in praxi part.2. verbo Hæreſis, cap. 2.* Incurrunt etiam hæretici alias pœnas temporales, ſcilicet priuationem officiorum laicalium, inhabilitatem ad illa, confiſcationem bonorum, priuationem patriæ poteſtatis in filios, & ſimiles, quas omitto, quia parum, aut nihil pertinent ad Regulares, & de illis agunt latè Auctores relati. Solum pro Regularibus aduertendum, Sacerdotem, qui ſemel publicè, vel ſecretè abiurauit de hæreſi formali, etiamſi ei generalis abſolutio conceſſa fuerit, inhabilem ſemper remanere ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, ex decreto Pauli IV. quod ex Maiolo *lib.5. cap.46. num.3. & 6.* refert Theſaurus *ſuprà.*

Pœnæ autem credentium hæreticis, ſunt etiam excommunicatio, *cap. Excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic. in 6.* Sanctarellus *ſuprà cap.21. dub.4. n.32.* Incurrunt etiam excommunicationem Papæ reſeruatam in Bulla Cœnæ, vt patet ex verbis ipſius ſuprà, verbo *Bulla Cœnæ, num.6.* Layman. *lib.1. tract.2. c.14. num.5.* Item ſi in excommunicatione per annum permanſerint, ipſo iure ſunt infames, nec ad publica officia admittuntur, ex Authent. *credentes, C. de hæretic.* & *ex cap. Excommunicamus*, relato. Sanctarellus *ibid.* ex aliis. Sunt etiam priuandi omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico. Eimericus *in Director. Inquiſit. part.2. quæſt.27. num.2. & 3.* 7

Pœnæ receptorum, ſeu receptatorum hæreticorum ſunt etiam excommunicatio, non ſolùm iure antiquo, *cap. ſicut, cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic. cap. nouerit, de ſentent. excommunicat. cap. quicumque, §. hæretici, de hæreticis in 6.* & in litteris Nicolai III. & Pauli IV. ſed etiam in Bulla Cœnæ excommunicatione Papæ reſeruata, vt conſtat ex verbis illius ſuprà verbo *Bulla Cœnæ, num.6.* Et ſi per annum inſorduerint, ipſo iure ſunt infames, & à publicis officiis rejiciuntur, & habentur pro hæreticis, & ſi fuerint Clerici, omni officio, & beneficio per ſententiam Iudicis priuandi ſunt, Sanctarellus *ſuprà cap.12. dub. vnic. n.8. & 9.* Conſequenter fiunt Irregulares. Theſaurus *ſuprà cap.2.* ex Sanchez, & Suarez. De quo verbo *Irregularitas, num.61. & 62.* 8

Pœnæ quoque fautorum hæreticorum ſunt etiam excommunicatio, tum iure antiquo, *cap. excommunicamus, & cap. nouerit*, relatis, & in Conſtitutionibus Martini V. & Pauli IV. Tum etiam iure nouo, & Papæ reſeruata in Bulla Cœnæ, vt patet ex verbis ipſius Bullæ ſuprà verbo *Bulla Cœnæ, num. 6.* Suarez *ſuprà diſp.24. ſect.1. num.11.* Sanctarellus *ſuprà cap.11. dub.1. num.20.* vbi etiam quod tales, ſi in excommunicatione per annum permanſerint, ipſo iure ſunt infames, & inhabiles ad publica officia; & ſi fuerint Clerici, omni officio, ac beneficio priuandi ſunt, & quandoque habentur vt hæretici; conſequenter etiam erunt irregulares, iuxta dicta. De quo etiam verbo *Irregularitas, num.61. & 62.* 9

De pœnis defenſorum hæreticorum idem proportionaliter dicendum videtur, ac de fautoribus, cum etiam illi fautores videantur. Pro quibus vide Auctores relatos, maximè Eimericum *in Director. Inquiſitor.* ad Peñam *in Commentariis.* Pro pœnis autem, quas incurrunt filij hæreticorum, ac credentium, fautorum, receptorum, & defenſorum eorumdem, vide Theſaurum *ſuprà cap.3.* Præſertim, an incurrant irregularitatem, & quis in ea diſpenſet, dicam verbo *Irregularitas, num.61. & 62.* An hæretici, credentes, fautores, &c. gaudeant Immunitate Eccleſiaſtica loci ſacri, dicam verbo *Immunitas Eccleſiarum, num. 24.* An priuentur Eccleſiaſtica ſepultura, infrà verbo *Sepultura.* 10

De ſuſpectorum pœnis, ſi fuerint verè hæretici, aut receptatores, fautores, credentes, vel defenſores ipſorum, iam conſtat ex dictis; ſi verò tales non fuerint, ſed quoad Deum innocentes, nullas pœnas in foro conſcientiæ incurrunt, Suarez *ſuprà ſect. 2. num. 3.* Violenter autem ſuſpecti abſoluuntur pro foro externo. Peña *in Director. fol.486.* Portellus *in reſponſ. caſ. Moral. cap. 28. num. 9.* Et quia ſunt infames ratione violentæ ſuſpicionis, conſequenter fient irregulares, Sanchez *ſup. lib. 2. cap. 25. num. 10.* Quare ſi auferatur infamia, & ſuſpicio purgetur, tolletur etiam irregularitas. Henriquez *lib.14. cap.4. num. 6.* Sancta- 11

rellus *ſup. cap. 25. dub. 1. num. 9.* Suſpecti autem de leui, vel vehementi puniuntur pœna minori, quam ordinaria. Suarez *ſuprà num. 4.* Qualiter autem tales, ſi Regulares fuerint, & pœnitentiati à S. Officio, inhabiles ſint ad officia, & gradus Religionum, conſtat ex dictis ex decreto Sanctiſſ. D.N. Vrbani *tom. 1. part. 1. cap. 15. num. 39.*

12 Quoad abſolutionem ab excommunicatione, quam incurrunt hæretici, ſi ſermo ſit de foro externo, & iudiciali, ſolum ſpectare videtur ad Papam, vel Inquiſitores, vel illos quibus ipſi hanc facultatem delegauerint, cum illi ſoli ſint Iudices in hac cauſa. Quoad forum verò internum conſcientiæ (excepto articulo mortis, de quo dixi verb. *Bulla Cœna, num. 52. & 53.* & verbo *Bulla Cruciata, num. 33.*) quamvis hæc facultas conceſſa ſit Epiſcopis à Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* reuocata tamen eſt per Bullam Cœnæ iuxta dicta ſupra verbo *Bulla Cœna, num. 55.* De DD. Inquiſitoribus poſſe vti hac facultate in foro conſcientiæ, & Sacramentali tenent Bañez *2. 2. quæſt. 11. art. 4. dub. 2.* & plures, quos refert, & ſequitur Diana *part. 1. tract. de abſolut. ab hæreſ. Reſolut. 3.* loquens præcipuè de Inquiſitoribus Hiſpaniæ, & dicens, poſſe ipſos etiamſi Sacerdotes non ſint, eam facultatem delegare. Sanchez verò *lib. 2. in Decalog. cap. 12. à num. 3.* Garzia *de beneficiis, part. 11. cap. 10. num. 121.* & Suarez *d. diſp. 11. ſect. 4. num. 15.* multum dubitant de hac facultate, cum illam non habeant dicti Domini Inquiſitores ex vi ſui muneris, quia ſolùm ſunt Iudices pro foro exteriori, & priuilegium Clement. VII. quod referri ſolet quoad hoc, ſolùm fuit conceſſum Inquiſitoribus Ordinis Prædicatorum, maximè Lombardiæ, & eſto aliis Inquiſitoribus ſit communicatum, ſolum ex eo habetur poſſe abſoluere ab hæreſi extraiudicialiter, id eſt ſine integra forma iudicij, cum Notario ſcilicet, & vno ad minus teſte (Peña *3. part. Director. Comment. 12. in addit. num. 61.*) imò & reuocatum videtur quotannis per Bullam Cœnæ, ſicut & Epiſcoporum priuilegium. Accedit declaratio Sacræ Congregationis, quam referunt Suarez *ſuprà num. 17.* & Sanctarellus *tract. de hæreſ. cap. 5. dub. 7. à num. 31.* Vnde non poſſe id facere tenent Farinacius *de hæreſ. quæſt. 192. §. 4. num. 52. & 54.* Sanctarellus *ſuprà* poſt alios. Apud quos etiam an ſit modus alius, quo poſſint abſoluere hæreticos occultos ad ſe venientes. Non poſſe etiam abſolui prædictos hæreticos ex vi Bullæ Cruciatæ, conſtat ex dictis verbo *Bulla Cruciata, num. 33.* nec his temporibus eſſe aliquod priuilegium pro Prælatis Regularibus ad abſoluendum ſuos ſubditos ab hæreſi, dixi *tom. 1. cap. 18. num. 38.* Solum ergo ad Papam, vel ipſius Pœnitentiarios ſpectat abſolutio ab hæreſi, & ita ab illis procuranda eſt, vel per litteras. Interim autem quomodo talis hæreticus ſe gerere debeat, maximè ſi neceſſe ſit communicare, aut celebrare, dixi verbo *Caſus reſeruati, num. 24.*

13 De abſolutione etiam credentium, fautorum, receptatorum, & defenſorum hæreticorum, etiamſi hæretici tales non fuerint, proportionaliter loquendum eſt. Cum enim ipſorum abſolutio reſeruetur quotannis cum reuocatione omnium priuilegiorum Papæ in Bulla Cœnæ, ideo neque Epiſcopi ex vi Concilij Tridentini, neque Prælati Regulares ex vi ſuorum priuilegiorum poſſunt illam dare. Quod etiam videtur dicendum de DD. Inquiſitoribus quantum ad abſolutionem Sacramentalem, propter eandem rationem. Quando verò prædicti verè hæretici non fuerint, abſolui poterunt per Bullam Cruciatæ, iuxta dicta ſuprà verbo *Bulla Cruciata, num. 33.* cùm illa concedantur omnes caſus Bullæ Cœnæ, & ſolum excipiatur caſus hæreſis. Idem dicendum de Iubilæis, in quibus ſimilis conceſſio data fuerit.

14 Circa Irregularitatem autem, & cæteras pœnas, quas prædicti hæretici, fautores, &c. incurrunt, earumque diſpenſationem, nihil occurrit dicendum præter dicta in genere de illis *tom. 1. part. 1. cap. 8. num. 33. & cap. 10. num. 30. 31. & 35. cap. 18. num. 40.* & dicenda infra verbo *Irregularitas*, & verbo *Pœna Eccleſiaſtica.*

HOMICIDIVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Quid, & quotuplex ſit.*
3 *Homicidij caſus reſeruabilis eſt inter Regulares.*
4 *Qualiter occidere ſeipſum ſit illicitum.*
Quid de mutilatione propriorum membrorum. ibid.
5 *Carnem affligere mortificationibus, & pœnitentiis an ſit illicitum.*
An acceptare occaſionem Martyrij. ibid.
6 *Occidere aliquem publica auctoritate quando licitum.*
7 *An id liceat Regularibus.*
8 *Occidere priuata authoritate nulli licet.*
9 *Secus in defenſionem ſui cum moderamine, &c.*
Quid de defenſione alienum, vel aliarum rerum. ibid.
10 *Quid in defenſionem innocentis.*
11 *Dubium de quodam presbytero occidente hominem ob ſui defenſionem, & petente diſpenſationem a Papa.*
12 *Iſte non contraxit irregularitatem, ſi ſeruauit moderamen inculpatæ tutelæ.*
13 *Quia fuit licita, & permiſſa ea occiſio.*
14 *Pulchrum dictum Salomonis Iuriſta.*
15 *Ex aliis iuribus, & legibus.*
16 *An ex iure diuino.*
17 *Farinacij teſtimonia.*
18 *Ex Clementina* Si furioſus.
19 *Quid ſi occidiſſet talem inuaſorem ex odio, aut ira.*
20 *Non obſtat Concilium Tridentinum.*
21 *Quia non loquitur de homicidio facto ad neceſſariam defenſionem.*
22 *Declaratio S. Congregationis.*
23 *Conſilij expoſitio.*
24 *Is, de quo in præſenti, non exceſſit modum inculpatæ tutelæ.*
25 *Spectaret hoc probare ad accuſatorem, vel contradictorem.*
26 *Quid ſi in ſe defendendo aliqualiter exceſſiſſet.*
27 *Quid ſi illi incumberet probatio talis moderaminis.*
28 *Iulij Clari doctrina.*
29 *Illi in dubio credendum.*
30 *Quia agitur de actu intrinſeco.*
31 *Maximè cum non adeſt præſumptio in contrarium.*
32 *Et adeſt iuramentum ipſius.*
33 *Etiam in criminalibus.*
34 *Et in cauſa poſſeſſionis.*
35 *Recurſus ad Papam non nocet.*
36 *Nec Papæ reſcriptum.*
37 *Taciturnitas non nocet.*
38 *Nemo eligit viam, per quam iudicium ſubuertatur.*
39 *Nec illi nocet confeſſio.*
40 *Quid de confeſſione qualificata.*
Ex Rotæ deciſionibus. ibid.
41 *Authorum contrariorum multitudo non terret.*
42 *Oppoſitum tenent plures.*
43 *Homicidium in dubio non præſumitur factum doloſè.*
44 *Sententia affirmans poſſe ſcindi confeſſionem, quomodo intelligenda.*
45 *De confeſſione externa iudiciali.*

46 *Non*

46. *Non de facta in foro quaſi Pœnitentiali.*
47. *Quid de facta in iudicio ciuili.*

DE hac materia etſi non valdè neceſſaria pro Regularibus videatur, aliqua dicenda ſunt, quatenus
1 conducit ad intelligentiam materiæ Irregularitatis, & ſpecierum illius, quæ illis magis neceſſaria eſt, & de qua infra, & plurium caſuum conſcientiæ, qui accidere poſſunt.

2 Homicidium, ſeu hominis cæſio, vnde eius Etymologia deriuatur, in communi loquendo dupliciter ſumitur. Primò largè pro quacumque hominis cæſione, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. Secundò, propriè pro cæſione iniuſta hominis. S.Thom. 2. 2. *quæſt*.100, *art*.8. *ad* 3.& *de malo quæſt*.13.*art*.4.*ad* 11. Syluester *in Summa*, *verb. Homicidium*, *num*.1. Deinde homicidium propriè eſt duplex, aliud quod vocatur voluntarium, aliud quod caſuale: voluntarium eſt, quod volitum, ſeu intentum ab agente. Caſuale verò, quod non eſt volitum aut intentum, ſed caſu, & fortuitò contingens, Vtrumque autem ſubdiuiditur: etenim homicidium voluntarium aliud eſt voluntarium ſimpliciter, abſolutè, & directè, illud ſcilicet, quod intenditur expreſsè ab agente; vt cum Petrus occidit Ioannem intentione expreſſa eum occidendi. Aliud eſt voluntarium ſecundum quid, & indirectè, quod licet non intendatur directè, & expreſsè, eſt tamen volitum in cauſa ex qua infallibiliter ſequitur, vt cum quis dat alteri venenum mortiferum, vel grauiter eum ferit in capite, vel in corde. Talia enim etſi in actu ſignato, & expreſsè non intendat mortem alterius, in actu tamen exercito illam intendere cenſetur, vt benè Suarez *tom*.5. *in* 3. *part. diſpu*. 44. *ſect*.1. *num*.5. & Cornejo *tom*.2. *in* 3.*part*. *tract*.5. *de Irregularitate*, *quæſt*.6.*diſp*.1. *dub*.1. Similiter homicidium caſuale aliud eſt omnino, & ſimpliciter caſuale, aliud non ſimpliciter, nec omninò caſuale. Primum eſt, quod nullo modo eſt volitum directè, nec indirectè in ſe, neque in cauſa, vt homicidium commiſſum in ebrietate, quod nullo modo ante ipſam fuit præuiſum, vel ſi fuit præuiſum, adhibita eſt ſufficiens diligentia ne ſequeretur, auferendo arma, quibus occidere poſſet, vel adhibendo cuſtodes, vt illud impedirent, &c. Secundum eſt, quod aliquo modo eſt volitum in ſua cauſa, vt homicidium commiſſum in ebrietate, & ante ipſam præuiſum, ſi facta non fuit ſufficiens diligentia ad ipſum præcauendum. Cornejo *ſupra*, *diſp*.3. *ante primum dubium*. Bonacina *de Cenſuris*, *diſp*.7.*quæſt*.4.*punct*.7.*num*.1. Diuidi etiam poteſt in homicidium factum cauſa defenſionis, & aliud non ita, ſimiliter in homicidium factum publica auctoritate, & in illud, quod priuata auctoritate committitur, de quibus relati auctores, & Nauarrus *Manual. cap*.27. *num*.239.

3 Eſt etiam notandum, quod inter caſus reſeruabiles pro Regularibus vnus eſt *Occiſio*, *aut vulneratio*, *ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſona*, iuxta dicta ex decret. Clement. VIII. *tom*.1.*cap*.18. *num*.20. Vbi nomine occiſionis, &c. ſolum videtur intelligenda, cum materia hæc ſit odioſa, occiſio voluntaria, & doloſa, non caſualis, fortuita, aut cauſa defenſionis facta, Longus *de Caſib. reſeruat, part*.2. *caſ*.10. *num*.3. & 4. Graffius *de Caſ. reſeruat. lib*.5. *cap*.9. *a num*.18. Idem dico de caſu quo Magiſter Nouitiorum, vel Prælatus immoderatè corrigentes ſubditum, occaſionem dederunt illius morti, licet præter intentionem ipſorum, propter eandem rationem. Graffius *ſuprà*, *num*.26. Molfeſius *part*.1. *Summa*, *tit*.7. *cap*.10. *num*.121. Nomine etiam vulnerationis intelligi etiam videtur ſola grauis vulneratio, non leuis, quæ facilè, & quam citò ſanatur. Etenim ex doctrina Concil. Trident. *ſeſſ*.14. *de pœnit. cap*.7. ſolum atrociora, & grauiora crimina decet reſeruari. Graffius *ſuprà*, *num*.30. Longus *ſuprà*, *num*.7. Quid autem intelligatur per percuſſionem grauem, habes ſupra verbo *Clericus*, *num*.11.& 13. Cum verò dicatur *cuiuſcumque perſona*, meritò tali nomine denotatur quicumque homo, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue ſæcularis, ſiue Chriſtianus, ſiue infidelis. Peirinis *tom*.2. *de Prelato*, *quæſt*.3. *cap*.2. §.1. *num*.58. Bordon. *reſol*.49. *num*.6.

Sit ergo prima regula. Occidere ſeipſum ſemper eſt illicitum, ſeu peccatum, 23.*quæſt*.5.*cap*.*Non eſt noſtrum*, *cap. Tu dixiſti*, *cap*.*Si non licet*, & *in l*.*Liber homo*, *ff. ad legem Aquiliam*. Ratio eſt, quia homo non eſt dominus ſuæ vitæ; Deus enim eſt qui tale dominium ſolus habet, vel Reſpublica cuius homo eſt pars. S.Thom. 2. 2. *quæſt*.64.*art*.5. præſertim *ad* 3. Expoſitores *ibid*, Ioannes Beetz *lib*.5. *in Decalog. expoſit*.3. *cap*.2. Sotus *de iuſtit. lib*.5. *quæſt*.1. *art*.5. Etiamſi id fiat deſiderio beatitudinis ad vitandas miſerias huius vitæ, vel fugiendum peccatum, propter eandem rationem. Syluester *in Summa*, *verb*.*Homicidium* 1.*n*.4. Excipe caſum, quo ex certo inſtinctu Spiritus ſancti homo ad id moueretur, prout contigit in Samſone, S.Apollonia, & aliis. S. Auguſtin. 1. *de Ciuit. cap*.20. relatus *dicto cap. Si non licet*. S. Thom. *ſupra ad* 4. Idem dic de membri mutilatione, ſeu abſciſſione, illicitam ſcilicet ſemper eſſe extra caſum neceſſitatis totius corporis, ſcilicet ſanitatem, propter rationem adductam. S. Thom. *ſuprà* . *art*.5. Layman. *lib*. 3. *tract*. 3. *part*.3. *cap*.1. *num*.1. Vnde ſe ipſum caſtrare propter ſeruandam caſtitatem, prout dicitur feciſſe Origenem, vt ſecuriùs per domos prædicaret mulieribus, etiam eſt illicitum, cum homo non ſit dominus ſuorum membrorum, ſed ſolus Deus, aut etiam Reſpublica. Guido noſter *in Summa*, *de hæreſib. hæreſi* 37. *Valliſeer*. Syluester *ſuprà*. Multò magis id videtur dicendum de iis, qui ſe caſtrant, vt vtiles ſint cantui, propter eandem rationem. Layman. *ſuprà num*.2. contra Salonem. An verò propterea incurratur irregularitas, dicam *verb. Irregularitas*, *numero* 75. In caſu tamen vrgentia neceſſitatis, ad mortem videlicet fugiendam, quando alio modo effugi non poteſt, niſi abſciſſione membri, id fieret licitè, quia tunc prudenter anteponitur vita totius hominis vnius membri abſciſſioni, vel mutilationi. Toletus *in Summ*.*lib*.5. *cap*.6. §.*Secundò ob maius*. Naldus *in Summa*, *verb*. *Occidere*, *num*. 10. Addens non teneri aliquem ex præcepto ad id faciendum, cum non teneatur vitam cum tanto dolore, & diſpendio conſeruare.

Pro praxi tamen virorum ſpiritualium, & Religioſorum, nota primò, quod carnem moderatè affligere mortificationibus, pœnitentiis, ieiuniis, ſtudiis, &c. quando eæ auſteritates ſumuntur eo animo, vt caro ſpiritui pareat, in cultum, & obſequium Dei, vel alicuius virtutis finem, dummodo naturæ neceſſaria concedantur, nec per hoc impediatur quis ab adimpletione ſui officij; etiamſi inde vitæ breuitas ſequatur, licitum eſt, & honeſtum, quia homo non tenetur vt diutiùs viuat à prædictis abſtinere, quin potius obligatur ad opera virtutum exercenda. Azor. *tom*.3. *Inſtit. Moral. lib*.2. *cap*.3.*quæſt*.13. Sanchez *tom*.2. *Conſil. Moral. lib*.5.*cap*.1. *dub*.33. *num*.11. Secus eſſe ſi ea fierent intentione abbreuiandi vitam, quia hoc eſſet illicitum, cum ſit quodammodo ſeipſum occidere. Caietan. 2. 2. *quæſt*.147.*art*.1. Azor *ſuprà*. Sanchez *num*.9. Quid verò ſentiendum de Carthuſianorum abſtinentia à carnibus, etiam cum periculo vitæ, dixi *tom*.1.*part*.1.*cap*.8. *num*.19. Secundò nota, quod non obſtante præcepto conſeruandi vitam, licitè etiam poteſt quilibet, maximè religioſus, Martyrij occaſionem acceptare, vel non recuſare, propter Euangelij prædicationem, vel non committendum aliquod peccatum; honor enim & gloria Dei, quæ eſt in fidei Chriſtianæ defenſione, & in non committendo peccato, iure anteponi debet periculo perdendi vitam. Toletus *ſup*.*n*.5. Poteſt etiam licitè

quia exponere vitam propter Reipubl. vtilitatem, quia Reipublicæ. vtilitas præponderat bono particulari vitæ alicuius. Sotus *ſup.art.7.* Idem dicunt aliqui licere ob amici liberationem, ſeu bonum proximi. De quo Sotus *art.6, & 8.* & Toletus *ſup. num.6.* Nota tertiò, quod ſe perimens, in loco Sacro ſepeliri non poteſt, *cap.Placuit, 23. quæſt.5. & cap.Quibus, 13. quæſt.2.* De quo, & qualiter intelligendum, commodius dicam *verb. Sepultura.* [Pro praxi etiam Religioſorum nota, non peccare eum qui deſiderio maioris perfectionis, & ſecuritatis ſalutis animæ ſuæ ad Religionem ingreditur, licet credat, propterea abbreuiandam ſibi vitam. Primò quidem, quia vita Religioſa propter regularum viuendi modum, quietem tum animæ, tum corporis, continentiam, & alias virtutes magis prodeſt, quàm obeſt ad vitam prolongandam. Secundò, quia eſto propter vitam Religioſam vitæ abbreuiatio ſequatur; nihilominus, quia non intenditur, vt ſuppono, ſed ſolum permittitur ab eo qui vitam Religioſam amplectitur, non adhibendo omnia media ad eam arcendam, quæ aliàs applicare poſſet, quod eſt licitum, maximè propter tam egregios fines qui in ſtatu religioſo reperiuntur. Tertiò, quia cum Romæ annis præteritis quidam Medicus dixiſſet teneri ſub peccato mortali quendam iuuenem nobilem minus firmæ valetudinis è Religione, in qua nouitius erat, egredi, iuſſu Vrbani VIII. congregati ſunt aliqui Theologi ad id decidendum, qui tamen illius Medici ſententiam reiecerunt, & Nouitium in ſua ſancta intentione reliquerunt. De hoc latè & doctè Cardinalis Lugo *tom. 1. de iuſtit. & iur. diſput.10.ſect.1. à num.13.*]

6 Secunda regula eſt. Occidere alium publica auctoritate licitum, & honeſtum eſt. Colligitur ex Sacra Scriptura ad Rom.13. *Si malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat* (intellige Princeps, Dux, Magiſtratus, Iudex, &c.) *Dei enim Miniſter eſt.* Et ratio eſt, quia Princeps, Dux, Magiſtratus, &c. ſunt caput Reipublicæ, ac per conſequens illi prouidere debent, etiam cum morte alicuius particularis ciuis, cum ea fuerit neceſſaria ad Reipublicæ bonum. S. Thom.2.2. *quæſt.64.art.2.* Sotus *ſuprà, art.3.* Non tamen hoc fieri poteſt ad libitum, & ſine cauſa, quia illa non ſubſiſtente, potius debet princeps, &c. conſeruare vitam ſubditorum. Layman. *ſup.cap.2. aſſert. 1.* Seruari etiam debet iuris ordo; ſcilicet, quod citetur, audiatur, fiat proceſſus, &c. Tolet. *ſup. num.12.* Hinc iuſtè occiduntur banniti etiam à priuata perſona, quia hoc fit publica auctoritate, iuxta dicta ſupra *verb. Bannitus, num.9.* cum conditionibus deſignatis *ibid. n.10. & 15.* Hinc etiam in bello iuſto licitè homines occiduntur, quia hoc etiam fit auctoritate publica facientis iuſtum bellum. Vide dicta *verb. Bellum.*

7 Hic etiam pro Regularibus notandum, quod ipſis, ſicut nec aliis Eccleſiaſticis nullatenus licitum eſt occidere aliquem etiam publica authoritate, *cap. Epiſcopum, diſtinct.45. & cap. ſententiam, & cap. Clericis, de Cleric. Monach. & in tit. de Cleric. percuſſor.* Et ratio ſumitur ex indecentia, quæ eſt in eo, quòd Eccleſiaſtici, qui ſpecialiter repræſentant Chriſtum, qui cum percuteretur, non repercutiebat, 1. *Pet. 2.* percuſſores ſint. S.Thom. 2.2. *quæſt.64. art.1.* Sotus *ſuprà, art.4.* Bannez, & alij Expoſitores S.Thom. etiam *art.4.* Vide etiam dicta ſupra *verb. Accuſator, & Accuſare,* verbo *Bannitus,* & *verb. Bellum.* Eccleſiaſtici autem, ſeu Regulares habentes temporalem iuriſdictionem benè poſſunt inſtituere Iudices, qui in cauſa ſanguinis iudicare poſſint. Sanctus Thom. *ſuprà, in ſolut. ad 3.* Bannez *ibid. §. dubitatur ſecundò.* An verò alia agere, vel dicere poſſint circa punitionem malefactorum, dicam *verb. Irregularitas, num.23.*

8 Tertia Regula. Occidere alium quantumuis ſceleratum auctoritate priuata nulli licet. Cum enim occiſio hominis in tantum liceat in quantum ordinatur ad bonum totius Communitatis, ideo ad illum ſolum pertinet cui commiſſa eſt cura ſeruandæ Communitatis, id eſt, ad Principem, ſeu Magiſtratum, non ad alios, ſicut proſcindere putridum membrum pertinet ad medicum cui totius corporis ſalus commiſſa eſt, non aliis. S.Thom. *ſuprà art.3.* Bannes, & alij Expoſitores *ibid.* Syluester *in Summa, verb. Homicidium 1. num.5.* Limitatur in tyranno, etſi enim tyrannum, qui aliàs eſt legitimus Princeps, ſed tyrannicè gubernat, nullus licitè occidere poſſit, prout habetur ex Concil. Conſtantienſi *ſeſſ.15.* Tyrannum tamen, qui nullum habet titulum, ſed per vim, & arma occupat Regnum, vel Ciuitatem non ſuam, licitè occidit quilibet priuatus, quando aliter non poteſt Reſpublica liberari, & ſit ſpes probabilis liberationis. Quia cum Reſpublica gerat bellum iuſtum contra talem tyrannum, quilibet ciuis tanquàm miles ipſius Reipublicæ poterit illum interficere. Bannez *ſupra,* Toletus *ſup. num.10.* An verò Eccleſiaſticus, ſeu Religioſus id poſſit facere eo caſu, conſule dicta ſupra *verb. Bellum.*

Quarta. Occidere in defenſionem ſui aggreſſorem iniuſtè occidere volentem licitum eſt, ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, tum quia vi vim repellere licet, *l. ſcientiam, §. qui cum, ff. ad l. Aquiliam, cap. ſignificaſti 2. de homicid. cap. ſi verò 1. de ſent. excommun.* & aliis iuribus. Tum quia ſecundum ordinem charitatis propria vita præferri poteſt alienæ. S.Thom. *ſup. art.7.* Ioannes Beetz *in 5. præcept. Decalog. expoſit.3.cap.2.* Sotus *ſupra art.8.* Idem dico de occiſione alterius in defenſionem ſuorum membrorum, quia mutilatio, ſeu abſciſſio membrorum æquiparantur morti, cum ea ſint partes vitæ, & ad vitam neceſſaria. Cornejo *tom.2. in 3. part. tract.3. de irregularitat. quæſt.6. diſput.4. dub.1. §. Quæres 7.* Bonacina *de Irregul. diſp.7. quæſt.4. punct.6. num.4.* Idem etiam dicendum de occiſione alterius pro defenſione honoris in graui materia, ſeu ad fugiendam grauem infamiam, quia honor æquiparatur vitæ. Cornejo *ſupra, §. Quæres vltim.* Bonacina *ſup. num.10.* Quod tamen limitandum eſt in Clericis, & Religioſis, quia ipſorum honor præcipuè conſiſtit in exercitio virtutum, charitatis præſertim, humilitatis, & patientiæ. Toletus *ſupra, cap.3. num.2.* Layman. *ſuprà, cap.3. num. 2.* Idem quoque dicunt de occiſione alterius in defenſionem propriorum bonorum. Cornejo, & Bonacina *ſupra.* Limitari tamen primò debet ſolum in bonis, ſeu facultatibus magni momenti, neceſſariis ad vitam, & quæ alio modo recuperari non poſſent. Layman. *ſupra, num.4.* Limitatur etiam in Eccleſiaſticis, & Religioſis, iſti enim potius debent bonorum iacturam pati, quam occidere, & ſatius eſt poſt tunicam relinquere pallium, quam pro rebus tranſitoriis tam acriter in alium exardeſcere. Toletus *ſupra, num.16.* ex Panormitano *in cap. ſuſcepimus, de homicid.* Nota etiam, quod tunc aliquis occidendo dicitur ſeruare moderamen inculpatæ tutelæ, quando ſpectatis circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum, nullum aliud medium ſupereſt ad euitandum illud damnum, quod iniuſtus aggreſſor infligere vult, niſi illum occidere. Bonacina *ſuprà, num.2.* Layman. *ſuprà, num. 1.* Quare ad intentum noſtrum ſi Religioſus inuaſus poſſit effugere illud damnum fugiendo, clamando, aut alio modo ſe defendendo, non poterit licitè occidere inuaſorem. Cornejo *ſuprà, §. Quæres 4.* & ſequentibus, Bonacina *ſupra.* Fagundez *in 5. præcep. Decalog. lib.5. cap.7. num.9.* ex aliis. Limitat tamen hoc Cornejo quando talis fuga ſolum afferret ignominiam particulari religioſo, ſecus ſi illam afferret toti ordini. Dixi ſi Religioſus inuaſus poſſit effugere illud damnum fugiendo, quia ſi ob infirmitatem, ætatem, vel aliud impedimentum fugere non poſſit, licitè occidet inuaſorem. Fagundez *ſuprà, num.11.* Nota etiam, quod licet plurium ſententia ſit,

poſſe

Digitized by Google

poſſe in caſibus relatis ioo aſum occidere inuaſorem, etiamſi talis inuaſor credatur eſſe in peccato mortali. Cornejo *ſuprà*, §. *Quæres* 2. ex Caietano, Soto, & aliis) conſuli tamen debet Religioſus, qui in ſtatu gratiæ eſſe conjecturaliter ſuſpicari poteſt, præſertim ſi vel per actu n contritionis ſe diſpoſitum credat, vt propter bonum charitatis potius ſe permittat interfici, quam ipſe occidat inuaſorem in peccato mortali exiſtentem. Toletus *ſuprà*, §. *Quartum eſt*. Fagundez *ſup. cap.6. num.* 10.

10 An etiam liceat occidere inuaſorem in defenſionem innocentis, maximè Eccleſiaſticis, & Religioſis, conſtat ex dictis ſupra *verb. Bellum*, *num.* 14. *&* 15. De caſibus in quibus propter homicidium incurritur irregularitas, & quis poſſit in ea diſpenſare, dicam verbo *Irregularitas*. Pro aliis autem pœnis homicidij, præter dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 44. vide Theſaur. *in praxi parte* 2. *verb. Homicidium.*

11 Eſt ad intentum huius materiæ reſolutio cuiuſdam dubij, de quodam presbytero, qui occidens hominem ob propriæ vitæ defenſionem, diſpenſationem petiit à Papa, quam ſolùm obtinuit ſuper Irregularitate quoad celebrationem in Ordinibus ſuſceptis, etiam Presbyteratu, non quoad beneficia.

RESPONSIO.

12 Iſtum non contraxiſſe vllam Irregularitatem in occiſione iniuſti aggreſſoris ſi ſeruauit moderamen inculpatæ tutelæ, id eſt, ſi alio modo non potuit ſe defendere, certa veritas eſt, quam tenui ſupra *num.* 9. *& verb. Irregularitas*, *num.* 65. & in meis Conſultis *conſult.* 29. *num.* 30. Tenent quoque innomeri ex recentioribus, ſpecialiter Eminentiſſimus Cardinalis Lugo *in Reſponſ. moral. dub.* 9. *num.* 4. *in fin. lib.* 2. Barboſa *in Clemens. Si furioſus*, *de homicid. & cap. Significaſti*, *il* 2. *eodem tit. & in tract. de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.* 39. *num.* 56. Bonacina *de irregularit. diſp.* 7. *quaſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 1. Totteblanc. *in prælecab. iur. ſpirit. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 63. Theſaurus *in praxi Eccleſ. part.* 2. *in verb. homicidium*, *cap.* 1. §. *homicidium priuatum neceſſarium*, Bordonus *var. reſolut. de diſpenſ. homicid. reſol.* 13. *num.* 6. Farinacius & alij infrà referendi.

13 Cuius ratio eſt, quia talis occiſio fuit licita, & omni iure permiſſa; ſiquidem iuxta textum *in l. vim*, *ff. de Iuſt. & iur.* quod quiſque in tutelam ſui corporis fecerit iure feciſſe exiſtimetur: & iuxta textum *in l. ſcientiam*, §. *Qui cùm aliter*, *ff. ad leg. Aquil.* qui cum aliter ſe tueri non poſſent damnum culpa dederunt, innoxij ſunt. Et iuxta *l. ſi quis percuſſorem*, *C. ad leg. Cornel. de ſicar.* defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur. Carere ergo debet pœna grauiſſima, qualis eſt irregularitas; cum ea quæ contrahitur propter homicidium, ſemper, iuxta communem DD. præſupponat peccatum.

14 Fuiſſe autem omni iure licitam talem occiſionem, adeo vt pulchrè dixerit Iuriſta Salomon ex Cicerone pro Milone, *gladium ad occidendum hominem ab ipſis legibus porrigi ſe defendentibus*, conſtat quia primò fuit conformis iuri naturali, quod præſcribit, *vim vi repellere licet*, vt notant DD. *in d. l. vim vi*, vbi maximè id probat Bald. *num.* 1. quia omnia per quæ vita hominis conſeruatur, & eius contraria repelluntur, ſunt de iure naturali. Propterea enim *l.* 1. §. *vim vi*, *ff. de vi & vi arm.* dicitur quod hoc ius *natura comparatur.*

15 Deinde omnibus aliis Iuribus & legibus, vt conſtat *ex cap. Dilecto*, *in princip. de ſent. excommunic. in* 6. in illis verbis: *Præterea cùm omnes leges*, *omniaque iura vim vi repellere*, *cunctiſque ſeſe defenſare permittant.* Item ex textu *in l. ſcientiam*, §. *Qui cùm aliter*, *ff. ad leg. Aquil.* dum ibi dicitur: *Vim enim vi defendere omnes leges*, *omniaque iura permittunt.* Et *ex cap. Significaſti*, *il* 2. *in fin. de homicid.* illis: *Quamuis vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant.*

16 Hinc ex iure etiam diuino talis occiſio ob neceſſariam defenſionem robur accipit, prout ex quampluribus Doctoribus comprobat Farinacius *in Praxi crim. part.* 4. *de homicid. quaſt.* 125. *num.* 11. propterea concludens in ſequentibus non ſolum ſtatuto aut conſuetudine, Principe aut Imperatore, ſed etiam neque à 17 Papa tolli poſſe, & quod occiſio aggreſſoris pro ſui defenſione liceat etiam in foro conſcientiæ, & ſine vllo peccato, quibuſcumque perſonis etiam Clericis & religioſis ſine vllo periculo irregularitatis. Adeo vt *num.* 19. quaſi per exagerationem dicat ex Doctoribus multis: *Si Presbyter celebrando Miſſam fuerit ab aliquo armis inſultatus*, *poterit tunc aggreſſorem occidere*, *ac deinde non obſtante homicidio*, *redire ad inchoatam Miſſæ celebrationem perficiendam.*

18 Iure quoque Eccleſiaſtico propter clarum textum *in Clement. Si furioſus*, quæ eſt vnica *de homicid.* & ex Concil. Viennenſi deſumpta, vbi concorditer DD. præſertim Couarruuias *part.* 3. §. 1. *num.* 1. Nauar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 207. *&* 211. Maiolus *de irregular. lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 6. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quaſt.* 1. *art.* 8. Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnali*, *cap.* 4. Summiſtæ *verb. Homicidium*, Caietanus *in* 2. 2. *quaſt.* 64. *art.* 7. Medina *lib.* 1. *Inſtruct. Confeſſ. cap.* 11. §. 10. Suarez *de Cenſur. diſput.* 46. *ſect.* 1. *num.* 1. *& ſeq.* Auila *in eod. tract. de Cenſur. part.* 7. *diſput.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 1. Graſſius *lib.* 2. *deciſ. cap.* 65. *num.* 1. Sayrus *de Cenſur. lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 1. vbi aliis relatis, teſtatur hanc eſſe communem omnium recentiorum ſententiam.

19 Quæ etiam ampliatur prout *verb. Irregularitas*, *num.* 68. dixi, etiamſi caſu dato occiderit ſuum inuaſorem ex odio, ira, aut mala voluntate, prout tenent Molina & Cornejo, quos eo loco retuli, Sayrus *ſupra num.* 12. poſt Couarruuiam, Henriquez, & Petrum Nauarra, Leſſius *de Iuſt. & Iur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 15. *num.* 106. Hurtado *de Irregul. diſp.* 2. *diffic.* 10. *num.* 36. Bonacina & Torreblanc. locis citatis, & alij quamplures ex eo fundamento, quod licet praua illa intentio & affectus ſit peccaminoſa, nihilominus actio ipſa externa, poſito quod alio modo non potuit ſe defendere, licita fuit, & permiſſa omni iure, vt dictum eſt; ac per conſequens ſuper illam non cadet hæc irregularitas, quæ ſolum conſurgit ex facto externo iniuſto.

20 Nec obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de reformat. cap.* 7. dicens: *Si verè homicidium non ex propoſito*, *ſed caſu*, *vel vim vi repellendo*, *vt quis ſe à morte defenderet*, *fuiſſe commiſſum narretur*, *quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum & altaris miniſterium & beneficia quæcunque ac dignitates*, *iure quodammodo diſpenſatio debeatur*, *committatur loci Ordinario*, *aut ex cauſa Metropolitano*, *ſeu viciniori Epiſcopo*, *qui non niſi cauſa cognita*, *& probatis precibus ac narratis*, *nec aliter diſpenſare poſſit.* Etenim Concilium intelligi debet non 21 de homicidio facto ad neceſſariam defenſionem & ſine culpa, prout in præſenti, ſed de homicidio patrato cum aliqua culpa & exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, vt bene Nauarrus *conſ.* 36. *tit. de homicid.* Auila *tractat. de Cenſur. Eccleſiaſt. part.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 1. Suarez *de cenſur. diſp.* 46. *ſect.* 1. *num.* 3. vbi propterea reprobat Maiolum contrarium dicentem. Quod & idem apertè etiam ſcripſit Sayrus *ſup. num.* 10. vbi ait ita de anno 1588. prima Octobris declaraſſe S. Congregationem. Hæc autem expoſitio clarè colligi vide- 22 tur ex ipſomet Concilio. Cum enim eodem modo loquatur de homicidio prædicto & de caſuali, planè loqui videtur vbi quis moderamen exceſſerit, & in aliqua culpa fuit. Conſtat enim homicidium caſuale, ſi nullam omnino culpam latam, aut leuem contineat, non inducere irregularitatem, & ita cùm eodem modo de

de vtroqua loquanir Concilium, conſequens eſſe videtur, vt accipiendum ſit, vbi quis debitum moderamen in ſui defenſione non ſeruauerit. Saytus *ſuprà*;
23 cum quo etiam ſecundò reſponderi poteſt Concilium loqui de irregularitate quoad forum exterius, quando ſcilicet dubitatur, an inuaſus modum inculpatæ tutelæ eaceſſerit, & ita de homicidio ab aliquo accuſatur, tunc enim cauſa committi debet *Ordinario*, aut *Metropolitano*, vel *viciniori Epiſcopo*, vi ait Concilium.

24 Cum igitur is, de quo in præſenti, non eaceſſerit modum inculpatæ tutelæ, quia erat in tali & tam ineuitabili neceſſitate conſtitutus, vt neque clamando, neque fugiendo, neque alio modo, niſi interficiendo ſui aggreſſorem poſſet mortem euitare, in quo conſiſtit moderamen inculpatæ tutelæ, iuxta communem DD. nec adſit accuſator, aut contradictor, qui oppoſitum vel leuiter probet, aut probare poſſit, omnino & in vtroque foro exiſtimari debet ab irregularitate
25 immunis. Ad accuſatorem autem, ſeu contradictorem vel actorem ſpectare probara exceſſum immoderatæ tutelæ, rectè dicunt Hondedeus *conſ.99. num.14. & 15.* Viuianus *deciſ. 458.num.8.* Bernardus Græueus *lib.2. concl.110. conſid.2. num.9.* & ea Ipſis Barboſa *in Collect. DD.ad cap.ſignificaſti 2.de homicid.num.24.*

26 Caſu porro dato, nec conceſſo, quod in ſe defendendo aliqualiter modum inculpatæ tetelæ exceſſiſſet, adhuc tamen non debere cenſeri irregularem, niſi ex dolo aut ax propoſito id feciſſet, ex Gloſſa *in d.cap. ſignificaſti 2. de homicid.* & Farinacio *de homicid. q. 125. num.418.* elicitur. Dolum autem aut propoſitum non interueniſſe, in dubio præſumi debet, prout ex Iaſone, Salyceto, Marſilio, & aliis probat idem Farinacius *num.416.* & colligitur ea facto nun ex interuallo, ſed in continenti. Gloſſa relata, Buttius, Felinus, Imola, & plures alij, quos affert & ſequitur idem Farinacius *num.417. & 418.*

27 Imo caſu quo iſti reo prætenſo onus incumberet probandi ſe ad ſui neceſſariam defenſionem aggreſſorem occidiſſe, neceſſarium non eſt illi probare in ſpecie iſtam neceſſitatem defenſionis, ſed ſatis eſt, quod probat ſimpliciter, quod id fecit ad ſui defenſionem. Ita egregius Doctor Iulius Clarus *lib.5.de ſentent.§ homicidium, verſ.ſed quomodo probatur.* & ante eum Bald. *in l.ſolam, poſt num.11. Cod.de teſtib.* & ita communiter teneri eſſe communem ſententiam refert ea Decio
28 & Carrerio. Addit idem Clarus ſe putare ab hac ſententia *non eſſe in practica recedendum.* Et quod ad id probandum *ſufficit probare quod eius aduerſarius veniebat armatus contra ipſum*: quia vt inferiùs inquit, *eſt iuſta cauſa timoris quod veniat animo percutiendi.* Quæ cum ad amuſſim caſui præſenti adaptentur, ſatis probant in fauorem prætenſi rei.

Eo quoque quòd in dubio ipſi ſit credendum, vt
29 rectè diait Gloſſa *in d.Clem. ſi furioſus, verb.non valens,* quam ſequitur Vitalinus *ibid. num.36.* referens etiam Gulielmum huius rei rationem aſſignantem, *quia ſcilicet hic agitur de actu ſuo intrinſeco, ſcilicet an timuerit*
30 *vel non.* Quamuis enim ſolum loquantur pro foro conſcientiæ, idem quoque dicendùm pro foro externo ſatis ſuadetur, ex eo quod externum & internum forum parificari debent, *argum. cap. Vt animarum, de conſtit. in 6.cap. vnic. de Iureiur.eod. & cap.2. de ſepult.in 6.* & tradunt ex DD. innumeri, præſertim Sotus 4. *de Iuſt. quæſt.5. art.3. verb. Quartò arguitur*, Couarruuias *cap. Cum eſſes, num.7. de teſtament.* Saytus *in Clau.reg.lib.1. cap.13.num.24.* Ledeſma *2.part.4.quæſt.18.art.1.dub.12.* Sanchez *lib.1.de matrimon. diſp.5.num.20.*

31 Si porro dicatur id intelligendum quando præſumptio non adeſt in contrarium, potius retorquetur argumentum ea eo quod nulla adeſt in præſenti talis præſumptio. Imo contraria, cum agatur de ſacerdote de quo omnia iura bene præſumunt: ſicut & malè de aggreſſoribus, quia erant ex numero illorum de quibus dicitur:

Nulla fides pietaſve viris qui caſtra ſequuntur.

Maximè cum iuramento ipſius. Quia aſſertioni alicu- 32
lus iuratæ in bis quæ ab eius animo pendent, ſiue affirmanti, ſiue neganti credi debet. Vt per Couarruu. Hippol. Menoch. Herculan. Alciat. & plures alios apud Sanctarell. *variar. reſol. quæſt.48. num. 11.* comprobat Barboſa *in collect. DD.ad d.cap. ſignificaſti, il 2. de homicid. num.4.* Etiamſi ſimus in criminalibus, quando 33
pro iurante adeſt aliqua præſumptio excluſiua doli, prout in præſenti adeſt. Menochius, Mancinus, Maſcardus, Seraphinus, & Tuſchus apud eundem Barboſam *ſuprà, num.5.* Cui etiam fauent aliquæ S. Rotæ deciſiones, quas ibi refert, & quia ſumus in cauſa poſ- 34
ſeſſorij, ſcilicet iurium, quæ competunt Sacerdoti, vt tali. In qua cauſa iuramentum in ſupplementum defertur. Prout ex Bartolo, Iaſone, Curtio, Decio, Alexandro, & multis aliis affert Farinacius *part.2. fragm. crimin. lit. I. num.1240.*

Nec vllo modo nocere poteſt ſacerdoti, quod ad 35
Papam recurrerit pro diſpenſatione. Hoc enim non probat ipſum contraxiſſe aliquam irregularitatem, ſed ad maiorem cautelam, & penitus tollendum dubium, ſeu ſcandalum id feciſſe, prout ſæpius S.Rota firmauit, præſertim in antiquis *de ſentent. excommun.* & in vna Placentina *beneficij*, coram Vbaldo *part.3. recent. deciſ.534.num.9. & tom.3.in nouis, deciſ.309.num.19.* Cardinal. *in cap. Perpendimus, ſub num.29. de ſentent. excommunic.* ac plurimi DD. eſtque familiariſſimum in Religionibus, quæ ſæpiſſime obtinent priuilegia à Sede Apoſtolica circa ea quæ aliàs ſibi de iure communi competunt, ad maiorem ſcilicet cautelam, & tollendum dubium, ſcandalum, &c. In quo etiam intrat vulgatum illud *Abundans cautela non nocet.*

Pariter nec nocet illi quod Vrbanus VIII. in Breui 36
de anno 1638. pro die 10. Decembris ad inſtantiam illius edito, conceſſit Epiſcopo Ferdonenſi, vt cum eodem diſpenſaret in ſuſceptis ſacris, & Presbyteratus Ordinibus, etiam quoad Altaris miniſterium, nulla mentione facta de diſpenſatione quoad obtinenda beneficia. Vnde elici videtur, ſaltem quoad obtinenda beneficia irregularem æſtimari debere. Cum enim, vt dictum eſt, nullam ea tali occiſione irregularitatem incurrerit, ea taciturnitate Papæ non poteſt colligi contrarium, cùm taciturnitas in rebus grauibus, oneroſis, & arduis explicandis nihil operetur, vt tradunt 37
Iuriſtæ *in l.qua dotis, ff. ſoluto matrimon.* & Canoniſtæ
in cap. Nonne, de præſumpt. Præſertim, quia nemo cen- 38
ſetur eligere viam per quam iudicium ſuum ſubuertatur, *l. 3. verſ. nec credendus, ff.de milit. teſtament. l.quoties 13. ff.de reb. dub. l.quoties, ff. de verb. obligat. cap. Abbate, iuncta Gloſſa, verb.potius, de verb. ſignificat.* Et nemo eligens vnum medium cenſetur alteri renunciare, Gloſſa *in leg. ſimiles, Cod.de milit.teſtam. in verb. Iudicio, & l. quia autem, ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtament.* & Bellamera *conſ.42.num.17.* Ea eo ergo quod iſte recurrerit ad Papam pro diſpenſatione, & eam limitatam duntaxat obtinuerit, nec ſibi nocere potuit, nec priuatur, quin poſſit alia via ſibi ſuccurrere, & vti iure ſuo.

Confeſſionem quoque ipſius circa occiſionem ſui 39
aggreſſoris, qua in ſupplicatione Sanctiſſimo facta faſſus eſt ſe illum interfeciſſe *propria ſua vita timens ad ſui defenſionem*, nihil ipſi nocere poſſe, pro comperto eſſe debet in S.Tribunali Rotæ, vbi de hac cauſa agitur. Quidquid enim de aliis Tribunalibus ſit, in Rota 40
tamen pro conſtanti doctrina habetur, quod confeſſio qualificata, qualis eſt iſta, non diuiditur, ſed vel tota acceptatur, vel tota rejicitur. Sic enim ſuppoſuerunt aliqui Domini Auditores apud Seraphinum *deciſ.197. num.2.* ex Abbate, Caſtrenſi & Boërio. Et Ruta coram

ram

Digitized by Google

ram D. Lugdunenſi *part.1. recent. deciſ.167. num.17.* ex Bartolo, Cyno, Alciato & aliis. Et alia coram Manzanedo *deciſ.518. n.4. in 2. p. recent.* Et alia coram eodem *deciſ.699. num.2. in 2. part. recent.* ex Boërio, & Menochio. Vbi etiam referuntur duæ aliæ Rotæ deciſiones ad intentum; altera coram Verallo *deciſ.191. num.2. part.1.* Et altera in vna Perusina *pecuniaria*, vigeſimo octauo Nouembris 1611. vel 1612. coram eodem Manzanedo, quæ extat *tom.3. recentior. deciſ.455. n.9.* vbi traditur eadem doctrina ex Boërio, Menochio & Verallo in deciſione relata. Item alia coram Merlino *deciſ.434. num.5. in 5. part. recent. tom.2.* ex Cyno, Bartolo & aliis, aliaque Rotæ deciſione iam relata. Alia quoque coram eodem Merlino, quæ eſt deciſio 442. *ead. 5. part. tom.2. num.2.* Similiter Rota coram Vbaldo *deciſ.195. num.5. in 4. part. recent. tom.2.* ex DD. & aliis Rotæ deciſionibus. Præterea in vna coram Pena inter deciſiones ipſius 76. *num.23.* pro communiter recepto dicitur quod confeſſio qualificata non poſſit pro parte acceptari, & pro parte reſpui. Et in alia coram eodem *deciſ.472. num.3. 4. & 5.* expreſſe habetur, quod confeſſio accipi debet cum ſuis qualitatibus. Vbi etiam *num.2. & 5.* ſatis ad intentum noſtrum, quod confeſſio qualificata in dubio intelligenda eſt ad fauorem confitentis, vt excuſetur à delicto. Et *num.7.* id probatur (valde etiam ad propoſitum) quia contra qualitatem confeſſionis non aderat aliqua probatio, nec iuris præſumptio. Cum igitur iſte de quo agitur in præſenti, confeſſionem qualificatam de occiſione hominis fecerit, fatendo ſcilicet eum occidiſſe, ſed cum hac qualitate, *iure defenſionis*, indiuiſibiliter acceptari debet, & ita immunis ab omni irregularitate declarari.

41 Nec terreat S. Rotam multitudo DD. qui tenent quod confeſſio qualificata poteſt ſcindi, & ſecundum vnam partem acceptari, & ſecundum aliam reſpui, ac proinde quod in præſenti confeſſio iſtius acceptari poſſit pro occiſione hominis, non pro titulo defenſionis. Plura enim ſuppetent propter quæ id fieri non debeat in præſenti. Primò quidem, præter dicta, propter praxim & ſtylum eiuſdem S. Rotæ oppoſitam ſententiam toties, vt viſum eſt, ſectantis. Et meritò quidem, quia eſt etiam quamplurium & grauiſſimorum DD.
42 quos refert Farinacius *in prax. quæſt.81. cap.4. num.112.* ex quibus plures loquuntur in terminis huius caſus, de occiſione videlicet hominis pro defenſione. Ex quibus Tiraquellus *de pæn. temperand. cauſ.27. poſt numerum 7.* dicam ſibi videri ait contrariam ſententiam, quando aliunde non conſtat de probatione delicti, quod in hoc caſu contingit. Et Maſcardus *de probat. concl.867.*
43 *num.3. & 14.* vbi habet quod homicidium in dubio non doloſe, ſed ad defenſionem factum præſumitur, & ita qualitas in confeſſione adiecta habet præſumptionem pro ſe. Hoc autem homicidium non fuiſſe commiſſum doloſe, præter adducta, etiam id probant ex eo quod confeſſio illius fuerit ſpontanea, & vltronea. Franciſcus Becc. *conſ.96. num.15.* Bertazol. *conſ.193.*
44 *num.14.* Farinac. *ſupra, num.180.* ex his & aliis. Secundò, quia ſententia affirmans poſſe ſcindi dictam confeſſionem qualificatam, loquitur in iis quæ contra ſe habent iuris præſumptionem, prout ex pluribus DD. illam limitat Farinacius *ſuprà, num.149.* & bene
45 Buccaron *differ.40. num.6. & differ.121.* quam abeſſe in hoc caſu ex dictis ſatis elicitur. Tertiò, quia loquitur de confeſſione iudiciali & externa, facta præſertim coram Iudice vt tali, prout ex Authoribus ipſius
46 cerni licet: confeſſio autem de qua in caſu, ſolum eſt facta in foro veluti pœnitentiali, & interno animæ, & coram Papa, vt Patre, quæ proinde præiudicare non debet, prout ex multis cumulatis per Mancin. *de confeſſ. cap.2. num.49. & cap.3. num.41. & cap.7. num.31.* Vnde iure haberi, & æſtimari debet ſicut confeſſio ſponte comparentium coram S. Tribunali S. Officii: ſic enim omnino & totaliter creduntur, etiam quoad qualitatem delicti, prout ex praxi eiuſdem S. Tribunalis conſtat. Quartò, quod ea ſententia præſertim loquitur de confeſſione facta in iudicio criminali, non in ciuili, prout in præſenti. Quo caſu non ſufficit ad condemnandum, etiam quod tangat crimen. Felinus *cap.1. num.14. & 16. de except.* Boſſius *in tit. quom. proc. per except. num. 8.* poſt Felinum, Abbatem, & Salycetum.

HORÆ CANONICÆ.

De illis plura dixi *tom.1. part.1. cap.12.* & aliqua ſuprà verbo *Breuiarium*, plura quoque dicam tom.4. verbo *Officium diuinum*, & propterea nunc ſuperſedendum.

HOSPITALARII REGVLARES.

De illis ſcripſi ad ſufficientiam *tom.1. part.2. cap.6.* & ideo pro nunc omittendi.

IEIVNIVM.

SVMMARIVM.

1 *Aliqua ſpectantia ad hanc materiam remiſſiuè.*
2 *Ieiunij definitio.*
3 *Ritus ab Eccleſia pro ieiunio requiſitus qualis.*
4 *Vnam ſolum petit refectionem.*
De ientaculo, ſiu refectiuncula. ibid.
5 *Refectio quo diei tempore facienda.*
6 *Quando obligat præceptum ieiunij.*
Quid de ieiunio Regulæ, vel Conſtitutionum Regularium. ibid.
7 *An Regulares teneantur ad ieiunia indicta per Synodos, vota, ſeu promiſſiones populorum.*
8 *Qui excuſentur à ieiunio Eccleſiaſtico.*
9 *De priuilegiis Regularium quoad hoc.*
10 *Diſpenſatio legitima excuſat à ieiunio.*
Qui poſſint diſpenſare. ibid.
11 *An diſpenſatus ad eſum carnium, vel lacticiniorum diſpenſetur in ieiunio.*
12 *Quid dicendum de ieiuniis ex voto, iuramento, vel pœnitentia.*
13 *Regulares an poſſint denunciare in ſuis Eccleſiis ieiunia.*

De Ieiunio, quatenus ad Regulares ſpectat, 1
dixi *tom.1. part.1. cap.7. num.26.* ad ieiunia Regulæ teneri iuuenes Religioſos, etiam ante vigeſimumprimum annum. Quanta porrò ſit hæc obligatio, petendum eſt ex iis, quæ dixi *eo cap.7.* præſertim à *num.11.* Qualiter etiam, aut quomodo teneantur Regulares ad obſeruanda ieiunia indicta in Conſtitutionibus Synodalibus, vel promiſſa à populis, dixi eo *tom.1. part.1. cap.11. num.13.* Similiter de ieiunio requiſito ante Euchariſtiæ ſumptionem, dixi ſuprà verbo *Euchariſtia*, *à num.16.* Nunc alia addenda pro maiori luce huius materiæ, præſertim prout ad eoſdem Regulares propriùs ſpectare videbitur.

Eſt autem ieiunium (iuxta Panormitan. *in rubric. de* 2
obſeruant. ieiun. relatum à Syluestro *in Summa, verb. Ieiunium, num.1.*) ſic dictum à quodam inteſtino ſic vocato, eo quod vt in plurimum vacuum ſit, & exinanitum. Eſt verò triplex, ſcilicet metaphoricum, vel Spirituale, naturale, & Eccleſiaſticum. Metaphoricum, & Spirituale eſt idem, quod abſtinentia à vitiis, & peccatis. Naturale eſt abſtinentia à quocumque cibo, & potu, etiam per modum medicinæ, de quo dixi ſupra *verb. Euchariſtia.* Eccleſiaſticum verò, de quo in præſenti

præſenti eſt *abſtinentia voluntaria à cibo, iuxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem.* Bellarminus *tom. 1. lib. 2. de bonis operibus.* Toletus *in Summa, lib. 6. cap. 5.* Dicitur *abſtinentia voluntaria*, non ſolùm quia eſt actus virtutis, qui debet eſſe liber, & voluntarius, ſed etiam quia ad ſatisfaciendum præcepto ieiunij requiritur voluntas, ſeu intentio ſaltem implicita illi ſatisfaciendi. Toletus *ſuprà, num. 3.* Bonacina *de præcept. Eccleſ. diſp. 7. quæſt. 1. punct. 1. num. 5.* Dicitur *à cibo*, quia potus aquæ, vel etiam vini, non frangit ieiunium. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 147. art. 6. ad 2.* Caietanus *ibid.* Quod intellige, etiamſi vinum ſumatur, vt dicitur, in fraudem ieiunij, idest ad ſedandam ſtomachi inediam, & famem. Ratio eſt, quia lex non attendit intentionem obſeruantis, ſed ipſum actum: cùm ergo hic actus, ſcilicet vinum bibere, non ſit contra præceptum ieiunij, intentio illa non faciet ipſum eſſe contra præceptum. Nauarrus *in Manual. cap. 21. numero 13.* Sanchez *tom. 2. conſil. Moral. lib. 5. cap. 1. dub. 23.* Potus autem lactis, & iuris, aut ſimilium, ieiunium frangit, quia huiuſmodi liquida ſunt verè cibus. Toletus, & Sanchez *ſup.* Idem videtur dicendum de potu vulgo *Chocolate.* Licet aliqui apud Dianam *4. part. tract. 4. Miſcellan. reſolut. 194.* oppoſitum exiſtiment pro Hiſpania, vbi pro potu vſuali aliquando ſumitur. Dicitur etiam *à cibo*, quia ea, quæ ſumuntur per modum medicinæ, etiamſi aliàs nutriant, non frangunt ieiunium. Nauarrus, & Toletus *ſuprà.* Dicitur *iuxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptæ conſuetudinis:* tum quia de ieiunio datur præceptum Eccleſiæ, *cap. non liceat, & cap. non oportet, & cap. Placuit, de conſecrat. diſt. 3. & cap. Quadrageſima, de conſecrat. diſt. 5.* Ita approbante toto populo Chriſtiano (Nauarrus *ſuprà, num. 11.* Sanchez *ſup. dub. 1.*) tum quia in ieiunio Eccleſiaſtico ſeruari debet ritus ab Eccleſia, & conſuetudine introductus. Toletus *ſuprà*, Bonacina *ſup. num. 6.*

3 Conſiſtit autem hic ritus ab Eccleſia, & conſuetudine in ieiunio introductus, primò in eo, quod abſtineamus à quibuſdam cibis, ſcilicet carnibus, ouis, & lacticiniis in ieiuniis quadrageſimalibus, in aliis verò diebus ieiuniorum, iure communi, carnibus quidem neceſſariò, ouis verò, & lacticiniis, iuxta Regionis, & Patriæ conſuetudinem. Vbi verò non eſt talis conſuetudo pro vna, vel altera parte, prout contingere poteſt in Indiis, & locis nouiter conuerſis ad fidem, licitè poſſet introduci, quod in ieiuniis extra quadrageſimam edantur oua & lacticinia. Ratio primæ partis, quæ eſt de ieiuniis quadrageſimalibus, ſumitur ex *cap. Denique, diſt. 4.* & ex Synodo Conſtantinopolitana in Trullo celebrata *can. 56.* S. Thom. 2. 2. *quæſt. 147. art. 8. ad 3.* Syluester *in Summ. verb. Ieiunium, num. 15.* Azor *tom. 1. inſtit. Moral. lib. 7. cap. 10. quæſt. 1.* Ratio ſecundæ, quæ eſt de aliis diebus ieiuniorum extra Quadrageſimam, ſumitur etiam ex eodem *cap. deniq.* vbi ſolùm pro diebus Quadrageſimæ exigitur abſtinentia à carnibus, ouis, & lacticiniis. S. Thom. Syluester, & Azor. relati. Ratio verò tertiæ, quæ eſt de locis vbi non eſt aliqua conſuetudo, ſumitur ex eo, quod cùm hæc prohibitio in ieiuniis extra Quadrageſimam fundetur in conſuetudine, ſanè vbi talis conſuetudo non erit, poterunt fideles ieiunare edendo oua, & lacticinia. Syluester *ſup.* Nauarrus *ſup. num. 15.* Toletus *ſup. cap. 2. num. 2.* Sanchez *ſup. dub. 20.* Nota autem primò, quod per ieiunia Quadrageſimalia, in quibus dixi prohiberi eſum carnium, ouorum, & lacticiniorum, intelliguntur etiam Dominicæ Quadrageſimæ, prout colligitur *ex d. cap. denique, & cap. Quadrageſima, & c. 56.* ſextæ Synodi relatis, accedente vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine. Caietanus 2. 2. *quæſt. 147. art. 6. & 8.* Corduba *in Summ. quæſt. 168.* Sanchez *ſup. dub. 19.* Nota ſecundò, hæc omnia intelligi debere ſecluſo priuilegio Bullæ Cruciatæ, quale autem ſit id priuilegium quoad iſta, dixi ſuprà *verb. Bulla Cruciata, num. 56.*

4 Secundò conſiſtit ritus ieiunij Eccleſiaſtici in eo, quod in illo tantum vna refectio, ſeu comeſtio fiat. Ita enim Eccleſiæ conſuetudo obtinuit, eſto nullus textus pro eo afferri poſſit. S. Thom. *ſupra, art. 6.* & Theologi communiter. Non tamen propterea tollitur quominus ſumi poſſit aliquid per modum medicinæ, iuxta dicta, vel in parua quantitate ratione officij, vt contingit in pincernis Principum ad faciendum credentiam, vel ratione vrbanitatis, vt ſi aliquis poſt prandium finitum inuitetur ab amico ad modicum cibi guſtandum, vel propter aliquas cauſas ſimiles honeſtas, de quibus Sanchez *ſuprà, dub. 22.* Bonac. *ſuprà, punct. 3. num. 4.* & Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 7.* Similiter nec tollitur quominus ſi aliquis ob aliquod negotium prandium interrupit, poſſit, abſoluto negotio, aliqua etiam mora temporis prudentis arbitrio iudicanda interiecta, prandium perficere, ſi animo continuandi illud diſceſſit. Talis enim intentio facit, quod duplex illa refectio cenſeatur moraliter vna. Caietanus *verb. Ieiunium*, Azor. *ſuprà, cap. 9. quæſt. 1.* Layman. *ſup. num. 6.* Similiter nec tollitur ientaculum, ſeu refectiuncula nocturna, vulgo *Collatio.* Ita enim conſuetudine ferè vniuerſali introductum eſt. Caietanus, Azor. & alij communiter. Quamuis autem circa quantitatem, vel qualitatem cibi, quod edi poteſt in hac refectiuncula, varietas ſit opinionum, & aliquæ tam laxæ, vt verendum ſit ne ieiunium Eccleſiaſticum vel omnino de medio tollant, vel rem de ſolo nomine faciant, ea tamen amplectenda eſt, vt in hac re attendi debeat ad conſuetudinem legitimam inter probos, & timoratos Regionum. Cum enim hæc refectiuncula conſuetudine introducta ſit, conſuetudine etiam (qualis eſt ea, quæ reperitur non inter parum timoratos, quia hæc potius eſt corruptela, ſeu abuſus, ſed inter probos, & timoratos,) quoad modum menſurari debet. Toletus *ſup. cap. 2. num. 4.* Bonacina *ſup. num. 2.* Credo tamen regulariter loquendo non debere in ea excedi in quantitate tres, aut quatuor vncias, nec in qualitate eſſe ex alio cibo, quàm ex pane, fructibus, herbis, oleribus; talis enim eſt vſus inter Regulares, & morigeratos. Vſus autem Hiſpaniæ, quod in peruigilio Natiuitatis Domini prius ſolito collatio fiat, ex fructibus, electuariis, licet à Nauar. *ſuprà numero 14.* reprobetur, approbatur tamen à viris doctiſſimis, ſpecialiter Medin. *lib. 1. Summa, cap. 14. §. 10.* Sanchez *ſuprà, dub. 26.* ex aliis.

5 Tertiò conſiſtit ritus ieiunij Eccleſiaſtici in eo, quod illa vnica refectio, quam dixi de ſubſtantia ipſius, fiat tempore Eccleſiæ conſuetudine determinato, ſcilicet circa meridiem, eſto antiquitus tribus horis poſt meridiem fieret, *cap. ſolent, de conſecrat. diſt. 1.* Ita vt aliter ſine cauſa rationabili facientes peccent. Syluester *in Summ. verb. Ieiunium, num. 12. & 13.* Nauarrus *ſuprà, num. 17.* Licet autem aliqui dicant hoc peccatum eſſe mortale (Sanchez *ſupra, dub. 28.* plures referens) credo tamen non eſſe niſi veniale. Toletus *ſup. num. 5.* Bonacina *ſup. punct. 4.* poſt Leſſium, & alios. Id certius, quod cauſa rationabili ſubſiſtente, puta itineris faciendi, vel alia pia cauſa, nullum ſit peccatum anticipare hoc tempus, quia hoc modo, & non alio intellecta eſt obligatio huius præcepti. Caietanus 2. 2. *quæſt. 147. art. 7.* Nauarrus, & Toletus *ſuprà.* Idem dicendum, ſi ex rationabili etiam cauſa, puta ſtudij, itineris, &c. collatio nocturna fiat manè, & prandium nocte, propter eandem rationem. Toletus *ſup.* Sà *in Summa, verb. Ieiunium, num. 8.*

6 Obligat hoc præceptum Ieiunij Eccleſiaſtici omnes, & ſingulos fideles annum vigeſimum primum complentes, iuxta dicta ſupra *verb. Ætas, num. 8. & verb. Annus, num. 9.* Ratio eſt, quia etſi ante illam ætatem

obligari

obligari poſſint fideles ad ieiunandum. Primò, ratione voti, ſi illud emiſerunt. Secundò, ratione pœnitentiæ ipſis impoſitæ, ſi à Confeſſario imponatur. Tertiò ratione Regulæ, ſi Regulares fuerint, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.7. num.*26. & ſuprà *verb. Ætas, num.*8. relato; imò etiam pro ſalute ſpirituali, ratione præcepti naturalis, & diuini, ſi ita neceſſarium fuerit ad reprimendas carnis tentationes, vel etiam pro ſalute corporali, ſi ita etiam neceſſarium ad illam fuerit (Toletus *ſup. cap.*3.) præcepto tamen Eccleſiaſtico ieiunij nullus obligatur ante dictum annum vigeſimumprimum expletum. Ita enim habetur ex generali Eccleſiæ conſuetudine communiter recepta. S.Thom. 2.2. *quaſt.*147. *art.*4. *ad* 3. Caiet. & alij Expoſitores *ibid.* Qualiter autem Regulares poſſint ex vi Regulæ obligari ad ieiunia etiam Eccleſiaſtica, dixi *verb. Ætas, num.*8. relato. Vbi etiam & *verb. Annus, num.*9. relato, quid dicendum ſi aliquis expleat dictum vigeſimumprimum annum ipſo die Ieiunij. Ex quo ſequitur, quod ſi aliquis adimplet dictum vigeſimumprimum annum in dimidio Quadrageſimæ, tenetur ieiunare illam meditatem, vel illud, quod illi ſuperſit, etiamſi vnus tantùm dies ſit, quia præceptum hoc eſt de ſingulis diebus poſt illum annum vigeſimumprimum expletum. Sanchez *ſuprà, dub.*2. Qui etiam addit ex Angles, & aliis, nec obligari fideles ante vigeſimumprimum annum expletum ad ieiunia inſtituta per Synodalia præcepta, aut ex voto Ciuitatis, quia illa vincula non habent maiorem vim, quàm præceptum generale Eccleſiæ.

7 Specialiter pro Regularibus notandum, quod licet iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.*11. *num.*13. illi teneantur ad ieiunia indicta per Conſtitutiones Synodales, vel per vota, ſeu promiſſiones populorum, in quibus ſunt, propter rationem ibi, & ſuprà *verb. Feſti dies quoad Regulares*, aſſignatam, & iuxta modum obligationis ibi præſcriptum, quod idem dico de ieiuniis introductis per conſuetudines generales dictorum populorum, propter eandem rationem, & quia conſuetudo generalis omnes generaliter obligat (Azor. *tom.1. Inſtitut. Moral. lib.*7. *cap.*19. *quaſt.*2. Bonacina *ſup. punct.*6. *num.*5. Fagundez *in* 4. *pracep. Eccleſ. lib.*1. *cap.*7. *num.*3. Nouarius *in Lucerna Regularium, verb. ieiunium, num.*2. & 3. ex aliis,) Ieiuniis tamen introductis per conſuetudines non generales, ſed tantum particulares populorum, v. g. conſuetudines laicorum ſolum, vel ſolum Clericorum ſæcularium, non tenentur, quia cum ſint homines diuerſi ſtatus habentes diuerſos modos abſtinentiæ, non eſt cur conſuetudo vnius ſtatus obliget alium. Syluester *in Summ. verb. Ieiunium, quaſt.*1. Azor. & Bonacina relati.

8 Excuſantur autem à Ieiunij Eccleſiaſtici præcepto. Primò infirmi, vel valetudinarij, qui conſilio medici, vel Superioris non poſſunt abſque notabili damno ieiunare. Secundò ſenes, quibus inedia, vel vna tantum refectio notabilem afferunt virium debilitatem, quod aliis in ſexageſimo, aliis, & magis regulariter, in ſeptuageſimo, aliis etſi raro, quandoque vltra octuageſimum annum contingit. Siquidem pius Doctor Nauarrus *ſup. num.*16. teſtatur ſe octuageſimum annum agentem potuiſſe ieiunare. Tertiò, pauperes, qui non poſſunt habere ſimul vnum prandium ſufficiens ad ieiunandum pro ea die, qua illud habere non poſſunt. Quartò, laborantes corporaliter, quibus vna tantum refectio ſufficiens non eſt pro ſupportanda abſtinentia Ieiunij. Quintò, laborantes etiam ſpiritualiter, vt ſunt Concionatores in tota Quadrageſima, continui Confeſſarij, &c. De quibus omnibus Syluester *ſup. quaſt.*9. Caietan. *ſup.* & *in Sum. verb. Ieiunium.* Nauarrus *ſup. a num.*16. Toletus *ſup. cap.*4. & Diana *part.*1. *tract.*9. [Cæterum in gratiam ſenum notanda eſt doctrina quam afferunt Angles *in floribus de ieiunio, quaſt.*6. *dub.*6. Sanchez *ſup. dub.*40 *num.*7. quam etiam dicit eſſe quorundam recentiorum, & eam ſequitur Purtellus *in reſponſionib. moral. tom.*2. *caſu* 98. Quod ſi ſenes in ætate in qua regulariter vna tantùm refectio notabilem affert virium debilitatem, quam ego credo, vt dixi eſſe 70. annorum, haberent nihilominus talem, tamque robuſtam complexionem, vt ieiunium nihil eis noceret, probabile eſſet adhuc non teneri lege ieiunij. Ratio eſt à ſimili de obligatione puerorum ad ieiunium dumtaxat pro 21. anno, etiam dato quod ante illam ætatem habeant perfectum robur, & vires ad ieiunium.]

Specialiter pro Regularibus aliquod impedimentum habentibus ad ieiunandum, extant plura priuilegia apud Caſſarubium *in Comp. priuileg. Mendic. verb. Ieiunium*, & Rodr. *tom.*2. *quaſt. Regul. quaſt.*100. *art.*2. & 3. quæ omitto, quia partim ſunt ius commune, & ita nullam gratiam nouam concedunt; partim verò viuæ vocis oracula, quæ hoc tempore, iuxta ſæpius dicta inualida ſunt, niſi de nouo confirmentur. 9

Excuſantur etiam à præcepto Ieiunij, illi cum quibus legitimè diſpenſatum eſt ab authoritatem habente, cum hoc præceptum ſit humanum, ac per conſequens diſpenſabile. Vnde Papa pro tota Eccleſia diſpenſare poteſt, cum ipſe ſit ſupra ius Eccleſiaſticum. Caietanus *dict. art.*4. Nauarrus *ſup. num.*21. Epiſcopus etiam in ſua Diœceſi diſpenſare poteſt cum vno, vel altero, quia non eſt credibile Summum Pontificem velle, quod pro vnoquoque caſu in particulari occurrenti ipſius diſpenſatio expectaretur. Sotus *lib.*1. *de iuſtit. quaſt. vltim. art. vltim.* Nauarrus *ſuprà.* Idem dicunt plures de Parochis, quod ſaltem eſt admittendum, quando Epiſcopus abeſt, & ſit conſuetudo ſic faciendi. Caietanus *in Summa, verb. Ieiunium, cap.*3. *in fin.* Nauarrus *ſuprà.* Bonacina *ſuprà, punct. vltim. num.*17. Maximè id verum eſt de Prælatis Regularium, Generalibus ſcilicet, Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, &c. propter dicta *tom.1. part.1. cap.*18. *num.*55. De quo etiam Fagundez *in* 4. *Eccleſ. pracept. lib.*1. *cap.*9. *num.*5. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*2. *diſput.*12. *quaſt.*5. idem quoque dicendum de facultate præueniendi horam in die Ieiunij, comedendi carnes, oua, lacticinia, &c. propter eandem rationem. Sanchez *ſuprà, dub.*5. *concl.*10. ex Syluestro, & Caietano. Semper tamen ſequitur cauſa pro tali diſpenſatione, prout ſupponunt Authores relati. Ea autem ſubſiſtente, minus benè, & minus prudenter faciunt Prælati qui ſubditos recurrentes ad illos pro diſpenſatione nolunt eos conſolari, ſed remittunt illos ipſorum conſcientiis, Caietan. *d. art.*4. Nauarr. *ſup. num.*22. Caſu autem quo cauſa non videatur ſufficiens Prælato pro diſpenſatione, poteſt miſcere aliquam commutationem diſpenſationi, iniungendo ſcilicet aliquas orationes, vel pia opera, Sanchez *ſuprà concl.*13. ex Caietano, & Nauarr. relatis, qui etiam *dub.*6. agit de cauſis ſufficientibus ad hanc diſpenſationem. Declarare autem qualis cauſa ſit ſufficiens, vel dubia pro hac re, pertinet etiam ad medicum. Syluester *ſup. quaſt.*7. *in fin.* Sanchez *ſuprà, vlt. concl.* In caſibus autem, in quibus Prælati Regular. diſpenſare poſſunt in prædictis cum ſuis ſubditis, poſſunt etiam ſecum diſpenſare, ne peioris conditionis ſint, quàm ſubditi. Fagundez *ſup. num.*6. ex Syluestro, Soto, Azorio, & aliis. 10

Pro praxi autem huiuſmodi diſpenſationis nota primò, quod licet probabile ſit diſpenſatum ad edendum carnes non teneri ieiunare, quia abſtinentia à carnibus videtur eſſe de ſubſtantia ieiunij Eccleſiaſtici (Caietanus *ſup. art.*8. Henriquez *lib.*7. *de indulgent. cap.*13. Toletus *ſup. cap.*3. *num.*2. Sanchez *ſup. dub.*29. Diana *ſupra, reſolut.*25.) probabilius tamen eſt id ſolum eſſe verum, quando aliquis eſt diſpenſatus ad edendum carnes propter infirmitatem, vel debilitatem; 11

tunc enim conſequenter eſt diſpenſatus à ieiunio, quia eſt eadem ratio diſpenſationis, ſecus verò, quando eſt diſpenſatus ad eſum carnium ob damnum, quod recipit manducando piſces, tunc enim obligatur ad ieiunium, tum quia cum hoc priuilegium ſit contra ius commune ſtrictè explicandum eſt, tum quia cum præceptum Eccleſiæ in toto ſeruari non poteſt, ſaltem in parte ſeruari debet. Valentia 2. 2. *diſput.* 9. *quæſt.* 2. *punct.* 5. Leſſius *de iuſtit. & iure, lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 45. ad quem ſenſum reduci poſſunt plures auctores quos affert Victorellus *in additionibus ad Toletum*, loco relato. Diſpenſatus autem ad oua, & lacticinia, proculdubio tenetur ad ieiunium, cum conſtet ex dictis cum eſu ipſorum ſtare poſſe ieiunium. Toletus *dict. cap.* 3. *num.* 2. Naldus *in Summa, verb. Ieiunium, numero* 3. Secundò nota, quod licet ſecundum aliquos (Nauarrum *tom.* 1. *conſil. de obſeruat. ieiunij, conſil.* 5. Medinam *in Inſtruct. Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 14.) diſpenſati in diebus ieiuniorum ad manducandum carnes, oua, vel lacticina, non poſſunt illis diebus edere piſces, probabilius tamen eſt contrarium quando cum carnibus, ouis, & lacticiniis piſces non nocent, vel quia ex ſe ſunt boni, vel quia tam parum de ipſis editur, vt nocere non poſſint, vel quia ſolum eduntur ad excitandum appetitum. Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 5. Diana *ſuprà, reſolut.* 26. poſt plures alios, quos refert. Caſu etiam quo ſic diſpenſatis noceant piſces, peccabunt quidem contra temperantiam eis veſcentes, ſed non contra præceptum ieiunij, cum ſupponantur legitimè diſpenſati. Azor. & Diana poſt alios. Nota tertiò, quod licet diſpenſati in lacticiniis, aut ouis non cenſeantur diſpenſati in carnibus, quia maius quid eſt edere carnes, quam edere oua, & lacticinia (Toletus *ſup. cap.* 3. *num.* 2.) diſpenſati tamen ad oua, poſſunt comedere lacticinia, & diſpenſati ad lacticinia, poſſunt comedere oua, quia hæc omnia videntur eſſe eiuſdem rationis ad intentum. Azor. *ſuprà, quæſt.* 4. Medina *ſuprà*. Quamuis Bonacina *ſup. punct.* 2. *num.* 4. oppoſitum credat.

12 Quæ dicta ſunt de ieiunio Eccleſiaſtico, intelligenda etiam ſunt de ieiuniis ex voto, ſeu iuramento, vel ex pœnitentia iniuncta, niſi aliter ex intentione vouentis, aut iurantis, vel Confeſſarij habeatur. Ratio eſt, quia votum, iuramentum, ſeu pœnitentia iniuncta à Confeſſario ſunt quædam lex priuata, quam ipſemet vouens, vel iurans ſibi, vel quam Confeſſarius imponit ad inſtar legis Eccleſiaſticæ de eadem re, ergo per illam menſurari debet. Sotus *lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 2. *art.* 1. §. *Quæſtionis ſolutio*. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 11. *num.* 31. & 54. Ex quo collige ieiunia Religionum, ſiue ex Regula, ſiue ex Conſtitutionibus, aut conſuetudinibus inſtituta, intelligenda etiam eſſe ad inſtar ieiunij Eccleſiaſtici, niſi aliter ex lege ipſa, vel conſuetudine conſtet.

13 Poſſe Regulares ieiunia Eccleſiæ in ſuis Eccleſiis denunciare, conſtat ex declaratione Sacr. Congreg. relata *tom.* 1. *cap.* 12. *num* 41. & nouiſſimè refert Nouarius *in Lucerna Regularium, verb. Ieiunium, num.* 1.

ILLEGITIMI REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De illegitimis Regularibus, remiſſiuè.*
2 *Illegitimorum quot ſunt genera.*
3 *Filij profeſſorum illegitimi.*
4 *Quid de filiis Nouitiorum habentium votum ſimplex, aut Clericorum in minoribus.*
5 *Quid de filiis genitis ex Matrimonio clandeſtino.*
6 *Quid de genitis ex Sacerdote coniugato.*
7 *Illegitimi ſunt Irregulares.*
8 *Inhabiles ad dignitates, & prælatias Religionum.*
An ad gradus. ibid.
9 *Item ad quæcunque beneficia.*
10 *An ad habitum, & profeſſionem.*
11 *Quid de incapacitate ad bona ſuorum parentum.*
12 *An filij ex Matrimonio nullo ob impedimentum occultum, ſint illegitimi.*
13 *Quando illegitimi legitimentur per ſubſequens Matrimonium.*
14 *Quando ex diſpenſatione Papæ.*
An à Principe ſæculari. ibid.
15 *Quid de filiis expoſitis, an ſint illegitimi.*
16 *An in dubio aliquis habendus ſit vt legitimus.*
An in hoc credendum parentibus. ibid.
17 *Illegitimus factus profeſſus, an indigeat diſpenſatione.*
Quid ex priuilegiis Religionum. ibid.
18 *De diſpenſatione Regularium illegitimorum ad beneficia.*
19 *De legitimatione familiarium Regularium.*
20 *Alia remiſſiuè.*

DE Illegitimis Regularibus nonnulla dixi *ſuprà*, videlicet per Profeſſionem tolli eorum irregularitatem, quæ eſt ex defectu natalium, ad Ordines, non tamen ad dignitates, & officia, *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Item illegitimos non poſſe eligi in Prælatos, *ibid. cap.* 15. *num.* 25. & 38. & *cap.* 18. *num.* 7. & 8. A quo poſſunt diſpenſari, *eo cap.* 18. *num.* 60. 61. & 63. & *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 21. Quando cenſentur diſpenſati, *eo cap.* 18. *num.* 61. & 63. Quorum officiorum ſunt incapaces *ibid. num.* 62. & *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 50. *ac c.* 18. *num.* 34. An ſint capaces habitus, & Profeſſionis Regularis, *eo tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 24. *num.* 21. An illegitima eligi poſſit in Abbatiſſam, ſeu Priorilſſam, *eo tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 26. *num.* 6. Nunc alia addenda, vel pro materiæ complemento. 1

Illegitimi, id eſt, non ex legitimo Matrimonio nati, licet iure antiquo variè diſtinguerentur, erant enim alij naturales, alij ſpurij, alij nothi, alij manſeres, alij nefarij, alij adulterini, &c. hodie tamen, præſertim ex iure Canonico, & ad noſtrum intentum, in duo tantum genera diuiduntur, ſcilicet in naturales, & in ſpurios, vulgo *Baſtardos*. Naturales ſunt illi, qui geniti ſunt à parentibus, qui tempore conceptionis, vel natiuitatis matrimonio coniungi poterant; ſpurij verò è contra illi, qui geniti ſunt à parentibus, inter quos matrimonium dicto tempore eſſe non poterat, vt qui nati ſunt ex conſanguineis, vel aliàs coniunctis, Religioſis, ſeu promotis ad ſacros Ordines. Sanchez *tom.* 2. *conſil. Moral. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. Sanctarellus *variar. quæſt.* 22. *num.* 2. & 3. 2

Vnde infertur primò, quod ſi vterque coniux, vel alter ſolum poſt matrimonium ratum ritè contractum ante conſummationem illius ad Religionem tranſeat, & in ea profiteatur, ſi poſtea ſe cognoſcant, & filium generent, talis filius eſt ſpurius, quia per profeſſionem Matrimonium eſt diſſolutum, & amplius inter eos Matrimonium eſſe non poteſt. Sayrus *lib.* 6. *de Cenſur. cap.* 10. *num.* 40. Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.* 5. *de Irregularitat. diſput.* 15. *dub.* 1. Si autem prædicti tempore nouitiatus coniungantur, filij ex tali copula nati erunt legitimi, cum adhuc perſeueret Matrimonium validum parentum. 3

Infertur ſecundò, quod filij geniti ex Religioſo, vel Religioſa nouitiis intra annum probationis, ſi nullum aliud impedimentum adſit, ſunt naturales, quia eo tempore parentes contrahere poterant. Sanchez *ſuprà, dub.* 3. *concl.* 2. Vnde conſequenter per ſubſequens matrimonium legitimantur, iuxta dicenda inferius. Peirinis *tom.* 2. *de Prælato, quæſt.* 2. *cap.* 5. §. 9. *num.* 114. Idem dico de filiis genitis ex parentibus habentibus 4

votum

votum ſimplex caſtitatis, quia tale votum non dirimit matrimonium. Leſſius *lib. 2. de iuſtitia*, *cap. 19. dub. 6. num. 57.* Sanctarellus *ſuprà*, *quæſt. 21. num. 1.* Quod etiam dicendum generaliter de filiis genitis ex parentibus ſolum habentibus impedimentum aliquod impediens, non dirimens Matrimonium. Sanchez *ſuprà*, *dub. 2.* et de filiis genitis à Clerico in minoribus constituto cum ſoluta, etiamſi haberet beneficium Eccleſiaſticum, quia tales contrahere poſſunt. Sylueſter *in Summ. verb. Legitimus*, *quæſt. 8.* Sanchez *ſup. dub. 3.*

5 Infertur tertiò, quod filij geniti ex Matrimonio clandeſtino poſt Concilium Tridentinum ſunt illegitimi, quia tale matrimonium, poſt Concilium eſt inualidum. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 50. ſect. 1. num. 9.* Cornejo *ſuprà*. Secus dicendum de filiis genitis ex matrimonio coram Parocho, & teſtibus celebrato, prætermiſſis tamen publicis denunciationibus à Concilio requiſitis, quia tale matrimonium validum eſt, quamuis cum peccato celebratum. Suarez *ſuprà*, *num. 10.* Quid verò dicendum de filiis genitis ex matrimonio clandeſtino valido, ſi daretur, aiunt Peirinis *ſup. num. 108.* & aliis.

6 Infertur quartò, quod quando maritus de licentia vxoris fit Sacerdos, & poſtea accedit ad ipſam, filius ex tali concubitu genitus eſt illegitimus, & ſpurius, quia non ſolùm eſt ex ſacrilego concubitu natus, ſed etiam genitus eo tempore, quo matrimonium contrahere non poterant parentes, ratione voti ſolemnis emiſſi, *cap. litteras, de fil. presbyterorum*, Toletus *in Summa, lib. 5. cap. 58.* etſi oppoſitum teneat cum aliis Sanctarellus *ſup. quæſt. 21. num. 2.*

7 Hi ergo omnes illegitimi, quicunque illi ſint, & quantumuis occulti, irregulares ſunt, & per conſequens inhabiles ad Ordines ſuſcipiendos, *cap. 1. & 2. de fil. Presbyterorum*, *& cap. 1. eodem tit. in 6.* & aliis iuribus. Bacconius *in 4. diſt. 25. quæſt. 6.* Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 201.* Cornejo *ſup.* Prohibuit autem Eccleſia illegitimos ordinari, quia plerumque ſunt vitioſi, & malè educati, & quia timetur ne paterna ſcelera ſequantur, ac ob reuerentiam, ac honorem ſacrorum Ordinum. Sayrus *ſuprà*, *num. 36.* Auila *de Cenſuris*, *part. 7. diſp. 3. dub. 6.* & alii communiter. Vnde illegitimus Ordines ſuſcipiens ſine diſpenſatione peccat mortaliter, & eſt ſuſpenſus ab executione illorum. Sayrus *ſuprà*, *num. 37.* Theſaurus *in praxi*, *part. 2. verb. Illegitimus*, *cap. 1.* apud quos etiam de pœnis Epiſcopi ordinantis illum.

8 Inhabiles etiam ſunt ad dignitates, Prælatias, & Perſonatus Religionum, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 7. & part. 2. cap. 12. num. 41. & cap. 13. num. 90.* Quando autem aliquis in ſæculo diſpenſatus, cenſeatur etiam diſpenſatus pro prædictis dignitatibus, &c. dixi eo *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 62.* Quæ etiam officia Religionum illis nominibus intelligantur, aut non, dixi eo loco *num. 62.* & *tom. 1. part. 2. cap. 13. num. 50.* vbi etiam quando tales illegitimi cenſendi ſint à Prælatis diſpenſati. An autem idem dicendum ſit de Abbatiſſis, ſeu Priorißis Monialium, vt illegitimæ ad ea munera aſſumi non poſſint, conſtat ex dictis *tom. 1. part. 1. cap. 26. num. 6.*

9 Nec etiam poſſunt Regulares illegitimi habere gradus Baccalaureatus, Præſentatus, ſeu Licentiatus, Magiſterij, ſeu Doctoratus, de quibus egi ſuprà *verb. Gradus, & Graduati Regulares, num. 2.* ſine diſpenſatione. Naldus *in Summa*, *verb. Doctor, num. 1.* Bordonus *Reſolutione 12. num. 33.* Qui quamuis ſolum loquantur de gradu Doctoratus, eſt tamen eadem ratio de aliis. Fundamentum Bordoni eſt, quia huiuſmodi gradus (Doctoratus præſertim) ſunt dignitates, ex eo enim ſequitur illegitimos non eſſe capaces illorum, iuxta dicta ſuperius. Cæterum hæc probatio inefficax eſt, etſi enim Doctoratus dignitas ſit largo modo, & impropriè, quia id colligitur *ex cap. quanto, de Magiſtris*, & ita tenent *ibid.* Abbas, Ioannes Ananias, Felinus, & alij, & colligitur ex Gloſſ. *in l. Iulia, ff. ad l. Iuliam de vi public.* & expreſſè tenent Sylueſter *in Summa*, *verb. Doctor*, *quæſt. 1.* & Theſaurus *in praxi*, *part. 2. verb. Medici*, *cap. 1.* ex aliis, nihilominus propriè, & rigorosè loquendo Doctoratus (multò minus alij gradus) dignitates non ſunt, vt rectè Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 16. ſect. 2. num. 4.* & dixi *ſupra*, loco relato. Ratio eſt, non ſolum quia in Bullis, & decretis Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum ſæpè ſæpius ponuntur vt diſtincta gradus, & dignitates, cum loquuntur de pœnis quas incurrunt tranſgreſſores ipſorum, ſed etiam, quia iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 13. num. 2.* dignitas eſt adminiſtratio cum iuriſdictione, iſti autem gradus nullam iuriſdictionem important. Etſi Doctor actu legens habere dicatur iuriſdictionem ordinariam ſuper ſcholares, vt ex variis iuribus probat Sylueſter *ſuprà*. Ratio ergo quare prædictorum graduum non ſint capaces illegitimi eſt, quia iuxta dicta *cap. 13. num. 6.* huiuſmodi gradus ſunt veluti perſonatus in Religione, cum important præeminentiam, ſeu præcedentiam ſine iuriſdictione, quod eſſe de ratione perſonatus, dixi eo loco *num. 2.* Ex quo infertur illegitimos non eſſe illorum capaces ante diſpenſationem, ſiquidem iuxta dicta *ſuprà*, non ſunt capaces perſonatuum. Accedit, quod Sixtus V. in Bulla, *Cum de omnibus*, *in 2. tom. Bullar. num. 71.* illegitimos incapaces eſſe graduum, honorum, & dignitatum ſui Ordinis, declarauit. Neque obſtat, quod ipſe Sixtus in alia Bulla *Ad Romanum*, priorem moderatus, declarauit etiam *appellatione dignitatum, honorum, graduum, debere intelligi Præpoſitatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, cuſtodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his ſimilia cum honore, & ſuperioritate conſulta.* Quia, vt ipſemet Pontifex ibidem etiam declarat, hoc ſolum intelligitur de illegitimis, qui ex ſacrilegio, vel inceſtu geniti non ſunt. Qui ergo ex ſacrilegio, vel inceſtu geniti fuerunt, incapaces erunt in Religione dictorum graduum, etiam ex iure dictæ Sixtinæ.

Inhabiles etiam ſunt prædicti illegitimi ad quæcunque beneficia, ſiue ſæcularia, ſiue Regularium, iuxta dicta *tom. 2. part. 2. cap. 18. num. 54.* & *ſup. verb. Beneficium, & Beneficiati.*

Inhabiles etiam erant prædicti illegitimi ad habitum, & profeſſionem Regularem ex vi Conſtitutionis Sixti V. *Cum de omnibus*, quam retuli *ſup. & tom. 1. part. 1. cap. 24. num. 21.* Quia tamen hæc Conſtitutio moderata fuit per Gregorium XIV. & Clement. VIII. iuxta ibidem dicta, ideo quoad hoc attendendum eſt ad particularia Religionum ſtatuta. An verò licitè admittantur ad Religiones, dixi eo loco, & de eo conſulendæ ſunt Religionum Conſtitutiones. 10

De incapacitate porrò quam illegitimi habent ad bona ſuorum parentum hæreditanda, vel obtinenda, quia parum inſtituto noſtro, quod præcipuè eſt de Regularium inſtructione quoad forum conſcientiæ, deſeruit, agere prætermittimus. Videatur Molina *tom. 1. diſput. 166.* Sanchez *cap. 4.* relato, Theſaurus *ſuprà*, *cap. 2.* 11

Nota tamen primò, pro his, quæ dicta ſunt, quod filij nati ex matrimonio nullo ob aliquod impedimentum dirimens occultum, ſi tamen illud matrimonium in facie Eccleſiæ contractum fuerit, ſunt legitimi, & capaces omnium prædictorum. Ratio eſt, quia Iure canonico tales habentur pro legitimis, vt conſtat ex *cap. ex tenore, qui filij ſint legitimi*, vbi cum quidam coniugatus viuente vxore contraxiſſet cum alia, & ex ea ignorante primum viri Matrimonium genuiſſet filium, talis vocatur legitimus. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 50. ſect. 1. num. 6.* Cornejo *d. dub. 1.* Ex quo rectè colligunt 12

colligunt id procedere non ſolum quando vterque coniux bona fide contraxit, ſed etiam quando hæc bona fides in altero tantum fuit; nam in caſu illius *cap. ex tenore*, ſola mater bonam fidem habuiſſe dicitur. Adde, quod cum eſt dubium de bona fide parentum, ſemper præſumitur eos bona fide contraxiſſe, dum non probantur malâ id feciſſe. Couarruu. *part.* 2. *de Matr. cap.* 8. §. 1. *num.* 4. Peirinis *ſup. num.* 106. in caſu etiam dubij de validitate Matrimonij, quoad vſque à Iudice feratur ſententia de nullitate ipſius, filij ex eo geniti cenſentur legitimi, & eſſe in bona fide. Per regulam *in cap. ſi virg.* 34. *quæſt.* 2. & *cap. cum inter, qui filij ſint legitimi*. Couarruuias *ſuprà*, *num.* 6. Sayrus *ſuprà*, *num.* 33. Peirinis *ſuprà*, *num.* 109. & 110.

13 Nota ſecundò, quod filij illegitimi legitimantur per ſubſequens Matrimonium, *cap. Conqueſtus*, & *cap. tanta, qui filij ſint legitimi*. Suarez *dict. ſect.* 1. *num.* 2. Garzia *de Benefic. part.* 7. *cap.* 2. *num.* 28. & fiunt habiles ad omnia, etiam ad Cardinalatum, & Papatum, Theſaurus *ſup. cap.* 2. ex Vgolino, & aliis. Etiamſi Matrimonium illud contrahatur ab infirmo prope mortem, cum tale matrimonium ſit verum, ac per conſequens gaudere debeat priuilegio *c. conqueſtus*, & *c. tanta*, Couarruu. *ſup.* §. 2. *num.* 10. Sayrus *ſup. cap.* 19. *num.* 22. Etiamſi tale Matrimonium ſolum ſit ratum, propter eandem rationem. Sà *in Summa*, *verb. Filius*, *num.* 17. Modò tamen tempore generationis parentes ſint habiles ad contrahendum inter ſe; nam ſi aliquis eorum fuerit Matrimonio copulatus, vel aliud ſimile impedimentum dirimens interceſſerit, etiamſi poſtea ablato impedimento Matrimonium contrahant, filij prius habiti erunt illegitimi. Ita enim habetur *dicto cap. tanta*, Suarez *ſuprà*. Peirinis *num.* 114. apud quos alia. Vnde infertur, quod filij ſpurij nunquam legitimantur per ſubſequens Matrimonium, quia ſpurij, vt dictum eſt, ſunt illi, qui generantur à parentibus, qui tempore generationis contrahere non poterant. Garzia *ſupra*, *num.* 33. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 20. §. 3. Addunt plures id eſſe verum etiamſi ſpuritatis cauſa ab altero, vel ambobus coniugibus ignoretur. Suarez *ſuprà*, *num.* 117. Solum ergo filij naturales ſunt illi, qui per ſubſequens Matrimonium parentum legitimantur. Solùm enim ipſorum parentes tempore copulæ contrahere poterant. Sanchez *ſupra*, *dub.* 3. Sic autem legitimati habiles redduntur ad omnia ſicut legitimi, ſcilicet ad Ordines, dignitates, &c. etiam Epiſcopalem. Sayrus *ſupra*, *num.* 3. Henriquez *ſuprà*, §. 2.

14 Nota tertiò, quòd filij illegitimi, etiam ſpurij, habiti ex inceſtu, vel alio impedimento irritante, legitimantur etiam per ſubſequens Matrimonium celebratum cum diſpenſatione Papæ cum clauſula illa *Prolem ſuſceptam, ſi qua eſt, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo*. Hanc enim vim habent verba Papæ. Garzia *ſuprà*, *num.* 40. Sanctarellus *variar. quæſt.* 21. *num.* 11. Legitimari etiam poſſunt à Papa, & à Principe ſæculari, licet diuerſimodè: nam à Papa legitimari poſſunt quoad inhabilitates iure Canonico introductas, & in aliquibus caſibus, etiam quoad inhabilitates ad ſæcularia, & iure ciuili impoſitas, à ſæculari verò Principe non niſi quoad inhabilitates ſæculares, de quo & aliis concernentibus Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 171. & 173. & Theſaurus *ſuprà*. Vnde collige, quod legitimatus à Principe, ſi intret Religionem, non cenſetur diſpenſatus ad officia Ordinis, quia Princeps non poteſt tollere impedimenta canonica. Portellus *in dub. Regular. verb. Illegitimus*, *num.* 5. Diana 3. *part. tractatu* 2. *reſol.* 102.

15 Nota quartò, quòd filij expoſiti, quorum parentes, etiam facta ſufficienti diligentia omnino ignorantur, licet à pluribus inter illegitimos cenſeantur, quia vtplurimum tales ex turpi conceptione ſunt nati, & in obſcuris inſpici ſoleat, quod eſt veriſimilius, iuxta regulam Iuris (Bonacina *de Cenſuris diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 10. poſt alios, quos refert) valdè tamen probabile eſt eos eſſe legitimos cenſendos, quia experientiâ compertum eſt oppoſitum ſæpè contingere, ſcilicet quod legitimè vxorati, propter aliquas cauſas, paupertatem præcipuè, ſuos legitimos exponant. Quapropter in re dubia pars benignior eſt amplectenda. Quam tenent Sà *ſup. verb. Filius*, *num.* 8. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. tom.* 2. *in Conſtitut.* 44. *Gregor. XIII. Scholio* 1. aliis relatis, & Cornejo *ſuprà*, ex Bulla quadam Gregorij XIV. anno 1591. quam tamen non vidi, Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 22. & *part.* 4. *tract.* 2. *reſolut.* 58. Suarez etiam *ſuprà*, *ſect.* 4. *num.* 4. Licet enim oppoſitam ſententiam dicat ſecuram, & conſulendam, iſtam verò probabilem in praxi putat. Quare ad intentum Regularium cenſeo, quod ſi tales expoſiti ad Religionem admittantur, capaces ſunt abſque vlla diſpenſatione omnium officiorum Religionis, prout expreſsè tenet Peirinis *ſup. num.* 36. plures alios referens.

Nota quintò, quòd iuxta dicta ſuprà *verb. dubia Regularium*, *num.* 8. qui dubitat an ſit legitimus, poteſt ſe habere pro legitimo, quia ſiue tale dubium ſit iuris, ſiue facti, poteſt in ſui fauorem iudicare, propter ibidem dicta; quod etiam tenet Cornejo *ſuprà*. 16
Vnde etiam caſu, quo ſit dubium an aliquis ſit naturalis, vel ſpurius, debet potius exiſtimari naturalis, quam ſpurius: tum quia ſemper debet capi præſumptio, quæ excludat delictum, *l. Merito*, *ff. pro Socio*: tum quia magis præſumendum eſt honeſtum poſſibile, quam inhoneſtum, & turpe, *cap. eſtote*, *de regul. iur.* tum quia illud eſt magis præſumendum quod filio eſt magis fauorabile, *leg. Miles*, §. *Defuncto*, *ff. de adult.* Peirinis *ſuprà*, *num.* 123. Vnde etiam filius non tenetur credere matri aſſeueranti, etiam cum iuramento, ac etiam in caſu mortis eum eſſe illegitimum. Ratio eſt non ſolum, quia poteſt dubitari an mater id dicat ex odio, leuitate, aut tali imaginatione, ſed etiam quod id non ſit certum, quia licet ea poſſit eſſe certa de adulterio, non tamen, quod conceperit ex adultero, ſi circa idem tempus ſimul cognoſcebatur à marito. Sotus *lib.* 4. *de iuſtitia, quæſt.* 7. *art.* 2. *ad ſecundum*. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 201. Suarez *ſuprà*, *ſect.* 4. *n.* 5. Niſi quando teſtimonio matris adduntur aliæ circumſtantiæ, quæ rem faciant moraliter certam, vt quando additur etiam teſtimonium patris, & conſtat illum abfuiſſe, nec potuiſſe ipſum generare, vel aliæ ſimiles. Sotus *ſup.* Suarez *ſuprà*, *num.* 7. Bonacina *ſuprà punct.* 3. *num.* 5. Diana 4. *part. reſolut.* 59. Multò minus tenetur quis credere famæ vel rumori ſparſo de ſua illegitimitate, quia hæc non inducunt ſufficientem probationem, & ideo præualet poſſeſſio cum titulo Matrimonij, & quod à parentibus vt legitimus ſemper tractatus fuerit. Suarez, & Diana *ſup.* ex aliis.

Circa diſpenſationem autem in illegitimitate, ſeu irregularitate, quæ illam comitatur, quatenus ſpectat ad Regulares: Nota ſextò, quod illegitimus factus Religioſus profeſſus, non indiget noua diſpenſatione ad Ordines ſuſcipiendos, per profeſſionem namque in Religione approbata tollitur irregularitas, quæ eſt ex defectu natalium, quoad hoc, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Vbi etiam alia ad intentum. Quia tamen, vt ibi dixi, per profeſſionem non legitimatur quoad Prælaturas Religionum, ideo ad illas obtinendas requiritur diſpenſatio, iuxta dicta eodem *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 25. & 38. *cap.* 18. *num.* 7. De quo etiam Sanctarellus *ſuprà*, *quæſt.* 40. Qualiter autem, & à quibus poſſint prædicti illegitimi diſpenſari, & de aliis circumſtantijs huiuſmodi diſpenſationis, ac de officiis quorum capaces ſunt ſine dicta diſpenſatione, dictum eſt eo *cap.* 18. *num.* 60. & ſequentibus, 17

&

& *part.2. cap.12. num.21.& cap.13. num.50.* Quibus addendum eſt, Portellum *in dub. Regular. verb. Illegitimus, num.9. & in Reſponſionibus moralibus, part.3. caſu 24. num.2.* afferre priuilegium quoddam conceſſum Religioſis S. Ioannis Euangeliſtæ in Portugallia, in quo habetur, vt admiſſus ad Profeſſionem inter illos, ſi habet defectum natalium, ipſo facto ſit diſpenſatus non ſolum ad Ordines, ſed etiam ad omnia ſolita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, Rectorias, &c. quo priuilegio gaudere dicit Fratres Minores, idemque diceret de aliis Religionibus habentibus generalem communicationem priuilegiorum omnium Religionum, quales ſumus Carmelitæ, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.3. num.17.* Sed quamuis ipſe aſſerat prædictum priuilegium eſſe in praxi apud prædictos Religioſos, quia tamen non mihi conſtat an ſit viuæ vocis oraculo conceſſum, ac per conſequens reuocatum his temporibus, iuxta ſæpius dicta, vel eſto, quod tale non ſit, quia reuocatum etiam videtur per reuocationem generalem ſimilium priuilegiorum factam per Sixtum V. in duabus Conſtitutionibus, de quibus *tom.1. part.1. cap.18. num.69.* dixi, præſertim in ſecunda, vbi expreſsè etiam nominantur illi, qui *eo ipſo per ingreſſum Religionis* legitimati erant, & moderatis per Gregorium XIV. in Bulla *Circumſpectæ*, de qua eo loco dixi. Ideo non audeo dicere poſſe nos, aut aliquos alios Religioſos tali priuilegio vti. Idem dico de alio priuilegio pro Fratribus Hieronymianis, quod refert idem Portellus loco relato *ex dub. Regul. num.10.* & de alio Eugenij IV. inſerto in alio Iulij II. pro Congregatione Monachorum Caſſinenſium, quod refert Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 1. in fine.* In quo dictis Monachis conceditur, quod qui defectum natalium patiuntur, huiuſmodi defectu non obſtante ad Prælaturas in eorum Monaſteriis liberè valeat prouideri. Solum ergo propter priuilegium eiuſdem Gregorij XIV. pro Clericis Regularibus Miniſtris Infirmorum, quod retuli eo *num.60.* poſſunt illi, & qui communicant cum illis in priuilegiis diſpenſari à ſuis Superioribus. Vide Peirinis, & Dianam ibi relatos, ac Tamburinum *de Iure Abbat. tom.1. diſp.5. quæſt.14. num.10.* Idem dico de Clericis Regularibus de Somaſcha propter priuilegium Clementis VIII. in 3. tom. Bullar. inter Conſtitutiones huius Pontificis *quæſt.14. num.22.* Ibi enim Pontifex ipſis concedit quoad poſſint in defectu natalium diſpenſari à Præpoſito generali cum voto Conſiliariorum à Capitulo generali deputatorum ad dignitates, & officia Ordinis. An autem Religioſus illegitimus præfici poſſit in ea Religione, in qua eius pater Prælatus fuit, dixi probabilem eſſe partem affirmatiuam eo *num.60.* etſi oppoſitum ſatis probabiliter defendant Sigiſmondus à Bononia *de elect. diſp.75.* & Peirin. loco relato ex *tom.1. part.2. de Prælato, num.137.* & ſequentibus. Vide aliquas declarationes Sacræ Congregationis ad intentum apud Barboſ. *in Collect. Bullar. verb. Illegitimus, & verb. Filius illegitimus.* [Ac Sigiſmundus *ſup. dub.76.* vbi alia priuilegia ad hoc intentum de diſpenſatione Regularium illegitimorum affert, quæ tamen nos omittimus.]

18 Circa diſpenſationem verò Regularium illegitimorum ad beneficia, dicendum, quod ſi ea ſint ſæcularia, indigent Papæ diſpenſatione, ſicut & collatione ab ipſo facienda, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.17. & part.2. cap.18. num.1.* Si verò fuerint Regularia, Rodriguez *tom.1. quæſtionum Regularium, quæſt.13. art.6.* dicit Generalem Ordinis S. Hieronymi habere priuilegium ad eam dandam ex Paulo III. & Eugenio IV. dummodo tale beneficium non ſit perpetuum. In iure etiam communi ſtando, *cap.1. de fil. Preſbyt. in 6.* licet ad beneficia curam animarum habentia non poſſit illegitimus ab alio, quam à Papa diſpenſari; bene tamen ad beneficia, quibus cura non imminet animarum. Cornejo *ſuprà, dub.2.* Bonacina *dicto punct.3. num.15.* Ex quo colligi videtur etiam Prælatum Regularem, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali fruitur, poſſe diſpenſare cum ſuo ſubdito Regulari ad beneficium Regulare curam animarum non habens. Addunt aliqui poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper illegitimitate ex delicto occulto prouenienie, iuxta Concil. Tridentin. *ſeſſ.24. cap.6.* (Auila *de Cenſur. part.7. diſp.3. dub. 7.* & probabile cenſet Cornejo *ſupra*) quod ſi eſſet verum, etiam poſſent Prælati aliqui Regulares id facere cum ſuis ſubditis, propter priuilegium Pij V. quod retuli *tom. 1. part.1. cap.18. num.31.* & refertur à Confectio *in Collectan. Litterarum Apoſtolicarum & priuilegiorum Regularium Mendicantium, in Pio V. num.10.* vbi facultas conceſſa Epiſcopis à Concil. Tridentin. eo loco, conceditur etiam Prælatis Dominicanorum pro ſuis ſubditis, immediatè tamen per ipſos Prælatos exercenda, prout indicat Peirinus loco relato *num.143.* Verumtamen quia probabilius eſt facultatem à Concilio eo loco Epiſcopis tributam ſolum eſſe reſpectu irregularitatum, ſeu ſuſpenſionum ex delicto occulto ipſorum irregularium, vel ſuſpenſorum prouenientibus, non ex delicto occulto aliorum, prout contingit in illegitimitate (Rodriguez *ſuprà art.6.* Suarez *ſuprà, ſect.5. n.5.* Bonacina *ſupra*,) ideo oppoſitum eſt probabilius.

Quamuis etiam Bordunus ſupra *num.37.* indicare 19
videatur Prælatos Regulares poſſe diſpenſare cum illegitimis ad obtinendos gradus, etiam iure communi, propter *cap.1. de filiis Preſbyterorum, in 6.* nihilominus dicendum eſt contrarium. Etſi enim in eo capite concedatur Epiſcopo facultas diſpenſandi cum illegitimis in beneficio ſimplici, cui cura animarum non imminet, quod etiam videtur dicendum de Prælatis Regularibus, cum ipſi habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; non tamen propterea poteſt Epiſcopus in perſonatu, vel dignitate, etiam ſine cura, diſpenſare, vt expreſsè habet gloſſa ibi *verb. Beneficium*, & ſequuntur Henriquez, Auila. Azor. Garzia, & alij quos refert, & etiam ſequitur Barboſa *de Officio, & poteſtate Epiſcop. Allegat.45. numero 29.* Quod potiori ratione dicendum eſt de Prælatis Regularibus. Præſertim cum iſti gradus perſonatus quidam ſint, vt dictum eſt. Solum ergo ex priuilegiis adductis id facere poſſunt.

An poſſint familiares Regularium legitimati à Prælatis ipſorum ad obtinenda beneficia, vide dicta *tom.1. part.2. cap.16. num.26.* ex Rodriguez, & aliis.

Alia pro hac materia, vide infra verbo *Irregula-* 20
ritas.

IMMVNITAS ECCLESIARVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
In quo conſiſtat Immunitas Eccleſiarum. ibid.
2 *Hoc priuilegio gaudent Eccleſiæ conſecratæ.*
Item benedictæ, & alia loca Sacra. ibid.
Quid de aliis locis illis adiunctis. ibid.
De Sacerdote portante Sanctiſſimum Sacramentum. ibid.
3 *Monaſteria, & domus Regularium gaudent eodem priuilegio.*
4 *Quid de priuatis Oratoriis.*
5 *Omnes fideles baptizati gaudere poſſunt hac Immunitate.*
Quid de Hæreticis, Iudæis, Paganis, Catechumenis, Excommunicatis, &c. ibid.
6 *Quid de Religioſis, & Clericis.*
7 *In quibus caſibus ſuffragetur hæc Immunitas Eccleſiaſtica.*

8 *Excluduntur ab illa latrones publici.*
9 *Viarum graſſatores, &c.*
10 *Depopulatores agrorum.*
11 *Homicida in Eccleſiis.*
Quomodo id intelligendum. ibid.
An committentes alia crimina in Eccleſiis potiantur hac immunitate. ibid.
12 *Priuantur illa Proditores.*
13 *Item rei criminis aſſaſſinij.*
14 *Et rei criminis hæreſis.*
15 *Ac rei criminis læſæ Maieſtatis.*
16 *Criminoſi quibus ſuffragatur hac immunitas.*
17 *De apoſtatis Regularibus quid dicendum.*
18 *Effectus huius immunitatis.*
19 *An in Eccleſia exiſtens poſſit priuari armis.*
Quis reus potiatur hac immunitate. ibid.
20 *De culpa, & pœnis extrahentium reos.*
21 *Quæ pœna illis ſint impoſita.*
22 *Praxis Regularium circa reos ad eorum Eccleſias confugientes.*
23 *An teneantur illis de victu prouidere.*
24 *Quid de bannitis.*
Quid de reis, qui gaudere non poſſunt immunitate Eccleſiaſtica. ibid.
25 *Ex Conſtitutione Gregor. XIV.* & num. 26. & 27.
28 *Iudices ſæculares in quibus caſibus poſſunt extrahere reos.*
Quo pacto id faciendum. ibid.
29 *Contra Miniſtros Curiæ violentiam aliquam exercentes.*

1 DE hac re nonnulla cœpi dicere *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 83.* & ſupra *verb. Bannitus, num. 8.* In præſenti vero pro materiæ, etiam Regularibus neceſſariæ, complemento plura dicenda, præſertim primò, quibus locis Sacris, ſeu Eccleſiis competat ius hoc Immunitatis. Secundò, qui delinquentes illa gaudeant. Tertiò in quibus caſibus. Quartò, quos effectus pariat. Quintò, quam culpam, aut pœnam incurrant illam violantes. Sextò, magis ad praxim Regularium, quomodo ſe gerere debeant ipſi cum malefactoribus ad ſuas Eccleſias, vel loca confugientibus, maximè ſi à Iudicibus ſæcularibus requirantur. Supponitur autem pro dicendis hanc Immunitatem in eo conſiſtere, vt Eccleſia, ſeu loca Sacra ſint tanquam aſylum quoddam ad ſe confugientium, ita vt delinquentes, qui ad illa confugiunt, ex eis extrahi per vim non poſſint. Hoc enim priuilegium competit Eccleſiis, ſeu locis Sacris iure Eccleſiaſtico 17. *quæſt. 4. cap. Reum, cap. Frater, cap. ad Epiſcop. cap. nullus, cap. Si quis contumax, cap. Metuentes, cap. diffiniunt, cap. id conſtituimus, & cap. Inter alia, de Immunit. Eccleſ.* Maximè ex Conſtitutione Gregorij XIV. *Cum alias,* quam retuli dicto *num.* 83. & de qua poſtea ſæpius. Iure etiam ciuili *ex Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.* Eſtque ſatis conforme iuri diuino veteris legis, quo non ſolum inſtitutæ erant Ciuitates refugij pro delinquentibus, ſed etiam ipſum templum Salomonicum eo priuilegio frui videbatur, prout colligitur probabiliter ex Exodi 21. & 3. Reg. 1. De quibus ex antiquioribus Bacconius *in quartum, diſt. 12. art. 1.* & ex neothericis Couarruuias *Reſolut. cap. 50. num. 5.* Rodriguez *tom. 2. quæſtionum Regularium, quæſt. 50. art. 1.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 8. num. 9.* & ſeq. Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 1.* Bordonus *reſolut. 1.* & alij.

2 Ergo ad primum dicendum, hoc priuilegio gaudere primò Eccleſiam conſecratam; ea enim eſt locus Sacratiſſimus. Sylueſter *in Summa, verb. Immunitas 1. num. 2. & verb. Immunitas 3. num. 1.* Sanchez *tom. 3. conſil. Moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2.* Deinde Eccleſia etiam non conſecrata, ſed benedicta, quia etiam illa eſt locus religioſus, Deo ſacer, & perpetuò dicatus. Bacconius *in 4. diſtinct. 13. art. 1.* Suarez *ſuprà, cap. 9. num. 1.* Bonacina *de legibus, diſput. 3. quæſt. 7. de immunitate Eccleſiarum, §. 5. num. 1.* Item Eccleſia non conſecrata, nec benedicta, ſi obſequiis diuinis dedicata ſit, & in ea diuina Officia celebrentur, *ex cap. Eccleſiæ, de immunitat. Eccleſiarum,* Suarez *ſuprà, num. 2.* Bonacina *ſuprà, num. 2.* Addunt plures id eſſe, quando Eccleſia auctoritate Epiſcopi eſt fundata, quod etſi verum ſit in Eccleſiis ſæcularibus, & ſæpius in Regularibus, in iſtis tamen non ſemper, cum conſtet ex dictis ſupra verbo *Eccleſia, num. 5. & 9.* aliquos eorum poſſe ex priuilegiis in aliquibus caſibus ponere primarium lapidem in Eccleſiis, & eas benedicere. Quare priuilegium hoc extendi videtur ad dictas Eccleſias, cum loca Sacra ſint Deo in perpetuum dicata, *& nullis temerariis actibus prophananda, cap. penult. de immunitat. Eccleſiarum.* Sic colligo ex Layman. *ſuprà, num. 2.* Competit etiam hoc priuilegium dictis Eccleſiis, etiamſi in illis Officia diuina celebrata adhuc non fuerint. Syluester dicto verbo *Immunitas 1. num. 2.* Sanchez *ſuprà.* Interdictæ quoque, vel etiam violatæ Eccleſiæ iſtud obtinent Immunitatis priuilegium, quia pollutio, aut Interdictum Eccleſiæ non tollunt immunitatem ab ipſa, nec operantur pluſquam Canones præſcribunt. Suarez *ſuprà, num. 9.* Laymanus *ſuprà, num. 2.* Item dirutæ, & deſtructæ, etiam ſine auctoritate Superioris, ſi adſit refectionis ſpes, quia non propterea perdunt ſuum priuilegium. Bonacina *ſuprà, n. 4.* Barboſa *de Iure Eccleſ. lib. 1. cap. 3. num. 62.* poſt alios, quos refert. Cemeterium quoque, ſiue coniunctum, ſiue ſeparatum, obtinet idem priuilegium, iuxta dicta ſupra verbo *Cemeterium, num. 3.* Item atrium, ſeu porticus Eccleſiæ adhærens, *cap. ſi quis contumax, 17. quæſt. 4.* Laymanus *ſuprà, num. 2.* Barboſa *ſuprà, n. 64.* Item fores, & ianua ipſius Eccleſiæ, ſi à delinquentibus tangantur, eo quod erant clauſa. Sanchez *ſuprà,* Barboſa *ſuprà, num. 65.* Imò ſcalæ Eccleſiæ, ex declaratione Sacræ Congregationis, prout ex Farinacio refert idem Barboſa *num. 66.* Extenditur idem priuilegium ad fines, ſeu confinia Eccleſiæ, vſque ad quadraginta paſſus, ſi fuerit Eccleſia Baſilica, ideſt Matrix, ſeu Metropolis; ſi autem fuerit Eccleſia minor, vſque ad triginta paſſus, *cap. ſicut Antiquitus, cap. diffiniunt, & cap. quiſquis 17. quæſt. 4.* Sylueſter *ſupra dicto verb. Immunitas 3. num. 1.* Sanchez *ſupra;* vbi tamen conſuetudo non fuerit in contrarium. Sanchez *ſupra,* Bonacina *n. 5.* Declaratum tamen video à Sacra Congregatione Immunitatis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Immunitas,* quod cabanna Eccleſiæ intra triginta paſſus ab ea diſtans, quæ ſolummodo ſeruit pro vſu Eccleſiæ, gaudeat Immunitate. Item hac Immunitate gaudent domus Parochorum, ſeu Clericorum intra dictos triginta, vel quadraginta paſſus poſitæ, *dicto cap. quiſquis.* Nauarrus *in Manual. cap. 25. num. 18.* Sanchez *ſupra.* Addit Bonacina *num. 6.* id eſſe verum etiamſi tales domos inhabitent laici; nam priuilegium Immunitatis directè conceſſum eſt locis. Gaudent quoque eodem priuilegio Hoſpitalia, & Oratoria auctoritate Epiſcopi constructa. Sylueſter *ſuprà.* Nauarrus *ſuprà, num. 17. & 18.* Barboſa *ſuprà, num. 67. & 68.* Item palatium Epiſcopi, etiamſi ſeparatum ſit ab Eccleſia, *cap. id conſtituimus, 17. quæſt. 4.* Sylueſter *ſuprà,* Nauarrus *dicto num. 18.* Licet non leuis controuerſia ſit an id ſolum intelligatur de palatio Epiſcopi intra prædictos paſſus, an etiam extra illos. De qua Sanchez *ſupra.* Bonacina *num. 8.* Barboſa *numero 70.* ex variis auctoribus. Gaudere etiam eodem priuilegio Cardinalium palatia, etſi non ex iure ſcripto, ſed ex conſuetudine, teſtantur Nauarrus, & Sanchez *ſupra.* Obſerua tamen hoc tempore non eſſe hanc conſuetudinem in Vrbe Romana, vt conſulatur bono publico,

Digitized by Google

publico, licet forſan alibi conſeruetur. Diana *part.* 5. *tract. de immunitat. Eccleſiarum*, *Reſolut.* 37. Barboſa *ſuprà num.* 71. Palatia tamen Regum & Imperatoris hac immunitate potiri, ſupponunt Nauarrus & Sanchez relati. De Sacerdote portante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod gaudeat hac immunitate, itavt delinquens illum tangens, vel illi appropinquans non poſſit capi, ſupponunt etiam piè ſatis, & probabiliter valdè plures Doctores, & ita credo obſeruandum, tum propter reuerentiam tanti Sacramenti, tum quia illud dignius eſt quocumque Templo, Baſilica aut Eccleſia. Bacconius *ſuprà*, doctè, & piè de ea re ſcribens. Syluester, & Nauarr. *ſup.* Suar. *ſup. num.* 10. Layman. *ſup. num.*4. Licet oppoſitum tueatur Bonacina *ſup.num.*11. ex aliis.

3 Specialiter quoad Regulares ſpectat gaudent hac immunitate non ſolùm eorum Eccleſiæ, vt dictum, ſed etiam Monaſteria, ſeu domus illorum. Ita enim ſupponitur in Conſtitutione Gregorij XIV. relata, & colligitur ex dictis, eſtque in conſuetudine receptum. Syluester *ſuprà*, Portellus *in dub. Regular. verbo Eccleſia Immunitas.* Nomine etiam Monaſterij intelligitur non ſolùm dormitorium (Nauarrus *ſuprà num.* 17.) ſed etiam totus circuitus, & habitatio illius, & etiam horti, ſeu viridaria. Quia totum hoc eſt locus ſacer. Sanchez *ſuprà*. Bonacina *ſuprà num.*7. Quamuis Barboſa *ſuprà num.*73. contradicat. Vnde ſi quis confugiens ad Monaſterium ſe proiiciat intra muros eorum, gaudebit hac immunitate, propter eandem rationem. Barboſa *num.* 74. & 75. ex Gambacurta, & aliis. Bene etiam addens *num.* 76. ex eodem Gambacurta domos, ſeu villas quas Religioſi habent recreationis gratia (intellige ſeparata ab Eccleſiis eorum) non gaudere illa.

4 Nec gaudent hac immunitate priuata Oratoria, quæ in priuatis domibus reperiuntur, quia ea non ſunt Eccleſiæ. Sanchez *ſuprà*, contra Henriquez. Nec capellæ priuatorum Prælatorum, prout ex aliquibus declarationibus Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. tenet Barboſa *ſuprà num.* 68. & *in Collectan. Bullar. verbo immunitas.* Nec ſtatuæ Principum, aut domus Magnatum. Nauarrus *ſuprà num.*18.

5 Circa ſecundum de delinquentibus, qui gaudent hac immunitate, certum eſt omnes fideles baptizatos gaudere illa, cum iura ſuperius adducta ſine diſtinctione loquantur, & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus. Nauarrus *ſupra num.* 18. Suarez *ſuprà cap.*10. *num.*1. Hæretici etiam, quamuis quoad ipſum crimen hæreſis ea non potiantur, iuxta dicenda, quoad alia tamen crimina probabilius eſt oppoſitum, quia etſi indigni ſint hoc fauore, pia tamen mater Eccleſia in adductis iuribus generaliter loquitur de omnibus, & eos non excludit. Syluester *verbo Immunitas* 3.*quæſt.*3. Suarez *ſup.num.*13. Diana *ſuprà Reſolut.* 29. benè addens propterea, quod in locis vbi hæretici impunè habitant, poſſunt propter alia crimina potiri hac immunitate. De Iudæis autem, Paganis, aut Saracenis inter opiniones contrarias, quarum vna aſſerit gaudere, alia verò negat, probabilior videtur media diſtinguens. Vel enim tales cum confugiunt ad Eccleſias petunt Baptiſmum, vel non: ſi ſecundum, non gaudent; ſi primum, gaudent: tum quia par eſt, quod Eccleſia defendat eos qui eam matrem habere deſiderant: tum quia ita colligitur *ex l.* 1. *C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt*, & ex declaratione S.Congregationis, quam refert Barboſa *ſup. n.*44. & Diana *tom.*5. *in Collectan. num* 39. Vide hanc ſententiam tenent Suarez *ſup. num.*15. Bonacina *ſuprà* §. 3. *num.* 5. Laym. *ſup. num.*12. Supponitur autem eos non fictè, aut ſimulatè petere debere Baptiſmum, vt Eccleſia eos tueatur, quod ex circumſtantiis colligi debet. De catechumenis, licet nihil videam à Doctoribus deciſum, credo gaudere etiam hac immunitate, quia ſunt fideles, etſi non baptizati, & deſiderant eſſe in Eccleſia, etiam quoad numerum, ac per conſequens æquum eſt, vt ipſa eos defendat, præſertim cum iura illos non excludant. Demùm de excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis dicendum eſt gaudere Immunitate Eccleſiaſtica, cum nullus textus eos excludat ab hoc communi priuilegio fidelium. Syluester *ſuprà verbo Immunitas* 3. *quæſt.*3. Nauarrus *ſuprà num.* 19. & alij.

De Religioſis quid ſentiendum quoad hoc, dixi 6 *tom.* 1.*part.* 1.*cap.*18. *num.*73. ſed maioris claritatis gratiâ addendum modo de illis, ac de Clericis, de quibus eadem eſt ratio, primò, quod in illis raris caſibus, in quibus tam Religioſi, quam Clerici ſæculares à laica poteſtate poſſunt capi, ſine dubio gaudere debent Immunitate Eccleſiaſtica reſpectu Iudicum laicorum. Ratio eſt, non ſolùm, quia iura concedentia hanc immunitatem fidelibus indiſtinctè, & vniuerſaliter loquuntur, ſed etiam quia aliàs eſſent peioris conditionis, quam laici, & præſertim, quia pro illis caſibus reputantur veluti laici. Nauarrus *ſuprà num.* 22. Suarez *ſup.d.cap.*10.*num.*7. In prædictis autem caſibus, & in quibuſcumque aliis, in quibus laici gaudent illa, debent etiam prædicti Clerici ſæculares, & Religioſi ſtando in rigore iuris, illa gaudere reſpectu ſuorum Superiorum reſpectiuè, licet ex conſuetudine rationabili oppoſitum habeatur. Prima pars conſtat non ſolum quia iura indefinitè, & vniuerſaliter loquuntur, & quia aliàs Eccleſiaſtici eſſent peioris conditionis, quam laici; ſed quia Eccleſia multo magis tueri debet domeſticos ſuos, quales ſunt Eccleſiaſtici, quàm alios quoſcumque. Couarruuias *variar. Reſolut.lib.* 2. *cap.*20. *num.*16. Zerola *in praxi part.*1. §. *immunitas Eccleſiaſtica*, *verſ.* 8. & alij plures quos referunt & ſequuntur Diana *ſuprà reſolut.*24. & Barboſa *ſupra num.* 137. & ſequentibus. Adde declarationem Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. de anno 1617. quam refert idem Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Immunitas*, vbi dicitur: *Immunitate Eccleſiaſtica gaudere debent Clerici, qui poſt delicta patrata ad Eccleſias confugiunt extra caſus in Bulla Gregory XIV. comprehenſos, cum in hoc caſu Abbatis opinio communiter ſit reprobata.* Item aliam quam refert Diana 5.*part. in Collect. harum declarationum*, in qua deciditur, non poſſe extrahi Clericos, præterquam in caſibus degradatione dignis, & ſi oppoſitum fiat, debere reſtitui. Secunda verò pars, ſcilicet quod oppoſitum obſeruetur ex rationabili conſuetudine, etiam conſtat, non tantum ex vniuerſali praxi Eccleſiæ, ſed etiam quia Immunitas Eccleſiæ non debet præiudicare Prælatis ipſius, & præcipuè, quia cum Clerici ſæpius maneant in Eccleſiis, vel iuxta eas, Religioſi ferè ſemper in Monaſteriis, & Moniales ſemper, ſi talia loca gauderent hac immunitate pro ipſis, vix poſſent puniri à ſuis Superioribus, & ſic ipſorum delicta impunita manerent. Rodriguez *tomo* 2. *quæſt. Regularium*, *quæſt.*50.*art.*4. Suarez *ſupra num.*6. Layman. *ſuprà num.* 11. & alij. Dicendum tertiò, id etiam eſſe verum, quando delinquunt in locis Sacris extra Eccleſiam, & cemeterium, ſcilicet quod in rigore iuris gaudere tunc poſſent immunitate, licet non ex conſuetudine. Ratio primæ partis eſt, quia licet textus *in cap. fin. de Immunit. Eccleſiarum*, & Gregor. XIV. in Conſtitutione relata decernant, quod committentes homicidia, & mutilationes membrorum in Eccleſiis, vel cemeteriis, non potiantur Immunitate Eccleſiaſtica, non tamen decernunt, quod committentes illa, vel alia crimina in aliis locis ſacris, verbi gratia domibus annexis Eccleſiis, clauſtris, dormitoriis, illa non potiantur, ac proinde Eccleſiaſtici, ſiue Clerici ſæculares, ſiue Religioſi extra Eccleſias, vel cemeteria in locis Sacris ea crimina perpetrantes immunitate gaudere poterunt. Ratio verò ſecundæ ſu-

mitur ex vſu & praxi Eccleſiæ, iuxta dicta eo *num.* 83. quæ hoc modo intelligi debent. Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 11. Diana *ſupra Reſolut.* 55.

6 Quia tamen poſt hæc ſcripta audiui non leuem difficultatem in quodam pergraui Italiæ Tribunali circa ea exortam fuiſſe, idcirco de ea conſultus, dico in primis, id quod dixi, tam de Religioſis, quam de Clericis ſæcularibus, quod videlicet in illis raris caſibus, in quibus à laicis capi, & incarcerari poſſunt, ſine dubio gaudeant immunitate Eccleſiarum reſpectu talium laicorum, rem eſſe certam, non ſolùm quia iura vniuerſaliter loquuntur, & quia aliàs dicti Religioſi, & Clerici eſſent peioris conditionis, quam laici; ſed etiam quia in huiuſmodi caſibus illi reputantur tanquam laici: debent ergo eodem iure ſicut laici cenſeri, & gaudere dicta immunitate, ſicut ipſi. Et ita tenent non ſolùm Nauarrus, & Suarez, quos ſuprà retuli, ſed etiam Bonacina, Filliuccius, Gambacurta, Farinacius, Germonios, Marius Italia, & alij, quos refert, & ſequitur Thomas del Bene *de Immunit. Eccleſiaſtic. part.* 2. *cap.* 16. *dub.* 10. *ſect.* 11. & 14. loquendo etiam de præfatis Clericis, & Religioſis, tam in iis, quàm in aliis criminibus non exceptis, reſpectu ſuorum ſuperiorum reſpectiuè, dixi *num.* 6. & etiam *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 83. de rigore Iuris poſſe gaudere tali immunitate, prout ex declarationibus S. Congregationis, Couarruuia, Zerola, Diana, Barboſa, & aliis affirmaui, quod etiam tenent plures alij, quos refert idem Thomas Delbene *ſupra ſect.* 15. Adiunxi tamen, quod ex conſuetudine habeatur oppoſitum, videlicet quod non gaudeant præfati Clerici, & Religioſi dicta immunitate. Ita enim tenent Diaz, Clarus, Farinacius, & Nauarrus, prout refert Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap.* 22. *num.* 11. *pag. mihi* 74. dicens etiam hoc eſſe vſu receptum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana. Teſtatur etiam hanc conſuetudinem Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 8. & alij, quos citat *num.* 6. Item Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 11. pro ea etiam afferens Abbatem, Syluestrum, & alios. Fauet etiam Sanchez poſt alios *lib.* 6. *conſil. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6. Eſſe autem hanc conſuetudinem rationabilem ſuadetur non ſolum ex dictis ſuprà, ſed etiam, quia decens eſt, quod ſicut Princeps ſæcularis poteſt exercere ſuam iuriſdictionem in locis ſæcularibus ſibi ſubiectis; ita etiam, quod Prælatus Eccleſiaſticus eam poſſit exercere in locis ſibi ſubiectis, quales ſunt Eccleſiæ, ac proinde ex illis extrahere ſibi ſubditos: præſertim quia ſicut non obſtante immunitate perſonali Clericorum, & Religioſorum, poſſunt puniri à ſuis Superioribus etiam intra ipſas Eccleſias, *cap. vniuerſitas, de ſent. excomm. cap. fin. de Regular. cap. præceptum* 2. *quæſt.* 5. & *cap. qua fronte, de appellat.* ita etiam congruum, quod non obſtante immunitate locali, quæ minor eſt, quam perſonalis, poſſint etiam puniri, extrahendo illos ex Eccleſiis. Alia ad intentum apud authores relatos. Quibus iungendum, quod ſi oppoſita ſententia, quod videlicet Eccleſiaſtici, & Religioſi fruantur hac immunitate, alicubi practicatur, ſolùm debet ſuſtineri quantum ad punitiones graues, & enormes, quæ limites excedunt Regularis correctionis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non quantum ad ipſam correctionem Regularem, & diſciplinam Eccleſiaſticam, quia hæc eſt omnino neceſſaria pro conſeruatione ſtatus Eccleſiaſtici & Regularis. Sic etiam à me conſultus Illuſtriſſimus D. Franciſcus Paulucius Sacræ Congregationis Concilij Secretarius reſpondit: cui valdè fidendum, tum propter viri authoritatem, tum quia loquutus eſt iuxta ſtylum eiuſdem Sacræ Congregationis.

7 Circa tertium de caſibus, in quibus Immunitas Eccleſiaſtica fidelibus ſuffragatur, dicendum eſt, generaliter loquendo eſſe omnes caſus, & cauſas, ſiue ciuiles, ſiue criminales, præter inferius adducendos ex iure communi, & Conſtitutione Gregorij XIV. relata. Ratio eſt, quia cum iura vniuerſaliter, & indefinitè loquantur, illis ſtandum erit, niſi in caſibus, in quibus ipſum ius, aut Summus Pontifex oppoſitum declarauerit. Bonacina *ſuprà* §. 4. *num.* 1. ex communi Doctorum. Omnes itaque, & quicumque delinquentes, ſiue rei, dicta immunitate potiuntur præter ſequentes. In quorum tamen enumeratione, non tam ad locorum conſuetudines, quæ variæ poſſunt eſſe, quàm ad ius commune, & præſertim ad Conſtitutionem relatam Greg. XIV. attendam.

Primi ſunt *latrones publici*. Iſti enim ab hoc priuile- 8 gio excluduntur expreſsè, *cap. inter alia, de Immunitat. Eccleſ.* & in Conſtitutione allata Gregorij XIV. Syluester *ſuprà verbo Immunitas* 3. *quæſt.* 2. & alij communiter. Publici autem latrones dicuntur illi, qui ſunt publici tales propter notorietatem iuris, vt ſi in iudicio hoc crimen aliquando confeſſi ſunt, vel propter ipſum damnati, aut propter notorietatem facti, vt ſi ipſi in publicis viis deprædantur, vel pro latronibus communiter habentur. Ludouicus Correa *in repetit. dicti cap.* 3. *num.* 17. Barboſa *ſupra de iur. Eccleſiaſtic. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 79. & 80. Vnde à contrario, latrones, qui non ſunt publici, nec notorietate facti, immunitate hac potiri debent. Bacconius *in* 4. *diſt.* 13. *art.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 3. *verſ. porro autem.* Sanchez *ſup. dub.* 8. *num.* 14. Bonacina *ſuprà num.* 5. Vnde declaratum video à Sacr. Congregat. Immunitatis 18. Martij 1631. apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Immunitas*, quod immunitate Eccleſiaſtica gaudet furans in Eccleſia.

Item *Viarum graſſatores, qui itinera frequentata vel* 9 *publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur.* Ita enim habetur in citata Conſtitutione Gregorij XIV. Bonacina *ſuprà*. Vbi nota primò, quod per vnicam graſſationem non priuantur Eccleſiaſtica Immunitate; verbum enim *Graſſari* frequentationem denotat, prout ex Deciano, Ambroſino, & Farinacio affert Barboſa loco relato *de iure Eccleſiaſtico, num.* 84. Nota etiam ſecundo, quod qui itinera priuata, vel occultas ſtratas obſident, non videntur priuari Immunitate Eccleſiaſtica, ſiquidem Pontifex ſolùm excludit eos, *qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident*, iuxta *legem primam, C. quando liceat vni.* Bonacina *ſuprà*.

Item *Depopulatores agrorum*, ideſt, qui alienos 10 agros diripiunt, ſegetes, ſeu fructus ſurripiunt, ſeu agros, aut vineas vaſtant, *l.* 1. *C. quando liceat.* Ambroſin. *de Immunit. Eccleſ. cap.* 4. Tales enim exprimuntur in dicta Conſtitutione Gregorij. Pro quo nota, quod licet in dicto *cap. inter alia*, ſolùm fieret mentio *depopulatoris nocturni*, in Conſtitutione tamen Gregorij ſermo eſt de quolibet depopulatore, ſiue nocturno, ſiue diurno. Bonac. *ſup. num.* 6. Barboſa *ſup. n.* 87.

Qui in homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis 11 *Eccleſiis, earumve cœmeteriis committere non verentur.* Iſti enim priuantur hoc priuilegio expreſsè non ſolùm *cap. Immunitatem, de Immunit. Eccleſ.* ſed etiam in dicta Conſtitutione Gregorij. Et ratio diſpoſitionis eſt, quia par non eſt, vt Immunitate Eccleſiæ fruatur, qui in illa deliquit, iuxta *cap. fruſtra, de vſur.* & *dicto cap. Immunitatem.* Syluester *verbo Immunitas* 3. *quæſt.* 5. Nauarrus *ſuprà num.* 50. Pro quo nota primò, id eſſe verum, ſiue hæc delicta commiſſa ſint ſub ſpe immunitatis Eccleſiæ, ſiue ſine illa. Pontifex enim indiſtinctè loquitur, nec videtur reſpicere animum delinquentis, ſed factum ipſum Eccleſiæ iniurioſum. Nauarrus *dicto num.* 20. Suarez *ſupra cap.* 11 *num.* 6. Nota ſecundò, id etiam eſſe verum pro caſu quo quis in vna Eccleſia commiſerit illa crimina, & confugerit ad aliam, quia adhuc verum eſt iſtum perpetraſſe illud

delictum

Digitized by Google

delictum in Eccleſia. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *num.* 15. Sanchez *ſuprà num.* 16. Nota tertio, id etiam eſſe verum, quando quis extra Eccleſiam exiſtens aliquem in Eccleſia exiſtentem plumbea pila, ſagitta aut lapide in eum miſſis, mutilat, vel occidit, quia iſte etiam dicitur in Eccleſia occidere, vel mutilare. Couarruuias *ſuprà*, Suarez *ſuprà num.* 7. Idem dico quando è contra aliquis intra Eccleſiam exiſtens alium extra exiſtentem occideret, vel mutilaret, propter eandem rationem. Syluester *ſuprà quæſt.* 6. Nauarrus *ſuprà num.* 21. Licet oppoſitum teneat Bonacina *ſuprà num.* 8. Nota quartò, quod licet Suarez ſuprà velit idem eſſe dicendum de eo, qui intra Eccleſiam exiſtens mandauit occidere, vel mutilare alium extra Eccleſiam exiſtentem, credo tamen probabilius eſſe contrarium, quia mandare occidere, ſeu mutilare non eſt verè occidere, vel mutilare, de quo ſolum loquitur Pontifex. Præſertim quia cenſura impoſita contra aliquid facientes non extenditur ad mandantes, niſi exprimantur, ergo ſimiliter priuatio immunitatis impoſita contra occidentes vel mutilantes, non extenditur ad mandantes. Bonacina *ſuprà* ex Deciano, & Ambroſino. Quintò nota, quod licet aliqui velint dictam deciſionem procedere etiam in caſu, quo quis ea delicta committat prope Eccleſiam, vel cœmeterium; maximè ſi præſumptio ſit id feciſſe, vt breui tempore poſſet confugere ad Eccleſiam (Couarruuias dicto *num.* 15. Sanchez *ſuprà num.* 20.) probabilius tamen credo oppoſitum, quia cum nec *in cap. immunitatem*, adducto, nec in Conſtitutione Gregorij fiat mentio, niſi ſolum de illis qui hæc crimina committunt in ipſis Eccleſiis, vel cœmeteriis, non eſt cur id extendatur ad illos, qui vel extra Eccleſiam, vel cœmeterium quacumque intentione id fecerint, ea crimina patrauerint. Suarez *ſup. num.* 9. Laymanus *ſuprà num.* 7. Diana *ſuprà Reſolut.* 3. & alij apud ipſum. Sexto nota, quod licet Pontifex Gregorius in dicta Conſtitutione dixerit, quod qui *homicidia, & mutilationes membrorum* in Eccleſia, vel cœmeterio committere non verentur, vtendo coniunctione illa *&*, quod etiam habetur ex dicto *cap. immunitatem*, qua denotari videtur vtrumque requiri, vt quis priuetur hoc priuilegio, veriſſimum tamen eſt contrarium, ſcilicet ſufficere vnum, vel alterum, ſcilicet occidere, vel mutilare: tum quia talis eſt vt credo praxis totius Eccleſiæ, tum quia aliàs dici deberet, quod occidens, & non mutilans, prout fieri poteſt, non priuaretur immunitate, quod eſt abſurdum. Nec nouum eſt dictionem *&*, aliquando ſumi disiunctiuè, iuxta dicta ſuprà verbo *dictio*, *num.* 19. Bonacina *ſuprà num.* 10. Septimò nota, quod committens talia crimina in aliis locis Sacris, quæ non ſunt Eccleſia, vel cœmeterium, non priuatur hac immunitate. Siquidem *dictum cap. immunitatem*, & Gregorius expreſsè ſolùm loquuntur de ea committente in Eccleſiis, vel cœmeteriis, & cum ſimus in pœnalibus, & odioſis, non eſt facienda extenſio ex identitate, vel maioritate rationis. Farinacius *conſil.* 76. *num.* 14. *lib.* 1. Barboſa *ſupra num.* 137. Maximè nota, quod licet plurium ſententia ſit deciſionem *dicti cap. immunitatem*, & Gregorij XIV. procedere etiam in aliis delictis grauibus extra homicidium, & mutilationem, ita vt ea committentes in Eccleſiis, & cœmeteriis non gaudeant Immunitate Eccleſiaſtica (Nauarrus *dicto num.* 20. Suarez *ſup. num.* 6. Portellus *in Dub. Regular. verbo Eccleſiæ Immunitas, num.* 15. & alij) nihilominus contrarium dicendum eſt poſt dictam Conſtitutionem Gregorij, ita vt committentes quodcumque aliud crimen præter homicidia, & mutilationes in Eccleſiis, &c. non priuentur illa. Ratio eſt, quia vt dixi, priuatio hæc immunitatis non eſt extendenda vltra caſus in Bulla contentos, tum quia ſumus in odioſis, & pœnalibus, tum quia Pontifex in ea ponit formam obſeruandam in extractione delinquentium ex locis Sacris cum particula taxatiua *tantum*; dicit enim *ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur, &c.* ergo non eſt trahenda ad alios caſus quoſcumque. Riccius *part.* 5. *Collectan.* 1792. Bonacina *ſup. num.* 12. Diana *ſup. Reſol.* 2. ex Farinacio, & aliis apud ipſos. Fauent litteræ quædam Sedis Apoſtolicæ, quas refert idem Diana *Reſol.* 1. & declaratio Sacræ Congregationis Immunitatis, quam retuli *ſuprà*, vbi habetur, quod furans in Eccleſia gaudet immunitate ipſius.

Priuantur etiam hoc priuilegio immunitatis, *qui* 12
proditoriè proximum ſuum occiderint. Hi enim exprimuntur in dicta Conſtitutione Gregorij. Dicuntur autem homicidæ proditores, qui occidunt hominem omnino incautum, & nihil tale cogitantem, aut cogitare debentem. Vnde ſi quis occidat aliquem cum quo amicitiam, vel ſocietatem ſimulabat, occiſor proditorius eſt. Sanchez *ſuprà num.* 26. Bonacina *ſuprà num.* 14. Diana *ſuprà Reſolut.* 5. Quare declaratum meritò eſt à Sacra Congregatione apud Franciſcum Leonem *in Theſaur. for. Eccleſiaſt. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 25. & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Immunitas*, matrem occidentem filium infantem non gaudere immunitate. Item apud eundem Barboſam *ibidem*, nec gaudere ea immunitate eum, qui committit homicidium veneno, aut mulierem, quæ malis medicamentis procurat abortum, ex declarationibus S. Congregat. apud Dianam *part.* 5. *in Collectan. illarum*. Iſti enim occidunt omnino incautos, & nihil cogitantes, aut cogitare debentes. Patet etiam alia declaratio S. Congregationis apud eundem Barboſam in loco relato *de iure Eccleſiaſtico*, *num.* 92. Licet oppoſitum tueatur ipſe Diana *part.* 3. *Reſolut.* 72. Qui verò occiderit ſuum inimicum etiam à tergo, aut dormientem, vel ex inſidiis, non eſt occiſor proditorius, quia talis occiſus præuidere poterat, & debebat ſe occidendum. Bonacina *ſuprà num.* 14. ex Farinacio, Ambroſino, & aliis. Addit Diana *ſup.* ita declaratum eſſe à Clemente VIII. in quodam Breui Archiepiſcopo Panormitano directo. Quare ius commune *cap.* 1. *de homicidio*, vbi oppoſitum habetur, correctum videtur à Gregorio XIV. in Conſtitutione relata, & Clem. VIII. in dicto Breui. Diana *ſuprà Reſolut.* 1. Attentans autem occidere proditoriè aliquem, ſed re vera non occidens, etiamſi vulneret, aut percutiat, non priuatur hoc priuilegio, quia verba Gregorij, ſcilicet *Occiderint*, præſertim in materia pœnali, & odioſa requirunt actum conſummatum cum effectu. Peregrinus *de Immunit. Eccleſiaſt. cap.* 7. *num.* 19. Diana *ſup. Reſol.* 4.

Item priuantur eodem priuilegio rei criminis aſſaſſi- 13
nij, ita enim habetur expreſsè ex dicta Conſtit. Gregorij. Sunt autem aſſaſſini propriè in præſenti illi, qui pecunia, pretio, aut promiſſione occidunt homines incautos, vel occidere ipſos faciunt. Naldus *in Summa verbo Eccleſia*, circa hanc Conſtitutionem Gregorij ex Farinac. & aliis. Vnde non ſolùm ipſi occidentes, ſed mandantes priuantur hoc priuilegio, quia in Conſtitutione dicta priuantur illo rei criminis aſſaſſinij, & tam occidentes, quam mandantes occiſionem ſunt rei huius criminis. Ambroſinus *de immunit. cap.* 7. Theſaur. *in prax. part.* 2. *verbo Aſſaſſinium, cap.* 1. Idem dico de attentantibus committere hoc ſcelus, etiam effectu occiſionis non ſequuto, quia etiam iſti dicuntur rei criminis aſſaſſinij. Diana *ſup. Reſol.* 18. Theſaurus *ſup.* Idem videtur dicendum de mediatoribus, ſeu complicibus; eo quod ipſi etiam dici poſſunt rei aſſaſſinij, & ita id ſequitur Peregrinus *tract. de Immunit. Eccleſ. cap.* 7. *num.* 36. Licet oppoſitum tueatur Diana 3. *part. Reſol.* 33. Non dicitur autem reus aſſaſſinij, qui ſine pretio, aut promiſſione alium occidit, vt gratum faciat alteri, nec qui illum occidit, ſpe ſuccedendi in bona ipſius, nec qui accipit pretium pro itinere faciendo ad

occiden

Digitized by Google

occidendum, quia iſti non dicuntur occidere ob pretium. Ambroſinus *ſuprà*. Bonacina *ſuprà num*. 18. Imò requiri ad hoc promiſſionem præmij determinati, non vagam, & incertam, tenent plures. Ambroſinus, & Bonacina *ibid*. Barboſa *ſup. num*. 97. Illud certius, quod qui occidit pretio, vel promiſſione, &c. inimicum, non eſt aſſaſſinus, quia iſte non cenſetur occidere incautum. Ambroſinus, & Bonacina *ibid*. ac Diana loco relato ea 1. *part. Reſolut*. 18. *&* 4. *part. Reſolut*. 309. Similiter, qui accepit pecuniam ſolùm pro vulnerando, percutiendo, &c. & non pro occidendo, non eſt aſſaſſinus. Ambroſinus *ſup*. Riccius *part*. 1. *deciſ*. 112. Diana *dict. Reſol*. 18.

14 Priuantur etiam eadem immunitate rei criminis hæreſis. Ita enim habetur in dicta Conſtitutione Gregorij. Cùm autem ſuſpecti de hæreſi, eſto hæretici non ſint, nihilominus ſint rei criminis hæreſis, cùm vt tales inquirantur, ideo etiam tales ſuſpecti priuati ſunt hac immunitate. Farinacius *tract. de Immunit. cap*. 13. *num*. 175. Ambroſinus *ſuprà cap*. 8. Diana loco relato ex 1. *part. Reſol*. 38. Qui verò ſint, aut dicantur de hæreſi ſuſpecti, habes ſuprà verbo *Hæreſis*, *num*. 4.

15 Tandem in dicta Conſtitutione Gregorij priuantur eadem immunitate rei criminis *læſæ Maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis*. Cum autem dicatur, *in perſonam ipſius Principis*, ideo qui crimen aliquod etiam læſæ Maieſtatis committeret contra Fiſcalem, Conſiliarium, Miniſtrum, ſtatuam, aut imaginem Principis, gaudere poterit dicta immunitate. Farinacius *ſuprà num*. 190. Peregrinus *ſuprà cap*. 10. Diana *ſuprà Reſol*. 7. *&* 20. Requiri autem videtur, quod id crimen ſit commiſſum à proprio ſubdito. Ambroſinus *ſup. cap*. 9. Bonacina *ſup. num*. 22. An verò etiam requiratur, quod crimen ſit contra Principem ſupremum nullum recognoſcentem Superiorem, an ſufficiat, quod ſit contra Principem ſuperiorem recognoſcentem, agunt Peregrinus *ſup. cap*. 9. & Diana *ſup. Reſol*. 6.

16 Cum autem in dicta Conſtitutione Pontifex vt dictum eſt, ſtatuat formam extrahendis delinquentibus ex Eccleſiis, & locis Sacris, ac decernat ſolùm committentibus præfata delicta non ſuffragari immunitatem Eccleſiaſticam, reuocetque omnia & ſingula priuilegia à Summis Pontificibus prædeceſſoribus aliquibus Principibus, ſeu Magiſtratibus conceſſa, auferatque facultatem aliter iudicandi, ac contra aliter facientes quouis prætextu cenſuras, & pœnas imponat, prout legenti conſtabit, ita vt per eam conſuetudinibus, & iuri communi derogetur, ideo non ſolùm portantes arma prohibita, iuxta dicta ſuprà verbo *Arma*, *num*. 7. ſed etiam omnes debitores, maximè debito ciuili (ita declarante Sacr. Congregat. in vna Cortonenſi 21. Iulij 1617. & in vna Beneuentana 10. Maij 1619.) etiam falliti, ſeu decocti (licet iſtos cum fraudulenti ſunt, non eſſe multo tempore in Eccleſia tolerandos, nec poſſe bona in creditorum præiudicium ad eam deferre, declarauerit etiam Sacr. Congregatio apud Dianam *part*. 5. *in Collect. iſtar. Declarat*.) adulteri, raptores virginum, monetarij, ſimoniaci, ſodomitæ, frangentes carceres, banniti, condemnati ad triremes, vel aliud opus publicum, ac quicumque alij rei, ſeu delinquentes, præter contentos in dicta Conſtitutione potiri poſſunt Eccleſiaſtica Immunitate, cum exceptio regulæ firmet illam in contrarium. De quo Bonacina *ſup*. §. 4. *num*. 2. 3. *&* 4. Diana *ſup. Reſol*. 1. *&* 39. maximè *part*. 5. *tract*. 1. *Reſol*. 2. & Barboſa *ſup. à num*. 121. Idem dicit Bonacina *num*. 3. de blaſphemis, & Barboſa *num*. 125. de ſortiariis, ſeu maleficis. Sed quia tales ſolent eſſe ſuſpecti de hæreſi, ideo quando tales fuerint, non gaudebunt. Quare declaratio quædam S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ad Archiepiſc. Iannenſ. quam refert idem Barboſa *n*. 132. in qua de ſtrigia inferentibus in Eccleſia dicitur gaudere immunitate hac, intelligi debet in caſu quo abſit talis ſuſpicio hæreſis.

Hinc ſpecialiter ad praxim Regularium, de apoſtatis à Religione dicendum, ſcilicet ipſos gaudere poſſe Immunitate Eccleſiaſtica, cum non excipiantur in Bulla Gregorij XIV. & ita tenent Farinac. *de Immunit. cap*. 13. *num*. 169. Duardus *in Bulla Cœnæ*, *lib*. 2. *can*. 15. & Diana *ſuprà Reſolut*. 23. Animaduertunt tamen id eſſe intelligendum reſpectu Eccleſiarum, quæ non ſunt ſui Ordinis, non verò Eccleſiarum Ordinis à quo apoſtatarunt. 17

Circa quartum de effectibus immunitatis dicendum eſt, primum eorum eſſe, ne capi poſſit in Eccleſia delinquens ad eam confugiens, prout in iuribus relatis, & Conſtitutione Gregorij ſupponitur. Secundum, ne ipſi prohibeantur, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, ſcilicet cibus, potus, veſtitus, &c. *leg. præſenti*, *Cod. de his*, *qui ad Eccleſiam confugiunt*. Tertium, ne bonis ſuis, quæ ad Eccleſiam detulit, exſpolietur, *cap. definiuit* 27. *quæſt*. 4. [In quo tamen video Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 14. Nouembris 1636. præcepiſſe bona poſita in loco immuni in præiudicium creditorum deponi debere in loco non immuni. Et die 9. Martij 1635. præcepiſſe Vicario Generali Mediolanenſi, ne talia bona retinerentur in loco immuni in præiudicium creditorum. Item 12. Decembris 1642. præcepiſſe, vt ex quadam Eccleſia extraherentur bona eò tranſportata in fraudem creditoris, conſignanda tamen Iudici competenti.] Quartum, ne dum in Eccleſia exiſtit, damnari queat ad mortem, vel ad pœnam ſaltem corporalem, vt ſunt exilium, triremes, ſeruitutem, &c. *cap. id conſtituimus* 17. *quæſt*. 4. *cap. inter alia, de Immunit. Eccleſ*. Quintum, vt delinquens per vim, aut dolum extractus, reſtituatur Eccleſiæ, *cap. ſicut antiquitus*, *& cap. miror*, 17. *quæſt*. 4. Dixi per vim aut dolum, quia ſi extractus eſt precibus, blanditiis, aut promiſſionibus, non fuit inuitus. Sextum, quod proceſſus iudicij, & omnia acta contra talem reum ſunt prorſus irrita, & nulla. De his Sylueſter *in Summa, verbo Immunitas* 3. *quæſt*. 4. *&* 11. Suarez *ſup. cap*. 12. Bonacina *ſup*. §. 5. Layman. *ſup. n*. 13. & alij. 18

Ex quo collige, reum in Eccleſia exiſtentem non poſſe priuari ſuis armis, iuxta dicta ſuprà verbo *Arma*, *num*. 7. nec poſſe ſatellites ab eo auferre rem aliquam, etiam furto acceptam, tum propter dicta, tum quia nullus actus iuriſdictionis exerceri in ipſum poteſt, dum in Eccleſia manet, à poteſtate laica. Peregrinus *de Immunitat. Eccleſiaſt. cap*. 13. *num*. 5. *& cap*. 12. *num*. 8. Diana *ſuprà Reſolut*. 8. Nec caſu quo per vim ab Eccleſia, ſiue à ſatellitibus, ſiue ab aliis extractus fuerit, poſſe Iudices aduerſus eum procedere, quia ſic extractus habet ius vt reſtituatur Eccleſiæ, ac per conſequens, quod nihil contra ipſum agatur, Farinac. *ſup. cap*. 20. *num*. 324. Peregrinus *ſup. cap*. 14. *num*. 10. Genuenſis *in praxi cap*. 17. *num*. 5. ſic iudicatum in Curia Archiepiſcopi Neapolitani anno 1598. referens. Nec caſu quo extractus fuit ab Eccleſia, cuius immunitate gaudebat, ſub promiſſione illi facta à Iudice, quod non puniretur, debet, aut poteſt puniri, quia ipſi fides ſeruari debet, vel ad Eccleſiam remitti, propter ius, quod habet ad ipſius immunitatem. Nauarrus *dicto cap*. 25. *num*. 22. Sanchez *ſup. dub*. 12. Caſu vero, quo quis captus eſſet extra locum Sacrum, ſi per illum ducatur ad carcerem, vel ſupplicium, non propterea gaudebit immunitate Eccleſiaſtica, talis enim non eſt ingreſſus liber in locum illum Sacrum, nec dicitur captus in loco Sacro. Bonacina *ſup*. §. 2. *num*. 10. ex multis aliis. Quando vero quis cum ipſo ſatellite intrat in Eccleſiam, gaudere immunitate ipſius, tenet Diana *part*. 3. *tract*. 1. *Reſolut*. 36. alios pro ſe referens. [Nota etiam declaratum eſſe à Congregatione ſuper controuerſiis iuriſdictionalibus, 15. Ianuarij 1632. quod 19

contra

contra auferentes arma à confugientibus ad Eccleſiam procedendum eſſet vti contra violatores Immunitatis Eccleſiaſticæ.]

20 Circa quintum de culpa & pœnis extrahentium reos ab Eccleſiis, præterquam in caſibus iure permiſſis, de quibus ſuprà, dicendum hanc culpam eſſe mortalem. Primò ſacrilegij, propter irreuerentiam, quæ infertur loco Sacro, in cuius honorem hæc immunitas introducta eſt. Secundò, iniuſtitiæ, quia eo ipſo, quo reus eſt in Eccleſia, & gaudet ipſius immunitate, habet ius, ne extrahatur ex illa. Suarez *ſupra cap.* 13. *num.* 4. *&* 9. Bonacina *ſup.* §.6. *num.* 1. Vnde conſequenter extrahens tenetur ad reſtitutionem damni illati reo ſic extracto, quia ex peccato contra iuſtitiam commutatiuam, quale eſt hoc, oritur obligatio reſtitutionis, Suarez *num.* 15. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 15. *punct.* 1. Vel eius hæredibus, propter eandem rationem, Medina *in Summa lib.* 1. *cap.* 16. *& cap.* 9. & alij quos refert, & ſequitur Sanch. *tom.* 1. *conſil. Moral. lib.* 3. *c. vnic. dub.* 17. vbi oppoſitum etiam probabile vocat.

21 Pœnæ autem ſic extrahentium, de quibus Barbonius *ſupra art.* 3. ſunt. Prima, ex iure ciuili, ſcilicet criminis capitalis, & læſæ Maieſtatis. *leg. fideli. & leg. præſenti, Cod. de his, qui ad Eccleſias confugiunt*, licet hæc pœna non videatur iam eſſe in vſu. Bonacina *ſupra num.* 5. Secunda ex iure Canonico, ſoluendi nongentos ſolidos Epiſcopo, & iudicio ipſius mulctari pœnitentia publica, *cap. ſi quis contumax*, 17. *quæſt.* 4. & ſoluendi triginta libras argenti, *cap. quiſquis* 17. *quæſt.* 4. Suarez *ſuprà num.* 7. Quam pœnam etſi aliqui credant per conſuetudinem abrogatam eſſe, Concilium tamen Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. & Gregor. XIV. in dicta Conſtitutione eam innouare videntur. Bonacina *ſuprà*. Tertia eſt pœna excommunicationis ferendæ in multis Canonibus, 17. *quæſt.* 4. Farinacius *de Immunitate Eccleſiaſtica, num.* 312. Syluester *in Summa, verbo immunitas* 3. *quæſt.* 8. In Conſtitutione tamen Gregorij adducta videtur impoſita excommunicatio latæ ſententiæ. Dicitur enim in ea contra tranſgreſſores, *Si quis quacumque dignitate, & authoritate præditus præmiſſorum alio quouis prætextu quidquam præter, aut contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, Iuris, & Immunitatis Eccleſiaſticæ violatores per Sacros Canones & Conciliorum generalium, noſtrorumque prædeceſſorum Conſtitutiones ſunt promulgatæ.* Farinacius *ſuprà num.* 311. Theſaurus *in praxi, parte* 2. *verbo immunitas, cap.* 1. & inclinat Naldus *in Summa verbo Caſus reſeruatus, numero* 1. Quamvis autem hæc excommunicatio ſecundùm aliquorum opinionem quos referunt, & ſequuntur Bonac. *ſup. num.* 8. Naldus *ſup.* & Diana *part.* 1. *tract.* 1. *Reſolut.* 41. non ſit reſeruata Papæ, oppoſitum tamen eſt certum. Primò, ex decreto S. Pœnitentiariæ facto verbo cum Paulo V. quod refert Peregrinus *de immunit. cap.* 15. *num.* 16. Secundò, ex declaratione S. Congreg. de ann. 1617. quam refert Barboſa *ſup. n.* 167. Tertiò, ex ſtilo Curiæ, & decreto S. Congregat. Immunitatis de anno 1631. prout refert Theſaur. *ſup.* qui propterea rem hanc eſſe certam dicit. [Quartò, ex alia declaratione quam vidi S. Congreg. Immunitatis in vna Licienſi 13. Iulij 1639.] Vnde Farinac. *ſup. cap.* 20. *num.* 315. acriter inuehitur in oppoſitum exiſtimantes. Caſu vero, quo hæc excommunicatio non eſſet Papæ reſeruata reſpectu Epiſcoporum, certiſſimum tamen eſt reſeruatam eſſe pro Confeſſariis ſæcularibus, ſiue Regularibus, prout fatentur etiam Bonacina, & Diana relati, propter decretum S. Congregationis ſub Clement. VIII. quod retuli *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. vbi inter caſus, quorum abſolutio negatur dictis Confeſſariis cum abrogatione omnium priuilegiorum, vnus eſt iſte. *Violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregor. XIV. quæ incipit*, Cum aliàs. Hæc verò excommunicatio incurritur quoque ab attentantibus extrahere, etiam effectu non ſequuto, vt patet ex verbis Conſtitutionis Gregorij: *Contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerint.* Farinac. *ſup. num.* 321. Peregrinus *ſup. cap.* 11. *num.* 7. Diana *ſup. Reſol.* 15. Incurrens autem dictam excommunicationem abſoluendus non eſt donec reſtituat reum loco Sacro. [Ita enim colligo ex declaratione S. Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ, 11. Aug. 1638.] Farinac. *ſup. num.* 311. Theſaurus *ſup.* Apud quem etiam de aliis pœnis, quas incurrunt ſic extrahentes reum è loco Sacro in caſibus non permiſſis.

Circa ſextum de praxi obſeruanda, præſertim à Regularibus circa huiuſmodi reos ad eorum loca Sacra confugientes, diſtinguendum eſt; vel enim tales rei gaudent Immunitate Eccleſiaſtica, eo quod ipſorum delicta non ſint ex ſuperius relatis, & contentis in Conſtitutione Gregorij, vel non gaudent illa, quia commiſerunt aliquod ex prædictis delictis ibi contentis, & relatis: ſi primum, defendi debent à Regularibus contra Miniſtros iuſtitiæ ſæcularis eos extrahere volentes, abſcondendo ipſos, ianuas claudendo, & abſtrahendo de manibus prædictorum Miniſtrorum, ac illis intimando cenſuras, & pœnas contra violatores Eccleſiaſticæ Immunitatis in Iure, & dicta Conſtitutione Gregorij impoſitas. Suar. *ſup. num.* 4. poſt Couarruuiam, & alios. Non tamen licet id facere armis, cum Eccleſia non ſit defendenda more caſtrorum, & Eccleſiaſticis perſonis id prohibitum ſit ſine ſpeciali diſpenſatione, quæ in hoc caſu non conceditur, nec regulariter neceſſaria eſt: ſed cenſuris, intellige, ſi ibi adſit Epiſcopus, vel alius ſuperior potens illas imponere ſæcularibus, *cap. miror* 17. *quæſt.* 4 Sanch. *ſup. dub.* 7. Layman. *ſup. num.* 14. Si autem armis id fiat, morſque aut mutilatio inde ſequatur, irregularitas incurretur. Theſaur. *ſuprà*. Pro quo vide dicta verbo *Bellum*. Poſſunt tamen interdum Paſtores Eccleſiæ vti auxilio laicorum ad Eccleſiam defendendam, ſi tamen ſine ſcandalo id fieri poſſit, & grauis neceſſitas id expoſtulet, quia licitum eſt vim vi repellere, ſeruato tamen moderamine, & regulis prudentiæ. Suar. *ſup. num.* 5. Bonac. §. 5. *num.* 1. Eccleſiaſtici porrò, ſeu Regulares tradentes reum Curiæ ſæculari in prædictis caſibus, in quibus frui poteſt Eccleſiaſtica Immunitate, ſi inde mors, aut mutilatio ipſius ſequatur, incurrent irregularitatem, quia cenſentur cooperari morti, vel mutilationi ipſius. Sorbus *in additionib. ad Comp. Priuil. Mendic. verb. Eccleſia Fratrum.* Rodrig. *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 50. *art.* 3. An effugiant hanc Irregularitatem Eccleſiaſtici, ſeu Regulares qui tradunt reum curiæ ſæculari, præmiſſa cautione & proteſtatione impunitatis circa corpus ipſius, probabilius eſt eam incurrere, cum talis proteſtatio ſit contraria facto, nec iura pro hoc caſu excuſent ſic facientes præmiſſa proteſtatione, præſertim cum grauiter peccent, Bonac. *de Irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *num.* 29. Theſaurus *ſup.* An verò etiam incurrant Irregularitatem non defendentes reum, ſed permittentes eum extrahi, Theſaurus reſpondet negatiuè. Sed oppoſitum probabilius cenſeo loquendo de Prælatis, eo quod ipſi ex iuſtitia, & ex officio teneantur tueri Immunitatem Eccleſiarum. Vide dicenda verbo *Irregularitas, num.* 71.

Prædictis etiam reis ad Eccleſias confugientibus tenentur Regulares, ſiue Clerici illarum Eccleſiarum de victu prouidere, ſi aliàs ipſi non habent proprium, vel ſi habent, eo vti non poſſunt, tum ex illa regula Charitatis, *ſi non paniſti occidiſti*; tum ne cogantur tradere ſe Curiæ ſæculari contra Eccleſiæ Immunitatem: tum *ex l. præſenti, Cod. de iis qui ad Eccleſ. confugiunt*; tum à ſimili de cuſtode carceris, qui prouidet captiuis, *C. de Epiſcop. audient. l. vt iudices*, Gloſſa *in cap. Diffiniunt*, 17. 23

Digitized by Google

nium 17. *queſt*.4. Quando autem ſua poteſt habere tenetur ad reſtitutionem, prout ex S. Thoma infert Sylueſter *in Summa*, *verbo Immunitas* 3. *num*. 5. Vide Sorbum, & Rodriguez *ſup*. aſſerentes non eſſe id prohibitum Regularibus, ſed poſſe id facere non obſtante excommunicatione quadam Sixti V. pro Regno Neapolitano, quia hæc (ioquiunt) per Conſtitutionem prædictam Gregorij Decimiquarti ſublata eſt.

24 Hic tamen aduertendum, quod licet banniti, qui non commiſerint ea delicta expreſſa à Gregor. XIV. in dicta Conſtitutione, gaudere poſſint Immunitate Eccleſiaſtica, iuxta dicta *num*. 16. & ſuprà verbo *Bannitus*, *num*. 8. nihilominus circa eorum receptionem, detentionem, & traditionem obſeruari debent, quæ ex præſcripto S. Congregationis Concilij in litteris ad Epiſcopos, & Nuncios mitti ſolitis, dixi eo verbo *Bannitus*, *num*. 1. & 8.

25 Loquendo autem de reis, qui commiſerunt delicta expreſſa in Conſtitutione Gregorij XIV. vt propterea gaudere non poſſint Immunitate Eccleſiaſtica, tenentur Prælati eos conſignare Curiæ ſæculari quando ab ipſa fuerint requiſiti, ſi prædicta delicta, aut eorum aliquod iudicio ſuo commiſiſſe videbuntur, prout Pontifex his verbis declarauit. *Sed vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Primat. Archiepiſc. Epiſcop. cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum tam ſecularibus, quam cuiuſuis Ordinis Regularibus diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos & alia loca ſupradicta Sacra, ſeu Religioſa reſpectiue confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod iudicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando a Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus a Miniſtris Officialibus Curiæ, abſque Irregularit. nota, aut alicuius cenſura Eccleſiaſtica incurſu, tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.*

26 Sed antequam delinquens Curiæ ſæculari tradatur obſeruare debent Regulares, & quicunque alij id quod idem Pontifex his verbis præcipit. *Ne autem Curia ſæcularis prædicta Miniſtri facultate illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi ſibi olim, vt præfertur, attributa, & per præſentes reuocata abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia ſæcularis, eiuſque Iudices, & Officiales ab Eccleſiis, Monaſteriis, locisque Sacris prædictis laicum aliquem, vt ſupra, delinquentem, in nullo ex caſibus prædictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos, & non alios Epiſcopis inferiores, etiamſi alij Ordinarij ſint, aut nullius Diæceſis, aut Conſeruatores ab hac Sede ſpecialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius Diæceſis, tunc ad Epiſcop. viciniorem deuoluatur hac cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus; & dicta perſona Eccleſiaſtica requiſita illos in delictis ſuperius expreſſis culpabiles tradere captura, carcerationiue interuenire, & aſſiſtere recuſauerint; tuncque reuerentia Eccleſiæ & locis Sacris debita memores prædictos delinquentes minori quoad id fieri poterit cum ſcandalo, & tumultu, extrahere curent.*

27 *Quandoque delinquentes laïci prædicti, poſtquam vt præfertur ab Eccleſiis, locisve Sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuta, ac firma carcere, ac opportuna cuſtodia data illic (ſi opus fuerit) per Curiam ſæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo Deputatum, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per Iudicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari, quacunque appellatione poſtpoſita, conſignentur.* Conſonat circa hoc declaratio S. Congreg. apud Dianam 5. *part. in Collectione iſtarum declarationum*.

Circa quæ primò notandum, ex illis haberi, Iudicibus ſæcularibus nullatenus licere extrahere reos à loco Sacro ſine prædicta licentia, etiam in caſibus in quibus illi non gaudent dicta immunitate. Peregrinus *de immunitat. cap*. 14. *num*. 6. Diana *part*. 4. *tract*. 1. *Reſolut*. 42. Secundò, nomine Officialis Epiſcopi in hoc loco intelligi Vicarium generalem ipſius, prout ex Clement. II. *de reſcript*. Gloſſa & Sanchez affert Bonacina *ſupra*, §. 7. *num*. 2. Tertiò, quod licet ad hoc, quod Epiſcopus, ſeu ab ipſo deputatos tradat reum Curiæ ſæculari, debeat cognoſcere an ille commiſerit aliquod ex delictis expreſſis in Conſtitutione Gregorij, non teneatur ſtare proceſſui facto à Curia ſæculari, quia poteſt illum habere ſuſpectum, vtpote factum in cauſa propria ipſius contendentis (Naldus *in Summa*, *verbo Eccleſia*, *num*. 32. Bonacina *ſuprà num*. 3.) poteſt tamen illi ſtare, ſi prudenter credat legitimè eſſe factum, & ſe poſſe vti illo ad ſuam conſcientiam informandam. Naldus *ibidem*. Regulariter autem loquendo Epiſcopus debet nouas probationes facere. Bonacina *ſuprà* ex aliis. Imò hæ probationes debent eſſe certæ, nec fundatæ ſolùm in coniecturis, & præſumptionibus, ſummariè tamen, & quamcitiùs fieri poteſt, expediendæ, prout ex declaratione S. Congregationis refert Naldus ſuprà. Vide Dianam 3. *part. tract*. 1. *Reſolut*. 38. *& tomo* 5. *in Collectan. declarat. Sacr. Congregat. num*. 41. vbi affert vnam Cremonenſem circa qualitatem ſententiæ requiſitæ ad extrahendum reum. Nota quartò, quod etiam in dubio an reus in loco Sacro, vel prophano captus ſit, ſpectat ad Epiſcopum, & non ad alios Prælatos Regulares id decidere, prout ex Peregrino, Correa, & aliis affert Barboſa *ſupra n*. 556. *&* 557. Nota quintò, nullum Epiſcopum, vel Prælatum poſſe dare licentiam extrahendi reum inuitum ex loco Sacro extra caſus prædictos, aliàs incurrerent in cenſuras poſitas in Conſtitut. Gregorij, prout ex Farinacio, & Caſtro Palao tenet Theſaurus *ſuprà*. Vnde conſequenter incurrent irregularitatem, ſi contingat propterea mors, aut mutilatio rei, iuxta dicta *ſup. n*. 22. 28

Quia tamen reis ad Eccleſiam confugientibus, & Regularibus non permittentibus eos tradi Curiæ ſæculari, ſolent aliquando Miniſtri talis Curiæ fores Eccleſiarum, vel Monaſteriorum infringere, aut in illis aliquam violentiam exercere, notanda ſunt priuilegia aliqua Religionum quoad hoc, & pœnæ, quas hæc facientes incurrunt, quæ referunt Caſſarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium*, *verbo Eccleſia Fratrum*, *num*. 3. & Rodriguez *ſuprà art*. 2. ac ea quæ dixi *tomo* 1. *part*. 2. *cap*. 10. *num*. 51. [Nota tandem ex praxi Curiæ non dari abſolutionem ſaltem in foro exteriori Iudici laïco, qui extraxit reum ab Eccleſia, & pœna capitis condemnauit, prout ſeruatum à S. Congregatione Immunitatis Eccleſiaſticæ in vna Neapolitana 20. Iunij 1650. & 16. Septembris 1625. Declarauit etiam Congregatio ſuper controuerſiis iuriſdictionalibus 7. Septembris 1638. quod Breuia Pœnitentiariæ non ſuffragantur in foro exteriori, ſed in foro conſcientiæ, præuia tamen ſatisfactione in materia violationis libertatis, ac iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. 29

IMMVNITAS ECCLESIASTICA Regularium.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*

2 *Immunes ſunt Regulares ab oneribus perſonalibus ſordidis.*

Iism

Digitized by Google

3 *Item ab oneribus perſonalibus indifferentibus.*
4 *Et ab oneribus perſonalibus ciuilibus, & honeſtis.*
5 *Item à muneribus patrimonialibus.*
6 *Quid in caſu magnæ neceſſitatis laicorum.*
7 *An poſſint cogi ad hoſpitandum milites.*
Quid declaratum à S.Congreg. ibid.
Quid tempore belli. ibid.
8 *Quid per ſtatuta, ſeu ordinationes Magiſtratuum.*

1 DE Regularium Immunitate Eccleſiaſtica, quoad forum laïcale, per quam ipſis competit ne conueniri queant coram laicis iudicibus, dixi ſuprà verbo *Clericus*, & verbo *Exemptio Regularium.* De immunitate ipſorum à ſolutione decimarum ſuprà verbo *Decima.* Qualiter exempti ſint à Iuriſdictione Epiſcoporum, & in quibus caſibus eiſdem ſubiecti, ſuprà verbo *Cauſa iudicialis Regularium*, & verbo *Epiſcopus*, & verbo *Exemptio Regularium.* De immunitate ipſorum à gabellis, & ſimilibus contributionibus ſuprà verbo *Gabella quoad Regulares*, de immunitate Eccleſiarum ipſorum ſuprà verbo *Immunitas Eccleſiarum.* Nunc verò ſpecialiter agendum de Immunitate eorundem Regularium ab oneribus, ſiue realibus, ſiue perſonalibus, ſiue mixtis, quæ ſæcularibus imponi ſolent, ſiue ea ſordida, aut ſeruilia, indifferentia, vel etiam honeſta ſint. Onus autem reale eſt id, quod bonis ipſorum imponitur, perſonale quod perſonis, mixtum quod partim bonis, partim perſonis. Rurſus hæc ſunt alia honeſta, vt munus legationis, alia indifferentia, vt munus tutelæ, alia ſordida, aut ſeruilia, vt foſſas facere, cloacas, vel vias purgare, &c. De quibus Bacconius *in 4.diſt.12.art.2.*

2 Et vt à certioribus incipiamus, dicendum, Regulares, ac Eccleſiaſticos omnes immunes eſſe ab oneribus perſonalibus ſordidis, ſeu ſeruilibus laïcalibus, qualia ſunt foſſas facere, cloacas, aut vias purgare, onera proprio corpore ferre, in cophino ad conſtructiones murorum ſeruire. Hoc conſtat, non ſolùm ex indecentia talium actuum, ſed etiam *ex l.2.C.de Epiſc. & Cleric. cap. generaliter, & cap. Placet, 16. quæſt.1. & cap. non minus, de immunit. Eccleſiar.* Baccon. *ſup.* Azor. *tom.3. inſtitut.moral.lib.5. cap.19. quæſt.12.* Imponentes autem illis talia onera, ſi commoniti deſiſtere noluerint, & fautores eorum excommunicationi ſubiacent, à qua non abſoluuntur, donec ſatisfactionem fecerint *d.cap. non minus,* Theſaurus *in prax. part.2. verbo Immunitas, cap.2.* Incurrunt enim excommunicationem latæ ſententiæ in Bulla Cœnæ poſitam contra imponentes onera perſonis Eccleſiaſticis, vt patet ex verbis ipſius ſuprà verbo *Bulla Cœnæ, num.46.* Theſaurus *ſuprà.* Extenditur etiam hoc priuilegium ad ſeruos, & mancipia ipſorum, propter *cap. placet, & cap. iuxta ſanctionem, 16.quæſt.1.* Azor. *ſup.* Notans per mancipia intelligi ſeruos, qui ſunt ſub dominio Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum, non illos, qui ſunt famuli mercede conductitij.

3 Immunes etiam ſunt à muneribus, ſeu oneribus perſonalibus indifferentibus, qualia ſunt munus tutelæ, militiæ, cuſtodiæ murorum, curæ pupillorum, & adultorum furioſorum, mutorum, & ſurdorum, & aliarum perſonarum, quibus tutores, vel curatores à legibus dantur, *l.2.C. de Epiſcop. & Cleric. cap. generaliter, relato.* Et cogentes illos ad iſta incidunt in excommunicationem poſitam *in cap. non minus, de Immunitate Eccleſiarum*, de qua ſuprà, vbi eſt ſermo de expeditionibus. Theſaurus *ſuprà cap.3.* vbi etiam de aliis pœnis contra iſtos poſitis. An verò etſi non poſſint Regulares ad iſta cogi, poſſint ſaltem ea ſponte ſuſcipere ex licentia Prælatorum, dixi *tom.1. part. 1. cap.9. num.17.* loquens de tutela. Pro quo vide Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.34. n.21.* & ſequentibus, ac Barboſam *de iure Eccleſiaſt. lib.1. cap.39. §.5. num.72.* & ſequentibus. [Tempore autem neceſſitatis (intellige grauis) ciuitatis, teneri nihilominus ad cuſtodiam murorum ipſius, *ex cap. peruenit, de immunit. Eccleſ.* cum nulla maior pietas ſit quam patriam defendere, *cap. Fortitudo 23. quæſt.3.* tenet Tamburinus de iure Abbatum *tom.3. diſp.12. quæſit.5. num.7.*]

Immunes etiam ſunt à muneribus perſonalibus ciuilibus, & honeſtis, vt à munere legationis, decurionatus, iudicis, &c. *C. de Epiſc. & Cleric. Sacerdotib. & cap. ſed nec procurationes, de Cleric. vel Monach.* Azor. & Theſaur. *ſup.* animaduertens imponentes iſta Eccleſiaſticis non incurrere in ſententiam excommunicationis *cap. non minus*, quia ibi eſt ſermo de imponentibus onera, hæc autem non ſunt onera, ſed honores. Verumtamen, quia onera ſequuntur honores, & ipſa impoſitio honorum eſt quædam vis, & coactio contraria libertati Eccleſiaſticæ; ideo credi poteſt ſic facientes comprehendi dicta excommunicatione, *cap. non minus.* 4

Immunes quoque ſunt à muneribus patrimonialibus, ſiue realibus, ſiue perſonalibus, ſiue mixtis, quæ imponuntur ratione patrimoniorum, rerum, aut bonorum, aut perſonarum, habita ratione ad bona, propter iura, & fundamenta adducta ſuprà verbo *Gabella quoad Regulares*, vbi etiam de pœnis ea imponentibus. De quo ex antiquioribus Bacconius *ſuprà*, & ex modernis Theſaurus *ſuprà, cap.4.* Conſtat etiam ex declarat. S.Congreg. apud Dianam *tom. 5. in Collect. ipſarum, num.45.* non teneri ad ſolutionem onerum impoſitorum pro phyſico, chirurgo, & ludimagiſtro. 5

Sunt tamen circa hæc aliqua animaduertenda, primò iuxta dicta eo verbo *Gabella quoad Regulares, num.22.* quod in caſu magnæ neceſſitatis laicorum, cum vires ipſorum non ſufficerent, tenerentur etiam Eccleſiaſtici, & Regulares onera prædicta, ſiue realia, ſiue perſonalia, ſiue mixta ſubire, dummodo ea non repugnent ſtatui ipſorum, & ita ordinetur ab Epiſcopo reſpectu Clericorum ſæcularium, & à Prælatis Regularibus reſpectu ipſorum, nec adſit tempus recurrendi pro licentia ad Sedem Apoſtolicam. Ita enim colligitur *ex cap. Placet 16. quæſt.1.* verbo illo, *niſi quaſi aduentitia neceſſitatis ſarcina, & cap. peruenit, & cap. non minus, de Immunit. Eccleſiarum.* De quo Innocentius, Abbas, Ioannes Andreas, Hoſtienſis, & Butrius *ibidem.* Layman. *lib.4. tract.9. cap.6. num.7.* Theſaurus *ſuprà cap.3.* Qualis autem debeat eſſe hæc Epiſcopi licentia, agunt Suarez *in defenſ. fidei lib.4. cap.25. num.17.* Caſtrus Palaus *tomo 2. tract. 12. diſput. vnic. punct.6. num.7.* & Diana *5. part. tract.1. Reſolut.11.* Vbi etiam quando facultates laïcorum cenſeantur non ſufficere. Nota ſecundò, quod imponentes Eccleſiaſticis, ſeu Regularibus aliqua ex prædictis oneribus per leges, vel ſtatuta, præter alias pœnas, & cenſuras, de quibus *4.tom.* verbo *Statutum*, dicetur, incurrunt etiam excommunicationem latam in Bulla Cœnæ verbis relatis verbo *Bulla Cœnæ, num. 40.* ibi enim excommunicantur omnes, & quicumque facientes Statuta, Ordinationes, & Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta, &c. vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur. Theſaur. *ſup.* 6

Ex dictis autem modo, & ſuprà verbo *Gabella quoad Regulares*, elicitur deciſio aliquorum caſuum circa Immunitatem hanc Regularium, & aliorum Eccleſiaſticorum. Primò, non poſſe illos cogi ad hoſpitandum milites, prout *ex l.3.C.de Epiſcop. & Cleric.* colligunt communiter Doctores: & ratio eſt, quia vel hoc eſt impoſitio, vel gabella, à quibus ſunt immunes, iuxta dicta ſuprà verbo *Gabella quoad Regulares*, niſi in caſibus ibi expreſſis; vel eſt munus, aut onus indifferens, à quibus ſimiliter ſunt immunes, niſi in caſu magnæ neceſſitatis, & cum conditionibus ſuprà poſitis. De quo Piaſecius *in prax. Epiſcoporum, part. 2. cap.4.* 7

num. 506. *verſ. neque tenentur.* Molfeſius *in Summa Theolog. Moral. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 166. Vnde extat declaratio Sacr. Congregat. Epiſcoporum, & Regularium apud Dianam 4.*part.tract.*1. *Reſolut.* 32. non poſſe hoſpitari milites in Domibus Eccleſiaſticorum ſæcularibus locatis, cum hoc indirectè præiudicium ſit Eccleſiaſticorum. In Regno etiam Neapolitano obſeruatur, quod caſu, quo Regularis, vel Eccleſiaſticus eſſet in aliqua domo vbi eſſent laïci, verbi gratia, parentes, vel fratres, tales laïci non coguntur hoſpitare milites, ne Eccleſiaſticus inde ſuſtineat incommodum, ſed contribuunt in pecunia. Molfeſius *ibidem.* Barboſa *ſuprà num.* 71. Imo nec hanc contributionem admittunt Riccius, & Carolus de Graſſis ab eodem Diana relati. Secundò, nec poſſe obligari ad vendendum triticum, vel aliam rem, ratione neceſſitatis populi, propter eandem rationem, & inta generaliter eos calmentia ab huiuſmodi vexationibus, *cap. non minùs, cap. aduerſus, de Immunitate Eccleſiarum, cap. quamquam, de cenſibus, in* 6. niſi cum conſenſu Superioris Eccleſiaſtici, aut niſi fames, aut neceſſitas eſſet valde magna, & periculum eſſet in mora, propter diſtantiam talis Superioris. Diana *part.* 1. *tract.* 2. *Reſol.* 8. *& part.* 4. *tract.* 1. *Reſol.* 87. Tertiò nec poſſe compelli ad reparationem propriarum Eccleſiarum, quia etſi ipſi ad hoc teneantur, non tamen propterea conceſſa eſt facultas laicis ad cogendum illos ad id faciendum. Diana *part.* 3. *tract.* 1. *Reſolut.* 8. Quartò, nec poſſe cogi tempore belli ad cuſtodias murorum, vigilias & ſimilia, propter dicta ſuprà. Excipe tamen caſum, quo bellum eſſet contra infideles, ſeu hæreticos, aut ipſorum fautores: tunc niſi aliter Regnum, Ciuitas, aut caſtrum defendi non poſſent, tenerentur Eccleſiaſtici ad prædicta, & expenſas faciendas, concurrente videlicet conſenſu Prælatorum, immo & Summi Pontificis, ſi fieri poſſet, & non eſſet periculum in mora, iuxta dicta ſuprà. Tum quia tunc ageretur de cauſa fidei, quæ eſt priuilegiatiſſima, & anteponi debet cunctis aliorum priuilegiis: tum quia, *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, iuxta Regulam 29. in 6. tum quia recta ratio, aut ius naturæ id præſcribit. De quo Abbas *in cap. non minus, de Immunitate Eccleſiarum.* Henricus *Gandauenſis quodlib.* 9. *quæſt.* 31. *in fin.* Layman. *ſup. d. num.* 7.

8 Quia tamen quando huiuſmodi imponuntur Eccleſiaſticis, imponi ſolent per ſtatuta, ordinationes, aut decreta Magiſtratuum, Principum, vel Ciuitatum, ideo de aliis quæ ad hanc materiam ſpectant commodiùs agetur, ſi Deus dederit infrà verbo *Statutum.*

INCESTVS.

De hac materia prout ad Regulares pertinere ſolet, ſcilicet quantum ad facultatem diſpenſandi cum coniugibus inceſtuoſis ad petitionem, vel redditionem debiti, dixi ſuprà in verbo *Affinitas.*

INDVLGENTIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Aliqua de Indulgentiis remiſſiuè.*
2 *Quid ſit Indulgentia.*
3 *Quotuplex eſt Indulgentia.*
4 *Ad quos ſpectat illam concedere.*
Quid de Prælatis Regularibus. ibid.
5 *Indulgentia non ſolùm pro viuis, ſed etiam pro mortuis concedi poſſunt.*
Mortuis tamen ſolum per modum ſuffragij. ibid.
In quo differat Indulgentia pro viuis ab Indulgentia pro mortuis.
6 *Indulgentia Regularibus conceſſa in multiplici differentia ſunt.*
7 *Quid de Indulgentiis conceſſis pro Eccleſiis Regularium.*
8 *An reuocata ſint.*
An illis detur communicatio priuilegiorum Regularium. ibid.
An nomine Eccleſia intelligatur etiam cæmeterium. ibid.
9 *Indulgentia perſonis Regularibus viuentibus conceſſa reuocata ſunt à Paulo V. nouis aliis conceſſis.*
Quomodo eas lucrentur Religioſi. ibid.
10 *Quid de indulgentiis pro Regularibus in articulo mortis conſtitutis.*
11 *Quid de indulgentiis pro Regularibus defunctis.*
12 *Quid de conceſſis pro ſæcularibus defunctis.*
13 *Quid de conceſſis pro ſæcularibus viuentibus.*
14 *De indulgentiis conceſſis exhibentibus manus adiutrices.*
15 *De priuilegio Vrbani V.*
16 *De indulgentiis pro Tertiariis.*
17 *De indulgentiis pro Confratribus.*
18 *De indulgentiis communibus ſæcularibus, & Regularibus.*
19 *De conceſſis per Sanctiſſ. D.N. Vrbanum.*
An ſimul, & ſemel eodem actu poſſint plures indulgentia obtinere. ibid.
An ſæpius eadem indulgentia. ibid.
20 *De indulgentiis pro pulſatione ſalutationis Angelicæ.*
De indulgentiis ad pulſationem orationis pro defunctis. ibid.
21 *Quid de indulgentiis Stationum.*
Quomodo intelligantur. ibid.
22 *Quid de indulgentiis Stationum pro viſitantibus aliquas Eccleſias.*
23 *Religioſi publicantes indulgentias pro quæſtu, quas pœnas incurrant.*
24 *Quid de Religioſis indulgentiam plenariam concedentibus.*
25 *De indulgentiis S. Mariæ de Populo, & aliis remiſſiuè.*

Etſi aliqua de hac re dixerim in ſuperioribus, præſertim *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *& cap.* 11. *num.* 23. *& cap.* 20. *n.* 17. ac ſuprà verbo *habitus Regularis, à num.* 8. plura tamen in præſenti addenda, præcipuè, prout ad ipſos Regulares propriùs ſpectare poteſt, præmiſſis tamen aliquot principiis generalibus huius materiæ. 1

Primum. Indulgentia eſt *Remiſſio, ſeu relaxatio pœnæ temporalis debita propter peccata actualia iam dimiſſa, extra ſacramentum per applicationem à Prælato factam theſauri Eccleſiæ.* Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 2. Corduba *de indulgentiis, quæſt.* 1. Valentia *tom.* 1. *diſp.* 7. *quæſt.* 20. *punct.* 1. Noſter Hieronymus Gratianus *in tract. de Iubilæo, part.* 1. *cap.* 4. Dicitur, *remiſſio, ſeu relaxatio pœnæ temporalis*, quia pœna temporalis, quam homo debet propter peccatum, non tollitur per Indulgentiam ab homine lucrante eam per modum ſatisfactionis ipſius aut alterius priuati, ſed illi remittitur, & relaxatur. Dicitur *pœna*, quia per Indulgentiam non remittitur culpa, ſiue mortalis, ſiue venialis, aliàs eſſet Sacramentum. Illæ ergo Indulgentiæ, quæ vocari ſolent à culpa, & à pœna, de quibus mentio fit *in Clement.* 1. *de priuileg.* tales appellantur vel quia ſimul cum illis conceditur facultas abſoluendi à culpa per Sacramentum pœnitentiæ, vel quia continent indulgentiam plenariam. Dicitur etiam *pœna temporalis*, quia pœna æterna ſupponitur remiſſa ſimul cum culpa mortali, qua carere debet lucrans Indulgentiam, aliàs indignus eſſet remiſſione, quæ fit per Indulgentiam, cum eſſet 2

Dei

Dei inimicus. Dicitur quoque, *debita propter peccata actualia*, ad denotandum Indulgentiam non eſſe pro pœna debita peccato originali, ea enim remittitur per Baptiſmum cum ipſo originali. Dicitur præterea *iam dimiſſa*, vt oſtendatur non poſſe remitti pœnam, non ablata culpa in qua fundatur. Addidi autem *extra Sacramentum*, tum quia Sacramenta diuerſo modo tollunt hanc pœnam, quàm Indulgentia. Sacramenta enim tollunt illam ex opere operato, & immediatè ex inſtitutione Chriſti, Indulgentia verò, non niſi per applicationem meritorum, & ſatisfactionem Chriſti, & aliorum Sanctorum, quæ in theſauro Eccleſiæ reſeruantur. Vnde dicitur *per applicationem à Prælato factam*, ad denotandum huiuſmodi applicationem fieri debere à Prælato Eccleſiæ, ad quem Theſauri diſtributio ſpectat, non à priuata perſona. Ac tandem dicitur *theſauri Eccleſiæ*, quia ſicut in Republica rectè ordinata eſt aliquis theſaurus, id eſt aceruus, & copia pecuniæ diſtribuenda ciuibus à Principe, ita in acceptatione diuina reſeruatur infinitus cumulus meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, & etiam quorumdam Sanctorum, quibus ipſæ erant neceſſariæ, ſed ſuperabundantes, qui cumulus *theſaurus Eccleſiæ* appellatur, & ex quo ſummus Eccleſiæ Prælatus, ſcilicet Pontifex, Indulgentias fidelibus concedit. Vide pro his Sotum, Cordubam, & Valentiam relatos, Sylueſtrum *in Summ. verb. Indulgentia*. Graffium *de indulgentiis*, Gratianum *ſuprà cap 4. & 5.* Bonacinam *diſp. 6. de Sacramentis, quæſt. 1. de Indulgentiis, punct. 1.* poſt plures alios.

3 Secundum eſt. Indulgentiam diuidi primò *in plenariam*, ſeu totalem, quæ etiam *plenior*, & *pleniſſima* dici ſolet, & in non *plenariam*, ſeu partialem. Illa prior eſt, per quam remittitur tota pœna temporalis debita pro culpa iam dimiſſa, poſterior verò, qua non remittitur niſi ſolùm pars ipſius, media ſcilicet, tertia, ſeptem annorum, vel vnius anni, &c. iuxta tenorem conceſſionis. Deinde hæc Indulgentia temporalis, partialis, ſeu non plenaria, aliquando vocatur *Septena*, id eſt Indulgentia, per quam remittitur pœna correſpondens pœnitentiæ ſeptem annorum olim per canones inflictæ: aliquando *quadragena*, id eſt Indulgentia, qua remittitur pœna correſpondens pœnitentiæ olim per eoſdem Canones impoſitæ quadraginta dierum: aliquando verò *carena*, id eſt Indulgentia per quam remittitur pœna correſpondens pœnitentiæ olim per eoſdem Canones impoſitæ, quæ vocabatur *carena* à carendo, quia ſcilicet is cui iniungebatur, carebat quadraginta dies cibo, & potu, ſolùm pane, & aqua viuens, & vlterius ſeptem annis pœnitentiam agebat: aliquando verò eſt, & vocatur Indulgentia *de pœnitentiis iniunctis*, & tunc eſt idem, quod Indulgentia, per quam remittitur tanta pœna, quanta remitteretur per pœnitentias taxatas à Confeſſariis, & à Sacris Canonibus pro illis peccatis impoſitas. De his Sotus *ſuprà quæſt. 1. art. 1.* Nauarrus *de Iubileo, & Indulgent. notab. 9.* Valentia *ſuprà punct. 3.* Gratianus *ſuprà cap. 5.* Laymanus *lib. 5. tract. 7. cap. 3.* Bonacina *ſup. punct. 2.*

4 Tertium eſt. Indulgentiam concedere ſpectat primariò ſolùm ad Summum Pontificem, aliis verò Prælatis, non niſi quatenus ipſis conceditur ab eodem. Ratio eſt, tum quia ſoli Petro, & eius ſucceſſoribus dictum eſt Ioan. 21. *paſce oues meas*: tum quia quemadmodum diſtributio theſauri publici ſolùm ſpectat ad ſupremum Principem, & ad alios non niſi quatenus ipſis conceditur ab illo, ſic etiam diſtributio theſauri Eccleſiæ, quæ contingit in conceſſione Indulgentiarum, ſolùm ad Papam, qui eſt ſupremus Eccleſiæ paſtor, ſpectare primariò poteſt, & ad alios Prælatos ex conceſſione ipſius. S. Thom. *in additioni. ad 3. part. quæſt. 26. art. 3.* Nuñus, & alij Expoſitores *ibidem*. Sotus *dicta quæſt. 1. art. 4.* Huiuſmodi autem Prælati Indulgentias concedentes ex Papæ facultate ſunt Epiſcopi, quibus *cap. cum ex eo, de pœnitent. & remiſſionibus* conceſſum eſt, vt poſſent in dedicatione Eccleſiæ vnum annum Indulgentiæ, & aliis occaſionibus ſolum quadraginta dies concedere. Bonacina *ſuprà punct. 3.* ex aliis. An verò id etiam competat Cardinalibus in Eccleſiis ſuorum titulorum, dixi ſuprà verbo *Cardinalis, num. 1.* De Legatis id etiam admittunt aliqui, ſaltem ex conſuetudine. Sylueſter *ſuprà num. 11.* Laymann. *ſup. cap. 4. num. 3.* De Abbatibus, & Prælatis Religionum certum eſt iure ordinario non competere ipſis hanc facultatem, *cap. accedentibus, de exceſſib. Prælatorum*. Sylueſter *ſuprà*, Corduba *ſuprà quæſt. 10.* An verò aliquibus ipſorum id competat ex Papæ priuilegio, cum quæſtio ſit de facto, ex ipſorum priuilegiis deſumi debet. Et quidem vt conſtat ex Caſſarubio *in Compendio priuileg. Mendicant. verbo Indulgentia plenaria quoad Fratres, num. 16.* Leo X. conceſſit Prouincialibus Minorum, vt in ſuis viſitationibus concedere poſſent Indulgentiam plenariam ſuis ſubditis. Sed quia hæc conceſſio fuit viuæ vocis oraculum, ideo his temporibus non valet, ſicut nec alia ſimilis Gregorij XIII. pro Ieſuitis, ſi talis fuit, prout habet Peirinis *tom. 1. priuileg. Minimor. in Conſtit. 14. Leon. X. num. 12.* ex Peregrino ab eo relato. Idem dico de conceſſione Clem. VII. pro Minimis, quam refert idem Peirinis *ibid. in Conſtit. 9. Clem. VII.* quia etiam fuit viuæ vocis oraculum. An verò aliqui Abbates Regulares hanc poteſtatem habeant, tractat Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 9. quæſt. 1.* Poſſe autem Prælatos prædictos Regulares applicare aliis bona opera ſuorum ſubditorum, nec tamen propterea dici poſſe concedere Indulgentias, conſtat ex dictis ſuprà, verbo *Bona, num. 8.* An verò etiam poſſint communicare aliquas Indulgentias ſæcularibus, dicetur infrà *num. 15.*

Quartum eſt. Indulgentias non ſolùm poſſe concedi viuis, ſed etiam mortuis, hoc enim certum eſt, tum ex praxi Eccleſiæ, tum ex definitione Leonis X. contra Lutherum apud Caietanum *3. part. quæſt. 48. art. 5.* 5
Differt autem in multis Indulgentia viuis conceſſa ab ea, quæ conceditur defunctis. Primò quidem, quia cum conceſſio Indulgentiæ ſit actus iuriſdictionis, & iuriſdictio non ſit circa ſubditos, ſoli autem viui ſint ſubditi iuriſdictioni Eccleſiæ, non verò defuncti, quia iam ſunt extra Eccleſiæ forum, hinc eſt, quod Indulgentia viuorum detur per modum iudicialis abſolutionis, ſeu remiſſionis pœnæ temporalis, ita vt Papa eam concedens verè remittat talem pœnam, & ab ea abſoluat lucrantem Indulgentiam, Indulgentia verò defunctis conceſſa non detur per modum iudicialis abſolutionis, ſeu remiſſionis, ita vt Pontifex eam concedens verè abſoluat defunctum à tali pœna, vel ipſi illam remittat, ſed ſolùm per modum ſuffragij, quatenus ſcilicet Pontifex de theſauro Eccleſiæ applicat materiam, & ſatisfactiones Chriſti, vnde fiat ſolutio Deo pro tali pœna. Quod declaratur exemplo hominis detenti in carcere propter debita, hic enim poteſt à carcere liberari dupliciter: primò, iudicialiter à Iudice habente iuriſdictionem ſuper illum, ſi abſoluat eum à tali debito. Secundo modo per modum auxilij, ſeu ſuffragij, videlicet ſi alius pro ipſo ſoluat creditori. Sic ergo in propoſito. Primo modo liberantur à reatu pœnæ temporalis viui per indulgentias. Secundo verò modo defuncti. Gratianus *ſuprà cap. 15.* Valentia *ſuprà punct. 1.* Toletus *in Summ. lib. 6. cap. 26. & 27.* Bonacina *ſup. punct. 6.* Eſto aliter hoc explicet Lugo *de Sacrament. pœnit. diſp. 27. ſect. 5.* Secundò differunt, quod licet lucrans Indulgentiam viuorum pro ſeipſo neceſſariò debeat eſſe in gratia, quando adimplet vltimam partem operis iniuncti (Naldus *verbo Indulgent. num. 8.*) quia ipſe eſt, qui recipit effectum Indulgentiæ, qui eſt remiſſio pœnæ, quem non

poteſt recipere, niſi ſit in gratia, vt dictum eſt. Lucrans verò illam pro defuncto non eſt neceſſarium, quod ſit in gratia, ſed ſolùm quod exhibeat opus à Papa præſcriptum pro tali Indulgentia, eo quod ipſe non recipit effectum talis Indulgentiæ, ſed anima illa Purgatorij pro qua id opus efficitur, & quæ eſt in gratia. Rodriguez *tom. 2. quæſt. 96. art. 4.* Gratianus *ſuprà*, Naldus *ſupra num. 7.* Layman. *ſup. cap. 7. num. 1.* Tertiò differunt, quod licet indulgentia pro viuis ſemper, & infallibiliter habeat ſuum effectum, poſitis omnibus requiſitis, ſcilicet cauſa proportionata, & quod adimpleantur ea omnia, quæ concedens illam requirit. Indulgentia tamen pro defunctis non habet ſemper, & infallibiliter illum, ſed dependenter à libertate Dei. Ratio eſt ex dictis, quia cum Indulgentia mortuorum non ſit per modum abſolutionis, ſeu remiſſionis, ſed per modum ſuffragij Deo oblati ea intentione, vt propter illud commutet pœnam ab ipſis debitam, cum liberum ſit Deo admittere talem commutationem, vel non, nec ad id obligatus ſit, vel ex natura rei, vel ex vi alicuius promiſſionis, ideo poteſt acceptare, & non acceptare, & proinde non habet ſemper, & infallibiliter ſuum effectum, ſed iuxta beneplacitum Dei, attentis tamen meritis illorum pro quibus applicatur, dum erant in via, iuxta doctrinam S. Auguſtini *in lib. de cura pro mortuis habenda*, quæ habetur *cap. non æſtimemus 13. quæſt. 2.* Idque confirmat communis exiſtimatio fidelium, qui etiamſi Indulgentiam pro vno defuncto applicauerint, v. g. vnam Miſſam in altari priuilegiato, nihilominus non propterea ceſſant ab aliis Miſſis, & ſuffragiis pro eo applicandis. Cordoba *de indulgentiis, quæſt. 13. & ſequentibus*, Henriq. *lib. 7. cap. 7. num. 4.* Rodrig. *ſup. art. 3.* Layman. *ſup. num. 3. & 4.* Bonacina *ſupra punct. 6. num. 14.* Licet oppoſitum probabiliter teneant Sotus, Suarez, Valentia, & alij à prædictis relati.

6 His poſitis, Indulgentiæ Regularibus conceſſæ ſunt in multiplici differentia; aliæ enim ſunt conceſſæ eorum Eccleſiis, vel illas viſitantibus, aut in eis orantibus, &c. aliæ ſunt conceſſæ perſonis ipſorum Regularium. Quæ etiam ſunt in multiplici differentia; aliquæ enim conceſſæ ſunt pro illis opera in vita exercentibus, verbi gratia recitantibus, ieiunantibus, &c. aliæ verò pro ipſis in articulo mortis conſtitutis, & aliæ pro ipſis iam defunctis. Præterea aliæ Indulgentiæ conceſſæ ſunt eiſdem Regularibus, non pro ſeipſis, ſed ipſorum intuitu pro ſæcularibus defunctis aut viuentibus. Item aliæ pro Congregationibus virorum aut fœminarum eorum ordinibus coniunctis, videlicet pro Tertiariis, Confratribus, &c. aliæ denique conceſſæ ſunt vniuerſaliter, tam pro ſæcularibus, quàm pro Regularibus. De quibus omnibus ſigillatim aliquid dicendum in præſenti.

7 Et primò loquendo de Indulgentiis conceſſis pro Eccleſiis, & locis Regularibus, ſeu pro ea viſitantibus, vel in eis orantibus, &c. illæ quidem variæ & diuerſæ ſunt, vt patet ex Compendiis priuilegiorum ſingulorum Ordinum, & ſpecialiter ex Caſſarubio *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Indulgentia quoad ſæculares, 1. 2. 3. & 4.* Confertio *in Collectan. priuileg. Mendicant.* Portello *in Dub. Regular. verbo indulgentia, num. 4.* vbi afferunt plures Indulgentias à Summis Pontificibus conceſſas viſitantibus certis diebus Eccleſias quatuor Ordinum Mendicantium, & aliquorum non Mendicantium, ac ex Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Conſtitutione 2. & 7. Leonis X. & 3. Clem. VII. & in 2. tom. in Conſtit. 2. Pauli V. & 3. Vrbani VIII.* vbi affert aliquas Indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſias Ordinis Minimorum. Specialiter de Indulgentiis pro viſitantibus Eccleſias Carmelitarum, extat Bulla Sixti IV. quæ incipit, *Dum attenta*, & habetur apud Rodrig. *in Bullario, tom. 1. in Sixto IV. Bulla 38.* quas etiam refert Caſſarubius *ſuprà verbo Indulgentiæ quoad ſæculares 1. num. 32. 33. 34. & 35.* & confirmatur a Gregorio XIII. in Bulla *Vt laudes*, quam refert noſter Reuerendiſſimus Theodorus Stratius *in inſtruct. pro Fratribus Carmelit. cap. 16.* quas etiam permiſit Paulus V. publicari, vt patet in Summario earum apud eundem Reuerendiſſ. Stratium *ſuprà*.

Circa quas Indulgentias viſitantibus Eccleſias Regularium conceſſas, aliqua animaduertenda ſunt. Primò, eas non eſſe reuocatas à Paulo V. in Bulla *Romanus Pontifex*, quam retuli *tom. 1. part. 2. cap. 3. num. 19.* quia, vt ibidem dixi ex declaratione S. Congregationis, quam etiam refert idem noſter Stratius *ſuprà cap. 1.* in Bulla ſolùm reuocantur Indulgentiæ perſonales Regularibus conceſſæ, non autem locales, quales ſunt iſtæ. Secundò quod quamuis inter Regulares, præſertim Mendicantes, ſit ampliſſima communicatio priuilegiorum, & gratiarum, iuxta dicta ſæpius, præſertim *tomo 1. part. 1. cap. 3. num. 17. & part. 1. cap. 1. n. 52.* maximè cum nos Carmelitæ ex conceſſione Leonis X. & Clem. VII. habeamus communicationem etiam Indulgentiarum aliorum Ordinum, iuxta dicta ſuprà verbo *Habitus Regularis, num. 9.* nihilominus in huiuſmodi Indulgentiis Eccleſiarum non dari talem communicationem tenet Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtitut. 2. Leonis X. num. 2.* refertque pro ea Caſſarubium ſuprà, verbo *Indulgentia quoad ſæculares, 3. num. 12.* & Bullam quandam Sixti IV. quæ id declarauit. Sed Caſſarubius tenet contrarium, vt legenti patebit, & Bulla illa Sixti IV. dicit nullibi eam potuiſſe reperire. Adde, quòd cum poſt Sixtum IV. Leon. X. & Clement. VII. ampliſſimam communicationem Indulgentiarum aliorum Ordinum Carmelitis conceſſerunt, non video cur ipſi, & alij ſimiliter, qui ſimilia habuerint priuilegia, non gaudeant hac etiam communicatione Indulgentiarum Eccleſiis conceſſarum. Quod maximè eſt verum pro Fratribus Prædicatoribus, & eorum Eccleſiis, quibus idem Pontifex Motu proprio, vt videre eſt apud eundem Caſſarubium ſuprà verbo *Communicatio priuilegiorum, n. 20.* communicauit omnes gratias, & Indulgentias Eccleſiarum Ordinum aliorum Mendicantium. Limitari tamen hoc debet ad eas Indulgentias, quæ in genere conceſſæ ſunt Eccleſiis Regularium, ita vt ſolùm illæ communicentur aliis Eccleſiis Regularium habentium priuilegium communicationis cum illis, non ad illas, quæ ſpecialiter pro aliqua Eccleſia in particulari conceſſæ ſunt, iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 52.* aliàs eſſet magna confuſio Indulgentiarum, & viliſceret deuotio fidelium erga ipſas. Pro quo vide declarationem Leonis X. circa Indulgentias Sanctæ Mariæ de Populo, quam retuli *tom. 1. part. 1. cap. 20. num. 9.* Limitari etiam debet ad Indulgentias non plenarias, propter dicenda inferius *num. 21.* Nota tertiò, quod quando Indulgentia conceſſa eſt pro viſitantibus aliquam Eccleſiam in particulari, ea diruta, ſiue per partes diruatur, & per partes ædificetur, ſiue etiam tota diruatur, & alia de nouo ſtatim ædificetur in eodem loco, ſemper conſeruat eandem Indulgentiam, quia talis Eccleſia cenſetur morali æſtimatione eſſe eadem. Stratius *ſupra cap. 1. num. 9.* Layman. *ſup. cap. 3. num. 5.* Si verò ædificetur in alio loco, probabilius eſt amittere Indulgentiam, cum in eo caſu non maneat eadem numero, neque quoad ſolum, neque quoad ſitum. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 52. ſect. 1. num. 9.* Stratius *ſuprà*. Qui rectè etiam animaduertit *num. 10.* hanc difficultatem non eſſe de Indulgentiis conceſſis Eccleſiis Carmelitarum (idem dic de aliis habentibus indulgentias eodem modo) quia illæ non limitantur ad hanc vel illam determinatam Eccleſiam in hoc, vel in illo loco, ſed ad omnes Eccleſias, ac proinde

Google

proinde ſiue fiat in eodem, ſiue in diuerſo loco, ſemper retinent eaſdem Indulgentias. Vide Dianam 5. *part. tract.* 12. *Reſol.* 20. Nota quartò, quod nomine Eccleſiæ, in qua eſt conceſſa Indulgentia pro viſitantibus, intelligitur etiam cæmeterium; eſt enim hæc materia valdè fauorabilis, ac per conſequens latè explicanda. Suarez *ſuprà num.* 7. Layman. *ſuprà num.* 4. Nota quintò, quod ad hoc, quod viſitantes Eccleſiam, in qua eſt Indulgentia, conſequantur illam, non eſt neceſſe, quod actualiter, & expreſſè id intendant, aut ſciant eſſe in eo loco talem Indulgentiam; ſed ſufficit, quod habitualiter, implicitè, vel interpretatiuè id intendant, & quod ſint in ſtatu gratiæ, ac exerceant opus à concedente illam iniunctum. Gratianus *ſuprà in dialogo.* Salas *diſp.* 17. *de legibus, cap.* 5. *in fine.* Layman. *ſuprà cap.* 6. *num.* 5. Portellus *in Additionibus ad dub. Regul. verbo Indulgentia, num.* 7.

9 Loquendo autem de Indulgentiis perſonis Regularium viuentibus conceſſis, certum eſt, id, quod dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 29. ſcilicet eas omnes, quæ antiquitus illis conceſſæ erant, reuocatas fuiſſe à Paulo V. in dicta Bulla *Romanus Pontifex*, vbi etiam nouas alias ipſis Regularibus conceſſit, prout etiam tenet Diana 4. *part. Tract.* 4. *Reſolut.* 20. & notauit idem noſter Serarius *dicto cap.* 1. *num.* 2. Quomodo autem id factum ſit, & quales ſint huiuſmodi Indulgentiæ, conſtabit ex ipſa Bulla *in* 3. *tomo Bull. num.* 21. *aliàs* 16. Declarauit autem idem Paulus V. vt teſtatur Peregrinus 1. *part. ſui Compend. tit. Indulgentia, num.* 7. poſſe frui eiſdem Indulgentiis Religioſos extra proprias domos commorantes ad breue tempus, ſeu in itinere, viſitando Altaria Eccleſiarum illorum locorum. Item declarauit idem Paulus Congregationi Fulienſi, infirmos, & decrepitos qui non poſſunt Eccleſiam adire, poſſe eas conſequi in lectulo ſuo, dummodo agant aliquod opus pium arbitrio Confeſſarij. Peregrinus *ſuprà.* Circa Indulgentias autem Stationum, quas in ea Bulla concedit Pontifex Religioſis intra clauſtra viuentibus, ſi ſuam Eccleſiam viſitauerint, & ibi orauerint, notat Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtitut.* 8. *Pauli V.* §. 1. *num.* 3. id non intelligi pro ſingulis diebus totius anni, ſed ſolùm pro diebus Stationum. Credit etiam *ibid. num.* 4. in iſtis indulgentiis Stationum comprehendi etiam plenarias conceſſas dictis diebus Eccleſiis, in quibus ſunt tales Stationes, non obſtante quod ſecundum ſtylum, & praxim Curiæ, ac regulam Cancellariæ indulgentiæ plenariæ non cenſeantur conceſſæ, niſi exprimantur. De quo tamen infrà *num.* 51.

10 Similiter loquendo de indulgentiis pro Regularibus in articulo mortis conſtitutis, pium, & probabile eſſe dixi eo loco, illas reuocatas non fuiſſe per generalem reuocationem à Paulo Quinto factam; nam quæ ſpeciali nota digna ſunt non cenſentur tacitè eſſe ſublata. Alphonſus Leo 1. *part. de Iubil. quæſt.* 6. *num.* 543. qui id colligit ex quadam declaratione Sanctiſſ. D.N. Vrbani VIII. facta Illuſtriſſimo D. Coccino Vicegerenti Pœnitentiariæ anno 1625. quod anno Iubilæi non ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis. Peirinis *ſuprà* §. 19. *num.* 10. Nouarius *in Lucern. Regul. verbo Indulgentia, num.* 2. me relato. Vnde infert primò, Carmelitas gaudere poſſe Indulgentia plenaria illis conceſſa pro eo articulo ab Eugenio Quarto in Bull. *Romani Pontificis*, quæ habetur in noſtris Conſtitutionibus poſt Regulam: ſi tamen conditionem illam annui ieiunij, &c. ab eodem Pontifice expreſſam ſeruauerint. De qua idem Reuerendiſſimus Serarius *ſuprà cap.* 10. & ego *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 5. Infert ſecundò, poſſe etiam Minores in dicto articulo conſtitutos frui Indulgentia plenaria illis conceſſa à Martino Quinto, Eugen. IV. Nicolao V. Calixto III. Pio II. ac Sixto IV. vt refert Caſſarubius *verbo Indulgentia quoad Fratres, num.* 1. itavt poſſint tunc Confeſſorem eligere, qui eis poſſit concedere Indulgentiam plenariam, & quod ſi occurrerit caſus quo non poſſint Confeſſorem eligere, ſeu habere, tunc etiam conſequantur prædictam Indulgentiam. Peirinis *ſuprà d. num.* 10. Infert tertiò Auguſtinenſes poſſe lucrari Indulgentiam plenariam eo articulo per Confeſſarios idoneos, & Regulares ab ipſis de licentia Superiorum electos, ex conceſſione Iulij ſecundi apud Caſſarubium *ſuprà num.* 23.

Pariter etiam loquendo de Indulgentiis pro Regularibus defunctis conceſſis, quod non cenſeantur reuocatæ per dictam reuocationem generalem Indulgentiarum, dixi eodem *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 29. & ſequitur Nouarius *ſuprà.* De quo idem Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtitut.* 4. *Clement. VIII. num.* 2. vbi etiam propterea notat poſſe Mendicantes, non obſtante dicta reuocatione Pauli V. frui Indulto Clem. VIII. quod refert Rodriguez *in Bullar. tomo* 2. *in Conſtitutione* 8. *eiuſdem Clementis, & in* 3. *tom. quæſt. Regular. in principio*, pro Fratribus Minoribus Prouinciæ S. Gabrielis Hiſpaniarum, in quo ſic habetur: *Ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, concedimus, vt decedente aliquo dicti Ordinis Religioſo, vel alicuius Religioſi parentibus, vel altero ipſorum, aut perſona, quam ipſi Religioſi Fratrem appellant, & in qualibet loco dicta Prouincia ad eorum receptaculum, & ſubuentionem paratam habent, ab aliquo, ſeu aliquibus eius Conuentus, in quo Religioſi parentes, vel alter ipſorum deceſſerit, vel perſona præfata in Fratrem deſcripta fuerit, Miſſam Defunctorum pro anima ipſius defuncti, qui Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, celebrante, ſeu celebrantibus, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequatur, itavt Dom. Noſtri Ieſu Chriſti, ac B. Virginis Mariæ, & Sanctorum omnium meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorij pœnis liberetur.* Omitto alias Indulgentias Regularibus conceſſas pro Defunctis à Leone X. quas refert Caſſarubius *verbo Indulgentia quoad Fratres*, 2. *num.* 14. & 15. & *verbo indulgentia non plenaria apud Fratres, num.* 7. & 8. quia illæ conceſſæ ſunt per viuæ vocis oracula, quæ iis temporibus, niſi de nouo confirmentur, aut per Bullam confirmatæ poſtea ſint, nullius ſunt valoris, vt ſæpe dixi. Aliam etiam magnam Indulgentiam Clementis VIII. pro defunctis conceſſam Minoribus, quam refert Sorbus *in Additionib. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Indulgentia quoad Fratres*, 1. non refero, quia mihi non conſtat an ſit etiam viuæ vocis oraculo conceſſa, an non. 11

Pari ratione dicendum eſt de aliis Indulgentiis Regularibus conceſſis, non pro ſeipſis, ſed ipſorum intuitu pro ſæcularibus defunctis, illas ſcilicet non eſſe reuocatas generali illa reuocatione à Paulo Quinto facta: tum quia, vt dictum eſt, Indulgentiæ pro defunctis non ſunt reuocatæ: tum quia eſto reuocatæ eſſent illæ, quæ pro eiſdem Regularibus defunctis conceſſæ erant, non eſt tamen cur idem dicatur de conceſſis ipſis Regularibus pro defunctis ſæcularibus; cum intentio Pauli Quinti in illa reuocatione ſolùm videatur eſſe reuocare Indulgentias Regularibus pro ſeipſis conceſſas. Vnde Indulgentia illa Clem. VIII. ſuprà relata pro parentibus Religioſorum, & pro illis, qui eos recipiunt, qui in Hiſpaniæ partibus *Fratres* vocantur, non eſt reuocata. Aliam quoque Indulgentiam Calixti III. pro parentibus Religioſorum refert Caſſarubius *ſuprà, verbo Indulgentia pro ſæcularibus* 8. *num.* 1. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regular. quæſt.* 27. *art.* 1. & Peirinis *in dicta Conſtitut. Clem. VIII. num.* 4. Sed eſt viuæ vocis oraculum, vt notat Caſſarubius, qui propterea, littera O, eam notat, ac per conſequens hoc tempore, vt dictum eſt, nullius valoris, niſi per Bul- 12

lam confirmata ſit, vel de nouo confirmetur. Aliam ſimiliter Leonis X. pro Sacerdotibus Congregationis S.Iuſtinæ Ordinis Sancti Benedicti ad liberandum animas defunctorum intra tertium gradum conſanguineorum, refert Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Indulgentia quoad Fratres*, §. *Leo X.* ſed neſcio qualis ſit hæc indulgentia, & an etiam viuæ vocis oraculo conceſſa.

13 Similiter dicendum, eas indulgentias, quæ conceſſæ ſunt Regularibus, non pro ſeipſis, ſed ipſorum intuitu pro ſæcularibus viuentibus, reuocatas non eſſe à Paulo V. propter rationem adductam, quia ſcilicet illæ non cenſentur conceſſæ pro Regularibus. Vnde indulgentiæ illæ conceſſæ audientibus conciones Mendicantium, de quibus egi ſuprà verbo *Concionari*, & *Concionator*, *num.*14. nullo modo reuocatæ ſunt, vt ibidem dixi, & ſupponunt Diana 4. *part. tract.*4. *Reſol.*12. *in fin.* ac Nouarius *ſup. num.*5. poſt Hieron. Rodriguez, & Portellum. Addunt autem iſti auctores debere Concionatores expreſsè concedere has indulgentias nomine Pontificum, aliàs auditores illas non lucrarentur. Quod tamen moderamine eget. Vt enim eo loco dixi, aliquæ ex dictis Indulgentiis conceſſæ ſunt ſimpliciter audientibus dictos Concionatores, aliæ verò non ita, ſed conceditur eiſdem Concionatoribus, vt eas concedere poſſint. Quamvis ergo hæ poſteriores egeant illa expreſſa conceſſione à Concionatoribus facta, non tamen illæ priores, præſertim quod iuxta dicta ſuprà ad conſequutionem indulgentiæ, non requiritur voluntas expreſſa eam lucrandi, ſed ſolùm, quod in gratia exiſtens efficiat homo opus iniunctum. Pariter etiam Indulgentiæ conceſſæ pro geſtantibus habitum Religioſorum, de quibus egi ſuprà verbo *Habitus Regularis*, *à num.*8. non ſunt reuocatæ, propter eandem rationem. Idem dico de indulgentia Vrbani VI. conceſſa pro eis, qui Carmelitas appellauerint Fratres *Beatiſſimæ Mariæ Genitricis Dei*. Hæc enim nullo modo reuocata eſt per Paulum V. propter eandem rationem. De quo doctiſſimè noſter Reuerendiſſim. Stratius *ſuprà cap.*10. Idem ſimiliter dicendum de pluribus indulgentiis à Sixto V. conceſſis in Bulla *Reddituri*, in Bullario Rodriguez *num.* 25. noſtris Patribus Diſcalceatis Carmelitis pro ſæcularibus, & ſpecialiter pro ſalutantibus alios illis verbis, *Laudetur Ieſus Chriſtus*, vel reſpondentibus *in ſæcula*, vel *Amen*, aut *ſemper*, propter eandem rationem. Portel. *in dub. Regular. verbo Indulgentia*, *in addit. num.*3.

14 Hic autem notandum, quod licet plures Summi Pontifices intuitu Religioſorum Ordinum plures quoque, & varias indulgentias conceſſerint, eleemoſynas, opera charitatis, ſeu pietatis, vel manus adiutrices illis exhibentibus, vt conſtat pro Carmelitis ex Sixto IV. in Bull. *Dum attenta*, & ex Gregorio XIII. in Bulla *Ad laudes*, quas *ſuprà num.*7. retuli, & de illis, & aliis Religioſis ex diuerſis Summis Pontificibus relatis in Compendiis priuilegiorum ipſorum Ordinum, ſpecialiter apud Caſſanibium *in Compend. priuilegior. Mendicantium*, *verbo indulgentia quoad ſæculares*, *n.*4. *per totum*. Nihilominus, quia Pius V. in Bulla *Etſi Dominici gregis*, anno 1567. edita inter Conſtitutiones ipſius 2. *tomo Bullar. num.* 30. reuocauit omnes indulgentias pro quibus conſequendis manus adiutrices porrigendæ ſunt, verbis relatis à noſtro Stratio *ſup. cap.*22. Ideò tales indulgentiæ hoc tempore inualidæ ſunt, vt etiam notarunt Nauarrus *tomo* 2. *conſil. lib.* 5. *de pœnitent. & remiſſionibus*, *conſ.* 2. *num.* 7. & Stratius *ſuprà cap.* 17. Quia verò Gregorius XIII. in Bulla *Vt Laudes*, confirmans indulgentias conceſſas viſitantibus Carmelitarum Eccleſias, confirmauit etiam illas, quæ clauſulam continebant prædictas manus adiutrices porrigendi, commutando tamen illas manus adiutrices, ſeu eleemoſynas in alia pia opera, quæ ex verbis ipſius Pontificis retuli *tom.*1. *part.*2. *cap.*15. *num.* 39. Ideo ea opera facientes, & viſitantes prædictas Eccleſias lucrantur dictas Indulgentias. Stratius *dicto cap.* 17. Quamvis autem mihi non conſtet quod ſimilem commutationem fecerit hic Pontifex, aut alius pro porrigentibus dictas eleemoſynas, aut manus adiutrices Eccleſiis aliorum Ordinum; credo tamen, quod Mendicantes, & alij, qui cum noſtro Ordine communicationem priuilegiorum, & gratiarum habent, poſſunt etiam gaudere hac gratia, & commutatione, propter dicta *ſuprà num.*8.

Notandum etiam Vrbanum V. conceſſiſſe Generalibus, & Prouincialibus Minorum, vt poſſent Benefactoribus Ordinis communicare ſuffragia, indulgentias, Orationes, & bona ſpiritualia, vt refert Caſſarubius *ſuprà verbo Indulgentia quoad ſæculares* 4. *num.*6. 15
Quo priuilegio dixi gaudere Mendicantes ſuprà verbo *Bona*, *num.* 2. Illud autem non eſſe reuocatum per Paulum V. conſtat, tum ex dictis, ſcilicet quia eſto conceſſum ſit intuitu Regularium, reuera tamen non pro ipſis, ſed pro ſæcularibus eſt conceſſum: tum etiam, quia Paulus V. ſolùm reuocauit indulgentias Regularibus conceſſas, facultas autem communicandi indulgentias, quæ in hoc priuilegio conceditur, non eſt indulgentia, & ex diuerſis fit illatio, *cap. ad Audientiam, de decimis*. Peregrinus 1. *part. ſui Compend. verbo Viſitatores*. Peirinis *tomo* 1. *priuilegior. Minimorum*, *in Conſtitut.*14. *Leonis X. num.*12. Poſſunt autem dicti Prælati communicare ſuis benefactoribus indulgentias (intellige ſui Ordinis) multipliciter. Primò quidem præcipiendo ſuis ſubditis, vt pro illis indulgentias lucrentur. Quod fieri poteſt ſuppoſita ſententia Suarez *ſupra diſp.*52. *ſect.*7. *num.*6. Bonacina *ſuprà punct.*6. *num.*12. & aliorum aſſerentium poſſe vnum hominem viuentem pro alio etiam viuente lucrari indulgentias, ſi Pontifex id concedat, prout contingere videtur in hoc caſu. Secundò, vniendo, & aggregando prædictos benefactores cum ſuis Religioſis, ac ita faciendo, quod quemadmodum Religioſi dictas indulgentias conſequuntur faciendo opus à Papa præſcriptum, ita & illi benefactores, ſi illud fecerint. Quo caſu Prælati nihilominus non dicuntur concedere Indulgentias, ſed ſolùm Papa. Hoc enim modo intelligit hoc priuilegium Suarez *ſuprà diſput.* 55. *ſect.*5. *num.* 13. & Peirinis *tomo* 2. *de Prælato*, *quæſt.*3. *cap.*6. *num.*9. qui etiam addit id fieri poſſe applicando fructum dictarum Indulgentiarum modo, quo applicantur Defunctis. Quod tamen coincidere videtur cum primo modo aſſignato. Vide alia ad intentum ſuprà verbo *Bona*.

Loquendo etiam de Indulgentiis Regularium intuitu conceſſis Congregationibus virorum ſeu fœminarum, qui Tertiarij, vel Tertiariæ appellantur, quatenus ipſis Congregationibus fuerunt conceſſæ, procul dubio reuocatæ non ſunt per dictam Bullam Pauli V. cum in ea ſolùm reuocentur, quæ pro ipſorum Regularium perſonis conceſſæ erant, non aliæ. Quæ verò ſint conſtabit ex Compendiis priuilegiorum ſingulorum Ordinum. Dixi, quatenus ipſis Congregationibus Tertiariorum, & Tertiariarum conceſſæ fuerunt, quia loquendo de illis Indulgentiis, quas participant ratione Religionum quarum ſunt Tertiarij, & Tertiariæ, de quibus ex Sixto IV. & aliis Pontificibus dixi *tom.*1. *p.*2. *cap.*14. *num.*26. cum iſtæ ſint ad inſtar Indulgentiarum Religionum, & acceſſorium ſequatur principale, ideo conſequenter reuocatæ cenſeri debent per dictam Conſtitutionem Pauli V. & conceſſæ illis eæ, quas idem Pontifex Religioſis concedit. 16

Loquendo ſimiliter de Indulgentiis conceſſis confratribus, ſeu confraternitatibus Regularium, idem dici debet, ſcilicet reuocatas non eſſe per dictam Bullam 17

Pauli V.

Pauli V. propter rationem adductam, ſcilicet quia in ea ſolum reuocatæ fuerunt eæ, quæ pro ipſis Regularibus conceſſæ erant. Nihilominus ab ipſo Paulo V. reuocatæ etiam ſunt, & ad nouam formam redactæ, iuxta dicta *tom.1.part.2.cap.15.num.61.* Quod & animaduertit Naldus *in Summa, verb. Indulgentia, n.17.* vbi etiam animaduertit, poſtea eundem Pontificem Indulgentias conceſſas confraternitati Sacri Roſarij in priſtinum ſtatum reſtituiſſe, prout ſimiliter notaui eo *num.61.* Quæ verò ſint tales Indulgentiæ ex prædictarum Confraternitatum Summariis conſtare poterit: quas autem idem Pontifex Confraternitati Scapularis Carmelitarum conceſſit eodem *cap.15. num.40. & 41.* adduxi, vbi etiam *num. 42.* notaui forſan probabile eſſe Indulgentias eiſdem confratribus defunctis, vel in articulo mortis conſtitutis conceſſas, reuocatas non eſſe, propter dicta in ſuperioribus.

18 Ex quo iam patet qualiter reuocatæ non ſint pro Regularibus in dicta Bulla Pauli V. Indulgentiæ communes eiſdem Regularibus, & ſæcularibus, quales ſunt illæ, quæ medalliis, imaginibus, Coronis, vel certas orationes dicentibus, vel aliquam Eccleſiam certo die viſitantibus concedi ſolent. Peirinia *ſuprà, in Conſtitutione 8. Pauli V. num.11.* Quia tamen circa iſtas Indulgentias nonnullæ difficultates inter ipſos Regulares oriri ſolent, incongruum non erit aliquid circa eas dicere.

19 Et primò, circa medallias notandum, quòd licet Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus eas Indulgentias, quæ olim à ſuis prædeceſſoribus medalliis ſancti Caroli, & quinque Sanctorum conceſſæ erant, amplius ipſe non concedat, non tamen reuocauit à ſuis prædeceſſoribus conceſſas, ac propterea manent in ſua vi. Concedit etiam ipſe D. Vrbanus varias Indulgentias ordinarias, & extraordinarias (quas benedictiones vocant) diuerſis medalliis, & imaginibus Sanctorum, ſed vult, vt audio, quod dictæ benedictiones non poſſint dari, niſi ſimul cum ipſis medalliis, vel imaginibus. Nota ſecundò, ſecundùm probabiliſſimam opinionem quorumdam, quod habens diuerſas medallias diuerſas benedictiones à diuerſis Pontificibus habentes, poteſt eodem actu, ſeu oratione iniuncta diuerſas illas Indulgentias conſequi. Ratio eſt, quia priuilegium priuilegio non aufertur, & quia non eſt maior ratio cur Indulgentia vnius medalliæ, potius quam alterius obtineatur eo actu, vel oratione. Ergo vel omnium, vel nullius, quod eſſet abſurdum. Henriquez *lib.7. de indulgent. cap. 27. num.5.* Sà *in Summa, verb. Indulgentia, num.18.* Naldus *in Summa, verb. Indulgentia, num.5.* Licet oppoſitum tueatur Suarez *ſuprà, diſp.52. ſect.8. num.10.* Coninch. *diſp.32. de Indulgent.dub.9.* & alij. Nota etiam tertiò, habentes tales medallias conſequi poſſe, ſæpius etiam in die, Indulgentias ipſarum, efficiendo opus præſcriptum, non ſolum quando Pontifex dixit *toties quoties, &c.* ſed etiam quando non determinauit tempus, cum non ſit ratio reſtringendi conceſſionem ad vnam vicem, Nauar. *de indulgent. notab.31. num.37.* Suar. *diſp.57. ſect.1. n.17.* loquentes de viſitantibus Eccleſias, quibus conceſſa eſt Indulgentia, propter eandem rationem, Bonacina *ſup. diſp.6. quæſt.1. punct.5. num.32.* Layman. *ſup. cap.3. num.3. & cap.8. num.8.* Lugo *d.diſp.27. ſect.6. num.95.* Id tamen animaduertendum cum Nauarro, & Suarez, non eſſe id intelligendum de tot vicibus, vt indulgentia irriſoria reddatur, cum non niſi prudenter, & rationabiliter à Papa credi debeat conceſſa.

20 Pro recitantibus ter *Aue Maria*, cum tribus illis Antiphonis *Angelus Domini, &c. Ecce ancilla Domini, &c. Et Verbum caro, &c.* ad tria ſigna campanæ poſt Solis occaſum, conceſſam eſſe Indulgentiam ab Adriano VII. refert Rodriguez *tom.2. quæſt. Regular. quæſt.77. art.12.* Diana *part.4. Reſolut.24.* ex aliis. Cæterum in Cæremoniali noſtro *lib.1. part.2. rubric.9. num.6.* hæc adduntur iuxta Romanæ Eccleſiæ vſum omnibus vtilia. *Pulſatio ſalutationis Angelicæ poſt occaſum Solis per tres ictus ter factos efficiatur. Similiter in aurora, & etiam in meridie, ſecundum ritum Patriæ fiat. Ad cuius pulſationem Fratres, etiam tempore Paſchali genuflectant (exceptis Dominicis diebus à primis veſperis, in quibus non genuflectent, ſed ſtabunt) & tres hos verſus,* Angelus Domini, &c. Ecce Ancilla Domini, &c. Et verbum caro factum eſt, &c. *dicant, terque* Aue Maria, *cum oratione* Gratiam tuam, & fidelium animæ, *vt in exercitio quotidiano in officio Beatæ Mariæ Virginis ordinatur, quibus precibus Indulgentiam plenariam Paulus Papa III. conceſſit. Item Gregor. XIII. præcepit in omnibus Eccleſiis, etiam Regularium, pulſationem ad orationem pro Defunctis, ſeu poſt ſalutationem Angelicam hora competenti, noctu fieri, Indulgentias iam pro Defunctis orantibus concedens. Quare dimidia, vna, aut duabus horis poſt ſalutationem Angelicam, ſecundum varias conſuetudines Parochiarum fieri poteſt.* Hæc ibi.

Circa Indulgentias Stationum notandum primò, 21 quod licet olim plures Summi Pontifices eas multis Religioſis conceſſerint, viſitando ſolum certas Capellas, Altaria, vel loca in ſuis Eccleſiis aut domibus, prout refert Caſſarubius *ſupra, verb. Indulgentia ſtationum quoad Fratres*, per totum, & Rodriguez *tom.2. quæſt. regul. quæſt.88. art.2.* modò tamen ſtandum eſt Bullæ Pauli V. relati, vbi reuocatis aliis Indulgentiis, ſolum quoad Stationes Regularibus concedit, quod Religioſi *intra clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, ac vt præfertur* (ſcilicet pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſis extirpatione, Romani Pontificis ſalute, & ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione) *orauerint, conſequantur eaſdem indulgentias quas viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.* Quod vt dixi ſuperiùs, intelligitur pro ipſis diebus Stationum. Nota ſecundò, quod per Indulgentias Stationum duo poſſunt intelligi. Primò, Indulgentiæ ſolùm, quæ pro tali Statione à Sancto Gregorio Papa earum inſtitutore conceſſæ ſunt, ſcilicet ſeptem annorum, prout habent D. Thom. *in 4. diſt. 20.* Turrecremata *in cap. menſuram, de pænitent. diſt.1.* & alij communiter. Secundò, non ſolum iſtæ Indulgentiæ, quæ pro Stationibus ſunt conceſſæ à Sancto Gregorio, ſed plures aliæ ab aliis Pontificibus conceſſæ viſitantibus dictas Eccleſias, vel in ipſis orantibus, quæ plures ſunt, & maximæ, prout conſtat ex Summario earumdem Eccleſiarum, ſpecialiter quæ pro ſeptem Eccleſiis principalibus, ſcilicet S. Ioannis Lateranenſis, S. Petri in Vaticano, Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ Maioris, S. Laurentij extra muros, Sancti Sebaſtiani, & Sanctæ Crucis in Ieruſalem, vt refert Caſſarubius *in Compend. verb. Indulgentia ſeptem Eccleſiarum*, & Rodriguez *ſuprà, tom.2. quæſt.89. 90. & 91.* Cum autem Paulus V. verbis adductis dixerit *conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur, &c.* ideo videtur dicendum tales Religioſos ſuas Eccleſias viſitantes non ſolum conſequi eas Indulgentias, quæ pro Stationibus à Sancto Gregorio conceſſæ ſunt, ſed etiam omnes alias, quæ ab aliis Pontificibus conceſſæ fuerint pro illas viſitantibus, & in eis orantibus. Ità de ſimili conceſſione Clementis VII. pro Confratribus noſtris habet noſter Staurina *ſuprà, cap.21. num.10.* Cum autem inter Indulgentias conceſſas dictis Eccleſiis, aliæ ſint totales, & plenariæ, aliæ partiales, & non plenariæ: rurſus aliæ pro viuis, aliæ pro defunctis, inquiri poteſt an Religioſi viſitantes ſuas Eccleſias diebus Stationum omnes illas conſequantur. Et licet aliqui probabiliter affirmatiuè

reſpondeant, eo quod Pontifex illas poſſit concedere; & verba quibus voluntatem ſuam ſignificat, cum indefinita ſint, & vniuerſalia, latè videantur explicanda, maximè in materia iſta fauorabili, & quæ nulli tertio præiudicium affert. Nihilominus probabilius eſt contrarium, quia *vt ſuprà, num.2.* dixi, iuxta ſtylum Curiæ & Regulam Cancellariæ Apoſtolicæ Indulgentiæ plenariæ, eo quod difficilè conceduntur, non intelliguntur conceſſæ, niſi expreſsè exprimantur. Suarez *ſup. diſp.52. ſect.8. num.12.* Molfeſius *part.1. Summ. tract.7.c.26. num.92.* Caſſarubins *ſup. verb. indulgentia ſtationum, §. aduertendum eſt etiam.* Quod maximè videtur dicendum de Indulgentiis plenariis pro defunctis, quia iſtas difficiliùs Pontifices concedunt, & ita non intelliguntur conceſſæ, niſi exprimantur, prout tenent S.Thom. *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art.3.* Nauar. *in Comment. de indulgent. notab.22. num.2.* Suarez *ſuprà, num.13. & 14.* Solùm ergo Indulgentias non plenarias, & pro viuis lucrantur Religioſi prædicti ſuas Eccleſias in prædictis diebus Stationum viſitantes.

22 Idem quod dixi de indulgentiis Stationum à religioſis prædictis diebus conſequendis, etiam applicari debet proportionaliter ad ſingulos Chriſti fideles Ordinis noſtri deuotos, iuxta conceſſionem Clement. VII. & moderationem Gregor. XIII. in fauorem Ordinis noſtri. De quo idem Reuerendiſſimus Stratius ſuprà dicto *cap.21.*

23 Religioſi publicantes Indulgentias ob quæſtum, id eſt, ob eleemoſynas ratione illarum acquirendas, ſententiam excommunicationis incurrunt Papæ reſeruatam, & Epiſcopi, quantumuis Cardinalatus honore præfulgeant, ſi id egerint, aut attentauerint, ab ingreſſu Eccleſiæ, & perceptione fructuum ſunt ſuſpenſi, donec ſatisfactione præmiſſa, à Sede Apoſtolica diſpenſentur. Ita enim habetur ex Pio V. in Bulla *Quàm plenum*, in 2. tom. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius *num.99.* Theſaurus *in praxi, part.2. verb. Indulgentia, cap.2.* Tales etiam Indulgentiæ inualidæ ſunt, ex eodem Pio V. in Bulla *Etſi Dominici*, ſupra relata. Secus videtur dicendum de Indulgentiis, pro quibus conſequendis ſolum dicitur dandam eſſe aliquam eleemoſynam indeterminatis pauperibus; nam hoc ſolet fieri in Iubilæis. Theſaurus *ſuprà.* Qui etiam ibidem agit, an hanc cenſuram incurrat, qui mandauerit publicare prædictas Indulgentias ob quæſtum, ſi non fuerint publicatæ.

24 Item Religioſi indulgentiam plenariam alicui concedentes incurrunt excommunicationem Papæ reſeruatam, eoſque locorum Ordinarij, poſtquam de hoc eis conſtiterit, excommunicatos debent declarare, donec de abſolutione eis fuerit fides facta, non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis. Ita enim habetur *in Clement. 1. de priuileg.* vbi hoc quod eſt concedere indulgentiam plenariam vocatur *abſoluere à culpa, & à pœna.* Suarez *de Cenſuris, diſp.22. ſect.4. num.19.* Theſaurus *ſuprà, cap. 1.* qui etiam animaduertunt eum Sylueſtro *in Summa, verb. Excommunicatio 7. num.41.* incurrere Religioſos hanc cenſuram, etiamſi non abſoluant ſacramentaliter. Religioſi autem hanc indulgentiam plenariam concedentes non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ imponitur contra vſurpantes iuriſdictionem Sedis Apoſtolicæ, quia ea ſolum ponitur contra vſurpantes iuriſdictionem Ordinariam, non verò delegatam, præſertim in foro interno. Theſaurus *ſuprà.*

25 Qualiter excommunicentur Religioſi prædicantes, vel dicentes, indulgentias Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de populo ad ſæculares extendi, habes *tom. 1. part. 1. cap.21. num.9.* Qualiter etiam peccent prædicantes Indulgentias non approbatas ab Ordinario, falſas, aut indiſcretas, habes ex dictis *ibid. num.17.* De Indulgentiis Bullæ Sabbatinæ, & diligentiis pro ea obtinenda, dixi *tom.1. part.2. cap.15. num.43.* De indulgentiis pro defunctis conceſſis Altaribus priuilegiatis, dixi ſuprà *verb. Altare, num.19.* De aliis verò ad hanc materiam ſpectantibus dicam *verb. Iubilæum.*

Præterea ad ſatisfaciendum multis, qui interrogare ſolent de aliquibus indulgentiis, an ſint veræ, vel falſæ, & ad reprimendum temeritatem eorum, qui falſas pro veris, & legitimis tenent, vtile valdè cenſeo hoc loco apponere, quæ ex decreto S. Rom. Inquiſitionis de anno 1635. prid. 23. Iunij Romæ impreſſo refert Gauantus *in Enchiridio, ſeu Manual. Epiſcopor. verbo indulgentia, in quadam additione dicens Indulgentias quæ ſequuntur eſſe falſas ex prædicto decreto.* Primò, *Quæ aſſeruntur conceſſa à Pio V. Principi Senarum.* Secundò, *Item à Pio V. Magno Duci Etruriæ, & confirmata à Clement. VIII.* Tertiò, *Item à Clem. VIII. Eccleſiæ S. Mariæ Montiſſerrati.* Quartò, *Item Indulgentia plenaria pro defunctis à Clement. VII. Matriti 20. Iunij 1606.* Quintò, *Indulgentia fundata ſuper reuelatione B. Ioannæ de Cruce piaculari grano, quod dicitur tetigiſſe vnum ex tribus, quæ ſunt apud Papam, Regem Hiſpaniarum, & Generalem Minorum de Obſeruantia.* Sextò, *Item Indulgentia, quæ dicitur conceſſa à Ioanne XXII. illis qui oſculantur plantam pedis B. Virginis prælo datam.* Septimò, *Item ea, quæ à Papa Adriano VI. dicuntur conceſſa granis benedictis ad inſtantiam Cardinalis Lanchuanes Trigermani Brabantini, impreſſa Panormi anno 1611.* Hæc ibi omnibus notanda. 26

INFAMIA.

SVMMARIVM.

1 *Infamia quid, & quotuplex ſit.*
2 *Infamia iuris propter quæ crimina ſit impoſita.*
3 *An debeant eſſe notoria.*
4 *De infamia per ignominioſam artis profeſſionem.*
5 *An incurratur propter quodcunque crimen, ſi ſit notorium.*
6 *An incurratur dolo non interueniente.*
7 *An per ſententiam diffinitiuam Iudicis.*
8 *An in caſu tranſactionis.*
9 *Quid dicendum de infamia facti.*
10 *De diuiſione infamiæ in legalem, & Canonicam.*
11 *De diuiſione infamiæ propter delictum proprium, & alienum.*
12 *Infamiæ effectus qui ſint.*
Maximè quoad Regulares quoad repulſam ab officiis Religionum. ibid.
13 *Repellitur infamis ab actibus legitimis, & publicis muneribus.*
14 *Tenentur infames in conſcientia abſtinere ab iis, à quibus repelluntur.*
15 *Infamia irregularitatem inducit.*
16 *Quibus modis tollatur infamia.*
17 *Regulares an poſſint diſpenſari* in *ipſa à ſuis Prælatis.*
18 *Ad quos caſus extendi poſſint priuilegia Religionum.*
19 *De priuilegio quodam Eugenij IV.*

1 INfamia ex parte illorum apud quos quis eſt infamatus, eſt *rumor, opinio, ſeu exiſtimatio praua de vita, moribus, aut qualitate alicuius*; ex parte verò ipſius infamis eſt *læſa dignitatis qualitas, legibus, aut moribus reprobata*, argumento à contrario de fama, quæ eſt *dignitatis illæſæ ſtatus, legibus, ac moribus comprobatus, l. cognitionem, ff. de variis*, & aliis iuribus. Michaël de Bononia *in 4. diſt.25. quæſt.5. art.1.* Sylueſter *in Summa, verb. infamia, num.1.* Laymanus *lib. 1. tract.5. part.5. cap.4. num.1.* Quamuis autem plures dicant infamiam

eſſe-

eſſe triplicem, ſcilicet iuris, facti, & canonicam, (Sanchez *tom.2.conſil. Moral.lib.6. cap.3. dub.4. n.1.* Naldus *in Summa, verb. Infamia, num.1.*) Nihilominus coniungendo infamiam Canonicam cum infamia iuris, antiqua, & celebris diuiſio infamiæ eſt in infamiam iuris, & infamiam facti. Infamia iuris eſt ea, quæ incurritur per delictum, cui à iure, ſiue canonico, ſiue ciuili impoſita eſt infamiæ pœna. Syluester *ſupra, num.2.* Toletus *in Summa, lib.1. cap.62. num. 1.* ſiue per Iudicis ſententiam diffinitiuam, qua aliquis de graui aliquo crimine damnatur. Toletus *ibid.* Suarez *tom.5.de Cenſuris, diſp.48. ſect.1. num.6.* Siue etiam ex confeſſione rei in iudicio. Saytus *de Cenſur.lib.7.cap.9. num.3.* Naldus *ſuprà, verb. infamia, num.1.* Bonacina *de Cenſuris, diſp.7. quæſt.3. punct.1. num.2. § 3.contingit*, & alij apud ipſum. Licet oppoſitum teneant Syluester *ſuprà, num.12.* cum aliis. Infamia verò facti eſt, quæ oritur ex graui aliquo delicto, propter quod ex ipſo facto ſine aliquo actu iudiciario delinquens apud bonos, & graues viros malè audit, ſiniſtrave opinio de ipſo diuulgatur. Toletus, & Suarez *ſupra.* Cornejo *tom.1.in 3.part.S.Thom. tract.3.de irregular.diſp.8.dub. unico.* Deinde infamia iuris, alia eſt legalis, alia Canonica: illa quidem eſt, quæ per leges Ciuiles eſt introducta, iſta verò, quæ per leges Canonicas. Toletus *ſuprà, num.4.* Ruſus infamia ex delicto, alia eſt propter delictum proprium, alia propter delictum alienum, ſcilicet parentum, auorum, &c. Layman. *ſuprà.* Pro quibus infamiæ ſpeciebus, ſeu modis aliqua animaduertenda ſunt.

2 Et primò, quoad infamiam iuris, illam ſcilicet, quæ vt dixi, in iure eſt impoſita pro aliquo delicto, nota primò, crimina propter quæ in iure canonico, vel ciuili eſt impoſita infamia, eſſe crimen lenocinij, crimen militis propter quod repulſam paſſus eſt ab exercitu, Matrimonium cum duabus, vſuram, crimen læſæ maieſtatis, hoſtilem perſecutionem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, periurium, pugnam publicam cum feris, duellum, iocolatoriæ, & hiſtrionicæ artis periculoſum exercitium, adulterium deprehenſum, ſodomiam voluntariam, raptum mulierum, apoſtaſiam à fide, hæreſim, eiuſque fauorem, ſimoniam, proſtitutionem propriæ filiæ, vel neptis. Matrimonium cum meretrice, vili, abiecta, vel repudiata. De quibus ex diuerſis iuribus agunt Michaël de Bononia *ſupra, art.2.* Saytus *d. lib.7. cap.11.* Sanchez *ſup. dicto cap.3. dub.6.* Bonacina, & Layman. Alia crimina propter quæ incurritur infamia, congerunt Azor. *tom.2. lib.6. cap.7. quæſt.3.* Cornejo *ſupra, §.ex quibus infero*, & Barboſa *de offic. & poteſtate Epiſcopi, allegat.43. a num.25.* & habentur *ex cap. conſtituimus, & cap. omnes 3. quæſt.5. cap. infames 3. quæſt.7. & cap. infamis 6. q.1.* Sed ibi, vt puto, ſolum eſt ſermo, ſaltem quoad plura crimina ex illis, de infamia facti, non iuris.

3 Nota ſecundò, quod quando hæc delicta propter quæ infamia iuris incurritur, non ſunt notoria maiori parti viciniæ, loci, Collegij, Monaſterij, &c. in quo quis degit, non inferunt infamiam, quemadmodum enim fama oritur ex publica boni nominis notitia, ita infamia ex publica mali nominis notitia oriri debet, & ſi ea non adſit, delinquens non cenſetur infamis. Nauarrus *in Manual.cap.27. num.248.* Bonacina *ſuprà*, ex aliis. Addit Nauarrus ex D. Antonino id eſſe verum etiamſi tale delictum probari poſſit, aut ſit fama de eo, aut ſit confeſſum extraiudicialiter. Vnde tali delicto occulto ſtante non licet alteri illud publicare, ſeu reum infamare, quia adhuc retinet famam ſuam. Suarez *num. 15.* Theſaurus *in praxi Eccleſiaſtica, part.1. cap.33. §. Aduertendum 5.* Adde, quod etiamſi delictum ſit publicum, nihilominus probabile valde eſt, ante ſententiam Iudicis, ſaltem declaratoriam criminis non incurri in conſcientia hanc pœnam infamiæ, propter dicta *tom.1.cap.10.num.31.* eo præſertim, quoniam eſto in rigore iuris oppoſitum eſſet dicendum, conſuetudine tamen, vt credo, id quod dixi eſt receptum. Azor. *tom.1.Inſtit. Moral lib.8. cap.13.§.ſed verum eſt.* Sanchez *lib.2.in Decalog. cap.26. num.1. & 2.* Peirinis *tom.2. de Prelato, quæſt.2. cap.5. §.4. num.50.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.43. num.14.* poſt alios quos referunt. Rectè etiam notant plures ex illis, quod in tali caſu publicitatis criminis propter quod in iure impoſita eſt pœna infamiæ, etiamſi non incurratur infamia iuris ante declarationem Iudicis, incurritur tamen infamia facti, quæ per contrarium actum abolecitur, & de qua poſtea. Si tamen caſus eſſet, quo Iudex declararet delinquentem commiſiſſe illud crimen, etiamſi non condemnet eum, incurretur infamia; tunc enim non adſunt omnia requiſita ad talem pœnam incurrendam. Azor. & Sanchez *ſuprà.* Poſita etiam ſententia declaratoria criminis, actus antea geſti à die commiſſi criminis irritantur. Suarez, & Theſaurus *ſuprà.*

Tertiò nota, ad hanc infamiam iuris reduci eam, quæ incurritur per ignominioſam profeſſionem alicuius artis vilis, quæ reddat hominem vilem, & indignum, quales ſunt non ſolum hiſtriones, & iocolatores, vt dictum eſt, ſed etiam mimi, gladiatores, citharœdi, macellarij, tabernarij, aleantes, &c. Maiolus *lib.3. cap.1. num.5. & ſequentib.* Bonacina *ſup. num.12.* ex pluribus aliis. Circa quod notandum primò, nullum officium, quamuis vile, & abiectum, aut mechanicum inducere hanc irregularitatem, niſi id iure ciuili, vel canonico ſit expreſſum, vel ſaltem includat culpam grauem publicam, quia tunc inducet infamiam facti. Suarez *ſup. dict. diſp.48. ſect.3. in fine.* Cornejo *ſupra, § reſpondeo affirmatiue.* Secundò hanc infamiam non tranſire ad filios. Suarez, & Cornejo *ibid.* 4

Maximè quartò nota, quod licet plurium ſententia ſit incurri prædictam infamiam iuris propter quodcumque crimen enorme, ſi ſit notorium (Sayrus *dict. lib.7.cap.12.* Theſaurus *ſup.§.1. modo*) oppoſitum tamen eſt probabilius, ſcilicet non incurri dictam infamiam iuris propter quodcumque delictum, quantumvis enorme, & depoſitione dignum, ac notorium. Ratio ſumitur *ex cap. is qui, de ſentent. excommunic. in 6.* vbi diffinitur, quod nulla irregularitas incurretur, niſi in iure ſit expreſſa. Cum autem infamia iuris inducat irregularitatem, vt poſtea dicetur, ſanè ſi ea non ſit iure determinata, non incurretur propter delictum quantumvis enorme, aut publicum. Suarez *ſup. num.11.* Peirinis *ſup.* Layman. *ſup. num.11.* Incurretur tamen tunc infamia facti propter criminis publicitatem, ea enim oritur apud bonos, & graues, propter delictum enorme, & publicum, vt dictum eſt. Peirinis, & Layman. *ſupra.* 5

Quintò nota circa eandem infamiam iuris, quæ in iure habetur, incurri etiam dolo non interueniente, vt ex culpa lata, aut ex ignorantia culpabili, niſi lex expreſſè requirat dolum, ſeu præſumptionem, nec euitari etiam ex cauſa intrinſeca minuente culpam, vt ob minorem ætatem, vel ob non plenam malitiam, vt probat Theſaurus *ſup. § Aduertendum 3. & Aduertendum 4.* ex variis Doctoribus & iuribus. 6

Circa ſententiam diffinitiuam iudicis, per quam vt dixi, incurritur etiam iuris infamia, nota primò id maximè eſſe verum, quando quis damnatus eſt ad publicam pœnam ex cauſa famoſa, *cap. infames 3. quæſt.7. §.porrò, l. aut damnum, in princip. ff. de pœnis.* Molina *tract.4. diſp.9. num.19.* Theſaurus *ſup. §.5. modo.* Qui per talem pœnam intelligit omnem pœnam corporalem præter pecuniariam, vt damnationem ad opus metalli, relegationem, fuſtigationem, damnationem ad triremes (eſto oppoſitum probabile eſſe dicat Diana *4. part. tract. 2. reſolut. 83.* ad perpetuum carcerem, ad bannum, 7

bannum, vel pœnam capitalem. Secundò (quod notent Regulares) id etiam eſſe verum, quando quis damnatur ad depoſitionem ab officio, vel beneficio, vel depoſitionem, aut degradationem. Sanchez *tom. 2. conſil. moral. lib. 6. cap. 3. dub. 6. numero 16.* Theſaurus *ſup. §. 2. depoſitio.* Intelligitur autem hoc, quando quis damnatur ad hæc ob dolum, fraudem, &c. Sanchez *ibid. & num. 14.* Theſaurus *ibid.* Tertiò id etiam eſſe verum, quando quis eſſet damnatus ad publicam, vel ſolennem pœnitentiam agendam, iuxta modum tamen explicandum infrà *verb. Irregularitas, num. 38.* Zerola *in praxi, cap. 45. num. 5.* Maiolus *lib. 3. cap. 2.* Theſaurus *ſup.* Quartò id quoque eſſe verum, etiamſi quis condemnatus eſſet ad prædicta ex inditiis indubitatis, talis enim ſententia trahit etiam pœnarum executionem. Menochius *lib. 1. præſump. quæſt. 96.* Theſaur. *ſuprà, §. Amplia prædictam,* rectè etiam dicens *§. ſequenti*, ex Vgolino & Molina id eſſe intelligendum, quando non eſt ab ea ſententia appellatum.

8 Circa confeſſionem illam rei in iudicio per quam, vt dixi, incurritur infamia iuris, nota, idem etiam videri dicendum in caſu tranſactionis, quando ſcilicet aliquis paciſcitur ſuper crimine, pro quo ſi fuiſſet condemnatus, incurreret infamiam, ne pro illo accuſetur; intelligitur enim fateri crimen, qui ſuper eo paciſcitur, *l. 1. & l. Athletas, §. fin. & l. quoniam intelligitur, ff. de his qui not. inf.* Laymanus *ſup. §. Alia vero crimina.* Theſaurus *ſup. §. 4. modo*, & in ſeqq.

9 Circa infamiam facti notandum, quod cum ea oriatur ex graui aliquo delicto propter quod delinquens apud bonos, & graues viros male audit, ideo non ſufficit ad illam incurrendam, quod tales viri ſint leues, fatui, vel malæ opinionis, *cap. ſunt plurimi 6. quæſt. 1.* Syluester *ſup. num. 3.* Suarez *ſuprà, num. 19.* Requiritur etiam, quod tales viri boni, & graues ſint tota, vel maior pars loci, Communitatis, Conuentus, &c. iuxta dicta *ſup. num. 3.* de infamia iuris. Sotus *in relect. de tegend. ſecreto, memb. 2. quæſt. 6.* Nauarrus *ſupra, num. 151. & cap. inter verba, corollar. 48. num. 584.* Vnde non ſufficit rumor ſparſus, & creditus apud aliquos. Sanchez *tom. 2. conſil. moral. lib. 6. cap. 3. dub. 4. num. 2. & 5.* Sà *in Summa, verb. infamia, num. 1.* Nec etiam ſufficit teſtimonium vnius quantumuis exiſtimati, aut fide digni, aſſerentis illud crimen eſſe ab aliquo commiſſum, quia talis poteſt fallere, vel ſaltem falli. Peirinis *ſuprà, num. 52.* Excipe, ſi perſona aliqua publica de qua nullus dolus præſumeretur, efficeret aliquam actionem, per quam denotaret aliquem grauiter peccaſſe, vt ſi pater in ſuo teſtamento filium, quem hæredem inſtituit, turpibus verbis infamaret, vt dicendo eum eſſe proditorem, nequam, vel huiuſmodi, *l. ea quæ pater, Cod. ex quibus cauſ. infamia irrogat. & l. 2. tit. 6. part. 2.* Syluester *ſuprà.* Laymanus *ſupra, num. 4.* Aut cum Rex, vel Iudex non per modum ſententiæ, ſed caſtigationis, vituperio afficeret poſtulantem, dicendo illi, *tu calumniaris*, vel *bene faceres ſi ad meliorem frugem te conuerteres, Cod. eod. tit. leg. verbum, l. interlocutio.* Syluester *ſup. dub. 5. num. 3.* Vel propter crimen repellerent aliquem à teſtificando, *cap. teſtimonium, de teſtibus.* Syluester *ſuprà.* Armilla, Tabiena, & Angelus *verb. Infamia.* Seu cum aliquem damnarent ad reſtituendum rem ablatam, vel eum mitterent in carcerem. Syluester *ſupra.* Sanchez *ſuprà, num. 4.* Hoc verò graue delictum publicum, propter quod infamia facti incurritur, non eſt idem in omnibus, ſed reſpectiuè ad perſonas, itaut crimen, quod in ſæculari non cauſat infamiam, ſcilicet fornicatio, in Religioſo cauſabit illam. Molina *tract. 4. diſp. 7. num. 6.*

10 Circa diuiſionem illam infamiæ in legalem, vel Canonicam, notandum, quod quicunque afficitur infamia à iure ciuili, afficitur quoque etiam à iure Canonico expreſsè vel implicitè ius ciuile admittente, *cap. omnes verò 6. quæſt. 1. & 2. quæſt. 3. §. hinc colligitur.* Maiolus *de irregularit. lib. 3. cap. 1. num. 3.* Garzias *part. 7. de benefic. cap. 8. num. 11.* Excipe, niſi infamiam à iure ciuili introductam Canones ſpeciatim abſtulerint, vt in *cap. vlt. de ſecundis nupt.* ablata eſt infamia decreta mulieri intra annum viduitatis ad ſecundas nuptias tranſeunti. *Auth. C. de ſecund. nupt.* Layman. *ſup. num. 2.* 11

Circa diuiſionem autem aliam infamiæ in eam, quæ incurritur ex delicto proprio, & ex alieno, notandum, quod filij eorum, qui crimen læſæ maieſtatis, ac perduellionis commiſerunt, ſunt infames, *l. quiſquis, C. ad l. Iuliam, maieſt.* Similiter filij, & nepotes eorum, qui Romanæ Eccleſiæ Cardinales hoſtiliter perſequuntur, *cap. fœlicis, de pœnis in 6.* Cornejo *ſup. §. Reſpondeo affirmatiuè.* Bonacina *ſuprà, num. 13.* Idem dicunt plures de filiis hæreticorum, credentium, fautorum, ſeu receptatorum, vel defenſorum ipſorum, propter dictam *l. quiſquis*, quia illi ſunt etiam rei læſæ maieſtatis diuinæ. Ita plures apud Sanchez *lib. 2. in Decalogum, cap. 28. num. 4.* Contrarium tamen videtur probabilius, quia nullibi in eos eſt ſtatuta hæc pœna, neque in pœnalibus arguendum eſt à maioritate rationis, Menoch. *conſ. 808. num. 44.* Suarez dicta *diſp. 48. ſect. 3. num. 1.* Sanchez *ſuprà, num. 5.* Excipe filios prædictorum vſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & vſque ad primam per maternam, ſi parentes ipſorum defuncti fuerint impœnitentes, *cap. quicunque, §. hæretici, de hæret. in 6. cap. ſtatutum 2. eodem tit. in 6.* Sanchez *ſuprà, num. 7.* Theſaurus *in praxi, part. 2. verbo hæreſis, cap. 3.* Vbi cum eodem Sanchez, & aliis limitat hoc, vt non procedat in filiis ante hæreſim genitis, nec in illis Religionibus, in quibus palam, & impunè hæreſes graſſantur, & quando delictum paternum eſt notorium iure, vel facto. Addit Cornejo *ſup. §. Reſpondeo affirmatiuè*, filios meretricis notoriæ etiam coniugatæ eſſe quoque infames.

Ex infamia autem, ſiue iuris, ſiue facti, hi effectus oriuntur. Primus, quod repellunt infames à dignitatibus Eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus, ita vt eas conſequi iure nequeant, *cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælator. l. vnic. de infamibus, & l. 2. de dignitatibus, lib. 12.* & ex Regula 87. iuris in 6. vbi dicitur *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Syluester *ſuprà, num. 4. & 15.* ac iure *Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 20.* Diuerſo tamen modo id competit infamiæ iuris, ac infamiæ facti, etenim infamia iuris non ſolum repellit à dignitatibus obtinendis, ſed etiam à receptis (intellige, ſuppoſita ſententia declaratoria, iuxta dicta ſupra) infamia verò facti impedit collationem dignitatum, ſed non priuat obtentis. Molina *tract. 4. diſp. 11.* Sanchez *tom. 2. conſil. moral. 6. cap. 3. dub. 5. num. 7.* & ſequentibus. Layman. *ſuprà, num. 5.* Collatio etiam beneficij, ſeu dignitatis facta infami infamiâ iuris, eſt nulla & irrita, ex dicta regula iuris *Infamibus*, &c. & *cap. cum in cunctis, de elect.* Sanchez *ſuprà, num. 10.* Layman *ſuprà.* Quod etiam dicunt de infami infamia facti iidem Sanchez, & Layman, ac Bonacina *ſuprà, num. 11.* contra Garziam *de benefic. part. 7. cap. 8.* & alios. Ex quo ad intentum Regularium collige, dictos infames repellendos eſſe ab officiis Religionum, quæ dignitates ſunt, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 25.* Idem de gradibus Magiſterij, ſeu Doctoratus, quia Doctoratus dignitas quædam ſit, ex Abbate, Felino, & aliis tenet Theſaurus *in praxi, part. 2. verb. Medici, cap. 1. §. De pœna.* Sed vide dicta *verb. Illegitimi Regulares, num. 8.* Item Moniales infames, ſiue infamia iuris, ſiue facti, à munere Abbatiſſarum, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 16. num. 7.* de quo Portellus *in dub. Regular. verb. Abbatiſſa*, & Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſput. 28. quæſit. 15.* 12

Secundus effectus vtriuſque infamiæ eſt, quod repellat hominem ab actibus legitimis, & publicis muneribus, itaut non poſſit eſſe Iudex *3. quæſt. 7. cap. Infamis,* 13

Digitized by Google

mis, quia hoc dignitatem dicit. Bene tamen arbiter, quia hic nullam dignitatem habet, ſed meram, & ſimplicem cognitionem. Nec accuſator, aut poſtulator, *l. qui accuſare*, *ff. de accuſ. & l. 1. ff. de poſtulat.* Nec teſtis in cauſa criminali, vel grauiori, quibuſdam caſibus exceptis, *cap. teſtimonium*, *de teſtibus*, & *cap. Inquiſitionis*, *§. penultim. de accuſat.* Nec procurator, *cap. deputati*, *de iudic. & cap. infamibus*, *de regul. iur. in* 6. Idem dico de munere aſſeſſoris, & patroni. De quibus Syluester *ſup. num. 4. & 15.* Sanchez *ſuprà*, *num. 11. & 12.* Layman. *ſupra*, *num. 7.* An verò poſſint eſſe tabelliones, vel tutores, ad iuriſperitos id remittimus. Id ad noſtrum inſtitutum Regularium adiiciendum, tales infames in Religionibus non poſſe eligere, quia eligere etiam eſt actus legitimus, prout ex Suarez, Sigiſmundo de Bononia, & aliis tenet Peirinis *ſuprà*, *num. 55.* Nec poſſe munus Concionatoris exercere, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 20. num. 14.* [Addit tamen Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub. 86. num. 8. & 9.* infames infamiâ facti poſſe eligere, & eſſe ſerutatores, ſeu compromiſſarios in electionibus.]

14 Tenentur etiam infames in conſcientia abſtinere ab his rebus à quibus repelluntur, niſi prius ſe per aliquod remedium ab infamia liberauerint. Lex enim qua prohibentur ea, eſt iuſta, ac per conſequens in conſcientia ſeruanda; quandoque verò ſolum veniale id erit, iuxta quantitatem materiæ, & circumſtantiarum. Sanchez *ſupra*, *num. 18.*

15 Tertius, & maximè huc pertinens infamiæ effectus eſt, quod ea, ſeu iuris, ſeu facti ſit, irregularitatem inducit, quæ eſt communis ſententia Doctorum, *ex cap. infames 6. quæſt. 1. cap. qui in aliquo*, *diſt. 51. cap. omnipotens*, *de accuſat. & Regula iuris 87. Infamibus.* Puros enim, & immaculatos, non infamatos in Clerum, ſeu ſortem Domini, & ſacrum eius miniſterium adoptari conuenit. Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 204.* Cornejo *dicta diſp. 8. dub. 1.* Diuerſo tamen modo id competit infamiæ iuris, quàm infamiæ facti; nam infamia iuris facit hominem inhabilem ad Ordines ſuſcipiendos, & ſuſceptos exercendos. Infamia autem facti, niſi crimen tale ſit, quod impediat exercitium ſuſceptorum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale eſt homicidium, non impedit exercitium illorum. Bonacina *ſuprà*, *num. 4. & 5.* ex Azor. Toleto, Suarez, & aliis. Vnde meritò irregularitas, quæ oritur ex infamia iuris, eſt ſimpliciter irregularitas, quæ verò oritur ex infamia facti, non niſi ſecundum quid. Garzia *de benefic. part. 7. cap. 8. num. 64.* Tamburinus *ſupra*, *d. quæſt. 20. num. 5.*

16 Tollitur autem infamia, ita vt nullum effectum iuridicum deinceps habeat. Primò, ſi ſit infamia iuris Canonici per diſpenſationem Papæ, quia ipſe eſt ſupra ius Canonicum. Nauarrus *ſuprà*, Bonacina *ſuprà*, *num. 6.* Si autem ſit incurſa propter crimen ſuper quod poteſt Epiſcopus diſpenſare, quale eſt adulterium, & minora, *cap. at ſi Clerici*, *§. de adulter. de Iudic.* poterit etiam in infamia Epiſcopus diſpenſare. Nauarrus *ſuprà*. Toletus *in Summa*, *d. lib. 1. cap. 26. num. 5.* In infamia autem iuris ciuilis diſpenſat Imperator, Rex, & Princeps temporalis cum ſuis ſubditis, *l. 1. Cod. de ſentent. paſſ. & reſtit. l. 1. §. pen. ff. de poſtulat.* Sayrus *lib. 7. de cenſur. cap. 15. num. 15.* Theſaurus *part. 2. cap. 34.* Papa etiam, vt Princeps temporalis ſupremus cum ſuis ſubditis. Syluester *ſup. num. 11.* Toletus *ſuprà*, *num. 4.* Imo cum omnibus, ſiue ſibi temporaliter ſubiectis, ſiue nulli; ſiue Clericis, ſiue ſibi pro Clericatu neceſſariis propter Eccleſiæ vtilitatem, vt patet *cap. per venerabilem*, *qui filij ſint legitimi.* Toletus *ſuprà*. Sanchez *ſup. dubio 6. num. 25.* Ablata autem infamia iuris conſequenter tollitur irregularitas, quæ in ea fundatur, ita vt non egeat noua diſpenſatione. Sanchez *ſup. num. 27.* Theſaurus *ſup.* Bonacina *ſup. num. 6.* Infamia porro facti tollitur primò per purgationem canonicam. Tabiena & Armilla *in Summa*, *verb. Infamia*, *num. 10.* Secundò per contraria facta, & vitæ emendam publicam, *cap. Omnes*, *6. quæſt. 1.* Quia omnis res per quaſcumque cauſas componitur, per eaſdem diſſoluitur, *cap. 1. de regul. iuris*, & *cap. teſtimonium*, *de teſtibus.* Nauarrus *d. num. 204.* Cornejo *ſuprà*, *§. dico 1.* Addunt aliqui hanc vitæ emendationem comprobari per triennium. Layman. *ſuprà*, *num. 10.* & ſupponit Theſaurus *dicta cap. 33. §. Secundo modo.* Alij verò Authores non meminerunt huius triennalis emendationis, nec videtur ſemper neceſſaria. Addit etiam Sanchez *d. dub. 5. num. 19.* ex aliis quos refert, tolli infamiam facti per diſpenſationem Principis ſæcularis in ſæcularibus, & Eccleſiaſtici in Eccleſiaſticis. Verumtamen Toletus *ſup. num. 3. §. 1. infamia*, ait quod infamia facti non poteſt tolli per Papam, nec per vllam poteſtatem terrenam, non enim poteſt effici, vt qui propter delictum proprium male audit, & infamatus eſt apud alios, bene audiat, bonaque opinio de illo concipiatur. Intellige, niſi poſita pœnitentia, & vitæ emendatione. Addunt alij tolli hanc infamiam per migrationem in longinquam regionem, Naldus *in Summ. verb. Infamia*, *num. 1.* Sed intelligendum etiam eſt, ſuppoſita vitæ emendatione. Omnis etiam infamia facti tollitur per Baptiſmum, quia Baptiſmus eſt quædam regeneratio, & retractatio vitæ præteritæ, per quam tollitur omne peccatum, & omnis pœna pro ipſo debita. Syluester *in Summa*, *verb. Baptiſmus 6. quæſt. 1.* Bonacina *ſupra*, *num. 6.* Dixi infamia facti, quia infamia iuris ciuilis non tollitur, ſaltem omnis, vt bene Suarez *d. diſput. 48. ſect. 2. num. 12.* & Cornejo *ſuprà*, *§. reſpondeo negatiuè.* Ablata autem quomodocumque infamia facti, aufertur etiam irregularites in ea fundata, propter dicta ſupra de infamia iuris. Layman. *ſuprà*, *num. 10. & 11.* Cornejo *ſuprà*, *§. Dico primò.*

Circa Regulares autem, an poſſint à ſuis Prælatis 17
diſpenſari in infamia, & per conſequens in irregularitate, quæ illam conſequitur, dicendum primò, quod attinet ad infamiam facti, cum ea non tollatur per diſpenſationem, ſed per emendationem, aut purgationem canonicam, vt dictum eſt, & hæc purgatio canonica non ſit iam in vſu, ideo ſolùm per vitæ emendationem auferri poteſt, qua poſita, etiam irregularitas, vt dictum eſt, tollitur. Addendum vero, caſu quo Prælatus videret aliquem ſibi ſubditum eſſe iniuſtè diffamatum de aliquo graui delicto, poſſe, & teneri declarare coram aliis Religioſis rumorem ſparſum contra talem Religioſum falſum eſſe, & ſine ſufficienti fundamento. Quo & infamia illa facti, & irregularitas ex ea orta tolletur. Peirinis *ſup. d. num. 52.* Loquendo autem de infamia iuris, & irregularitate, quæ ex illa naſcitur, dicendum eſt de iure communi non poſſe diſpenſari à Prælatis regularibus, ſeu à Papa, vel Principibus, vt dictum eſt. Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 24. art. 6.* Miranda *in Man. tom. 1. quæſt. 8. art. 5.* Quia tamen, vt dixi, Epiſcopus poteſt diſpenſare in infamia iuris canonici orta ex illis delictis, ſuper quæ habet auctoritatem, ideo vt credo, etiam Prælati Regulares id poſſunt iure communi facere, propter dicta *tom. 1. cap. 10. num. 35.* & iuxta modum ibi aſſignatum. Theſaurus *ſup. d. cap. 34. §. Secundò infamia.* Quia etiam aliquarum Religionum Prælati habent priuilegia diſpenſandi cum ſuis ſubditis in infamia, ideo ex vi talium priuilegiorum, & iuxta tenorem ipſorum id poterunt facere prædicti Prælati, & qui cum eis communicant in priuilegiis. Naldus *in Summa*, *verb. Infamia*, *num. 1.* Peirinis *tom. 1. de ſubdita*, *cap. 27. §. quod licet habeat.* Hæc autem priuilegia in primis videntur eſſe illa, quibus prædictis Prælatis conceditur facultas diſpenſandi cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, exceptis tribus illis homicidij voluntarij, mutilationis membrorum, & bigamiæ,

Digitized by Google

miæ, quotum aliqua tetuli *tom. 1. part. 1. cap. 18. n. 40.* Infamia enim vetè Irtegularitas quædam eſt, maaimè amplè ſumeudo irtegularitatis oomen, prout decet in materia fauorabili, iuxta Regulam in 6. *Odia reſtringi, &c.* Præſertim, qoia quoties alicui conceditur facultas diſpenſandi ſuper Irtegularitate ea aliquo delicto incurſa, conſequenter indirectè concedi videtur etiam facultas diſpenſandi ſuper infamia iuris ex eodem delicto incurſa, prout tenet Theſaurus *in praxi ſup. d. §. 2. Infamia*, ex Gloſſa, Imola, Abbate, & aliis. Sed quidquid de hoc ſit, ex priuilegio Gregorij XIV. pro Clericis miniſtrantibus infirmis, quod tetuli *eo tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 35. & cap. 18. num. 35.* Generalis ipſorum, ac per conſequens Carmelitarum, & aliorum, qui cum dictis Clericis communicant in priuilegiis, poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in Infamiæ macula. Idem video conceſſiſſe Pium V. in Bulla *Ad immarceſcibilem*, in 2. tom. Bullar. *num. 33.* Præpoſitis Regularium Theatinotum pro venientibus ad eorum Religionem in die profeſſionis, vel alia anteriori. Vnde non videtur ad iam Profeſſos id exteodi. Vide Bordonum *reſol. 11. num. 50.*

13 Notandum tamen primò circa hæc priuilegia ad diſpenſandum cum infamibus, quod cum ea conceſſa ſint à Papa, non videntur extendenda quoad infamiam ex iure ciuili ortam, niſi ad caſus, in quibus ipſe poteſt id facere, iuxta dicta *ſuprà, num. 16.* Secundò, quod licet vniuerſalia videantur iſta priuilegia, limitari tamen debent, vt non procedant in illis caſibus, in quibus eſſet ſcandaloſum cum infamibus diſpenſare, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 16. num. 32.* vt bene Rodriguez, & Miranda ſuprà relati, ac Portell. *in Dub. Regul. verb. diſpenſare, num. 6.*

19 Nota etiam Eugenium IV. in Bulla *Peruenit*, in 1. tom. Bullar. in hoc Pontifice *num. 12.* conceſſiſſe Eremitis Congregationis B. Petri de Piſis, quod Sacerdotes ipſius Congregationis poſſent cum eis diſpenſare *ſuper irregularitate quoquo modo, & ex quauis cauſa contracta, & infamia maculam* abolere: quod priuilegium ſatis magnum videtur, ſi ſumatur prout iacet, & ferè nullius ponderis, ſi animaduertatur, quod ea, quæ Pontifex ibi ſubdit pro fide huius conceſſionis, ſcilicet, *vt diuinis officiis, & obſequio Miſſæ intereſſe poſſint*, non ſint prohibita irregularibus, aut infamibus. Niſi dicatur per ea denotari miniſterium aliquod, ſeu Ordinum exercitium in Choro, & Altari, quod alias irregularibus eſt prohibitum. Aliorum ergo iudicio rem remitto. Hoc autem priuilegium quodcunque id ſit communicari Minimis conſtat ex Bulla Sixti IV. apud Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Sixto IV. Conſtit. 1.* vt notat *ibi, num. 10.*

INTERDICTVM QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De interdicto quoad Regulares, Tertiarios, Confratres, &c. vel alias perſonas illis coniunctas remiſſiuè.*
2 *Interdicti definitio.*
3 *Quotuplex ſit.*
4 *Cum interdicitur locus, an interdicantur perſonæ.*
Qui comprehendantur interdicto generali, vel perſonali. ibid.
5 *Interdicto populo an interdicantur Regulares, vel Eccleſiaſtici.*
An Eccleſia ipſorum. ibid.
6 *Cauſa finalis interdicti.*
7 *Cauſa efficiens, ſeu quis poteſt interdicere.*
8 *Cauſa materialis, ſeu qui poſſint interdici.*
9 *Regulares à quibus interdici poſſint.*
10 *Effectus interdicti qui ſint.*
11 *Priuatia Sacramentorum qualiter ſit effectus interdicti.*
12 *An Baptiſmus prohibeatur per interdictum.*
13 *An Confirmatio.*
14 *An conficere chriſma.*
15 *Quid de Sacramento pœnitentiæ ſentiendum.*
16 *Quid de Sacramento Euchariſtiæ.*
17 *Quid de Extrema Vnctione.*
18 *Quid de Sacramento Ordinis.*
19 *Quid de Matrimonio.*
20 *De priuatione diuinorum Officiorum.*
Quæ per diuina Officia intelligantur. ibid.
21 *An Regulares, vel Eccleſiaſtici interdicti ad Officium Canonicum teneantur.*
22 *Qualiter liceat Miſſas, & Officia celebrare tempore Interdicti, ex cap.* Alma Mater.
23 *Conceſſio capitis* Alma mater, *pro quibus perſonis ſit.*
24 *Per verba* Submiſſa voce, *quid intelligatur.*
25 *Per verba* Interdictis excluſis, *quid.*
26 *Verba illa* Campanis non pulſatis, *quomodo accipienda.*
27 *De feſtiuitatibus quibus conceditur ſolemnis celebratio tempore Interdicti.*
28 *Quid ex priuilegiis quarumdam Religionum.*
29 *Declarationes S. Congregat. circa hoc.*
30 *De priuilegio Leonis Decimi.*
31 *Iulij II. pro Auguſtinianis.*
32 *Quæ obſeruanda a Regularibus tempore Interdicti.*
33 *De priuatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ.*
34 *Quomodo intelligendus ſit effectus Interdicti.*
35 *Speciales alij effectus Interdicti, quoad Regulares.*
36 *De Interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ.*
37 *De culpa, & pœnis violantium Interdictum.*
38 *Quæ prohibeantur Regularibus tempore Interdicti.*
Sub quibus pœnis. ibid.
39 *Pœna laicorum violantium Interdictum.*
40 *De relaxatione, vel abſolutione Interdicti.*
41 *De auctoritate Prælatorum Regularium, quoad hoc.*
42 *Alia de Interdicto remiſſiuè.* num. 43.

DE Interdicto quatenus ad Regulares, vel alias 1
perſonas illis coniunctas, ſcilicet Tertiarios, Confratres, familiares, & Procuratores eorum ſpectat, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 29. & cap. 21. n. 19. & 20. & tom. 1. part. 1. cap. 1. num. 21. & cap. 14. num. 36. & cap. 15. num. 36. & cap. 16. num. 12. 23. & 27. & cap. 17. num. 6.* aliqua etiam in hoc 3. tom. dicta ſunt, præſertim *verb. Bulla Cruciata, num. 14. & 15. verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, & *verb. Ceſſatio a diuinis.* Alia nihilominus pro materiæ complemento adiungenda ſunt, ſupponendo præſertim generalia aliqua principia ipſius.

Primò ergo interdictum ſic definitur: *Interdictum* 2
eſt cenſura Eccleſiaſtica Sacramentorum quorumdam vſum, diuina Officia, & ſepulturam Eccleſiaſticam, ſecundùm ſeipſam prohibens. Ita habetur *ex cap. non eſt nobis, de ſponſalibus, cap. quod in te, de pœnit. & remiſſionibus.* Syluester *in Summa, verb. Interdictum 1. num. 2.* Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1.* Dicitur *Cenſura*, qoia eſt vera cenſura cum aliis duabus, ſcilicet, excommunicatione, & ſuſpenſione in hoc conueniens, iuxta dicta ſupra *verb. Cenſura Eccleſiaſtica, num. 1.* Dicitur *Eccleſiaſtica*, quia eſt pœna fori Eccleſiaſtici, non ſæcularis. Toletus *in Summa, lib. 1. cap. 51. num. 1.* Dicitur *prohibens vſum aliquorum Sacramentorum, diuina Officia, ſepulturam, &c.* quia iſti ſunt effectus interdicti, vt infra dicetur. Dicitur *ſecundùm ſe*, ad denotandum differentiam, quæ eſt inter Interdictum, & excommunicationem, ac ſuſpenſionem. Pro quo ſupponendum prædicta

Digitized by Google

prædicta bona conſiderari tripliciter. Primò, vt pertinent ad fidelium communicationem: ſecundò, vt ſunt actus alicuius Ordinis, vel officij: tertiò, ſecundum ſe, vel prout ſunt quædam bona Eccleſiæ. Primo modo prohibentur per excommunicationem, ſecundo modo per ſuſpenſionem, ac tertio per interdictum. Toletus *ſuprà*, Cornejo *tom. 2. in 3. part. tract. de excommunicat. diſput. 1. dub. 1.*

3 Diuiditur autem Interdictum in locale, perſonale, & mixtum. Interdictum locale eſt, quo tantum locus interdicitur, ne in eo exerceantur prædicta. Perſonale, cum non locus, ſed perſona ipſa interdicitur, ne illi iſta concedantur. Mixtum verò eſt, quo locus ipſe, & perſona interdicuntur. Deinde interdictum locale quoddam eſt generale, illud ſcilicet, quo tota Prouincia, vel tota Ciuitas interdicitur, & aliud ſpeciale, ſeu particulare; illud ſcilicet, quo Interdicitur vna, vel plures Eccleſiæ, non omnes, alicuius Ciuitatis, Oppidi, &c. Rurſus etiam perſonale quoddam eſt generale, cum ſcilicet omnes habitatores Ciuitatis alicuius, vel Regni interdicuntur, & aliud particulare, ſeu ſpeciale, cum ſcilicet vna perſona, vel aliquæ determinatæ, non omnes, interdicuntur. Similiter Interdictum in genere duplex eſt, ſcilicet à iure, & ab homine, ſicut in ſimili dixi de cenſura ſuprà verbo *Cenſura Eccleſiaſtica*, *num. 1.* Item aliud totale, quod omnes Interdicti effectus habet, & aliud partiale, quod non omnes. De his autem diuiſionibus agunt Syluester *in Summa*, *ſupra num. 6. 7. & 8.* Nauarrus *in Man. cap. 27. num.* 166. Toletus *ſupra num.* 3. 4. & 5. Laymanus *lib. 1. tract. 3. part. 4. cap. 1.* Cornejo *tom. 2. in 3. part. tract. de Interdicto, diſput. 1. dub. 1. & 2.* & alij.

4 Circa quas diuiſiones primò animaduertendum, quod cum interdicitur locus aliquis, vel Eccleſia tantum, niſi aliud exprimatur, non cenſentur interdictæ perſonæ illius loci, vel Eccleſiæ. Vnde licet non poſſint tales perſonæ illis bonis, quæ dixi, prohiberi per Interdictum vti in tali loco, vel Eccleſia, poſſunt tamen vti eiſdem in alio loco, vel Eccleſia. Syluester *ſuprà num. 6.* Nauarrus *ſuprà num. 167.* Cornejo *ſuprà dub. 1.* Modo tamen ipſi non dederint cauſam culpabilem talis Interdicti, vt habetur *cap. Si ſententia, de ſentent. excommunicat. in 6.* & notant iidem auctores, & Toletus *ſuprà num. 3.* Secundò è contra etiam animaduertendum, quod cum interdicitur perſona tantum, ſeu etiam perſonæ aliquæ alicuius loci, vel Eccleſiæ, licet illæ non poſſint vllo loco vti prædictis bonis, ſed quocunque perrexerint ferant ſecum Interdictum, in populo tamen illo, vel Eccleſia poſſunt alij non interdicti, ſiue exteri, ſiue naturales illis vti. Nauarrus *ſuprà.* Toletus *ſuprà*, *numero* 4. Tertiò nota, quod quando Interdictum eſt generale perſonale, licet illi, qui ſunt de illo populo, Communitate, aut Eccleſia, quamdiu tales ſunt, non poſſint vllibi perfrui dictis bonis, ſi tamen ſe transferant ad alium locum, ita vt omnino domicilium mutent, deſinunt eſſe interdicti, atque ita dictis bonis perfrui poterunt. Ratio eſt, quia Interdictum generale perſonale cadit ſupra ſingulos, vt faciunt illam Communitatem, ceſſante ergo hac ratione ceſſabit Interdictum. Cornejo ſupra *dubio* 2. Bonacina *diſputat. 5. de Interdicto*, *puncto 1. numero* 16. Econtra verò quando Interdictum eſt perſonale ſpeciale, cum illud cadat ſupra ſingulos, vt ſingulares perſonas, & non vt partes Communitatis, ideo quocunque pergant, ſecum ferunt ſuam ſententiam, nec deſinunt eſſe interdicti. Cornejo *ſuprà*. Idem dicendum de illis, qui fuerunt cauſa Interdicti generalis perſonalis, quia iſti cenſentur veluti Interdicti ſpecialiter, vt dicetur inferius. Bonacina *ſuprà*. Nota quarto, quod interdicto populo, aut communitate aliqua, manent etiam interdicti illi, qui de nouo fiunt partes illius populi, ſeu Communitatis, non enim debent membra à capite diſcordare. Cornejo, & Bonacina *ſuprà*. Nota quintò, quod interdicto populo Ciuitatis intelliguntur etiam interdicti, qui habitant in ſuburbiis, quando illi ſunt de tali populo, quia tunc ſunt partes illius, ſecus quando tales non ſunt, Vgolinus *Tab. 5. cap. 20. §. 5. ad fin.* Suarez *5. tom. diſputat. 32. ſect. 2. numero* 15. Bonacina *ſuprà num. 15.* & alij. Vnde conſequenter hoſpites, & exteri, etiam per multum tempus ibi habitantes, quales ſunt ſcholaſtici in locis Vniuerſitatum, non comprehenduntur dicto Interdicto. Suarez *ſuprà*, Bonac. *ſuprà numero* 17. Interdicta autem per Interdictum locale generale Ciuitate, intelliguntur etiam interdicta ſuburbia ipſius, etiamſi pertineant ad alium Principem. Ita enim habetur expreſsè *ex cap. Si ciuitas, de ſent. excommunic. in 6.* & ratione textus, ſcilicet quia aliàs paruipenderetur Interdictum illud, ſi populus poſſet interdicta Ciuitate, ad ſuburbia confugere. Syluester *ſupra verbo Interdictum 2. num. 5.* Cornejo *dicto dub. 1.*

Maximè pro Regularibus notandum, quod interdicto populo, non intelliguntur interdicti Regulares, ſicut neque Clerici. Ratio eſt, quia populus abſolutè prolatus ſolum accipitur pro laicis. Nauarrus *ſup. dicto num.* 167. Suarez *num.* 14. ex aliis. Interdicto autem Clero videtur interdici quoque Religioſos, vt tenet Nauarrus *ibid. ex cap. Si ſententia.* Rodriguez *tom. 1. quæſt.* 108. *art.* 3. Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. num. 8.* & alij. Et cohærent ea, quæ dixi de ſuſpenſione ex Suarez, & Cornejo *tom. 1. cap. 21. num* 21. Maximè quia *in cap. Si ſententia, de ſent. excommunicat. in 6.* tota Communitas Ciuitatis, vel Oppidi diſtinguitur in duas partes, ſcilicet Clerum & populum, ex hoc enim inferri videtur, quod Religioſi, cum non comprehendantur ſub populo, comprehendantur ſub Clero. Nihilominus plures tenent contrarium, quia etſi in fauorabilibus Cleri, aut Clerici nomine veniant Regulares, non autem in odioſis. Syluester *in Summa*, *verb. Interdictum 2. num. 17. & verbo Clericus, num. 1.* Portellus *in dub. Regul. verb. Interdictum, num. 5.* Bonacina *ſup. num.* 11. Diana *part. 5. tract. 10. reſolut.* 80. & alij apud ipſos. Mihi tamen videtur attendendum in hoc tum ad circunſtantias, tum præcipuè ad verba decreti interdicentis. Si enim dicatur, *Interdicimus Clericos*, credo cum authoribus ſecundæ ſententiæ non comprehendi Religioſos propter fundamentum adductum. Si autem dicatur interdicimus *Clerum*, credo comprehendi, quia in communi modo loquendi, quando in vna Ciuitate ſunt Clerici ſæculares, & Religioſi, omnes iſti comprehenduntur nomine Cleri. Quo ſenſu accipiendum id quod dixi *tom. 1. part. 1. cap. 11. num.* 21. Addendum eſt cum Diana *ſuprà*, quod ſi eſſet aliquis Religioſus, qui haberet beneficium ſæculare inter Clericos ſæculares, tunc nomine Cleri ſine dubio comprehenderetur. Addendum item cum eodem Diana, quod ſi per interdictum interdicantur omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, tali nomine veniunt omnes Religioſi; quia nomen hoc latius patet, & comprehendit etiam Religioſos. Hæc autem dicta ſunt loquendo de interdicto generali perſonali, quia loquendo de interdicto generali locali ab Epiſcopo poſito, certum eſt, quod interdicta Ciuitate, vel Oppido intelliguntur etiam interdictæ Eccleſiæ Regularium in ea Ciuitate, vel Oppido exiſtentes, non obſtante earum exemptione, non ſolùm propter decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 12. & 22.* ſed etiam propter rationem adductam *in dicto cap. Si Ciuitas*, ſcilicet quia alias vilipenderetur interdictum, cum poſſent Ciues illius populi ad Eccleſias exemptas confugere. Bonacina *ſuprà*, *num. 21.* Cornejo *ſuprà*, *dub. 1. in fine.* 5

Dixi loquendo de interdicto generali locali ab Epiſcopo poſito, quia ſi ſermo ſit de interdicto locali ſpeciali ab eodem Epiſcopo poſito, quo videlicet, interdiceret aliquam, vel aliquas Eccleſias, illud non comprehenderet Eccleſias Regulares, quia Epiſcopus non habet directam iuriſdictionem in Eccleſias exemptas, nec *cap. ſi Ciuitas*, aut Concilium Tridentinum loquuntur, niſi in caſu interdicti generalis localis. Bonacina *ſuprà*, *num.* 12. ex Suarez, Auila, & aliis quos refert. Vide infra *num.*9. Quando autem ex interdictu generali interdictæ cenſentur Eccleſiæ Regularium, nota, quod interdictis Eccleſiis intelliguntur etiam interdictæ Capellæ, & Cæmeteria ipſis contigua, ex *dicto cap. Si ciuitas*, & quia illa cenſentur vnum corpus cum Eccleſiis, & acceſſorium ſequitur principale. Secus dicendum, quando ea non fuerint contigua Eccleſiis. Nauarrus *ſupra dicto num.* 167. & plures alij apud Bonacinam *ſupra num.*12.

6 Loquendo de cauſis Interdicti, quod attinet ad finalem, dicendum eſt conſequenter ad dicta ſupra *verb. Ceſſatio à diuinis*, *num.*2. ex Soto ibi relato, eſſe reſipiſcentiam, ſeu emendationem illius, cuius cauſa poſitum eſt. Vnde etiam conſequenter ad dicta ſupra *verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.* 10. non poteſt ferri ob meram voluntatem Superioris, ſed propter peccatum aliquod externum, mortale, & proportionatum tali pœnæ, & quod ſit inobedientiæ, ſeu contumaciæ; hoc enim reputatur cauſa materialis, veluti proxima interdicti. Toletus *ſuprà cap.*52. *num.*1. Addunt aliqui probabiliter, quod quemadmodum excommunicatio leuis, ſcilicet minor, poteſt imponi propter peccatum veniale, *cap.*1. *de ſentent. excommunicat. in* 6. ſic etiam Interdictum leue (intellige perſonale) quo videlicet aliquis priuaretur communione, vel ingreſſu Eccleſiæ ad breue tempus, poteſt imponi pro veniali. Sà *in Summa*, *verb. Interdictum*, *num.*7. Henriquez *lib.*13. *cap.* 50. *num.* 2. & alii. Nota tamen ex Extrauaganti *Prouide*, *de ſentent. excommunicat.* non poſſe imponi propter debitum pecuniarium interdictum locale generale ſine Papæ licentia. Nauarrus *ſuprà*, *num.* 168. Toletus *ſuprà*. Quamuis autem ibi tantum ſit ſermo de Interdictu locali generali, nihilominus id etiam extendunt probabiliter ad Interdictum generale perſonale, propter ſimilitudinem rationis, ſcilicet euitandum periculum animarum, Sotus *in* 4. *diſtinct.* 22. *queſtione* 3. *articulo* 1. & Auila *part.*5. *diſputat.*3. *dub.*3. Particulare verò interdictum locale propter debitum pecuniarum admittunt Nauarrus, & Toletus *ſupra*, dummodo Eccleſia, quæ interdicitur non ſit Parochia. Particulare etiam perſonale admittunt idem Toletus, & eius Additionator ex Auila. Similiter, iuxta dicta eo loco, licet excommunicatio ferri non poſſit, niſi propter peccatum proprium, quia eſt grauiſſima pœna, & priuat grauiſſimis bonis, Interdictum verò generale, quia non eſt tam grauis pœna, nec priuat tot bonis quot excommunicatio, ferri poteſt propter peccatum aliorum, præſertim Iudicis, Principis, &c. Toletus *ſuprà*, Cornejo *diſputat.*8. *de Cenſuris*, *dub.*1. & 2. Dixi *Interdictum generale*, quia Interdictum ſpeciale imponi non poteſt, niſi propter peccatum proprium, illud enim eſt propriè pœna, ac per conſequens ſupponit culpam propriam, Suarez *ſupra diſput.*16. *ſectione* 2. *numero* 7. Reginaldus *libro* 23. *tractatu* 3. *capite* 26. *numero* 18. Quod autem Interdictum generale feratur ſolum propter peccatum alienum, fit propter duo. Primò, quia Interdictum eſt ſignum mœſtitiæ, & triſtitiæ Eccleſiæ, propter inobedientiam aliquorum, & ita oportet, vt alij filij Eccleſiæ cum ipſa etiam lugeant. Secundò, vt ſic excitentur omnes magis contra eum, qui dedit cauſam Interdicto. Toletus *ſupra n.*2. Nec eſt inconueniens innocentes per accidens affligi, tum propter dicta, tum quia ſunt partes populi, vel Communitatis in qua ſunt delinquentes, tum quia reſpectu ipſorum Interdictum non habet rationem pœnæ (cum non ſupponat propriam culpam) ſed cuiuſdam pœnalitatis. Layman. *ſupra num.*3. Cauſa verò formalis interdicti ſunt illa verba, vel ſimilia: *Interdicimus talem, vel talem populum, Ciuitatem, Clerum, &c.* Toletus *ſuprà*. Addens debere fieri in ſcriptis, *cap. Cùm medicinalis, de ſentent. excommunic. in* 6. & cum admonitione trina illius cuius cauſa imponitur, *cap. Reprehenſibili, de appellat.* ſi eſt ab homine. Pro quo vide dicta ſupra *verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.*7.

Circa cauſam efficientem Interdicti collige ex dictis 7
eo verbo *Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.* 2. cauſam ipſius pro tota Eccleſia eſſe Papam, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas reſpectu ſibi ſubditorum, ac generaliter omnes, qui poſſunt excommunicare, & ſuſpendere. Nauarrus *dicta num.* 168. Cornejo *de Interdicto, diſput.* 3. Adde, poſſe Epiſcopum ferre Interdictum, etiam ſine conſenſu Capituli, quia licet oppoſitum habeatur *in cap. Quoſiunt, de his quæ fiunt à maiori*, conſuetudine tamen huic iuri derogatum eſt. Cornejo *ſupra*, Bonacina *ſupra puncto* 2. *num.* 2. Adde etiam, quod licet Prælati Religionum, ſcilicet Generales, Prouinciales, & Priores, vel ſimiles poſſint Interdictum perſonale ponere, cum verè habeant iuriſdictionem, etiam in foro externo, reſpectu ſuorum ſubditorum, non tamen poſſunt ponere Interdictum locale, vel quia iuriſdictio ipſorum potius eſt in perſonas, quam in loca, vel quia eſtò ſit etiam in loca, talem iuriſdictionem per non vſum perdiderunt. Cornejo *ſuprà*, ex Soto, & Suarez. Excipe Abbates, & alios Superiores Regulares, qui inſtar Epiſcoporum habent territorium, & iuriſdictionem Epiſcopalem in illud, & ſæculares in eo commorantes. Illi enim, cum habeant iuriſdictionem ordinariam, poſſunt ſicut Epiſcopi Interdictum ponere, tam locale, quam perſonale. Sotus *in* 4. *diſt.*22. *quæſt.*3. *art.* 1. Rodriguez *tom.*2. *quæſt. Regul. quæſt.*107. *art.*2. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.*2. *diſp.*15. *quæſit.*1. *num.*3.

Circa cauſam materialem remotam Interdicti, ſeu 8
eos, qui poſſunt interdici, communis conſenſus Doctorum tenet, eſſe omnes illos, qui poſſunt excommunicari, maior etenim cenſura eſt excommunicatio, quàm Interdictum. Nauarrus *ſuprà*, *num.* 168. Toletus *ſuprà*, *num.*1. Imo aliqua, quæ excommunicari nequeunt, interdici poſſunt, vt ſunt Vniuerſitates, Collegia, Eccleſia, &c. Nauarrus, & Toletus *ibid.* Epiſcopos autem interdici non poſſe, niſi exprimantur, habetur ex *cap. quia periculoſum, de ſentent. excommunicat. in* 6. Suarez *ſuprà*, *diſput.* 16. *ſect.*2. *num.*6. & alij. De paruulis ante vſum rationis, ſeu amentibus, quamuis certum ſit interdici non poſſe interdicto particulari, quia illud, vt dictum eſt, non imponitur, niſi propter peccatum proprium, cuius iſti non ſunt capaces, Suarez *ſuprà*, *num.*7. loquendo verò de Interdicto perſonali generali, Nauarrus *ſuprà*, putat eos ligari tali Interdicto, eo quod illud, vt dictum eſt, poteſt poni propter peccatum alienum. Sed melius Suarez ſupra ex Syluestro, & Corduba reſpondet negatiuè. Ratio eſt, quia interdictum eſt priuatio quædam moralis diuinorum Officiorum, priuatio autem ſupponit capacitatem in eo qui priuatur. Cum ergo prædicti non ſint moraliter, & humano modo capaces diuinorum Officiorum, nec etiam erunt capaces Interdicti perſonalis generalis. Dixi *perſonalis*, quia Interdicti localis generalis poſſunt dici capaces, quatenus tempore talis Interdicti priuantur iſti ſi decedant Eccleſiaſtica ſepultura. Interdictum enim locale non afficit directè perſonas, ſed locum.

Specialiter quoad Regulares certum eſt primò, illos poſſe à Papa interdici, tam Interdicto perſonali, quam

quam locali, tam particulari, quam generali, ſubduntur enim Papæ quoad hoc ſicut alij fideles. Secundò certum, Regulares exemptos non poſſe ab Ordinariis Interdicto perſonali, ſiue particulari, ſiue generali interdici. Interdicere enim hoc modo eſt actus iuriſdictionis, quam non habent Ordinarij in Regulares exemptos, iuxta dicta ſupra *verb. Exemptio*, *num.*4. Maximè id eſt verum, propter priuilegia à Sede Apoſtolica pluribus Religioſis conceſſa, quibus tam ipſi, quam qui cum eis communicationem priuilegiorum habent, frui poſſunt. Primò enim id habetur ex priuilegiis Honorij III. & Vrbani IV. pro Ciſtercienſibus, & Gregorij IX. pro Congregatione Montis Oliueti, & ex Mari magno Seruitarum, & prout referunt Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regularium*, *quæſt.*108. *art.*3. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 2. *quæſt.*38. *art.*12. *concluſ.*3. & Tamburinus *de Iure Abbat. tom.*2. *diſput.*15. *dub.*2. Item ex priuilegiis Ioan. XXII. Clement. VI. & Sixti IV. pro Carmelitis, Martini V. & Eugenij IV. pro Prædicatoribus, ac Sixti IV. pro Minoribus, quæ retuli ſupra *verb. Exemptio Regularium*, *num.*8. Aduertunt autem iidem Rodriguez, Miranda, & Tamburinus, quod quando aliquis Religioſus habet aliquod beneficium (intellige ſæculare) in diœceſi alicuius Epiſcopi, poſſet ille ſpecialiter interdici ab Epiſcopo, ex *cap. Cum capella*, *de priuilegiis*. Adde, nec à Legatis (excipe Legatos à latere) Delegatis, aut Subdelegatis Sedis Apoſtolicæ poſſe interdici Minores; & qui cum eis communicant in priuilegiis, propter priuilegium Clem. IV. quod referunt Caſſarobius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium*, *verb. Exemptio*, *num.*9. Tertiò etiam certum videtur, Eccleſias Regularium non poſſe interdici ab Ordinariis interdicto particulari, ſeu ſpeciali, propter dicta ſupra *num.* 5. ex Suarez, Auila, & Bonacina; Quibus accedit priuilegium Leonis X. conceſſum Minoribus, & per conſequens aliis, qui cum ipſis habent priuilegiorum communicationem, quod referunt Caſſarubius *ſuprà*, *verb. Interdictum* 1. *num.* 15. & Rodriguez *dicta quæſt.*108. *art.*2. ex quo priuilegio habetur non poſſe ab aliquo Iudice quacumque dignitate fulgente interdici Eccleſias Minorum, niſi tota Ciuitas, vel Oppidum, vbi eæ Eccleſiæ exiſtunt, interdicantur. Quartò etiam eſt certum, quod quando generali Interdicto locali interdicitur aliqua Ciuitas, vel Oppidum, tenentur Regulares omnes ſeruare, & publicare dicta interdicta propter dicta ex Concil. Trident. *tom.* 1. *part.* 1. *cap.*9. *num.*29. & *cap.* 21. *num.* 19. & *tom.*1. *part.*2. *cap.*1. *num.*21. vbi etiam alia ad intentum. Plura quoque in ſequentibus. Illud in præſenti animaduertendum, quod Iulius conceſſit Minoribus, quod ſi contingat aliquam Ciuitatem, vel Oppidum, cum duobus, vel tribus milliaribus circumuicinis (infra quæ milliaria domus Fratrum prædictorum exiſtunt) Eccleſiaſtico Interdicto ſupponi, Fratres huiuſmodi (niſi cauſam Interdicto dederint, vel eis ſpecialiter ex cauſa legitima interdictum fuerit) huiuſmodi Interdictum ſeruare nullatenus teneantur, ſi aliàs domus ipſorum Fratrum de iure Interdicto talis oppidi non comprehendantur. Caſſarobius ſupra, *verb. Interdictum* 1. *num.* 13. Rodriguez *dicta quæſt.* 108. *art.* 1. An vero hæc conceſſio priuilegium aliquod ſupra ius commune contineat, & eſto contineat, an reuocatum ſit per Concilium Tridentinum, alij viderint.

10 Circa effectus Interdicti nota, quod quamuis iure antiquo quamplures eſſent, nunc autem poſt Bonifacium VIII. Martinum V. & Eugenium IV. Interdicti totalis ſolum ſunt tres. Primus, priuatio quorumdam Sacramentorum. Secundus, priuatio Officiorum diuinorum. Tertius, priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Ita enim colligitur ex *cap. Alma mater*, *cap. ſi Ciuitas*, *de ſentent. excommunicat. in* 6. *cap. Quod in te*, *de pœnitent. & remiſſion.* & aliis iuribus. Nauarrus *in Manual. cap.*27. *num.*171. Cornejo *diſput.*2. *de effectibus Interdicti*, *in princip.* Dixi totalis Interdicti, quia effectus partialis Interdicti non ſunt determinati, ſed poſſunt limitari ab eo, qui illud imponit, ad vnum, vel duos effectus tantum, ad vnum, vel aliquas actiones, vt ſi aliquis interdicatur ſolum ab officio Sacerdotis, ab officio Confeſſarij, ab ingreſſu Eccleſiæ, &c. non enim eſt Interdictum ſicut excommunicatio, quæ non poteſt poni ſolum quoad vnum effectum, & non quoad alios, poteſt enim poni Interdictum cum limitatione, & reſtrictione ad vnum, vel duos effectus, vel duas actiones, &c. licet quando abſolutè ponitur, quoad omnes tres effectus aſſignatos intelligi debeat. Cornejo *ſuprà*. Bonacina *ſupra*, *punct.*3. *num.*1. ex aliis.

Loquendo autem de primo effectu Interdicti, ſcilicet priuatione quorundam Sacramentorum, ſic intelligi debet, quod tempore cuiuſcumque Interdicti, ſiue localis, ſiue perſonalis, ſiue generalis, ſiue particularis, non poſſint recipi, aut adminiſtrari Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, vel Ordinis, nec contrahi Matrimonium, bene tamen poſſint recipi, & adminiſtrari Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis & Pœnitentiæ. Ratio huius deſumitur ex eo, quod *cap. ſi ſententia*, *de ſent. Excommunic. in* 6. & *cap. Alma mater*, *eod. tit.* generaliter dicitur tempore Interdicti non competere Sacramentorum receptionem, caſibus expreſſis à iure dumtaxat exceptis. Solum ergo tempore interdicti adminiſtrari & recipi poſſunt illa Sacramenta, quæ iure ſunt expreſſa. Sed iure non ſunt expreſſa alia niſi Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, *cap. non eſt vobis*, *de ſponſalibus*, *cap. reſponſo*, *de ſent. excom. cap. quoniam*, & *cap. Alma mater*, *eod. tit. in* 6. Solum ergo ea adminiſtrari, & recipi poſſunt tempore cuiuſcumque interdicti. Suarez *ſup. diſp.*33. *ſect.*1. Cornejo *d. diſp.* 2. *de effectibus Interdicti*, §.1. Bonacina *ſup. punct.*3. Quia tamen hæc habent aliquas exceptiones, ideo de ſingulis ſpecialiter eſt dicendum. 11

Et primò de Baptiſmo quoad receptionem illius dicendum eſt intelligi generaliter non ſolùm de Baptiſmo paruulorum, ſed etiam adultorum, nec ſolum quando infirmi ſunt, ſed etiam quando ſani, quia *cap. quoniam*, relatum, in quo eſt ſermo de Baptiſmo, generaliter loquitur de omnibus. Bacconius *in diſp.*11. *art.*4. Suarez *dicta ſect.*1. *num.*2. Cornejo *dicto* §.1. *dub.*1. Quoad adminiſtrationem verò Baptiſmi limitandum eſt, vt Baptiſmus, etſi à perſona interdicta generali Interdicto etiam perſonali adminiſtrari poſſit, ſi ipſe cauſam non dedit interdicto, quia hoc interdictum æquiparatur locali, non tamen à perſona interdicta ſpeciali interdicto perſonali (niſi in caſu neceſſitatis) quia hoc interdictum æquiparatur excommunicationi, quæ priuat Sacramentorum adminiſtratione, niſi in caſu neceſſitatis, *cap. Epiſcoporum*, *de priuileg. in* 6. Suarez *ſupra num.*6. Cornejo *ſupra*. Quando vero tali tempore interdicti adminiſtratur Baptiſmus, adminiſtrari poteſt (imo & debet) cum ſolemnitatibus conſuetis, quia illæ ſunt quaſi acceſſorium ad Baptiſmum, & conceſſo principali, conceduntur etiam acceſſoria. Sayrus *lib.*5. *cap.*7. Cornejo *ſupra*. Illæ tamen quatenus ad diuinum Officium ſpectant, fieri debent cum moderatione præſcripta *in cap. Alma mater*, de quo poſtea Suarez *ſupra num.*2. Laymanus *ſupra cap.*2. *num.*1. 12

Quoad Confirmationem idem omnino, & eodem modo dicendum eſt, ac de Baptiſmo, tum quia in iure quoad hoc negotium æquiparantur, *cap. Reſponſo*, & *cap. Quoniam*, relatis: tum quia hoc Sacramentum eſt veluti quoddam complementum Baptiſmi. Bacconius *ſup.* Suarez *ſupra n.*7. Cornejo *ſupra dub.*2. Illud tamen addendum, perſonam interdictam Interdicto perſonali, generali, vel particulari, ſi cauſam dedit Interdicto, 13

Digitized by Google

prohiberi recipere hoc Sacramentum, niſi prius ſatisfecerit, vel cautionem dederit ſatisfaciendi, tum propter indignitatem ipſius, tum à ſimili de Sacramento Pœnitentiæ, de quo idem dicitur *in cap. Alma mater*. Suarez *ſup. num. 9. &* 10. Cornejo *ſupra*.

14 Cum autem liceat eo interdicti tempore adminiſtrare dicta Sacramenta, conſequenter etiam licebit conficere Chriſma in die Cœnæ Domini, quod pro illorum adminiſtratione eſt neceſſarium, cum moderatione tamen præſcripta *in cap. Alma mater*, de qua infrà. Bacconius *ſupra*, Sylueſter *ſuprà*, *verb. Interdictum* 5. *num.* 9. Bonacina *dicto* §. 1. *num.* 2.

15 Quoad Sacramentum Pœnitentiæ dicendum, quod licet iure antiquo *cap. quod in te, de pœnitent. & remiſſ.* ſolum concederetur tempore interdicti ægrotis, iure tamen nouo ex *cap. Alma mater*, conceditur etiam ſanis, exceptis excommunicatis extra mortis articulum, & iis, qui cauſam dederint interdicto, aut auxilium, vel fauorem, niſi prius ſatisfaciant, aut cautionem de danda ſatisfactione tribuant. Cornejo *ſupra*, *dub.* 3. Laymanus *dicto cap.* 2. *num.* 1. Vnde Religioſi, ſeu Monachi obligati ad confeſſionem faciendam ſingulis menſibus, tempore etiam interdicti ad id obligantur. Naidus *in Summa*, *verb. Interdictum*, *num.* 9. Sed nota primò, per excommunicatos, quibus non conceditur Sacramentum Pœnitentiæ tempore interdicti, intelligi, vel excommunicatos ob delictum, propter quod impoſitum eſt interdictum, vt Sylueſter *ſuprà*, Tabiena *verb. Interdictum*, *num.* 5. & Armilla *verb. Interdictum*, *num.* 45. exiſtimant; vel excommunicatos excommunicatione reſeruata; vel eſt ſermo de abſolutione ſolemni, & publica, aliis enim excommunicatis non eſt cur negetur Sacramentum Pœnitentiæ. Suarez *ſuprà*, *num.* 16. Cornejo *ſuprà*, contra Vgolinum, & Saycum. Nota ſecundò, quod etſi perſonæ interdictæ interdicto perſonali particulari adminiſtrari non poſſit Sacramentum Pœnitentiæ validè, aut licitè, niſi prius ſatisfecerit, vt *in dicto c. Alma mater*, præſcribitur, quia de tali perſona idem iudicium eſt, ac de excommunicato; quando tamen ſolum eſt interdicta interdicto generali perſonali, & nullam culpam dedit interdicto, adminiſtrari ei poteſt Sacramentum Pœnitentiæ, non ſolum validè, ſed etiam licitè, quia hoc interdum comparatur generali locali, de quo conceditur *in dicto cap. Alma mater*. Suarez *ſuprà*, *num.* 17. Cornejo *ſuprà*. Nota tertiò, Confeſſarium potentem adminiſtrare tale Sacramentum eſſe omnem illum qui alias habet iuriſdictionem ad id faciendum, dummodo ſpecialiter interdictus non ſit (extra caſum neceſſitatis intellige) vel ſi generaliter interdictus eſt, dummodo cauſam non dederit interdicto, propter dicta ſupra de Baptiſmo. Suarez *ſuprà*, *num.* 19. Cornejo *ſuprà*. Bonacina *ſuprà*, §. 3. *num.* 2. An vero etiam ſpecialiter interdictus poſſit validè ſaltem, extra caſos neceſſitatis illud adminiſtrare, dubius in hoc manet Suarez *ſuprà*, *num.* 20. Sed affirmatiuè reſpondent Bonacina, & Cornejo ſupra, quamuis oppoſitum probabile cenſeat. Diana autem *part.* 4. *tract.* 10. *Reſolut.* 62. cum Cornejo ſentit contra Philippum Fabrum, quem ibi refert.

16 Quoad Sacramentum Euchariſtiæ certa res eſt tempore interdicti localis non poſſe adminiſtrari, niſi conſtitutis in mortis articulo, vel periculo, *cap. permittimus, de ſentent. excommunicat. cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ. & cap. Alma mater*, relato. Sylueſter *ſupra*, *dicto num.* 9. Toletus *dicto cap.* 53. *num.* 4. Cornejo *ſupra*, *dub.* 4. Deferri etiam debet tunc cum ſolita ſolemnitate luminum, campanellæ, & comitantium recitantium priuatas orationes, quia quoties aliquid permittitur, intelligitur permitti ſecundum quod ius diſponit. Sylueſter *ſupra*. Sayrus *dicto cap.* 7. *num.* 26. Interdictis etiam perſonaliter licet etiam adminiſtrari debeat hoc Sacramentum, in dicto articulo mortis, præcedere tamen debet ſatisfactio expreſſa *in c. Alma mater*, ſi cauſam dederunt interdicto, aut ſi fuerint interdicti particulariter. Suarez *dicta ſect.* 1. *num.* 22. *&* 23. Bonacina *ſuprà*, §. 2. *num.* 10. In alio autem tempore, etiam Paſchatis, non licet ſic interdictis accipere Euchariſtiam, etiam ſub prætextu adimplendæ annuæ communionis, cum tunc illud præceptum non obliget, quia prohibitio iuris antiqui non communicandi tempore interdicti præterquam in articulo mortis, non eſt moderata per *cap. Alma mater*. Sylueſter *verb. Interdictum* 5. *num.* 7. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. & alij, quos ſequitur Bonacina *ſuprà*, *num.* 11. contra Suarez, Coninchium & Filliucium. Quamuis autem tempore Interdicti generalis, ſiue localis, ſiue perſonalis, liceat iuxta dicenda infrà ex *cap. Alma mater*, omnibus Sacerdotibus celebrare modo ibi dicendo, ac per conſequens communicare, non tamen licet illis extra dictum articulum, ſeu periculum mortis communicare modo ſæcularium, nam iure antiquo id non licebat, cum ſolum Euchariſtia daretur morituris, nec iure nouo *cap. Alma mater*, id licet, cum ſolum id permittatur Sacerdotibus celebrantibus. Couarruuias *in cap. Alma mater*, Nauarrus *ſupra*, *num.* 178. Cornejo *ſuprà*. Contra Sylueſtrum, Angelum, Filliucium, & alios. Dicunt tamen id licere Regularibus ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ. Suarez *ſupra*, *num.* 33. Laymanus *ſuprà*, *dicto cap.* 2. *num.* 1. Tambur. *ſuprà*, *dicta diſp.* 16. *quæſit.* 6. *num.* 3. Sed ego non video aliud priuilegium quoad hoc Regularibus conceſſum, niſi quoddam Iulij III. pro Minoribus Prouinciarum Caſtellæ, & Legionis, quod refert Caſſarubius *verb. Communicare*, *num.* 8. quo illis conceditur accipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore interdicti coram quibuſvis perſonis ſæcularibus, vel Regularibus facultatem diuina officia audiendi habentibus. Hoc autem priuilegium viuæ vocis oraculum eſt, & non authenticum, vt conſtat ex ipſo Caſſarubio, qui propterea notat illud littera O, parua, quod eſt ſignum talis, & ita nihil videtur hoc tempore valere, propter dicta ſæpius de huiuſmodi viuæ vocis oraculis, maximè non authenticis. Caſibus autem quibus licet tempore interdicti adminiſtrare hoc Sacramentum, adminiſtrari poteſt ab iis, qui alias ius habent ad illud adminiſtrandum, niſi ſint interdicti ſpecialiter (excipe caſus neceſſitatis) aut ſi generaliter, cauſam tamen dederunt interdicto, iuxta dicta ſupra de Baptiſmo, Confirmatione, & Pœnitentia. Suarez *ſuprà*, *num.* 24. Bonacina *ſup. num.* 9.

Circa Sacramentum extremæ vnctionis, certa res eſt illud non poſſe adminiſtrari alicui tempore interdicti particularis, aut generalis, niſi adſit ſpeciale priuilegium, etiam in mortis periculo, cùm neque illud ſit de neceſſitate ſalutis, nec vllus textus id concedat, ſed potius id prohibeatur *cap. quod in te, de pœnitent. & remiſſionibus*. Nauarrus *ſupra*, *num.* 179. Toletus *ſuprà*, *num.* 4. Cornejo *ſupra*, *dub.* 5. An verò aliquibus Religioſis, præſertim ſit conceſſum hoc priuilegium, mihi non conſtat. Caſu verò quo id concedatur, aut conceſſum ſit, loquendum eſt de adminiſtrante ipſum ſicut dixi ſupra de miniſtro aliorum Sacramentorum tempore interdicti. An vero in caſu quo eo tempore interdicti infirmus non poſſet recipere Sacramentum pœnitentiæ, poſſit illi adminiſtrari vnctio propter euitandum periculum animæ ipſius, maximè cum hoc Sacramentum credatur facere de attrito contritum, probabiliter affirmant Layman. *ſupra*, & Diana *part.* 4. *tract.* 10. *Reſol.* 77. ex aliis. 17

De Sacramento Ordinis pariter dicendum eſt adminiſtrari non poſſe tempore interdicti; nam cum generaliter prohibeant pro eo tempore adminiſtrationem Sacramentorum, exceptis aliquibus, & interea non numeretur ordo, non eſt fundamentum ad aſſerendum 18

illud

illud poſſe tunc adminiſtrari: Nauarrus *dicto num.* 179. Cornejo *ſuprà, dub.* 7. In caſu autem neceſſitatis Miniſtrorum Eccleſiæ licitum eſſe id facere, propter talem neceſſitatem ſupplendam, quia quoties aliquid conceditur, cenſetur etiam conceſſum id, ſine quo illud non poteſt executioni mandari, ne conceſſio illa ſit inutilis, ſed ius concedit pro tempore interdicti Miſſam, & aliqua Sacramenta, quæ ſolum ab ordinatis miniſtrari poſſint: ergo, &c. Cornejo, & Laymanus *ſupra.* De miniſtris autem huius Sacramenti, ſi illi fuerint interdicti, loquendum ſicut dixi de aliis Sacramentis. Nota etiam, quod quando interdictum eſſet tantum locale, aut perſonale generale, poſſent Clerici, vel religioſi, imo etiam laici illius loci, in alio non interdicto ſuſcipere ordines, ſi tali interdicto cauſam non dediſſent, propter dicta à ſimili ſuprà. Imò etiam Abbates habentes facultatem dandi primam tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis regularibus, poſſent id facere tempore dicti interdicti localis, ſi ſubditi interdicti non eſſent, aut non dediſſent cauſam interdicto. Tambarinus *ſup. quæſt.* 5. *num.* 2.

19 Demum circa Matrimonij Sacramentum, quamuis plurium ſententia ſit poſſe interdicti tempore celebrari, prout teneat Nauarrus *ſuprà*, Toletus *ſuprà*, *n.* 5. Auila, Sanchez, Henriquez, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà*, *reſol.* 83. eo quod credant Sacramenta prohibita tempore interdicti ſolum eſſe ea, quorum adminiſtratio conceditur miniſtris Eccleſiæ: cum tamen iura generaliter loquantur prohibendo Sacramenta dicto tempore, exceptis aliquibus, in quibus non numerant Matrimonium, & ex *Clem. eximii*, §. *porrò, de verb. ſignific.* habeatur, quod vbi aliquid generaliter prohibetur, id quod expreſſè non excipitur, intelligitur denegatum, ideo dicendum Matrimonium non poſſe licitè eo tempore celebrari, prout poſt Suarez, Fillincium, & Reginaldum tenent Corn. *ſupra, dub.* 7. & Bonacina *ſupra, num.* 8. Illud certius, ſponſalia non prohiberi eo tempore, cum illa non ſint Sacramentum. Cornejo, & bonacina *ibid.* Benedictiones etiam nuptiales, licet ſint etiam eo tempore prohibitæ, eo quod ſunt Officia diuina, quæ à ſolo Sacerdote præſtantur cum precibus ab Eccleſia præſcriptis, ſi tamen fiant ſuper coniuges non interdictos, qui habeant priuilegia aſſiſtendi diuinis Officiis, & cum moderatione *c. Alma mater*, de qua infra, licitè fieri poſſunt. De quo Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 8. Bon. *ſup. num.* 9. poſt alios.

20 Cæterum loquendo de ſecondo effectu interdicti, qui eſt priuatio Officiorum diuinorum, notandum primò, nomine Officij intelligi illud, quod ex modo, quo fit, eſt deputatum alicui ordini Clericali, ſeu quod fit in Eccleſia Dei ſolum à Miniſtro Eccleſiaſtico, ſeu à perſona Eccleſiaſtica conſecrata, vel deputata ad illud Officium. Huiuſmodi ſunt Miſſa, Horæ canonicæ dictæ in choro publicè, & nomine Eccleſiæ, deinde annexa Horis Canonicis, ſcilicet Officium Beatæ Virginis, & Defunctorum, Officium Hebdomadarij, publicæ orationes, quæ ab Eccleſia inſtitutæ ſunt vt à Clericis dicantur, quales ſunt Litaniæ dictæ proceſſionaliter, cum Cruce, & ſuperpelliceis, item Sacramentalia, ſeu benedictiones, aut cæremoniæ ſacræ, videlicet benedictio nuptiarum, Eccleſiarum, Vaſorum Sacrorum, Corporalium, Ornamentorum, Candelarum in die Purificationis, Ramorum in Dominica in Palmis, aquæ luſtralis, fontis Baptiſmalis, collatio primæ tonſuræ, infuſio aquæ luſtralis per Eccleſiam, &c. E contra vero non dicuntur Officia diuina, ac per conſequens non prohibentur per interdictum illa, quæ non ſunt deputata alicui Ordini Clericali, ſeu quæ non fiunt ſolum à Miniſtro Eccleſiaſtico ad id deputato; cuiuſmodi ſunt benedictio menſæ, fructuum, itinerantium, & habitus, *Aue Maria*, quæ dicitur ſtatis horis diei, concio, lectio etiam Sacræ Scripturæ, adoratio Crucis priuata, receptio aquæ benedictæ, & quæcumque priuatæ orationes, etiam Litaniæ ipſæ ſine Cruce, aut ſuperpelliceis cantatæ, & actus quicumque iuriſdictionis. De quibus omnibus Sylueſter *ſuprà, verb. Interdictum* 5. *num.* 5. & 6. Nauarr. *ſuprà num.* 171. & 176. Sà *in Summ. verb. Interdictum*, *num.* 14. Suarez *ſupra, diſp.* 34. *ſect.* 3. Portel. *in dub. Reg. verb. Interdictum, a num.* 24. Bonac. *ſup. punct.* 4. ex aliis multis.

Circa quæ, & magis ad praxim Regularium, primo notandum, nullum interdictum quantumuis perſonale, & particulare prohibere, quo minus Religioſi, vel Clerici, qui aliàs tenentur diuinum officium recitare, ad illud non teneantur, tenentur enim ſicut prius ad illud recitandum, iuxta dicta à ſimili ſuprà *verb. Excommunicatio*, *num.* 15. priuatim tamen, ita vt ab aliis, excommunicatis ſcilicet, vel interdictis, ſeu non priuilegiatis non audiantur, *cap. Quod in te, de pœnit. & remiſſion.* Nauarr. *ſup. num.* 175. Laymanus *ſup. num.* 2. Vnde etiam illud recitare poſſunt duo, aut tres ſimul in domo, camera, aut agro, modo non audiantur à prædictis, quia talis oratio pro priuata habetur. Nauarr. *ſup. a num.* 10. Sunt etiam quoad hoc conceſſiones quædam Leon. X. quas refert Caſſarubios *in Compendio priuilegiorum Mendicantium*, *verb. Interdictum*, *num.* 18. quas omitto, quia & viuæ vocis oraculo factæ ſunt, & parum, aut nihil priuilegij continent. Addit Nauarr. *ſuprà*, poſſe Clericum (idem dic de religioſo) ſine ſocio dicere idem officium in Eccleſia, vel Capella, etiam ianuis apertis, ſi tum ita ſubmiſsè dicat, vt à nemine audiatur, dummodo illa Eccleſia ſpecialiter interdicta non ſit. 21

Nota etiam ſecundò, quod licet iure antiquo ſolum eſſet permiſſum tempore interdicti celebrare ſemel in hebdomada & priuatim, vnam Miſſam ad renouandum Sanctiſſimum Sacramentum, modo tamen poſt Bonifacium VIII. *in dicto cap. Alma mater*, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 21. *num.* 19. licitum eſt Miſſam, & diuina Officia quotidie celebrare, iuxta præſcriptum talis capitis, quod ſic habet: *Singulis diebus in Eccleſiis, ac Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia diuina, ſicut priùs* (intellige ante interdictum) *ſubmiſſa tamen voce, ianuis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis.* Sylueſter *verb. Interdictum* 5. *num.* 2. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. Cornejo *ſup.* §. 2. *dub. unic.* ex communi DD. Intelligitur autem hæc conceſſio pro tempore ſolum interdicti localis generalis. Sylueſter *ſuprà*, Naldus *in Summa*, *verb. Interdictum*, *num.* 6. Nam tempore interdicti localis ſpecialis ſeruatur ius antiquum, vt non poſſint in loco ſpecialiter interdicto ſingulis diebus celebrari Sacra, & officia, niſi ſemel in hebdomada vnum Sacrum, *cap. Permittimus, de ſent. excommunic. in* 6. Nauarr. *ſup. num.* 173. Toletus *ſup. dicto cap.* 53. *num.* 1. Niſi neceſſitas infirmorum oppoſitum poſtularet. Nauarrus *ibid.* ex Hoſtienſi. Similiter pro tempore interdicti perſonalis, ſiue generalis, ſiue particularis, perſonæ aliquo ex iis modis interdictæ non poſſunt vllibi celebrare dicto modo Miſſas, aut Officia diuina, nec iſtis intereſſe, *cap. Si ciuitas*, *cap. Sententia*, *de ſent. excommunic. in* 6. Suarez *dicta diſput.* 34. *ſect.* 2. *num.* 2. Bonacina *ſuprà punct.* 4 *num.* 6. ex communi Doctorum. Nomine autem illo *Eccleſiis*, in prædicta conceſſione *cap. Alma mater*, cum materia hæc fauorabilia ſit, intelliguntur omnia loca Sacra, etiam Hoſpitalia, & priuata Oratoria ab Epiſcopo ad Miſſam, & diuina officia celebranda. Suarez *diſput.* 34. *ſect.* 1. *num.* 8. & 9. Diana *ſup. reſol.* 60. poſt alios quos refert. 22

Rurſus conceſſio hæc *cap. Alma mater*, eſt reſpectu omnium perſonarum Eccleſiaſticarum, ſiue illi Clerici ſint, ſiue Religioſi, ſiue profeſſi, ſiue Nouitij, aut etiam Moniales. Intentum enim Bonifacij VIII. *in dicto cap. Alma mater*, illud videtur fuiſſe, vt tempore 23

Interdicti officia diuina peragantur ab iis, à quibus prius, & ab iis ad quos prius id munus ſpectabat, Bacconius *ſupra*, Nauarrus *ſuprà*, *num.*174. Bunacina *ſuprà*, *num.*18. Quod & extenditur non ſolum ad Clericus prima tunſura initiatos habentes conditiones Concilij Tridentini *ſeſſ.*23. *cap.*6. ſed etiam ad Clericos coniugatos cum virgine vnica, ſi alicuius Eccleſiæ ſeruitio ex mandato Epiſcopi addicti fuerint, propter eandem rationem. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.*1. Auila *part.*5. *diſp.*4. *ſect.*2. *dub.*4. Laici autem non habentes priuilegium non admittuntur ad Miſſas, vel diuina officia, quamuis ſeruetur dicta moderatio *cap. Alma mater*, hoc enim fine ibi præcipitur, vt celebrentur prædicta *ianuis clauſis*. Auila, Layman. & Bonacina *ſuprà*. Laici autem habentes priuilegia (quale eſt illud Bullæ Cruciatæ, de quo *verb. Bulla Cruciata*, *num.*14. dixi) & à ſuttioti Eccleſiaſticæ perſunæ pro quibus conceſſio hæc *cap. Alma mater*, facta eſt, non ſolùm poſſunt tunc audire Miſſam, ſed etiam tenentur illam audire diebus feſtis, quia præceptum audiendi Miſſam obligat omnes qui id poſſunt facere, ſeu qui non habent impedimentum ad id faciendum, iuxta dicta eu *verb. Bulla Cruciata*, *num.*14. Bunacina *ſuprà*, *num.*19. & 20. ex Nauarro, Soto, Henriquez, Nuño, & Toleto. Licet oppoſitum tueatur quoad laicos, Cornejo *dicto dub. vnic.* ex Cano, Victorix, & Auila, eo quod nullus cogitur vti priuilegio ſibi conceſſo, *argum. Regul.*69. *ff.* & *Regul.*61. *in* 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Prædicti autem ſiue Eccleſiaſtici priuilegiati ad audiendum Miſſam, & officia diuina tempore Interdicti, poſſunt ſecum deferre eos qui ſunt de ſua familia, qui tamen non dederint cauſam interdictu, aut non fuerint aſſumpti in fraudem ob iſtam cauſam *cap. licet*, *de priuil. in* 6. Sylueſt. *ſuprà*, Nauar. *ſup. n.*180. Quod non valet in familiaribus Collegij, ex eod. *cap. licet*, Syluester, & Nauar. *ibid.* Qui vero nomine familiæ veniant, agit Bunacina *ſup. num.*21. ex aliis.

24 Per verba illa *Submiſſa voce*, quæ in dictu *cap. Alma mater*, habentur, denotatur Miſſam, & Officia non poſſe celebrari ab Eccleſiaſticis ea voce, vt extra Eccleſiam audiri poſſint, quin potius ea cautela, vt extra illam exiſtentes ipſæ non audiant. Qua poſita, ſi illi per curioſitatem ea audiant, ipſi Eccleſiaſtici excuſantur. Syluester *ſup. num.*8. Nauar. *ſuprà*, *num.*174.

25 Cum dicatur *interdictis excluſis*, ideo tales interdicti expelli debent, quod ſi expelli non poſſint, ceſſare debent Eccleſiaſtici à celebratione etiam Miſſæ, iuxta modum aſſignatum ſupra *verb. Excommunicatio*, *n.*21. pro caſu quo excommunicatus vitandus vellet aſſiſtere Miſſæ. Auila *part.*5. *diſp.*1. *dub.*1. Layman. *ſup.* Intelligitur autem hoc in caſu Interdicti generalis localis, de quo eſt ſermo *in dicto cap. Alma mater*. Suarez *dict. diſp.*34. *ſect.*2. *num.*1. In caſu verò quo perſona interdicta vellet aſſiſtere Miſſæ, nec per vim cogi poſſit ad exeundum, Suarez *ſuprà*, *num.*10. etſi cum formidine, probabile eſſe credit, quod Sacerdos poſſit proſequi Miſſam, quia tam dictum *cap. Alma mater*, quam aliæ iura loquuntur ſolum pro tempore interdicti localis. Sed oppoſitum credo verum, quia prædictum *cap. Alma mater* (idem dico de aliis iuribus) etſi quoad locum celebrandi officia diuina loquatur de Interdicto locali, quoad perſonas tamen quas prohibet admitti illo *verb. Interdictis*, proculdubio loquitur de perſonaliter interdictis. Philippus Faber *de Cenſuris*, *in* 4. *ſentent. diſt.*25. *quæſt.*1. *diſp.*5. *cap.*2. *num.*113. Limitari tamen hoc debet quando tales interdicti ſunt nominatim denunciati, iuxta Extrauagantem *Ad euitanda*, & dicta ſuprà *verb. Excommunicatio*, *num.*20. & 21. Pro quo notandum, quod quamuis ad euitandam perſonam aliquam ſpecialiter interdictam ſit neceſſarium quod illa fuerit nominatim denunciata, ad euitandum vero perſonam interdicto perſonali generali interdictam non requiritur, quod ea in particulari ſit nominatim denunciata, ſed ſufficit quod illa Vniuerſitas, vel populus proprio nomine ſint denunciata; vix enim alio modo Communitas denunciari poteſt. Bunacina *ſup. punct.*7. *num.*23. Theſaurus *in praxi Eccleſiaſtica*, *part.*2. *verb. Cenſura*, *cap.*14. §. *Declara* 4. & alij contra aliquos oppoſitum ſentientes. Illud certius, quod in eo caſu alij non interdicti non teneremur exire ab Eccleſia, aut relinquere Miſſam, propterea quod illi aſſiſteret interdictus; non enim eſt prohibitum ab Eccleſia communicare cum interdictu, vt cum excommunicatu. Caietanus *in Summa*, *verb. interdictum*. Suarez *ſup. num.*4. & 5. Naldus *In Summa*, *verb. Interdictum*, *num.*2. Layman. *ſup.* Vnde ſimiliter caſu quo è contrario Sacerdos interdictus celebrarat, etſi cooperari ad eius celebrationem peccatum graue eſſet ex natura rei, ſuppoſita cenſura interdicti, nihilominus poſſet perſona non interdicta eius Miſſam audire, non ſolum quando talis Sacerdos non eſſet nominatim denunciatus interdictus, vt de ſe patet ex Extrauaganti *Ad euitanda*, ſed etiam ſi eſſet nominatim denunciatus, quia audire Miſſam alicuius non eſt cooperari ipſi, & alias non eſt prohibitum communicare cum interdictu. Suarez *ſup. num.*5. Diana *ſup. reſol.*63. ex Turriano, Merceto, & Filliuccio.

Ex illo autem prædicti *cap. Alma mater*, *Campanis* 26
non pulſatis, colligitur, campanarum etiam paruarum pulſationem, intellige pro celebratione Miſſæ, & diuinorum officiorum, imò etiam pro eleuatione *Hoſtia*, vel ad *Sanctus*, prohibitam eſſe, non tamen pro conuocatione populi ad alia, quæ non ſunt diuina Officia, vt ſunt Concio, Salutatio Angelica, oſtenſio Reliquiarum, & alia de quibus ſupra. Pro quo vide Syluestr. *ſuprà*, *quæſt.*5. Nauarrum *ſup. num.*177. Henriq. *lib.*13. *cap.*46. Bunacina *dicto punct.*4. *num.*7. vbi etiam *num.*8. ex Suarez, Auila & aliis ait, adhiberi poſſe tempore Interdicti tabulam cum materaca, vel tubam, quod tamen intellige iuxta Patriæ conſuetudinem.

Maximè tertiò notandum in prædictu *cap. Alma* 27
mater, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*21. *num.*19. concedi vt in quatuor anni præcipuis Feſtiuitatibus, videlicet Natiuitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis (quibus ex conceſſione Martini V. & Eugenij IV. acceſſit feſtum Corporis Chriſti cum octaua) licitum ſit Sacrificium Miſſæ, & alia diuina Officia ſine vlla alia limitatione celebrare, niſi vt qui propriæ culpa interdicto cauſam dederunt, ad Altare non appropinquent, intellige vel oblationis accipiendæ, vel S. Eucharistiæ ſumendæ cauſa, ſicut explicat Suarez *dicta diſp.*34. *ſect.* 1. *num.* 37. Sumuntur autem tres illæ priores feſtiuitates, ſcilicet Natalis, Paſchæ, & Pentecoſtes ſolùm pro primis diebus ipſarum. Nauarrus *ſuprà*, *num.* 181. Suarez *num.* 38. Naldus *ſuprà*, *num.* 8. Licet oppoſitum probabiliter tenerent Bonacina *dicto punct.*4. *num.*4. poſt Sotum, Auilam, Hurtadum, & alios, quos ſequitur Diana *ſuprà*, *Reſolut.*61. Computantur etiam tales Feſtiuitates iuxta Eccleſiæ morem, ſcilicet à primis Veſperis vſque ad ſecundas, adiuncto Completorio. Bacconius *ſuprà*. Bonacina *num.* 25. Diana *ſuprà*, poſt plures alios.

Extenditur etiam probabiliter hoc priuilegium ſu- 28
lemniter celebrandi diuina, dummodo interdictu cauſam non dederint, aut eſſent ſpecialiter interdicti, nominatim interdictis, & excommunicatis excluſis, ad Regulares habentes communicationem priuilegiorum cum Benedictinis, & Mendicantibus pro feſtis Sanctorum Ordinis, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*21. *num.*19. ex priuilegio Leonis X. pro eiſdem Benedictinis, & *tom.*2. *cap.*1. *n.*21. ex priuilegio Pij V. pro Mendicantibus. Probabile enim eſt priuilegia illa non eſſe contraria decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.*25. *c.*12. propter

dicta

dicta illis locis. Et ita tenent Medina *in Summa*, Sorbus *in Additionibus ad Compendia priuilegiorum Mendicantium, verbo Interdictum 3. §. ſed alius Doctoribus*, Henriquez *lib.13.cap.48.§.1.* Sayrus *de Cenſuris, lib.5. cap.13. num.24. & 25.* Rodriguez *in Bullam Cruciatæ, §.3. num.15.* Miranda *tom.2. Manual. quæſt.37.art.12.* Cruz *de ſtatu Regular. lib.2.cap.7.dub.1.* Peirinis *tom.1. priuilegiorum Minimorum, in Conſtit. 2. Sixti V. num.51.* & alij.

29 Nec obſtant aliquæ declarationes Sac. Congregationis, quas referunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Priuilegium, & de poteſt. & offic. Epiſcopi Alleg. 105. num.44.* Tamburinus *dicta diſp. 16. quæſit. 4.* & Nouarius *in Lucern. Regular. verbo Interdictum*, quibus id negatur, & dicitur priuilegia Regularium ſublata eſſe per Concilium Tridentinum: vt enim dixi eo *tom.1. part.2.cap.1. num.21.* de talibus declarationibus Sacræ Congregationis (quod ego ſciam) non conſtat authenticè, & eadem Sacra Congregatio Concilij iuxta dicta ſuprà verbo *Sacra Congregatio, num.10.* declarauit, huiuſmodi declarationibus non authenticis non eſſe fidem adhibendam. Deinde, quia dato, quod de eis authenticè conſtaret, per illas tamen ſolùm declaratur reuocata eſſe quoad hoc priuilegia Regularibus conceſſa ante Concilium Tridentinum. Cum autem Clemens VIII. poſt ipſum Concilium, iuxta dicta eo *num.21.* idem priuilegium conceſſerit Minoribus, ideo tam ipſi, quam alij, qui eum ipſis habent communicationem priuilegiorum, eo vti poſſunt. Tamburinus *ſuprà*. Nota etiam priuilegium illud Pij Quinti eſſe poſt Concilium.

30 Additur etiam in eodem priuilegio Leonis X. id etiam fieri poſſe in quibuſdam aliis Feſtiuitatibus, & occaſionibus, de quibus dixi dicto *num. 19.* & agit Sorbus *ſuprà, §. 13. ſuſpenditur*, & ſequentibus, ſupponens etiam non eſſe reuocatum hoc priuilegium per Concilium Tridentinum, quod etiam facit Peirinis *ſuprà num.52.* Quia vero vna ex illius feſtiuitatibus eſt feſtiuitas Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, notandum etiam eundem Leonem X. conceſſiſſe, quod tempore interdicti, in quibuſvis Hiſpaniæ Eccleſiis à primis veſperis diei Conceptionis vſque ad illius integram octauam incluſiuè, Miſſas, & alia diuina Officia apertis ianuis, pulſatis campanis, atque alta voce (excommunicatis dumtaxat, & nominatim interdictis expulſis) celebrari poſſent, & quod ſinguli Chriſti fideles non excommunicati, nec nominatim interdicti ad Miſſas & alia Officia admitti tunc poſſent. Sic refert hoc priuilegium Caſſarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Conceptio Virginis, num.11.* & Suarez *ſuprà num. 42.* dicit, non eſſe derogatum per decretum Concilij. Quale verò ſit Officium illud Conceptionis pro quo conceditur hoc priuilegium, agunt Portellus *in Dub. Regular. verbo Interdictum, in Addit. à num.2.* & Villalobos *in Summa, tom. 1. tract.19. diffic.6.*

31 Extat & aliud priuilegium Iulij II. pro Auguſtinianis, quo ipſis conceſſit, vt quæ Ordini ſuo pro tempore generalis interdicti ſunt conceſſa, ea omnia ſpeciali interdicto etiam conceſſa intelligantur. Referunt hoc priuilegium Caſſarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Interdictum 5. num. 14.* Sorbus *ſuprà, §.10. Iulius Quintus*, Peirinis *tomo 1. priuilegiorum Minimorum, in Conſtitut. 2. Sixti IV. num.54.* Tamburinus *ſuprà in quæſit. 4. in fine.* Qui omnes dicunt hoc priuilegium magnum eſſe, nam quando ſecundum ius commune ſuſpenditur interdictum in aliquibus Feſtiuitatibus, prout fit *in cap. Alma mater*, iuxta dicta ſuprà *num. 27.* non ſuſpenditur pro Eccleſiis ſpecialiter interdictis, nec poſſunt in eis fieri ea, quæ ibi permittuntur: at vero ſecundùm hoc priuilegium id conceditur. Alia priuilegia pro Regularibus tempore Interdicti, & ceſſationis à diuinis refert Portellus *ſuprà, verbo Interdictum, à num.65.* quæ prætermitto; quia plura ex illis relata ſunt tum ſuprà, tum *tomo 1. part. 1. cap. 21. num. 19. & 20.* alia verò ſunt mihi incerta.

Pro praxi tamen horum priuilegiorum quoad Regulares, & quomodo ſe gerere debeant tempore interdicti, vide Sorbum *ſuprà §. Primò ſtatim*, Mirandam, & Ioannem de la Cruz *ſuprà*. Tria tamen illis præcipuè animaduertenda cenſeo. Primum, an priuilegia quibus vti volunt, ſint ſolo viuæ vocis oraculo conceſſa, quale eſt illud Nicolai Franci de quindecim perſonis tempore interdicti admittendis, quod immeritò in medium producunt Peirinis, & Tamburinus relati. Talia enim priuilegia his temporibus vacant; propter ſæpius dicta. Secundum, an interdictum, quod ponitur, ſit ab habente facultatem reuocandi priuilegia ipſorum, & ea reuocante. Tertium, quod eo *cap.21. num. 20.* notaui, ſcilicet, an ex vſu talium priuilegiorum poſſint ſequi ſcandala, rumores, aut ſimilia, propter ſingularitatem, &c. De priuilegiis autem Tertiariorum pro tempore interdicti, dixi *tomo 1. parte 2. cap. 14. num.36.* Confratrum *cap.15. num.36. & 37.* Familiarium Religioſorum *cap.16. num.12. 23. & 27.* Procuratorum ipſorum *cap.17. num.6. 7. & 8.* 32

Loquendo autem de tertio effectu interdicti, qui eſt 33
priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, intelligendus eſt reſpectu cuiuſcumque interdicti generalis, vel particularis, localis, vel perſonalis. Etenim quando interdictum eſt perſonale particulare, perſona ſic interdicta, quæcumque illa ſit, ſiue Clericus, ſiue Religioſus, ſiue ſæcularis, omnino carere debet Eccleſiaſtica ſepultura. *Clement. 1. de ſepulturis, & cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* Suarez *ſuprà diſp.35. ſect.3. num.1.* Cornejo *ſup. §.3.* Quando etiam Interdictum eſt perſonale generale, in primis ij, qui cauſam Interdicto dederunt, cum iſti cenſeantur veluti ſpecialiter interdicti, priuari etiam debent dicta ſepultura. Suarez, & Cornejo *ſuprà*. Deinde etiam illi qui cauſam non dederunt; quia etiam iſti ſunt, & dicuntur interdicti, quia ſunt pars populi interdicti, ac per conſequens debent in eis habere locum omnes effectus interdicti, Inter quos vnus eſt iſte *Clement. 1. de ſepulturis; cap. ſi Ciuitas, de ſentent. excommunicat. cap. ſi ſententia, eodem tit. in 6.* Bonac. *ſup. punct.5. num. 1.* Vnde etiam infantes, & amentes priuantur ſepultura eo tempore, propter idem fundamentum, & quia quamuis illi ob defectum rationis non ſint capaces aliorum effectuum interdicti, iuxta dicta *ſup. num.8.* bene tamen iſtius, qui in ſola paſſione conſiſtit. Bonacina *ſup. num. 9.* Corn. *ſup.* Tempore etiam Interdicti localis, ſiue generalis, ſiue particularis, etſi fideles poſſint in locis non interdictis ſepultura Eccleſiaſtica frui, non poteſt tamen concedi dicta ſepultura in Eccleſiis, vel Eccleſiis interdictis aliquibus laicis, quantumvis innocentibus, aut non interdictis infantibus, aut amentibus. Huiuſmodi enim Interdictum non fertur directè in perſonas, ſed in locum, prohibendo ne in illo aliquis ſepeliatur, *cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ. cap. ſi Ciuitas, de ſententia excommunic. in 6.* Syluester *ſuprà verb. Interdictum 5. quæſt.8.* Cornejo *ſup.* Layman. *ſuprà num.3.* Dixi *aliquibus laicis*, quia Eccleſiaſtici, ſiue Clerici ſint, ſiue Religioſi, qui cauſam Interdicto non dederunt, nec Interdicti fuerunt, ſed Interdictum obſeruarunt, ſepeliri tunc poſſunt in loco Sacro, quantumvis interdicto, modò id fiat ſine ſolemnitate, & abſque pulſatione campanarum, *cap. quod in te, relato.* Syluester *ſup.* Sotus *in 4. diſt.22. quæſt.3. art.1.* Imò poſt cap. *Alma mater*, poſſunt tempore Interdicti generalis localis ſepeliri cum diuino Officio, & Miſſa, iuxta moderationem ibi factam, cum ibi concedatur, quod tempore Interdicti præfati celebrari poſſint diuina Officia, cum dicta mo-

Google

deratione. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 44. Suarez *diſp.* 35. *ſect.* 1. Non oportet tamen quod ſepeliantur in loco interdicto, ſi ad locum non interdictum commodè ferri poſſint, vt ait Laymanus *ſuprà*, ex Syluestro, & Suarez.

34 Circa hunc tamen effectum priuationis ſepulturæ pro tempore Interdicti, nota primò, nomine ſepulturæ Eccleſiaſticæ intelligi ſepulturam in loco ab Epiſcopo (vel etiam Prælato Regulari) conſecrato, vel benedicto, ſiue Eccleſia, ſiue cœmeterium ſit, vbi diuina peraguntur. Bonacina *d. punct.* 5. *num.* 1. ex Sayro, Suarez, & aliis. Nota ſecundò, nulli quantumuis perſonaliter, & ſpecialiter interdicto negari debere ſepulturam, niſi nominatim denunciatus fuerit. Etenim propter extrauagantem *Ad euitanda*, nullum cenſura affectum euitare tenentur, niſi nominatim denunciatum. Verum quidem eſt, quod pro Interdicto perſonali particulari requiritur denunciatio ſpecialis ſub nomine taliter interdicti; pro Interdicto tamen generali perſonali ſufficit denunciatio nominatim, non ſub nomine ſingulorum de populo, ſed ſub nomine Ciuitatis, vel populi, iuxta dicta *ſuprà num.* 21. cum moraliter impoſſibile ſit omnia membra vnius Communitatis nominatim alio modo denunciare. Bonacina *ſuprà num.* 10. Laymanus *ſuprà, num.* 4. ex aliis. Licet oppoſitum tueatur Cornejo *ſuprà*, quem ſequi videtur Diana *ſuprà Reſolut.* 66. Pariter etiam idem dici debet de Interdicto locali, niſi enim denunciatum ſit, non obligat. Nauarrus *ſuprà num.* 187. Toletus *ſuprà lib.* 1. *cap.* 52. *num.* 2. Tertiò nota, nullibi legi corpora defunctorum non perſonaliter interdictorum, & denunciatorum, ſi in loco interdicto illegitimè ſepulta ſint, exhumanda eſſe, ſed viceuerſa, corpora, quæ tempore localis Interdicti in loco non Sacro ſepulta fuerunt, ſublato Interdicto exhumanda, & ad Sacrum locum transferenda, ſicut ex communi docet Nauarr. *num.* 176. Henriquez *c.* 44. *num.* 5. Auila *parte* 5. *diſp.* 4. Nota quartò, quod quamuis Cornejo *ſuprà*, poſt Suarez, Filliucium, Coninch. & alios tueatur probabiliter hanc carentiam ſepulturæ tempore Interdicti, etiam procedere in Feſtiuitatibus, in quibus *in cap. Alma mater*, permittitur celebratio diuinorum (idem diceret de illis, qui habent priuilegium aſſiſtendi diuinis tempore Interdicti) eo quod priuatio ſepulturæ diuerſum quid ſit à celebratione diuinorum; nihilominus Sotus, Nauarrus, Henriquez, & alij quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà Reſolut.* 67. oppoſitum etiam ſatis probabiliter docent, eo quod priuatio ſepulturæ videatur introducta per Interdictum ratione Officij diuini annexi, conceſſo ergo Officio, conceditur etiam ſepultura. Nota quintò, hæc quæ dicta ſunt de priuatione ſepulturæ, idem dico de aliis, quibus priuat Interdictum) intelligenda eſſe ſeclusis ſpecialibus priuilegiis, quale eſt illud Bullæ Cruciatæ, de quo ſuprà verbo *Bulla Cruciatæ*, *n.* 14. & 15. Specialiter pro priuilegiis Regularium circa ſepulturam tempore Interdicti, vide dicta *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 19. Caſtarubium *in Compendio, verbo interdictum*, & Sorbum *ibid.*

35 Præter iſtos autem communes effectus Interdicti eſt alius ſpecialis, qui maximè ad Regulares ſpectare poteſt, quòd ſcilicet ille, qui perſonaliter interdictus eſt eligi non poteſt ad Prælaturas, ſeu Dignitates, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 15. *num.* 25. Azor. *tomo* 2. *Inſtitut. Moral. lib.* 6. *cap.* 7. *quæſt.* 2. Sà *in Summa, verbo Interdictum*, *num.* 18. Idem dico de eo, qui Interdictum non ſeruauit, *cap.* 1. *de poſtulat. Prælat. cap. tanta, de exceſſib. Prælat.* Syluest. *in Summa, verbo Electio* 1. *num.* 15. Peirinis *tom.* 2. *de Prælat. quæſt.* 2. *cap.* 5. §. 1. *num.* 40. Similiter perſonaliter interdictus, iuxta dicta eo *cap.* 15. *num.* 5. eligere non valet, itavt electio ab ipſo facta caſſa ſit, vel caſſanda, *cap. cum inter R. de elect.* Sà *ſuprà*, Peirinis *ſuprà n.* 39. Vide dicenda inferius *n.* 37.

Eſt etiam alia ſpecies Interdicti perſonalis, quæ vocatur *ab ingreſſu Eccleſiæ*, eo quod priuat à tali ingreſſu in Eccleſiam, de qua ſæpius in iure fit mentio, præſertim *cap. ſacro, de ſentent. excommunicat. cap.* 1. *eodem titul. in* 6. *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in* 6. Differt autem ab alio interdicto perſonali ſimpliciter dicto in hoc, quod interdictum perſonale ſimpliciter dictum priuat participatione diuinorum in omni loco, hoc verò ſolum in Eccleſia, itavt ſolùm in illa non poſſit interdictus celebrare, aut audire Miſſam, aut diuina Officia, non autem extra illam in domo, agro, Oratorio priuato, &c. *cap. is cui, de ſentent. excommunicationis in* 6. Nauarrus *ſuprà num.* 170. Cornejo *ſuprà* §. 4. Addit ſecundò idem Cornejo ex Syluestro, & Suarez, quod licet Interdictum perſonale ſimpliciter dictum non priuet ingreſſu Eccleſiæ ad orandum, quando diuina non celebrantur, hoc tamen interdictum priuat tali ingreſſu, propter *cap. Latorem* 33. *quæſt.* 2. vbi id videtur haberi. Sed oppoſitum docent communiùs Doctores, ſpecialiter Nauarrus *ſuprà*, Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 3. *cap.* 30. *num.* 41. Coninch. *de Sacrament. diſp.* 17. *dub.* 2. *num.* 59. & alij quos referunt, & ſequuntur Bonacina *ſuprà, punct.* 5. *num.* 11. & Diana *ſuprà Reſolut.* 71. & *cap. Latorem*, intelligunt de pœnitentia impoſita matricidæ. Illud certius non prohiberi per hoc interdictum ingreſſum materialem in Eccleſiam ad loquendum, vel aliquid prophanum faciendum, vel ad transeundum aliò per ipſam. Nauarrus, & Cornejo *ſuprà*. Probabile etiam eſt ſic interdictum poſſe in cœmeterio audire, & celebrare Miſſam, & diuina, quia in materia odioſa, & pœnali, qualis eſt iſta, nomen Eccleſiæ non debet extendi ad cœmeterium. Filliucius *tomo* 1. *tract.* 18. *cap.* 5. *num.* 103. Bonacina *ſuprà*. Diana *ſuprà Reſolut.* 75. Non verò poſſe intra Eccleſiam recipere Sacramenta, vera ſententia tenet cum Suarez *diſp.* 35. *ſect.* 4. *num.* 5. Coninch. *ſuprà*, Layman. *ſuprà cap.* 1. *num.* 4. ex aliis. Etſi Bonacina *ſuprà num.* 12. & Diana *ſuprà Reſol.* 73. cum Henriquez, & Auila oppoſitum probabile credant. Talis etiam interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ priuatur Eccleſiaſtica ſepultura, tam in Eccleſia quam in cœmeterio, niſi pœnituerit, *in dicto cap. is cui*, Auila *part.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 3. Cornejo *ſuprà*, Bonacina *ſuprà num.* 11. 36

Loquendo autem de culpa, & pœnis violantium Interdicta, diſtinguere oportet inter perſonas Eccleſiaſticas, & laïcas. Et quidem loquendo de Eccleſiaſticis, certum primò eſt Eccleſiaſticas perſonas, ſiue ſæculares ſint, ſiue Regulares violantes quodcunque Interdictum, peccare mortaliter ex ſuo genere, quia faciunt contra præceptum Eccleſiæ in re graui, & quæ ipſos directè tangit, Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. Nauarrus *ſuprà num.* 187. Certum ſecundò, eaſdem Eccleſiaſticas perſonas violantes Interdictum per exercitium alicuius Ordinis Sacri eo modo, quo à laïcis exerceri non poteſt, incurrere irregularitatem, *cap. is qui, de ſentent. excommunicat. in* 6. vbi eſt ſermo de Interdicto locali, & *cap. is qui, eodem titulo, etiam in* 6. vbi eſt ſermo de Interdicto perſonali. Syluester *ſuprà verbo Interdictum* 6. *num.* 2. Toletus *lib.* 1. *cap.* 53. *num.* 3. Cornejo *ſuprà* §. 2. *dub. vnic.* Additur *in d. cap. is qui*, particula *ſcienter*, qua denotatur ad incurrendam hanc irregularitatem eum, qui celebrat in loco interdicto, requiri, quod non ex negligentia, aut ignorantia, etiam culpabili id faciat, ſed ex ſcientia, & malitia. Suarez *ſuprà diſp.* 34. *ſect.* 4. *n.* 15. Cornejo *ſuprà*. Additur etiam *in eodem cap. is qui*, contra celebrantem in loco interdicto pœna ſuſpenſionis à voce actiua, & paſſiua, itavt nec eligi poſſit, nec eligere. Suarez *num.* 16. Cornejo *ſuprà*. Similiter additur *in cap. is cui*, vbi eſt ſermo de celebrante cum interdicto perſonali, pœna priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ in Eccleſia, vel cœmeterio, niſi pœnituerit. De qua Suarez *ſuprà à n.* 25. 37

An

Digitized by Google

An verò hæc irregularitas, quam dixi contrahere Eccleſiaſticas perſonas violantes interdictum, per exercitium alicuius Ordinis incurratur, etiam per exercitium Ordinis minoris, conſtat ex dictis à ſimili verbo *Excommunicatio*, *num.* 13.

38 Ex quibus ſpecialiter ad Regulares colligo primò, Religioſos contra interdictum canentes in Choro Officium diuinum, vel quoad vnam horam Canonicam ſolam, aut magnam partem ipſius, mortaliter peccare, quia faciunt contra præceptum Eccleſiæ in re graui, Suarez *dicta ſect.* 4. *num.* 9. Imò ſi Sacerdotis, aut Hebdomadarij Officium exerceant in Choro, aut in Altari dicentes publicè orationem Officij, cum *Dominus vobiſcum*, benedicentes aquam, candelas, oliuas, calices, paramenta, vel ſimilia, aut aſpergentes ſolemniter populum, quia hoc etiam eſt materia grauis, non ſolùm peccant mortaliter, ſed etiam ſunt Irregulares, quia prædicta ſunt actus Sacri Ordinis proprij. Suarez *num.* 10. 11. 27. & 28. Bonacina *ſuprà punct.* 7. *num.* 6. ex Sayro, Filliucio, & aliis. Facientes autem aliqua, quæ etſi ſint contra interdictum, non tamen ſunt actus Ordinis, & caſu quo fiant, ſi non fiunt ſolemniter vt tales, etſi mortaliter peccent, non tamen fiunt irregulares. Bonacina *ibi*, & *in ſequentibus*. Similiter Religioſi, & alij exempti ſcienter celebrantes, aut celebrari facientes diuina in locis interdictis, aut interdictos ad diuina Officia, Sacramenta, vel ſepulturam admittere præſumentes, ſi ipſi interdicti non ſunt, quamuis non incurrant propterea aliquam irregularitatem, cum talis non ſit in iure expreſſa (Suarez *ſuprà num.* 29. Bonacina *ſup. num.* 4.) peccant tamen grauiter mortaliter, & incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, donec de tranſgreſſione huiuſmodi ad arbitrium eius, cuius ſententiam contempſerunt, ſatisfecerint competenter. Ex *cap. Epiſcoporum*, *de priuil. in* 6. Theſaur. *in praxi Eccleſiaſt. part.* 2. *verbo Cenſura*, *cap.* 14. Similiter ſi Religioſi excommunicatos, & interdictos nominatim ab Epiſcopis admittunt ad diuina ex præſumptione ſubiacent interdicto, *ex cap. cum & plantare*, *de priuileg.* An verò hæc pœna ſit latæ ſententiæ, an ſolùm incurrendæ, agit idem Theſaurus *ſuprà*. De pœnis autem, quas incurrunt Religioſi ſepelientes cadauera defunctorum tempore interdicti, dixi *tomo* 1. *cap.* 9. *num.* 29. Similiter de excommunicatione, quam incurrunt Regulares, etiam exempti, interdictum generale locale non obſeruantes, aduertentes illud obſeruari ab Eccleſia Cathedrali, ſeu Matrice, ſeu Parochiali, etiamſi prætenderent illud interdictum eſſe nulliter latum, dixi eo *num.* 29. ex Clementina prima *de ſentent. excommunicat.* De qua excommunicatione Tamburinus *d. diſp.* 16. *quæſt.* 3. & Theſaurus *ſuprà*, ex Sayro, Toleto, & aliis. Præter dictas etiam pœnas incurrunt etiam Regulares ſicut & Clerici non Regulares, violantes quodcumque interdictum, ſuſpenſionem, *ex cap. tanta*, *de exceſſ. Prælat.* De qua ſuſpenſione an ſit latæ ſententiæ, an ferendæ ſolùm, an ab officio ſolum, an verò etiam à beneficio, alibi dicetur. Interim vide Layman. *ſuprà num.* 3. Theſaurum *ſuprà*, poſt Sayrum, Auilam, & alios. Celebrare etiam perſiſtentes in interdicto, ſeu contra interdictum, poſtquam fuerint moniti, incurrunt pœnam perpetuæ depoſitionis, *cap.* 1. *de Cleric. excommunicat. miniſtr.* De quo Barboſa *ibidem*, & alij.

39 Laïci autem violantes Interdictum, licet cum illud eſt perſonale, ſiue generale, ſiue particulare, peccent mortaliter (Nauarrus *d. cap.* 27. *num.* 187. Bonacina *dicto punct.* 7. *num.* 1.) quando verò interdictum eſt locale generale, vel ſpeciale, ſecundùm aliquos non peccant mortaliter, ſed ſolùm venialiter, ſecluſo ſcandalo, & contemptu. Caietanus verbo *Interdictum*, Nauarr. *ſuprà*. Oppoſitum tamen tenent alij Doctores, quod maximè eſt verum, ſi per violentiam, fraudes, aut mendacia, Officiis diuinis in loco interdicto ſe ingerant, vel Clericis iubentibus vt exeant, non obtemperent, aut ſi Clericos inducant, vt coram ipſis diuina celebrent. De quo Sotus, & Nauarr. *ſup.* Auila *part.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 2. Layman. *cap.* 3. *num.* 2. & Diana *ſuprà Reſolut.* 68. Illud certius, quod licet laïci, propter violationem Interdicti nullam pœnam irregularitatis incurrant, cum in iure talis irregularitas non ſit expreſſa, nihilominus Dominus temporalis, qui compellit Clericum in loco interdicto publicè, ac ſolemniter celebrare Diuina, vel pulſu campanæ, aut voce præconis facit populum conuocari ad audienda diuina, vel impedit ne excommunicati, vel interdicti ab Eccleſia exeant, dum in ea Miſſarum ſolemnia celebrantur, poſteaquam à celebrantibus moniti fuerunt, & ipſi denique excommunicati, aut interdicti, ſi iuſſi exire, remanere præſumpſerint, excommunicationem Papæ reſeruatam incurrunt, *Clement.* 2. *de ſentent. excommunicat.* Nauarrus *ſuprà num.* 104. Layman. *ſuprà c.* 3. *in fine*, Cornejo *dict. dub. vnic. in fine*.

40 Circa relaxationem, vel abſolutionem Interdicti, cum ex dictis de aliis cenſuris colligi poſſit quid de ipſo dicendum, breuiter dico. Quando eſt ad tempus, vel ſub conditione, ſolo tranſcurſu temporis, vel conditionis ceſſat, quando verò abſolutè, aut ſine limitatione eſt poſitum, non tollitur, niſi per abſolutionem, vel relaxationem factam ab eo, qui illud poſuit, vel ab ipſius Superiore, vel ab alio ipſius facultatem delegatam habente. Quamuis etiam nullus confeſſarius poſſit tollere Interdictum locale generale, ſeu ſpeciale, quia hoc ſpectat ad forum contentioſum, nec etiam Interdictum generale perſonale, propter eandem rationem, poterit tamen abſoluere ab Interdicto perſonali particulari, ſiue à iure, ſiue ab homine, ſi illud reſeruatum non fuerit, ſicut & ab aliis cenſuris non reſeruatis. Imò etiamſi fuerit reſeruatum, quando pœnitens habuerit priuilegium, vt abſoluatur ab omnibus cenſuris, etiam reſeruatis, quale eſt Bulla Cruciatæ, iuxta dicta ſuprà verbo *Bulla Cruciata*, *num.* 30. De quibus omnibus Vgolinus *de Interdictis*, *Tabul.* 5. *cap.* 23. Suarez *diſp.* 38. Auila *ſuprà diſp.* 6. Cornejo *ſuprà diſp.* 4. Laym. *ſuprà cap.* 5. Bonacina *ſuprà puncto vltim.* ex aliis quos referunt.

41 Quoad Prælatos Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, dicendum, ipſos poſſe abſoluere ſuos ſubditos ab Interdicto perſonali particulari, etiam quando illud reſeruatum fuerit, ſi habeant priuilegia abſoluendi à cenſuris reſeruatis, prout de pluribus ipſorum dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *à num.* 36. Cum eadem ratio ſit de hac, ac de aliis cenſuris. Ab Interdicto tamen locali, ſiue perſonali generali non abſoluunt, niſi habeant territorium, & ſubditos ſæculares, veluti Epiſcopi habent.

42 De caſibus, quibus in iure incurritur Interdictum, agunt Suarez *ſuprà diſp.* 37. Filliucius *tract.* 18. *cap.* 6. *quæſt.* 3. Bonac. *ſup. punct.* 8. & alij apud ipſos.

43 Vide dicta ſuprà verbo *Bulla Cruciatæ*, verbo *Ceſſatio à diuinis*, & dicenda infrà verbo *Irregularitas*.

INTERSTITIA.

SVMMARIVM.

1 *Interſtitia quæ dicantur.*
Ad quem pertinet diſpenſatio in illis. ibid.
2 *An hæc facultas tranſeat ad Capitulum, ſeu Vicarium Sede Vacante.*
3 *Ordinatus ſine diſpenſatione in interſtitiis, an incurrat aliquam pœnam.*
4 *An illam incurrat Epiſcopus ordinans ſubditum non diſpenſatum in interſtitiis.*

6 *Quantum*

5 *Quantum debet eſſe interſtitium pro ſingulis Ordinibus.*
6 *Alia remiſſiuè.*

1 INterſtitia vocantur illa tempora, quæ iuxta Concilij Tridentini decretum intercedere debent inter vnum, & alterum Ordinem recipiendum, vt ſcilicet gradatim aſcendatur ad Sacros Ordines, & promouendus non aſcendat ad ſuperiorem donec per aliquod tempus ſe exercuerit in inferiori, de quibus iuxta doctrinam Concilij Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. 12. 13. *&* 14. dixi *tom.* 1. *cap.* 14. *à num.* 14. Quibus addendum ſpecialiter quoad Regulares, quod licet iuxta dicta ibi *num.* 15. diſpenſare in interſtitiis ſpectet ad Epiſcopum Ordinantem, non verò ad Prælatum Regularem, niſi exoraret Epiſcopum, vt id faciat, iuxta declarationem Sacræ Congregationis, quam ibi retuli, & referunt Henriquez *in Summa, lib.* 10. *cap.* 23. §. 4. *in comment. littera I.* Piaſecus *in prax. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 50. Riccius *in prax. for. Eccleſiaſt. deciſ.* 561. *in* 1. *edit. & in* 2. *Reſolut.* 483. Barboſa *de offic. & poteſtate Epiſcopi Allegat.* 18. *num.* 10. Tamburin. *de iure Abbat. tomo* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 22. & alij apud ipſos, nihilominus ex declaratione quoque Sacr. Congregationis habetur Dominos Epiſcopos debere ſe conformare cum ſupplicatione Superiorum Regularium quoad hoc, cum ipſi ſciant vtilitatem, vel neceſſitatem ſuorum Monaſteriorum. Molfeſius *in Summa, tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 56. Barboſa *ſuprà.* Ad hoc autem, quod Epiſcopus cenſeatur diſpenſare, ſufficit, quod ſciens ordinandum non impleuiſſe tempus deſignatum à Concilio pro interſtitio ipſum ordinet, quia omne canonicum impedimentum, cuius diſpenſatio ad Epiſcopum pertinet, cenſetur ſublatum, ſi illud ſciens Epiſcopus ordinauerit. Prout ex Abbate, Felino, Menochio, & aliis reſoluit Barboſa *ſuprà num.* 7. Non poſſe autem Epiſcopum Ordinatorem cum Diœceſano diſpenſare in interſtitiis, niſi in dimiſſoriis hoc ipſi concedatur, habetur etiam ex alia Declaratione Sacræ Congregation. apud præfatum Piaſecum *ſuprà num.* 11. & Barboſam *ſuprà num.* 9. ex aliis.

2 Interſtitiorum remittendorum facultas conceſſa Epiſcopis tranſit etiam in Capitulum, ſeu eius Vicarium Sede vacante, prout ex declaratione Sacræ Congregationis referunt Quaranta *in Summa, verbo Capitulum Sede vacante, quæſt.* 10. §. *& refertur.* Armendariz in *Addition. ad recopilat. leg. Nauarræ lib.* 1. *tit.* 18. *lib.* 7. *de Epiſcop. num.* 57. Barboſa *ſuprà num.* 6. *&* in *Collectan. Bullar. verbo Interſtitia.*

3 Ordinatus ſine diſpenſatione in interſtitiis, etiamſi grauiter peccet, quia facit contra decretum Concilij in materia graui (Bonacina *de Cenſur. diſp.* 3. *punct.* 5. §. 8. *num.* 3.) non tamen incurrit cenſuram ſuſpenſionis, vt putant Suarez *tom.* 5. *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 43. Bonacina *ſuprà, & de Sacrament. diſp.* 8. *quæſt. vnica, punct.* 5. *num.* 35. Diana 4. *part. tract.* 4. *Reſol.* 209. & Theſaurus *in prax. part.* 2. *verbo ordines, cap.* 15. §. *recipiens ordines*, aliis relatis. Veruntamen non eſt id tam certum, ſicut hi Doctores ſupponere videntur, etſi enim Concilium Tridentinum nullam cenſuram, aut pœnam contra ſic facientes poſuit, nihilominus cum Pius II. in Bulla *Cum ex Sacrorum*, quam retuli *d. cap.* 14. *num.* 2. pœnam ſuſpenſionis ſtatuerit contra eos, *qui abſque diſpenſatione* Canonica *ad aliquem ex Sacris Ordinibus ſe fecerint promoueri*, & poſſit dici per illam diſpenſationem canonicam intelligi diſpenſationem in quocunque impedimento canonico ad Ordines recipiendos, inter quæ vnum eſt ex Concilio, nondum elapſum eſſe tempus ab ipſo requiſitum inter vnum, & alium ordinem (præſertim cum Clemens VIII. in Bulla *d. cap.* 14. *num.* 1. relata, hanc Pij II. Bullam confirmauerit, moderando tamen pœnas, quas Sixtus V. in alia etiam Bulla eo loco relata poſuerat) Ideo res hæc mihi dubia eſt. Vide Henriquez in *Summa, lib.* 6. *cap.* 10. Nota etiam, quod recipiens Ordines Sacros eadem die incurrit ſuſpenſionem, quæ habetur cap. *litteras, de temp. Ordin.* Suarez *ſuprà num* 41. Theſaurus *ſuprà*, §. *recipiens autem duos.* De quo *verbo Irregularitas, num.* 48. Hanc tamen ſuſpenſionem non incurrit recipiens Sacerdotium, & Epiſcopalem Ordinationem eadem die, cum non ſit in iure impoſita. Suarez *n.* 40. Cornejo *tract. de irregularit. diſp.* 7. *dub.* 1. Theſaurus *ſuprà*, §. *recipiens Sacerdotium.*

Epiſcopum ordinantem ſubditum non ſeruatis interſtitiis, nullam pœnam incurrere, reſoluit Barboſa *ſuprà* ex Nauarro, & Riccio. Epiſcopum verò conferentem duos Ordines Sacros eadem die, vel etiam duobus continuato ieiunio, ſuſpenſionem incurrere, colligitur *ex d. cap. litteras*, Laymao *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 10. Theſaurus *ſuprà*, §. *Epiſcopus.* Sed de hac ſuſpenſione alibi dicetur. 4

Inter primam tonſuram, & minores ordines ſeruari debere interſtitium ſaltem vnius diei, tenent Innocentius, Ioannes Andreas, Butrius, & Panormitanus *in cap. de eo, de tempor. ordinat.* Alij verò tenent contrarium, ratione conſuetudinis. Sà *in Summa, verbo Ordo, num.* 17. Bonacina *ſuprà num.* 36. Verius tamen eſt, etiam ſecluſa conſuetudine, non eſſe neceſſarium interſtitium aliquod inter tonſuram, & minores ordines ex iure communi, aut Concilio. Theſaurus *ſuprà*, §. *Nota primò*, ex aliis quos refert. Inter ipſos autem minores ordines ſeruari debent Interſtitia temporum, ideſt, quod dentur in diuerſis anni temporibus à iure pro ordinationibus faciendis deſignatis, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, iuxta dicta eo *cap.* 14. *num.* 14. *&* 16. ex Concilio Tridentino. Inter vltimum etiam ordinem minorem, & Subdiaconatum debet obſeruari interſtitium vnius anni, iuxta dicta eo *cap.* 14. *num.* 15. etiam ex doctrina Concilij, niſi vel Epiſcopus diſpenſet, iuxta dicta ibi *num.* 16. & doctrinam etiam eiuſdem Concilij, vel ſit conſuetudo ſic faciendi, prout habent Nauarrus *in Manual. cap.* 25. *num.* 71. Suarez *ſuprà num.* 41. Sà *ſuprà*, & alij. Secluſa enim hac conſuetudine, aut non interueniente Epiſcopi diſpenſatione, ſuſcipiens ſimul ordines minores, & Subdiaconatum celebrare non permittitur in Subdiaconatu, *cap.* 2. *de eo qui Ordin. furtiuè ſuſcepit.* Nauarrus, & Suarez *ſuprà.* An verò hæc pœna importet ſuſpenſionem, an irregularitatem, diſſident Doctores, de quo Theſaurus *ſuprà*, §. *recipiens primam.* Vide dicenda infrà verbo *Irregularitas, num.* 48. Interſtitium autem inter Subdiaconatum, & Diaconatum debere eſſe vnius anni, & alterius inter Diaconatum & Preſbyteratum, conſtat ex dictis eo *cap.* 14. *num.* 15. ex Doctrina Concilij. 5

Vide dicta ſuprà verbo *Dimiſſoria*, & dicenda 4. *tomo, verbo Ordo.* Et nota facultatem à Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano VIII. conceſſam Auguſtinianis Diſcalceatis in Philippinis, & Indiis Occidentalibus degentibus. In Appendice Bullarij *num.* 18. *alias* 128. 6

IRREGVLARITAS.

SVMMARIVM.

1 *Materia hæc neceſſaria pro Regularibus.*
2 *Irregularitatis diffinitio.*
3 *Quotuplex ſit irregularitas.*
4 *De cauſis irregularitatis.*
5 *De effectibus irregularitatis.*
6 *Quoad praxim Regularium quæ ſint prohibita illis per irregularitatem.*
7 *Quæ non ſunt prohibita.*

8 *De irregularitate quadam remiſſiuè.*
9 *De irregularitate ex defectu animæ.*
10 *Ex defectu ſcientiæ.*
11 *Ex defectu Fidei.*
12 *Ex defectu corporis.*
13 *An Hermaphroditus ſit irregularis.*
14 *Quid de fœmina in virum conuerſa.*
15 *Qui defectus corporis irregularitatem inducant.*
16 *De irregularitate ex defectu legitimitatis.*
17 *Ex defectu ætatis.*
18 *Ex ſeruitute.*
19 *Ex eo, quod alicui muneri aliquis ſit obligatus.*
20 *Ex bigamia.*
21 *Propter homicidium iuſtè factum.*
22 *Quid requiratur ad incurrendam hanc irregularitatem.*
23 *Eam incurrunt Iudices.*
24 *Aſſeſſores.*
25 *Accelerantes mortem.*
26 *Conſultores in cauſa mortis.*
27 *Quid de Regularibus Concionatoribus & Confeſſariis.*
28 *Quando accuſator, ſeu denunciator illam incurrat.*
29 *Quid de Aduocato.*
30 *Quid de teſtibus.*
31 *De Tabellionibus, ſeu ſcribis.*
32 *De Satellitibus, & Miniſtris iuſtitiæ.*
33 *Quæ differentia ſit inter Eccleſiaſticos, & laïcos.*
34 *De militibus in bello.*
35 *Quomodo tollatur hæc irregularitas.*
36 *De irregularitate, quæ prouenit ex paupertate.*
37 *Ea quæ prouenit ex infamia.*
38 *Ex pœnitentia publica.*
39 *Ex reiteratione Baptiſmi,* & n.40.
41 *Cur impoſita hæc irregularitas.*
42 *An incurratur per reiterationem aliorum Sacramentorum.*
43 *An eam incurrat rebaptizans ſub conditione.*
44 *Quomodo tollatur.*
45 *An eam incurrat baptizatus ab Hæretico.*
46 *An baptizatus in ægritudine.*
47 *De irregularitate propter indebitam ſuſceptionem Ordinum.*
48 *In quibus caſibus incurratur hæc irregularitas,* & numero 49.50.51.52.
53 *An cum quis ſuſcipit Ordines furtiuè.*
54 *An coniugatus qui recipit illos conſtante Matrimonio.*
55 *De ea, quæ incurritur ob exercitium Ordinis tempore cenſuræ.*
56 *Quando incurratur hæc irregularitas.*
57 *An ab illo qui tempore cenſuræ facit coram ſe celebrari.*
58 *A quibus tollatur hæc irregularitas.*
59 *De ea, quæ incurritur ob exercitium Ordinis, quem quis non habet.*
60 *Quomodo tollatur hæc irregularitas.*
61 *De ea, quæ incurritur propter hæreſim.*
Quid de Apoſtatis, Schiſmaticis, & filiis Hæreticorum. ibid.
62 *Quis diſpenſat in hac irregularitate,* & n.63.
64 *De irregularitate quam contrahunt ſuſpecti de hæreſi.*
65 *De ea, quæ incurritur propter homicidium.*
An propter homicidium factum cauſa defenſionis. ibid.
66 *Quomodo id intelligendum.*
67 *An quando non ſeruatur moderamen.*
68 *Quæ culpa ad id requiratur.*
69 *A quibus tollatur hæc irregularitas.*
70 *De ea, quæ incurritur propter homicidium voluntarium.*
71 *Quomodo id intelligendum.*
72 *Quis diſpenſat in hac irregularitate.*
De priuilegio Pauli III. pro Benedictinis. ibid.
73 *De ea, quæ incurritur propter mutilationem.*
74 *Quid intelligatur per mutilationem.*
75 *An eam incurrat, qui mutilat ſibi membrum.*
76 *Quomodo tollatur hæc irregularitas.*
77 *De irregularitate propter homicidium caſuale.*
78 *Quomodo intelligenda.*
79 *Regula pro iſta irregularitate,* & n.80. & 81.
82 *Quæ diligentia requiratur, vt ea non incurratur.*
83 *Quomodo tollatur.*
84 *De aliis irregularitatibus,* & n.85.
86 *Quæ obſeruanda in diſpenſatione in irregularitate.*

MAteria hæc etſi latiſſima, valdè neceſſaria eſt pro Regularibus, & ideo accuratè tractanda, quoad ea præcipuè, quæ ad ipſos ſpectant, præſupponendo prius principia generalia ipſius. 1

Eſt autem irregularitas, quantum ad etymologiam nominis, idem quod priuatio Regulæ, ab *in*, ideſt, ſine, & *regula*. Vgolinus *tract. de irregularit. cap.1.§.1. num.2.* Syluester *in Summa, verbo irregularitas, num.1.* Definitur autem ſic: *Impedimentum Canonicum directè impediens ſuſceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum, & eorum vſum.* Syluester *ſuprà.* Nauarrus *in Manual. cap.27. num. 191.* Toletus *in Summa, lib.1. cap.57.* & & alij communiter. Dicitur *impedimentum*, vt notetur Irregularitatem eſſe quandam moralem inhabilitatem, & ineptitudinem ad prædicta, abſtrahentem ab hoc, quod ſit, vel non ſit pœna, qualis eſt cenſura. Cornejo *quæſt.5. de irregularit. diſp. 1. dub. 1.* Layman. *lib.1. tract.5. part.5. cap.1. num.1.* Dicitur *Canonicum* ad denotandum non eſſe iure diuino, aut ciuili, ſed ſolùm canonico introductam. Vnde excluditur impedimentum, quod habent fœminæ, vel non baptizatus ad Ordines, quia illud non eſt ex iure canonico, ſed diuino. Toletus *ſup. n.1.* Cornejo *ſup.* Dicitur, *Directè* vt diſtinguatur ab excommunicatione, quæ non priuat prædictis, niſi quatenus quædam excommunicationes ſunt; à ſuſpenſione, quæ ſolùm priuat directè vſu Ordinum. Layman. *ſuprà.* Bonacina *de cenſur. diſp.7. de irregul. quæſt.1. punct.1. num.1.* Denique per hoc quod dicitur indefinitè, & vniuerſaliter impediens ſuſceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum, & eorum vſum, differt ab Interdicto, quod non ſemper impedit vſum Ordinum, Irregularitas verò ſemper. Bonacina *ſup.* Adde prætereà cum Nauarro *ſup.* ſolam Irregularitatem impedire receptionem, & vſum Ordinum, prout Ordines ſunt, non verò excommunicationem, ſuſpenſionem, aut Interdictum, iuxta dicta *ſup.* verbo *interdictum, num.2.* 2

Diuiditur communiter Irregularitas in eam, quæ procedit ex defectu, & eam quæ procedit ex delicto. Toletus *ſuprà num.3.* Bonacina *num.6.* Diuiditur etiam in totalem, & partialem. Totalis eſt illa, quæ priuat omni Ordine ſuſcipiendo, & omni vſu ſuſcepti: partialis verò, quæ non omni Ordinis miniſterio, ſed aliquo tantum priuat. Layman. *ſupra num.7.* Harum quoque Irregularitatum plures ſpecies ſunt, de quibus inferiùs, vbi etiam conſtabit in quibus conueniant, & in quibus differant. Solùm hic nota, irregularitatem non poſſe diuidi, ſicut cenſuram in irregularitatem à iure, & ab homine. Certum enim eſt irregularitatem ſolùm eſſe à iure, non autem ab homine. Etenim *ex cap. is qui. de ſentent. excommunicat. in 6.* habetur nullam incurri Irregularitatem niſi in iure ſit expreſſa. Sotus *in 4. diſtinct. 22. art.1. quæſt. 3.* Cornejo *ſupra diſp.2. dub.2.* 3

Quoad cauſas irregularitatis ſpectat dicendum, cauſam finalem ipſius eſſe reuerentiam Eccleſiaſticorum Ordinum, ſeu functionis eorumdem, Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp.40. ſect.3. num.1.* Bonacina *ſupra num.2.* Cauſam verò efficientem eſſe ſolùm ius Canonicum: cum enim *d. cap. is qui*, pro regula generali ſtatuatur 4

nullam

nullam eſſe Irregularitatem, niſi ſit in iure (intellige Canonico, de quo ibi eſt ſermo) expreſſa, proculdubio rectè ſequitur, accedente etiam vſu Eccleſiæ, cauſam efficientem Irregularitatis ſolùm eſſe ius Canonicum. Suarez *ſuprà ſect.*4. Cornejo *ſuprà*. Cauſa verò materialis remota, ſeu potius ſubiectum Irregularitatis eſt omnis ille, qui eſt capax Ordinis. Cùm enim Irregularitas ſit impedimentum ad recipiendum, vel exercendum Ordines, ideo oportet, quod ſolus ille qui eſt capax Ordinis, ſit etiam capax Irregularitatis. Quare viri omnes, tam Clerici, quam laici, dummodo ſint *Baptizati*, capaces erunt Irregularitatis, non autem fœminæ, aut non baptizati, quia illi, & non iſti ſunt capaces Ordinis. Cornejo *ſuprà diſp.*4. *dub.*1. Bonacina *ſuprà puncto* 2. *num.*8. Qui rectè etiam addunt ab hac regula excludi Summum Pontificem, cum enim ipſe iuri canonico ſubditus non ſit, ſed potius ſuprà ipſum, ideò nullius irregularitatis eſt capax. De cauſa autem materiali proxima, ſeu de actu illo, propter quem incurritur ea Irregularitas, quæ eſt ex delicto, conſequenter ad dicta ſuprà verbo *Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.* 10. dicendum eſt talem actum debere eſſe peccatum mortale, externum, & conſummatum, propter ibi dicta. Similiter quod ignorantia tam peccati quam ipſius irregularitatis, quæ eſt pœna ipſius, excuſare poſſit ab illa, conſtat ex dictis à ſimili de Cenſuris dicto loco, & docet Nauarrus *in Manual. cap.*23.*num.*47. & fauet *cap.*27.*num.*174. ac tenet Sanchez *lib.*9. *de Matrim. diſp.*32. *num.* 21. Coninch. *de Sacrament. diſp.*18.*dub.*4. *num.*19. & 31. & alij, quos refert, & ſequitur Diana 4. *part. tract.*2. *Reſolut.*36. & 85. cum Bonacina *de cenſuris*, *diſp.*1.*quæſt.*2 *punct.*1. *num.*13. 14. & *ſequentibus*. Secus dicendum de Irregularitate, quæ incurritur ob defectum; hæc enim incurritur etiam cum omnimoda ipſius ignorantia, vt ſupponunt communiter Doctores. Pariter etiam quòd metus grauis, & cadens in virum conſtantem excuſare poſſit ab Irregularitate ex delicto contracta, conſtat etiam à ſimili ex dictis eo loco de cenſuris. De iis verò, quæ requiruntur ad incurrendam eam Irregularitatem, quæ dicitur ex defectu, conſtabit ex dicendis. Loquendo tandem de cauſa formali irregularitatis, quamuis certum ſit ad eam non requiri certam aliquam verborum formam, cum conſtet in iure diuerſis verbis irregularitatem imponi, requiruntur tamen ea verba, quibus vel ipſum nomen irregularitatis exprimatur, vel proprius eius effectus, qui eſt inhabilitas ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos, vel ſaltem ex antecedentibus, & conſequentibus id colligi poſſit. Suarez *ſuprà dicta diſp.*40.*ſect.*8. Cornejo *ſuprà diſp.*3. *dubio vnico*. Adde tamen, quod ſi verba penſatis penſandis ambigua ſint, & indifferentia ad irregularitatem, & ſuſpenſionem, cum ex prædicto *cap. is qui*, *de ſentent. excommunicat. in* 6. habeatur nullam incurri irregularitatem, niſi ſit in iure expreſſa, videtur colligi potius ea explicanda eſſe de ſuſpenſione, quam de irregularitate. Cornejo *ibidem*. Adde etiam, quoties verba iuris non ſignificant pœnam ipſo facto latam, ſed ferendam à Iudice, proculdubio etiam non poſſe denotare irregularitatem, ſed ſuſpenſionem, vel aliam pœnam. Ratio eſt, quia irregularitas, vt dixi, non imponitur ab homine, ſed ab ipſo iure. Suarez *ſuprà num.*2. Cornejo *ſuprà*.

6 Quoad effectus Irregularitatis, primus, & principalis eorum eſt, impedire receptionem Ordinum, *cap. curandum*, & *cap. ſi cuius vxorem*, *diſt.* 34. & *cap. vlt. de tempor. Ordinat.* Hoc verò impedimentum non eſt tale, quod irritet Ordinem ſuſceptum cum Irregularitate, Eccleſia enim non poteſt impedire valorem, quem habet iure diuino Sacramentum; ſed eſt tale, quod propter illud grauiter mortaliter peccet Irregularis ſuſcipiendo Sacramentum. Suarez *dicta diſp.* 40. *ſect.*2. & Cornejo *ſup. diſp.*5. *dub.*1. Vnde conſequenter, licet per talem Ordinis ſuſceptionem characterem recipiat, ſed non gratiam. Graffius 1.*part. deciſ. lib.* 4. *cap.*27.*num.*1. Nec propterea incurrit nouam Irregularitatem, cum ea non ſit in iure expreſſa. Nauarrus *ſuprà num.*194. Valentia *tom.*4. *diſp.*9.*quæſt.* 1. *punct.*2. *in fine*. Extenditur etiam hoc ad ſuſceptionem Ordinum minorum, quia vel ſunt vera Sacramenta, prout putant, & communiter tenent Theologi cum S. Thoma, de quo alibi: vel ſi eſto Sacramenta non eſſent, ſunt tamen inchoatio, & diſpoſitio ad Sacramentum Ordinis, Suarez *ſuprà*. Quamvis autem verior ſententia ſit, etiam impedire irregularitatem ſuſceptionem primæ tonſuræ, eo quod ipſa etiam intelligatur nomine Ordinis, *cap. Cum contingat*, *de ætate*, & *qualitate*, vel eſto Ordinis nomine non veniat, quia eſt inchoatio, & diſpoſitio ad illos, & conſtituit hominem in ſtatu Clericali, ac capacem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & beneficiorum Eccleſiaſticorum (Suarez *ſupra*, Auila *de Cenſur. part.*7. *diſp.* 2. *dub.*6. Cornejo *ſupra*) nihilominus non eſt improbabilis ſententia contraria, poſito quòd prima tonſura non ſit Ordo, quia cum hic agatur de pœnis Irregularitatis, & pœnarum materia cum ſit odioſa, non debeat ampliari, ſed reſtringi, ideo ſequi videtur in præſenti nomine ordinis non venire primam tonſuram. Diana 4. *part. tract.*4. *Reſolut.*88. Secundus effectus irregularitatis eſt impedire vſum Ordinum iam ſuſceptorum. Intelligitur autem diuerſimodè: nam quando Irregularitas eſt totalis, impedit omnem executionem Ordinum ſuſceptorum; quando verò eſt partialis, prohibet ſolùm illum actum cui ponit impedimentum, iuxta dicenda inferiù, Nauarrus *ſuprà num.*200. Cornejo *ſuprà*, Bonacina *d. diſp.*7.*punct.*4.*num.*2. Hinc eſt, quod irregularis exercens ordines aliàs ſuſceptos peccat mortaliter, quamvis nullam propterea nouam aliam irregularitatem incurrat, propter dicta ſuprà. Cornejo *ſuprà*. Tertius effectus irregularitatis eſt facere hominem incapacem beneficij Eccleſiaſtici, itavt collatio illius ipſi facta nulla, & irrita ſit, nec poſſit fructus beneficij percipere, propter dicta ſuprà verbo *Beneficium*, *num.* 7. Circa quæ notandum primò, Irregularitatem ſuperuenientem non priuare beneficiarium beneficio ante irregularitatem obtento, cum nullus textus id ſuadeat. Nauarrus *ſuprà*, *num.*251. Auila *ſuprà*, Cornejo *ſuprà dub.*2. Vnde conſequenter Beneficiarius, qui in irregularitatem incidit, licet ſtatim debeat quærere diſpenſationem, vel beneficium dimittere, interim tamen poteſt illud retinere, & fructus percipere, ſi muneri ſuo ſatisfaciat per ſe, vel per alium; illudque reſignare, ſi ei placuerit in fauorem alterius, ſicut antea, cum adhuc retineat titulum, & Ius beneficij. Bonacina *ſuprà num.* 9. & 10. ex Suarez, Pilliucio, & Coninch. Debet tamen beneficio priuari per ſententiam, iuxta *cap. ex litteris*, *de exemptione Prælatorum*, Cornejo *ſuprà*. Layman. *ſuprà num.* 1. Secundò nota, quòd licet ſententia affirmans collationem beneficij factam irregulari irritam eſſe, nec illum poſſe percipere fructus, communis ſit, & per conſequens in praxi tenenda, quam docent Nauarrus, Auila, & Cornejo ſuprà, poſt plures alios (pro quo vide Dianam *ſuprà Reſolut.* 37. cum aliis quos refert) nihilominus probabile eſt oppoſitum, ſcilicet talem collationem illicitam ſolùm eſſe, & irritandam, quemadmodum poſt Syiueſtrum putant Cornejo, Layman. & alij. Tertiò nota, quòd licet communis etiam ſententia ſit irregularem, cui facta eſt collatio beneficij, non poſſe illud retinere, aut percipere fructus, niſi prius obtineat diſpenſationem in irregularitate, & ea obtenta, curet beneficium de nouo ſibi prouideri ab eo ad quem ſpectat prouiſio, prout tenent Cornejo *ſuprà*, Bonacina *ſuprà num.*6. poſt Auilam, Henriquez, Couarruuiam,

&

Digitized by Google

& alios, eo quod talis collatio in principio fuerit nulla. Nihilominus probabile etiam eſt ſufficere quod de nouo imperret diſpenſationem in Irregularitate, & intruſione, ſine noua alia collatione, propter dicta *tom. 2. cap. 13. num. 52.* & ſuprà verbo *Beneficium, n. 10.* cum conditionibus tamen ibi aſſignatis, prout etiam tenet Layman. *ſuprà num. 3.* Nota etiam quartò, quod cum dicitur Irregularem eſſe incapacem beneficij, intelligitur de illo beneficio, quod habet annexum aliquem actum incompoſſibilem cum dicta irregularitate. Vnde quando irregularitas eſt partialis, & ſolùm priuat determinatè aliqua functione, & non omnibus, prout eſt in caſu de quo fit mentio, *cap. 2. de Clerico ægrotant.* poterit talis Irregularis obtinere illud beneficium, cui non eſt annexa talis functio. Suarex *dicta diſp. 40. ſect. 2. num. 38.* Cornejo *ſup.* Quartus effectus irregularitatis numerari poteſt, quod reddat ſubiectum incapax iuriſdictionis ordinariæ, cum iuriſdictio ordinaria ſolùm detur propter beneficium, officium, aut titulum ſpiritualem ordinatum ad functiones Ordinis, quorum incapax eſt irregularis. Cornejo *ſup. dub. 3.* Bonacina *ſuprà num. 12.* ex Suarex, Filliucio, & aliis. Notans etiam irregularem non eſſe incapacem iuriſdictionis delegatæ, cum iſta non fundetur in beneficio, officio, aut titulo ſpirituali, nec dirigatur ſemper ad exercitium Ordinum.

6 Ex dictis autem colligi poteſt, quoad praxim regularium, quæ ſint illa, quæ illis prohibita ſunt, ſi in irregularitatem inciderint, & quæ non ſint prohibita. Primò enim, ſi ipſi ordinati non fuerint, prohibitum illis erit ante diſpenſationem obtentam Ordines, maiores, minores, vel primam tonſuram, iuxta dicta, ſuſcipere. Secundò etiam, ſi ordinati fuerint Ordines quoſcumque, ſiue maiores, ſiue minores exercere. Intellige, quoad minores ea ratione, qua à Clericis ſolùm exerceri poſſunt, iuxta dicta verbo *Excommunicatio, num. 13.* Similiter prohibitum eſt illis Sacramentaliter abſoluere à peccatis, aut miniſtrare ex officio aliquod Sacramentum, quia iſta ſunt actus Ordinis Sacerdotalis. Item facere officium Hebdomadarij, dicere *Dominus vobiſcum*, & benedicere aquam, oliuas, oleum, nuptias, & ſimilia, ſeu conſecrare Eccleſias, Altaria, ornamenta, &c. quia hæc etiam ſunt actus Ordinis, vel Ordini annexa. Item obtinere Prælaturas in Religione, vt ſunt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, & ſimilia, quia etiam veniunt in præſenti nomine beneficij Eccleſiaſtici, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 15. num. 32.* & ſuprà verbo *Beneficium, num. 3.* Vnde ſicut irregularis incapax eſt recipiendi quæcumque beneficia, ita etiam & iſta. Idem dico de Commiſſariatibus Generalibus, vel Prouincialibus, quæ aliquo modo ſunt Prælaturæ, iuxta dicta ſuprà verbo *Commiſſio & Commiſſarius, n. 8.* videlicet, quando habeot annexam iuriſdictionem ordinariam, aut quando dantur propter functiones aliquas ordinis, vtputa abſoluere Sacramentaliter, & ſimilia, non autem ſi dentur propter aliquas functiones ſolùm ad forum externum pertinentes, vt ſunt formare proceſſus, iudicare, &c. De his & aliis concernentibus Nauarrus *lib. 5. conſil. 3. de homicidio, num. 4.* Suarez *d. ſect. 2. per totam.* Henriquez *lib. 14. c. 2.* Auila *ſuprà dub. 6.* Cornejo *ſuprà dub. 2. 3. & 4.* Bonac. *ſupr. punct. 4.* ferè per totum, Layman. *ſuprà n. 2.* Peirinis *tom. 2. de Prælato, q. 2. cap. 5. §. 3. à num. 43.*

7 E contra verò poteſt Religioſus Irregularis, ſicut & quicumque alius etiam Irregularis exercere omnes actus quantumvis Sacros, & Ordinum minorum, qui per laicos exerceri poſſunt, quatenus ſcilicet per illos exerceri poſſunt, ſine ſolemnitate vlla videlicet; quia actus, qui per laicos exerceri poſſunt, non ſunt actus ordinis. Vnde conſequenter poteſt ingredi Eccleſiam, aſſiſtere officiis diuinis, audire Miſſam. Imò & illi inſeruire, eo modo, quo laïcus id facere poteſt, lucrari indulgentias, ſi aliàs ſit in gratia, & particeps eſſe ſuffragiorum Eccleſiæ. Item dicere officium canonicum, imò illud tenetur dicere, ſi aliàs ſecluſa irregularitate ad id tenebatur, propter dicta verbo *Excommunicatio, num. 15.* Poteſt etiam illud, aut quodcunque aliud officium in Choro, aut Eccleſia cantando dicere, dummodo id non faciat eo modo quo à Clericis ſolum id effici poteſt. Item recipere omnia Sacramenta, Ordine excepto, cum irregularitas non priuet vſu paſſiuo aliorum Sacramentorum, quàm ordinis. Circa Pœnitentiæ verò Sacramentum, nota poſſe abſolui à peccato propter quod incurſa eſt irregularitas, illa manente, quia irregularitas non priuat vſu paſſiuo Sacramenti Pœnitentiæ, nec peccatum habet connexionem cum irregularitate, ſed ſicut irregularitas poteſt tolli per diſpenſationem, ipſo manente, ſic è contra ipſum poteſt tolli per abſolutionem, irregularitate manente, cum non propterea reſeruatum cenſeatur ex eo, quod irregularitas reſeruata ſit. Poteſt etiam in caſu neceſſitatis Baptiſmum ſine ſolemnitate miniſtrare, quia id etiam facere poteſt laïcus. Imò & Sacramentum Pœnitentiæ in neceſſitatis articulo, ſi aliàs ſit Sacerdos, propter dicta, & ſi fuerit Parochus, aſſiſtere Matrimonio, quia hoc non eſt actus ordinis, ſed iuriſdictionis. Item iuxta opinionem probabilem aliquorum, quam retuli ſuprà verbo *Electio, num. 8.* eligere, ſeu habere vocem actiuam in electionibus, quia hoc non eſt actus Ordinis, ſed veluti iuriſdictionis. Poteſt etiam ab Epiſcopo munus Confeſſarij validè obtinere, quia hoc ſolùm importat iuriſdictionem delegatam acquirere, quod non prohibetur per irregularitatem, vt dictum eſt. Licet autem hanc facultatem non poſſit licitè exercere in Sacramentali foro, quia hoc importat actum ordinis Sacerdotalis, validè tamen vti poteſt illa, ſicut etiam valida erit conſecratio ab illo facta. Similiter ſi Prælatus fuerit, poteſt exercere omnes actus, qui ſunt meræ iuriſdictionis, quales ſunt abſoluere à cenſuris extra Sacramentum, imponere illas, diſpenſare, committere aliis facultatem abſoluendi etiam ſacramentaliter, & ſimilia. De his, & concernentibus Nauarrus, Suarez, Henriquez, Auila, Cornejo, Bonacina, Layman. & Peirinis relati.

8 An & quando dubius de Irregularitate cenſeri debeat Irregularis, ſiue dubium ſit iuris, ſiue facti, habes ſuprà verbo *Dubia Regularia, num. 8.* De modis autem quibus tollitur Irregularitas, quam triplicem eſſe communiter aſtruunt Doctores, ſcilicet per Baptiſmum, per Profeſſionem in Religione, & per diſpenſationem, quibus etiam meritò alij addunt quartum, ſcilicet per ceſſationem cauſæ, commodiùs agetur, dum de ſingulis ſpeciebus irregularitatis dicetur, quia non omnes illæ omnibus iis modis indiſcriminatim auferri poſſunt, ſed iuxta particulares naturas ipſarum. Vide Saytum *lib. 7. cap. 13.* Maiolum *lib. 5. cap. 51.* & Toletum *in Summa, lib. 1. cap. 89.*

9 Nunc iam ſpecialiter agendum de ſpeciebus irregularitatis, & primò de illis, quæ incurruntur propter defectum inculpabilem, quæ ſolent appellari ex defectu. Inter quas prima vocatur ex defectu animæ. Triplex autem eſt animæ defectus irregularitatem inducens, ſcilicet defectus vſus rationis, defectus ſcientiæ, ſeu litteraturæ, & defectus fidei. De defectu vſus rationis id conſtat, tum ex iure humano, propter dicenda, tum ex iure diuino, & naturali, quia qui non poteſt Ordines rectè exercere, inhabilis eſt ad eos ſuſcipiendos, ac per conſequens irregularis: carens autem vſu rationis, non poteſt Ordines rectè exercere, vt de ſe patet. Cornejo *ſuprà diſp. 3. dub. vnic.* Bonacina *ſuprà punct. 1. num. 1.* In hac autem irregularitate, cum ſit iure naturali introducta, nec Papa diſpenſat, ac per conſequens nec Epiſcopus, aut Prælati Religionum, propter

Digitized by Google

quæcumque priuilegia Papæ, nec tollitur per Baptiſmum, aut caſu dato, per Profeſſionem Religionis, benè tamen per ceſſationem cauſæ, ſcilicet ſi certò adueniat vſus rationis, vt conſtabit ex dicendis.

10 De defectu ſcientiæ, ſeu literaturæ, id etiam conſtat *ex cap. Illiteratos, diſt. 36.* & Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 2. & ſeſſ. 23. cap. 4. 11. 13. & 14.* vbi ſcientia quæ requiritur ad ſingulos Ordines exprimitur, Nauarrus *ſuprà num. 203.* Toletus *ſuprà cap. 64. num. 6.* Imò quando iſte defectus talis eſt, vt quis ignoret neceſſaria ad vſum Ordinum, non ſolùm inducit inhabilitatem ad Ordines ſuſcipiendos, ſed etiam ad vſum ſuſceptorum, ſiue mala fide, ſiue etiam bona ſuſcepti ſint, cum hæc Irregularitas non ſit inducta propter culpam, ſed propter defectum. Suarez *ſuprà diſp. 51. ſect. 1.* Cornejo *ſuprà.* Cum autem inducta ſit iure diuino, & naturali præſcribente non eſſe admittendos ad aliquod munus, qui illud exercere neſciunt, ideo nec Papam poſſe in eo diſpenſare, quantum ad id quod de iure diuino, aut naturali importat, tenent Maiolus *lib. 1. cap. 32.* Suar. *ſuprà num. 11.* & alij, quod multò magis de Epiſcopis, aut Prælatis Religionum propter Papæ priuilegia, dici debet. Solùm ergo per ceſſationem ignorantiæ tolli poterit. Suarez *num. 10.* Et etiam à Papa ſi permitteret, quod aliquis ordinaretur ſcientia debita carens, dummodo Ordinibus non vteretur donec illam adquireret. Suarez *num. 11.* Cornejo *ſuprà.* Non tolli autem per Baptiſmum, aut Profeſſionem Religionis omnes communiter ſupponunt. Quid verò ſentiendum de Regulari linguam Latinam non callenti, an poſſit ab Epiſcopo ordinari, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 14. num. 24.*

11 De defectu autem fidei id quoque conſtat, ſi animaduertamus, per eum non intelligi, illum defectum fidei, quem habet non baptizatus; hic enim propriè irregularis non eſt, quia irregularitas eſt priuatio capacitatis Ordinis, ac proinde ſupponit ſubiectum capax, quale non eſt homo ante Baptiſmum, iuxta dicta *ſuprà num. 4.* Cornejo *ſuprà diſp. 4. dub. 1.* Per fidei ergo defectum intelligitur eſſe Neophytum. Neophyti enim ſunt Irregulares *diſt. 48. cap. 1. & 2.* Sayr. *lib. 6. cap. 13.* Neophyti autem vocantur illi, qui nouiter in adulta ætate conuerſi ſunt ad fidem ex Iudaiſmo, Mahumetiſmo, vel Gentiliſmo. Nauarrus *ſuprà n. 205.* Toletus *ſuprà cap. 64. num. 5.* Poſtquam verò per aliquam temporis moram inſtructi bene fuerint in fide arbitrio Epiſcopi, non ſunt Irregulares, *cap. eam te, de reſcript.* Nauarr. & Tolet. *ſupr.* Cum verò hæc irregularitas iure Eccleſiaſtico introducta ſit, fundato in illo Pauli 1. Timoth. 3. de Epiſcopo: *Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, &c.* non ſolùm tolletur per ceſſationem cauſæ, ſcilicet nouitatis in fidei ſuſceptione, vt dictum eſt, ſed etiam ex Papæ diſpenſatione. Bonacina *quæſt. 2. puncto 1. num. 6.* ex aliis. Quod idem dico de priuilegiis plurium Religionum, quorum aliqua adduxi *tom. 1. part. 1. cap. 17. num. 40.* Quibus Papa concedit quibuſdam Prælatis ipſarum facultatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus, exceptis illis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & bigamia: nulla enim ratio eſt cur ab generali conceſſione excipiatur hæc Irregularitas. Non verò tolli per Baptiſmum, aut Profeſſionem Religioſam, pro comperto eſt. Vide 4. *tom.* verbo *Neophytus.*

12 Secunda ſpecies Irregularitatis eſt, quæ oritur ex defectu corporis, qui vel impedit vſum, & exercitium congruum Ordinis, qualis eſt cæcitas viſus, & luminis oculi ſiniſtri, qui dicitur oculus canonicalis, ita vt non poſſit commodè per oculum dextrum legi Canon Miſſæ ſine indecora faciei conuerſione; nodus in lingua, ita vt verba integra proferri non poſſint, cæcitas aut ſurditas totalis, carentia brachij, vel manus, ſeu digiti pollicis, aut indicis, amentia, furia, phreneſis, morbus caducus, ſiue arreptitium, vel dæmoniacum, aut ita abſtemium, vt vinum guſtare non poſſit ſine periculo vomitus, &c. vel quia notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, qualis eſt irregulariter naſci amputatum, carentia alicuius oculi, vel inſignis macula in illo, lepra, aurium abſciſſio, quæ nullo modo celari poteſt, paruitas ſtaturæ, vel gibboſitas nimium deformis, morbus gallicus foris apparens, &c. Ita enim colligitur tum ex indecentia, quæ eſt, quod tales defectus patientes aſſumantur ad Ordines, vel ſi aſſumpti ſunt, illos exerceant: tum ex variis iuribus, præſertim *diſt. 55.* per plures canones, & *tit. de corpor. vitiat. & de Cleric. ægrotant.* per plura capita. Nauarrus *ſuprà num. 198. 199. & 200.* Sayrus *lib. 6. cap. 7.* Toletus *lib. 1. cap. 63.* Cornejo *ſuprà diſput. 12. & 13.* & alij communiter. Iudicare autem de huiuſmodi defectibus, quando res eſt dubia, an impediant vſum congruum Ordinum, vel notabilem generent deformitatem, licet communiter dicatur pertinere ad Epiſcopum, *argum. capitis 2. de corpor. vitiat.* hoc tamen intelligi debet de non exemptis, exempti enim & Regulares quoad hoc ſubduntur Prælatis, à quibus Dimiſſorias ad Ordines accipere poſſunt. Siquidem illi habent ſupra ipſos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Ita contra Sylueſtrum, & Nauarrum tenent Suarez *ſuprà diſput. 51. ſect. 2. num. 16.* Auila *ſuprà diſput. 3. dub. 2.* Laymanus *ſuprà capite 6. numero 6.* & probabile cenſet Cornejo *dicta diſput. 11.* Aduertunt porrò nihilominus Suarez, & Laymanus in poteſtate Epiſcopi Ordines conferentis eſſe admittere, & recipere tales ad arbitrium. Hæc porro Irregularitas cum non tollatur per Baptiſmum, aut Profeſſionem, cum ex nullo iure id conſtet, neceſſe eſt, quod tollatur vel per ceſſationem defectus in quo fundatur, quando conſtat certò ceſſaſſe, vel per Papæ diſpenſationem, prout communiter Doctores ſupponunt. Conſequenter etiam hæc diſpenſatio dari poteſt quoad Regulares, propter priuilegia Summorum Pontificum Prælatis aliquarum Religionum conceſſa ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus, tribus illis exceptis, homicidij voluntarij, mutilationis membrorum, & bigamiæ, quorum priuilegiorum aliqua retuli *tom. 1. parte 1. cap. 18. num. 40.* Vide Bordon. *Reſolut. 11. à num. 7.* Aduertenda tamen circa hæc ſunt duo illa, quæ ſimiliter aduerti ſuprà verbo *Infamia, num. 18.* Scilicet non obſtante vniuerſalitate horum priuilegiorum non poſſe Prælatos dictarum Religionum diſpenſare cum ſuis ſubditis in huiuſmodi Irregularitate, quæ ex defectu corporis procedit; quando ex eo ſequatur aliquod ſcandalum, prout etiam tenet Laymanus *ſuprà cap. 9. num. 7.* Nec in caſu quo Papa non ſoleat talem diſpenſationem concedere, propter ibi dicta. De quo etiam Roſella *in Summa, verbo Vitiatus, num. 1.* Maiolus *lib. 1. de Irregularitate, cap. 18.* Auila *parte 7. diſput. 3. dub. 3.* Laymanus *ſuprà.* Nota etiam quod Petrinis *tom. 1. priuilegiorum Minimorum, in Conſtitutione 2. Iulij II. n. 118.* referens Crucem *lib. 1. de ſtatu Relig. c. 6. dub. 17. concluſ. 2.* aſſerit Prælatos Regulares (intellige habentes priuilegia relata) poſſe diſpenſare cum ſubditis habentibus membrum abſciſſum, etiam ſua culpa, & manifeſtum, vt ſi careant oculo dextro, vel digito, qui non ſit pollex, quia in his diſpenſat Epiſcopus. Limitari tamen hæc debent iuxta modò dicta, & dicenda infrà *num. 76.*

Ad hanc ſpeciem irregularitatis reducitur illa quâ affecti ſunt hermaphroditi, id eſt habentes vtrumque ſexum, maſculi, & fœminæ. Hi enim ſicut alij monſtruoſi Irregulares omnino ſunt. Nam ſi æquè polleant vtroque ſexu, vel fœmininus præualeat, omnino incapaces Ordinum ſunt, cum non ſint viri, ſed 13

fœminæ,

Digitized by Google

fœminæ, vel neutrum, Nauarrus *ſuprà num.*103. Sayrus *lib.*6.*cap.*8. Cornejo *ſupra diſp.*12. Si verò in ipſis præualeat maſculinus ſexus, licet abſolutè tales capaces Ordinum ſint, quia ſunt verè viri, quia tamen indecens omnino eſt, quod ad Altaris miniſterium aſſumantur talia monſtra, maximè ſi defectus publicus ſit, ideo admitti non poſſunt ad Ordines Sacros, niſi ex Papæ diſpenſatione. Nauarrus, Sayrus, & Cornejo *ſuprà*, ac Bonacina *ſuprà punct.* 2. *num.* 13. Quam vt credo, nunquam conceſſit, ac per conſequens nec comprehendi in generali priuilegio Prælatorum Religionum, da quibus ſuprà. An verò tales hermaphroditi admitti poſſint ad Religiones, dixi *tom.*1.*part.*1.*cap.*2. *num.*20. & tractat Bonacina ſuprà ex Nauarr. Vgolin. Henriq. & aliis.

14 Similiter de fœmina in virum conuerſa (quem caſum ſæpius contigiſſe hiſtoriæ narrant) idem dicendum eſt, abſolutè ſcilicet eſſe capacem Ordinum, cum re vera talis perſona maſculus ſit, Cornejo, & Bonacina ſuprà, ex Suarez, Filliucio, & aliis. Non tamen vllatenus admitti debere ad illos, propter maximam indecentiam, quæ eſſet, quod in Altari miniſtret is qui aliquando fœmina fuit. Victorellus *in Additionibus ad Toletum*, *lib.* 1. *cap.* 63. ex Maiolo. Quoad diſpenſationem vero idem dicendum, ac de hermaphroditis.

15 Nota tandem, quod alius quicumque defectus corporis, qui neque vſum congruum Ordinum impediat, nec deformitatem notabilem generet, nullo modo Irregularitatem inducat. Nun enim eſt fundamentum aliquod ad id aſſerendum, Sot. *in* 4.*diſt.*25. *q.*3. *art.*3. Toletus *d.cap.*63.*num.*4. Auila *ſup.diſp.*3.*dub.*1. & alij communiter.

Interrogatus propterea de quodam ſacerdote, qui dum iter ageret pro negotio quodam pio, & honeſto peragendo, ex equo in terram cadens ex vulnere, vel aliqua contractione brachij contrahens defectum in manu dextera, vt nequeat illam eleuare vſque ad frontem, ipſam tangendo ad faciendas ſuprà ſe benedictiones in Miſſæ celebratione requiſitas; nec cum ea, ſed ſolùm cum ſiniſtra ſumere hoſtiam conſecratam; ſi aliàs poteſt dictas benedictiones ſupra ſe facere circa frontem, etſi illam non tangat, efficere omnes alias actiones in Miſſæ celebratione neceſſarias, ſcilicet frangere hoſtiam, illam, & calicem eleuare, & ſine periculo ſuſtinere, & ſimiles, valde probabiliter excuſari poſſe ab Irregularitate reſpondi. Hac ductus ratione, quia huiuſmodi defectus ſolùm poſſet inducere Irregularitatem ex duplici capite. Primò quia inſignem, ſeu notabilem deformitatem in illum habente cauſat; itavt propterea ſcandalum in Miſſam audientibus generari poſſit. Secundò, quia impediat notabiliter Ordinis exequutionem, & in præſenti Miſſæ celebrationem. Sic enim colligitur ex Leuit.21. *Omnis, qui habuerit maculam, accedere prohibetur ad offerendas hoſtias Deo*: Cuius moralitatem explicat S. Greg. *lib.* 1. *Paſtoral.cap.* 11. & refertur *in cap. hinc etenim, diſt.*49. & ex toto *tit. de corpore vitiat.* & *cap. illiteratos, diſt.*36. & *diſt.*55. *per tot.* & ex doctrina S.Thomæ *in additionib. ad* 3.*part.quæſt.* 39.*art.*6. & communiori Doctorum, ex quibus plures refert Sayrus *in theſaur. conſcient. lib.*6. *cap.*7. *num.*6. Sed huiuſmodi defectus neque notabilem deformitatem, aut ſcandalum generat, neque notabiliter impedit Ordinis Sacerdotalis exequutionem, aut Miſſæ celebrationem. Nullam ergo inducere poteſt irregularitatem.

Quod iſte defectus nullam deformitatem inducat, nec ſcandalum in circumſtantibus generet, ex eo conuincitur, quia eſt de genere illorum, qui ſunt, & vocantur *occulti*, illi videlicet, qui occultari poſſunt ita vt vix ab aliquo, niſi curioſo, valeant animaduerti. Eò quod benedictiones, quas Sacerdos ſuprà ſe facit in Miſſæ decurſu eas faciat habens terga ad populum; ac proinde taliter, quod populo occultentur. Sumptio etiam Sacræ Euchariſtiæ ſeu hoſtiæ conſecratæ fit occultiſſimè, & Sacerdote inclinato illam ſuſcipiente, itavt à nemine notari poſſit, ſi manu dextra, vel ſiniſtra illam ſumat: Maximè aliqua induſtria id curante Sacerdore, provt licitè facere poteſt. Eſt ergo defectus iſte, quem iſte Sacerdos patitur, omnino occultus: ac proinde de illo iudicari debet, ſicut de aliis occultis.

Defectus autem huiuſcemodi occultos, qui facilè induſtria, vel prudentia occultari poſſunt, non inducere irregularitatem conſtat ex doctrina plurium DD. id dicentium in caſibus ſimilibus. Nam de eo, qui caret auribus, qui aliàs propter deformitatem eſt irregularis, ſi tamen hunc defectum occultet crinibus, vel capillis, irregularis non cenſetur, vt habent Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 3. Coninch. *de Cenſur. diſput.* 18. *dub.* 13. *num.* 108. Auila *parte* 7. *diſput.* 3. Layman. *lib.* 1. *tractat.* 5. *parte* 5. *capite* 7. *numero* 2. Palaus *de Cenſur. diſput.* 6. *puncto* 11. *num.*3. Deinde, qui habent crura diſtorta, cum veſtitus tale corporis vitium commodè tegere poſſit, non ſunt irregulares, vt benè Sayrus *ſupra, capit.* 8. *num.* 23. Similiter qui ſex digitos haberet in manu diuiſos, vel coniunctos, quamvis propter deformitatem etiam cenſendus eſſet irregularis, nihilominus, quia hunc defectum poteſt ita abſcondere, vt difficilè à circumſtantibus videri poſſit, ideo ab irregularitate excuſatur à Patre Diana *parte* 3. *tractat.* 6. *reſolut.* 61. Pariter etiam de iis, qui priuati ſunt abſque ſua culpa aliquo membro occulto, quod non ſint irregulares, docet Bonacina *de Cenſuris*, *diſput.* 7. *quæſt.*2. *puncto* 2. *num.* 30. referens Suarez, Sayrum, & alios. Ex quibus omnibus infertur defectus corporis occultos, ſeu quod idem eſt, qui occultari poſſunt, quando ſine culpa, aut propria voluntate ſunt contracti, qualis eſt iſte, de quo in præſenti, non inducere irregularitatem, vel ſaltem facilè diſpenſari poſſe, provt ex ſtylo Curiæ fieri audiui.

Quod verò neque iſte defectus notabiliter impediat vſum, ſeu exercitium celebrationis Miſſæ, conſtat etiam ex eo, quod, eo non obſtante, poſſunt omnes actiones ab hoc Sacerdote in Miſſa faciendæ congruè, & competenter perfici. Hoc patet in omnibus ſuperiùs relatis, quas perfectè perficit. Ac etiam in benedictionibus, quas ſupra ſe facere debet, & ſumptione hoſtiæ conſecratæ. Tales enim benedictiones congruè, & competenter ab eo fieri poſſunt abſque eo, quod phyſicè tangat frontem; cum nec id ſit vllo iure neceſſarium, nec ſit de eſſentia benedictionis, quandoquidem conſtat ad benedictionem populi, hoſtiæ, calicis, & aliarum rerum, quæ benedicuntur etiam in Miſſarum celebratione id non requiri, nec vſus communis Eccleſiæ id exigat; ſi quidam etiam conſtat plures Sacerdotes pios, & deuotos non multum curare, quod manu tangant frontem, humeros, aut pectus cum benedictiones iſtas ſupra ſe faciunt. Solùm enim ſe ſignant verſus eas partes. Et ſanè, ſi in terminis fortioribus, ſcilicet in materia Sacramenti Ordinis, de iure diuino neceſſaria, non requiritur contactus phyſicus illius, ſed ſolùm moralis, qui contingit, dum ordinandus extenſione manus oſtendit ſe tangere ipſam, provt non improbabiliter tenent Sotus, Victoria, Armilla, Henriquez, Ledeſma, Reynaldus, Molſeſius, Vaſquez, Laymanus, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 2. *tract.*16. *reſol.* 3. & *part.*3 *tract.*4. *reſolut.*185. proculdubio idem potiori ratione cenſeri debet de cæremonia benedictionis ſolùm ab Eccleſia inſtituta, vt ſcilicet ad illam ſufficiat contactus moralis, quo ſe benedicens frontem, & alias partes tangere oſten-

dit. Id quoque colligitur manifeſtè ex Rubricis Miſſalis Romani, eum enim de huiuſmodi benedictionibus agitur, nunquam video dici, quod Sacerdos debeat tangere partes illas corporis, ſed ſolùm, quod debeat *producere ſignum Crucis*, *ſignare ſe ſigno Crucis*. Quorſum ergo tam ſcrupuloſè requiretur Phyſicus iſte contactus manus cum fronte.

Idem de ſumptione Eucharistiæ manu ſiniſtra dici debere, etiam pro comperto videtur, cum neque ad rationem ſumptionis cibi, aut talis cibi ſpiritualis animæ manus dextra requiratur, niſi ſolùm ex quadam decentia. Quod ſuppletur, vt dixi, quia cum hæc cæremonia omnino occultè fiat, & ab iſto ſacerdote induſtria aliqua magis occultari poſſit, non erit aliqua indecentia, deformitas, aut ſcandalum, ſi ſiniſtra manu fiat.

Omnium porrò iſtorum ratio videtur, quod licèt in Sacerdote celebrante requiratur ea capacitas, & habilitas, vt ſacras illas cæremonias ritè, & legitimè, ideſt congruè, & competenter, vt dictum eſt, efficere queat, non tamen requiritur tam perfecta, vt omnino exactè, & perfectè id faciat. Aliàs blæſi, ſeu balbi, qui in loquendo difficultatem habent, irregulares eſſent, quod negant Maiolus *lib.* 1. *de Irregularit. cap.* 26. *num.* 3. Graffius *lib.*4. *deciſion. capite* 27. *numero* 50. Sayrus *ſuprà cap.*8. *num.*21. poſt alios. Similiter Surdaſtri, qui difficilè etiam audiunt, etiam irregulares eſſent, quia benè audire non poſſent, quando miniſter Miſſæ reſpondet. Quod pariter negant Maiolus *ſuprà capite* 25. *numero* 1. Viualdos *de irregular. numero* 146. Graffius *ſuprà numero* 51. Sayrus *ſuprà numero* 27. Pariter quoque, qui habent debilem viſum, omnino irregulares eſſent, cùm non perfectè legere poſſint. Cum tamen oppoſitum ſit communis ſententia DD. aſſerentium, quod etſi cæci ſint irregulares, habentes tamen debilem viſum irregulares non ſint. De quo Sayrus *ſuprà numero* 5. *& ſequentibus*, poſt plurimos alios. Similiter ergo in caſu propoſito, etſi ſacerdos iſte non poſſit omnino perfectè functiones ſuas exercere, cum tamen congruè, & competenter, ſine ſcandalo, aut nota deformitatis id facere poſſit, immunis erit ab irregularitate.

Cum autem ea, quæ adducta ſunt, ſaltem probent rem eſſe dubiam, certè in hoc caſu regulæ communes intrare debent, qualia eſt illa. *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, & illa. *In dubiis quilibet poteſt vti iure ſuo*, ac illa. *In dubiis inclinandum eſt in mitiorem, & benigniorem partem.* Similiter illa. *In dubio potius Reo fauendum eſt, quàm actori*: de quibus paſſim DD. ex Iuribus vulgatiſſimis.

Maximè autem, & quod rem totam conuincere videtur, facit ad intentum textus apertus *cap. Is qui, de ſentent. excommunic. in* 6. vbi deciditur irregularitatem non incurri, niſi ſit expreſſa in iure. Ex eo enim inferunt DD. neminem ſe putare debere irregularem in dubio iuris, prout tenent Sayrus *ſuprà capite* 2. *num.*15. Molina *tract.* 3. *de Iuſtit. diſput.* 67. *num.* 5. Suarez *diſput.*40. *ſect.*5. *num.*4. Auila *parte* 7. *diſp.* 2. *dubio* 4. Coninch. *diſput.* 28. *dub.* 2. *num.* 11. & alij, quos referunt, & ſequuntur Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 52. & Caſtrus Palaus *de Cenſ. diſp.* 6. *punct.* 3. *num.* 7. adeo vt in materia irregularitatis non valeat argumentum à ſimili, neque à fortiori. Diana *ſuprà reſol.* 80. poſt alios. Hæc ergo, vt dixi, conuincere videntur, hunc ſacerdotem, de quo in caſu, immunem debere cenſeri ab Irregularitate, ſiquidem adeſt dubium iuris, an ſcilicet irregularitas impoſita ſit pro hoc caſu, & multò minùs pro illo eſt expreſſa, nec argumenta à ſimili, vel etiam à fortiori aliquid probant.

Quæ omnia magis procedunt in pio ſacerdote Parocho, & beneficiato, Commiſſario S. Inquiſitionis, & aliis qualitatibus ornato.

Tertia ſpecies Irregularitatis, quæ etiam ex defectu procedit, eſt illegitimitas, ſeu defectus natalium. Illegitimi enim ſunt irregulares, iuxta dicta verbo *Illegitimi*, vbi etiam qualiter illa per profeſſionem in Religione approbata tollatur quoad Ordines ſuſcipiendos, & non quoad officia Religionum, niſi per Papæ diſpenſationem, vel per priuilegia ipſius aliquibus Religionibus conceſſa, iuxta modum tamen ibi aſſignatum. Supponitur autem huiuſmodi defectum non tolli curſu temporis, vel per Baptiſmum. Vide Sayrum *ſuprà cap.* 11. & Bonacina *ſuprà puncto* 3. *à num.* 14. Ac nota ex Riccio *in praxi aurea Reſol.*311. quod non reiicit Barboſa *de iure Eccleſiaſtic. libro* 1. *cap.*42. *num.* 191. Irregularitatem hanc illegitimitatis per Profeſſionem ablatam, Profeſſione illa annullata, reuiuiſcere. 16

Quarta ſpecies Irregularitatis eſt ex defectu ætatis, qui enim ætatem à Iure requiſitam ad ſingulos Ordines non habet, irregularis eſt ad illos recipiendos, *capite* 1. *diſt.*50. & *cap.vltim. de tempor. ordinat.* Nauarrus *ſuprà num.*202. Toletus *ſuprà cap.*61. *num.*1. Cornejo *ſuprà diſp.*16. Quæ vero ſit hæc ætas, dixi *tom.* 1. *cap.*14. *num.*1. & ſupra verbo *Ætas*, *num.* 6. Tollitur autem irregularitas dupliciter, ſcilicet primò adueniente ætate, ſecundò ex Papæ diſpenſatione. Nauarrus *ſuprà*. Graffius 1. *part. deciſ. lib.*4. *cap.*27. *num.*22. Supponitur autem hanc irregularitatem non tolli, neque per Baptiſmum, neque per Profeſſionem Religioſam, cum nullum fundamentum ſit ad id aſſerendum. Per priuilegia autem Prælatorum Religionum, de quibus ſuprà, quamuis videatur tolli poſſe, cæterum, quia ea abrogata ſunt à Concilio Tridentin. *ſeſſ.*23. *cap.*12. (Nauarr. ſuprà) & eſto aliqua poſt idem Concilium cum eadem vniuerſalitate conceſſa ſint, quale eſt illud Gregorij XIV. pro Clericis Miniſtrantibus infirmis, quod retuli *tome* 1. *cap.*18. *num.*35. Quia tamen Clemens Octauus in Bulla *Romanum Pontificem*, quam etiam retuli dicto *cap.* 14. *num.*1. moderatus Conſtitutionem quandam Sixti V. quam ibidem retuli, punctum hoc reduxit ad terminos Concil. Tridentin. & Conſtitut. Pij II. ideo prædicta priuilegia quoad hoc nihil ſuffragantur, niſi forſan aliquod illorum poſtea conceſſum ſit cum reuocatione Concilij Trident. quod mihi non conſtat, Bordon. *ſupr. num.*25. De quodam autem viuæ vocis oraculo Pij V. quid ſentiendum ſit, dixi eo *cap.*14. *num.* 1. Regulares ergo ante legitimam ætatem Ordines ſuſcipientes ſuſpenſionem incurrunt, iuxta dicta eo loco, *num.*2. & ſi in illis ante legitimam ætatem ſe exercerant, ſiunt nouo titulo Irregulares, ob violationem ſuſpenſionis per exercitium Ordinis Sacri. Cornejo *ſuprà diſp.* 16. Bonacina *ſup. punct.*4. *num.* 1. Addit Cornejo tolli hanc Irregularitatem virtute Bullæ Cruciatæ. Sed tu conſule dicta verbo *Bulla Cruciata*, *num.*30. 17

Quinta ſpecies Irregularitatis etiam ex defecto procedens oritur ex ſeruitute, ſerui enim Irregulares ſunt, prout habetur *ex diſt.*54. per totam, & *in tit. de ſeruis non ordinand.* Bacconius *in* 4. *diſt.*25. *quaſt.*5. Sylueſter *in Summa*, *verb. Ordo* 4. *quaſt.* 2. Nauarrus *ſuprà num.*240. Sayrus *ſuprà cap.*14. Inducta autem eſt hæc Irregularitas ab Eccleſia, tum quia per ſeruitutem veluti obſcuraretur dignitas Sacerdotalis, tum quia cum ſerui non ſint ſui iuris, ſed Dominorum, non poſſunt congruè addicti eſſe Eccleſiæ obſequiis. Cornejo *ſuprà diſp.*14. *dub.*1. Bonacina *ſuprà punct.*4. *num.* 2. Si verò ſciente, aut conſentiente Domino ſeruus ordinaretur, liber remanebit, *cap.ſi ſeruus* 2. *diſt.* 14. Nauarrus *ſuprà*. Toletus *ſuprà cap.* 59. Si autem abſque Domini conſenſu ordinaretur in minoribus, ſeruus remanebit, ſecus ſi Maioribus initiaretur. Tunc enim adquireret libertatem 18

libertatem ſoluendo Domino pretium, vel tradendo alium ſeruum in ſui locum, alioquin adhuc compelli-tur inſeruire in iis rebus quæ non dedecent ſtatum Clericalem. De quo Nauarrus, Toletus, Sayr. Cornejo, & Bonacius relati. Epiſcopus prætereà qui ſeruum, Domino contradicente, ordinaret, non ſolum peccaret mortaliter propter damnum ipſi illatum, ſed etiam teneretur ad reſtitutionem duplicati pretij, *cap. ſi ſeruus abſente Domino*. Toletus *ſuprà*, Layman. *ſuprà cap.8. num.1.* Tollitur autem hæc Irregularitas, primò ceſſante ſeruitute, *cap. nulli, diſt.54.* & *cap. 1. de ſeru. non ordinand.* Toletus, & Cornejo *ſup.* Secundò, ex ſolius Papæ diſpenſatione, non Epiſcopi, cum conſtet ex dictis puniri Epiſcopum ordinantem ſeruum. Tolet. *ſuprà* Cornejo *ſuprà dub.4.* Vnde nec per priuilegia Superiorum Religionum de quibus ſuprà dixi, tolli poſſe credo hanc irregularitatem, etiam caſu dato, quod ſeruus valide profeſſionem emiſiſſet manente ſeruitute. Videtur enim ſpeciali nota digna, cum nunquam nominatiſſimè in ea diſpenſetur, ac per conſequens non comprehendi in generali conceſſione diſpenſandi in omni Irregularitate, iuxta dicta etiam ſuperius. Quid vero dicendum de profeſſione Religionis, an ſcilicet per ipſam tollatur hæc Irregularitatis, videtur conſequenter ad dicta *tom.1. cap.2. num.21.* & *cap.24. num.20.* dicendum, quod in caſu quo profeſſio ſerui valida ſit, per eam tollatur huiuſmodi Irregularitas, cum per ipſam iam non ſit ſub iure ſui Domini, ſed Religionis. Supponitur autem propter Baptiſmum non tolli, cum conſtet ſaltem in multis regionibus ſeruum infidelem adhuc poſt Baptiſmum remanere ſeruum.

19 Ad hanc ſpeciem Irregularitatis reducitur ea, quam contrahunt alij, qui etſi veri ſerui, aut mancipia non ſint, nihilominus quia aliis, vel certo alicui muneri addicti, ſeu obligati ſunt, ita vt Eccleſiæ obſequiis inſiſtere commodè non valeant, ab Ordinibus arcentur, dum tales perſeuerant. Huiuſmodi ſunt non ſolùm coniugati, vt dicetur in Tractatu de Matrimonio, ſed etiam obligati ad ratiocinia, *ex capit. vnic. de obligat. ad ratiocinia*, & *cap.3. diſt.54.* Dicuntur autem obligati ad ratiocinia illi, qui habent adminiſtrationem publicam, vel priuatam cum obligatione reddendæ rationis illius, cuiuſmodi ſunt Tutores, Procuratores, Curiales, Iudices, Milites, & ſimiles. De quibus Syluester *ſup. verb. Ordo 4. quæſt.2. & 3.* Toletus *cap.60.* Sayr. *ſup.* Cornejo *dub.2.3. & 4.* & alij. Hi autem huiuſmodi ratiociniis obligati à profeſſione regulari arcentur per Bullam Sixti V. de qua, & moderatione ipſius per Clem. VIII. facta dixi *tom.1. part.1. cap.24. num.17.*

20 Sexta ſpecies Irregularitatis, quæ ex defectu Sacramenti ſcilicet procedit, eſt bigamia, de qua latè ſuprà verbo *Bigamia*, dictum eſt.

21 Septima ſpecies Irregularitatis etiam ex defectu eſt illa, quæ incurritur propter homicidium, ſeu mutilationem iuſtè factam, vel cooperationem ad ipſam. Eccleſia enim videns occiſorem, ſeu mutilatorem alterius etiam iuſtè, aut ad illa cooperantem non præſeferre lenitatem, & ſimilitudinem Chriſti Domini, qui continetur in Euchariſtia, ad quem ordines referunt, illum irregularem eſſe voluit ob defectum, ſcilicet talis lenitatis, & manſuetudinis, prout ex multis iuribus paſſim referunt Doctores, ſpecialiter ex antiquioribus Michaël de Bon. *in 4. diſt.25. quæſt.2. art.1.* & ex modernis Nau. *ſup. num.210.* & Corn. *ſup. diſp.11. num.1.*

22 Notandum tamen primò, ad incurrendam hanc irregularitatem requiri, vt occidens, vel mutilans, ſeu cooperans, &c. ſit baptizatus, quia iura ſolum loquuntur de baptizatis, *can. ſi quis viduam, diſt.50.* Nau. *ſuprà num.209.* Suar. *ſup. diſp.47. ſect.1. num.5.* Secundò requiritur, vt eam incurrens ſit doli capax, tum ex Clem. *ſi furioſus, de homicidio*; tum quia actus irregularitatem inducens debet eſſe humanus, ac per conſequens elicitus à doli capace. Bon. *ſup. quæſt.4. p.1. n.2.* Tertiò requiritur ad incurrendam hanc irregularitatem, vt cooperatio ad mortem, ſeu mutilationem non ſit multum remota, aut per accidens. Ita ex Doctoribus *in cap. Tua nos, de homicid.* Vnde qui ex officio vendit funem, aut gladium quo reus ſuſpenditur, aut iugulatur, non erit Irregularis. Corn. *ſup.* Laym. *lib.3. de Iuſt. tract.3. part.3. cap.7. num.2.* Secus verò ſi hæc, vel alia ſimilia inſtrumenta venderet determinatè ad talem effectum, ſic enim intelligo Nau. *ſup. num.217.* Quartò requiritur, vt mors, ſeu mutilatio re ipſa ſequatur, quia propter intentionem præcisè id faciendi non incurritur irregularitas. Suarez *ſuprà num.3.* Corn. *ſuprà*, ex Nauarro, & Sayr. Quintò requiritur, vt talis occiſio, ſeu mutilatio ſit alicuius hominis viui, nec ſufficeret quod ſit hominis mortui, quia iura loquuntur de occiſione vel mutilatione veri hominis, qui ſolum eſt homo viuus. Bon. *ſup. num.1.* ex Nau. Reginaldo, & aliis. Sufficit autem occiſio ſeu mutilatio cuiuſcumque hominis etiam infidelis, prout ex Sayro *lib.6. cap.15. num.8.* & aliis habetur.

Ex his infero primò, quemlibet Iudicem Summo Pontifice inferiorem ferentem ſententiam mortis, vel mutilationis, eſſe irregularem. Ita enim ex multis iuribus probant Doctores, ſpecialiter Nauar. *ſuprà num.212.* Suar. *ſup. num.1.* Non tamen eſt irregularis Princeps, vel dominus temporalis, qui dedit officium tali Iudici, *ex cap. vlt. ne Clerici, vel Monac. in 6.* Suar. *ſup. num.5.* Corn. *ſup.* Idem dico de Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis Regularibus, qui ratione iuriſdictionis temporalis, quam habent, creant tales Iudices, *ex d. cap. vlt. ne Clerici, vel Monachi.* Molina *tract.3. diſp.8. num.2.* Laymanus *ſup. num.4.* Etiamſi tales Iudicem creent pro caſu particulari. Corn. & Laym. *ſuprà*, contra Henriquez. Etiamſi illis dicant in genere quod Iuſtitiam faciant. Bacconius *in 4. diſt.25. quæſt.7. art.1.* Dummodo illis non præcipiant, vt reum aliquem in particulari occidant, aut mutilent. Corn. & Laym. *ſup.* ex Nau. *lib.5. conſil.16. de homicid.* Addit Laym. poſſe prædictos Eccleſiaſticos ſententiam mortis latam à prædictis Iudicibus commutare in alia. Quod admittendum ſi illa pœna in quam commutatur non ſit pœna mortis, aut mutilationis. Illud certum, quod tradentes reum Curiæ ſæculari, prout faciunt Domini Inquiſitores intercedentes pro eo, vt miſericorditer tractetur, non incurrunt Irregularitatem, etiamſi Curia ſæcularis reum morti condemnet. Tales enim mortis ſententiam non pronunciant, nec exequuntur, ſed ſæculari Curiæ id munus relinquunt, vt ibi eius cauſa peragatur. Medina *in Summ. lib.1. cap.11. §.16.* Henriquez *lib.14. cap.12. num.5. in commentar. littera O*, & alij. Addit Cornejo *ſuprà*, Dominos Inquiſitores tradentes hæreticum brachio ſæculari præciſè, & determinatè, vt comburatur, etiamſi inſtent Iudici ſæculari ne differat executionem, non manere Irregulares, ex priuilegiis Pauli IV. & Pij Quinti quæ non vidi.

24 Infero ſecundò, idem proportionaliter dicendum eſſe de aſſeſſore, propter eandem rationem, & quia ille eſt quaſi Iudex. Ita Authores relati.

25 Infero tertiò, idem eſſe dicendum de accelerante mortem, ſeu mutilationem dicto, vel facto. Verè enim talis eſt cauſa talis mortis, vel accelerationis, prout ex Nauarro, Auila, Sayro, Maiolo, Reginaldo & aliis, affert Bon. *ſuprà num.4.* Quod tamen intelligi videtur dummodo talis acceleratio notabilis ſit. Si enim parua fuerit, excuſabilis eſt, prout eam excuſant Henriquez, Auila, & alij citati. Imò Layman. *ſuprà num.2.* ex Soto *lib.5. de Iuſtit. quæſt.1. art.9. §. Hic probabilis*, ridet ſcrupulum cuiuſdam Confeſſarij, qui reum ad ſupplicium comitans, quòd aſinum in quo vehebatur pupugit

propugiſſet, putaret ſe eſſe Irregularem. Vide Molinam *tract. 3. diſp. 74. num. 4.*

26 Infero quartò, idem quoque dicendum de Conſultore in cauſa mortis, vel mutilationis, quando conſulit in caſu particulari imminenti, vt ſi interrogetur aliquis à Iudice quid agendum cum tali malefactore, & ille reſpondeat eſſe ſuſpendendum. Syluester *in Summa, verbo Homicidium 1. quæſt. 8.* Toletus *in Summa, lib. 1. cap. 85. num. 6.* Quod intellige, ſi talis reſponſio influat in homicidium, prout continget, quando Iudex non erat firmiter paratus ad damnandum reum. Saytus *lib. 6. cap. 18.* Bonacina *ſuprà num 6.* Si vero talis interrogetur in genere de delicto, vel malefactore, quamuis dicat tale delictum vel talem malefactorem eſſe dignum morte ſecundum leges, non incurrit irregularitatem, quia illa reſponſio eſt ſolùm ſpeculatiua, & in genere, non practica, & in particulari. Toletus *ibidem*, ex S. Antonino, & aliis. Cornejo *ſuprà*. Idem dico, quando interrogatur de malefactore in particulari, ſed ipſe reſpondet ſolùm in genere malefactores illius generis eſſe morte afficiendos ſecundum leges. Propter eandem rationem, & quia ſic dicens non ſuadet occiſionem, ſed ſolum oſtendit rei veritatem. Molina *tract. 3. diſp. 74.* Cornejo *ſuprà*, Laymanus *ſuprà num. 4.* Quod ſi Iudex inſtet interrogando, quid de hoc particulari reo in tali caſu agendum ſit, reſpondere ſolum poteſt, vt conſulat alios, ius inſpiciat, faciat ius, vel ſimilia: Cornejo, & Bonacina *ſuprà*. Quæ omnia maximè notanda ſunt, non ſolum pro Prælatis iuriſdictionem temporalem habentibus, ſed etiam pro Confeſſariis.

27 Pro quibus addendum vlterius, non ſolum ipſos, ſicut etiam & Concionatores, poſſe ſine periculo Irregularitatis conſulere Principibus, vt condant legem prohibentem certa delicta ſub pœna mortis, ſeruent leges, purgent Rempublicam, &c. (Cornejo *ſuprà*) ſed etiam poſſe dictos Confeſſarios non abſoluere Iudicem nolentem occidere reum, quem ſecundum legem occidere tenetur, & eum qui non vult denunciare delinquentem, prout tenetur, dummodo non moueant directè ad dicendum. Item obligare pœnitentem reum ad confitendum delictum dignum morte de quo iuridicè interrogatur. Hoc enim totum non eſt eſſe cauſam mortis, ſed facere ſuum officium, & intimare pœnitentibus id, quod tenentur facere. Molina, Saytus, Cornejo *ſuprà*. Layman. *num. 5.* Diana *ſuprà Reſol. 96.*

28 Infero quintò, idem etiam eſſe dicendum de accuſatore, ſeu denunciatore delinquentis in cauſa ſanguinis, eſſe irregularem ſecuta morte, vel mutilatione. Etenim etiam iſti ſunt cooperatores, prout communiter tradunt Doctores relati: Excipe eum, qui detulit ad Iudicem crimen, quod non erat dignum mutilatione, vel occiſione, nec credebat inde ſecuturam, ſed Iudex ex malitia, ignorantia, vel cauſa occiſioni, vel mutilationi tradidit reum. Bonacina *ſuprà num. 10.* ex Nauarro, & Auila. Qui tamen accuſator, vel denunciator, maximè Eccleſiaſtica perſona, ſeu Regularis, excuſetur ab Irregularitate, latè dixi ſuprà verbo *Accuſare, & Accuſator, à num. 18.*

29 Infero ſextò, idem dicendum ſimiliter de aduocato accuſatoris, ſeu denunciatoris, eſſe ſcilicet Irregularem, ſecuta morte, ſeu mutilatione rei, non ſolùm quia iura generaliter loquuntur de quibuſcumque cooperationibus in cauſa ſanguinis, ſed etiam quia ille practicè docet, & adiuuat accuſatorem. Suar. *ſuprà ſect. 4. num. 3.* ex D. Antonino, & aliis. Excipit Cornejo *ſuprà* Aduocatum accuſatoris quando ratione alicuius præcepti vel propter metum grauem cogitur patrocinari ipſi, propter dicenda à ſimili de teſte *num. ſequenti.* Excipiunt etiam Coninchus, Præpoſitus, & Ioannes de Cruce infrà referendi eundem Aduocatum accuſatoris, quando eſt illi neceſſarius iuxta ibidem dicenda. An verò idem dici debeat de Aduocato accuſatoris quando deficit in probatione, & propterea punitur pœna talionis, quæ ſit mors, vel mutilatio, agunt Suarez *ſuprà à num. 5.* & Cornejo *ſuprà*.

Inferò ſeptimò, idem pariter dicendum de teſte teſtimonium proferente in cauſa ſanguinis propter iura, & fundamenta relata, & Authorum communem ſententiam. Nota tamen, quòd ſi aliquis leuia, ſeu valdè remota dedit ſigna, verbi gratia, alicuius qui poſtea à Iudice ſuſpenſus eſt, non manet irregularis. Ita enim habetur *ex cap. ſuſcepimus, de homicid.* Bonacina *ſuprà num. 5.* ex Couarruuia, Sayro, & aliis. Nota etiam, quod quando teſtis cogitur ad teſtificandum, vel ex præcepto naturali, vel propoſito ſuperioris, aut metu graui aliquo illi incuſſo, ſatis probabile eſſe excuſari ab Irregularitate, cum id non faciat ſponte, ſed inuitus ad euitandum peccatum, vel malum, quod ipſi tunc imminet. Coninch. *de Sacrament. diſp. 18. dub. 10. num. 56.* Præpoſitus *in tertiam partem, q. 3. de Irregularit. dub. 14. num. 105.* Cornejo *ſuprà*. Præmitti tamen debet proteſtatio, de qua ſuprà verbo *Accuſator, & Accuſatore, num. 18. 19. & 20.* ſaltem ad melius eſſe. Coninch. *ſuprà*. Similiter in caſu quo accuſator, ſiue laicus, ſiue Eccleſiaſticus accuſare poteſt in cauſa ſanguinis, iuxta dicta ibidem, ſatis probabile etiam eſt, poſſe teſtem teſtificari, facta eadem proteſtatione. Etſi enim in iure ſolùm hoc concedatur accuſatori, quia tamen eſſet inutile hoc priuilegium, niſi ipſe etiam teſtis poſſet id facere, quia timore irregularitatis retraheretur à teſtificando, ideo etiam illi cenſetur conceſſum idem priuilegium, Coninch. *ſuprà num. 95.* Præpoſitus *ſuprà num. 104.* Ioannes de la Cruz *in Director. parte 2. de Irregularitate, dub. 6. concluſ. 5.* 30

31 Infero octauò etiam tabellionem formantem proceſſum, ſcribentem, vel legentem ſententiam in cauſa ſanguinis, ea ſecuta effici Irregularem, prout etiam ex eiſdem iuribus, fundamentis, & auctoribus elicitur, licet famulus tranſcribens ſententiam iam dictatam à tabellione, vel Iudice, excuſetur ab aliquibus apud Bonac. *d. num. 5.*

32 Infero tandem ſatellites, & miniſtros iuſtitiæ capientes, & detinentes, vel cuſtodientes reum, ſecuta morte vel mutilatione, irregulares manere propter eadem fundamenta, & authores relatos, ſpecialiter Nauarrum *ſuprà num. 217.* Layman. *ſuprà num. 1.* Bonacin. *ſuprà num. 8.* Idem dic de comitantibus ex officio Iudicem deferentem reum ad mortem, vel ipſum reum ſic delatum. Nauarrus *ibidem*. Secus dic de aſſiſtentibus, ſi enim talis aſſiſtentia eſt ſine vlla cooperatione, non inducit Irregularitatem, licet Clericis in Sacris (idem de Religioſis) id prohibitum ſit, ſaltem ſub veniali, ceſſante ſcandalo, *cap. ſententiam ſanguinis, ne Cleric. vel Monach. & cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat.* Nauarrus *ſup. num. 214.* Suarez *d. ſect. 4. num. 10.* poſt Angelum, Syluestrum, & Maiolum.

33 Notandum præterea circa hanc ſpeciem irregularitatis, iuxta dicta ſuprà verbo *Accuſator, & Accuſare, num. 18.* quod hæc eſt differentia in præſenti Clericis, ſeu Religioſis, & laicis, quod laici aliqua ex prædictis facientes ſolum incurrunt Irregularitatem huius ſpeciei, ſcilicet defectus lenitatis, cum non faciant contra vllam Eccleſiæ prohibitionem, Clerici autem, ſeu Religioſi è contra, cum faciant contra Eccleſiæ præceptum illis prohibens, ne ſe immiſceant in cauſa ſanguinis, *cap. ſententiam ſanguinis*, relato, incurrunt Irregularitatem ex delicto. Toletus *d. lib. 1. cap 85. num. 6.* Bonacina *ſuprà num. 35.* ex Molina, & aliis. Licet inter eos controuerſia ſit, an Clerici in minoribus æquiparari debeant quoad hoc laicis, an verò aliis Clericis.

34 Ad hanc ſpeciem Irregularitatis, quæ eſt ex defectu

lenitatis

lenitatis reducitur ea, quam contrahunt milites in bello iuſto, de qua ſpecialiter, prout ſpectat ad Regulares, latè egi ſupra *verb. Bellum.*

35 Tollere hanc Irregularitatem ex defectu lenitatis, ſeu in illa diſpenſare, cum non tollatur per Baptiſmum, eo quod iuxta dicta ſupra *num.* 32. ipſa potius ſupponat eſſe baptizatos eos qui illam incurrunt, nec per Profeſſionem in Religione, quia nullum eſt fundamentum ad id aſſerendum; Iure communi ſolum pertinet ad Papam, quia nulli id committitur in iure, niſi ipſi. Cornejo *ſuprà dub.*3. ex Sayro, nec competit id Epiſcopo ex Concil. Trident. *ſeſſ.*24. *cap.*6. *de reform.* quia ibi ſolum eſt ſermo de Irregularitatibus ex delicto prouenientibus. Nauarrus *ſupra num.*218. *in fin.* Cornejo *ſuprà.* Niſi reſpectu Clericorum, propter dicta ſupra *verb. Bellum*, *num.*22. Quoad Regulares autem vide dicta eo *num.* 22. Ea enim huic intento deſeruiunt.

36 Octaua ſpecies Irregularitatis ex iis, quæ oriuntur ex defectu inculpabili, prouenit ex paupertate, ſeu defectu bonorum temporalium: carentes enim titulo, vel patrimonio ordinari non poſſunt, propter decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 21. *cap.*2. *de reform.* de qua pauca dicenda, cum parum ſpectet ad Regulares, ſiquidem ipſi, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*14. *num.*10. ſine tali titulo, vel patrimonio ordinari poſſunt, ad titulum videlicet paupertatis quam profitentur. Quod attinet autem ad ſæculares alibi dicetur, præſertim *infrà verb. Ordo*, *& verb. Suſpenſio.* Interim videatur Suarez *ſuprà diſput.*51. *ſect.*3. *in fin.* & Cornejo *ſup. diſp. vlt.*

37 Loquendo autem de Irregularitatibus, quæ proueniunt ex delicto, prima earum ſpecies eſt ea, quæ oritur ex infamia, de qua nihil in præſenti, cum de ea actum ſit ſupra *verb. Infamia.*

38 Secunda, quæ aſſignari ſolet, veluti præcedenti annexa eſt quæ oritur ex pœnitentia publica, & ſolemni, talis enim pœnitentia infamiam ingerit. Maiolus *lib.*3. *de Irregularit. cap.*2. *&* 3. Nota tamen triplicem eſſe poſſe pœnitentiam, ſcilicet ſecretam, ſeu priuatam, vel Sacramentalem: publicam, & Solemnem. Loquendo de prima, certum eſt nullam inducere Irregularitatem, ſicut nec infamiam. Bonacina *dicta diſp.*7. *quæſt.*3. *punct.*2. *num.*2. De publica dicendum, quod ſi talis eſt quod per illam generetur infamia, quia propter ipſam habetur notitia de graui delicto pœnitentis, tunc inducet Irregularitatem, ſecus vero quando talis notitia ex illa non habetur. Suarez *ſup. diſp.*42. *ſect.*2. *num.*4. De ſolemni vero, quæ olim erat in vſu, *cap. ex pœnitentibus*, *diſp.*50. & aliis iuribus (Toletus *in Summa*, *lib.*1. *cap.*64. *num.* 7.) ſimiliter dicendum, quod ſi modo in vſu poneretur, & ex ea ſequeretur infamia, prout ferè neceſſario videtur dicendum, proculdubio ex ea oriretur Irregularitas, ratione infamiæ, Genuenſis *in prax. cap.*45. Theſaurus *in prax. part.*1. *verb. Infamia*, *cap.*33. *§. Tertiò pœnitentia.* Si vero caſu raro talis infamia non ſequeretur, nec etiam induceret Irregularitatem, cum talis Irregularitas non ſit in iure expreſſa. Auila *diſput.* 4. *dub.* 6. & ex eo Additionator Toleti *lib.*1. *cap.* 62. Tollitur autem hæc Irregularitas caſu quo incurratur, eiſdem modis, quibus infamia in qua fundatur. De quo ſupra *verb. Infamia*, *à num.*16. vide Theſaurum *ſuprà.*

39 Tertia ſpecies Irregularitatis ex delicto prouenit ex rebaptizatione, ſeu iteratione Baptiſmi; ſiue publica, ſiue occulta. Primo enim qui ſcienter bis aut pluries Baptiſmum ſuſcepit, eſt Irregularis, *cap. eos*, *de conſecrat. diſt.*4. *cap. confirmandum*, *diſtinct.* 50. *cap. Afros*, *diſt.*98. *cap. qui in qualibet*, 1. *quæſt.*7. Nauar. *in Man. cap.*27. *num.*246. Toletus *in Summa*, *lib.*1. *cap.*70. *n.*1. Dixi *ſcienter*, quia ſi quis in infantia, ebrietate, ſomno, &c. rebaptizetur, non ſit Irregularis, ob defectum vſus rationis. Etiamſi poſtea ratam habeat illam rebaptizationem, cum Irregularitas non ſit impoſita huic ratihabitioni, ſed rebaptizationi voluntariæ. Sayrus *lib.*7. *cap.*8. Cornejo *ſupra*, *diſp.*5. *dub.*1. poſt alios plures. Dixi etiam *ſcienter*, quia ſi quis ex ignorantia iuris, vel facti permitteret ſe rebaptizari, non incurreret dictam irregularitatem. Huiuſmodi enim irregularitas prouenit ex delicto, à delicto autem excuſat ignorantia iuris, vel facti. Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. vnic. art.*9. Cornejo *ſuprà*, Bonacina *ſup. diſput.*7. *quæſt.*3. *punct.*3. *num.*3. aliis relatis. Quomodo autem huic doctrinæ non opponatur *cap. Quibus dicto* 4. *de conſecrat.* quod contrarium videtur eſſe, lege Cornejo *ſuprà*, & Layman. *lib.*1. *tract.*5. *part.*5. *cap.*2. *num.*2. Dixi etiam *ſiue publica*, *ſiue occulta*, quia plura ex iuribus relatis ſine vlla diſtinctione loquuntur. Sotus, & Cornejo ſupra ex aliis.

Secundò, qui aliquem bis, aut pluries baptizant, 40
ſunt etiam irregulares, ſaltem quoad Ordines ſuperiores non ſuſcipiendos, *cap.*2. *de apoſtat.* Vbi eſt ſermo de Acolytho miniſtrante Sacerdoti rebaptizanti. Vnde à fortiori dicendum eſſe de ipſo Sacerdote rebaptizante habetur ex Eccleſiæ conſuetudine, & communi Doctorum. Auila *part.*7. *diſp.*7. *dub.*1. Cornejo *ſuprà.* Intelligitur autem hæc concluſio ſatis probabiliter, quando crimen eſt publicum, quia in illo *cap.*2. *de apoſtat.* ſolum eſt ſermo de caſu publico. Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*31. *ſect.*6. Toletus *ſuprà*, *num.*3. Layman. *ſuprà*, *num.*2. contra plures oppoſitum ſentientes. Extenditur hæc Irregularitas etiam ad Acolythum miniſtrantem tali rebaptizationi, ſi delictum eius ſit publicum, propter *dictum cap.*2. *de apoſtat.* Laym. *ſuprà*, ex aliis. Quamuis autem id extendant aliqui ad parentes, compatres, & alios cooperantes ad rebaptizationem, probabilius tamen eſt oppoſitum, cum *d. cap.*2. *de apoſtat.* ſolum loquatur de Acolytho, & odia ſint reſtringenda. Bonacina *ſuprà*, *num.*1.

Impoſita eſt hæc Irregularitas ab Eccleſia propter 41
ſpecialem irreuerentiam, quæ fit Chriſto, & Sacramento Baptiſmi, cum per illud commoriamur, & ſepeliamur ipſi, & qui illud iterant, eundem Chriſtum veluti iterum crucifigant, *ad Hebr.* 6. *verſ.* 6. Cornejo *ſuprà.* Vnde ſic facientes pœna etiam capitis puniuntur *l.*2. *Cod. ne ſanct. baptiſm.* Cornejo *ibid.* Inter ſuſpectos quoque de hæreſi Anabaptiſtarum, & Nouatianorum illos recenſet Theſaurus *in praxi part.*2. *verb. Baptiſma*, *cap.*1. *num.*2. Iidem Clerici deponuntur, & laici debent excommunicari. Theſaurus *ibid.* ex aliis. Nota autem hanc Irregularitatem, & pœnas non effugere illum, qui rebaptizaret, aut rebaptizaretur per vim aut metum, ſi non haberetur intentio baptizandi, vel recipiendi Baptiſmum, quia nulla vis, aut metus poteſt cogere aliquem ad talem intentionem habendam. Si autem deeſt talis intentio, rebaptizatio erit ficta, & quoad Deum non incurrentur propter ipſam tales pœnæ. Cornejo *ſupra*, Bonacina *ſup. num.*7.

Quamuis autem ſecundum ſententiam Nauarri *ſu-* 42
prà, *num.*247. & aliorum, etiam per iterationem aliorum Sacramentorum characterem imprimentium, ſcilicet Confirmationis, & Ordinis, incurratur Irregularitas, nihilominus probabilius eſt contrarium, cum iura ſolùm loquantur de Baptiſmo, & Irregularitas nunquam incurratur niſi in iure exprimatur. Sayrus *libro* 6. *cap.*8. Auila *part.*7. *diſputatione* 7. *dub.*5. Cornejo *ſup.* Qui etiam addit idem eſſe de iterantibus alia Sacramenta, vt ſi quis Hoſtiam conſecratam reconſecrare intenderet; talis enim, etſi grauiter peccaret, non tamen contraheret Irregularitatem.

Similiter quamuis plurium ſententia ſit, eum qui 43
temerè, & ſine dubio probabili rebaptizat aliquem ſub conditione ſi non eſt baptizatus, incurrere etiam dictam Irregularitatem, prout tenent Sayrus, & alii,

Digitized by Google

quos ipſe refert: probabilius tamen eſt oppoſitum, quia ille revera non habet intentionem rebaptizandi, cum ſolum habeat illam pro caſu, quo non ſit baptizatus, ergo non incurrit Irregularitatem quæ ſolum poſita eſt pro verè baptizante ex intentione, Nauarrus *ſuprà*, *num*.246. Bonacina *ſup*.*num*.4. ex aliis.

44 Hæc porro Irregularitas quam rebaptizans, & rebaptizatus incurrunt, non ſolum tollitur à Papa, quia ipſe eſt ſupra totum Ius commune, ſed etiam ab Epiſcopo in caſu occulto, iuxta Concil. Tridentin. *ſeſſ*.24. *cap*.6. cum illa ſit ex delicto. Toletus *ſupra*, *num*.1. & alij relati. Non poteſt tamen tolli per Baptiſmum, quia ſi loquamur de ea quam incurrit, qui permittit ſe rebaptizari, ea ſupponit Baptiſmum: ſimiliter, quia neutra incurritur, niſi à baptizatis, vt ſupponunt Auila *ſuprà*, *dub*.2. & Additionator Toleti *ſupra d*. §. *Quartò*. Per profeſſionem autem in Religionibus non tollitur, cum non ſit fundamentum ad id aſſerendum. Credo tamen priuilegia quarumdam Religionum, de quibus dixi *tom*.1.*part*.1. *cap*.18. *num*.40. ad id ſufficere, cum hæc Irregularitas non ſit ex illis, quæ in dictis priuilegiis excluduntur. Addit Cornejo *ſupra*, tolli etiam ex vi Bullæ Cruciatæ, eò quod, vt ipſe putat, per illam diſpenſari poſſunt eæ Irregularitates, quæ ſunt ex delicto, & veluti cenſuræ, qualis iſta videtur. Pro quo vide dicta ſupra *verb. Bulla Cruciata*, *n*.30.

45 Huic ſpeciei Irregularitatis annexa eſt illa quam incurrit, qui ab hæretico ſe baptizari ſinit in adulta ætate, *cap. Si in qualibet* 1.*quæſt*.7. Secus ſi in infantili ætate baptizetur, *cap. Placuit*, *cap. Qui apud*, 1.*quæſt*.4. Toletus *ſuprà*, §. *Sextò qui*. Bonacina *ſupra num*.13. ex Suarez, Filliucio, & Reginaldo. Excuſantur tamen illi adulti, qui vel ex ignorantia, vel neceſſitate id faciunt, vt colligi poteſt ex iuribus adductis. Cornejo *ſupra dub*.2. Laymanus *ſupra num*. 3. Tollitur autem ſicut præcedens propter eadem fundamenta.

46 Similiter annexa eſt prædictæ Irregularitati ea quam incurrit ille, qui in ægritudine propter mortis periculum baptizatur, *diſt*. 57. *cap*.1. eo quod non præſumitur in eo perfecta, & voluntaria fides. Toletus, & Cornejo *ſupra*. Ordinari tamen poteſt, ſi paucitas adſit miniſtrorum, etſi poſtea eius fides probabilis fuerit. Toletus *ibid*. Layman. *ſupra num*.4. Exiſtimat autem Maiolus *lib*.3.*c*.10. quem alij ſequuntur, hanc Irregularitatem probabiliter extendi poſſe ad eos, qui vi, aut metu, vel alia neceſſitate compulſi baptizantur. Quoad diſpenſationem applicari poteſt reſpectiuè doctrina proximè adducta in præcedentibus, eo excepto, quod cum hæc Irregularitas non ſit neceſſario ex delicto, ſed ex præſumptione ipſius, ideo non videtur tunc ſpectare etiam in caſu occulto ad Epiſcopum, cum ex Concilio loco relato ſolùm concedatur ſimilis facultas pro Irregularitatibus ortis ex delicto.

47 Pro quarta ſpecie Irregularitatis ex delicto aſſignari ſolet ea, quæ incurritur propter indebitam ſuſceptionem Ordinum, & quia varij modi eam incurrendi aſſignari ſolent, ideo expediendi. Et primò, licet probabilis valde ſententia teneat ligatum maiori excommunicatione recipiendo Ordines Sacros effici irregularem (*cap*.1. *de eo*, *qui furt. Ordin. ſuſcep*. & *cap. Cùm illorum*, *de ſent. excommunicat*. Syluester *ſupra verb. Irregularitas*, *num*.4. Nauarrus *ſupra num*.241. Toletus *ſupra cap*.71. *num*. 1. Sed oppoſitum cenſetur probabilius, cum talis Irregularitas expreſſa non ſit in iure, & textus in contrarium explicantur de ſuſpenſione ſimili Irregularitati. Bonacina *ſupra punct*.4. *num*.1. Hurtadus *diſput*.2. *de cenſuris*, *difficult*.1. *num*.3. Diana *ſupra reſolut*.55. Idem dicendum de excommunicato recipiente Ordines minores, aut primam tonſuram, propter eadem fundamenta. Nauarr. *de ſentent. excommunication. conſ*.28. Naldus *in Summa*, *verb. Irregularitas*, *num*.18. Idem etiam dicendum de ſuſpenſo, aut interdicto, propter eadem fundamenta, cum Suarez, Filliucio & Sayro, quos refert, & ſequitur Bonacina *ſupra num*.1. contra Sylueſtrum, Couarruuiam, Reginaldum, & alios probabiliter oppoſitum tenentes. Illud certius, excommunicatum excommunicatione minori, etſi peccet recipiendo Ordines quoſcumque, non tamen propterea incurrere Irregularitatem, iuxta dicta ſupra *verb. Excommunicatio*, *num*.2. & notant Nauarr. *à num*.241. & Toletus *ſup*.

Secundò, alij volunt ſuſcipientem eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu, vel duos Sacros Ordines, incurrere Irregularitatem, *ex cap*.2. *&* 3. *de eo qui furt. Ordin. ſuſcep*. & *cap. Literas*, *de temp. ordinat*. (Nauarr. *ſup*.*num*.241. Toletus *ſup*.*cap*.71. Auila *part*.7. *diſp*.9. *ſect*.1. Corn. *ſup. dub*.1. & alij) ſed communius ex iis textibus alij authores ſolum ſuſpenſionem inferunt, non Irregularitatem, cum ibi non exprimatur. Suarez *ſup*.*diſp*.31. *ſect*.1.*num*.40. *&* 41. Laym. *lib*.5. *tract*.9. *cap*.10. *num*.10. conformiter ad declarationem quandam S. Congregat. quam referunt. 48

Tertiò, alij dicunt Irregularem ſuſcipientem Ordines incurrere nouam irregularitatem. Sed non eſt verum, vt probat Suarez *d. diſp*.42. *ſect*.3. *num*.2. *&* 3. contra Archidiaconum, & Maiolum. De quo etiam dixi *ſupra num*.5. 49

Quartò, alij etiam dicunt Irregularitatem contrahere illum, qui recipit Ordines non ſuſcepto Sacramento Confirmationis. Sed neque hoc eſt verum, cum nullo textu probetur. Sotus *in* 4. *diſt*.24.*quæſt*.1. *art*.4.*diſp*.9. *dub*.3.*ſect*.1. imo talem excuſari à peccato mortali, ſi non ex contemptu id fecerit, poſt Nauarrum, & alios tenent Auila *ſup*. & Nald. *verb. Ordo*, *num*.8. 50

Quintò, cenſetur ab aliquibus irregularis, qui exiſtens in peccato mortali publico, & manifeſto Ordines ſuſcipit. Sed hic caſus reducitur ad infamiam facti, de qua ſupra *verb. Infamia*, & textus qui adduci ſolent in contrarium, potius indicant depoſitionem vel ſuſpenſionem. Suarez *d*.*ſect*.3.*num*.7. 51

Sextò, ſimiliter cenſetur ab aliquibus Irregularis, qui ordinatur ab Epiſcopo non ordinato, vel non Sacerdote, vel ab Epiſcopo diuerſi idiomatis, Græcus videlicet à Latino, vel Latinus à Græco, vel ab Epiſcopo ab Eccleſia non tolerato, Hæretico videlicet, vel Schiſmatico, vel aliqua cenſura, aut irregularitate affecto. Sed de iis, ſicut etiam an ſit irregularis, aut ſolùm ſuſpenſus, qui Ordines ſuſcepit ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit, vel ante legitimam ætatem, vel ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprij, aut extra tempora, vel non ſeruatis interſtitiis, aut per ſaltum, præter dicta *tom*.1. *part*.1. *cap*.14. & ſupra *verb. Dimiſſoria*, & *verb. Interſtitia*, vide dicenda *infrà verb. Ordines ſacri*, & *verb. Suſpenſio*. Caſus ergo in quibus certò, vel ſaltem magis probabiliter incurritur Irregularitas propter indebitam ſuſceptionem Ordinum, afferendi ſunt. 52

Primus eſt, cum quis ſuſcipit Ordines furtiuè, hoc eſt non verè examinatus, neque admiſſus ab Epiſcopo, ſed examine vel probatione alterius vtens, *cap*.1. *&* *vlt*. *de eo qui furtiuè Ordines ſuſcip*. Corn. *ſup. diſp*.1. *dub*.1. Hurtadus *diſput*.2. *de Irregularit. dub*.1. *num*.3. Diana *ſup. reſol*.55. Cum autem *in d. cap*.1. ſolum ſit ſermo de Diacono qui furtiuè ſuſcepit Ordines, & de illo dicatur non poſſe aſcendere ad Sacerdotium ſine diſpenſatione, quod indicat Irregularitatem, & *in cap. vlt*. vbi eſt ſermo generaliter de omnibus, dicatur ſic ordinatos in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare non poſſe, ideo forſan ſolum ſuſcipiens Diaconatum furtiuè eſt Irregularis, alios vero Ordines hoc modo ſuſcipiens, ſolum ſuſpenſus, vt indicant Bonacina *ſuprà*, *num*.6. Diana *ſuprà*, & Naldus *verb. Irregularis*, *n*.21. Sed quidquid de hoc ſit, in hac Irregularitate, non ſolum diſpenſat Papa, vt de ſe patet, propter ſæpius dicta, 53

ſed

ſed etiam Epiſcopus, niſi in caſu, quo interminata fuerit ab illo, vel aliquo ipſius miniſtro excommunicatio contra ſe ingerentes furtiuè ad Ordines ſuſcipiendos; tunc enim diſpenſari non poteſt ad illos, niſi forſan talis Religionem ingrediatur, & condignam pœnitentiam agat, ibique laudabiliter aliquo tempore vixerit, provt ex prædictis iuribus habetur, Coninch. *de Sacrament. diſput.*18. *dub.*5. *num.*13. Cornejo, & Hurtadus *ſuprà*. Videtur etiam poſſe Epiſcopum in ea diſpenſare, quod caſus eſt occultus, propter decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ſæpius relatum. Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. Bonacina *ſuprà*, *num.* 7. Imò à Prælatis quarumdam Religionum habentium priuilegia, quæ retuli *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 40. Quod maximè erit vtile his temporibus, cum Epiſcopi talem excommunicationem imponant, provt in Pontificalibus deſignatur. Conſtat verò ex dictis quomodo, & quibus conditionibus tolli etiam poſſit per Profeſſionem in Religionem. Nam quod non tollatur per Baptiſmum, pro comperto eſt. Diſpenſari etiam poſſe ex vi Bullæ Cruciatæ tenet Cornejo *ſup.* Sed attende ad dicta ſupra *verb. Bulla Cruciata*, *num.* 30. Pro caſu verò, quo Epiſcopus non ſolum dictam excommunicationem impoſuerit, ſed etiam declarauerit ſe non habere intentionem ordinandi ad Ordines furtiuè accedentes (quod rarò continget) quid ſentiendum ſit, maximè iuxta praxim Pœnitentiariæ Romanæ, vide Theſaur. *in prax. part.* 2. *verb. Ordines*, *cap.* 7.

54 Secundus caſus, in quo incurritur Irregularitas propter indebitam Ordinum ſuſceptionem, eſt de coniugato, qui recipit illos conſtante matrimonio, etiam nondum conſummato, præterquam in caſibus à iure permiſſis. Extrauagant. *anto concertat. de vot.* Sayrus *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 28. Cornejo *ſuprà*. Theſaurus *ſuprà*, *cap.* 3. Aduertens ex Sanchez ad incurrendam hanc Irregularitatem requiri dolum, ſeu ſcientiam, quia textus loquitur de præſumentibus; neque procedere, ſi Matrimonium fuit irritum. Tollitur autem hæc Irregularitas non ſolum à Papa, vt de ſe patet, ſed etiam poſt ſolutum Matrimonium, ab Epiſcopo Diœceſano, ſi taliter promotus in aliqua Religione profiteatur, vt patet eadem Extrauagant. Cornejo, & Theſaurus *ſup.* Credo etiam tolli poſſe ſoluto Matrimonio ab Epiſcopo, ſi caſus fuerit occultus, cum ſit ex delicto, iuxta Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. & priuilegia quarumdam Religionum, de quibus *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 28. *n.* 40. egi. Non poſſe autem tolli per Baptiſmum certum eſt, cum Ordinario ſupponat illum.

55 Quinta ſpecies Irregularitatis ex delicto contrahitur ob exercitium Ordinum tempore cenſuræ. Excommunicatus enim maiori excommunicatione, ſuſpenſus, vel Interdictus, etiam toleratus & occultus, ſolemniter, vel ex officio, niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, ignorantiæ, inaduertentiæ, vel obliuionis, actus Ordinum exercens fit Irregularis, *cap. Si quis Epiſcopus in Concilio*, 11. *quæſt.* 3. & toto titulo *de Clerico excommunicat. miniſtr.* & *cap.* 1. *de ſentent. & re iudic. in* 6. & *cap. is cui*, *de ſentent. excommunicat. in* 6. Malol. *lib.* 3. *cap.* 18. Suarez *d. diſput.* 42. *ſect.* 4. Sayrus *lib.* 4. *cap.* 26. Toletus *lib.* 1. *cap.* 72. & alij communiter. Provt etiam dixi de excommunicatione *verb. Excommunicatio*, *num.* 7. *&* 23. & de Interdicto, *verb. Interdictum*, *num.* 37. & dicam de ſuſpenſione *infrà*, verbo *Suſpenſio.* Dixi etiam, *Toleratus*, *& occultus*, propter dicta eo *verb. Excommunicatio*, *num.* 7. Dixi *Solemniter*, *& ex officio*, propter adducta eo *verb. Excommunicatio*, *num.* 13. Similiter dixi, niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, ignorantiæ, &c. propter ea, quæ adduxi *verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, *num.* 12. & *verb. Excommunicatio*, *num.* 7.

56 Circa quæ notandum primò excommunicatum excommunicatione minori non effici irregularem per exercitium alicuius Ordinis, cum id nullo iure habeatur. Toletus *ſuprà*, Bonacina *ſuprà*, *punct.* 5. *num.* 1. Secundò, quod in illa controuerſia, quæ eſt inter Doctores, an ſcilicet cenſuris prædictis affectus ſit irregularis, non ſolum exercendo actus maiorum Ordinum, ſed etiam minorum, aliis in rigore iuris affirmantibus cum Suarez, Vgolino, Reginaldo, & Graffio, aliis verò ſtando in vſu Eccleſiæ negantibus cum Nauarro, Auila, & Toleto, placet dicere, ſaltem in caſu raro veram eſſe priorem ſententiam, iuxta dicta eo *verb. Excommunicatio*, *num.* 13. In vno tamen caſu ob exercitium Ordinis minoris in cenſura contracta ob Simoniam in Ordine incurri Irregularitatem, propter Bullam Sixti contra male promotos, quæ incipit *Sanctum & ſalutare*, notat Sayrus *lib.* 4. *cap.* 17. *in fin. & cap.* 16. *num.* 11. & ex eo Theſaurus *in praxi*, *part.* 2. *verb. Cenſura*, *cap.* 11. Nota tertio, Clericum ſuſpenſum, vel interdictum, non fieri irregularem exercendo alia, quæ ſunt prohibita per ſuſpenſionem vel interdictum; talis enim non dicitur violare cenſuram per exercitium Ordinis Sacri. Vgolinus *de Cenſuris*, *tab.* 1. *cap.* 14. Bonacina *ſuprà num.* 8. Quæ verò prohibita ſint excommunicato, & quæ permiſſa, dixi ſupra *verb. Excommunicatio*, *num.* 13. *& ſeqq.* Quæ etiam prohibita, ſeu permiſſa interdicto, dixi etiam *verb. Interdictum*, *num.* 10. *& ſeqq.* Quæ vero ſuſpenſo, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 14. *num.* 7. & per quam ſuſpenſionem, dicam *infrà verb. Suſpenſio.* Inſuper nota quartò, maximè pro Regularibus, quod præceptum ſimplex Superioris, vel Confeſſarij præcipientium ne Religioſus, verbi gratia, celebret, aut audiat confeſſiones, cum non includat cenſuram ſuſpenſionis, non infert Irregularitatem in transgredienta, cum talis non violet cenſuram. Toletus *dicto cap.* 72. *n.* 6. Theſaurus *ſuprà cap.* 15. ex Rodriguez, & Sayro. Nota quintò, quod qui irretitus eſt multis cenſuris diuerſæ rationis, verbi gratia excommunicatione, & ſuſpenſione, plures etiam irregularitates incurrit ordines exercendo, Garzia *de beneſic. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 80. *&* 82. Bonacina *ſuprà num.* 10. Secus dico de irretitu multis cenſuris eiuſdem rationis, ſcilicet multis excommunicationibus. Theſaurus *ſupra num.* 11. addit ex Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 24. *num.* 7. ſæpius celebrantem cum excommunicatione, quamuis ſemper peccet mortaliter, ſolum tamen incurrere vnam Irregularitatem reſultantem ex omnibus illis cauſis illius. Sed de hoc alibi.

Huic irregularitatis ſpeciei ex vſo Ordinum tempore 5
cenſuræ, ſimilis eſt illa, quam incurrunt Clerici excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti etiam occulti, qui authoritatiuè, ſeu præceptiuè faciunt coram ſe celebrari, iuxta *cap. Illud, de Cleric. excommunic.* vbi licet id non exprimatur, communi tamen conſenſu Doctorum, & conſuetudine id habetur. Syluester *verb. Irregularitas*, *num.* 15. *dicto* 4. Nauarrus *ſupra num.* 244. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 5. & *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 18. Layman. *dicto cap.* 3. *num.* 4. §. *Illud*, Theſaurus *ſupra cap.* 11. *&* 15.

Tolluntur hæ irregularitates primò ex Papæ diſpen- 58
ſatione, *cap.* 1. *de ſent. excommunic. in* 6. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 30. Secundò, quando caſus eſt occultus, id eſt quando etſi conſtet aliquem publicè exercuiſſe Ordines, non tamen conſtat id feciſſe cenſura irretitum ab Epiſcopo, propter decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ſæpius relatum. Bonacina *ſuprà*, *num.* 11. ex Sayro, Nauarro, Reginaldo, & aliis. Tertiò quoad Regulares, à Prælatis Regularibus habentibus priuilegia, de quibus dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 40. An verò tollantur ex vi Bullæ Cruciatæ, dixi *verb. Bulla Cruciata*, *num.* 30. Supponitur autem vt certum non tolli per Baptiſmum, cum non contrahatur, niſi à baptizatis: nec per Profeſſionem Religioſam, cum non ſit fundamentum ad id aſſerendum. Pro aliis autem

pœnis

Digitized by Google

pœnis depoſitionis, & infamiæ, quæ incurruntur propter exercitium Ordinum tempore cenſuræ, quando delictum eſt publicum, vide Theſaurum *ſuprà cap.* 11.

59 Sexta ſpecies irregularitatis ex delicto contrahitur à Clerico (idem dic de Religioſo, cum quoad præſens nomine Clerici veniat) qui exercet ſeriò, ſcienter, & ſolemniter ſeu ex officio Ordinem, quem non habet, ex *cap.* 1. *& 2. de Cleric. non ordinat. miniſtr.* Sylueſt. *ſup. quæſt.* 14. Nauarr. *ſup. num.* 242. Tolet. *dicto cap.* 72. *num.* 1. Corn. *d. diſp.* 7. *dub.* 2. Dixi à Clerico, &c. quia etſi valde probabilis ſententia ſit etiam laicos actus Ordinis, quem non habent exercentes eſſe irregulares, prout tenent S. Antoninus, Sylueſter, Sotus, Nauarrus, Suarez, Auila, Valentia, & alij; tenendum tamen eſt oppoſitum tanquam benignius in materia odioſa, quia non eſt id expreſſum pro laico, ſicut pro Clerico in iuribus relatis, & toto eo titulo, qui eſt de Clerico non ordinato miniſtrante. Saytus *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 6. Cornejo *dicta diſp.* 7. *dub.* 2. Layman. *cap.* 3. *num.* 3. referens Couarruuiam, Angelum, Sà, Roſellam, Henriquez, & Armillam. Dixi *Seriò*, quia id faciens per iocum, vel repræſentationem, prout contingit in comœdiis, non eſſet irregularis. Bonacina *ſup. punct.* 6. *num.* 1. ex Nauarro, Fillioeio, Reginaldo, & aliis. Dixi *Scienter*, quia ſi quis ex ignorantia etiam craſſa id faciat, non erit irregularis, Nauarrus *conſil.* 10. *de ſentent. excommunicat.* Cornejo, & Bon. *ſuprà*. Dixi *Solemniter*, ſeu *ex officio*, ideſt, eo modo quo ſecundum Eccleſiæ inſtitutionem, ſeu conſuetudinem ſolum fieri poteſt ab Ordinaria, quia ſi quis eos Ordines exerceat non eo modo, vt ſi non Subdiaconus canat Epiſtolam ſine manipulo, prout ſæpius ſit inter Regulares, aut Diaconus Euangelium ſine ſtola, vbi fuerit talis conſuetudo iuxta dicta ſupra *verb. Excommunicatio*, *num.* 13. non erit irregularis. Cornejo *ſuprà*, Layman. *ſup. num.* 2. ex multis aliis. An vero id etiam ſit verum de exercente actus Ordinum minorum, quamuis plures negent, probabilius eſt contrarium, & ſi non vniuerſaliter, pro caſibus tamen de quibus dixi *eo num.* 13. prout rectè Toletus *ſuprà*, ex Panormitano. Qui porro cenſeantur actus Ordinis, vide Authores relatos, & dicta *eo num.* 13. & nota quod per actus Ordinum non ſolum intelliguntur ij, qui de iure diuino annexi ſunt illis; ſed & illi, qui annexi illis ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, tanquam actus Ordinis, & non iuriſdictionis, vt ſunt multæ benedictiones, & conſecrationes, quæ ab Epiſcopis, vel Sacerdotibus fiunt. Theſaurus *ſuprà*, *cap.* 33. ex aliis.

60 Tollitur hæc Irregularitas eiſdem modis quibus *ſuprà*, *num.* 58. dixi tolli eam, quæ incurritur propter exercitium Ordinum tempore cenſuræ. Adde, poſſe Epiſcopū ſtando in iure communi, & ſecluſo priuilegio Concilij loco relato, diſpenſare cum Clerico committente hoc delictum, vt poſſit miniſtrare in Ordinibus ſuſceptis, non vero, vt aſcendat ad alios, *ex d. cap.* 2. *de Cleric. non ordin. miniſtr.* cum conditionibus tamen ibi aſſignatis. Toletus, Cornejo, & Theſaurus *ſuprà*, apud quem de pœnis delicti, maximè de Miſſam celebrante, vel Confeſſiones audiente non conſtituto in Sacerdotio, de quo dixi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 12. *& cap.* 14. *num.* 9.

61 Septima ſpecies Irregularitatis ex delicto incurritur propter hæreſim, hæretici enim ſunt irregulares, *cap. Presbyt. diſt.* 50. *cap.* 1. *cap. qui in qualibet*, *cap. Saluberrimum* 1. *quæſt.* 7. *& cap.* 2. *de hæretic. in* 6. Sylueſter *ſup. quæſt.* 5. Nauarrus *ſuprà*, *num.* 205. Suarez *ſup. diſp.* 43. *ſect.* 1. Circa quod primò notandum, intelligi de hæretico externo, nam merè internus non ſubiacet pœnis Eccleſiaſticis, iuxta dicta ſupra *verb. Hæreſis*, *& Hæreticus*, *num.* 2. Suarez *ſup. num.* 3. Bonacina *ſuprà*, *punct.* 7. *num.* 1. Intelligitur autem de hæretico externo, quantumvis occulto. Ita enim ſupponitur in conceſſione quadam Clem. VII. quæ refertur *in Director. Inquiſitor.* & in id inclinant aliqui ex textibus relatis, & maior pars Doctorum. Maiolus *lib.* 5. *de Irregularit. cap.* 46. Suarez *ſuprà*, *num.* 4. Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 2. Eſto aliqui teneant ſolum id eſſe verum de hæretico non ſolum externo, ſed etiam publico, aut notorio, propter infamiam quam incurrit. Saytus *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. Cornejo *ſuprà*, *diſp.* 8. *dub. vnic. in fin.* Layman. *ſuprà*, *cap.* 4. *num.* 12. & alij apud ipſos. Idem porro, quod dixi de hæretico, ſcilicet, ſi eſt externus, quantumuis occultus, eſſe irregularem, intelligitur etiam de apoſtata à fide, quis iuxta dicta ſupra *verb. Apoſtata*, *& Apoſtaſia*, *num.* 5. talis eſt verè hæreticus, & ita incurrit omnes pœnas hæreticorum, Suarez *ſup. ſect.* 2. Toletus *lib.* 1. *cap.* 69. *num.* 1. Sanchez *ſuprà*, *num.* 2. Idem quoque dico de fautoribus, receptatoribus eorum, & conſilium, auxilium, fauorem ipſis præbentibus, quia illi æquiparantur cum prædictis, *cap.* 2. *de Hæretic. in* 6. Nauarrus *ſuprà*, Maiolus *ſuprà*. Sanchez etiam *ſuprà*, *num.* 7. etſi Hurtadus *diſp.* 2. *de Irregular. diff.* 3. *num.* 9. contradicat. Illi autem qui de hæreſi ſuſpecti ſunt, reuera tamen hæreſim interius non habent, quales ſunt ſchiſmatici, qui hæreſim non habent adiunctam, & illi qui hæreſim exterius profitentur, interius tamen rectè ſentiunt, ac illi, qui pactum ineunt cum Dæmone, aut ipſum colunt ſine hæreſi, & ſimiles alij de hæreſi ſuſpecti, cum verè hæretici non ſint, non ſunt ex hoc capite irregulares. Suarez *ſupra*, Sanchez *ſupra num.* 10. *&* 11. Bonacina *ſupra num.* 3. 4. *&* 7. Dixi *ex hoc capite*, quia ſi crimen illorum eſt notorium, præſertim ſi abiurarunt de hæreſi, tunc ratione infamiæ erunt irregulares. Henriquez *lib.* 14. *de irregularit. cap.* 4. *num.* 6. Sanchez *ſupra num.* 10. 11. *&* 12. Bonacina *ſupra*, *& num.* 5. Vide dicta *verb. Hæreſis*, *n.* 11. & Dianam *ſupra reſolut.* 47. Fictè quoque apoſtatans à fide, vel fictè adorans idolum, irregularis eſt, ex Concilio Ancyrano *cap.* 1. *&* 2. & refertur *cap. Presbyteros*, *diſt.* 50. Maiolus *ſupra cap.* 34. Suarez *ſupra num.* 2. Sanchez *ſupra num.* 6. licet oppoſitum probabile putet Diana *ſuprà reſolut.* 59. referens Azorium, & Filliucium. Similiter filij prædictorum hæreticorum, apoſtatarum, fautorum, receptatorum, &c. vſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & vſque ad primam per maternam, ſunt irregulares, *cap.* 2. *de hæretic. in* 6. *cap. ſtatutum* 2. *eodem tit. in* 6. Nauarrus, & Maiolus *ſupra*. Sanchez *ſupra cap.* 28. *num.* 7. Intellige tamen ſi prædicti parentes mortui fuerint impœnitentes, *cap. ſtatutum*. Toletus *ſupra num.* 3. Theſaurus *in praxi*, *part.* 2. *verb. Hæreſis*, *cap.* 3. & ſi delictum eorum fuit notorium, relato *cap. ſtatutum*, Sayrus *de Cenſuris lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 40. Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 8. Hoc tamen non procedit in filiis iſtorum in Regionibus in quibus palam, & impunè hæretici viuunt. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 4. Sà *in Summa*, *verb. Hæreſis*, *num.* 4. Pro aliis iſtorum pœnis, vide Theſaurum *ſupra*. Vide & dicta ſupra *verb. Infamia*, *num.* 11.

In irregularitate autem iſta quam incurrunt Hæretici, & Apoſtatæ, fautores, receptatores, & defenſores ipſorum, quæ eſt publica, ſolus Papa iure communi diſpenſat, vt de ſe patet apud omnes. Quando verò eſt occulta, plures aſſerunt probabiliter ſatis diſpenſari etiam ab Epiſcopis, propter priuilegium illis conceſſum in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. Henriquez *ſupra cap.* 5. *num.* 2. Viualdus *in Candelabro*, *in penult. edit.* 2. *part. de irregularit. num.* 70. *&* 89. Sanchez *ſupra cap.* 35. *n.* 28. & Additionator Toleti *ad lib.* 1. *cap.* 69. referens Sà, Comitolum, Sayrum, & Maiolum. Oppoſitum tamen ſecuriùs tenent Suarez *dicta diſput.* 43. *ſect.* 1. *in fin.* Bonacina *dicto puncto* 7. *num.* 12. Eo quod cum priuilegium Epiſcopis conceſſum dicto loco ad abſoluendum ab hæreſi ſit reuocatum per Bullam Cœnæ, iuxta dicta 62

ſupra

ſupra *verb. Bulla Cœnæ, num.* 55. conſequenter etiam reuocatum cenſeri debet priuilegium diſpenſandi in Irregularitate, propter hæreſim, quia *cap. Cùm illorum, de ſent. excommunicat.* cui negatur poteſtas abſoluendi, negatur etiam poteſtas diſpenſandi, quæ quid maius eſt. Sed quia reſponderi poteſt cum Sanchez loco relato, in hoc caſu non eſſe maiorem facultatem diſpenſandi, quam abſoluendi, eo quod excommunicatio pro hæreſi externa occulta eſt certiſſima, non autem Irregularitas, vt dixi *num. præced.* ideo dixi ſatis probabile eſſe poſſe Epiſcopum in hac Irregularitate in caſu occulto diſpenſare, prout etiam probabile cenſet Bon. *ſupra num.* 14. Adde, poſſe Epiſcopum etiam in caſu publico diſpenſare cum prædictis quoad vſum Ordinum ſusceptorum, quia textus allati *num. præced.* id permittunt. Azor. *ſuprà, cap.* 11. *quæſt.* 13. Suarez *dict. ſect.* 1. *num.* 6. Sanchez *ſup. num.* 14. Qui duo limitant, niſi quoad vſum Sacerdotij in Sacrificio Altaris, quia cum hoc ſit res grauiſſima, videtur Pontifici reſeruata. Quod idem dicunt de Epiſcopo hæretico quoad vſum Pontificalium, maximè cum Epiſcoporum cauſæ in materia hæreſis ſint Papæ reſeruatæ, *cap. Inquiſitores, de hæretic. in* 6. De Inquiſitoribus autem, quod non poſſint in hac irregularitate propter hæreſim, apoſtaſiam, &c. diſpenſare, probabilius eſſe cenſent Suarez *ſuprà, num.* 5. Sanchez *ſuprà, num.* 19. & Additionator Toleti *ſuprà*, eo quod conceſſio Clem. VII. de qua ſupra *in præced. num.* in qua id ipſis concedebatur, vel reuocata eſt per Pium V. vt Pegna *in Director. Inquiſit.* 3. *part. quæſt.* 116. *comment.* 175. putat, vel ſolum fuit perſonalis, & non perpetua, nec vſu recepta. Cæterùm de Prælatis Regularibus habentibus priuilegia ad diſpenſandum cum ſubditis in omnibus Irregularitatibus, exceptis illis tribus de homicidio voluntario, mutilatione, & bigamia, de quibus egi *tom.* 1. *cap.* 18. *num* 40. probabile eſt id poſſe facere quando caſus eſt occultus, cum hæc irregularitas non ſit ex illis tribus, & ita ſupponere videtur Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 4. *in fine.* Nec obſtat, quod illi nequeant abſoluere ab excommunicatione propter hoc delictum incurſa, iuxta dicta *eo cap.* 18. *num.* 38. quia diuerſa ratio eſt de excommunicatione hac, cum illa ſit certiſſima, ac de Irregularitate, iuxta dicta ſuprà de Epiſcopis loquendo hoc eodem numero. Dixi quando caſus eſt occultus, quia quando eſt notorius, ſemper cenſetur Papæ reſeruatus, nec comprehenſus in conceſſione generali, propter ſpecialitatem illius, prout communiter ſupponunt Doctores. Supponitur autem hanc Irregularitatem, nec publicam, nec ſecretam tolli poſſe per Profeſſionem Religionis, cum nullum ſit fundamentum ad id aſſerendum. Multo minus dici poteſt tolli per Baptiſmum, cum potius ipſa ſupponat Baptiſmum.

63 Irregularitas porrò, quæ contrahitur à filiis Hæreticorum, apoſtatarum, fautorum, receptatorum, &c. ſolum tollitur per Papæ diſpenſationem, non ab Epiſcopo, nec ab Inquiſitoribus, vt putat Sanchez *ſupra, cap.* 28. *num.* 8. & 9. eo quod Irregularitas hæc non eſt ex delicto, ſed ex indecentia. Toletus autem *ſuprà, num,* 2. vocat eam ex delicto, ac per conſequens dicit diſpenſari poſſe ab Epiſcopis, quando fuerit occultum præfatos eſſe filios Hæreticorum, &c. propter decretum Concilij ſupra adductum. Quidquid de hoc ſit, probabile mihi eſt in caſu tali occulto tolli poſſe inter Regulares ab habentibus priuilegia, de quibus dixi numeris præcedentibus. Non vero quando caſus fuerit publicus, propter ibidem dicta. Nota etiam prædictos filios Hæreticorum, &c. poſſe adminiſtrare in Ordinibus ſuſceptis ante parentum delictum, quia *cap.* 2. *de hæreticis, in* 6. vbi eſt ſermo de illis, ſolum ſtatuit ne promoueantur in poſterum. Sanchez *ſup. num.* 10. Theſaurus *ſup. cap.* 3. vbi etiam alia de ipſis.

64 Qualiter tollatur irregularitas, quam contrahunt ſuſpecti de hæreſi, dixi ſupra *verb. Hæreſis, numero* 11.

Octaua irregularitatis ſpecies, ipſaque ampliſſima eſt, quæ contrahitur propter homicidium, ſeu mutilationem membrorum iniuſtè facta. Poſitis autem diuiſionibus homicidij, de quibus egi ſupra *verb. Homicidium*, ac dictis *ſupra, verb. Accuſare, & Accuſator, verb. Bannitus, & verb. Bellum*, quæ ad hoc intentum deſeruire poſſunt, dicendum primò. Occidens, vel mutilans aliquem, ob defenſionem ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullam incurrit Irregularitatem. Ita enim habetur ex definitione Eccleſiæ *in Clem. Si furioſus, de homicidio*, & quia tunc non ſponte, ſed de neceſſitate iuſtæ defenſionis id facit homo. Ita communiter Doctores, ſpecialiter ex antiquioribus Bacconius *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 7. *art.* 2. Michaël de Bononia *ibid. quæſt.* 2. *art.* 2. & ex recentioribus Toletus *ſuprà cap.* 80. Cornejo *ſuprà, diſp.* 4. *dub.* 1. Quid autem ſit moderamen inculpatæ tutelæ, & quando ſeruetur, dixi ſupra *verb. Homicidium, num.* 9. & conſtabit ex dicendis. Idem dicitur probabiliter ſatis de occiſione, ſeu mutilatione alterius in defenſionem ſuorum membrorum, ſeu honoris in graui materia ad fugiendam grauem infamiam, & in defenſionem propriorum bonorum, cùm ea neceſſaria ſunt ad vitam, nec facilè poſſent recuperari. Ratio eſt, non ſolum, quia tale homicidium eſt inculpatum, vt conſtat ex dictis *verb. Homicidium, num.* 9. ſed etiam, quia id videtur conforme menti dictæ Clementinæ *Si furioſus*, cum prædicta bona neceſſaria ſint ad vitam, & tunc homo non operetur ſponte, ſed inuitus, & coactus ad defenſionem ſuæ innocentiæ. Suarez *ſuprà, diſp.* 46. *ſect.* 2. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 17. Cornejo *ſuprà*. Diana *ſuprà, reſolut.* 4. & alij contra Nauarrum, Toletum, & alios probabiliſſimè oppoſitum tenentes. Nota tamen quoad Eccleſiaſticos, & Regulares, limitationes aliquas *eo num.* 9. relatas. Idem quoque ſatis probabiliter dicitur de occiſione, ſeu mutilatione alterius in defenſionem proximi, maximè ſi ille ſit Reipublicæ neceſſarius, non ſolum propter dicta *verb. Bellum, num.* 15. ſed etiam quia fundamenta adducta etiam procedunt in hoc caſu. Suarez *ſuprà, ſect.* 3. Cornejo *ſuprà*, Bonacina *quæſt.* 4. *punct.* 6. *n.* 11. Diana *Reſol.* 5. poſt Couarruuiam, & alios, contra Syluestrum, Nauarrum, Toletum, & alios oppoſitum etiam valde probabiliter tenentes. Refert etiam Peirinis *tom.* 1. *priuilegiorum Minim. in Conſtitut.* 2. *Iulij II. num.* 113. declaratum eſſe à S. Congregatione homicidium factum ad defenſionem patris (addit ipſe ex D. Antonino, *ſeu Prælati*) cum moderamine, &c. non inducere irregularitatem.

Sed notandum primò traditam doctrinam intelligi debere quando aliquis iniuſtè inuaditur ab alio, ſi enim inuaſio eſt iuſta, qualis contingit cum ſatellites, ſeu miniſtri iuſtitiæ publica auctoritate aliquem capere volunt ad puniendum, tunc inuaſus ſi aliquem ipſorum occidat, irregularis efficitur. Cornejo *ſuprà*. Bonacina *ſupra, num.* 1. Addunt aliqui procedere etiam eandem doctrinam, quando aliquis credit ſe inuadendum, etiam ante inuaſionem, ita vt etiam tunc poſſit occidi inuaſor. Cornejo *ſupra*, ex Soto, Sayro, & Auila. Hoc tamen non admitterem, niſi magna indicia inuaſionis præcederent, non enim propter indicia leuia tam graue damnum inferri debet proximo. 66

Dicendum ſecundò. Occidens, vel mutilans aliquem, ob defenſionem cuiuſcunque, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, id eſt quando penſatis omnibus circumſtantiis poterat alio modo euitare malum, quod imminebat, eſt irregularis. Habetur tum ex d. Clement. *Si furioſus*, à contrario ſenſu: tum ex iuribus communiter loquentibus de occiſione, & mutilatione, quorum plura infra afferentur: tum etiam ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. vbi loquens de homicidio facto, vt quis ſe à morte defenderet, dixit committendam eſſe diſpenſationem 67

Digitized by Google

diſpenſationem ipſius Ordinarij, quo ſupponitur loqui de homicidio facto ſine tali moderamine; nam factum cum ipſo certum eſt ex dicta Clementina non inducere irregularitatem. Toletus *ſupra*, *num.* 7. Cornejo *ſupra*, *dub.*2.

68 Circa quod notandum primò, quod quando exceſſus in modo defenſionis ſolum fuit culpa venialis, non incurritur irregularitas; ea enim non incurritur, niſi propter culpam mortalem, iuxta dicta *ſuprà*, *num.*4. Cornejo *ibid.* Petrinis *ſuprà*, *num.*124. Secundò, quod non ex eo, quod quis occidat ſuum inuaſorem ex odio, ira aut mala voluntate, dici debet non ſeruare moderamen inculpatæ tutelæ, ſi aliàs non poteſt alio modo euitare damnum imminens; nam etſi talis actio interna ſit peccaminoſa, actio tamen externa excuſatur à culpa homicidij, tum iure naturæ, quod præſcribit defenſionem, tum *ex d. Clementin. ſi furioſus.* Molina *tom.*4. *tract.*3. *diſput.*72. Cornejo *dicto dub.*1. Idem dico etiam ſi dederit cauſam inuaſori, quia adhuc non amiſit ius moderatæ defenſionis. Bonacina *ſup. num.*3. ex aliis. Vnde probabiliter ſatis excuſatur ab irregularitate adulter, qui maritum aggreſſorem, cauſa defenſionis cum moderamine, &c. occidit. Clement. enim *Si furioſus*, generaliter, & ſine vlla distinctione loquitur. Sotus *lib.*5. *de Iuſtit. quæſt.*1. *art.*9. Hurtadus *diſp.*2. *de irregularit. diffi. ult.*10. *num.*36. & alij multi quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà*, *Reſol.*2. vide tamen Naldum *verb. Irregularis*, *num.*2.

69 Hæc porrò irregularitas non ſolum tollitur ex Papæ diſpenſatione, vt de ſe patet, ſed etiam ab Epiſcopo in caſu occulto, ob decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.*24. *cap.*6. ſæpius relatum. Etſi enim ibi excludatur ea irregularitas, quæ eſt ex homicidio voluntario, hoc tamen, quod ſit cauſa defenſionis, etiamſi ſit peccaminoſum quando exceditur in modo defenſionis, non cenſetur voluntarium, ſed caſuale. Nauarrus *in Manual. cap.*27. *num.*139. Toletus *d. cap.*80. *num.*9. Sayrus *lib.*7. *cap.*7. *num.*22. Quando etiam caſus fuerit publicus, diſpenſatio dicitur committenda Epiſcopo in eodem Concilio loco adducto *ſuprà*, ex *ſeſſ.* 14. *cap.*7. Bonacina *ſuprà*, *punct. ult. num.*9. Cornejo *dicto dub.*2. Prælati etiam Regulares habentes priuilegia diſpenſandi cum ſubditis in omni irregularitate, exceptis illis tribus homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis, de quibus dixi *tom.*1. *cap.*18. *num.*40. etiam diſpenſant in hac irregularitate, cum iſtud homicidium non cenſeatur voluntarium, vt dixi. Petrinis *ſuprà*, *numero* 316. Non tamen tollitur per Baptiſmum, ſi propriè loquendum eſt, quia omnis irregularitas ex delicto conſurgens non afficit niſi baptizatos. Suarez *diſp.*41. *ſect.*1. *num.*2. Bonacina *quæſt.*5. *punct.*2. *num.*1. Nec per Profeſſionem Religionis, cum non ſit fundamentum ad id aſſerendum.

70 Dicendum tertiò. Occidens aliquem iniuſtè, & voluntariè, vel aliquo modo ad id cooperans, mandato, conſilio, vel fauore, efficitur irregularis. Ita enim habetur ex multis iuribus, ſpecialiter *diſt.*50. *& cap.*1. *& ſequent. de homicidio*, *ac cap. fin. de temp. ordinat.* ac in Concil. Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*7. *& ſeſſ.*24. *cap.*6. Couarruu. *in Clement. Si furioſus.* Maiolus *lib.*5. *cap.*48. & alij Doctores infra referendi.

71 Pro quo nota primò, ſermonem eſſe in præſenti tam de homicidio voluntario ſimpliciter, quod eſt illud, quod eſt volitum in ſeipſo, quàm de homicidio voluntario ſecundum quid, quod eſt illud quod eſt volitum in cauſa ex qua infallibiliter ſequitur, vt ſi quis det venenum mortiferum alij. De quo *ſuprà*, *verb. Homicidium*, *num.*2. Suarez *ſuprà*, *diſput.*44. *ſect.*1. *num.*4. Cornejo *tract.*5. *de Irregularitate*, *diſp.*1. *dub.*1. Nota ſecundò, requiri ad hanc irregularitatem, quod effectus ipſe mortis ſit ſecutus, aliàs non incurretur, cum ſolum ſit impoſita pro homicidio, quod non contingit niſi ſecuta morte. Nauarrus *ſuprà*, *num.*223. Suarez *ſupra*, *ſect.*2. contra Maiolum *ſuprà*. Nota tertiò, id eſſe verum, ſiue occiſus ſit fidelis, vel infidelis, adultus, vel infans, &c. quia iura indiſtinctè loquuntur, Cornejo *ſup.* Quoad cooperantem per mandatum, nota quartò, quod ſi ille expreſsè, vel tacitè reuocauit mandatum, & talis reuocatio peruenit ad aures mandatarij, etiamſi iſte occidat, non erit mandans irregularis; ſecus verò ſi non peruenit ad aures ipſius. Quia in primo caſu cenſetur cauſa homicidij ſolus mandatarius, non in ſecundo. Nauarrus *ſuprà*, *n.*233. Cornejo *ſupra*, *dub.*2. Quoad cooperatorem per conſilium, nota quintò, quod licet aliqui putent idem eſſe dicendum de conſiliante ſicut modò dixi de mandante (Petrus Nauarra *lib.*3. *de reſtitutione*, *cap.*4. Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.*5. *de Irregularit. dub.*8. & alij) nihilominus oppoſitum eſt probabilius, & ratio eſt, quia in mandato agitur res ipſius mandantis, & ideo pendet ſolum ab ipſo, ac propterea ſi reuocetur, ſufficienter reuocatur influxus in rem mandatam. In conſilio autem, cum agatur de re ipſius conſulti, etiamſi conſilians reuocet illud, adhuc cenſetur permanere in conſiliato, ac per conſequens influere in rem de qua fuit conſilium. Auila *part.*7. *diſp.*6. *ſect.*1. *dub.*4. Cornejo *ſup. dub.*2. Bonacina *ſup. quæſt.*4. *punct.*8. *num.*20. Si tamen reuocato conſilio bona fide credat conſulens id ſufficere, non erit irregularis etiam ſecuto homicidio, ſecus verò ſi id non credat; tunc enim debet etiam monere occidendum, vt ſibi caueat. Cornejo *ſupra*. Diana *ſup. Reſolut.*14. ex aliis quos referunt. Hinc ſimiliter, qui fœminæ ſuaſit abortum, & poſtea quantum potuit fecit, vt illam dimoueret à conſilio dato, probabiliter excuſatur ab Irregularitate. Henriquez *lib.*14. *cap.*16. Diana *reſolut.*15. Quoad cooperantem per auxilium, ſeu fauorem, nota ſextò talem eſſe illum, qui vel inſtrumenta præſtando occiſionis, vel occiſorem aſſociando, vel vulnus aliquod infligendo, vel alio ſimili modo influit in occiſionem. De quo, & variis caſibus circa illud Bonacina *ſuprà*, *punct.*8. *à num.*28. ex Vgolino, Molina, Filliucio, Azorio, Reginaldo, & aliis. Nota tamen, quod non impediens homicidium, ſi ad id non tenatur ex officio, aut iuſtitia, ſed ſolum ex charitate, non incurrit irregularitatem, ſecus verò ſi ex iuſtitia, aut ex officio ad id tenetur, prout eſt Princeps reſpectu ſubditorum, Prælatus Regularis reſpectu Regularium, &c. Ratio eſt, quia in priori caſu non cenſetur cauſa moralis homicidij, aut influere in illud, ſecus verò in poſteriori. Nauarrus *ſupra*, *num.*4. Etſi Hurtadus *diſp.*2. *de irregularit. diff.*9. *n.*34. ex Vaſquez in manuſcripto dicat, quod etiam is qui tenetur ex iuſtitia impedire mortem excuſatur ab irregularitate. Idem quod dixi de Prælato intellige etiam reſpectu cuſtodis infirmorum, ita vt ipſe, ſi dimiſit infirmum, v.g. furioſum, & freneticum ſine debita cuſtodia, & infirmus ſe occidit, irregularitatem contrahat. Ioan. Beetz *in* 5. *præcept. Decalog. expoſit.*3. *cap.*4. Nota etiam, quod per ratihabitionem homicidij ſuo nomine facti, non cenſetur aliquis irregularis; cum enim illa ratihabitio ſit poſterior homicidio, non poteſt in illud influere, ac per conſequens nec inducere irregularitatem. Toletus *ſupra*, *num.* 1. Sayrus *lib.*7. *cap.*4. Cornejo *ſupra dub.*2. Naldus *ſuprà num.*4. contra Nauarrum, & alios. Idem dicendum de conſentiente in homicidium præſens, quod nullo modo ſit in gratiam conſentientis, ſecus verò, ſi in gratiam ipſius fiat, quia in priori caſu non cenſeretur ad illud cooperari, bene tamen in poſteriori, ſi exterius non repugnet, Auila *ſupra ſect.*3. *num.*21. *&* 22. Cornejo *ſupra*, etſi oppoſitum teneat Hurtadus *ſupra*.

In hac porrò irregularitate, licet quidam dixerint, 72
nec Papam poſſe diſpenſare, eo quod introducta ſit iure diuino, *Exod.*21. *&* 1. *Paralip.*21. *&* 28. veritas tamen

eſt

Digitized by Google

eſt Papam poſſe in ea diſpenſare, quia ſolum eſt introducta iure humano, & ita patet ex vſu Eccleſiæ. Suarez *ſuprà, ſect.* 4. Toletus *ſupra, cap.* 88. *num.* 1. Solus tamen Papa in ea diſpenſat, imò & difficilè, propter criminis enormitatem, prout colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Suarez *ſuprà.* Cornejo *ſuprà, dub.* 4. Deinde non tollitur per Baptiſmum, cum ſolùm à iam baptizatis incurratur, prout ex iuribus relatis colligitur, præſertim *ex cap. Si quis viduam, d.* 50. Toletus *ſupra, num.* 2. Cornejo *ſuprà.* Nec etiam per Profeſſionem Religionis, cum nullo fundamento id aſſeratur. Nec ab Epiſcopis propter decretum Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. quia ibi expreſsè excipitur diſpenſatio in homicidio voluntario. Ita ſupponunt authores relati, & Bonacina *ſuprà, punct. vlt. num.* 2. Nec propter priuilegia Regularibus conceſſa, quæ excludunt hunc caſum. An verò per alia priuilegia id fieri poſſit, vide dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 44. & hoc *tom. verb. Abortus, num.* 14. Maximè tamen notandum circa hoc, Priuilegium quoddam per Bullam Pauli III. conceſſum Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præſidentibus Ordinis, & Congregationis Sancti Benedicti Valliſoleti, de quo ſæpius in ſuperioribus dixi, & quod refert Rodriguez in Bullario, inter Bullas eiuſdem Pauli III. *num.* 12. vbi ſic habetur. *Nos igitur, qui ſingulorum ſalutem paterno zelamus affectu huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod ſtante immemorabili conſuetudine huiuſmodi, etiam de cætero perpetuis futuris temporibus ſingulis annis prima die Lunæ Quadrageſimæ huiuſmodi omnes, & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas Ordinis, & Congregationis prædictorum Religioſas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, ſeu donatas, necnon Eremitas ſub cura veſtra exiſtentes intra ſepta veſtrorum, ſeu ipſorum pro tempore abſoluendorum Monaſteriorum, ſeu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, ſententiis, cenſuris, & pœnis per eos pro tempore quomodolibet incurſis, etiam in caſibus dictæ Sedi quomodolibet reſeruatis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi, abſoluere, & cum eis ſuper quibuſvis Irregularitatibus per eos pro tempore quauis occaſione, vel cauſa contractis, diſpenſare, prout hactenus, vt præfertur, conſueuiſtis, dicta authoritate valeatis, plenam, & liberam, eadem authoritate tenore præſentium concedimus facultatem.* Circa quod priuilegium notandum, quod quamuis iuxta ea, quæ ſuprà *verb. Bigamus, & Bigamia, num.* 5. dixi, in generali conceſſione facultatis diſpenſandi in omni Irregularitate non veniat ea, quæ eſt ex homicidio voluntario, aut mutilatione, ſicut neque ea, quæ ex bigamia, eo quod cum iſtæ irregularitates ſint ſpeciali nota dignæ non comprehenduntur in conceſſione generali, niſi exprimantur; nihilominus circumſtantiæ huius conceſſionis, ſcilicet quod ſit pro perſonis Religioſis, & ſolum pro vna die anni, ſcilicet pro prima die Lunæ Quadrageſimæ, & quod in ea dicatur *ſuper quibuſvis irregularitatibus per eos pro tempore quavis occaſione, vel cauſa contractis,* quæ ſunt verba vniuerſaliſſima, probabiliter ſuadent ea vti poſſe prædictos Prælatos, & alios aliarum Religionum, quæ communicationem priuilegiorum cum ipſis habent, prout etiam tenet Portellus *in dubiis Regularium, verb. Diſpenſare, in additione.* Apud quem alia ad intentum. Quia tamen priuilegium hoc Pauli III. pro Congregatione Benedictinorum Valliſoleti, videtur valde fauorabile tum ipſis, tum aliis Religionibus, quæ per communicationem ipſo frui poſſunt, ideo notanda aliqua in ipſo quæ animaduertunt præfatus Portell. *in dub. regular. verb. diſpenſare, in additionibus,* & Tamburinus *de Iure Abbatum, diſp.* 4. *quæſit.* 12. *num.* 10. & 11. Primò hoc videri maximum & inſolitum priuilegium: quia licet excipiat Bullæ Cœnæ caſus, tamen in multis aliis inſolitum eſt, pro pœnis ſcilicet abſoluendis, & irregularitatibus diſpenſandis. Quod vt melius intelligatur aduertunt ſecundò quod conceditur Reformatori generali, Abbatibus, Prioribus, & præſidentibus Prædicti Ordinis, & conſequenter aliis Prælatis aliorum Ordinum cum illis communicantibus qui reſpondent prædictis Officiis & Dignitatibus Ordinis S. Benedicti Valliſoleti. Tertiò aduertunt, quod Prælati poſſunt facultatem prædictam abſoluendi & diſpenſandi à Papa eis conceſſam alicui Confeſſario delegare: quia habens priuilegium Papæ, habet etiam facultatem in eo conceſſam ordinariam, vt docet Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *num.* 14. Quartò aduertunt, quod conceditur ſupradictis Prælatis Ordinis Benedictinorum Valliſoleti, vt poſſint ſubditos vtriuſque ſexus Monachos & Moniales ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, abſoluere, & in prædictis Irregularitatibus diſpenſare: & quod idem poſſit erga Oblatas perſonas, & Donatas viuentes intra Monaſteria, vel in aliis locis Regularibus ſubiectis eiſdem Abbatibus, & Prælatis Valliſoletanis, nempe Oratoriis, Grangiis, & ſimilibus: quia hæc ſunt loca Regularia illis ſubiecta. Quintò aduertunt, quod Summus Pontifex concedit in illo priuilegio, quod prædicti Prælati poſſint omnes illos abſoluere ab omnibus cenſuris & pœnis, inter quas venit quæcunque inhabilitas ad Officia Ordinis, & priuatio officiorum, ſed hoc in foro conſcientiæ: hæc enim duo intelliguntur nomine pœnæ Eccleſiaſticæ. Aduertunt ſextò, quod conceditur prædictis Abbatibus vt diſpenſent cum ſubditis in omni irregularitate quauis occaſione, vel cauſa contracta; & non limitatur in ſupradicto priuilegio ſi ſit homicidij voluntarij, neque caſualis; neque limitat, ſi ſit occultum delictum vel publicum, neque etiam excipit bigamiam, ſed abſolutè & in communi ait: *Quavis occaſione & cauſa contracta.* Vnde cum talis conceſſio ſit tam ampla & generalis, & Summus Pontifex illam poſſit concedere, nec ab alio ſucceſſore hoc priuilegium reuocatum inueniatur in ſpeciali; videtur poſſe illos Prælatos ea vti ſicut iacet, ſine limitatione, iuxta illud vulgatum in lege: *Cum lex, nec Princeps diſtinguat, neque nos debemus diſtinguere*; ibi enim non diſtinguit vt faciant hoc in foro Sacramentali confeſſionis vel conſcientiæ. Vnde manifeſtè concludi poteſt quod Prælati Valliſoletani, & cum eis communicantes prima feria ſecunda Dominicæ Quadrageſimæ poſſunt pœnas & irregularitates diſpenſare extra Sacramentum Pœnitentiæ: quæ quidem conceſſio eſt pro ſingulis annis, non autem pro ſemel in vita. Poſtremò aduertunt quod ſupradicti Prælati vtentes prædicta diſpenſatione debent condignam ſatisfactionem iniungere. Hæc omnia prædicti Portellus, & Tamburinus, quibus etiam fauent Hieronymus Rodriguez *in Compend. reſol.* 52. *num.* 23. Bordonus *in ſuis Reſolutionibus, reſolut.* 13. *n.* 14. 16. & 23. Quæ an probabiliter ſuſtineri poſſint in practica, aliorum iudicio remitto. Vnum tantum animaduerſione dignum eſt in hoc priuilegio quod ab aliis animaduerſum non eſt, videlicet illud ſolum concedi à Summo Pontifice, vt patet ex ipſa Bulla, ſtante immemorabili conſuetudine, quam habebant prædicti Prælati faciendi id quod per iſtud priuilegium ipſis conceditur. Ex quo videtur ſequi quod Religiones quæ non habent talem conſuetudinem, non poſſint vti præfato priuilegio. Sed quia nec hoc concludit, cum plures Religiones habeant latiſſimam & ampliſſimam communicationem priuilegiorum aliarum Religionum, ideo etiam quoad hoc doctiorum iudicio me ſubmitto.]

Dico quartò, Mutilans iniuſtè, & voluntariè incurrit hanc eandem irregularitatem. Ratio eſt, quia homicidium, vel mutilatio in iure æquiparantur, *c.* 1. *de Cleric. pugnant. in duello, cap. vlt. de homicidio in ſexto, & Clem. vnic. tit.* adiuncta Gloſſa *ibid.* Cornejo *ſup. diſp.* 2. *dub. vnic.* Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. 37

74 Nomine autem mutilationis intelligitur omnimoda truncatio membri, non ſola debilitatio, qua membrum inutile reddatur, itaut qui claudum aliquem reddit, aut excæcat, non eruendo oculum, non incurrit hanc irregularitatem. Molina *tom.4. de iuſtit. tract.3. diſp.68.* Sayrus *lib.6. de cenſuris, cap.15.* Cornejo *ſupra*, ex Panormitano, Soto, Nauarro, & aliis. Multo minus illam incurrit, qui alterum vulnerat, etiam cum multo ſanguine. Caietan. 2.2. *quaſt.65. art.1.* Nauarrus *ſuprà, num. 213.* Nec qui alterum deformat, nullo enim iure habetur, quod talis ſit irregularis. Suarez *d. diſp.44. ſect.2. num.11.* Cornejo *ſuprà.* Naldus *ſupra, num.5.* Qui verò membrum aliquod aridum, & mortuum facit, etiamſi illud non abſcindat, irregularitatem iſtam contrahit. Ratio eſt, quia quamuis in eo caſu abſciſſio externis facta non appareat, tamen re vera facta eſt, cum iuxta doctrinam Philoſophorum membrum mortuum non ſit continuum, ſed contiguum aliis membris. Suarez *num. 11.* Cornejo *ſuprà.* Qui etiam propterea addunt, quod qui poſtea hoc membrum aridum abſcinderet, irregularitatem non incurreret, ſicut nec incurreret eam, qui mutilaret cadauer. Nomine autem membri intelligunt plures compartem corporis, quæ habet diſtinctum officium ab aliis, vt eſt oculus ad videndum, naſus ad odorandum, auris ad audiendum, lingua ad loquendum, manus ad palpandum, &c. Couarruu. *in Clement. ſi furioſus, part.3.* Auila *part.7. diſp.5. ſect.1.* Molina *ſup. diſp.69.* & alij plures. Sed quamuis hæc opinio probabilis ſit, vel propter authoritatem Doctorum, qui illam tenent, mihi probabilior apparet affirmans nomine membri in præſenti, quoad incurrendam irregularitatem (quidquid ſit de conſideratione phyſica illius) intelligi eam partem organicam corporis, quæ ſiue per ſe, ſiue cum alia coniuncta, ſpecialem cooperationem habet, itaut digiti, auricula, teſtes, mammillæ fœminarum, &c. membra ſint. Ratio eſt, quia hoc eſt conformius iuribus, quæ de hoc loquuntur, vel enim ſolum mutilationis meminerunt, vel ſi membri faciunt mentionem, nomine membri partem notabilem corporis humani intelligunt. Caietan. *ſuprà*, Sotus *lib.5. de iuſt. quaſt.2. art.1.* Suarez *d. ſect.2. num.8.* Qui rectè addit hæc intelligenda dummodo pars illa corporis ſit notabilis, ideſt talis, vt carentia illius reddat corpus humanum mutilum, ſeu imperfectum. Layman. *ſuprà, d. cap.11. num.2.*

75 Maximè notandum etiam mutilantem ſibi aliquod membrum, vel ad id cooperantem modo dicto, excepta cauſa neceſſitatis ob ægritudinem, eſſe irregularem. Iura enim abſolutè de mutilante loquuntur, vt conſtat *ex can. qui partem, diſt.55. & cap. Significauit, de corpore vitiat.* Molina *tract.3. diſput.69.* Suarez *dicta diſp.44. ſect.2. num.10.* Cornejo *d. diſput.2. dub. vnic.* Layman. *dicto cap.11. num.3.* Quod intellige, etiamſi tale membrum ſit occultum, nec impediat vſum Ordinis, nec notabilem afferat deformitatem. Nauarrus *ſuprà, num. 198.* Bonacina *ſuprà, quaſt.2. punct.2. num.19.* Diana *ſuprà, reſol. 60.* ex aliis communiter. Intellige ſimiliter, etiamſi caſus ſit occultus. Sayrus *lib.7. cap.7. num.18.* Bonacina *ſuprà, num.35.* etſi oppoſitum tueantur Vgolinus, Nauarrus, Reginaldus, & alij. Requiritur tamen, quod propria culpâ id fiat, vt ex indignatione, impatientia, &c. Nauarrus *ſuprà, num.198.* Toletus *ſuprà, cap.63. num.7.* Idem dico de illo, qui ſibi virilia, aut teſticulos amputauit, vel amputari permiſit, etiam zelo caſtitatis, quia etiam ſic faciens peccauit, *can. ſi quis abſcidit, diſt.55. & cap. ſignificauit*, relato. Toletus *ſuprà*, Bonacina *ſup. num.34.* Qui etiam idem aſſerit de illis, qui ſe caſtrant, vt meliores ſint cantui, quia peccant ſic faciendo, iuxta ea, quæ dixi ſuprà *verb. Homicidium, num.4.* Sayrus *lib.7. cap.9. n.18.* Theſaurus *in prax. verb. Membrorum mutilatio, cap.1.* Sed excuſantur ab Irregularitate, qui in infantili ætate parentum iuſſu id permittunt, cum eo tempore capaces non ſint peccati. An verò idem dicendum de eo, qui in culpa fuit, vt membrum aliquod ipſi abſcinderetur, vel quia deprehenſus in adulterio à marito, vel quia à Iudice ſic fuit damnatus, quamuis communior ſententia id affirmet cum Molina ſuprà *diſput.70. num.18.* Sayro *lib.6. cap.7. num.15.* & aliis, probabilis tamen eſt contraria, eo quòd iura imponentia hanc irregularitatem ſolum loqui videntur de eo qui propria culpa ſeipſum mutilat. Hurtadus *ſupra, difficult.14. num.51.* Turrianus *de Cenſuris, lib.9. diſp.62. dub.4.* quibus fauet Suarez *diſp.51. ſect.2. num.8.*

Hæc porrò Irregularitas non ſolùm tollitur diſpenſatione Pontificis, vt de ſe patet, ſed etiam quando caſus fuerit occultus ab Epiſcopis, propter priuilegium illis conceſſum in Concil. Trident. *ſeſſ.24. cap.6.* eo quod ibi concedatur ipſis priuilegium diſpenſandi in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, ea ſolum excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. Mutilatio autem propriè loquendo non eſt homicidium, maximè in materia fauorabili, qualis eſt dictum priuilegium. Accedente etiam declaratione S. Congregationis, quam refert Suarez *diſp.14. ſect.4.* quæ habetur apud Garzias *de benefic. part.7. cap.11. num.31.* & Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Homicida, & homicidium.* De hoc Cornejo *d. diſput.2. dub. vnico*, Diana *ſup. reſolut.71.* poſt plures alios contra Sanchez *in Decal. tom.1. lib.1. cap.10. num.49.* qui citat Henriquez, & Medinam. Conſequenter etiam poſſunt illi Prælati Regulares, qui communicant in priuilegiis cum Dominicanis, ex priuilegio Pij V. quod retuli *tom.1. cap.18. num.31.* diſpenſare per ſeipſos cum ſuis ſubditis in foro conſcientiæ tantum, quando caſus fuerit occultus. Peyrinis *ſuprà, num. 117.* ex Rodriguez, & Miranda. Adde Portellum *in Dub. Regular. verb. Diſpenſare, num.7.* Suppono autem non poſſe Prælatos Regulares concedere talem diſpenſationem ex vi Priuilegiorum, quæ retuli eo *cap. 18. num. 40.* quia ibi expreſsè excluditur hæc irregularitas. Certum etiam eſt non tolli per Baptiſmum, quia à non Baptizatis non contrahitur, propter ſæpiùs dicta, neque per Profeſſionem Religionis, cùm nullum ſit fundamentum ad id aſſerendum. 76

Dicendum quintò: Ex homicidio, ſeu mutilatione caſuali culpabili, & cooperatione ad ipſa modo ſuperiùs dicto incurritur etiam irregularitas. Ita enim colligitur *ex cap. Significaſti 1. & cap. dilectus, de homicid. & ex cap. Clericus*, cum aliis *diſt.50.* & Concil. Trid. *ſeſſ.14. cap.7.* & aliis iuribus. S. Thom. 2.2. *quaſt.64. art.8.* & Expoſitores *ibid.* ac omnes Summiſtæ *verb. Homicidium, & verb. Irregularitas.* 77

Pro quo ſuppoſita diuiſione homicidij caſualis, de qua dixi *verb. Homicidium, num.2.* notandum, tantùm eſſe hîc ſermonem de homicidio (intellige etiam pro ſemper idem de mutilatione) caſuali, quod aliquo modo eſt volitum in ſua cauſa, quia fuit præuiſum, & quia non fuit adhibita diligentia ſufficiens ne ſequeretur; non verò eſſe ſermonem de homicidio merè caſuali, & fortuito, quod vel nullo modo fuit præuiſum, vel ſi fuit præuiſum, adhibita tamen fuit diligentia ſufficiens ne ſequeretur. Hoc enim poſtremum homicidium certum eſt nullam inducere irregularitatem. Sumitur *ex cap. lator, cap. ex litteris 1. & 2. cap. Significaſti 1. cap. exhibita, de homicid.* & etiam ex declaratione S. Congregationis apud Barboſam *in collectan. Bullar. verb. Homicidium*, ac ex ratione, quia eſt omninò inuoluntarium, ac per conſequens inculpabile: homicidium autem caſuale, quod hanc Irregularitatem inducit, debet eſſe peccatum, vt habet S. Thomas *ſuprà.* Panormitan. *cap. ad aures, de ætat. & qualit.* Toletus *ſuprà, cap.81. num.1.* Imò & mortale, iuxta dicta *ſuprà q.68.* prout & tenent Sotus *lib.5. de Iuſtit. quaſt.1. art.9.* 78

Nauarrus

Digitized by Google

Nauarrus *ſuprà*, *num.* 252. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 7. Cornejo *ſuprà*, *diſp.* 3. *dub.* 4. & alij. Vnde communiter Doctores ſupponunt hanc Irregularitatem ex homicidio caſuali (ſicut & illam, quæ eſt ex homicidio voluntario) non incurri propter homicidium commiſſum ab amenta, furioſo, vel puero ante vſum rationis, eo quòd tale homicidium peccatum non eſt. Bonacina *ſuprà*, *punct.* 7. *num.* 3. 4. & 5. ex aliis multis. Adde, quod neque per huiuſmodi homicidium omnino caſuale, & fortuitum incurretur Irregularitas, etiam in caſu quo homo illud committens daret operam rei illicitæ, & ex illa ſequeretur; quia ſiue tale opus ex quo ſequitur homicidium, ſit licitum, ſiue illicitum, ſi tamen illud non eſt præuiſum, vel ſi præuiſum, facta eſt ſufficiens diligentia, ne ſequatur, proculdubio voluntarium non erit, nec peccatum homicidij, ac per conſequens non inducet hanc Irregularitatem. Sotus *ſuprà*. Auila *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 1. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. Layman. *d. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Cornejo *ſup. dub.* 2. *in concluſ.* 1. Excipe tamen caſum, quo illud opus non ſolum eſſet illicitum, ſed etiam prohibitum, quia periculoſum homicidij, quod ex illa ſequi ſæpius ſoleat, tunc enim exercens tale opus cenſetur etiam velle indirectè tale homicidium, etiamſi faciat diligentiam ad illud euitandum; diligentia enim, quæ adhibetur, non immutat naturam illius operis, nec facit, quod illud non ſit periculoſum homicidij, ac per conſequens conſenſus in illud eſt etiam conſenſus in homicidium. Ita etiam colligitur *ex cap. vltim. de homicid. in* 6. & *ex cap. Tua nos*, & *cap. ſicut*, *de homicid.* Sotus *ſuprà*, Nauarrus *ſuprà*, *num.* 237. Suarez *ſuprà*, *diſput.* 45. *ſect.* 6. *num.* 9. Cornejo *ſup. in* 2. *concluſ.*

79 Ex his autem, & Authoribus relatis colligi poſſunt tres regulæ valde neceſſariæ pro intelligentia huiuſmodi Irregularitatis, ex quibus etiam colligi poteſt deciſio plurium caſuum conſcientiæ, quorum multi ſpecialiter ad Regulares ſpectare poſſunt. Prima eſt, Dans operam rei licitæ, ex qua caſu, & fortuitò ſecutum eſt homicidium, ſi non præuidit tale homicidium, vel ſi præuidit, adhibuit tamen diligentiam, ne ſequeretur, non eſt irregularis. Exempla porrò ſunt in Prælato, vel Magiſtro Nouitiorum moderatè verberante ſubditum, ex quo contingit, quod incideret in morbum, & moreretur. In Religioſo pulſante campanam pro Miſſa, vel Choro, ex qua pulſatione contingit, vt tintinnabulum caderet in via, & occideret prætereuntem, *cap. litter.* 2. *de homicid. cap. Ioannes*, *eodem titulo*. In Religioſo infirmario, ſeu habente curam infirmi moribundi, qui bona fide, nec contra præceptum medici ipſi dat aliquid cibi, vel potus, vel ipſum in aliud latus cautè voluit, ex quo ſequitur acceleratio mortis. Idem dico de medico, ſeu chirurgo ſæculari, qui iuxta regulas artis medetur infirmo, qui caſu moritur.

80 Secunda regula eſt, Dans operam etiam rei illicitæ, ſeu prohibitæ, dummodo non ſit prohibita propter periculum homicidij, quod ex illa ſequi ſoleat, etiamſi ſequatur homicidium, ſi vel illud non fuit præuiſum, vel ſi præuiſum, adhibita fuit diligentia, ne ſequeretur, non incurrit Irregularitatem. Exempla ſunt in Religioſo ſonante campanam etiam contra præceptum ſui Superioris, ſi inde contingat, quod cadat tintinnabulum in via, & occidat aliquem. Et in Religioſo equitante contra Regulam ſui Ordinis, vel præceptum ſui Superioris, ſi inde contingat, quod equus rupto freno, vel alio modo occidat puerum. Item in Religioſo vacante venationi ſibi, & aliis Eccleſiaſticis prohibitæ, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 20. quando venatio eſt illis prohibita, non propter periculum homicidij, ſed propter decentiam ſtatus. Item in Religioſo perito medicinæ, qui contra prohibitionem Eccleſiæ medetur alicui infirmo citra inciſionem, & aduſtionem, iuxta dicta *eo c.* 9. *n.* 18.

81 Tertia regula eſt, Dans operam rei illicitæ periculoſæ homicidij, ex qua videlicet illud ſequi ſolet, etiamſi diligentiam adhibeat ne illud ſequatur, ipſo tamen facto Irregularitatem incurrit. Exempla ſunt in exercente torneamenta, vel mittente bombardam, ſagittam, aut lanceam ad arcem, vel exercente chirurgiam inciſione, vel aduſtione, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 9. *num.* 15. aut incumbente venationi Aprorum, Vrſorum, Leonum, ſeu ferarum, quæ dentibus, aut vnguibus vitæ periculum afferre ſolent, vel adeo grauiter verberante ſubditum, vt inde ſecuta ſit mors illius, *c. Preſbyterum*, *de homicid.* ac in ludente, vel in ſaltante incautè, & immoderatè cum fœmina prægnante, ſi inde ſequatur abortus, *cap. Sicut ex litterarum*, *de homicid.* Item in dante potionem purgatiuam infirmo ſine conſilio medici (quod idem cenſeo de habente curam infirmi, ſeu infirmario, ſi notabiliter, & grauiter negligens fuerit circa medicamenta, & alia illi neceſſaria, ex Reginaldo *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 2.) Idem dico de parentibus, ſeu nutricibus tempore ſomni infantes ſecum in lecto habentibus, ſi eos ſuffocari contingat, *cap. quæſitum*, *de pœnitentiis*, & *remiſſionibus*. Idem quoque aſſerendum in caſu, quo aliquis præcepit alicui, vt percuteret alium, expreſsè etiam præcipiens, ne illum lethaliter vulneraret, ipſe tamen ipſum interfecit, *cap. vlt. de homicid.* Nec contra hoc obſtat declaratio quædam S. Congregat. quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Irregularitas*, in qua dicitur, Irregularitatem non incurrit mandans aliquem baculo verberari, eo expreſſo ne occideret, ſi mandatarius armis percuſſerit, & occiderit. Ibi enim mandans non dabat operam rei illicitæ periculoſæ homicidij, ſaltem proximè, ſicut nos loquimur in præſenti. Similiter idem aſſerendum in caſu, quo aliquis mandaret alicui, vt occideret Petrum, ipſe verò occidit Ioannem. Etſi in tali caſu non incurreret irregularitatem ex homicidio voluntario, vt habetur ex declaratione quadam Sacræ Congregationis apud eundem Barboſam *ſuprà*, *verb. Homicidium*. Pariter idem dicendum de illo, qui conſilium dedit alicui, vt intraret duellum, ſeu iret ad bellum iniuſtum, vel tranſiret per flumen periculoſum, aut per locum in quo nouerat adeſſe inimicos ipſius inſidias illi tendentes.

82 Diligentia porrò, quæ iuxta primam, & ſecundam regulam adductam adhibenda neceſſariò eſt, ne ex homicidio caſuali incurratur irregularitas, non eſt illa, quam adhibent prudentiſſimi, & accuratiſſimi, cuius omiſſio leuiſſima culpa appellari ſolet: nec eſt ea, quam prudentiores, & diligentiores etiam adhibere ſolent, & cuius omiſſio leuis culpa appellatur, ſed eſt ea, quam vir prudens, & diligens, ac circumſpectus, conſiderata rei qualitate, ac circunſtantiis, adhibere ſolet. Cornejo *ſuprà*, *dub.* 1. & alij.

83 Hæc autem Irregularitas non ſolum tollitur diſpenſatione Pontificis, vt per ſe patet, ſed etiam diſpenſatione Epiſcopi, quando caſus eſt occultus, iuxta decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. Imò etiam à Prælatis Regularibus habentibus ea priuilegia, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 40. De quo Sayrus *lib.* 7. *cap.* 7. Portelius *in dub. Regular. verb. Diſpenſare*, *num.* 9. Peirinis *tom.* 1. *Priuilegior. Minim. in Conſtit.* 5. *Iuly II. num.* 112. referens Llamas, Chapeauillam, & alios. Quod verò hæc Irregularitas non tollatur propriè loquendo per Baptiſmum, nec per Profeſſionem Religionis, conſtat ex dictis à ſimili de Irregularitate ex homicidio voluntario, *ſuprà num.* 72.

84 Præter dictas autem Irregularitates, aſſignantur quoque aliæ etiam ex delicto prouenientes à quibuſdam. Prima, propter apoſtaſiam à Religione. Secunda propter apoſtaſiam à Clericatu. Tertia, propter excommunicatum, qui præcipit coram ſe celebrare. Quarta, propter egreſſum Religioſi extra clauſtrum ad

audiendas leges, vel medicinam. Quinta, propter crimen Sodomiæ. Sexta, ptopter etimen Simoniæ. Septima, propter celebrationem in Altari proptia authoritate erecto. Octaua, propter Sacerdotem, qui Miſſam pro aliquo homine viuo celebrat, vt mortem illi Deus inferat. Nona, propter eum, qui corpus, & ſanguinem Chriſti conficit, prætermiſſo ritu, quem Eccleſia celebrare præcipit. Decima propter eum, qui Altaria denudat, aut lugubri ornatu veſtit ſolum ob animi ſuij triſtitiam. Vndecima, propter Epiſcopum, qoi abutitur poteſtate urdinandi, conferendo Ordines per ſaltum, quando vult. Duodecima, propter Cardinalem in Papam indebitè electum à paucioribus, quam à duabus partibus. Decimatertia, propter Clericum, qui in vita, vel morte fauet raptoribus. Decimaqoarta, propter Sacerdotem, qoi excommunicatum nominatim ſcienter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittit. Decimaquinta, propter ſacrilegium. Decimaſexta, propter concumbentem cum Moniali. Decimaſeptima, propter Clericum periurum. Decimaoctaua, propter habentem conſuetudinem patrandi aliquod mortale peccatum. Decimanona, propter blaſphemum.

85 Sed quod attinet ad primam ex dictis *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 11. conſtat quid ſentiendum. De ſecunda cum nullus textus id conuincat, & nulla Irregularitas ſit, quæ in iure non exprimatot, non eſt fundamentum ad eam introducendam. De tertia aliquid dixi ſuprà *verb. Excommunicatio*, *num.* 19. Pro quarta vide dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Pro qointa, vide etiam dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 11. 12. 13. & *cap.* 10. *num.* 8. nec etc.las Irregularitatem propterea incurri, niſi textus id exprimens afferatur. Idem dico de ſexta, & omnibus aliis adductis, qoia vel nullus textus pro illis caſibus adducitur, vel ſi adducitur, ſolum is loquitur de aliqua cenſura, vel depoſitione, non de irregularitate: vel tandem ſi aliqua irregularitas in his caſibus incurritur, ea eſt non præcisè ratione delictorum, ſed ratione infamiæ, quando ipſa fuerint notoria, iuxta dicta ſuprà *verb. Infamia*, *n.* 3. & 9. Vide Suarez *ſup. diſp.* 43. *ſect.* 4. & 5. Filliucium *tract.* 20. *c.* 8. & 9. Reginaldum *lib.* 30. *tract.* 1. Bonacina *ſuprà*, *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 7.

86 Cum irregularitas non tollatur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, ideo pro ipſa obſeruanda ſunt quæ dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *a n.* 42. & ſuprà *verb. Diſpenſatio*. Diſpenſans etiam in illis debet ſemper imponere pœnitentiam condignam, vt patet ex praxi Eccleſiæ, Bullis Pontificiis, Breuibus S. Pœnitentiariæ, ac decretis Rotæ, Portellus *in Dub. Regular. verb. Irregularitas*, *n.* 37. *in addit.* Quia ergo illæ ſolent diſpenſari à Prælatis Regularibus in viſitationibus, vel aliis Solemnitatibus, iuxta dicta *eo cap.* 18. *num.* 93. adeo vt ioxta ſententiam Nauarri *in Man. cap.* 26. *num.* 13. & Vincentij Candidi *tom.* 1. *Diſquiſit. Moral. diſquiſit.* 3. *art.* 40. *num.* 3. Religioſi ſic diſpenſati non teneantur quærere aliam diſpenſationem, ſed ſolum confiteri peccata, ob quæ illas incurrerunt, ideo tunc imponere debent aliquam pœnitentiam ipſis diſpenſatis, licet Portellus *ſup. num.* 38. dicat ſufficere eam, quæ ibi interuenit in genuflexione, & recognitione culparum, &c. Sed id quod dixi ad minus eſt ſecurios, propter praxim Eccleſiæ adductam. Quod autem ad diſpenſandum non requirantur in iure determinata verba, ſed ſufficiant ea, quibus voluntas diſpenſantis ſignificetur, habet idem Portellus ex communi aliorum ſententia *ſupra*, *num.* 34.

IVBILÆVM.

SVMMARIVM.

1 *Iubilaeum quid, & quotuplex ſit.*
2 *In quo conueniat, & in quo differat.*
3 *Iubilai anni Sancti circunſtantiæ.*
4 *An anno Iubilai Religioſi Romam venire poſſint ſine licentia.*
Quid de aliis circunſtantiis Iubilai, ibid.
5 *De ſuſpenſione Indulgentiarum.*
6 *De ſuſpenſione priuilegiorum ad abſoluendum, &c.*
7 *Quid in illa intelligatur pro verè pœnitentibus, & confeſſis.*
8 *De facultate eligendi Confeſſarium.*
9 *De Iubilæis communibus extra annum Sanctum.*
10 *De Indulgentia plenaria in illis conceſſa.*
11 *De viſitatione Eccleſiarum.*
12 *De Ieiunio.*
13 *De Oratione.*
14 *De Eleemoſyna.*
15 *De illa clauſula* Confeſſis, Communicatis, &c.
16 *De Confeſſario approbato ab Ordinario.*
17 *De Caſibus reſeruatis.*
18 *De commutatione Votorum.*
19 *De duabus hebdomadibus pro Iubilæo lucrando.*
20 *Per quæ opera conſequi poſſit Iubilæum.*
An bis, ſeu pluries, ibid.
21 *De clauſula*, De pœnitentiis iniunctis.

IVbilæi nomen deſumptum eſt ab *Iobel*, hebraica voce ſignificante *remiſſionem*, ſeu *initium*, iuxta S. Hieronymum, S. Iſidorum, & Gloſſam interlinearem, vel *plenariam requiem*, ioxta S. Gregorium, de quo noſter Hieronymus Gratianos *in tractat. de Iubilæo anni Sancti*, *part.* 1. *cap.* 1. Deſumptum etiam eſt ab vſu antiquo Hebræorum, quo anno quinquageſimo iubebantur ab agricoltura vacare, debita remittere, poſſeſſiones antiquis dominis reſtituere, & ſeruos liberare, *Leuit.* 25. & 27. Quia ergo annus ille remiſſionis *Iubilæus*, vocabatur, ideo Eccleſia cum remiſſionem peccatorum ſolemniter indulget, eo nomine Iubilæi vtitur. Rutilius Benzonius *de anno Iubilæi*, *lib.* 1. *cap.* 4. & 5. Hieronymus Gratianus *ſuprà*, *cap.* 3. Omiſſis autem variis Iubilæi acceptionibus, de quibus idem Gratianos *ſuprà*, *cap.* 1. & 3. in præſenti ſumitur ex vſu Eccleſiæ primò, pro ſolemniſſimo illo, quo ſpecialibus cæremoniis Bonif. VIII. ante annos 300. ſtatoit centeſimo quoque anno Romæ celebrari *Extrauag.* 1. *de pœnitent. & remiſſ.* (eſto priùs eſſet in vſu Eccleſiæ) & poſtea Clemens VI. ad annum quinquageſimom in Extrauag. *Vnigenitus*, *&c.* Gregor. XI. ad 33. prout colligitor ex Bulla Alexand. VI. & Paolus II. ac poſteriores Pontifices ad annum vigeſimum quintum reduxerunt. Secundò, pro alia pleniſſima indulgentia, quæ cum aliis gratiis, & facultatibus Apoſtolica benignitate concedi ſolet. Benzon. *ſuprà*, *lib.* 4. *cap.* 2. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. Gratianus *ſuprà*, *cap.* 5. & 6. Definiri autem poteſt Iubilæum communiter ſumptum, & ab vtroque abſtrahens, hoc modo. *Eſt Indulgentia plenaria à Summo Pontifice conceſſa viſitantibus certas Eccleſias, ac certa pia opera facientibus, cum facultatibus circa abſolutionem à caſibus reſeruatis, & commutationem in votis.* Ita colligo ex Gratiano *ſuprà*, & aliis communiter. Vnde Iubilæum, & Indulgentia plenaria ſe habent ſicut includens, & incluſum. Omne enim iubilæum plenariam Indulgentiam includit, etſi addat prædictas facultates. Indulgentia autem plenaria poteſt dari ſine Iubilæo, & ſine prædictis facultatibus, vt patet in ea, quæ conceditur medaliis, imaginibus, &c. Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 1. Corduba *lib.* 5. *de Indulgent. quæſt.* 9. Bonacina *diſp.* 6. *de Indulgent. quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.* 5. 1

Conueniunt autem hæc duo Iubilæa. Primò, in eo quod vtrumque à Papa ſolùm conceditur. Secundò, quod per vtrumque Indulgentiam plenariam conſequuntur fideles. Tertiò, quod vtroque concedit etiam Pontifex gratias, & facultates aliquas ad abſoluendum 2

dum à reſeruatis, commutandum vota, &c. Differunt autem primò in eo, quod licet per vtrumque plenaria Indulgentia concedatur, certius tamen eſt eam conſequi fideles per Iubilæum anni Sancti, quam per alia: cum quia illud maiora opera, & magis proportionata requirit: tum quia propter vniuerſaliſſimam cauſam, videlicet fidelium, & totius populi Chriſtiani ſalutem, prout patet ex Bulla Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, de qua infra, conceditur. Secundo, nam Iubilæum anni Sancti per totum integrum annum durat, alia verò non niſi per vnam, aut duas hebdomadas. Tertiò, quia illud tempore determinato, ſcilicet anno centeſimo, quinquageſimo, vel vigeſimoquinto ſolum conceditur. Alia verò, iuxta occurrentes neceſſitates, ſæpius ad Papæ beneplacitum. Quartò, in Iubilæo anni Sancti aliæ indulgentiæ plenariæ ſuſpenduntur, non verò in communibus, & ordinariis iubilæis. Quintò, in illo anni Sancti iubilæo, populi concurſus ad almam Vrbem maximus eſt, aperit Papa portam Sanctam, fiuntque aliæ cæremoniæ, quæ in communibus iubilæis non contingunt. Gratian. *ſuprà*, *c*.5. De vtroque ergo Iubilæo aliqua dicenda.

3 Primò ergo, circunſtantiæ iubilæi anni Sancti, ſpecialiter ſequendo Bullas indictionis eiuſdem à Sanctiſſimo Domino N. Vrbano Octauo editas, quæ habentur in 4. tom. Bullarij inter Bullas ipſius *num*.16. pro iubilæo anni 1625. quibus ſimiles reperiuntur in Bullis Gregorij XIII. & Clementis VIII. quas referunt Nauarrus, Benzonius, Gratianus, & alij, qui de iubilæo ſcripſerunt, ſunt iſtæ. Prima, conuocatio, & inuitatio omnium fidelium pro celebratione dicti iubilæi ad Almam Vrbem. Secunda, conceſſio indulgentiæ pleniſſimæ omnium peccatorum Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, viſitantibus quatuor præcipuas Vrbis Eccleſias, ſcilicet, Lateranenſem, Sancti Petri, Sancti Pauli, necnon Sanctæ Mariæ Maioris, ſemel ſaltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, ſi incolæ Vrbis fuerint, ſi verò peregrini, aut exteri, per quindecim ſaltem, & orantibus pro ipſorum fidelium, ac totius populi Chriſtiani ſalute. Ita tamen, vt ij, qui hac de cauſa Romam venire aggreſſi fuerint, vel eò ſe contulerint, ſi in via, aut in Vrbe, morbo, vel legitima cauſa impediti, aut morte præuenti præmiſſa exequi non poſſent, verè tamen pœnitentes, & confeſſi prædictæ Indulgentiæ participes eſſent. Tertia eſt, Prælatis præcipere vt omnes moneant, & inſtituant ad pia opera peraganda pro huiuſmodi Iubilæi conſecutione, ac Principes hortari, vt ad dicta pia opera, & præcipuè ad peregrinis ſubueniendum ardentiùs ſe gerant. Quarta eſt ſuſpenſio pro eo anno omnium aliarum indulgentiarum, ac facultatum abſoluendi à caſibus reſeruatis quibuſcunque conceſſarum. Quinta eſt conceſſio eiuſdem iubilæi pro Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, aliiſque Chriſti fidelibus, carceratis, & infirmis Romam venire impeditis, verè pœnitentibus, & confeſſis, pia opera ab Ordinariis locorum deſignanda facientibus. Sexta, pro eiſdem facultas eligendi Confeſſarium, qui eos abſoluat ab omnibus peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut contentis in Bulla Cœnæ Domini, de quibus omnibus aliquid dicendum.

4 Circa primam quidem, prout ſpecialiter ad Regulares ſpectat, illud aduertendum, non obſtante tali conuocatione, & inuitatione à Pontifice facta omnium fidelium, vt Romam veniant pro lucrando iubilæo, nihilominus ipſos venire non poſſe ſine licentia ſuorum Prælatorum, non enim credi debet Pontificem illam concedere independenter ab ipſis, cum id eſſet in magnum detrimentum diſciplinæ Regularis. Circa ſecundam, qualiter per Indulgentiam pleniſſimam intelligatur idem quod plenaria, ſeu plenior, dixi ſuprà *verb. Indulgentiam*, *num*. 3. Qualiter viſitatio Eccleſiarum facienda ſit, dicam infra cum de Iubilæis, quæ communiter concedi ſolent, ſermo erit. Circa tertiam verò de præcepto Prælatorum, vt moneant, & inſtituant fideles ad pia opera præſtanda pro lucrando iubilæo, poteſt dici illud non obligare ad culpam ſaltem mortalem, quia nec verba, quibus vtitur Pontifex, nec materia de qua eſt ſermo, aliud exigere videtur. Multò magis id dici debet de exhortatione illa ad Principes, propter eandem, imò & maiorem rationem.

Circa quartam verò circunſtantiam Iubilæi anni 5
Sancti, ſuſpenſionem videlicet indulgentiarum, primò dicendum eſt, per eam non ſuſpendi indulgentias conceſſas pro defunctis, ſiue Regular. ſiue ſæcularibus, iuxta dicta *tom*. 1. *part*. 1. *cap*. 3. *num*. 19. & ſuprà *verb. Indulg. quoad Regul. n*. 11. prout & tenent Nauarrus *in Comm. de indulgent. notab*. 25. *num*. 3. Alphonſus Leo *de Iubilæo*, *part*. 1. *quæſt*. 6. *num*. 246. Nec Altaria priuilegiata, iuxta dicta probabiliter ſuprà *verb. Altare*, *n*. 19. Nec conceſſas pro conſtitutis in articulo mortis, iuxta dicta etiam probabiliter dicto loco ex primo tomo Summæ, & ſuprà *verb. Indulgentia quoad Regulares*, *n*. 10. etſi oppoſitum tueantur Layman. *lib*. 5. *tract*. 7. *cap*. 8. *num*. 3. Angelus Boſſius *in diſcept. de ſuſpenſ. indulgent. tempore Iubilæi*, *num*. 20. ex Nauarro, & Benzonio. Nec Bullam Cruciatæ pro locis in quibus publicatur, aut indulgentias per illam conceſſas, eo quòd illa conceduntur per modum contractus, ſcilicet dantibus eleemoſynam in Bulla deſignatam. Pontifex autem in dicta ſuſpenſione non facit mentionem conceſſorum per modum contractus. Diana *part*. 1. *tract*. 11. *reſol*. 97. referens declarationes Clement. VIII. ac Vrbani VIII. & afferens pro hac ſententia Portellum, Bonacinam, Salas, Leonem, Zerolam, Villalobos, Henriquez, Rodriguez, & alios, maximè Sanchez *lib*. 8. *de Matrim. diſp*. 33. *num*. 8. & 10. Qui benè addit, quod priuilegia per modum contractus conceſſa non reuocantur per ſolam generalem reuocationem, & quando ex iuſta cauſa reuocantur, expreſsè debet fieri compenſatio æqualis. Nec etiam ſuſpenduntur Indulgentiæ plenariæ conceſſæ Eccleſiis Vrbis Romæ, etiam illis, quæ ſunt extra muros. Nam cauſa ſuſpendendi indulgentias pro anno iubilæi, ſcilicet, vt fideles omnes Romam conueniant, non militat in Eccleſiis Vrbis. Nauarrus *ſuprà*, *notab*. 33. *num*. 4. Filliucius *tom*. 1. *tract*. 10. *cap*. 10. *n*. 252. Gratianus *ſuprà*, *cap*. 13. Angelus Boſſius *ſup. num*. 30. & 31. Nec etiam ſuſpendi indulgentias non plenarias, ſed ſolum plenarias, eo quod per id ſufficienter ſaluatur finis ſuſpenſionis factæ in iubilæo, vt ſcilicet Romam conueniant fideles, probabiliter ſatis tenent Filliucius *tom*. 1. *tract*. 8. *cap*. 10. *num*. 251. Alphonſus Leo *de Iubilæo*, *part*. 1. *quæſt*. 6. *num*. 226. Gratianus *ſuprà*, & indicat Layman. *ſuprà*, *num*. 2. Solùm ergo ſuſpenduntur omnes indulgentiæ plenariæ conceſſæ extra Vrbis Eccleſias, & Bullam Cruciatæ, viuis non exiſtentibus in articulo mortis, etiamſi tales ſint Moniales, vel carceri perpetuo, vel triremibus addicti. Layman. *ſuprà*, *num*. 3. Boſſius *ſuprà*, *num*. 18. Et contra eas publicantes, vel nunciantes publicè, vel ſecrétè imponit Pontifex excommunicationem ipſo facto incurrendam, præter alias pœnas arbitrio Ordinariorum infligendas, vt patet ex verbis Bullæ. Nauarrus *ſuprà*, *notab*. 35. Benzon. *lib*. 4. *cap*. 8. *dub*. 6.

De ſuſpenſione vero priuilegiorum, ſeu Indultorum 6
abſoluendi à caſibus reſeruatis, dicendum primo, intelligi debere ſolum de prædictis facultatibus à Sede Apoſtolica conceſſis occaſione indulgentiarum, ſeu cauſa illas conſequendi. Non vero de illis, quæ conceſſa ſunt ad alios fines, prout ſunt quæ conceduntur Epiſcopis in Concil. Tridentin. *ſeſſ*. 24. *cap*. 6. & Regularibus in eorum priuilegiis, Layman. *ſuprà*, *num*. 4. Angelus Boſſius *ſuprà*, *num*. 42. & ſequentibus. Lugo *de Sacram. Pœnitent*, *diſp*. 20. *ſect*. 8. *num*. 145. Quibus

fauent, iuxta anteriores Bullas Gregorij XIII. & Clement. VIII. Nauarrus *ſuprà, notab.* 33. Benzon. *d. cap.* 8, *dub.* 3. *&* 5. Dicendum ſecundò, nec etiam ſuſpendi facultates conceſſas aliquibus ad abſoluendum à caſibus Epiſcopalibus, quia ſolum in Bulla eſt ſermo de facultatibus abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. Gratianus *ſuprà*. Quod autem nec ſuſpendantur facultates conceſſæ in Bulla Cruciatæ, conſtat etiam ex dictis num. præced.

7 Quomodo autem quinta circumſtantia Iubilæi anni Sancti, ſcilicet pro *verè pœnitentibus, & confeſſis*, intelligenda ſit, conſtabit ex dicendis infra circa ſimilem clauſulam, quæ in Iubilæis communibus apponi ſolet.

8 Circa ſextum vero de facultate eligendi Confeſſarium, cum ſit etiam clauſula communis pro aliis iubilæis, inferius dicetur. Solum animaduertendum, quod quamuis in illa conceſſa prædictis Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, & carceratis, vt abſolui poſſint à Confeſſariis ab ipſis electis ab omnibus, & quibuſvis peccatis & criminibus, etiam in Bulla Cœnæ comprehenſis, non exprimantur cenſuræ pro talibus criminibus impoſitæ, nihilominus cenſeri etiam debent comprehenſæ, quia conceſſa facultate abſoluendi à culpa Papæ reſeruata habente cenſuram, cenſetur etiam conceſſa facultas abſoluendi ab ipſa cenſura, vt habet Suar. *tom.* 4. *part.* 3. *diſp.* 29. *ſect.* 2. *num.* 55.

9 Loquendo tamen de aliis Iubilæis communibus extra annum Sanctum à Sede Apoſtolica concedi ſolitis, plura in illis animaduertenda ſunt diſcuſſione digna. Scilicet, quod per illa conceditur Indulgentia plenaria viſitantibus vnam, vel aliquas Eccleſias, vel aſſiſtentibus alicui proceſſioni, ieiunantibus certis diebus vnius, vel alterius hebdomadæ, dantibus aliquam eleemoſynam, & orantibus pro Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, pace inter Principes Chriſtianos, vel aliis ſimilibus Eccleſiæ neceſſitatibus, confeſſis tamen, & communicatis; illis etiam conceditur, quod poſſint eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario, qui eos abſoluat à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & quod talis Confeſſarius poſſit eorum vota, aliquibus exceptis, in alia pia opera commutare. De quibus omnibus ſigillatim agendum.

10 Et primò, quod attinet ad Indulgentiam illam plenariam prædicta facientibus conceſſam, nota primò, ex communi doctrina tradita ſuprà *verb. Indulgentia, num.* 2. *&* 5. ad eam conſequendam requiri ſtatum gratiæ, pro eo ſcilicet tempore quo indulgentia applicatur. Homo enim in peccato mortali exiſtens non eſt capax remiſſionis pœnæ temporalis, quæ per indulgentiam confertur. Suarez 4. *tom. in* 3. *part. diſp.* 52. *ſect.* 2. *num.* 7. Bonacina *de indulgent. diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *num.* 10. Nota tamen ſecundò, ex iis, quæ cœpi dicere eodem *num.* 5. ſufficere quod homo exiſtat in gratia, dum facit vltimum opus præſcriptum, etiamſi præcedentia in ſtatu peccati mortalis præſtiterit, tum quia incredibile videtur, quod qui in tempore iubilæi anni Sancti per triginta dies Vrbis Eccleſias viſitat, non lucretur iubilæum, propterea quod vna die in peccato mortali ipſas viſitauerit: tum etiam quia ſtatus gratiæ non requiritur præcisè propter opus præſcriptum à Pontifice, ſed propter conſequutionem ipſius iubilæi, aut Indulgentiæ. Opus enim illud ſolum eſt conditio quædam pro applicatione indulgentiæ, non vero neceſſariò ſatisfactorium in actu ſecundo. Suarez, & Bonacina *ſuprà*. Naldus *in Summa, verb. indulgentia, num.* 8. ex Henriquez. Imò cum ipſum opus vltimum ſucceſſiuè fit, quamuis contingat ſine gratia inchoari, ſi tamen in gratia conſummetur per contritionem, &c. ſufficiet pro indulgentia. Suarez *d. num.* 7. Toletus *in Summa, lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 2. ex D. Antonino, Sylueſtro, & Soto. Nota etiam tertiò, nec eſſe neceſſarium, quod ea opera, quæ fiunt pro conſequendo iubilæo, vel indulgentia, ſint in indiuiduo bona moraliter. Sed ſufficere, quod materialiter, vt ſic dicam, ſeu ex ſuo genere bona ſint, ita vt qui viſitando Eccleſiam, ieiunando, orando, &c. propter appoſitionem alicuius malæ circunſtantiæ, finis videlicet, &c. peccat, non propterea perdit Indulgentiam, vel iubilæum. Ratio eſt, non ſolùm, quia ad implenda præcepta Dei, & Eccleſiæ ſufficiunt opera bona ex genere ſuo, etiamſi in indiuiduo ſint peccata, vt patet in eo qui dat eleemoſynam, aut audit Miſſam ex prauo fine; ſed etiam, quia Pontifex concedens indulgentiam ſolum deſignat opera ex ſe bona ex natura ſua conducentia ad finem indulgentiæ conſequendæ. Corduba *ſuprà, lib.* 5. *quæſt.* 21. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. Suarez *ſuprà, ſect.* 6. Ludouicus à Cruce *de expoſit. Bullæ Cruciat. diſp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 5. Semper tamen debent fieri illa opera ex intentione ſaltem virtuali lucrandi Indulgentiam, & faciendi id, quod Pontifex per illa intendit. Suarez *ibid.* Ludouic. à Cruce *ibid. num.* 14.

Circa viſitationem Eccleſiæ, vel Eccleſiarum nota primò, quod ſi in ea, vel eis ſint aliæ indulgentiæ, poterunt ſimul, & ſemel obtineri, ſi pro eiſdem operibus ſint conceſſæ, iuxta dicta ſuprà *verb. Indulgentia, num.* 19. de lucrantibus eodem actu plures indulgentias diuerſis medallis conceſſas. Gratianus *ſup. in Dialog.* Nota ſecundò, nomine Eccleſiæ viſitandæ, etiam venire Cœmeterium, iuxta dicta *ibid. num.* 8. Quomodo autem viſitari poſſint Eccleſiæ, aut quinque Altaria in illis, ſi hoc præſcribatur in Iubilæis, dixi ſuprà *verb. Bulla Cruciata, num.* 18. 11

Circa ieiunium notandum, illud eſſe neceſſarium, etiam pro adoleſcentibus ante vigeſimumprimum annum, etſi enim ante id tempus ad Eccleſiaſticum ieiunij præceptum non teneantur, tenentur tamen ad ieiunandum, ſi volunt conſequi Iubilæum, quia illud non conceditur niſi ſub hoc onere. Naldus *in Summa, verb. Ieiunium, num.* 6. Layman. *ſuprà, num.* 12. ex aliis. Nota ſecundò, hoc ieiunium pro Iubilæo debere eſſe illud, quod iuxta Patriæ conſuetudinem eo tempore obſeruatur, itaut ſi eo tempore, & loco in diebus ieiunij lacticinia edantur, etiam edi poſſint pro Iubilæi ieiunio, ſecus ſi non edantur, prout contingit in Quadrageſima. Ita enim prudenter interpretanda videtur mens Pontificis. Bonacina *ſuprà, num.* 16. ex Henriquez, Medina, & aliis, ac Lugo *de Sacrament. Pœnit. diſp.* 27. *ſect.* 7. *num.* 108. 12

Circa orationem nota, quod licet conſulendi ſint fideles, vt longam, & deuotam orationem faciant, ſufficiet tamen quæcunque, etiam breuis, iuxta intentionem tamen Pontificis. Fillincius *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 164. *&* 165. Boſſius *in tract. de Iubilæo, ſect.* 4. *cap.* 17. Non ſufficere autem orationem mentalem, ſed requiri externam, tenent Rodriguez *in Bulla Cruciata*, §. 7. *num.* 2. & Ludouicus à Cruce *ſuprà, dicto cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 6. Sed oppoſitum probabile cenſet Diana 5. *part. tract.* 12. *reſolut.* 44. ex Ægidio Truſſench, & fauet Lugo *ſuprà, ſect.* 6. *num.* 86. *& ſect.* 7. *num.* 111. Mihi tamen ad verba Bullæ attendendum videbitur, & in dubio priorem ſententiam ſequendam. 13

Circa eleemoſynam nota, quod ſi in Iubilæo dicitur eam debere dari iuxta cuiuſque facultatem, tunc maiorem dandam eſſe à diuite, quam à paupere. Si verò id non dicatur, ſed ſimpliciter dandam eſſe eleemoſynam, vel dandam iuxta cuiuſque deuotionem, tunc ſufficere etiam modicam eleemoſynam. Suarez *ſuprà, diſput.* 52. *ſect.* 8. *num.* 5. & *in Summa, verb. Indulgentia, num.* 4. Lugo *ſuprà, num.* 114. Sufficit etiam, quod hæc eleemoſyna per famulum detur. Suarez *ſuprà, ſect.* 7. *num.* 2. Imò caſu, quo famulus talem eleemoſynam ab hero ſibi traditam non det pauperi, credo non perdere herum fructum Iubilæi, quia quantum 14

eſt

eſt de ſe, iam ipſe dedit eleemoſynam. Sà *in ſumma, ſupra.* Licet oppoſitum tueantur plures quos ſequi videtur Diana *part. 4. tract. 12. reſolut. 31.* Vbi pro Religioſis notat, quod ſi illorum Prælati non vellent dare hanc eleemoſynam, poſſent illi ſurripere aliquid de bonis Monaſterij pro illa facienda. Securius tamen eſt petere commutationem in aliud pium opus. Diana *ibidem.* Vel quod Conuentus det pro ipſis. Lugo *ſupra à num. 116.*

15 Circa illam clauſulam *Confeſſis, & Communicatis,* quæ in Iubilæis apponi ſolet, notandum, quod licet ex natura rei ad conſecutionem Iubilæi, vel indulgentiæ ſufficiat, quod homo ſit in ſtatu gratiæ, ſiue id ſit per contritionem, ſiue per confeſſionem, ſeu alio modo, cum quomodocumque homo ſit in gratia, ſit amicus Dei, & capax fructus indulgentiæ, ſcilicet remiſſionis pœnæ temporalis propter peccata remiſſa debitæ, ac proinde quoties in forma indulgentiæ nihil de confeſſione, vel contritione exprimitur, ſed ſimpliciter conceditur *ieiunantibus, orantibus,* &c. tunc ſtatus gratiæ quomodocumque obtentus ſit, ad id ſufficiet, (Suarez *d. diſp. 52. ſect. 3. num. 1.* Bonacina *ſuprà punct. 5. num. 5.* noſter Reuerendiſſimus Theodorus Stratius *inſtruct. pro Fratribus Carmel. cap. 4. num. 6.*) Nihilominus Summi Pontifices Iubilæa, vel indulgentias concedentes ad ſecurius, & certius tollendum obicem peccati adhibere ſolent clauſulas iſtas, *verè pœnitentibus, & confeſſis,* ſeu *confeſſis, & contritis,* vel *confeſſis, & communicatis.* Et quidem ſi illæ apponantur à Pontificibus, vt conditiones, ſeu vt partes operis iniuncti ad lucrandam indulgentiam, tunc ſine dubio neceſſariæ ſunt, ſicuti ieiunium, eleemoſyna & oratio, quæ ſimiliter apponi ſolent. Bellarmin. *lib. 1. de indulgent. cap. 13. quæſt. 5.* Ludouicus à Cruce *de expoſit. Bullæ Cruciatæ, diſput. 1. cap. 8. dub. 7. num. 2.* Quando verò non ponuntur prædicto modo, ſed ſimpliciter dicitur concedi indulgentiam *verè pœnitentibus, contritis, & confeſſis; communicatis, &c.* (quod ex verbis Bullæ deſumendum eſt) tunc, etſi plures probabiliter teneant ſufficere, quod homo ſit in gratia Dei, vel quia poſt confeſſionem prius factam non peccauit mortaliter, vel quia ſi peccauit, contritus eſt, & habet propoſitum confitendi ſuo tempore, prout tenent Tolet. *lib. 6. cap. 27. num. 2.* ex Syluestro, Armilla, & Panormitano, & ſequuntur Suarez *ſuprà num. 13.* Ludouicus à Cruce *ſuprà num. 5.* Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſp. 27. ſect. 6. num. 94.* ex aliis quos referunt, eo quod illa verba ſolùm adhibita eſſe à Pontifice credant ad tollendum obicem indulgentiæ, ſcilicet peccatum mortale, quod tamen per ſolam contritionem ſine confeſſione actuali, aut communione tollitur; nihilominus non ſolùm ſecurior, ſed etiam probabilior eſt oppoſita ſententia, ſcilicet requiri actualem confeſſionem, vel communionem illis verbis. Ratio eſt, quia indulgentiæ tantùm valent quantum ſonant, & explicandæ ſunt, prout in Bullis exprimuntur, præſertim quia dictio *&*, in prædictis clauſulis poſita regulariter eſt copulatiua, & ſolùm raro diſiunctiua, iuxta dicta ſuprà verbo *Dictio, num. 9.* Adde credendum eſſe Pontifices ſollicitos de vtilitate ſpirituali fidelium, apponere ſolitos eſſe illas clauſulas, vt ſecurius obtineatur indulgentia. Nauarrus *de indulgent. notab. 18.* Graſſius *de indulgent. cap. 5. num. 5.* Acoſt. *in Bull. Cruciat. quæſt. 14.* & noſter Stratius *ſuprà num. 2.* Illud tamen certius eſt, quod etiam poſita illa clauſula *Confeſſis,* &c. ſi Pontifices aliud non exprimant, non teneri ad confeſſionem illum, qui ſola peccata venialia poſt vltimam confeſſionem commiſit. Confeſſio enim ſimpliciter dicta ex vſu, & ſenſu Eccleſiæ, ſolùm ſupponit pro confeſſione mortalium, ac proinde quando imponitur ab Eccleſia, non intelligitur niſi de illis ſolùm. Henriquez *lib. 7. cap. 12.* Suarez *ſuprà num. 5.* Lugo *d. diſp. 27. ſect. 7. num. 100.* & alij communiter. Etſi oppoſitum teneat Stratius *ſuprà num. 4.* & inclinet Ioannes Sancius *in ſelect. diſp. 15. num. 2.* Similiter certum eſt, quod quando requiritur communio, ad illam non ſufficit poſt peccatum mortale hominem eſſe contritum, ſed requiritur actualis confeſſio, propter doctrinam Concilij Tridentini *ſeſſ. 13. cap. 11.* Idem Stratius *ſuprà num. 3.* Caſu verò, quo duo Iubilæa requirentia confeſſionem, & communionem occurrerent duobus diebus immediatis vno poſt aliud, ſufficeret vna confeſſio, & communio, ſi homo eſſet in gratia. Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 166.*

Loquendo de Confeſſario approbato ab Ordinario, 16 eligendo virtute Iubilæi, præter dicta *tom. 1. part. 1. cap. 19. num. 29.* & ſuprà verbo *Bulla Cruciata, num. 29,* & verbo *Clauſula, num. 23.* quæ huic intento deſeruiunt. Nota ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Iubilæum,* nomine Ordinarij intelligi debere Ordinarium loci, idest, vt puto, loci illius, pro quo promulgatur Iubilæum, ſeu indulgentia: licet oppoſitum eliciatur ex alia declaratione S. Congregat. quam referunt Suarez *4. tom. de Pœnit. diſp. 28. ſect. 6.* & Portellus *in Dub. Regular. verbo Confeſſarij approbatio, in addit. num. 4.* Quid verò dicendum de Confeſſario Regulari approbato ab Ordinario, ſed non à Prælato Regulari, vel ab illo ſuſpenſo, conſule dicta ſuprà verbo *Confeſſarius, num. 2.* & Dianam *5. part. tract. 12. reſol. 49.* Nota etiam facultatem iſtam eligendi Confeſſarium, qui abſoluere poſſit à caſibus reſeruatis, non ſuffragari Regularibus; iuxta dicta *tomo 1. cap. 19. num. 29.* & ſuprà verbo *Bulla Cruciata, num. 29.* quod & nouiſſimè tenet multis allatis Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Iubilæum.*

Loquendo autem de caſibus reſeruatis abſoluendis 17 à Confeſſario virtute Iubilæi eligendo, præter dicta ſuprà verbo *Caſus reſeruati,* præſertim *num. 28.* vbi diximus in generali conceſſione caſuum reſeruatorum non comprehendi caſus Bullæ Cœnæ, ſi non exprimantur, nec in generali conceſſione caſuum Bullæ cœnæ, caſum hæreſis, niſi etiam exprimatur, vlterius notandum, hoc priuilegium etiam ſuffragari iis, qui incidunt in caſus reſeruatos ob ſpem ipſius Iubilæi. Sanch. *lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 18.* Sanctar. *de Iubil. cap. 8. dub. 10.* Gratian. *ſuprà in Decalog.* Diana *part. .. tract. 11. reſol. 16.* Similiter notandum, quod ſi quis habens caſus reſeruatos, & confitens Confeſſario à ſe electo virtute Iubilæi, oblitus eſt alicuius reſeruati, cenſetur abſolutus ab illo, itavt poſtea cùm ipſius recordatur, abſolui poſſit à quolibet Confeſſario, ac ſi tale peccatum reſeruatum non fuiſſet. Cenſetur enim abſolutus à Confeſſario in quantum potuit, ſi quidem ille etiam in quantum potuit, omnia reſeruata confeſſus eſt. Nauarrus *in cap. cum conſideres, §. cautus, de pœnit. diſt. 5.* & *in Man. cap. 26. num. 13.* Toletus *in Summa, lib. 6. cap. 27. in fine.* Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſp. 20. ſect. 7. num. 99.* Addit etiam hoc quoque verificari etiamſi tale peccatum habuerit cenſuram. Addunt alij id etiam eſſe verum, etiamſi talis confeſſio inualida fuerit, prout indicant Syluest. verbo. *Confeſſio 1. quæſt. 19.* Caiet. *verbo caſuum reſeruatio,* & fatet Suarez *tom. 4. de pœnit. diſp. 31. num. 9.* ac Diana *ſuprà reſol. 18.* Nihilominus oppoſitum eſt tenendum quando Confeſſio non ſolùm fuit informis (ſi talis dari poteſt) ſed etiam inualida; tunc enim abſolutio data eſt omnino nulla, & nullius valoris, vt habet idem Soarez *ſuprà num. 22.* Ledeſma *in ſumma, tom. 1. tract. de pœnit. cap. 13. concluſ. 2.* Villalobos *in ſumma, tom. 1. tractat. 27. clauſula 9. §. 2. num. 16.* Nota etiam, quod ſi quis bona fide, & intentione lucrandi iubilæum confeſſus eſt, & abſolutus à reſeruatis, & poſtea mutet

voluntatem, & iubilæum non conſequatur, quia non adimplet alia requiſita, non tenetur iterum quærere abſolutionem à reſeruatis, talis enim abſolutio rata, & valida fuit, nec data ſub conditione tali. Nauarr. *lib.5.conſil.19.de pœnitent.edit.2.* Sanchez *dicto cap. 54. num.*44. Candidus *tom.2. diſquiſit.24. art.69. dubit.45.* Lugo *ſup. num.* 100. Imò ſi in tali confeſſione oblitus eſt pœnitens alicuius caſus reſeruati, non manet amplius reſeruatus, ſed poteſt à quocunque confeſſario ab illo poſtea abſolui, propter rationem ſuperius adductam. Sanchez *ibid. num.* 45. Portellus *in Additionibus ad dub. Regular. verbo Iubilæum, num.* 19. Diana *part.3. tract.4. reſolut.*145. Candidus *ſuprà dubitat.*48. Idem dic de abſolutione à cenſuria, propter eandem rationem. Diana *ibidem.* Candidus *ſuprà*, ex multis aliis. Vbi etiam an talis pœnitens peccet non lucrando Iubilæum.

18 Pro commutatione verò votorum, qualiter intelligenda, vide dicta ſuprà verbo *Bulla Cruciata, num.*54. 35. *&* 36. ea enim huic intento deſeruire poſſunt, ac dicenda 4.*tom.* verbo *Votum.* Nota tamen primò, quod ſi pœnitens tempore Iubilæi habens intentionem illud lucrandi petiit commutationem alicuius voti, & poſtea illud non lucretur, non proptérea reuiuiſcet illud votum, propter rationem ſuprà adductam, quia ſcilicet talis commutatio rata, & valida fuit, nec data ſub conditione aliqua. Henriquez *lib.7. de indulgentiis, cap.*31. *num.4. & lib. 6. de pœnit. cap.16. num.*6. Rodriguez *tom.1. ſumm. cap.* 184. *num.*15. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *ſuprà num.*49. Qui propterea *num.*53. addit poſſe Confeſſarium tempore Iubilæi commutare vota ſub conditione adimplendi requiſita pro Iubilæo. Si tamen pœnitens oblitus eſt petere commutationem alicuius voti, vel Confeſſarius oblitus eſt illud commutare, non propterea tranſacto Iubilæo verè non comparato, cenſetur commutatum, cum neque in principio commutatum fuerit, nec poſtea ſubſiſtat priuilegium. Sanchez *ſuprà num.*58. Portellus *ſuprà.* Si verò illud lucratus fuit, probabile ſatis eſt poſſe virtute priuilegij Iubilæi eo tranſacto tale votum commutari; nam priuilegium illud non videtur alligatum tempori quo durat Iubilæum. Portel. *ibid. num.*18. Diana *part. 5. tract. 12. reſol.* 40. Addit Candid. *ſuprà dubit.*58.eum qui lucratus eſt Iubilæum, poſſe illo tranſacto voti commutationem obtinere, quam tempore Iubilæi obtinere noluit. An verò priuilegium commutandi vota extendatur etiam ad commutanda iuramenta promiſſoria Deo facta circa eandem materiam, vel etiam ad vota iurata, collige ex iis, quæ dixi ſuprà verbo *Bulla Cruciata, num.* 55. Non poſſe autem per illud commutari vota peregrinationis in Hieroſolymam, ad limina Apoſtolorum, & S. Iacobum in Compoſtella, eo quòd iſta cum ſint ſpecialiter reſeruata, ſunt ſpeciali notâ digna, & non continentur in generali conceſſione, meritò tenet Suarez *de Relig. tom. 1. part.2. lib. 6. de voto, cap.* 25. *num.* 4. Sanchez *tom. 1. in Decalog. lib.4. cap.* 40. *num.* 16. & alij communiter. Licet contrarium non carere probabilitate, dicat Diana 5.*part.tract.*12.*reſol.*58. quod non admitto, propter Curiæ praxim, & ſtylum.

19 Circa duas illas hebdomadas, quæ regulariter deſignari ſolent pro conſecutione Iubilæi, notandum, quod licet verba Bullæ requirere videantur, quod omnia opera per illam præſcripta adimpleantur in vna, vel altera ex illis, non partim in vna, & partim in altera; nihilominus, rationabili, aut neceſſaria ſubſiſtente cauſa, valdè probabile eſt fieri poſſe, ita vt pars illorum fiat in vna hebdomada, verbi gratia ieiunare, orare, & alia pars in altera, ſcilicet confiteri, communicare, &c. Ita enim piè interpretanda videtur mens Pontificis. Rodriguez *tom.* 1. *Summa, cap.* 184. *num.*3. Layman. *ſuprà num.* 10. Diana *part. 3. tract.* 4. *Reſolut.*153. *& part.5. tract.12. reſol.* 24. Imò ex ſola pœnitentis voluntate id fieri poſſe declaratum refert à Patribus S.Pœnitentiariæ Romanæ Naldus *ſuprà verbo Indulgentia, num.*14. Qui etiam in aliquo die, Sabbato videlicet ante Dominicam in qua incipit prima hebdomada pro lucrando Iubilæo deſignata, confeſſus eſt intentione lucrandi illud, ſatisfacit ipſi. Ita enim praxis Eccleſiæ obſeruat, & rationabiliter ſatis, propter multitudinem confitentium. Laymanus *ſuprà num.6.* & fauet Diana in ſimili poſt plures alios, quos refert *part.2.tract.15. & 1. Miſcell. Reſol.* 28. Similiter, qui tempore Iubilæi habuit ignorantiam ipſius inuincibilem, poterit illo tranſacto illud lucrari inter duas hebdomadas à die notitiæ illius. Diana *part. 5. tract.4. Reſolut.* 151. Habes etiam apud ipſum ibidem *Reſolut.*147. quid faciendum quando die, quo finiebatur Iubilæum, acceſſit pœnitens cum caſibus reſeruatis ad Confeſſarium, qui propter anguſtiam temporis cogitur differre Confeſſionem poſt tranſactum Iubilæum. Pro quo vide etiam Henriquez *lib.7.de indulgent.cap.*31.*§.ſi quis*, & Portellum *in Dub.Regul. verbo indulgentia, num.* 7. Item quid faciendum cum eo qui voluit lucrari Iubilæum, ſed in vltima die mutat propoſitum, habes apud eundem Dianam *ſuprà reſol.*152. Maximè pro Regularibus non potentibus ob aliquod impedimentum Iubilæum lucrari, vide aliquas conceſſiones in Rodriguez *tom.2.quæſt.*87. *art.*2. & Portello *ſuprà num.*8.

Præter dicta etiam alia animaduerſione digna ſunt. 20
Primò, per opera aliàs de præcepto, vel obligatoria ſatisfieri poſſe operibus iniunctis à Pontifice pro conſequutione Iubilæi, ſi vtrumque intendat ea faciens, & niſi aliud in Bulla exprimatur. Conſtat enim ex vſu, & praxi Eccleſiæ, quod ſi promulgatio Iubilæi fiat in Quadrageſima, vel quatuor anni Temporibus, aut Vigiliis Sanctorum, per ieiunia talium dierum adimpleantur ea, quæ per Iubilæum requiruntur, ex quo idem videtur dicendum de aliis operibus per illud iniunctis. Henriquez *de indulgent. lib.* 7. *cap.* 10. Comitolus *lib.1. quæſt.*38. Gratianus *ſuprà in Dialogo.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap.4. dub.* 10. *& cap.7. dub.* 1. & alij plures. Secundò, quod ille, qui minimum aliquid, ſeu leuem partem operis iniuncti reſpectiuè ad illud prætermiſit, probabile valdè eſſe non propterea priuari fructu Iubilæi. Ratio eſt, tum quia parum pro nihilo habetur, tum quia id credendum ex benignitate Pontificis concedentis illud. Suarez *d. diſp.* 5. *ſect.*5. *num.*4. Diana *part.5.tract.12.Reſol.*25. ex aliis. Tertiò poſſe aliquem bis, ſeu pluries conſequi indulgentiam, ſeu Iubilæum, ſi opera iniuncta bis, ſeu pluries exerceat, cum moderatione tamen adiuncta ſuprà verbo *Indulgentia, num.*19. Vnde qui vna hebdomada Iubilæum conſecutus eſt, poterit illud etiam in alia hebdomada deſignata lucrari, repetendo opera præſcripta. Quia beneficium Principis latè interpretandum eſt, quantum verba patiuntur. Henriquez *ſuprà cap.* 11. Rodriguez *in Summa, cap.*184.*num.*14. Benzonius *ſuprà lib.5.cap.15.dub.*25. Diana *part.2.tract.17.reſol.*49. *& part.5.tract.*12.*reſol.*28.poſt alios quos refert. Etſi id certum non ſit propterea, quod Filliucius *tom.1.tract.*8. *cap.*10. *num.* 261. *& num.* 278. refert Clement. VIII. & Sac. Congregat. Cardinalium declaraſſe ſemel tantum ſumi poſſe Iubilæum, tam in anno Sancto, quàm in aliis.

Demum circa clauſulam illam *de pœnitentiis iniunctis*, quæ apponitur in aliquibus conceſſionibus indulgentiæ, vel Iubilæi, notandum iuxta dicta ſuprà verbo *Indulgentia quoad Regulares, num.*5. per eam denotari remitti tantam pœnam quanta remitteretur per pœnitentias taxatas à Confeſſariis, & à Sacris Canonibus pro talibus peccatis. Pro quo vide Nauarr. *de indulgent.notab.*11.*num.*9.Reginald. *lib.7.n.*150.*&* 151. 21

Ex

Digitized by Google

Ex quo communiter inferunt Theologi, eum qui lucratus eſt indulgentiam aliquam, habentem præcipuè prædictam clauſulam, liberum manere ab onere adimplendi pœnitentias à Confeſſario illi impoſitas. Cæterum hæc doctrina ſolùm videtur intelligenda de pœnitentiis ſatisfactoriis, quæ ad purgationem & caſtigationem præteritorum criminum ſolent iniungi, non de illis, quæ ſimul ſunt præſeruatiuæ, & à recidiuo coërcitiuæ, vitæque nouæ remedium, qualis eſſet confeſſio menſtrua, lectio ſpiritualis per aliquod tempus, ieiunium, & diſciplina pro homine luxurioſo ad abolendam veterem peccandi conſuetudinem, & continendum pœnitentem in propoſito emendationis vitæ, Gratianus *ſuprà in Dialogo*, Naldus *in Summ. verbo Indulgentia, num.* 15. Noſter Stratius *ſuprà num.* 7. Apud quos alia ad intentum. Conſulit tamen Toler. *ſuprà cap.* 23. *in fine*, implendas nihilominus eſſe pœnitentias ad augmentum gratiæ, quod non adquiritur præcisè per indulgentiam. Addo ego, etiam ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, cuius pars ſaltem integralis eſt ſatisfactio à Confeſſario impoſita. De quo Bonac. *de Sacrament. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 4. *num.* 10. ex aliis quos refert. Vnde patet qualiter moderanda ſit doctrina Dianæ 5. *part. tract.* 11. *reſol.* 39. dum ex Fauſto, & Hieronymo Rodriguez tenet, quod ſi alicui eſſet impoſita pœnitentia ieiunandi, aut ſumendi diſciplinam per 40. dies, vel per vnum annum, ſi iſte lucratur indulgentiam 40. dierum, vel vnius anni, liber maneat à tali pœnitentia.

IVDEX, ET IVDICIVM Regularium.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2. *Iudex quid & quotuplex ſit.*
3 *Iudicium quid, & quotuplex.*
4 *Regulares quibus modis procedere poſſint.*
5 *De modo procedendi per inquiſitionem generalem.*
6 *Per inquiſitionem ſpecialem.*
7 *Viâ denunciationis.*
8 *Viâ accuſationis.*
9 *De reo.*
10 *De ſententia.*
11 *De appellatione.*
12 *De recuſatione.*
13 *Praxis recuſationis.*
14 *De tortura.*
15 *De Iuramento.*
16 *An Iudex Regularis munera accipere poſſit.*
17 *An procedere poſſit contra reum non citatum.*
18 *An ſine appellatione.*
19 *An iudicare contra veritatem quam nouit.*
20 *Quam opinionem ſequi debeat.*
21 *An Regularis poſſit eſſe Iudex in cauſa ſeculari,* & num. 22.
23 *De conditionibus Iudicis Regularis.*
De apicibus iuris. ibid.

1 DE hac materia ex profeſſo egi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 27. per totum, plura etiam ad illam ſpectantia dixi ſuprà verbo *Accuſatio*, verbo *Appellatio*, verbo *Cauſa iudicialis Regularium*, verbo *Commiſſio, & Commiſſarius*, verbo *Denunciatio*: alia tamen addenda ſunt pro rei ſatis communis inter regulares pleniori notitia, ſuppoſitis prius generalibus principiis ad Iudicis, vel Iudicij naturam ſpectantibus.

2 Iudex ergo *eſt perſona publica ius dicens populo ſecundum legis præſcriptum, vel loci conſuetudinem, cap. forus, de verborum ſignific.* Syluest. *in Summa, verbo Iudex, num.* 1. Eſt autem triplex, ſcilicet ordinarius, delegatus, & arbiter. Ordinarius eſt, qui ex officio vniuerſitati cauſarum præeſt. Delegatus cui vices ſuas Ordinarius commiſit. Arbiter verò, qui ex litigantium conſenſu eligitur. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 10. Syluester *ſuprà, & verbo Arbiter, num.* 1. Differunt autem *Arbiter, & arbitrator*, in hoc, quod *Arbiter* ſit quaſi Iudex, & eligatur à partibus, vt procedat iuris ordine ſeruato, & ſecundum ius: *Arbitrator* verò eligitur vt amicabilis compoſitor, vt procedat extra iudicium, & partes componat. Syluester *dicto verbo arbiter, quæſt.* 2. & 3. Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 13. *à num.* 52. apud quos, & alios Summiſtas plura ad intentum. Vt aliquis pubes in Iudicem ordinarium, vel delegatum à Principe eligatur, non requiritur ætas determinata: cæterum ab inferiori eligi non poteſt, niſi vigeſimum annum compleuerit, præterquam ſi partes ſcienter conſentiant in eum, qui annum ſaltem decimumoctauum tranſcenderit, *cap. cum vigeſimum, de offic. iudicis delegat. leg. quidam conſulebat, ff. de ſentent. & re iudicat.* Arbiter verò ne quidem ex partium conſenſu conſtitui poteſt, niſi annum vigeſimum exegerit, *leg. cum lege, ff. de arbitris.* Layman. *lib.* 3. *de iuſtit. tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 1. In cauſis ciuilibus non procedit Iudex, niſi poſtulatus, imò & tunc debet procurare, vt partes ad concordiam reuocentur, *cap.* 1. *de mutuis petitionibus, l. quidem, ff. de rebus credit.* In criminalibus autem procedit, vel ad inſtantiam partis, accuſatoris ſcilicet, vel denunciatoris, vel ex officio per viam inquiſitionis, iuxta dicta eo *cap.* 27. *num.* 1. Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *fin. quæſt.* 3. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 12. Qualiter infamis poſſit, vel non poſſit iudicis munus exercere, dixi ſuprà verbo *Infamia, num.* 13. Similiter an irregularis à iudicis munere excludatur, conſtat ex dictis verb. *irregularitas, num.* 5. & 6.

Iudicium deinde eſt *actus Iudicis in quantum eſt iudex*: ſeu eſt *determinatio recta ſecundùm ius, cap. forus, de verborum ſignificat. leg. nemo, C. de ſentent. & interlocut. omn. iudic.* Syluester *verbo iudicium, num.* 1. ex S. Thom. Diuiditur primò in Eccleſiaſticum, & ſæculare, Eccleſiaſticum eſt, quod ſpectat ad res, & perſonas Eccleſiaſticas, verbi gratiâ de Beneficiis, Matrimonio, Decimis, &c. Sæculare verò quod ad ſæculares, quale eſt de re non Eccleſiaſtica, ſed prophana. Secundò, ex parte materiæ, aliud enim eſt iudicium petitorium, illud ſcilicet, in quo de rei proprietate agitur, aliud verò poſſeſſorium, in quo de ſola poſſeſſione. Tertiò, ex parte formæ, aliud enim eſt iudicium ordinarium, & ſolemne, in quo iuris ordo, & forma ſeruatur; aliud verò extraordinarium, ſeu ſummarium, in quo ſimpliciter, de plano, & ſine ſtrepitu, ac figura iudicij agitur. Quartò, ex parte finis. Aliud enim eſt ciuile, in quo agitur de commodo, ſiue vtilitate alicuius; aliud verò criminale, in quo de crimine ad vindictam, punitionem, &c. De iis Sylu. *locis relat.* Layman. *ſuprà cap.* 1. & alij. 3

His poſitis, prout ſpecialiter ſpectat ad Regulares, cùm ipſi poſſint, iuxta dicta eo *cap.* 17. *num.* 1. procedere contra ſuos ſubditos via accuſationis, denunciationis, & inquiſitionis, rurſus via inquiſitionis generalis, & ſpecialis, de ſingulis dicendum. 4

Et primò, quod attinet ad modum procedendi Prælatorum Regularium cum ſibi ſubditis via inquiſitionis generalis, præter dicta eo *cap.* 27. *num.* 2. & 3. notandum quod licet iuxta dicta etiam eo *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 15. teneantur ſubditos corrigere, & punire, & ſæpius id non facientes peccent mortaliter; nihilominus ſæpius quoque excuſantur, quando videlicet prudenter timent ex eo rumores, ſcandala, ſeditiones, recurſus ad tribunalia extranea, & ſimilia. Tunc enim propter euitanda hæc damna, quæ toti Communitati præiudicium afferunt, excuſari poſſunt à punitione 5
ſubditorum.

ſubditorum. Caiet. 2.2. *queſt.*62. *art.* 3. *ad* 3. Sanchez *tom.*1. *Conſil. Moral. lib.*3.*cap.vnic. dub.*19. In aliis autem caſibus omnino, tenentur eos corrigere, punire, &c. adeo vt aliqui putent etiam cum periculo vitæ id teneri facere. Saltem loquendo de correctione fraterna, vt habet idem Sanchez *tom.* 2. *Conſiliorum Moralium*, *lib.*6. *cap.*2. *dub.*4. *num.* 3. & Peirinis *tom.* 1. *de Prælato*, *queſt.*1.*cap.*7.*num.*29. plures alios referens, Prius tamen quam contra ſubditum procedat, tenetur Prælatus omnia media tentare, vt ſine iudiciali ſtrepitu corrigatur, admonendo videlicet illum leniter, & ſi hoc non profuerit, minari ipſi, quod eius vitam explorabit, vel coram aliquibus ipſum corrigere. Sotus *de tegendo ſecreto*, *membr.*2.*queſt.* 4. *concluſ.*7. Notandum ſecundò, quod delicta Religioſorum, quæ inquirenda ſunt à Prælatis, regulariter ſunt omnia, & quæcunque peccata mortalia, *cap. illi* 6.*queſt.*1. Sylueſter *in Summa*, *verbo Inquiſitio* 2. *dicto* 9. Armilla *verbo Inquiſitio*, *num.*12. & 13. Naldus *in Summa*, *verbo Iudex*, *num.* 10. Imò peccata publica publicè corripienda ſunt, iuxta illud primæ ad Timoth. 1. *Peccantem coram omnibus argue.* Sotus *ſuprà concluſ.*1. Nauarrus *cap. inter verba*, *corol.* 56. [De peccatis occultis cognitis tamen Prælato Regulari, quod non poſſint ab ipſo puniri, latè agit Portellus *in reſponſionibus moral. tomo* 2.*caſu* 58. & conſonant dicta *tom.*1.*part.*1. *cap.*27.*num.*6. Excipit tamen ipſe Portel. ibidem crimina atrocia, & quæ ſunt contra communitatem. Sed conſule dicta eo *cap.*27. *num.*9. & Lugo *tom.* 2. *de iuſt. & iure*, *diſp.*37.*ſect.*14. *à num.* 153. vbi de culpis, de quibus Iudex Regularis contra Religioſos procedere poteſt.] Peccata autem ſolum per Confeſſionem ſacramentalem cognita, aut diuulgata ſolùm propter notitiam habitam in Confeſſione, aut forſan, quia inuenta ſunt in ſchedula quam faceret religioſus pro Confeſſione facienda, nullo modo inquiri poſſunt, aut puniri à Prælato Regulari, illa enim pertinent ad confeſſionem Sacramentalem, ac per conſequens affecta cenſentur onere venerandi ſigilli Confeſſionis. Fagundez *in precept.* 2. *Eccleſ.lib.*6. *cap.*4.*num.*28. & *cap.* 5. *num.*16. Diana 3. *part. tract.*4. *Reſol.*112. & 5. *part. tract.*11. *Reſol.*27. ex aliis multis.

6 Deinde, loquendo de modo procedendi Iudicis Regularis viâ inquiſitionis ſpecialis, præter dicta eo *cap.* 27. *à num.* 4. *vſque ad* 18. vlterius notandum id, quod eo loco dixi, ſcilicet Iudicem Regularem non poſſe procedere contra aliquem per ſpecialem inquiſitionem, niſi infamia, ſiue clamoroſa inſinuatio, vel indicia manifeſta, aut ſemiplena probatio præcedant, adeo eſſe verum, vt aliqui putent eſſe de iure naturali, & diuino, vt tenet Nauarra *lib.* 3. *de reſtitut. cap.*4. *num.*139. Licet autem ſolùm ſit de iure humano, *cap. qualiter* 2. & *cap. inquiſitionis*, & *cap. cum oporteat*, *de accuſat.* & *cap. licet Heli*, *de Simon*, etſi conſonum ſatis iuri naturali, & diuino, vt habent Sotus *de ſecreto*, *memb.*2. *queſt.*6. *dub.*2. & Nauarr. *cap. inter verba*, *corol.* 50. nihilominus id ſemper obſeruari debet inter Regulares, vbi agitur de graui pœna ipſis infligenda. Quia ius commune id requirit, nec eſt textus, qui Religioſos excipiat. Sylueſter *verb. inquiſitio* 1. *queſt.*3. *dicto* 2. Nauar. *ſuprà*, *coroll.*62. Etenim licet *cap. qualiter* 2. relatum excipere videatur Regulares, hoc ſolùm debet intelligi, quatenus cum illis non debent obſeruari accidentalia, & ſubtilitates iudicij. Panorm. *ibi num.*10. Felinus *ibid.num.*21. Vnde Caiet. 2.2.*queſt.*33. *art.* 7. *ad* 5. & Portellus *in dub. Regul. verbo Correctio Fratrum*, *num.* 13. aiunt, quod etiamſi duo aut tres iurent aliquem Religioſum commiſiſſe aliquod delictum, ſi tamen nulla eſt infamia, non eſſe procedendum contra illum iudicialiter. Imò oppoſitum facientes exponunt ſe periculo incurrendi excommunicationem latam contra iniicientes manus in Monachos, Sanchez 2. *tom. Conſiliorum Moralium*, *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 25. ex D. Antonino, Sylueſtro, & Armilla. Amplia, iuxta dicta eo *cap.*27. *num.*12. quod etiamſi Religioſus ſit diffamatus, vel conuictus de vno crimine, non poteſt inquiri de aliis, de quibus non eſt diffamatus. Sotus *ſuprà dub.*5. & *lib.*5. *de iuſtitia*, *queſt.*6. *art.*2. Nauar. *cap. inter verba*, *corollar.* 51. Nec conuictus de vno crimine poteſt de ſociis occultis, quorum nulla eſt infamia, inquiri, ſaltem regulariter loquendo, iuxta dicta eo *num.*12. *cap. cum Monaſterium*, *de confeſſ. cap. veniens*, *de teſtibus*, *cap. nemini* 15.*queſt.*3. *l. fin. C. de accuſat.* *l. repetit*, *ff. de queſtor.* Nauar. *in Man. cap.*18. *num.*39. & *cap.*25. *num.*26. Nec ſtatim quod denuncians, vel accuſans dicit eſſe infamiam de delicto, debet Prælatus procedere via inquiſitionis ſpecialis, ſed debet inquirere apud quos ſit hæc infamia, & vnde ortum habuerit, vt ſi videat eſſe apud paucos, & leues, & ex leui fundamento, præcipuè de perſona, quæ fuerit claræ, & bonæ famæ, non ſic procedat. Sanchez 2. *tom. conſil. moral. lib.*6. *cap.*8. *dub.*1. *num.* 5. Notandum tamen, quod ſi Iudex infamiæ, aut probatione infamiæ prætermiſſa ad inquiſitionem ſpecialem proceſſerit, nihilominus valebit proceſſus, & ex eo reus poterit condemnari, dummodo Iudicem non recuſauerit. Bonac. *in direct. fori iudicialis*, *part.*2. *cap.* 5. *in fine*, ex Nauarro, & Leſſio. Nihilominus ſaltem videtur neceſſarium, etiam ad ſubſtantiam iudicij, quod præcedant aliqua indicia, ſaltem leuia, delicti, propter dicta ex doctrina S. Thom. *d.cap.*17. *num.* 6.

Similiter etiam loquendo de modo procedendi Iudicis Regularis via denunciationis, præter dicta eo 7
*cap.*27. *à num.*19. & verbo *Accuſator*, & *Accuſare*, & verbo *Denunciator*, & *Denunciare*, nota quod quando ſubdito conſtat certò, & euidenter Prælatum nullum remedium adhibiturum, vel quia negligens eſt in puniendo, vel amicus delinquentis, non obligatur ad denunciandum delicta, quia tunc ceſſat finis obligationis, & ad opus inutile nullus tenetur. Sanchez 2. *tom. Conſil. Moral. lib.*6. *cap.*2. *dub.*17. ex D. Antonino, & Sylueſtro. Portellus *in dub. Regular. verbo Correctio Fratrum*, *num.* 9. Secus verò, quando eſt dubium de hoc, quia in dubio præſumendum eſt pro Prælato, & illi obediendum. Sanchez *ibid.* Portellus *ibid.*

Pariter etiam loquendo de modo procedendi Iudicis Regularis via accuſationis, præter dicta etiam eo 8
*cap.*27. *à num.*22. vlterius notandum, quod licet Iudex non poſſit aliquem condemnare, ſi accuſator non adſit quando proceditur hac via accuſationis, *cap. ſi legitimus*, *de accuſat.* & *l. illicitas*, *ff. de offic. præſid.* D. Thom. 2.2. *queſt.*67. *art.*3. Caietanus *ibidem*. Sotus *lib.*3. *de iuſtit. queſt.* 4. *art.* 3. Non tamen hoc eſt neceſſarium pro Prælatis Regularibus in delictis minoris momenti, quæ tanquam Patres caſtigant, vt habet idem Sotus *ſuprà*, Sanchez *tom.*2. *Conſiliorum Moralium*, *lib.*6. *cap.*1. *dub.*20. *num.*4. Nota ſecundò, quod licet in cauſa priuata, vel propria non teneatur quis accuſare, vel denunciare delinquentem, verumtamen vbi crimen in commune damnum corporale, vel ſpirituale redundat, & aliter perfectè remedium adhiberi non poteſt, quia neceſſe eſt, vt non tantum damno obuietur, ſed etiam vt reus puniatur ad arcendum alios, tunc tenetur is, qui crimen tale probare poteſt, accuſare, vel denunciare. D. Thom. 2.2. *queſt.* 68. *art.* 1. Caietan. *ibid.* Sotus *ſuprà queſt.* 5. *art.* 1. & *lib. de ſecreto*, *membro* 2. *queſt.*5. *concl.* 5. In criminibus autem non pernicioſis in futurum nemo accuſare obligatus eſt *ex l. vnica*, *Cod. vt nemo inuitus*. Layman. *lib.* 3. *tract.*6. *cap.*3. *num.*6. Circa conditiones autem neceſſarias pro Iudice etiam Regulari, aliqua notanda. Primò, neceſſarium non eſſe, quod Iudex Regularis ſit in ſtatu gratiæ, prout aliqui, quos refert Vualdenſis noſter

tom.2,

tom.1. cap.3. Sotus in 4.diſt.1. quæſt.5. art.5. malè exiſtimarunt. Neque enim id requiritur ad valorem ſententiæ, cum Iudicis iuriſdictio, à qua prodet ſententiæ valor, non deſtruatur per peccatum mortale, neque ad hoc quod ſententia licitè proferatur, cum per ſe loquendo ad hoc ſufficiat ſeruare leges iuſtitiæ. Sotus 3. de iuſt. quæſt. 4. art. 2. ad 3. Lugo tom. 2. de iuſt. & iure, diſp. 37. ſect. 2. num. 4. & 5. Dixi per ſe loquendo; quia per accidens, ſcilicet ratione ſcandali, poterit eſſe peccatum etiam graue Iudicem Regularem in peccato notorio exiſtentem proferre ſententiam contra aliquem eodem vel ſimili peccato infectum. Tunc enim ſubditi dicere illi poſſent illud ad Rom. 2. eadem agis quæ iudicas; & propterea ad iram & impatientiam contra illum incitari. Lugo eo num. 5. Requiritur tamen pro Iudice, præſertim Regulari, ne ſit innodatus excommunicatione maiori: quia iuxta dicta tom. 3. verb. Excomm. quoad Regulares, num. 36. excommunicatus non poteſt eſſe Iudex, itavt excommunicatus, ſiue toleratus, ſiue non toleratus, peccet exercendo munus Iudicis, niſi in caſu quo ſi eſſet excommunicatus toleratus partes vellent coram ipſo agere. Excommunicatum autem non toleratum, ſeu quod idem eſt, vitandum, non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè proferre ſententiam, dixi eodem num. 36. eo quod priuetur vſu iuriſdictionis, iuxta dicta ibid. num. 33. An autem excommunicatus poſſit eligi ſeu creari in Iudicem, dixi eo num. 36. Porro de grauitate peccati quod committit Iudex excommunicatus toleratus ſententiam proferendo, quamvis Suarez, Leſſ. & Coninch. dicant eſſe peccatum mortale; & Enriquez, Barthol. à Ledeſma, Sanchez, Auila, Nauarrus, & Diana, dicant eſſe ſolùm veniale, Lugo verò ſuprà num. 11. dicat vtramque ſententiam eſſe probabilem, nos autem conſequenter ad dicta eo num. 36. exiſtimamus id eſſe penſandum ex grauitate, vel leuitate materiæ, itavt quemadmodum in aliis materiis ratio peccati mortalis, vel venialis ex grauitate, vel leuitate materiæ deſumitur, ita in præſenti, ac proinde quando ſententia lata ſit circa materiam grauem à Iudice excommunicato, ſit peccatum mortale; ſi verò fuerit circa materiam minoris ponderis, ſolùm ſit veniale. An etiam requiratur quod Iudex non ſit irregularis, collige ex iis, quæ dixi eodem tom. verbo Irregularitas, num. 5. 6. & 7. Quod autem ſuſpenſus ab officio, ſeu iuriſdictione non poſſit exercere munus Iudicis, conſtat ex iis quæ diximus infra verbo Suſpenſio quoad Regulares, num. 5. & ſequent.

Maximè etiam, & pro praxi Regularium notandum poſſe Prælatum Regularem, & ſæpius teneri non acceptare accuſationem contra aliquos Religioſos, ſed alia via ſatisfacere parti læſæ, ſeu procedere ad remedium, quando ſcilicet credat ex accuſatione ſequutura eſſe aliqua mala bono communi Religionis noxia, verbi grat. ſeditiones, aut turbationes Monaſteriorum, malam famam, ſeu infamiam Religioſorum, & ſimilia. Ratio eſt, tum quia bonum commune ſemper debet præponi bono particulari. Tum quia eſto quod lex obliget ad acceptandam accuſationem accuſatoris, per epicheiam tamen credi, aut exiſtimari poteſt in iis caſibus non obligare. Arragonius de iuſt. & iur. quæſt. 63. art. 3. in explicat. art. Sayrus in Claui Regia, lib. 12. in fin. Fagundez in d. precept. decalog. cap. 47. num. 14. Lugo tom. 2. de iuſtit. & iur. diſp. 37. ſect. 7. num. 74. Quod maximè & principaliter procedit in Prælatis ſupremis, quales ſunt Generales, quia in illis maximè reſidet hæc authoritas. Caiet. 2. 2. quæſt. 62. art. 3. ad 3. Sotus de ſigillo, memb. 2. quæſt. 5. concluſ. 5. Sanch. lib. 3. conſ. cap. vnic. dub. 19. Addit Lugo ſuprà, poſſe in aliqua Religione lege, vel ordinatione communi prohiberi vbi id ad bonum commune neceſſarium iudicaretur, ne Prælati inferiores cauſas accuſationis proſequantur, niſi conſulto Generali. Addo ego etiam prohiberi poſſe ne eas acceptent, niſi Generali conſulto.]

Circa reum nota, quod iuxta dicta eo cap. 27. n. 12. quoneſcunque Iudex iuridicè interrogat reum de aliquo delicto, tenetur reus fateri veritatem. Tum quia tenetur obedire in re iuſta, qualis eſt iſta. Tum quia aliàs daretur bellum iuſtum ex vtraque parte, quod implicat. D.Thom. 2. 2. quæſt. 69. art. 1. & ibi eius expoſitores. Sot. de ſecr. memb. 2. quæſt. 7. concluſ. 1. Nauarr. in Man. cap. 25. num. 36. Imò etiam in caſu, quo reus, vel teſtis ignoret, vel dubitet an Iudex iuridicè interroget, tenetur veritatem fateri. Quia iuxta dicta tom. 1. part. 1. cap. 4. num. 24. non ſolùm Religioſus tenetur obedire ſuo Prælato quando certò ſcit illum iuſta præcipere, ſed etiam quando de eo dubitat. Palud. in 4. diſt. 19. quæſt. 4. Sylu. verb. Inquiſitio 1. q. 3. dub. 3. Licet oppoſitum probabiliter tueatur Sanchez, cum aliquibus limitationibus 2. tom. Conſ. Mor. lib. 6. cap. 3. dub. 31. cui fauent Corn. & Layman. quorum ſimilem doctrinam retuli ſuprà verb. Dubia Regular. num. 7. Nota etiam, quod licet regulariter loquendo mentiri in iudicio circa materiam principalem, de qua reus interrogatur, ſit peccatum mortale, vt colligitur ex S.Th. 2. 2. quæſt. 69. art. 1. Caiet. & aliis Expoſitoribus ibid. mentiri tamen abſque iuramento in re accidentali ad ſubſtantiam iudicij, ratione leuitatis materiæ, poteſt eſſe ſolùm veniale; ſicut de mendacio in Confeſſione ſacramentali communiter dicunt. Sotus lib. de ſecr. memb. 2. quæſt. 7. & lib. 5. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. Med. lib. 1. Summ. cap. 14. §. 35. Nota ſimiliter, non poſſe incarcerari reum, niſi ſaltem per ſummariam informationem conſtat ipſum commiſiſſe delictum, aliàs ipſi fieret iniuria. Sanch. ſup. cap. 4. dub. 5. ex aliis. Limita tamen, niſi eius fuga timeatur, iuxta dicta eo cap. 27. num. 12. An verò poſſit licitè à carcere fugere Religioſus, habes tom. 1. part. 1. cap. 16. num. 9. & 10. ex quo etiam colligi poteſt quid dicendum de conſulentibus Religioſo fugere è carcere. De quo Syluester, & Angelus in Summ. verb. Fugere, num. 1. Cord. in Summ. quæſt. 195. [Nota tamen quod quamuis iuxta dicta ſuperius, & loco allegato ex quæſt. 27. tom. 1. Summa, reus iuridicè interrogatus teneatur ſemper fateri veritatem; idque ſit ſententia non ſolùm S. Thomæ, & eius expoſitorum, ſed etiam communis inter Theologos: nihilominus oppoſita ſententia in cauſis capitalibus, vel ſimilibus probabilis videtur, eo quòd lex humana non niſi raro, & propter magnum Reipublicæ damnum vitandum obliget in cauſis, in quibus imminet periculum mortis, vel ſimilia, & quia ita tenent Nauar. Rodriguez, Vega, Villalubos, Diana, & alij quos refert & ſequitur Lugo tom. 2. de iuſt. & iure, diſp. 40. ſect. 1. num. 15. dicens hanc ſententiam eſſe valdè probabilem, & in praxi omnino ſeruatam, præſertim in cauſis capitalibus; ideò ipſis aſſentiri poſſumus, niſi in caſibus in quibus negatio veritatis eſſet in damnum æquale tertij, prout contingeret ſi reo non confitente delictum quod commiſit, eius accuſator damnari deberet ad pœnam talionis, & ſimilibus. Hoc colligo ex Sanch. lib. 3. in decal. cap. 7. num. 21.] 9

Circa ſententiam à Iudice Regulari proferendam, præter dicta cap. 27. num. 13. 15. 16. & 18. nota, quod ſententia eſt diffinitio iudicialis controuerſiis finem imponens à competenti Iudice pronunciata: l. 1. ff. de ſent. & re iudic. & cap. 2. cod. eit. Eſt autem duplex, alia interlocutoria, alia diffinitiua. Prior eſt, quæ datur non ſuper cauſa principali, ſed ſuper aliis quæſtionibus intermediis. Poſterior verò, qua principalis quæſtio, & cauſa definitur. Deinde ſententia alia iuſta eſt, alia iniuſta: ſententia iuſta, quæ datur à competenti Iudice ob cauſam ſufficientem, ſeruato ordine iuris ad bonum, & iuſtum finem. Iniuſta verò, quæ aliquem defectum patitur. 10

Digitized by Google

patitur. Ruſus hæc multiplex eſt, iuxta qualitatem talis defectus, alia enim eſt ſolùm iniuſta ob defectum intentionis, & tunc in vtroque foro eſt valida, alia verò iniuſta ob aliquem defectum ſubſtantialem, & hæc ſi de iniuſtitia hac conſtat, inualida eſt. Alia verò eſt iniuſta ſolùm ob defectum accidentalem, & non neceſſarium, quæ valida erit. De iis Summiſtæ communiter verb. *Sententia*, & verb. *Iudicium*, ac Thomas de Ieſu *de viſit. Regul. tract. 3. cap. 15.*

11 Loquendo de appellatione à ſententia Iudicis regularis, præter dicta *tom. 1. cap. 9. num. 4.* & ſuprà verb. *Appellatio*, & *Appellare*, verbo *Denunciator*, & *Denunciare*, nota primò, ab arbitris compromiſſariis appellari non poſſe ſi partium conſenſu delecti fuerint, ſicut habetur *in l. 1. C. de arbitris*. S. Thom. 2. 2. *q. 69. art. 3. ad 2.* Aldrete *de Relig. diſcipl. lib. 2. cap. 28. n. 22. & 23.* Layman. *lib. 3. tract. 6. cap. 6. num. 2.* Quid verò dicendum de arbitris iuris qui à iure dantur pro caſu recuſationis Iudicis, infrà habetur *num. 13.* Nota ſecundò, probabile eſſe quod quando de ſententia Iudicis inferioris dubitatur an ſit iuſta, vel lata ſecundùm probabiliorem ſententiam, licita ſit appellatio ſpe obtinendæ æquioris ſententiæ. Ratio eſt, quia finis tunc eſt licitus, & ſententia non eſt clara, nec certum, quod ſit iuſta. Sotus *5. de iuſt. quæſt. 9. art. 3.* Sanchez *tom. 2. conſ. mor. lib. 6. cap. 4. dub. 2.* Limita tamen, dummodò talis appellatio non ſit à correctione Regulari, iuxta dicta locis relatis. Nota etiam, quod conuictus teſtibus ſimul & confeſſus appellare non poteſt, *l. 2. C. quorum appell. non recipiend.* Couarruuias *lib. practic. cap. 23. num. 5.* Thomas de Ieſu *de viſitat. Regul. tract. 3. cap. 17. num. 9.* & alij communiter. Idem dico de confeſſo tantùm, *cap. cum ſpeciali, de appellat. & cap. Romana, de appellat. in 6.* Couarruu. *ibid.* Sanchez *ſuprà dub. 4.* Thomas de Ieſu *ſupra num. 10.* Vide alia infrà *num. 18.*

12 Similiter quia iuxta dicta *tom. 1 part. 1. cap. 9. num. 8.* licitum eſt in aliquo caſu ſaltem raro recuſare Prælatum Regularem, videlicet quando conſtat certo, & euidenter iniquè ſe gerere, aut velle gerere contra bonam famam, & opinionem alicuius Religioſi. Ideò notandum hoc procedere in quocunque Iudice Regulari, ſiue Prouinciali, ſiue Generali, &c. quia *cap. ſi quis contra Clericum, de foro competenti, & cap. ſecundò requiris, & cap. cum ſpeciali, de appellat.* generaliter conceditur de omnibus, Graffiis *2. part. deciſ. aurear. lib. 3. cap. 4. num. 6.* Peirinis *tom. 1. de ſubdito, cap. 19.* Notandum ſecundò, quod recuſationis cauſa eſt ſuſpicio, quod Iudex Regularis ſe gerat, aut velit gerere iniquè contra ſubditum. Peirinis *ſupra §. 1.* Thomas de Ieſu *ſup. num. 13.* Cauſæ verò ſuſpicionis ſunt multæ, præſertim inimicitia grauis inter Iudicem, & iudicandum, vel magna coniunctio Iudicis cum parte contraria, vel inimico iudicandi, vt ſi eſt eius conſanguineus, commenſalis, compatriota, &c. De quibus & aliis agunt Doctores in dicta capita ſcribentes. & Syluester *in Summa, verbo Recuſare.* Peirinis *ſup. § 2.* Naldus verbo *Iudex, num. 17.* Bouetius *ſuprà part. 3. cap. 1.*

13 Praxis tamen recuſationis inter Regulares talis eſt. Primò enim cauſa ſuſpicionis debet aſſignari in ſcriptis coram Iudice recuſato. Quod ſi euidenter fruſtratoria, & ſolùm ad fugiendum iudicium inducta appareat, non tenetur eam Iudex acceptare, ſed poteſt illam ſpernere. Quando verò rationabilis apparet, debet ſe à Iudicis munere ſubtrahere. Si tamen cauſa dubia fuerit, debent eligi arbitri à partibus, vel ſi Iudex procedat ex officio, ab ipſo, & reo, ita vt ambo duos arbitros eligant, vel vterque ſuum arbitrum, qui de cauſa ſuſpicionis cognoſcant. Arbitri porrò electi debent aſſignare illis, qui ipſos elegerunt, terminum ad probandum legitimitatem cauſæ ſuſpicionis, teſtes examinare, & alia facere, quæ ad hunc articulum pertinent. Quibus peractis, ſi non poſſunt concordare circa cauſam ſuſpicionis, debent aduocare tertium arbitrum, vt quod duo ex ipſis decreuerint, robur obtineat firmitatis. Cauſa verò ſuſpicionis intra competentem terminum non probata, Iudex debet ſua iuriſdictione vti. Si verò fuerit legitimè probata, debet recuſatus, ſi eſt delegatus omnino abſtinere à cauſæ cognitione; ſi verò eſt ordinarius, vel illam alteri perſonæ idoneæ committere, vel ad Superiorem tranſmittere. Habetur hæc praxis recuſationis ex relatis iuribus, & *ex cap. legitima, de appellat. in 6.* Vbi Doctores communiter, ſpecialiter Panorm. *ibid.* Quibus iunge Sanch. *d. tom. 2. Conſiliorum Moralium, lib. 6. cap. 8. dub. 3.* Portellum *in Dub. Regul. ſub verbo Appellare, in verbo Exceptio contra Iudicem, à num. 13.* Peirinis *ſupra §. 1.* Bouetium etiam *ſupra cap. 1.* de quo etiam latius infrà verbo *Recuſatio*. Nota tamen, quod ab huiuſmodi arbitris, qui arbitri iuris vocantur, appellari poteſt ad Sedem Apoſtolicam, vt expreſſè habetur, *cap. ab arbitris, de offic. & poteſtat. iudic. deleg. in 6.* Portellus *ſuprà d. verb. appellare, num. 12.* Peirinis *ſuprà.* Notandum præterea, quod in caſibus, in quibus appellatio denegatur, etiam denegari debet recuſatio; vtraque enim eſt quædam defenſio reis conceſſa propter eandem vtilitatem, ſcilicet innocentiæ defenſionem, *cap. ſuper eo, de Appell.* Aldrete *de diſcip. Relig. lib. 2. cap. 28. num. 33.* ex aliis.

Pro tortura, quæ in aliquibus grauibus caſibus applicari poteſt Religioſis, præter dicta eo *cap. 27. & cap. 28. num. 17.* Notandum, Religioſum eſſe mitiùs torquendum, quam laïcum, tum propter metum excommunicationis, ſi excedatur in torturæ modo; tum propter reuerentiam ſtatus Religioſi. Syluester verbo *Inquiſitio 2. dicto 9.* Armilla verbo *Inquiſitio, num. 11.* Bouerius *ſuprà part. 1. cap. 36.* Circa modum torturæ, præter dicta dictis locis, nota, quod ſtando in iure nequit Prælatus torquere Religioſum per miniſtros laicos, ſed per alium Religioſum, aliàs tam Prælatus, quàm miniſter laïcus eſſent excommunicati, niſi in caſu quo non inueniretur Religioſus peritus in arte torquendi, *cap. vniuerſit. de ſent. excommunic.* Syluester verbo *Excommunicatio 6. §. 6. dub. 11.* Nauarr. *in Man. cap. 27. num 86.* Conſuetudine tamen oppoſitum habetur, vt habet ipſe Nauarr. *ibidem*, & Sanchez 2. *tom. Conſil. Moral. lib. 6. cap. 8. dub. 2. num. 15.* Vbi nota etiam iuxta dicta ſuprà verbo *Appellare*, & *Appellatio, num. 17.* appellationem à ſententia torturæ tenere, & ſuſpendere effectum. Sanchez *ſuprà dub. 2. num. 16.* Notandum præterea, maximè pro Regularibus, qui vt dixi mitiùs torqueri debent, quod licet tanto grauiora tormenta inferri poſſint, quanto maiora contra eum indicia habentur, nihilominus regulariter ab illis tormentis abſtinendum eſt, quibus moraliter loquendo reus reſiſtere non poſſit; talis enim confeſſio omnino inuoluntaria, & nulla cenſeri debet, nec propter ipſam condemnari. Layman. *lib. 3. tract. 6. cap. 5. num. 11.* Vide Thom. de Ieſu *ſuprà cap. 13.* 14

Pro iuramento autem quod petitur à Regularibus, quando ipſorum Prælati procedunt modis aſſignatis ad cognoſcendum de ipſorum delictis, vide verbo *Iuramentum*, vbi etiam qualiter iuramentum falſum, ſeu periurium in iudiciis Regularibus ſit caſus reſeruabilis inter illos. Dicetur etiam infrà verbo *Teſtis*, vbi multa tam de teſtibus, quàm de iuramento, quo aſtringi poſſunt ad dicendam veritatem. 15

Præterea circa Iudicem Regularem animaduertendum primò, in ipſo maximè procedere id quod dixi *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 68.* ſcilicet, cauere debere à munerum receptione etiam liberaliter conceſſorum, non ſolùm propter dicta ſuprà verbo *Dare, ſeu Donare, num. 5.* ex Conſtitutione Clem. VIII. nouiſſimè 16

approbata,

approbata, & explicata iuſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, ſed etiam propter *cap. Romana*, & Concilium Tridentinum eo *num*.68. relata. De quo Thomas de Ieſu *de Viſitat. Regular. tract*.1. *cap*. 21. *per totum*. Quibus adde, Iudicem Eccleſiaſticum (ac per conſequens Regularem) aliquid recipientem, etiam gratis oblatum, teneri ad reſtitutionem, etiamſi pars quæ donauit illud remittat, *cap. Statutum, de reſcript. in* 6. Syluester *in Summa, verbo Iudex* 1. *quæſt*. 8. Caiet. *verbo Iudicis peccata, in fin*. Sanchez *d. tomo* 1. *conſil. moral. lib*. 3. *cap. vnic. dub*. 2. Poteſt tamen aliquid donari Iudici cauſa redimendæ vexationis, ſi eſt periculum iniuſtitiæ. Tunc enim licet ipſe Iudex iniuſtè recipiat, pars tamen iniuſtè vexata licitè donat, quia iure naturæ id permittitur titulo defenſionis, & iura humana non loquuntur pro hoc caſu. Corduba *lib*. 1. *quæſt*. 32. Bannez 2.2. *quæſt*. 62. *art*. 5. *dub*. 4. Sanchez *ſupra dub*. 2. Excipienda etiam videntur parua eſculenta, & poculenta, & etiam veniæ, ſeu eulogiæ, ideſt munuſcula parua data humanitatis, vel vrbanitatis gratia. Gloſſa *in cap*. 1. *de decimis in* 6. *in princip*. Syluester *ſuprà*, Peirinis *tom*. 1. *priuil. Minim. Conſtit*. 14. *Leon. X. num*. 7. Quod intellige ceſſante ambitione, & cum licentia requiſita, de quibus eo *num*. 5. dixi.

17 Secundò nota, quod licet ſecundum plurium ſententiam poſſit Iudex, præſertim ſupremus, ſeu Princeps, quando crimen eſt notorium, & liquidò, ac certò conſtat reum nullam habere defenſionem, contra eum procedere non citatum, neque auditum, prout tenent Panorm. *cap. cauſam, de reſcript. & cap. cum olim, de ſentent. & re iudicat*. Syluester *in Summ. verbo Citatio, quæſt*. 7. Sanchez *d. cap. vnic. dub*. 4. poſt alios quos refert, qui etiam hoc admittit ex Nauarro, quando ex citatione partis timeretur graue ſcandalum. Nihilominus Prælatus Religioſorum nullo modo poteſt, ſaltem regulariter loquendo, procedere contra reum Regularem non citatum, vel non auditum, *ex l. illicitas, ff. de offic. Præſid. & cap. iudices* 3. *quæſt*. 7. non ſolùm quia regulariter loquendo reus Regularis, vel non eſt credendus de facili commiſiſſe delictum, vel ſaltem habere pro ſe magnam excuſationem; ſed etiam quia cum Eccleſiaſticis mitius, & benignius debent Iudices procedere propter dignitatem ſtatus ipſorum. Dixi *Regulariter*, quia in aliquo raro caſu, quando & delicti notorietas, & inconuenientia, quæ poſſunt naſci id ſuadeant, non video cur Prælati Religionum, præſertim ſupremi, quales ſunt Generales qui ſunt veluti Principes in Religionibus, non poſſint prædictam ſententiam ſequi. Rodriguez *tom*. 2. *quæſt. Regul. quæſt*. 18. *art*. 1.

18 Tertiò, quod licèt ſecundum ſententiam Couarruuiæ *in quæſt. pract. cap*. 23. *n*. 6. Sanch. *ſuprà eo cap. vnico, dub*. 10. & Boërij *ſuprà part*. 3. *cap*. 2. poſſit Princeps appellationem tollere, vbi litis alicuius etiam grauis definitionem committit Iudici in re peritiſſimo, & integerrimo, quia lites non ſunt futuræ immortales, & Reipublicæ conuenit eas citò definiri, *cap. fin. de dolo, & contum*. Nihilominus Prælatus Regularis regulariter loquendo non poteſt id facere. Id enim res valdè dura videtur pro Religioſis, & contra intentionem Summorum Pontificum, propter dicta *tom*. 1. *cap*. 9. *n*. 4. Bouerius *ſuprà*. Qui tamen rectè addit *cap*. 4. quod ſi in aliqua Religione fuerit ſtatutum vt in iudiciis, quæ in ea agitantur, nulla appellatio admittenda ſit, tale ſtatutum validum erit, præſertim ſi totius Religionis conſenſu factum fuerit. Cum enim ius appellandi liberum ſit, poterit Religio ipſi renunciare. Quomodo autem intelligenda ſit clauſula illa, *Omni appellatione poſtpoſita*, vel ſimilis, quæ in aliquibus Bullis, ſeu Reſcriptis Summorum Pontificum, vel aliorum Superiorum habetur, dixi ſuprà verbo *Clauſula*, *num*. 10.

19 Quartò nota, quod licet in celebri illa quæſtione, an ſcilicet Iudex poſſit iudicare contra veritatem quam nouit, propter ea, quæ in proceſſu apparent, ideſt, an poſſit condemnare reum, quem ipſe ſcit eſſe innocentem, propterea quod in proceſſu probatur nocens, communior ſit pars affirmatiua, quando non poteſt medium inuenire, quo ſe poſſit à iudicando excuſare, eo quòd Iudex ſit perſona publica, ac proinde ſecundum ſcientiam publicam, & non priuatam iudicare debet, prout tenent S. Thom. 2.2. *quæſt*. 67. *art*. 2. Caiet. *ibid*. Sotus *lib*. 5. *de iuſt. quæſt*. 4. *art*. 2. Cord. *lib*. 1. *q*. 37. & alij plures. Quia tamen oppoſita ſententia non ſolùm eſt valde probabilis, prout ex Leſſio, Petro Nauarra, Sà, & aliis tenent Bon. *de leg. diſp*. 10. *quæſt*. 2. *punct*. 2. *num*. 2. & Corn. *tom*. 1. *in* 2.2. *S. Thom. tract*. 8. *circa quæſt*. 19. *diſp*. 5. *dub*. 6. quia lege naturali, & diuina quilibet tenetur defendere innocentem, ſed etiam eſt benignior, & conformior pietati, ac menti Pontificum, qui ſæpius Regularibus conceſſerunt, vt dixi eo *cap*. 27. *num*. 6. vt cum illis procedatur *ſola veritate rei inſpecta*; ideo à Iudice Regulari amplectendam eſſe cenſeo. Imò in hoc caſu, ſi abſque ſcandalo id fieri poſſit, licitè faciet ſi occultè ianuas carceris illi aperiri permittat. Sotus *lib*. 5. *de iuſt. quæſt*. 4. *art*. 2. Cord. *lib*. 1. *quæſt*. 37. Naldus *in Summ. verbo Iudex*, *num*. 6. Vide etiam Diana 5. *part. tract*. 4. *Reſol*. 22. vbi de variis remediis, quæ adhibere debet iudex in eo caſo. In caſu verò contrario, quo Iudex Regularis ſciat reum eſſe nocentem, ſed probatur in proceſſu innocens: melius, vt credo, faciet ipſum abſoluendo, quàm damnando, quia in iudicio, præſertim Regulari, pietati potius, & benignitati, quàm rigori iuſtitiæ attendendum eſt. Cornejo *ſuprà*.

Quintò nota, quod licet in illa etiam difficultate, an ſcilicet Iudex poſſit ſecundum opinionem probabilem probabiliori relicta iudicare, variæ ſint Doctorum ſententiæ, quibuſdam aſſerentibus teneri ſequi opinionem probabiliorem, prout tenent Sotus, Valentia, Bann. & Rodriguez quos refert, & ſequitur Sanch. *tom*. 1 *in Decal. lib*. 1. *cap*. 9. *num*. 47. aliis dicentibus poſſe ſequi opinionem minus probabilem, prout tenent Medina, Aragon, Salon, Ledeſma, Sayrus, & Salas, & alij apud eundem Sanchez, quod & probabile eſſe tenet Diana *part*. 2. *tract*. 13. *Reſol*. 5. poſt plures alios, & abſolutè probabilius iudicat Corn. *ſuprà*. Nihilominus quoad praxim Regularium, cùm vtraque opinio ex prædictis ſatis probabilis ſit, aliquæ regulæ cæteris paribus præ oculis habendæ à Iudice Regulari hîc ſtatuendæ ſunt. Prima, præferenda eſt ab illo opinio, quæ fuerit benignior, & magis pia, & conformior religioſæ perfectioni, *l. ſemper in dubiis, ff. de reg. iur. l. ſunt perſonæ, ff. de relig*. Nauarr. *in Manual. cap*. 27. *num*. 287. Corn. *ſuprà*. Secunda, eligenda eſt ea opinio, quæ fauet Religioſo priuato contra Fiſcum, cum Fiſcus fundatur in delicto priuati. Nauarr. & Corn. *ſuprà*. Tertia, eligenda eſt illa, quæ ſoluit potius, quam ea, quæ ligat, cum iuxta regulam iuris *odia reſtringi, fauores conuenit ampliari*. Syluest. *in Summa, verbo Opinio, quæſt*. 2. Corn. *ſuprà*. Quarta, præferri debet ea, quæ eſt humanior, & ſecundum æquitatem, illi quæ eſt ſecundum rigorem iuris. Syluester, & Corn. *ſuprà*. Quinta inclinare debet in fauorem rei, potius quam actoris, quia iura omnia potius reo, quam actori fauent. Corn. *ſuprà*. Pro quo, & aliis caſibus ad hæc ſpectantibus, vide Ioan. Sancium *in pract. diſp*. 44. *præſertim num*. 50. 20

21 Sextò notandum, pro cauſis, ſeu iudiciis ſæcularibus Regulares non poſſe ad illas aſſumi, vt Iudices, etiam arbitros, iuxta dicta *tom*. 1. *part*. 1, *cap*. 9. *num*. 14. niſi concurrente duplici illa conditione ibi aſſignata, ſcilicet licentia Superioris, & vtilitate Monaſterij, de quo latè Sanch. *lib*. 6. *in Decal. cap*. 13. *à num*. 55. Notandum tamen, non propterea prohibitum eſſe Reli-

gioſis eſſe arbitratores, etiam non concurrente vtilitate Monaſterij. Cum enim arbitratoris munus abſque iudicij ſtrepitu exerceatur, ac opus pietatis ſit, Religioſoſque deceat lites componere, & diſſenſiones euitare, non videtur exigi ad illud Monaſterij vtilitas, etſi licentia requiratur, cum Religioſi non habeant velle, aut nolle. Syluest. *in Summ. verb. Arbiter., q.16. num.14.* Tab. *quaſt.7.num.10.* Armill. *num.12.* Sanch. *ſuprà num.61.& 62.*

22 Multò minus aſſumi poſſunt Religioſi ad munus Iudicis laici exercendum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ impoſitæ *in cap. Clericis, ne Cleric. vel Monach.* contra aliter facere præſumentes, niſi moniti ſe emendent. Ea verò excommunicatio nulli eſt reſeruata, neque incurritur ſi in cauſa ciuili ſibi ſemel, aut iterum delegata à ſæculari poteſtate iudicent, ſed ſolùm quando ſunt Iudices, ſeu Officiales Principum ſæcularium cum auctoritate ordinaria. De quo ex pluribus aliis Doctoribus Theſaurus *in praxi, part.2. verbo Iudex, cap.2.*

23 Demùm de conditionibus Iudicis Regularis rectè Bonerius *ſuprà part.1.cap.2. & 3.* ex Patribus, & Doctoribus. Inter eas autem maximè neceſſariæ iſtæ videntur. Prima, quod ſit in legibus ſaltem canonicis peritus. Secunda, veri, recti & æqui amator. Tertia, quod cum timore Dei, & charitate, virtutibus quoque prudentiæ, humilitatis, & beneuolentiæ erga proximos polleat. Quæ verò ſint apices iuris, ſeu ea ad quæ non tenentur Iudices Regulares iuxta dicta *tom.1.part.1.cap.27.num.26.* habet Portellus *ſuprà verbo Correctio Fratrum, num.50.* poſt alios.

IVRAMENTVM QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*

2 *Iuramentum quid ſit.*

3 *Quando iuramentum per creaturas ſit verum Iuramentum.*

4 *Forma iurandi inter Regulares.*

5 *Quotuplex ſit Iuramentum.*

6 *Iuramenti conditiones.*

7 *Qualiter prohibitum, vel permiſſum Iuramentum Regularibus.*

8 *Quando cogi poſſint ad iurandum.*

9 *An poſſint ficte iurare.*

10 *A Iudicibus ſæcularibus cogi non poſſunt.*

11 *An aliquando iurare poſſint amphibologicè.*

12 *De malitia iuramenti aſſertorij falſi.*

13 *Qualiter ſit caſus reſeruabilis inter Regulares.*

14 *De pœnis periurij.*

15 *Iuramentum promiſſorium quando obliget.*

16 *Etiam factum in vtilitatem tertij.*

17 *Tacitæ conditiones in iuramento promiſſorio imbibitæ.*

18 *Quando iuramentum promiſſorium Regularium illos obliget.*

19 *An iuramentum de re contraria Regulæ, vel Conſtitutionibus.*

20 *An de dando aliquid alicui extraneo.*

21 *De iuramento comminatorio.*

22 *De execratorio.*

23 *An poſſint Prælati ſubditos obligare ad iurandum coram ſe.*

24 *Quot modis tollatur obligatio iuramenti.*

25 *Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, quid poſſint circa iuramenta Monialium.*

26 *Iuramenta Regularium in vtilitatem tertij emiſſa quomodo poſſint tolli.*

27 *An poſſint commutari ab ipſis, qui illa emiſerint.*

28 *De iuramentis quibus ius tertio adquiſitum eſt, an ab alio quam à Papa tolli poſſint.*

29 *De iuramentis factis à Regularibus ante Profeſſionem.*

30 *Alia remiſſiuè.*

DE hac materia aliqua ſparſim in præcedentibus dixi, nihilominus pro ipſius complemento plura alia dicenda, præmiſſis tamen aliquibus principiis generalibus Iuramenti. 1

Iuramentum ergo eſt *inuocatio diuini Numinis in teſtimonium.* S.Thom. 2.2. *quaſt.89.art.1.* & Expoſitores *ibidem.* Dicitur *inuocatio diuini Numinis*, quia iurans, quantum eſt in ſe vult, & cupit Deum vt teſtem manifeſtare id quod ipſe Iuramento confirmat. Valentia 2.2. *diſp.6. quaſt.7. punct. 1.* Sanchez *lib.3.in Decalog. cap.1. num. 1.* Vnde differt ab oratione, quia etſi per illam Deus inuocetur, ſed non vt teſtis. Sanchez *ibidem,* Bonacina *de iuramento diſp.4.quaſt.1.punct.1.num.2.* Similiter concionatores, & alij afferentes S. Scripturæ loca in teſtimonium eorum, quæ dicunt, non iurant, quia etſi afferant Dei teſtimonia, non tamen ſit hoc inuocando ipſum, ſed ea referentes. Sanchez, & Bonacina *ſuprà.* Dicitur etiam *Inuocatio* abſtrahendo ab externa, vel interna; ad verum namque Iuramentum quoad Deum ſufficit inuocatio interna, ſicut ad votum etiam ſufficit promiſſio interna. Azor. *1.part. Inſtit. Moral. lib.11.cap.2.quaſt.4.* Suarez *tom.2.de Relig. tract. de iuramento, lib.1. cap.1.num.4.* Ledeſma 2. *tom. Summa, tract. 11. cap. 1. dub. 2.* Similiter dicitur *Inuocatio* abſtrahendo ab expreſſa, qualis contingit cum quis dicit, *Iuro per Deum, per Chriſtum*, &c. & à tacita, quæ contingit vel quando quis animo iurandi tangit crucem, Euangelia, pectus, *&c.* (Sotus *lib.8. de iuſt. quaſt.1. art.1.* Rodriguez *tom.1. Summa, in 2.edit. cap.191.num.2.* Bonacina *ſup. num.3.*) vel etiam quando quis iurat per creaturam, prout modò dicam. Sayrus *in claui Regia, lib.5.cap.1.* Layman. *lib. 4. tract.3. cap.1. num.5.* Dicitur quoque Iuramentum *inuocatio diuini Numinis*, quia ſi quis iuraret per Iouem, Bacchum, Diabolum, &c. vel aliquem falſum Deum, quamuis ſi ioco id faceret, Iuramentum non eſſet, nec peccatum, ſi tamen ſeriò, & ex intentione, grauiſſimum eſſet peccatum blaſphemiæ, vel Idololatriæ, cum Deitas falſo Deo adſcriberetur. Bonacina *ſuprà num.2.* Layman. *ſuprà num. 2.* Dicitur etiam *inuocatio diuini Numinis*, quia etſi aliquando contingat iurare per creaturas, tale tamen iuramentum prout præcisè illas reſpicit, Iuramentum non eſt. Pro quo notandum tripliciter poſſe iurari per creaturas. Primò, conſtituendo in illis finem iuramenti, ſeu afferendo illas tanquam infallibiles teſtes veritatis. Secundò, non conſtituendo in illis finem Iuramenti, ſed referendo eas in Deum cuius numen in ipſis relucet, ſeu quod idem eſt, prout ſunt creaturæ Dei. Tertiò adducendo illas in teſtes non prout ſunt aliquid Dei, aut prout in eum referuntur, ſed ſecundum dignitatem, quam habent. Iurare primo modo eſt blaſphemia, & ſpecies idololatriæ, vt dixi: Iurare ſecundo modo, eſt verum iuramentum, quia eſt iurare implicitè, & virtualiter per Deum, & eſt actus licitus, ſi conditiones pro Iuramento requiſitas habeat. Iurare autem tertio modo non eſt propriè iuramentum. Nauarrus *in Man. capit. 12. num. 5.* Sanchez *ſuprà cap. 2. num. 9.* Bonacina *ſuprà num.4.* Animaduertunt autem communiter Doctores, eo grauius eſſe iuramentum per creaturas, quo ipſæ perfectiores ſunt. Vnde maius eſt iurare per Beatiſſimam Virginem, quàm per alios Sanctos; magis per iſtos, quàm per Cœlum, & magis per Cœlum, quàm per terram, &c. Toletus *in Summa, lib.4.cap.20.* Layman. *ſuprà num.6.* 2

Vt autem ſciatur, quando iuramentum per creatu- 3

ras

Digitized by Google

ras ſit verum iuramentum, vel quando non, maximè notandum, plura conſideranda eſſe in tali iuramento per creaturas. Primum quidem quoad Deum, & conſcientiam, intentionem, & voluntatem iurandi; ipſa enim taliter eſt neceſſaria ad iuramentum, vt ab ipſa præcipuè, imò eſſentialiter ratio iuramenti petenda ſit, itavt quomodocunque per creaturas iuretur, ſi intentio iurandi adſit, verum ſit iuramentum: è contra tamen, ſi hæc intentio deſit, quomodocumque creaturæ in teſtimonium adducantur, verum iuramentum ibi non ſit. Nauarrus, & Bonacina *ſuprà*. Quoad homines tamen, ſeu forum externum, attendenda eſt primò Patriæ conſuetudo. Si enim talis modus iurandi pro vero iuramento in Patria habeatur, tunc verum iuramentum cenſeri debet. Valentia *ſuprà punct.* 2. Sanchez *ſuprà num.* 1. Secundò attendi debet, ſi illud iuramentum fiat per creaturas, in quibus ſpecialiori modo reluceat bonitas Dei. Tunc enim per illas iurans verum iuramentum cenſetur iurare, quia cenſetur iurare per Deum, qui in illis ſpecialiter relucet, accipiendo videlicet continens pro contento, creaturas pro Creatore, ſignum pro ſignato. Syluester verbo *Iuramentum* 1. *quæſt.* 4. Nauarrus *ſuprà*, Sanchez *ſuprà num.* 10. Tertiò, attendi etiam debet ſi in tali iuramento per creaturas ponatur nomen Dei ſaltem in obliquo, vt ſi dicatur, *per aërem Dei*, *ignem Dei*, &c. tunc enim ſic iurans verum iuramentum emittere cenſetur, vtpote iurans per Deum, vel creaturas, vt referuntur ad ipſum. Syluester *ſup.* Rodriguez *ſuprà num.* 1. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 5. *cap.* 1. & alij communiter.

4 Ex quo iam maximè ad praxim Regularium colligi poteſt quæ formæ iurandi cenſeri debeant propria iuramenta. Primò enim illæ, *per meam veritatem*, *per fidem*, *per meam conſcientiam*, & ſimilia, non cenſentur iuramenta, quia in communi modo ſentiendi ſolùm afferuntur iſta, vt puræ creaturæ ſine ordine ad Deum. Nauarrus *ſupra*, Sà *in ſumma*, *verbo iuramentum, n.* 1. Ledeſma *in Summa, tom.* 1. *tract.* 11. *c.* 8. *dub.* 1. Idem dico de his locutionibus *In fide boni Religioſi*, &c. vel *ſicut Chriſtianus*, *Sacerdos*, *Religioſus*, &c. propter idem fundamentum. Sanchez *ſupra num.* 16. Bonacina *ſuprà num.* 5. Iurare autem *per animam*, *per habitum B. Virginis*, *S. Petri*, *Dominici*, *Franciſci*, *&c. per veſtes Sacras*, *per manus conſecratas*, *per reliquias*, *aut templa Sanctorum*, &c. Iuramenta cenſentur, propter regulam traditam, quia ſcilicet cum in eis ſpecialiori modo reluceat Dei perfectio, iurans per ipſa cenſetur iurare per Deum, Suarez *ſuprà cap.* 13. Sanchez *ſuprà num.* 29. Bonacina *ſuprà num.* 5. Portel. *in dub. Regular. verbo iuramentum, in addit. num.* 1.

5 Eſt autem quadruplex iuramentum, ſcilicet *aſſertorium*, *promiſſorium*, *comminatorium*, *& execratorium*. *Aſſertorium* eſt quo negatur, vel affirmatur aliquid, vt ſi dicatur, *iuro per Deum, quod Petrus occidit Ioannem*. *Promiſſorium* illud quo vtimur ad aliquid futurum affirmandum, vel negandum, vt ſi dicamus *iuro per Deum, quod craſtina die ieiunabo*. *Comminatorium* eſt, quo promittitur alicui malum aliquod per modum pœnæ, vt ſi herus dicat ſeruo, *Per Deum, quod te caſtigabo*. *Execratorium* verò eſt in quo, ſiue aſſerendo aliquid affirmatur, vel negatur, ſibi apponendo pœnam; vt ſi quis dicat: *Deus me deſtruat, niſi hoc ita eſt*, aut *niſi hoc faciam*. Idem eſt cum dicitur, *Per vitam meam, per filios, per vxorem*, &c. Idem enim eſt ac dicere, *Deus me vita priuet, filios, vel vxorem*, &c. niſi hoc ita eſt. Toletus *ſupra num.* 3. Deinde iuramentum aliud verbis, vt patet in relatis, aliud nutu, vel ſigno fit, vt tangendo pectus, Euangelia, &c. Item aliud abſolutum, aliud conditionatum. Præterea aliud ſolemne, quod ſcilicet fit coram Notario, vel iudice, aliud verò ſimplex, quod ſine vlla ſolemnitate fit. Deinde iuxta diuerſitatem iurantium diuerſitas eſt iuramentorum. Epiſcopi enim, & Presbyteri iurant tangendo pectus ſuum, Cardinales in conſpectu Euangeliorum, Reges verò, & Principes ſupremi per teſtationem fidei. De quibus, & aliis iuramenti diuiſionibus agunt Valentia *ſuprà punct.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 2. Naldus *in Summa, verbo Iuramentum, n.* 1. & alij.

Quamvis autem iuramentum, ſeu iurare ſit licitum, prout colligitur ex Deuteron. 6. illis verbis: *Per nomen eius iurabis*. Et Deuteron. 10. *Iurabiſque in nomine illius*, aliiſque S. Scripturæ locis, & SS. teſtimoniis (de quibus Guido noſter Carmelita *contra hereſes in error. Valdenſium, cap.* 2. Valentia *ſuprà punct.* 3.) & quia eſt actus bonus à virtute Religionis elicitus, cum pertineat ad cultum Dei, eo quòd homo iurando agnoſcat, & proteſtetur infallibilem veritatem, & auctoritatem ipſius (S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 4. & Expoſitores *ibid.*) nihilominus quia non eſt ſicut bonum quoddam per ſe appetendum, ſed inſtar medicinæ, tanquam quoddam imbecillitatis humanæ remedium, ad confirmandum aliquam veritatem (S. Aug. *de ſermon. in monte, & lib.* 1. *cap.* 30. S. Th. *ſuprà art.* 5. Guido *ſuprà*) ideo tres conditiones requiſitæ ſunt ad iuramentum, vt licitè fiat. Hæ ſunt *veritas*, *iuſtitia*, *& iudicium*, quæ habentur Hierem. 4. ibi, *iurabis, Viuat Dominus in iuſtitia, & iudicio, in veritate*. Guido *ſuprà*. Veritas in eo conſiſtit, quod iurans prudenter arbitretur eſſe verum id quod iureiurando dicit. S. Thom. *ſuprà art.* 7. *ad primum*. Caiet. & alij *ibidem*. Iuſtitia in eo conſiſtit, vt iuramentum non fiat de re illicita. Materia enim illius debet eſſe licita, & honeſta. S. Thom. *ſuprà art.* 3. *ad* 2. Caiet. & alij Expoſitores *ibidem*. Iudicium verò conſiſtit in hoc, quod fiat cum neceſſitate, & reuerentia. Ita vt ſi illud deſit, ſaltem ſit peccatum veniale, propter irreuerentiam, quæ Deo fit. Leſſius *de iuram. dub.* 3. Bonacina *ſuprà punct.* 3. *num.* 8. Requiruntur etiam aliæ circumſtantiæ ad iuramentum ex iure poſitiuo. Prima eſt, vt iuraturus in iudiciali cauſarum foro ſit ieiunus, *cap. honeſtum* 22. *quæſt.* 5. *& cap.* 1. *de teſtibus*, licet hæc de ſolo conſilio ſit. Azor. *tomo* 1. *inſtit. Moral. lib.* 11. *cap.* 11. *quæſt.* 9. Valentia *ſuprà punct.* 3. Secunda eſt, vt non fiat prædictum iuramentum iudiciale in diebus feſtis, niſi pro bono pacis, aut piæ cauſæ, *cap.* 1. *de feriis*. S. Thom. *ſuprà art.* 10. Sotus *lib.* 8. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 10. Tertia, vt tale iuramentum iudiciale non fiat à perſonis quibus id prohibetur, quales ſunt periuri, *cap. paruuli* 22. *quæſt.* 5. & pueri ante pubertatem, *eod. cap. paruuli, & cap. pueri, ibid.* S. Th. *ſuprà art.* 10. Sotus *ſuprà*, Syluest. verb. *iuramentum* 2. *quæſt.* 3. Valentia *ſuprà*.

Quod attinet verò ad Eccleſiaſticos, & Regulares 7 noſtros prohibitum etiam eſt Sacerdotibus iurare in iudicio ex leui cauſa, *cap. ſi quis Presbyter* 2. *quæſt.* 5. *cap.* 4. Baccon. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 13. *art.* 3. Cuius rationem reddit S. Thom. *ſuprà art.* 10. quod dictum hominis tunc confirmatione iuramenti indiget, quando de eius veracitate dubitatur: dedecet autem dubitare de veritate Sacerdotis, in leui cauſa maximè. Cæterum in graui cauſa poſſunt iurare quando defectu probationis aliquis læditur, vel rem ſuam perdit, vel pro fide, vel pro pace, obedientia, indemnitate Eccleſiæ, vel quando ab infamiæ nota ſe purgare coguntur, vel dum ab excommunicatione abſoluuntur, *cap. ſignificaſti, de elect. can. de Siracuſana, diſt.* 28. *cap. Ad reprimendum, de offic. ordinar.* Baccon. *ſupra*, Syluest. *verbo iuramentum* 2. *quæſt.* 5. Azor. *ſuprà cap.* 11. *quæſt.* 6. Sanchez *ſuprà cap.* 3. *num.* 7. Et generaliter loquendo poſſunt iurare pro aliqua neceſſitate, vel magna vtilitate, præcipuè pro ſpiritualibus negotiis. Syluest. *ſuprà* ex S. Thom. Similiter ſi in cauſa propria litigant, poſſunt iurare de calumnia. Syluest. *ſuprà*, Azor *d. cap.* 11. In iis autem caſibus poſſe, Sacerdotes iurare in manu

laici, etiam ſine licentia Superiorum, tenent idem Syluest. *ſuprà num.*8. ex Panorm. & aliis. Afferuntque *cap. ex reſcripto, & cap. peruenit, de iureiur.* Sed prætерquam hi textus parum, aut nihil probant ad intentum, vt intuenti patebit, quod attinet ad regulares, illi nequeunt hoc facere ſine licentia ſuorum Superiorum. Etenim iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 16. non poſſunt licitè religioſi eſſe teſtes coram laicis ſine licentia ſuorum Prælatorum, propter dictu eo loco, & quia ipſi ſunt mortui mundo, nec habent velle, aut nolle. Idque tenent idem Syluest. *ſupra verbo teſtis, quæſt.* 1. & idem Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 13. *num.* 103. Prælati autem, qui hanc licentiam concedere poſſunt, non ſolùm ſunt Supremi, videlicet Generales, & Prouinciales, ſed etiam Conuentuales, & immediati, Priores videlicet, Guardiani, &c. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 10. *art.* 4. & 5. Portellus *in dub. Regular. eod. verbo, n.* 10. Generaliter etiam loquendo de Eccleſiaſticis, quod quando examinantur, vel denunciant in foro ſæculari, debeant iuramentum prius præſtare in tribunali Epiſcopi, habetur ex declaratione quadam S. Congreg. apud Dianam 5. *part. in Collect. ipſar. num.* 45. In tribus etiam caſibus communiter accipitur non poſſe Eccleſiaſticos iurare abſque ſuorum Prælatorum licentia. Primus, quando iurant coram laïco tanquam ſuo Superiori, *cap. nullus* 22. *quæſt.* 6. Secundus, quando iurant de calumnia, *cap. nos* 22. *quæſt.* 7. Tertius, in actu teſtificandi. Syluester *d. verbo iuramentum* 2. *quæſt.* 3. Sanchez *d. num.* 8. Bonac. *punct.* 10. *num.* 1.

8 Cogi etiam poſſunt à ſuis Superioribus Eccleſiaſtici, & Regulares ad iurandum etiam coram iudice laico. Primò, quando veritas aliter haberi non poteſt, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 11. *num.* 24. Secundò, generaliter in cauſis grauibus, *cap. ego N. de iureiur. cap. Quoties, de purgat. canon. cap. venerab. de excomm.* Layman. *ſupra cap.* 2. *num.* 2. Tertiò, in caſu, quo iurare cadat ſub præcepto, videlicet quando eſt neceſſarium ad ſubueniendum proximo.

9 Caſu autem, quo regulares à ſuis Superioribus iubeantur, ſeu cogantur iurare, animaduertant ſcrupuloſi, teneri ad iurandum, non fictè, ſed cum intentione iurandi, aliàs peccare poterunt, tum mortaliter, ſi id ſit in damnum graue tertij (Portellus *ſuprà num.* 19.) tum ſaltem venialiter, propter fictionem, & quia alios decipiunt.

10 A iudicibus autem, vel Principibus ſæcularibus cogi non poſſunt regulares ad iurandum, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus, non ſolum propter exemptionem, & immunitatem Eccleſiaſticam ipſorum, ſed etiam propter priuilegia plura illis conceſſa, de quibus Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regul. quæſt.* 10. *art.* 2. Specialiter Eugenij IV. pro Caſſinenſibus *in Bulla* 7. *n.* 17. & *Bulla* 9. *num.* 13. apud eundem Rodriguez *in Bullar.* inter Bullas eiuſdem Eugenij. Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Min. in Conſt.* 2. *Iul. II. num.* 149. Quo non obſtante iuxta dicta *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 11. *num.* 25. poſſunt emptores gabellarum exigere à regularibus iuramenta, quod res, v.g. triticum, &c. quas per dohanam tranſeunt nomine dictorum regularium, ſint ipſorum, & ad ipſorum vſus deputatæ, & tenentur dicti regulares ad mentem dictorum exigentium iuramenta iurare ſine aliqua æquiuocatione. Ratio eſt, quia licet abſolutè non poſſint iudices, maximè ſæculares compellere ad iurandum regulares, ſuppoſito tamen, quod velint iſti res illas, quas dicunt eſſe ad vſum proprium ſine ſolutione gabellæ relaxari, æquitas iuſtitiæ poſtulat, vt poſſint ad iurandum compelli. Ita Syluest. & Sanchez eo loco relati, & Peirin. *ſuprà n.* 150. Idem dicendum in caſu, quo Religioſi coguntur ab vrbis cuſtodibus iurare an veniant ex loco peſte infecto. Tenentur enim iurare, & ad mentem cuſtodum, propter eandem rationem. Syluest. *verb. Iuramentum* 3. *quæſt.* 1. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 35. Candidus *tom.* 2. *Diſquiſit. Moral. Diſq.* 16. *art.* 3. *dub.* 8. Quando tamen adeo celeriter tranſierunt locum peſte infectum, vt certi ſint, quod nihil eos, vel res ipſorum peſtis attigerit, aut potuerit attingere, poſſunt iurare ſe illac non tranſiuiſſe intelligendo mente, itavt aliquid mali ex loci peſtilentia contraxerint, quia hæc debet eſſe recta ipſorum cuſtodum intentio. Syluest. *ſuprà*, Nauarrus *d. cap.* 12. *num.* 19. Toletus *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 6. Idem dicendum quando veniunt ex aliqua Ciuitate, quæ putatur infecta peſte, verè tamen non eſt infecta, propter idem fundamentum. Syluest. Nauarrus & Tolet. *ſuprà*. Item, quando portant aliquid, ex quo iure non debeant gabellam ſoluere, vel quia ea eſt iniuſta, vel quia ab ea ſunt ipſi immunes, & interrogantur à cuſtodibus eo fine, vt gabellam ſoluant, an portent aliquid. Poſſunt enim iurare ſe nihil portare, intelligendo mente, ex quo gabellam debeant. Syluester verbo *Mendacium, quæſt. vlt.* Sanchez *ſuprà num.* 32. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcept. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 8. Candidus *ſuprà dubit.* 9.

Qualiter autem non poſſint cogi ad iurandum in cauſa ſanguinis ad condemnandum aliquem, conſtat ex dictis *d. cap.* 11. *num.* 14. Caſu verò dato, quod Princeps, vel Iudex ſæcularis per vim, aut metum cogeret Regulares ad teſtificandum, ſeu iurandum contra aliquem in cauſa ſanguinis, poſſunt amphibologiâ, vel æquiuocatione vti, iurando ſe neſcire tale delictum, mente tamen intelligendo, itavt dicere debeant, etiamſi illud ſciant. Cum enim tales Iudex vel Princeps non poſſint iuridicè Regulares in tali caſu ad iurandum, vel teſtificandum cogere, proculdubio poterunt ſimili modo reſpondendi vti, iuxta communem ſententiam de reo, ſeu teſte non iuridicè interrogato de aliquo delicto, Syluester verbo *Mendacium, q. vlt.* Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 2. Nauarr. *can. humanæ* 22. *quæſt.* 5. *in quæſt.* 1. *num.* 9. Saytus *in Clau. Regia, lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 24. & *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 29. Vnde ſimiliter Religioſus interrogatus à miniſtris iuſtitiæ, an latro tranſierit per illum locum vbi eſt, poteſt amphibologicè reſpondere etiam ſub iuramento, dicendo, Non tranſiuit hac, intendens per locum proprium, & indiuiduum, quem pede, aut manu tangit. Syluest. *in Summ. verbo Mendacium, quæſt.* 6. Candid. *ſuprà*. An verò poſſint Regulares in eo caſu teſtificari, ſeu iurare, etiam ad condemnandum aliquem in cauſa ſanguinis, vtendo tamen proteſtatione, ſaltem ſecundum opinionem probabilem aliquorum, vide dicta ſuprà verbo *Irregularitas, num.* 50. 11

Circa iuramentum aſſertorium, quando eſt falſum, ideſt, quando per ipſum affirmatur, vel negatur res aliter, quàm homo in corde credit, notandum illud ſemper eſſe peccatum mortale, etiamſi ſit in materia leuiſſima. Ratio eſt, quia afferre Deum in teſtem mendacij in quacunque materia quantumvis leuiſſima eſt grauiſſima iniuria ipſius, quia denotatur ipſum ignarum eſſe, vel improbum. Caiet. *in Summa, verbo periurium, cap.* 1. Sotus *octaua de iuſt. quæſt.* 2. *art.* 3. *concl.* 2. Sanctarell. *tract. de blaſphemia, cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 8. Diana 5. *part. tract.* 5. *Reſol.* 4. poſt plures alios, quos refert. Nec excuſat à mortali quicunque finis, quantumvis ſanctus, ac neceſſarius, quia mentiri, & Deum vt falſum teſtem afferre ita eſt intrinſecè malum, vt nunquam honeſtari valeat. Caietan. & Sotus *ibid.* Toletus *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 3. Idem dico, ſi quis rem ſibi dubiam, ac incertam iuret vt certam, vel indubiam, quia etiam tunc mentitur, & Deum vt falſum teſtem affert. Sanchez *ſuprà dub.* 8. Bonacina *ſup. punct.* 3. *n.* 6. Portell. *ſuprà num.* 6. Vno tamen caſu excuſatur homo, ſcilicet cum inaduertenter iurat falſum, non animaduertens id falſum eſſe. Tunc enim vel nullum eſt peccatum, ſi nulla adſit aduertentia falſitatis, 12

vel

Digitized by Google

vel ſolum erit veniale, ſi tantum fuerit imperfecta aduertentia. Toletus *ſuprà*, Sanchez *d.lib.3.cap.4.num.6.* Vide dicenda *num. ſequenti.*

13 Specialiter quoad Regulares ſpectat, notandum ex Decreto Clementis VIII. approbato à S. Congregat. ſub Sanctiſſ. D.N. Vrbano, quod retuli *tom.1.part.1. cap.18.num.30.* Inter caſus, quos ipſis permittit reſeruari poſſe pro ſuis ſubditis, recenſeri *Iuramentum falſum in iudicio Regulari, ſeu legitimo.* Circa quem caſum notandum, nomine iudicij Regularis intelligi illud quod fit apud perſonas Regulares. Peyrinis *tom.2. de Prælat.quæſt.3.cap.2.num.42.* Et quamuis ipſe hoc extendat ad iudicium factum apud perſonas, quæ quomodolibet habent iuriſdictionem in regulares, vt ſunt Protectores, Nuntij, & Inquiſitores, nihilominus credo, quod cum hæc materia reſeruationis caſuum ſit odioſa, & reſtringibilis, reſtringi debeat ad iudicium factum ſolùm apud Prælatos regulares, vt ſunt Priores, Generales, &c. aliorum enim iudicia non ſunt Regularia ſimpliciter, cum iudices ipſi ſæculares ſint. Illud certius, quod ſi regularis iuraret falſum coram iudice ſæculari, etiam eo caſu, quo eſſet competens, tale iuramentum non comprehenderetur ſub hoc caſu. Peyrinis *ſuprà.* Requiritur etiam ad hoc, quod comprehendatur, quod iudicium illud ſit legitimum. Quod tunc contingit, quando Iudex eſt competens, iuridicè interrogans, & iuris ordine ſeruato. Fagundez *ſuprà, d. cap.7. num. 5.* Longus *de caſibus reſeru. caſu* 8. *num.3. &* 4. Deinde vt iuramentum falſum Religioſi in dicto iudicio comprehendi cenſeatur ſub caſu reſeruato, requiritur, quod ipſe ſciat ſe falſum iurare, itaut ſi bona fide putet ſe iurare verum, quod tamen à parte rei eſt falſum, ſicut nullo modo peccat, ita nec incidit in caſum reſeruatum. Toletus *ſuprà, d. cap.21. num.2.* Fagundez *ſuprà, num.1.* Addit idem Fagundez, quod è contra ſi Religioſus putat ſe iurare falſum, & à parte rei verum iuret, lethaliter peccat, & caſum incurrit reſeruatum. Sed licet tunc mortaliter peccet contra conſcientiam erroneam, credo tamen non incurrere caſum reſeruatum, quia cùm reſeruatio ſit odioſa, reſtringenda eſt, & ita in præſenti ſolum accipienda, quando à parte rei id quod iuratur eſt falſum. Suarez *tom.4. de Relig.tract.1. lib.3.cap.18.num.7.*, Peyrin. *ſuprà.* Addunt idem Fagundez *num.4.* & Peyrinis *num.44.* ex aliis quos referunt, poſſe reum etiam in iudicio legitimo interrogatum de delicto proprio negare veritatem, vtendo amphibologia modo dicto *ſup.num.10. & 11.* quando grauis pœna mortis, perpetui carceris, triremium, exilij, vel infamiæ timeretur, abſque eo quod propterea incurreret in caſum reſeruatum de iuramento falſo in iuditio regulari, eo quòd nemo aduerſus ſeipſum teneatur arma miniſtrare, idque conforme ſit iuri naturæ, quod præſcribit conſeruationem propriam. Sed oppoſita ſententia omninò tenenda eſt cum S.Thom. 2.2. *quæſt.69. art.1.* vbi Caiet. Aragon. & alij. De quo etiam Sotus *lib.de ſecr.memb.3. quæſt.7. concl.1.* Nauar. *in Man. cap.25. num.36.* Sanchez 2. *tom. conſ. Moral. lib.6. cap.3. dub.29.* & alij communiter. Ratio eſt non ſolùm, quia ratione obedientiæ tenetur ſubditus parere Superioribus iuſta præcipientibus, ſed etiam quia aliàs daretur bellum ex vtraque parte iuſtum, cum conſtet iudicem iuridicè tunc interrogare. Vide quæ dixi *tom.1. part.1. cap.27. num.12.* Nota tamen, iuxta dicta à ſimili ſuprà *verb. Accuſator, & Accuſare, num.16.* probabile eſſe, quod caſu, quo Superior ex ignorantia veritatis, quam ſi ſciret, non peteret iuramentum à ſubdito, illud petat, poſſe ſubditum tuta conſcientia iurare æquiuocè, & amphibologicè, non incurrendo in caſum iſtum reſeruabilem, v.g. Superior vult ſcire, an aliquis religioſus allocutus fuerit cum aliqua fœmina, credens quod cum ipſa de illicitis locutus fuerit, ſi re vera non illicitos ſermones cum illa habuit, poteſt dicto modo iurare, quia tunc non iurat contra intentionem Superioris. Toletus *dicto cap.21. num.6.* Peyrinis *dicto n.44.* Similiter probabile eſt, quod ſubditus eadem amphibologia iurare poteſt non eſſe patratum crimen, quod re vera patratum eſt, ſed abſque peccato mortali illud perpetrantis, propter eandem rationem. Fagundez *ſuprà, num.9.* Peirinis *ſuprà.*

Pro pœnis, quas periuri incurrent, præter eas, quæ in peculiaribus Conſtitutionibus Religionum deſignantur, & dicta *tom.1.part.1. cap.9.num.42.* vide Theſaurum *in praxi, part.2.verb. Periurium, cap.1.* 15

Loquendo autem de iuramento promiſſorio, illud obligat ad ſui impletionem, ex genere ſuo ſub mortali, quia res grauiſſima eſt reddere verum teſtimonium diuinum. Sanchez *d.lib.3. de iuram. cap.9. num.3.* Excipe quando materia promiſſa eſt illicita, ſeu peccaminoſa; tunc enim nullam obligationem inducit, *cap. quanto, de iureiur. reg.58. in 6. cap. ſi verò, cap. cum contingat, de iureiur. cap. quamuis, de pactis, in 6.* Implicat enim contradictionem, vt obligetur ad patrandum rem illicitam. Suarez *de iurament. lib.2. cap.15.* Layman. *ſup. cap.6. num.1.* Imò tale iuramentum de re illicita, ſi ea ſit peccatum mortale, ſine dubio erit etiam mortale; ſi verò ſit ſolum veniale, licet aliqui dicant tunc eſſe mortale, probabile tamen valde eſt ſolum eſſe veniale, vt tenent Dian. *4.p.tract.4.reſol.160.* ex pluribus quos refert. Excipe etiam quando materia promiſſa eſt indifferens, v.g. leuare feſtucam, vel aliquid ſimile. Talis enim materia potius eſt aliquid vanum, & otioſum, quàm cedens in laudem Dei, Caiet. 2.2. *quæſt.89. art.7.* cum S. Thom. *ibi.* Nauarr. *in Man. cap.12. num.17.* Quod tamen intellige niſi illa res ſic indifferens ad finem bonum referatur, vt ſi religioſus iuret non accedere ad talem domum propter periculum peccati. Tunc enim eſſet bona, & materia iuramenti. Nauar. *ſuprà*, Leſſius *lib.2. cap.42.* Excipe tertiò, quando res promiſſa eſt impoſſibilis, tunc enim obligare non poteſt tale iuramentum, cum nulla lex ad impoſſibile obliget. Iuramentum autem eſt quædam lex priuata, quam ſibi homo imponit. Imò iurans rem impoſſibilem, mortaliter videtur peccare, cum non poſſit voluntatem illam adimplendi habere. Syluester *verb. Iuramentum 4. quæſt.18.* Fagundez *in 2. præcept. Decalogi, lib.2. cap.6. num. 24.* Excipe etiam, quando res promiſſa per iuramentum eſt contraria diuinis conſiliis, aut impeditiua maioris boni; tunc enim obligare non poteſt, quia non pertinet ad diuini numinis reuerentiam, vt fiat opus minùs bonum impeditiuum maioris, aut contrarium diuinis conſiliis. S. Thom. 2.2. *quæſt.89. art.7.* Nauar. *ſupra, num.16.* Layman. *ſuprà, num.5.* Imò tunc peccare ſaltem venialiter ſic iurantem, eo quod faciat aliquam irreuerentiam Deo, ipſum adducendo in teſtem contra ſua conſilia, communis eſt ſententia, prout ea Suarez, Valentia, Sayr. Reginaldo, & aliis tenet Bonac. *ſupra, punct.3.num.9.* Dixi autem iuramentum promiſſorium ex genere ſuo obligare ad ſui impletionem ex mortali, quia ratione paruitatis materiæ, quæ promiſſa eſt, poteſt excuſari à mortali illam non implens, vt probabiliter tenent Azor. *tom.1.inſtit. Moral. lib.5.c.7. q.2. & lib.11.cap.5. quæſt.1.* Suar. *de iurament. lib. 5. cap.16.* & alij plures, quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà, reſol.70.* Licèt Valentia, Leſſius, Reginald. & alij, quos etiam refert & ſequitur Bonacina *ſuprà, punct.14. n.2.* ſatis etiam probabiliter oppoſitum ſentiant.

Nec ſolum iuramentum promiſſorium in honorem Dei factum obligat ad ſui adimpletionem, ſed etiam factum in vtilitatem aliorum hominum, eſt enim recepta iuris canonici regula *ex cap. Quamuis, de pactis in 6. & c. cùm contingat, de iureiur.* quod *iuramentum homini præſtitum ſeruandum eſt, quotieſcunque ſine peccato,* 16

 ſine

ſine ſalutis diſpendio ſeruari poteſt. Ad id enim obligatione tum fidelitatis ratione promiſſionis, tum religionis ratione iuramenti, obligatur homo, Syluester *verb. Iuramentum 4. quæſt.* 20. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 149. Layman. *ſupra, num.* 6. Cum autem in Regula iuris adducta ſolùm excipiatur ab obligatione adimplendi iuramentum factum homini de re illicita, ſeu peccaminoſa, ideo iuramentum illi factum de re indifferenti, vel etiam minùs bona, aut impeditiua maioris boni, etiam obligabit, quando ſcilicet cedit in vtilitatem ipſius. Ratio ſumitur ex differentia, quæ eſt inter iuramentum Deo præſtitum, & homini factum. Quia Deus indifferentia, & maius bonum impedientia non vult in ſuum obſequium impleri, & ideò iuramentum de illis Deo factum non obligat; homo autem indifferentia, & maius bonum impedientia vult, ſi in ipſius vtilitatem cedere poſſint. Hinc autem prouenit, quod iuramentum de his homini præſtitum obliget, non autem Deo. Suarez *ſuprà, lib.* 2. *cap.* 12. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 42. In iuramento ergo promiſſorio facto homini id tantum ſpectandum eſt, an res illa iuramento promiſſa poſſit abſque peccato mortali, aut veniali adimpleri, *cap. quamuis, de pact. in* 6. *& c. cum contingat, de iureiur.* Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 149. Sanchez *d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 19. An verò ad iuramentum requiratur voluntas, ſiue intentio adimplendi illud, an autem ſufficiat ſola intentio promittendi, etiamſi deſit voluntas ſe obligandi, collige à ſimili ex his, quæ dixi de profeſſione ficta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 27. De quo latè Sanchez *ſup. cap.* 10. Suarez *lib.* 2. *cap.* 7. Bonac. *ſup. punct.* 7.

17 In omni autem iuramento promiſſorio quædam tacitæ conditiones includuntur, itaut ipſis non ſubſiſtentibus, obligatio ipſius ruat. Prima eſt, *Si potuero*, quia ad impoſſibile nemo obligatur, *cap. querelam, cap. Quintavallis, de iureiur.* Secunda, *Saluo iure, & auctoritate Superioris*, ſi videlicet ille iuramentum ſibi præiudicans irritare, commutare, aut in eo diſpenſare non velit, *cap. veniens, cap. ad noſtram* 3. *de iureiur. & cap. non eſt, de voto.* Qui autem ſint Superiores, qui id facere poſſunt, infra dicetur. Tertia, *niſi is in cuius gratiam, & vtilitatem iuratam eſt, obligationem remittat.* Quilibet enim cedere poteſt iuri ſuo, & ita ſi is in cuius fauorem factum eſt iuramentum iuri ſuo cedat, ceſſat obligatio etiam quoad Deum. Quarta, *Si res in eodem ſtatu permanſerint*, ſiue quod idem eſt, *Si notabiliter mutatæ non fuerint, ex cap. veniens, & cap. breui, & cap. quemadmodum, de iureiur.* De his Abbas *in cap. quemadmodum, de iureiur.* Syluester *verb. Iuramentum* 3. *quæſt.* 1. Tolet. *ſuprà, cap.* 22. Suarez *lib.* 2. *de iurament. cap.* 34. Portellus *ſupra, à num.* 33. Layman. *ſupra, num.* 4. Bonacina *ſupra punct.* 16. *&* 17.

18 Ex his iam ad intentum Regularium elici poſſunt multa ad ipſos ſpectantia in hac materia. Primò, iuramentum promiſſorium ab ipſis factum de re aliqua prohibita iure naturali, diuino, vel Eccleſiaſtico illos non obligare. Tale enim iuramentum eſt de re illicita. Bonacina *ſuprà, punct.* 4. *in fine.* Portellus *ſuprà, num.* 26. Idem dicendum de iuramento ab ipſis facto faciendi aliquid prohibitum lege ciuili, quando eos obligat, iuxta modum quo eos obligat, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 11. *à num.* 16. Tunc enim erit de re illicita. Syluest. *verb. Iuramem. quæſt.* 16. Layman. *ſupra, cap.* 6. *num.* 7. Si tamen Prælatus præciperet ſubdito ne ipſo inconſulto aliquid permitteret, vel iuraret, & ipſe iuraret aliquid, vel promitteret, ſi res, quam promitteret, vel iuraret, licita eſſet, obligaretur eo iuramento. Ratio eſt, quia etſi ea promiſſio, vel iuramentum illicita ſint, res tamen promiſſa, vel iurata bona eſt, ac per conſequens obligatur iurans ad illam. Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 149. *& diſp.* 153. *& tom.* 2. *diſp.* 271. Suarez *d. lib.* 24. *à num.* 4. Iuramenta porrò de obſeruandis iniquis ſtatutis contrariis iuribus Eccleſiaſticis obligatoria non ſunt, *ex cap.* 1. *de iureiur. in* 6. & ex Gregor. XIII. in Conſtit. *Inter Apoſtolicas.* Theſaur. *in prax. part.* 2. *verb. Iuramentum, cap.* 1. Vnde declaratum eſt à Sacr. Congregat. apud Barboſam *in Collect. Bullar. verb. Iuramentum*, non teneri Epiſcopum in ingreſſu ſui Epiſcopatus iurare ſtatuta Sacris Canonibus, & Sacr. Concilij decretis, Apoſtolicis ſve Conſtitutionibus contraria, niſi à Sede Apoſtolica fuerint confirmata. Idem dico de iuramento, quo Regulares, vel alij Eccleſiaſtici iurarent fidelitatem Principi temporali, ſeu laico, recognoſcendo eum in caput Eccleſiæ. Tale enim iuramentum iniquiſſimum eſt, vtpotè hæreticale, & ſchiſmaticum. Suarez *de defenſ. fidei Catholic. tit. de forma iuram.* Theſaurus *ſuprà.* Iuramentum autem, quo voluntariè iurarent Principi laico fidelitatem, non vt Superiori ſuo, ſed veluti comparti Reipublicæ per modum contractus, ſi in aliquo territorio morari velint, propter ſecuritatem videlicet Status, ſeu Reipublicæ, non videtur illicitum; cum nihil contrarium contineat immunitati Eccleſiaſticæ. Suarez *ſuprà, lib.* 6. *cap.* 1. Salas *de legibus, diſp.* 96. *tract.* 14. *num.* 96. *in fine.* Theſaurus *ſupra.* Principi autem infideli, ſeu tyranno nullatenus ſe obligare poſſunt in iis, quæ ſunt contraria fidei Catholicæ, aut legitimo Principi. De quo Ioan. Molinus *in lib. de fide, & iuram.* Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. 6. *Secundò reſolues.* Iuramentum autem, quod emittunt Profeſſionem Fidei facientes, de qua quatenus ad Regulares ſpectat, dixi ſuprà *verb. Fidei profeſſio*, abſque dubio obligat Regulares, quando talem Fidei Profeſſionem emittunt. Eſt enim de re iuſtiſſima, & maximè ſpectanti ad Religionem. De quo Tamburinus *de iure Abbatum, tom.* 1. *diſp.* 8. *quæſit.* 3. vbi *num.* 14. habet ex Ricciullo *in tract. de iure perſonarum extra gremium Eccleſ. exiſtentium, lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 29. quod quando pro præſtando iuramento fidelitatis perſonæ Religioſæ arctantur, etiamſi Moniales ſint, teneantur ad perſonaliter comparendum.

19 Specialiter etiam loquendo de iuramento promiſſorio facto à regularibus de re aliqua contraria ſuæ Regulæ, vel Conſtitutionibus ſuarum religionum, ſi talis regula, vel Conſtitutio illos obliget ad culpam (pro quo vide *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 7. *&* 8.) tunc proculdubio non obligantur tali iuramento, quia eſt de re illicita. Fagundez *in* 2. *præcep. Decalog. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 14. Si tamen talis regula vel Conſtitutio, ſaltem pro illa re per iuramentum promiſſa non obligat ad culpam, erit indifferens ad bonam, vel malam, ac per conſequens iuxta dicta ſuperius, ſi iuramentum fuit factum homini, obligare poterit, ſecus verò ſi fuit factum Deo. Notandum autem, quod vt cognoſcatur, an talis Regula, vel Conſtitutio obliget ad culpam, vel non, attendendum etiam eſt, an ea ſint in vſu, vel an in deſuetudinem abierint, aut non ſint communiter inter timoratos recepta, vt habent Portellus *ſuprà, num.* 32. & Diana *part.* 3. *tract.* 6. *Miſcellan. reſol.* 39. ex pluribus aliis. Hinc collige iuramentum factum à Religioſo de non denunciando crimina alterius, non obligare illum, quoties præcepto Superioris obligatur ad illud denunciandum. Tunc enim materia illius iuramenti reddita eſt illicita, ac per conſequens non poteſt ad illam obligari. Bonacina *ſuprà, punct.* 4. *num.* 3. ex Sanchez, & Suarez. Idem dico de iuramento facto contra votum aut contra prius iuramentum, aut contra aliquam promiſſionem validam. Propter eandem rationem. Bonacina *ſuprà, punct.* 6. *num.* 1.

20 Similiter etiam loquendo de iuramentis promiſſoriis regularium, quibus promitterent ſe aliquid daturos alicui extraneo, cùm ipſi non habeant velle, aut nolle, nec poſſint aliquid dare contra voluntatem ſuorum Superiorum, ideo talia iuramenta non obligant, neque adimpleri debent, niſi priùs habita tali licentia.

Obligantur

Obligantur tamen quantum in ipſis eſt procurare, vt Prælatus illam concedat, *l. Inter ſtipulantem, ff. de verborum obligat. & Inſtitut. de inutili ſtipulat. §. verſanice, & ex l. quoties quis.* Fagundez *in 2. præcept. Decalog. lib. 2. cap. 15. num. 4.* ex aliis, quos refert. Ex quo collige, religioſum, qui promiſit vſurario ſoluere vſuras, aut latroni, qui illum volebat occidere, dare aliquam quantitatem pecuniæ, cum teneatur ad ea ſoluenda; eo quod talis ſolutio ex parte Religioſi peccatum non ſit (Portell. *num. 26.*) conſequenter etiam teneri ad procurandum, quod Prælatus det illi facultatem ad id faciendum, vel procurare talia Iuramenti diſpenſationem, iuxta dicenda inferius *num. 28.*

21 Loquendo autem de iuramento comminatorio, cum illud coincidat cum promiſſorio (Toletus *ſuprà, cap. 22. num. 5.*) dicendum eodem modo obligare, ſicut de iuramento promiſſorio eſt dictum. Solum eſt animaduertendum iuramenta Prælatorum, ſeu Superiorum Regularium, quibus iurant ſuos ſubditos punituros, regulariter non obligare; quia vt plurimum fiunt non ex motiuo virtutis, ſed ex impulſu iræ, vel vindictæ. Similiter non obligabunt quoties ſubditi, vel emendati fuerint, vel miſericordiam petierint. Propter dicta de iuramento promiſſorio, quod ſcilicet non obliget quando res notabiliter mutantur. Obligare tamen poterunt, ſi talis punitio conueniens fuerit bono Relig. Toletus *ſuprà*, Sayrus *in Clau. reg. lib. 5. cap. 5. num. 13.* Portell. *ſuprà, num. 29.* & alij.

22 Præterea de iuramento execratorio loquendo, cum illud coincidat cum aſſertorio, quando fuerit de re præſenti, aut præterita, & cum promiſſorio, ſeu comminatorio, quando fuerit de re futura, ideo quæ de ipſis dicta ſunt, eidem applicari debent.

23 Notandum tamen Prælatos regulares poſſe cogere ſuos ſubditos ad iurandum coram ſe de re aliqua facienda, vel omittenda, quando cauſa rationabilis ſubſtiterit. Si enim cogere poſſunt illos ad eadem media cenſuris, & præceptis obedientiæ, non eſt ratio cur non poſſint etiam id facere medio iuramento, vtrumque enim pertinet ad iuriſdictionem ſpiritualem, quam ſuper illos habent. Rodriguez *tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 4. art. 5.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 10. quæſito 3. num. 1.* Sic etiam à ſimili declaratum video à S. Congregat. apud Barboſam *in Collect. Bullar. verb. Iuramentum*, poſſe Epiſcopum cogere Canonicos ad iurandum de fideliter punctando in Choro. Imò in aliquibus Religionibus præceptum obedientiæ habet vim iuramenti, prout in noſtra Carmelitarum tempore viſitationis, prout colligitur *ex part. 2. Conſtitut. cap. 6. num. 2.* vt præceptum obedientiæ eſt pro iuramento, ita quod ſi quis ſcienter veritatem celat, incurrit pœnam periurij. Sic etiam in multis Religionibus tempore Capituli, vel alia occaſione, obligantur Religioſi ex vi iuramenti ad ſeruandum ſecretum. Hoc tamen iuramentum non obligat ſub mortali, niſi quando res, quæ detegitur, eſt materia grauis. Si enim leuis fuerit ſolum ſub veniali obligabit, iuxta dicta ſuperius *num. 13.* Portel. *ſuprà, num. 30.*

24 Tollitur obligatio iuramenti promiſſorij inter Regulares, quando illud factum fuit Deo, à ſuis Superioribus tribus modis, ſcilicet Irritatione, diſpenſatione, ſeu relaxatione (hæ enim duæ voces idem in propoſito ſignificant) & commutatione, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 53.* Talia enim Iuramenta ſunt quaſi vota. De quo præter Authores ibi relatos vide Portell. *ſuprà, num. 42. & ſeqq.* & Layman. *dicto tract. 3. de iuram. diſp. 11.* An poſſint etiam iuramenta à Regularibus facta Sanctis irritari, diſpenſari, ſeu commutari à ſuis Superioribus, conſtat ex dictis *eo n. 53.* Quæ verò ſint hæc Iuramenta, quæ irritari, diſpenſari, & commutari poſſunt à Superioribus Regularium, & de circunſtantiis ſeruandis in vſu talis facultatis, vide dicta *eo cap. 18. à num. 47. & ſeqq.* dum ſermo eſt de irritatione, diſpenſatione, & commutatione votorum. Cum enim hæc Iuramenta facta Deo, vt dixi, ſint veluti vota, ideo quæ de votis eo loco dicta ſunt, talibus iuramentis applicari debent.

Conſequenter etiam, cum iuxta dicta eodem *tom. 1. part. 1. cap. 26. num. 13.* Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ Monialium non poſſint earum vota diſpenſare, aut commutare ob defectum iuriſdictionis ſpiritualis, bene tamen irritare, propter poteſtatem dominatiuam, quam ſuper illas habent, idem ſimiliter videtur dicendum de huiuſmodi Iuramentis ipſarum Deo factis, ita ſcilicet, vt ea nec diſpenſari, nec commutari poſſint à ſuis Superiorſſis, bene tamen irritari, propter eandem rationem. 25

Cæterum loquendo de irritatione, diſpenſatione ſeu commutatione iuramentorum Regularium, quæ ab ipſis emiſſa ſunt in vtilitatem tertiæ perſonæ, conſequenter ad dicta *eo cap. 18. num. 53.* dicendum eſt, quod ea quæ emiſſa ſunt à Religioſis in vtilitatem tertij in iis, quæ ſunt ſui iuris, & in quibus non ſubiiciuntur Superioribus Religionis, prout contingit in caſu quo de licentia Papæ haberent liberam adminiſtrationem aliquorum bonorum, vel aliquod Beneficium extra Religionem, aut viuerent omnino extra illam, non cadit irritatio, diſpenſatio aut commutatio à ſuis Superioribus facta, tum propter ibi dicta, tum quia quoad prædicta non ſunt ſubditi dictis Prælatis. Loquendo autem de Iuramentis in vtilitatem tertij emiſſis in aliis rebus, in quibus Religioſi ſubduntur Prælatis Religionis, dixi eo loco cadere poſſe in illa irritationem, diſpenſationem, & commutationem ab ipſis facta, propter ibi dicta. De quo etiam Candidus *ſuprà, diſquiſ. 26. art. 15.* Nunc addendum id eſſe intelligendum, quando prædicta Iuramenta emiſſa ſunt ſine licentia explicita, vel ſaltem implicita dictorum Superiorum. Tunc enim vel non obligant, cùm Religioſus omni voluntate careat, & nihil firmum efficere poſſit abſque ſui Superioris conſenſu, vel eſto obligent, ſaltem ſubdi debent poteſtati ipſorum Superiorum, ſicut & ipſi iuramenta emittentes ſubduntur. Sic colligo ex Soto *lib. 8. de iuſt. quæſt. 1. art. 9. ad finem corporis*, Ledeſm. *2. tom. Summa, tract. 11. cap. 4. dub. 1.* Sanchez *d. lib. 3. in Decalog. cap. 20. num. 3.* Layman. *d. tract. 3. cap. 11. num. 2.* Quando autem emiſſa ſunt cum conſenſu, licentia, ſiue voluntate Superiorum, tunc vtique in eis non cadit irritatio, diſpenſatio, ſeu commutatio ab ipſis facta. Firmitas enim contractuum inter homines requiſita petit, vt Superiore legitimo conſentiente non poſſit illos retractare, aliàs nullus auderet cum Religioſis contrahere, quod in graue ipſorum damnum reſultaret. Sic etiam colligo ex Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 8. num. 3.* & eodem Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 22. num. 23.* Limita tamen vt *eod. num. 53. d. cap. 18.* dixi, quando talia iuramenta ab illo tertio in cuius vtilitatem emiſſa ſunt, fuerunt acceptata. Ratio eſt, quia ante acceptationem nullam inducunt obligationem iuſtitiæ, nec conferunt parti ius, ſiue actionem, licet iudex Eccleſiaſticus poſſit cogere ad ipſorum impletionem. Layman. *d. cap. 11. num. 6.* ex aliis. Limita ſecundò, quando talia Iuramenta promiſſoria non ſunt emiſſa principaliter in hominis vtilitatem, ſed in honorem Dei, vt ſi quis iuramento promiſerit Deo ſe daturum aliquid Petro pauperi, tunc enim iudicanda ſunt, ac ſi ſoli Deo præſtita eſſent, quia quod principaliter intenditur ſemper eſt ſpectandum, *cap. rogaſti, in princip. l. ſi quis nec cauſam, ff. ſi cert. petat.* ac per conſequens quoad irritationem, diſpenſationem, & commutationem ſubiici debent poteſtati Prælatorum, ſicut alia Iuramenta Deo facta, Sanchez *d. lib. 3. cap. 20. num. 9.* & *lib. 4. cap. 41. num. 7.* loquens de voto ſimili.

Specialiter

Digitized by Google

27 Specialiter quoque circa commutationem eorumdem Iuramentorum in vtilitatem tertij emiſſorum, quando ab ipſo acceptata ſunt, & in vtilitatem ipſius principaliter à iurante fuerunt emiſſa, aduertendum eſt, non poſſe ab ipſo iurante propria authoritate in melius commutari. Etſi enim in votis Deo factis id fieri poſſit, vt dixi *d.tom.1.part.5.cap.*18. *num.*48. & de Iuramentis Deo ſolum factis id etiam affirmari debeat, prout colligitur *ex cap. peruenit* 5. *de iureiur.* & tenent Tolet. *ſuprà, cap.*23. *num.*2. Sà *in Summ. verb. Iuramentum, num.*34. Sanchez *d. lib.*3. *cap.*19. *num.*9. & alij. Secus tamen dicendum eſt de prædictis Iuramentis in vtilitatem tertij emiſſis. Eo quod homini non ſemper eſt gratius id quod melius, Deo autem è contra. Tolet. *ſuprà*, Bonacina *ſup. punct.*17. *num.*10.

28 Ex iis collige Iuramenta à Religioſis in vtilitatem tertij principaliter emiſſa, ab eo acceptata, & de licentia Prælatorum facta ſolum à Papa ob commune bonum regulariter relaxari, diſpenſari, aut commutari poſſe. Cum per talia Iuramenta ius ſit tertio acquiſitum, quod ſolus Papa propter bonum commune auferre poteſt. Sotus 8. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 9. Portell. *ſuprà, num.*48. Dixi *Regulariter*, quia quando eſt turpitudo ex parte illius tertij, vt contingit in caſu, quo quis iurando promiſit latroni volenti eum occidere aliquam quantitatem pecuniæ ne id faceret, aut vſurario ſoluere vſuras; vel quando Iuramentum eſt vi, metu, aut fraude extortum, & generaliter quando iurans paſſus eſt iniuriam ab eo in cuius vtilitatem emiſſum eſt Iuramentum, tunc Epiſcopus poteſt in eo diſpenſare, cum ſolum tunc agatur de reuerentia diuino nomini ſeruanda, in quo poſſunt Prælati Eccleſiæ vti ſua poteſtate nomine Dei. Toletus *ſuprà*, Sanchez *ſuprà, cap.*21. *à num.*6. Portell. *ſuprà, num.*50. Quamuis autem idem Portell. eo loco dicat hanc poteſtatem non competere Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum, oppoſitum tamen colligo ex eodem Sanchez *num* 29. *&* 30. ex eo, quod dicti Prælati habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos. Id verò, quod addunt Tolet. *ſuprà*, Bonacina *num.*8. & alij, etiam id poſſe facere Epiſcopus in pœnam illius cui factum eſt iuramentum, ſicut & poſſunt alia pœna ipſum mulctare propter ipſius culpas, non procedet in Prælatis Regularibus, niſi illi habeant iuriſdictionem non ſolum in Regulares, ſed etiam in extraneos, quibus factum eſt iuramentum.

Qualiter iuramenta facta à regularibus ante profeſ- 29
ſionem in Religione commutentur in illam, dixi *tom.*1. *part.* 5. *num.*7. Quod & tenet Diana 3. *part. tract. Miſcellan. reſolut.*65. loquens de Iuramentis tam realibus, quàm perſonalibus Deo, & non homini præſtitis. Commutari etiam poſſe à Confeſſariis aliqua Iuramenta, ſeu etiam vota iurata ex vi Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi concedentia authoritatem ad commutanda vota, conſtat ex dictis ſuprà *verb. Bulla Cruciata, num.*35. An verò ſecluſa Bulla Cruciatæ, aut Iubilæo id fieri poſſit ex aliquibus priuilegiis eorumdem Regularium, conſule dicta ſuprà *verb. Confeſſarius*, &c. *num.*15.

Alia verò, quæ in materia hac deſiderari poſſunt, habebis Deo dante *infrà*, *verb. Votum.*

IVSPATRONATVS.

De hac re ſufficienter dixi 2. *tom. cap.*15. & ideo pro nunc ſuperſedendum.

Hæc de prima Parte ſecundi Tomi, ad Laudem Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Dei Genitricis Mariæ, Patriarchæ Eliæ, & aliorum Sanctorum.

SVMMA QVÆSTIONVM REGVLARIVM,

SEV DE CASIBVS CONSCIENTIÆ

Ad Regulares vtriuſque ſexus valde ſpectantibus.

Tomi Secundi Pars Secunda.

LAICI FRATRES.

De illis dictum eſt *tom.2. cap.*8. per totum, & ideo ad eum locum remittendus Lector.

LECTIO QVOAD REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *De lectione Sacra Scriptura habenda in Monaſteriis, & Conuentibus propter decretum Concilij Tridentini.*
3 *De legente lectionem Sacra Scriptura in peccato mortali.*
4 *De lectione Sacra Scriptura, vel caſuum conſcientia propter decretum Clementis VIII. & Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani.*
5 *De lectione linguarum in Studiis Regularium.*
6 *Decretum Sacra Congregationis de propaganda fide circa hoc.*
7 *Quomodo vacari poſſit à predictis lectionibus.*
8 *Legenda Conſtitutiones de qualitate eligendorum ante quancunque electionem.*
9 *Decreta de* Celebratione Miſſarum, *de* Apoſtatis & eiectis, *& littera pertinentes ad ſanctam Inquiſitionem, ac Conſtitutiones de* Largitione munerum, *quando legenda.*
10 *An excuſentur Prælati in hoc negligentes.*
11 *Quid de pœnis contra tales negligentes impoſitis.*
12 *De librorum prohibitorum lectione.*
13 *De lectionibus Sanctorum pro Officio Diuino.*

1 Licet de hac materia ſparſim in præcedentibus dictum ſit, hic tamen magis amplianda eſt, & explicanda.

2 Primò ergo, lectionem Sacræ Scripturæ habendam eſſe in Monaſteriis Monachorum, & Conuentibus aliorum Regularium ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.5.cap.*1. conſtat ex dictis *tom.1. part.1. cap.9.n.48.* De quo etiam Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.*56. *num.*16. & Ioannes Maria Nouarius *in lucern. Regularium, verb. lectio, num.*1. poſt Franciſcum Leonem, Campanile, & Piaſecium, quos referunt. Notanda autem ſunt verba Concilij. *In Monaſteriis quoque Monachorum vbi commodè fieri queat, etiam lectio Sacra Scriptura habeatur. Qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc vt Sedis Apoſtolica delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus Studia commodè vigere poſſunt, Sacra Scriptura lectio ſimiliter habeatur. Qua lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris.* Circa quæ notandum diuerſimodè loqui Concilium de Monaſteriis Monachorum, ac de Conuentibus Regularium. In illis enim præcipit haberi talem lectionem *vbi commodè queat.* In iſtis autem ſolum id præcipit pro illis Conuentibus, *in quibus Studia vigere poſſunt.* Quo denotatur Monachos teneri habere talem lectionem in ſuis Monaſteriis, ſolùm quando *commodè* id fieri *queat*, alios verò Regulares, Mendicantes videlicet, &c. non generaliter quando commodè id fieri poteſt, ſed ſolùm in Conuentibus, *in quibus Studia vigere poſſunt.* Similiter loquendo de Monaſteriis Monachorum dicit, Epiſcopos poſſe eos cogere ad id faciendum, quod non dicit de Conuentibus aliorum Regularium. Quo denotatur in Conuentibus Mendicantium non poſſe Epiſcopos in hoc ſe intromittere, etſi oppoſitum ſentiat Rodriquez *tom. 2. Quaſt. Regular. quaſt.*130. *art.*2. propter illud verbum *Similiter habeatur.* Illud tamen ſolum denotat habendam eſſe talem lectionem, non verò quod Epiſcopi in eo ſe debeant intromittere. Deciſum etiam refertur reſpectu Carthuſianorum ſtrictioris clauſuræ, illos quoque ad id teneri. Nouarius *ſuprà, verb. Abbas, num.*7. ex Aldana *in Compend. Canonicar. reſolut. lib.* 1. *titulo* 3. *num.* 16. Qualiter autem ſatisfiat huic decreto, ſi habeatur lectio Theologiæ ſcholaſticæ, vel moralis (ſpectata videlicet practica, & acceptatione talis decreti) dixi *eo num.* 48. ex Rodriguez, & Peyrinis ibi relatis. Quibus adde Megalam *part.1. lib.2. cap.* 27. *num.*14. & Naldum *in Summa, verb. Legere, num.*2. Opportuna autem remedia quibus Epiſcopi poſſunt ad id cogere Abbates eſt excommunicatio, eo quòd ibi deputantur tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, qui hoc modo poſſunt contra Regulares procedere, Rodriguez & Peyrinis *ſuprà.* Porrò ad habendam talem lectionem non requiri licentiam, ſeu examen Ordinarij, dixi ex declaratione Sacr. Congregat. *tom.3.part.3. verb.Epiſcopus, num.*26. De quo etiam Tamburinus *de iure Abbat. tom.3.diſp.2. quaſit.*5. De tempore autem & hora, & ſuper qua materia legenda ſit Sacra Scriptura, declaratum video à Sacr. Congreg. apud Barboſ. *in Collectan. Bullar. verb. Lector S. Scriptura*, remitti arbitrio Ordinarij. Quod intellige reſpectiuè, ideſt reſpectu illius lectionis ſuper qua ipſe, iuxta dicta, authoritatem habet.

Digitized by Google

3 Circa prædictam etiam lectionem Sacr. Scripturæ animaduertenda eſt notabilis doctrina Nauarri *in Manuali, cap. 25. num. 55.* & Naldi *ſuprà, num. 1.* ex S.Thoma, & Antonino, quod ſcilicet legens Sacr. Scripturam mortali peccato notorio infectus, peccet mortaliter, quia ſcilicet tali peccato notorio impedit effectum S.Scripturæ.

4 Quamuis autem ex vi decreti Concilij haberi debeat prædicta lectio Sacr. Scripturæ in Monaſteriis Monachorum, & Conuentibus Regularium, vt dictum eſt; nihilominus Clem.VIII. *in Decretis pro Reformatione Regularium*, innouatis, & confirmatis à Sacr. Congregatione Concilij ſub Sanctiſſ. Domino Noſtro Vrbano, prout retuli *tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 20.* hæc ſtatuit moderando, vel explicando, vt puto, Concilij decretum. *Lectio Sacr. Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſteriis, & Conuentibus habeatur, ad quam fratres omnes conueniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe vtiliter exerceant.* Huic ergo decreto ſtare debent cuncti Regulares, ſiue Monachi, ſiue alij.

5 Tenentur etiam Regulares omnes habere lectionem Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ in omnibus ſtudiis ipſorum, & in maioribus, & celebrioribus etiam Arabicæ, propter decretum non ſolùm Concilij Vienneñſis, ſed etiam Pauli V. in Conſtitut. *Apoſtolica*, cuius verba retuli *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 85.* De qua Paſſerius *in prax. nou. Epiſcop. part. 1. cap. 3. num. 41.* & Peyrinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtitut. 2. Iulij 11. num. 19.* Cum autem huius decreti materia grauiſſima ſit, cùm ſit de re maximè neceſſaria pro Eccleſia Dei, ſcilicet propagatione ipſius, prædicatione Euangelij in exteris nationibus, & conuerſione infidelium, quæ ſine tali linguarum notitia obtineri non poſſunt, non video quomodo excuſentur Superiores Regularium in hoc negligentes. Præſertim, quia pœna indignationis Papæ à Paulo V. in prædicta Conſtitutione impoſita arguit peccatum mortale, iuxta Naldum *in Summa, verb. Clauſula, §. indignationem, & verb. pœna, num. 13.* De quo Theſaurus *in praxi, part. 1. cap. 42.* Quia tamen poſt prædictum Paulum V. Sacr. Congregatio de Propaganda Fide decretum edidit, prout eo loco retuli, in quo, etſi nouo præcepto Regulares ad id faciendum non conſtrinxerit, modum tamen, & formam faciendi deſignauit, & ampliauit, ac Generalibus intimauit, ideò hic illud placuit apponere in piſſimæ cauſæ gratiam.

Decretum S. Congregationis de propaganda fide, habitæ die XI. Aprilis 1625.

6 *Quoniam impoſſibile eſt ſine linguarum notitia fidem Catholicam in exteris propagare nationibus; hanc verò notitiam in Religioſorum familias introducere difficillimum eſt ſine præcipua Generalium, & aliorum Superiorum cura, & diligentia. Sacra de propaganda fide Congregatio Religioſorum Generales omnes, ac alios Superiores in Domino obteſtatur, vt ſecum cogitantes, quot hæreſibus, & erroribus pleraque terrarum Orbis nationes laborent, & in quantis ignorantiæ tenebris populi penè innumerabiles verſentur, quia non habent qui eos inſtruant, & in via ſalutis opportunè dirigant, omnibus modis velint ſtudia linguarum à Sacro Viennenſi Concilio, & à felic. recordat. Pauli V. Conſtitutione præcepta, & aliarum etiam, quæ magis ex vſu eſſe videntur, vt Illyrica, & Græca vulgaris, in iis Monaſteriis, & Conuentibus erigere, & inſtituere, & erecta, & inſtituta conſeruare, in quibus Religioſi artibus, & Theologiæ operam nauant. Quæ quidem ſtudia ex ſententia eiuſdem Sacr. Congregat. Generales, & alij Superiores facilè inſtituent, ſi in modo, forma, & ordine ipſorum conſtituendis infra ſcripta obſeruare præcipuis mandauerint decretis. Primò, vt ſi non in quolibet, ſaltem in pluribus ex prædictis Monaſteriis, & Conuentibus certus Religioſorum magis idoneorum numerus linguarum ſtudiis addicatur ſub aliquo Religioſo, vbi ſtudiis Præfectus non extiterit, qui ſtudiorum huiuſmodi promouendorum curam, & ſolicitudinem habeat, qui vt muneri ſuo ſerius incumbat, iiſdem priuilegiis, quibus Magiſtri, & ſtudioſi fruatur. Secundò, vt certa regula, & Conſtitutiones, quibus numerus, & ſpecies linguarum, tempora lectionum, ſtudij, repetitionumque, ac alia huiuſmodi à Magiſtris, & ſtudioſis diligenter obſeruanda præſcribantur, quarum Conſtitutionum obſeruandarum cura prædicto Religioſo vel ſtudij Præfecto committi poterit, qui ſi ſuo defuerit officio, pro modo culpæ in Capitulis Prouincialibus, & Generalibus grauiter puniatur, in quibus etiam præſens decretum publicè legetur. Tertiò denique, vt præmia, & pœnæ, præſertim Magiſtris, & ſtudioſis proponantur, quæ vehementiùs eorum animos mouere poſſint ad linguas alacriùs, & diligentiùs addiſcendas. Et Sacra Congregatio, cum ob Inſtitutorum, & Religionum diuerſitatem ea definire viſum non fuerit, Generalium, & aliorum Superiorum prudentiæ, & iudicio committenda eſſe cenſuit, quos etiam nouo præcepto ad hæc ſtudia inſtituenda, & conſeruanda conſtringere noluit, ſed eos tantùm admonere in diſtricto Dei iudicio rationem eſſe reddituros, ſi Decretum hoc, quod pro diuina Maieſtatis gloria, & ſalute animarum promulgatur, obſeruare contempſerint, vel neglexerint.*

7 Circa prædictas autem lectiones Sacræ Scripturæ, caſuum conſcientiæ, linguarum, &c. animaduertenda eſt declaratio quædam Sacr. Congregationis, quam referunt Gaxia *de Braef. part. 5. cap. 4. num. 157.* Galettus *in margarita caſuum conſcientiæ, verb. legere 2.* ac Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. lector S. Scripturæ*, & alibi, poſſe vacari à lectione S.Scripturæ tribus menſibus, ſcilicet Iulij, Auguſti, & Septembris; hæc enim applicari poſſe videntur prædictis lectionibus pro Regularibus à Sede Apoſtolica præceptis.

8 Tenentur etiam Regulares omnes antequam deueniant ad Superiorum, & Officialium electionem, prælegere Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ita enim habetur in decretis Clement. VIII. *pro Reformatione Regularium*, ſuprà relatis. Nauarrus *ſup. num. 3.*

9 Qualiter teneantur legere decreta Sacr. Congregationis Concilij *de celebratione Miſſarum*, feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria 6. poſt Octauam Corporis Chriſti ſub magnis pœnis Superioribus in hoc negligentibus infligendis, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 25.* Video tamen Sacr. Congregationem Regularium 21. Martij 1638. prorogaſſe dictum terminum pro Superioribus Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini ad decem dies immediatè ſequentes. Et die 16. Aprilis eiuſdem anni prorogaſſe eundem terminum pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus ad vnum menſem immediatè ſequentem. Peyrinis *in Additament. decret. 14.* Dixi etiam eo loco qualiter, & ſub quibus pœnis legi debeant decreta Sacr. Congregat. *de apoſtatis, & eiectis*, cum decretis Clem. VIII. *pro Reformat. regularium.* Similiter qualiter ex decreto Sacr. Congregat. Inquiſitionis ſub Sanctiſſ. Dom. Noſtro Vrbano legi debeant feria 6. poſt Octauam Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & in omnibus Capitulis, &c. litteræ Apoſtolicæ ad Sanct. Officium Inquiſitionis pertinentes, dixi eodem *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 100.* Quibus iunge eandem Sacr. Congregationem S.Inquiſitionis, annuente Sanctiſſimo Dom. Noſtro Vrbano die 11. Februarij 1633. extendiſſe tempus legendi prædictas Conſtitutiones Apoſtolicas ad Sanctum Officium ſpectantes per totum reſiduum menſis Auguſti, & hanc gratiam omnibus Regularibus ſuffragari voluiſſe. Peyrinis *in Additamentis, decreto 13.* Pariter quoque qualiter

qualiter ex nouiſſimo decreto Sanctiſſimi Dom. Noſtri Vrbani legi debeat à Regularibus Conſtitutio Clement.VIII. *de Largitione munerum*, cum declaratione eiuſdem Sanctiſſimi iuſſu facta, dixi 2. *tom. part.*1. *verb. Dare, ſeu Donare, num.*18. Quid dicendum de lectione Decreti Sacr. Congregationis *de Propaganda fide*, pro inſtitutione ſtudij linguarum, quod adduxi *ſuprà, num.*6. conſtat ex ipſo.

10 Nota tamen Dianam *part.*5. *tract.*14. *Reſolut.*15. ex Peyrinis *tom.* 3. *Priuilegior. Minimor. cap.* 12. *num.* 4. videri excuſare Prælatos illos, qui ex negligentia, vel inconſideratione prætermittunt legere, vel legi facere præfixis diebus dicta decreta. Cæterum, etſi hoc præcipuè verum ſit quoad forum interius, quoad exterius tamen non excuſantur, quin potius ſæpiùs vidi præfatos coactos fuiſſe ad ſubeundas pœnas in dictis decretis deſignatas, & diſpenſationem in ipſis Romæ à Sede Apoſtolica poſtulaſſe. [Specialiter die 3. Augusti 1635. eadem Sacr. Congregatio abſolutionem dedit cuidam Priori qui neglexit facere legere decretum *de celebratione Miſſarum*. Quo denotatur eandem Sacr. Congregationem exiſtimaſſe incurriſſe in pœnas illius.] Verum quidem eſt excuſabiles eſſe etiam quoad forum externum, quoties propter aliquam rationabilem cauſam, etiam non multum vrgentem, aut propter aliquod impedimentum alicuius momenti id fecerunt. Quia cum pœnæ impoſitæ in dictis decretis valdè graues ſint, non debent cenſeri incurſæ, niſi propter malitiam, dolum, negligentiam notabilem, aut dilationem ſine cauſa factam, & ita præſumendum de benignitate Sacr. Congregationum eas imponentium. Vide Homobonum *part.*2. *reſp.* 104. Bordon. *Reſolut.*26. *num.*32. Illud certum quod caſu quo omittatur ipſorum lectio die præfixa, non propterea ceſſat ipſius obligatio, ſed adimpleri debet quamprimùm fieri poſſit. Non enim ponitur terminus talium dierum ad finiendam obligationem, ſed ne differatur, *l.Celſus, ff.de recept.arbitr. cap.Cum dilecti, §.præterea, de dolo, & contum.* Peyrinis *ſuprà*, fauent dicta à ſimili *ſuprà, verb. Denunciatio, num.* 8. de termino præfixo in edictis ad denunciandum aliquos.

11 Nota etiam Theſaurum *in praxi Eccleſiaſtic. part.*2. *verb.legenda à Regularibus, cap.*1. *num.*4. aſſerere nullam pœnam appoſitam eſſe contra omittentes legere decreta Sacr. Congregationis *de Apoſtatis, & eiectis*, ex eo ſane, quòd pœnæ in prædictis decretis Sacr. Congregat. appoſitæ non videantur referri ad omittentes ea legere bis in anno, vt ibi præcipitur, ſed ad alia, quæ in prædictis decretis obſeruari mandantur. Cæterum oppoſitum video hic Romæ practicari, & conformiùs contextui ipſorum decretorum. Etenim §.9. vbi pœnæ deſignantur, ſic dicitur: *Si quis verò ipſorum aduerſus ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat priuationis, &c.* verbum enim illud *ſuperiùs*, non ſolùm reſpicit alia, quæ in eiſdem decretis ſtatuuntur, ſed etiam id quod §. immediatè præcedenti ſtatutum erat de obligatione legendi prædicta decreta bis in anno, &c. Vide dicta *ſuprà, verb.Clauſula, num.*3. & 4.

12 An Regulares poſſint libros prohibitos legere, dixi *tom.* 1. *part.*1. *cap.* 18. *num.* 96. & dicam infrà *verbo libri, num.*30.

13 Quæ lectiones Sanctorum pro officio diuino approbatæ ſint à Sacr. Congregatione Rituum, & alia ad eas pertinentia, habes ex variis S.Congregationis declarationibus apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. lectio*, & Nouarium *ſupra*.

LEGATA REGVLARIBVS Relicta.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Legatum quid ſit.*
3 *Qui legare poſſint.*
4 *Regulares nequeunt legare.*
5 *Quibus legari poſſit.*
6 *An Minoribus de Obſeruantia, & Capuccinis.*
7 *De legatis factis aliquibus domibus Religioſorum.*
8 *Quæ bona legari poſſint.*
9 *Regulares an capaces ſint quod ipſis legetur.*
10 *Quot modis fieri poſſunt legata.*
11 *Quid de legato ad tempus determinatum.*
12 *Quid de facto ad tempus indeterminatum.*
13 *De legato conditionato.*
14 *Quando legatum conditionatum adimpleri debeat, etiam non adimpleta conditione.*
15 *Quid quando conditio eſt turpis.*
16 *Quid quando eſt contraria ſtatui Religioſa.*
17 *De legato facto puellæ ſi nupſerit, aut ſi Religionem intrauerit.*
18 *De legato relicto pro virginibus maritandis.*
19 *De legato relicto ſub modo.*
20 *De legato relicto ſub modo poſſibili, & honeſto.*
21 *De legato relicto ſub onere Miſſarum.*
22 *De legato relicto Monialibus ſub onere recipiendi aliquam.*
23 *An non adimplentes onera legatorum ipſis priuentur.*
24 *Legatum relictum ſub modo impoſſibili, vel turpi an valeat.*
25 *De legato relicto ex cauſa.*
26 *De legato ex demonſtratione.*
27 *De legato incerto.*
28 *De Regularibus procurantibus ſibi aliqua legari.*
29 *An legata Regularibus gaudeant priuilegiis piarum cauſarum.*
30 *Quomodo reuocari poſſint.*
31 *Quomodo, & à quibus commutari.*
32 *An Epiſcopi id facere poſſint.*
33 *In quibus caſibus.*
34 *An tunc requiratur conſenſus hæredis, & legatarij.*
35 *An Prælati Regulares commutare poſſint legata ipſorum Monaſteriis.*
36 *Quid de legatis pro celebratione Miſſarum.*
37 *An animæ Purgatorij patiantur ob dilationem executionis legatorum.*
38 *Qualiter peccent differentes adimplere legata.*
39 *Regulares an poſſint eſſe executores teſtamentorum.*
40 *Quid ſi ipſis committatur aliqua eleemoſyna diſtribuenda in pauperes.*
41 *Alia remiſſiuè.*

DE hac materia nonnulla dicta ſunt *tom.*1. *part.*2. *cap.*19. *à num.* 45. plura tamen de ipſa dicenda, maximè quia *ſuprà, verb. hæreditas*, hæreditatis materiam ſimul cum illa ad hunc locum remiſerim. Multa enim, quæ de legatis Regularibus relictis dicam, hæreditati quoque applicari poſſunt, quando ipſos hæredes eſſe contigerit. 1

Eſt ergo legatum, iuxta dicta *eo cap.*19. *num.*45. donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præſtanda. Syluеſter *in Summ. verb. legatum* 1. *num.*1. In qua definitione particula *donatio*, habet locum generis, particula *quædam*, locum differentiæ; denotat enim quod legatum debet eſſe alicuius rei particularis; nam 2

ſi eſt omoium bonorum,potius eſt hæreditas quam legatum. Per particulam criam illam *à defuncto relicta*, differt etiam legatum primò à dooarione inter viuos; ea quippe in vita donantis habet ſuum effectum, non autem legatum, niſi poſt mortem. Secundò etiam à donatione cauſa mortis, quia hæc etiam fit in vita donantis ob ipſius mortis periculum, licet non firmetur, nec robur accipiat niſi ſecuta morte, vt contingit in caſu, quo quis donet alicui aliquam rem co pacto vt res ſit donatatij poſt mortem donantis, ſi verò donator ſuperſtea maneat, ſit ipſius donatoris. Dicitur etiam *ab herede præſtanda*, vt clariùs diſtinguatur ab hæreditate, hæc enim non præſtatur niſi à teſtatore.Layman. *lib.*3. *de inſtit.tract.*5. *cap.*10.*num.*1. Non differt autem legatum à fideicommiſſo niſi verbis ſolum, *leg.*1.*ff.de leg.*1. Si enim legatum in forma verbo ad legatarium dirigitur, vt ſi dicat legator *Lego Petro*, *do Petro*, *&c.* vocatur legatum. Si verò dicat legator *iubeo heredi*, vel *rogo heredem vt det talem rem Petro*, vocatur fideicommiſſum. Sylueſter *ſup.num.*1.*&* 2. Layman. *ſuprà*. De variis autem modis, ſeu ſpeciebus legati, infià dicetur.

3 Legare poſſunt omnes & ſoli illi, qui teſtari poſſunt, *l.*2. *ff.de legat.*1. & ratio eſt, quia legatum non relinquitur niſi in teſtamento, vel codicillo, *l. Diui*, §.*Codicillos*, *ff.de iur. codicillor.* Sylueſter *ſuprà*, *verb. legatum* 2. *num.* 1. Layman. *ſup. num.*2. Lugo *de contract. diſp.*34. *ſect.*9. *num.*237.

4 Ex quo collige ad intentum Regularium, quod cùm ipſi iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*9. *num.*19. *& part.*3. *cap.*13.*num.*54. non poſſint teſtari, nec etiam poterunt legare. Vnde etſi, iuxta eo loco dicta,poſſint facere aliquam ſchedulam qua rogent Prælatum, vt det alicui ea, quæ ipſi habent, ſicut talis ſchedula non habet rationem teſtamenti, nec codicilli, ſic neque ea quæ per ipſam donari deſiderant ſunt propriè legata. Idem dic in caſu quo alicui Religioſo donatum ſit aliquid cum facultate diſponendi de eo tempore mortis, talis enim diſpoſitio non eſſet teſtamentum, nec codicillus, ſed quædam deſignatio perſonæ, cui illa res detur. Sanch. *lib.*7. *in Decalog. cap.*8. *num.*8. Quando autem, iuxta ibidem dicta, ex Papæ licentia Religioſus teſtamentum conderet, conſequenter etiam poſſet legare.

5 Quamuis autem regulariter loquendo ſolùm legari poſſit iis, qui inſtitui poſſunt hæredes, *Inſtitut. de legat.* §. *legat.* Sylueſter *ſuprà*, *num.*5. Layman. *ſuprà*, *num.*2. Vnde conſequenter legari poſſit omnibus, & quibuſcumque Religioſis habentibus bona ſtabilia io communi, quia illi inſtitui poſſunt hæredes, iuxta *d.tom.*1. *part.*2.*cap.*19. *num.*44. De quo nouiſſimè Lugo *de iuſt.& iure*, *tom.*1. *diſp.*3. *ſect.*5. *num.*101. Excipiendi tamen ſunt à dicta regula filij ſpurij, qui etſi hæredes inſtitui non poſſint, capaces tamen ſunt legatorum. Sylueſter, & Layman. *ſup.* Molina *tom.*1. *tract.*2. *diſp.*195. §.*ſpuriis.*

6 Ad intentum etiam noſtrum Regularium, & iuxta dicta *tom.*1.*part.*2. *cap.*19. *num.*45. excipiendi etiam ſecundò ſunt Minores de Obſeruantia, & Capuccini, ij enim, etſi incapaces ſint bonorum ſtabilium, iuxta dicta *eo tom.*1. *part.*2. *cap.*1. *num.*2. & hæreditatis iuxta dicta *eo cap.*19. *num.*44. nihilominus legari ipſis poteſt, iuxta *cap. exiit*, *de verbor. ſignificat.in* 6. §. *Ad hæc quia fratrib.* & Extrauag. 1. *de priuileg.* §. *porrò vt iirta*, & dicta *eo cap.*1.*num.*6. Limitari tamen hoc debet, primò iuxta Clement. *Exiui*, *de verbor. ſignificat. verſ.nec licet eis*, dummodo tale legatum non ſit tantæ quantitatis, vt præſumatur fieri in fraudem, id eſt relinqui hæreditatem ſub nomine legati. De quo Rodriguez *tom.*2. *quæſt.Regular. quæſt.*126. *art.*1. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb.legata*, *verſ.Sed ſi quæras*. Sanch. *d.lib.*7.*cap.*26. *à num.*11. & Lugo *ſupra*. Cum autem Pontifex non irritet valorem talis legati, nec liberet hæredes à ſolutiooe ipſius, poterunt tunc fratres ex quantitate legata accipere quod iuxta præſentem neceſſitatem illis fuerit neceſſarium, reſiduum verò in aliis occaſionibus, ſi talis neceſſitas ſuperuenerit, prout iidem auctores tenent. Iudicare verò de exceſſu legati pertinet ad Miniſtros,& Cuſtodes penſatis circumſtantiis perſonarum, temporum, &c. *cap.exiit*, §. *Inſuper nec vtenſilia, de verb.ſignific.in* 6. Sanchez *ſup.num.*3. Limitari etiam debet tradita doctrina ſecundò, iuxta eandem Clement. *Exiui*, *verſ. Cumque annui redditus*, ita vt legatum annui redditus recipere non poſſint. Corduba *in Regul. D.Franciſci*, *cap.*6.*quæſt.*11. *punct.*3. Sanchez *ſup.num.*34. Quo tamen non obſtante, legari eis poſſe annuos redditus non perpetuos, ſed ad modicum tempus, ſcilicet circa decennium, tenent communiter Doctores, eo quòd tale legatum cenſeatur vnum ſolùm, ſoluendum tamen ſucceſſiuè per illud tempus. Sylueſter *ſup. quæſt.*3. *dict.*1. Corduba *ſup.* Portellus *in dub. Regular. verb. legatum*, *num.*2. & Lugo *ſuprà*, *num.*102. Imò quando tale legatum etiam perpetuum fuerit, non pro ipſorum fratrum victu, ſed pro luminibus, aut ornamentis Eccleſiæ, pro vino, vel tritico ad Miſſas dicendas, pro libris ad ſtudia, pro infirmariis, vel ſimilibus, validum eſt, & poteſt ab ipſis recipi: ſolum enim illis eſt prohibitum id legatum quod mendicitati ipſorum quoad alimenta repugnet. Nauarr. *lib.*3. *conſil.tit.de teſtam.in* 1.*edit.conſil.*13.*num.*3.*in* 2.*conſil.*9. *num.*9. Cord. *ſup.* Sà *in ſumm. verb. Religio*, *num.*57. Portellus *ſup.num.*3.*&* 7.*& verb.hereditas*, *num.*5. Diana 3. *part. tract.*2. *Reſolut.*33. & Lugo *ſup. num.*103. & alij communiter. Limita tertiò traditam doctrinam de capacitate Minorum ad legata, niſi ea fuerint alicuius domus, ſeu habitationis ſeparatæ ab eorum monaſteriis, quia talis poſſeſſio ipſis interdicta eſt, *cap.*1. *de Religioſis domibus*, *cap.*1. *de exceſſib. Prelator. in* 6. Corduba *ſupr.punct.*2. *dub.*1. Layman. *ſuprà*, *num.*3. Qui ſecus dicit cum Sanchez de legato domus ipſis contiguæ, & pro augmento monaſterij neceſſariæ. Limita quartò, niſi tale legatum ſit ad aliquem finem repugnantem eorum profeſſioni, vt ſi illis legetur vinea vt eam excolant, vel retineant, aut fructus ex ea pro vino quotidiano colligant, ſeu aliis locent, aut pro vſu ſuperfluo. Ita enim colligitur *ex d.cap. exiit*, § *Ad hæc quia fratribus*. Sanchez *ſuprà*, *à num.*17. Layman. *ſupra*, *num.*4. apud quos ſimul cum Corduba, Rodriguez, Sorbo,& aliis Seraphicæ Religionis Scriptoribus plura ad intentum. Vnde in iis caſibus ſimilia legata ſunt nulla, & caduca, nec conuertenda in alios vſus. Quod ſecus dicendum quando res legata non repugnat paupertati Minorum, ſed ſolum modus ipſis adiectus; tunc enim conuertenda eſt in alios vſus, iuxta dicenda inferiùs *num.*24. Pro dictis autem & dicendis infra, præſertim *num.*21. circa huiuſmodi legata facta Fratribus Minoribus, extat Rotæ deciſio coram Merlino in vna Romana Computorum, 10. Aprilis 1630. & decretum Sacræ Congregationis Fabricæ S. Petri facto verbo cum Vrbano VIII. die 14. Februarij 1633. quæ refert Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.*3. *diſp.*11. *quæſit.*1. vbi plura circa validitatem huiuſmodi legatorum, modum ſoluendi, & recipiendi illa, & an, quomodo, & quando ad ipſam fabricam id ſpectet.]

Ex quibus etiam colligi poteſt quid dicendum ſit de 7
legatis factis aliquibus domibus Religioſorum, quibus propter ſpecialia Statuta ipſorum prohibetur bona ſtabilia poſſidere, aut retinere, quales ſunt aliquæ domus RR. PP. Diſcalceatorum noſtri Ordinis, iuxta dicta *tom.*1. *part.*2. *cap.*1. *num.*2. *&* 7. (de quo Thomas de Ieſu *ſuprà*, *cap. non dicatis*,) & domus Profeſſæ PP. Ieſuitarum, iuxta dicta *eo tom.*1.*part.*2. *cap.*19.*num.*44. *&* 45. iſtis enim legari non poſſunt dicta bona ſtabilia, ita vt ea retineant, ſecus vt vendant, vel aliud de ipſis faciant, iuxta ipſorum Conſtitutiones. De quo præter dicta *eo num.*44.*&* 45. agunt latè Molina *tom.*1 *de iuſt. diſp.*193.

*diſp.*195. *verſ. à regula propoſita*. Sanchez *ſup. cap.*27. *per totum*. Layman. *ſuprà*, *num.*5. & 6. Aliqua etiam, quæ inferiùs dicentur, eiſdem applicari poſſunt.

8 Legari poſſunt non ſolum res, quæ actu ſunt teſtatoris, ſed etiam quæ ſunt futuræ. Item iura, & actiones, & ſeruitutes ipſis debitæ. Item res alienæ, quæ tamen emi poſſunt ab hærede, & generaliter omnia, quæ ſub teſtatoris poteſtate cadunt. *Inſtitut. de legat. inſtit.* & aliis iuribus. Syluester *ſuprà*, *verb. legatum* 3. *num.*1. & 2. Molina *diſp.*96. Layman. *ſup. num.*7.

9 Prædicta autem Regularibus, quibus per ſpecialia eorum Inſtituta aliquid ſpecialiter non prohibetur, applicando, dicendum, non ſolùm ipſorum monaſteria, ſed etiam ipſos Religioſos in particulari capaces eſſe, vt ipſis aliqua legentur. Quippe regula certiſſima eſt iis omnibus poſſe legari, qui poſſunt hæredes inſtitui, *Inſtitut. de legat. §. legari*: certum autem eſt eos omnes poſſe vt hæredes inſtitui, *l. final. §. hoc etiam*, *Cod. de Epiſcop. & Clericis*. Nauarr. *Comment.* 2. *de Regularib. num.*43. Molina *tom.*1. *de Iuſt. diſp.*40. & 154. Rodrig. *tom.*2. *quæſt. Regular. quæſt.*77. *art.*1. Minores etiam de Obſeruantia, & Capuccini licet hæredes inſtitui non poſſunt, propter dicta, capaces tamen ſunt etiam in particulari, vt ipſis legetur, in illis ſcilicet caſibus, in quibus Communitas eorum capax eſt vt ipſi legetur. Colligitur ex Eattanag. 1. *de priuileg. verſ. porrò vt circa*, & ex eo quod cum legatum, iuxta dicta *num.* 2. non ſit aliud, quàm donatio quædam à defuncto relicta, &c. ſicut quilibet illorum eſt capax, quod ipſi donetur, ſic & quod ipſi legetur. Rodriguez *tom.*2. *quæſt. Regular. quæſt.*125. *art.*6. Sanchez *d. lib.*7. *cap.*26. *num.*10. Imò Nouitij dictorum minorum, ſeu Capuccinorum capaces ſunt non ſolum legati, ſed etiam hæreditatis, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato. Sola enim profeſſione redduntur incapaces, vt fiant hæredes. Corduba *ſuprà*, *dicta quæſt.*11. *punct.* 1. Cum verò dico Religioſus etiam in particulari capaces eſſe quod ipſis legetur, non eſt ita intelligendum, quod ea, quæ ipſis legantur adquirant. Etenim iuxta dicta *eo cap.*19. *num.*46. & *tom.*1. *part.*1. *cap.*6. *num.*50. quicquid acquirunt, monaſterio adquirunt. Vnde legatum relictum ſubdito, poteſt conuertere Prælatus in vſus communes monaſterij. Portellus *ſuprà*, *verb. legatum*, *num.*15. Hinc etiam legatum annuum relictum moniali pro ſe, & vna famula adquiritur monaſterio, quoad partem monialis, licet non quoad partem famulæ, niſi quando monaſterium famulas permittit, Nauarrus *comment. de Regularib. n.*38. Rodriguez *tom.*3. *quæſt. Regular. quæſt.*16. *art.*5. Quid verò dicendum de legato relicto Religioſo ea conditione, vt ad ipſum, non autem ad Conuentum ſpectet, maximè ſi teſtator vlterius procedat dicendo ſe velle vt dominium illius rei pertineat ad Religioſum, & quod ſi ſecus fiat, pertineat ad extraneum, habes ex dictis *d. tom.*1. *part.*1. *cap.*6. *num.*34. Vide & Dianam 3. *part. tract.*2. *reſolut.*34. [Specialiter etiam circa legata relicta particularibus Religioſis nota primò, quod Prælatus poteſt ea repudiare, ſeu non acceptare, ex rationabili videlicet cauſa, & conformiter ad dicta iuxta probabilem ſententiam de facultate Prælati cum Monaſterio ad non acceptandum, ſeu repudiandum hæreditatem vel legatum illi relicta, *tom.*1. *part.*2. *cap.*13. *num.*60. Ratio eſt, quia acceptatio talis legati pendet à voluntate ſuperioris, cum iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *c.*6. *num.*37. Religioſus acceptans donationem, ſeu legatum abſque licentia ſui ſuperioris peccet contra paupertatem. Ergo poteſt Prælatus illud repudiare. Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*12. *num.*42. ex aliis, loquens de repudiatione hæreditatis Monacho delatæ. Vnde non placet Bordonus *reſolut.*27. *num.*48. oppoſitum tenens. Secundò, è contrario Religioſum non poſſe repudiare hæreditatem, aut legatum ſibi delata, ſine licentia Superiorum. Tum quia non habet velle, aut nolle. Tum quia talis repudiatio eſſet quidam contractus nociuus Monaſterio, qui non eſt validus. Sanchez *ſup. num.*37. Bordonus *ſup. num.*49. & *reſol.*44. *num.*60.

Vt autem habeatur notitia plurium caſuum, qui in materia legatorum accidere poſſunt Regularibus, notandum ex Molina *tom.*1. *de Iuſt. tract.*2. *diſp.*205. *vſque ad* 211. Lugo *dicta ſect.*9. §. 2. & aliis, legata illis facta fieri poſſe multis modis. Primò quidem purè, & abſolutè, vt ſi legans dicat *Lego tali Monaſterio centum ſcuta*. Secundò, ad tempus determinatum, vt ſi dicat *Lego Monaſterio centum ſcuta ad Paſcha proximè futurum*. Tertiò, ad tempus indeterminatum, vt ſi dicat, *Lego Monaſterio centum ad tempus quo veniant naues ex India*. Quartò, ſub conditione contingenti, vt ſi leget illa centum Monaſterio *ſi fabricauerit Eccleſiam*, *Clauſtrum*, &c. Quintò, ſub modo, id eſt ſub onere aliquid faciendi, fabricandi ſcilicet Eccleſiam, Clauſtrum, &c. Sextò, ſub cauſa, id eſt ſub motiuo, propter quod mouetur teſtator ad legatum, vt ſi dicat, *Lego centum tali Monaſterio, quia in ipſo eſt bona obſeruantia Religionis*. Septimò, ſub demonſtratione, demonſtrando ſcilicet rem legatam, vt ſi dicat, *Lego Monaſterio vineam meam, quam emi à Petro*. Octauò, non ſpecificando Monaſterium cui res legatur, vt ſi dicat, *Lego Monaſterio Carmelitarum Neapolis*. De quibus omnibus ſigillatim dicendum. 10

Et quidem quando legatum fit primo modo, ſcilicet purè, & abſolutè, mortuo teſtatore, & poſt aditam hæreditatem ab hærede legatum cedit Monaſterio recta via, vt dicitur, vnà cum fructibus ipſius, vt ex variis iuribus tenent Sylu. *ſup. verb. legatum* 1. *n.*2. & 15. Molina *ſup. diſp.*194. Layman. *ſup. n.*10. An verò etiam debeatur ante hæreditatem aditam dicetur *infrà*, *num.*29. 11

Similiter quando legatum fit ſecundo modo, eo quòd tale legatum eſt ſimile præcedenti, licet ante præfixum tempus peti non poſſit, eo tamen adimpleto cedit Monaſterio poſt mortem teſtatoris. Syluester *ſuprà*, *num.*2. Molina *diſp.*181. & *diſp.*205. ex variis etiam iuribus, quæ referunt. [Quod non ſolum intelligendum de legato relicto Religioſo iam profeſſo, ſed de illo quod relinquitur alicui ſæculari, qui poſtea Religionem ingreditur, & in ea profitetur. Non enim per talem profeſſionem extinguitur, ſed Monaſterio potius adquiritur. Rodriguez *tom.*3. *q. Regular. q.*16. *art.*5. Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.*3. *diſp.*11. *quæſt.*4. *num.*13. 12

Quando verò legatum fit tertio modo, eſt veluti conditionale, *l. dies incertus*, *ff. de condit. & demonſtrat.* & ita loquendum de illo, ac de legato quarto modo facto, Syluester, Molina, & Layman. *ſuprà*. 13

Propterea ad quoddam dubium mihi propoſitum de quibuſdam Canonicis obligatis celebrare in quodam altari *Si commodè fieri poſſit*, de quo legato non extabat alia memoria, quàm quædam Notula impreſſa, ſic reſpondi: Credo hoc legatum eſſe conditionale, itaut obligatio celebrandi illas Miſſas in dicto Altari Sanctiſſimæ Conceptionis ſolùm obliget quando commodè id fieri poteſt. Ratio eſt, quia regulariter dictio *ſi* denotat conditionem, maximè iuncta verbo futuri temporis, vt *in l.* 1. vbi DD. *ff. de condit. & demonſtr.* & *in l. quibus diebus*, §. *Quidam Titio*, *ff. eod. titul.* & *in l. Quis*, *ff. de verb. oblig.* notant Bart. *in d. l.*1. *num.*2. & 3. & alij. Cum ergo diſpoſitio conditionata non obliget, niſi conditione ſubſiſtente, eo quod conditio ſuſpendit actionem, & obligationem. *l. Cùm in ſecundo*, *de inoff. teſt.* & Bald. *in rubr. Cod. de inſtit. ſub condit. fac. in princ.* & Ioannes de Pott. *in l. Quæcunque*, *de verb. ſignif.* Bertachin. *in Repert. verb. conditio*, ideò obligatio dicendi tales miſſas ſolum ſubſiſtet quando id commodè fieri poterit. Præſertim, quia hæc videtur expreſſa mens teſtatoris, ſeu legatoris, & quotieſcunque diſponens reſtringit, etiam nos reſtringendo debemus interpretari, Bald. *in l. vlt. num.*1. *de poſth. hæred. inſtit.* Cum autem id

id dicatur fieri commodè, quod ſine incommodo fieri poteſt, *l. Nepos Proculo, ff. de verb. ſignif.* Barboſa *de Dict. dict. 62. n. 1.* Idcirco tunc commodè dici poterunt Miſſæ in illo Altari, quando nullum adfuerit incommodum. Et quia incommodum eſt idem quod damnum ſeu detrimentum iuxta Calep. & Grammaticos, tunc non obligabit talis celebratio quando huiuſmodi damnum ſeu detrimentum ſequatur. Deinde quia, iuxta Signor. de Hom. *in conſ. 49.* & Bertach. *ſup. verb. Commodum*, illud dicitur commodè fieri, quod ſine difficultate fit; ideo quando talis difficultas adfuerit, ſiue ex parte celebrantis, ſiue aliunde, nec etiam obligabit talis celebratio. Ad hæc cum commoditas dicatur reſpectu vſus, ex Bart. *in l. Cum in rem, de rei vend.* Bertach. *ſup. verb. Commoditas*, tunc commodè poterit fieri celebratio, quando in actuali celebratione nullum incommodum, vt dictum eſt, contingat. Quod quia ex variis circunſtantiis oriri poteſt, prudentis arbitrio videtur relinquendum.

Ad id quod dicitur, quod non adſit memoria de huiuſmodi legato, & quod non ſit certum, quod adſint dicta verba, ſed ſolum reperiantur in illa notula: reſpondeo, quod ad hoc quod Scriptura priuata, qualis eſt iſta, probet ſemiplenè, non requiritur teſtium, aut ſubſcriptionis adminiculum. Quia in antiquis priuata ſcriptura ſemiplenam inducit probationem ſine iſtis, prout ex multis DD. probat Maſcardus *de probat. vol. 3. concl. 1294.* Inſuper ſi præſumptio ſumpta ex dicta notula aliis adminiculis fulcitur, etiam plenè probat ſecundùm Crauet. *in tract. de antiq. temp. part. 1. de verb. enunc. num. 7.* Et ſanè quando partes, videlicet Clerici illius Eccleſiæ, ita conuenerant, vt tali ſcripturæ credatur, vtique ipſi erit credendum, iuxta eundem Maſcardum *ſuprà, num. 14.* poſt Crauet. qui & ſubiungunt valere conſuetudinem quod credatur Scripturæ priuatæ de communi DD. ſententia. Ex quo etiam patet ad id quod dicitur de incertitudine talis notulæ.

14 De legato autem conditionali quarto modo facto illud certum regulariter loquendo, quod ante conditionis euentum non cedit legatario. Sylueſter *ſuprà.* Molina *d. diſput. 205. in concl. 1.* Layman. *ſup. num. 11.* Vnde etiam conſequenter, ſi tale legatum conditionale factum fuerit Religioſo in particulari, eo mortuo, non cedit eius hæredi, ſcilicet Monaſterio, ſed expirat cum ipſo, *l. vnica, §. Sin autem*, Layman. *ibid.* Excipe tamen quando illud factum fuerit ratione pietatis, vel dignitatis perſonæ, non intuitu, ſeu fauore perſonæ ipſius Religioſi, vt ſi aliquis leget alicui Religioſo, non quia amicos, aut conſanguineos legantis, ſed ob deuotionem erga Religionem, vel propter ipſius dignitatem, quia ſcilicet erat Prior, Abbas, &c. tunc enim valdè probabile eſt non expirare cum ipſo, ſed cedere Monaſterio, vel ſucceſſori. Idem Layman. *ibid.* Vide Sylueſtrum *ſuprà, verb. legatum 2. quæſt. 5.* & Mirandam in *Manual. tom. 1. quæſt. 32. art. 7.*

15 Sunt etiam alij caſus, in quibus legatum conditionatum factum Religioſis validum eſt, & cedit ipſis, etiam non adimpleta conditione, ſed ipſa habetur pro non adiecta. Primus eſt, quando conditio illa eſt impoſſibilis, prout ex variis etiam iuribus probat Molina *ſuprà, diſput. 206. in 2. concluſ.* Et iuxta modum quo loquuntur Theologi de conditionibus impoſſibilibus appoſitis matrimonio, vel ſponſalibus. De quo Cornejo *tom. 2. in 3. part. tract. 6. de matrimon. diſp. 3. dub. vlt.* ex aliis. Vnde ſi aliquis leget aliquid alicui Monaſterio ea conditione, quod ſepeliatur in Eccleſia ipſius, accidat autem, vt ipſe ſe occiderit, moriatur excommunicatus, vel habeat aliquod impedimentum propter quod ſepeliri non poſſit in Eccleſia, tunc legatum cedit Religioſis: tum quia conditio illa eſt impoſſibilis, quæ non vitiat legatum, *l. obtinuit, ff. de condit. & demonſtrat.* tum quia non per ipſos, ſed per legantem ipſum ſtat quominus adimpleatur conditio. Sylueſter *ſup. verb. legatum 1. num. 10.*

Secundus eſt, cum conditio eſt turpis, vt ſi alicui perſonæ Religioſæ legetur aliquid ea conditione, vt fornicetur, mentiatur, &c. Tale enim legatum valet, & conditio, quia eſt turpis, habetur pro non adiecta, nec vitiat illud, ſed vitiatur, *l. 1. l. Si quis ita, l. quæ ſub conditione, l. conditiones quæ, & leg. conditiones contra, ff. de conditionib. inſtit. & l. 3. tit. 4. part. 6.* Sanchez *7. in Decalog. cap. 17. num. 12.* Iuxta modum etiam quo Theologi loquuntur de conditionibus turpibus adiectis Matrimonio, vel ſponſalibus. De quo etiam Cornejo *ſupra*, ex aliis. Propterea etiam *tom. 1. part. 1. cap. 6. n. 34.* dixi legatum relictum Religioſo ſub conditione quod eſſet proprium illius independenter à Superiori, eſſe validum, & talem conditionem, vtpotè turpem, quia contraria voto paupertatis, haberi pro non adiecta. 16

Tertius eſt, cum conditio, eſto non ſit impoſſibilis, nec turpis, eſt tamen contraria ſtatui religioſo, vel ab ipſo retardans. Vnde legatum factum alieni hac conditione, vt matrimonium contrahat, ſi ipſe Religionem ingrediatur, validum eſt, & cedit ipſi legatario. Ita enim colligitur *ex Authentic. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Sed & hoc, & Auth. niſi rogati, Cod. ad Trebellian. & cap. in præſentia, de probat.* Colligitur etiam ex declarat. Sacr. Congreg. apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. legatum*, vbi habetur, *Legatum factum puellæ ad effectum nubendi, ſi ipſa Monialis effecta fuerit, dicti legati ſolutioni locus eſt.* Ratio autem harum deciſionum petenda eſt ex iis, quæ dixi *tom. 1. part. 2. cap. 19. num. 18.* Ex eo præcipuè, quia teſtator non præſumitur voluiſſe Religionem excludere, ſed potiùs præſumitur fore, vt idem diſpoſiturus eſſet ſi Religionis meminiſſet, cum Religioſa vita ſit perfectior quam matrimonialis. Et ita hanc partem tenent non ſolum auctores ibi relati, ſed etiam Sylueſter *verb. hæreditas 4. §. vlt. & verb. legatum 1. n. 13.* Molina *ſupra, diſp. 207.* Couar. *1. variar. cap. 19. num. 11.* Portellus *ſup. verb. legatum, n. 10.* Bonacina *de Contractibus, diſp. 3. quæſt. 1. punct. 4. num. 10.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 83. n. 27.* & alij apud ipſos. Limita tamen, prout dixi *eo num. 28.* vt non teneat hæc doctrina pro caſu, quo conſtaret expreſsè de contraria voluntate teſtatoris. Tunc enim non eſt locus præſumptioni contrariæ, præſertim cum conditio illa nuptiarum bonis moribus non contradicat. Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 190. §. hac verò, & diſp. 207. ad fin. in ſolut. ad 1.* Sanchez *d. lib. 7. cap. 16. à num. 12.* Layman. *ſup. num. 12.* [Nota tamen quod ſi Moniali relinqueretur aliquod legatum ſub conditione quod ipſa debeat egredi e Monaſterio, tale legatum eſſet ipſi ſoluendum, etiamſi non egrediatur. Vnde declarauit Sacr. Congregatio Epiſcoporum & Regularium in vna Camerinenſi menſis Martij 1634. ſolui debere cuidam Moniali legatum ſexaginta ſcutorum, etiamſi ratione ſui ſtatus aſſiſtere non potuiſſet eidem proceſſioni cum veſte alba, ſicut legatum requirebat. 17

18 De legato etiam facto puellæ hoc pacto: *Si nupſerit lego ei centum, ſi verò Religionem intrauerit, quinquaginta*, eodem modo philoſophantur plures, dicentes, ſi Religionem intrauerit, ei deberi centum, propter iura relata, & præſumptionem in fauorem Religionis, Sylueſter *ſupra.* Naldus *in ſumm. verb. legatum, num. 43.* Bonacina *ſuprà*, Diana *part. 1. tract. 2. reſolut. 125. & part. 2. tract. 16. reſolut. 50.* ex multis aliis. Limita tamen, vt dixi, niſi teſtator expreſsè manifeſtauerit ſuam voluntatem eſſe, quod detur minùs illi puellæ, ſi Religionem ingreſſa fuerit, quàm ſi nupſerit, quia tunc non erit locus præſumptioni in contrarium, & quia potuit id prudenter facere, eo quòd maior diuitiarum copia puellæ neceſſaria eſſe ſolet pro Matrimonio, quàm pro ingreſſu in Monaſterium. Molina *dict. diſput. 207. in 2. concl.* Gutierrez *in quæſt. canon. lib. 1. q. 12.*

Nald.

Nald. *ſuprà*. De legato autem facto alicui ſub conditione ne Religionem ingrediatur, abſolutè dicendum eſt valere, & conditionem illam haberi pro non adiecta, cùm bonis moribus repugnet, vtpotè à Religioſo ſtatu directè auocans. Diana *dict. reſolut*. 125. & *part*. 3. *reſol*. 59. Layman. *ſuprà num*. 14. ex Medina ab ipſo relato.

19 Addunt reliqui traditam doctrinam etiam procedere in legato relicto Virginibus maritandis, ita videlicet, vt poſſit dari ingredientibus Religionem: tum quia qui Religionem ingreditur, Matrimonium ſpiritualeſtioir, quod eſt perfectius quàm corporale; tum quia Authenticæ relatæ id etiam conuincere videntur. Baſilius Pontius *de Matrimon. lib*. 3. *cap*. 7. *num*. 11. Oebagauia *de Sacrament. tract*. 1. *de Matrim. quaſt*. 15. *num*. 17. Diana *part*. 5. *tract*. 14. *Reſol*. 34. & alij apud ipſos. Sed oppoſitum videtur verius; nam mens teſtatoris clara, & expreſſa videtur eſſe, quod legatum illud ſolùm detur fœminis maritandis, non aliis: nec Authenticæ relatæ loquuntur in hoc caſu de legato relicto indefinitè pro fœminis maritandis, ſed ſolùm pro particulari legato relicto certæ perſonæ, non incertæ. Cùm autem exorbitent à iure communi poſtulante conditiones impleri, non in ficta, ſed in vera, & ſpecifica forma (*l. qui heredis, ff. de condit. & demonſtrat*.) idcirco non debent extendi ad alium caſum. Vide Sanchez *lib*. 1. *de Matrimon. diſp*. 3 *num*. 32. Bonacina *dict. punct*. 4. *num*. 10. Barboſam *de offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat*. 83. Lugo *ſuprà ſect*. 21. *num*. 293. & plures apud ipſos. Illud certius, quod legatum relictum vxori à viro ſub conditione ſeruandi vidulitatem, debeatur ipſi ſi Religionem ingrediatur, quia pleniùs videtur hoc modo impleta teſtatoris intentio, quæ eſt ne Matrimonium carnale ineat. Bald. *l. fin. princ. Cod. de Epiſcop. & Clericis*, & ex eo Sanchez 7. *in Decalog. cap*. 26. *num*. 4. De legato autem pro Moniali relicto, an poſſit applicari fœminæ Tertiariæ habenti conditiones requiſitas à S. Congregatione, quas retuli *tom*. 2. *part*. 2. *cap*. 14. probabile eſſe cenſet Diana *part*. 1. *tract*. 2. *Reſol*. 85. & aliquoties ita contigiſſe refert. Quod ad minus admitti poteſt, accedente conſenſu Epiſcopi, iuxta dicenda *infrà num*. 33.

20 Pro legato autem quinto modo Regularibus facto, ſcilicet ſub modo, id eſt ſub onere aliquid faciendi, verbi gratia, fabricandi Eccleſiam, Clauſtrum, &c. notandum primò, modum aliquando exprimi per verba conditionalia, vt ſi legetur Religioſo aliquid hac conditione vt dicat Miſſam pro legatore, tunc enim ex communi ſenſu omnium eſt idem, ac dicere cum onere, vt dicat Miſſam, &c. Vnde (quidquid ſit de verbis, quibus legator vtitur) vt cognoſcatur an conditionem, vel modum importent, attendi debet ad intentionem ipſius, & quando res fuerit dubia, exiſtimandum verba potius conditionem, quàm modum importare, ex *l. à teſtatore, ff. de condit. & demonſtrat*. Molina *ſuprà diſp*. 208. Bonacina *d. punct*. 4. *num*. 1. ex aliis. Secundò notandum, modum propriè in hoc diſtingui à conditione in legatis, quòd conditio ſuſpendit illa vſque ad aduentum ipſius, modus autem non ſuſpendit. Quod eſt dicere, legatum conditionale non eſt validum niſi adimpleta conditione, legatum autem quod fit cum modo, valet ante executionem modi. Syluester *verbo conditio*, *n*. 1. & 3. Molina *d. diſp*. 208. Vnde licet legatum ſub conditione non poſſit peti, aut poſſideri à legatario, non impleta conditione, legatum autem ſub modo poteſt peti, & poſſideri ab ipſo, exhibita cautione de modo obſeruando. Syluester *dict. num*. 3. Molina *ſup*. Hinc infert Sanchez *d. lib*. 7. *in Decalog. cap*. 26. *num*. 8. Legatum relictum Religioſo ea conditione, vt partem illius diuidat inter pauperes, re vera eſſe modale, & ſolùm quoad verba conditionatum, ſiquidem ſupponit illud eſſe Religioſo adquiſitum ante prædictam diuiſionem inter pauperes, quod denotat non fuiſſe conditionatum, aliàs adquiſitum non eſſet ante conditionis poſitionem, *l. cedere diem, de verbor. ſignific*.

His poſitis dicendum primò, Legatum factum Religioſis ſub modo poſſibili, & honeſto validum eſt, & obligat illos ad adimpletionem ipſius, tam in foro externo, quàm in interno, ſub reatu culpæ mortalis, vel venialis, iuxta capacitatem materiæ, & præiudicium tertij. Ratio eſt, quia poſita acceptatione talis legati, interuenit quidam contractus inter teſtatorem, & legatarium, vt ſcilicet legatarius teneatur adimplere ex iuſtitia onus ſibi impoſitum. Ita communiter Doctores.

Ex quo collige, legata relicta Regularibus ſub onere Miſſarum, vel Anniuerſariorum, non ſolùm eſſe valida, cum ſint ſub modo honeſto, & poſſibili, ſed etiam obligari ipſos ad impletionem talis oneris. Pro quo vide dicta *tom*. 1. *part*. 1. *cap*. 21. & dicenda infrà verbo *Miſſa*. An autem Minores de Obſeruantia, & Capuccini poſſint acceptare ſimilia legata, non leuis controuerſia eſt. Aliqui enim, inter quos eſt Rodriguez *tom*. 2. *quaſt. Regular. quaſt*. 126. *art*. 4. cui fauent Angelus *verbo legatum* 1. *num*. 5. Syluester *verbo legatum ſecundò, quaſt*. 3. & Paludan. apud ipſum, tenent acceptari poſſe ab ipſis, eo quòd non repugnant paupertati ipſorum, quia nihil aliud important niſi obligationem ſoluendi ſtipendium debitum pro Sacrificiis celebrandis. Sed tamen contrarium eſt tenendum. Talia enim legata ſunt annui reditus perpetui, qui iuxta dicta *ſuprà n*. 6. ex Clementina *Exiui*, repugnant paupertati ipſorum, prout etiam tenent Nauarrus *lib*. 3. *conſilior. tit. de teſtamentis, in prima edit. conſil*. 14. *à n*. 3. Azor. *tom*. 1. *Inſtitut. moral. lib*. 12. *cap*. 23. *quaſt. vltim*. & ex ipſis Fratribus Corduba *in Reg. D. Franciſci, cap*. 6. *quaſt*. 11. *punct*. 4. *notab*. 2. & Sorbus *in Compend. privileg. Mendicant. verbo legata, in annotationib*. §. *ex quibus colliges*. Addendum eſt, talia legata prorſus nulla, & inutilia eſſe, prout colligitur ex dicta Clem. *Exiui*, §. *Cumque annui redditus*, vbi Pontifex ait annuos redditus paupertati, & mendicitati Fratrum Minorum repugnare. Sanchez *dict. lib*. 7. *cap*. 29. *num*. 49. referens ex Corduba duo decreta Capitulorum Generalium ad intentum. Pro caſibus autem, in quibus prædicta legata dictis Fratribus non repugnant, iuxta dicta *ſuprà num*. 6. ſcilicet, quando non fuerint perpetua, ſed ad modicum tempus citra decennium, vel non pro ipſorum ſuſtentatione, ſed pro aliis rebus, vt ibi dixi, quomodo cogere poſſint hæredem, vt ſoluat illis legata, quorum ſunt capaces, agunt Cordoba, & Sorbus relati, Sanchez *d. cap*. 26. *à num*. 58. & Portellus *ſupr. verb. Legatum, num*. 8. 21

Collige ſecundò legatum relictum Monaſterio Monialium ſub modo, vel onere recipiendi ad habitum aliquam Monialem, etſi ab aliquibus vt ſimoniacum reputetur, nihilominus dicendum, licitum, & validum eſſe, ac poſſe à prædicto Monaſterio acceptari, omnino enim ſimile eſt legatis anniuerſariorum pro Miſſis celebrandis; ſicut enim in iſtis pecunia non datur in pretium Miſſarum, ſed vt ſtipendium debitum pro ſuſtentatione Sacerdotum, ac per conſequens in eis non interuenit Simonia; ſic neque in illo interueniet, cùm pecunia per illud legata non detur in pretium recipiendæ Monialis, ſed vt dos illius, vel pro ipſius ſuſtentatione. Sanch. *d. cap*. 26. *num*. 6. ex pluribus, quos refert. 22

Collige tertiò, Religioſos non adimplentes onera legatorum, non propterea priuatos eſſe ipſo facto illis legatis, aut reddi nulla, aut irrita. Ratio patet, tum ex natura modi, qui non ſuſpendit contractum, ad differentiam conditionis, quæ illum ſuſpendit, vt dictum eſt *ſuprà num*. 19. tum *ex l*. 1. & 2. *Cod. de donat*. Bona- 23

cina *ſuprà num.* 4. Conceditur tamen repetitio contra eos, ſi onera impoſita per legata non adimpleant, *l. 1. Cod. de donat. quæ cum mod. l. cum te, Cod. de pact.* Etſi enim modus non ſuſpendat diſpoſitionem, reſoluit tamen illam. Naldus *ſuprà num.* 47. Vnde tunc per ſententiam Superioris legitimi poſſunt obligari ad impletionem oneris iniuncti, vel reuocari talia legata. Limita hoc primò in legatis relictis eiſdem Religioſis ad pias cauſas. Etenim legata ad pias cauſas hoc habent priuilegium *ex cap. verùm, de condit. appoſit.* vt facta ſub modo, etiam eo non obſeruato, reuocari non poſſint, niſi hoc expreſſerit teſtator. Quia in dubio præſumendum eſt ea feciſſe principaliter propter Deum. Abbas *in eo cap. verum.* Molina *dict. diſp.* 208. Azor. *tom. 3. inſtit. moral. lib. 4. cap.* 24. Layman. *ſuprà num.* 9. Nota autem legatum ad cauſam piam vocari illud quod fit intuitu Dei, ſalutis animæ, pietatis, cultus Dei, &c. non id quod fit intuitu amicitiæ, conſanguinitatis, &c. De quo Tiraquellus *in tract. de priuileg. piæ cauſæ.* Syluester *verbo legatum* 4. *num.* 1. & 2. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 4. Sanctarellus *variar. reſol. quæſt.* 68. Limita ſecundò etiam in legatis eiſdem Religioſis relictis ad cauſas non pias, quando ex circunſtantiis, vel verbis teſtatoris colligi prudenter poteſt mentem ipſius non fuiſſe, quod legatum reuocetur à legatario, ſi onus illi iniunctum non adimpleuerit, ſed tantùm obligare illum ad ipſius adimpletionem. Pro quo maximè aduertendum, quod ſi rale onus impoſitum fuit, vt cauſa finalis principalis legati, tunc exiſtimari debet mentem teſtatoris fuiſſe, quod ſi non adimpleatur, reuocetur legatum. Hæc enim eſt natura cauſæ finalis principalis, vt ea non ſubſiſtente diſpoſitio non ſubſiſtat. Secus dicendum ſi tale onus ſolùm fuit cauſa impulſiua, propter oppoſitam rationem. Abbas, & Molina *ſupra*, Azor. *ſupr.* Layman. *num.* 9. Cum quibus etiam animaduerte, quod in caſu non adimpletionis oneris, ſi id fiat ſolùm propter culpam Prælati, non propterea reuocari poteſt legatum, etiamſi expreſsè teſtator declarauerit ſuam mentem, dicendo, quod ſi non adimpleatur, reuocet, vel deuoluatur ad aliam perſonam, vel Monaſterium. Ratio eſt, quia ſolus Prælatus non poteſt nocere Eccleſiæ quoad acquiſita, quamuis poſſit quoad acquirenda. Nota etiam quòd in caſu quo dubitatur an modus fuerit appoſitus tanquam cauſa finalis, vel impulſiua, iudicandum eſſe fuiſſe appoſitum ſolùm vt cauſam impulſiuam, ac per conſequens legatum valere, etiam ſi non adimpleatur, quia in dubiis præſumendum eſt pro validitate actus, præſertim in fauorabilibus, niſi aliud obſtet. Bonacina *ſuprà num.* 6. ex Rebello, Gomez, & aliis.

24 Dicendum ſecundò, legatum relictum Regularibus ſub modo impoſſibili, vel turpi, etſi modus habeatur pro non adiecto, legatum ipſum valet, & conuertendum auctoritate Superioris in alium vſum poſſibilem, & honeſtum, *l. legatum, ff. de vſufructu legato.* Corduba *in Regul. D. Franciſci cap. 6. quæſt.* 11. *punct.* 2. Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt.* 126. *art.* 1. Sorbus *in Annotat. ad Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Legata,* §. *Sed eſt aduertendum.* Ex quo infero primò cum iſtis Auctoribus legata aliqua facta Minoribus de Obſeruantia, vel Capuccinis cum modo aliquo repugnanti ipſorum paupertati iuxta declarationes Summorum Pontificum, cum talis modus ipſis impoſſibilis, & turpis ſit, habendum eſſe pro non adiecto, & legatum in alios vſus conuertendum. Idem dicendum de legatis factis aliis Religioſis ſub modo impoſſibili, aut turpi, vt ſi eſſet ad ludendum, expendendum in vſus prophanos, aut ſuperfluos, vel quid ſimile, propter eandem rationem. In his autem caſibus commutatio iſta legati fieri debet de conſenſu Prælati Religionis, cui res eſt legata, & hæredis, ſeu executoris teſtamenti, & ſi ipſi diſcordent, accedere debet auctoritas Ordinarij. Ad hos enim, & non alios poteſt hoc ſpectare. Sorbus *ſup* §. *Sed dices.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 26. num.* 24. Infero ſecundò, quod ſi alicui Religioni relictum eſſet aliquod legatum cum modo ædificandi Eccleſiam, vel Monaſterium in certo loco, ſi ibi ædificari non poſſit, ædificari debere in alio, commutatione prædicto modo facta. Layman. *ſuprà num.* 11. ex Miranda, Portellus etiam *ſuprà*, ex Rodriguez, Barboſa *d. allegat.* 83. *num.* 10. ex aliis. Idem dicens *num.* 11. de legato facto pro conſtruendo Monaſterio in loco campeſtri.

Cæterùm loquendo de legato ſexto modo relicto 25 Regularibus, ſcilicet ex cauſa præſenti, vel præterita, ſi ea ſubſiſtat, non eſt dubium quin ſubſiſtat etiam legatum. Si verò non ſubſiſtat, ſi alicui Monaſterio relinquatur aliquod legatum, eo quod exiſtimetur pauper, cum tamen ſit diues, vel alicui Religioſo legetur aliquid eo quod exiſtimetur doctus, aut quia fecit aliquod obſequium teſtatori, ſit autem indoctus, nec præſtitit tale obſequium, tunc ſi teſtator expreſſit ſuam mentem, quòd non ſubſiſtente ea cauſa legatum non valeret, proculdubio inualidum eſſet in vtroque foro. Eſt enim tale legatum diſpoſitio quædam veluti ſub conditione de præſenti, vel præterito, diſpoſitio autem conditionata inualida eſt, conditione non ſubſiſtente, iuxta dicta *ſuprà num.* 19. Si autem teſtator non expreſſit ſuam mentem, attendendum eſt ad circunſtantias, vt ex illis colligi poſſit an fuerit actualiter, vel habitualiter talis, quod ea conditione non ſubſiſtente voluerit legatum non valere, an verò quod adhuc ea non ſubſiſtente, nihilominus voluerit validum eſſe. De quo Syluester *verbo Pactum, quæſt. 4. in fine.* Nauarrus *in Man. cap.* 18. *num.* 6. Medina *de Reſtitutione, quæſt.* 14. Molina *ſupr. diſp.* 29. Qui etiam *ibid.* §. *Quoad legata* ait, quod quando conſtat de voluntate teſtatoris fuiſſe, vt cauſa non ſubſiſtente legatum non valeret, inualidum eſſe iure ciuili, *l. cum tale,* §. *falſum* 3. *ff. de conditionibus, & demonſtrat. l.* 1. *C. de falſa cauſa adiecta legato, & l. ſi cum te, C. de pactis.* At quando res eſt dubia, valere, §. *Longè, Inſtit. de legat. leg. demonſtratio falſa,* §. *Quod autem, & l. Cum tale, l. falſam* 1. *ff. de condit. & demonſtrat. l. legaui,* §. *vlt. ff. de libertat. l. ſi ſit* §. 1. *ff. de leg.* & aliis iuribus. Niſi ex cauſa præſenti, vel præterita, quia cum legatum fit ob cauſam futuram, poterit eſſe legatum modale, vt putat Molina *ea diſput.* 209. vel ſaltem conditionale, vt colligitur ex Soto *in 4. diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 1. & Ludouico Lopez *in 2. part. inſtruct. matr. de Matrimon. cap.* 42. & tunc iudicandum eſt de illo iuxta dicta in ſuperioribus, vel ſaltem denotare credulitatem teſtatoris, vt colligitur ex Sanchez 5. *de Matrim. diſp.* 19. *num.* 3.

De legato autem ſeptimo modo Regularibus reli- 26 cto, ſcilicet ex demonſtratione, dicendum, quod ſi talis demonſtratio habeat vim conditionis, modi, aut cauſæ, de illa philoſophandum eſt iuxta dicta de ſimilibus legatis. Si autem habeat ſolùm rationem demonſtrationis, quamuis teſtator erret in aliqua qualitate ipſius, vt ſi dicat: Lego tali Monaſterio vineam quam emi mille ſcutis, cum tamen re vera non emiſſet niſi octingentis, nihilominus validum eſt legatum, quia error in qualitate non vitiat diſpoſitionem. Syluester *verbo Legatum* 1. *num.* 16. & *legatum* 2. *num.* 15. & *verbo conditio, num.* 7. Bonacina *ſuprà num.* 8. Error tamen in ſubſtantia legati, vt ſi quis dicat: Lego tali Religioſo vineam, quam habeo, vel lego illi pecuniam quam mihi debet Petrus, ſi non ſit ita, non valet legatum, quia error in ſubſtantia facit actum omnino inuoluntarium, ac per conſequens legatum nullum, Syluester *d. num.* 7. Bonacina *ſuprà.* Idem cenſeo ſi quis dicat: *Lego centum tali Religioſo filio meo, aut fratri meo,* ſi re vera talis non eſt filius, nec frater legantis; propter

eandem

Digitized by Google

eandem rationem. Syluester *d. num. 7.* Molina *ſuprà diſp.* 211. etſi oppoſitum teneat Sà *verbo legatum, n.* 13. Adde, etiamſi ſit talis error circa ſubſtantiam legati, ſi tamen ex circumſtantiis conſtat de voluntate teſtatoris, illi ſtandum eſſe, *l. ſi ſic, ff. de leg.* Syluester *d. num.* 7. Naldus *verbo legatum, num.* 46. In dubio tamen iudicandum eſt valere legatum, iuxta dicta de legato ex cauſa, Molina *ſupra.*

27 Pro legatis autem octauo modo Regularibus relictis notandum, quòd licet ſæpius legatum reddatur nullum, & vitietur ratione incertitudinis, *l. ſi de duobus, cum ſeq. de reb. dub.* Menochius *conſ.* 474. *n.* 5. Naldus *in ſumm. verb. incertitudo.* Laym. *lib.* 3. *de iuſt. tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 7. & 8. hoc tamen procedit in legatis non piis, in legatis enim piis, qualia ſunt magna ex parte ea, quæ relinquuntur Regularibus, oppoſitum contingit, & talia legata valida ſunt. Naldus *verbo legatum, num.* 10. Layman. *ſuprà.* Nota etiam quod quando legatum fit Eccleſiæ ſimpliciter, non expreſſo nomine proprio Eccleſiæ, debetur Parochiali. Sà *in Summa, verbo legatum, num.* 27. Naldus *ſuprà,* & colligitur ex Panormit. *in cap. indicante, de teſtament.* Vel potius Cathedrali ſi ibi ſit, cum ea ſit potior, & dignior. Prout colligo ex Angelo *verbo legatum* 1. *n.* 7. Armilla *verbo legatum, num.* 6. Tabiena *verbo legatum* 1. *num.* 7. Syluest. *verbo legatum* 2. *num.* 8. Quod ſi teſtator habet duas Parochias, vel domicilium in duabus Diœceſibus, debetur illi Eccleſiæ, vel Diœceſi vbi recipit Sacramenta. Naldus *ſuprà, num.* 9. Magis tamen ad intentum noſtrum, ſi legatum aliquod relinquatur Eccleſiæ, verbi gratia Carmelitarum, & in eo loco ſint plures Eccleſiæ eiuſdem Ordinis, iudicandum eſt in fauorem pauperioris Eccleſiæ, quia reſpectu illius eſt illud legatum magis pium. Sic colligo ex Authentica modò referenda, Panormitano, & Syluestro relatis, Naldo *d. num.* 10. Sanchez *tom.* 2. *Conſil. moral. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 8. & Diana 3. *part. tract.* 5. *reſol.* 58. Quando verò æquè pauperes ſunt, pertinet ad Epiſcopum loci diſtributio talis legati. Iidem Auctores. Notanda autem eſt ad præſens Authentic. *de Eccleſiaſt. titul. cap.* 6. ex qua plura ad intentum elici poſſunt. Sic autem habet: *Si quis in nomine magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti hereditatem, aut legatum relinqueret, iubemus Eccleſiam loci illius in quo teſtator domicilium habuerit, accipere, &c. Si quis autem vnum Sanctorum heredem ſcripſerit, aut legatum ei reliquerit, & non ſpecialiter nominauerit locum, in quo eſt venerabilis domus, inueniantur autem in eodem loco, aut Ciuitate plura Oratoria eiuſdem Sancti, illi magis domui, quæ pauperior eſt, præbeatur. Si autem non eſt in Ciuitate Baſilica nominati Sancti, inueniatur autem in Territorio eius illi detur. Si autem neque in Territorio eius reperiatur huiuſmodi domus, tunc Eccleſia Ciuitatis in qua teſtator domicilium habuerit, præbeatur.* Vide Mirandam *tom.* 1. *Man. Prælat. quæſt.* 32. *art.* 8. & Logo *ſuprà* §. 2. *num.* 150. & 254.

28 Hic notandum, quod in Clement. 1. *de priuileg.* §. *quibus etiam,* præcipitur Religioſis in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ, *Ne cùm confectionibus teſtamentorum intererunt à reſtitutionibus debitis, aut legatis Matricibus Eccleſiis faciendis retrahant teſtatores. Nec legata, vel debita, aut malè ablata incerta ſibi, aut aliis ſingularibus ſui Ordinis fratribus, vel Conuentibus in aliorum præiudicium fieri, ſeu arrogari procurent.* Et infrà: *Si qui verò præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis attentare præſumpſerint per duos menſes ſubiaceant pœnis illis, quæ ſecundum eorum Regulam, vel ſtatuta pro grauibus criminibus, ſeu culpis eis conſueuerunt imponi. Super quibus abſque manifeſta neceſſitate cum eis non valeat diſpenſari. Cæterum Prælati eorum, niſi de his quæ occaſione præmiſſorum ex eiſdem ad eos quoquo modo peruenerint, Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis damnificatis, vel læſis ſatisfactionem plenariam exhibuerint intra menſem, poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti, ſuſpenſionis ſententiam vſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrant.* Circa quæ prout ſpecialiter ſpectant ad materiam legatorum, notanda primò, verba illa, *ne cùm confectionibus Teſtamentorum intererunt,* quibus denotatur, quod ſi id fecerint Religioſi in aliis occaſionibus, etſi tunc poſſint peccare (de quo infrà) ſed non contra iſtam prohibitionem, nec ſub pœnis in ea deſignatis. Notandum ſecundò, verbum illud *retrahant,* quod denotat prohibitionem hanc ſolùm eſſe contra eos, qui poſtquam viderint in teſtatore propoſitum legandi dictis Eccleſiis, eos ab hoc intento auertere procurant. Syluester *verbo Religio* 6. *num.* 15. *dicto* 4. Naldus *verbo legatum, num.* 11. Imò nec tunc facient contra hanc prohibitionem, ſi bono zelo, & conſulentes animæ teſtatoris, & non ex odio aduerſus dictas Eccleſias, aut ex auaritia id fecerint. Sanchez *tom.* 1. *conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 49. *n.* 18. Forſan etiam id eſt verum ſolùm quando id factum fuit iniuſtè, vel quando aliis erant debita talia legata, vel quando dolo, & fraudibus, ſeu mendaciis, vel metu, aut precibus importunis, non autem quando id fecerunt obſequiis, aut modeſtis precibus. Theſaurus *in praxi, parte* 2. *verbo Religioſi, cap.* 10. Genuenſis etiam *in praxi, cap.* 91. *num.* 10. Illud certum, tam in hoc, quàm in aliis caſibus generaliter loquendo, dummodo id non fiat vi, vel fraudibus, non eſſe obligationem reſtitutionis, cum nec Clementina, nec ius naturale id exigat. Sanchez *ſuprà,* ex Syluestro, Armilla, & Roſella. Circa verbum *præſumpſerint,* nota ex eo colligi dictas pœnas non incurri niſi adſit temeritas, vel malitia, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. Circa verbum illud *ſubiaceant* nota, ſignificari in hoc caſu pœnam ferendam, quia eſt ibi ſermo de pœnis, quæ infliguntur Religioſo propter culpas, quæ tales eſſe ſolent. Theſaur. *ſuprà.* Circa pœnas porrò Prælatis deſignatas nota, intelligendas eſſe quando Religioſi iniuſtè prædicta egerint, iuxta dicta. Idem Theſaurus *ſuprà* ex aliis. Quomodo autem pœna illa ſuſpenſionis intelligi debeat, ex dicendis infrà verbo *Suſpenſio* colligetur.

Cum autem legata Regularibus relicta magna ex 29
parte, vt dictum eſt, ſint ad cauſas pias, ideo quando talia fuerint, priuilegiis piarum cauſarum potiri debent. Et quoad præſens attinet, talia legata Regularibus ad pias cauſas gaudebunt eodem priuilegio, ac gaudent relicta Eccleſiæ. Nam Eccleſia priuilegiatur propter animam, & propter Deum, quæ etiam procedunt in pia cauſa. Panormit. *in cap. relatum* 1. *de teſt.* Syluester *verbo legatum* 4. *num.* 6. Sà *in Summa, verbo Legatum, num.* 48. Deinde à talibus legatis non poteſt detrahi falcidia, id eſt pars illa bonorum, quæ *Inſtit. de l. falcidia, & C. ac ff. ad l. falcidiam* (de qua Molina *ſuprà diſp.* 213.) conceditur hæredi, vt detrahere poſſit de legatis. Authentica *Similiter, Cod. ad leg. falcidiam:* Syluester *ſuprà. & verbo legitima portio, num.* 9. ex Baldo, & Panorm. Molina *dict. diſp.* 213. §. *ſecundus quando,* Sà *ſupr. num.* 13. etſi cum aliquibus limitationibus. Bonac. *de Contract. lib. diſp.* 3. *quæſt. vltim. punct. vltim. num.* 30. 31. & 32. Item nec detrahi debet Trebellianica, illa ſcilicet pars, quæ hoc nomine vocatur (de qua etiam idem Molina *diſp.* 81. *ex Inſtit. de fidei comm. hereditat. l.* 1. *& ſequent. Cod. ad Senat. Conſult. Trebellian. & cap. Raynutius, & cap. Raynaldus, de teſtament.*) Syluester *d. num.* 6. *& verbo legitima portio, num.* 12. ex Bartolo, & Baldo, Molina, & Sà *ſuprà,* ac Naldus *verb. legatum, num.* 14. Præterea, quamuis ad teſtamentum requiratur ſolemnitas in multis (de qua poſt plures alios Sanchez *tom.* 2. *conſil. moral. lib.* 4. *cap.* 1. *à dub.* 2.) in ordine tamen ad legata pia ſatis eſt ſi fiat coram duobus, vel tribus teſtibus, & cum ſolemnitate iure gentium requiſita, etiamſi Ius ciuile maiorem requirat. Ita enim habetur *ex cap. relatum* 1. *de teſtam.*

&

& cap. cum eſſet. Syluester *dict. verb. legatum 4. num. 9. & verbo teſtamentum 1. num. 5.* Nauat. *in Man. cap. 17. num. 117.* Couat. *in d. cap. relatum.* Sanch. *ſupr. dub. 7.* Bonacina *ſupr. quaeſt. 1. punct. 3. num. 14.* Hinc ſimiliter, teſtamento vitiato, non vitiantur legata ad pias cauſas, Panormit. *cap. indicante, de teſtament.* & fauet Molina *ſuprà diſp. 175. §. intelligendum præterea, & diſput. 209. §. Iam ſuprà dictum eſt*, ac Sà *ſuprà num. 15.* Addit Panormit. *ſuprà*, etiamſi teſtamentum fiat ſine inſtitutione hæredis, valere pro legatis ad pias cauſas. Quod abſolutè ſequitur Sà *ſup. num. 51.* Limita, quando legator voluit mori inteſtatus, provt in dubio exiſtimandum eſt pro tali caſu, *cap. Indicante*, relato. Syluester *dicto verbo legatum 4. num. 8.* Deberi etiam legata ad pias cauſas etiam ante aditam hæreditatem, & hæreditate non adita, eo quòd talis præſumatur eſſe voluntas teſtatoris, tenent poſt alios Sà *ſuprà num. 27.* Naldus *ſupra num. 8.* Vlteriùs, licet legatum pro tali anno, vel tempore debeat ſolui in fine anni, *ex l. Qui hoc anno, de verborum obligat.* in cauſa tamen pia debetur in principio, *ex l. ſi ita fuerit, ff. de manum. teſt.* Diana *part. 3. tract. 6. Reſolut. 29.* ex Tiraquello, Riccio, & aliis. Addit Sà *ſuprà num. 29.* id eſſe verum, niſi aliud appareat voluiſſe legantem. Pariter etiam, licet regulariter quando legatum efficitur genericè debeat intelligi de minori re, aut ſumma; in cauſa tamen pia, niſi obſtet teſtatoris paupertas, intelligi debet de re magna, vel ſumma magna, *leg. Titia, §. finali, ff. de auro, & argento*, Diana *ſuprà* poſt plures alios. Vnde legato calice intelligitur argenteus, & legata planeta intelligitur ſerica, Sà *ſuprà n. 45.* Naldus *ſuprà num. 16.*

30 Legata reuocari poſſunt tum ex expreſſa, tum ex præſumpta teſtatoris voluntate, provt ex multis iuribus, caſibus etiam particularibus relatis, affert Molina *ſuprà diſp. 212.* ex altero Molina, Antonio Gomez, & aliis Doctoribus.

31 Quando legata ſunt pro vſu prophano, poteſt Princeps non habens Superiorem in temporalibus conuertere, ſeu commutare in alium prophanum, vel pium. Sà *ſuprà num. 2.* Naldus *ſuprà num. 39.* Bonacina *dict. diſp. 3. quaeſt. vlt. punct. vlt. num. 33.* Iuſta tamen cauſa interueniente, vtputa publica neceſſitate, &c. Aliàs id non poſſet facere, cum vltimæ voluntatis adimpletio in ſpecifica forma ſit de iure naturæ. Bonacina *ſuprà.* Sanchez *tom. 2. conſil. moral. lib. 4. cap. 2. dub. 1.* Papa autem etiam poteſt legata omnia pia in alia conuertere. Clement. *Quia contingit, de Religioſ. domib.* ibi, *ſalua quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate.* Gloſſa *ibid.* Syluester *ſuprà dicto verbo legatum 4. num. 12.* Henriquez *lib. 7. cap. 37.* & plures apud Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcopi. Allegat. 83. num. 1.* Ex cauſa etiam rationabili, quia hæc facultas non conuenit Papæ, vt Domino, ſed vt boni communis, & cauſarum piarum diſpenſatori. Couar. *lib. 3. variar. cap. 6. num. 7.* Sanchez *ſuprà* ex aliis, contra alios oppoſitum tenentes. Idem dici poteſt probabiliter de Legato à latere, propter verba adducta Clement. *Quia contingit*, & quia ipſe fungitur auctoritate Apoſtolica.

2 Loquendo autem de Epiſcopis, etiamſi probabilis ſententia multorum aſſerat, poſſe ipſos commutare ex rationabili cauſa pia legata, conſentiente hærede, ſi propterea grauatur, & loco pio cui fuerunt relicta, provt ex Angelo, Syluestro, Armilla, Tabiena, Sà, Henriquez, & aliis tenet Bonacina *ſuprà*, probabilius tamen eſt, quod quando legata pia ad certum vſum deſtinata in ſpecifica forma adimpleri poſſunt, Epiſcopi nequeant ea in alium vſum conuertere. Ratio eſt non ſolùm, quia *in d. Clement. quia contingit* (quam Concil. Trid. *ſeſſ. 7. cap. vlt. & ſeſſ. 25. cap. 8.* confirmat) hoc Sedi Apoſtolicæ reſeruatur, ſed etiam quia *cap. tua, de teſtam.* & in eodem Trident. *ſeſſ. 22. cap. 8.* vocantur Epiſcopi executores piarum voluntatum, executores autem alicuius diſpoſitionis eam alterare non poſſunt. Accedit quod *l. 1. & l. Legatum, ff. de adimplend. legat.* dicitur hoc ad Principem ſpectare. Item, quia *cap. vltima voluntas 13. quaeſt. 2.* dicitur: *Vltima voluntas defuncti modis omnibus conſeruari debet.* Et addit Gloſſa, *Vltima voluntas Defuncti pro lege ſeruanda eſt.* In lege autem ſolùm Princeps diſpenſat. Naldus *ſup. n. 12. & 39.* dicens ſic de facto obſeruari vidiſſe Mediolani. Molina *ſuprà diſp. 249.* Sanchez *dub. 2.* ex multis aliis. Addens *dub. 3.* ex eodem Molina, & aliis, nec poſſe Epiſcopum legatum ad certum vſum pium deſtinatum quod impleri poteſt, in alium vſum magis pium conuertere, propter fundamenta adducta. Licet oppoſitum teneant alij, quos ibi refert.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus licet Epiſcopis commutare pia legata Defunctorum, eo quòd per epicheiam in illis præſumatur eam eſſe rationabilem voluntatem ipſorum. Primus eſt, iuxta dicta *ſuprà num. 1.* quando legatum adimpleri non poteſt, vel de iure, quia eſt de re illicita, vel de facto, propter impoſſibilitatem. Non tamen id intelligi quando legatum eſt tale ſolùm quoad modum, vel circumſtantiam, quale eſſet ſi quis legaſſet aliquid ad Miſſas dicendas in domibus priuatis, vel locis interdictis, tale enim legatum validum eſſet, ſed commutandum ad alium pium vſum, v.g. quod tales Miſſæ dicerentur in loco non prohibito. Quando autem legatum eſſet quoad ſubſtantiam de re prohibita, vt ſi aliquis legaret aliquid pro duello committendo, tunc legatum eſt inutile & caducum, accedit hæredi, nec poteſt commutari in pium vſum. Sanchez *ſupra dub. 4.* ex Angelo, Syluestro, Armilla, Tabiena, & Roſella. Secundus caſus eſt, quando pecunia legata ad aliquem pium vſum non ſufficeret, quia tunc in alium per Epiſcopum conuerti poteſt. Riccius *in collect. deciſ. part. 3. collect. 558.* & ex eo, & aliis Barboſa *num. 7.* Imò in hoc caſu poſſe id facere hæredem etiam ſine conſenſu Epiſcopi, tenet Bonacina *ſuprà*, ex Cardinali Tuſcho. Tertius eſt è contra, quando legatum pro certa neceſſitate Eccleſiæ eſt ſuperfluum, vt ſi eſſet inſtitutum pro pingenda Eccleſia, ea autem minaretur ruinam, aut ſi eſſet pro fabrica, aut ornamentis, quibus tamen non egeret, aut pro Capella conſecranda in Eccleſia, quæ haberet reddirus ſufficientes. In his enim, & ſimilibus caſibus tale legatum in aliam Eccleſiæ neceſſitatem per Epiſcopum conuerti poſſet, Riccius *ſuprà part. 4. Collect. 1270.* Barboſa *ſuprà n. 12. & 23.* Bonacina *ſuprà*, Layman. *lib. 3. de iuſt. tract. 5. cap. 11. num. 11.* Adde, quod generaliter loquendo, quando adeſt neceſſitas commutandi pia legata, nec poteſt adiri Summus Pontifex, tunc Epiſcopus id facere poteſt, ſicut in ſimili caſu abſolutiones, & diſpenſationes aliquæ Papæ reſeruatæ eidem Epiſcopo committuntur. Moneta *de commutat. vlt. volunt. c. 5.* Barboſa *ſupr. num. 16.* Pro aliis autem caſibus vide Marcum Antonium Genuenſem *in praxi Archiepiſc. c. 19.* Riccium *d. collect. 1270.* Monetam *d. cap. 5.* Sanchez *ſupr. dub. 7.* Barboſam ea *alleg. 83.* & Gauantum *in Man. Epiſcop. verb. commutatio vltim. volunt.* 33

Notandum tamen, quòd licet plurium ſententia ſit, quod in his caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt legata pia commutare, requiratur etiam conſenſus hæredis, & legatarij, ſicque colligatur *ex l. legato, ff. de vſufruct. legato*, provt ex multis aliis tenet Sanchez *ſuprà dub. 5.* ſicque proculdubio obſeruari debeat in rebus magni momenti, & quando cauſa ad commutandum non eſt ita manifeſta, in rebus tamen non multi momenti, & ſubſiſtente cauſa euidenter rationabili, credo poſſe Epiſcopum ſe ipſo ſolo id facere, provt tenet Felinus *cap. cùm acceſſiſſem, de Conſtit.* & fauet Naldus *ſuprà num. 12. in fin.* & Barboſa *ſuprà num. 6.* 34

An poſſint Prælati Regulares commutare legata pia ipſorum Monaſteriis relicta in alium pium vſum, dixi 35

tom. 1.

tom. 1. *part.*1. *cap.*18. *num.*94. & *tom.*2. *cap.*19. *num.*47. Etſi autem pro hac re non ſit ſolidum aliquod priuilegium Regularibus à Summis Pontificibus conceſſum, quia ea quæ adducuntur ſunt viuæ vocis oracula, quæ hoc tempore reuocata ſunt, vt dixi *tom.*1.*part.*1. *cap.*3. *num.*21. aliqui tamen Auctores ſunt qui iure communi poſitis aliquibus conditionibus id concedunt prædictis Prælatis. Pro quo vide Cordubam *in Summ. quæſt.*170. & Naldum *ſup.num.*12.

36 Notandum etiam, plures quoque Auctores docere poſſe Epiſcopum redditus alicuius Capellæ pro Miſſis celebrandis deputatos, in paramentorum emptionem, vel reparationem ipſius Capellæ (intellige quando non eſſet alia pecunia cum qua id fieri poſſet) pro vna vice tantùm commutare. Hi ſunt Riccius *d. collect.*558. Naldus *ſupra num.*12. Barboſa *ſuprà num.*14. & fauet Sanchez *ſupra dub.*7. poſt alios quos refert, ac probabile cenſet Lugo *ſup.ſect.*13.*num.*310. Quorum ſententia ſuſtineri poſſet à Regularibus, qui in ſuis Eccleſiis ſimiles Capellas habere ſolent, niſi obuiaret decretum S.Congregationis *de Celebratione Miſſarum*, de quo infrà verbo *Miſſa.* [Nota etiam pro eiſdem Regularibus probabile etiam eſſe, quod quando legatum relictum eſt pro fabrica alicuius Eccleſiæ, poſſit commutari (intellige ab Epiſcopo) in ornamenta & alia cultui Diuino neceſſaria. Prout tenet Lugo *ſupr. num.*304. ex Sanchez, & aliis.

37 Quamuis autem quorumdam opinio ſit animas in Purgatorio exiſtentes puniri ob dilationem, ſeu non executionem legatorum ab ipſis relictorum, prout indicat Angelus *in Summ.verbo executor, num.*13. referens ex Minorum Chronicis quendam in Purgatorio detentum ob non ſoluta ipſius debita: cui conſonat reuelatio quædam apud S.Brigittam *lib.*6. *cap.*66. & alia quam affert noſter Ioannes Beetz *in* 4.*precept.Decalogi, expoſit.*1. *cap.*8. diſtinguendum tamen eſt inter legata ab ipſis derelicta; alia enim ſunt, ad quæ tenebantur, quia erant debita aliquibus, & præcipiunt dari ipſis, alia quæ legantur ad eleemoſynas faciendas pauperibus, vel ad ſuffragia, v.g. Miſſas, Anniuerſaria, &c. pro ipſis celebranda. Loquendo de legatis primo modo, eorum dilatio nihil nocet defunctis, nec eorum adimpletio per ſe prodeſt. Ratio primæ partis eſt, quia enim ipſi quantum eſt in ſe fecerint, vt aliena debita ſoluerentur, ſi non ſoluuntur, etſi executores peccent, non tamen propterea debent ipſi teſtatores puniri, cum nullus puniatur propter peccatum alterius. Sotus *in* 4.*diſt.*45.*quæſt.*2.*art.*3.Bellarm.*tom.*2.*Controuerſ.lib.*2. *de Purgatorio*, *quæſt.*16. Suarez *tom.*4.*in* 3.*part.diſp.*48. *ſect.*8.*num.* 19. Sanchez *tom.*2.*Conſil.moral.lib.*4. *cap.*1. *dub.*53. Ratio ſecundæ partis eſt, quia exiſtentibus in Purgatorio non proſunt niſi ſuffragia, & opera ſatisfactoria; reſtitutio autem debitorum præcisè conſiderata, & prout diſtincta à voluntate illius pro quo fit, nec eſt ſuffragium, nec opus ſatisfactorium. Suarez *ſuprà num.*21. Lugo *de Sacr.Pænit.diſp.*26.*ſect.*3.*n.*32. Dixi ex profeſſo, quod talium legatorum adimpletio per ſe non proſit Defunctis, quia per accidens poteſt illis prodeſſe, quatenus is qui legata etiam debita recipit, vel alij excitantur ad orandum, & ſatisfaciendum pro ipſis. S. Thom. *quodl.* 6. *art.* 13. Nauarrus *in Manual. cap.* 17. *num.* 68. Suarez *ſuprà num.* 18. & 21. concludens, *Et in hunc modum poſſunt explicari prædicta reuelationes, ſi admittendæ ſunt.* Loquendo autem de legatis pro eleemoſynis, ſeu ſuffragiis faciendis deſtinatis, cum ipſorum executio proſit defunctis, & ſi non per modum meriti; quia meritum pendet ex voluntate, & intentione illa præcipientia, per modum tamen ſatisfactionis, quia ſunt expiatoria pro pœna temporali, ideo illorum dilatio valde nocet defunctis, & facit illos in Purgatorio detineri. S.Thom. *ſupr.* Syluester *verbo Teſtamentum* 2. *quæſt.* 9. Sotus *ſuprà art.*4. Sanchez *ſuprà*, Lugo *ſup. num.*31.

Hinc collige, differentes ſoluere debita Defunctorum, ſeu legata ipſorum, peccare mortaliter, primò contra fidelitatem debitam ſuo muneri, executoris videlicet, vel teſtamentarij; ſecundò contra iuſtitiam illorum, ad quos ea pertinent; & tertiò contra Religionem, ſi ſint deſtinata ad cultum Dei, vel Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum augmentum. Syluester *ſuprà*, Nauarrus *ſupra cap.*25.*num.*65. Petrus Nauarra *lib.*3.*de reſtitut. cap.*4. Excipe, niſi differant, vt rebus defunctorum meliùs venditis copioſiores elargiantur eleemoſynas, & maiora pro eis ſuffragia fiant; ita tamen, vt augmentum iſtud ſit valdè magnum, & dilatio breuis, vt propterea arbitrio boni viri melius ſit tardare. S.Thom. *d. quodlib.*6. *art.* 14. Syluester, & Sanchez *ſuprà*, ex aliis. Tenentur autem ea exequi, prædicta, aut alia cauſa rationabili non ſubſiſtente, quamprimùm fieri poſſit, à tempore mortis Teſtatoris. Ab eo enim tempore ſunt debita legatario, & non facientes excommunicari poſſunt. Fauent iura *l.*6. *tit.*10. *part.*6. & *l. nulli*, *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & 13.*quæſt.*2.*cap. qui obligationes*, & *ſequentibus.* Syluester, & Sanchez *ſuprà.* Terminus autem ſex menſium pro legatis piis exequendis, eſt vnius anni; pro non piis deſignatus iure ciuili, *Authent. de Eccleſiaſt. titul. l. Si autem legatum*, & *Authent. de hæred.* & *falc.* § *ſi quis verò* ſolùm eſt ad incurrendas pœnas, non pro foro conſcientiæ, aut pro foro Eccleſiaſtico. Petrus Nauarra & Sanch. *ſup.* Naldus *ſup.num.*17. Lugo *ſup. ſect.*11.*num.* 296. Quæ verò ſint iſtæ pœnæ moroſis executoribus à iure deſignatæ, & qualiter ſpectet ad Epiſcopum de ea re iudicare, vipotè de iure exequutorum piarum voluntatum, habes in Syluestro *ſuprà num.*10. 11.& 12. Couarr. *in cap. nos quidem*, & *cap. Si hæredes*, *de teſtam.* Molina *diſp.*251. Layman. *ſupra num.*12. & 13. ac aliis. Nota etiam R.Fabricam Sancti Petri de Vrbe plura habere priuilegia à Sede Apoſtolica ſibi conceſſa ad recognoſcendum an legata pia Defunctorum adimpleta ſint, eaque ſibi applicanda, aliaque ad intentum concernentia. De quibus ex variis Diplomatibus Summorum Pontificum, & declarationibus circa illas, Quaranta *in Summ. Bullar. verbo fabrica S.Petri*, & Naldus *ſupra num.*18. 38

Religioſos (exceptis Minoribus) poſſe de licentia ſuorum Prælatorum eſſe executores Teſtamentorum, ac per conſequens legatorum piorum, habes *tom.*1. *p.*1. *cap.*9. *num.*9. vbi etiam alia ad intentum. Nunc adde conformiter ad dicta eo *tom.*1.*part.*1. *cap.*6.*n.*39. quod caſu quo Religioſus eſſet executor legati inter pauperes, aut ad cauſas pias diſtribuendi, ſi ipſe, aut Monaſterium ipſius verè pauperes eſſent, aut cauſa pia in eis ſubſiſteret, poſſet partem illius legati ſibi, aut ſuo Monaſterio applicare, niſi aliud conſtaret de mente teſtatoris. Nulla enim ratio oppoſitum ſuadet, & ex alia parte charitas bene ordinata incipit à ſeipſo, Sanchez *lib.*6 *in Decalog. cap.*11. *à num.*59. Barboſa *dicta Allegat.*83.*à num.*11. Layman.*d.cap.*11.*num.*6. Qui tamen id non admittit in caſu quo teſtator nouiſſet paupertatem illius Religioſi, aut Monaſterij, tunc enim præſumi deberet, quod aliquam partem illius legati ei expreſsè legaſſet, & quod ſi non legauit, noluiſſe quod eam ſibi acciperet. Sed hanc limitationem reiiciunt Ioannes Sancius *in Select.diſp.*14.*num.*18. Diana *tom.*4. *tract.*8.*reſol.*38. & Lugo *ſuprà ſect.*11.*num* 283. probabiliter putantes etiam pro tali caſu poſſe Religioſum applicare ſibi partem illius legati, propter dicta. 39

Collige etiam ex dictis, poſſe Religioſum eam eleemoſynam quam poſtulauit ad diſtribuendum inter pauperes, ſi eas non pro paupere nominatim determinato, ſed pro pauperibus indefinitè accepit diſtribuendas, ſibi, vel Monaſterio applicare quo ad partem illarum, 40

ſi

ſi verè pauperes ſint, quia dantis illas intentio ſolùm eſt, vt veris pauperibus diſtribuantur. Nauarrus, & Rodriguez à me relati eo *cap.6. num.39.* Sanchez *ſuprà lib.7.cap.30.num.6.& 7.*Fagundez *in 7.præcept.Decalog.lib.7.cap.7.num.11.* Qui etiam idem dicunt quando eam eleemoſynam accepit ad dandum vni pauperi non nominatim determinato, ſed vagè ſumpto.

41 Vide alia infrà verbo *Miſſa*, & verbo *Suffragia*.

LEGES REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Legis etymologia.*
3 *Legis definitio.*
4 *Leges Regularium non promulgatæ non obligant.*
5 *Lex contraria bono communi vim obligandi non habet.*
6 *Ad quos ſpectat condere leges.*
7 *Lex debet eſſe rationi conformis.*
8 *Debet eſſe iuſta.*
9 *Item poſſibilis.*
10 *Neceſſaria, vel vtilis.*
11 *Manifeſta, & non obſcura.*
12 *Pro bono communi inſtituta.*
13 *Legis diuiſio.*
14 *Modus allegandi ius Canonicum.*
15 *Modus allegandi ius Ciuile.*
16 *Lex non acceptata, ſeu non recepta, an obliget.*
17 *Quomodo id intelligendum.*
18 *Quando ſuſpendatur lex per ſupplicationem factam legiſlatori.*
19 *Quid de litterarum Apoſtolicarum ſupplicatione.*
20 *An requiratur ad legem quod ſit ſcripta.*
21 *Materia legis humanæ quæ ſit.*
22 *Actus interni an præcipi, vel prohiberi poſſint.*
23 *Lex humana regulariter ſolum reſpicit ſupra.*
24 *De decreto Sacræ Congregationis*, de apoſtatis, & eiectis.
25 *An lex obliget cum periculo mortis, vel magni nocumenti.*
26 *Quid de Carthuſianorum lege quoad abſtinentiam à carnibus.*
27 *Conſtitutiones ſynodales an obligent Regulares.*
28 *An leges ciuiles.*
29 *Quæ leges ciuiles illos obligent.*
30 *Quæ illos non obligent.*
31 *Interpretatio legis quibus competit.*
32 *Lex interpretanda eſt iuxta verborum proprietatem.*
33 *An iuxta propriam ſignificationem naturalem, vel ciuilem.*
34 *Lex fauorabilis quæ dicatur.*
35 *Lex generaliter loquens generaliter eſt accipienda.*
36 *Mens legiſlatoris attendi debet pro legis interpretatione.*
37 *Item proœmium, ſeu præfatio legis.*
38 *Item ſupplicatio illius pro quo fit.*
39 *Item ratio legis.*
40 *Lex dubia quomodo interpretanda.*
41 *Lex ſic interpretari debet, vt nullum ipſius verbum credatur otioſum.*
42 *Lex pœnalis quomodo interpretanda.*
43 *Quid de lege, in qua aliquid fuit poſitum ſolùm per modum exempli.*
44 *De interpretatione legis fauorabilis.*
45 *De interpretatione legis prohibitiuæ.*
46 *Quid quando lex præſcribit formam rei faciendæ.*
47 *Quid quando lex vtitur verbo* non poteſt.
48 *An omiſſio cuiuſlibet partis formæ præſcriptæ per legem irritet factum.*
49 *Quomodo obligare poſſit lex humana.*
50 *De pœnis per illam impoſitis.*
51 *Quomodo adimpleatur lex.*
52 *De intentione ad illius adimpletionem requiſita.*
53 *Lex qualibet ceſſat derogatione, ſeu abrogatione.*
54 *Conſuetudine contraria.*
55 *Quæ conditiones ad hanc conſuetudinem requirantur.*
56 *Quid quando lex irritat conſuetudinem futuram.*
57 *Conſuetudo quando inducere poſſit legem.*
58 *Tollitur legis obligatio per diſpenſationem.*
59 *An per ceſſationem cauſæ.*
60 *An per epicheiam.*
61 *Quid quando fundatur in præſumptione.*
62 *Alia remiſſiuè.*
63 *De dubio vulgari, an ignorantia legis excuſet.*
64 *Ignorantia alia Iuris, alia facti.*
65 *Ignorantia facti eſt quando ignoratur res, quæ in facto conſiſtit.*
66 *Ignorantia Iuris eſt, qua ignoratur lex, prohibitio, ſeu præceptum.*
67 *Ratio dubitandi.*
68 *Suſtinenda eſt illa Regula, quod ignorantia facti excuſet, non ignorantia Iuris.*
69 *Quia factum eſt variabile, & incertum, Ius autem non ita.*
70 *Non intelligitur hæc Regula in foro conſcientiæ.*
71 *Sed quoad fori externi præſumptionem.*
72 *Publicè propoſitum ignorare non licet.*
73 *Doctores huius partis.*
74 *Limitatur quoad ignorantiam facti.*
75 *De facto proprio non præſumitur ignorantia.*
76 *Quibuſdam caſibus exceptis.*
77 *Limitatur etiam de ignorantia Iuris pro aliquibus caſibus.*

ETſi de hac materia ſufficienter dictum videatur *tom.1.part.1.cap.8.* vbi de obligationibus Regularium ratione Conſtitutionum, ſeu Statutorum Religionis egi, præſertim cum plura de ipſa ſparſim in præcedentibus tomis dixerim, alia tamen addenda ſunt in præſenti pro ipſius complemento; ſupponendo primò more noſtro principia aliqua generalia ad leges ſpectantia, & ea Regularibus ipſis applicando. 1

Et primò, ethymologia nominis *Lex* iuxta Ciceronem *lib.1.de legibus*, & authorem *qq. noui Teſtam.* ſub nomine S.Auguſt. *quæſt. 15.* ſumitur ab *electione*, ſeu *delectu*. Iuxta Sanctum Iſidorum 2. *Etymolog. cap. 10.* ſumitur *à legendo*, eo quòd ſcripto ferri ſoleat, vt legatur. Iuxta S.Thom. 1.2. *quæſt. 90. art. 1. à ligando.* De quo Sotus *lib.1.de iuſt.quæſt.1.art.1.* Azor. *tom.1. Inſtit. moral.lib.5. cap.1.* Suarez *lib. 1. de legib. cap.1.* & alij. 2

Quoad definitionem verò ipſius communiùs recipitur ea, quam tradit S.Thom. *ſuprà art.4.* Lex *eſt ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui curam habet Communitatis.* Dicitur *ordinatio rationis*, non ſolùm quia debet eſſe conformis rationi, iuxta dicenda, ſed etiam, quia eſſentialiter in actu intellectus conſiſtit, prout Thomiſtæ communiter tenent, ſpecialiter Caietanus, & Medina *in S. Thom. ſuprà*, Sotus *ſupr.* & Cornejo noſter *tomò 1. in 1.part. tract.1. circa quæſt.14. diſp.1. dub.4. num.19.* vel quia eſto quod in actu voluntatis conſiſteret, requirit tamen actum intellectus, vel ſaltem pertinet ad partem rationalem. Dicitur etiam *promulgata*, quoniam ad hoc quod obliget, & dirigat ſubditos, neceſſe eſt vt promulgetur. Dicitur autem *ad bonum commune*, tum ad differentiam peculiarium præceptorum, quæ ſolùm perſonis particularibus imponi poſſunt, tum vt oſtendatur finis legis, qui eſt proſpicere bono communi. Tandem dicitur *ab eo qui curam habet Communitatis*, quia condere legem ſolùm pertinet ad Communitatem, vel ad eum, 3

qui

qui eam gubernat. De iis S. Thom. *dict. quæſt.* 90. Caietanus, Sotus, & Medina *ſupr.* Granadus *in* 1. 2. *contron.* 7. *tract.* 1. *diſp.* 2. & alij.

4 Ex iis autem, quæ dicta ſunt Regularium legibus applicatis, collige primò, iuxta dicta eo *cap.* 8. *num.* 27. Conſtitutiones, ſeu leges Regularium non ſufficienter promulgatas, ſaltem in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, non obligare ipſos, *l. leges*, *C. de legibus*. Eſt autem adeo intrinſeca, & neceſſaria publicatio pro legis Regularis obligatione, vt etiam ipſi qui aſtiterunt dum lex condebatur, vel etiam qui ipſam cum aliis condiderunt, quales ſolent eſſe Diffinitores Capitulorum Generalium, vel Prouincialium inter Regulares, non teneantur ad ipſius obſeruantiam antequam debito modo publicetur. Bonacina *de legibus*, *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 10. ex Salas, & Suarez. Idem dic in caſu quo aliquis Religioſus miraculosè noſſet legem factam, verbi gratia, in Diffinitorio, ſi tamen nondum publicata erat. Bonacina *ſupra num.* 23. ex Vaſquez, Molina, Leſſio, & aliis. Non tamen requiritur legem omnibus, & ſingulis è Communitate denuntiari, ſed eo primum publicè in Capitulo propoſita fuit, habet vim obligandi omnes in actu primo, esto quod in actu ſecundo non obliget niſi ipſius notitiam habentes. S. Thom. *d. quæſt.* 90. *art.* 41. Sotus *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 4. Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 44. 45. & 46. Toletus *in Summ. lib.* 8. *cap.* 18.

5 Ex eo etiam quod in definitione legis dicitur *ad bonum commune*, collige ſecundò, iuxta dicta *cap.* 8. *num.* 20. quod quando lex, ſeu Conſtitutio inter Regulares bono communi contraria cernitur, vim obligandi non habet, *l.* 1. 2. & 8. *ff. de legib.* & *cap. erit autem lex*, *diſt.* 4. S. Thom. *ſup. quæſt.* 90. *art.* 2. Suarez *lib.* 1. *de legib. cap.* 7. Similiter ſi lex, ſeu Conſtitutio Regularis ſolùm eſſet ob bonum priuatum alicuius Religioſi, talis non eſſet lex, ſed priuilegium, *l.* 1. *ff. de Conſtitut. Princip.* Cicero *lib.* 3. *de legib.* Pro quo notandum, quod licet aliquæ Conſtitutiones Religionum immediatè factæ ſint in vtilitatem, ſeu commodum aliquorum particularium, ſeu certi generis perſonarum, videlicet Magiſtrorum, Lectorum, Officialium, &c. nihilominus verè leges ſunt, & obligandi vim habent, eo quod in bonum commune Religionis mediatè, & remotè cedant. Commodum enim partis in commodum totius cedit. Suarez *ſupra*, Vaſquez 1. 2. *diſp.* 191. *cap.* 2.

6 Pariter etiam ex eo, quod in legis definitione dicatur *ab eo qui curam habet Communitatis*, collige tertiò ſpecialiter quoad Regulares, condere leges, ſeu Conſtitutiones pro ipſis ſolùm ſpectare regulariter ad Capitula Generalia, vel Prouincialia, vel ad ſupremos Prælatos ipſorum, ſi praxi, conſuetudine, vel priuilegio id habent, iuxta dicta eo *cap.* 8. *num.* 3. & eodem *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 90. & *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 6. vbi plura ad intentum.

7 Cum autem in dicta definitione legis dicatur, quod ſit *ordinatio rationis*, id eſt, quod eſſe debeat rationi conformis, ideo meritò à Patribus, & Doctoribus, præſertim D. Iſidoro *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 21. & S. Thom. *ſuprà quæſt.* 95. *art.* 3. & *quæſt.* 96. *art.* 4. aliquæ conditiones pro lege humana neceſſariæ afferuntur, quas oportet expendere, & ad Regularium leges applicare. Prima eſt ex parte materiæ ipſius legis, ſcilicet quod ſit *honeſta*, id eſt, prout idem Iſidorus *lib.* 5. *cap.* 3. & refertur *cap. conſuetudo*, *diſt.* 1. quod *Religioni conueniat, quod diſciplinæ congruat, quod ſaluti proficiat*. Vnde ſi alicui legi inter regulares hæc conditio deficiat, illi non eſt obtemperandum, cum nec ſit vera lex, nec obligationem inducat. S. Thom. *ſuprà*. Vaſquez *ſuprà diſp.* 155. *cap.* 1. Idem dico de lege inutili, aut noxia Communitati, propter eandem rationem. Bonacina *ſupr. punct.* 1. *num.* 9. & *ſequentibus*, aut impeditiua operum charitatis, vt ſi eſſet Statutum in aliqua Religione, vt nullus intraret cellam alterius, & contingeret, quod aliquis Religioſus eſſet in graui neceſſitate corporis, aut animæ, cui ſubueniri non poſſit niſi intrando in cellam ipſius, iuxta dicta eo *tom.* 1. *part.* 1. *cap* 8. *num.* 19. Idem dicendum de lege, ſeu præcepto non exeundi extra Monaſterium ſine licentia, ſi occurrerent caſus, in quibus, vel ad abſoluendum moribundum, vel defendendum aliquem innocentem, vel ſimilia neceſſarium eſſet exire, nec commodè poſſet peti licentia, iuxta dicta eo *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 16. *num.* 4. Vnde mirum mihi eſt, quod de quadam Congregatione Religioſa ſatis graui, & veneratione digna audio, in ea ſcilicet eſſe ſimile Statutum. Hinc etiam generaliter loquendo conſtitutio repugnans legi naturali, aut diuinæ nec eſt vera lex, nec aliquam obligationem inducit; tum propter dicta, tum quia, vt *Actor.* 5. habetur, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, & quia *Proconſuli non eſt obtemperandum contra Imperatorem*, vt arguit S. Auguſtinus *de verb. Domini Serm.* 6. *cap.* 8. Idem dico de conſtitutione, aut ſtatuto contra ius commune, aut canonicum, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. & 6.

Secunda conditio, quæ ſumitur ex forma legis eſt, 8
quod ſit *Iuſta*. Quæ conditio, prout ab aliis diſtincta, importat quod lex debeat ſeruare proportionem, ſeu æqualitatem inter ſubditos, ita vt non plus oneret indebitè aliquos quam alios, iuxta modum quo dicitur ad iuſtitiam gabellæ requiri quod ſit æqualis reſpectu eorum, quibus imponitur, S. Thom. *ſupr.* Syluester *verb. Lex*, *quæſt.* 5. Toletus *lib.* 8. *cap.* 18. §. *Quarta non eſt.* Vnde ſi inter religioſos fieret aliqua conſtitutio, ſeu lex, per quam aliqui indebitè, & iniuſtè plus aliis grauarentur, nec eſſet vera lex, nec obligaret ſic indebitè, & iniuſtè grauatos. Dixi per quam aliqui, *indebitè & iniuſtè*, &c. nam cum æqualia onera omnibus imponere, nulla habita ratione virium, vel meritorum, ſit contra rationem, & iuſtitiam, ideo ſi ex rationabili cauſa lex ſolùm aliquot grauaret, non propterea deſineret eſſe iuſta. Suar. *lib.* 1. *de legib. cap.* 9. *num.* 16. Dixi etiam talem legem non obligare *ſic indebitè, & iniuſtè grauatos*, quia alij non ſic grauati ea obligarentur, cum reſpectu illorum non ſit iniuſta. Suarez *ibidem*. Bonacina *ſuprà punct.* 7. § 3. *num.* 3.

Tertia conditio eſt, quod ſit *poſſibilis*, id eſt, quod 9
à ſubditis impleri poſſit. Quod intellige non ſolùm de poſſibilitate phyſica, vt de ſe patet, ſed etiam de morali, id eſt, quod non ſit nimium difficilis, qualis eſſet inter Regulares lex, ſeu Conſtitutio de ieiunanda tota Quadrageſima in pane, & aqua, aut alia ſimilis. Debet enim eſſe lex iuxta S. Iſidorum relatum *ſecundùm naturam, & ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens*, id eſt accommodata fragilitati humanæ, patriæ, honeſto vſui, loco & tempori. Sotus 1. *de iuſt. quæſt.* 5. *art.* 3. Miranda *in Man. Prælator. quæſt.* 15. *art.* 9. Vaſquez *ſuprà*, Suarez *eo cap.* 9. Granadus *ſupr. tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 8. *ſect.* 1. Hinc collige, leges, & Conſtitutiones Regulares continentes magnas, & nimis difficiles corporis afflictiones, aut diuturnas vigilias, &c. non ſolùm non obligare illos, ex eo quod non concernant Regulam, quam profeſſi ſunt, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 5. ſed etiam ex eo quod ob nimiam difficultatem ſint de re moraliter impoſſibili. Secus verò dicendum, iuxta dicta eo *cap.* 8. *num.* 7. pro caſibus particularibus, tempore ſcilicet belli, peſtis, famis, hæreſis, &c. tunc enim ob publicam neceſſitatem poſſent ad illas obligari.

Quarta conditio legis humanæ eſt, quod ſit *neceſ-* 10
ſaria, & *vtilis*, coniunctiuè, prout ex eodem S. Iſidoro approbat S. Thom. *ſuprà*, quem ſequuntur Vaſquez, Miranda, & Granadus relati, ſeu diſiunctiuè, id eſt *neceſſaria*, vel ſaltem *vtilis*, prout eam explicant

Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 3. & Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 4. Quomodocumque autem ſumatur hæc conditio, importat quod lex non ſit inutilis, aut ſuperuacanea Communitati, ſed conuenicos, congrua, & proficiens ad remouendum malum, ſcilicet abuſum, & introducendum bonum, ſcilicet actus honeſtos contrarios.

21 Quinta conditio ab eodem S. Iſidoro, & D. Thom. dicto *art.* 3. pro lege aſſignata eſt, *ne aliquid per obſcuritatem incautum contineat*, ideſt, quod ſit manifeſta, & perſpicua, itavt intelligi poſſit mens legiſlatoris. Quæ conditio, prout importat, quod non ſit tam obſcura lex, vt nullo modo percipi poſſit, pertinet ſicut præcedentes ad ſubſtantiam legis, aliàs enim non poſſet ſciri à ſubditis. Quatenus verò importat quod ſit clara, & manifeſta, pertinet ſolùm ad perfectionem. Vaſquez, & Granad. *ſuprà*.

22 Sexta conditio ab eiſdem etiam Patribus deſignata pro lege eſt, quod ſit *pro communi ciuium vtilitate conſcripta*, ideſt, quod fiat pro bono communi, non particulari. De qua *ſuprà num.* 3.

23 Diuiditur autem lex in *æternam*, quæ eſt ſumma ratio boni communis totius mundi in Deo exiſtens, per quam cuncta gubernantur, bona præcipiendo, & mala prohibendo. Sic colligo ex D. Auguſtino *lib.* 1. *de lib. arbitr. cap.* 6. & S. Thom. *ſuprà quæſt.* 92. *art.* 1. & *in naturalem*, quæ eſt dictamen rationis, ſeu intellectus, quod dicat aliquid ita eſſe bonum, vt ſit diſſentaneum naturæ intellectuali illud non amplecti, & aliud ita malum, vt ſit etiam diſſentaneum eidem naturæ illud non reſpuere. Eſt enim lex naturalis participatio quædam legis æternæ, & de qua *Pſal.* 4. dicitur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. S. Thom. *ſuprà art.* 2. Sylueſter *verbo lex, quæſt.* 1. Et in *diuinam*, quæ eſt illa, quæ à Deo hominibus datur, qualis fuit Moſayca in lege veteri, & Euangelica in lege noua. Sylueſter *ſuprà*, Toletus etiam *ſuprà num.* 2. §. *lex diuina*. Et *in humanam* quæ eſt illa, quæ per homines inſtituitur authoritate ſibi à Deo commiſſa. Quæ poſtea diuiditur in *Eccleſiaſticam*, qualis eſt Canonica, & Pontificia, ſub qua etiam leges Regulares comprehenduntur; & in *ſæcularem*, qualis eſt ciuilis. De quibus communiter Doctores.

24 Antequam autem de Regularium legibus alia dicamus operæpretium erit pro tyronibus obiter animaduertere modum allegandi Iura Canonicum, & iura Ciuile. Et quidem ius Canonicum, cum diuidatur in *Decretum*, *Decretalia*, *Sextum Decretalium*, *Clementinas*, & *Extrauagantes*; Decretum verò diuidatur in diſtinctiones, Cauſas, & Tractatum de Conſecratione, ſicut Decretalia in titulos, & capita, idcirco diuerſimodè allegatur. Quoad primam quidem partem Decreti ſic, *can.* vel *cap.* *Acutius*, *diſtinct.* 26. ideſt, canon, ſeu capitulum, quod incipit *Acutius*, *in diſtinct.* 26. Quoad ſecundam ſic, 16. *quæſt.* 7. *can.* vel *cap. decimas*, ideſt canon, ſeu capitulum, quod incipit *decimas*, in 16. *cauſa*, *quæſt.* 7. Excepta quæſtione trigeſimæ tertiæ cauſæ, quæ eſt *de Pœnitentia*, quia etiam diuiditur in diſtinctiones, & iſtæ in canones ſeu capitula, ideo allegatur ſic: *de Pœnitentia*, *diſtinct.* 3. *can.* aut *cap. ſepties*; ideſt canon, ſeu capitulum, quod incipit *ſepties*, in dicta quæſtione de Pœnitentia *diſt.* 3. Quoad tertiam verò partem allegatur ſic Decretum, *de Conſecrat. diſt.* 1. *can.* vel *cap. vaſa*, ideſt canon, ſeu capitulum, quod incipit *vaſa*, *in diſtinct.* 1. *de conſecrat*. Decretalia autem allegantur ſic: *cap. quia propter*, *de elect.* ideſt, capitulum, quod incipit *quia propter*, in titulo de *electione*. Quo etiam modo allegatur ſextus decretalium. Excepto quod additur *in* 6. Item Clementinæ allegantur ſic: Clement. *Exiuit*, *de verbor. ſignificat.* ideſt Clementina, quæ incipit *Exiuit*, in titulo de *verbor. ſignificat.* Additur aliquando §. *cum enim*, ideſt paragraphus, qui incipit *cum enim*. Quo etiam modo allegantur Extrauagantes, vt cum dicitur extrauaganti *Ex debito*, *de elect.* ideſt Extrauagans, quæ incipit *Ex debito*, in titulo *de electione*. Quæ ſimiliter allegari ſolent hoc modo: Extrauag. *Ambitioſæ*, *de reb. Eccl. non alien. inter commun.* ideſt Extrauagans, quæ incipit *Ambitioſæ*, quæ eſt de rebus Eccleſiæ non alienandis inter Extrauagantes communes. Nota etiam Decretalia quandoque allegari cum particula *extra*, ad denotandum ea eſſe extra Decretum, ſed melius omittitur vt ſuperflua, & quia allegatio quanto breuior, tanto melior. Syluester *ſuprà verb. Lex*, *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 29.

Ius quoque ciuile, cum diuidatur in tres principales partes, ſcilicet in primam, quæ dicitur *Digeſtum*, quod diuiditur in Digeſtum vetus, Infortiatum, & Digeſtum nouum: & ſecundam, quæ dicitur *Codex*, quæ diuiditur in nouem libros, in quibus ſunt Conſtitutiones, & Reſcripta Imperatorum, ac in tertiam, quæ dicitur *Volumen*, in quo ſunt quatuor opera, ſcilicet Inſtituta, tres libri Codicis, ſcilicet decimus, vndecimus, & duodecimus (nam alij nouem priores ſunt in Codice) & Authenticum, ac liber feudorum, diuerſimodè etiam allegatur, ſeptem ſcilicet modis. Primo ſic, *leg. Si quis ex argentariis*, §. 1. *ff. de edend.* ideſt lex quæ incipit, *Si quis ex argentariis*, *in* §. 1. in titulo *de edendo*. Secundò ſic, *l. minimè*, *Cod. de Epiſcop. audient.* ideſt lege cuius initium eſt *minimè*, in Codice, & titul. *de Epiſcopali audientia*. Tertiò ſic, *leg. cum ſcimus*, *Cod. de agricol. & cenſit. lib.* 11. Quæ allegatio intelligenda eſt ſicut præcedentes, eo excepto quod per illud *lib.* 11. denotatur eam legem non eſſe in nouem libris Codicis, ſed in *Volumine*, vt dictum eſt. Quartò ſic: *Authentic. ſtatuimus*, *C. de Epiſcop. & Cleric.* ideſt Authentica, quæ incipit *ſtatuimus*, in Codice *de Epiſcopis*, *& Clericis*. Quintò ſic: *Authent. de lenon.* §. *ſancimus*, ideſt in Authentica *de lenonibus*, §. qui incipit: *ſancimus*. Sextò ſic: *In lib. feud. de prohib. feud. alien. cap. vel leg. quoniam*, hoc eſt, in capite, vel lege, quæ incipit *quoniam*, in lib. feudorum, in titulo de *prohibita feudi alienatione*. Septimò ſic: *Inſtit. de rer. diuiſ.* §. *item ea*. Hoc eſt, Inſtitutis, vel Inſtitutionibus Iuſtiniani Imperatoris, titulo *de rerum diuiſione*, §. qui incipit *item ea*. Syluester *ſuprà*. Azor *ſuprà cap.* 30. 15

Ad intentum autem noſtrum redeundo, cum leges Regularium ſint humanæ, ideo plura, quæ legi humanæ conueniunt, ipſis adaptari poſſunt. Inter quæ primum locum tenet, quod ſicut lex humana non acceptata, ſeu per non vſum, aut deſuetudinem non recepta non obligat, ſic neque leges, ſeu Conſtitutiones Regularium obligant ipſos, ſi receptæ, aut acceptatæ non ſunt. Ratio huius eſt, quia etſi Princeps, ſeu legiſlator etiam humanus, habeat poteſtatem obligandi ſubditos quantumuis renuentes ad legum obſeruantiam, alioquin maior poteſtas eſſet in populo, quam in Principe, & Princeps ſubderetur populo: nihilominus, quia quando lex non acceptatur à populo (vel propter benignitatem, quæ in Principe præſumitur, vel quia iam talis lex cenſetur inutilis, aut non neceſſaria, quin potius populo oneroſa) creditur non eſſe in eo voluntatem obligandi ſubditos, ideo etiam creditur illos non obligari tali lege, ſed potiùs leges humanas fieri ſub hac tacita conditione, ſi à populo acceptentur. Nauarrus *lib.* 1. *conſil. tit. de conſtit. conſil.* 1. *quæſt.* 5. & *in Man. cap.* 23. *num.* 41. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 6. *art.* 10. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 18. Azor. *tom.* 1. *Inſtit. lib.* 5. *cap.* 4. *quæſt.* 1. Miranda *ſuprà art.* 21. Valentia ſuprà *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 5. Naldus *in Summ. verb. Lex*, *num.* 9. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 18. *n.* 1. & alij plures ſatis conformiter 16

Digitized by Google

miter *ad cap. in iſtis, diſt.*4. & ad *l. de quibus, ff. de legib.* Hoc tamen intelligendum eſt quando lex non acceptatur, aut per non vſum, ſeu deſuetudinem non recipitur à tota Communitate, cum ea ſit pro qua lex imponitur. Aut à maiori parte, quia in ſimilibus rebus moralibus, quod à maiori parte Communitatis fit, cenſetur fieri à tota Communitate. Non ſi ſolùm à minori, quia à minori parte Communitatis geſta non tribuuntur toti. Azor. *ſupr. quaeſt.* 3. Nauarr. & Rodrig. etiam *ſuprà.* Idem dico, ſi omnes Superiores tales leges non ſeruant. Propter eandem rationem, & quia illi ſunt executores legum ſuorum Superiorum. Rodriguez *ibidem.* Vnde tota, vel maiori parte alicuius religionis, vel etiam omnibus Superioribus ipſius non ſeruantibus aliquam legem, alij non tenentur ad ipſius obſeruantiam. Cum enim lex pro Communitate impoſita ſit, non videtur legiſlator velle obligare ad illam, quando maior pars, vel Maiores, vel Superiores omnes ipſius eam non acceptant, aut non obſeruant. Nauarrus, & Rodriguez *ſuprà.* E contra verò maiori parte Communitatis, vel omnibus Superioribus, ſeu maioribus ipſius legem obſeruantibus, peccant alij eam non obſeruantes. Propter rationem oppoſitam. Azor. & Rodriguez *ſupr.* Ad hoc autem quod lex non recepta à tota, vel maiori parte Communitatis, aut omnibus Superioribus, aut maioribus ipſius non obliget, requiritur quod adſit rationabilis, & iuſta cauſa ad non acceptandam illam. Tali enim cauſa non ſubſiſtente tenentur omnes obedire legibus ſibi impoſitis, & peccant eas tranſgredientes, quia tunc non præſumitur in legiſlatore voluntas eos non obligandi, ſed potius contraria. Rodriguez, & Miranda *ſupr.* Bonacina *diſp.* 1. *quaeſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 39. poſt alios. Quod multo magis procedit in Prælatis, quia ipſi ex vi ſui muneris debent eſſe executores legum ſuorum Superiorum, eas obſeruando, & faciendo quod obſeruentur à ſubditis. Valentia *ſupr.* Quamuis autem plurium ſententia ſit requiri etiam conſenſum ſaltem tacitum, vel ſcientiam legiſlatoris ad hoc quod lex ab ipſo impoſita, & à ſubditis non acceptata illos non obliget (prout tenent Syluester *verbo Lex, quaeſt.* 6. Rodriguez *ſupr. art.* 11. Miranda *ſupr. concl.* 3. Reginald. *in praxi, tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 16. *num.* 162. & alij non pauci) nihilominus ſatis probabile eſt nihil horum requiri; nam eo ipſo quod leges humanæ ea tacita conditione, vt dixi, conduntur, vt ſi non acceptantur modo dicto, non obligent, ſufficit quod conditio non acceptandi illas ſubſiſtat, ſiue adſit in legiſlatore conſenſus, aut ſcientia, ſiue non adſit. Azor. *ſupr. quaeſt.* 2. Bonacina *ſupr. num.* 45. Additionator Toleti *ad lib.* 8. *cap.* 18. Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 4. poſt alios, quos referunt.

17 Sunt tamen pro huiuſmodi legis non acceptatione aliqua animaduertenda. Primò, quod cum aliquando lex acceptetur ſecundùm vnam partem, non ſecundùm aliam, aut ſecundùm ſe totam, & aliquando quoad diſpoſitionem principalem, non quoad pœnam, aliquando etiam in vna Prouincia ſeu Communitate, non in alia, ideo hæc regula generaliter attendi debet, quod ſcilicet, etſi talis lex non obliget vbi, & ſecundùm ea in quibus acceptata non eſt propter dicta, obliget tamen vbi, & quoad ea, quæ acceptata fuerint, propter oppoſitam rationem. Nauarr. *in Man. cap.* 23. *num.* 62. Notandum ſecundò, legem quæ antea non fuit acceptata, poſſe ſubſequenti tempore acceptari, & obligationem inducere: cum per illam non acceptationem non fuerit extincta, ſed quodammodo ſuſpenſa. Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 13. Bonacina *ſuprà num.* 37. Imò debet acceptari, ſi ceſſat ratio ob quam primitus acceptata non fuit, cum lex perſeueret ſemper, & perpetuò quantum eſt ex ſe. Tertiò nota, quod in dubio de acceptatione legis, an ſcilicet ea ſit acceptata, vel vſu recepta, an non? communem, & ſecuriorem ſententiam tenere præſumi debere eſſe acceptatam, eo quòd poſſeſſio, & præſumptio ſtat ex parte ipſius, & ita in fauorem ipſius debeat iudicari, adeo vt qui eam in ſui fauorem allegat, habeat intentionem pro ſe fundatam, & ille contra quem allegatur debeat probare eam non eſſe receptam. Rodriguez *ſupr. art.* 11. Bonacina *ſupr. num.* 44. Naldus *ſupr. num.* 18. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. & Sanchez quem retuli *ſuprà verbo dubia Regularium, num.* 7. Nihilominus, vt eo loco dixi, oppoſitum etiam eſt probabile, quia potius poſſeſſio ſtare videtur pro ſubditis, & quia in odioſis benignior pars eſt eligenda. Caſtr. Palaus *tom.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 7. *num.* 4. & alij quos refert, & ſequitur Diana *ſupr. reſol.* 3. & 4. *part. tract.* 3. *reſol.* 14. Maximè quartò notandum, quod licet plurium ſententia ſit requiri determinatum tempus, annorum videlicet decem in lege Ciuili, & quadraginta in Canonica, ad hoc quod illa per non vſum, deſuetudinem, vel vſum contrarium non acceptata, ſeu non recepta dici poſſit, probabile tamen valde eſſe, & in praxi ſecurum, non requiri ad hoc determinatum tempus, ſed ſufficere illud, quo iuxta prudentis arbitrium, iudicari poſſit talem legem ex cauſa rationabili vſu receptam non eſſe à tota, vel maiori parte Communitatis, cum nec ex natura rei, neque ex iure aliquo ſcripto tale determinatum tempus requiratur. Ita Suarez *d. cap.* 16. *num.* 12. ex Henrico, & Felino, Diana *d. tract.* 10. *reſol.* 7. & alij apud ipſum. Secus verò dicendum de abrogatione legis iam receptæ per contrariam conſuetudinem, vt dicetur inferius. Hic etiam notandum, quod ſi caſus legis per multos forſan annos, etiam centum, vel mille, non occurrerit, vt ſi aliqua lex prohibeat aliquid facere Regularibus tempore Interdicti, & contingat Interdictum non poni toto illo tempore, non propterea dicenda eſt talis lex vſu non recepta. Rodriguez *ſupr. art.* 11. Bonacina *ſuprà num.* 48.

Deinde, quemadmodum lex humana ſuſpenditur quoad executionem, quando ex rationabili cauſa à tota Communitate cui eſt poſita, vel maiori parte, aut Superioribus omnibus, ſeu maioribus ipſius ſupplicatur legiſlator pro moderatione ipſius, itavt interim dum non reſpondet, poſſint ſubditi, quibus eſt impoſita contra ipſam agere, ſaltem quando obſeruantia ipſius notabilem mutationem, vel occaſionem ſcandali afferret: eo quòd talis præſumitur rationabilis voluntas legiſlatoris, & præſertim, quia ſi in tali caſu prædicti poſſunt talem legem omnino non acceptare, vt dictum eſt, multo magis poterunt ad tempus eam ſuſpendere (prout indicat Suarez *ſuprà num.* 6. & 8. & tenent Bonac. *ſupr. num.* 41. 42. & 43. & Diana *ſuprà reſol.* 6. poſt Salas, Malderom, Granadum, & Villalobus ab ipſo relatos; ita pariter de legibus, ſeu Conſtitutionibus Regularium philoſophandum eſt, propter eandem rationem. 18

Adde, quod eſto, quod Regulares non poſſent interpoſita ſupplicatione ſuſpendere executionem litterarum Apoſtolicarum pro ipſis editarum, quæ continent leges & Conſtitutiones vniuerſales, qualis fuit illa Clem. VIII. *de Largitione munerum*, prout tenent Rodriguez *ſupr. art.* 7. Miranda etiam *ſuprà quaeſt.* 26. *art.* 8. Naldus *ſuprà num.* 19. poſſe tamen Reſcripta, & litteras particulares, quæ à Summo Pontifice emanant pro particularibus negotiis, & perſonis, ex cauſa rationabili ſuſpendere, obedientia erga illas, & humili ſupplicatione cum prædictæ cauſæ aſſignatione præmiſſis, ſatis clarè colligitur *ex cap. ſi quando, de reſcript.* Gloſſa, Felino, Baldo, & Innocentio, quos ſequuntur iidem Rodriguez, Miranda, & Naldus. Si autem hoc poſſunt facere Regulares cum litteris Papalibus, multò magis id facere poterunt cum litteris ſuorum Superiorum. Vnde Rodriguez *d. art.* 7. §. *Reſpondeo dicendo*, addit ad intentum. *Infertur ſecundò, quod* 19

Prouinciales, & Guardiani litteras à Superioribus recipientes, quibus aliquid ſub eadem pœna (ſcilicet excommunicationis latæ ſententiæ) *præcipitur faciendum, poſſunt iuſta interueniente cauſa, id ipſum facere, differendo ipſarum litterarum executionem, donec ipſi Superiores informati reſpondeant, quid ſuper ea re ſit agendum.* Declaratio tamen quædam S. Congregationis in vna Otiolenſi, quam refert Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Conſtitutio*, quæ contraria dictis apparet, ea poni poteſt iuxta limitationes dictas.

20 Similiter quemadmodum lex humana ad ſui ſubſtantiam non exigit quod ſit ſcripta, ſed ſufficit quod voce tenus, aut aliquo ſigno publico promulgetur, *cap. inſtitutionis 25. quæſt. 2.* prout ea Suarez, Molina, Reginaldo, Salas, Valentia, & aliis affert Bonacina *ſupra num. 49.* ita de legibus ſeu Conſtitutionibus Regularium cenſendum erit. Verum quidem eſt, quod ex conſuetudine, & praxi Religionum, ac pro foro externo, & vt lex perpetuò maneat inuiolata, in ſcriptis dari debet, prout etiam ſupponunt plures ex Auctoribus relatis.

21 Cum materia legis humanæ, ideſt illud, quod per ipſam præſcribitur, vel prohibetur, debeat eſſe actio humana, bona, vel mala (bona quidem, vt præcipiatur, mala verò, vt prohibeatur. S. Thom. 1. 2. *quæſt. 96. art. 2. & 3.* & Expoſitores ibidem) ideo idem etiam dicendum de lege Regulari, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 5. num. 2. & cap. 8. num. 19. & 20.* Quemadmodum etiam legiſlator humanus non poteſt præcipere omnes actus virtutum, non ſolùm collectiuè, ſed neque diuiſiuè, cum non poſſit cogere homines ad ingrediendum Religionem, paupertatem voluntariam vouendam, vel cœlibatum tenendum (Molina *tract. 5. de iuriſdict. diſp. 72.* Layman. *ſuprà cap. 4. num. 2.*) ideo etiam nec legiſlator Regularis poteſt præcipere omnes actus virtutum, ſed ſolùm eos, qui Regulam explicitè, vel implicitè concernunt, iuxta dicta eo *cap. 4. num. 9. & 10. & cap. 8. num. 4.* Vbi propterea *num. 5.* dixi leges, & Conſtitutiones Regularium non debere continere peculiares aſperitates, corporis afflictiones, vigilias, aut diuturnas orationes, non concernentes prædicto modo Regulam. An verò ſaltem pro profeſſuris in poſterum Religionem, ob publicam neceſſitatem, v.g. bellum, peſtem, famem, hæreſim, &c. tales condi poſſint, dixi eo *cap. 8. num. 6. & 7.* Probabilius etiam eſt non poſſe legiſlatorem humanum, ac per conſequens nec Regularem prohibere omnes actus vitioſos, ſeu omnia peccata, ſiue mortalia, ſiue venialia. Ratio eſt, quia talis lex ob ſui magnam difficultatem non videtur accommodata naturæ humanæ, ſed potius nimis oneroſa, præſertim ſi in ea comprehenderentur peccata illa venialia, quæ ex ſurreptione appetitus, vel imperfecta aduertentia committuntur, & quæ vix perfectiſſimi homines euitant. S. Thom. 1. 2. *quæſt. 96. art. 2.* Expoſitores ibidem, & Suarez *d. lib. 4. de legib. cap. 11. num. 3. & lib. 3. cap. 15. num. 12.*

22 De actibus porrò internis loquendo, dicendum, quod cum legiſlator humanus non poſſit prohibere actus merè internos ſecundùm ſe conſideratos, quia non poteſt præcipere, aut prohibere niſi illa, de quibus iudicare poteſt, quales non ſunt actus merè interni, prout colligitur *ex cap. 1. 15. quæſt. 6. & cap. ſicut, & cap. tua nos, de ſimonia* (S. Thom. 1. 2. *quæſt. 91. art. 4.* Expoſitores ibid. Caietanus *tract. de poteſt. Papæ, & Concil. cap. 19.* Nauarrus *in cap. cogitationis, de pœnit. diſt. 1. & in Man. cap. 23. num. 38. & c. 27. n. 56.* & alij communiter) ſic nec legiſlator regularis, iuxta dicta eo *cap. 4. num. 5.* Dixi *ſecundum ſe conſideratos*, quia ſicut legiſlator humanus poteſt præcipere, aut prohibere actus internos, quatenus ſunt modi actuum externorum, vel aliquid neceſſarium pro illis: ſic enim Eccleſia præcipiens recitationem Officij diuini præcipit etiam modum attentionis, & præcipiens Confeſſionem annuam, præcipit dolorem de peccatis (Sotus *lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 5.* Petrin. *tom. 1. de ſubdito, q. 1. de Obedientia, cap. 6.* Layman. *ſupra cap. 4. num. 4.* & alij plures) idem quoque de legiſlatore Regulari dicendum eſt, iuxta dicta eo *num. 5.* Vnde etiam poſſunt præcipere ſubditis, vt orent, ieiunent, aut celebrent, cum tali, vel tali intentione, ſcilicet pro tali perſona, vel neceſſitate, quia talis intentio eſt modus horum actuum. Non tamen propterea videtur poſſe legiſlatorem humanum etiam Regularem obligare ſubditos ad habendam internam diſpoſitionem accidentalem, ſeu non pertinentem ad ſubſtantiam moralem operis præcepti, v.g. vt ieiunia, & orationes fiant in ſtatu gratiæ, aut quòd recipiatur Euchariſtia in gratia, quia hoc eſt contra vſum Eccleſiæ, quæ nunquam tale præceptum fecit etiam in tempore magnæ neceſſitatis, & videtur excedere poteſtatem ipſius, cum ſit de re occultiſſimâ, & multis periculis expoſita. Suarez *d. lib. 4. cap. 13. n. 16. & 17.* Layman. *ſuprà num. 13.* Quando autem Regula Religionis præceperit aliquos actus internos, vt orationem mentalem, meditationem, &c. prout in Carmelitarum Regola præcipitur ibi: *In lege Domini meditantes, &c.* poſſunt etiam per legem præcipi à Prælatis Regularibus. Eo enim ipſo quod in Regula continentur, includuntur in voto profeſſionis, & ita poſſunt per legem præſcribi, Suarez *ſupra cap. 12. in fine*, Layman. *d. num. 13.*

Lex humana regulariter loquendo ſolum reſpicit vt materiam futura, non verò præterita. Ita enim habetur *ex cap. cognoſcentes, de Conſtitut.* ibi: *Quoties nouum quid ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, vt diſpendia præterita non commendet.* Et *cap. quoniam, eod. tit.* ibi: *Leges, & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotij, non ad præterita facta trahi.* Et *l. leges, C. de legib.* Panormit. *in d. cap. cognoſcentes.* Syluester *in Summa, verbo lex, quæſt. 23.* & communiter Iuriſtæ, & Summiſtæ. Idem dico de præſentibus, quæ habent cum præteritis connexionem; lex enim, ſicut & præceptum ſolùm eſt pro actibus futuris. Theſaurus *in praxi, verbo Religioſi, cap. 13.* ex Rotæ deciſ. & Bartolo *in l. cum lex, ff. de legib.* Amplia, quod etiamſi lex noua antiquioris declaratoria nouam pœnam addat, non extenditur reſpectu pœnæ ad præterita. Syluester *ibi* ex Panormitan. *in cap. Quoniam Simonia, de Simon.* Rodriguez *ſuprà d. quæſt. 6. art. 17.* Miranda *dict. quæſt. 25. art. 20.* Vnde infert Rodriguez Conſtitutionem Clement. VIII. prohibentem largitionem munerum Regularibus, quatenus addit pœnas ſupra ius commune antiquum, non reſpicere largitiones præteritas. Idem dici poteſt de pœnis eiuſdem Conſtitutionis, prout nuper innouatæ iuſſu SS. D. N. Vrbani VIII. iuxta dicta *ſupra verbo Seu dare, numero 18.* pro illis locis in quibus prædicta Conſtitutio recepta non erat, vel conſuetudine legitima abrogata. Dixi *regulariter loquendo*, quia lex declaratoria etiam extenditur ad præterita; illa enim nihil de nouo inducit. Authentic. *de filiis ante dot. inſtrum. nat. collat. 3. & l. hæredes, §. 1. ff. de teſtam.* Rodriguez, & Miranda *ſuprà*, ac Suarez *de legib. lib. 3. cap. 14. num. 2. & 3.* Dixi etiam *regulariter loquendo*, quia ſi legiſlator expreſsè declaret ſe velle comprehendere præterita, ad illa extendetur, non quidem quoad obligationem conſcientiæ, ſeu culpam, quia impoſſibile eſt quod actus præteritus factus ſine culpa fiat cum illa propter legem poſtea latam. Sed quoad pœnam, ſi actus præteriti fuerunt peccaminoſi, ſeu habeant tractum ſucceſſiuum peccaminoſum. Vel ſaltem quoad irritationem illorum propter rationabilem cauſam, Suarez *d. cap. 14. à num. 8.* Hæc autem ſi regularium Conſtitutionibus ſeu legibus applicentur, pro plurium caſuum ſolutione deſeruient. 23

Speciali

24 Specialiter hinc collige, decretum S. Congregationis *de Apoſtatis, & eiectis*, quod retuli *tom.1.part.1.cap.23. num.8. & ſuprà* verbo *Eiecti Regulares*, *num.* 3. in ea parte qua ſtatuit electos, à Religione ſuſpenſos eſſe perpetuò ab executione Ordinum, ſublata Ordinariis facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, &c. intelligi ſolùm de illis qui poſt tale decretum, quod fuit datum 21. Septemb. 1624, expulſi fuerint, quia in eo non eſt aliquod verbum quo denotetur extendi ad præterita. Theſaur. *ſupra*.

25 Lex humana regulariter, & per ſe loquendo non obligat ad ſui obſeruationem cum periculo mortis aut magni alicuius nocumenti temporalis. Ratio eſt, quia talis lex eſſet nimium difficilis, & parum accommodata fragilitati humanæ, quod eſt contra rationem humanæ legis, vt dictum eſt *num.* 9. Sotus 1. *de iuſt. quæſt.6. art.4.* Azor. *tom.1. Inſtit. moral. lib.1. cap.11. quæſt.1.* Valentia *ſuprà diſp.7. quæſt.5. punct.6. quæſ.4.* Sayrus *in Claui Regia, lib.3. cap.1.* Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.18.* & alij. Dixi *regulariter*, quia quando obſeruantia legis eſſet neceſſaria pro conſeruatione Communitatis, prout contingit in caſu legis præcipientis militibus pro Republica pugnare, vel Parochis, vt miniſtrent Sacramenta fidelibus, vel permaneant in aliquo loco tempore peſtis, hæreſis, &c. tunc lex illa obligat, etiam cum vitæ periculo. Habet enim legiſlator facultatem exponendi vitam ſuorum ſubditorum pro conſeruatione Communitatis. Azor. & Valentia *ſuprà*. Dixi *per ſe*, quia per accidens, ratione videlicet præcepti alicuius diuini, ſeu naturalis tunc obligantis, poteſt etiam lex obligare etiam cum diſcrimine vitæ. Primò, ratione ſcandali; ſi enim aliqui ſcandalizarentur, & declinarent ad hæreſim, exiſtimantes aliquem eſſe hæreticum, eo quòd manducaret carnes die Veneris, tenerentur tunc abſtinere ab illis etiam cum mortis periculo, ad tollendum illud ſcandalum. Secundo, ratione contemptus, ſi enim hæreticus cogeret aliquem ad manducandum carnes, aut ad non ieiunandum in Quadrageſima, ob contemptum Religionis, vel poteſtatis Eccleſiaſticæ, teneretur ille obſeruare legem Eccleſiaſticam ieiunij, & abſtinentiæ à carnibus, etiam cum prædicto mortis periculo. Suarez *ſuprà lib.3. cap.30. num.7.* Valentia, & Sanchez *ſuprà*.

26 Ex quo ad intentum Regularium collige primò, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.8. num.19.* Carthuſianos, etſi laudabiliter ſatis abſtineant ab eſu carnium, etiam cum periculo mortis, nihilominus ad id non teneri, niſi caſu quo ſcandalum eſſet illas comedere. Vt enim dictum eſt, quamuis nulla lex humana per ſe obliget cum periculo mortis, per accidens tamen ratione ſcandali poteſt obligare. Collige ſecundò, iuxta dicta eodem *tom.1.part.1.cap.4.num.19.& 20.* poſſe fieri leges, ſeu Conſtitutiones obligantes Regulares etiam cum periculo mortis ad miniſtrandum Infirmis tempore peſtis, vel prædicandum, diſputandum, & defendendam Eccleſiam contra hæreticos, hæreſi graſſante, quia ſcilicet, licet regulariter loquendo leges non obligent cum tanto diſcrimine, quando tamen ipſarum obſeruantia pro conſeruatione Communitatis neceſſaria fuerit, prout in iſtis caſibus contingit, obligare poterunt. Collige etiam iuxta dicta *ſuprà*, verbo *Excommunicatio quoad Regulares*, *num.7.* quod licet Religioſus excommunicatus maiori excommunicatione non poſſit miniſtrare aliqua Sacramenta, nihilominus poſſit id facere, quando eſſet ſibi neceſſarium ad euitandum mortis periculum, vel infamiam. Quia lex Eccleſiaſtica id prohibens non obligat cum tanto diſpendio. At verò, ſi eſſet ſcandalum, aut talis adminiſtratio extorqueretur in odium, vel contemptum Eccleſiæ, nullatenus id efficere poſſet, etiam cum tali periculo mortis, vel infamiæ. Præceptum enim naturale, & diuinum vitandi ſcandalum, vel contemptum auctoritatis Eccleſiæ, tunc illum obligaret.

Obligantur Regulares non ſolum legibus, & Conſtitutionibus ſuarum Religionum, iuxta dicta *tom.1. part.1.cap.8.* præſertim *num.3.* ſed etiam, iuxta dicta *ibidem cap.11. num.13.* Conſtitutionibus Synodalibus concernentibus actiones communes totius populi, & obſeruantiæ Regulari non derogantibus, vt de ieiuniis ſeruandis, celebrandis aliquibus feſtis, & aliis huiuſmodi; non quidem debito obedientiæ, cum Religioſi (loquor de exemptis) ſubditi non ſint Epiſcopis aut ipſorum iuriſdictioni, ſubiecti, ſed debito, & iure naturali, quo ſicut partes, & membra illius populi tenentur ſe toti corpori conformare. Ita enim ex Vaſquez 1.2.*diſp.167.* & Sanchez *lib.4. in Decal. c.15. num.21.* dixi eo loco. Quod etiam tenent Villalobos *in Summ. tom.1. tract.1. dub.31.* & Becanus *in Summa Theolog. part.2. tract.3. cap.6. quæſt.11.* pro quo notandum, valde probabile eſſe hanc obligationem obediendi Regulares exemptos legibus Synodalibus, ſecluſo ſcandalo, aut conſuetudine in contrarium, non eſſe ad aliquam culpam, ſeu pœnam, ſed ſolùm eſſe ex quadam decentia, & honeſtate, iuxta modum quo *tom.1.part.2.cap.17.num.8.* cum multis Theologis dixi, Regulares ex Ordinibus aſſumptos ad Epiſcopatum, vel alias dignitates extra Religionem, obligari ad Regulam, & Conſtitutiones ſuorum Ordinum. Cum enim ſtatus Religioſus ex natura ſua ſit diuerſus, & difformis à ſtatu ſæcularium, habens ſua propria onera & grauamina, non videtur obligati ad onera, & grauamina ſæcularium, qualia ſunt iſta, quæ per leges Synodales imponuntur, niſi ſolùm ex obligatione præbendi bonum exemplum ſæcularibus, ſeu ex decentia, & honeſtate; quia cum turpis ſit pars, quæ à toto diſcordat, indecens, & inhoneſtum videtur, quod dum ſæculares ex lege Synodali aliquid faciunt, non conformentur ipſis Regulares, non verò ita, vt peccent eas tranſgredientes. Suarez *de legib. lib.4.cap.201.n.10.* ex Paludano, & Antonino ab eo relatis. Diana *part.1. tract.10. Reſol.11.* ex Salas, Granado, Baſilio de Leone, Lorca, Zanardo, Llamas, & Portello. Hoc tamen, vt dixi, intelligi debet de Religioſis exemptis, quales ſunt ferè omnes, iuxta dicta *ſup.* verbo *exemptio Regularium*. Religioſi enim non exempti, cum ſubiecti ſint Epiſcoporum iuriſdictioni, proculdubio ex debito obedientiæ tenentur parère dictis Conſtitutionibus Synodalibus, ita vt peccent ipſas tranſgredientes. Suarez *ſuprà num.7.* Addendum tamen, etiam dato quòd Regulares exempti teneretur in conſcientia ad dictas Conſtitutiones Synodales, id ſolùm eſſet quoad vim directiuam, non quoad coactiuam; cum ipſi ratione exemptionis puniri non poſſint ab Epiſcopis, aut per cenſuras compelli, niſi in caſibus à iure, vel Concilio Tridentino expreſſis, iuxta dicta *ſuprà*, verbo *Exemptio Regularium*, *num.8. & ſequentibus*. 27

Obligantur etiam Regulares ſicut & alij Eccleſiaſtici, legibus ciuilibus, quæ non ſunt contrariæ libertati Eccleſiaſticæ, ſed ad bonam Republicæ adminiſtrationem inſtitutæ, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.11. num.16.* vbi etiam dixi hanc obligationem eſſe ſolùm quoad vim directiuam, non quoad coactiuam, id eſt obligari ipſos in conſcientia ad iſtas leges obſeruandas, non tamen propterea cogi poſſe, aut puniri à Principibus ſæcularibus, ſed ſolùm à ſuis Prælatis, iuxta dicta ibi *d. num.17.* Quamuis autem controuerſia ſit inter Doctores, an hæc obligatio Eccleſiaſticorum ad ſeruandas leges ciuiles, quæ libertati Eccleſiaſticæ non repugnant, proueniat directè ex poteſtate legiſlatrice ciuili, prout contendunt Victoria *relect. prima de poteſtate Eccleſiæ, quæſt. vlt.* Sotus *lib.1. de iuſt. quæſt.6. art.7.* Medina 1.2. *quæſt.96. art.5. dub. vlt.* Lorca 1.2. *tractat. de legibus, diſput.25. memb.4.* & alij; 28

vel ſolùm inditectè, ideſt, non ex vi poteſtatis ciuilis, ſed ex vi legis naturalis, eo quod rationi naturali conueniens eſt, quod Eccleſiaſtici, qui etiam ſunt ciues, ac membra Reipub. ſicut laici, ea præſtent, quæ ad communem Reipub. gubernationem neceſſaria ſunt, prout dixi eo *num.*16. & tenent Azor. *tom.*1. *Inſtit. moral. lib.*5. *cap.*12. *quæſt.*3. Bellarmin. *in Apolog. contra Regem Angliæ*, Laymao. *ſuprà cap.*13.*num.*6. Diana *ſupra Reſolut.*12. & alij. Sine dubio tamen hæc ſecunda ſententia probabilior eſt, vtpote conformior Sacris canonibus, præſertim *in cap. Eccleſia, de Conſtitut.* & Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.*9. vbi decernitur, quod laicis non competit habere aliqnam poteſtatem in Eccleſiaſticas perſonas. Addendum etiam, Regulares, & alios Eccleſiaſticos tranſgredientes prædictas leges ciuiles non contrarias Eccleſiaſticæ libertati, peccare illas tranſgredientes mortaliter, vel venialiter, iuxta capacitatem materiæ, & alias circunſtantias. Ita enim cummmniter ſupponunt Authores: & ratio eſt, quia lex naturalis, per quam, vt dixi, ad id obligantur, obligat mortaliter, vel venialiter eodem modo. Accedit, quod ius Canonicum *can.*1. *can. ſi in adiutorium, cap. quoniam, cap. de capitulo, diſt.*16. *cap. cum ad verum, diſt.* 96. *& cap.* 5. *de noui operis inſtitut.* ſupponit Eccleſiaſticas perſonas ſubiici legibus ciuilibus non repugnantibus earum libertati, ſicut ſubduntur laici. Quemadmodum ergo laici illas tranſgredientes peccant mortaliter, vel venialiter, iuxta capacitatem materiæ, & alias circunſtantias, ſic de Eccleſiaſticis philoſophandum eſt. Vnde non videtur admittendus Bonacina *ſuprà diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 33. dum ait, non grauiter peccare Clericos prædictas leges tranſgrediendo. Poſito enim præcepto naturali quo obligantur ad illas, & accedente conſenſu Iuris Canonici adducto, peccare poterunt grauiter illas tranſgrediendo, ſicut & laici.

29 Quæ verò ſint iſtæ Leges ciuiles, quibus obligantur Regulares, & alij Eccleſiaſtici, dixi eo *num.*17. eſſe illas, quæ taxant pretia rerum, prohibent venationem certo tempore, aut extractionem tritici, vel grani extra regnum, ſeu quæ præcipiunt occiſionem locuſtarum, & aliorum animalium, quæ demoliuntur meſſes, & vineas. Idem dico de legibus prohibentibus arma portare, iuxta dicta *infra*, verbo *arma, num.*5. Portellus *in dub. regul. verb. lex*, *num.*2. Idem ſimiliter dicendum de lege præſcribente valorem monetæ, aut pretium quo vendi debeat triticum, vel alia quælibet res. Itavt Eccleſiaſtici expendentes pecuniam vltra taxam, ſeu valorem à Principe præſcriptum, vel vendentes res vltra pretium conſtitutum, peccent contra iuſtitiam, & per conſequens teneantur ad reſtitutionem, Bonacina *ſuprà num.*30. *&* 31. ex Molina, Salas, Sayro, & aliis.

30 E contra tamen leges ciuiles quibus Regulares & alij Eccleſiaſtici parere non debent, vtpote contrariis libertati Eccleſiaſticæ, ſunt primò illæ, quibus obligantur ad gabellas, & impoſitiones aliquas ſoluendas, iuxta dicta *ſuprà*, verb. *Gabella*. Similiter illæ, per quas aſtringerentur ad onera, ſeu munera perſonalia, ſiue realia, ſordida, indifferentia, ſeu etiam honeſta, iuxta dicta *ſuprà*, verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*, niſi adſint conditiones eo loco adductæ. Vnde declaratum eſt à S. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium 2. Auguſti 1619. apud Dianam 5. *part. in declarationibus Sacrarum Congregationum*, *num.* 43. non teneri Clericos (idem dic de Regularibus) ad ſolutionem onerum impoſitorum pro Phyſico, Chirurgo, & ludimagiſtro. Item ibidem *num.* 48. refertur alia declaratio Sacr. Congregationis Immunitatis pro ſeptima Decembris 1632. in qua habetur Eccleſiæ molendina non comprehendi ſub prohibitione facta à laïcis, ne aſportetur frumentum ad molendinum. Tertiò, illæ, per quas prohiberetur ne aliqua bona transferrentur in Eccleſias ſine licentia Principis. De quo Ioannes Valerus *in differentiis vtriuſq. fori, verbo Bona, differentia* 3. Diana 1. *part. tract.* 2. *Reſolut.* 104. Idem dicendum de legibus, ſeu ſtatutis, per quæ prohiberetur ne bona immobilia tradantur, vel alienentur perſonis Eccleſiaſticis. De quo noſter Epiſcopus Bonius *in reſponſionib. ad Magiſtrum Paulum, part.*3. Duardus *in Bullam Cœnæ lib.*2.*cap.*15.*quæſt.*19. Comitol. *in tract. apologetico, cap.* 1. & alij apud Dianam *ſuprà reſol.*58. Idem dico generaliter de legibus, ſeu ſtatutis, quibus Regularibus prohiberetur id quod iure naturali, & diuino illis eſt permiſſum, prout colligitur *ex cap. eos qui, de immunit. Eccleſiaſt. in* 6. vbi id facientes excommunicantur. Filluicius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *quæſt.*8. Riccius *in praxi*, *tom.* 3. *reſolut.* 207. Diana *ſuprà dicta Reſolut.* 58.59. *&* 60. Imò etiam idem quoque dicendum, prout inſinuaui *tom.* 1. *part.* 1. *cap.*11. *num.*16. de Legibus ſeu ſtatutis, quæ de Eccleſiaſticis bonis, aut perſonis ſpeciatim decernunt, præcipiendo, vetando, &c. tametſi Eccleſiæ fauorem, aut patrocinium continere videantur. Sicuti habetur expreſsè *in cap.* 1. *diſt.*96. *& cap. Eccleſia, de Conſtit.* Ratio eſt, quia eiuſmodi legibus, prætenditur directa laïcorum Principum iuriſdictio ſuper Eccleſiaſtica (ſiquidem leges ferre iuriſdictionis actus eſt) talis autem vſurpatio poteſtatis Eccleſiaſticæ repugnat. Quare maius Eccleſiæ præiudicium infertur, quàm commodum afferri poſſit, huiuſmodi legibus, ac propterea ipſis non ſtandum. Angelus *in Summ. verb. Lex, num.*5. Suarez *lib.*3. *de legib. cap.*34. *num.*13. Laym. *ſuprà d. cap.*13. *num.*2. Video etiam declaratum à S. Congregatione Immunitatis ſeptima Decembris 1632. apud prædictum Dianam *in declarationib. SS. Congregationum, num.*42. poſſe laïcos cogi ad declarandum quod Statutum, ſiue edictum generale ab ipſis editum, ſeu publicatum non comprehendat Eccleſiam, ſeu Eccleſiaſticos. Sed de his plura infrà verbo *Statuta*.

Circa interpretationem Legum, ſeu Conſtitutio- 31
num Regularium animaduertendum eſt, licitum eſſe eas interpretari, non ſolùm generali interpretatione, quæ competit ipſi legiſlatori, & quoad noſtrum intentum Prælatis ſupremis Religionum, prout colligitur *ex lege* 9. *ſequent. C. de legib. cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, cap. inter alia, de ſentent. excommunicat.* Sed etiam priuata, particulari, & doctrinali interpretatione, prout colligitur ex vſu, & praxi communi Doctorum, qua conſtat leges omnes humanas, etiam Concilij Tridentini, explicari, ſaltem obiter, à Doctoribus. De quo Suarez *lib.*6. *de leg. cap.*1. Bonacina *ſuprà diſp.*1. *quæſt.* 1. *punct.*8. *num.*2. *&* 3. Idcirco regulæ aliquæ aſſignandæ ſunt maximè neceſſariæ pro Regularibus Conſtitutionibus, ſeu legibus, earumque interpretatione.

Prima eſt, Lex omnis, ſeu Conſtitutio interpre- 32
tanda eſt propriè, ſeu iuxta verborum proprietatem, niſi ratio, vel neceſſitas cogat. Ita enim colligitur *ex l. non aliter, ff. de legatis* 3. & aliis Iuribus, & ea ratione, ſcilicet quod homines regulariter loquuntur iuxta proprietatem verborum. Abbas *in cap. Ad audientiam, num.*2. *de decim.* Nauarr. *in cap. inter verba, diſt.*1. *de pœnitent. num.*10. Suar. *d. lib.*6. *cap.*1. *num.* 7. Excipe primò, quando de mente legiſlatoris certior coniectura eſt, eum loquutum non fuiſſe iuxta verborum proprietatem, *d. l. non aliter, & in l. cum pater, §. Dulciſſimis, ff. de leg.*2. Sylueſter *verbo Lex, quæſt.*16. *&* 20. Layman. *ſuprà cap.*18. *num.*6. Excipe ſecundò, ſi ſignificatio propria verborum abſurditatem contineat, *leg.*18. *& ſequent. ff. de legib.* Syluester & Layman. *ſuprà*. Excipe tertiò, ſi lex ſecundùm propriam verborum acceptionem derogaret antiquioribus Iuribus; tunc enim trahenda potius eſt ad ſignificationem impropriam, eo

Digitized by Google

eo quòd correctio iurium inuehenda non eſt, niſi neceſſitas cogat. Abbas *in cap. cauſam quæ, num. 1. de reſcript.* Gutierrez *lib. 3. pract. quæſt. 15. num. 34.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 17. num. 6.* Excipe quartò, ſi recepta legis conſuetudo eam aliter explicet. *Optima enim legum interpres eſt conſuetudo*, prout habetur *l. 37. ff. de legib.* Syluester *d. quæſt. 16.* Layman. *ſuprà.*

33 Cæterùm cum duplex ſit ſignificatio propria verborum, vna naturalis, illa ſcilicet, quæ competit ipſis ex primaria inſtitutione hominum (non enim dicitur talis, quia ſit naturâ, cum cónſtet omnia verba ſignificare ad placitum) & alia ciuilis, ſeu iuridica, illa ſcilicet, qua Iuriſtæ vti ſolent, vt patet in hoc verbo *mors*, quod iuxta priorem ſignificationem ſignificat ſeparationem animæ à corpore, & iuxta poſteriorem ſignificat profeſſionem Religionis, & in hoc verbo *filius*, quod iuxta priorem ſignificat filium naturaliter genitum, iuxta poſteriorem verò etiam adoptatum (Salas *de legib. diſp. 21. ſect. 13.* Suarez *d. lib. 6. cap. 8. num. 9.*) ideirco animaduertendum eſt, quod licet regulariter loquendo, præſertim in materia odioſa, lex non debeat extendi vltra propriam ſignificationem naturalem, quia nulla eſt ratio extendendi legem vltra hanc ſignificationem, præſertim cum odia, vt ſæpe dixi, potius debeant reſtringi quam ampliari, in materia tamen fauorabili extendi debet etiam ad ſignificationem ciuilem, propter oppoſitam rationem. Suarez *ſuprà, cap. 2.* Layman. *ſuprà, cap. 18. num. 8.*

34 Pro quo etiam valde notandum, eam legem dici fauorabilem, quæ primariò prodeſt aliquibus, quamuis aliis ſecundariò noceat. E contra verò illa eſt odioſa, quæ primariò pœnam continet, etiamſi aliis ſecundariò proſit. Quando verò res dubia fuerit, ita vt id cognoſci non poſſit, attendi debet ad primarium finem legiſlatoris, ita vt ſi ille ſit fauorabilis, lex etiam fauorabilis ſit; ſi autem ſit odioſus, lex odioſa cenſeatur. Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 11. num. 5.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 1. num. 4.* Bonacina *d. punct. 8. num. 13.* Ex quo colliges, legem illam, quæ immediatè, & principaliter reſpicit vtilitatem publicam, cum illa proſit multis, eſſe dicendam fauorabilem, Nauarrus *lib. 1. conſil. de Conſtit. conſil. 3. num. 6.* Miranda *ſuprà, quæſt. 25. art. 26. concl. 12.* Addit idem Miranda *ibid.* ex eodem Nauarro *lib. 5. conſ. de pœn. & remiſſ. conſ. 19. num. 4.* legem, per quam reditur ad ius antiquum, eſſe fauorabilem, quia res facilè reuertitur ad ſuam priſtinam, & antiquam naturam, *cap. ab exordio, 35. diſt. 35. & l. ſi vnus, §. pactus, ff. de pactis.* Quod tamen vniuerſaliter acceptum mihi non placet. Si enim lex vetus odioſa ſimpliciter erat, neſcio quo pacto lex quæ ad illam redit, poſſit eſſe fauorabilis.

35 Secunda regula eſt, lex, ſeu Conſtitutio generaliter loquens generaliter etiam accipienda eſt, ita vt omnes, & omnia comprehendat, *leg. 1. ff. de Legatis præſtandis, l. proſpexit, ff. qui, & à quibus manumiſſi.* Vnde illa vox Bartoli *in l. de pretio, ff. de publiciana: Vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Quia ergo enunciatio indefinita æquiualet vniuerſali (maximè cum negatiua eſt, quia negatio, iuxta Dialecticos, eſt malignantis naturæ, & omnia euertit,) ideo quod dixi de generali loquutione intelligendum etiam eſt de indefinita. Suarez *ſuprà, lib. 6. cap. 2. num. 3.* Layman. *ſuprà, num. 7.* Quia tamen in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus, iuxta communem regulam, quam ſæpius adduxi; ita ſimiliter in generali prohibitione, vel præcepto non veniunt ea, quæ Princeps non eſſet in ſpecie veroſimiliter præcepturus, cum lex ab ipſius voluntate pendeat. Suarez *dicto lib. 6. cap. 5. & 6.* Bonacina *ſuprà, num. 8.* Sanctarellus *variar. reſol. quæſt. 16. num. 16.* Vide quæ infra dicam de epicheia.

36 Tertia regula, in legis, ſeu Conſtitutionis interpretatione maximè attendendum eſt ad mentem, ſeu intentionem legiſlatoris, ſeu, quod idem eſt, ad rationem legis, vel propter quam condidit illam, *l. 17. ff. de legibus, l. Scire, §. aliud, ff. de excuſat. cap. humanæ aures, 22. quæſt. 5. cap. fin. de Regul. Iuris in 6.* & aliis iuribus. Ratio etiam eſt, quia mens, ratio & intentio legiſlatoris eſt veluti ſpiritus, & anima Legis, & ita ab ipſa maximè Legis obligatio deſumi debet. Vnde *l. His ſolis, Cod. de reuocand. donat.* habetur id tacitè videri ineſſe in quo eadem ratio reperitur. Nauarrus *lib. 3. conſil. de decim. conſil. 2. num. 1.* Miranda *ſuprà, concluſ. 4.* ex multis aliis. Nota tamen, mentem, ſeu intentionem legiſlatoris attendendam pro explicatione legis, duplicem eſſe, ſcilicet intrinſecam, & extrinſecam. Mens, ſeu intentio intrinſeca eſt ſubſtantia quam prohibet, ſeu præcipit: mens verò, ſeu intentio extrinſeca eſt finis, & animus, quem habuit in condenda lege. Vt in lege ieiunij, mens, ſeu intentio intrinſeca erit abſtinentia à cibis, &c. mens verò, ſeu intentio extrinſeca, eſt mortificatio carnis, &c.

Quarta regula, ad legis, ſeu Conſtitutionis explicationem maximè etiam attendi debet ad proœmium, & præfationem, quibus legiſlator in ea condenda vtitur; ea enim, vt in plurimum, cauſam finalem legis continent, *l. fin. ff. de hered. inſtit. l. Titia, §. idem reſpondit, ff. de verb. obligat. & l. item quia, §. 1. ff. de pactis.* Miranda *ſuprà, concluſ. 5.* ex Bartolo, Baldo, Panormitano & aliis Iuriſtis. Granadus *ſuprà, tract. 3. part. 1. diſput. 14. ſect. 1. num. 4.* 37

Quinta Regula, ad legis, Conſtitutionis, decreti, ſeu præcepti, quæ ad ſupplicationem aliquorum fiunt, interpretationem attendendum etiam eſt ad ſupplicationem, illiuſque verba, & intentionem. Credendum enim eſt legiſlatorem voluiſſe ſupplicationi ſe conformare, *cap. Inter dilectos, §. cæterùm, de fid. inſtrument. cap. Intelligentia, de verb. ſignificat.* & aliis Iuribus, Patribus, & Doctoribus apud Mirandam *ſuprà, concluſ. 6.* 38

Sexta eſt, ad interpretationem legis attendi etiam debet ratio, quam Legiſlator in ipſa lege appoſuit. Voluntas enim illius, quæ maximè attendi debet, vt dixi, in interpretatione legis, debet eſſe conformis, & accommodata ſuæ rationi. Bonacina *ſuprà, num. 21. §. Tertiò poſſumus.* Granadus *ſuprà.* 39

Septima eſt, ſi adhuc lex dubia eſt, tunc facienda eſt interpretatio per alias leges, ſi fieri poteſt, quia iura debent iuribus concordare. Vt *in cap. cum expediat, de elect. in 6.* Si verò per alia iura apparere non poteſt intellectus, tunc recurrendum eſt ad conſuetudinem Communitatis, vt *l. minimè, & l. ſi de interpretat. ff. de legib. & cap. cum dilectus, de conſuetud.* Si verò non appatet de conſuetudine loci, recurrendum eſt ad ſimilia, vt in *l. non poſſunt, ff. de legib.* Ita Syluester *verbo Lex, quæſt. 16.* 40

Octaua, quælibet lex, ſiue Conſtitutio ita interpretari debet, vt nullum ipſius verbum credatur otioſum, aut inutile, ſed aliquid operari, *cap. in his, de priuileg. & cap. Si Ciuitas, de ſentent. excommunicat. in 6.* Miranda *ſuprà, concl. 7.* Naldus *verb. lex, num. 24.* 41

Præſertim circa interpretationem legis pœnalis, illius ſcilicet, in qua tranſgreſſoribus pœna aliqua apponitur, animaduertendum, ipſam, & quamcumque aliam odioſam in dubio ſtrictè interpretandam eſſe, ſicut conſtat *ex l. 42. ff. de pœnis, & cap. pœna, de pœnit. diſt. 1.* maximè ex Regulis iuris in 6. inter quas Regula 15. ſic habet: *Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari:* & 49. ſic, *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Nauarrus *in cap. interpretatione, dicto 1. de pœnit.* Sayrus *in clau. Regia, lib. 3. cap. 8. num. 6.* Vnde extendi non debet vltra caſus, vel perſonas expreſſas, propter paritatem rationis, quia cum Legis pœna pendeat à libera voluntate legiſlatoris qui poteſt vnum crimen, & vnam perſonam aliqua pœna punire, non 42

verò alia, aut alias perſonas, ita exiſtimandum eſt feciſſe. Sayrus *dicto cap.8.num.9.* Naldus *in Summa, verb. Obligatio, num.14. & verb. Sacerdos, num.5.* Layman. *ſupra, num.9. §.deinde dixi.* Bonacina *ſupra, num.23.* Portellus *in dub.Regular.verb.Lex, num.13.* Adde, id quoque eſſe verum, etiamſi eadem, vel maior ratio procedat, quàm in illis de quibus loquitur. Quia non obſtante prædicta eadem vel maiori ratione, potuit legiſlator pro ſua libertate, vel propter alias rationes ipſius animum mouentes, ſolùm pro illis caſibus, & perſonis, de quibus loquitur, pœnam illam apponere. Præſertim, cum ſæpius in Iure apponatur pro minoribus delictis pœna, quæ non ponitur pro maioribus: communicans enim cum quocumque excommunicato non tolerato incurrit excommunicationem minorem, quam non incurrit communicans cum hæretico dogmatizante non denunciato. Rodriguez *tom.1.quæſt.47. art.1.* Miranda *ſuprà, concluſ.10.* Layman. *ſuprà.* Portellus *ſuprà*, referens Caſtrum. Excipe tamen caſum, in quo, ex prudentia, ſeu probitate legiſlatoris, æquitate, materia, vel circunſtantiis Legis, præſertim ex eo quòd conſtet legiſlatorem habuiſſe vnam ſolam rationem adæquatam ad eam condendam, quæ in aliis caſibus, & perſonis omnino, & eodem modo procederet (maximè ſi talis ratio fuerit expreſſa in ipſa Lege) præſumi datur, legiſlatorem ad eos caſus, & perſonas legem extendi voluiſſe; tunc enim ad ea extendetur. Ita enim colligitur non ſolùm ex iis quæ dixi circa tertiam, & ſextam regulam, ſed ex ea, quam tradit Boniſac. VIII. in Regulis iuris *Regul.68.* dicens: *Certum eſt quod is committit in legem, qui Legis verba complectens contra Legis nititur voluntatem.* In tali autem caſu talis præſumitur voluntas legiſlatoris. Suarez *lib.6. de legibus, cap.3. à num.16.* ex variis iuribus. Layman. *ſupra, num. 9.* Granadus *d.diſp.14. num.6. & 7.* Quo etiam ſenſu, & non alio accipiendi ſunt innumeri alij Doctores aſſerentes, Legem etiam pœnalem extendendam eſſe ad caſus, vel perſonas ſimiles, quando adeſt eadem ratio Legis. Quales ſunt Syluester *verb.lex, quæſt.18.* Sanchez *lib.3.de Matrim. diſput.41. num.4.* Naldus *verb. lex, num.4.* Sanctarellus *variarum reſolut. quæſt.20. num.13. & quæſt.54. num.6.* & plures alij apud ipſos.

43 Nota etiam, quòd quando caſus, crimen, vel perſona in Lege expreſſa ſolum poſita fuerunt à legiſlatore gratiâ exempli, ſeu exemplariter, tunc Lex extendi debet ad caſus, crimina, & perſonas, ad quæ verba Legis extendi poſſunt, iuxta proprietatem verborum. Lex enim illa generalis eſt, & ſolùm gratiâ exempli ad vnum determinata, Syluester *ſuprà, quæſt.50.* Naldus *d.num.4.* Bonacina *d.num.23.* ex aliis.

44 Circa interpretationem verò Legis fauorabilis, dicendum eſt, eam explicandam eſſe vt extendatur non ſolùm ad caſus, & perſonas in ea expreſſos, vel expreſſa, ſed etiam ad alios, vel alias, quando ex circunſtantiis præſumitur eam fuiſſe voluntatem legiſlatoris, iuxta modum dictum de Legibus pœnalibus & odioſis. Eſt enim eadem ratio, imò efficacius procedens in præſenti, cum iuxta regulas ſuperius adductas, fauorea ampliari debeant, Suarez *ſuprà, cap.4.num.1.* Layman.& Granadus *ſuprà.* Propter quod, vt credo, etiam in caſu dubio de voluntate legiſlatoris ampliari debet Lex fauorabilis, vt vel ſic habeat aliquid ſpeciale, quod non habet Lex odioſa, ſeu pœnalis.

45 Circa intelligentiam tamen legis prohibitiuæ, quales plures ſunt in legibus, & Conſtitutionibus Regularium, aliqua valde neceſſaria animaduertenda ſunt. Primum, ſi lex Eccleſiaſtica, ſeu Regularis prohibeat actum ſimpliciter, nullum verbum adhibens ex quo denotetur annullatio, vel irritatio illius, vt ſi dicatur *non fiat*, vel *non debet fieri* hoc aut illud, etiamſi tranſgreſſores talis legis incurrant pœnam, & culpam ipſius, actus tamen prohibitus validus erit. Valde enim diuerſa ſunt prohibitio, & irritatio, nec vnum ex altero conſequens, maximè in materia odioſa, qualis eſt iſta. Vnde tritum illud, *Multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent*, deſumptum ex *cap. Ad Apoſtolicam, de Regularib.* vbi ſic ad verbum: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Gloſſa *in cap.penult.de deſp.impuber.* Suarez *ſuprà, lib.5.c.29. num.1.* Portellus *in dub.Regularium, verb.Lex, num.9.* De quo etiam Peyrinis *tom.2. de Prælat. quæſt.3. cap.5. num.570.* Adde, hoc maximè eſſe verum quando lex ponit pœnam tranſgreſſoribus, prout ex communi ſententis Doctorum circa *l.non dubium, Cod.de legibus*, dicit Sanchez *lib.5.in Decalog.cap.4. num.6.* Si verò lex prohibeat actum cum conditione irritante illum, inualidus eſt in vtroque foro. Tum ex Regula iuris *in 6.n.64.* vbi ſic: *Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi.* Cui conſonat *cap.non ſolum, de Regul.in 6.* Tum etiam quia in legiſlatore eſt facultas ad id faciendum, vt ſupponitur. Bonacina *ſuprà, diſp.1. quæſt.1. punct.7. §.5. num.5.* Portellus *ſuprà, num.10.* Ex quo collige cum eodem Portello, quod ſi in aliqua Religione ſit Statutum prohibens ne aliqui ad ipſam recipiantur niſi cum aliquibus conditionibus, aliàs receptio, aut profeſſio ſit inualida, ſi aliqui recipiantur ſine aliqua ex prædictis conditionibus, receptio, ſeu profeſſio inualida erit. Secus dic ſi tantum prohibeatur talis receptio, aut profeſſio ſine irritatione actus, propter dicta. Vide Peyrinis *ſuprà, num.168.*

Similiter, quando lex prohibens actum præſcribit formam ſubſtantialem rei faciendæ, tunc omiſſio illius irritat ipſam; ſicut enim in naturalibus res non ſubſiſtit ſine ſua forma ſubſtantiali, ita neque in moralibus. 46
Suarez *ſuprà, lib.5. cap.31.* Bonacina *ſuprà, num.24.* Portellus *ſuprà num. 11.* Dixi *formam ſubſtantialem*, quia ſi lex præſcribat ſolùm formam accidentalem actui, ea deficiente valebit actus. Sicut etiam in naturalibus res ſubſiſtit ſine accidenti ſibi debito. Suarez *d.cap.31.* Vbi *num.1.* ponit exemplum in forma pro electionibus deſignata *in cap. Quia propter, de elect.* Peyrinis *ſupra, num. 184.* Portellus *ſuprà, num.12.* Cenſetur autem legiſlator formam, ſeu ſolemnitatem ſubſtantialem actui præſcribere, non ſolùm quando apponit illam cum clauſula irritante, vt de ſe patet, ſed etiam quando de nouo, aut à principio dat, ſeu delegat facultatem ad aliquem actum ſub tali modo, aut forma faciendum alieni aliàs non habenti poteſtatem ad talem actum, vt patet in formis Sacramentorum, quæ primitus à Chriſto inſtitutæ ſunt, & formis Sacramentalium primitus etiam ab Eccleſia inſtitutis. Colligitur *ex cap.Cum dilecta, de Reſcript. cap.Venerabili, de offic. delegat.& cap.vltim.de reſtit.ſpoliat.* Ratio quoque eſt, quia cum in tali caſu poteſtas limitetur iuxta formam præſcriptam ab eo qui poteſtatem de nouo confert, ideo actus in quo illa forma non ſeruatur, excedit poteſtatem facientis, & per conſequens eſt nullus, ac proinde forma illa cenſetur ſubſtantialis. Nauarrus *in Man. cap.27. num.37.* Maximè Suarez *dicto cap.31.num.9.* Layman. *ſupra, cap.26.num.7.* Portellus *ſupra, num.12.* Ex quo collige, rectè me dixiſſe *ſuprà, verb. Abſolutio, num.9.* abſolutionem datam non ſatisfacta parte ab eo cui delegata eſt cum limitatione dandi illam præmiſſa tali ſatisfactione, inualidam eſſe, ob defectum videlicet poteſtatis. Nauarrus, & Suarez *ſupra*, Bonacina *d.punct.7.§.5.num.17.* Collige etiam ſecundò, Commiſſarios Regulares à Generalibus, vel Prouincialibus deſtinatos ad aliquas cauſas peragendas, ſi excedant formam illis præſcriptam, actus illos eſſe irritos, & nullos, eo quòd excedant poteſtatem illis conceſſam. Suarez, & Bonacina *ſupra.* E contra verò, forma, ſeu ſolemnitas per legiſlatorem præſcripta erit ſolùm accidentalis quando datur iis, qui aliàs primitus

habebant

habebant facultatem ad faciendum eum actum ſecundum ſubſtantiam; niſi addatur clauſula irritans. Suarez *ſuprà*, *num.* 10. ex variis iuribus, & Doctoribus. Layman. *ſuprà*, *num.* 8. Portellus *ſuprà*, *num.* 12. [Adde, quod quando requiritur iuriſdictio in agente ad faciendum aliquem actum, ſi talis iuriſdictio deſit, actus erit nullus. Vt patet in Sacerdote non approbato ad audiendas confeſſiones. Portellus *in reſponſionibus moral.tom.2. caſu* 64.]

47 Quæri autem ſolet, quando legiſlator non ſolum prohibet actum, ſed etiam addit non poſſe fieri per verbum *non poteſt*, *non poſſit*, aut ſimile, an tunc cenſeatur apponere formam ſubſtantialem, vel quod idem eſt, an talis actus irritus ſit, & nullus. Et quamuis plures affirmatiuè reſpondeant, nihilominus probabilius eſt contrarium, ſcilicet non ſemper clauſulam *non poteſt*, *&c.* reddere actum nullum, ſeu irritum, nec ſemper ſignificare negationem potentiæ ad actum faciendum, ſed quandoque negationem iuris ad illum licitè faciendum, iuxta commune iuris axioma, *Id poſſumus quod iure poſſumus*, *leg. filius*, *ff.de condit. inſtit.* Præter dicta ergo *ſupra*, *verb. clauſula*, *num.*47. ad materiam, & circunſtantias tum legis, tum communis acceptionis, & conſuetudinis, & præſertim ipſius actus prohibiti attendendum eſt, vt inde colligatur mens legiſlatoris. Si enim actus ex natura ſua pendeat ſolùm à poteſtate Superioris, ſeu legiſlatoris, dum præcipit illum ſub clauſula illa *non poteſt*, vel ſimili, cenſetur auferre poteſtatem, ita vt actus aliter factus validus non ſit. Quando verò è contra actus non pendet à poteſtate Superioris, vel legiſlatoris, ſed aliàs poterat fieri ab inferiori, tunc per prohibitionem illius cum clauſula illa *non poteſt*, *&c.* non cenſetur auferri facultas quam habet, ac per conſequens nec reddi actus inualidus. Couarruuias *in cap. Quamuis pactum*, 2. *part.* §.4. Syluester *verb. Conſilium*, *quæſt.* 4. Suarez *ſuprà*, *à num.*13. Sa *in Summ.verb.Lex*, *num*3. Rodriguez *tom.*2. *quæſt. Regular. quæſt.*45.*art.*2. & alij quos refert, & ſequitur Bonacina *d.num.*17.

48 Nota tamen, quod licet plures exiſtiment, quod cum forma ſeu ſolemnitas per legem præſcripta eſt ſubſtantialis, omiſſio cuiuſlibet partis ipſius etiam minimæ efficiat actum irritum; nihilominus probabilius eſt contrarium, niſi quando omiſſio eſſet rei notabilis, & grauis moraliter, eo quòd in moralibus parum pro nihilo reputetur, Bonacina *ſup. num.*21. referens Molinam, Sà, & alios.

49 Circa obligationem, quam ad ſui obſeruantiam inducit lex humana, ac per conſequens Conſtitutio, ſeu Statutum Regularium, dicendum primò, quod cum lex humana, ſiue ciuilis, ſiue canonica obligare poſſit ſubditos in conſcientia ad culpam, prout contra Hæreticos id negantes probant Bellarmin. *de Summo Pontifice*, *cap.*15. Sotus *lib.*1. *de iuſt. quæſt.*6.*art.*4. & alij Doctores communiter; ideo idem dicendum eſt de legibus, ſeu Conſtitutionibus Regularium, iuxta dicta *tom.*1. *part.*2. *cap.*8. *num.*3. & ſequentibus. Vbi etiam *a num.*8. quando id contingat, ſcilicet quando legiſlator vtitur *verb. præcipimus*, *mandamus*, *ſtatuimus*, *&c.* vel ſimili. De quo etiam Granadus *controu.*7. *de legib. tract.*3. *part.*1. *diſp.*2. *ſect.*4. Quod autem Conſtitutiones, ſeu Statuta Regularium non ſemper obligent ad culpam, ſcilicet quando vel legiſlator id expreſſit, vel communis acceptio Religionis ita illas intellexit, dixi *eo cap.*8.*num.*8. Similiter quando Conſtitutio, ſeu lex pœnalis Regularium obliget illos non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ad culpam mortalem, vel venialem, dixi eodem *num.*8. & ſequentibus. Vbi etiam quod leuis materia ſolùm poſſit inducere culpam venialem, grauis verò mortalem. Et quid de Conſtitutionibus, ſeu legibus Regularium, quæ imponi ſolent ſub pœnis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, maledictionis æternæ, indignationis Dei, maledictionis Dei, obteſtationis diuini iudicij, vel illis verbis, *in virtute S. Obedientiæ*, *virtute Spiritus Sancti*, *virtute voti*, *aut iuramenti*, *&c.* Quid etiam dicendum de lege, ſeu Conſtitutione aliquid diſponente ſub pœna indignationis Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, dixi *ſuprà*, *verb.clauſula*, *num.*35.

Circa pœnas autem, quæ in huiuſmodi legibus pœnalibus imponuntur, & modum quo incurruntur, remittendus eſt lector ad ea, quæ in præcedentibus tomis dicta ſunt: præſertim quod pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, &c. impoſitæ ipſo facto incurrantur in conſcientia ante omnem Iudicis ſententiam, dixi *tom.*1.*part.*1 *cap.*10.*num.*29. vbi etiam quid ſentiendum de illis quando non ponuntur infligendæ ipſo facto. De pœnis etiam priuationis officiorum, graduum, vel dignitatum, ſeu inhabilitatis ad illa, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & ſimilium, an incurrantur ipſo facto, & ante declarationem Iudicis, dixi *eo cap.*10.*num.*30.*&* 31.*& cap.*8.*num.*33. Similiter quid ſentiendum de huiuſmodi pœnis quando imponuntur ſolùm contra præſumentes, & non ſimpliciter delinquentes, dixi *eo cap.*10.*num.*33. Vbi etiam in ſequentibus numeris egi de illis qui poſſunt in huiuſmodi pœnis diſpenſare. De hac etiam materia pœnarum, præſertim prout ad Regulares ſpectat, plura inferiùs, *verb. Pœna.* 50

Circa adimpletionem legis, ſeu præcepti, ſpecialiter etiam prout ad eoſdem Regulares ſpectat, notandum primò, quod cum illa ſunt negatiua, ideſt prohibitiua, ſolum per omiſſionem actus adimplentur. Vnde ſi Religioſo iubeatur ne exeat à Conuentu, adimplebit hoc præceptum per omiſſionem exeundi, præciſo quocunque alio. Nihil enim aliud ea lege, ſeu præcepto præſcribitur. Suarez *lib.*3.*de legibus*, *cap.*29. *num.*1. Quando verò lex, ſeu præceptum affirmatiua ſunt, ideſt quando per illa præcipitur aliquis actus, neceſſariò requiritur ad adimpletionem talis legis, & præcepti talis actus. Is enim eſt, qui per talem legem, aut præceptum efficiendus intimatur. Non tamen requiritur quod ille ſit bonus ex fine, ſed quantumuis ratione circunſtantiæ finis ſit malus, vel peccatum, erit adimpletiuus præcepti humani. Ratio eſt, quia legiſlator humanus ſolùm præcipit actum ſecundum ſubſtantiam, ſeu materialiter, verbi gratia auditionem Miſſæ, abſtinentiam à cibis, ſolutionem decimarum, &c. non tamen finem, quem intendit per illum actum, verb. grat. cultum Dei, per auditionem Miſſæ, macerationem carnis, per abſtinentiam, ſuſtentationem Clericorum, per ſolutionem decimarum, cum nihil tale exprimat in ipſa lege, vel præcepto. Vt propterea commune axioma Doctorum ſit, finem præcepti non cadere ſub præcepto. S.Thomas 1.2. *quæſt.*100. *art.*9.*&* 10. Sotus *lib.*2.*de Iuſt.quæſt.*3. *art.*9.*& lib.*10.*quæſt.*5. *art.*5. Nauarrus *in Man.cap.*21. *num.*7. Sanchez *in præcepta Decalogi*, *lib.*1. *cap.*14. *num.*1. Nec etiam videtur id cadere poſſe ſub legem humanam, cum non poſſit per illam præcipi actus internus, qualis eſt intentio finis boni, nec id conducat ad finem legiſlatoris humani, qui eſt exterior gubernatio. Sotus *dicto art.*9.*concluſ.* 2. Suarez *ſupra*, *dicto cap.*29.*num.*9. Vnde quando in lege exprimitur finis illius, non exprimitur per modum obiecti, ſeu materiæ legis, ſed per modum rationis ſeu motiui condendi illam. Suarez *ibid.* Bonacina *ſup. dict.quæſt.*1.*punct.*9.*num.*3.*in fin.* De modo autem rei, quæ per legem præcipitur, diſtinguendum eſt, aut enim talis modus eſt intrinſecus ipſi, eo ſcilicet quòd ſine illo ſubſiſtere non poſſit, qualis eſt attentio pro oratione, aſſiſtentia humana pro auditione Miſſæ; aut eſt extrinſecus, quia ſcilicet res ſine illo ſubſiſtere valet, qualis eſt deuotio pro Communione, &c. Loquendo de modo intrinſeco, non poteſt lex impleri

quoad

Digitized by Google

quoad ſubſtantiam ſine illo, quia includitur in ipſa ſubſtantia actus implendi. Loquendo verò de modo extrinſeco, poteſt lex ſine illo adimpleri, propter oppoſitam rationem. Sanchez *ſuprà*, Bonacina *ſuprà*, *num.* 1. *&* 2. Similiter poteſt quis legem adimplere per actum, ad quem ex lege, vel obligatione aliàs tenetur, niſi oppoſitum conſtet ex mente legiſlatoris. Ratio primæ partis eſt, quia certum eſt vno iciunio adimpleri poſſe præceptum Vigiliæ alicuius Sancti, & præceptum Quatuor temporum, & vna recitatione horarum adimpleri obligationem Ordinis Sacri, & Beneficij Eccleſiaſtici. Ratio verò ſecundæ, quia in poteſtate legiſlatoris eſt exprimere ſe velle actum aliàs non præceptum. Sanchez *ſuprà*, *num.* 5. Bonacina *ſuprà*, *num.* 4. Poteſt etiam quis eodem tempore per diuerſos actus ſatisfacere pluribus legibus, ſi vnus actus illorum alios non impediat. Sicut poteſt quis, ex communi Doctorum opinione, ſimul recitare Officium, & audire Sacrum. Ratio eſt, quia lex, vt ſuppono, ſolum præcipit quod fiat actus, non determinando quod fiat diuerſo tempore ab alio, in quo alius actus eſt faciendus: ſi ergo mutuò non ſe impediant, fieri poterunt ſimul. Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. moral. lib.* 7. *cap.* 5. *quæſt.* 3. *& lib.* 10. *cap.* 12. *quæſt.* 10. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1.

52 Pro intentione autem requiſita ad impletionem legis, vel præcepti, nota ex dictis conſtare neceſſarium non eſſe quod ſit alicuius finis boni ipſius operantis; quantumuis enim prauum aliquem finem intendat quis, ſi faciat quod lex præcipit, illam adimplet. Vnde Religioſus ad Chorum vadens, vel Miſſam celebrans ex quocunque prauo fine, ſatisfacit legi, vel præcepto hos actus præcipienti. Requiritur tamen intentio, ſeu actus humanus, & liber, quo quis velit facere opus præſcriptum à lege, quia lex præcipit opera humano modo præſtanda: opus autem, quod non fit ex prædicta intentione illud faciendi, non fit humano modo. Azor. *ſuprà*, *cap.* 2. *quæſt.* 6. Sanchez *ſuprà*, *cap.* 13. *num.* 2. Ex quo colligitur, ebrium, vel dormientem, aut qui non eſt ſui compos, etiamſi audiret Miſſam, recitaret, &c. non ſatisfacere legi, aut præcepto, quia non faceret hos actus humano modo. Sotus *lib.* 2. *de iuſt. quæſt.* 5. *art.* 9. Medina 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. Non tamen requiritur ad adimpletionem legis ſeu præcepti voluntas, ſeu intentio ſaltem expreſſa ſatisfaciendi ipſi legi, ſeu præcepto, ita vt qui immemor legis, aut præcepti rem præceptam facit, adimplet legem, ſeu præceptum. Ratio eſt, quia licet lex præcipiat opus, ſeu actum fieri, non tamen præcipit fieri cum intentione adimplendi illam, nec videtur præcipi poſſe hæc intentio, cum ſit actus merè internus, de quo Eccleſia non iudicat. Azor. *ſuprà*, Sanchez *ſuprà*, *num.* 9. poſt Suarez, Vaſquez, Valentia, & Rodriguez quos refert. Dixi *ſaltem expreſſa*, quia voluntas, ſeu intentio virtualis ſatisfaciendi incluſa ad minus in generali propoſito ſeruandi omnia mandata, videtur neceſſaria, cum ſine illa talis adimpletio non videatur voluntaria. Sic colligo ex Syluestro *in Summa*, *verb. Hora*, *quæſt.* 11. *dict.* 5. *num.* 14. ex Paludano, quem ipſe refert, Ludouico Lopez *lib.* 1. *de contractib. cap.* 53. & Ledeſma *in Summa de Euchariſt. cap.* 27. *poſt concluſ.* 10. Addunt plures, nec etiam requiri hanc intentionem virtualem ſatisfaciendi legi, ita vt qui audit Miſſam, vel recitat officium cum intentione expreſſa non ſatisfaciendi præcepto Miſſæ, aut recitationis Officij, adhuc ſatisfaciat dictis legibus, vel præceptis. Ratio eſt, quia quemadmodum præcepto negatiuo ſufficienter ſatisfit per omiſſionem actus vetiti, etiamſi adſit voluntas expreſſa non ſatisfaciendi, ita ſimiliter videtur dicendum de præcepto affirmatiuo, ita ſcilicet, vt ipſi ſufficienter ſatisfiat efficiendo ſolùm opus iniunctum, etiamſi adſit voluntas expreſſa non ſatisfaciendi. Sanchez *ſuprà*, *num.* 13. Bonacina *ſuprà*, *punct.* 10. *num.* 19. alios referentes. Oppoſitum tamen credo probabilius, & verius, tum *ex l. non omnes*, *ff. ſi certum petatur*, vbi dicitur actum agentium non operari vltra intentionem eorum: tum etiam, quia aliàs talis actus videtur omnino inuoluntarius reſpectu adimpletionis præcepti, ſeu legis; ac per conſequens non adimpletiuus ipſius, eo quod lex actus voluntarios præcipiat. Azor *ſuprà*, cum Medina, Nauarro, & Ledeſma, ac aliis pluribus, quos refert Sanchez *ſuprà*, *num.* 12. Ex quibus, ſi Regularibus applicantur, conſtare poterit, quæ, & qualis intentio in ipſis requiratur pro adimpletione legum, & præceptorum ſuæ Religionis.

53 Quamuis autem legis obligatio, ſeu lex ipſa non ceſſet per mortem aut ceſſationem ab officio legiſlatoris, eo quod lex natura ſua eſt perpetua: in eo enim diſtinguitur à præcepto, ſeu mandato, quod illud eſt temporale, & ceſſat morte, vel amotione præcipientis (Syluester *in Summa*, *verb. Mandatum*, *quæſt.* 3. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 151. *cap.* 3.) nihilominus lex quælibet ceſſat primò derogatione, ſeu abrogatione ipſius facta ab habente auctoritatem. Circa quod aliqua animaduertenda ſunt. Primò, legem derogari, cum pars eius detrahitur, abrogari verò cum prorſus tollitur, iuxta *l. derogatur*, *ff. de verb. ſignificat.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. Layman. *ſuprà*, *cap.* 21. *num.* 1. Secundò, legem amittere vim obligandi per poſteriorem contrariam. Quia poſterior voluntas Principis, ſeu legiſlatoris præfertur priori. Syluester *verb. Lex*, *quæſito* 26. & alij communiter. Amplia, etiamſi in poſteriori lege nulla prioris fiat mentio, *cap.* 1. *de Conſtitut. in* 6. Gloſſa ibi *verb. reuocare*, *& verb. noſcatur.* Habetur etiam hoc *ex l. ſed & poſterior*, *ff. de legibus.* Suarez *lib.* 6. *de legibus*, *cap.* 27. *num.* 3. Excipiuntur tamen Decreta Concilij Generalis, quibus poſteriori contraria lege, aut priuilegio derogatum non cenſetur, niſi clauſula derogatoria expreſsè adiiciatur, ſicuti colligitur *ex cap. ex parte*, *cap. vlt. de Capellis Monachorum*, & docent Felinus *in cap. nonnulli*, *de reſcript.* Nauarr. *cap.* 27. *n.* 2611. Couar. *in epit. part.* 2. *cap.* 8. §. 9. *num.* 7. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 26. *num.* 6. Tertiò maximè notandum, derogationem, ſeu abrogationem antiquioris legis admittendam non eſſe, niſi quatenus poſteriori contrarietur. Tum quia correctio ſeu mutatio legis eſt quid odioſum, ac per conſequens reſtringendum, & non niſi quando exprimitur admittendum. Tum etiam quia lex antiqua eſt in ſua poſſeſſione, ac proinde non debet ipſa expoliari niſi quando res eſt certa. Suarez *ſuprà*, *num.* 4. ex multis iuribus, & authoribus. Portellus *in dubiis Regular. verb. Lex*, *num.* 14. *&* 15. Addens bene, doctrinam hanc Statutis, ſeu Conſtitutionibus Religioſorum applicari poſſe. Quartò etiam nota, legem poſteriorem generaliter loquentem non derogare legi priori pro caſu ſpeciali ſolùm loquenti, iuxta dicta *ſuprà*, *verb. Altare*, *num.* 4. Ratio eſt, quia lex generalis non extenditur ad ea, quæ ſpecialiter prouiſa ſunt. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 24. *num.* 6. *& lib.* 7. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 34. Naldus *in Summ. verb. Lex*, *num.* 18. Theſaurus *in prax. part.* 2. *verb. munera*, *cap.* 10. *num.* 6. Adde, hoc eſſe verum etiamſi in lege noua adſit clauſula *non obſtante alia contraria.* Hæc enim intelligitur de lege omnino contraria, & quæ non poſſit vllo modo ſubſiſtere. Sanchez, & Naldus *ſup.*

Secundò tollitur lex, & eius obligatio per conſuetudinem contrariam. Habet enim conſuetudo vim legis, ac per conſequens quemadmodum lex poſterior, vt dictum eſt, abrogat priorem, ita & conſuetudo. De quo dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 24. & de eo noſter Ioannes Beetz *de decem præcept. Decalog. circa* 2. *præceptum expoſit.* 1. *cap.* 2. *& circa* 3. *præcept. expoſit.* 2. *cap.* 2. Eſt autem conſuetudo *ius quoddam moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex.* Ita enim habetur

ex

ex D.Iſidoro *lib.5.etymolog.cap.3.* relato *in cap. Conſuetudo, diſt.1.* Dixi autem *eo num.24.* huiuſmodi conſuetudinem ſi eſt contra legem præſcribere quadiaginta annorum ſpatio, ſi verò eſt præter legem, decem annorum. Eſt autem ſermo de legibus Eccleſiaſticis, quales ſunt Conſtiuutiones, ſeu Statuta Religioſorum. Loquendo enim de eiuſmodi, ad præſcribendum contra illas ſufficit tempus decem annorum, quia ad talem præſcriptionem ſufficit longum tempus, *l. vlt. Cod. de præſcript.longi temp.* prout ex Suarez, Molina, Azor. Regiualdo, & aliis tenet Bonacina *d.quæſt.1.punct.vlt. §.3.num.51.* Ad hoc verò quod conſuetudo legem Eccleſiaſticam abrogare poſſit, requiri ſpatium 40. annorum tenet communis ſententia Doctorum, eo quod contra iura Eccleſiaſtica non præſcribatur niſi ſpatio 40. annotum, *cap.de Quarta, & cap. ad aures, de præſcript.* Leges autem Eccleſiaſticæ ſunt quædam iura Eccleſiæ. Sayrus *in Claui Regia, lib.3.cap.11. num.8.* Suarez *de legib.lib.7.c.18.num.52.* Layman. *ſuprà, cap.24. num.6.* ex communi Doctorum. Eſto Sotus *1. de Iuſt. quæſt.7. art.2.* Medina *1.2.quæſt.97. art.3.* quos refert, & ſequitur Granadus *ſuprà, controuerſ.7. diſput.16. ſect.2. num.9.* & alij, affirment hoc negotium relinqui arbitrio prudentis.

55 Notandum autem, quod ad conſuetudinem introducendam plures conditiones requiruntur. Prima, quod id, quod per conſuetudinem introducitur ſit rationabile, ita vt poſſit eſſe materia legis, *cap. fin.de conſuetud.* Syluester *verb.conſuetudo, num.6.* Sayrus *ſupra, dicto lib.3. cap.11. num.6.* Vnde id, quod rationabile fuerit, non conſuetudo, ſed corruptela dicetur. Naldus *in Summa, verb. conſuetudo, num.4.* Vnde etiam id, quod eſt contra præceptum naturale, aut diuinum, aut circa materiam inutilem, ſeu contra commune bonum, cum non poſſit eſſe rationabile, nec materia legis, ita neque conſuetudinis. Suarez *d.lib.7. cap.6.à num.14.* Naldus *ſupra*, Layman. *ſuprà, num.4.* Secunda, vt conſuetudo inducatur per actus voluntarios. Cum enim conſuetudo habeat vim legis, debet ſicut illa eſſe voluntaria. Bonacina *ſupra, num.12.* ex Suarez, Azor. Reginaldo, Salas, & aliis. Vnde infert Granadus *ſupra, ſect.2. num.14.* (quod ad Regulares ſpectare poterit) quod ſi alicubi eſſet introducta conſuetudo celebrandi feſtum alicuius Sancti, eo quod exiſtimaretur ibi eſſe ſepultum, ſi conſtaret poſtea ibi ſepultum non eſſe, ceſſaret conſuetudo. Tertia, vt inducatur ab his, qui legem ſeruare tenentur. Inducitur enim per actos contrarios legi, quales non ſunt niſi illi, qui fiunt ab illis, qui legem ſeruare tenentur. Bonacina *ſuprà, num.13.* ex aliis. Quarta eſt, vt conſuetudo ſit vniuerſalis, ita vt maior Communitatis pars illam inducat. Sola enim ea maior Communitatis pars repræſentat totam Communitatem, non minor, *l. de quibus, ff.de legib.* S.Thom.*1.2.quæſt.97. art.3.* Suarez *dicto lib.7. cap.3. num.7. & cap.9.* vbi per totum agit de Communitate illa, quæ poteſt inducere conſuetudinem. Quinta, vt ſit longæua iuxta tempus, quo conſuetudo præſcribit. De quo præter authores relatos Sayrus *ſupra, num.8.* Sexta, quòd introducatur per frequentiam actuum publicorum. Tum vt omnes de Communitate, vel maior pars ipſios poſſint conuenire in illam, tum vt poſſit eſſe nota Principi, cuius conſenſus, vt dicetur, ad eam deſideratur, Syluester *ſuprà, quæſt.4.* Suarez *ſuprà, cap.10.* Septima, quod adſit conſenſus ſaltem tacitus Principis, vel legiſlatoris, Layman. *ſuprà, num.2.* Bonacina *ſupra num.35.* ex communi aliorum.

56 Ex quo collige, quod cum Lex habeat clauſulam irritantem conſuetudinem futuram, conſuetudo adueniens non abrogat talem legem. Tunc enim non præſumitur conſenſus tacitus Principis, vel legiſlatoris, & Lex reſiſtit tali conſuetudini, *argum. cap.1. de conſuetud.in 6.& cap.de præſcript.* Naldus *ſuprà, num.4.* Diana *part.9.tract.1. reſol.21.§.ſed reſpondetur*, loquens de conſuetudine contra Legem Immunitatis Eccleſiaſticæ. Layman. *ſuprà, num.7.* approbans propterea ex Innocentio, & Abbate hanc Regulam, *Conſuetudo contra Legem non valet, ſi Lex reſiſtit.* Excipe, niſi quando poſt factam Legem ſubeſt noua ratio, quæ non suberat tempore Legis damnantis conſuetudinem, vt propterea præſumatur conſenſus tacitus, vel expreſſus legiſlatoris, vel ipſius ſucceſſoris, præſertim ſi talem conſuetudinem non reprimat. Quia tunc per illum conſenſum cenſetur abrogata Lex, & à conſuetudine victa. Quo ſenſu accipiendi ſunt Syluester *ſuprà, quæſt.6. num.10.* ex Panormitano, Sotus *lib.1. de iuſt. quæſt.7. art.2.* Sayrus *in Claui Reg.lib.3. cap.11.n.10. §.Cæterùm*, ex Medina, & aliis. Quæ omnia maximè aduertenda ſunt Regularibus, vt ſciant an, & quando prætenſæ conſuetudines aliquorum contra Concilium Trident. & decreta Summorum Pontificum ea abrogare poſſint, aut non.

57 Quia verò de conſuetudine Legem abrogante hîc eſt ſermo, ideo etiam obiter alia de conſuetudine non abrogante Legem, ſed potius nouam Legem inducente, quæ dicitur conſuetudo præter ius, dicenda ſunt. Primò, conſuetudo à Principe approbata vim habet Legis non ſcriptæ. Ioannes Sancius *in Selectis, diſp.26. num.12.* ex communi. Secundò, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.8. num.24.* ad eam inducendam ſufficit decennium, quia ad id ſufficit longum tempus: in iure autem iuxta dicta *ſuprà, num.54.* decennium eſt longum tempus. Syluester *ſuprà, num.6.* Sayrus *ſuprà, num.8.* & plures alij apud Bonacinam *ſuprà, num.32.* Tertiò, hanc conſuetudinem non introduci niſi per actus factos ex intentione obligandi, ſeu per modum præcepti, aut obligationis. Aliàs non poteſt habere vim Legis, quæ hoc modo etiam introduci debet. Molina *tom.1.tract.2. de iuſt. diſput.77.* Suarez *d. lib.7. cap.14. num.6.* Vnde infert, plures conſuetudines, etiam inter Regulares receptas, v.g. recitandi tales Orationes, ieiunandi, aut abſtinendi à carnibus, ſeu lacticiniis certis diebus, aut faciendi tales, vel tales cæremonias, quando hæc in Regulis, vel Conſtitutionibus non habentur, non obligare illos in conſcientia, quia non ſunt introducta hac intentione. Bellarminus *lib.4. de Rom. Pontific.cap.18.* Suarez *ſup.* Layman. *ſuprà, num.2.*

58 In dubio autem de hac intentione præſumendum eſt, niſi adſint ſufficientes coniecturæ in contrarium, ſolùm ob deuotionem introductas eſſe, quia in dubiis fauet conditio poſſidenti ſuam libertatem, & non præſumitur ſibi onus poſuiſſe niſi conſtet de ipſius voluntate. Bonacina *ſuprà, num.21.* ex aliis. Quartò, de hac conſuetudine dicendum ſicut de ea, quæ abrogat legem, propter idem fundamentum, debere eſſe rationabilem, vniuerſalem, voluntariam, & per frequentiam actuum publicorum introductam. Quintò quemadmodum conſuetudo abrogat Legem, ſic etiam abrogatur per Legem ſubſequentem. Non enim eſt minoris efficaciæ lex ad abrogandam conſuetudinem, quàm conſuetudo ad abrogandam Legem. Sayrus *in Clau.Regia, lib.3.cap.11.num.10.* Suarez *d.lib.7.cap.20.* ex variis iuribus. Maximè ſi addatur in Lege verbum illud *non obſtante contraria conſuetudine, &c.* per illud non ſatis exprimitur intentio legiſlatoris.

59 Tollitur quartò legis obligatio per ceſſationem cauſæ adæquatæ motiuæ illius. Sumitur *ex cap. Cum ceſſante, de appellat.* vbi dicitur: *Ceſſante cauſa ceſſat effectus*, & colligitur ex eo quia, cum res *per quas cauſas naſcitur per eas diſſoluatur*, vt habetur *de regulis iuris in 6.* cum obligatio legis inducatur per talem cauſam adæquatam, ceſſante illa ceſſabit & lex. Syluester *verb.Lex, quæſit.9.* Caſtro *lib.1. de lege pœnali, cap.5.* Medina *in 1.2.quæſt.90. art.2.ad 4.* Amplia, non ſolùm

quando

Digitized by Google

quando iſta totalis, & adæquata cauſa motiua, qua legiſlator inductus eſt ad ferendam Legem, non ſolùm non habet vim, ſed potius militat contraria, ita vt eſſet contra bonum commune ſeruare Legem, vel ea eſſet inutilis, aut iniqua, quod eſt ceſſare contrariè rationem Legis; ſed etiam quando prædicta ratio motiua non habet vim, licet adhuc non ſit contra bonum commune ſeruare Legem, nec ea eſſet inutilis vel iniqua, quod eſt ceſſare negatiuè. Ratio eſt, quia cum ratio adæquata Legis ſit anima illius, proculdubio, illa quomodocunque ceſſante, ceſſabit lex, ſicut quomoducumque ceſſante anima equi, ceſſabit equus. Granad. *ſupra*, *diſp.*15. *ſect.*1. *&* 2. referens Tiraquellum, Gerſonem, Caſtrum, Salam, Nauarrum, Henriquez, & Valentiam. Adde quod etiamſi, ſecundum plurium valdè probabilem ſententiam, ſolùm ſit hoc verum, quando dicta ratio adæquata legis ceſſat in generali pro omnibus caſibus, & ſubditis, non verò quando ceſſat in particulari caſu pro particulari perſona, prout tenent Sotus 1. *de iuſt. quæſt.*6. *art.*8. Suarez *lib.*6. *de legib. cap.*7. Salas *in* 1. 2. *quæſt.*96. *tract.*14. *diſp.*11. *ſect.*3. & alij ferè communiter; nihilominus etiam eſt probabile oppoſitum, eo quod rationes adductæ non ſolum probant intentum pro caſu quo ratio adæquata motiua legis ceſſat in generali, ſed etiam quando ceſſat in particulari caſu, & perſona. Et confirmatur efficaciter, quia lex diuina correctionis fraternæ deſinit obligare etiam in caſibus particularibus, in quibus ceſſat adæquata ratio illius, vt eſt communis conſenſus Doctorum. Cur ergo de lege humana idem non dicetur. Granadus dicta *ſect.*2. referens prædictos authores, Diana *part.*1. *tract.*10. *reſol.*18. alios etiam referens. Loquor autem ſemper pro caſu, vel caſibus, in quibus ceſſat ratio adæquata, ſeu totalis legis. Si enim ceſſet tantum partialis cauſa motiua legis, ſi alia, vel aliæ maneant, non propterea ceſſat obligatio legis, quia adhuc perſtat aliqua ratio, quæ induxit legiſlatorem ad condendam Legem, ac per conſequens adhuc cenſetur velle ſubditos obligare. Vnde licet lex ieiunij poſita ſit, v.g. Regularibus, ad macerationem carnis, quia tamen hæc non eſt adæquata ratio talis legis, cum etiam poſita ſit ob exercitium meriti, vel ſatisfactionis, &c. ideo licet Religioſus edomitas habeat paſſiones carnis, tenetur tamen ieiunare, quia adhuc perſtant aliæ rationes motiuæ talis legis. Bonacina *ſuprà*, *dicta quæſt.*1. *punct. vlt.* § 2. *num.*1. Layman. *ſup. cap.*21. *num.*3. Nota tamen, quod ad hoc quod aliquis credat ceſſare adæquatam rationem legis, & per conſequens ad illam non obligari, ſufficit quod innitatur rationibus probabilibus, ſicut idem ſufficit in præcepto correctionis fraternæ, vt quis non teneatur corrigere. Talia enim verè habet opinionem probabilem, & oppoſitum eſſet multorum ſcrupulorum cauſa. Indicant hoc Syluester *verb. ieiunium*, *quæſt.*8. & Nauarrus *in Man. cap.*23. *num.*43. & expreſſè docet Granadus *ſuprà*, *ſect.*3. *num.*24. In caſu verò dubij oppoſitum tenent communiter Doctores, quia in tali caſu poſſeſſio ſtat pro lege. Bonacina *ſuprà*, licet oppoſitum indicet Sal. *in* 1. 2. *tom.* 2. *tract.*8. *diſp. vnic. ſect.*25. *num.*259. Vide dicta *ſuprà*, *verb. dubia Regularium*, *num.*7.

60 Ceſſat quintò obligatio legis in iis caſibus, in quibus per *Epicheiam*, latinè *æquitatem*, cenſetur legiſlator eos comprehendere noluiſſe, etiamſi verba legis ad ipſos extendi videantur. Ratio eſt, quia lex non excedit voluntatem legiſlatoris, *l. non dubium*. Cum ergo per Epicheiam cenſeatur voluntatem legiſlatoris ad eos caſus non extendi, propterea enim vocatur ab Ariſtotele *correctio*, ſeu *emendatio Legis*, ceſſabit per ipſam obligatio illius. Sayrus *in Clau. Reg. lib.*12. *cap.*9. *num.*4. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *cap.*47. *dub.*9. & alij communiter. Hi porro caſus ſunt non ſolùm illi, in quibus ob ſuperuenientem aliquam circunſtantiam, materia legis redditur iniqua, bono communi contraria, aut ſuperans poteſtatem legiſlatoris, quia tunc certum eſt ex dictis Legem non obligare, ſed etiam illi, qui ex circunſtantiis non iudicantur à legiſlatore intenti, ſed potius præſumitur quod ſi eos præuidiſſet, illos excepiſſet, Sayrus, & Leſſius *ſuprà*. Suarez *lib.*6. *de legibus*, *cap.* 7. Hinc colligit Portelius *in dub. Regular. verb. Lex*, *num.* 5. ex Bartolo, Rodriguez, & aliis, poſſe Legem Superioris obuiari ab inferiori agendo contra ipſum, quando aduenit de nouo cauſa, quam Superior non præuidit, intellige, & præſumitur, quod ſi eam præuidiſſet, talem legem non feciſſet, vel quando lex eſt contra mores patriæ, & Superior id non aduertit. Addit etiam ex eodem Rodriguez, poſſe Prælatum inferiorem impedire facultatem alicui Religioſo à Prælato Superiori conceſſam, quando aduenit prædicta noua cauſa ab eo conſiderata, maximè quando viget neceſſitas, nec poteſt adiri Superior. Quæ omnia maximè Regularibus notanda ſunt. Nota, etiam excuſari ſubditum à legis obligatione, non ſolùm quando certò ſcit caſum aliquem non comprehendi ſub Lege, ſed etiam quando probabilibus rationibus id exiſtimat, propter dicta *ſuprà*, *num.*59. à ſimili. Bonacina *ſuprà*, *num.*10. ex Salas, Suarez, & aliis. In caſu verò dubij an liceat vti Epicheia, conſule dicta *ſupra*, *verb. Dubia regular. præſertim à num.*6. Bonacina *ſuprà*, Ioannem Sancium *in ſelect. diſp.*43. & Dianam *part.*4. *tract.*3. *reſolut.*22. *&* 23. & alios ab ipſis relatos.

Ceſſat vltimò obligatio Legis, ſaltem quoad forum conſcientiæ, quando ea fundata eſt in præſumptione alicuius facti, vel defectus, vel delicti, & ipſa præſumptio ceſſat, eo quod de contraria veritate conſtat. 61 Exemplum ſit, iuxta dicta *ſuprà*, *verb. accuſare*, *&* *accuſator*, *num.*16. præcipit Superior ſuis ſubditis ex ſuſpicione quam habet quod aliquis Religioſus commiſit peccatum contra caſtitatem, vt ſibi reuelent ſi aliquis exiuit ſine ſocio è Conuentu. Eſt autem aliquis qui ſcit alium exiuiſſe ſine ſocio, ſed ipſi conſtat eum non commiſiſſe tale delictum. Hic ergo non tenetur reuelare illum. Eſt & aliud exemplum commune in Iure *cap. veniens* 2. *cap. Is qui fidem*, *de ſponſalibus*, vbi Pontifex declarat, eum qui poſt ſponſalia de futuro cum aliqua fœmina eam cognouit, cenſeri contrahere verum Matrimonium cum illa, quia præſumitur ad eam acceſſiſſe animo maritali. Quo tamen non obſtante, ſi talis homo ſciat hanc iuris præſumptionem falſam fuiſſe, quia non acceſſit ad fœminam illam animo maritali, non tenebitur lege Matrimonij, ſed poterit aliam ducere. Ratio verò eſt, quia in talibus, vel ſimilibus caſibus ceſſat finis, & fundamentum Legis, ſcilicet præſumptio, quæ cedit veritati contrariæ, *argum. cap. ſuper hoc*, *de renunciat.* Syluester *verb. Lex*, *quæſt.*9. §. *Secundò quando*, Conarruu. *in Epitom. part.* 1. *decret.* c.4. §.1. Layman. *ſupra*, *dicto cap.*21. *num.*4. & plures, quos ſequitur Diana *part.*1. *tract.*10. *reſolut.*27. Loquor autem de lege fundata ſolum, & adæquatè *in præſumptione alicuius facti*, *delicti*, *vel defectus*, vt dixi: ſi enim ea fundetur in præſumptione periculi, vel occaſionis talis facti, delicti, &c. aut ſcandali, vel alicuius rei ſimilis, etiamſi factum, vel delictum ceſſet, non propterea ceſſat lex. Bonacina *ſuprà*, *diſput.*1. *quæſt.*1. *punct.*7. §.3. *num.*10. Granadus *ſupra*, *dicta diſput.*55. *ſect.*2. *num.*17. Quo ſenſu accipiendi ſunt Suarez *lib.*3. *de legib. cap.*23. & alij, quos ſequitur Portellus *in dub. regular. verb. Lex*, *num.*9. *&* *in addit. num.*4. aliquas diſtinctiones minus claras afferentes. Declaratur exemplis ſpecialiter ad Regulares ſpectantibus. Præcipit Concilium, vt profeſſio facta ante ſexdecim ætatis annos ſit nulla, ob defectum videlicet ſufficientis iudicij ad eam faciendam. Hæc autem Lex ſemper obligat, etiam in caſu quo aliquis ante dictam ætatem habuiſſet

buiſſet perfectum iudicium, eo quod ea non fundatur
præciſè, & adæquatè in præſumptione talis defectus,
ſed in præſumptione etiam periculi, ſeu potentiæ il-
lius, Bonacina *ſupra*. Similiter ſi præcipit Religio aliqua
ne Religioſus exiens è Conuentu ſeparetur à ſuo ſo-
cio, aut ne ingrediatur talem, vel talem domum, ob
periculum videlicet peccandi contra caſtitatem: ſi ali-
quis ſeparetur, vel talem domum ingrediatur, etiamſi
contra caſtitatem non peccet, talem legem tranſgre-
dietur, eo quod ipſa non fundatur præcitè in præ-
ſumptione talis delicti, ſed in præſumptione periculi,
vel occaſionis ipſius, ſcandali, &c. Ponell. *dict. num.* 4.
Aliud exemplum addit Diana *ſuprà* de Religioſo dan-
• te aliquid alteri Religioſo contra Conſtitutionem Cle-
mentis VIII. *de largitione munerum*, de quo aliquid dixi
ſuprà, verb. dare, num. 5.

62 Alia ad hanc materiam de legibus ſpectantia dabi-
mus *verb. Pœna*, & *verb. Statuta*.

63 Solet ſæpius quæri, an ignorantia legis excuſet à
tranſgreſſione ipſius. Et quia de hoc plura dixi in di-
uerſis locis, ſolùm hoc loco adiungam quæ circa Re-
gulam 13. iuris *in 6. Decretalium*, quæ talis eſt: *Igno-
rantia facti, non iuris, excuſat*; ad inſtantiam cuiuſdam
Prælati ſcripſi, videlicet.

64 Præmittendum, quod inter varias diuiſiones igno-
rantiæ, de quibus Theologi cum S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 6.
art. 8. *&* 76. *per totam*, ac Summiſtæ *verb. Ignorantia*,
vna eſt, de qua in præſenti regula & in Iure ciuili *tit.
ff. & Cod. de Iuris, & facti ignorantia*, qua ſcilicet ſe-
65 cernitur in ignorantiam *facti*, & *iuris*. Ignorantia *fa-
cti* dicitur, quando ignoratur res, quæ in facto con-
ſiſtit, v.g. quod aliquis ſit Sacerdos, aliqua mulier ſit
66 vxorata, vinea ſit mea, &c. Ignorantia autem Iuris
eſt, qua ignoratur lex, prohibitio, ſeu præceptum
Superioris, vt ſi quis ignoret, an ſit præceptum ieiu-
nandi in Quadrageſima, audiendi miſſam diebus Do-
minicis, &c. vt patet *ex leg.* 1. *ff. de iur. & facti igno-
rantia*, Theologis, & Summiſtis. Cum ergo in hac
Regula dicatur, quod ignorantia *facti* excuſet, non
autem ignorantia *Iuris*, videndum quomodo ſubſiſte-
re poſſit veritas illius.

67 Et ratio dubitandi ſumitur ex eo quod, ſi ignoran-
tia, ſiue *Iuris*, ſiue *facti*, eſt omnino antecedens, ſeu
inuincibilis, id eſt nullo modo volita, aut procurata,
omnino excuſat à peccato; ſi verò non ſit antecedens,
ſed conſequens, eſt vincibilis, id eſt volita, procurata,
& ſaltem ratione negligentiæ non excuſat. Nulla er-
go eſt differentia quantum ad hoc inter igoorantiam
facti, & ignorantiam *Iuris*.

68 Suſtinenda tamen eſt hæc Regula, quia non ſolùm
habetur loco relato auctoritate Boniſac. VIII. ſed etiam
colligitur *ex l. Iuris, l. error, l. Regula* 9 *ff. de Iuris, &
facti ignorantia*, vbi DD. Ratio autem aſſignari po-
teſt, quia factum, ſeu res, quæ in facto conſiſtit, eſt
69 variabile, obſcurum, & incertum: Ius autem, ſeu
lex non eſt variabile, cum ſaltem facilè mutari non
poſſit; nec vix poſſit eſſe obſcurum, aut incertum,
cum ſupponat publicationem, ſeu promulgationem,
ſine qua non obligat.

70 Vnde ad rationem dubitandi communis ſolutio eſt,
eam Regulam non debere intelligi quoad forum con-
ſcientiæ, quia quoad illud, tam ignorantia facti, quam
Iuris, ſi eſt antecedens, & inuincibilis, omnino excuſat
71 à culpa; ſi verò eſt conſequens, & vincibilis, non excu-
ſat: ſed quoad fori externi præſumptionem, eò quod
leges & iura ſolemni ritu promulgari ſolent, & facta
hac promulgatione non præſumitur in foro externo ta-
lium ignorantia, quia publicè propoſitum ignorare non
72 licet, Gloſſa *l. fin. verb. ſcientes, ff. de decretis ab Ordin.
faciend.* & *gloſſ. cap. Nulli, verb. veriſimiliter, de elect.
num.* 6. ſic fermè Azotius *tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 1. *c.* 13.
73 *quæſt.* 3. *& cap.* 16. *quæſt.* 1. Vaſquez in 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1.
diſp. 123. *cap.* 2. *num.* 5. Zumel ex *quæſt.* 76. *art.* 3. *ante* 1.
diſp. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 16. *num.* 26. *& lib.* 9.
de Matrim. diſput. 32. *num.* 10. poſt Roſellam, Sylue-
ſtrum, Medinam, Caſtrum, & Philiarcum.

Limitatur tamen hæc doctrina quoad ignorantiam 74
facti. Etſi enim, loquendo de facto alieno, præſumi poſ-
ſit ignorantia, *l. verius, ff. de probat. l. hoc autem, ff. de ad-
miniſtr. tutor. l. final. in fin. ff. pro ſocio*, & aliis apud Hon-
dedeum *conſ.* 9. *num.* 35. *& conſ.* 55. *num.* 48. Menochium
lib. 6. *præſumpt.* 23. *num.* 51. *& ſequent.* de facto tamen
proprio non præſumitur, *l. Quamquam, ff. ad Velleia-* 75
num, cap. ab excommunicato, in fin. de reſcript. Menoch.
ſuprà, num. 32. Tuſchus *verb. ignorantia, concluſ.* 22.
num. 1. *&* 10. *& concluſ.* 23. *num.* 25. Exceptis illis caſi- 76
bus, in quibus ex circunſtantiis admittitur probabilis
excuſatio, ob obliuionem, caſus obſcuritatem, vel mul-
torum negotiorum occupationem, vel in actibus morti
proximorum, Maſcard. *concluſ.* 881. *num.* 41. 45. 51.
& 53. Menoch. *ſuprà, num.* 28. 41. 47. & ex eo, ac aliis
Barboſ. *ſuper hac regula, num.* 20. *&* 21.

Similiter limitatur quoad ignorantiam Iuris, v. etiam 77
in aliquibus caſibus præſumatur ignorantia, vel quan-
do Ius eſt obſcurum, ſeu intricatum. Maſcard. *con-
cluſ.* 639. *num.* 19. poſt alios: vel ob qualitatem per-
ſonæ, purà ſi ſit ruſticus, mulier, miles, minor & cum
aliquibus limitationibus. Tuſchus. *ſuprà, num.* 13. Fa-
rinacius *fragmentor. criminal. part.* 2. *verb. ignorantia,
num.* 27. *cum ſequentibus.*

LEGITIMA QVOAD REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Legitima quid ſit, quibus, aut quomodo debita.*
3 *Qua Mnaſteria ſuccedant in ipſam.*
4 *Quando debeatur.*
5 *Anteponitur pia cauſa.*
6 *Non licet parentibus repellere filios Religioſos ab ipſa.*
7 *Adire hæreditatem quibus competat.*
8 *Alia remiſſiuè.*

DE hac materia nonnulla dicta ſunt *tom.* 1. *part.* 2. 1
cap. 19. præſertim *num.* 25. Concernunt etiam di-
cta *ſuprà, verb. legata Regularibus relicta*. Alia tamen in
præſenti addenda.

Legitima, quæ etiam legitima portio appellatur, eſt 2
pars hæreditatis aliquibus à lege decreta. Propterea enim
legitima vocari videtur. Syluester *in Summa, verb. legi-
tima portio, in principio*. Azor. *tom.* 2. *inſtit. moral. lib.* 2.
cap. 27. *quæſt.* 1. Vocatur autem legitima *Cod. de inoffic.
teſtament. l. omni modo*. Debita pars, *l. ſcimus, Cod. eodem*.
Debitum ſimpliciter, *in Authent. de trient. & ſemiſſ.* §. 1.
Angelus *in Summa, verb. legitima portio, in princip.* Syl-
ueſter *ſuprà, quæſt.* 1. Debetur iure naturæ filiis, & ip-
ſis mortuis, nepotibus ex eis legitimè natis, iuxta An-
gelum, & Syluestrum *ibi*. Licet Nauarrus *in Man.
cap.* 26. *num.* 38. & Naldus *in Summa, verb. legitima, n.* 2.
id ſolùm intelligant quoad filios pauperes, debiles, in-
firmos, & inhabiles ad ſe ſuſtentandum. De quo, & de
legibus Aragoniæ, & Nauarræ, quæ permittunt exhæ-
redari poſſe filios, alias dicetur. Interim videantur Na-
uarrus, & Naldus relati. Azor. *ſup. quæſt.* 5. *&* 6. ac Lugo
de Contract. lib. diſp. 24. *ſect.* 8. §. 2. Hæc autem portio,
quæ legitima vocatur, etſi iure Cæſareo ſolùm eſſet
quarta pars bonorum teſtatoris diuidenda æqualiter in-
ter deſcendentes, *l. Papinianus, §. Quoniam, & §. quarta,
ff. de inofficioſ. teſtam. & ex l. cum quæritur, & l. parentibus,
Cod. eodem titul. & ex §. vlt. Inſtit. eodem tit.* poſtea verò
de iure Authenticar. *in Authent. de trient. & ſemiſſ.* §. 1.
& 2. *& Authentic. nouiſſim. & Authentic. Vnde ſi pater,*

Cod. de in offic. teſtam. habetur, quod ſi teſtator habuerit quatuor, aut pauciores filios, tertia pars bonorum ipſius inter ipſos diuideretur, ſi verò plures eſſent quam quatuor, diuideretur dimidium bonorum illius. Molina *de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſput. 158.* Sà *in Summa, verb. legitima, num. 1.* Layman. *lib. 3. de iuſt. tract. 5. cap. 5. num. 10.* Qualiter verò aliter accidat in Regnis Caſtellæ, & Luſitaniæ habent Molina *ibid.* & Azor. *ſuprà, quæſt. 4.* Similiter, quæ ſit legitima debita parentibus, ſeu aſcendentibus ex bonis deſcendentium, habent communiter Doctores. De quo Sylueſter *ſuprà, num. 17. & 18.* Layman. *ſuprà*, maximè verò Molina *ſuprà, diſp. 159.* & Lugo *ſuprà.* Quidquid verò hæc pars *legitima* appellata, iuxta diuerſa Regna, & Prouincias importet, in iure communi ſtando, non poteſt illi imponi grauamen aliquod per legata, aut fideicommiſſa (ſed per debita tantum) nec dilatio, conditio, aut modus, & ſi apponantur, habentur pro non adiectis, *leg. omni modo, & ſequentibus.* Angelus, Sylueſter, Naldus, & Layman. *ſupra*, ac Molina etiam *ſuprà, diſp. 177.*

3 Ad intentum porrò Regularium dicendum eſt, Monaſteria illa Regularium, quæ capacia ſunt hæreditatis ſuſcipiendæ (de quibus dixi *tom. 1. part. 2. cap. 1. à num. 2. & cap. 19. per totum*) ſuccedere in legitimam debitam profeſſis, iuxta dicta *eo cap. 19. num. 25.* ſiue ea legitima debita ſit ipſis titulo deſcendentium, vt quia ſunt filij, &c. vel titulo aſcendentium, vt quia ſunt parentes, &c. Ratio eſt, quia legitima nihil aliud eſt quam *pars quædam hæreditatis*: cum ergo dicta Monaſteria capacia ſint ſuccedendi in hæreditatem, ſuccedent etiam in legitimam debitam profeſſis. Fauent dicta *eo cap. 19. num. 13.* Item *l. vlt. §. hoc etiam, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & alia iura, de quibus Leſſius *de iure, lib. 2. cap. 41. dub. 10.* & Layman. *dicto cap. 5. num 6.* Nota etiam, quod licet Minores de Obſeruantia, & Capuccini capaces non ſint legitimæ hæreditariæ, ſicut nec hæreditatis ſuſcipiendæ, propter dicta *eo cap. 19. num. 44. & ſuprà, verb. legata Regularibus relicta, num. 6.* Minores tamen Conuentuales in legitimam Fratrum ſuccedere poſſunt, prout ex Clem. V. Sixti IV. Leon. X. & Pauli III. conceſſionibus probat Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 128. art. 1.*

4 Hæc porrò legitima profeſſorum, ſiue competat ipſis titulo deſcendentium, ſiue titulo aſcendentium, licet non debeatur Monaſteriis niſi poſt mortem illorum, quibus ſuccedunt, iuxta dicta *eo cap. 19. num. 25. & 39.* de quo Rodriquez *tom. 2. quæſt. Regul. quæſt. 80. art. 2.* Nihilominus à tempore profeſſionis tranſire dici debet in Monaſteria quoad dominium, quia tranſit in illa acceſſoriè, ſeu per conſequentiam, eo ipſo quod perſonæ profeſſorum in ipſum transferuntur. *Authent. ingreſſi, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Authentic. de Monach. §. Illud.* Leſſius *ſuprà, num. 84.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 12. à num. 21.* poſt plures quos refert. An verò etiam tranſeat quoad poſſeſſionem, & quæ ſit talis poſſeſſio, & pro aliis ipſius conditionibus, vide eundem Sanchez *ibid. & à num. 29.*

5 Anteponitur legitima piæ cauſæ, ita vt ante ipſam ſolui debeat, iuxta illud commune ex D. Auguſtino relatum: *Qui filiis exhæredatis Eccleſiam inſtituerit, alium quærat conſultorem.* Sanchez *dicto lib. 7. cap 2. num. 51.*

6 Non licet parentibus filios Religioſos à portione legitima repellere, vt probatur *l. de nothis, Cod. de Epiſcop. & Cleric. in cap. vnic. 18. quæſt. 1. & cap. non liceat, parentibus, 19. quæſt. 1.* Sorbus *in Additionib. ad Compend. priuileg. Mendic. verb. hæreditas, §. Circa autem.* Portellus *in dub. Regul. verb. hæreditas, num. 8.* Nec perdunt talis legitima Monaſterio etiamſi Religioſus in hæreſim inciderit. Ratio eſt, quia cum Monaſterio ſit adquiſita, ſaltem quoad ius habendi illam, non poterit ipſa priuari propter delictum Religioſi, cum iam non ſit ipſius, ſed monaſterij. Sanchez *d. lib. 7. cap. 12. num. 54.*

Adire hæreditatem, ſiue legitimam non competit Monacho, aut Religioſo profeſſo, ſed Monaſterio ipſi. Ratio eſt, quia per profeſſionem omnia iura Monachi, ſeu Religioſi, omniſque eius voluntas tranſlata ſunt in Monaſterium, *Can. Nullo, & Can. Non dicatis 12. quæſt. 1. cap. ſi Religioſus, de elect. in ſexto.* Molina *tom. 1. de iuſt. diſput. 140. col. 8. §. non ſolum bona.* Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 77. art. 1.* Sanchez *d. lib. 7. cap. 12. num. 36.* Vnde Monacho, ſeu Religioſo ignorante, aut etiam contradicente, integrum eſt Monaſterio adire hæreditatem, ſeu legitimam, eo quòd ipſi Monaſterio defertur immediatè, quamuis ex Monachi perſona. Molina, & Rodriguez *ſuprà.* Sanchez *num. 40.* plura in ſequentibus circa id adiungens. 7

Vide prædicta *tom. 1. pars. 2. cap. 19.* & ſuprà *verb. Legata Regularibus relicta*, & dicenda inferius *verb. Nouitius.* 8

LIBRI I.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Decretum Concilij Lateranenſis circa impreſſionem librorum.*
3 *Decretum Concilij Tridentini de eadem re.*
4 *Decretum Indicis.*
5 *Quomodo ea intelligenda.*
6 *Specialiter quoad Regulares.*
7 *De quibus libris intelligendum.*
8 *De priuilegio Clementis VIII.*
9 *Imprimi nihil poteſt pertinens ad Sacros Ritus, &c.*
10 *Quid de approbatione Inquiſitorum.*
11 *Per nomen Auctoris quid intelligatur.*
12 *Decretum Sanctæ Inquiſitionis pro degentibus Romæ, vel in Statu Sedis Apoſtolicæ.*
13 *De prohibitione imprimendi libros de materia Auxiliorum.*
14 *De prohibitione imprimendi libros continentes geſta, miracula, &c. defunctorum.*
15 *De librorum prohibitione.*
16 *Quas pœnas incurrant legentes libros prohibitos.*
17 *Qui libri ſint damnati.*
18 *De legentibus, retinentibus, aut imprimentibus libros hæreticorum.*
19 *Quando tales incurrant excommunicationem.*
20 *Quid requiratur ad illam incurrendam.*
21 *De audentibus eos libros legere.*
22 *Qui libri cenſeantur de Religione tractare.*
23 *Qui hæreſim continere.*
24 *Quid de retinentibus illos.*
25 *Quid de imprimentibus.*
26 *De pœnis contra tales.*
27 *Quid de defendentibus dictos libros.*
28 *De licentia ad illos legendum.*
29 *De ſpeciali prohibitione librorum Aſtrologiæ, Necromantiæ, &c.*
30 *De priuilegiis Regularium circa hoc.*
31 *De ſcribentibus libellos famoſos, aut litteras ſine ſubſcriptione.*
32 *De prædictis, ſi ſint contra Religiones.*

DE hac materia duo præcipuè pro Regularibus neceſſaria tractanda ſunt. Primum, de librorum editione, & iis quæ pro ipſa requiruntur; ſecundum, de librorum prohibitione, aliiſque ipſam concernentibus. 1

Circa primum extat decretum Concilij Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ. 10.* & habetur in Bulla eiuſdem 2

Leon.

Leon. inter Conſtitutiones ipſius *num.*12. *in* 1. *tom. Bullarij* , vbi ſic : *Statuimus , & ordinamus , quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcumque Scripturam , tam in Vrbe noſtra, quam aliis quibuſcumque Ciuitatibus , & Diœceſibus imprimere , ſeu imprimi facere præſumat , niſi prius in Vrbe per Vicarium noſtrum , & S.Palatij Magiſtrum , in aliis verò Ciuitatibus , & Diœceſibus per Epiſcopum , vel alium habentem peritiam ſcientiæ libri , ſeu Scripturæ huiuſmodi imprimendæ , ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, in Ciuitatibus, ſiue Diœceſibus in quibus librorum impreſſio huiuſmodi fieret , diligenter examinetur , & per eorum manu propria ſubſcriptionem , ſub excommunicationis ſententia gratis , & ſine dilatione imponendam approbentur. Qui autem ſecus præſumpſerint , vltra librorum impreſſorum amiſſionem , & illorum publicam combuſtionem , ac centum ducatorum fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe ſine ſpe remiſſionis ſolutionem , ac anni continui exercitij impreſſionis ſuſpenſionem , excommunicationis ſententia innodatus exiſtat , ac demum ingraueſcente contumacia , taliter per Epiſcopum ſuum , vel Vicarium noſtrum reſpectiuè per omnia iuris remedia caſtigetur , quod alij eius exemplo ſimilia minimè attentare præſumant.* Hæc ibi.

3 In Concilio autem Trident. *ſeſſ.* 4. ſic habetur: *Nullique liceat imprimere , vel imprimi facere quoſvis libros de rebus Sacris ſine nomine Auctoris , neque illos in futurum vendere , aut apud ſe retinere, niſi primum examinati , probatique fuerint ab Ordinario ſub pœna anathematis , & pecuniæ in canone Concilij nouiſſimi Lateranenſis appoſita. Et ſi Regulares fuerint , vltra examinationem , & probationem huiuſmodi , licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur , recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum Ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant , vel euulgant , niſi antea examinati , probatique fuerint , eiſdem pœnis ſubiaceant , quibus impreſſores. Et qui eos habuerint , vel legerint , niſi prodiderint Auctores , pro Auctoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur , atque ideo in fronte libri , vel ſcripti , vel impreſſi authenticè appareat. Idque totum , hoc eſt & probatio & examen , gratis fiat , vt probanda probentur , & reprobentur improbanda.* Hæc Concilium.

4 Aliqua etiam Statuta ſunt circa librorum impreſſionem in Indice librorum prohibitorum auctoritate Pij IV. primùm edito , poſtea à Sixto V. aucto , & à Clem. VIII. recognito , & publicato , vbi Regula 10. ſic : *In librorum , aliarumve Scripturarum impreſſione ſeruetur , quod in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.* 10. *ſtatutum eſt. Quare ſi in alma Vrbe Roma liber aliquis ſit imprimendus , per Vicarium Summi Pontificis , & S.Palatij Magiſtrum , vel perſonas à Sanctiſſ. D. N. deputandas prius examinetur , in aliis verò locis ad Epiſcopum , vel alium habentem ſcientiam libri , vel Scripturæ imprimendæ ab eodem Epiſcopo deputandum , ac Inquiſitorem hæreticæ prauitatis , eius Ciuitatis , vel Diœceſis , in qua impreſſio fiat , eius approbatio , & examen pertineat, & per eorum manu propria ſubſcriptionem , gratis , & ſine dilatione imponendam , ſub pœnis , & cenſuris in eodem decreto contentis approbetur. Hac lege , & conditione addita , vt exemplum libri imprimendi authenticum , & manu Auctoris ſubſcriptum apud examinatorem remaneat. Eos verò qui libellos manuſcriptos vulgant , niſi antè examinati , probatique fuerint , iiſdem pœnis ſubiici debere iudicarunt Patres deputati , quibus Impreſſores. Et qui eos habuerint , & legerint , niſi Auctores prodiderint , pro Auctoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur , & in fronte libri , vel Scripti , vel impreſſi authenticè appareat , probatioque , & examen , ac cætera gratis fiant.* Hæc ibi. Alia etiam piè ſtatuta ſunt in Conciliis Salisburgenſi , & Mediolanenſi , vt habent Azorius *tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 8. *cap.* 17. & Gauantus *in Man. Epiſcopor. verb. librorum editio.*

Circa quæ notandum primò , quod licet decretum Concilij Lateranenſis , & Leonis X. cum pœnis in ipſo contentis à principio acceptum non fuerit , vt habent Caietanus *verb. excommunicatio , in fin.* Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 111. & 148. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 23. *ſect.* 7. *num.* 1. & alij , nihilominus à Concilio Trident. ſupra relato , partim innouatum fuit , & ex toto confirmatum in Regula Indicis adducta. Filliucius *tract.* 14. *n.* 83. Theſaur. *in praxi , part.* 2. *verb. Libri, cap.* 3. Nota 2. excommunicationem poſitam in Concilio Lateranenſi , Tridentino , & Indice nulli reſeruatam eſſe, cum eis in locis nulla mentio fiat reſeruationis. Toletus in *Summa , lib.* 1. *cap.* 41. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato , quæſt.* 3. *cap.* 9. *num.* 2. Quapropter neſcio quo fundamento Graſſius *in Deciſ. aureis , part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 9. & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 90. *num.* 13. ex Catech. Neapolitan. *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 20. aſſerunt eſſe reſeruatam Epiſcopo. Ab ipſa ergo abſoluere poſſunt quicunque Confeſſarij ordinarij ſuos pœnitentes , & Prælati Regulares ſuos ſubditos , iuxta dicta ſæpius , præſertim *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 19. *n.* 28. Quod verò pœnæ illæ , præter excommunicationem , non obligent ante ſententiam declaratoriam , collige ex dictis *eo tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 33. & *cap.* 10. *à num.* 30. De quo etiam Theſaurus *ſuprà*. Tertiò nota , quod licet excommunicatio prædicta ex vi Concilij Tridentini ſolùm afficiat illos , qui libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris imprimunt , vendunt , aut retinent , niſi priùs examinati , probatique fuerint , &c. Peyrinis *ſuprà* , ex Suarez etiam *ſuprà* ; nihilominus in Regula Indicis adducta generaliter ſermo eſt , ſiue liber ſit de rebus Sacris , ſiue etiam de prophanis , ſiue cum nomine , ſiue ſine illo. Quartò nota , quod ex declaratione S. Congregationis apud Quarantam *ſuprà* , *num.* 7. habetur etiam , quod verba , quæ libris Muſicalibus apponuntur , imprimi etiam non poſſunt abſque prædicta licentia.

Specialiter etiam quoad Regulares notandum , quod quamuis illi iuxta decretum Concilij Tridentini adductum , vltra examinationem , & probationem prædictam teneantur à ſuis Superioribus impetrare licentiam pro libris imprimendis , ſi tamen id non facerent , etiamſi ſuarum Conſtitutionum pœnas incurrerent , non propterea inciderent in excommunicationem à Concilio poſitam. Ea enim ſolum impoſita videtur contra imprimentes libros , &c. ſine licentia Ordinis , & ſine nominis proprij appoſitione. Suarez , & Peyrinis *ſuprà*. Standum ergo eſt , quoad Regulares , ſpecialibus eorum Conſtitutionibus , ſicut in Ordine noſtro Conſtitutioni , quæ habetur in Capitulo generali Cremonenſi *cap.* 10. *num.* 32. vbi ſic : *Non audebit quiſquam in poſterum librum , ſeu opuſculum aliquod prælo tradere ſine licentia Prioris Generalis , ſub pœna priuationis loci , vocis , & gradus. Ab vnaquoque autem Prouincia deputentur quatuor examinatores , & reuiſores operum , & librorum imprimendorum , qui Priori Generali de opere reuiſo ſententiam ſuam ſignificabunt. Concluſiones verò de licentia Reuerendorum Magiſtrorum Prouincialis , & Regentium Collegij imprimi poterunt pro diſputationibus ineundis.* Qua Conſtitutione decreto Concilij ſufficienter ſatisfit. 6

Specialiter quoque notandum quoad Regulares , quod licet ex decreto Concil. Trid. habeatur , communicantes , vel euulgantes libros manuſcriptos ſine prædicta approbatione incidere in eaſdem pœnas , in quas incidunt impreſſores. Nihilominus id reſtringi debet , primò ad librum conſummatum , & integrum , qualis eſt ille qui imprimi ſolet, cum ſimus in materia pœnali , & odioſa. Suarez *ſuprà* , *num.* 3. Portell. *in Dub. regul. verb. librorum prohibitio , num.* 6. Peyrinis *ſuprà* , *n.* 3. Non tamen requiritur quod liber iſte ſit magnus , ſufficit 7

eoim quod paruus ſit, vel exiguus. Etenim in Regula illa Indicis adducta, vocatur *libellus*. Adde etiam, ſub huius decreti deciſione comprehendi lectiones, annotationes, diſputationes, conciones, necnon Tractatus pertinentes tum ad deuotionem, tum ad quietationem conſcientiarum ſtimulatarum fratrum, & cætera huiuſmodi, quæ ſibi inuicem communicare ſolent Regulares. Ita enim declarauit Sacra Congregat. vt teſtantur Sorbus *in addit. ad Compend. priuileg. Mendic. verb. imprimere libros, §. Tertiò circa.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 10. art. 1.* Naldus *in Summa, verb. legere, num. 4.* Barboſa *ſuprà*, & alij. Quia tamen ex huiuſmodi declaratione varia fuit exorta inter Religioſos perturbatio, ideo eademmet Sacra Congreg. conferente Cardinali Alciato, declarauit, ſupradicta eſſe intelligenda tantum, quando communicarentur, vt typis mandarentur. Sorbus & Rodriguez *ſuprà*. Adde, ſi communicarentur per modum librorum, id eſt, ea communicatione, quæ æquiualeret impreſſioni, non communicatione priuata. Suarez *ſuprà*. Theſaurus *ſuprà, cap. 4.*

8 Similiter quoad eoſdem Regulares ſpectat notandum, quod licet ex conceſſione Clem. VII. quam refert Caſſatub. *in Compend. verb. Imprimere libros*, poſſunt Minores de obſeruantia (& alij qui cum ipſis priuilegiorum communicationem habent) imprimi facere ſine Ordinarij, & Inquiſitoris reuiſione, illa quæ ad eorum Ordinem ſpectant, hæc tamen conceſſio his temporibus ceſſat, non ſolum quia fuit viuæ vocis oraculo, & non authentice facta, ſed quia contraria Concil. Trident. & Regulæ Indicis adductæ. Sorbus, & Rodriguez *ſuprà*.

9 Notent etiam iidem Regulares decretum S. Congr. apud Gauantum *ſuprà, num. 5.* vbi præcipitur; quod nihil imprimatur quod ad formandum Sacros ritus pertineat, inconſulta Sacra Rituum Congregat. Ex quo inferri videtur non poſſe Regulares imprimere Ceremonialia, ſine conſultatione præmiſſa eiuſdem Congregat. Rituum.

10 Quamuis autem ex decreto Concilij Lateranenſis, & Regula Indicis adducta habeatur non poſſe libros imprimi ſine examine, & approbatione Inquiſitorum, hoc tamen in multis partibus non obſeruatur. Vſu tamen in illis receptum eſt, vt Principes, & Magiſtratus ſeculares id faciant. Conſuetudini ergo legitimæ quoad hoc ſtandum. Nauarrus *ſuprà, num. 148.* Suarez *ſuprà, num. 1.* An autem Regulares, ſeu Eccleſiaſtici comprehendantur Statuto Laicorum prohibente impreſſionem librorum, ſine ipſorum licentia, agit Diana *part. 4. tract. 1. reſolut. 60.*

11 Quamuis etiam ex Concil. Tridentini decreto habeatur imprimi non poſſe libros ſine nomine Auctoris, nihilominus per nomen Auctoris intelligi poteſt nomen Collegij, Conuentus, Ciuitatis, vel Communitatis. Iſti enim Auctores appellari poſſunt; cum in Iure perſona ficta cenſeantur, & ſi delinquant, puniri poſſint. Azor. *ſuprà, quæſt. 3.* Theſaur. *ſuprà, cap. 3.*

12 Pro degentibus autem in Statu Sedis Apoſtolicæ extat hoc decretum S. Congregationis Inquiſitionis die 18. Septembris 1625. editum in 4. *tom. Bullar. num. 50.* inter Conſtitutiones Sanctiſſ. Domini noſtri Vrbani VIII. *Sanctiſſ. Dominus Noſter pro debito ſui paſtoralis officij corrigere volens abuſus nonnullorum in Statu Sedis Apoſtolicæ mediatè vel immediatè ſubiecto exiſtentium, qui libros à ſe compoſitos extra præfatum ſtatum abſque vllu Ordinariorum, & Inquiſitorum loci vbi degunt approbatione, imprimendos tranſmittunt; ſtatuit, & decreuit, vt in poſterum nemo in ſtatu prædicto degens, cuiuſuis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis exiſtat, libros de quauis materia tractantes, & vbicumque compoſitos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos ſine expreſſa in ſcriptis approbatione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Sanctiſſimi Domini Noſtri Vicarij, & Magiſtri Sacri Palatij, ſi in Vrbe, ſi verò extra Vrbem exiſtat, ſine Ordinarij, & Inquiſitoris loci illius, ſiue ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda. Libros autem, quos contra præſentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio ſuæ Sanctitatis infligendas, abſque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expreſſè prohibitis haberi vult, & mandat, contrariis quibuſcumque non obſtantibus, &c.* Notat autem Theſaurus *ſuprà, cap. 3.* circa hoc decretum, quod cum loquatur de degentibus in ſtatu Eccleſiæ, intelligi debeat non de illis, qui obiter, per tranſitum, aut ad breue tempus ibi exiſtunt, quia degere ſignificat habitare, vt *§. penult. Inſtit. de vſu, & habit.* De quo & Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 23. n. 12.* Aduertendum tamen, quod in procœmio ipſius decreti non videtur eſſe ſermo de degentibus, ſed de exiſtentibus, vt patet illo *verb. Nonnullorum exiſtentium, &c.* Quia tamen in ſequentibus bis ſermo eſt de degentibus, ideo prædictæ expoſitioni ſtandum eſt, maximè cum materia ſit pœnalis.

Qualiter prohibitum ſit imprimere libros de materia Auxiliorum tractantes ſine ſpeciali licentia Summi 13
Pontificis, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 24.* Nota etiam, quod decreta Pauli V. & Sanctiſſimi D. N. Vrbani eo loco relata, confirmata nouiſſimè ſunt ab eodem Sanctiſſimo die 1. Auguſti 1641. in Congregatione Generali Sanctæ Inquiſitionis, occaſione accepta ex quodam libro Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, cui titulus *Auguſtinus*, qui liber multas in Belgio excitauit tragœdias inter Patres Dominicanos, & Ieſuitas. Proinde in eodem decreto prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis prædictum librum, & ſcripturas occaſione ipſius editas retinere aut legere poſſit. Inſuper ſub pœnis excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Interdicti Eccleſiaſtici reſpectiuè, aliiſque arbitrio Sanctitatis ſuæ pœnis infligendis, etiam corporalibus mandatur omnibus, & ſingulis cuiuſuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis cuiuſque ſtatus, conditionis, gradus, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali dignitate ſuffultis, Collegiis, & Vniuerſitatibus, *ne impoſterum audeant imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, Compoſitiones ex profeſſo, vel incidenter, etiam ſub prætextu commentandi Diuum Thomam, ſeu Philoſophicè agendi de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, & præſertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Cornelij Ianſenij, cui titulus* Auguſtinus, *vel Theſes Patrum Societatis Ieſu, aliaſque ſcripturas prohibitas, aut alia quauis occaſione, vel modo de materia Auxiliorum Diuinorum, ſeu de gratia, & libero arbitrio tractantes ſine expreſſa, & ſpeciali licentia à Sanctitate ſua in Congregatione Sancti Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum. Abſolutionem verò à prædicta excommunicatione, necnon Interdicti ſuſpenſionem, & relaxationem Sanctitati ſuæ, & Sacræ Congregationi reſeruauit. Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis etiam Sanctæ Cruciatæ, Iubilæi, etiam generalis, & facultatibus Miſſionariorum, ac aliis à Sancta Sede emanatis, ſeu emanandis, quibus omnibus in hac parte Sanctitas ſua derogat. Voluitque Sanctitas ſua hæc omnia ſuum plenarium ſortiri effectum, omneſque contra facientes, vt ſuprà ligare, nec quenquam excuſari poſſe ſub prætextu quod decreta Pauli V. & Sanctitatis ſuæ alias emanata non fuerint in Prouinciis intimata, vel vſu recepta, irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper iis à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernit. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.*

Innocentius

Digitized by Google

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum occaſione Impreſſionis libri, cui Titulus, Auguſtinus, Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, inter alias eius opiniones orta fuerit præſertim in Galliis controuerſia ſuper quinque ex illis, Complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam.

Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.

Secunda: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa imprimis cordi eſt, vt Eccleſia Dei nobis ex alto commiſſa, purgatis prauarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam nauis in tranquillo Mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè nauigare, & ad optatum ſalutis Portum peruenire poſſit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque Propoſitiones, vt ſupra nobis oblatas, fecimus ſigillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata maturè conſiderauimus, eoſdemque Magiſtros variis coram nobis actis Congregationibus prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet diſſerentes audiuimus.

Cum autem ab initio huiuſcemodi diſcuſſionis ad Diuinum implorandum Auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem feruentiùs, ac per nos ſollicitè implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Diuino numine fauente, ad infraſcriptam deuenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum Propoſitionum, Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant: Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Secundam: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: falſam & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ Pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis, omninò coerceant, & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Ianſenij. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kal. Iunij, Pontificatus Noſtri Anno Nono.

HI. DATARIVS.

G. Gualterius.
P. Ciampinus.

Similiter qualiter ex decretis Sacræ Congregationis etiam prohibitum ſit imprimere libros continentes geſta, miracula vel reuelationes hominum, qui Sanctitatis, ſiue Martyrij fama celebres è vita migrarunt, ſine recognitione Sedis Apoſtolicæ, dixi *eo tom. 1. part. 1. cap. 12. num. 39.* & latè dicam infrà *verb. Sanctorum cultus.* 14

Circa ſecundum de librorum prohibitione, duplex eſt generalis in Eccleſia, prætermiſſis particularibus, quæ fieri ſolent ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis. Prima, quæ vocatur *Indicis*, ex Bulla Pij IV. quæ incipit: *Dominici gregis*, & habetur *in 2. tom. Bullar.* inter Conſtitutiones ipſius *num. 77.* vbi hæc: *Qui hæreticorum libros, vel cuiuſuis Auctoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, Sacriſque Canonibus conſtitutas. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſeuerè ſe nouerit puniendum. Non obſtantibus, &c.* Quaranta *in Summa Bullar. verb. Libri prohibiti.* Secunda, ex Bulla Cœnæ Domini, in qua, prout conſtat ex verbis ipſius, quæ ſub SS. D. N. Vrbano anno 1627. lecta eſt, quæ habetur 4. *tom. Bullarij*, inter Conſtitutiones eiuſdem *num. 62.* excommunicantur excommunicatione Papæ reſeruata *eorumdem* (ſcilicet hæreticorum) *libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore.* Ex quo collige, prohibitionem in Bulla Cœnæ contentam diuerſam eſſe ab ea, quæ à Pio IV. imponitur, iſta enim ſolum eſt contra legentes, vel habentes libros, ſeu ſcripta, ſiue hæreticorum, ſiue quorumcunque aliorum auctorum, *propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita*: illa verò eſt contra legentes, retinentes, aut imprimentes, 15

vel defendentes libros hæreticorum *hæreſim continentes, vel de Religione tractantes*, ſiue tales libri ſint prohibiti, aut damnati, ſiue non. Ita enim patet ex verbis relatis. Becanus 2.2. *tract.15.de fide, quæſt.8.num.4.*

16 Ergo legentes, vel habentes libros, ſeu ſcripta hæreticorum, vel quorumcumque Auctorum, ſi tales libri, vel ſcripta damnata aut prohibita ſint propter *hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem*, incurrunt excommunicationem Indicis latam à Pio IV. verbis relatis. Filliucius *tract.16. cap.2. num.42.* Bonacina *de Cenſur, diſp.2. quæſt.5. punct.4. num.1.* Hæc autem excommunicatio nulli eſt reſeruata, vt patet etiam ex verbis relatis. Suarez *de fid. diſp.20. ſect.2. num.29.* Filliucius *ſuprà*. Layman. *lib.2.tract.de fide, cap.15.num.8.§.Inter hæc.* Ac per conſequens ab ea abſoluere poſſunt Confeſſarij omnes ſuos pœnitentes, & omnes Prælati Regulares ſuos ſubditos, iuxta doctrinam ſæpius traditam. Bonacina *ſuprà*. Neque procedit contra legentem librum vel ſcripta alicuius Catholici Auctoris, in quibus reperitur hæreſis, ſeu error, ſi tales libri, aut ſcripta non ſint damnata, aut prohibita. Quia Pontifex ſolùm loquitur quando ea damnata, vel prohibita ſunt. Theſaur. *in praxi, part.2.verb.libri, cap.2.* Imò etiamſi damnata, aut prohibita ſint, non *propter hæreſim*, aut *falſi dogmatis ſuſpicionem*, ſed alio titulo, ſcilicet obſcœnitatem, &c. non propterea incurretur dicta excommunicatio, quia ea ſolum ponitur propter libros, aut ſcripta damnata, ſeu prohibita hoc modo, Bonacina *ſuprà*. Theſaur. *ſuprà*. Etſi habentes, vel legentes illa peccent mortaliter, & puniri poſſint ab Epiſcopo, vt patet ex verbis Pij IV. relatis. Tenentur etiam prædictos libros (idem dico de alijs libris hæreticorum, de quibus Bulla Cœnæ) Inquiſitoribus conſignare, qui eos habuerunt, nec ſufficit eos propria auctoritate comburere, aut corrigere propter Conſtitutionem Iulij III. Prout communiter tenent Doctores, ſpecialiter Azor. *tom.1.lib.8. cap.16.quæſt.11.* Sanchez *de præcept. Decalog.lib.2. cap.10.num.56.* Suarez *de fide, diſput.20. ſect.2.n.23.* Licet plures alij dicant, ſufficere eos comburere, quos referunt Fagundez *in 1. præcept. Decal. lib.1.cap.14.n.33.* & Diana *part.1.tract.11.reſol.37.*

17 In prædicto autem Indice Pij IV. & aliorum Pontificum ſucceſſorum damnantur in Regula prima libri omnes, quos ante annum 1515. aut Summi Pontifices, aut Concilia Oecumenica damnarunt. In Regula ſecunda, omnes libri hæreſiarcharum, cuiuſcumque tituli, aut argumenti. In eadem Regula ſecunda, libri hæreticorum, qui de Religione ex profeſſo tractant. Permittuntur tamen illi, qui de Religione non tractant, ſi à Theologis Catholicis iuſſu Epiſcoporum, & Inquiſitorum examinati, & approbati fuerint. Permittuntur etiam ibidem libri Catholicè conſcripti, tam ab illis, qui poſtea in hæreſim lapſi ſunt, quàm ab illis qui poſt lapſum ad Eccleſiæ gremium rediere, approbati à facultate Theologica alicuius Vniuerſitatis Catholicæ, vel ab Inquiſitione generali. Deinde in Regula tertia agitur de verſionibus Scriptorum Eccleſiaſticorum ab Auctoribus damnatis editis. Item in 4. agitur de Biblijs vulgaribus non permittendis, niſi cum certis conditionibus; vbi ſpecialiter quoad Regulares additur, ipſos non poſſe ea legere, aut emere, niſi facultate à Prælatis ſuis habita. Præterea in Regula quinta agitur de libris, qui hæreticorum opera prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de ſuo apponunt, ſed aliorum dicta colligunt, cuiuſmodi ſunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, Indices, & huiuſmodi, & de his dicitur, quod permittantur, ſublatis, aut emendatis illis, quæ expurgatione indigent, Epiſcopi, & Inquiſitoris, ac Theologorum conſilio. In Reg.6. agitur de controuerſiis inter Catholicos, & hæreticos vulgari idiomate conſcriptis. In ſeptima prohibentur libri, qui res laſciuas, ſeu obſcœnas tractant; licèt de libris antiquis ab Ethnicis conſcriptis, propter ſermonis elegantiam, & proprietatem permitti ſtatuat, non tamen pueris. In Regula octaua ſtatuitur, quod libri, quorum principale argumentum bonum eſt, in quibus tamen obiter aliqua inſerta ſunt, quæ ad hæreſim, ſeu impietatem, diuinationem, ſeu ſuperſtitionem ſpectant, à Catholicis Theologis, Inquiſitionis generalis auctoritate expurgati concedi poſſunt. Idemque iudicium dicitur habendum de Prologis, Summarijs, ſeu Annotationibus, quæ à damnatis Auctoribus appoſitæ ſunt. In Regula autem nona damnantur libri omnes, ſcripta Geomantiæ, auſpiciorum, Aſtrologiæ iudiciariæ, &c. de quibus infra *num.29.* ex Sixti V. Conſtitutione dicetur. Vide præfatum Indicem, & obſeruationes circa ipſum factas, & circa libros Hebræorum Conſtitutionem Clem. VIII. ſub anno 1592. pridie Kal. Martij. Vide etiam Azor. *tom.1. Inſtitut. moral.lib.8. cap.16. quæſt.14.& 15.* Filliucium *ſuprà, num.43.& 44.* Layman. *ſup.num.8.*

Legentes autem ſcienter, retinentes, aut imprimentes libros hæreticorum *de Religione tractantes*, aut *hæreſim continentes*, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ verbis ſupra relatis, vt communiter ſupponunt Auctores, ſpecialiter Azor. *ſuprà, dicto cap.16.* Suarez *ſuprà, dicta ſect.2.* Sanchez *ſup.d. cap.10.n.20.* Filliucius *ſuprà, num.45.* Quis porro ab hac excommunicatione abſoluere poſſit, vide dicta *tom.3. verb. Bulla Cœna, à num.52. & verb. Bulla Cruciata, à num.22.* Non incurritur hæc excommunicatio ab eo, qui prædictos libros bona fide, aut ex ignorantia (ſaltem quæ non ſit affectata) legerit, quia in Bulla dicitur: *ſcienter legentes, &c.* Azor. *ſuprà, quæſt.1.* Diana *part.3. tract.6. reſol.6.* Excuſat etiam ab excommunicatione paruitas materiæ, ea enim excuſat à mortali peccato, ſine quo non incurritur excommunicatio maior. Azor. *ſuprà, quæſt.3.* Sanchez *ſuprà, num.31.* ex Sayro, Rodriguez, Vgualdo, & alijs. Quæ verò ſit in hac parte paruitas materiæ, quamuis aliqui dicant eſſe pauca verba, alij decem lineas, alij (non rectè) vnam paginam, mihi tamen videtur dicendum, quod quemadmodum in materia furti illa dicitur parua materia, in qua ſpectatis circumſtantijs non infertur nocumentum graue illi cui res aufertur, ſic in præſenti ea dicetur parua materia, per cuius lectionem, inſpectis circumſtantijs libri, legentis, &c. non timetur graue periculum peruerſionis ipſi legenti. Ita Becanus *ſup.num.8.* Vide Suarez *dicta ſect.2. num.20.* Layman. *ſup.num.5.* & Dianam *part.1. tract.11.reſol.30.* maximè *part.5.tract.5.reſol.42.* 18

Item non incurritur hæc excommunicatio ab eo, qui legit libros aliorum infidelium, ſcilicet Gentilium, Hebræorum, & Mahometanorum, quia iſti non ſunt hæretici, & textus ſolum loquitur de hæreticis. Vgolinus *de caſibus Papæ reſeruatis 2.part.c.1.* Sanchez *ſup.n.22.* Portell. *in dub.regul. verb.libri, in addit.num.5.* Fagundez *ſuprà, num.5.* Circa lectionem tamen librorum Hebræorum conſule Conſtitutionem Clem. VIII. *ſuprà, num.17.* relatam. Idem quod dixi de legente libros infidelium, dici etiam debet de legente libros Catechumenorum, qui à fide defecerunt, quia iſti non ſubſunt Eccleſiæ iuriſdictioni, cum intra ipſam ingreſſi non fuerint per portam quæ eſt Baptiſmus. Sanchez, & Fagundez *ſup.* Idem dicito de legentibus libros ſolummodo continentes Græcorum, ſeu Armenorum ritus toleratos, quoniam tales non ſunt hæretici. Azor. *ſup. quæſt.8.* Sanchez *ſup. num.27.* Quod ſi Auctores talium librorum ſint hæretici, & ipſi libri hæreſim contineant, prout ſæpius contingit, comprehendentur dicta prohibitione. Suarez *dict.ſect.2.num.22.* Idem etiam dicendum de legente libros Catholicorum, in quibus inſertæ ſunt hæreſes hæreticorum, quia tales libri non ſunt hæreticorum. Nauar. *in Man. cap.27. num.56.* Azor. *ſuprà, quæſt.2.* Etiamſi principaliter legantur intentione ſciendi errores hæreticorum, propter eandem rationem, & quia 19

non

Digitized by Google

non punitur in hac excommunicatione effectus ſciendi hæreſes, ſed factum ipſum legendi libros hæreticorum. Nauar. & Azor. *ſuprà*. Idem dic de legente libros Catholicorum elucidatos per breues annotationes, ſeu ſcholia hæreticorum, quia iſte talis non dicitur legere hæreticorum libros. Nauar. *ſuprà*, Suarez *tom.5.in 3. part.diſp.21. ſect.2. num.11.* Dixi *per breues annotationes, &c.* quia ſi plures, vel copioſæ ex eſſent, continerentque hæreſim, vel de Religione tractarent, comprehenderentur hac prohibitione. Suarez *ibid.* Licet oppoſitum tueantur propter adductam rationem, Sanchez *ſuprà num.25.* Bonacina *ſuprà num.* 6. Diana *ſuprà reſol.* 32. An verò legentes tales libros Catholicorum elucidatos per annotationes, ſeu ſcholia Hæreticorum incidant in excommunicationem Indicis, conſule dicta *ſuprà num.* 17. ex Regula quinta eiuſdem Indicis.

20 Ad incurrendam tamen illam, ſufficit quod liber ſit Auctoris hæretici, etiamſi damnatus non ſit ab Eccleſia. Suarez *de fide diſp.20.ſect.2.num.11.* Fagundez *ſuprà num.* 7. Etiamſi ſit ex hæreticis antiquis, vtputa Arrij, Pelagij, &c. quia tales ſunt verè hæretici, Layman. *lib.1.tractatu 5. cap.15. num.5.* Excipe libros Tertulliani, & Origenis, qui etſi inter hæreticos numerentur, propter eruditionem tamen, & quia nullum iam ab illis periculum in fide timetur, ab Eccleſia tolerantur. Azor. *ſupr.quæſt.16.* Layman. *ſuprà* Etiamſi talis liber paruus ſit, quia liber paruus etiam eſt liber, *argum. l. ſcapham nauis, de euict.* Naldus *in Summ. verb. Bulla Cœna*, *num.* 8. Etiamſi non ſit typis excuſus, quia liber manuſcriptus eſt verè liber. Sanchez *ſupra num.28.* Suarez *de fide diſp.20.ſect.2.num.10.* Sanctarellus *de hæreſ.cap.13.num.6.* incurritur etiam hæc cenſura etiamſi legens non intelligat, ſenſum, vt ſi liber ſit Græcè deſcriptus, & legens non intelligat hoc idioma, iuxta Naldum *ſuprà num.* 10. & Bonacina *num.14.* Licet Fagundez etiam *ſuprà num.30.* ex Suarez, Sanchez, Sanctarello oppoſitum teneat, quod eſt probabilius, eo quòd finis prohibitionis videtur eſſe ne legens imbibat hæreſim, qui ceſſat in hoc caſu. Non tamen propterea excuſatur ab hac cenſura Catholicus in fide firmus legens prædictos libros, eo quòd non timeat aliquam peruerſionem, aut periculum erroris. Etſi enim ceſſante fine adæquato legis probabile ſit ceſſare obligationem legis etiam in particulari, iuxta dicta *ſupr. verbo leges Regularium*, *num.* 59. quia tamen finis huius legis adæquatus non eſt ſolùm dictum periculum peruerſionis, ſed etiam ne Catholici communicent cum hæreticis eorum ſcripta legendo (prout colligo ex Suar. *ſup.num.8.*) ideo talis non excuſatur. Naldus *ſuprà num.* 12. Legens autem ſchedulam, chartam, litteram miſſiuam, concionem, vel quid ſimile hæretici hæreſim continens, vel de Religione tractans, non per modum tractatus, aut libri concinnatum, excuſatur ab hac cenſura, quia iſta non ſunt libri, de quibus tantum loquitur Bulla. Sanchez *ſuprà num.* 29. Portell. *ſuprà num.* 7. Fagondez *ſuprà num.11.* Licet oppoſitum probabiliter tueantur Vgolinus *ſuprà*. Layman. *ſupra num.3.* Diana *ſuprà Reſolut.34.* ex Megala, quem refert. Secus dicendum de legente proœmium, præfationem, Indicem, epiſtolam dedicatoriam, vel ſimilia reperta in prædictis libris hæreticis, quia iſta ſunt partes notabiles illorum. Vgolinus *ſuprà*, Sanchez *ſuprà num.5.* Sanctarellus *ſuprà n.2.* Portellus *ſupra*. Quid verò dicendum pro Regionibus Germaniæ, Galliæ, & Angliæ, & ſimilibus, vbi hæreſes graſſantur, & Bulla Cœnæ dicitur non eſſe recepta, conſule dictos Auctores, & dicta *ſuprà verb. Bulla Cœna*, *num.61.* Maximè Tannerum *4.tom.diſp.6. q.10. dub.5. à num.97.* vbi reſolutionem quandam cuiuſdam grauis Auctoris pro caſibus in dictis Regionibus crebrò occurrentibus adducit.

De audientibus legere dictos libros, diſtinguendum eſt: vel enim tales nullo modo fuerunt cauſa quod alij alios legerent, & iſti non incurrunt hanc cenſuram, quia tantùm impoſita eſt contra legentes. Azor. *ſuprà quæſt.4.* Graffius *ſup.num.45.* Naldus *ſup. num.14.* vel fuerunt cauſa, vt alij eos libros legerent auctoritate, vel mandato, vt ſi herus præcipiat ſeruo, vt legat librum hæretici, &c. & tales incurrunt illam, quia moraliter loquendo, quæ fiunt mandato alterius, ab ipſo fieri dicuntur. Azor, Graffius, & Naldus relati, ac Layman. *ſup.num.6.* Si verò ſolùm fuerunt cauſa quod alij legerent ſuadendo, monendo, petendo, conſulendo, tunc non incurrent illam, cum ea non imponatur niſi à legentibus, & tales non ſunt legentes. Vgol. *ſupr.* Sanch. *ſup.num.48.* Fagundez. *ſup.num.27.* Excipe, niſi id fecerint animo audiendi per illos ea, quæ legunt, quia tunc moraliter loquendo cenſentur legentes. Layman. *ſuprà num.6.* 21

Illi porrò libri cenſeri debent de Religione tractare, vt propterea illos legens dictam excommunicationem incurrat, qui de Sacra Scriptura, Theologia, cultu Dei, ac Sanctorum, Papa, Epiſcopis, Cardinalibus, Clericis, Monachis, moribus Chriſtianis, & & ſimilibus tractant, non qui de Hiſtoria, Chronographia, Arithmetica, Medicina, artibus liberalibus, vel ſimilibus. Illis enim, & non iſta ad Chriſtianam Religionem formaliter vt talem, ſpectare videntur. Suarez *ſuprà d.ſect.2.num.10.* Vgolinus *ſuprà*. Sanchez *d.cap.10.num.21.* 22

Vt autem dicantur libri hæreticorum hæreſim continere ſufficit, quod vel vnam ſolam hæreſim contineant, cum de illis verificentur verba Bullæ, ſcilicet *hæreſim continentes*. Suarez *num.16.* Sanchez *ſuprà n.34.* Fagundez *ſuprà num.15.* Nec ſufficit illam delere, propter eandem rationem. Suarez *ſuprà*. Sanchez *ſuprà num.35.* Similiter, vt dicantur de Religione tractare, non requiritur quod ex profeſſo de ea tractent, ſed quod ita notabiliter de ea agant, vt arbitrio prudentis dici poſſint tractare de Religione, prout dicitur in Bulla. Sanchez *ſuprà num.34.* 23

Incurrunt etiam dictam cenſuram prædictos libros retinentes, ſiue apud ſe, ſiue apud alios, etiam animo impugnandi, aut pro breui tempore. Licèt in hoc, ſi negligentia ſit leuis, excuſari poſſint à peccato mortali, prout Suarez *ſuprà num.22.* Fagundez *ſuprà num.33.* & alij Auctores communiter ſupponunt. Qui autem eos comburerent, licet peccarent, quia vt dictum eſt *ſuprà num.* 16. tenentur eos tradere Inquiſitoribus, non tamen incurrent cenſuram hanc, quæ ſolùm impoſita eſt contra retinentes. Suarez *ſuprà*. Diana *ſuprà reſol.37.* Addit Naldus *in Summ. verbo liber*, *num.5.* nec Aromatarios, vel ſimiles Apothecarios, qui ſolent pro inuoluendis obſoniis, quæ habent venalia chartas aliquas habere, poſſe ad hoc retinere libros prohibitos. Subdit etiam: *Qui autem daret amico librum hæretici, & hæreſim continentem, vt eius nomine apud ſe illum retineret, non videtur incurrere cenſuram Bullæ Cœnæ, eo quia non tenet illum niſi ciuiliter, & non naturaliter, qualiter Bulla ipſa videtur requirere: conſiderans nempe factum merum, & naturalem.* 24

Incurrunt ſimiliter eandem cenſuram imprimentes dictos libros. Per quos intelliguntur ij omnes, qui ad libri impreſſionem cooperantur, vt ſunt qui illos Typographo imprimendos tradunt, Typographus ipſe, Compoſitores, &c. Layman. *ſuprà num.7.* ex Sanchez, Sayro, Graſſio, & Vgolino. 25

Pro pœnis autem, quas incurrunt prædicti legentes, vel retinentes libros prædictos hæreticorum, & an, & qualiter ſint ſuſpecti de hæreſi, vide Souſam *in Bullam Cœnæ, cap.2.diſp.16.* Merolam *in diſp.Theolog. tom.1. diſp.1. cap.2. difficult. 6.* & alios apud Dianam *part.4.tract.7.reſolut.6.* Parum enim ad noſtrum inſti- 26

tantum hæc referunt, cum ſolùm forum conſcientiæ præcipuè inſtruere intendamus.

27 Incurrunt quoque eandem cenſuram libros præfatos defendentes, vt patet ex textu relato. Ij porrò dicentur defendentes, qui ſcilicet affirmauerint non eſſe prauos, ſed bonos, aut vtiles Reipublicæ, aut non eſſe ſubiiciendos igni, vel qui impedinerint ne ab Inquiſitoribus inueniantur, comburantur, &c. Toletus *lib.1.cap.10.num.9.* Vgolinus *ſuprà part.2.cap.1.* Cum autem in Bulla dicatur *quomodolibet defendentes ex qualibet cauſa*, ideo etiam comprehendi videntur qui illos defenderent prætextu diſputationis, prout Sanchez *d.cap.10. num.58.* Bonacina *ſuprà num.17.* Licet oppoſitum inſinuet Suarez *de fide diſp.20. ſect.2.num.25.* Illi tamen qui laudarent ſtylum, vel ingenium hæretici Scriptoris illorum, non comprehenderentur, cum illi non dicerentur defendere libros. Bonac. *ſupra.*

28 Cùm etiam in Bulla dicatur *ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ*, ideo nullus niſi Papa poteſt concedere licentiam legendi prædictos libros hæreticorum *hæreſim continentes, vel de Religione tractantes.* Vnde nec Epiſcopi poſſunt hanc facultatem concedere. Nauarr. *lib.1. conſilior. tit. de conſtit. conſil.1. quæſt.36.* Niſi in caſu magnæ neceſſitatis, in quo non poſſet Pontifex adiri, quia tunc præſumitur concedere Epiſcopis hanc auctoritatem. Sanchez *ſuprà num.43.* Inquiſitores etiam nequeunt concedere hanc facultatem, niſi id expreſsè ſit ipſis conceſſum, propter eandem rationem. Azor. *d.cap.16.quæſt.12.* Graffius *1.part. deciſ. lib.4.cap.18. num.46.* Nec ipſi poſſunt eos legere, niſi ab Apoſtolica Sede, ſeu per Sacram Congregationem Inquiſitionis adſit facultas, ſtantibus Conſtitut. Iul. III. Pauli IV. & Pij IV. quas refert Peña *in fin. Director. Inquiſit.* quibus expreſsè reuocantur omnes, & quæcunque facultates legendi libros damnatos, conceſſæ quibuſcunque perſonis cuiuſcunque ſtatus, Ordinis, & conditionis, etiamſi Epiſcopali, vel Archiepiſcopali, vel alia maiori dignitate Eccleſiaſtica, ſeu ſæculari præeminentia fulgeant. Azor. *ſupr. quæſt.13.* Sanchez *ſupr.* Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.90. num.8.* Licet oppoſitum tueantur Graffius *ſupra num.45.* Naldus *ſuprà verbo Bulla Cœnæ, num.11.* In Vrbe etiam concedere ſolet hanc facultatem ſpecialibus perſonis Reuerendiſſ. Magiſter Sacri Palatij. Barboſ. *ſupr. num.6.* Video tamen in ea quæ de facto conceditur, excipi plures libros, & ſpecialiter eos, qui immediatè tractant contra fidem. Competit tamen Dominis Inquiſitoribus generalibus, & Epiſcopis concedere facultatem legendi libros prohibitos per Indicem tantummodo. Bonacina *ſupr.* ex Reginaldo, licet hæc facultas limitata videatur à S.Congreg. Sancti Officij, quæ teſte Naldo *verbo liber, num.10.* declarauit: *Epiſcopos, & Inquiſitores non habere auctoritatem concedendi facultatem tenendi, aut legendi libros hæreſiarcharum, aut hæreticorum, qui ex profeſſo tractent de Religione; nec alios, qui ad præſcriptum Indicis omnino damnati ſunt, & prohibiti. Poſſent tamen eos iidem Superiores retinere ad effectum iudicandi an poſſint aliquam recipere correctionem, alias autem eſſent ignibus tradendi. Quoad libros autem vulgari ſermone conſcriptos continentes Controuerſias inter Catholicos, & hæreticos noſtri temporis, facienda erit relatio Auctorum ipſorummet librorum, ac eorum, qui requirunt licentias eos legendi, expectando conceſſionem ab Vrbe.*

29 Libri etiam omnes, opera, & tractatus Aſtrologiæ Iudiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Negromantiæ, artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, non ſolùm prohibita ſunt in Indice, iuxta dicta *ſupr.num.17.* ſed etiam à Sixto V. in Bulla *Cæli, & terræ*, inter Conſtitutiones ipſius *num.17.* Statuit autem idem Sixtus prædictos libros à nemine legi, aut retineri poſſe, ſed Epiſcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus præſentari, & conſignari debere. Item quod ſcienter legentes, aut retinentes illos ab Inquiſitoribus puniri debeant. Quam Conſtitutionem confirmat, & innouat SS. D. N. Vrbanus in alia quæ incipit *Inſcrutabilis*, vbi alias pœnas hoc delictum committentes imponit. Nota tamen, quod ſi in prædictis libris, vel tractatibus non contineatur hæreſis, cenſura quæ incurretur ab illos legentibus, vel retinentibus ſolùm erit ea, quæ in Indice ponitur, de qua *ſuprà num.16.* dixi non eſſe reſeruatam. Si autem in illis contineatur hæreſis, prout ſæpius continget, cenſura, quæ incurretur, erit reſeruata, quia eſt illa, de qua in Bulla Cœnæ. Theſaur. *in praxi, parte 2. verbo ſuperſtitio, cap.1.* ex aliis. Quod intellige, ſi tales libri ſint hæreticorum, quia ſolùm de illis loquitur Bulla.

Specialiter quoad Regulares notandum, quod licet iuxta dicta *tom.1.part.1.cap.18.num.96.* varia priuilegia conceſſa ſint Regularibus circa librorum prohibitorum lectionem, de quibus Rodriguez, Peregrinus, & Peirinus eo loco relati, ac Portellus *in dub. Regularium, verb. librorum prohibitio, num.1.2.& 3.* Nihilominus ea quibus conceditur facultas legendi, retinendi, vel imprimendi libros hæreticorum hæreſim continentes vel de Religione tractantes, reuocata cenſeri debent per Bullam Cœnæ, prout ibi dixi, & ſequi videtur Portellus *ſupra num.3.* Quid verò ſentiendum de lectione, vel retentione aliorum librorum, de quibus non fit ſermo in Bulla Cœnæ, ſed in Indice, vel ſpecialibus prohibitionibus Inquiſitorum, vel Epiſcoporum, eo loco dixi. *De quo eſt conſulendus inſignis Auctor* Diana *5.part.tract.13.reſol.49.* 30

Circa ſcribentes libellos famoſos, ſeu litteras infamatorias alicuius, notandum, quod libellus famoſus 31 eſt ſcriptura, vel ſignum infamiam continens alicuius de crimine occulto illud publicans. Sic fermè Syluester *in Summ. verbo libellus, num.4.* Bonacina *de Contract. lib. diſp.2. quæſt.4. punct.9. num.1.* ex Molina, Felino, & aliis. Dixi, *vel ſignum, &c.* quia non ſolùm ſcripturæ, ſed etiam quodcunque aliud ſignum, verbi gratia figura, imago, cornua, &c. contra aliquem modo dicto factum, etiam venit nomine libelli famoſi. Molina *tract.4. de Iuſtit. diſp.35. num.4.* Portellus *in dub. Regul. verbo libellus famoſus, num.2.* Dixi *de crimine occulto*, quia ſi crimen fuerit publicum, illud quomodolibet publicans non erit reus libelli famoſi. Bonacina *ſuprà num.3.* Portellus *ſuprà num.5.* Dixi quoque *illud publicans*, quia ſi quis alicui ſcribat litteras infamatorias ipſius ad quem ſcribit, non dicetur reus libelli famoſi, quia tales litteræ non publicantur, & poteſt cui mittuntur, illas celare. Bonacina *ſuprà num.2.* Portellus *ſupra num.3.* De iis autem, qui ſcribunt litteras tacito ſuo nomine ad Prælatum, vel Iudicem, eaſve ponunt in aliquo loco, vt ab eis videantur, in menſa verbi gratia, continentes defectum occultum alicuius, volunt aliqui eſſe reos huius criminis. Sed quamuis hæ litteræ largo modo dici poſſint libellus famoſus, propter caput *Inquiſitionis, §. ad hæc, de accuſ.* ſtrictè tamen non ſunt tales, nec eas ſcribentes rei huius criminis, niſi fiant animo publicandi illum defectum, prout colligo ex definitione tradita. Bonacina *ſupra num.5.* ex aliis. An verò, & quando peccent illas ſcribentes, & an ex illis poſſit Prælatus procedere ad inquiſitionem illius delicti, dixi *tom.1.part.1.cap.8.num.31. & cap.27. num.4.* Libellorum autem iſtorum Auctores pœna capitis puniuntur, *leg.1. Cod. de libell. famoſ.* Item verberantur, & excommunicari decernuntur *5. quæſt.1.* per varios canones. Sunt etiam infames, *leg. ob carmen, ff. de teſtib. cap. ſi teſtes 4. quæſt.3.* vbi etiam aliæ pœnæ contra ipſos ſtatuuntur. Sayrus *in Clau. Reg. lib.12. cap.4. num.10.* Theſaurus *prax. part.2. verbo libelli famoſi, c.1.*

Extenduo

Digitized by Google

Extenduntur autem prædictæ pœnæ non ſolùm ad conficientes dictos libellos, ſed ad alios circa eandem materiam delinquentes, tum ex prædictis Iuribus, tum maximè ex Conſtitutionibus Pij V. in ea, quæ incipit *Romani Pontificis*, inter Conſtitut. ipſius *n.147.* & Gregor. XIII. in ea, quæ incipit *Ea eſt rerum*, inter Conſtitutiones eiuſdem *num.4.* Sayrus *ſuprà*, Portellus *ſuprà num.13.* Licet illæ ſolùm videantur eſſe pro Roma, & Statu Eccleſiaſtico. Portellus *ibidem.*

32 Specialiter pro Regularibus notandum, quod quicunque libellos famoſos in vulgari, vel latino ſermone, necnon cantilenas, vel rithmos edere, vel detinere, vel publicare præſumunt in infamiam; Status Ordinis Prædicatorum, vel Minorum ſunt excommunicati excommunicatione Papæ reſeruata ab Alexandro IV. in priuilegio *Ex alta*, & in alio *Non ſine multa.* Caietanus *in Summ. verb. Excommunicatio, cap.81.* Sayrus *ſuprà.* Bonacina *ſuprà num. 9.* poſt Salonem, Medinam, & alios. Communiter autem ſupponunt hi Auctores hoc priuilegium extendi ad alias Religiones habentes communicationem cum Prædicatoribus, & Minoribus; ſed non contrahi hanc excommunicationem ab eo, qui contra aliquem Religioſum priuatum prædicta fecerit. Quia ea priuilegia ſolùm loquuntur de facientibus illa contra Statum eorum Religioſorum, non contra vnum, aut alterum.

LICENTIA QVOAD REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De licentia pro Regularibus in particularibus materiis.*
2 *De licentia explicita.*
3 *Licentia debet eſſe voluntaria, & non coacta.*
4 *Item legitima.*
5 *Quid de licentia ſpeciali.*
6 *De Superiori an teneatur petere licentiam, quam poteſt praſtare ſubdito.*
7 *Licentia inter Regulares gratis concedenda.*
8 *Licentia pracedere debet actum, qui ex illa fit.*
9 *An requiratur ad licentiam quod fiat in ſcriptis.*
10 *An licentia indeterminata conceſſa proſint poſtulanti.*
11 *Conceſſa aliqua licentia qua etiam alia conceſſa cenſeantur.*
12 *Reuocatio licentia quando contingat.*
13 *A quo fieri debet talis reuocatio.*
14 *Quando expirat morte concedentis.*
15 *Ratihabitio de praſenti aquinalet licentia.*
16 *Quid de licentiis conceſſis à Papa, Nunciis, vel legatis.*
17 *Alia remiſſiuè.*

1 DE licentia, quæ requiritur pro Regularibus, vt tenere, donare, vel recipere aliquid poſſint, dixi *tom.1.part.1.cap.6.num.55. & 56.* Specialiter de licentia, quæ requiritur, vt aliquid donare poſſint, maximè ſtando in Conſtitut. Clem. VIII. *de largitione munerum*, prout innouata, & declarata eſt ſub SS. Domino Noſtro Vrbano, dixi *ſuprà verbo dare, ſeu donare.* Item de licentia requiſita pro Religioſo eunte de vna Prouincia ad aliam, vel de vno Conuentu ad alium, dixi eodem *tom.1.part.1.cap.10.n.14.& cap.11. num.11.* Similiter de licentia requiſita pro Religioſis Romam venientibus, dixi eo *cap.10.num.15.& 16.* Pariter de licentia neceſſaria pro erectione nouorum locorum, ſeu mutatione antiquorum, dixi eodem *tom.1. part.1.cap.9.num.31.35. & 36.* & *tom.1. part.2. cap.1. num.45.* & dicam infra verbo *Monaſteria Regularium.* De licentia quoque requiſita, vt Regularis poſſit extra clauſtra degere, dixi *tom.1.part.1.cap.16.num.13 24. & 15.* Similiter de licentia Monialibus requiſita pro egreſſu è Monaſteriis ipſarum, dixi *tom.2.p.1.cap.15. à num.10.* & *ſupra verbo Clauſura.* Item de licentia requiſita pro ingreſſu in Monaſteria Monialium, dixi eo *cap.15.num.15.& 16.* & *part.2.cap.2.num.22. & ſupra verbo Clauſura.* De quibus etiam infrà verbo *Moniales.* Pariter etiam de licentia Regularibus requiſita ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, dixi eo *tom.1.part.1. cap.19.num.2. & part.2. cap.1. num.18. & ſupra verbo Confeſſarius.* Ac de licentia pro concionatoribus, *tom.1.part.1.cap.20. à num.1.& part.2. cap.1.num.17. & ſupra verbo Concionator.* Item de licentia ad exeundum extra Monaſterium, *tom.1.part.1. cap.16. num.5.* De licentia ad exercendum munus teſtamentariorum, eo *tom.1.part.1.cap.9. num.9.* Ad comparendum in iudicio, *ibid. num.11.* Ad exercendum munus Iudicum, *ibid.num.14.* Vt poſſint eſſe fideiuſſores *ibid. num. 18.* Ad habendum arma, *ibid. num.17.* Ad baptizandum, *ibid.num.31.* Ad eundum extra mare, *ibid.num.32.* Ad accedendum ad Curias Principum, *ibid. num. 33.* De licentia porrò Mendicantibus requiſita ad mendicandum, dixi *eodem tomo 1.part.1.cap.1.num.4.* Quibus in locis Summorum Pontificum, & S.Congregationum circa prædicta decreta, & declarationes adduxi, ex quibus plura Barboſa *in Collect. Bullar. verbo licentia,* Gauantus *in Man. Epiſcop. verbo licentia,* Ioannes Maria Nouarius *in Lucern. Regul. verbo* etiam *licentia.* Alia ergo in præſenti addenda vel pro materiæ complemento, aliquas regulas aſſignando circa licentias in communi ſumptas, & ſtando in iure communi, ſeclusis particularibus ſtatutis Religionum.

Prima ſit. Quamuis plurium Doctorum ſententia ſit, quod quoties pro aliquo actu requiritur licentia, ea debeat eſſe explicita, ita vt hæc ſit differentia quando actus requirit conſenſum, ac quando requirit licentiam, quod quando requirit licentiam, ea debeat eſſe explicita, prout tenent plures Iuriſtæ relati à Sanch. *lib.3.de matr.diſp.35.num.16.* & ſequitur Nald. *in Summa, verbo conſenſus, num.10. & verbo licentia, num.1.* ex Rotæ deciſione. Nihilominus probabilius eſt contrarium, ſcilicet quod etiamſi pro aliquo actu requiratur licentia, ſufficiat tacita, ſeu implicita, nullum enim fundamentum eſt ad contrarium aſſerendum. Syluest. *in Sum.verb.teſtam.2.quaſt.2.ad 3.* Sanch. *lib.6. in Decal.cap.11.num.11.* Portell. *in dub. regul. verb. licentia, num.1.* Fauent ea quæ dixi *tom.1.part.1.cap.6.n.55.* Idque maximè tenendum in rebus modicis, ſcientia enim, & patientia in iis, quæ ſunt modici præiudicij operatur conſenſum, vt habetur ex Abbate *cap.nunc, de preſumpt.num.3.* Filliucius *tom.1.tract.8.part.1.cap.9. num.219.* Excipe quando licentia expreſſa, ſeu explicita requiritur in lege, vel Statuto, tunc enim non ſufficit tacita, ſeu implicita, iuxta ibidem dicta. Portellus *ſuprà.* Nota autem, quod licentia expreſſa vocatur ea quæ exprimitur à Superiori, verbo, epiſtola, manu, nutu, &c. licentia verò tacita, ſeu implicita eſt ea, quæ ex ſcientia, & tolerantia Superioris prudenter præſumitur, etſi ab eo nullo modo exprimatur. Portellus *ſup.* Vide dicta eo *cap.6.num.56.* 2

Secunda regula eſt. Quando pro actu aliquo requiritur licentia, ea debet eſſe voluntaria, & non coacta, vel precibus importunis, fauoribus, aut metu extorta. Ratio eſt, quia aliàs ea non eſſet licentia, ſed violentia, prout habet Diuus Bernardus *de Conſiderat. ad Eugenium.* Sanchez *lib.7.in Decalog. cap.19. num.16.* Vide dicta eo *cap.6. num. 56.* Adde, idem eſſe dicendum, iuxta ibidem dicta, de licentia impetrata dolo, aut mendaciis. Tunc enim non adeſt conſenſus Superioris, quia nihil magis eſt contrarium conſenſui, quam error, *l.ſi per errorem, ff.de iuriſdict.omn.iudic.* Barboſa *de offic.& poteſt. Epiſcopi, allegat.32.num.133.* Quod intellige, quando error eſt circa ſubſtantiam, vt ſi Religioſus 3

gioſus peteret aliquam licentiam à ſuo Superiori fingens ſe eſſe aliquem, qui reuera talis non ſit. Error enim circa ſubſtantiam variat diſpoſitionem, iuxta communem Doctorum in materia de Matrimonio, Teſtamentis, &c. Barboſa *ſuprà*. Aut circa cauſam finalem, & adæquatè motiuam, illam ſcilicet, quæ ſi non ſubſiſteret nullo modo concederetur licentia. Tiraquell. *in tract. Ceſſante cauſa, limitat.* 1. *à num.* 1. Sanch. *lib.3.de matrim.diſp.*39.*num.*14. Barboſa *ſuprà* ex aliis. Nota tamen in hoc attendendum eſſe ad mentem concedentium licentiam, ea namque ſæpius talis eſt, vt eum ſæpius etiam ſe decipi agnoſcant, nihilominus velint licentias ab ipſis conceſſas validas eſſe. Sanchez *ſuprà*. Idem dic, de licentia impetrata precibus importunis, etiamſi caſus eſſet, quod ſi illæ non eſſent, licentia non concederetur.

4 Tertia eſt. Vbi requiritur licentia, intelligitur de legitims. Idem enim eſt non eſſe, ac legitimum non eſſe. Naldus *ſuprà verbo Licentia,num.*1. Vide etiam dicta eo *num.*56. Nota tamen, quod licentia legitima ea dicitur, non ſolùm quæ conceditur ob legitimam cauſam, iuxta dicta, ſed & quæ conceditur à legitimo Superiori. Solus enim legitimus Superior legitimam licentiam præſtare poteſt. Idque ſupponitur à Sacr. Congreg. dum iuxta dicta *tom.*2.*part.*2. *cap.*1.*num.*4. agit de licentia requiſita Mendicantibus ad mendicandum. Propterea etiam declarauit Sacr. Congregatio 8. Nouemb. 1619. à laïcis non poſſe concedi dictam licentiam. Gauantus *ſuprà num.*5.

5 Quarta eſt. Vbi licentia ſpecialis ad actum aliquem requiritur, ſufficit quod æquiualeat ſpeciali. Exemplum ſit de licentiis Parochi pro miniſtrandis Sacramentis per Religioſos eius parochianis, quæ à Clem. *Religioſi, de priuileg.* requiritur ſpecialis, & Caietan. *verbo Excommunicatio, cap.*64. ait, ſufficere licentiam æquiualentem ſpeciali, & hoc, inquit ipſe, ſemper eſt verum quandocunque ex verbis licentiæ communiter intelligitur, concedentem dare hanc licentiam, etiamſi non nominarentur illa Sacramenta in ſpecie. Naldus *ſuprà num.* 2. Barboſa *ſuprà num.* 127. referens id deciſum à S.Congregatione ex Armendariz, Bonacina, & aliis.

6 Quinta ſit. Licentia Superioris in actu gerendo per ſubditum non obligat Superiorem volentem eundem actum præſtare ad petendam eam ab alio Superiori. Exemplum ſit. Religioſus Superior volens exire ad ſtudia litterarum, non tenetur à ſuperioribus ſuis eam petere licentiam, quam à ſe tenentur obtinere ſui ſubditi proficiſci volentes ad talia ſtudia. Idem de ſubdito Religioſo inſtituto executore, qui tenetur petere licentiam à ſuperiori, ſed ſuperior non tenetur, ſi ipſe executor inſtituatur. Syluester *verb. teſtam.* 2. *quaſt.*2. Naldus *ſuprà num.*5.

7 Sexta. Licentiæ omnes inter Regulares gratis concedi debent; quia oppoſitum redolet vitium proprietatis in Prælatis, & quandoque vitium Simoniæ, ſi materia ipſa hoc expoſtulet. Vnde licentiam audiendi confeſſiones, concionandi, miniſtrandi Sacramenta gratis dari debere declaratum eſt à S. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium 16. Iulij 1591. teſte Gauanto *ſuprà num.* 3. Idem etiam videtur dicendum de licentiis, quibus diſpenſatur in aliquo præcepto Eccleſiaſtico. Vnde id declarauit eadem Sacra Congreg. 15.Iun. 1619. de licentia laborandi die feſto. Gauantus *ſuprà num.*2.

8 Septima. Licentia ad aliquid faciendum præcedere debet actum, qui ex illa fit: requiritur enim ex parte cauſæ illius, ſcilicet facultatis ad eum faciendum. Facient *cap. audiis, de elect.* adiuncto *cap. Quia propter, eod.tit.* & *l.vniuerſa, C.de precib. Imperat.* Gonzalez *ad regul.* 8.*Cancellar.gloſ.*47.*num.*46. Barboſ. *ſuprà n.* 129. ex aliis.

Octaua. Quamuis ad rationem licentiæ non requiratur, quod fiat in ſcriptis, iuxta dicta *ſuprà verbo Gratia, num.*13. cum ſcriptura non requiratur niſi tantùm ad faciliorem probationem, non ad ſubſtantiam gratiæ, *l.contrahitur, ff.de pignor.* (Barboſ. *ſup.n.*128.) nihilominus eum lex, Statutum, vel Conſtitutio hanc ſolemnitatem requiſierint, obſeruari debent, vtpotè quia licita, & honeſta, & ob bonum finem inducta ſunt, ſcilicet vt maturiùs, & ratiùs ea licentia concedatur. Sanchez *lib.6.in Decalog. cap.*16. *num.*31. Soarez *tom.*4.*de Relig.tract.*8. *lib.*1.*cap.*10. *num.*15. *in fin.* Etſi etiam aliqui velint hoc ſolùm eſſe pro foro externo tantùm, non pro foro conſcientiæ (Soſſa *in explicat.Conſtit.Clem.VIII. de largit.muner.num.*98. Homobonus, & Bellochius relati a Diana *part.* 3. *tract.*2. *de dub. regul. Reſolut.*129.) nihilominus contrarium eſt tenendum, non ſolùm propter dicta, quia ſcilicet talis conditio eſt licita, honeſta, rationabilis, & prudenter appoſita, ſed etiam, quia vbi lege, vel partium conuentione contractus ſcripturâ indiget, ea deficiente eſt irritus, *leg. contractus* 16.*Cod.de fid.Inſtrument.* Ex hoc autem ſequitur talem licentiam, ſi in ſcriptis non detur, eſſe irritam, ac per conſequens peccare, qui illa vtitur. Ita ſupponunt Suarez, & Sanchez relati. Nauarrus, Confetrius, & Llamas ab eodem Sanchez adducti. Vide dicta *tom.*3. *verb.Clauſura, num.*25. Erit ergo omiſſio huius ſolemnitatis peccatum mortale, quando grauitas materiæ, & aliæ circunſtantiæ id poſtulauerint, prout ſupponunt iidem Auctores, vel ſolùm venialis, ſi materiæ leuitas, vel aliæ circunſtantiæ id exegerint. In caſibus etiam, in quibus repentina neceſſitas occurrerit faciendi aliquid ad quod requiratur prædicta licentia in ſcriptis, ſi propter abſentiam ſuperioris eſſet periculum in mora eam expectando, poſſet id fieri ſine tali licentia, ſic enim, vel per epiekeiam credendum eſt velle prudentem legiſlatorem. Nauarr. *comment.*4.*de Regul.num.*60. Azor. *tom.*1.*Inſtit. moral. lib.*13. *cap.*8. *quaſt.*8. Rodriguez *tom.*1. *quaſt. Regular. quaſt.*46.*art.*2.*in fin.* 9

Nona. Licentiæ indeterminatè conceſſæ alicui, proſunt etiam ipſi poſtulanti. Quod eſt dicere, ſi aliquis Religioſus petat à ſuo Prælato facultatem, v.g. ad abſoluendum à caſibus reſeruatis, illamque petat indeterminatè pro aliquo ſubdito ipſius Prælati, Prælatuſque eam concedat, cenſetur etiam conceſſa pro ipſo poſtulante, ita vt ea vti poſſit. Ratio eſt, quia in generali ſermone comprehenditur etiam perſona loquentis quando loquens concipit verba in perſona alterius, vt patet *ex leg.Paulus reſpondit*, §.*fin.ff.de pignorib.* Villalob. *in Summ. tom.*1.*tract.*9.*diffic.*66.*num.*4. 10

Decima. Conceſſa alicui licentia ad aliquod opus faciendum, intelliguntur illi conceſſa omnia neceſſaria pro illo fine comparando. Habetur in *cap. Præterea, de offic. delegati*, vbi ſic. *Ex eo quòd cauſa tibi committitur, ſuper omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipis poteſtatem.* Idem habetur in *l.*2.*ff.de iuriſdict.omn.iud.* Patitur hoc dictum hanc exceptionem, vt ſcilicet vtatur is cui tale conceditur omnibus mediis ad id neceſſariis, dummodo aliquod medium non ſit ſpecialiter interdictum. Exemplum. Conceditur aliquando Epiſcopo, vt procedat contra Religioſum in aliquo caſu tanquam delegatus Papæ; ſi illi non conceditur expreſsè, vt ad illum finem valeat fulminare cenſuras, has non poterit publicare contra Religioſum, quia ſpecialiter eſt prohibitum cuicunque Iudici Eccleſiaſtico ponere cenſuras contra Religioſos, niſi ipſis ſpecialiter concedatur. Ita Portellus *ſuprà in additionib. num.*2. Pro exemplo autem adducto vide dicta *tom.*1.*part.*1.*cap.*11.*num.*14.& *tom.*3.*verbo Exemptio Regularium, à num.*8. Intelligitur autem prædicta regula non ſolùm de iis, quæ omninò, & ſimpliciter neceſſaria ſunt, ſed de illis, quæ ſecundum decentiam neceſſariò 11

Digitized by Google

neceſſariò moraliter requiruntur. Vnde licentia conceſſa alicui Religioſo ad inuiſendum Moniales, conceſſa etiam cenſetur pro ſocio ipſius Religioſi, propter rationem adductam. Naldus *ſuprà verbo licentia, num.* 3. ex Rodriguez quem refert. Fauent quæ dixi *ſuprà verbo Clauſura, num.* 27. circa ſocium Confeſſarij miniſtraturi Sacramenta Monialibus infirmis, ex declaratione Sac. Congreg. ibi adducta.

12 Vndecima. Licentia conceſſa alicui ad aliquid faciendum non cenſetur reuocata à concedente donec talis reuocatio intimata ſit per certum nuncium, aut litteras, illi cui conceſſa eſt licentia, ita vt ipſa poſſit vti, & facta per ipſum teneant. Latè probat Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 36. *num.* 9. & ex ipſo Portellus *ſuprà num.* 1. Barboſa *ſuprà num.* 131. Naldus *ſuprà n.* 6. ex aliis etiam, quos referunt, quæ valde vtilia erunt pro multis licentiis, quæ Regularibus conceduntur à ſuis Superioribus.

13 Duodecima. Licentiarum conceſſarum reuocatio fit non ſolùm à concedente illas, cum iuxta Regulam Iuris, *per eaſdem cauſas res naſcitur, & diſſoluitur*; ſed etiam à ſucceſſore illius, cum habeat æqualem auctoritatem; & à Superioribus, cum habeant eandem, vel maiorem. Quando verò licentia ab inferiori Prælato conceſſa confirmata eſt à ſuperiori Prælato, Nuncio, vel Papa, tunc non poteſt reuocari ab inferiori Prælato. Quia inferior non habet auctoritatem ſupra ſuperiorem. Portellus *in Reſponſ. moralibus, part.* 3. *caſ.* 34. loquens de licentia quadam conceſſa à quodam Prælato, & confirmata à Nuncio.

14 Tertiadecima. Licentiæ continentes aliquam gratiam, ſi talis gratia ſit gratia facta, non expirat morte concedentis, vel ceſſatione officij ipſius, ſecus verò ſi talis gratia ſit ſolùm facienda, iuxta dicta *ſuprà verbo gratia, num.* 7. *&* 8. *ex cap. ſi cui nulla, de præbend. in* 6. *& cap. ſi ſuper gratia, de offic. Iud. delegat.* Quod præter Auctores ibi relatos tenent Naldus *ſuprà num.* 6. Portellus *ſuprà* loco relato *ex dub. Regul. verbo Licentia in principio.* Barboſa *ſuprà num.* 132. Hinc collige, licentias conceſſas Regularibus à ſuis Superioribus ad abſoluendum à reſeruatis, ad edendas carnes diebus prohibitis, & ſimiles, non ceſſare morte concedentium, vel ceſſatione officiorum ipſorum, quia tales licentiæ continent gratiam factam. Portellus *ſuprà num.* 1. *&* 3. & Sanchez. Collige ſecundò, licentiam conceſſam alicui Religioſo, ſeu Dimiſſorias ad Ordinum ſuſceptionem non ceſſare morte, vel ceſſatione officij concedentis: non ſolùm propterea quod continent gratiam factam, ſed etiam quia ita declarauit S. Congregatio Epiſcoporum, & Regular. anno 1600. vt refert Naldus *ſuprà verbo Ordo, num.* 22. De quo Barboſa *ſuprà num.* 132. & Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcept. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 16. ex aliis quos referunt, qui idem dicit *num.* 13. de facultate conceſſa alicui ad eligendum Confeſſarium.

15 Quartadecima. Ratihabitio de præſenti æquiualet licentiæ. Quod eſt dicere, quoties ſubditus facit aliquid ſub ſpe ratihabitionis Prælati de præſenti, id eſt, prudenter credens, quod Prælatus de præſenti vult, ſeu gaudet, vel approbat, quod id fiat, dicitur habere ſufficientem licentiam ad operandum. Ratio eſt, quia vt habetur de Regulis iuris in 6. *Ratihabitio comparatur mandato.* Quemadmodum ergo operans ex mandato dicitur operari ex licentia, ſic & operans ex ſpe ratihabitionis. Ioannes Sancius *in Select. diſp.* 44. *num.* 3. ex Sanchez, Soto, Nauarro, Ledeſma, & aliis. Conſonant quæ dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 55. Secus dicendum de ratihabitione de futuro, quia illa non æquiualet licentiæ, iuxta dicta eo *num.* 55.

16 Idem porrò proportionaliter dicendum de licentiis gratiam continentibus conceſſis à Papa, vel eius Legatis, Nunciis, &c. Ita vt licet eæ, quæ continent gratiam faciendam, ceſſent morte, &c. illæ tamen, quæ continent gratiam factam, durent etiam poſt ipſorum mortem, &c. Syluest. *in Summ. verbo delegans, quæſt.* 15. Portellus *in Reſponſionib. moral. part.* 3. *caſ.* 34.

. Alia ad hanc materiam ſpectantia vide *in* 3. *tom. verb. Commiſſio, & Commiſſarius*, verbo *Diſpenſatio*, & verbo *Gratia*, ac dicenda infra verbo *Viſitator Regularis.* 17

LITANIÆ.

SVMMARIVM.

1 *De illis agere ſpectat ad Regulares.*
2 *Litaniæ quid & quot ſint.*
3 *Conſtitutio Clementis VIII. circa illarum prohibitionem.*
4 *Quomodo intelligenda.*
5 *De litaniis nominis Ieſu.*
6 *Declarationes S. Congregationis.*
7 *Recitari debent in die Sancti Marci, & tribus diebus ante Aſcenſionem.*
8 *Alia remiſſiuè.*

DE illis agere ſpecialiter ſpectare videtur ad regulares, cum ad cultum diuinum, cui ipſi maximè incumbere debent, pertineant. 1

Litaniæ Græcè interpretantur Latinè *Supplicationes*, 2
ſiue *preces*. Earum vſus antiquiſſimus eſt in Eccleſia, vt conſtat ex Concilio 1. Aurelian. *cap.* 29. & *cap. Rogationes, de conſecr. diſt.* 3. *& c.* 1. *de conſecr. diſt.* 2. & Concil. Gerundenſi *cap.* 3. Brachatenſi 2. *cap.* 9. Toletano 5. *cap.* 1. Tolet. 6. *cap.* 2. Moguntino 1. tempore Caroli Magni *cap.* 32. *&* 33. Diuo Auguſtino *ſermone* 173. *de tempore*, Baſil. *ep.* 63. Soc. *lib.* 6. *hiſt. cap.* 8. Soz. *lib.* 8. *cap.* 8. Nicep. *lib.* 14. *cap.* 3. Vnde earum Auctor non fuit S. Gregorius Papa, etſi talis vocetur, quia pro variis locis, & neceſſitatibus eas induxerit. De his Durandus *lib.* 2. *de Ritibus, cap.* 10. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Orat. vocali, cap. vlt. in fin.* Aliæ dicuntur *Maiores*, illæ ſcilicet, quæ die S. Marci dicuntur, aliæ *Minores*, quæ in tribus diebus ante Aſcenſionem. Licet Suarez *ſuprà num.* 26. has poſteriores *Maiores* vocet, priores verò *Minores*. Video etiam in Paulo Diacono *de geſtis Rom. Pont. lib.* 8. *cap.* 4. mentionem fieri cuiuſdam Litaniæ *ſeptiformis*, propterea ſic dictæ, quod D. Gregorius Dominum deprecaturus in ſeptem partes diuiſit populum.

Quamuis autem earum vſus licitus valde ſit, nihilominus quia in abuſum declinauerat, ideo Clemens VIII. anno 1601. in Conſtit. *Sanctiſſimus*, *in* 3. *tom. Bullar. in Appendic. num.* 4. aliàs 122. hanc edidit Conſtitutionem. *Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa VIII. Quoniam multi hoc tempore priuati etiam homines, prætextu alendæ deuotionis nouas quotidie Litanias euulgant, vt iam propè innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur, & in nonnullis inepta ſententiæ, in aliis (quod grauius eſt) periculoſæ, & errorem ſapientes inueniantur, pro ſolicitudine ſua paſtorali prouidere volens, vt animarum deuotio, Deique, ac Sanctorum inuocatio ſine vllius detrimenti ſpiritualis periculo foueatur, præcipit, & mandat, vt retentis antiquiſſimis, & communibus Litaniis, quæ in Breuiariis, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon Litaniis de Beat. Virgine, quæ in ſacra Æde Lauretana decantari ſolent, quicunque alias Litanias edere, vel etiam editis in Eccleſiis, ſiue Oratoriis, ſiue Proceſſionibus vti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoſcendas, & ſi opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque ſine licentia, & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publicè recitare præſumant, ſub* 3

pœnis

pœnis (vltra peccatum) arbitrio Ordinarij , & Inquiſitoris ſeuerè infligendis. Quatanta *in Summo Bullar. verbo Litania.*

4 Circa quam Conſtitutionem nota primò , per illam non prohiberi ſeribere , aut habere apud ſe Litanias aliquas pias , & denoias pro vſu particulari. Verbum enim illud *euulgent* , & illud *circumferantur* , ac illud *eas in publicum edere* , manifeſtè denotant ſolùm prohiberi publieam editionem Litaniarum , qualis eſſet , ſi typis mandarentur , vel etiam ſolùm in ſcriptis , ſi publicarentur. Nota etiam ſecundò , neque etiam prohiberi priuatam recitationem aliarum Litaniarum præter dictas , vt conſtat ex illo verbo *publicè recitare præſumant.* Nota tertiò , quod etſi ad hoc quod aliæ Litaniæ publicentur, vel publieè recitentur, requiratur approbatio S. Congregationis Rituum , vt patet ex ipſo contextu ; nihilominus eadem S. Congregatio . vt patet ex vna Alexandrina 15. Maij 1608. quam refert Barboſa *in Collectaneis Bullarij, verbo Litania* , non approbat alias. Nota quartò , quod etiam ad hoc quod poſſint priuatim recitari aliæ Litaniæ præter dictas, præcipit tamen Sac. Congregatio ſecunda die Martij 1602. apud eundem Barboſam , quod reuideantur. Quia tamen nec ibi , nec in Conſtitutione Clementia expreſsè probibentur , ideo vt dixi poſſunt priuatim recitari.

5 Præſertim quintò , circa Litanias nominis Ieſu notandum , quod Sixtus V. in Bulla *Reddituri* , in Bullario Rodriguez *tom. 2.* inter Bullas Sixti *num. 25.* concedit trecentos annoa Indulgentiæ recitantibus Litanias nominis Ieſu ad inſtantiam Reuerendorum Patrum Diſcalceatorum noſtri Ordinis. Ex quo videtur colligi, prædictas Litanias nominis Ieſu cenſeri approbatas à Sede Apoſtolica , ac per conſequens non includi in prohibitione generali Clementis VIII. & Sacræ Congregationis Rituum , quia ſolùm videntur loqui de Litaniis à Sede Apoſtolica aliàs non approbatis.

6 Declaratum etiam eſt ab eadem S. Congregatione 25. Septemb. 1627. apud Gauantum *in Manuali Epiſcoporum, verbo Litania* , quod quando Litaniæ Maiores , id eſt quæ dicuntur die Sancti Marci Euangeliſtæ, venerint in die Paſchatis , transferri debeant ad feriam tertiam ſequentem. Item declaratum eſt ab eadem Sac. Congregatione 22. Martij 1631. apud eundem Gauantum *ſuprà* , non licere addere Sanctorum nomina Litaniis, quæ habentur in Breuiario , licet ſint Patroni locorum.

7 Teneri eos , qui ad Officium diuinum obligantur, recitare in die S. Marci , & tribus diebus ante Aſcenſionem Domini Litanias , dixi *tom. 1. part. 1. cap. 2. num. 23.* Ex Suarez , & Bonacina ibi relatis , quod etiam tenent Tannerus *in 2. 2. diſp. 5. queſt. 1. dub. 5. num. 148.* Caſtrus Palaus *tom. 2. diſp. 2. punct. 2. num. 13.* & alij , eo quòd ex communi ſententia Theologorum , & vſu Eccleſiæ cenſeantur para Officij illorum dierum , vt propterea qui illas in Proceſſionibus non recitauerint, priuatim recitare teneantur. Vbi nota , quod licet celebris Auctor Pater Diana *in 2. part. tract. 12. reſolut. 42.* oppoſitum probabile eſſe putet ex aliis , quos refert, nihilominus *part. 4. tract. 4. reſolut. 127.* noſtram ſententiam tutiorem , & veriorem appellat. Vide Bonacinam *tract. de horis Canonicis , diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1. num. 13. & 14.* vbi alia ad intentum.

Vide alia dicenda verbo *Officium diuinum.*

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

SVMMARIVM.

1 *Litteræ Apoſtolicæ , quæ dicantur.*
2 *Breuia S. Pœnitentiariæ inter ipſas numerantur.*
3 *Quæ dicantur ſubreptitiæ , obreptitiæ , falſæ , aut falſificatæ.*
4 *Pœna impetrantium Litteras Apoſtolicas ſubreptitiè, vel obreptitiè.*
5 *Quando contingat ſubreptio, vel obreptio.*
6 *De falſificantibus litteras Apoſtolicas.*
7 *Religioſi non poſſunt impetrare aliqua contra ſuæ Religionis ſtatuta.*
8 *Quid faciendum ſi ea impetrent.*
9 *Tenor aliquarum litterarum Apoſtolicarum , ſeu Sacræ Pœnitentiariæ.*
10 *Tenor pro diſpenſatione in voto caſtitatis.*
11 *Pro diſpenſatione in affinitate.*
12 *In impedimento occulto ex fornicatione.*
13 *Animaduertenda circa tales litteras.*
14 *Quid quando diriguntur Magiſtro in Theologia.*
15 *De priuilegio Greg. XIII. pro Ieſuitis.*
16 *An communicetur aliis Religioſibus.*
17 *Quid intelligatur nomine Doctoris.*
18 *Quid Confeſſoris* ex approbatis ab Ordinario.
19 *A quo aperiri poſſint.*
20 *Modus exequendi tales litteras.*
21 *Quid quando remittuntur alicui cum conſilio aliorum.*
22 *Per* ſtimulos carnis , *quid intelligatur.*
23 *Per* Oratoris examinationem , *quid intelligatur.*
24 *De monitis , ſeu conſiliis dandis à Confeſſario.*
25 *Quid intelligatur per illa verba à* mutatione propoſiti.
26 *Circa pœnitentias iniungendas.*
27 *Circa alia opera pœnitentiæ.*
28 *Quando impedimentum cenſeatur occultum.*
29 *An impendenda ſit pœnitentia vtrique coniugi.*
30 *Quid de experientia , cohabitatione , &c.*
31 *Quid de illis verbis* Muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata.
32 *Poſt diſpenſationem factam quid agendum.*
33 *De laniatione , ſeu reſtitutione Litterarum.*
34 *Diſpenſationes gratis facienda.*
35 *Quibus verbis danda diſpenſationes.*
36 *De diſpenſationibus in foro externo.*
37 *De aliis remiſſiuè.*

Litteræ Apoſtolicæ appellantur illæ , quæ expediuntur in Curia Romana per Papam , & ipſius officiales Papæ nomine. Graffius 1. *part. deciſ. lib. 4. in explicat. Bullæ Cœnæ , cap. 6. num.* 88. Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 8. num.* 184. Ex quibus aliæ ſunt , quæ cum Bulla plumbea pendente circa magna negotia expediuntur , quæ generali vocabulo vocantur *Bullæ.* 2
Aliæ verò , quæ expediuntur pro paruis negotiis cum ſigillo cereo per annulum Piſcatoris , quo Sanctus Petrus vſus fuiſſe creditur , & vocantur *Breuia.* Aliæ, quæ vocantur *ſignatura* , quæ ſunt ſupplicationes , ſeu petitiones in ſcriptis Papæ , vel eius Miniſtris porrectæ, quibus Papa ſubſcribit per *fiat* , vel ſimile verbum, non tamen ornatæ ſigillo. Rebuffus *in prax. beneficior. in tit. de Bulla , & tit. de Breu. & tit. de ſignatura.* Petrus Gregorius *in ſyntagmat. lib. 17. cap.* 15. Graffius *ſuprà num. 9. &* 91. Aliæ præterea Litteræ Apoſtolicæ ſunt , quæ vocantur *mandatum Apoſtolicum.* Eſt autem *mandatum Apoſtolicum* omne reſcriptum, per quod Summus Pontifex mandat , & iubet alicui de beneficio prouideri. Petrus Gregorius *ſuprà cap.* 11. Azor. *tom. 2. Inſtitut. moral. lib. 6. cap.* 32. apud quos poſt Staphileum , Gomezium , Rebuffum , & alios plura de iis mandatis Apoſtolicis , & de variis modis, quibus concedi ſolent, quæ omitto , quia parum ad intentum Regularium deſeruiunt. Solùm ergo de iis , quæ ſpecialiùs ad ipſos ſpectant hic tractandum , maximè quod attinet ad impetrationem priuilegiorum , indultorum, ſeu aliarum gratiarum , quæ per dictas Litteras Apo-

Google

ſtolicas obtinere ſolent, ad Breuia, ſeu diſpenſationes Sedis Apoſtolicæ, quæ ipſis committi ſolent pro executione.

2 Et primò notandum Breuia Summi Pœnitentiarij, ſeu Pœnitentiariæ, quæ ſæpius ipſis Regularibus committuntur, etiam vocari quoad intentum noſtrum Litteras Apoſtolicas, quia expediuntur in Curia per prædictum ſummum Pœnitentiarium, qui etiam eſt Papæ officialis. Et ita ſupponit Petr. Gregorius *d. cap.* 15. *num.* 13. & ducet Fillincius *tract.* 16. *num.* 184. *in Tabella excommunic. ex Iulio III.*

3 Secundò nota, Litteras Apoſtolicas alias poſſe eſſe ſubreptitias, alias obreptitias, alias falſas, alias verò falſificatas. Litteræ ſubreptitiæ illæ dicuntur, quæ impetrantur exprimendo falſitatem, ſeu tacendo veritatem, ſeu illa, quæ ius & ſtylus Curiæ exprimi iubent. Obreptitiæ verò illæ, quæ impetrantur ſupplicato Papa ſic inuolutè ſub inuolucro verborum, vt non perceperit veritatem. Falſæ autem, quæ nunquam à Papa conceſſæ ſunt, ſed aliquis priuatus illas finxit. Falſificatæ tandem ſunt illæ, quæ verè à Papa emanarunt, ſed ab aliquo priuato alteratæ, vel immutatæ ſunt. Graffius *ſupra num.* 88. ex Iaſ. *in leg.* 2. *num.* 1. *Cod. Si quis cont. ius, vel vtilit. public.* Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 4.

4 His poſitis, quod attinet ad impetrationem prædictarum litterarum Apoſtolicarum, dicendum primò: Religioſus, vel quicunque alius impetrans ſubreptitiè, vel obreptitiè litteras Apoſtolicas, peccat mortaliter, quia decipit Papam in re graui. Imo tales litteræ ipſo iure irritæ ſunt, & inualidæ, vt conſtat *ex cap. Ad aures, cap. Conſtitutus, cap. ſuper Litteris, de Reſcript. & cap. vltim. de fil. Presbyteror. in* 6. Graffius *dict. num.* 89. Layman. *ſuprà cap.* 22. *num.* 17. Etiamſi ſubreptio, vel obreptio per ignorantiam, & bonam fidem contingat, quia hoc non eſt pœna, ſed prouenit ex defectu voluntatis, vel intentionis Papæ. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 21. *num.* 19. Layman. *ſuprà n.* 18. Theſaur. *in prax. part.* 2. *verbo gratia, cap.* 8. §. 5. *Amplia quod ſurreptio.* Hoc tamen intelligi ſolùm debet in litteris Apoſtolicis gratiam continentibus. Si enim iuſtitiam contineant, idest, ſi ſint ad lites forenſes, non ſunt ipſo iure irritæ, ſed irritandæ à parte, ſeu aduerſario contra quos obtentæ ſunt per exceptionem allegatæ ſurreptionis, vel obreptionis, prout colligitur *ex cap. Si autem, & cap. Plerumque, de Reſcript.* Sanchez *ſuprà num.* 4. Garzia *de benef. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 1. Layman. *d. num.* 17. Quando verò, aut quomodo ſanetur tale vitium, habet Theſaurus *ſupra*, §. *Amplia quod ſi gratia, &* §. *limita etiam.* Talis tamen impetrans litteras Apoſtolicas ſubreptitiè, vel obreptitiè, non propterea incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ Papæ reſeruatam, de qua dixi *ſuprà verbo Bulla Cœnæ, num.* 20. Quia ea ſolùm eſt impoſita contra falſificantes litteras Apoſtolicas; iſte verò non falſificat illas, ſed impetrat modo illo doloſo, & fraudulento. Nauar. *in Man. cap.* 27. *n.* 62. Graffius *d. num.* 89. Toletus *in Summa, lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 4. §. *Tertiò impetrantes.* Incurrere tamen videtur pœnas taxatas *in cap. Ad falſariorum, in fin. de crimine falſi*, prout dixi *ſuprà verbo Falſarius, num.* 2. ex Suarez ibi relato. Quod & ſequitur Alterius *lib.* 5. *diſp.* 7. *capit.* 5. *in princip. tom.* 1. Ibi enim diſtingui videntur falſificantes litteras ab impetrantibus litteras falſas, ex hoc enim denotari videtur hos poſteriores eſſe illis, qui litteras Apoſtolicas ſurreptitiè, vel obreptitiè impetrant. Licet Fillincius *ſuprà num.* 185. oppoſitum ſentiat. An verò incidant etiam in pœnas Bullæ Pij V. quæ incipit *Cùm ſicut*, vide Theſaur. *ſuprà*, §. *ex Bulla.* Illud certius quod ſubripientes expeditionem litterarum Apoſtolicarum gratuitam, faciendo in eis exprimi impetrantem habere illas qualitates, ob quas ſolent litteræ Apoſtolicæ talibus gratis concedi, vt eſſe Commenſalem, aut Nepotem Cardinalis, aut Abbreuiatorem, & Scriptorem litterarum Apoſtolicarum, incurrunt excommunicationem ex Bulla Innocentij VIII. Conſtit. 7. vel 11. quæ incipit: *Cum ſicut*, & Leonis X. Conſtitut. 27. quæ incipit: *Inhærendo.* Filliucius *tractat.* 15. *num.* 95. & 99. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 50. *num.* 28. ex aliis. Contra hos etiam extat Ordinatio SS. D. Vrbani, prout refert Theſaur. *ſuprà*, §. *hodie.*

Maximè notandum pro huiuſmodi ſubreptione, vel obreptione Litterarum Apoſtolicarum, tunc ſolùm contingere, quando aliquid reticetur veri, vel exprimitur falſi, ita vt ſi ſecus eſſet, Papa, prudentum iudicio, non conceſſiſſet illam gratiam, vel non eodem modo, aut etiam quando ius, aut ſtylus Curiæ talem circunſtantiam exprimi volunt tanquam conditionem ſine qua non. In his enim caſibus ſolùm præſumitur conceſſionem irritam eſſe, quippe inuoluntariè conceſſam propter errorem. Sanchez *diſput.* 21. *num.* 13. & ſequentibus. Layman. *ſuprà num.* 18. & 19. ex aliis. 5

Dicendum ſecundò: Falſificantes, ſeu falsò fabricantes Litteras Apoſtolicas excommunicationem Papalem incurrunt Bullæ Cœnæ Domini, prout conſtat ex verbis ipſius *ſupra*, verbo *Bulla Cœnæ, num.* 20. relatis. Pro quo vide dicta *ſuprà*, verbo *Falſarius, n.* 2. 6

Dicendum 3. Quamuis ex vi priuilegiorum à Summis Pontificibus Regularibus aliquibus conceſſorum, præſertim Vrbani IV. pro Præmonſtratenſibus, Clementis VII. pro Ciſtercienſibus, Leonis X. pro Eremitis S. Auguſtini, Sixti IV. & Iulij II. pro Hieronymianis, maximè einſdem Leonis X. pro Minoribus, quæ refert Caſſarubius *in Compend. priuilegiorum Mendicant. verbo Exempti fratres, num.* 9. 10. & 11. Rodriguez *tomo* 2. *quæſt. Regular. quæſt.* 64. *art.* 1. & *quæſt.* 103. *artic.* 2. & Portellus *in Dub. Regular. verbo impetrare indulta abſque licentia, num.* 1. non poſſint impetrare indulta aliqua à Sede Apoſtolica contra ſuæ Religionis Regulam, vel Statuta ſine licentia ſuorum Prælatorum, & talia indulta ſint nulla, prout habent Rodriguez, & Portellus; nihilominus attendendum eſt ad prædicta indulta. Si enim illa derogent talibus conceſſionibus, Statutis, Regulis, vel Priuilegiis, valida erunt. Sin autem non derogent illis, manebunt in ſua vi. Portellus *ſuprà num.* 2. Addit Rodriguez eo *art.* 1. quod cum Pontifex concedit tale indultum ex motu proprio, & certa ſcientia, cenſetur derogare prædictis omnibus. Sed quidquid de hoc ſit, ſaltem quando indultum non conceditur niſi ad inſtantiam partis, non derogabit prædictis. Maximè quia cum de iure ſit, *l. quoties, Cod. de precib. Imper. offer.* quod contra ius alterius nihil admittatur, & de iure Religionis ſit quod propter obedientiæ votum Religioſi ſubditi ſint voluntati ſuorum Prælatorum, non eſt cenſendum derogari huic iuri à Pontificibus, niſi id exprimat. Rodriguez *d. artic.* 2. 7

Caſu ergo, quo talia indulta impetrata fuerint ab aliquibus Regularibus contra Regulam, aut Statuta ſuarum Religionum, ſine ſcitu, & aſſenſu ſuorum Superiorum (quod maximè contingit in quibuſdam ambitioſis, qui variis, & exquiſitis viis gradus magiſterij, & alias immunitates ſibi indebitè quærunt) poſſunt, imo ſæpius debent, prædicti Superiores, debita reuerentia dictis Apoſtolicis indultis exhibita, pro illorum moderatione ad Sanctiſſimum ſupplicationem facere, & interim illa ſuſpendere, iuxta dicta ſuprà verb. *Leges Regularium, n.* 19. Certi enim eſſe debent Summos Pontifices, vtpotè Regularis obſeruantiæ egregios zelatores, nihil voluiſſe contra Regulam, & Conſtitutiones Religionum, aut quod ſcandalum, vel perturbationem in Religioſos generare poſſit, prout 8

Digitized by Google

ſolent prædicta indulta. Caſu etiam quo viuæ vocis oraculo aliqui Religioſi impetrent gratiam aliquam à Sede Apoſtolica, notent Prælati aliud viuæ vocis oraculum Leonis X. quod refert Caſſarubius *in Compend. verb. oracula viua vocis, num.3.* quo Minoribus fratribus conceſſit, quod Generalis in Generali Capitulo, & Prouinciales in Prouinciali de conſenſu eorumdem, vel maioris partis declarare poſſint, & valeant verum abuſu alicuius conceſſionis viuæ vocis oraculo factæ abſtinere debeant: poſt quam quidem declarationem tam Fratres, quam Moniales, ac ſi conceſſio huiuſmodi per ſuam Sanctitatem ſuſpenſa, vel reuocata fuiſſet, conceſſione eadem in poſterum non vtantur. Notent etiam huiuſmodi viuæ vocis oraculum reuocatum non cenſeri per reuocationes factas à Gregorio XV. & Sanctiſſ. Dom. Noſtro Vrbano, quia limitare, reſtringere, declarare, ſeu etiam tollere priuilegia à ſubditis competit Prælatis, tum ex vi ſui officij, tum ex multis priuilegiis, de quibus dixi *tom.1. part.1.cap.18. num.56.* Aliam rationem pro hoc aſſignat Bordonus *reſol.31.num.2.* de qua infrà verbo *Oracula viua vocis.* [Illæ tamen gratiæ quæ non ſunt contratiæ Regulæ vel Conſtitutionibus Religionum poſſunt impetrari à Papa etiam ſine ſuperiorum licentia. Quia Papa eſt ſupremus Religioſorum Prælatus. Et ad impetrandum ab illo poteſt Procurator conſtitui: quia quod quis poteſt per ſe, poteſt & per alium, *reg. poteſt quis, de reg. iuris in 6.* Ita Nicol. Milis *in ſuo Repertor. verbo Religioſus, §. Religioſus non poteſt conſentire electiani.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 3. diſp.9.quæſt.10.num.2.*]

9 Circa ſecundum de Litteris Apoſtolicis, ſeu Breuibus Papæ, ſeu Pœnitentiariæ Regularibus quandoque deſtinatis, notandum diuerſi tenoris eſſe. Aliquando enim, videlicet pro diſpenſando voto Religionis, talia ſolent eſſe. *N. Cardinalis, &c. Diſcreto viro Confeſſori Magiſtro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino. Pro parte latoris nobis oblata petitio continebat, quod ipſe alias graui morbo laborans ſe Religionem ingreſſuram ſimpliciter vouit, cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, lator prædictus ob ſtimulos carnis, quos ſentit, continenter viuere poſſe non ſperet, pro ſua conſcientia quiete cupit votum huiuſmodi ad effectum contrahendi Matrimonium, in alia pœnitentia, & pietatis opera per Sedem Apoſtolicam commutari. Quare ſupplicari fecit humiliter ſibi ſuper id de opportuno remedio miſericorditer prouideri. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, eiuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolica ſpecialiter nobis commiſſa, diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi ita eſſe, ac latorem ſtimulis carnis adeo agitatum, vt maximè dubites continere poſſe, ac propterea de eius incontinentia probabiliter timendum, per diligentem Oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna illi præſtita, inueneris, eandem à mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, iniuncta ei pœnitentia ſalutari, ſibique votum prædictum ad hoc, vt Matrimonium legitimè contrahere poſſit, in frequentiam Sacramentalis Confeſſionis peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, ſemel, aut quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentia opera perpetua per te iniungenda, inter quæ ſint etiam aliqua religionis, quæ quotidie facere teneatur, ad eum finem, vt ea implens meminiſſe ſemper poſſit obligationis, qua huiuſmodi voto adſtringebatur, prout ſecundum Deum ipſius animæ ſaluti expedire iudicaueris, diſpenſanda commutes in foro conſcientiæ tantum. Dat. Romæ, &c.*

10 Forma verò pro diſpenſatione in voto ſimplici caſtitatis talis ſolet eſſe. *Quatenus ſi ita eſſe, ac Oratorem ſtimulis carnis adeo agitari, vt maximè dubites continere poſſe, & propterea de illius incontinentia probabiliter timendum, per diligentem Oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna illi præſtita inueneris, eundem à mutatione propoſiti abſoluas hac vice, &c.* Et infrà ſubiungitur: *Et cum eodem, vt Matrimonium ſic contrahere, & in eodem poſtmodum permanere, & debitum coniugale exigere licitè valeat, miſericorditer diſpenſes, in foro conſcientiæ tantum. Ita quod ſi coniugi ſuperuixerit maneat poſtea cœlebs, & in ea caſtitate, vt poſte eodem voto vt prius, obligatus. Quod ſi iterum contraxerit, & conſummauerit Matrimonium, aut vnquam extra Matrimonium fornicatus fuerit, ſciat ſe contra huiuſmodi votum acturum. Dat. Romæ, &c.*

Similiter, quando diſpenſatio eſt pro affinitate ex fornicatione occulta ad ineundum matrimonium, tenor talis eſſe ſolet. *Diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi ita eſt, dictum latorem à præmiſſis abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, iniuncta eidem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de iure fuerint iniungenda, dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit: cum eodem latore, quod præmiſſis non obſtantibus, Matrimonium cum dicta ſorore, & vterque inter ſe ſeruata forma Tridentini contrahere, & in eo poſtmodum remanere licitè valeant, iure diſpenſes. Prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando in foro conſcientia tantum. Ita quod huiuſmodi abſolutio, & diſpenſatio latori in ſuo foro iudiciario nullatenus ſuffragetur: nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut litteris datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laniatis, quas laniare timearis, neque latori reſtituas. Quod ſi reſtituas, nihil illi præſentes Litteræ ſuffragentur. Dat. Rom.* 11

Pariter etiam quando diſpenſatio datur in matrimonio inito cum impedimento affinitatis occulto ex fornicatione, talis tenoris eſſe ſolet forma. *Diſcretioni tuæ committimus, iniuncta eorum cuilibet pro tam enormi libidinis exceſſu graui pœnitentia ſalutari, ac Confeſſione Sacramentali peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, vel quoties animarum ſuarum ſaluti expedire iudicaueris, & aliis, quæ de iure fuerint iniungenda, quodque diligenter experiantur an ſine ſcandalo poſſint ſeparari. Quod ſi fieri poteſt, fiat omnino. Quod ſi fieri non poſſit, experiantur ſaltem an cohabitantes tanquam frater, & ſoror continenter viuere valeant. Quod ſi neutrum fieri valeat, & ex cohabitatione incontinentiam, ex ſeparatione verò ſcandala oriri poſſe ſibi viſum fuerit, cum ipſis latoribus (muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita cautè, vt ſi illa adhuc ignara ſit, latoris delictum nuſquam detegatur) diſpenſa, vt Matrimonium inter ſe ſecretò contrahere valeant, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo in foro conſcientia tantum. Dat. Rom.* 12

Circa quas, & alias formas diſpenſationum, quæ pro diuerſitate materiarum à Sede Apoſtolica emanare ſolent, quarum aliquas referunt Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp.34.* & Portellus *in dub. Regul. verbo Confeſſor aperiens Litteras Papæ*, aliqua animaduertenda, maximè pro praxi Regularium, quibus quandoque contingit eas executioni mandare. Primum, circa perſonam cui committitur, ſeu delegatur executio talis diſpenſationis; ſecundum, circa modum, quem in illa ſeruare debet; tertium, circa ea, quæ ad talem executionem facienda ſunt. 13

Et quidem quoad primum cum petitur in forma quod ſit Magiſter in Theologia, denotatur debere eſſe Doctorem in hac facultate. Idem enim eſt eſſe Magiſtrum, & Doctorem, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Gradus, num.2.* Sanchez *ſuprà num. 5.* Portellus *ſuprà num. 5.* Nec ſufficit quoad Regulares eſſe Magiſtrum pro ſua Religione tantùm, niſi verè ad Magiſterij, ſeu Doctoratus gradum in aliqua Academia promoti fuerint. Quia in talibus Litteris Pontificis videtur 14

requiri,

Digitized by Google

requiri, quod perſonæ cui committuntur exequendæ, habeat hanc qualitatem, ſcilicet publicum alicuius Academiæ Teſtimonium. Sanchez *ſuprà num.9.* Portellus *num.3.* Pro quo notandum, quadruplicis generis Magiſtros in Theologia reperiri in Religionibus. Alij enim ſunt, qui lauream Magiſterij, ſeu Doctoratus in aliqua approbata Vniuerſitate ſuſceperunt, de quibus certum eſt exequi poſſe executionem talium Litterarum. Alij ſunt, qui prædictam etiam lauream in aliquo Collegio ſui Ordinis habente facultatem à Sede Apoſtolica ad id faciendum ſuſceperunt, prout erunt illi, qui in noſtro S. Thereſiæ Salmanticenſi Collegio eam ſuſceperint, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Gradus, num.* 6. ex conceſſione, & priuilegio SS. D. N. Vrbani ibi relatis. De quibus etiam idem affirmandum, cum ſint veri Doctores in Theologia authoritate Apoſtolica creati. Alij item ſunt, qui prædictam quoque lauream Doctoratus accipiunt ab aliquo Superiori, v. g. Generali Ordinum ea ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ, quale idem Sanctiſſimus conceſſit Reuerendiſſimo Theodoro Stratio Ordinis noſtri Generali Litteris datis die 7. Nouemb. 1633. In eis enim habetur, vt tempore viſitationis Ordinis poſſet ad Magiſterij in Theologia gradus promouere aliquos Religionis alumnos idoneos repertos, illiſque Magiſterij & Doctoratus inſignia auctoritate Apoſtolica conferre. Et de his etiam loquendo certum quoque eſt poſſe prædictas Litteras aperire, & exequi. Sunt enim veri Magiſtri, & Doctores in Theologia, & vt in ipſis Litteris habetur, *omnibus, & ſingulis honoribus, priuilegiis, fauoribus, prærogatiuis, præeminentiis, antelationibus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, quibus alij quicumque in eiſdem artibus & Theologia huiuſmodi Magiſtri etiam in publicis ſtudiorum generalium Vniuerſitatibus ad huiuſmodi gradus promoti de iure, vſu, conſuetudine, aut alias quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, vti, frui, & gaudere poſſunt.* Idemque videtur dicendum de Magiſtro creato ex vi priuilegij Bonifacij Noni pro Generali Ord. Prædicatorum. De quo *ſupra* verb. *Gradus, & Graduati, num.5.* Alij verò ſunt, qui nullo ex prædictis modis lauream Doctoratus, ſeu Magiſterij ſuſceperunt, ſed ſolùm propter litterarum exercitia ab eis præſtita Magiſtri in Ordinibus creantur ab eorum Superioribus cum aliquibus priuilegiis, iuxta varia Ordinum inſtituta, quales in Ordine noſtro ſunt ij, qui ex conceſſione facta per eundem Sanctiſſimum ſub die octaua Octobris 1639. eidem Reuerendiſſ. Stratio, ex Prouinciis Italiæ & Inſularum adiacentium Romam veniunt, & coram Eminentiſſimo Cardinali Protectore Ordinis, ab eodem Reuerendiſſ. & aliis examinati & approbati in Magiſtros Ordinis creantur. Hi verò ſunt, de quibus dixi non poſſe exequi talium Litterarum Apoſtolicarum diſpenſationem, non enim ſunt veri, aut ſimpliciter Doctores, ſeu Magiſtri in Theologia, ſed ſolùm ſecundum quid, & cum addito, ſcilicet in eorum Ordinibus. Idem quoque dicendum de aliis, qui Licentiati, Præſentati, ſeu Bachalaurei nominantur, cum non ſint veri Doctores, aut Magiſtri, etiamſi caſu dato viri doctiſſimi alias ſint, aut etiam publicè in aliqua Academia ius Canonicum, vel Theologiam doceant, aut communi errore Doctores appellentur, propter eandem rationem. Sanchez *ſupra n.7.8. 9. & 10.* Fillíucius *tract.30. part.2. cap.10. num.352.* Qui tamen prædictam lauream obtinuerunt, etiamſi aliàs indocti ſint, validè diſpenſant, quia habent qualitates requiſitas. Bonacina *de legibus, diſp.1. quæſt.2. punct.2. num.3.* Portellus *ſuprà num.4.*

15 Extat tamen priuilegium Gregorij XIII. conceſſum Generali Aquæuiuæ, & Preſbyteris Societatis Ieſu anno 1582. inter Conſtitutiones eiuſdem Gregorij *num.75.* vbi eidem Claudio Aquæuiuæ Generali hæc dicit: *Exponi nobis nuper feciſti, quod alias quond. Alexander Frumentus tunc officij S. Pœnitentiariæ Regens dilectis filiis Preſbyteris Societatis Ieſu, cui præeſſe dignoſceris, etiamſi nullo Magiſterij in S.Theologia, & Doctoratus in iure Canonico gradibus inſigniti eſſent, aliàs tamen idoneis, & approbatis ipſius Societatis Confeſſariis, vt quaſcunque obſignatas etiam Magiſtris in Theologia, vel Iure Canonico Doctoribus directas in foro conſcientiæ eiuſdem Sacræ pœnitentiariæ Litteras aperire, & abſolutionis beneficium, iuxta illarum diſpoſitionem impendere poſſent, & valerent, verbo tenus conceſſit, eaque facultate ipſi Preſbyteri hactenus vſi ſunt. Cum itaque ipſius Societatis Religioſi ad huiuſmodi gradus niſi pro neceſſitate ſcholarum ſuarum promouere non ſoleant, pœnitentes etiam ad ipſos Preſbyteros cum ſuis Litteris abſolutionum in dies recurrant, & importunè obſecrent, opportunè etiam eos iuuari conuenit. Nos idcirco tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Preſbyteris Societatis huiuſmodi per te, vel tibi ſubordinatos illius Superiores de tua licentia deſignandis, & ab Ordinariis locorum approbatis, vel approbandis, etiamſi Magiſterij, vel Doctoratus, aut aliis gradibus inſigniti non ſint, Litteras huiuſmodi aperiendi, Confeſſionibus fidelium ad ipſos recurrentium auditis, & impoſita ſalutari in illis expreſſa, vel de iure infligenda pœnitentia, abſoluendi, ac in foro conſcientiæ quaſcunque ſibi verbo, vel ſcriptis commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum commutationes excipiendi, & exequendi licentiam, & facultatem tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus, &c.*

Sed licet plures ſentire videantur hoc priuilegium communicari poſſe aliis Religionibus habentibus generalem communicationem priuilegiorum cum Societate, nihilominus aliqua animaduertenda ſunt. Primò, quod cum illud ſolùm conceſſum ſit Generali Claudio Aquæuiuæ, non autem aliis ſucceſſoribus ipſius, non video qualiter alij Generales Societatis, & multo minus per dictam communicationem Generales aliarum Religionum eo vti poſſint. Conceſſio enim, ſeu priuilegium alicui Generali perſonaliter conceſſum non tranſit ad ſucceſſores, Quia iuxta regulam iuris in 6. *num.7.* priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. Tranſiret autem, ſi Pontifex diceret, *vel Generali pro tempore exiſtenti.* Quod non reperitur in hoc priuilegio, vt intuenti conſtare poterit. Secundo, eſto quod alij Generales eiuſdem Societatis eo vti poſſent, difficile etiam eſt, quod id communicetur aliis Generalibus illorum Ordinum, in quibus Magiſtri, ſeu Doctores in Theologia reperiuntur. Vt enim dixi *tom.1. part.1. cap.19. num.38.* cùm titulus quare Pontifex hoc concedit Patribus Societatis, vt patet ex contextu, ſit eo quòd inter ipſos non ſint niſi rarò aliqui Magiſtri, vel Doctores, ſanè aliæ Religiones, in quibus tales gradus reperiuntur non poterunt vti eo priuilegio; cum in illis ceſſet præfatus titulus. Vt enim etiam dixi *tom.1. part.2. cap.1. num.52.* communicatio priuilegiorum inter Religiones ſolùm eſt quando in illis militat eadem ratio, vel ſaltem ſimilis, aut æquiualens, propter quam Pontifex illud conceſſit. Tertiò, reſpectu illorum quibus valet, vel valere poſſit hæc conceſſio, expendendum eſt verbum illud *in foro conſcientiæ*, quo denotatur nullatenus in foro exteriori valere poſſe tales diſpenſationes, & abſolutiones. Imò videtur requiri quod dentur in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis. Ad hoc enim denotandum videtur Pontifex vſus illis verbis *Confeſſionibus auditis, &c.* Quarto, quod etiam caſu quo id fiat, Prouinciales non poſſunt dare hanc commiſſionem, niſi ex delegatione Generalis, & ſolùm Confeſſariis approbatis, cum aliis conditionibus in conditione expreſſis, aliàs irritum erit, & inane quidquid 16

contra geſtum fuerit. Debent autem prædicti Confeſſarij eſſe viri valdè docti, alias pro negotio erunt inepti, prout habent Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.*63. *art.*8. Portellus *ſuprà num.* 15. & nouiſſimè Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſion.*414.

17 Circa illam clauſulam *Decretorum Doctori*, vel *Iuris Can.* notandum, quod Doctor in iure Cæſareo non comprehenditur illa, tum quia ſunt diuerſa, tum quia ad iuris Cæſarei Doctores non ſpectat tam proximè notitia neceſſaria pro huiuſmodi diſpenſationibus. Filliucius *ſuprà*. Portellus *ſuprà num.*2.

18 Circa illam *Confeſſoris ex approbatis ab Ordinario*, videnda ſunt quæ dixi *tom.* 1. *part.*2. *cap.*19. & *ſuprà*, verbo *Bulla Cruciata*, *num.*20. & *ſuprà*, verbo *Clauſula*, *num.* 23. Ex illis enim conſtare poterit quis dici poſſit Confeſſor approbatus pro iſto caſu, pro quo etiam vide Sanchez *ſupra à num.*13. Filliucium *ſuprà*, Bonac. *ſuprà num.*2.

19 An verò ſi prædictæ litteræ aperiantur à non habente prædictas qualitates, ſuo effectu fruſtrentur aut priuentur, à nonnullis ambigitur. Et verior eſt pars negatiua, quia illæ ſolùm exiguntur pro executuro diſpenſationem, non pro aperturo litteras. Sanchez *ſuprà num.*12. Naldus *in Summ. verbo Littera*, *num.* 8. Peccabit tamen prædictas litteras aperiens, ſi illis qualitatibus præditus non ſit, quia Papa, vel ſummus Pœnitentiarius ſolùm id committit illas habenti. Naldus *ibid.* Caſu etiam quo aperiantur ab vno Confeſſario, & ille nolit diſpenſationem concedere, poteſt Orator alium adire, & ab eo ipſam obtinere. Ratio eſt, quia huiuſmodi litteræ conceſſæ intelliguntur conformiter ad formam, & naturam Confeſſionis Sacramentalis, in qua nullo iure conſtringitur pœnitens quin variare poſſit, cum non teneatur acquieſcere opinioni vnius Confeſſarij, quoties alium inuenire poteſt habentem aliam opinionem probabilem. Naldus, & Bonacina *ſup.* cum Sanchez, & aliis contra Nauarrum *lib.*1. *conſil. de Offic. Delegat. conſil.*8. Imò ipſe Confeſſarius, qui in principio noluit dictam diſpenſationem concedere, poteſt, mutata ſententia, id poſtea facere, cum ſapientis ſit mutare conſilium ex iuſta cauſa. Bonacina *ſuprà* aliis relatis.

20 Circa modum autem in huiuſmodi Litterarum executione ſeruandum nota primò, quod licet prædictæ diſpenſationes, & quæcunque aliæ, in iure communi ſtando dari poſſint extra Sacramentum Confeſſionis, cum nullo iure oppoſitum habeatur (Sanchez *ſuprà num.* 30. Garzia *de Benefic. part.* 11. *cap.* 10. §. 1. *num.* 139.) nihilominus obſeruandum eſſe modum à Papa, vel Summo Pœnitentiario quoad hoc deſignatum. Aliàs irritum erit quod geſtum fuerit. Facultas enim delegati exerceri non poteſt, niſi iuxta voluntatem delegantis, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Abſolutio*, *num.*6. Illud autem ſatis probabile eſt, quod etiamſi talis facultas detur tantùm prò foro conſcientiæ, quemadmodum in formis adductis conceditur, nihilominus niſi aliud in prædictis Litteris exprimatur, poteſt dari etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*18. *num* 45. *& ſuprà* verbo *Abſolutio*, *num.*6. verbum enim illud *in foro conſcientia tantum*, ſolùm denotat illam diſpenſationem non prodeſſe ſuſcipienti quoad Eccleſiam, ſed dumtaxat quoad Deum, & ſalutem animæ, prout eo loco dixi. Pro quo vide Sanchez, & Rodriguez ibi relatos. Portellum *ſup. num.*9. & ante ipſos Nauarrum *lib.*5. *conſil. in* 2. *edit. de priuileg. conſil.* 13. *num.*2. *& in Man. cap.*27. *num.*41. Ceſſat tamen difficultas de facto in Breuibus, quæ à S. Pœnitentiaria expediuntur pro ſimilibus diſpenſationibus, in illis enim apponi ſolet *in ipſo actu Sacramentalis confeſſionis tantùm*, *nec aliter*, *nec alio modo*. Filliucius *ſuprà num.* 155. Theſaur. *in prax. part.* 1. *c.*22. §. *Secunda differentia.* Idem dicendum, ſi in eiſdem formis dicatur *in foro Pœnitentia*, iuxta dicta eo verbo *Abſolutio*, *num.*6.

Secundò nota, quod cum huiuſmodi commiſſiones remittuntur alicui, Generali videlicet, cum conſilio, & conſenſu aliquorum, v. g. Definitorum, non poterit ille, v. g. Generalis tale munus exequi, non præmiſſo tali conſilio, & conſenſu. Nam, vt ait Panormitanus *cap. ex parte, de Conſtitut.* ſi mandator ex forma mandati voluit requiri conſilium, non tenet actus niſi requiratur. Ita etiam habetur *ex cap. cum in veteri*, *de elect.* Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.*103. *art.*1. Nec ſufficit, quod requiratur, ſed debet expectari reſponſum conſiliariorum, itavt ante ipſum præſtitum non valeat actus. Prout etiam habetur *ex d. cap. cum in veteri*. Rodrig. *ibid.* ex eodem Panormitano. Poteſt tamen id per litteras peti. Cum per id ſufficienter ſatisfiat intentioni dantis commiſſionem. Rodriguez *ibidem*, ex eodem etiam Panormitano. Quando verò exigitur ſolùm conſilium, etiamſi adſit diſſenſus conſiliariorum, factum tenet, quia diuerſum quid eſt conſilium, & conſenſus, & vnum non includit aliud. [Pro quo nota neminem Regulariter obſtringi ſequi conſilium ſibi datum, *cap.* 1. *de Monach. & cap. in veteri, de elect.* Panorm. *ibidem.* Syluester *in Summa*, *verbo Conſilium*, *quæſt.* 1. Sigiſmundus *ſupr. num.*1.] 21

Specialiter circa *ſtimulos carnis*, qui pro cauſa diſpenſandi allegantur in forma pro diſpenſando voto Religionis, notandum per eos non intelligi quaſcunque tentationes carnis, nec quodvis periculum lapſus in illas, nec timorem vnius, vel alterius lapſus, ſed requiritur magnum periculum frequentis lapſus, ita vt ea perſona dici queat viuere incontinenter. Hoc patet ex verbis clauſulæ ibi, *continenter viuere poſſe non ſperas*, *ac propter*, *&c.* quæ ſonant habitum viuendi incontinenter. Et conſequenter periculum vnius, vel alterius lapſus non eſt iuſta cauſa in hoc diſpenſandi. Sufficiet tamen ad diſpenſandum, ſi hoc grande periculum frequentis lapſus proueniat vel ex fragilitate complexionis, vel ex prauo habitu acquiſito. Filliucius *ſuprà num.* 353. Portellus *ſuprà num.* 6. Bonacina *ſuprà num.*4. 22

Circa illa etiam verba, *per diligentem Oratoris examinationem*, nota Confeſſarium teneri examinare diligenter iſtam cauſam de veritate precum, in ſecreto, abſque teſtibus, quia agitur ſolùm de foro conſcientiæ. Neque tenetur à pœnitente exigere iuramentum, quia ad conſcientiæ forum id non permittitur. Sed debet ipſum in Deo obteſtari, vt vera loquatur. Sanchez *ſupra à num.*21. Portellus *ſupra num.* 7. Si verò rem iam nouit antea ex Confeſſione, vel aliunde, quia erat notoria, non indiget nouo examine, quia id erit inutile. Conſtat autem quod ad opus inutile nullus obligatur. Bonacina *ſupra num.*5. Omiſſio autem huius examinis diſpenſationem irritam reddit, quia non ſeruatur in ea forma ſubſtantialis pro diſpenſatione requiſita illis verbis: *Si ita eſſe inueneris*, *&c.* Bonacina *ſuprà*, §. *dixi*, ex Reginaldo, Sanchez, Salas, & Guttierrez. Quod intellige, etiamſi reuera à parte rei preces ipſæ in re ſint veræ. Propter eandem rationem, & quia ita colligitur *ex l. cum qui duobus* 51. §. *filiusfamilias*, *ff. de acquirend. heredit.* Sanchez *ſuprà numer.*26. Portell. *ſuprà num.*7. Vide & Filliucium *ſuprà num.*354. An verò requiratur ad validitatem diſpenſationis, vt cauſa ſit vera quando litteræ Romam mittuntur pro ipſa obtinenda, vel ſufficiat quod ſit vera ſolùm quando Summus Pontifex, vel Maior Pœnitentiarius diſpenſationem committit, aut quando ea de facto confertur, agit Vincentius Candidus *tom.* 2. *Diſquiſit. moralium, diſquiſit.* 28. *art.*4. *dub.*6. *& ſequentib.* ex aliis. 23

Circa monita illa, & conſilia danda à Confeſſario 24
pœnitenti

Digitized by Google

pœnitenti, nota ea debere eſſe, vt veritatem integrè, & ſincerè declaret, ne diſpenſatio irrita ſit. Attamen ſi Confeſſor ea omittat ſeruando reliqua, diſpenſatio valida erit, quia non videtur hoc pertinere ad ſubſtantiam diſpenſationis, ſed eſſe quandam inſtructionem eius, quod facere tenetur. Sanchez *ſupra num.* 27. Bonacina *ſuprà* §. *ſecundò his verbis.* Portellus *ſupr. num.*8.

25 Similiter circa verba illa *eundem à mutatione propoſiti abſoluas*, *&c.* notandum, mala probabilem opinionem hunc facere ſenſum, ſcilicet quod pœnitentem abſoluat Confeſſarius à culpa commiſſa ab ipſo, ſi tranſgreſſus eſt votum Religionis, vel caſtitatis emiſſum, caſu videlicet, quo pœnitens voluerit Confeſſionem facere. Quia ibi non eſt aliquod verbum, *ſi, dummodo*, aut ſimile, quo denoteiur talem Confeſſionem præmittendam eſſe vt conditionem neceſſariam pro diſpenſatione facienda. Nec mutatio propoſiti de non ſoluendo votum petita diſpenſatione eſt peccatum. Quo etiam ſenſu intelligi debet illud *iniuncta ei pœnitentia ſalutari.* Sic fermè Sanchez *ſup. num.* 28. *&* 30. Salas *de legibus, diſp.* 20. *ſect.* 16. *num.* 98. & alij. Addit tamen Bonacina *ſuprà num.*8. ſequens Reginaldum *lib.*31. *num.*216. In praxi tamen conſulerem ſententiam Reginaldi aſſerentis Confeſſionem neceſſariam eſſe. Ratio eſt, tum quia quamuis non apponantur verba indicantia Confeſſionem: tamen ex antecedentibus ſatis apparet hanc eſſe Summi Pontificis intentionem, cum Reſcriptum concedatur, vt pœnitens electo Confeſſario approbato, obtineat ab ipſo diſpenſationem. Tum quia ſic vſu, & praxi receptum videtur.

26 Maximè tamen circa pœnitentias iniungendas de Confeſſione facienda ſingulis menſibus, &c. nota primò, teneri Confeſſorem iniungere aliquas Confeſſiones ſtatis temporibus faciendas, & aliqua pœnitentiæ opera perpetua, quorum aliqua ſint quotidie exercenda. Id enim clarè innuitur in dictis Literis. Secundò, eo non obſtante, committitur arbitrio Confeſſoria quantitas aliorum operum pœnitentiæ, & pietatis, præter illa, quæ quotidie facienda iubetur imponere. Tertiò, circa Confeſſionem ſingulis menſibus iniunctam, relinquitur arbitrio Confeſſoris, vt poſſit eſſe bimeſtris, attento ſtatu pœnitentis occupati, diſtracti, & ſimiliter impediti; tali enim oneri fortè ſuccumbet cum periculo animæ. Patet ex verbis clauſulæ de Confeſſione menſtrua, cum dicitur: *Aut quoties tibi videbitur.* Portell. *ſupr. num.* 10. Bonacina *ſuprà num.*9. ex Sanchez, Salas, & Reginaldo. Quod verò attinet ad obligationem pœnitentis in hac Confeſſione menſtrua facienda, nota quartò, ſatisfacere tali pœnitentiæ ſi confiteatur quouis die cuiuſvis menſis. Vt ſi v.g. pro menſe Decembri confiteatur prima die Decembris, pro menſe verò Ianuarij confiteatur vltima die ſequentis Ianuarij. Portell. *ſup.* Bonacina *ſup. num.*11. ex eiſdem Authoribus. Si verò talis pœnitens omittat Confeſſionem in aliquo menſe (quidquid ſit de peccato omiſſionis) non tenebitur in conſcientia illam omiſſam Confeſſionem supplere menſe ſequenti: quia fuit onus præcedentis menſis, ſicut dicitur de diuino Officio omiſſo in vno die. Neque tempore Quadrageſimæ in illo menſe in quo confitetur, vt Eccleſiæ ſatisfaciat, tenebitur ad hanc menſtruam Confeſſionem iniunctam: quia ſummus Pœnitentiarius nouit fore, vt in aliquo illorum menſium incidat Eccleſiæ præceptum, & tamen ad duplicem Confeſſionem non obligat. Neque ſi iſte pœnitens aliàs ex voto, vel ex pœnitentia iniuncta ab alio Confeſſore tenetur confiteri ſingulis menſibus, per has menſtruas Confeſſiones non ſatisfaceret huic præcepto, de quo loquimur pro iſta diſpenſatione. Sic tenent probabiliter Salas, & Portellus *ſuprà.* Licèt Bonacina *ſuprà num.*13. oppoſitum credat probabilius, quia mens Papæ, aut Summi Pœnitentiarij videtur eſſe imponere opera aliàs non debita.

Pariter etiam circa alia opera pœnitentiæ iuſſa im- 27
poni nota, ſufficere vt in quauis hebdomada vna die qua poterat veſci carnibus, ab illis abſtineat, vel vna die ſingulis hebdomadis ieiunet, vna die cilicio vtatur, vel flagellis carnem verberet, vel quoduis horum operum faciat vna die in quavis hebdomada. Quod ſi viderit Confeſſarius hoc graue fore pœnitenti debili, poterit iubere, vt quodvis illorum operum faciat non ſingulis hebdomadis, ſed vna die in duabus, vel tribus hebdomadis. In particulari verò de operibus Religionis, quæ iubentur imponi quotidie pro diſpenſando voto Religionis, vt ea quotidie exequens recordetur voti quo tenebatur, videtur ſufficere quod quotidie ei iniungantur vel Litaniæ, vel Pſalmi Pœnitentiales, vel quinquies oratio Dominica cum oratione Angelica. Quando verò diſpenſandum eſt votum caſtitatis, iubet ſummus Pœnitentiarius, vt imponantur aliqua opera pietatis quotidie implenda, vt meminerit prioris voti. Quæ opera pietatis poſſunt eſſe quæcunque opera miſericordiæ, vel recitare quinquies orationem Dominicam, & Angelicam pro animabus Purgatorij, vel pro viuis in peccato exiſtentibus, vel ſimilia. Ita fermè Portellus *ſuprà num.*11. ex Sanchez etiam *ſuprà num.*41.

Circa particulam illam in forma diſpenſationis Ma- 28
trimonij, ſcilicet *dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit*, notandum hic occultum ſumi, vt diſtinguitur contra publicum. Quare licet ab aliquibus tale impedimentum ſciatur, ac proinde probari poſſit, dicitur occultum; & tunc ſolùm non dicetur occultum, ſed publicum, quando eſt publicum non ſolùm in Ciuitate, ſed etiam in maiori parte Viciniæ, Collegij, Monaſterij, vel Parochiæ, dummodo ſaltem decem perſonæ inueniantur in quauis dictarum communitatum, in quibus id publicum eſt. Ita Sanchez *ſup. num.*55. Filliucius *ſup. num.*360. Bonacina *ſuprà num.*7. poſt Salas, Reginaldum, & Suarez, quos refert. Dicetur adhuc hoc impedimentum occultum, ſi copula ipſa ſit publica in ratione copulæ, non verò ſit publica in ratione impedimenti, id eſt ſi ſciatur copula, at non ſciatur illud eſſe impedimentum dirimens Matrimonium. Neque enim verè dicetur delictum publicum ſi tantum actus illius materialiter ſit publicus, niſi ſit publicus formaliter, id eſt quatenus eſt delictum. Quia qualitas adiuncta verbo debet intelligi ſecundum qualitatem eius, *l. in delictis*, §.1. *ff. de noxalibus.* Nauarr. *in Manual. cap.*27. *num.*255. Sanch. *ſup. num.*56. Bonac. *ſup.* Si tamen hoc impedimentum iam ſit deductum ad forum contentioſum, non dicitur occultum; quia iam ſpectat ad forum externum, in quo caſu Papa non vult vt diſpenſatio concedatur. Reginaldus *ſup. n.*259. Portellus *ſup. num.*13. & alij communiter. Quod intellige, niſi pœnitens deductus ad forum externum fuit ibi abſolutus, quia in tali caſu crimen dicetur occultum. Suarez *de cenſur. diſp.*41. *ſect.*2. Sayr. *in Theſauro*, *tom.*1. *lib.*4. *cap.*17. *n.*23. Portellus *ſup. n.*14. Etiamſi falſis teſtibus ſe defenderit, quia hoc non tollit quin crimen maneat occultum, cum non amiſerit famam; per ſententiam enim illam recuperauit. Sanch. *ſup. n.*57. Bonacina, & Portellus *ſup.* Dummodo contra ipſum non fuerit ſaltem ſemiplena probatio, quia crimen poſitum in foro externo cum ſemiplena probatione, etiamſi abſoluatur, cum ex illo oriatur infamia, iam non poteſt dici occultum. Suarez *ſup. n.*6. Bonacina, & Portellus *ſup.* contra Sanchez etiam *ſup. n.*58. Placet etiam quod idem Bonacina ibidem aduertit contra eundem Sanch. quod ſi delictum eſt plenè vel ſemiplenè probatum, etiamſi nondum ſit intimatum reo, cenſetur publicum, tum quia tunc adeſt infamia ipſius, tum

quia quæ iudicialiter fiunt coram Iudice perſonam publicam ſuſtinente, publica dici debent.

29 Circa illa verba pro diſpenſatione Matrimonij irriti iterum celebrandi, ſcilicet *Confeſſione Sacramentali ſingulis menſibus, &c.* notandum, illam imponendam eſſe vtrique coniugi, ſi vterque peccauit, ſi verò vnus tantum peccauit, illi tantum erit iniungenda. Portellus *ſupra num.* 15.

30 Illa quoque, experiantur ſaltem, an *ſine ſcandalo poſſint ſeparari*, & illa, *an cohabitantes tanquam frater & ſoror continenter viuere valeant*, ſic ſunt accipienda, quod ſi talis Confeſſarius ex præcedenti experientia, vel ex iis, quæ cognouit in examine, intelligat illa non poſſe moraliter fieri, non erit neceſſarium illa de nouo experiri velle, quia credendum non eſt velle Eccleſiam fieri experientiam fruſtraneam, & quia fruſtra expectatur euentus, cuius nullus eſt effectus, *cap. cum contingit, de offic. Delegat.* Bonac. *ſup. num.* 14. ex Sanchez, Reginald. & aliis. Eo vel maximè, ſi ſit periculum incontinentiæ eam experientiam præmittendo. Portellus *ſuprà num.* 16. Adhiberi tamen debet quando moraliter loquendo, aut attentis circunſtantiis, prudenter iudicatur eſſe effectum habitura. Sanchez *ſuprà num.* 60.

31 Præterea illa eiuſdem formæ diſpenſationis pro Matrimonio irrito, ſcilicet *cum ipſis lateribus, muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, &c.* credit Sanchez *ſupra num.* 60. quem ſequitur Bonacina *ſupra num.* 15. hanc conditionem non eſſe de eſſentia diſpenſationis, ſed inſeruire quaſi inſtructionem confeſſarij, vt contractus Matrimonij ſequentis ſit certior. Dat cauſam præcipuè, quia ſæpius hæ fruſtrarentur diſpenſationes, ſi id eſſet neceſſarium. Sæpe enim continget non poſſe detegi nullitatem abſque periculo detegendi delictum, & maximè ſi impedimentum ſit ex parte fœminæ, cuius delictum ſi viro detegatur, erit cauſa multorum iurgiorum, ac periculorum: & ſic Doctores multi conſulunt peti hanc diſpenſationem occultè tacita nullitate prioris conſenſus. Ego tamen cum Portello *ſup. num.* 17. cui fauet Gutierrez *de Matrim. cap.* 128. *num.* 22. credo, quod ſi Matrimonium fuit nullum, quia fœmina v. g. ante illud habuit copulam cum fratre præſentis mariti, tunc vt hoc Matrimonium denuo ineatur, non eſt manifeſtandum delictum huic viro putato marito, quod delictum fuit cauſa impedimenti. At credo omnino quod dicendum eſt viro ſaltem remotè, & quaſi conditionaliter, vt ſi fortè antea Matrimonium fuerit nullum, denuò conſentiat. Si enim hoc ſaltem modo non conſentiat denuò, non iterabitur verè, neque contrahetur Matrimonium. Eo modo quo profeſſus nulliter ob occultum impedimentum ignoratum non ratificat profeſſionem per quemcunque actum externum, niſi illi conſtet de impedimento ſaltem in confuſo, & dicat ſe denuò conſentire ſaltem ad cautelam, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. Quando etiam Matrimonium eſt irritum ex parte mariti, procedi debet eodem modo, præſertim cum tunc non ſit tantum periculum.

32 Circa tertium, de iis, quæ facere tenetur talis Confeſſarius poſt diſpenſationem factam, quæ videlicet ponuntur in forma pro diſpenſatione in affinitate ex fornicatione ad ineundum Matrimonium, & pro reiterando Matrimonio nulliter inito propter impedimentum occultum affinitatis, quorum primum eſt de prole legitima nuncianda, vel decernenda in foro conſcientiæ tantum, vide Sanch. latè non ſolùm *ſuprà num.* 45. *vſque ad* 54. ſed etiam in locis, ad quæ ibi ſe remittit. Nota tamen, præcipuè quoad Regulares noſtros, quod filius ſic legitimatus non erit irregularis, ſed habilis ad Ordines, & Beneficia Eccleſiaſtica. Bonacina *ſuprà num.* 18. ex Reginaldo.

33 Circa ſecundum verò, quod in litteris pro diſpenſatione in affinitate, & fornicatione occulta ad ineundum Matrimonium ponitur, videlicet, *Nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut Litteris datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laniatis, quas laniare tenearis, neque latori reſtituas. Quod ſi reſtituas, nihil illi præſentes Litteræ ſuffragentur.* Nota, quod ſi prædictæ litteræ facta diſpenſatione reſtituantur parti, & nihilominus ab ipſo, vel ab alio comburantur, dilanientur, aut omnino amittantur ſine recuperandi ſpe, valebit ex tunc diſpenſatio; quia hæc ſolùm creditur mens ſummi Pœnitentiarij, vt eæ litteræ non proſint, dum apud partem manſerint. Sanch. *ſuprà num.* 42. Bonac. *ſup. num.* 16. Imò enim ſi maneant apud pœnitentem ſemper, diſpenſatio tamen in foro conſcientiæ valebit, quia mens Pœnitentiarij ſolùm eſt, vt illæ non ſuffragentur pro foro externo, vel litigioſo, ſecus pro foro interno. Portellus *ſuprà num.* 12. Bonacina *ſupra* ex Molina, Salas, Reginaldo, & aliis. Vide & Filliucium *ſuprà num.* 357.

Notandum præterea huiuſmodi diſpenſationes S. Pœnitentiariæ omnino gratis faciendas eſſe, propterea enim in Litteris ipſis apponi ſolet clauſula *gratis vbique.* Salas *ſup. num.* 99. Bonac. *ſup. num.* 17. Vnde neque ipſe ſummus Pœnitentiarius quidquam etiam ſponte datum recipere poteſt, vt poſt Nauar. *lib.* 4. *conſ. de ſponſ. conſ.* 50. *num.* 3. oſtendunt Sanch. *ſup. num.* 64. Salas, & Bonac. *ſup.* Similiter, nec ob laboris ſtipendium aliquid etiam ſponte oblatum accipi poteſt à Commiſſario, ſeu executore illarum, non ſolùm quia nullus eum cogit ad obeundum hoc munus, cùm voluntariè, & ſponte illud aſſumat, ſed etiam quia in ipſis litteris apponi ſolet hæc clauſula valde prægnans: *Depoſita per te omni ſpe cuiuſcunque muneris, aut præmij etiam ſponte oblati.* Adde etiam, quia aliàs daretur magna occaſio multis ſimoniis ſub ſpecie, aut colore debiti ſtipendij palliatis, Naldus *in Summa, verbo diſpenſatio, num.* 22. Vnde à S. Congreg. ſub Gregor. XIII. declaratum video apud Garziam *de Benef. part.* 8. *cap.* 1. *num.* 102. & Barboſam *in Collect. Bullar. verbo diſpenſatio*, ſic: *Pro litteris abſolutionum, & diſpenſationum in foro conſcientiæ tantum nihil à quocunque accipi poteſt.* Vide alia in eodem Garzia *ſuprà dicto num.* 102. *& ſequentibus.* 34

Nota tandem, quod pro talibus diſpenſationibus dandis non eſt neceſſaria certa verborum forma, cum nullo iure præſcribatur talis forma, prout ex Suarez, Sanchez, Sà, & aliis oſtendit Bonac. *ſuprà num.* 19. 35

Locuti autem ſumus in hac materia de diſpenſationibus in foro interno conſcientiæ dandis, ea enim quæ pertinent ad diſpenſationes in foro externo, cum parum conducant ad intentum Regularium, aliis remittimus. Vide Sanchez *ſuprà diſp.* 35. Zerolam *in prax. Epiſcop.* 2. *part. verb. Delegatus*, §. 2. *& verbo diſpenſatio*, §. 2. Marcum Antonium Genuenſem *in praxi Neapolit. cap.* 25. *num.* 13. Garziam *de benefic. part.* 8. *cap.* 1. & alios apud ipſos. 36

Pro aliis etiam ad diſpenſationis materiam neceſſariis, vide dicta *ſuprà* verbo *Commiſſio, & Commiſſarius*, verbo *Diſpenſatio*, & verbo *Gratia*, ac dicta *ſuprà* verbo *Licentia quoad Regulares*, & dicenda infrà verbo *Mandatum.* 37

LVDVS QVOAD REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Ludus quid ſit.*
3 *Qui ludus Religioſis, & Eccleſiaſticis prohibitus.*
4 *Quid de ludo laicis prohibito.*
5 *Eccleſiaſtici aleatores quibus pœnis puniantur.*

6 *Eorum*

Digitized by Google

6 *Eorum electio confirmari non debet.*
7 *De damnis, & incommodis ludi.*
8 *De aliis ludis Clericis, & Religioſis prohibitis.*
9 *De ludis ipſis conceſſis.*
10 *Regulares an poſſint ludere pro pecunia.*
11 *An peccent ſic facientes contra votum paupertatis.*
12 *De licentia ad ludendum.*
13 *An poſſint ludere rem aliquam ſpiritualem.*
14 *Alia remiſſiuè.*

1 DE hac materia nonnulla dixi *tom. 1. part. 1. cap. 6. num. 50. & 51. & cap. 9. num. 40.* & *tom. 1. part. 2. cap. 5. num. 3. & 28.* Nunc autem alia addenda, maximè prout ad ipſos Regulares pertinere poteſt, præmiſſis prius principiis aliquot ipſius.

2 Eſt autem ludus *Contractus quidam, quo ludentes res ſuas periculo exponunt propter ſpem acquirendi res alterius.* Ita communiter Doctores, ſpecialiter Saytus *in Claui regia, lib. 11. cap. 12. num. 1. §. Quia verò.* Bonacina *de Contract. diſp. 2. quæſt. 3. punct. 1. num. 1.* Non eſt illicitus ex natura ſua. Poteſt enim eſſe actus virtutis, ſcilicet Eutrapeliæ, ſi fiat cum debitis circunſtantiis, & ob finem honeſtum, ſcilicet honeſtam recreationem. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 168. art. 2.* poſt Ariſt. 2. & 4. *Ethicorum.* Expoſitores Sancti Thomæ ibidem, Leſſius *de Iuſtitia, & iure lib. 2. cap. 26. dubitatione 1.* Poteſt tamen fieri illicitus ex multis circunſtantiis. Primò, ex affectu ad malum, vt ſi ludens velit omittere Sacrum in die feſto, vel ſit paratus ad faciendum graue aliquod damnum ob amorem ludi. Secundò, quando admiſcentur facta, aut dicta praua, vt blaſphemiæ, conuitia, &c. Tertiò, quando intercedunt fraudes contra leges ludi. Leges autem ludi ſunt illæ, quæ ſeruantur in eo loco, in quo luditur, niſi ludentes conſtituerint ludere iuxta morem alterius Regionis, aut alia pacta inierint. Quartò, quando alter dolo, aut vi, aut metu pertrahitur ad ludum. Quintò, quando interuenit irreuerentia contra Deum. Sextò, ratione periculi alicuius notabilis nocumenti. Septimò, quando ludus exercetur cum eo, qui non poteſt pecuniam ludo exponere, donare, vel alienare. Octauò, quando adeſt prohibitio ludi. De quibus Azor. *tom. 3. Inſtit. Moral. lib. 5. cap. 27. quæſt. 3.* Sayr. *lib. 11. cap. 12. num. 3. & 4.* Sanchez *tom. 1. conſil. Moral. lib. 1. cap. 8. dub. 24.* Bonacina *ſupra, num. 4.* & ſequentibus, & Lugo *de Contractibus diſp. 31. ſect. 1. num. 1. & ſect. 2. per totam.*

3 Hinc ad intentum Regularium animaduerte, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 40.* ludum alearum eſſe ipſis, ſicut & aliis Eccleſiaſticis prohibitum, *can. 41. Apoſtol.* qui refertur *diſtinct. 35. cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælat. & cap. Clerici 2. de vita, & honeſtate Clericorum*, ſumpto ex Concilio Lateranenſi, & in Concilio Trident. *ſeſſ. 22. de Reform. cap. 1.* Item *l. alearum, Cod de Religioſ. & ſumptib. funer. Authent. de Sanct. Epiſcop. § Interdicimus*, & aliis Iuribus. Leſſius *ſuprà*, Toletus *in Summa, lib. 5. cap. 27. num. 3.* Azor. *tom. 3. lib. 5. cap. 26. quæſt. 8.* & communiter omnes. Nomine autem ludi alearum intelligitur ille, qui magis fortuna quam arte regitur, ſeu in quo præualet magis fortuna quam ars, qualis eſt ludus chartarum, & taxillorum. Nauarrus *in Man. cap. 20. num. 7.* Leſſius, Saytus, & Toletus *ſuprà*, Peyrinis *tom. 1. de Prælato, quæſt. 2. cap. 2. §. 5. num. 93.* Eſt etiam talis prohibitio ſub peccato mortali, prout colligitur ex Iuribus relatis, maximè *ex d. cap. inter dilectos*, vbi Clericus ob aleæ vſum iubetur deponi, depoſitio enim cum ſit grauis pœna non imponitur niſi propter peccatum mortale. Idem colligitur ex aliis pœnis Clericis aleatoribus impoſitis, de quibus infra. Accedente maximè Concilio Tridentino loco relato, quod eas confirmat, non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus. Saytus *ſuprà*.

4 Circa hanc verò prohibitionem animaduertendum primò, quod licet etiam laicis prohibiti ſint ludi alearum, prout patet ex multis relatis (Toletus, & Leſſius *ſuprà*, Sanchez *dub. 25.*) nihilominus ipſi regulariter loquendo non peccant mortaliter ſic ludentes, niſi ratione alicuius circunſtantiæ mortaliter prauæ. Ratio eſt, quia leges contrariæ quoad illos cenſentur conſuetudine abrogatæ. Nauarrus *ſuprà, num. 11.* Saytus, Leſſius, & Sanchez *ſuprà.* Nota ſecundò, nec etiam Eccleſiaſticos ipſos, aut Religioſos (ſi non adſit particularis prohibitio ſuarum Conſtitutionum, aut ſuorum Superiorum ad mortale obligans) peccare mortaliter quando citra ſcandalum, ſemel, vel iterum dictis ludis ludunt, recreationis gratia, & rem paruæ quantitatis. Iura enim relata prohibentia ludum alearum, præſertim attendere videntur ad decentiam, & honeſtatem Eccleſiaſticorum, quæ non læditur grauiter ludo talibus circunſtantiis veſtito. Caietanus 2. 2. *quæſt. 168. art. 3. dub. 3.* Nauarrus *ſuprà, num. 7.* Leſſius, & Sanchez *ſupra*, poſt Angelum, Palacios, Alcozer, & alios, & ſpecialiter quoad Religioſos, Medina *lib. 1. Summ. cap. 14. §. 28.* Ludouicus Beja *in reſponſionib. moral. 1. part. caſ. 61.* Portellus *in dub. regular. verb. Ludus, num. 1. & 2.* In caſu etiam raro quando prædictæ, & aliæ circunſtantiæ occurrerint, vt prudentis arbitrio iudicetur legem de non ludendo non obligare dictos Eccleſiaſticos, aut Regulares, tunc ludentes etiam prædictis ludis alearum nec venialiter peccabunt. Alcozer *lib. de Ludo, cap. 11.* Graffius *in Deciſ. aur. lib. 2. cap. 121. num. 9.* Layman. *lib. 3. tract. 4. ſect 5. cap. 21. num. 2.* Dixi autem ſemel, vel iterum, quia Eccleſiaſtici, vel Regulares frequenter vacantes huiuſmodi ludis, etiamſi ſcandalum abſit, peccant mortaliter; prout ſententia communis Doctorum tenet, quidquid dicat Megala *in 1. part. lib. 5. cap. 14. num. 8.* Quid vero requiratur, vt ludus dicatur frequens, aut ludus ipſe conſuetudinarius, agit Bordonus *reſolut. 33. num. 3.* & dicit ſufficere quod fiat ſemel in hebdomada. Nota tertiò, non ſolùm eſſe prohibitum Eccleſiaſticis, & Religioſis ludere dicto ludo alearum, ſed etiam eidem aſſiſtere, vel illum aſpicere, *dicto cap. Clerici 2. de vita, & honeſtat. Clericor. & Authentic. de Sanct. Epiſcop.* Nauarrus *ſuprà, num. 14.* Toletus *ſuprà.* Licèt hæc prohibitio tantum videatur ſub veniali, niſi adſit ſcandalum complacentiæ in ludo prohibito ſub mortali, cooperatio ad illam, vel omiſſio correctionis ludentium, quia materia non videtur tam grauis. Sanchez *ſuprà dub. 29.* ex Syluestro, Angelo, & Caietano. Nota quartò pro Religioſis, quod cum ipſi arctiorem vitæ rationem quam Eccleſiaſtici ſæculares ex Inſtituto gerant, ideo multò magis indecens eſt illis ludus prædictus alearum, ſiue chartarum, ſiue taxillorum, quàm aliis Eccleſiaſticis, vt bene Layman. *ſuprà*, & ideo etiam in aliquibus caſibus, in quibus Eccleſiaſtici ſæculares vel non peccant, aut ſolùm venialiter, prædictis ludis ludendo, peccare poſſunt ipſi, imò & mortaliter, quod ex circunſtantiis penſari debet. Præſertim ex loco, tempore, circunſtantibus, colludentibus, grauitate rei quæ luditur, & maiori, vel minori auſteritate Religionis illius Religioſi, qui ludit. De quibus Portellus *ſuprà, num. 3.*

Specialiter etiam notandum, quod Eccleſiaſtici aleatores, ſcilicet publici luſores alearum, ideſt prout habet Theſaur. *in proxi, part. 2. verb. Ludus, cap. 4.* ex Rotæ deciſione, & Menochio, qui indifferenter, ſeu cum diuerſis, & ad longum tempus, & de notabili quantitate, ac frequenter ludunt; itemque alearum ſuſceptores, ſunt perſonæ viles, & infames. Ita enim colligitur *ex dicto c. inter dilectos.* Molina *de Iuſt. tract. 2. diſp. 159. in fin. §. nihilominus.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat. 43. num. 11.* Peyrinis *ſupra, d. num. 93.* poſt Rebuffum, Maſcardum, Menochium, & alios quos refetunt. Sunt autem infames infamiâ facti, ex 5

illis ſcilicet, qui iuxta dicta *ſupra*, *verb. Infamia*, *num.* 1. & 9. propter crimen quod committunt, malè audiunt apud omnes. Garzia *de Benefic. part.* 7. *cap.* 8. *num.* 39. Theſaur. *ſuprà*. Ac proinde ceſſat regulariter per triennalem conſtantem vitam bonam, iuxta dicta eo *verb. Infamia*, *num.* 16. Theſaur. *ibid.* Vnde conſequenter perſeuerante hac infamia non poſſunt ad Ordines promoueri, iuxta dicta eo loco *num.* 15. & *verb. Irregularitas*, *num.* 37. Maiolus *lib.* 3. *de Irregular. cap.* 1. *num.* 7. Theſaurus *ſuprà*. Vnde etiam conſequenter inhabiles ſunt ad Beneficia, ita vt collatio Beneficiorum illis facta ſit omnino irrita, prout habet deciſio Rotæ in vna Pampilonenſi *Parochialis*, 21. Maij 1574. coram Cardinali Aldobrandino poſtea Papa Clemente VIII. quam referunt Garzia *ſuprà*, *num.* 40. Barboſa *ſuprà*, vbi dicitur, quod Clericus aleator indignus eſt cui Beneficium conferri debeat, & ſi eſt publicus, eſt ipſo iure nulla collatio: ſi occultus, venit irritanda, nec eſt ratione conſuetudinis excuſandus. Reginaldus *in praxi*, *lib.* 30. *num.* 199. & alij apud Auctores relatos. Quia ergo, iuxta dicta *ſupra*, *verb. Beneficium & Beneficiati*, *num.* 3. nomine Beneficij Eccleſiaſtici veniant etiam Officia Religionum, videlicet Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, &c. ideo *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 46. ex Caſtellino *de Elect. canonic. cap.* 4. *num.* 58. retuli electionem Religioſi publicè aleatoris eſſe ipſo iure nullam. Quibus conſonant ea, quæ dixi eo *verb. Beneficium & Beneficiati*, *num.* 7. Nota tamen quod cum iuxta dicta *ſuprà*, *verb. Irregularitas*, *n.* 5. probabilis ſit illorum ſententia, qui dicunt electionem Beneficij factam irregulari non eſſe ipſo iure nullam, aut irritam, ſed irritandam, prout tenent Auctores eo loco relati, & Garzia *ſupra*, *num.* 47. referens Rotæ etiam deciſionem, Nauarrum, Ludouicum Lopez, Rodriguez, & alios; ideo quoad præſens attinet ſuſtineri poteſt quod electio publici aleatoris ad Beneficium, vel Officium in Religione non ſit ipſo iure irrita, ſed ſolùm irritanda, prout etiam tenet Theſaur. *ſuprà*.

6 Quomodocumque autem ſit, talis electio confirmanda non eſt, vt loco relato dixi, nec admittenda inſtitutio, aut præſentatio, ſeu nominatio illius. Garzia *ſuprà*, *num.* 59. Theſaur. *ſuprà*, ex aliis. Vbi etiam quod talis Eccleſiaſticus, aut Regularis aleator debeat ab officio, ſeu beneficio deponi, ſaltem ſi monitus non deſiſtat. Vide Naldum *in Summa*, *verb. Ludus*, *num.* 4.

7 Pro damnis autem, & incommodis maximis, quæ ex ludo ſequuntur, vt propterea valdè deteſtabilis ſit Regularibus, vide Hoſtienſem *in Summa de exceſſib. Prælator.* §. *Clericus*, *num.* 4. S. Antoninum 2. *part. tit.* 1. *cap.* 23. §. 6. Peraldum *in Summ. tom.* 2. *tit. de Auar. c.* 15. Peyrinis *ſuprà*, *num.* 94. 95. & 96. poſt alios.

8 Sunt etiam alij ludi Clericis, & maximè Religioſis in iure prohibiti, ſcilicet ludus omnis, qui fit cum armis, *cap. continebatur*, *de homicid.* & *cap. Clerici*, *de vita & honeſtate Clericorum*. Syluester *in Summa*, *verb. ludus*, *quæſt.* 2. Sanchez *dicto dub.* 28. *in fine*. Idem dico de haſtiludiis. Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 46. ex variis iuribus. Item omnis ludus Hiſtrionalis, *can. donare*, *diſt.* 86. *cap. cum decorem*, *de vit. & honeſt. Clericor.* Syluester, & Sanchez *ibid.* Barboſa *ſuprà*, *num.* 63. ex variis etiam iuribus, & Doctoribus. An verò poſſint aſſiſtere comœdiis, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. Similiter omnis ludus ſaltationis, chorizationis, & huiuſmodi, *cap. pro dilectione*, *de conſecrat. diſt.* 2. Syluester, & Sanchez *ibid.* Notat autem Syluester poſt Angelum *in Summa*, *verb. ludus*, *num.* 2. id intelligi quando ea fiunt in publico, ſecus verò ſi fierent in ſecreto, aut cum aliquibus domeſticis. Qualiter etiam nec illis aſſiſtere liceat talibus ludis, habet idem Barboſa *ſuprà*, *num.* 61. ex variis etiam iuribus & Doctoribus. An verò aſſiſtere poſſint agitationibus taurorum, ſeu aliarum ferarum, habes ex dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. relato. Similiter interdictus eſt illis ludus omnes laruales, *cap. cum decorem*, iam relato, quoad Clericos quidem ſæculares, quia dedecet illos fictam perſonam repræſentare: quoad Regulares verò, non ſolùm propter hoc, ſed etiam, quia iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 1. & *cap.* 13. *à num.* 2. prohibitum eſt illis ſub excommunicationis ſententia habitum ſuæ Religionis dimittere. Syluester, & Sanchez relati. Barboſa *ſuprà*, *num.* 64. Bonacina *ſuprà*, *à num.* 17. poſt Angelum, & Salonium. Aſſerit autem Bonacina, aliter facientes peccare mortaliter, niſi fortè rarò, breui tempore, & ſine ſcandalo id fiat.

Sunt tamen plures ludi permiſſi tempore, & loco, 9
ac aliis circunſtantiis debitis, tum Clericis, tum Religioſis, niſi obſtent ipſorum particularia Statuta, ſcilicet ludi trochi, pilæ, globorum, damarum, & ſimilium. Hi enim iucundi ſunt, animum ſubleuant, corpus exercent, & in eis non præualet ſors, ſed induſtria. Peyrinis *ſuprà*, *num.* 97. & 99. Idem dicendum de ludo ſchaccorum, latrunculorum, ſeu calculorum, hiſpanè *Azedrez*, quia ſola induſtria innititur. Sayrus *ſupra*, *num.* 5. Sanchez *d. dub.* 28. *num.* 2. Comitolus *lib.* 1. *Reſponſ. moral. quæſt.* 92. Peyrinis *ſupra*, *num.* 101. ex multis aliis. Licet oppoſitum inſinuent Caietanus 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 3. *ad dub.* 3. Nauarr. *in Man. cap.* 19. *num.* 3. §. *neque ex eo*. Lopez *in Inſtruct. conſcient. part.* 2. *cap.* 31. *concluſ.* 1. & alij, eo quod propter vehementem aduertentiam, quæ ad illum requiritur, potius animum vexet, quàm ſubleuet. Sed ex hoc ſolùm probatur maiori moderatione vtendum eſſe hoc ludo, quam aliis relatis, & ipſum non multum conuenire viris litteratis, aut ſtudioſis, quibus potius ceſſatio, & quies, quam nouus meditationis labor magis conuenit, prout ex Ioanne Baptiſta Pino approbat Barboſa *ſupra*, *num.* 69. De ludo autem tabularum cum taxillis, quem *ſbaraglinum* Itali vocant, loquendo, quamuis videatur Clericis, & Religioſis prohibitus, quia verè eſt ludus aleæ, cum magis innitatur ſorti, aut caſui, quam induſtriæ, vt habet idem Nauarrus *ſuprà*, *num.* 7. nihilominus quia valdè vſitatus eſt in Aulis, & Palatiis Principum Eccleſiaſticorum, & aliquibus Religionibus, ideo conſuetudine approbante, dici poteſt permiſſus. Peyrinis *ſuprà*, *num.* 98. Pro his tamen, & aliis ludis Eccleſiaſticis, & Regularibus permiſſis, notandum eos non debere niſi in caſu raro ludere cum laicis, prout ex Gloſſa 2. *in cap. continebatur*, *de homicid.* & ex Hoſtienſi ibi, probat Graffius *in Deciſ. aur. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 11. & 12. Barboſa *ſupra*, *num.* 70. ex Abbate, Coſta, Viualdo, Belleto, & Farinacio. Adde Bordonum *ſupra*, *num.* 4.

Maximè pro Regularibus notandum, iuxta dicta 10
tom. 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 30. non poſſe ludere quocunque ludo etiam ipſis permiſſo pro pecunia, vel re pretio æſtimabili, & ſic facientes peccare contra votum paupertatis, quia hoc eſſet res, quas habent in vſus non neceſſarios, aut vtiles, expendere, vel iacturæ exponere, quod vtrunque eſt contra paupertatem Religioſam, quæ ſolùm permittit illis ea, quæ habent ad vſus neceſſarios, vel vtiles. Bonacina *ſupra*, *num.* 9. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *diſput.* 21. *quæſit.* 12. *num.* 1. Honeſtæ tamen recreationis cauſa moderatam aliquam quantitatem de licentia Superiorum, niſi Regula, vel Conſtitutiones contradicant, vt ibidem dixi, ludere poſſunt, quia tunc talis vſus cenſetur vtilis, & honeſtus. Bonacina *ibid.* Tamburinus *ſupra*. Hæc autem non ſolùm procedunt de Religioſis ludentibus cum extraneis, ſed etiam de ludentibus cum aliis Religioſis eiuſdem Ordinis, quia procedit proportionaliter eadem ratio, quandoquidem etiam cum talibus ludentes expendunt ſuas res in vſus non neceſſarios, aut vtiles, quod eſt contra votum paupertatis, niſi, vt dictum

Digitized by Google

dictum eſt, adſit licentia ſaltem tacita Superiorum, & ludus ſit ob recreationem honeſtam, & quantitas quæ luditur, parua ſit. Si verò quæratur quanta ſit illa ſumma, quam Religioſus de licentia ſui Prælati ludere poſſit, Portellus *ſup. num.* 2. ſic reſpondet. *Ego credo illum poſſe ludere illam quantitatem, quam extra ludum licitè donare, vel alienare poteſt iuxta ſuam Regulam, & Conſtitutiones. Hæc enim regula certa eſt, & generalis. Si enim v.g. tres regales donare poteſt, iuxta ſuam Regulam, & Conſtitutiones, vel quid ſimile, minus aut maius: idem etiam poterit alienare ludendo, parum enim intereſt ſi potens donare, vel alienare, donet, aut alienet gratis, vel per ludum ſibi aliàs licitum.* Nauarrus autem *ſupra, num.* 12. addit poſſe Religioſum qui eſt in ſtudiis, aut negotiis impenſis ſui Abbatis, de iis, quæ ipſi dantur in anno pro expenſis faciendis ludere quatuor, aut quinque de centum, modò id fiat honeſtæ recreationis gratia. Quia ad hoc videtur habere licentiam tacitam ſui Prælati. Idem ſequitur Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. c.* 19. *num.* 79. referens Valentiam, Leſſium, Graffium, Salonem, & alios. Idem ſequitur etiam Tamburinus *ſup. num.* 3. Qui tamen id limitant, niſi talis ludus ſit prohibitus, aut indecens Religioſo, vt eſt ludus aleæ, chartarum, taxillorum, &c. vel prohibitus per Regulam, aut Conſtitutiones, aut niſi in eodem anno eandem pecuniæ quantitatem in aliam recreationem inſumpſerit. Subiungit etiam Azor. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 25. *quæſt.* 8. poſſe talem Regularem extra Conuentum exiſtentem de licentia ſui ſuperioris ex iis, quæ ſibi mittuntur ad congruam ſuſtentationem, ſi aliquid modicum ſibi ſubtrahat parcè viuendo, illud exponere ludo, gratia reficiendi animum, propter eandem rationem.

11 Ludentes tamen Religioſi notabilem ſummam pecuniæ, vel alterius rei pretio æſtimabilis, peccant contra votum paupertatis. Ratio eſt, quia hoc eſt expendere res, quas habent in vſus non neceſſarios, nec vtiles; quod eſt contra tale votum. Medina *lib.* 1. *Summ. cap.* 14. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 19. *num.* 80. Neque Prælati poſſunt ad hoc licentiam concedere, quia cum non ſint domini, ſed tantùm prudentes adminiſtratores bonorum Conuentus, ſicut non poſſunt ipſi in proprios vſus niſi neceſſarios, vel vtiles ea expendere, ita neque poſſunt ſubditis facultatem concedere, vt in alios quam in prædictos vſus ea expendant. Ledeſma *tom.* 2. *Summa, tract.* 31. *cap.* 1. *poſt* 10. *concluſionem.* Sanchez *ſuprà.* Tamburin. *ſuprà, num.* 8. Vnde conſequenter addunt cum Alcozer *lib. de ludo, cap.* 39. *paulo poſt principium*, lucrantem à Religioſo notabilem quantitatem teneri ad reſtitutionem, etiamſi Religioſus habuerit licentiam ſui Prælati, cùm nec ille potuerit illam ludere, nec Prælatus talem facultatem concedere. Pro quo videantur dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 51. vbi etiam de aliis caſibus, in quibus lucrans aliquid à Religioſo tenetur ad reſtitutionem. Quid verò ſentiendum de Religioſis Ordinum militarium quoad hoc punctum, dixi *tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. & 18.

12 Licet autem aliqui putent Religioſum obtinentem generalem licentiam à ſuo Superiore donandi, aut expendendi aliquam quantitatem, poſſe eam ludo exponere (quod probabile eſſe cenſet Diana 3. *part. tract.* 2. *dub.* 98.) verumtamen tenendum eſt contrarium, niſi horum Theologorum placitum intelligatur de parua, aut moderata quantitate, & de ludo aliàs honeſto, nec prohibito ipſi Religioſo; eo quòd licentia illa non extendatur, nec extendi poſſit, niſi ad vſus licitos & honeſtos. Sanchez *ſuprà, num.* 81. ex Sayro, & Rodriguez ab ipſo relatis. Quibus adde Sanctarellum *in tract. de Apoſtat. cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 12.

13 Similiter, licet aliqui putent Religioſos ludentes pro re aliqua ſpirituali, videlicet pro Orationibus vel Pſalmis, aut precibus dicendis à victo pro victore, non rectè facere, prout tenent Lopez 2. *part. Inſtruct. conſcient. cap.* 32. *in fin.* Peyrin. *ſuprà, num.* 103. & Vega ab ipſo relatus, oppoſitum tamen eſt verius, tum quia talis eſt vſus plurium piorum, tum quia in eo nulla eſt irreuerentia erga res Sacras, cum potius ſit ſignum deuotionis, & pietatis erga illas, Deum, & Sanctos; & ſi quæ eſt irreuerentia in eo quod prædicta dicantur ſine deuotione, aut reuerentia, id eſt per accidens, cum poſſint, & debeant deuotè, & reuerenter recitari. Nauarrus *ſup. num.* 7. *§. dixi*, Bonacina *ſupra, num.* 8. Lugo *ſup. ſect.* 2. *num.* 5. poſt Rebellum, & alios. Poſſe etiam Religioſum v. g. ludere ludo aliàs licito cum ſæculari hoc pacto, vt ſcilicet, ſi ſæcularis vincat, teneatur Religioſus dicere Roſarium, aut Miſſam pro illo; ſi verò vincatur, teneatur ſoluere Religioſo aliquid, v.g. gallinam, &c. in hoc enim nulla eſt irreuerentia, propter dicta, nec ſpecies Simoniæ, cum non interueniat ratio pretij, prout ad Simoniam exigitur; tenent Rodriguez *in addit. ad Summ. tom.* 3. *cap.* 228. *concluſ.* 9. Portellus *ſupra, num.* 4. Id verò negat Lugo *ſuprà*, propter periculum Simoniæ, quæ interuenire videtur in eo contractu.

Alia ad hanc materiam ſpectantia, vtpotè non propria Regularibus, nec illis ſpecialiori modo neceſſaria, hic omittenda, & remittendus lector ad Auctores relatos. 14

MANDATVM QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Mandati acceptiones.*
2 *Etymologia, & definitio.*
3 *Non extenditur ad illicita.*
4 *Nec quando eſt generale, ad ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum.*
Quæ requirant ſpeciale mandatum. ibid.
5 *Mandatum de re illicita inualidum eſt.*
6 *Mandatum ad vnguem obſeruandum.*
7 *Fines mandati attendendi.*
8 *Non ſeruans formam mandati nihil validè facit.*
9 *Quid quando mandatum datur abſque vlla forma expreſſa.*
10 *Quibus modis finiatur mandatum.*
11 *Quando finiatur morte mandatoris.*
12 *Finitur morte mandatary.*
13 *In aliis caſibus quomodo ſecundum iura finiatur.*
14 *Quid de viſitationibus, Commiſſionibus, ſeu Procurationibus Regularium.*
15 *De mandante committi aliquod delictum.*
16 *Religioſus ſine licentia non dat, nec recipit Mandatum.*
17 *Quid quando ſunt diuerſa mandata.*
18 *De mandatis Apoſtolicis.*
19 *Alia remiſſiuè.*

Mandatum prout ad Regulares ſpectare poteſt, omiſſis variis acceptionibus ipſius, de quibus Felinus *in cap. eam te, de reſcript.* dupliciter ſumitur. Primò, pro præcepto Superioris. Secundò, pro commiſſione, delegatione, ſeu impoſitione alicuius negotij. Sicut ſimiliter & verbum *Mando*, aliquando ſumitur pro *præcipio, iubeo*, aliquando verò pro *committo*, ſeu *delego*. Et quidem de mandato priori modo ſumpto dictum eſt in præcedentibus, maximè *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. De mandato autem poſteriori modo, etſi aliqua dicta ſint *ſuprà, verb. Commiſſio, & Commiſſarius*, alia tamen in præſenti addenda, regulas præſertim generales aliquas adducendo, ex quibus plura dubia ad eoſdem Regulares ſæpius ſpectantia, 1

Digitized by Google

ſpectantia, præſertim circa commiſſiones, procurationes, delegationes, & viſitationes, quas aliis committunt, quæ ſunt quædam mandata, decidi poterunt.

2 Primò ergo *Mandatum*, prout in præſenti quantum ad nominis etymologiam, eſt idem quod manu datum; quia ſcilicet antiqui in mandatis dandis, & accipiendis manus ſibi inuicem dare conſueuerant. Sylueſter *in Summa, verb. Mandatum, num.1.* Azor. *tom.3. Inſtitut.moral. lib.9. de mandato, cap.1.* Definitur autem ſic. *Mandatum eſt officium ab eo qui gratis ſuſcipit, exequendum.* Accurſius *in Annotat.ad princip. titul. ff.mandati.* Sylueſter, & Azor. *ſup.* Molina *de Contractibus, diſp.548. num. 1.* Bonacina *de Contractibus, diſput.1. quæſt.5. punct.6. num.9.* Layman. *lib.3. tract.4. cap.16. num.1.* Dicitur *officium*, quia eſt obſequium, ſeu miniſterium quoddam. Syluester *ſuprà.* Dicitur *gratis*, quia ſi data pecunia, vel alio modo datur, non mandatum, ſed locatio, aut conductio, aut quid ſimile dicitur, *l. 1. ff. mandati.* Syluester, Molina, & Layman. relati, post Angelum *in Summa, verb. mandatum, num.1.* Qui autem dat tale mandatum dicitur mandans, ſeu mandator, & qui recipit illud adimplendum dicitur mandatarius. Syluester, & Molina *ſuprà.* Omiſſis quoque variis diuiſionibus mandati (de quibus *ex l. 1. & 2. ff. mandat. Inſtitut. eodem tit.* iunctis gloſſis vtrobique, & *l. 20. titul.12. part.5.* Azor. *ſupra, c.1. & 2.* Molina *ſuprà, diſp.549.* quia illæ non multum nobis ſunt neceſſariæ) præcipua diuiſio illius eſt, iuxta communem Doctorum in mandatum generale, & ſpeciale; mandatum generale eſt, quod datur ad omnia negotia mandantis, ſpeciale verò, quod ad quædam tantum. Azor. *ſup. cap.5.* Valet autem tantum mandatum generale quoad omnia, quantum ſpeciale quoad quædam. Syluester *ſup. quæſt.2.* Layman. *ſup. num.3.*

3 His poſitis, prima regula eſt. Mandatum quantumuis generale non extenditur ad illicita, ſed ad licita duntaxat, *l. Lucius, §. pro infante, ff. ad municip. l. ſi pater, ff. quæ in fraud. credit. & l. 3. §. ſi procurator, ff. quod quiſque iur.* Molina *ſuprà, diſp.550. num.1.* Bonacina *ſupra, num.10.*

4 Secunda. Mandatum etiam quantumcunque generale non extenditur ad ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum. Ita enim habetur expreſsè *in cap. qui ad agendum, de procuratoribus, in 6.* & maximè *in cap. qui generaliter, eod. tit. etiam in 6.* Ea verò, quæ requirunt mandatum ſpeciale ſunt *iuramentum deferre, transigere, vel paciſci.* Hæc enim ſunt verba *d. cap. qui ad agendum.* Barboſa *de clauſul. clauſul.35. in impreſſ. Lugdun. à num.16. & in Romana clauſ.17. à num.7.* Layman. *ſup.* ex aliis. Excipitur autem ibidem, *niſi ei* (ſcilicet mandatario) *bonorum vel cauſæ adminiſtratio liberè ſit conceſſa*, id eſt, niſi generale mandatum fiat cum poteſtate plena, ac libera. Hæc enim clauſula inducit mandatum ſpeciale. Garzia *de Benefic. part.5. cap.8. num.72.* ex Rotæ deciſione, & pluribus Doctoribus. Nota tamen ſpecialiter quoad Regulares, quod licet in commiſſione, ſeu mandato ponatur dicta clauſula cum *plena poteſtate*, ſeu *libera poteſtate*, illa tamen vniuerſalitas ſolùm intelligi debet in ordine ad finem commiſſionis, ſeu mandati, non ad alia, quæ ad talem finem non ſpectant. Et ita cum aliquis à Generali, vel Prouinciali mittitur Viſitator ad aliquam Prouinciam, vel Conuentum, & in commiſſione, ſeu mandato ponitur dicta clauſula, ſolùm intelligi debet in concernentibus dictam viſitationem, non in aliis ad eam non ſpectantibus. Portellus *in dub. Regular. verb. Commiſſarius Prouinciæ, num.1.* Similiter nota, quod etiamſi in commiſſione, vel mandato Regularibus facto à ſuis Superioribus ponatur iſta clauſula, *etiamſi requirerent ſpeciale mandatum*, adhuc tamen talis commiſſio non debet extendi niſi ad ſimilia, ſeu inferiora expreſſis, non autem ad maiora, vt aduertunt Barboſa *in cap.5. de officio Vicarij, in 6. num.8.* & Peyrinis *in Formulario, littera P, cap.8. num.6.* Niſi fortè Superior dans talem commiſſionem adiungat verba iſta, *etiamſi maiora eſſent expreſſis*; nam ſic tolleretur omnis difficultas. Peyrinis *ibid. num.7.* Ad contrahendum etiam Matrimonium requiritur ſpeciale mandatum, *cap. fin. de procurator. in 6.* Naldus *in Summa, verb. mandatum, num.6.* Qui id etiam extendit *num.7.* ad ſponſalia, cum ſint via ad Matrimonium. Extenditur etiam ad profeſſionem in Religione; licet enim ea, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap. 2. num.29.* facta per Procuratorem valida ſit, requiritur tamen ad id ſpeciale mandatum, vel quia ipſa eſt quoddam pactum inter profitentem, & Religionem, vel quia eſt quoddam Matrimonium ſpirituale. Rodriguez *tom.3. qq. Regular. quæſt.17. art.13.* Sanchez *lib.5. in Decalogum, cap.3. num.8.* Similiter id extenditur ad collationem Beneficiorum. Etenim Vicarius Epiſcopi non confert Beneficia, ſi ad id non habeat ſpeciale mandatum, *ex cap. fin. de offic. Vicarij, in 6.* Garzia *ſuprà, num. 80.* apud quos plura in ſequentibus de iis, quæ Vicarius prædictus facere non poteſt ſine ſpeciali mandato.

5 Tertia regula. Mandatum de re illicita inualidum eſt, *l. ſi remunerandi, §. ſi paſſus, ff. mandati, & §. illud quoque, Inſtitut. eod.* Syluester *ſuprà, quæſt.2.* Azor. *ſup. cap.4.* Molina *ſup. num.5.* Layman. *ſup. num.4.* Imò ſi mandatarius exequatur illicitum mandatum tenetur ad reſtitutionem damni illati tertio, quia fuit cauſa illius. Molina *ibid.* Naldus *ſuprà, num.6.* ex Lopez, & Petro Nauarro. Et pœnam meretur, quamuis ea in delictis grauioribus ſit mitior, & in leuioribus ſit nulla, ſi mandatarius ſit ſubditus mandantis. Layman. *d. num.4.* ex Gomez, & Molina.

6 Quarta. Mandatum ad vnguem obſeruandum eſt. *l. diligenter, ff. mandati.* Sanchez *lib.2. de Matrimon. diſp.11. num.17.* Naldus *ſuprà.* Aliàs mandatarius cenſetur vti ſimplex priuatus. Naldus *ibid.* Animaduertenda tamen eſt intentio mandantis. Si enim mandans iuſſit mandatario vendere equum 100. ſcutis, ſi ipſe vendidit 120. non dicetur exceſſiſſe, quia intentio mandantis præſumitur fuiſſe, vt ſi fieri poſſet, etiam pluris venderetur. Layman. *ſuprà, num.2.* Bonacina *ſuprà, num.12.*

7 Quinta ad idem. Fines mandati diligenter ſeruandi ſunt, *l. ſi procurator, Cod. de procurat.* Sanchez *lib.3. de Matrimon. diſp.33. num. 1.* Vnde ſi exceduntur, non erit ratum quod fiet. Azor. *ſupr. cap.6. quæſt.4.* Tunc autem ſeruantur fines mandati, quando fit illud quod eſt de natura actus mandati. Azor. *ſupr. quæſt.5.* Naldus *ſup. num.7.* Nota autem, quod mandatum extenditur ad vicina, & præparatoria ipſi mandato, etiam in his, quæ ſunt ſtricti iuris. Azor. & Naldus *ibid.*

8 Sexta etiam ad idem. Mandatarius non ſeruans formam mandati nihil validè facit. Quia geſta contra formam mandati nulla ſunt, non ſolùm quando fit expreſsè contra formam, ſed etiam quando fit præter, & citra formam. Quia quando ad actum datur certa forma, paria ſunt agere contra, præter, & citra illam, *cap. ſi cui, de elect. in 6. cap. prudentiam, de offic. delegat. & l. diligenter*, ſuprà relata. Gloſſa *in cap. ſi cui, de elect. in 6.* Panormitan. *in cap. fin. de reſtit. ſpol.* Syluester *ſup. quæſt.7.* Bonacina *ſup. num.12.* Hoc tamen limitarem, iuxta dicta *ſup. verbo leges Regularium, num 46. & 48.* quando ea forma eſt ſubſtantialis, ſecus verò quando eſt accidentalis.

9 Septima. Quando mandatum datur abſque vlla forma expreſſa, tunc mandatarius tenetur exequi negotium prudenter, & rationabiliter, quia iſta præſumi debet intentio mandantis, & propterea rata debet habere ſic geſta à mandatario, *l. propterea, Cod. de mandatis.* Azorius *ſupra, cap.6. quæſit.3.* Molina *ſupra, diſput.551. num.3.*

Octaua.

Digitized by Google

10 Octaua. Mandatum quodlibet finitur multis modis. Primò quidem reuocatione mandantis, *l. ſi procuratorem, §. mandati, ff. mandati.* Azor. *ſupra, cap.* 7. Layman. *ſupra, num.* 6. Bonacina *ſuprà num.* 25. Nota tamen non eſſe liberum mandatori reuocare mandatum quando lis eſt conteſtata, vel iudicium, aut negotium cœptum, niſi ex cauſa iuſta, & priùs cognita, maximè ſi interſit mandatario, vt ad finem perducatur. Secus verò quando lis non eſt conteſtata, ſeu quando res eſt integra, aut non cœpta, *l. poſt litem, & l. ante litem, ff. de procurat. l. ſi procuratorem, §. mandati, ff. mandati.* Azor. Layman. & Bonacina *ſuprà.* Nota etiam, quod id quod agit procurator, ſeu mandatarius poſt reuocationem mandati non cognitam ipſi mandatario, ſed bona fide, eſt validum, *l. ſi mandati, ff. mandati, & Inſtitut. de mandato, § recte.* Gloſſa *in Clem.* 3. *de renunciat. in verb. quomodolibet.* Azor. *ſuprà,* Bonacina *ſuprà, num.* 22. Excipitur caſus Matrimonij, quod conſtat non validè celebrari poſt reuocationem mandati, etiamſi procurator ignoret mandati reuocationem, propter *cap. procurator, de procurat. in* 6. Bonacina *ſuprà,* poſt alios.

11 Secundò, regulariter loquendo mandatum finitur morte mandatoris, ſi res adhuc ſit integra, *cap. gratum, de offic. Iudic. delegat. l. inter cauſas, ff. mandat. & l. & quia, ff. de iuriſdict. omn. iudic. & leg. vltim. ff. de ſolut.* Angelus *in Summa, verb. mandatum.* Syluester *ſupra, quæſt.* 3. Azor. *ſuprà.* Dixi *regulariter,* quia ſunt aliqui caſus, in quibus mandatum durat, etiam poſt mortem mandatoris. Primus eſt, ſi mandatum ſit in gratiam mandatarij, *l. ſi cum fundum, ff. de pact.* Azor. *ſuprà.* Sà *in Summ. verb. mandatum, num.* 2. Bonacina *ſupra, num.* 24. intellige de gratia facta, & non facienda tantum, iuxta dicta *tom.* 3. *verb. gratia, num.* 8. & *ſup. verb. licentia quoad Regulares, num.* 14. Secundus, ſi tale mandatum fuerit per modum legis, aut Conſtitutionis. Lex enim, & Conſtitutio ex natura ſua ſunt perpetua. Syluester, & Sà *ſupra.* Tertius, ſi mandatum contineat aliquid, quod omnino poſt mortem mandatoris adimpleri debet, vt ſi ſit de tali, vel tali ſepultura ipſi danda, legati ſolutione, &c. *leg. ſi verò, §. vltim. ff. mandati,* Azor. & Bonacina *ſupra.* Quartus, ſi mandatum datum eſt nomine officij, ſeu dignitatis mandatoris; officium enim, & dignitas non extinguitur, ſed tantùm perſona, *cap. ſi gratioſè, de reſcript. in* 6. & iuxta dicta *tom.* 3. *verb. Commiſſio & Commiſſarius, n.* 2. & 4. vbi alia ad intentum. Azor. *ſupra.* Sanchez *de Matrim. lib.* 8 *diſp.* 28. *num.* 49. Quintus eſt, quando mandatum eſt ad piam cauſam, gratià talis piæ cauſæ, & quia ita præſumitur mandatorem voluiſſe. Couarr. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 16. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *num.* 46. Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 44. Sextus, quando eſt gratià, & fauore dotis, *l. ſi ego, ff. de iur. dot.* vel gratià libertatis, *l. ſi pater, ff. de manumiſſ. vindict.* vel cauſa liberandi debitorem, *l. eius qui, ff. de reb. cred. & l. ſi quis ſeruo, ff. de ſolut. & Inſtitut. de mandato, § recte,* Azor. *ſuprà* Layman. *ſupra, num.* 6. Bonacina *ſuprà, num.* 25. apud quos, & Naldum *ſuprà, num.* 12. alia ad intentum. Dixi etiam *ſi res adhuc ſit integra*; ſi enim integra non eſt, ſed inchoata, poteſt cogi mandatarius, etiam mortuo datore, ad illam perficiendam. *Inſtitut. de mandato, § item ſi adhuc.* Bonacina *ſuprà, num.* 22. Layman. *ſuprà, num.* 6. Qui & addit, ſicut dixi ſupra de mandatario, cui nota non eſt reuocatio mandatoris, quod ſi mandatario nota non fuerit mors mandatoris, & bona fide executus fuerit mandatum, competit ei actio talis mandati, ne iuſta, & probabilis ignorantia ipſi damnum afferat.

12 Tertiò, etiam finitur mandatum morte mandatarij, *l. ſi quis alicui § morte, ff. mandat. & Inſtit. de mandat. § recte.* Azor. & Layman. *ſup.* Vide dicta 3. *tom. verb. Commiſſarius, n.* 5. vbi etiam de modo, quo id intelligi debet.

Quartò, finitur mandatum in aliis caſibus, de quibus in Iure id habetur, videlicet finita, & completa die, ad quam fuerat mandatum conſtitutum, *l. qui mutuam, § non ideo, ff. mandati, cap. cum olim* 1. *de Offic. iud. deleg. cap. ſi quem, de procurat. cap. ſignificauit, de appellat.* Deinde, ſi quis aliua rem demandatam idoneè geſſerit, *l. procuratorem, §. mandati, ff. mandati.* Item mutatione ſtatus, *l. ſi cum, & l. cum quis, ff. de ſolut.* Ac demum furore mandatoris, *l. qui ſeruum, ff. de adquir. hæred. & l. ſi quis alicui, ff. eodem.* De quibus Azor. *ſupra.* 13

Ex iis autem, & dictis *ſup. verb. Commiſſio, & Commiſſarius,* & *verb. Gratia,* ac ſuprà *verb. Licentia quoad Regulares,* ac dicendis infrà *verb. Procurator Regularium, verb. Vicarius Religionum,* & *verb. Viſitator Regularis,* colligere poſſunt ipſi Regulares quando, & quomodo viſitationes, commiſſiones, delegationes, & procurationes, quæ inter ipſos ſunt, finiantur, ſeu terminentur. Sunt etenim iſta quædam mandata, ac per conſequens philoſophandum de illis eſt ſicut dictum eſt de mandatis. Specialiter etiam loquendo de procuratoribus cauſarum, ſeu litium, quæ ab ipſis Regularibus conſtitui ſolent, dicendum eſt, quod ſi tales conſtituti fuerint à Conuentu, ſeu Monaſterio, tunc mortuo, aſſumpto, vel amoto Prælato, non cenſetur reuocatum mandatum, ſeu procuratoria dictis procuratoribus data, cum Conuentus, ſeu Monaſterium idem perſeueret. Si verò tales conſtituti ſunt ab ipſo Prælato ſolùm, ipſo mortuo, aſſumpto, vel amoto, ceſſat illorum auctoritas. Propter oppoſitam rationem. Naldus *ſuprà, num.* 15. & *verb. Prælatus, num.* 2. ex Rotæ deciſionibus. Et ita audio Romæ practicatum. Si tamen tales Procuratores conſtituti ſint à Prælato nomine Dignitatis, ſeu Officij in illis Religionibus, in quibus id facere poſſunt ſine Conuentu, aut Monaſterio, dicendum videtur non ceſſare auctoritatem talium procuratorum propter amotionem, aſſumptionem, vel mortem Prælati, propter dicta ſuperius, quia ſcilicet Dignitas, & Officium talis Prælati non ceſſat, ſed manere cenſetur eadem in ſucceſſore. 14

Nona regula. Mandans aliquod delictum, & mandatarius illud exequens, eadem pœna puniuntur, quia vterque eſt cauſa principalis illius, Couar. *in Clement. ſi furioſus, part.* 2. §. 2. *num.* 1. Molina *ſupra, diſp.* 550. *num.* 4. Naldus *ſuprà, num.* 10. & meritò quidem, quia mandans, & mandatarius iuriſdictione cenſentur vna, eademque perſona, *cap. qui per alium, de regul. iuris in* 6. *l.* 1. §. *deieciſſe, Digeſt. de vi, & vi arm.* Barboſa *de offi. & poteſt. Epiſcopi, Allegat.* 51. *num.* 12. & 13. vbi alia ad intentum. Limita tamen hanc doctrinam, vt non teneat verum, quando ex Legis, ſeu Statuti pœnam imponentis verbis colligitur contrarium. Si enim ille qui committit homicidium, manu, vel gladio, verbi gratia, imponit aliquam pœnam, tunc ſanè qui commiſerit tale delictum per mandatarium, non videtur ea comprehendi. Angelus *ſuprà, num.* 1. Syluester *ſuprà, num.* 4. Naldus *ſupra.* Limita 2. in pœnis ſpiritualibus, cenſuris v. g. iuxta dicta enim *ſuprà, verb. Clericus, num.* 8. de quo & Auila *de Cenſur. part.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 2. cenſura, quæ imponitur contra aliquid facientes non afficit ſemper mandantes, niſi aliunde id conſtet, vt ibi dixi. Imò quando res eſt dubia, an illos comprehendat, credendum eſt non comprehendere. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſolut.* 57. De mandante autem homicidium, an incurrat irregularitatem, dixi *ſuprà verb. Irregularitas, num.* 70. & 71. 15

Decima regula eſt, & ſpecialiùs ad Regulares ſpectans. Nullus Religioſus facere poteſt mandatum, vel illud recipere ſine licentia expreſſa, vel implicita ſui Prælati. Fauent multa, quæ adduxi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. & fundatur in illo principio, quod ſcilicet Religioſus non habet velle, aut nolle, *cap. Religioſus, de teſtam. in* 6. *cap. quorumdam, de elect. in* 6. *cap. Religioſi, de ſepultur.* 16

ſepultur. in 6. can. non dicatis 12. *quaſt.* 1. Azor. *ſupra, cap.*3.

17 Item pro eiſdem Regularibus, cum ſæpius inter ipſos dubitetur ob varietatem mandatorum, commiſſionum, vel procurationum, cui ex illis attendendum ſit, notandæ ſunt aliquæ regulæ. Prima. Mandatum poſterius non derogat priori, niſi de eo mentionem faciat. Syluester *ſupra, quaſt.*2. Sà *ſupra, num.*1. Probat Syluester *ex cap. graue, de offic. Iudicis Ordinarij.* Sed illud caput parum ad intentum conuincit. Probari tamen id poteſt ex eo quod cum per prius mandatum ius mandatario adquiſitum fuerit ad exercendum negotium, quod mandatur, non debet cenſeri huic iuri derogati, niſi id exprimatur. Caſu ergo quo poſt primum mandatum aliud ſimile mandans effecerit, obſeruari debet quod *cap. paſtoralis, de reſcript.* decidit Innocentius III. in ſimili caſu per hæc verba: *Niſi poſteriores prioribus, vel è conuerſo duxerint deferendum, ſimul vtrique cognoſcant, & ſi fortè nequiuerint ſimul in vnam ſententiam concordare (quamuis plures ſint ex vna parte quàm ex altera) per arbitros communiter electos à partibus huiuſmodi concertatio ſopiatur.* Secunda regula eſt. Speciale mandatum derogat generali, etiamſi de eo non faciat mentionem, *cap. paſtoralis*, relato, *cap. ſtuduiſti, de offic. legati, & leg. in toto, ff. de Regul. Iuris.* Gloſſa *in dict. cap. paſtoralis, verb. per ſpeciale.* Syluest. *ſupra.* Sunt tamen aliqui caſus, in quibus ſpeciale mandatum non derogat generali. Primus, quando generale eſt effectum ſpeciale, *cap. ex parte, de offic. delegat.* Secundus in priuilegiis, *cap. cum ordinem, de reſcriptis.* Tertius. Quando res non eſt integra. Quartus. In legatis, *l.* 4. *ff. de ſupellect. legat.* Syluester & Sà *ſupra.* Azor. *ſupra, cap.*6.

18 Circa mandata Apoſtolica vide dicta *ſupra, verb. Littera Apoſtolica*, & Azor. *tom.*2. *Inſtitutionum moralium, lib.*6. *cap.*31. *&* 32.

19 Alia etiam ad hanc materiam ſpectantia vide *infra, verb. Procurator Regularium, verb. Vicarius Religionum, & verb. Viſitator Regularis.*

MANTELLETVM.

Mantelletum (ſicut, & Mozzetta, biretum clericale, & pileum) vna eſt ex veſtibus propriis Prælatis, quibus prælati Eccleſiaſtici non ſolùm ſæculares, ſed quandoque etiam Regulares ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ vtuntur, iuxta dicta *ſupra, verb. Abbas, n.*13. vbi etiam quomodo competat illud deferre quibuſdam Abbatibus Monachorum, non autem aliis Prælatis etiam Generalibus Mendicantium, aut aliorum Ordinum, niſi fortè ad id habuerint eiuſdem Sedis Apoſtolicæ priuilegium. Qui autem habeant illud, præter dicta eo loco, conſule Barboſam *de Iure Eccleſiaſtico lib.*1. *cap.*17. *n.*56. *&* 57. Tamburinum *de Iure Abbat. tom.*1. *diſp.*10. *quaſit.*2. & Ioannem Mariam Nouarium *in Lucern. Regular. verb. Mantelletum.* Debet autem eſſe eiuſdem coloris, ac habitus Religionis profeſſæ, prout in ſimili dixi de Epiſcopis ex Regularibus Ordinibus aſſumptis *tom.*1 *part.*1. *cap.*37. *n.*9. Tamburinus *ſupra, num.*5. Addens aliquando ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, & Sacr. Congregationis oppoſitum conceſſum fuiſſe Abbati S. Petri de monte Metenſis Diœceſis anno 1607. Vide alia infrà *verb. Mitra, & verb. Mozetta.*

MATRIMONIVM.

De hac materia prout ad Regulares ſpectat, non pauca dicta ſunt in præcedentibus, ita vt illa ſolùm remiſſiuè referre ſufficere videatur pro præſenti. Primò ergo Religioſos Profeſſos omninò incapaces eſſe Matrimonij contrahendi, & de pœnis id facientium, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*2. *num.*12. *& cap.*5. *num.*1. Specialiter de Irregularitate, quam tales incurrunt, dixi *num.*12. *& cap.*5. *num.*2. & *tom.*3. *verb. Bigamus, & Bigamia, num.*3. Quomodo etiam per profeſſionem votorum ſolemnium, non ſolùm diſſoluantur ſponſalia de futuro, ſed etiam Matrimonium ratum non conſummatum præcedens, dixi *eo tom.*1. *part.*1. *cap.*3. *num.*3. vbi etiam & *cap.*2. *num.*31. quid dicendum ſit de ſponſa cognita per vim, aut metum, & de Matrimonio conſummato inter infideles, ac de profeſſione facta à coniugatis de conſenſo vtriuſque coniugis. Similiter ſpecialiter quoad milites Regulares quomodo per vota, quæ faciunt milites S. Ioannis, diſſoluatur Matrimonium ratum non conſummatum præcedens, & dirimatur ſubſequens, licet aliter de votis aliorum militum Regularium aſſerendum ſit, habetur ex dictis *tom.*1. *part.*2. *cap.*5. *num.*7. *&* 8. Per profeſſionem autem votorum ſimplicium Societatis non diſſolui Matrimonium ratum, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*3. *num.*3. & conſtat ex declarationibus S. Congregationis, quam referunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Matrimonium*, & Ioannes Maria Nouarius *in Lucern. Regular. verb. Matrimonium.* Nota etiam, ex declaratione quoque S. Congregationis, quam referunt iidem Auctores ibidem, haberi quod Matrimonium reputatur ratum, & non conſummatum ad effectum vt vnus ex contrahentibus alio contradicente poſſit ingredi Religionem, ſi poſt illud contractum coram Parocho, & teſtibus copula non interceſſerit, licet antea pluries, etiam cum promiſſione de contrahendo, adfuiſſet fornicatio. Qualiter etiam Religioſis prohibitum ſit ſolemnizare Matrimonia ſine Parochi licentia ſub pœna excommunicationis, dixi eodem *tom.*1. *part.*1. *cap.*9. *num.*31. *& cap.*21. *num.*9. De priuilegiis autem aliquibus Religioſis quoad hoc conceſſis pro partibus Indiarum, dixi *eo num.*31. Idem videtur dicendum de benedictione ſponſorum, ſeu nuptiarum. De qua etiam extant aliquæ declarationes S. Congregationis apud eundem Barboſam *ſupra, verb. Nuptiæ.* Qualiter quoque aſſiſtere Matrimonio Sacerdotem non ſit actus Ordinis, dixi *ſupra, verb. Irregularitas, num.*7. An poſſit celebrari tempore Interdicti, dixi etiam *ſupra, verb. Interdictum, num.*19. De pœnis contrahentium cum Monialibus, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*25. *num.*15. De affinitate, quæ vnum eſt ex impedimentis Matrimonij, & aliis eam concernentibus, dixi *ſupra, verb. Affinitas.* De bigamiæ Irregularitate, quæ ratione Matrimonij ſæpius contrahitur, dixi *ſupra, verb. Bigamus, & Bigamia.* An Confeſſores aliqui Regulares poſſint cum coniugibus inceſtuoſis ad petitionem debiti diſpenſare, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*19. *num.*25. *& ſupra verb. Affinitas, a n.*4. Similiter an poſſint confeſſarij aliqui Regulares diſpenſare cum coniugibus, qui voto facto de caſtitate contraxerunt, ad petitionem debiti, dixi *eo cap.*19. *num.* 26. & dicam infrà *verb. votum.* De modo exequendi Litteras Papæ, vel Sacræ Pœnitentiariæ, quibus datur facultas Confeſſariis Regularibus ad diſpenſandum in aliquibus impedimentis Matrimonij, dixi *ſupra, verb. Littera Apoſtolica.* An legata aliqua relicta pro maritandis fœminis applicari poſſint illis, ſi Religionem ingrediantur, dixi etiam *ſupra, verb. Legata Regularibus relicta, num.*17. *&* 18. Matrimonium celebrari poſſe per Procuratorem, & ad id requiri ſpeciale mandatum, dixi etiam *ſupra, verb. Mandatum, num.*4. Alia etiam in ſequentibus.

MATVTINVM.

SVMMARIVM.

1 *An poſſit dici ſeparatum à Laudibus.*

2 *An ante miſſam.*

3 Qua

Digitized by Google

3 *Qua hora recitandum.*
4 *Declarationes S.Congregationis.*
5 *Alia remiſſiuè.*

1 DE Matutino, quod eſt vna ex Horis Canonicis, dixi *tom.1.part.1.cap.12.num.16.* poſſe extra chorum diei ſeparatim à laudibus. Quod intellige, etiamſi nulla adſit cauſa ad id faciendum, cum olim in Eccleſia ita fieret, & nocte Natalis Domini ſic quoque fiat Sanchez *in Conſil.moral.tom.2.lib.7.cap.1.dub.20.* ex Nauarro, Toleto, & aliis. Quibus adde Oliuerium Bonartium *de Horis Canonic. lib.1. cap.17. num.3.* Quamuis autem Sanchez ibidem contendat non eſſe neceſſarium cum ſeparantur Matutinum, & Laudes dicere Orationem diei, oppoſitum tamen probabilius cenſeo, vt eo loco dixi cum Nauarro, & aliis, quia talis ſeparatio ſupponit eſſe duas Horas diſtinctas, vel ſaltem reputari vt tales, & ideo tunc debent finiri, ſicut & aliæ horæ, Bonartius *num.4.* Diana *5. part. tract.14. Reſolut.48.* ex aliis.

2 Iuxta dicta etiam eodem *tom.1. part.1. cap.11.num.3.* dicere Miſſam ante Matutinum non eſt peccatum mortale, imò etiam nec veniale, ſi fiat ex legitima cauſa, ſecus verò ſi ſine illa. Sic etiam Sanchez *ſup.dub.38.* ex Soto, Bartolomæo à Ledeſma, Medina, & aliis.

3 Circa horam autem recitandi Matutinum dixi *eo cap.12.num.15.* ex Suarea ibi relato, poſſe recitari Matutinum diei ſequentis non ſolùm poſt occaſum Solis, ſed etiam ante illum, dictis Veſperis, & Completorio quinque horis poſt meridiem diei antecedentis, ſiue in hyeme, ſiue in æſtate. Poſtea tamen vidi perdoctum, & multis mihi titulis colendiſſimum Patrem Dianam *4. part.tract.4. reſolut.9.* dixiſſe ex Martino Ledeſma *in 2. 4. quæſt.16.art.5. dub.1.* & Sanchez *ſuprà, dub.37.* probabile eſſe, poſſe recitari hora ſecunda finita poſt meridiem, quo ſenſu intelligi Fabrum, & Molfeſium, dicentes poſſe recitari hora 20. diei. Sed aliqua aduertenda. Primò, Secundum Horologium Italiæ horam vigeſimam aliquando, ſcilicet in æſtate, contingere quatuor horis poſt meridiem, aliquando, ſcilicet in hyeme, vna circiter hora poſt meridiem, & aliquando, ſcilicet æquinoctiorum tempore, duabus horis etiam poſt meridiem. Et quidem quando hora 20. contingit quatuor horis poſt meridiem, prout in æſtate, tunc credo probabilem eſſe hanc ſententiam, quia, iam Sol verſus occidentem declinare videtur, noctemque approximare. Quando verò vigeſima hora contingit vna ſolùm hora poſt meridiem, vt in hyeme, non video quomodo ſit probabilis hæc ſententia, cum vix illa hora legitima ſit pro Veſperis dicendis. Cæterum quando vigeſima hora contingit ſecunda poſt meridiem, vel circiter, animaduertendum ſecundò, Ledeſmam, & Sanchez relatos ſolùm dicere recitantem Matutinum eo tempore ſatisfacere præcepto, & Eccleſiæ, nec peccare mortaliter, quo denotant ſaltem venialiter peccare ſic facientem, prout expreſsè tenet Sanchez *ibid. num.6.* niſi legitima cauſa excuſetur. Animaduerto tertiò, Ledeſmam relatum à Diana loqui de perſonis priuatis priuatim recitantibus, quo denotat, quod Eccleſiæ, & Monaſteria quoad hoc debent conformari ſuis legibus, & conſuetudinibus. Quartò, quod recitare Matutinum diei ſequentis ante dictas aliquas horas, v.g. Veſperas, vel completorium diei præcedentis, licet iuxta dicta *eo num.15.* illicitum ſit, excuſari tamen poſſet, ſi id fiat ex rationabili cauſa, qualis ſolet eſſe in Religioſis ſtudentibus, qui propter commoditatem ſtudendi ſolent horas Canonicas temporibus non debitis perſoluere. Sanchez *ſup.num.5.& dub.36.num.3.* Diana *ſuprà.*

4 Quia tamen Leges, & conſuetudines circa horam recitandi Matutinum variæ in Religionibus, & Regionibus ſunt, ideo pro ipſis variæ quoque declarationes à S. Congregatione editæ ſunt, quas referunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Matutinum*, & Ioan. Maria Nouar. *in Lucerna Regular. verb. Matutinum*, quas etiam hic referam, quia vtiles erunt perſonis Regularibus. Prima eſt. *Matutinum, ſiue matutina hora recitanda ſunt nocturno tempore, ſi adſit conſuetudo; ſenes verò, & alij legitimè impediti, ſi intereſſe non poſſint, lucrantur diſtributiones quotidianas.* Secunda eſt. *Matutinum, quod ſecundùm Regulam Ordinis recitari debet media nocte, vt ex cauſa recitari poſſit hora octaua noctis conceditur.* Tertia eſt. *Matutinum, quod recitari ſolebat à Canonicis vna hora poſt ortum Solis, non eſt ante ortum Solis inchoandum.* Quarta eſt. *Matutinum, quod media nocte à Clero Cathedralis Eccleſia recitari conſueuerat, vt in futurum albeſcente die cantari poſſit ex cauſis narratis conceditur.* Quinta eſt. *Matutinum Defunctorum in feſto omnium Sanctorum ad veſperam recitandum non eſt, ſed ipſamet die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum poſt Laudes diei recitari debet.* Sexta eſt. *Matutinum, quod recitabatur media nocte, vt poſſit recitari hora prima noctis, ob aeris intemperiem, & aduerſam valetudinem Monialium conceditur Monialibus S.Catharinæ Senenſis in Indiis occidentalibus.*

Vide alia dicenda circa hanc, & alias Horas Canonicas infrà *verb. Miſſa, verb. Officium diuinum, verb. Ritus, & verb. Suffragia.* 5

MENDICANTES REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De ipſis remiſſiuè.*
2 *Mendicantium Ordines quot ſint.*
3 *Qui fruantur ipſorum priuilegiis.*
4 *An alia Religiones præter relatas.*
5 *De Mendicantibus qui tractent.*

QVamuis de Regularibus mendicantibus quamplurima dicta ſint in præcedentibus, imò omnia fermè, quæ in his quatuor tomis dicuntur ad ipſos applicari debeant, præſertim quæ primo tomo, *part.2. cap.1.* de ipſis dixi, vbi multa de titulo Mendicantium, numero ipſorum, bonis, quorum ſunt capaces, mendicitate, qua vti poſſunt, priuilegiis, & facultatibus, quibus fruuntur; in præſenti tamen ſpecialiter numerari oportet eos Ordines, qui vel inter Mendicantes recenſentur, vel Mendicantium priuilegiis (quoad plura ſaltem) fruuntur. 1

Ergo præter Mendicantes à Iure, ſcilicet Prædicatores, Minores, Auguſtinianos, & Carmelitas, hi enim à Iure Canonico, & hoc ordine numerantur, iuxta dicta *eo tom.1.part.2.cap.1.num.1.* numerari etiam oportet & Mendicantes ex priuilegio, ſeu Conſtitutionibus Summorum Pontificum, ſcilicet Seruitas, Minimos, Ieſuatos Sancti Hieronymi, & Ieſuitas, iuxta dicta etiam *ibid.* Inter hos autem referuntur à Nouario *in Lucer. Regularium, verb. Mendicantes, num.6.* RR. PP. Diſcalceati noſtri Ordinis Carmelitarum, propter Conſtitutionem Clem. VIII. *Romanum Pontificem*, inter Conſtitutiones ipſius *num.101.* Sed in ea Conſtitutione aliquid amplius vult Pontifex; declarat enim motu proprio, & ex certa ſcientia eorum Ordinem *vnum eſſe ex quatuor Mendicantibus, Ordinem ſcilicet Carmelitarum.* Quo denotat ipſos non ex priuilegio, ſed à iure inter Mendicantes reputari debere. Referri tamen poſſunt inter Mendicantes ex priuilegio, Religioſi SS. Trinitatis Diſcalceati, propter Conſtitutionem Pauli V. *Eccleſia Catholica*, inter Conſtitutiones ipſius *num.60.* Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.1. cap.41. num.215.* Nouarius *ſuprà.* 2

Sunt etiam plures alij Regulares, qui de priuilegiis Mendicantium (pluribus ſaltem) ex ſpeciali Sum- 3

morum Pontificum Indulto participant, quos breuiter placet referre, relatis etiam Conſtitutionibus, ſeu Bullis Pontificum, in quibus id ipſis conceditur, iuxta Barboſam *ſuprà a num.*218. & Nouarium etiam *ſupra, a num.*8. Hi ſunt Canonici Regulares Lateranenſes, ex Pio V. in Conſtit.41. incipit *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio*, 17. Kal. Septembris 1567. Canonici Regulares S.Crucis Conimbricenſis *ibid.* Canonici Regulares S.Saluatoris Bononienſis, ex Iulio II. in Conſtit.30. *Inter cæteros*, 4. Non. Aprilis 1512. Canonici ſæculares S. Georgij in Alga, ex Pio V. Conſtitut. 92. *Ex incumbenti nobis*. Item Monachi Caſſinenſes, ex Iulio II. in Conſtitut. *Super Cathedram*, in Bullario tom. 1. pag.402. Vallis Vmbroſæ, ex Pio V. in Conſtit. 41. *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio.* Camaldulenſes, ex Gregorio XIV. Conſtitut. *Ex iniuncto nobis*, 24. Septembris 1591. Ciſtercienſes Congregationis Italiæ Regularis Obſeruantiæ, ex Gregorio XIV. Conſtitut.16. *Romanus Pontifex*, 28. Iunij 1592. Ciſtercienſes Reformati Congregationis B. Mariæ Fulienſis, ex Sixto V. Conſtitut. 70. *Super ſpecula*, idibus Nouembr. 1587. ex Paulo V. Conſtit. *Diuina diſponente Clementia*, 5. id. Iulij 1606. & in alia *In ſupereminenti*, 21. Nouembris 1607. Cœleſtini, ex SS. D. N. Vrbano VIII. Conſtitut.24. *Sacroſancti*, 14. Auguſti 1624. Syluestrini, ex Paulo V. in Conſtitut. ſub die 23. Nouembris 1616. Monachi montis Virginis, ex Paulo Conſtitut. ſub die 19. Maij 1611. S. Baſilij, ex Gregorio XIII. in Conſtitut. *Benedictus*, Kal. Nouembris 1579. Item plures fratres, nempe S.Spiritus in Saxia, ex Sixto V. in Conſtitut. *Exigit*, 13. Auguſti 1586. S.Hieronymi Hiſpaniarum, ex Pio V. in Conſtitut. 41. *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio*, 17. Kal. Septembris 1567. S.Hieronymi Congregationis Beati Petri de Piſis, ex Pio V. in Conſtitut.125. *Religionis*, 30. Martij 1571. S.Hieronymi de Feſulis, ex Pio V. in Conſtitut. 41. *Ex ſuperna.* Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis captiuorum Prouinciarum Caſtellæ, Leonis, & Bœticæ, ex Leone X. & Adriano VI. Crociferi, ex Gregorio XIV. in Conſtitut. *Romanus Pontifex*, 12. Iulij 1591. Sanctæ Mariæ de Mercede ex Leone X. 5. Kalend. Auguſt. 1516. Militiæ Ieſu Chriſti Portugalliæ reformati, ex Pio V. Conſtitut. 41. *Ex ſuperna.* Eiſdem quoque priuilegiis participant plures Clerici Regulares, videlicet Theatini, iuxta dicta *tom.1. part.2. cap.4. num.*19. ex Clemente VII. in Conſtitut. *Dudum pro parte*, ibidem relata. Somaſchini, ex Paulo V. in Conſtitut. *Ex quo diuina maieſtas*, 9. Nouembr. 1607. etiam *eo cap.4. n.*23. *relata.* Clerici etiam minores, quatenus communicant Theatinorum priuilegia, iuxta dicta *eo cap.4. num.*25. ex Bulla Gregorij XIV. *Romanus Pontifex.* Similiter Clerici Regulares miniſtrantes infirmis, ex Gregorio XIV. in Conſtitut. *Illius qui gregis*, 11. Kalend. Octobr. 1591. iuxta dicta *eo cap.4. num.*24. Matris Dei Scholarum piarum, ex Gregorio XV. in Conſtitut. *Ad vberes fructus*, *eo cap.4. num.*27. relata.

4 Addi etiam poſſunt prædictis primò, Patres Carthuſienſes, ex Conſtitutione Gregor. XV. *Ad vberes*, die 3. Februar. 1623. Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Mendicantes Religioſi.* Item Clerici Regulares Matris Dei Lucæ, ex eodem Greg. XV. in Conſtitut. *Ad vberes*, iuxta dicta *eo cap.4 num.*26.

5 De Mendicantibus porrò agunt, præter relatos Auctores, D. Antoninus *in Summ.3. part. tit.6. c.1. §.8. & tit.19. c.3. & tit.23. & 74.* Chaſſaneus *in Catalog. gloria mundi, part.4. conſiderat.68. 69 & 70.* Azor. *tom.1. inſtitut. moral. lib.12. cap.13.* Zerola *in praxi Epiſcop. part.2. verb. Mendicantes.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt.2. art.1. & ſequentibus*, Miranda *in Manual. Prælator. tom.1. quæſt.11. art.6.* & plures alij. Non tamen omnibus multùm fidendum, præſertim in extraneorum hiſtoriis, quia ſæpius in illis hallucinantur.

MERCATVRA QVOAD Regulares.

De hac re nonnulla dicta ſunt *tom.1. part.1. cap.9. num.39.* maximè *in 2. & 3.* impreſſione, & *3. tom. verb. Gabella quoad Regulares*: plura tamen, & latè de ea dicam *infra, verb. Negotiatio.* Communiter enim Doctores ſub hoc verbo de mercatura agunt.

MILITES REGVLARES.

De hac etiam materia latè egi *tom.1. part.2. cap.5.* per totum, & ideo ad eum locum remittimus lectorem.

MISSA.

SVMMARIVM.

1 *De Miſſa vbi tractatum, & quid addendum.*
2 *Nomine Miſſæ duo intelligi poſſunt.*
3 *Miſſa pro Precibus, Orationibus, &c. accepta finiti valoris eſt.*
4 *Quid de Miſſa ſumpta pro Immolatione, Sacrificio, &c.*
5 *Obſtantia contra hoc præcluduntur.*
6 *De effectu Sacrificij Miſſæ.*
7 *Alius ex opere operantis, alius ex opere operato.*
Quotuplex fructus Miſſæ. ibid.
Applicatur iuxta quantitatem deuotionis, ibid.
Quibus prodeſt. ibid.
8 *An pluribus applicatum æquè proſit omnibus.*
9 *De quibus id intelligendum.*
10 *Non poſſunt accipi plura ſtipendia pro vna Miſſa.*
11 *Etiamſi parua, & incongrua ſint.*
12 *Quid de promiſſione dicendi Miſſas.*
13 *Nec etiam propter paupertatem Sacerdotum.*
14 *Nec propter congruam ſuſtentationem Sacerdotis.*
15 *Nec propter priuilegia Regularium.*
16 *Nec propter Imagines magnæ deuotionis.*
17 *An pro applicatione fructus, qui correſpondet Sacerdoti.*
18 *An pro applicatione Indulgentiæ.*
19 *Valdè cauendum Regularibus accipere plura ſtipendia pro vna Miſſa.*
20 *Quomodo ſatisfacere poſſint qui id fecerunt.*
21 *An ſint aliqui caſus, in quibus id facere poſſint.*
22 *An ſaltem ſine ſtipendio poſſint vnam Miſſam pro pluribus applicare.*
23 *De ſtipendio pro Miſſa cantata.*
24 *Quid in caſu grauis neceſſitatis, & aliarum circumſtantiarum.*
25 *An ſi alio modo viuere non poſſint.*
26 *Promiſſio ſemper adimplenda.*
27 *Stricta ſuſtentatio quomodo intelligenda.*
28 *Satisfacere debent, qui id fecerunt viis, & modis poſſibilibus.*
29 *Quales ſint.*
30 *De reductione Miſſarum.*
31 *Praxis huius reductionis.*
32 *An Suffragia reduci poſſint.*
33 *De quibus fieri poſſit reductio.*
34 *Non Miſſarum venalium.*
35 *An accipi poſſit eleemoſyna pro Miſſa, & committi alij, detracta parte ipſius.*
36 *De obligatione inueſtiendi pecunias pro onere Miſſarum.*
37 *Quæ circa id animaduertenda.*
38 *Sacerdotes negligentes in celebratione Miſſarum quomodo peccent.*
Ad quid teneantur. ibid.

Medicum

39 *Modicum tempus quod intelligatur.*
40 *An Regulares ægrotantes eximantur ab obligatione Miſſarum dicendarum.*
41 *An aliquoties in anno.*
42 *An in hebdomada.*
43 *De Capellaniis Religioſorum.*
Quid determinatum à S.Congregatione. ibid.
44 *Miſſa dicenda tempore quo promiſſa ſunt.*
45 *Loco, quo promiſſa ſunt.*
46 *Et eadem, quæ promiſſa ſunt.*
47 *Quibus diebus dici poſſint Miſſæ Votiuæ, ſeu de* Requiem.
48 *Sacræ Congregationis declarationes.*
49 *An Regulares obligentur ad dicendas duas Miſſas certis diebus.*
50 *De anticipatione Miſſarum.*
51 *Decretum S.Congregationis.*
52 *Quo tempore datum.*
53 *Quomodo intelligendum.*
54 *An viuens Miſſam, & Officium Defunctorum pro ſe dici facere poſſit.*
55 *De Ritu, ſeu modo celebrandi Miſſas.*
56 *De Miſſa ſicca.*
57 *De Vaſis, & veſtibus Sacris.*
58 *Ceremoniæ quomodo obſeruandæ.*
59 *An ſint præcepta.*
60 *De lumine ad Miſſam requiſito.*
61 *De Miſſali.*
62 *De Cruce.*
63 *De Miniſtro.*
64 *Capite cooperto celebrandum non eſt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.*
65 *Calceatus debet eſſe celebrans.*
66 *Preces præſcriptæ ante Miſſam dum Sacris veſtibus paratur Sacerdos, qualiter obligent.*
67 *Quid animaduertendum pro benedictione populi.*
68 *De modo ſupplendi defectus in Miſſa.*

1 QVamuis plura de hac materia ſparſim per quatuor partes Summæ dicta ſint, ſpecialiter *tom.1.part.1. cap.21.* vbi de Sacerdotibus Regularibus ex profeſſo egi, nihilominus quia altiſſimum hoc Sacrificium pretioſiſſima gemma totius Eccleſiæ eſt, pluraque pro ipſo dignè peragendo requiſita ſunt, vt propterea à Summis Pontificibus, & Sacris Congregationibus multa quoque pro eo celebrando ſtatuta fuerint, maior etiam pars Regularium huic miniſterio vacent, ideo operæpretium erit ea, quæ ad praxim ipſius ſpectant, hic diſcutere, alia quæ ad ſolam ſpeculationem, Theologis relinquendo. Duo ergo præſertim, & accuratiùs propter plurium conſcientiarum inſtructionem, diſcutienda. Alterum, de valore, effectu, & applicatione huius Sacrificij, ſtipendioque, quod pro ipſo celebrando recipere Sacerdotes poſſunt. Alterum verò, de Ritibus, modo, & circunſtantiis pro ipſius celebratione requiſitis.

2 Et quidem circa primum, vt clariùs procedamus ſupponendum, nomine miſſæ duo accipi poſſe, ſeu quod idem eſt, duo in miſſæ ſacrificio reperiri. Alterum, Orationes, Preces, Cæremonias, aliaſque pias actiones, quæ in decurſu miſſæ à Sacerdote fiunt, vel dicuntur. Alterum verò, Immolationem ipſam, vel actionem, in qua ſubſtantialiter, & eſſentialiter poſita eſt eſſentia Sacrificij, quæ iuxta probabiliorem Theologorum ſententiam, eſt actio conſecratiua, ſeu conſecratio ipſa conuerſiua ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti. Cùm enim per illam Corpus à Sanguine Chriſti ſeparetur myſticè, ideo etiam per illam myſticè mactatur Chriſtus, ac per conſequens offertur, & immolatur Deo. S.Thom. *in 4. diſt.45.quæſt.2. art* 3. Syluest. *in Summ. verb. Miſſa, n.1.* Toletus *in Summ.lib.2.cap.8.num.1.* Bonacina *de Sacrific. Miſſa, diſp 4. quæſt.vltim. punct.4.num.7.* Fagundez *in 1.Eccleſ. præcept.lib.3.cap.6.num.2.* & alij.

Et quidem loquendo de miſſa primo modo ſumpta, ſcilicet pro Precibus, Orationibus, & aliis piis actionibus, quæ in ipſa exercentur, certum eſt eam eſſe finiti, & determinati valoris. Ratio eſt, quia ſanctitas, vel dignitas Sacerdotis, à qua ſumitur talis valor, finita eſt, & limitata, ergo etiam ipſe valor finitus, & limitatus erit. Corduba *lib.1. quæſt.93.* Ioannes de la Cruz *in Director. conſcient. de ſacrific. Miſſæ, dub. 6.* Quod non ſolùm eſt verum loquendo de iſtis actionibus, ſeu Orationibus, quatenus procedunt à Sacerdote, vt eſt priuata quædam perſona, vt de ſe patet, ſed etiam vt eſt publicus Eccleſiæ Miniſter ad id munus ab ipſa conſtitutus, cum ſanctitas, vel dignitas ipſius adhuc iſto modo conſiderati finita etiam ſit, & limitata. 3

Loquendo autem de miſſa ſecundo modo, ſcilicet pro Immolatione ipſa, Sacrificio, aut actione, in qua eſſentialiter conſiſtit, inter varias Theologorum ſententias illa eſt mihi probabilior, quæ aſſerit eſſe infinitum, & indeterminatum. Ratio eſt, quia valor, & dignitas cuiuſcunque oblationis ex duplici præcipuè capite mendicari debet, ſcilicet ex parte rei oblatæ per ipſam, vel (ſaltem principaliùs) ex dignitate perſonæ offerentis illam oblationem, iuxta illud Geneſ. 4. v.4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Vbi Doctores ponderant ad vtrumque reſpexiſſe Deum, licèt priùs *ad Abel*, quàm *ad munera* ipſius, eo quòd valor oblationis, vel ex vtroque, vel principaliter ex Abelis dignitate pendebat. Cum ergo res oblata in Sacrificio miſſæ, & principalis offerens, ſcilicet Chriſtus, ſit res infiniti valoris, & dignitatis, quippe ratione Vnionis Hypoſtaticæ humanitatis cum Verbo Diuino infinitis valoris, & dignitatis eſt, proculdubio ipſum etiam Sacrificium erit infinitæ dignitatis, & valoris. Confirmo à ſimili de Oblatione, ſeu Sacrificio cruento Crucis; ex eo enim fuit infiniti valoris, & dignitatis, quia tam res oblata, quam perſona principaliter offerens, ſcilicet ipſe Chriſtus, talis erat. Sed ſacrificium incruentum altaris eſt idem eſſentialiter cum ſacrificio Crucis, non ſolùm ex parte rei oblatæ, ſed etiam ex parte principalis offerentis, ſcilicet ipſe Chriſtus, prout docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.cap.2.* dicens: *Vna enim, eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa*: & tenent Henriquez *lib.9. de Miſſa, cap.19. §.1.* Suarez *tom.3.in part.3.diſp.76. ſect.1. §.dico primò.* Fagundez *dict.cap.6. num.9.* Ergo erit infinitæ dignitatis, & valoris, ſicut & cruentum. Ita Syluest. *ſupra, quæſt.9.* Caietanus 3. *part. quæſt. 79. art. 5. & tom. 3. opuſcul. tract.3.quæſt.1. cap.3.* Cord. *ſuprà*, Ruard. Tap. *art.16. contra Lutherum*, Petrus Sotus *de Inſtit.Sacerdot. lect.7.* Petrus Nauarrus *lib.2.de reſtit.cap.1. num.269.* Bartholomæus de Angelis *Dialog.5.de Miſſa, §* 742. Vaſquez *in 3.tom.3.p.diſput.230.cap.3.* Fabius Incarnatus 2.*part. ſpeculi*, Theodoretus Peltanus *de Purgatorio, cap.3. 4. & 5.* Dominicus Montagnolus *in diſp.de valore, & effectu Miſſæ, cap. 3. 4. & 5.* Ioannes de la Crux *dicto dub. 6. concluſ.* 1. & innumeri alij. Quibus fauent ex Scholaſticis antiquioribus Ordinis noſtri non ſolùm Ioannes Bacconius, & Michaël de Bononia inſtà referendi, ſed & Ioannes Beetz, noſtri etiam Ordinis *in 7. præcept.Decalogi, fol.mihi* 195. Quomodo autem intelligenda ſit hæc infinitas, ex dicendis conſtabit. 4

Nec obſtat ſi dicatur: Quamuis ex adducto fundamento probetur Miſſæ ſacrificium ea ratione quæ à Chriſto offertur, eſſe infiniti valoris, quia tamen offertur ab ipſo medio Sacerdote, vt ipſius Miniſtro, cuius dignitas non eſt infinita, idcirco tale Sacrificium limitatur, ita vt non ſit niſi finiti valoris. Falſum enim eſt, quod valor, aut dignitas cauſæ principalis minuatur, aut limitetur ab inſtrumento, vt conſtat non 5

Digitized by Google

ſolùm in naturalibus, ſed maximè in moralibus: ſiquidem euidens eſt eleemoſynam, ſeu quodcunque aliud opus factum ab aliquo per famulum, vel miniſtrum non perdere ſuum valorem, aut limitari ex malitia talis famuli, vel miniſtri. Quod etiam contingit in Sacramentis, cum conſtet ipſorum valorem, aut virtutem non perdi, aut limitari ex prauitate, aut malitia miniſtrantis illa. Ioannes de Cruce *ſuprà*. Si autem inſtes: Ergo etiam Sacramenta dici debent valoris infiniti, ſiquidem ad illorum effectus concurrit etiam Chriſtus iuxta communiorem Theologorum ſententiam. Reſpondeo, diuerſimodè concurrere Chriſtum cum Sacramentis, ac cum Sacerdote immolante, ſeu Sacrificante, cum illis enim ſolùm concurrit vt cauſa vniuerſalis, cum Sacerdote autem, etiam vt cauſa particularis, ſeipſum illo mediante immolans, & ſacrificans, ac proinde tali Immolationi, ſeu Sacrificio infinitam dignitatem, aut valorem conferens. Adde: Quemadmodum Sacrificium Miſſæ modo aſſignato eſt infiniti valoris, & dignitatis, non quoad efficaciam, cum nunquam effectum infinitum producat, ſed ſolùm quoad ſufficientiam, quia quantum eſt ex ſe infinitum effectum produceret, ſi infinita diſpoſitio eſſet ex parte illius pro quo offertur, & pro infinitis hominibus, ſi illi infiniti eſſent, applicari poſſet, iuxta dicenda inferius; ita ſimiliter Sacramentum, verbi gratià Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, dici poteſt quoad ſufficientiam, & extenſiuè infiniti valoris, & dignitatis, non quia aliquem effectum infinitum producat, ſed quia applicari poteſt infinitis hominibus, ſi tot eſſent, remittere infinita peccata, ſi tot commiſſa fuiſſent, & dare infinitam gratiam, ſi infinita diſpoſitio eſſet ex parte ſuſcipientis illud.

6 Ex quo iam conſtat, quid dicendum ſit de effectu Sacrificij Miſſæ. Supponimus autem valorem, & effectum diſtingui ſicut actum primum, & ſecundum, eſto communiter à Theologis confundantur. Dominicus Montagnulos *in diſput. de Valore Miſſa, cap. 2. fundament.* 10. Paulus Fraxinellus *in diſput. de Obligationibus Sacerd. ad Miſſ. ſect. 3. prænot. 3.* §. 5. Loquendo enim de Miſſa primo modo, ſcilicet pro Orationibus, Cæremoniis, &c. certum eſt habere effectum finitum, & determinatum, cum valor, & dignitas illius iſto modo ſumpta finita ſint, & determinata, vtpotè à finita dignitate, & ſanctitate procedens. Loquendo verò de Miſſa ſecundo modo, ſcilicet pro Sacrificio, & Oblatione, &c. quamuis hoc modo ſit infinitæ dignitatis, & valoris, vt dictum eſt, nihilominus quia non eſt talis quoad efficaciam, ſed ſolùm quoad ſufficientiam, vt habent Martinus Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 16. *art.* 14. Canus 12. *de locis, cap.* 12. *ad* 10. Vaſquez *ſupra, diſp.* 230. *cap.* 1. *&* 2. Ludouicus Beja *in Reſponſ. caſ. conſcientiæ, congregat.* 4. *caſ.* 3. ideo non producit effectum infinitum actu, aut intenſiuè; alias non eſſet neceſſarium, quod fideles pro ipſorum animabus celebrari facerent, niſi ſolum vnicam Miſſam. Nihilominus poteſt dici infinitus in potentia, & extenſiuè, quatenus infinitis applicari poſſet, ſi tot eſſent, & infinito modo, ſi infinita deuotio, & diſpoſitio eſſet ex parte illorum, vt infra dicetur. Vnde Corduba, & Nauarra *ſupra*, valorem Miſſæ pro eius effectu vſurpantes, vocant infinitum ſyncathegorematicè. Idem etiam Corduba, & Bonacina *dict. punct.* 4. vocant infinitum extenſiuè, prout etiam Suarez *ſuprà, diſput.* 79. *ſect.* 12. *in concluſ.* 1.

7 Pro huiuſmodi autem effectu, ſeu fructu Miſſæ notandum primò, quod licet is, qui correſpondet Miſſæ quoad Orationes, Preces, Cæremonias, &c. ſit ex opere operantis, quia commenſuratur merito, bonitati, & diſpoſitioni Sacerdotis, & Eccleſiæ offerentis; at verò qui correſpondet Miſſæ ſecundo modo, quatenus ſcilicet includit Oblationem, eſt ex opere operato, quia eſt ex inſtitutione Chriſti ſupra omne meritum, & diſpoſitionem Sacerdotis offerentis, ità vt ipſo etiam in peccato mortali exiſtente, adhuc miſſa habet hunc fructum. Miranda *tom.* 1. *Man. Prælator. quæſt.* 41. *art.* 6. Bonacina *ſupra, num.* 7. Secundò huiuſmodi effectum, ſeu fructum miſſæ diuidi in generalem, ſpecialem, & ſpecialiſſimum, quem aliqui medium vocant. Primus eſt, qui ex intentione Chriſti, & Eccleſiæ applicatur omnibus fidelibus. Secundus eſt, qui applicatur ipſi Sacerdoti offerenti. Tertius eſt, qui applicatur illi, pro quo ſpecialiter Sacerdos offert Sacrificium. Angelus *in Summa, verb. Miſſa, num.* 52. Nauarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 91. Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 10. *cap.* 20. §. *Quod vt intelligamus.* Bonacina *ſuprà, n.* 8. Paulus Fraxinellus *in d. deciſ. de Obligationibus Sacerdotum ad Miſſ. ſect.* 3. *prænot.* 3. ex innumeris aliis. Tertiò nota, huiuſmodi effectum, ſeu fructum Sacrificij generaliter loquendo triplicem eſſe, ſcilicet collationem gratiæ, & remiſſionem peccatorum venialium, ac proinde vocari propitiatorium; remiſſionem pœnæ temporalis, quem vocant ſatisfactorium; & impetrationem omnium bonorum, ſiue ſpiritualium, ſiue temporalium, vocatum impetratorium. De quibus, & quomodo ex vi ipſius cauſentur, communiter Doctores, ſpecialiter Azor. *ſuprà, cap.* 20. Suarez *ſuprà, diſp.* 79. *ferè per totam.* Bonacina *ſuprà, punct.* 3. & alij. Quartò nota, etiam generaliter loquendo huiuſmodi fructum, ſeu effectum miſſæ applicari omnibus pro quibus offertur, magis, vel minus, iuxta quantitatem deuotionis ipſorum. Ita enim colligitur primò ex verbis Eccleſiæ in Canone Miſſæ: *Quorum fides tibi cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c.* Secundò, ex ſimilitudine paſſionis Chriſti, de cuius fructo participant fideles magis, vel minus, iuxta quantitatem fidei, deuotionis, &c. Tertiò, ex ſimilitudine Sacramentorum, ea enim producunt maiorem, vel minorem effectum, iuxta quantitatem maiorem, vel minorem diſpoſitionis recipientium illa. Quartò, ex aureis S. Thomæ verbis 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 5. vbi ſic: *Quamuis ergo hæc Oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, iuxta quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Conſonat ſibi *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. *argum.* 2. *quæſt.* 3. *& diſtinct.* 45. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. Et ita ex mente ipſius idem ſequuntur Sylueſter, & Caietanus *ſupra* relati. Quibus adde Sà *in Summ. verb. Miſſa, num.* 42. Paulum Gryſaldum *in Deciſionibus fidei, verb. Miſſa, num.* 28. Bejam *ſuprà*, Lugum *de Euchariſtia, diſp.* 19. *ſect.* 10. *num.* 200. Ioannem de Cruce *ſuprà, concl.* 2. Maximè verò Vaſquez, qui *diſput.* 231. *cap.* 7. *num.* 49. *&* 50. ex S. Thom. Caietano, Soto, & Corduba dicit deuotionem hanc non eſſe quamcumque, ſed eam, quam erga hoc Sacrificium habent, vel habuerunt. Quod vltimum præcipuè intellige loquendo de defunctis. Pro quo vide dicta *ſuprà, verb. Indulgentia quoad Regulares, num.* 5. Nota quintò, quod ad hoc, vt applicetur fructus, ſeu effectus huius Sacrificij alicui, requiritur ex parte ipſius alia diſpoſitio veloti habitualis, præter deuotionem modò aſſignatam. Etenim quoad effectum ſatisfactorium requiritur ſtatus gratiæ. Cum enim nunquam remittatur alicui pœna temporalis niſi prius ei remiſſa ſit æterna, ideo ſolus iuſtus eſt capax remiſſionis pœnæ temporalis, ſeu huius effectus ſatisfactorij. Vaſquez *ſuprà, dict. cap.* 7. *num.* 44. ex S. Thom. Soto, & aliis. Quoad alios autem effectus non requiritur, cum conſtet offerri *pro omnibus Orthodoxis*, vt dicitur in Canone Miſſæ, id eſt pro omnibus fidelibus, inter quos multi ſunt in peccato mortali. Bonacina *ſupra, punct.* 5. *n.* 1. ex Suarez, Miranda, Bellarmino, & aliis. Excipiunt communiter Theologi excommunicatos maiori excommunicatione, eo quòd Eccleſia priuet illos ſuffragiis communibus ipſius. De hoc

tamen

tamen aliquid dixi *ſuprà*, *verb. Excommunicatio quoad Regulares*, *num.* 11. *&* 12. & an id licitè fiat offerendo ſacrificium in perſona Chriſti pro ipſis, agunt Lugo *ſuprà*, *dict. ſect.* 10. *à num.* 185. & Layman. *de Sacrificio miſſæ*, *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 7. Deinde requiritur ſtatus viæ. Non enim prodeſt vllo modo hoc Sacrificium damnatis. Fagundez *ſuprà*, *cap.* 11. *num.* 6. poſt Bellarmin. Azor. Henriquez, & alios. Nec Beatis, niſi quatenus per ipſum coluntur, honorantur, & inuocantur, ex quo illis reſultat gaudium quoddam accidentale, quod eſt impropriè pro illis offerri. Bonacina *ſuprà*, *num.* 7. Lugo *ſuprà*, *num.* 192. Layman. *ſuprà*, *num.* 4. Animabus autem Purgatorij prodeſt maximè quoad effectum ſatisfactorium. Illæ enim ſunt in ſtatu gratiæ, & ſunt illæ, de quibus dicitur in Ordinatione Sacerdotum: *Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia Sacrificium pro viuis*, *& mortuis*, *&c.* Et ita definitur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 2. *can.* 3. *&* *cap.* 2. habeturque ex traditione Patrum. De quo multa Azor. *tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 10. *cap.* 22. *quæſt.* 8. Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa*, *cap.* 16. Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa*, *cap.* 7. & Fagundez *d. cap.* 11. *num.* 3. Non tamen requiritur Baptiſmus, cum probabilior ſententia ſit (contra aliquos oppoſitum aſſerentes) offerri poſſe pro catechumenis, cum illi habeant fidem, poſſint eſſe in gratia, & aliquo modo pertineant ad Eccleſiam, faueantque illis tum vſus Eccleſiæ, tum plurium Patrum teſtimonia. De quibus Henriquez *ſupra*, *cap.* 15. Layman. *ſuprà*, *num.* 8. Lugo *ſuprà*, *dict. ſect.* 10. Idem dico de Fide, quod ſcilicet nec ea requiratur ex parte illius, cui applicatur fructus huius Sacrificij. Poteſt enim offerri pro Infidelibus, Paganis, Turcis, & Iudæis, vt conuertantur ad fidem, prout etiam ex variis fundamentis, & Auctoribus, imò & vſu Eccleſiæ contra Sotum, & Vaſquez probat Layman. *ſup. num.* 9. *&* 10. Fagundez *ſupra*, *cap.* 12. *à num.* 51. Ioannes de Croce *ſupra*, *dub.* 5. *concluſ.* 2. & alij.

8 Ex quo reſpondetur ad celebrem illam quæſtionem, in qua quæritur, vtrum Sacrificium Miſſæ pluribus applicatum æquè proſit cuilibet, ac ſi pro ipſo ſolo applicaretur. Dicendum etenim eſt, quod licet illud ſumptum primo modo, ſcilicet pro Orationibus, Cæremoniis, &c. applicatum pluribus non æquè proſit cuilibet, ac ſi pro ipſo ſolo applicaretur, cum valor, & effectus ipſius iſto modo accepti finitus ſit, & limitatus, omne autem finitum ſi diuidatur inter plures minus participatur à quolibet, quam ſi ſoli ipſi communicaretur (Vaſquez *ſuprà*, *diſp.* 231. *cap.* 3. *num.* 18. *&* 19. Ioannes de Cruce *ſuprà*, §. *ex dictis patet*) nihilominus ſumptum ſecundo modo, ſcilicet pro eo, in quo eſſentialiter ratio ſacrificij conſiſtit, dicendum eſt contrarium, ſcilicet quod pluribus applicatum à Sacerdote, tantum prodeſt cuilibet, quantum ſingulis, itavt nihil detrimenti accipiat ille, pro quo Miſſa celebratur, ſi pro aliis etiam dicto ſecundo modo applicetur. Colligitur primò ex *Canone* 23. *non mediocriter*, *de conſecr. diſt.* 5. vbi ex D. Hieronymo (eſto ea ſaltem omnia in ipſo non reperiantur) ſic habetur: *Cum igitur pro cunctis animabus Pſalmus*, *vel Miſſa dicitur*, *nihil minus quàm ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur*, *accipitur.* Colligitur ſecundò ex infinitate valoris Miſſæ, quemadmodum enim ſi in mari eſſet aqua Infinita, quantumvis infiniti homines ex eo aquam haurirent, poſſent omnes quantum vellent aquæ haurire ſine detrimento aliorum, & abſque eo quod mare euacuaretur, infinitum enim inexhauribile eſt, & finiri non poteſt. Ita ſimiliter de Sacrificio Miſſæ dicto modo ſumpti affirmari debet, ita vt iuxta cuiuſcumque deuotionem proſit omnibus æquè, ac ſingulis. Colligitur tertiò exemplo paſſionis, & meritorum Chriſti, ex eo enim, quod valor illorum infinitus eſt, poſſunt pluribus applicari ſine detrimento alicuius, & pluribus applicata, æquè proſunt vnicuique, ac ſi pro illo ſolo applicarentur. Quod idem dicendum videtur de Sacrificio Miſſæ, cum iuxta dicta Sacrificium Miſſæ, & Crucis non differant eſſentialiter. Imò, vt benè Angelus *ſuprà*, ait: *Miſſa reſpectu operis operati nihil aliud eſt*, *quam applicatio meriti paſſionis Chriſti*, *quod per tale Sacrificium immediatè applicatur illi pro quo dicitur*; *& ideo licet multis dictum meritum paſſionis Chriſti applicetur*, *nihilominus quilibet non minus habebit*, *quam ſi ſolum ſibi fuiſſet applicatum.* Colligitur quartò ex ſimilitudine Sacramentorum, ſi enim Baptiſmus, vel Pœnitentia pluribus (etiam infinitis, ſi fieri poſſet) applicentur, ſinguli eorum, qui abſoluuntur, vel baptizantur, tantum fructum recipiunt, ac ſi ſoli ipſi eſſent. Ergo idem de fructu Miſſæ dicendum erit. Quintò ex dictis, ſi enim fructus huius Sacrificij commenſuratur deuotioni recipientis ipſum, cum deuotio vnius pro quo offertur non impediat deuotionem aliorum, pro quibus etiam offertur, proculdubio rectè ſequitur prodeſſe omnibus ſine detrimento aliorum, ac ſi pro vnoquoque illorum ſolùm offerretur. Tandem à ſimili animæ rationalis, quæ communicatur omnibus membris corporis humani, ac ſi ſingulis, & ſine detrimento aliorum; & luminis corporei, & vocis externæ, quæ etiam hoc modo communicantur. Et ita hanc ſententiam tenent Angelus, & Caietanus *ſupra.* Neque eſt ipſe Caietanus primus Auctor huius ſententiæ, vt aliqui putant, cum ante ipſum per ducentos circiter annos eandem tenuerit noſter Ioannes de Baccone *in* 4. *diſtinct.* 20. *quæſt.* 3. *art.* 2. & noſter etiam Michaël de Bononia *ibid. dubit.* 2. *&* 3. referens etiam Guidonem. Item noſter Ioannes Beetz *in decem præcept. Decalog. circa* 7. *præcept. expoſit.* 2. *cap.* 4. Ex Recentioribus quoque illam ſequuntur Aragon. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3. Petrus Sotus, & Petrus Nauarra *ſupra.* Vaſquez etiam *ſuprà*, *diſput.* 231. *cap.* 3. Vignerius *de Inſtitutionibus Theolog. cap.* 16. aſſerens ita etiam ſenſiſſe Sorbonenſem Vniuerſitatem. Ioannes Baptiſta Corradus *in Reſponſ. Caſ. conſcient. reſponſ.* 266. Peyrinis *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſtitut.* 5. *Iulij* 2. *num.* 15. Dominicus Montagnolus *ſupra*, & plures alij apud ipſos. Licet autem non omnes eodem modo eam explicent, ſed variis diſtinctionibus vtantur; nihilominus, vt Vaſquez *ibid.* ex Caietano, Corduba, & aliis refert, intelligitur hæc ſententia de Sacrificio quouis modo pro pluribus oblato.

Hoc autem maximè verum eſt loquendo de iis, qui 9
aliquo modo ad Sacrificium cooperantur, vt proptereà offerentes dici poſſint, prout ſunt non ſolùm, qui Miſſæ Sacrificio deſeruiunt, ſed etiam qui pro illo offerendo ſtipendia Sacerdoti præſtant, aut rogant celebrari, imò & circumſtantes, qui adſtant, cum illud offerunt. De iis enim omnibus præcipuè verum eſt, quod Sacrificium Miſſæ quantum ad oblationem æquè proſit omnibus iuxta vniuſcuiuſque deuotionem, vt dictum manet, ac ſi pro vnoquoque ſolùm offerretur. Tum propter rationes adductas, tum quia ex oppoſito ſequeretur quod Miſſæ valor diminuatur, ex eo quod plures adſtent ipſius celebrationi, aut quod plures Miniſtri, vel in Altari, vel in Choro Miſſæ deſeruiant. Quod eſt contra Eccleſiæ intentionem, quæ potius deſiderat, vt plures adſtent Miſſarum miniſterio, & celebrationi. Tum præterea, quia ſi aliqui iuxta Crucem Chriſti cum eo offerrent Patri æterno Sanguinem illum, nihil conſequerentur minus de fructu ipſius, quam ſi vnus ſolus id faceret: idem autem Sanguis Chriſti eſt, qui offertur in Altari, ac qui oblatus fuit in Cruce. Tum denique, quia id videtur conforme non ſolum inſtitutioni Chriſti, ſed etiam naturæ Sacrificij, quæ poſtulare videtur tam in lege veteri, quam in lege noua, ſiue Euangelica, vt propter multitudinem offerentium non perdant ſinguli de fructu ipſius. Suarez *dict. diſp.* 79. *ſect.* 12. *in* 1. *concluſ.* Vaſquez *dict. diſp.* 231. *cap.* 7. *num.* 40. Beja *ſuprà*. Toletus

ſuprà, cap. 7. num. 1. in fine. Bonacina *dicto puncto* 4. *num.* 6. Layman. *ſuprà, cap. 1. aſſertione* 5. ex Conincho, & Comitolo. Vide ad intentum Angelum *in Summa, verb. Miſſa, num.* 52. & Armillam *verbo Miſſa, num.* 32.

10 Non tamen propterea (vt ad aliud quæſitum reſpondeamus) poſſunt Sacerdotes plura ſtipendia pro vna miſſa ſuſcipere. Primò, quia aliàs priuarent offerentes talia ſtipendia fructo aliquo miſſæ, quem ipſi intendunt. Etſi enim, vt dictum eſt, fructus ex opere operato correſpondens ipſi Sacrificio, vt tale, non minuitur ea eo quòd miſſa pro pluribus applicetur, fructus tamen ex opere operantis correſpondens Orationibus, Precibus, Cæremoniis, & aliis piis actionibus, quæ in miſſa fiunt, cum ſit finitus, & limitatus, proculdubio minuitur pro pluribus applicatus, quia in ipſos diuiditur. Dantes autem ſtipendia pro miſſa omnem fructum ipſius, tam qui eſt ex opere operato, quàm qui eſt ex opere operantis, petunt ſibi applicari. Appellatione enim rei ſimpliciter venit res tota, & non pars tantum, vt habent Doctores communiter *in cap. fin. de verbor. ſignificat.* & nemo præſumitur iuri ſuo renuntiare, niſi hoc exprimat, *l. Vxore, §. legauerat, ff. ſi ſeruitus vendicetur, leg. prædiis, §. balnea, de leg.* Secundò ad idem, quia ſic facientes ſunt infideles promiſſioni factæ illis, qui talia ſtipendia dederunt, cum enim mens illorum ſit, vt tota miſſa quantum ad totum eius valorem, ſiue ex opere operato, ſiue ex opere operantis ipſis applicetur, quia quilibet præſumitur velle, maximè in ſpiritualibus, totum commodum quod poteſt, & omni meliori modo quo poteſt, proculdubio Sacerdotes, qui hoc ſcientes accipiunt talia ſtipendia, virtualiter ſaltem promittere videntur totum valorem Miſſæ pro illis applicare, ac per conſequens aliter facientes infideles ſunt promiſſis. Tertiò, quia oppoſita ſententia ſcandalum generat in Eccleſia, quia propter illam retardantur fideles ab oblatione ſtipendiorum pro Miſſis, cum videant fructum ipſarum etiam inter alios diſtribui, & quia id attribuunt improbæ cupiditati, ſeu auaritiæ Sacerdotum. Quartò, & præcipuè, ex Decretis *de celebratione Miſſarum*, à Sacra Congregatione Concilij Sanctiſſ. Domini Noſtri Vrbani auctoritate editis 21. Iunij 1625. quæ habentur *in 4. tom. Bullarij*, inter Conſtitutiones Vrbani *n.* 43. & quæ retuli *tom. 1. part. 1. cap. 21. num. 5. 6. & 7.* Etenim in proœmio ipſorum oppoſita ſententia *teterrimus abuſus, & à Chriſtiana Republica conuellendus, atque eradicandus* appellatur: & in §. 2. verbis adductis *eo num.* 5. expreſsè præcipit S. Congregatio *ſub obteſtatione diuini Iudicij, vt abſolutè tot miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, immo grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Item in declarationibus eiuſdem Sacræ Congregationis ad dubia facta ſuper eiſdem Decretis *in reſponſ. ad* 4. ſic habetur: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro aliis etiam miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.* Vnde hanc ſententiam tenent communiter Doctores, non ſolùm qui poſt prædicta Decreta ſcripſerunt, ſed & qui ante illa, quorum aliqui contrariam cenſuræ notam incurrunt. Etenim noſter antiquus Doctor Ioan. de Baccone *in 4. diſt. 20 quæſt. 3. art. 1.* eam vocat errorem. Antonius Honcala *in opuſcul. de valore Miſſæ, art. 11. in fin.* iniquam, & impiam appellat. Scandalum generare ait Angles *in flor. Theolog. quæſt. 4. de valore miſſæ, art. 2.* Falſiſſimam eſſe, & valdè dignam quod à Summo Pontifice cenſuretur, dicit Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 8. de miſſa, difſic. 16. num. 1.* Vnde opuſculum Dominici Montagnoli, vbi ſolus, quem viderim, contrariam ſententiam tenet, prohibitum eſt à Sacra Congregatione Indicis. Vide alia contra ipſam in Fraxinello *ſuprà, ſect. 4. concluſ. 1. §. 1.*

Nec excuſantur Sacerdotes plura ſtipendia pro vna Miſſa ſuſcipientes, vel numerum Miſſarum ad ratam ſtipendiorum minuentes, propterea quòd illa parua, exigua, & incongrua ſint; id eſt, minora quàm lege, vel conſuetudine taxata ſunt. Tum quia eſto talia eſſent, nihilominus eo ipſo, quod ſunt à Sacerdotibus acceptata, tenentur ſaltem iuxta dicta ſupra, ratione fidelitatis, & promiſſionis conformiter ad mentem dantis, non acceptare alia pro eadem miſſa, ſed integram dicere pro dante exiguum ſtipendium. Tum præcipuè, quia ita declarauit Sacra Congregatio in Decretis adductis §. 2. illis verbis *eo num. 5.* relatis, *plura ſtipendia quantumcunque incongrua, & exigua.* Et clarius *in reſponſione ad 3. dubium.* Cum enim illud eſſet, an *cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam, iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo teneantur Miſſas illas ab offerente præſcriptas celebrare?* reſpondit Sacra Congregatio: *Teneri.* Bonacina *ſuprà, quæſt. vltim. punct. 7. §. 2. num. 8.* ex aliis, Diana *part. 1. tract. 14. reſolut. 7. & part. 5. tract. 13. reſolut. 51.* Ludouicus à Cruce *in Expoſit. Bullæ, cap. 3. dub. 19. num. 31.* Lugo *ſuprà, diſput. 21. ſect. 2. num. 26.* Quare licet Rodriguez, Corduba, Suarez, Vaſquez, Angles, Peyrinis, Fernandez, Filliucius, Scorzia, & Fraxinellus, quos referunt Diana, & Lugo oppoſitum tenuerint, modò tamen ſtandum eſt Decretis Sacræ Congregationis, vt iidem Auctores fatentur. Illis tamen ſeclusis (videlicet ſi ab eadem Sacra Congregatione, vel Summo Pontifice reuocentur, vel alio modo obligare deſinant) & promiſſione non interueniente, ſuſtineri poteſt contraria ſententia in caſu, quo propter paupertatem cogeretur Sacerdos accipere talia ſtipendia exigua, & minora quàm iure debita erant, cum tunc non violaretur virtus fidelitatis, ſiquidem ea ſupponit promiſſionem: nec virtus iuſtitiæ, quia cùm iniuria fiat Sacerdoti non dando illi ſtipendium integrum iure debitum, poteſt damnum ſibi illatum reſarcire meliori modo quo poteſt. Suarez *ſuprà, diſputat. 86. ſect. 4.* Molfeſius *tom. 1. tract. 3. cap. 17. num. 89.* Naldus *verb. Miſſa, num. 1.* Peyrinis *tom. 3. priuileg. cap. 1. num. 26.* Layman. *ſuprà, num. 1. §. cæterum.* 11

Hic obiter notandum pro dictis, & dicendis, promiſſionem de celebranda Miſſa pro aliquo obligantem in conſcientia non eſſe tantum ſimplicem animi declarationem, & propoſiti, quod tunc quis habet ſine intentione aliqua ſe obligandi; hæc enim promiſſio nec eſt vera promiſſio, nec inducit obligationem rigoroſam, ſed tantum ex quadam decentia. Promiſſio ergo in conſcientia obligans eſt illa, quæ eſt cum intentione explicita, ſeu implicita ſe obligandi. Suarez *dict. diſput. 86. in principio.* Peyrinis *ſuprà num. 28.* Quæ autem requirantur ad veram promiſſionem, & quomodo intentio obligationis in illa includatur, cœpi dicere *tom. 1. part. 1. cap. 1. num. 27.* Nota ſecundò pro præſenti materia, quod quamuis promiſſio de dicendo Miſſam pro aliquo obliget in conſcientia, nihilominus plures Theologos probabiliter ſatis tenere liberaliter promittentem alicui vnam Miſſam non peccare, niſi tantum venialiter eam non dicendo, quia omiſſio illius Miſſæ ex liberalitate promiſſæ non eſt in genere damnorum ſpiritualium tale quod poſſit conſtituere peccatum mortale. Sanchez *lib. 1. de matrimon. diſp. 5. num. 25.* Portellus *in Dub. regular. verb. Miſſa, num. 10.* Diana *part. 2. tract. 17. reſol. 9.* poſt Rodriguez, & Malderum, contra Petrum Nauarra, & Bonacina. Nota etiam, nos loqui de promiſſione omninò liberali tantum, non de alia, quæ ſit ex ſtipendio, vel alia obligatione, etiam ex gratitudine. Sanchez, & Diana *ſuprà*, ac Trimarchus apud Peyrinis *ſuprà.* 12

Nec

13 Nec etiam excuſantur Sacerdotes plura ſtipendia pro vna Miſſa ſuſcipientes propter paupertatem. Probatur, tum ex Decretis Sacræ Congregationis adductis. Si enim verba relata expendantur, & contextus ipſorum, maximè verba illa proœmij, ſcilicet *vt Sacerdos pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellatur*, inſpiciantur, facilè cognoſcetur non ſolùm hanc eſſe mentem eiuſdem Congregationis, ſed hunc fuiſſe finem edendi dicta Decreta. Tum quia Chriſtus, aut Eccleſia non inſtituit Miſſas ad alendos pauperes Sacerdotes, imò Eccleſia ſanxit, vt nullus pauper ordinaretur, *cap. non liceat, cap. Epiſcopus, cap. tuis, & cap. cum ſecundum, de præbend.* & in Concil. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. vbi pro Sacerdotum ordinatione Beneficium, aut patrimonium petitur. Imò etiam *cap. Clericus victum, diſt.* 61. decernitur, quod Sacerdos in paupertatem incidens, aliqua arte, ſiue agricultura ſibi victum quærat. Tum quia eſto quod Sacerdotes poſſint pro miniſterio altaris ſubſidium corporalis alimenti accipere, vt colligitur ex Paulo 1. *Corinth.* 9. irrationabile tamen prorſus eſt, vt pro ſemihoræ labore, qualis eſt ille, qui in Miſſis dicendis exhibetur, totum diei alimentum exigant. Tum denique, quia paupertas Sacerdotis non dat illi ius ad recipiendum vltra iuſtum ſtipendium taxatum, ſicut nec in aliis rebus pauperis vendentis auget pretium rei, quæ venditur. Nauarrus *ſuprà*. Corduba *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 2. Naldus *verbo Miſſa, num.* 3. Fraxinellus *ſuprà ſect.* 4. *concl.* 1. §. 3. Bonacina *dicto* §. 2. & alij innumeri Scriptores, præſertim ex Patribus Ieſuitis, contra plures etiam, quos modò referam.

14 Nec ſimiliter excuſantur Sacerdotes plura ſtipendia pro vna Miſſa accipientes, eo quod ſecundùm plurium Theologorum ſententiam iuſtum ſtipendium Miſſæ ſumendum eſt non ex taxatione facta lege, aut conſuetudine, ſed in ordine ad congruam Sacerdotis ſuſtentationem, ita vt iuſtum ſtipendium Miſſæ illud ſit, quod eſt neceſſarium pro qualibet die ad prædictam congruam ſuſtentationem. Pro hac enim ſententia ſunt Aragon. *de iuſtit. & iure quæſt.* 85. *art.* 3. Canus *lib.* 12. *de locis*; *cap.* 12. *ad* 10. Petrus Nauarra *lib.* 1. *de reſtitutione, cap.* 1. *num.* 433. & fauent Dominicus Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. & alter Sotus *lectione* 7. *relata*; tenentque Ludouicus de Beja *in lib. reſponſion. ad caſus conſcientiæ, congregatione* 4. *caſu* 3. Nuñus *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. Fernandez in *Exam. Theolog. mor. part.* 3. *cap* 5. §. 8. Paulus Griſaldus *in Deciſionibus fidei, verb. Miſſa* 21. Franciſcus Samarinus *in* 3. *part. Theſauri Sacerdotalis, tit. de virtute, & vtilitate Miſſæ, fol.* 43. & probabile putant Alfonſus Vega mihi *lib.* 1. *Summ. cap.* 160. *& lib.* 2. *cap.* 474. *& lib.* 5. *caſu* 190. Ledeſma *in Summa, part.* 1. *de Sacram. Euchariſt. cap.* 18. Ioannes de la Cruz *ſupra dub.* 7. *concl.* 2. Molfeſius *ſuprà cap.* 16. & alij. Horum enim opinio, & ſententia, eſto ante Decreta Sacr. Congregationis probabiliter ſuſtineri poſſet, poſt illa tamen non poteſt in praxi teneri, prout notant Diana *d. tract.* 14. *reſol.* 8. & Lugo *ſupra*. Et meritò ſanè, quia videtur damnata ſaltem virtualiter in dictis Decretis, dum eam Eminentiſſimi Cardinales vocant, vt dixi, *teterrimum abuſum*, & ipſam practicantes, ex auctoritate Papæ ſibi ſpecialiter attributa dicunt, *non ſatisfacere ſuæ obligationi, peccare grauiter, & teneri ad reſtitutionem.* De quo Bordonus *reſolut.* 55. *num.* 13. Nec volunt iidem Eminentiſſimi, vt dicta Decreta contra hunc ſenſum interpretari poſſint. Quin, vt audio, quendam aliàs doctum, qui id tentauerat, prohibuerunt id facere grauibus pœnis, & cenſuris, Summo Pontifice etiam annuente. An verò ſecluſis dictis Decretis Sacræ Congregationis ea ſuſtineri poſſit, & quibus limitationibus, dicam infrà.

15 Similiter nec Regulares excuſantur propter aliqua priuilegia illis antiquitus conceſſa. Quale eſt illud, quod Iulius II. prout refert Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuileg. Mendicantium, verbo Miſſa* 3. conceſſit Minimis, videlicet, quod Generalis ipſorum poſſet propter Miſſarum multitudinem in Conuentibus repertam diſpenſare cum ipſis, quod dicendo nouem, vel ſeptem Collectas ſatisfaciant pro nouem, vel ſeptem Miſſis. Quale etiam eſt illud, quod ex Compendio Ordinis D. Hieronymi in Hiſpania, *verbo Capellania*, §. 3. refert Portellus *in dubiis regularium, verbo Miſſa, num.* 2. Et aliud Leon. X. pro Minoribus, quod affert Caſſarubius *in Compend. verbo Miſſa* 3. *num.* 14. Aliud etiam, quod vidi eiuſdem Leonis pro Prouincia Bœtica Carmelitana. Item aliud Nicolai Franci Siſti IV. Legati pro Benedictinis Valliſoletanis, quod refert Rodriguez in Bullario, in Siſto IV. Bulla 44. & de quo plura Fraxinellus *ſuprà ſect.* 6. *in* 22. *argumento*. Hæc enim omnia, & alia quæcunque priuilegia vacant his temporibus, vt notant idem Fraxinellus *ſuprà num.* 13. *& in* 21. *argumento, num.* 4. Lugo *ſuprà num.* 28. & Bordonus *d. reſol.* 55. *num.* 19. propter Decreta adducta. In illo enim §. 3. vt etiam dixi eo *cap.* 51. *num.* 5. ſic dicitur. *Id verò, vt deinceps obſeruetur exactiùs, Sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis, tam ſecularibus, quam Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus, pluribus miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.* Quia verò per illam particulam *in futurum, &c.* denotari videbatur non reuocari dicta priuilegia quoad onera ſuſcepta de præterito, ideò poſtea eadem Sacra Congregatio *in reſponſione ad ſextum dubium*, quod erat, *An verba In futurum ſuſcipiendis, intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt priuilegium?* reſpondit, *Ita eſſe intelligenda.* Quo declaratur, eam reuocationem priuilegiorum eſſe etiam quoad onera ſuſcepta ante Decretum, ſi ſuſcepta ſint poſt priuilegium. Bordonus *ſupra*. Vnde colligi poteſt prædicta priuilegia reuocata non eſſe quoad onera ſuſcepta ante ipſorum priuilegiorum conceſſionem. Nec etiam reuocata erunt ea priuilegia (ſi quæ habuerint Regulares) quæ non habuerint eam qualitatem, quam S. Congregatio aſſignat, ſcilicet, *vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum, &c.* prout in verbis adductis habetur.

Nec ſimiliter excuſantur Sacerdotes plura ſtipendia pro vna Miſſa recipientes, eo quod verbi gratia, in ea Eccleſia, in qua degunt, eſt aliqua Imago Beatæ Virginis verbi gratia, magnæ deuotionis, & concurſus populi, prout contingit in celebri noſtro Conuentu Carmelitarum Neapolis, & aliis ſimilibus. Tum quia Decreta Sacræ Congregationis adducta generaliter loquuntur. Tum quia eadem eſt ratio in hoc caſu, ac in aliis. Quod enim dicitur, ſcilicet quod Eccleſiæ cultus, & deuotio, ac fidelium concurſus, ſi id non fiat, diminuentur, parum viget reſpectu grauis iniuriæ, quæ fit illis, qui ſtipendia offerunt pro Miſſis pro ſe dicendis. Verum quidem eſt, quod ſi tacitus conſenſus fidelium talia ſtipendia tribuentium ſit, vt illis Miſſis ſatisfaciant dicti Sacerdotes eo modo quo potuerint, tunc poterunt plura illa ſtipendia recipere pro vna Miſſa, cum ex Regula Iuris *ſcienti, & volenti nulla fiat iniuria.* Nota autem quod huiuſmodi conſenſus tacitus rarò contingere ſolet, prout ex Nauarra, & Megala notat Fraxinellus *ſuprà dicta ſect.* 4. *concluſ.* 4. §. 8. *num.* 5. Nam perſonæ prudentes talia ſtipendia dantes exiſtimant prædictos Sacerdotes, ſi per ſeipſos omnes Miſſas celebrare non poſſunt, per alios Sacerdotes ſatisfacere. Simplices autem, & vulgares de ipſorum Sacerdotum obligationibus non cogitant, vel eas ignorant, vel eorum numerum non 16

aduertunt. Et ita rarò, vt dixi, talis conſenſus tacitus reperietur.

17 An verò præfati Sacerdotes, aut Regulares poſſint ſaltem accipere duo ſtipendia pro vna Miſſa, applicando vni partem ſolitam, ſcilicet fructum illum, quem *ſuprà num.* 7. dixi applicari ei pro quo ſpecialiter offertur Miſſa, & alij partem, quæ correſpondet ipſi Sacerdoti, ideſt fructum illum, quem eo loco dixi ipſi correſpondere, non leuis difficultas eſt. Conſiſtit autem in duobus: primò, an ſit in poteſtate celebrantis applicare alij prædictum fructum. Secundò, an ratione talis applicationis accipere poſſit aliud ſtipendium. Et quidem quoad primum, licet valdè probabilis ſit pars negatiua, quam tenent Suarez *ſuprà diſput.* 79. *ſect.* 9. *in fin.* & Bonacina *ſuprà punct.* 8. *num.* 16. Fraxinellus *dicta ſect.* 3. *prænotatione tertia*, *à num.* 5. Lugo *ſuprà num.* 33. poſt alios, quia ea pars fructus ita videtur propria celebranti, vt nullatenus alij applicabilis ſit. Nihiluminus probabilior mihi eſt pars affirmatiua. Cum enim fructus Miſſæ, qui competit Sacerdoti ſit eiuſdem rationis cum illo, qui competit ei pro quo ſpecialiter offertur, non video cur vterque applicari non poſſit alij à celebrante, præſertim, ſi talis fructus non ſit gradus aliquis ſanctitatis, nec remiſſio culpæ. Et ſic credi debeat inſtitutum à Chriſto hoc ſacrificium, vt quemadmodum quis ſua bona opera ſatisfactoria quantumvis perſonalia aliis applicare poteſt, ſic & huiuſmodi fructum, quantumuis etiam perſonalem, cum vtrumque opus charitatis ſit, quam Deus ſemper commendat, maximè in Eucharistia, quæ tota charitas eſt. Nauarrus *dicto cap.* 25. *num.* 92. *&* 111. §. *Secundò ſequitur*, vbi dicit ſe ſolitum fuiſſe id facere, Nauarra *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 256. Nuñus *dicta quæſtione* 83. *art.* 1. Naldus *verbo Miſſa*, *num.* 12. & alij, quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà reſol.* 14. *& part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 35. Quamuis autem Miranda *in Manual. tomo* 1. *diſp.* 42. *art.* 2. *concluſ.* 1. *& art.* 27. *concluſione* 1. cum Suarez, & aliis ſolum id concedat de fructu, qui correſpondet celebranti ex opere operantis, ratio tamen adducta id etiam probat de fructu ex opere operato. Naldus *ſuprà*, Bordonus *ſuprà num.* 15. ex Nauarra, Henrico, Molſeſio, Filliucio, & aliis. Quoad ſecundum verò, licet probabiliter ſuſtineri poſſet celebrantem pro applicatione talis fructus ſibi debiti ſtipendium accipere poſſe, prout tenent Molſeſius *in Summa*, *tomo* 1. *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 40. Bartholomæus ab Angelis *in Exam. Confeſſar. dialog.* 5. §. 507. & Bartholomæus à Sancto Fauſto *in tractat. de Euchariſt. lib.* 2. *quæſt.* 58. *&* 158. verumtamen quia incertum valdè eſt non ſolùm quod Sacerdos poſſit applicare illum, ſed etiam qualis, aut quatenus ſit ille fructus correſpondens celebranti, quibuſdam aſſerentibus cum Filliucio *tomo* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 181. ſolùm eſſe tertiam partem illius, qui applicatur pro eo pro quo offertur Miſſa, aliis verò maiorem eſſe quaſi diuinando aſſerentibus; & quia qui dat ſtipendium, valorem certum, & non dubium intendit ſibi applicari, ideo ſuſtinenda eſt pars negatiua, quam tenet Rodriguez *in Summa*, *tomo* 2. *cap.* 48. *num.* 2. Naldus *ſuprà*, Peirinis *ſuprà num.* 25. Bonacina *ſuprà punct.* 8. *num.* 15. referens ita determinaſſe Congregationem Pœnitentiariæ Mediolanenſis, & alij. Quod maximè procedit poſt Decretum Sacræ Congregationis adductum illis verbis: *Tot miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerunt.* Ex eo enim ſequi videtur non poſſe accipi ſtipendium pro applicatione fructus correſpondentis celebranti. Et ita in terminis dictorum Decretorum id tenent Megallius *variar. Reſolut. tomo* 2. *Reſolut.* 179. Fraxinellus *ſect.* 3. *prænotatione* 3. §. 2. *num.* 9. Lugo *ſuprà num.* 35. dicens de hoc iam non eſſe dubium, & Diana *dicta Reſolut.* 45. Licet videam Bartholomæum à Sancto Fauſto, & Bordonum *ſuprà* oppoſitum tenere, non obſtantibus dictis Decretis. Vellem propterea, vt eadem Sacra Congregatio circa hoc ſuam mentem clariùs exprimeret.

18 Exiſtimat etiam Bordonus *ſuprà num.* 17. poſſe Sacerdotem accipere duplex ſtipendium pro vna Miſſa, vnum quidem ratione applicationis fructus illius, qui communiter contingit ei pro quo miſſa dicitur, & alterum pro applicatione Indulgentiæ, verbi gratia Altaris priuilegiati, cui eſt conceſſa liberatio animæ à pœnis Purgatorij. Sed hæc ſententia non ſolùm eſt ſingularis, cum nullum alium pro ſe patronum habeat, ſed & contra communem ſenſum fidelium, qui quando petunt pro aliquo defuncto dici aliquam miſſam cum Indulgentia Altaris, verbi gratia priuilegiati, petunt applicationem tum Indulgentiæ, tum fructus, qui communiter in aliis miſſis applicatur: imò & contra intentionem Pontificum concedentium tales Indulgentias, qui hoc ſine dubio intendunt. Quare non video quomodo ſuſtineri poſſit, maximè poſt Decreta Sacræ Congregationis adducta generaliter prohibentia accipi plura ſtipendia pro vna miſſa. Quæ tamen dicta ſint ſine præiudicio dicti Bordoni, viri ſanè docti, & pij.

Timeant ergo Regulares quicunque illi ſint, & quocunque prætextu ducantur, plura ſtipendia, aut pluſquam vnum pro vna miſſa accipere contra præceptum Sacræ Congregationis relatum, attendentes illud Eccleſiaſtici 34. verſ. 21. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.* Et infrà verſ. 23. & 24. *Dona iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert Sacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.*

19 Hæc enim omnia defraudatoribus ſtipendiorum Miſſarum applicari iure poſſunt. Si enim miſſæ illæ celebrandæ erant pro impetratione boni ſpiritualis, vel temporalis, eo defraudantur fideles: ſi verò pro animabus Purgatorij, Dei viſione ad tempus carere coguntur, & interim acerbiſſimis doloribus cruciatæ iuſtiſſimè ad Deum pœnas debitas contra Sacerdotes, quorum culpâ ſic affliguntur, poſtulare poterunt. Maximè verò talium Sacerdotum iniquitas in eo apparebit, ſi viis, aut modis exquiſitis huiuſmodi ſtipendiis quæritandis veluti nundinentur. Quod quantum piaculum ſit, Ambroſius Catherinus *in tractatu de veritate incruenti Sacrificij*, ſic expreſſit: *Eſt abuſus eorum, qui Iudam imitantur vendentes Chriſtum, & paciſcentes pro miſſis, ac numero miſſarum. Sunt enim Sacerdotes pauperes, qui tanquam venale exponunt ſanctiſſimum Sacrificium, vt inde ſibi comparent victum, ſicuti qui ex qualibet profana mercimonia ſibi contrahunt, vt viuant. O væ infœlix, & æternum huiuſmodi ſacrilegium.* Nec prætermittam, quod noſter Beatus Cyrillus Montis Carmeli Eremita *in ſuo Oraculo Angelico* in Bibliotheca Vaticana reperto *cap.* 11. ſic de quibuſdam Regularibus hoc crimen perpetrantibus ænigmaticè ſcripſit, dicens: *Fallaces, ingenioſi, mediis linguis ſantes cum viduis, exponentes Sacrificia mercaturæ, offer ſacrificium, præbe teſtimonium, & plaga vltra non erit. Hec fingent filij nequam, ſeductores, aſtuti, vt augeant ſtercora, & erigant cacumina. Febres ſanabunt. Eorum more vita iſtorum, ad querulas voces tibicinum ſalient lætabundi, vt agni in paſcuis.* Quod eſt dicere, prout Abbas Ioachimus eius Scholiaſtes ibidem exponit, futuros quoſdam Regulares, qui talibus aſtutiis, & artibus ſimilibus huiuſmodi ſtipendiorum pro celebrandis ſacrificiis iniquæ mercaturæ, ſeu negotiationi vacaturi ſunt. Forſan tales modò in Eccleſia iam non ſunt. Quia enim de aliquibus id credet? Perierunt forſan inter eos Regularium Ordines, quos Summi Pontifices, & Concilia præteritis temporibus exterminio tradiderunt. Vnde de illis poſtea ſubdit Cyrillus: *Verumtamen ſpiritus vehemens latens in cornibus repentè perflabit, & quadros abſcindet*

de

de montibus. Ideſt, prout idem Ioachimus exponit, quod ab Eccleſia extinguentur ſic facientes. Legatur Fraxinellus *ſuprà ſect.5. in Corollar.* vbi iſtorum abuſum vocat ex Azotio *Sordidam lucri cupiditatem*, ex Nauarra *Planam iniquitatem*, ex Rodriguez *Ignorantiam, & paucum Dei timorem*, ipſoſque id facientes ex Marco Antonio Genuenſi *Necatores pauperum, infideles, fures, ſacrilegos.* Vide Ioannem Sancium *in ſelect. diſp.44.num.13. §.ex his infertur.*

20 Tales ergo, qui pluribus huiuſmodi miſſarum oneribus obligatos ſe cernunt, nec vllo modo ſupereſt illis facultas pro ipſis ſatisfaciendi, quia nec ſtipendia accepta reſtituere poſſunt, eo quòd in alios vſus expenderint, nec aliis Miſſis in futurum eis ſatisfacere queunt, quia Capellaniis, Anniuerſariis, & aliis obligationibus perpetuò adſtricti ſunt, nec denique à Sede Apoſtolica, vel Sacra Congregatione prædictarum onerum reſtrictionem obtinere poſſunt, vt præfatis obligationibus, vtcunque (ſaltem quoad poſſunt) ſatisfaciant, facere poſſunt, & debent ea, quæ inferiùs *num.29.* dicemus pro illis, qui graui neceſſitate cogente, & Decretis S.Congregationis adductis à Sede Apoſtolica derogatis, vel quoquo modo non obligantibus, plura ſtipendia pro vna miſſa dicenda ſuſceperint.

21 Interim tamen animaduertendum aliquos caſus eſſe, in quibus ſine præiudicio Decretorum Sacræ Congregationis licitè poſſunt Sacerdotes plura ſtipendia pro vna miſſa accipere. Primus, quando id fiat de partium, ſcilicet eorum, qui ſtipendia præbent, conſenſu. Tum quia ſcienti, & volenti nulla fit iniuria: tum quia ceſſant omnes illi fines, quibus Sacra Congregatio mota fuit ad condendum dicta Decreta, vt ea intuenti conſtabit. Nauarrus *dict. num.92.* Fillincius *ſupra num.188* Bonacina *ſuprà punct.7.§.2.num.4.* Bordonus *ſuprà num.14.* poſt Suarez, Poſſeuinum, Graſſium, & alios. Notant tamen Bonacina, & Bordonus ex Poſſeuino hunc conſenſum dare non poſſe hæredes, legatarios, aut alienæ voluntatis executores, cum iſti non ſint domini, ſed miniſtri. Solùm ergo eum præſtare poterunt ij, pro quibus miſſa debet offerri. Secundus eſt, cum Sacerdos habens onus celebrandi aliquam miſſam ex ſtipendio accepto, offerenti aliud ſtipendium, ob metum tranſgrediendi præceptum Sacræ Congregationis, dicit: *Non poſſum pro te offerre hanc miſſam, orabo tamen in memento*, vel *addam pro te vnam Collectam.* Tunc enim ſi offerens ſtipendium conſentiat, poterit accipere illud, & facere debet prout promiſit. Vt enim S.Thom. *in 4.diſt.45.quæſt.2. art.3. quæſt.2. ad 1.* ait: *Cum pro vno miſſa dicitur, non eſt inconueniens, vt pro aliis etiam orationes fiant.* Bonacina *ſuprà.* Tertius eſt ſecundum probabilem opinionem aliquorum, cum Sacerdos ratione ſtipendij prius accepti, Beneficij, Præbendæ, Capellaniæ, &c. non eſt obligatus applicare ſacrificium pro aliquo, ſed ſolùm celebrare tali die, in tali loco, Eccleſia, Capella, &c. tunc enim poteſt nouum ſtipendium accipere pro applicatione miſſæ, cum obligationes iſtæ diuerſæ ſint, & vna non impediat alteram. Et ita tenent Suarez, Vaſquez, Alfonſus de Leone, Fraxinellus, Homobonus, Bartholomæus à ſancto Fauſto, Turrianus, & Ludouicus à Cruce, quos citat, & ſequitur Lugo *ſuprà ſect.1. num.31.* Imò Turrianus addit oppoſitum eſſe improbabile, & contra praxim receptam. Dixi autem ſecundum probabilem opinionem aliquorum, quia poſt Decreta Sacræ Congregationis res videtur dubia, propter verba relata ex ipſa *ſuprà num.10.* Propter quæ Diana *ſuprà d. tract. 14. reſol. 80. in 2. part.* ſequens Gauantum in oppoſitum inclinat, innixus dictis verbis Sacr. Congregationis. Cui conſonat alia etiam declaratio, quam poſtea referam. Cæterùm Ludouicus à Cruce *in Expoſit. Bullæ Compoſit.diſp.1.dub.19.num.21.* ac Lugo *ſuprà* dicunt, mentem Sacræ Congregationis ſolùm eſſe, ne Sacerdotes accipiant plura ſtipendia pro applicatione miſſæ, non tamen prohibere ne poſſint accipere vnum pro obligatione celebrandi tali tempore, loco, &c. cum hæc ſit pretio æſtimabilis, & aliud in ſui ſuſtentationem pro applicatione. Vide eundem Lugo *ibidem.* Nota tamen quod ad hoc, vt cognoſcatur an ſtipendium detur pro applicatione ſacrificij, an verò ſolùm pro obligatione celebrandi tali loco, aut tempore, pro cultu Eccleſiæ, commoditate populi, &c. (quod maximè neceſſarium eſt pro Regularibus, quibus ſimilia caſus ſæpius contingit) attendendum eſt ad circunſtantias perſonarum, verba quibus vtitur teſtator, vel inſtitutor, laborem extrinſecum requiſitum, & ſimilia. Alfonſus Leo *tract. de Iubileo, part.3. quæſt.20. num.27.* Lugo *ſupr. num.13.* Imò notanda declaratio quædam Sacr. Congregat. in vna Aretina 28. Aprilis 1629. quam refert Barboſa *in Collectan.Bull. verbo Miſſarum eleemoſyna 3.* vbi ſic: *Miſſa vnica ſatisfacere non poteſt Sacerdos duabus obligationibus duplicem eleemoſynam recipiens, niſi in fundatione expreſſe cautum ſit, quod non teneatur ſacrificium applicare.* Quartus caſus, in quo licitè Sacerdotes accipere poſſunt plura ſtipendia pro vna miſſa, eſt ſi ſint in extrema neceſſitate conſtituti, quia in tali caſu omnia ſunt communia. Filliucius *ſupra.* Sed animaduerte, adhuc in eo caſu teneri prædictos Sacerdotes aliis viis, & modis aſſignandis *infra à num.29.* ſupplere eam partem valoris miſſæ, qua priuant eos pro quibus offerunt ſimul cum aliis. [Addi ſolent ex Antonio, Paludano, & Syluestro alij caſus, in quibus dicunt licere pro vna miſſa plura ſtipendia accipere. Primus, ſi Sacerdos aliis ſuffragiis, vt orationibus, ieiuniis, vel aliis piis operibus iuuaret illos, quibus miſſas promiſit; ſic enim compenſaret damnum, quod illis inferret, non dicendo miſſas pro ſingulis. Secundus, ſi magno affectu, & deuotione pro multis ſimul offerat: quia ſic etiam compenſarat præfatum damnum. Sed præterquam ij caſus etiam comprehenſi videntur in decretis Sacr. Congregationis relatis, in quibus præcipitur generaliter ne plura ſtipendia pro vna miſſa accipiantur; vlterius etiam reiiciuntur. Tum quia fructus miſſæ, quos perit, qui poſtulat pro ſe dici, ſunt excellentiores, quam fructus ſuffragiorum, piorum operum, deuotionis, &c. cum illi ſint ex opere operato quodammodo infiniti valoris (vt dictum eſt) & infallibiles ex diuina promiſſione; iſti verò ſolùm ſint ex opere operantis, finiti valoris, & fallibiles. Tum etiam quia ſtante promiſſione de miſſa celebranda, cum omnia iura clament ſtandum eſſe promiſſis, non eſt in poteſtate promittentis facere hanc commutationem. Ita fermè Marchinus *ſuprà num.5. & 6.* Addit tamen ipſe alium caſum, videlicet quando diuerſi fructus miſſæ applicantur diuerſis perſonis, vt cum vni applicatur à Sacerdote miſſa de Spiritu ſancto, vel de B.Virgine ad aliquod beneficium à Deo impetrandum, & alteri, verbi gratia defuncto, applicatur eadem miſſa in ſatisfactionem peccatorum. Tunc enim exiſtimare videtur, ſaltem ſecluſis decretis Sacræ Congregationis, poſſe Sacerdotem duo ſtipendia pro illa miſſa recipere, dicitque id ſeruari in praxi à multis valdè doctis, & timoratis Religioſis. Sed in primis ipſe Marchinus dubitat an hoc ſit contrarium decretis Sacræ Congregationis relatis, & dicit hanc opinionem *olim ſatis probabilem extitiſſe*, quo denotat his temporibus ſi ſtineri non poſſe. Deinde contra eam militant quæ adduximus *ſuprà num.10.* videlicet dantes ſtipendia pro miſſa omnem, & totum fructum ipſius poſtulare. Illud tamen ſciendum, quod ſi ex verbis, aut circumſtantiis colligi poſſit, poſtulantem miſſam eam non poſtulare niſi pro determinato aliquo fructu ipſius, non pro toto, tunc promittens illam non tenebitur, niſi iuxta intentionem poſtulantis; ac proinde tunc ſuſtineri

poſſe

poſſe præfatam opinionem, niſi illi obulent decreta Sacræ Congregationis relata. Pro qua doctrina valdè iuuat celebris textus *in l. Quidquid adſtringendæ, ff. de verbor. oblig.* vbi ſic: *Quidquid adſtringendæ obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendum eſt, aut certè ſecundum promiſſorem interpretamur; quia ſtipulatori liberum fuit verba latè concipere.*]

22 Cum etiam in prædictis Decretis Sacræ Congregationis ſolùm prohibeatur accipere plura ſtipendia pro vna miſſa, non verò illam pro pluribus ſine ſtipendio gratis, aut alio modo applicare; ideo Sacerdos obligatus ex ſtipendio accepto ad celebrandum pro aliquo, poteſt, innitendo ſententiæ illi probabiliſſimæ de valore infinito ſaltem extenſiuè miſſæ (de qua ſuprà dictum eſt *num. 4. & 8.*) & quæ nullo modo à Sacra Congregatione reprobata eſt, prædictam miſſam pro aliis etiam (ſaltem ſub conditione veritatis prædictæ ſententiæ) applicare, ſi ab illis id poſtuletur, vel ipſe velit, aut teneatur illos hoc ſuffragio ex charitate, gratitudine, vel alia virtute adiuuare. Quod maximè notandum pro Regularibus, quia ipſi ſæpius in Conuentibus pauperibus tenentur pro aliquibus propter ſtipendia accepta ſemper celebrare, & tamen ſæpiùs occurrunt cauſæ, propter quas debeant etiam pro aliis, ſaltem ex charitate, vel ex Conſtitutionibus Ordinum, aut præceptis ſuperiorum offerre, vt contingit ſi moriantur, aut in graui aliqua neceſſitate conſtituti ſint eorum parentes, conſanguinei, fratres eiuſdem Religionis, amici, Protectores, Patroni, Benefactores, &c. Tunc enim offerre poſſunt pro illis modo dicto, etiamſi pro aliis ex ſtipendiis acceptis ſimul offerant. Hurtadus *de Sacrific. Miſſæ diſp. 4. diffic. 15.* ex Ægidio Coninch.

23 Aliqui etiam volunt pro Miſſa cantata, ſeu ſolemni, prout in diebus feſtiuis celebrari ſolet, poſſe accipi duplex, vel ſaltem maius ſtipendium. Ita enim ſequitur Homobonus *in Exam. Eccleſ. part. 2. tract. 4. cap. 13. quæſt. 120.* & Fraxinellus *ſuprà ſect. 4. concl. 1. num. 9.* & indicat Bonacina *ſupra punct. 8. num. 14.* Sicque determinatum à Congregatione Pœnitentiariæ Mediolanenſis. [Imò Marchinus *dict. cap. 16. num. 2.* Non ſolùm dicit hoc approbatum eſſe à Synodo Diœceſana Mediolanenſi, ſed & ſtatutum in Synodo Cremonenſi, & practicari Florentiæ.] Cæterum Diana *d. tract. 14. Reſol. 9.* putat hanc ſententiam damnatam eſſe à Sacra Congregatione in Decretis adductis. Mihi tamen ſub diſtinctione videtur reſpondendum. Aliud enim eſt quod propter Miſſam cantatam, vel ſolemnem duplicatum, aut triplicatum ſtipendium accipi poſſit, quàm pro Miſſa recitata: aliud verò, quod dicens vnam miſſam cantatam, vel ſolemnem ſatisfaciat obligationi quam habebat dicendi duas, vel tres miſſas, propter duo, aut tria ſtipendia. Primum quidem eſt verum, & conforme vſui Eccleſiarum, quæ pro dicenda miſſa cantata, vel ſolemni plus duplo, aut triplo accipiunt, quam pro vna Miſſa recitata. Et ratio eſt, quia vt ait Fraxinellus relatus, quo magis detinetur Sacerdos in miniſterio Miſſæ, maius ſtipendium pro ſua ſuſtentatione recipere poteſt. Poſterius verò eſt falſum, iuxta decretum Sacræ Congregationis relatum *ſuprà num. 10.* Ibi enim indiſtinctè dicitur Miſſas celebrandas eſſe ad præſcriptum eleemoſynæ.

24 Loquendo etiam ex natura rei, & ſecluſis decretis adductis S. Congregationis, id eſt, ſi illa à Sede Apoſtolica abrogentur, vel in ipſis à Papa diſpenſatum fuerit, aut quomodolibet eorum obligatio ceſſet, ſatis probabile eſt, Sacerdotes pauperes (idem dico de Monaſteriis regularium pauperum) in graui, etiam citra extremam, neceſſitate conſtitutos, qui alio modo decenter viuere non poſſunt, poſſe secluſa promiſſione in contrarium, pro ſtricta ſui ſuſtentatione tot ſtipendia Miſſarum accipere, quot ad dictam ſuſtentationem neceſſaria erunt, innitendo ſententiæ Doctorum aſſerentium valorem Miſſæ quantum ad fructum ex opere operato eſſe infinitum extenſiuè, ſeu ſyncathegorematicè, itavt pluribus applicatum ſingulis proſit, ac ſi pro ipſis ſolùm offerretur, iuxta dicta *ſuprà à num. 8.* & procurando aliis viis, & modis ſatiſfacere illi parti fructus Miſſæ ex opere operantis, in quo defraudant eos pro quibus hoc modo celebrant. Hæc concluſio eſt de mente Doctorum, quos *ſuprà num. 14.* retuli, & quorum ſententiam ibi dixi, eſto ante Decreta prædicta probabiliter ſuſtineri potuiſſet, non autem in praxi poſt illa. Ex eo enim ſequitur, quod ſecluſis talibus Decretis, vel quomodolibet, vt dictum eſt, non obligantibus, probabiliter ſuſtineri poſſit. Ratio eſt, quia pro Sacerdotibus in tali graui neceſſitate, & cum prædictis circunſtantiis conſtitutis, iuſtum ſtipendium Miſſæ non eſt illud quod lex poſitiua, aut conſuetudo taxauit, ſed illud quod lex naturæ, imò etiam diuina, iuxta illud Pauli *1. Corinth. 9. verſ. 13.* vbi ſic: *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui Altari deſeruiunt, cum Altari participant?* Illud videlicet, quod pro ſtricta ſuſtentatione Sacerdotum neceſſarium eſt.

Dixi *qui alio modo decenti viuere non poſſunt*, quia aliàs nullo modo ſunt excuſabiles plura ſtipendia pro vna Miſſa ratione grauis neceſſitatis accipiendo, cùm alio modo decenti, & honeſto huic neceſſitati ſuccurrere poſſint ſine aliorum diſpendio. Vega *in Summa, d. lib. 1. caſu* 160. & alij. Quod notent Regulares in prædicta neceſſitate conſtituti, cum legendo, docendo, prædicando, ſcribendo, immò etiam pingendo, aut aliam honeſtam artem in clauſtris monaſteriorum exercendo, eidem neceſſitati cum fidelium exemplo ſubuenire poſſint. 25

Dixi etiam *secluſa promiſſione in contrarium*, quia Sacerdos etiam pauper, & in tali graui neceſſitate conſtitutus, qui explicitè, vel implicitè promiſit danti ſtipendium pro Miſſa pro illo ſolùm illam offerre, peccabit ad minus contra fidelitatem alia ſtipendia ab aliis pro eadem Miſſa ſuſcipiens, iuxta dicta *ſuprà num. 10. & 11.* & ita ſupponunt plures ex Auctoribus relatis, ſpecialiter Syluester *ſuprà dict. dub. 9. §. quantum ad tertium*, Armilla *verbo Miſſa, num. 33.* Beja *dict. caſu 3. §. ne tamen*, Vega *dict. lib. 1. caſu* 160. 26

Dixi etiam *pro ſtricta ſui ſuſtentatione*, prout ſupponunt Beja *ſuprà, §. reſpondetur.* Nuñus *in 3. part. quæſt. 83. art. 1. dub. 10.* Ledeſma *in Summ. part. 1. de Eucharistia, cap. 18.* & alij, quia prorſus abſurdum eſt pro ſplendido victu, ſeu veſtitu, ampla habitatione, & ſimilibus ſuperfluitatibus hoc artificio vti in aliorum præiudicium. Pro quo piiſſimus Doctor Nauarrus *dicto cap. 25. num. 92.* hæc habet contra Sacerdotes illa facientes. *Qualibet pitantia dari ſolita communiter ſufficit pani, & vino emendis, quibus ſolis, quinimò paucioribus, multi laici, etiam coniugati, ſuſtentantur tota die laborantes.* Quæ etſi aliquatenus rigidiora videantur, clarè tamen condemnant ſuperfluitatem pauperum Sacerdotum, & Regularium in cibo, potu, veſtitu, habitatione, lectiſterniis, &c. ex Miſſarum ſtipendiis comparatam. 27

Dixi etiam *procurando aliis viis, & modis ſatiſfacere illi parti fructus ex opere operantis, in quo defraudant eos, pro quibus Miſſas dicto modo offerunt*, quia cùm ex vi acceptationis ſtipendij Miſſæ teneantur, iuxta dicta *ſuprà num. 10.* totam pro illo offerre, qui ſtipendium dedit, etiam quantum ad fructum ex opere operantis, ſi hoc non faciunt, iniuriam illi irrogant, ac per conſequens tenentur ad reſarciendum ipſam in quantum potuerint. 28

Modi autem, quibus hoc facere poſſunt, ſunt iſti: 29
Primus, offerendo pro illis in aliis Miſſis (ſaltem conditionatè,)

Digitized by Google

ditionatè,) & applicando ipſis eam partem fructus, quam ſine aliorum detrimento applicare poſſunt, ſupponendo magnam probabilitatem illius ſententiæ, quod ſcilicet Miſſa pro pluribus applicata tantum valet omnibus quantum ad fructum ex opere operato, quantum ſingulis, ſi pro ipſis ſolùm applicaretur. Tali enim fructu ex opere operato ſufficienter compenſabunt defectum fructus ex opere operantis. Angelus *ſupra num.* 32. Sylueſter *ſup. dub.* 10. Tabiena *in Summa, verbo reſtitutio, num.* 33. Armilla *verbo Miſſa, num.* 35. & ſanct Ioannes de Cruce *ſuprà dub.* 8. Secundus eſt, applicando illis eam partem fructus, quæ ipſis Sacerdotibus celebrantibus correſpondet, innitendo ſententiæ illi, quam *ſuprà num.* 17. diximus eſſe probabilem. Et ita hoc admittunt Filliucius ibi relatus, Peirinis loco relato, *ex tom.* 3. *priuilegiorum, cap.* 1. *num.* 25. & 29. Tertius eſt, applicando etiam pro illis opera ſua ſatisfactoria ieiuniorum, orationum, diſciplinarum, &c. Cùm certum ſit in Theologia huiuſmodi opera ſatisfactoria ab homine iuſto facta prodeſſe aliis, ſi ipſis ea applicentur. Conſtat hoc etiam in præſenti materia ex Leone X. qui, vt teſtatur Caſarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium verbo Miſſa* 3. *quoad modum, num.* 15. idem conceſſit Minoribus. Idque ſupponunt communiter Doctores, ſpecialiter Angelus, Sylueſter, Tabiena, & Armilla *ſuprà*, ac Peirinis *ſuprà num.* 29. Quartus eſt, quando prædictæ Miſſæ fuerint pro defunctis, per acquiſitionem Indulgentiarum illarum, quæ pro defunctis applicari poſſunt, quales ſunt plures, quæ certis medaliis, corona, & imaginibus, verbi gratia, quinque Sanctorum, S. Caroli, aut ſimilibus, à Summis Pontificibus conceſſæ ſunt. Inter quas illæ, quæ Corona D. N. Ieſu Chriſti vocatis, & quæ à RR. PP. Eremitis Camaldulenſibus diſtribui ſolent, iure numerari debent. Eæ enim omnes (quæ paucæ non ſunt) applicari poſſunt pro defunctis, iuxta conceſſionem Sixti Quinti ann. 1586. vt vidi in Summario iſtarum Indulgentiarum, dum hæc ſcribebam ab ipſis mihi cum aliquibus dictis Coronis donato, non ſine ſpeciali (vt credo) Dei prouidentia, vt hæc iſto loco pro animabus Purgatorij iuuandis ſcribere poſſem. Lucrando autem dictas Indulgentias pro defunctis, eaſque ipſis applicando compenſare poterunt prædictum defectum. Quintus eſt, audiendo Miſſas, & maximè illis miniſtrando, & fructum ipſarum pro illis, quibus debitores ſunt, applicando. Fieri enim poſſe huiuſmodi applicationem pro aliis tenent expreſsè Miranda *ſuprà art.* 4. & 17. & Naldus *ſuprà num.* 14. Eſt autem tantæ efficaciæ applicatio hæc Miſſæ pro aliis, vt iuxta aliquos auctores, quos ſuppreſſo nomine, refert Sà *in Summa verbo Miſſa, num.* 42. vtilius ſit audire Miſſam deuotè, quàm eam pro ſe dici facere. Sextus modus dictæ compenſationis eſt, per maiorem deuotionem, ſeu affectum Sacerdotis dicentis Miſſam erga illos, quibus debitor eſt alicuius fructus ſpiritualis. Sylueſter, & Armilla *ſuprà*. Hæc ferè omnia conſuluit Reuerendiſſ. ſimulque doctiſſimus Theodorus Stratius noſtri Ordinis Generalis quibuſdam Sacerdotibus, qui multis ſtipendiis Miſſarum, quæ indebitè receperant, alio modo ſatiſfacere non poterant.

30 Loquendo de aliis, quæ in prædictis Decretis Sacræ Congregationis præcipiuntur, conſtat ex dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 21. *num.* 6. propter Decretum eiuſdem Sac. Congregationis non poſſe modò poſt illud Abbates, & Generales Religionum miſſas quaſcumque poſt Concilium Tridentinum quomodolibet impoſitas, aut in limine fundationis Eccleſiæ, aut Capellæ ante ipſum Concilium, ad minorem numerum reducere, ſed hoc pertinere ad Sedem Apoſtolicam. Excipe, vt ibi dixi, miſſas, quæ ante Concilium Tridentinum, & non in limine fundationis Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, ſed alio modo impoſitæ erant. Vbi etiam de conditionibus, quibus id fieri debet. Quarum praxis prout ad Religioſos ſpectat talis eſt, attendendo ad verba Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. vbi ſic: *Facultatem dat Epiſcopo, vt in Synodo Diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hoc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire, ita tamen, vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios vſus reliquerunt.* Vnde huiuſmodi reductio Miſſarum ante Concilium, & non in limine fundationis Eccleſiæ, ſeu Capellæ, ſed alio modo impoſitarum, fieri debet in Capitulis Generalibus, prout Concilium loquitur, id eſt, non in Prouincialibus, aut à ſolis Generalibus. Etſi enim plures aſſerant Epiſcopos extra Synodos id facere poſſe, prout tenent poſt Nauarrum *in Manual. cap.* 25 *num.* 138. *ad fin.* Rodriguez, Henriquez, Miranda, Riccius, Molſeſius, & Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 29. *num.* 55. eo quòd quoad illos Concilium non ſtatuit nouum ius, ſed iubet obſeruari antiquum, idque ſit ex conſuetudine receptum in aliquibus Epiſcopatibus; Prælati tamen Regulares, cum pro illis ſtatuat Concilium ius nouum, & ſtatuat formam quomodo ſit facienda reductio, nec ſit conſuetudo in contrarium, non poterunt id facere, niſi in dictis Capitulis Generalibus. Moneta *de Commutat. vltim. volunt. cap.* 5. *num.* 372. Barboſa *ſuprà n.* 15. Diana *dicto tract.* 14. *Reſolut.* 3. & 4. ex aliis. Tales autem Prælati debent eſſe Generales, vt conſtat ex verbis Concilij relatis, non Prouinciales, vt exiſtimare viſus eſt Peirinis *ſuprà num.* 29. *ad fin.* Debent etiam cautè, & cum timore lædendi ſuas conſcientias id facere, propter illa verba Concilij *re diligenter perſpecta, pro ſua conſcientia, &c.* Barboſa *ſuprà num.* 3. Et præſuppoſita iuſta cauſa. Quia voluntates teſtatorum abſque illa violari non poſſunt. Fraxinellus *ſup. ſect.* 7. §. 5. Barboſa *ſuprà num.* 3. ex Rodriguez, Molina, Bonacina, Riccio, & aliis. Iuſta autem cauſa eſt, tum ſtipendij, ſeu ſalarij recepti diminutio, aut diſtractio: tum augmentum ſtipendij currentis: tum minor numerus Sacerdotum: tum extenuatio redditutum monaſterij: tum maiores expenſæ neceſſariæ ad victum, & veſtitum, habito ſemper reſpectu ad vires legati. Vnde diligenter inueſtigandum eſt, quo tempore onus fundatum ſit, quibus modis, quorum ſtipendium, & quot miſſis. Debent autem antiquiora præferri aliis. Fraxinellus *ſuprà*, Barboſa *ſuprà*, Bordonus *ſuprà, n.* 21. Quamuis autem quoad hoc regula generalis aſſignari non poſſit, niſi conſcientia facientium tales reductiones, prudenter tamen in Ordine noſtro *part.* 1. *Conſtitutionum, cap.* 3. *num.* 33. ſic ſtatutum eſt: *Statuimus propter multitudinem Miſſarum, quibus fieri ſatis haudquaquam poteſt, vt ſingulo menſe Fratres in quocunque Conuentu duas Miſſas ſolemnes cantent, vnam pro viuis, alteram pro defunctis, & ſingulis diebus commemorationem faciant, & orent pro iis, a quibus eleemoſynas acceperunt.* Obſeruent tamen iuniores huiuſmodi ſupplementum nihil iuuare pro Miſſis receptis poſt Concilium, aut ante illud in limine fundationis; ſed pro Miſſis receptis ante ipſum Concilium, & non in limine fundationis, vt dictum eſt. Circa verba autem illa Concilij *eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, &c.* & noſtrarum Congregationum *commemorationem faciant, & orent, &c.* notandum eſt ex declaratione Sacr. Congregationis ſufficere quod fiat, vel in *Memento*, vel in Collectis. Moneta *ſuprà num.* 366. Fraxinel *ſuprà*, Vgolinus *de Offic. Epiſcopi cap.* 61. Barboſa *ſuprà num.* 11.

Pro praxi etiam huiuſmodi reductionis Miſſarum 31

notandum

notandum primò, praxim Sacræ Congregationis Romanæ Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium eſſe non reducere miſſas, quæ proueniunt ex Legatis conuentionalibus, illis ſcilicet, in quibus intercedit conuentio inter legantem, & legatarium, ſed ſolùm eas, quæ proueniunt ex legatis ſimplicibus, in quibus non interuenit dicta conuentio. Quæ verò talia dici poſſint, habet Bordonus *ſuprà num.* 40. Nota etiam ſecundò, quod ſi Epiſcopo concedatur priuilegium à Sede Apoſtolica reducendi onera miſſarum ſuæ Diœceſis, tale priuilegium extenditur ad onera miſſarum Regularium, itavt poſſit etiam ea reducere, ſi verba priuilegij non reſtringant illud ad onera ſolùm Clericorum ſæcularium. Ratio eſt, quia etiam onera huiuſmodi ſpiritualia commiſſa Religioſis ex propria vocabuli ſignificatione dicuntur onera diœceſis Epiſcopi habentis priuilegium: ergo illud extenditur etiam ad Religioſos. Bordonus *ſuprà num.* 33. Conſonant ea, quæ dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 11. *num.*6. Nota tertiò, SS. D.N. Vrbanum approbando Conſtitutiones Fratrum conuentualium Minorum illis indulſiſſe, vt ipſi in primo eorum capitulo, ſeu Congregatione capitulari in omnibus eorum conuentibus miſſas reducere, & pro qualibet miſſa quotidiana annuam eleemoſynam ſexaginta ſcutorum aſſignare poſſent. Quod poſtea confirmauit idem SS. Literis datis ſub forma Breuis die 6. Auguſti 1639. apud Peirinis *in Additamentis Conſtitut. nouiſ.* [Nota quartò eundem Vrbanum VIII. litteris datis Romæ 13. Iulij 1626. quas refert Peirinis *ſuprà Conſtitutione* 5. reduxiſſe onera miſſarum conuentus Ianuenſis ad rationem ſcutorum quinquaginta monetæ Romanæ pro qualibet Miſſa quotidiana perpetua. Quamuis autem Marchinus *ſuprà cap.* 20. *num.* 7. dicat hoc priuilegio alias eiuſdem Ordinis domos, & aliorum Ordinum Familias perfrui poſſe: immeritò tamen hoc dicit, non ſolùm, quia ſecundum praxim Religionum gratiæ conceſſæ per Breuia particularia à Summo Pontifice, vel Sede Apoſtolica alicui domui, vel conuentui, non ſolent communicari aliis neque eiuſdem, neque diuerſæ Religionis domibus, aliàs magna confuſio, & abſurda inde ſequerentur; ſed etiam quia Pontifex in dictis litteris non concedit facultatem reducendi talia onera miſſarum, ſed ipſe ea reducit de conſilio Dominorum Cardinalium Congregationis Concilij. Si autem hoc factum Pontificis communicaretur aliis Religionibus habentibus communicationem cum Minimis, proculdubio non eſſet ipſis neceſſarium recurrere pro talium onerum reductione ad Sedem Apoſtolicam, ſed vti hac reductione vel innumeris aliis, quæ quotidie fiunt ab eadem Sede, quod eſt abſurdum, & contra quotidianam experientiam, qua conſtat omnes Religiones ſolitas eſſe recurrere ad Sacram Congregationem ſingulis vicibus pro ſimilibus reductionibus. Similiter ſi talis gratia ſuffragari poſſet aliis Religionibus, etiam dici poſſet quod cum Sacra Congregatio concedit facultatem alicui Religioni faciendi verbi gratia aliquam alienationem, vendendi videlicet aliquam vineam, vel domum, poſſent aliæ Religiones propter communicationem priuilegiorum vti ipſa, quod eſt abſurdum. Vnde mirum eſt P. Dianam *part.*6. *tract.*6 *reſol.*11. ſequi hanc ſententiam Marchini, quod etiam facit Ludouicus Caſpenſis Cæſarauguſtanus Capuccinus *in Curſ. Theolog. tract.* 23. *diſp.*3. *num.* 106.]

Propterea, quod in huiuſmodi reductione Miſſarum ad certum numerum vel quantitatem non poſſint qui non habent ſpeciale ad hoc priuilegium vti priuilegiis aliorum ratione communicationis, extenſionis, &c. & de damnatione librorum eorum Authorum, qui oppoſitum ſcripſerunt extat hoc decretum Sacræ Congregationis Concilij de anno 1646. pro die 10. Nouembris. *Cum Sacra Congregationi Eminentiſſimorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum innotuerit quoſdam in libris, ſeu tractatibus editis aſſeruiſſe gratias reductionis Miſſarum, etiam quotidianarum ad certum numerum, vel certam rationem, aut quantitatem eleemoſynæ à Sanctiſſimo, vel ab eadem Sacra Congregatione ſuæ Sanctitatis auctoritate ex ſpecialibus cauſis aliquibus Monaſteriis, Eccleſiis, vel Ordinibus Regularium factas per extenſionem prodeſſe aliis ordinibus, vel Monaſteriis, ſeu Eccleſiis eiuſdem, vel alterius Ordinis ratione communicationis priuilegiorum, quæ potiuntur, & huiuſmodi gratiis aliquos de facto auſos fuiſſe vti in ſuo ordine, vel Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, itavt ad tollendum hunc errorem Sacra Congregatio Indicis libros, ſeu tractatus eorum, qui dictam ſententiam aſſeruerunt damnauerit, & prohibuerit, remque ad hanc Sacram Congregationem pro opportuno remedio remiſerit: Animaduertentes hoc eſſe contra Sanctiſſimi Domini Noſtri, & ipſius Sacræ Congregationis intentionem, indeque deperire pias teſtantium voluntates, & defunctorum animas ſuffragiis debitis priuari, ideo ſpeciali eiuſdem Sanctiſſimi iuſſu declarat & decreuit gratias huiuſmodi reductionis Miſſarum ad certum numerum, vel certam ſummam, aut quantitatem eleemoſynæ non poſſe ſuffragari, niſi dumtaxat illis Monaſteriis, ſeu Eccleſiis, aut Ordini Regularium, quibus ex cauſis peculiaribus conceſſa fuerunt, & pro tempore conceduntur, non obſtante quacumque ampliſſima communicatione priuilegiorum, etiam inter mendicantes (quam nullius valoris ad hunc effectum eſſe declarat, ac decreuit) præcipiendo omnibus, & quibuſcunque Regularibus, etiam ſpeciali nota dignis, vt ſi huiuſmodi ſcriptorum opinione, vel priuilegio communicationis innixi tales Miſſarum reductiones in ſuis Eccleſiis, aut Monaſteriis, ſeu Ordinibus facere auſi fuerint, eis nullatenus vti poſſint, ſed adſtrictos, & obligatos remanere ad eundem Miſſarum numerum, ad quem antea tenebantur, reductiones prædictas irritas decernens, & inanes. Non obſtantibus quibuſcunque, quibus Sanctitatis ſuæ auctoritate per præſens decretum deroget. Romæ die 10. Nouembris 1646.*

32 Quamuis autem dicto *cap.*21. *num.*6. *ex primo tomo Summæ*, dixerim huiuſmodi reductionem non poſſe fieri aliorum Suffragiorum, ſed tantum miſſarum, propter declarationem Sac. Congregationis, quam ibi adduxi ex Sorbo, ex quo ſequi videbatur, idem dicendum eſſe de Anniuerſariis, & Officiis pro defunctis. Nihilominus, quia plures Authores referunt oppoſitum etiam declaraſſe S. Congregationem ad inſtantiam Archiepiſcopi Neapolitani die 26. Nouembris 1583. & fauent illud verbum *Legata*, quod affert Concilium loco relato, quod eſt quid commune tam ad miſſas, quam ad Anniuerſaria, ſeu Officia defunctorum, ideo dicendum etiam in iſtis fieri poſſe prædictam reductionem, Barboſa *ſuprà num.*4. Diana *ſuprà Reſol.*5. ex Garcia, Piaſecio, Quaranta, Galeto, Riccio, & aliis.

33 Notandum etiam pro Regularibus, quod miſſæ impoſitæ in fundatione alicuius Beneficij Regularis ipſorum, etiamſi id fuerit poſt Concilium, reduci non poſſunt, cum Concilium ſolùm loquatur de reductione relictorum in vltima voluntate. Ita enim colligitur ex Declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Naldus *ſuprà num.*8. Barboſa *ſuprà num.*13. ex Galeto, Poſſeuino, & aliis.

34 Notent etiam non poſſe reducere miſſas particulares votiuas, vel pro defunctis, quæ iuſtis ſtipendiis ſigillatim à particularibus perſonis petuntur, niſi adſit conſenſus earum, quia Concilium, vt dixi, ſolùm videtur loqui de miſſis relictis in vltimis voluntatibus. Fraxinellus *ſuprà*, Barboſa *ſupr. num.* 14. Bordonus *ſuprà*. Notandum tamen quod ſi caſus eſſet, quo aliquis ſæcularis commendaſſet alicui monaſterio v. g. centum miſſas, eæque celebratæ eſſent, nihilominus

pro

pro recuperando ſtipendio ipſarum aliquas expenſas fecerit monaſterium, eo quod qui ipſas commendauerat nolebat illud ſoluere, ſi poſtea idem ſæcularis alias miſſas eidem monaſterio commendaſſet, poſſet monaſterium compenſare damnum ſibi illatum diminuendo in his centum miſſis id quod conſumpſerat in ſtipendio aliarum recuperando. Ratio eſt, quia ſicut Sacerdos accepto ſtipendio tenetur ratione iuſtitiæ miſſas celebrare, ita etiam commendans miſſas tenetur ratione iuſtitiæ in vtroque foro ſtipendium tribuere. Cum autem in obligationibus Iuſtitiæ detur compenſatio, ita & in præſenti. Peirinis *ſuprà num.* 27. Conformiter ad doctrinam Suarez, Henriquez, & Petri Nauarra, quos refert.

35 Circa communem illam quæſtionem, an ſcilicet poſſint Sacerdotes accipere miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna, & poſtea aliis Sacerdotibus eam miſſam committere, retenta ſibi parte eleemoſynæ, quamuis plurium ſententia ſit, quod id fieri poſſit, modò Sacerdotibus celebrantibus tanta tradatur eleemoſyna quanta communiter taxata eſt, prout ex Suarez, Nauarro, Reginaldo, Fraxinello, Enriquez, & aliis tenent Bonacina *ſupra punct.*8. *num.*8. Modò tamen poſt Decreta Sacræ Congregationis adducta verbis à me relatis *tom.*1. *part.*1. *Summ. eo cap.*21. *num.*7. ſuſtineri id non poteſt, prout notant Diana *ſuprà reſol.*10. Lugo *dicta ſect.*1. *num.*29. & Bordonus *ſuprà num.*27. Licet hic Auctor *num.* 28. videatur dicere ſolùm eſſe hoc peccatum veniale, non mortale, quod ſatis dubium videtur, propter grauitatem materiæ. Melius addit Lugo *ibid. num.* 32. quod ſi aliqui Sacerdotes omninò ſponte, & liberè, nec vi aliqua, aliquove metu, aut alio modo coacti, contenti ſint parte ſtipendij, poſſint Sacerdotes alij, qui maius ſtipendium receperunt, eas ipſis committere, retenta ſibi alia parte ſtipendij, cum in hoc caſu nulla fiat iniuria dictis Sacerdotibus, & S. Congregatio non videatur id prohibere; ſicut neque quod aliquis Sacerdos abſque vllo ſtipendio celebret miſſam pro alio, qui eam ſuſcepit celebrandam pro ſtipendio. Cauendum tamen eſt periculum auaritiæ, & damnabilis lucri, prout Sacra Congregatio præcipit. Quo ſenſu accipiendi ſunt Diana *ſupra Reſolut.* 13. ex Ioanne de Cruce, Homobono, & aliis, quos refert. An verò adminiſtratores Eccleſiarum poſſint retinere ſibi aliquam partem eleemoſynæ pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, Hoſtiæ, & ſimilium, conſtat ex reſponſione Sacræ Congregationis, quam dicto loco retuli. Licet, vt audio, nec id obſeruetur in aliquibus Vrbis Eccleſiis, neſcio quo fundamento. Nota etiam eandem Sacram Congregationem ad dubium aliud circa prædicta Decreta, quod erat, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione miſſæ, debeant dare eandem integram eleemoſynam iis, quibus miſſas celebrandas committunt, an verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam, reſpondiſſe: *Debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.* Nota ſimiliter circa Capellanos dicentes per alios miſſas, ad quas tenentur, declarationes S. Congregationis, quas refero infrà *num.* 43. [Ex præfata autem reſponſione Sacræ Congregationis ſequitur ſolutio cuiuſdam caſus, quem nouiſſimè proponit Portellus *in Reſponſionibus Moral. tom.* 2. *caſu* 51. Petrus in ſuo teſtamento bona ſua reliquit Franciſco cum onere inſtituendi vnam capellaniam perpetuam cum ſalario 65. ſcutorum aſſignandorum capellano. Franciſcus autem inſtituit illam capellaniam, aſſignans pro capellani ſalario ſolum 45. ſcuta. Quæritur an id fieri potuiſſet. Reſpondendum enim eſt negatiuè cum ipſo Portello. Tum propter declarationem Sacræ Congregationis relatam. Tum quia hæres non ſatisfecit intentioni Petri defuncti, quæ fuit vt capellanus haberet pro ſalario 65. ſcuta. Tum à ſimili de beneficio, cuius collator non poteſt diminuere fructus illius.]

De obligatione quam habent Regulares ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, & à Sacra Congregatione verbis relatis eo loco ipſis impoſita, inueſtiendi pecunias, & bona mobilia ipſis relicta cum onere perpetuo miſſarum in bona immobilia fructifera, dixi *ibidem*. Vbi etiam ex decreto eiuſdem Sacræ Congregationis, *Quod ſi bona immobilia deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna deponi, & in aliis bonis ſtabilibus etiam fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.* Ibi etiam habes præcepta eiuſdem Sacræ Congregationis, quibus Regularibus præcipitur: *Ne in poſterum prædicta onera perpetua ſuſcipiant miſſarum ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda ſub pœna priuationis officiorum, quæ tunc obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, ac paſſiuæ, abſque alia declaratione.* 36

Circa quæ aliqua animaduertenda ſunt. Primum, quod cum Sacra Congregatio ſolùm loquatur de oneribus perpetuis miſſarum celebrandarum, ideo Regulares recipientes onus celebrandi miſſas per triginta, quadraginta, aut quinquaginta annos, non tenentur ex vi præſentium Decretorum pecuniam, ſeu bona mobilia, quæ pro tali onere receperunt, inueſtiri facere in bonis immobilibus fructiferis, nec aliter facientes, incidere in prædictam pœnam Interdicti, &c. Tale enim onus non eſt perpetuum, ſed temporale, argumento *l. Iuriſperit. ff. de excuſat.* Bordonus *ſupra n.*36. Dixi ex vi præſentium Decretorum, quia ex aliis capitibus ad hæc poſſunt obligari, præſertim cum aliàs non poſſint eſſe ſecuri, quod prædicta onera à ſuis ſucceſſoribus adimpleantur. Secundum, quod cum Sacra Congregatio præcipiat, vt prædicta pecunia, aut bona mobilia inueſtiantur in bonis immobilibus fructiferis, inueſtiri non potuerunt in bonis mobilibus quantumuis pretioſis, nec in immobilibus non fructiferis. Intentum enim Sacræ Congregationis eſt vt ex fructibus talium bonorum inueſtitorum ſuſtentari poſſint Sacerdotes in futurum celebraturi tales miſſas, ad quod neceſſaria eſt dicta implicatio. Emenda ergo eſt noua proprietas, quæ actu fructificet, vt ex fructibus ali poſſint Sacerdotes celebraturi. Hoc enim importat propriè verbum *inueſtire*, quo vtitur Sacra Congregatio, & per conſequens hæc eſt mens ipſius. Sufficit autem reficere, ſeu renouare aliquam proprietatem monaſterij, domum v. g. eam reddendo fructiferam, ita vt ex eius locatione actu percipiantur annui fructus, vel vineam, ita vt ex ipſa etiam fructus percipiantur. Hoc enim etiam eſt quoddam genus inueſtitionis, ſeu implicationis in bonis immobilibus fructiferis. Bordonus *ſuprà num.* 34. An autem ſufficiat inueſtire talem pecuniam ſuper aliqua bona immobilia monaſterij exempta à ſimili onere, aſſignando illa, vt ſubſtent eidem, tractant Peirinis *in formulario, littera A, cap.*11. *num.*2. & Bordonus *ſuprà*. Tenenda tamen eſt pars negatiua, prout in ſimili caſu eiuſdem controuerſiæ deciſum audiui inter Canonicos Baſilicæ Sancti Petri, conſulente viro quodam doctiſſimo, quem ipſi ad dubij deciſionem vocauerant. Inueſtire enim aliquam pecuniam in bonis immobilibus fructiferis, tum ex proprietate verborum, tum ex mente Sacræ Congregationis, vt dixi, importat adquirere de nouo aliquam proprietatem, ſeu poſſeſſionem nouos fructus, aut redditus fructificantem. Bordonus *ſuprà*. Qui rectè etiam ibidem contra aliquos apud Peirinis *ſup.* dicit non poſſe ex illa pecunia extingui annuum cenſum Monaſterij, quia extinctio cenſus 37

Digitized by Google

non eſt implicatio, ſeu inueſtitio pecuniæ, ſed æris alieni ſolutio. Si tamen talis cenſus impoſitus eſſet ſuper aliquod bonum ſtabile fructiferum monaſterij, tunc extinctio illius eſſet quædam virtualis inueſtitio talis pecuniæ in bono ſtabili fructifero nouos fructus fructificante, cum per illam accreſcerent monaſterio illi fructus, qui in ſolutione redditunm cenſus expendebantur, & per conſequens ſaluaretur intentio S. Congregationis. Quo ſenſo, & non alio accipiendus eſt Peirinis relatus, & Martha *in Deciſionibus*, *vota* 543. *num*. 3. & 5. quem ibi refert. [Ac Marchinus *ſuprà tract*. 3. *cap*. 15. *dub*. 4. *circa decreta Sacræ Congregationis relata*. Quamuis autem ipſe Marchinus *ibid. dub*. 3. dicat talem pecuniam inueſtiendam pro onere miſſarum non poſſe collocari in emptione alicuius cenſus alteriuſve annui redditus, eo quod cenſus propriè non eſt bonum ſtabile, & facilè pereat. Nihilominus oppoſitum exiſtimo verius & conforme praxi Eccleſiæ, quæ cenſus bona ſtabilia, & fructifera cenſet; eſto non multum ſecura propter humanas varietates, quod ſolùm probat non debere fieri huiuſmodi inueſtituram in emendo cenſo, niſi in caſu quo alia bona fructifera ſecutiora emi non poſſint, aut ille cenſus moraliter loquendo ſit ſecutus.] Tertium eſt, quod quando capitale huiuſmodi, vel aliud quodcumque pro celebratione Miſſarum ſine culpa Monaſterij deperit, non tenantur Religioſi ad eas celebraodas, tum quia non obligantur ad celebrandum niſi propter ſtipendium, quod tunc non eſſet: tum quia intentio teſtatoris talis præſumenda eſt: tum denique à ſimili de Beneficio, quod datur propter officium. Quando enim perit Beneficium, ceſſat & officium. Fraxinellus *ſuprà ſect*. 4. *concluſ*. 4. §. 27. ex Perez de Lara *de Anniuerſ. & Capellan. lib*. 1. *cap*. 25. *num*. 8. & 9. & Oncala *in opuſculo de valore miſſæ*, *art*. 17. *propoſitione* 1. quos etiam ſequitur Bordonus *ſuprà num*. 31. Dixi *ſine culpa monaſterij*, quia ea ſubſiſtente, manebit obligatum ad celebrandas tales Miſſas, quia iniuſtum eſt quod qui illas inſtituerunt, patiantur aliquod damnum propter culpam monaſterij, Bordonus *ibidem*. Si verò prædicti fructus vſu temporis etiam ſine culpa Conuentus valdè diminoti fuerint, & expenſæ quoad victum, & veſtitum creuerint, non propterea licet Religioſis propria auctoritate numerum Miſſarum diminuere, ſed recurrendum eſt ad Sacram Congregationem, vel ad Generales Religionum pro illorum reductione reſpectiuè, & iuxta ipſarum qualitatem, & dicta *ſuprà num*. 30. & 31. Tum quia propter hanc cauſam in impoſitione huiuſmodi perpetuarum Miſſarum aſſignatur maius ſtipendium quàm pro Miſſis quotidianis. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſione* 25. *cap*. 4. pro huiuſmodi caſu conceſſit Epiſcopis, & Generalibus dictam facultatem reducendi miſſas ad minorem numerum. Tum denique ex declaratione Sacræ Congreg. *in Reſponſione ad primum dubium*, circa prædicta Decreta *de celebratione miſſarum*. Fraxinellus *ſuprà*, *ſect*. 4. *concl*. 4. §. 24. & *ſect*. 6. *in* 15. *argumento*, & *ſect*. 7. §. 5. & 10. Licet in hoc caſu (ſicut in alio ſimili, qui contingere poteſt, ſi ab habente auctoritatem augeatur ſtipendium miſſarum) valdè probabile ſit, quod Marcus Antonius Genuenſis *tract. de Eccleſ. viceniar*. 9. *quæſt*. 179. reſoluit, & poſt ipſum Diana *ſuprà reſol*. 17. adeundum eſſe hæredem teſtatoris, vt conueniens ſtipendium adiungat, data capacitate hæreditatis. Idem dicendum, & propter eadem fundamenta in caſu, quo bonum illud ſtabile, in quo inueſtita fuit prædicta pecunia, verbi grat. vinea, vel domus, ſic deterioratum fuerit, vt in eius renouatione monaſterium notabilem expenſam fecerit. Pertinet enim ſolùm ad Sedem Apoſtolicam talium miſſarum reſtrictio, Bordonus *ſuprà num*. 30. ex Homobono, Riccio, Barboſa, & aliis. [Addendum, ſatis probabile eſſe onus celebrandarum Miſſarum non incipere à die acceptatæ, aut depoſitæ pecuniæ pro ipſis celebrandis, ſed à die implicationis, ſeu inueſtituræ. Ratio eſt, quia ſolùm ab hoc tempore incipit dicta pecunia eſſe fructuoſa, aut afferre vtilitatem Eccleſiæ, Marchinus *ſuprà dub*. 5. Nec obſtat interim priuari animas defunctorum, qui eam legarunt, miſſarum ſuffragiis. Quia cum hoc non proueniat ex negligentia Eccleſiæ acceptantis illa legata, vt ſuppono, ſed ex difficultate, ſeu impoſſibilitate inueniendi bona fructifera, in quibus implicari poſſit ea pecunia, non propterea obligari poterit Eccleſia ad celebrandas miſſas ſine fructu, aut ſtipendio. Vnde potius id imputari debet hæredibus teſtatoris, qui ſi prædium, vel aliam rem immobilem Eccleſiæ pro onere miſſæ legatæ tradidiſſent, vtique Eccleſia ſuæ obligationi ſatisfeciſſet, vt inquit Marchinus *ſuprà*.] Quis verò poſſit abſoluere tranſgreſſores prædictorum Decretorum à cenſura illa interdicti ab ingreſſu in Eccleſiam, & diſpenſare in pœnis illis priuationis, inhabilitatis, &c. quæ in eis ponuntur, præſertim cum nulli reſeruatæ videantur, vide dicta *tom*. 1. *part*. 1. *cap*. 10. *à num*. 34. & *cap*. 18. *à num*. 36.

Deinde Sacerdotes negligentes in celebrandis Miſ- 38
ſis, ad quas tenentur, peccant mortaliter, propter notabile damnum ſpirituale, ſeu temporale, quod afferunt ſic faciendo, illis pro quibus tenentur eas miſſas dicere. Syluester *verbo Miſſa* 1. *quæſt*. 10. *in fine*. Petrus Nauarra *lib*. 2. *cap*. 2. Bonacina *ſuprà punct*. 7. §. 5. *num*. 1. Fraxinellus *ſuprà ſect*. 4. *concluſ*. 5. & alij communiter. Addit Bonacina *ſuprà num*. 2. ex eodem Petro Nauarra, Rodriguez & aliis, fieri poſſe, vt Sacerdos qui miſſæ celebrationem diſtulit, obligandus ſit ad reſtitutionem ſtipendij accepti, vt ſi acceperit eleemoſynam pro impetranda infirmi valetudine, & ipſe celebrationem miſſæ diſtulit ad tempus, quo infirmus obierat. Quamuis enim illud Sacrificium prodeſſe poſſit defuncto quoad ſatisfactionem, nihilominus non prodeſt illi quoad impetrationem, quam intendit, quando tradidit eleemoſynam. Sed quamuis horum doctrinam veram eſſe in pluribus caſibus exiſtimem, attendendum tamen credo ſæpius ad piam intentionem largientis ſtipendium, quâ ſæpius contentus erit, vt ſi miſſa pro vno effectu non ſit illi neceſſaria, pro alio ipſi vtili applicetur. Qualiter autem Sacerdotes poſſint, aut non plura ſtipendia pro miſſis dicendis recipere, ſic declarauit eadem Sacra Congregatio in Decretis adductis §. 6. *Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant, alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa*, Eleemoſyna pro miſſis, *vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur*. Cum autem circa hoc Decretum aliquot dubia eidem Sacræ Congreg. propoſita fuiſſent, videlicet: *An hoc Decretum prohibeat abſolutè quominus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt?* Et: *Quid ſi congrua tempora poſſint omnibus ſatisfacere?* Et: *Quid ſi afferens eleemoſynas audita impedimenta, conſentiat, vt Sacerdos miſſam celebret cum primùm poterit?* Et: *An pœna interdicti, & alia appoſita in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, vt ibidem præcipitur?* Et: *An in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur* (Caſſe de morti.) Et: *An adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus, poſſint eleemoſynas pro miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ,*

&

& deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur. Reſpondit ad primum. *Non prohibere abſolutè, ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.* Ad ſecundum. *Quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere quo minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.* Ad tertium. *Has pœnas non habere locum niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.* Ad quartum. *Comprehendi.* Ad quintum. *Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſuprà in reſponſione ad duodecimum*, ideſt ad ſecundum ex iis dubiis, quæ modò retulimus.

39 Circa quæ nota, dubium quotidianum eſſe, quid intelligat Sacra Congregatio verbo illo *modicum tempus.* Et quidem Ledeſma in *Summa, tom.1.cap.18. concluſ.17.* Villalobos *in Summ. part. 1. tract.8. dubio 18. num.2.* Diana *dicto tract. 14. reſol.25.* tenent, tempus longum, ad quod Sacerdotes differentes ſatisfacere Miſſis, peccant mortaliter, eſſe quinquaginta, aut ſexaginta dies. Sed iſti Authores non faciunt mentionem huius Decreti Sacræ Congregationis. Cæterum Lugo *ſuprà dicta ſect.2. num.34.* qui ipſum Decretum refert, dicit cum prædictis, per *modicum tempus* intelligi illud quo quinquaginta, vel ſexaginta Miſſæ dici poſſent. Theſaurus autem *in Praxi, parte 2. verbo Miſſarum onera, capit. 1. in fine*, exiſtimat, ſpatium octo, vel decem dierum, & non vltra intelligi per *modicum tempus*, à Sacr. Congregatione. Ego verò prudentis arbitrio id relinquendum fore cenſeo, penſatis circumſtantiis loci, temporis, Miſſarum dicendarum, & Sacerdotum, qui illas dicere debent, prout ipſe Theſaurus ibidem *ex l. ſi ita quis, ff. de verb. oblig.* & Menochio *ibid.* affert. Qui rectè notat, quod ſi Miſſa ſit dicenda pro aliqua neceſſitate, quæ moram non admittat, v.g. pro præſenti infirmitate, tribulatione, expeditione alicuius litis, vel negotij inſtantis, tunc nullo modo differri poſſit.

40 Quamuis autem numerus Miſſarum, ad quas Sacerdotes, aut Regulares tenentur, integrè adimpleri debeat, nihilominus quemadmodum Capellanus ægrotans per breue tempus non tenetur Miſſas illorum dierum per alios celebrare, quia ita prudenter exiſtimator fuiſſe intentionem pij Inſtitutoris Capellaniæ, & prout tenent Graſſius *tom.2. conſiliorum, lib.3. de præbendis, conſilio 1. difficultat. 1.* Barboſa *de offic. & poteſtate Epiſcopi, part.2. allegat.24. num.31.* Fraxinellus *ſuprà ſect.4.concluſ.4.§.13.* Peirinis *tomo 3.priuileg.minim. in additam. ad Conſtitut. Pyrrhi, cap.1. n.14.* & alij apud ipſos (quod intelligo niſi in fundatione Capellaniæ oppoſitum determinaretur, vt etiam tenent Fraxinellus *ibidem*, Ioan. de Cruce *ſuprà dub.8. concluſ.1.* ex Rodriguez, Sà, & aliis, ac Lugo *dicta ſect.2. num.48.*) ſic quoque de Regularibus obligatis particulariter ad dicendas aliquas Miſſas ratione alicuius Capellaniæ dicendum eſt, quod ſi per prædictum breue tempus ægrotant, non teneantur per alios illas dicere, niſi hoc fuerit in inſtitutione Capellaniæ determinatum. Procedit enim eadem ratio in illis, ac in aliis Capellaniis. Dixi *particulariter*, quia ſi inſtitutio Capellaniæ non eſt pro aliquo Religioſo in particulari, Priore verb. gr. Regente, Lectore, &c. ſed pro toto Conuentu, prout regulariter contingit, tunc Miſſæ prætermiſſæ ab vno Sacerdote ægrotante ſuppleri debent per alios. Dixi etiam *ratione alicuius Capellaniæ*, quia obligati ad Miſſas manuales tenentur ſingulas, prout promiſſæ fuerunt, celebrare. Peirinis *ſuprà*. Breue autem tempus infirmitatis exiſtimat Ioannes de Cruce *ſuprà* eſſe duos, aut tres dies. Cæterum Molfeſius, Graſſius, Fraxinellus, Barboſa, & Homobonus, quos refert Diana *ſuprà Reſolut.27.* exiſtimant eſſe ſpatium octo, vel decem dierum. Bonacina verò *ſuprà punct.8. num.17. § ſed mihi*, exiſtimare videtur eſſe quindecim dierum, quod mihi rationabile videtur, ſicut nimis latum, quod Petrus Nauarra *de Reſtitutione lib.2. cap.2.* Peirinis *ſuprà*, & Lugo *ſuprà num.49.* putant, extendi id poſſe etiam ad duos menſes. Video etiam in Concilio Prouinciali Mediolanenſi 7. apud Gauantum *in man. Epiſcop. verb. Miſſa, num. 29.* id extendi ad infirmitatem vnius menſis, accedente Epiſcopi iudicio.

Similiter, quemadmodum iuxta probabilem opinionem aliquorum, Capellanus obligatus ad dicendum Miſſam, verbi gratia, quotidie pro aliquo, poteſt in anno quater, vel ſexies celebrare pro ſeipſo, vel ſibi valdè coniuncto, verbi grat. vel quia è vita diſceſſit, vel quia in aliqua valdè graui neceſſitate eſt conſtitutus, prout tenent Naldus *ſuprà num.7.* Fraxinellus *ſuprà ſect.4. concl.4.§.3. num.2.* & Diana etiam *ſuprà reſolut.28.* ſic ſimiliter de Religioſo ſpecialiter deputato ad adimplendum onus annuum alicuius Capellaniæ dicendum eſt. Procedit enim in vtroque eadem ratio, ſcilicet virtualis voluntas pij Inſtitutoris Capellaniæ, qui ſi de eo caſu grauis valde neceſſitatis interrogaretur, id non negaret. Peirinis *ſuprà num. 23.* Secus eſſet ſi obligatio dicendi tales Miſſas non eſſet ſpecialiter pro eo Religioſo, ſed pro toto Conuentu, quia tunc, vt dictum eſt, talis defectus ſuppleri deberet per alios Sacerdotes. 41

Pariter etiam quemadmodum, iuxta plurium opinionem, & conſuetudinem, Capellanus quotidie obligatus ad celebrandum poteſt ſemel in hebdomada à celebrando vacare, iuxta *cap. ſignificatum, de præbend.* propter honeſtatem, & debitam deuotionem, prout tenent Naldus *ſup. num. 6.* Peirinis *ſuprà num. 23.* & Diana *ſuprà reſolut.28.* & indicat Bonacina *ſuprà punct.7. §.2. n. 16. & 17.* ita pariter de Religioſo Capellano dicendum eſt, procedit enim in vtroque eadem ratio. Animaduertenda tamen aliqua ſunt in præſenti, ne plus æquo habenæ conſcientiarum laxentur. Primum, id ſolùm procedere poſſe quando particulariter, & ſpecialiter inſtituitur Sacerdos Capellanus (quod rarò continget inter Religioſos.) Si enim non inſtituitur ipſe hoc modo, ſed Monaſterium, vel Eccleſia, tunc tales miſſæ ſupplendæ ſunt per alios, vt dictum eſt, cum tunc non fuerit electa perſona Sacerdotis, ſed habita ſolùm ratio miſſæ celebrandæ in tali Eccleſia, vel Monaſterio. Sylueſter *in Summa, verbo miſſa 1. dub.7. §.5.* Fraxinellus *ſuprà ſect.4. concluſ.4. §.1.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.24.num.28.& 31.* Peirinis, & Diana *ſuprà*. Idem dico, ſi in inſtitutione Capellaniæ explicetur quod Capellanus per ſe, vel per alium celebret; ſi enim ita ſit, defectus vnius Capellani ſuppleri debet per alium. Sà *in Summ. verbo Miſſa, num.46.* Fraxinellus *ſuprà, §.2.* Peirinis, Barboſa, & Diana *ſuprà*. Secundùm, quod huiuſmodi ratio, propter quam Capellanus poteſt vnam miſſam in Hebdomada prætermittere, non eſt voluptatis, curioſitatis, itineris, aut alicuius impedimenti gratia, ſed ſolùm vt peccatum in Sacrificio propter malam diſpoſitionem, vel indeuotionem euitet. Conſuetudo enim apud Capellanos aliquos omittendi Miſſæ celebrationem ſemel in hebdomada ſolùm originem ducit ex dicto *cap. ſignificatum*, in quo Pontifex determinauit quendam Sacerdotem, cui commiſſa eſt præbenda vnius Eccleſiæ, teneri celebrare quantum frequentius poſſet, *ſaluâ* (Inquit) *honeſtate ſua, & debita deuotione*, ideſt, ſine peccato mortali, vt explicat Gloſſa *ibid.* *Saluâ honeſtate.* Vnde ceſſante huiuſmodi 42

cauſa, ſcilicet peccati, indeuotionis, aut indiſpoſitionis, celebrare teneatur dictus Capellanus per ſe, vel per alium, prout etiam determinatum dicitur in Concilio IV. prouinciali Mediolanenſi, & in Synodo Diœceſana Mediolanenſi III. Bonacina *ſupra*. Fraxinellus *ſupra*, §.3. Naldus *ſupra num.7.* Vnde multo minus licebit tali Sacerdoti celebrare eo die pro alio, accipere ſtipendium ab illo, aut in alio loco. Quia ratio propter quam poteſt omittere talem celebrationem etiam procedit celebrando pro alio, aut in alio loco. Fraxinellus, Bonacina, Pellinus, & Naldus *ſupra*. Tertium, rariùs contingere poſſe hunc caſum inter Regulares, cum ipſi ſtrictiori obligatione adſtricti ſint ad procurandam diſpoſitionem, & debitam deuotionem pro quotidiana celebratione, & quia præcepto ſuæ Religionis (maximè in pauperibus Conuentibus, obligantur ad quotidie celebrandum.

43 Quia tamen hic agimus de Capellaniis Religioſorum, aliqua pro ipſis animaduertenda ſunt eiſdem Religioſis neceſſaria. Primum, quod iuxta dicta *tom.2.p.2. cap.11. num.19.* huiuſmodi Capellaniæ ſunt Beneficia Eccleſiaſtica, vel quaſi, cum habeant ſpirituale annexum. Vt ex Sacris Canonibus explicat Paulus Fuſchus *de viſitatione, & reg. Eccleſiarum, lib.2.cap.11. num.2.* & ex ipſo Fraxinellus *ſupra ſect.7. §.2.num.6.* Et communiter dicuntur Beneficia ſimplicia, quandoquidem eis cura animarum non eſt annexa. Fuſchus, & Fraxinellus *ſupra de primo Eccleſiæ præcepto, lib.3.cap.9.n.3.* Secundum, quod licet ad inſtitutionem prædictarum Capellaniarum, ſi fuerint conditiones ſuperius à Sacra Congregatione deſignatæ, non requiratur licentia Sedis Apoſtolicæ, quando tamen Oratorium, ſeu Capella Eccleſiæ, in quibus fundantur tales Capellaniæ, alicui venduntur (prout ſæpiùs inter Regulares contingere ſolet) requiritur eiuſdem Sedis Apoſtolicæ licentia, iuxta dicta *tom.2.part.2. cap.19.n.56.* eo quod talis venditio ſit alienatio quædam boni ſtabilis, iuxta *ibid.* dicta. De modo autem, quo Capellæ dari debeant ſæcularibus à Regularibus, agit Portellus *in Dub. Regularium, verbo Capella Monaſteriorum*, ex Rodriguez *in tom.4. addition. ad Summam, verbo Procurator, concluſione 6.* & dicit, quod cæteri Religioſi, qui habent dominium rerum ſuarum temporalium, ſi donaturi ſunt aliquam Capellam ſuæ Eccleſiæ alicui ſæculari, debent id facere pulſata campana, & de conſenſu maioris partis Capituli cum cæteris circunſtantiis requiſitis ad debitè alienandum bona Eccleſiæ; cum enim ſint domini rerum ſuarum, debet expectari illorum conſenſus. At ſi aliqua Capella Minorum donanda ſit ſæculari, vel Clerico, non requiritur pulſatio campanæ, neque conſenſus Capituli, neque Diffinitorij, ſed ſufficit quod donet ſolus ſyndicus Conuentus, qui eſt Procurator Papæ, & dominus illius Capellæ in nomine Papæ. Debet tamen interuenire licentia Prouincialis: & non ſufficiet licentia Guardiani. Sed quia plures Religiones habent priuilegia faciendi alienationes ſine prædicta ſolemnitate, iuxta dicta *tom.2.part.2. cap.19.num.62.* ideo ipſa conſulenda ſunt, præſertim quia, vt ibidem dixi, Decretum Sacræ Congregationis, quod *tom.2. part.1. cap.10. num.2. & ſup. verbo Alienatione, num.4.* retuli, ſolùm videtur reuocare priuilegia Regularium, quantum ad hoc, quod eſt facere alienationes ſine conſenſu eiuſdem S. Congregationis, non quantum ad alia, quæ pertinent ad ipſarum ſolemnitatem, vt eo *num.62.* dixi Tertium, plures extare Sacræ Congregationis declarationes circa Capellanias, quas refert ex variis Auctoribus Barboſa *in Collect. in. Bullar. verbo Capella, & verbo Capellania, &*

44 *verbo Capellanus.* Ex quibus, quæ magis ad intentum Regularium deſeruire poſſunt, ſunt ſequentes: Prima eſt. *Capellam obtinentem compellere non poteſt Epiſcopus, vt ipſemet celebret, licet in eius fundatione diſponatur, quod Capellanus celebret. Nam iſtis oneribus Miſſarum ritè per ſubſtitutum ſatisfit.* Pro qua S. Congregationis declaratione plures extant Rotæ deciſiones apud eundem Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.14. num.29.* Secunda. *Capellæ fundatio ſi eſſet ſub verbis teſtatoris, quod Capellanus deberet celebrare diuina Officia noctu diuque, ſicut cæteri Capellani faciunt, non inde infertur neceſſe eſſe, vt Capellanus debeat eſſe Presbyter.* Tertia. *Capella, & Altaria in Regularium Eccleſiis, etiam per ſæcularium Confraternitates conſtructa, viſitare non poteſt Epiſcopus.* Pro quo vide dicta *tom.2. cap.15. num.27.* Quarta. *Capellaniam habens non tenetur ad Sacerdotium, niſi in fundatione cautum ſit, vt Capellanus per ſe ipſum miſſas celebret, ſed debet curare, vt per alium miſſæ in illa celebrentur, neque erit ſatisfactum oneri, ſi miſſæ in alia Eccleſia celebratæ erant. Nec perſonalem reſidentiam requirit, niſi aliter in fundatione cautum eſſet.* Quinta *Capellania inſtituta à teſtatore cum his verbis.* Vt beneficiatus ipſius Capellæ omni die, ſeu ſaltem quinquies in Hebdomada celebrare teneatur, & ſi negligens fuerit, ipſe Beneficiatus incurrat pœnam duorum ſolidorum, *non cenſetur requirere perſonalem reſidentiam, nec exigit, vt perſonaliter miſſam dicat.* Sexta *Capellani ſæculares Monialium poſſunt ex gratia celebrare miſſas occurrentes de Sanctis ipſius Ordinis, cuius eſt Monaſterium, etiamſi ipſi non ſint eius Regulam profeſſi.* Pro qua declaratione vide dicta *tom.1. cap.25. num.43.* Septima. *Capellanus per ſeipſum tenetur diuinis inſeruire, poſita inſtitutione Capellæ infraſcripti tenoris, videlicet:* Qui quidem Capellanus teneatur, & obligatus ſit qualibet Hebdomada dicere in ipſa Eccleſia pro remiſſione peccatorum teſtatoris duas Miſſas, & deſeruire Eccleſiæ in diuinis. Octaua. *Capellanus ad nutum amouibilis cum obligatione vnius miſſæ qualibet Hebdomada, cum ſtipendio legata, & confirmato de octo annis in octo annos poteſt demandare celebrationem dictarum miſſarum alteri cum eleemoſyna conſueta, iuxta morem regionis, retenta ſibi parte dicti ſtipendij debiti Capellano.* Nona. *Capellani amouibiles, qui ſunt nominati, vel electi ab hæredibus teſtatorum ad celebrandas miſſas cum aſſignatione certi redditus, iuxta diſpoſitionem teſtatorum, poſſunt aſſignare certam mercedem iuxta morem Regionis Sacerdoti pro miſſis celebrandis, & pro ſe aliam partem retinere.* Decima. *Capellani ad nutum operariorum amouibiles, à quibus ſalarium recipiunt nullo onere applicationis ſacrificij adiuncto, ſi ſalarium ipſum ex eleemoſynis cum onere miſſarum à fidelibus oblatis non proueniat, neque certo vſui alias deſtinatum exiſtat, poſſunt de conſenſu dictorum operariorum vltra ſalarium conſtitutum vnicam eleemoſynam recipere.* Ex octaua autem & nona declaratione moderatum videtur quoad Capellanos id quod dixi *ſuprà num.35.* ſcilicet, non poſſe Sacerdotes partem aliquam ſtipendij ſibi pro miſſis oblati pro ſe reſeruare. De illis enim Capellaniis, de quibus ibi eſt ſermo, oppoſitum decernitur, & conſonat Ioannes de Cruce *ſuprà dub.8.*

Tenentur etiam Sacerdotes omnes ſatisfacere miſſis 45
tempore quo promiſerunt id facere. Ad id enim obligantur ratione fidelitatis, & promiſſionis factæ. Imò hæc obligatio videtur ſub mortali, cum materia ſit grauis, niſi adſit rationabilis cauſa oppoſitum ſuadens. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat.23. num.28.* ex Rodriguez, Enriquez, Azor. & aliis. Capellanus autem obligatus ad dicendum miſſam quinquies v. g. in Hebdomada, ſatisfaciet celebrando tantùm diebus ferialibus, cum ſic faciens ſatisfaciat inſtitutioni fundatoris, Bonacina *dicto punct.7. §.5.* Fraxinellus *ſuprà ſect.4. §.19.* Niſi oppoſitum conſtet ex mente fundatoris. Vt ſi Capellania ſit inſtituta in aliquo loco, vbi ratione boni publici, v. g. commoditatis populi, credatur intentionem eius fuiſſe, vt diebus feſtis illæ miſſæ dicantur. Bonacina, & Fraxinellus

ſuprà

ſuprà ex Congregatione Pœnitentiariæ Mediolanenſis. Obligatus autem ad celebrandum pro aliquo omnibus diebus totius anni, non tenetur die Natiuitatis Domini tres illas miſſas pro fundatore illarum miſſarum offerre. Quia talis inſtitutio nihil aliud imponit, niſi quod Sacerdos quotidie pro Inſtitutore celebret. Fraxinellus *ſupra num.* 21. Similiter taliter obligatus ad dicendum miſſam quotidie pro aliquo, ſatisfaciet in die Commemorationis ſolemnis omnium Defunctorum, ſcilicet die ſecunda Nouembris, dicendo miſſam pro omnibus Defunctis in generali. Hæc enim videtur eſſe intentio Eccleſiæ in inſtitutione illius Solemnitatis. Fraxinellus *ſuprà num.* 25. Vnde credo ſufficienter ſatisfacere illa die prædictæ obligationi, vel etiam ſtipendio accepto pro aliquo in particulari, offerendo miſſam pro omnibus Defunctis in communi, & quantum fieri poteſt pro illo particulari, applicando circa illum particulariter ſuam intentionem. Similiter ille obligatus ad dicendum miſſam quotidie, non cenſetur obligatus ad eam dicendam Feria ſexta Hebdomadæ Sanctæ, cum ea die Miſſa non celebretur. Idem dico de feria quinta, & ſabbato einſdem hebdomadæ, ſi iuxta conſuetudinem Eccleſiarum Sacerdotes particulares (vt contingit in Ordine noſtro) his diebus non celebrent. Lugo *dicta ſect.* 2. *num.* 46. An verò liceat miſſas anticipare, ſeu dicere ante tempus, quo eſt obligatus Sacerdos ad eas dicendum, dicam infra. Alia circa tempus celebrandi miſſas, ſcilicet an ante lucem, & poſt meridiem, habes ex dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 31. *num.* 2. vbi etiam *num.* 17. qualiter Regularibus licitum ſit quacunque hora debita celebrare, etiam antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebrauerit: & *num.* 18. de celebratione in triduo ante Paſcha.

45 Tenentur etiam celebrare Sacerdotes in loco illo, Eccleſia ſcilicet, Oratorio, Capella, vel Altari, in quo promiſerunt celebrare, vel in quo inſtituta eſt Capellania. Ad id enim obligantur ratione fidelitatis, & promiſſionis factæ. Sylueſter *verbo Miſſa* 1. *quæſt.* 10. *in fine.* Nauarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 135. & plures, quos refert, & ſequitur Barboſa *ſuprà num.* 33. Immo aliter faciens videtur regulariter loquendo peccare mortaliter, quia in re magni momenti infideliter agit frangendo promiſſum. Diana *ſup. Reſolut.* 39. ex Nauarro, Rodriguez Azorio, Graffio, Homobono, & aliis. Intellige tamen, niſi adſit iuſta, & rationabilis cauſa in contrarium. Bonacina *ſuprà* §. 4. *num.* 4. ex multis aliis. Qualis eſt, ſi Eccleſia, Capella, Oratorium, vel Altare impedita ſint violatione, euerſione, inundatione, vel alio modo. Fraxinellus *ſuprà dicta concluſ.* 4. §. 2. Ricciur *in praxi, deciſ.* 405. *in* 1. *edit.* & *reſolut.* 342. *in* 2. Vel ſi Sacerdos tales miſſas dicturus ob aliquam vrgentem cauſam ex eo loco diſcederet, & obligatus eſſet ad illas dicendas. Fagundez *ſuprà cap.* 9. *num.* 2. An autem in tali caſu Sacerdos liber maneat pro illa die à ſua obligatione, an verò debeat alibi celebrare, dubium eſt. In quo dicendum, quod quando teſtator intendit principaliter ſolùm quod celebratetur in tali loco, vel Altari, propter cultum, qui inde reſultabat Sancto illi, cui dedicatum eſt, ceſſaret obligatio, quia alligatur ad illum locum. Sicut qui vouit ieiunare in vigilia talis Sancti, ſi eo die non poſſit, non debet alio die ieiunare. Si verò teſtator intendit fructum Sacrificij pro anima ſua, vel cultum Dei, aut quid ſimile, non ceſſat obligatio, ſed debet Sacerdos in alio Altari, vel Eccleſia celebrare. Fraxinellus *ſuprà*, Lugo *ſuprà num.* 42. poſt Naldum *ſuprà num.* 41. In dubio autem præſumitur intentionem teſtatoris poſteriori potius quam priori modo ſe habuiſſe. Primò, quia præſumitur voluiſſe obligare ad id quod ſibi erat vtilius. Secundò, quia *in cap. nos quidem, de teſtament.* præſcribitur, quod ſi non poſſit Monaſterium conſtrui in loco à teſtatore deſignato, debeat in alio ædificari. Quo denotatur attendendum eſſe in eiuſmodi caſibus ad voluntatem, quæ vtilior fuerit teſtatori. Lugo *ſuprà.* Quamuis oppoſitum ſentiat Naldus *etiam ſuprà.* Quando autem deſignatum eſt Altare priuilegiatum pro dicenda miſſa in eo, non ſatisfacit obligationi ſuæ Sacerdos, ſi in Altari alio non priuilegiato eam dicat, etiamſi habeat calculum, coronam, vel medalliam cui conceſſa ſit Indulgentia liberationis animæ è Purgatorio. Non ſolùm quia Indulgentia pro defunctis quæ applicatur Altari ſolet eſſe magis certa, & authentica quam quæ applicatur calculo, coronis, &c. ſed etiam quia teſtator volens miſſam in Altari priuilegiato non videtur ſolùm voluiſſe Indulgentiæ applicationem, ſed Miſſam cui applicata ſit talis Indulgentia à Papa. Diana *ſuprà reſolut.* 39. Lugo *ſuprà num.* 39. Etſi oppoſitum placeat Fraxinello *dicta ſect.* 4. *concl.* 4. §. 9. *num.* 2. Megallio *variar. reſolut. tomo* 2. *reſolut.* 187. *num.* 10. & nouiſſimè Paſqualigo *in Deciſ. mor. deciſ.* 427. & 428. Putat autem ipſe Diana *ibidem* ex aliis, quos refert (quibus adde Naldum *d. num.* 34.) Sacerdotem celebrantem in alio loco (idem dico de tempore præter deſignatum ſibi à teſtatore, non teneri ad reſtitutionem, cum tantum miſſæ circunſtantias, non verò ſubſtantiam prætermittat. Quod tamen intellige, niſi aliquod ſuffragium illi pro quo dicebat miſſam ſubtraxerit, prout continget in caſu, quo non diceret miſſam in Altari priuilegiato, ſicut debebat facere, & ſimilibus.

Tenentur quoque Sacerdotes celebrare eas miſſas, 46
quas promiſerunt, ſiue de Beatiſſima Virgine, ſiue de Sanctis, ſiue de *Requiem*, ſiue votiuas, &c. Ratio eſt, quia ex virtute fidelitatis tenentur omnes promiſſionem de re iuſta, & honeſta adimplere, qualis eſt hæc, cum ſpeciales miſſæ Orationes vtiles ſint ad finem, & deuotionem petentium illas, & ita rationabiliter ab ipſis petantur. Bonacina *ſuprà punct.* 7. §. 3. *num.* 4. ex Angelo, Armilla, & Bartholomæo ab Angelo. Quibus adde Layman. *ſuprà num.* 15. & Fagundez *dict. cap.* 9. *num.* 6. In Feſtis tamen duplicibus, aut Dominicis, ac per conſequens in illis diebus, in quibus Feſta duplicia celebrari non poſſunt, ſcilicet infra octauam Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes, & vigiliis Natiuitatis, & Pentecoſtes, ac in feria quarta cinerum, & maiori Hebdomada, prædictæ Miſſæ omitti debent, & ſolùm dici occurrentes conformes Officio, quod recitatur, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 31. *num.* 35. non ſolùm propter Rubricas Miſſalium, quæ id præcipiunt, ſed quia omnes miſſæ ſunt æqualis valoris quantum ad fructum ex opere operato, vt docet S. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 5. & licet quantum ad Preces, & Orationes, vna ſit maioris valoris accidentalis, quam alia (prout communiter tenent Theologi de miſſa de *Requiem*, quod ſcilicet magis proſit defunctis quam aliæ, quia eius Preces ad animarum liberationem directè funduntur) hoc tamen ſuppleri poteſt, tum ex maiori deuotione Sacerdotis, quam erga Myſterium, Feſtum, vel Sanctum de quo celebrat, pro ſupplendo tali defectu debet habere, tum ex interceſſione ipſius Sancti, de quo miſſam dicit, & cuius ſuffragium in ea imploratur. Sylueſter *verbo miſſa, quæſt.* 8. § 5. Enriquez *lib.* 9. *de miſſa, cap.* 33. *num.* 6. Sà *verbo Miſſa, num.* 48. & alij, quos referunt, & ſequuntur Fagundez *ſup.* & Diana etiam *ſup. reſol.* 31. Colligitur id etiam ex Decreto Sacr. Congregationis, quod referunt Gauantus *in Theſauro Sacrorum Rituum, part.* 1. *tit.* 4. §. *non eſt duplex.* & Barboſa *de Offic. Parochi c.* 21. pro die 28. Auguſti 1627. in quo dicitur miſſas votiuas, & de *Requiem* prohiberi illis diebus, quibus prohibetur fieri de Feſto duplici, ſcilicet illis, qui ſuprà aſſignati ſunt. Nec obſtat permiſſio facta in contrarium de dicendis talibus miſſis. Ea enim intelligi debet

civili modo, & moraliter, quatenus ſcilicet non ſit contraria Ritui, & ordini Eccleſiæ. Fraxinellus *ſup. ſect.4.concl.4.§.4.num.*10. Diana *ſup.* Hæc porrò obligatio non dicendi prædictis diebus dictas miſſas votiuas, aut de *Requiem*, ſecluſo ſcandalo, non videtur eſſe niſi tantum ſub veniali peccato, iuxta dicta eo *num.*25. Peirinis autem loco relato *ſupra Peruileg. Minim.num.*15. ex Fagundez, & aliis, quos refert, inſinuare videtur ad nullum eſſe peccatum. Sed immeritò ſanè, vel propter declarationem S. Congregationis adductam. Niſi ſit in caſibus deſignatis ab eadem S.Congregat. in declarationibus, de quibus *infra*.

47 Quamuis autem idem videatur dicendum de Feſtis ſemiduplicibus, & ſimplicibus, ita vt etiam his diebus ſatisfaciat Sacerdos miſſis occurrentibus, etiamſi ex vi promiſſionis ad alias teneatur, propter eandem rationem, & quia, vt ſait ait Panormitanus *in cap. quidam, de celebr. miſſar.* Miſſa celebrari debet de eo de quo ſit officium, & ita tenet Bonacina *ſuprà dicto puncto* 7.§.3.*num.*4. ex pluribus aliis quos refert, quibus iunge Ledeſmam *in Summa tom.*1.*cap.*24.*de Euchariſtia*, Ioannem de Cruce *ſuprà de ſacrific. Miſſæ, quæſt.* 4. *dub.*2. *concl.*2. & Villalobos *in Summa, tom.*1.*tract.*8. *difficult.*91. Nihilominus oppoſitum licitè fieri poteſt, dicendo iſtis diebus miſſas votiuas, vel de *Requiem*, iuxta promiſſionem factam, & ob rationabilem cauſam, ſcilicet deuotionem petentium illas. Ita enim colligitur ex relato *cap. Quidam, de celebrat. miſſar.* & ex declaratione S. Congreg. adducta, & aliis adducendis infra, ac ex conſuetudine Eccleſiæ. Laym. *ſuprà dicto num.*15. Imò vt credo, Sacerdos obligatus ex promiſſione, aut alio pacto ad dicendum tales miſſas votiuas, ſeu de *Requiem*, in Feſtis ſemiduplicibus, ſimplicibus, &c. tenetur illas dicere iſtis diebus. Ratio eſt, quia talis promiſſio eſt de re licita, & honeſta, & cui aliàs Rubricæ miſſalis, & conſuetudo Eccleſiæ non contradicunt, cum potius id permittant: non ergo eſt vnde excuſetur Sacerdos à tali obligatione. Pro his autem, & aliis concernentibus vide dicta eo *cap.* 21. *n num.*25. & ſequentibus. Quia tamen prædicta maximè confirmantur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas circa ea referunt, ideo quæ magis ad intentum Regularium deſeruire poſſunt, hic adducendæ.

48 Prima. *Miſſæ duæ celebrandæ ſunt in Eccleſia, in qua ex legato relicto præcipitur, vt ſingulis ſabbatis celebretur miſſa de Beata Maria, ſi in ſabbato occurrat Feſtum ſolemne alterius Sancti.* Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo miſſa* 2. Secunda. *Miſſæ votiuæ à teſtatoribus relictæ non ſunt acceptandæ de cætero, niſi in illis diebus, in quibus ſecundum regulas miſſalis celebrari poſſunt. De miſſis verò iam acceptatis petenda eſt à Sanctiſſimo diſpenſatio pro transferendo in dies, in quibus liceat.* Barboſa *ſupra.* Tertia. *Miſſam peculiarem de Roſario celebrandi quando onus in legato pio imponitur, tunc loco miſſæ de Roſario celebratur miſſa votiua Beatæ Virginis de tempore.* Gauantus *in Man. Epiſcop. verbo Miſſa, num.*3. Barboſa *ſuprà.* Quarta. *Miſſa Conuentualis in Quadrageſima, Aduentu, Quatuor temporibus, & ſimilibus, etiam quod in dictis diebus occurrat Feſtum duplex, non eſt omittenda, ſed vtraque miſſa, nempe de Sancto, & de Feria eſt celebranda.* Gauantus *ſuprà verbo miſſa Conuentualis, num.* 7. & 8. Barboſa *ſup.* Quinta. *Miſſa Conuentualis de Feria nunquam eſt omittenda, etiam quod occurrat Feſtum duplex, vel ſemiduplex, non obſtante contraria conſuetudine.* Gauantus *ſuprà part.*3.*tit.*11. Barboſa *ſup.* Sexta. *Miſſa Conuentualis non poteſt omitti pro miſſa votiua, vel defunctorum.* Gauantus *in theſauro, tit.*4. *de miſſis votiuis, §. ex quibus.* Barboſa *ſup. verbo miſſa Conuentualis* 4. Septima. *Miſſa Defunctorum non eſt prætermittenda, ſi ex legato relicto ordinetur, vt celebretur ſingulis diebus, quæ de præcepto non ſeruantur, licet ſit Feſtum duplex, quod de præcepto non ſeruatur, quo caſu duæ miſſæ ſunt celebrandæ, vna de feſto, altera defunctorum, vt licitè lucrari poſſit eleemoſyna relicta.* Barboſa *ſup. verbo Miſſa defunctorum* 5. Octaua. *Miſſæ defunctorum non ſunt celebrandæ, & cantandæ in diebus ſolemnibus.* Barboſa *ſup.* Nona. *Miſſa celebrata in Altari priuilegiato pro defunctis non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de* Requiem, *licet in indulto non exprimatur.* Gauantus *ſup. tit.*5.§. *Sacra*, Barboſa *ſup.* Diana 4.*part. tract.*4. *Reſol.*233. Decima. *Miſſa pro Defunctis ritu de* Requiem *celebrari poteſt in Dominicis, & Feſtis, inſepulto, & in Eccleſia præſente corpore, vbi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi defunctos ſimul cum miſſa.* Gauantus *ſup. tit.*5. §. *niſi in die.* Barboſa *ſup.* Vndecima. *Miſſa de* Requiem *in Altari priuilegiato non poteſt dici in die Feſto duplici, & de præcepto, qui incidit in diem aſſignatum pro dicto Altari priuilegiato.* Gauantus *d.tit.*5. §. *Sacra*, Barboſa & Diana *ſuprà.* Vide pro his Altaribus priuilegiatis dicta *ſupra verb. Altare, num.* 19. Duodecima. *Miſſæ de* Requiem *tolerari poſſunt in Feſto duplici, quod non eſt de præcepto, pro voluntate teſtatorum implenda.* Gauantus *ſup. tit.* 5. §. *Sacra tamen.* Barboſa *ſup.* Animaduertit autem Gauantus non dixiſſe Sacram Congregationem id licere ad arbitrium viuorum, ſed pro implenda voluntate defunctorum. Decima tertia. *Miſſæ Defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferantur in ſequentem.* Gauantus *d.tit.*5.§. *Anniuerſario.* Barboſa *ſup.* Decimaquarta. *Miſſæ de* Requiem *non poſſunt dici in illis diebus, quibus prohibetur fieri de feſto duplici, nimirum infra octauam Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, in hebdomada maiori, Feria quarta Cinerum, & in Vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes.* Gauantus *ſup. in Rubric. de Miſſis votiuis, tit.*4.§. *non eſt duplex.* Barboſa *ſup.* Apud quem etiam *verbo Miſſa propria* 6. de Miſſis propriis aliquorum Sanctorum, præſertim Ordinis Carmelitarum, & alia ad intentum.

Circa Regulares tamen ſpecialiter notandum, quod 49
eorum Eccleſiæ videntur obligatæ ad cantandum duas Miſſas in Feriis Quadrageſimæ, quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamſi duplex, vel ſemiduplex Feſtum, vel Octaua in eis occurrat. Vnam videlicet de Feſto, alteram de Feria, &c. Declarationes enim S. Congregationis adductæ, in quibus id præcipi videtur generales quoad omnes Eccleſias Orbis ſunt. Verum quidem eſt, quod ſi in talibus declarationibus ſolùm eſſet ſermo de Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis, illis non comprehenderentur Eccleſiæ Regulares; quæ propriè loquendo ſolùm dicuntur Conuentuales, & non niſi impropriè, & ſolùm quoad fauorabilia Collegiatæ. De quo Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 43. *art.* 12. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in Innocentio IV. Bulla* 7. *ſcholio* 1. Gauantus *ſup. part.*3 *tit.*11.*num.*12. Peirinis *ſup. num.*19. Notandum etiam, probabile eſſe ſufficere, quod in Eccleſiis Regularium vna dictarum Miſſarum cantetur, & alia recitetur. Quia nec Decreta S.Congregationis aliud petunt, nec id eſt in praxi receptum. Peirinis *ſuprà num.*17. Vide alia circa hoc infrà verbo *Officium diuinum*.

Circa anticipationem Miſſarum iam dixi *tom.* 1. *p.* 1. 50
*cap.*21. *num.*7. licere anticipare illas (id eſt, dicere illas ante tempus præfixum à teſtatore, vel inſtitutore, niſi contrarium expreſsè declaretur ab illo. Quia generaliter loquendo anticipata ſolutio nullo modo præiudicat, ſed prodeſt creditori. Cenedo *de quæſtionibus Canonic. quæſt.*38. Fagundez *ſup. cap.*9.*num.*1. & 2. Diana *ſuprà Reſolut.* 16. ex Ledeſma, Riccio, & aliis. Vnde Sacerdos obligatus ad dicendum quindecim Miſſas, v.g. ſingulis menſibus, poteſt hoc menſe dicere triginta pro præſenti, & ſequenti. Petrus Nauarra *ſuprà lib.*2.*cap.*2. *quæſt.*9.*num.*366. Rodriguez *in Summa, cap.*252.*tit. miſſa, concluſ.*8. Cenedo, & Fagundez relati.

Secus

Digitized by Google

Secus dicendum, quando deſignatio temporis pro miſſis dicendis facta eſt à teſtatore propter aliquam rationabilem cauſam: vt ſi inſtituit miſſam Feria 6. in honorem Paſſionis Domini, & ſabbato pro B. Virgine, aut propter aliquem decorem Capellæ, vel Altaris, commoditatem populi audientis illas, vel ſimilia. Cenedo, & Fagundez relati. Lugo *ſupra, num. 43. & 44.* Aduertens bene in omiſſione huius circunſtantiæ temporis non facilè committi peccatum mortale, quod intellige, niſi cauſa talis inſtitutionis grauis ſit, & magni ponderis.

51 Anticipare autem miſſas, ipſas applicando pro illis, qui poſtea daturi ſunt eleemoſynas, prohibitum eſt à S. Congregatione ſub Paulo V. iuxta dicta *eo num. 7.* cuius Decreti copia miſſa ad Illuſtriſſimum Nuncium Hiſpaniarum talis eſt. *Superioribus diebus ſignificatum fuit S.D.N. paucis abhinc annis in Hiſpania nouam conſuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam ſenſim receptam in dies magis inualuiſſe, vt Sacerdotes Miſſam celebrantes eius valorem generalem applicent iis, qui poſtea Miſſæ celebrationem poſtulatuei, ac pro ea eleemoſynam præbituri ſunt, tametſi antequam Miſſæ Sacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogaſſent, neque ei hac de cauſa præſtitiſſent eleemoſynam. Quam rem, cum Sanctitas ſua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum pro materiæ grauitate examinandam reieciſſet, in ipſa Congregatione primùm de ea actum fuit diligentiſſimè, ac deinde relatum ad Sanctitatem ſuam, quæ ex eiuſdem Congregat. ſententia huiuſmodi conſuetudinem tanquam pluribus nominibus periculoſam, fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimiam abhorrentem expleſit, ac improbauit, atque Amplitudini tuæ litteras dari (quod facimus) mandauit, vt omnibus illius Regni Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, in quorum Diœceſibus huiuſmodi applicatio in vſum inducta fuerit, per litteras, aut alias ſcripto iniungat, vt talem vſum aboleant, ac prohibeant, excommunicationis atque aliis, quas opportunas, & neceſſarias exiſtimauerint, pœnis. Idemque præcipiat Generalibus, & Capitulis Ordinum, quos in iſtis Regnis nunc nouerit commorari, vt ſcilicet & ipſi Regularibus ſibi ſubditis tales applicationes, eiſdem pœnis propoſitis, interdicant. Quæ omnia pro ſua pietate, & Sanctiſſimi Domini Noſtri iuſſui obſequendi ſtudio Amplitudinem tuam ſedulò effecturam ſperantes Omnipotentem Deum rogamus vt eam quotidie cœleſtis ſuæ gratiæ donis velit augere. Romæ 15. Nouembris 1605.*

52 Referunt hoc Decretum Cenedus *ſuprà, quæſt. 38. num. 6.* Fraxinell. *ſuprà, ſect. 3. §. 5. prænotione 5.* Barboſa *ſuprà, num. 12.* & alij plures. Quamuis autem Barboſa, Diana *ſupra, reſolut. 15.* & alij dicant illud emanaſſe à Clemente VIII. veritas tamen eſt eius publicationem, ſeu epiſtolam, in qua mittebatur ad Illuſtriſſimum Nuncium Hiſpaniarum, non fuiſſe factam niſi à Paulo V. eius ſucceſſore, vt notant Soſſa *in Libello de non fundandis nouis Conuentib. in Regno Caſtellæ.* Gauantus *in Man. Epiſcop. verb. Miſſa, num. 33.* & Fraxinellus *ſuprà*, eo quod decimaquinta dies Nouembris anni 1605. quando id factum fuit, Pontifex erat Paulus V. Cauſa autem diuerſitatis in citando Summo Pontifice à dictis Auctoribus, poteſt eſſe, quod opinio de Miſſis anticipatis delata fuit ex Hiſpania Clementi VIII. qui eam Sacræ Congregat. Concilij commiſit, vbi pro ea decidenda ſumma adhibita fuit diligentia, vt in ea epiſtola refertur, & forſan Decretum ſub Clemente ipſo factum fuit, licet poſtea tempore Pauli V. promulgatum, & ideo vtrique attributum. Fraxinellus *ſuprà.* Cum autem eius publicatio non niſi per dictam epiſtolam ad Nuncium facta fuerit, ideo ceſſat dubium, quod circa illud habet Naldus *ſuprà, num. 2.* eo quod nec in Bullario, nec in eius Compendio reperiatur. Non enim epiſtolæ huiuſmodi in eis locis repetiuntur, ſed reſeruantur in Archiuio, & Secretaria S. Congregationis. Notat autem Fagundez *ſuprà, d. cap. 9. num. 10.* huiuſmodi Decretum non eſſe in vſu receptum in Hiſpania. Sed hoc mihi valde dubium eſt, cum nihil vnquam de tali non receptione in Hiſpania audiuerim; nec facilè de ea conſtare poterit, præſertim cum in ea regione ob magnam populi deuotionem, & multitudinem miſſarum, quæ in ipſa eſt, rariſſimè inueniantur Sacerdotes, quibus deſint ſtipendia pro miſſis celebrandis, ac proinde qui cogantur dicta anticipatione vti.

Maximè circa verba illa eiuſdem Decreti, *eius valorem generalem applicent*, &c. non leue mihi dubium occurrit circa ipſius intelligentiam: cum enim valor Miſſæ qui applicatur pro offerente ſtipendium non ſit generalis, cum iſte applicetur pro omnibus fidelibus, ſed ſpecialis, prout communiter tenent Theologi, quæ eſt cauſa quare Sacra Congregatio eum appellauit generalem? Videtur enim ex eo colligi quod ſi aliquis anticipatè diceret Miſſam offerendo fructum ſpecialem illius pro eo qui primò daturus eſt eleemoſynam, non contrauenit et Decreto prædicto Sacræ Congregat. Quia tamen dici poteſt Sacram Congregationem per fructum generalem intelligere ſpecialem, ſed eum vocare generalem, quia ſcilicet generaliter applicatur ab omnibus Sacerdotibus pro illis à quibus ſtipendium accepere, ideo huic parti adhærendum. Notandum tamen, quod etſi ſecluſo tali decreto Sacræ Congregationis, ſuſtineri poſſit ſpeculatiuè loquendo ſententia in eo reprobata, quando ſcilicet Sacerdos non habens eleemoſynam offerret Miſſam pro eo, qui primò eam ſibi tradiderit, non quidem ſuſpendendo effectum Sacrificij, quia hoc non eſt in poteſtate ipſius, ſicut neque poteſt fructus Sacramentorum iſto modo ſuſpendere, ſed verè applicando tunc talem fructum, prout tenent Henriquez *lib. 9. de Miſſa, cap. 21.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtitutione, cap. 2. num. 373.* Aragon. 2. 2. *quæſt. 85. art. 3.* Rodriguez *in Summa, verb. Miſſa, cap. 252.* Naldus *ſuprà, num. 2.* Bonacina *etiam ſuprà, puncto 7. §. 5. num. 3.* ex aliis, quos refert, & ex deciſione Congregationis Pœnitentiariæ Mediolanenſis, quibus etiam fauet Vaſquez *ſuprà, diſp. 234. cap. 3. num. 23.* Nihilominus in praxi id fieri non debet, non ſolùm propter Decretum Sacr. Congregat. relatum, ſed eò quod talis anticipatio lucri auiditatem ſapiat & negotiationem, vſui Eccleſiæ non conſonet, intentioni Miſſam ſtipendio petentis repugnet (qui miſſam præſenti ſuæ neceſſitati, vel deuotioni exquirit,) & reuerentiæ tanti Sacrificij, Sacerdotum perfectioni, & fidelium deſiderio, ac expectationi aduerſetur, Fraxinel. *ſuprà, ſect. 3. prænotione 5. §. 5. num. 4.* Bonacina *ſuprà*, ex Suarez, Reginaldo, Nugno, & aliis. Vide Ioannem Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp. 13. ſect. 5. à num. 137.*

Poteſt autem quilibet etiam viuens ſibi Officium defunctorum, & Miſſam pro defunctis celebrari facere, 54
& optimum conſilium eſt id facere, ne fortè poſtea hæredes, vt frequenter fit, & pigri ſint, & negligenter ſe gerant in huiuſmodi Suffragiis faciendis cum tanto diſpendio & detrimento animarum ſuorum defunctorum. Primò, quia credi par eſt ita inſtitutum eſſe à Chriſto hoc Sacrificium, & ab Eccleſia tale Officium mortuorum, vt prodeſſe poſſent ei cui applicantur pro quacunque neceſſitate, & occaſione, in qua futurus ſit capax effectus illorum, ita vt interim non maneat ſuſpenſus, ſed veluti reſeruatus in acceptatione diuina, ad modum quo Theologi docent merita mortificata per peccatum, manere in Dei acceptatione retribuenda, dum homo capax illorum fuerit. Vnde hoc non eſt ſimpliciter loquendo applicare illa pro viuis, ſed applicare pro mortuis, ſiquidem applicatur

viui pro tempore quo mortui fuerint. Secundò, quia ita ſe geſſiſſe inſignes viros pietate, & doctrina conſtat ex hiſtoriis. Si quidem de Alberto Magno id refert Ferdinandus del Caſtellu *in Hiſt. Gener. S. Dominici, part.2.lib.3. cap.*46. & de Henrico Comite de Ratence Epiſcopo Ratiſponenſi Vuiguleus Hundus *in Hiſtor.* Quod etiam imitati ſunt plures alij, ex Doctorum conſilio noſtris temporibus pietate, & deuotione inſignes. Tertiò, quia id fauet non ſolùm pietati, & deuotioni, ſed etiam humilitati, & memoriæ mortis, quæ tam vtilia ſunt hominibus. Ac denique quartò, quia id videtur colligi ex celebri illo dicto D.Gregorij *lib.4.Dialog.c.*58. quod etſi aliqui ſolùm accommodent Miſſis viuorum, rectè etiam accommodari poteſt Miſſis, & Officiis defunctorum: *Tutior eſt via, vt bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe, dum viuit per ſe. Beatius quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere.* Zerula 2. *part. verb. Miſſa*, referens Nauarrum: Lucas Pinellus *de Miſſa, part.2.cap.7. quæſt.3. verb. Miſſa*, approbans hunc vſum, quem dicit vigere in Lotharingia. Bartholomæus à S. Fauſto *de Eucharist. lib.2. quæſt.*148. Homobonus *in Exam.Eccleſiaſt. part.1.tract.3.cap.*14. *quæſt.*127. Peyrinis ſupra loco relato *ex 3. tom. Priuileg. Minim. cap.*1. *num.*21. Barboſa *in Concil. Trident. ſeſſ.22.cap.3. num.*8. & Fagundez *ſuprà, cap.10.n.*13. Limitant tamen aliqui, dummodò non dicantur eæ Orationes, quæ ſupponunt aliquem diſceſſiſſe è vita, v. g. oratio *Inclina Domine, &c.* in qua dicitur *quem de hoc ſeculo migrare iuſſiſti*, ne mendacium committatur. Sed hanc limitationem non admittunt Fauſtus, & Fagundez, quia etiam in Miſſis defunctorum quando dicuntur pro iis, qui multo antè tempore deceſſerunt, dicimus in Oratione Offertorij, *Domine Ieſu Chriſte Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum, ſed Signifer &c.* In qua oratione à Deo poſtulat Eccleſia ne animæ illorum defunctorum ad pœnas Purgatorij detrudantur, dum dicit, *Ne cadant in obſcurum, ne abſorbeat eas tartarus*; cum tamen illæ iam in eodem igne ſint vel fuerint: & tamen nullum mendacium committitur, quia ne committatur, ſufficit quod Eccleſia repræſentet illas animas Chriſto, ac ſi tunc è vita eſſent diſceſſuræ, eaſque conſideret quaſi adhuc agonizantes, & pro iis oret, vt à Purgatorij & ignis pœnis liberentur, vt docet Henriquez *lib.9. de Miſſa, cap.16. num.3. fine.* Sic etiam in caſu præſenti, vt veritas ſalua, & illibata perſiſtat, ſufficit ſi Eccleſia, & Sacerdos oret pro viuo, & repræſentet eum Chriſto Domino, ac ſi iam vitam cum morte commutauerit, & poſt ipſius mortem. Ex quibus ſoluuntur quæ Fraxinellus *ſuprà, ſect.3. prænot.4. §.3. num.*4. & Diana 5. *part. tract.* 13. *miſcellan. reſolut.* 2. poſt Layman. & alios afferunt contra hanc doctrinam.

55 Circa Ritum, ſeu modum celebrandi Miſſas plura dici poſſunt. Conſiſtit autem hic Ritus in tempore, loco, vaſis, veſtibus Sacris, cæremoniis, & miniſtris. Et primò loquendo de tempore celebrandi Miſſam, conſtat ex dictis *tom.1.part.1. cap.*21. *num.*2. eſſe tempus ab Aurora vſque ad meridiem, vbi etiam de particularibus priuilegiis Religionum. Declarauit autem Sacra Congregatio apud Barboſam *in Collectaneo Bullarij, verb. Miſſa* 1. Miſſas priuatas celebrari poſſe etiam cum Horæ Canonicæ in Choro cantantur, non tamen in Altari maiori. Inſuper, teſte Alcozer *in ſuo Cæremoniali*, & Gauanto *in Theſauro Rituum, titul.* 15. §. *ſi propter*, declaratum etiam eſt à S.Congregatione, Miſſam de Feſto, ſeu Dominica non poſt ſextam, ſed poſt tertiam cantari debere, ita vt præſtet differre tempus dicendi tertiam, quàm cantare prædictas Miſſas poſt ſextam. Circa locum etiam in quo celebrari debeant Miſſæ, conſtat ex dictis *eo cap.*21. *num.*14.15. *&* 16. *& ſuprà, verb. Eccleſia*, ſolùm eſſe Eccleſiam, Oratorium, aut ſimilia loca conſecrata, aut benedicta: vbi etiam de priuilegiis Regularium, quæ circa hoc ſunt. Qualiter etiam Miſſæ celebrari non debeant niſi in Altari, & quid de priuilegiis Regularium circa hoc, vide dicta *ſup. verb. Altare.*

Quamuis autem *eo cap.* 21. *num.* 16. ex communi ſententia dixerim, non licere propter quamcumque neceſſitatem celebrare ſupra mare, ſeu flumen in naui, propter periculum effuſionis Sanguinis ex motu nauis, id tamen intelligitur loquendo de Miſſa communi, & ordinaria, quæ fit cum conſecratione Corporis, & Sanguinis Chriſti, non tamen de Miſſa vulgò *ſicca* appellata, in qua Introitus, Epiſtola, Euangelium, & aliæ Orationes, conſecratione prætermiſſa, dicuntur, prout habetur in noſtro Cæremoniali *lib.2.Rubrica* 55. & docent Henriquez *lib.6. de Miſſa, cap.27. num.*3. Fagundez *ſupra, cap.10.num.*14. ex Azor. *tom.1. Inſtit.moral. lib.7. cap.7. quæſt.*4. Quomodo autem ea dici poſſit ſiue in mari, ſiue in terra, lege Henriquez *dicto cap.* 27. & Portellum *in Reſponſion. part.3. caſ.* 16. Id quoque habetur loco relato ex noſtro Cæremoniali, vbi etiam in fine illius Rubricæ ſic dicitur. *Hoc etiam modo miſſa ſicca coram infirmis dici poterit, ſi pro deuotione illam audire volunt, cum miſſa cum conſecratione in eorum domibus non debeat celebrari.* Addit idem Fagundez *ibid. num.*15. loquendo etiam de Miſſa communi, & ordinaria, viuæ vocis oraculo Clementis VIII. Pauli V. conceſſum eſſe Patribus Societatis, vt in Indiarum Orientalium nauigatione Miſſam celebrare poſſent, ſereno Cœlo, & tranquillo mari in nauibus onerariis Luſitaniæ, idque vſu introductum eſſe. Sed de his viuæ vocis oraculis ſæpius dixi inualida eſſe poſt reuocationem factam illorum à Gregorio XV. & Sanctiſſ. D.N. Vrbano, niſi de nouo confirmata fuerint. Audio etiam idem fieri ſolitum in nauibus aliis Regis Catholici ob nauigantium deuotionem, & præcipuè ſi neceſſum eſt communicare aliquos morti proximos. Caſu tamen, quo id fieri liceat, faciendum non eſt niſi cum maxima cautela, & prudenti circumſpectione, vt par eſt, & vt oportet ad reuerentiam tam admirabilis Sacrificij. Quod fieri etiam poteſt citra omne periculum effuſionis Sanguinis, ſi adſit alius Sacerdos, qui conſecratum Calicem manu firmet, ne cadat, Fagundez *ſup.* De hac verò controuerſia latè, & doctè Lugo *de Euchariſt. diſp.20. ſect.*3. poſt Granadum, & alios, Quibus adde Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ.*181. 56

De vaſis autem Sacris, in quibus celebrari debet, dicam infrà *verb. Vaſa Sacra*, & dixi *ſuprà, verb. Calix.* De veſtibus etiam, paramentis, tum Sacerdotum, tum Altarium, dicam etiam infrà *verb. Paramenta Sacra*, & *verb. Veſtes Sacræ.* 57

Quoad Cæremonias attinet, certum eſt, prout colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.7. can.13. & ſeſſ.22. in Decr. de obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſ.* & Bullis Summ. Pontific. quæ in principio Miſſalium ponuntur, eas obſeruari debere quæ in prædictis Miſſalibus aſſignantur. Licet autem omittere aliquam grauem cæremoniam ex malitia, vel culpabili negligentia ſit peccatum mortale, cum ſit tranſgreſſio præcepti in re graui, prout ex communi ſententia affert Ioannes de la Cruz *ſuprà, quæſt. 4. dub.1. concl.*1. omittere tamen vnam vel alteram, vel etiam aliquas cæremonias, non ex contemptu, & ceſſante ſcandalo, ſolùm peccatum veniale, non autem mortale communiter æſtimatur, Filliucius *tom.1. tract.5. cap.5. num.*140. Poſſeuinus *de Officio Curati, cap.2. num.*16. Ioannes de la Cruz *ſuprà, concl.*3. Diana *part.5. tract.5. reſolut.*45. Vnde quædam declarationes Sacræ Congregationis, quas refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Miſſale*, quæ contra hoc eſſe videntur, intelligendæ ſunt iuxta dicta, & contra 58

illos,

illos, qui ſui Miſſalis Cæremonias ſpernunt, vel alias adiungunt de nouo. Lugo *ſuprà*, *diſput.* 20. *ſect.*4. *num.*104. Circa illas autem notandum etiam, plures ſacerè aſſerere, Miſſam dicendam eſſe cum A,B,C,D. A, idest *altè*, B, idest *breuiter*; C, idest *clarè*; D, idest *deuotè*. Sà *in Summa*, *verb. Miſſa*, *num.*50. Gauantus *ſup.part.*3. *tit.*12.*num.*13. Quibus etiam aſſentior, dummodo Sacerdotes cohærere faciant illud *breuiter*, cum illo *deuotè*, præſertim ſi cum eodem Gauanto addamus alteram literam, ſcilicet E, idest *Exactè*, aut *Exquiſitè*. Vnde nota ibidem cum Scottia *lib.*2. *cap.*19. illud *breuiter*, denotare, non vltra mediam horam. Alia circa huiuſmodi cæremonias, ſeu Ritus Miſſæ tractat relatus Gauantus Auctor in hac materia verſatiſſimus.

59 Illud tamen animaduertendum, nullatenus admittendum eſſe quod Fagundez *ſuprà*, *dict. lib.*3. *cap.*21. *num.*32. inquit, ſcilicet Regulas Miſſalis non obligare, niſi tantum illas, quæ continent eſſentiam, aut quaſi eſſentiam Sacrificij, reliquas verò non eſſe præcepta, ſed inſtructiones quaſdam. Quod etiam refert, nec impugnat Diana *ſupra*, *reſol.*41. & fauet Peyrinis etiam ſuprà loco relato, ex 3.*tom. priuileg. Minim.cap.*1.*n.*15. Si enim Bullæ Pontificiæ, declarationes Sacr. Congregat. relatæ, imò ipſæ Rubricæ Miſſalis attentè legantur, procul dubio pro comperto erit eas vera eſſe præcepta, & non tantum inſtructiones, aut conſilia, ac per conſequens obligare ad culpam, ſaltem venialem, iuxta dicta. Verum quidem eſt id quod notauit Suarez *tom.*3. *diſp.*85. *ſect.*1. §. *ad primam confirmationem*, & ex eo Fagundez *ſupra*, *num.*8. ſcilicet quod Regulæ Miſſalis, quæ ſunt *de ſupplendis defectibus Miſſæ*, ad peccatum non obligant, quia illæ ſolùm ſunt doctrinales quædam inſtructiones circa facienda in talibus caſibus, neque approbantur à Pontificibus, niſi ſolùm veluti bonæ, & probabiles opiniones. Sed non propterea idem dici debet de aliis Regulis, ſeu Rubricis Miſſalis.

60 Inter cæremonias autem ad Miſſas neceſſarias vna eſt, quod ſine lumine celebrari non poſſit, *cap.fin. de celebrat. Miſſ.* Idque ſub mortali, vt ex eodem *cap.* colligunt. Sotus *in* 4. *diſtinct.*13. *quæſt.*13. *art.*4. Toletus *in Summa*, *lib.*2. *cap.*7. *num.*6. & alij communiter. Quamuis autem ex conſuetudine ſatis rationabili duæ candelæ requirantur; in neceſſitate tamen pro Eccleſiis pauperibus vna tantum ſufficiet. Bonacina *ſup.punct.*9. *num.*30. ex Azorio, Toleto, Graffio, & aliis. Similiter quamuis ex Eccleſiæ conſuetudine, immò & multorum Patrum auctoritate, tale lumen debeat eſſe ex cereo ignito, vt rectè Henriquez *lib.*9.*de Miſſa*,*c.*26. *num.*4.*&* *cap.*29. *num.*7. in caſu tamen grauis neceſſitatis licere puto, ſaltem ſine peccato mortali, cum lumine olei celebrare, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, vt docent Ioannes de la Cruz *ſuprà*, *quæſt.* 3. *dub.*5. *concluſ.*1. & Diana *dicto tract.*14.*reſolut.*67.*&* 45.poſt Suarez, Fagundez, & alios. Imò & forſan ſine veniali, ſi neceſſitas grauis valde ſit, vt colligo ex Vaſquez *ſuprà*, *diſp.*233. *cap.*3. *num.*25. Bonacina *ſuprà*, & Layman. *ſuprà*, *cap.*6.*num.*17. §.*tertiò licet*. Ex ſebo autem, ſeu inferiori materia id non licere tenet Vaſquez *ibi*, etſi Bonacina, & Layman. contrarium dicant. Sanè res indecens videtur, & ita non ſine valde graui cauſa admitti poteſt. Certus autem numerus ſuperſtitioſos candelarum in celebratione Miſſarum prohibitus eſt à Concilio Tridentino *ſeſſ.*22.*in Decreto de obſeruand.in celebr. Miſſ.* Vaſquez *ſuprà*, *num.*26. Quot autem candelæ ponendæ in Altari, Abbate celebrante, dixi *ſupra*, *verb. Abbas*, *num.*15.

61 Ex dictis etiam patet deciſio dubij, quod aliqui mouent, an ſcilicet aliquando liceat celebrare ſine Miſſali. Etſi enim regulariter loquendo id nullo pacto liceat, propter Eccleſiæ præceptum, & conſuetudinem, & ad euitandum periculum lapſus in memoria, prout communiter Doctores tenent, ſpecialiter Nauarrus *in Manuali*, *cap.*25. *num.* 84. Azor. *tom.*1. *Inſtitutionum moralium*, *lib.*10. *cap.* 29. *quæſt.*5. Henriquez *lib.*9. *de Miſſa*, *cap.*26. *num.*4. & alij, quos refert, & ſequitur Fagundez *ſupra*, *cap.*21.*num.*23. Nihilominus, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, & cum Sacerdos conſtanter credit non lapſurum in memoria, ſi adſit rationabilis cauſa id ſuadens, poterit ſine Miſſali celebrare. Vaſquez *ſuprà*, Diana *ſuprà*, *reſol.*46. poſt Layman, Villalobos, & Ledeſmam. Quod & probabile cenſet Lugo *dicta diſp.*20. *ſect.*2.*num.*78.

62 De Cruce qualiter neceſſaria ſit pro Altari, in quo celebratur, & an ſine illa celebrari poſſit, habes ex dictis *ſuprà*, *verb. Crux*, *num.*3.

63 Loquendo autem de miniſtro, quamuis antiquitus nullus Sacerdos celebrare poſſet niſi duobus præſentibus miniſtris, vt colligitur *ex can. hoc quoque*, *de conſecrat. diſt.*2. & quia cum Sacerdos dicat *Dominus vobiſcum*, & *Orate fratres*, videatur cum duobus loqui, nihilominus conſuetudine receptum eſt, vt ſolus vnus miniſter adſit Miſſæ. Toletus *lib.*2.*cap.*2.*num.*6. Azor. *ſuprà*, *quæſt.*1. Fagundez *cap.*21.*num.*1. Is autem debet eſſe vir, & non fœmina, *cap.inhibendum*, *de cohabitat. cleric.& mulier.& can.Sacratas*, *diſt.*13. Toletus *ſuprà*. Bonacina *ſupra*, *num.*32. ex Suarez, Henriquez, Reginaldo, & aliis. Vnde peccatum mortale eſt fœminam Sacerdoti in Miſſa miniſtrare, ita vt expediat magis Sacerdotem dicere Miſſam ſine miniſtro (intellige in caſu magnæ neceſſitatis, iuxta dicenda) quàm fœminam aliquam ad id muneris adhibere. Sotus *in* 4. *diſt.*13. *quæſt.*2. *art.*5. Azor. *ſuprà*, *quæſt.*2. Bonacina *num.*33. ex aliis. Licèt oppoſitum ſequatur Nuñus *in* 3. *part. tom.*1. *quæſt.*83.*art.*6. *dub.*1. quem non impugnat Diana *ſupra*, *reſolut.*44. Permittitur tamen Monialibus reſpondere Sacerdoti ex choro, & remotè, ex Eccleſiæ conſuetudine. Bonacina *dicto num.*32. Fagundez *num.*2. Quod admittit Lugo *ſuprà*, *ſect.*4.*num.*103. etiamſi nullus vir reſpondeat in Altari, ſed ſolùm deſeruiat, & ſequi videtur Archangelus Romanus *de Priuileg.lib.*3. *verb. Miſſa*. In caſu etiam magnæ neceſſitatis, videlicet quando eſſet dies Feſtus, nec eſſet ex populo qui ſciret miniſtrare, vel dandum eſſe moribundo Viaticum, &c. licitum erit Sacerdoti ſine miniſtro celebrare, prout docent Azor. *ſuprà*, *quæſt.* 3. Zerola *in praxi* 2. *part.verb. Miſſa*, Diana *ſupra reſolut.*43. referens Villalobos, Pitigianum, Syluium, & alios. Conſulerem tamen in tali caſu neceſſitatis, vt Sacerdos Sacrum facturus neſcientem aliquem doceret præeundo etiam in ipſo Altari, & reſponſiones proferret cum eodem, vt admittit additionator Toleti *ſupra*, §.*vt poteſt*, ex Suarez. De Sacerdote etiam recluſo, quod poſſit celebrare ſine miniſtro, tenet Archangelus *ſupra*, ex Graffio. Quod ſanè mihi dubium.

64 Sacerdotem celebrare non poſſe niſi capite diſcooperto, habetur *ex can.nullus Epiſcopus*, *de conſecr.diſt.*1. Nutant tamen Doctores Epiſcopum, vel etiam Ordinis Prælatum, ob cauſam, verbi gratia infirmitatis, vel nimiæ frigiditatis, licentiam dare poſſe Sacerdoti celebrandi capite cooperto pileolo, præſertim vſque ad conſecrationem, ſicut videre eſt in Azorio *ſupra*, *cap.*18.*quæſt.*16. Sà *verb.Miſſa*, *num.*17. Fagundez *dicto cap.*21.*num.*33. Immò ſi cauſa ad id faciendum euidens ſit, nec adeſſet ſcandalum, dummodo Sacerdos pileum tollat cum Hoſtiam, vel Calicem eleuat, id fieri poſſe ſine alia licentia, admittit idem Fagundez ex Henriquez, Angelo, Nauarro, & aliis. Quod & tenent Layman. *dicto cap.*6. *num.*16. Quia tamen facultatem concedere ad hoc eſt his temporibus Summo Pontifici reſeruatum, propter declarationes quaſdam Sacræ Congregationis; quas refert Gauantus *in Rubricas Miſſalis*, *tom.*1. *part.*2. *titul.*2. & ex eo Diana

ſuprà,

ſuprà, *reſolut*. 58. ex quibus vidi vnam pro Archiepiſcopo Vrbinate, in qua Sacra Congregatio decreuit, *non poſſe illum vti tali pileolo ſine licentia Sedis Apoſtolicæ*; idque conſtat ex Miſſali reformato iuſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Octaui, in cuius principio habetur ſimilis declaratio cum derogatione cuiuſcumque conſuetudinis in contrarium, ideo ita eſt tenendum. Lugo *dicta ſect*.4.*num*.102.

65 Sacerdotem etiam celebrantem calceatum eſſe debere ob maiorem honeſtatem, ac decorem, communis ſententia Doctorum tenet. Notandum tamen, id non eſſe ſub obligatione peccati mortalis; imò, vt credo, nec venialis, ſi neceſſitas ad ſic faciendum id poſtulet, & ſcandalum ceſſet. Layman. *ſuprà*, *num*.15. Lugo *ſuprà*, *num*.102.

66 Mortiferè peccare Sacerdotem, ſi dum Sacris veſtibus indutus, Preces omnes ab Eccleſia præſcriptas non recitat, ait Nauarr. *cap*.25. & ex eo Azor. *dict. cap*.29. *quæſt*.5. Sed alij id negant, dum nullus adeſt contemptus. Henriquez *lib*. 9. *cap*. 24. Rodriguez *in Summa*, *cap*.246. Additionator Toleti *ſuprà*, & alij. Dicendum ergo eſt, ſolùm eſſe obligationem ad id faciendum ſub veniali, quia communiter tale præceptum receptum non eſt ſub maiori obligatione, niſi adſit contemptus. Diana *ſuprà reſolutione* 41. ex Homobono, Layman. Vega, Scotia, & aliis. Idem dicendum de Hymno *Te Deum*, & aliis Orationibus dicendis à Sacerdote poſt Miſſæ celebrationem. Fagundez *ſuprà*, *num*.9.

67 Qualiter ſe gerere debeat Sacerdos Miſſam dicens quoad benedictionem populi, ſi celebrat præſente Epiſcopo in loco ſuæ iuriſdictionis, dixi *ſuprà verb. Benedictio*, *Benedicere*, *num*.2. quod multò magis procedit ſi celebrat coram Cardinali. De quo etiam Layman. *ſuprà*, *num*.18. Alia ad intentum habentur *infra verb*. *Officium diuinum*, *verb*. *Ritus Sacri*, *verb*. *Suffragia*, *verb*. *Vaſa Sacra*, & *verb*. *Veſtes Sacra*. Vide & dicta *ſupra*, *verb*. *Eucharistia quoad Regulares*.

68 De modo ſupplendi defectus in Miſſis occurrentes, cum de eo habeatur inter Rubricas Miſſalium, nunc ſuperſedendum. Interim videndi Suarez *ſuprà*, *dicta diſp*.85. *ſect*.1. Bartholomæus à S. Angelo *Dialogo* 5. & Bonacina *ſuprà*, *diſputat*. 4. *quæſt*. *vltim*. *punct*. 10. poſt alios.

M I T R A.

S V M M A R I V M.

1 *Mitra quid, quotuplex, & qualis figura.*
2 *Quibus concedatur.*
3 *An aliis Abbatibus.*
4 *Quomodo hæc priuilegia intelligenda.*

1 Mitra, ſeu Apex ex Auguſt.2. *Ciu*.15. ſeu *Sertum cum gemmis*, ex Ennodio de Mitra S. Ambroſij, ſeu *Corona Sacerdotalis*, ex Ammiano Marcell. *lib*.29. ſeu *Corona gloriæ*, ex Euſebio Cæſareenſi *lib*.10. *Hiſt*. *cap*. 4. ſeu *Pileum* generis neutrius, vel *Galea*, vel *Tiara* ex Iſidoro *lib*.19. *Orig*. *cap*.21. ſeu *Infula*, ex Hugone Victorino *lib*. *de Sacr*. *cap*.55. ſeu *Cidaris* ex Alcuino *de ſingul. veſtibus*, ſeu *Phrygium*, ex Niceph. *lib*.14. *cap*. 34. quod impoſuit capiti Sancti Syluestri Conſtantinus; ſeu *Lorum* ex Balſamone apud Boleng. *de veſt*. *Pontif*. *lib*.9. *cap*.6. ſeu *Auriphrygium circulare* ex Innocent. III. *in ſerm*. *de S Syluestro* (iis enim nominibus appellatur) ab Apoſtolis ortum habet ex Baron. *An*.34.*num*.298. Et inter Epiſcopi inſignia enumeratur ad ornandum illius caput, & erudiendum Epiſcopum. Gauantus *in Theſauro ſacrorum Rituum*, *part*.2. *tit*.1. *de preparat*. *Sacerdotis celebraturi*, §. *Mitra*, *ſeu Apex*. Tambotinus *de iure Abbat*. *tom*. 1. *diſp*.10. *quæſit*.1. *n*.3. Imponitur etiam Abbati in ipſius benedictione. Tamburinus *ſuprà*, *diſput*.11. *quæſit*.14. *num*.35. Significat, prout dixi *ſuprà*, *verb*. *Abbas*, *num*.11. Spineam Chriſti Coronam, vel ſecundum quoſdam, propter duo cornua, quæ habet, vtrumque teſtamentum, cuius ſcientiam habere debet Prælatus. *Can*. *Epiſcopus* 23. *quæſt*.1. Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico*, *lib*.1. *cap*.9. *n*.56. Ipſius ſpecies ſunt tres, vna quæ pretioſa dicitur, quia gemmis, & lapidibus pretioſis, vel laminis aureis, aut argenteis contexta eſſe ſolet; altera auriphrygiata, ſine gemmis, & ſine laminis aureis, vel argenteis, ſed vel aliquibus paruis margaritis compoſita, vel ex ſerico albo auro intermixto, vel ex tela aurea ſimplici ſine laminis, & margaritis; tertia, quæ ſimplex vocatur, ſine auro, ex ſimplici ſerico Damaſceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis, ſeu frangiis, & vittis pendentibus. Ex Cæremon. Epiſcop. *lib*. 1. *cap*. 17. Caſtald. *in praxi cæremon*. *lib*. 1. *ſect*. 5. *cap*. 4. *num*. 5. Barboſa *ſuprà*, *num*.54. Nouatius *in Lucerna Regularium*, *verb*. *Mitra*, *num*. 1. Pro variis figuris Mitrarum antiquarum, præſertim S. Syluestri Papæ, quæ Romæ aſſeruatur in antiquiſſima Eccleſ. S. Martini in Montibus noſtri Carmelitarum Ordinis, & S. Auguſt. quæ Valentiæ viſitur, & S. Iſidori, quæ Bononiæ dicitur eſſe, conſule Gauantum *ſupra*, §. *pars Mitra*. Sunt autem Baculus Paſtoralis, & Mitra correlatiua, ita vt cui vnum conceditur, & aliud conceſſum credatur, prout ex duplici declaratione Sacræ Congregationis dixi *ſuprà*, *verb*. *Baculus*, *num*.2.

Quamuis autem Mitra inter inſignia Pontificalia numeretur, ita vt propria Epiſcoporum ſit, nihilominus à Sacra Congregatione conceſſa eſt pluribus Abbatibus, ſeu Præpoſitis Monachorum, prout ex variis eiuſdem Sacræ Congregationis declarationibus refert 2
Barboſa *in Collectanea Bullary*, *verb*. *Mitræ*, & *Baculi vſus*. Videlicet Abbati S. Adrianæ Mechlinenſis diœceſis, & ſucceſſoribus ſuis, Abbati Auburgenſi Argentin. diœceſis, Abbati de Bello loco Ordinis Præmonſtraten. Abbati de Bello podio eiuſdem Ordinis, Abbati Engelbergh. Monaſterij Conſtantien. diœceſis pro ſe, & ſucceſſoribus. Abbati S. Luciæ in Plano Melatij Regni Siciliæ Capellano Regio, & Referendario Apoſtol. Abbati Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Regalis oppidi Perpiniani, Elnen. diœceſis. Abbati Monaſterij S. Mariæ Bonæ Spei Ordinis Præmonſtraten. Abbati Monaſterij S. Mariæ Oppidi de Amerio Ordinis S. Benedicti, Abbati Monaſterij S. Mariæ de Calmoſiaco Canonicorum Regularium Tullen. ſeu nullius diœceſis, Abbati Oliuenſi Ordinis Ciſtercien. Abbati Monaſterij Sancti Petri Meten. diœceſis. Abbati Præmiten. Ordinis Ciſtercien. Poſnanien. diœceſis, Generali Congregationis Monachorum S. Hieronymi in Italia, Correctori, ſeu Viſitatori hoſpitalis Neapolis, Præpoſito Monaſterij Ciuitatis Vitenſchi, diœceſis Vilnen. fratrum Ordinis Beatorum Martyrum de Pœnitentia, Præpoſito Monaſterij Monialium Gotieſconien. Pragen. diœceſis, cum benedictione ſacrorum Vaſorum, & Paramentorum, Propoſito Collegiatæ Praten. &c.

Præterea etiam ex ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ Priuilegiis habent vſum Mitræ, & aliorum Pontificalium 3
Abbates Canonicorum Regularium Lateranenſium, vt videre eſt *in lib*. *Priuilegiorum illius Ordinis*, Mediolani impreſſo de anno 1606. & Congregationis S. Saluatoris Bononien. per Innocentium VIII. vt patet ex Conſtitutione einſd. Pontif. ſub dat. Romæ apud S. Petrum, pridie Idus Nouembris 1489. Item Caſſinenſes, aliàs Sanctæ Iuſtinæ de Padua, per Eugenium IV. ſub dat. Florentiæ 7. Kal. Iunij 1442. Camaldulenſes per Leonem X. Vallumbroſani, Ciſtercienſes, Celeſtini, Montis Oliueti, Montis Virginis, & Præmonſtratenſes, vt videre eſt partim apud Rodriguez *in Collectan*.
priuilegiorum

pri'legiorum Regul. in Eugen.IV. Bulla 18. & præſertim apud Tambutinum *ſupra, d. diſput.* 20. *quæſit.* 1. *num.*13.*& ſeqq.* & Barboſam loco relato *ex lib.*1. *Iuris Eccleſiaſtici, cap.*9. *num.*55.

4 Circa hæc tamen priuilegia animaduertendum primò, iuxta dicta *ſuprà, verb. Altare, num.*3. & *verb. Baculus, num.* 3. non communicari Prælatis aliis Regularibus, etiam Mendicantium, quantumuis habentibus communicationem generalem omnium priuilegiorum aliis Religionibus conceſſorum, quia ſcilicet hæc priuilegia conceſſa ſunt prædictis Abbatibus, quia ipſi habent vſum Pontificalium, quod aliis Prælatis Regularibus non competit. Secundò, quod ex tribus Mitris ſuperius relatis, Abbates illa tantum vti debent, & non alterius ſpeciei, quæ eis à Sede Apoſtolica eſt conceſſa, ſcilicet ſimplici. Ille enim cui ex priuilegio conceditur vſus Mitræ auriphrygiatæ, & pretioſæ, reputatur dignior illo cui vſus Mitræ ſimplicis conceſſus eſt. Ita Mich. Leon Eſtenſis *in Speculo Sacrar. Cæremon. verb. Abbas*, §. *Abbatis veſtes, & inſignia, verſ. Mitra Abbatis*, Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium, verb. Mitra, num.* 4. Abbates autem exempti quando interſunt Prouincialibus Conciliis, & Epiſcopalibus Synodis poſſunt vti Mitris auriphrygiatis, ſed non habentibus gemmas, vel laminas aureas, vel argenteas: ſi verò non ſunt exempti, vti debent ſimplicibus albis, & planis, id eſt non auriphrygiatis; ſed in aliis locis exemptis vti poſſunt Mitris, prout indulta conceſſa à Sede Apoſtolica eis permittunt. Declaratum etiam eſt à Sacra Congregatione, Abbatem vnica tantum Mitra vti poſſe celebrando. Gauantus *in Manuali Epiſcoporum, verb. Abbas, num.* 7. Nouarius *ſuprà, num.* 1. Tertiò, non licere prædictis Abbatibus Mitram, aut alia Pontificalia inſignia deferre, præter quam in locis ſuæ iuriſdictionis, & dignitatis, ſicut nec Archiepiſcopo licet Crucem facere ante ſe deferre, aut pallium geſtare in aliena Prouincia, *c.*1. *vt lit. pendent. cap. antiqua, de priuileg. Clement. Archiep. de priuileg. cap. ad honorem, c. ex tuarum, de authorit. & vſu pallij.* Idque conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis. Tamburinus *ſuprà, diſp.*21. *quæſit.*3. *num.*1. Nec licet ipſis ea inſignia deferre dum adeſt Epiſcopus, tunc enim ea dimittere debent. Tamburinus *ſuprà, num.*2. *&* 3. Vbi etiam in ſequentibus, qualiter in hoc attendendum ſit ad priuilegiorum tenorem. Barboſa *ſuprà, num.* 54. Qualiter etiam Abbas inſignia Pontificalia deferens præcedat non habentem, & an poſſit ea deferre in Eccleſia exempta, quando vſus eorum fuit ſimpliciter conceſſus, & an extra Monaſteria ſine licentia Ordinarij, conſule Pacianum *de Probationibus, lib.*1.*cap.*18. & ex eo Barboſam *ſuprà, num.*58.*&* 59. & dicta à ſimili de Baculo *ſuprà, verb. Baculus*, ac dicenda *infrà, verb. Mozzetta.*

MONACHI.

De iis plura dixi *tom.*1. *part.*2. *cap.*2. per totum, illiſque applicari poſſunt omnia fermè, quæ in quatuor iſtis tomis Summæ dicta ſunt, & dicentur, maximè quæ *ſuprà, verb. Abbas*, & *verb. Abbatia*; & idcirco nunc ſuperſedendum.

MONASTERIA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Licentiæ, quæ pro Monaſteriorum conſtructione requiſitæ ſunt.*
3 *Quæ notanda circa Decreta pro conſtructione Monaſteriorum.*
4 *An requiratur licentia Papæ pro Monaſteriorum conſtructione.*
5 *De conſenſu Religionum ad fundationem Monaſteriorum requiſito.*
6 *Quid de Hoſpitiis Religioſorum.*
7 *Quid ſi Religioſi ſine cauſa rationabili contradicant.*
8 *De Decreto non recipiendi Conuentus, niſi in eis poſſint Religioſi duodecim ſuſtentari.*
9 *Solemnitates requiſitæ an debeant obſeruari in erectione Monaſteriorum inchoatorum.*
10 *An in Monaſteriis Monialium.*
11 *Quid de excommunicatione impoſita contra tranſgreſſores.*
12 *Quid per omnimodam iuriſdictionem Epiſcoporum intelligatur.*
13 *Monaſteria virorum, & mulierum ſimul an ſint modò permiſſa.*
14 *Quis numerus Religioſorum in Monaſteriis conſtituendus.*
15 *Præceptum Sacr. Congregationis Concilij.*
16 *De Monaſteriis Recollectis.*
17 *De conſtructione, ſeu ornatu Eccleſiarum in Decreto Sacr. Congregationis Apoſtolicæ viſitationis.*
18 *De modeſtia, & humilitate à Regularibus ſeruanda in conſtructione Monaſteriorum.*
19 *Priuilegia Regularium circa conſtructionem Monaſteriorum.*
20 *Quomodo in praxi recipiantur.*
21 *Alia quorumdam Regularium priuilegia.*
22 *Monaſteria Regularium quibus priuilegiis gaudeant.*
23 *Sæculares an erigere poſſint ædificia circa Monaſteria Regularium.*
24 *Monaſteriorum inuaſores quibus pœnis puniantur.*
25 *Monaſteria gaudent immunitate Eccleſiaſtica.*
26 *An Prælati Regulares poſſint facere aliquid contra huiuſmodi immunitatem.*
27 *Priuilegia Fundatorum, ſeu Fundatricum.*
28 *De Patronis Monaſteriorum.*
29 *An ad fundationem Monaſteriorum requiratur licentia Principis ſæcularis.*
30 *Monaſteriis poteſt quilibet res ſuas donare.*
31 *Alia Monaſteriorum priuilegia.*
32 *Mutatio, ſeu tranſlatio Monaſteriorum, an, & quomodo liceat.*
33 *Decreta Summorum Pontificum an etiam intelligantur de tranſlatione Monaſteriorum.*
34 *De augmento, ſeu extenſione ipſorum.*
35 *Quid de mutatione ipſorum intra eandem Ciuitatem.*
36 *Quid de Religioſis vitam eremiticam ducentibus.*
37 *Quorumdam Regularium priuilegia.*
38 *Quomodo practicanda.*
39 *De vnione Monaſteriorum priuilegia.*
40 *Priuilegium Pij II.*
41 *Priuilegium Innocentij VIII.*
42 *Monaſteria quomodo non deſerenda.*
43 *Priuilegia quædam circa hoc.*
44 *Monaſteria derelicta in triplici differentia.*
45 *Non conuertenda in vſus prophanos.*
46 *An pro recuperatione Conuentuum ab hæreticis occupatorum requirantur conditiones à Summis Pontificibus poſitæ.*
47 *De bonis Monaſteriorum deſertorum.*
48 *An requirant Prælatorum reſidentiam.*
49 *De prohibitione ingrediendi fœminas Monaſteria Religioſorum.*

QVamuis de hac materia nonnulla dicta ſint in præcedentibus tomis, maximè *tom.*1. *part.*1.*c.*9. *num.*34. 35. *&* 36. & *tom.*1. *part.*2. *cap.*19. fermè per totum, & de clauſura pro ipſis neceſſaria *tom.*1. *part.*1. *cap.*16. 1

cap.16.num.1. & ſequentibus, & *ſuprà*, *verb. Clauſura*, alia tamen in præſenti adiungenda pro maiori explicatione, vel ampliatione materiæ, quinque præcipuè. Primum, de fundatione, ſeu conſtructione Monaſteriorum. Secundum, de ipſorum priuilegiis. Tertium, de eorumdem tranſlatione, & mutatione. Quartum, de ipſorum vnione. Quintum, de illorum dimiſſione, deſertione, ſeu deſtructione. Sumitur autem in præſenti pro eodem Monaſterium, & Conuentus, etſi Graſſius *de Caſibus reſeruatis*, *caſu 1.num.16.& 17.* ea diſtinguat in eo quod Monaſterium referatur ad loca vbi manent Monachi, Conuentus ad loca Fratrum.

2 Quoad primum ergo, conſtat ex dictis *tom.1.part.1.* loco relato *ex cap.9.* quòd licèt antiquitus licentia ad noua monaſteria ædificanda à ſolo Papa concedenda eſſet (intellige mendicantibus, iuxta dicenda inferiùs) licet ex priuilegiis Religionum multæ illarum poſſent id facere de ſola Ordinarij licentia, his tamen temporibus propter Decreta & Conſtitutiones, tum Concilij Tridentini, tum Summorum Pontificum, præſertim Clementis VIII. Gregorij XV. & Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. & Sacræ Congregationis Concilij, in erigendis, ſeu conſtituendis monaſteriis, haberi debet primò licentia Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigenda ſunt, prout præcipit Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. de Regular.cap.3.* Deinde ipſi Epiſcopi facere debent id quod præcipit Clemens VIII. in conſtitutione, quæ incipit: *Quoniam ad inſtituta*, de qua dicto *cap.9.num.35.* dixi, videlicet: *Locorum Ordinarios non poſſe licentiam ad nouos Conuentus cuiuſque Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum Ordinariæ Iuriſdictioni ſubiectis erigendos impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa, ſeruatis ſeruandis, cognita, conſtiterit, in eiſdem Ciuitatibus, & locis nouos huiuſmodi erigendos Conuentus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe.* Similiter debet obſeruari Decretum S. Congregationis ſub Greg. XV. quo cauetur ne aliqua monaſteria de nouo erigantur, *Niſi in eis ſaltem duodecim fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conuentuum, ſeu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, ſeu Inſtitutorum huiuſmodi, non ſolùm in prædictis, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumuicinis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliàs Ordinariis locorum conſtiterit Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeu Domus Regularis ſic erigendi, ſeu erigendæ abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu Domibus antea in Ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas huiuſmodi inſtituenda erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores (quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant) huiuſmodi duodecim Religioſos in Conuentibus, vt præmittitur, inſtituendos, commodè alere, & manutenere valeant.* Demum pro obſeruantia prædicti Decreti Gregor. XV. præſertim quoad prædictum numerum duodecim fratrum, *in decretis de Celebratione miſſarum*, à S. Congreg. Concil. editis, ſic præcipitur: *Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita in ſingulis eiuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum decreti fel. rec. Gregor. XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſthàc recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſuprà, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.* Hæc autem omnia innouantur à SS. D. N. Vrbano in conſtitutione *Romanus Pontifex*, de qua infrà, præcipiturque omnibus Regularibus ipſorum obſeruantia, non obſtantibus quibuſcunque licentiis, ſeu facultatibus illis à Prædeceſſoribus Pontificibus conceſſis.

Circa quæ animaduertendum primò, meritò Concilium, Summos Pontifices, & Sacram Congregationem pro fundatione, ſeu erectione nouorum Monaſteriorum, conſenſum Epiſcopi, ſeu Ordinarij poſtulaſſe, quia ille requiſitus eſt ex iure communi, *can. quidam, & ſeq. 18.quæſt.2.* Campanile *in Diuerſ.Iur.Canon.rubr.12. cap.13.num.80. & 81.* Miranda *in Manuali, tom.1. quæſt.33. art.1. quæſt.3.* Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum, diſp.33. quæſit.1. num.2.* Imò omnia Monaſteria Epiſcopo eſſent ſubiecta de iure communi, ſi non obſtarent priuilegia Religioſorum, *cap. qui verè 16.quæſt.1. cap. cùm dilectus, de Relig. domibus*, & aliis iuribus, Tamburin. *ſup. num.1.* ex Nauarro, & Rodrig. Declaratum etiam eſt à S. Congregat. licentiam ad conſtructionem Monaſteriorum dari non poſſe à Vicario Capitulari Sede vacante. Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Monaſteria 1.* Nouarius *in Lucerna Regularium, verb. Monaſteria, num. 2.* Similiter declaratum eſt ab eadem S. Congregatione, nec Vicarium generalem Epiſcopi poſſe concedere hanc licentiam, niſi ad id faciendum habeat ſpeciale mandatum. Sellius *in Selectis Canonicis, cap.90.* Nouarius *ſuprà*. 3

Secundò, maximè notandum, quod cum in *cap. vnic. de exceſſib. Prælat. in 6.* confirmato in Clem. *cupientes, de pœnis, & cap. vnico, de Religioſ. domib. in 6.* habeatur Religioſos Mendicantes non poſſe accipere noua loca ſine Summi Pontificis auctoritate (quam Diſpoſitionem non deſtruit Concil. Trident. ſed vltra illam induxit ne acciperentur talia noua loca ſine conſenſu Ordinarij) ideo plures Doctores tenent, poſt Concil. Trident. præter prædictam Ordinarij licentiam, requiri etiam ad hoc quod Religioſi noua Monaſteria recipiant Sedis Apoſtolicæ facultatem. Campanile *ſupra, num.80.* Barboſ. *de Iure Eccleſ. lib.2. cap.12. num.11.* Tambur. *ſuprà, d. quæſit.1. num.6. & tom.3. de iure Abbat. diſp 5. quæſit.2. num.3.* Iſti tamen Doctores animaduertiſſe non videntur, primò in cap. illo *vnic. de Religioſ. domib.* ſolùm id prohiberi non quatuor Mendicantibus de iure, ſcilicet Prædicatoribus, Minoribus, Eremitis S. Auguſtini, & Carmelitis, cum iſti expreſsè à dicta prohibitione excludantur eo capite, ſed quibuſdam aliis Mendicantibus poſt Concil. Lateranenſe inſtitutis, quos Gregor. X. qui eſt Auctor illius capitis cum Concilio Lugdunenſi, extingui iubet. Prout rectè notant Thomas de Ieſu *ſuper Regul. Carmelitar. part.3. cap.2. gloſſ.2. §. extendenda tamen*, & Suarez *5. tom. in 3. part. diſp.23. ſect.4. n.19. & ſect.5. num.33.* Deinde, quod licet *in d. cap. vnic. de exceſſibus Prælatorum*, habeatur talis prohibitio, eam tamen non eſſe pro omnibus Religioſis, ſed ſolùm pro Mendicantibus. Vt rectè etiam notant Nauarrus *in Man. cap.27. num.144.* & Suarez *d. num.33.* Solùm ergo Mendicantes, & non alij Religioſi quicumque prohibentur noua loca recipere ſine Papæ licentia. Sed adhuc de Mendicantibus loquendo, probabiliſſimum eſt, quod ſtando in terminis Concil. Trident. non requiratur talis licentia Papæ pro illis, qui ex priuilegio Summor. Pontificum ante dictum Concilium habuerunt facultatem fundandi Monaſteria ſine prædicta Papæ licentia. Quales ſunt Carmelitæ ex Sixto IV. & Minimi ex Iulio II. prout refert Caſſarubius in *Compend. priuil. Mendicantium, verb. Ædificare, num.18. & 20.* Ratio eſt, quia Concilium non derogat talibus priuilegiis,

Digitized by Google

legis, ſed ſolùm præcipit quod non erigantur talia Monaſteria ſine Epiſcopi diœceſani licentia. Et ita ſupponunt Nauarrus *ſuprà*, & Suarez *dicto num.* 33. & tenent Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regul. quæſt.* 49. *art.* 3. Thomas de Ieſu *ſuprà*, §. *pro cuius*, & Sorbus *in annotationibus ad Compendium priuilegiorum Mendicantium, circa* §. 30. Nec obſtat declaratio quædam Sacræ Congregationis, quam referunt Thomas de Ieſu *ſuprà*, Zerola *in praxi Epiſcoporum, part.* 1. *verb. Monachi*, §. 1. *&* 2. Campanile *ſuprà, num.* 80. & Barboſa *in Declarationibus, & remiſſ. ad cap.* 3. *vigeſimaquinta ſeſſionis Concilij*, per hæc verba: *Monachi non poſſunt ædificare Monaſteria in Parochia, in qua ea non habent ſine cognitione, & licentia Papæ.* Nam præterquam quod de hac declaratione authenticè non conſtat, & ea videtur ſolùm fuiſſe non pro Mendicantibus, ſed ſolum pro Monachis, & pro aliqua cauſa particulari, prout patet ex verbis ipſius, vlterius dici poteſt cum Thoma de Ieſu *ſup.* §. *Quæris tamen*, eam ſolùm intelligi attento communi iure, ſeclusis priuilegiis. Quia etiam Iura allata non loquuntur de Monachis, ſed Mendicantibus, ideo probabilius furſan dici poteſt Sacr. Congregationem quoad præſens nouum ius pro Monachis condidiſſe. Dixi autem *ſtando in terminis Concilij Trident.* quia ſtando in terminis conſtitutionis Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, quam retuli *dicto cap.* 9. *num.* 34. & quæ habetur *in* 4. *tom. Bullar.* inter Conſtitutiones eiuſdem Vrbani *num.* 25. oppoſitum videtur dicendum reſpectu omnium, & quorumcunque Regularium. In ea enim non ſolùm reuocat omnes, & quaſcumque licentias, & facultates Religionibus quibuſcunque conceſſas ad erigendum noua Monaſteria abſque conditionibus requiſitis ex Concilij, & Summorum Pontificum prædeceſſorum Decretis, ſed etiam hæc addit. *Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inſtitutorum Regularium Superioribus quocunque nomine nuncupatis, cæteriſque perſonis, ad quos ſpectat in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeu facultatum per Nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, ſiue alio quouis prætextu, vel cauſa etiam quantumuis priuilegiata, noua Monaſteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca Regularia huiuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſeruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilij Trident. necnon Conſtitutionibus fel. rec. Clem. VIII. quæ incipit* Quoniam ad inſtitutam, *ſub dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris* 23. *Iulij* 1603. *ac Decretorum de mandato eiuſdem Clementis, necnon ſim. mem. Gregorij XV. Pontif. prædeceſſorum deſuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, ſeu alias quomodolibet inſtituere, ſeu incepta finire, & abſoluere audeant, ſeu præſumant.* Quibus verbis ſi expendantur illa, *ſeruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, &c. forma, &c.* manifeſtè colligi videtur Pontificem velle in fundatione talium Monaſteriorum habendam eſſe Papæ licentiam. Per illa enim verba *Sacrorum Canonum, &c.* vt notauit Collector Conſtitutionum eiuſdem Vrbani *in principio dictæ Conſtitutionis*, denotatur *cap.* 1. *de excessibus Prælat. in* 6. &c. in quo, etſi non reſpectu aliarum Religionum, ſaltem reſpectu Mendicantium expreſsè habetur, vt dictum eſt, requiri talem Papæ licentiam ad noua loca Regularia erigenda. Addit idem Collector, cum multis aliis idem etiam haberi *in cap. vnic. de Religioſ. domibus, in* 6. Sed vt dixi, ibi ſolùm eſt ſermo de quibuſdam Religioſis Mendicantibus inſtitutis poſt Concilium Lateranenſe, quos idem Gregorius ibi extingui iubet, non de Prædicatoribus, Minoribus, Auguſtinianis, & Carmelitis, quos ibi expreſsè excludit. Verum quidem eſt probabiliter ſuſtineri poſſe oppoſitum reſpectu Religionum habentium priuilegia ante Concilium fundandi Monaſteria ſine prædicta Papæ licentia, quia Pontifex Vrbanus ſolùm videtur loqui in ea conſtitutione de illis Religioſis, qui facultates, ſeu licentias ad fundanda Monaſteria, non ſeruata debita forma obtinuerunt poſt Concilium Trident. & Clementem VIII. quales ſunt noſtri Patres diſcalceati ex Paulo V. Monachi Congregationis B. Mariæ Fulienſis ex eodem Paulo V. & Superiores Congregationis Clericorum Regular. Sancti Pauli decollati ex eodem etiam Paulo V. quos refert Barboſa *ſuprà, num.* 12. 13. *&* 14. Non de illis, qui ante Concilium priuilegia, & indulta ad id obtinuerunt, quales ſunt Carmelitæ, & Minimi ſuperiùs relati, ſicque video practicari apud multos. In eo tamen aliorum iudicio me remitto. Illud certius, quod loquendo de Monaſteriis Monialium, illa abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto erigi minimè valent, nec in eis erectis abſque Ordinarij licentia celebrari poteſt, prout determinauit Sacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatio in anno 1615. de menſe Aprilis, in vna Vicentina. Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Monaſteria Monialium* 2. Nouarius *ſuprà*.

Præſertim tertiò circa conditionem illam à Clemente VIII. aſſignatam de non fundandis Monaſteriis, niſi *Vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, &c.* notandum, conſtitutionem hanc locum etiam habere circa erigenda Monaſteria non ſolum virorum, ſed etiam Monialium, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij decimanona Decembris 1620. vt referunt Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 7. & Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.* 33. *quæſito* 1. *num.* 4. Vnde inferunt ipſi poſt Rodriguez, & Sellium, non licere Ordinariis licentiam dare ædificandi dicta Monaſteria, niſi vocatis prius, & auditis Prælatis Conuentualibus locorum vbi ædificanda ſunt, & aliis intereſſe habentibus. Non tamen videntur comprehendi dicta Monaſteria Monialium, in eo quod addit Sacr. Congregatio ſub Gregorio XV. ſcilicet, quod non erigantur de nouo Monaſteria, niſi in eis ſaltem duodecim Religioſi inhabitare, & ſuſtentari valeant; quod etiam vocentur, & audiantur Priores, ſeu Procuratores aliorum locorum per quatuor millia paſſuum circumuicinorum, quia ibi ſolùm videtur ſermonem eſſe de Monaſteriis virorum, vt patet ex illis verbis, *Fratres, Monachi, Religioſi, &c.* Declaratio autem illa Sacræ Congregationis adducta anterior eſt ad Decretum prædictum ſub Gregorio XV. 5

Similiter quartò notandum, quod licèt in prædictis Conſtitutionibus, præſertim in ea, quæ edita eſt à Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, generaliter videatur eſſe ſermo de omnibus, & quibuſcumque domibus & habitationibus Religioſorum, vt patet ex illis verbis, *noua Monaſteria, Collegia, Domus, Conuentus, & alia loca Regularia huiuſmodi, &c.* nihilominus Hoſpitia Religioſorum non videntur illis comprehendi, prout ex Riccio *in Praxi, deciſ.* 652. & Bariola *verb. Regulares, pag.* 264. tenent Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. Minim. in Conſtitutione* 3. *aliàs* 13. *Vrbani VIII.* Bordonus *in Reſolutionibus, reſolutione* 41. *num.* 6. Quibus longè Tamburinum *de Iure Abbat. tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſit.* 1. *num.* 10. Quod intellige, quando Religioſi in illo Hoſpitio exiſtentes campanas non pulſarent, eleemoſynas non quæritarent, Miſſas non reciperent, aut Eccleſiam, in qua publicè celebraretur, non haberent. Ex talibus enim Hoſpitiis nullum præiudicium, aut detrimentum Religioſis aliis infertur, ac per conſequens ceſſat finis propter quem prædictæ Conſtitutiones, ſeu Decreta edita fuerunt. Vnde etiam probabiliter infert idem Peyrinis *in Formulario littera Z, cap.* 3. *in appendice* 5. 6

*num.*4. quod quando aliqua Religio vellet intrare in aliquem locum, Vrbem ſcilicet, aut Oppidum, cum obligatione non quærendi eleemoſynas (adde etiam nec faciendi aliquid ex quo aliquod detrimentum alijs Religioſis obueniret) non eſſet neceſſarium citare alias Religiones intereſſe habentes, nam ceſſaret finis dictarum Conſtitutionum, *cap. cum ceſſante, de Appellat.* [Vnde video declaraſſe Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 31. Ianuarij 1642. poſſe Fratres Reformatos S. Bernardi fundare Monaſterium ſine conſenſu aliorum Regularium eiuſdem loci, dummodo haberet redditus ſufficientes pro ſuſtentatione duodecim Religioſorum ſine quæſtuatione.]

7 Præterea quintò circa illa verba Decreti Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV. *Vel alias Ordinarius locorum conſtiterit Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeu Domus regularis ſic erigendi, ſeu erigenda abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu domibus antea in Ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe:* nota, colligi debere ex ipſis, quod ſi prædicti Priores, ſeu Procuratores Monaſteriorum aliorum erectioni noui Monaſterij alterius religionis gratis vel (quod abſit) ex mala voluntate contradixerint, poſſit nihilominus Ordinarius concedere licentiam conſtruendi tale Monaſterium. Nec hoc arbitramentum ſublatum eſt per Conſtitutionem Vrbani, prout Peyrinis *ſuprà*, loco relato *ex* 3. *tom. priuileg. Minim.* autumat, eo quòd Vrbanus in ea Conſtitutione confirmet aliam Clementis, in qua non erat tale arbitramentum. Nam etiam confirmat aliam poſteriorem Gregorij XV. in qua eſt. Vnde potius debet dicere contrarium Peyrinis.

8 Sextò nota, Decretum illud Sacræ Congregationis Concilij, de quo *ſuprà*, *num.*2. & quod eſt vnum ex Decretis *de Celebratione Miſſarum*, ſcilicet de non recipiendis Conuentibus, niſi in eis duodecim Fratres degere valeant, aliàs Ordinarij viſitationi, & iuriſdictioni ſubderentur, comprehendere etiam eas Religiones, quæ onera Miſſarum non recipiunt, vt ſunt Religiones Capuccinorum, & Societatis Ieſu, & habere etiam locum extra Italiam. Ita enim reſpondit eadem Sacra Congregatio *ad* 17. & 18. *dubium*, circa ea Decreta *de Celebratione Miſſarum*. Nouarius *ſupra*, *num.*11. 12. & 13.

9 Nota ſeptimò, ſolemnitates requiſitas à Summis Pontificibus, & Sacra Congregatione in prædictis Conſtitutionibus, & Decretis, obſeruari etiam debere in erectione quoque Monaſteriorum, quæ incepta fuerunt ædificari tempore Conſtitutionis Sanctiſſimi D. N. Vrbani, vt patet ex verbis illis relatis *ſuprà*, *num.*4. *ſeu incepta finire, abſoluere*. Et ita practicatum eſt ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, in caſu fundationis cuiuſdam Monaſterij RR. PP. Diſcalceatorum noſtri Ordinis, contradicentibus PP. Dominicanis, & Auguſtinianis, apud Peyrinis *in Formulario, littera Z, cap.*3. Vbi etiam notat, quod receptionis Conuentus ſignum eſt plantatio Crucis. Vnde qui plantaret Crucem in aliquo loco, aut Miſſam, & Officia celebraret, non ſeruatis dictis conditionibus, in pœnas in eiſdem Conſtitutionibus, & Decretis deſignatas incideret. Quid verò dicendum de Religioſis relinquentibus aliquod Monaſterium, & poſt aliquod tempus illud reſumere volentibus, an ſcilicet teneantur obſeruare dictas conditiones, conſtabit ex dicendis *infrà*.

10 Nota octauò, quod circa Monaſteriorum Monialium erectionem habetur hæc declaratio Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in facti contingentia. *Monaſteria Monialium non erigantur niſi Ordinariis locorum conſentientibus, & niſi in iis dumtaxat locis, quæ muro cincta ſunt, & in quibus adeſt Presbyterorum ſæcularium, vel Regularium copia ad audiendas earum Confeſſiones, niſi in facultatibus habeant Moniales vt Confeſſarium aliunde aſcitum ſuſtentare valerent.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico*, loco relato *num.* 10. & *in Collectan. Bullary, verb. Monaſteria Monialium* 1. Nouarius *ſupra*, *num.*6. Alia circa Monialium Monaſteria ex declarationibus eiuſdem Sacræ Congregationis, & Gauanto *in Manuali Epiſcopor.* retuli *tom.*1. *part.*1. *cap.*25. *à* 43. Quia etiam Concilium Trident. *ſeſſ.*25. *cap.*5. Monaſteria Monialium extra Vrbis mœnia, vel Oppidi conſtituta ad noua, vel antiqua Monaſteria intra Vrbes, vel Oppida frequentia iubet reduci, ideo conſequenter præcipere videtur ne extra mœnia, aut extra Vrbes, & Oppida ædificari poſſint, eſto prius ex Gregorio Papa *in cap. luminoſo* 18. *quæſt.*2. in ſolitudinibus condi permitterentur. Vgolinus *de poteſtate Epiſcop. c.*21. *in principio.* Hieronymus Venero *in Examine, Epiſcop. lib.*6. *cap.*21. *num.*13. Tambur. *ſup. quæſit.*2.

11 Nota nonò, excommunicationem illam à Sanctiſſ. D.N. Vrbano in prædicta Conſtitutione poſitam contra Regulares noua loca erigentes non ſeruatis Decretis Concilij, Clementis, & Gregorij, reſeruatam non eſſe, ac per conſequens, iuxta ſæpius dicta, poſſe quemlibet Prælatum Regularem ſuos ſubditos, & quemlibet Confeſſarium approbatum ſuos pœnitentes ab ea abſoluere. Quis autem poſſit diſpenſare in pœnis illis, quas ibi ponit, priuationis officiorum, inhabilitatis, &c. conſule dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*10. *n.*35. & *cap.*18. *à num.*46.

12 Quid verò importetur per verba illa Decreti Sacræ Congregationis inter Decreta *de Celebratione Miſſarum*, vbi de Conuentibus, ſeu Monaſteriis in futurum erigendis, in quibus duodecim ſaltem Fratres competenter ſuſtentari non valeant, dicitur: *Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur*, conſtat ex dictis *ſuprà*, *verb. Epiſcopus quoad Regulares*, *num.*6. & 16.

13 His poſitis circa explicationem dictarum conſtitutionum, & Decretorum, vlterius circa præſentem materiam animaduertendum, quod etſi olim ad imitationem Eſſenorum, qui iuxta Philonem *in lib. de vita contemplatiua*, ſimul viri cum fœminis conuiuebant, vel ſaltem ſimul Deo laudes, & cantica canebant, ſimul Monachi, & Moniales conuiuerent, aut ad Eccleſiam, & chorum pro pſallendis diuinis laudibus ſimul conuenirent; nihilominus hoc iam eſt prohibitum multis iuribus, ſpecialiter *can. diffinimus, cum ſeqq.*18. *quæſt.*2. & in Concilio Romano ſub Innocentio Papa *cap.*27. & *cap. pernicioſam* 25. *quæſt.*2. & in Nicæna Synodo 2. *cap.*20. & aliis. Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Monaſteria*, *num.*1. 2. 3. & 4. Barboſa *ſuprà*, loco relato *de Iure Eccleſiaſtico*, *num.*20. Tamburin. *ſupra*, *quæſit.*3. Nota tamen, quod talia Monaſteria mixta ex viris, & fœminis non ſolùm antiquitus erant in vſu, ſed etiam his temporibus, præſertim in Diœceſibus Leodienſi, & Hannacenſi, aliiſque partibus Germaniæ, vt colligitur ex Cocbiero *de Iuriſdictione Ordinarij in exemptos*, *quæſt.*3.

14 Ex Decreto etiam Concilij Trident. *ſeſſ.*25. *cap.*3. confirmato à Clemente VIII. & à Sacra Congregatione Concilij ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, & à Paulo V. in Bulla *Sanctiſſimus*, anno 1605. edita, & conformiter ad Decreta antiqua *in cap. vnico*, §. *ſanè*, *de ſtatu Regularium*, *in* 6. & Conſtitutionem Pij V. quæ incipit *Circa Paſtoralis*, & Concilia Arelatenſe, & Moguntinum, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*10. ſic habetur: *In prædictis autem Monaſteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.* Quod Decretum obligare ad culpam mortalem,

Digitized by Google

mortalem, vtpote de re grauiſſima, tenent Sanchez *lib.7. in Decal. cap.23. num.3.* Thomas de Ieſu *in cap. non dicatis, part.4. cap.6.* & Peyrinia *tom.1. de Subdita, quæſt.2. cap.2. §.2.* Qui tamen cum eodem Sanchez ait, poſſe excuſari Prælatos Regularium plures Religioſos contra prædictum Decretum in Conuentibus conſtituentes, ſi iuſta cauſa ducti id faciant, ſcilicet ne Monaſteria numero Religioſorum ſufficienti deſtituantur, ita vt miniſteriis ex ſuo Inſtituto debitis ſatisfacere non poſſint. Quomodo autem id intelligendum quantum ad Monaſteria Monialium, dixi eodem *tom.1. part.1. cap.25.* ex variis Sacræ Congregationis declarationibus: & dicam *infrà, verb. Moniales.* Illud notandum, quod cum à S.Congregat. quæſitum fuiſſet, *an Nouitij ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus, habita, vt ſupra, præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?* Eadem Sacr. Congregatio, prout patet ex declarationibus ipſius circa Decreta *de Celebratione Miſſarum*, reſpondit, *eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi alias habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.* Item etiam addendum, quod quamuis Iure antiquo dicti *cap. vnici, §.fine*, profeſſio Monialium receptarum in Monaſteriis non Mendicantium vltra numerum earum, quæ ex redditibus Monaſteriorum, & conſuetis eleemoſynis abſque penuria ſuſtentari valerent, eſſet irrita, vt ex Gloſſa, Dominico, Franco, Syluestro, Azorio, & aliis probat Sanchez *num.2.* at hodie id Decretum quoad hoc locum non habet, quia conſuetudine abrogatum eſt, cum compertum ſit plures ſæpe admitti, nec vnquam noſtris temporibus, propterea auditum ſit in controuerſiam verti valorem profeſſionis, aut illam irritari. Sanchez *ſuprà, num.4.* Barboſa *de offic. & poteſtate Epiſc. allegat.98. num.9.*

15 Pro huius etiam Decreti obſeruantia à Sacr. Congregatione Concilij in Decretis *de celebratione Miſſarum* ſæpius relatis, ſic habetur: *Inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij Decretis hac de re editis, Sanctiſſimi Domini Noſtri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Propoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac Domorum Regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium, vt ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tam communes Monaſteriorum, Conuentuum, & domorum eiuſdem Prouinciæ, quam etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas in communem vſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliaue cuiuſlibet generis onera conſueuerunt abſorbere, eaque omnia ſcripta fideliter exarata idem Superior, cuius intereſt, in proxima Capitulo, ſeu Congregatione Generali, vel Prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra detractis, ſedulo examinent quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſeruientibus, in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & domo Regulari, iuxta regionis, & proprij Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, redditnum, eleemoſynarum, & onerum præciſum notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, vt in illo, diligenter omnibus diſcuſſis, cuiuſque familiæ Monaſterij, Conuentus, ac domus Regularis in ſingula quaque Prouincia certus earum tantum perſonarum numerus Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ de redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius, ſufficienter ali poſſint. Ne vero Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sacra Congregatio, vt infra annum poſt primam Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta in authenticam formam redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant, numerumque familiæ ſingulorum Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi Regularium Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Prouinciales omnes, quam locales perpetuò ſeruare omninò teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſuprafcriptum, quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ Religionis Officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis, Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.* Cohæret hoc Decretum cum alio fermè ſimili à Paulo V. in Bulla ſuperius relata, & quæ habetur in 3.tom. Bullarij, inter Conſtitutiones Pauli *num. 9.* alias 7. editum. Quod etiam referunt Quaranta *in Compendio Bullarij, verb. Monaſteria, & Conuentus*, Caſtellinus *de Electione, in additionibus, pag 502.* ac Barboſa *ſup. num.5.* Neſcio tamen an prædictum Decretum, prout par erat, ab omnibus Religioſis etiam in Italia, & Inſulis adiacentibus, pro quibus editum eſt, executioni mandetur.

Pro reformatione etiam Sacrarum Religionum, ſeu Monaſteriorum tuenda optimè deſeruiunt, quæ Pius V. in Bulla *Iniunctam nobis*, in Bullario Rodriguez *tom.2. in Pio V. Bulla* 29. decreuit, quæ etſi ſolùm pro Ordine Minorum ſtatuta ſint, aliarum tamen Religionum reformationi valdè vtilia erunt. *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò decernimus, atque ſtatuimus, quod in qualibet Prouincia dicti Ordinis duo ad minus domus, & loca Recollecta eſſe debeant. Et præfata Monaſteria Recollecta nullatenus ab huiuſmodi recollectione ſeparari poſſint, & fratres in illis degentes (etiamſi velint) niſi de miniſtri Generalis ipſius Ordinis, vel Prouincialis, & Diſcretorum Conuentuum dictorum locorum Recollectarum pro tempore exiſtentium conſilio, ad alia loca non Recollecta transferri nequeant, niſi eiſdem ſuperioribus, vt aliter fiat, viſum fuerit expedire.* Inferius autem pro prædicti priuilegij executione Epiſcopum Conchenſem, & Auditorem Cameræ, ac Officialem Toletanum Commiſſarios conſtituit. Agunt de hoc priuilegio ipſe Rodriguez *tom.2. quæſt. Regul. quæſt.49. art. vltimo*, & Portellus *in dubiis Regul. verb. Monaſterium, in addit. num.4.* 16

Circa conſtructionem, ſeu ornatum monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum exiit Romæ noua Diſpoſitio ex mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani anno 1625. trigeſima die menſis Iulij à Sacra Congregatione Apoſtolicæ Viſitationis, quam refert Naldus *in Summa, verb. Monaſteria*, huius tenoris. *De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Diuina prouidentia Papæ VIII. viuæ vocis oraculo ei facto, præcipit omnibus, & ſingulis Superioribus Regularium Mendicantium, & non Mendicantium quocumque nomine nuncupatis, cuiuſuis gradus, conditionis, dignitatis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, Societatis, Monaſterij, ſeu Religioſæ domus, Hoſpitalium, vel locorum piorum exiſtant,* 17

tum virorum, quam mulierum, etiamſi ſpeciali denominatione egerent, nec alicui eorum liceat quoduis ædificium de nouo conſtruere in eorum Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu Domibus, nec Sacella, aut noua Altaria erigere, neque vllam inſolitam imaginem, quæ deuotionem, ac pietatem non præſeferat, in eiſdem Eccleſiis, Sacellis, ſeu Altaribus ponere, niſi iuxta præſcriptum Sacri Concilij Tridentini, ac exhibito prius eidem Congregationi exemplari, ſeu, vt vulgò dicitur, il modello, *cum dimenſionibus ipſius fabricæ conſtruendæ, præuia etiam, ſi opus fuerit, loci viſione. Item nec feneſtras in viam publicam proſpicientes efficere poſſint, niſi ad lumen tantum, nullo autem modo ad proſpectum. Quæ omnia, & ſingula ſub pœnis priuationis Officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ eo ipſo incurrendis, aliiſque eiuſdem Congregationis arbitrio, inuiolabiliter obſeruari mandat, quibuſcumque contrariis non obſtantibus.*

18 De modeſtia autem, & humilitate ſeruanda à Regularibus in ædificiis Monaſteriorum, non pauca ex Sanctis Patribus, & Doctoribus dixi *in lib. de Reformatione Regularium*, præſertim *cap.* 16. *&* 17. de quo etiam Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito, quæſt.* 2. *cap.* 2. §. 2. vbi etiam non immeritò inuehitur contra illos, qui nimia auiditate noua monaſteria adquirere, aut ſibi ædificari procurant. De qualitate etiam, ſitu, & aliis circunſtantiis locorum pro Monaſteriis extruendis accipiendorum, maximè pro Carmelitis, qui ex vi ſuæ Regulæ tenentur curare quod ea ſint ad Religionis *obſeruantiam apta, & commoda*, agit Thomas de Ieſu *ſuprà, à §. circa ſecundum vero.*

19 Maximè etiam animaduertendum, plura priuilegia conceſſa eſſe Regularibus circa Monaſteriorum erectionem. Primò enim Clemens IV. prohibuit omnibus mendicantibus, ac quibuſcumque aliis Ordinibus in paupertate fundatis, ne poſſent ædificare monaſteria, infra ſpatium 300. cannarum ab Eccleſiis fratrum Minorum, menſurandarum per aërem etiam, vbi aliàs rectè menſurari loci diſpoſitio non permitteret. Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Ædificare, num.* 1. Portellus *in Dub. Regul. verb. monaſterium, num.* 1. Idem Clemens conſimile priuilegium conceſſit Fratribus Ordinis Prædicatorum. Caſſarubius *ſuprà, numero* 5. Ioannes de la Cruz *de priuileg. Regul. lib.* 2. *cap.* 9. *concluſ.* 3. Licet poſtea Iulius II. declarauerit hoc non debere nocere Fratribus Minoribus, ac proinde prædictum priuilegium 300. Cannarum de nuuo illis conceſſit. Caſſarubius *ſupra, num.* 9. Ioannes de la Cruz *ſuprà*. Campanile *ſuprà, num.* 81. Inſuper idem Clemens IV. conceſſit Carmelitis noſtris, ne aliqui Religioſi Ordinis Mendicantium Eccleſias, ſeu quæuis loca ædificare, ſeu conſtruere, aut per alios conſtructa, ſeu ædificata recipere, aut inhabitare, iuxta loca prædicti Ordinis infra ſpatium centum quadraginta cannarum menſurandarum etiam per aëra (vbi aliàs rectè non permitteret loci diſpoſitio menſurari) quoquo modo præſumerent, decernens quidquid ſecus actum fuiſſet irritum, & inane. Caſſarubius *ſuprà, num.* 16. & conſtat ex mari Magno Carmelitarum *Bulla* 32. Quod priuilegium confirmauit, & approbauit Sixtus IV. in eodem mari magno *num.* 23. prohibitionem illam extendens non ſolùm ad Mendicantes, prout Clemens fecerat, ſed etiam ad quoſcumque alios Religioſos, & Eccleſiaſticas perſonas. Caſſarubius *ſup. num.* 19. Item ex conceſſione Vrbani IV. apud Compendium Ciſtercienſ. *verb. Ædificare, §. final.* nulla ædificia conſtrui poſſunt intra vnum milliare ab Abbatiis, & locis Ordinis Ciſtercienſis, ſub excommunicationis pœna. Barboſa *ſupra, num.* 75. Ex priuilegio etiam Innocentij IV. pro Carthuſienſibus ſtatutum eſt, ne infra dimidiam leucam à terminis poſſeſſionis ipſorum, alicui Religioſo liceret quodlibet ædificium conſtituere, vel poſſeſſiones acquirere. Caſſar. *ſuprà, num.* 20. Item Minimi ex priuilegio Iulij II. apud Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minimorum, in Conſtit.* 7. *Iulij II.* habuerunt facultatem fundandi Monaſteria etiam non diſtantia ab aliis aliorum Ordinum per centum, & quadraginta cannas. Ieſuitæ etiam ex priuilegio Gregorij XIII. habent facultatem erigendi domos etiam intra centum quadraginta cannas à Conuentibus aliarum Religionum. Sorbus *in annotationibus ad Compend. priuileg. Mendicantium, verb. ædificare, §. confirmata eſt.* Portellus *ſup. num.* 3. Barboſa *ſup. num.* 77. Agunt etiam de huiuſmodi priuilegiis Confettius *in Collectan. Litterar. Apoſtolicar.* præſertim *in Clement. IV. & Iulio II.* maximè verò *in Summ. mater. priuileg. Mendicantium, tit.* 18. *cap.* 1. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.* 49. *art.* 5. Miranda *in manuali, tom.* 1. *quæſt.* 33. *art.* 4. & Hieronymus Rodriguez *in Compend. quæſt. Regul. Reſol.* 55.

Circa quæ animaduertendum, quod quamuis prædicta priuilegia videantur inutilia his temporibus, ſiquidem propter Decreta adducta, præſertim Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV. nulla Monaſteria de nouo erigi poſſunt, niſi ex conſenſu Priorum, ſeu Procuratorum aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ciuitatis, vel Oppidi, vbi erigi debent, & etiam aliorum per quatuor millia paſſuum circumuicinorum locorum, quod eſt maius ſpatium, quam illud, quod conceditur per dicta priuilegia; nihilominus quia vtilia eſſe poterunt non ſolùm ſi præfata Decreta abrogatione, diſpenſatione, vel alio quocumque modo deſinant obligare; ſed etiam in caſu arbitramenti faciendi ab Epiſcopo, iuxta Decretum Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV. & dicta *ſuprà, num.* 7. ideo notandum. Primò, nomine cannarum intelligi menſuram octo palmarum in longitudine, quæ eſt menſura ordinaria in Italia, ſicut eſt quatuor palmorum menſura Hiſpanica. Miranda *ſuprà, concluſ.* 1. Barboſa *ſuprà, num.* 75. Notandum ſecundò, quod quamuis, vt teſtantur Sorbus *in Annotationibus ad Compendium priuilegiorum Mendicantium, verb. ædificare, §.* 1. & Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Conſtit.* 7. *Iulij II. §.* 1. *n.* 1. talia priuilegia non ſint in vſu Neapoli, & in aliis Ciuitatibus magnis, cum multa Regularium Monaſteria viciniſſimè reperiantur ædificata, idque aſſerat Sorbus ſæpius deciſum à Sede Apoſtolica. Nihilominus, vt experientia Romæ didici, quando Regulares reclamant prædicta priuilegia oſtendentes, de ea re audiuntur. [Vnde cum Neapoli vellent Preſbyteri ſæculares S. Caroli Borromæi transferre ſuam Eccleſiam prope Eccleſiam Dominicanorum, Minorum, & Theatinorum, prohibiti ſunt id facere à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium 16. Februar. 1643. intra ſpatium 140. cannarum.] Tertiò nota, in his etiam priuilegiis reperiri communicationem priuilegiorum, quam habent Religiones, præſertim Mendicantes inter ſeipſas, vt ſupponit Campanile *ſupra, num.* 81. Imò etiam, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 57. ex Cordub. & Portel. ibidem relatis, ſi aliqua Religio ex Mendicantibus velit fundare Monaſterium circa Monaſterium alterius Religionis ex eiſdem mendicantibus, poteſt hæc Religio defendere ſe contra illam priuilegio conceſſo à Summis Pontificibus de non fundando Monaſterio alterius Ordinis iuxta Monaſterium ipſius intra ſpatium tot cannarum, etiamſi caſus eſſet quod illud priuilegium primò eſſet conceſſum illi alteri Religioni, & ſibi ſolùm per communicationem.

Ratio eſt, quia per communicationem fiunt priuilegia propria Religionis, cui communicantur, & tam independentia ab alia, ac ſi ipſi eſſent ſpecialiter conceſſa. Et ita notant Confettius *ſuprà, d. tit.* 18. *num.* 1. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 49. *art.* 5. propterea animaduertentes priuilegium illud Iulij II. de 300. cannis communicari omnibus Mendicantibus.

In

Digitized by Google

In praxi tamen illorum hoc obſeruatur, vt iuxta Regulam illam, *Qui prior eſt tempore eſt prior in Iure*, prælatio detur Monaſterio prius erecto, ita vt quod de nouo conſtruendum eſt, ſemper diſtare debeat ab antiquiori, prout notant Conſertus, & Campanile *ſuprà*. Pro quo vide dicenda infrà *verb. Priuilegia Regularium, num.* 24. Illud tamen priuilegium Gregor. XIII. pro Patribus Ieſuitis, quod retuli ſuprà *num.* 19. dicitur ſingulariter eſſe ipſis conceſſum, ita vt aliis communicari non poſſit, prout notant Portellus, & Barboſa eo loco relati. Quod tamen mihi non conſtat, nec quo fundamento id dicatur, cum potius videam in Bulla *Saluatoris*, quæ eſt eiuſdem Gregorij XIII. in 2. tom. Bullarij inter Conſtitutiones ipſius *num.* 39. prædictum priuilegium, quod à Pio IV. erat ipſis conceſſum, ab eodem Gregorio confirmari ſine dicta reſtrictione, quod alijs Religioſis communicari non poſſit. Quod idem dico de illo priuilegio Iulij II. pro Minimis relato. Vide aliud priuilegium SS. Dom. Noſt. Vrbani pro Monachis de Monſerrato, quod refert Tamburin. *de Iure Abbat. tom* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 3.

21 Demum notandum particulare priuilegium conceſſum Eremitis S. Auguſtini à Iulio II. in Conſtitutione *Etſi*, apud Peyrinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in conſtit.* 11. huius Pontificis, per quod illis concedit facultatem ad recipiendum noua loca, & Eccleſias, etiam Parochiales, ac cuiuſcumque Ordinis abſque Sedis Apoſtolicæ licentia. Quod eſt magnum priuilegium. Nec video illud reuocatum, ſeruatis ſeruandis ex Decretis ſuperiùs adductis Concilij Tridentini, Clementis VIII. Gregorij XV. & Sanctiſſimi D. N. Vrbani. Nota quoque idem priuilegium quoad receptionem Eccleſiarum Parochialium conceſſum fuiſſe Carmelitis prius à Sixto IV. in mari magno Ordinis, *num.* 40. Caſſarubius *in Compendio priuilegior. Mendic. verbo ædificare, num.* 18.

22 Circa ſecundum, quod dixi agendum ſub hoc *verb. Monaſteria Regularium*, ſcilicet de ipſorum priuilegiis, notandum, inter ipſa primo loco numerari debere, quod etſi omnia Monaſteria de Iure communi ſubiecta ſint Epiſcopo in cuius diœceſi ſunt ſita, ita vt Epiſcopi veluti Generales Monachorum, quoſdam ad profeſſionem admittere, alios repellere potuiſſent, *cap. qui verè* 16. *quæſt.* 1. *cap. Monaſteria*, *il* 1. 18. *quæſt.* 2. *cap. viduitates*, 27. *quæſt.* 1. Syluester *in Summa, verb. Relig.* 3. §. 4. Nauarrus *in cap. non dicatis*, 12. *quæſt.* 2. *num.* 63. *verſic. addo* 2. Rodriguez *quæſt. Regul, tom.* 2. *quæſt.* 63. *art.* 1. & 3. Campanile *in Diuerſ. iuris Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 1. Vbi ſubdit ex aliis Doctoribus, quod propterea Epiſcopi de ipſo iure communi intentionem fundatam tam in ciuilibus, quam in criminalibus contra Abbates, & Regulares habent, ita vt omnia Monaſteria Epiſcopo cenſeantur ſubiecta niſi probentur exempta, *cap. cum dilectus, de Religioſis domibus*. Barboſ. *loco relato, de Iure Eccleſiaſtico, lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 22. Ex priuilegiis verò ſpecialibus Summorum Pontificum, quorum plura retuli *ſuprà, verb. exemptio Regularium, num.* 4. & *ſequentibus*, omnia ferè Regularium Monaſteria ſunt ab Ordinariorum poteſtate exempta, ſiue priuilegia directè, ſiue indirectè per communicationem talem largiantur exemptionem, & conſequenter Monaſteria his temporibus habent iuriſdictionem pleno iure quaſi Epiſcopalem, Nauarrus *ſuprà*. Campanile *ſuprà, num.* 2. Eraſmus Chok. *de Iuriſdictione Ordinarij in exemptos, part.* 1. *quæſt.* 17. *num.* 9. & 25. Barboſa *ſuprà, num.* 23. Imò etiam illa Monaſteria, quæ Epiſcopi iuriſdictioni ſunt ſubiecta, non ſubduntur illi quoad Regularem obſeruantiam. Campanile *ſup. num.* 1. Vide dicta *ſuprà, verb. Epiſcopus quoad Regulares, num.* 2. 6. & 16. & *verb. Exemptio Regularium, num.* 3. vbi multa in ſequentibus de huiuſmodi exemptione. Neque quoad legem diœceſanam in aliquibus exactionibus, iuxta dicta *eo verb. Exemptio Regularium, num.* 3. ſed ſolùm quoad legem iuriſdictionis, quæ conſiſtit in viſitatione, correctione, &c. Barboſa *ſuprà, num.* 55.

23 Notandum etiam, ſæculares prohiberi erigere excelſas domos, & ædificia prope Monaſteria Religioſorum, vel Monialium, taliter quod ab ipſis videantur Religioſi, vel Moniales. Imò nec Religioſis degentibus propè Monaſterium aliorum Religioſorum licitum eſt ſua in altum prætendere ædificia, vel ianuas aperire, ex quibus poſſint proſpicere interiora Clauſtra Conuentus, non obſtante regula vulgaris iuris, quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non vtitur ſuo priuilegio, quæ fallit in eo, qui priuilegium actu habet, pariterque damnum, ſeu læſionem ab habente ſimile priuilegium. Ita Barboſa *ſup. num.* 79. ex vtroque Rodrig. & Portello. Quibus adde Tambur. *tom.* 3. *de Iure Abbat. diſp.* 5. *quæſito* 2. *num.* 4. Notat autem idem Portellus *in Dubiis Regularium, verb. Monaſterium, num.* 12. ſe audiuiſſe à quodam Iudice Supremi Senatus mandaſſe Regem Catholicum (piè ſanè) dirui, vel claudi ianuam ſæcularis domus, ex qua Religioſi Tertiarij eiuſdem Vrbis intra Conuentum videbantur, & inquietabantur. An verò pro conſtructione Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum, aut reædificatione ipſorum, poſſint compelli ſæculares vicini ad vendendum propria, tractat dictus Tamburinus *ſuprà*. [Communis enim Doctorum ſententia fatetur, quod pro conſtruenda Eccleſia, ſeu amplianda cogi poteſt quilibet ad proprium domum vendendam, ſeu proprium ſolum. Tamburinus *ſuprà, dicto quæſit.* 2. ex Afflicto, Surdo, Franciſco Marco, Coſta, & aliis. Amplia, vt Eccleſia poſſit cogere vicinos ad vendendum prædia vrbana pro ſui ampliatione, vt fatentur præter citatos Doctores Marcha *de iuriſdict. part.* 4. *centur.* 2. *caſu* 71. Rebell. *de oblig. inſtit. lib.* 9. *quæſt.* 18. *num.* 43. Molina *de iuſtitia, tract.* 2. *diſput.* 341. Marcus Antonius Genuenſis *pract. Eccleſ. quæſt.* 41. Reginaldus *in praxi fori pœnitent. lib.* 25. *num.* 259. Tamburinus *ſuprà, num.* 2]

24 Extat etiam priuilegium Clementis IV. pro fratribus Minoribus, quo etiam gaudent alij Religioſi cum ipſis communicationem priuilegiorum habentes. Hoc verò priuilegio inhibuit, vt nullus Eccleſias, aut Monaſteria, ſeu loca Fratrum auſu temerario præſumeret infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere. Ac voluit quod illi, qui ſecus facere præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrerent ipſo facto, à qua non poſſent abſolui niſi per Sedem Apoſtolicam, aut per Conſeruatores eidem Ordini deputatos. Caſſarubius *in Compendio priuileg. Mendicantium, verb. Monaſteria, num.* 7. Similia priuilegia pro Fratribus Prædicatoribus ex Clem. IV. & Boniſac. IX. habentur apud Conſertium *in Collectan. litter. Apoſtol. in Clem. IV. Bulla* 6. & *in Boniſac. IX. Bulla* 1. Subdit autem Caſſarubius *ſuprà*, & *verb. Abſolutio quoad Sæculares* 2. *num.* 15. Leonem X. poſtea conceſſiſſe, quod infringentes, vel aliquam violentiam in Eccleſiis, vel locis fratrum Minorum facientes, ab excommunicatione propter hoc incurſa poſſent à Prælatis dicti Ordinis in foro conſcientiæ abſolui, licèt antea non poſſent huiuſmodi delinquentes abſolui niſi à Papa, vel à Conſeruatoribus dicti Ordinis. Nota autem hoc priuilegium viuæ vocis oraculo conceſſum eſſe, & ita de illo iudicandum, ſicut de ſimilibus oraculis, vtpote his temporibus reuocatis, ſæpius dixi. Quod & notat Bordon. *in ſuis Reſolutionibus, reſolut.* 1. *num.* 1. Animaduerte etiam, quod ſi hoc factum fuerit violando immunitatem Eccleſiarum quoad receptionem reorum in ipſis, talis caſus reſeruatus cenſebitur pro quibuſcumque Confeſſariis, propter Decretum Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. quod retuli *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. & dicta *ſuprà, verb. Immunitas*

Digitized by Google

Eccleſiarum, *num.* 21. Quod etiam animaduertit Bordonus *ſuprà*. Licet non bene dicat hanc facultatem ablatam fuiſſe Prælatis Regularibus per dictum Decretum, cum verè illud ſolum loquatur de confeſſatiis.

25 Inter Monaſteriorum priuilegia illud etiam præcipuè onmerari debet, quod retuli *ſuprà*, *verb. Immunitas Eccleſiarum*, *num.* 1. *&* 3. vbi dixi, Monaſteria, ſeu Domos Regularium gaudere immunitate Eccleſiaſtica, ita vt rei ad ea confugientes extrahi non poſſint, niſi in aliquibus caſibus, & pro aliquibus criminibus, iuxta formam deſignatam à Gregor. XIV. in conſtitutione *cum aliàs*, de qua eo loco dixi. Vbi etiam nomine Monaſterij intelligi dixi non ſolùm dormitorium, ſed etiam totum circuitum Monaſterij, hortos, & viridaria ipſius. Nunc verò addendum, nomine Monaſterij in præſenti venire omnia loca, quæ continentur intra, vel infra Clauſtra, ſepta, ſeu ambitum totius fabricæ, & habitationis, vt ſunt ipſa Clauſtra, Dormitoria, Cellæ, Refectorium, Capitulum; Nouitiatus, Horti, Areæ, & loca pro famulis, hoſpitibus, & habitatione animalium, Gymnaſia, & ſimilia, ad quæ Religioſi accedere poſſunt ſine licentia Superioris regulariter loquendo. Ratio eſt, quia omnia iſta ſunt partes Monaſterij, & ita conceſſiſſe Seruitis Innocentium VIII. refert Peregrinus *de Immunitate Eccleſiarum*, *cap.* 4. *num.* 50. & Bordonus *ſupra*, *num.* 4. ex Rodriguez, & Portello. Quamuis autem eo loco dixerim, domos, ſeu villas, quas Religioſi habent recreationis gratia ſeparata ab Eccleſiis non gaudere hoc priuilegio; nihilominus oppoſitum probabiliter docent prædicti Peregrinus, Portellus, & Bordonus *num.* 5. loquentes de grangiis Religioſorum. Tum ex dicta conſtitutione Gregorij XIV. vbi illud ſupponit concedi locis Sacris, ſeu Religioſis, qualia ſunt prædictæ grangiæ. Tum etiam ex priuilegio Eugenij IV. pro Ciſtercienſibus, quod refert Rodriguez *tom.* 1. *queſt.* 75. Quod maximè dicendum eſt, ſi in prædictis locis aliqui Religioſi commorentur: tunc enim planè dici poterunt talia loca Religioſa. Si autem in illis Religioſi aliqui non commorentur, erunt prædicta loca ſicut vineæ, prædia, & domus aliæ, quas ſæcularibus conducere ſolent ipſi Religioſi. De domo etiam noua, ſeu habitatione recenti contigua Eccleſiæ, & cœpta fabricari pro ipſa, gaudere etiam hoc priuilegio tenet idem Bordonus *ſuprà*, *num.* 7. Tum quia fabrica incepta pro finita habetur in fauorabilibus, arg. eorum, quæ habet Gloſſa *verſ. ante conſummationem*, *cap.* 7. *de Regal. & in cap. cum in cunctis*, *de elect.* Tum quia in hoc comparatur Eccleſiæ, quæ ſufficit, vt ſit cœpta fabricari.

26 Illud certius, Superiores Regulares non poſſe condere ſtatuta, quibus præcipiant abſolutè, ne aliqui rei, quibus immunitas Eccleſiaſtica ſuffragatur, ad ſua Monaſteria confugientes recipiantur. Tale enim ſtatutum eſt contra ius commune, quod reis concedit hoc confugium, ac per conſequens erit nullum; ſi quidem Superiores Regulares nihil poſſunt ſtatuere contra ius commune. Bordonus *ſuprà*, *num.* 21. Idque ſupponitur non ſolùm in conſtitutione Gregor. XIV. relata & litteris Sacræ Congregationis, quas retuli *ſuprà*, *verb. Bannitus*, *num.* 3. *&* 8. Quare ſtatuta aliqua Religionum, quale eſt illud, quod pro Ordine noſtro habetur *part.* 1. *conſtitutionum*, *cap.* 9. *num.* 6. illis verbis: *Item malefactoribus, & ſceleratis ad domos noſtras confugientibus metu pœna nullo modo aditus pateſiat.* Et infra: *Nec omnino vltra tres dies vllo pacto poſſint manere in Conuentu ſub pœna priuationis ab officio ipſi Priori infligenda*; intelligenda ſunt de illis reis, aut facinoroſis, quibus non ſuffragatur immunitas Eccleſiaſtica iuxta dictam conſtitutionem Gregor. vel qui confugiunt ad Eccleſias, ſeu monaſteria animo manendi, hoſpitandi, aut commorandi ibi, vel forſan ſe occultandi, vt iterum ad ſimilia committenda exire poſſint, iuxta dicta eo *verb. Bannitus*, loco relato. Vnde in prædictis noſtris conſtitutionibus loco relato hoc inſinuatur, ſimulque modus, quo id eſt faciendum ſine præiudicio Regularis obſeruantiæ, illis verbis: *Et ſi fortè ob aliquam cauſam omnino introducendi eſſent, Prior aſſignabit eis locum à Fratribus totaliter ſeparatum: nec Frater aliquis loquatur, vel comedat, ſeu bibat cum eis ſub pœna carceris.* Nota etiam, non poſſe Regulares renunciare huic immunitati ſuarum Eccleſiarum, aut Monaſteriorum: tum quia illa eſt ius commune acquiſitum Eccleſiis, & locis ſacris, ſuper quod non cadit renunciatio, quia eſt ſpecies quædam alienationis (Gloſſa *in cap. vlt.* 16. *queſt.* 6. Syluester *in Summa*, *verb. Alienatio*, *num.* 18.) tum quia quamuis eſſet priuilegium, eſt priuilegium bonum publicum Eccleſiæ reſpiciens, & ita non poſſunt illi renunciare, *cap. ſi diligenti*, *de foro compet. & in l.* 1. *§. ſed quia veremur*, *Cod. de iureiurand. propt. calumn. & in l. ius publicum*, *ff. de pact.* Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.* 1. *diſp.* 16. *quaſt.* 15. Peyrinis *tom.* 1. *priuilegiorum Minimorum*, *in Conſtitutione* 2. *Iulij II.* §. 3. *num.* 10. Addunt Peregrinus *ſuprà*, *cap.* 2. *num.* 4. *&* 17. & Bordonus *ſuprà*, facientes talia ſtatuta incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, & aliorum Iurium impoſitam contra eos, qui ſtatuta aliqua contra immunitatem Eccleſiaſticam concedunt.

Inter priuilegia quoque Monaſteriorum iure etiam 27
recenſeri debent ea, quæ ipſis Fundatoribus ipſorum Monaſteriorum erectorum intuitu conceſſa ſunt, quale eſt illud, quod conceſſit Fundatricibus Monaſteriorum Minimorum Iulius II. in Bulla *Dudum*, apud Peyrinis *tom.* 1. *priuilegiorum Minimorum*, *in Conſtitutione* 1. *Iulij II.* quod ſcilicet ipſæ cum liberis ſuis, omnibus, ac ſingulis eiuſdem Ordinis Minimorum priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, conceſſionibus, & Indulgentiis vti, potiri, & gaudere liberè, ac licitè valerent. Quo priuilegio etiam gaudere poſſunt aliæ Religiones, quæ cum Minimis communicationem priuilegiorum habent. Notat autem idem Peyrinis ſuper dictam Bullam Iulij II. *num.* 52. *&* 53. hoc priuilegium hodie vacare per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de Reformatione*, *cap.* 11. quantum ad ea, quæ perturbationem in Epiſcoporum iuriſdictione excitare poſſunt. Similiter gaudent Fundatores, & Fundatrices Monaſteriorum Ordinis eiuſdem Minimorum, & per conſequens etiam aliorum, qui cum ipſis priuilegiorum communionem habent, gratia illis ab eodem Iulio II. in Bulla *Alias venerabilem*, apud eundem Peyrinis ſuprà *Conſtitutione* 4. conceſſa, ſcilicet, quod omnium, & ſingulorum ipſorum ieiuniorum, orationum, & Sacrificiorum, ac quorumcunque aliorum in toto huiuſmodi Ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum, participes forent, & illis communicata ſint, & eſſe debeant. Quomodo autem hæc applicatio bonorum ſpiritualium intelligenda ſit, habes ex dictis *tom.* 3. *verb. Bona Regularium.* Magnam quoque gratiam illis conceſſit idem Iulius II. dicta Bulla *Dudum*, §. 39. ſcilicet, quod ipſi, & vtriuſque ſexus liberi plenariam omnium peccatorum ſuorum veniam, & indulgentiam conſequerentur. *Ac quinquies Orationem Dominicam, & ſepties Salutationem Angelicam recitando, omnes, ac ſingulas Indulgentias, quas diebus Indulgentiarum omnium Eccleſiarum Vrbis, & extra illius muros pro ſtationibus deputatarum conſequuntur Eccleſias Vrbis, & extra muros huiuſmodi viſitantes, plenè ac integrè conſequantur, & conſequi poſſint, ac ſi Indulgentiarum huiuſmodi diebus Eccleſias Vrbis, & extra muros huiuſmodi, & earum quamlibet perſonaliter viſitarent.* Pro qua Indulgentia, & an his temporibus in ſua vi permaneat, conſule dicta *tom.* 5. *verb. Indulgentia quoad Regulares.*

Cum

Digitized by Google

28 Cum autem conſtet ea dictis *tom.2.cap.11.* poſſe, & de facto dari Patronos Monaſteriorum Regularium, ſi tamen habeant conditiones illas ad Patronos requiſitas, de quibus dixi eo *cap.12. num.2.* ſcilicet, quod Monaſterium fundauerint, vel conſtruxerint, vel dotauerint: ideo, etiam quando Monaſterium eſt fundatum, ſi tamen egens ſit, nec habeat ſufficientia pro ſuſtentatione, poteſt eligere alium Patronum, illum ſcilicet, qui illud monaſterium de nouo conſtruxerit, vel dotauerit, poſitis tamen conditionibus eo *cap.12.* aſſignatis. Ratio eſt, quia per hoc quod conſtituat de nouo, vel dotet Monaſterium, ſufficienter facit id quod requiritur ad rationem Patroni. Rodrig. *tom. 2. quæſt. Regul. quæſt.49.art.7.* Peirinis *ſupra in Conſtitut. Iul.II. §.27.num.*83. & 84. ex aliis.

29 Monaſteria ædificari poſſunt de nouo ſine licentia etiam Principis ſæcularis, etiamſi ſtatuerit non ædificanda ſine ipſius facultate obtenta. Tale enim ſtatutum contrarium eſt Eccleſiaſticæ libertati, prout probat *cap.vltim. de Eccleſiis ædific.* & ex Doctoribus noſter Epiſcopus Bouius *in ſuis Reſponſionibus*, Duardus *in Bullam Cœnæ, can.5.quæſt.19. à num.*68. Bonacina *de Cenſuris in Bulla Cœnæ, diſp.1.quæſt.16.ſect.2.punct.2.* & Barboſa *d.lib.2. de iure Eccleſiaſtico, cap.2.n.2.& 3.* & *cap.3.num.*196. poſt alios. De quo etiam infrà verbo *Statuta.*

30 Monaſteriis poteſt quilibet ſuas res donare, *l. generali, & l. iubemus, l. 2. C. de Sacroſ. Eccleſ.* & omnium ſuorum bonorum donationem facere, *cap. in præſentia de probat.* Transferreque dominium in ipſa nudo pacto, ſeu nuda promiſſione, itavt vendicare poſſint rem ſibi conceſſam ſine traditione, *leg.finali, C.de Sacroſ.Eccleſ. cap.ex litteris, de conſuet.* De quibus, & aliis concernentibus Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 3. n.* 230. Rebellus *de obligat. iuſtitiæ, part. 2. lib. 18. quæſt.7.* Barboſa *d. lib.3.de Iure Eccleſiaſtico, cap. 3. à num.*180. vbi etiam alia ad inuentum. Qualiter etiam capacia ſint legatis eiſdem derelictis, dixi ſuprà verbo *Legata Regul. relicta, num.5.6. & 7.*

31 Sunt etiam plura alia priuilegia Monaſteriorum, quæ ſaltem remiſſiuè tangenda ſunt. Et primò quidem, immunia eſſe à gabellis, collectis, ſeu oneribus impoſitis à Principibus ſæcularibus, conſtat ea dictis *ſupra verbo Clericus*, verbo *Gabella quoad Regulares*, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium.* Deinde immunia etiam eſſe à decimis ſoluendis, præſertim in multis caſibus, conſtat etiam ex dictis *tom. 3. verbo Decima quoad Regulares.* Qualiter etiam alienari non poſſint eorum bona (quod etiam inter priuilegia ipſorum recenſetur) conſtat ex dictis etiam *ſuprà, verbo Alienatio, & alienare*, vbi etiam me remitto ad alia, quæ de hac materia dixi *tom.1. part.1. & 2.* Quorum bonorum, ſeu iurium ſint capacia Monaſteria Regularium, dixi *tom.1.part.2.cap.*19. Conueniunt etiam ipſis priuilegia Eccleſiarum, & piorum locorum, ſcilicet priuilegium fiſci, militum, alimentorum, dotis, minorum, Imperij, & ſimilia, de quibus Barboſa *dicto lib.2.cap.*13.

32 Circa tertium de mutatione, ſeu tranſlatione monaſteriorum notandum, quod iure communi, *cap. vnico de exceſſibus Prælat. in 6.* nullatenus licet mendicantibus monaſteria mutare ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, excepto ſi mutatio ſit ad Eremos, & in Clementina *Cupientes, de pœnis*, idem ſtatuitur ſub pœna excommunicationis. Idem etiam ſtatuitur *in cap. vnico de Religioſ.domibus, in 6.* reſpectu eorum Mendicantium, qui eo loco extingui dicuntur, iuxta dicta ſupra *num.* 4. Suar. *3.tom. in 3.part. diſp.*23. *ſect.5. num.*33. Rodriguez *tom.2. quæſt. Regul. quæſt.49.art.4.* Miranda *in manuali, tom.1.quæſt.34.art 2.* & Theſaurus *in praxi, part.2. verbo Religioſi, cap.1.* Vbi nota, hanc prohibitionem non comprehendere omnes Religioſos, ſed tantum mendicantes. Nauarr. *in manual.cap.17. n.*144. Suarez *ſuprà.* Deinde, ſolùm eſt quoad monaſteria recepta ab ipſis eo tempore, ſcilicet Bonif. VIII. qui eſt Author illius capitis, & Clem. V. qui eſt Author illius Clementinæ, non ad recipienda in poſterum. Dicitur enim ibi: *Hactenus recepta mutare.* Suarez *ſupra, num.*34. ex Gloſſa, & Nauarro, Thomas de Ieſu *ſuprà. §. præterea.* Nihilominus plura priuilegia conceſſa ſunt regularibus pro huiuſmodi mutatione, ſeu tranſlatione monaſteriorum. Primò enim id conceſſiſſe videtur Minoribus Sixtus IV. in Bulla *Regimini*, apud Rodriguez *in Bullario in eodem Sixto IV. Bulla* 24 §.35. Prædicatoribus idem Sixtus IV. in Bulla etiam *Regimini*, apud eundem Rodrig. *ſup. in Sixto IV. Bulla* 33.§.34.& Minimis Iulius II. in Conſtitutione *Virtute*, §.27. apud Peyrinis *tom.5. priuileg. Minimor. in Iulio II. num.* 2. Secundò, & clariùs, Pius II. Benedictinis Valliſoletanis in Bulla apud eundem Rodrig. *in Bullario in Pio II. Bulla* 6. illis verbis: *Ac alia monaſteria in locis eorumdem temporalium Dominorum, vel ſterilibus, & inaquoſis exiſtentia, ſi ſecundum Deum hoc expedire videritis, de dictis Oppidis, ſiue locis ad alia loca, vel oppida transferendi.* Item Sixtus V. ſub anno 1587. pro 7. Kal. Decemb. conceſſit, quod *Abbas Generalis Congreg. S. Benedicti Regnorum Portugalliæ, qui pro tempore fuerit, cum conſilio, & aſſenſu Capituli Generalis, monaſteria dictæ Congregationis, quæ in locis incommodis, & minus populoſis reperiuntur, ad commodiora loca, vbi monachorum doctrina, & vita exemplo populo Chriſtiano magis vtilis futura ſit, & fructuoſa, propria auctoritate, Ordinariorum locorum, vel cuiuſvis alterius licentia minimè requiſita, cum eorum monachis, & ſuppellectilibus, paramentis, & ornamentis, aliiſque rebus neceſſariis transferre, & mutare, ac fructus, redditus, & prouentus eorundem monaſteriorum, ſeu cuiuſlibet eorum, vel illorum partem Generalis, & Capituli prædictorum arbitrio, aliis, ſeu aliis eiuſdem Congregationis Monaſteriis magis indigentibus perpetuò, vel ad tempus, etiam renitentibus Abbatibus monaſteriorum eorundem, & quibuſvis aliis perſonis, applicare, & aſſignare: prouiſo tamen quod animarum cura perſonarum ſæcularium incumbens Abbatibus, & Conuentibus monaſteriorum transferendorum huiuſmodi in Eccleſiis eorum nullatenus negligatur, ſed per monachos dictæ Congregationis Regulares, vel Presbyteros ſæculares idoneos, & ab Ordinariis approbatos, laudabiliter exerceatur, liberè, ac licitè valeant, plenam, & liberam Apoſtolica auctoritate eorundem tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus, &c.* Referunt hoc priuilegium non ſolùm Rodriguez, & Miranda relati, ſed etiam alter Rodrig. *in Compendio quæſt. Regul. Reſol.* 55. & Portellus *in Dub. Regular. verb. monaſteria, num.* 7. Extat etiam conceſſio Leonis X. pro Eccleſiis Fratr. Minorum, & Monialium S. Claræ transferendis, ſeu mutandis de vno loco in alium, quam refert Caſſarubius *in compendio, verbo Eccleſio fratrum, num.15. & verbo Ædificare, n.*14. quam tamen omitto, quia fuit viuæ vocis Oraculum, quod cum ſimilibus hoc tempore vacat, niſi per Bullam aliam confirmatum ſit, prout ſæpius dixi.

Circa hæc tamen priuilegia graue dubium eſt, an his temporibus pro prædicta mutatione, ſeu tranſlatione Monaſteriorum permaneant in ſuo vigore, an verò reuocata cenſeantur, itavt etiam pro mutatione, ſeu tranſlatione Monaſteriorum requirantur ſolemnitates adductæ ſuperiùs ex Clem. VIII. Greg. XV. & S.D.N. Vrb. præſertim cum omnia priuilegia quoad hæc Regularibus conceſſa reuocentur in illis, vt dictum. In quo, inter extremas aliquorum ſententias, quorum aliqui parum liberales in Regulares, dicunt ea ea priuilegia derogata eſſe, ac proinde etiam pro mutatione monaſteriorum requiri dictas ſolemnitates; alij verò liberaliores in eoſdem id negant, diſtinguendum 33

Digitized by Google

videtur, vel enim loquuntur de mutatione, ſeu tranſlatione huiuſmodi monaſteriorum ex vna Ciuitate, vel Oppido ad alia, vel de vno loco ad alium intra eandem Ciuitatem, vel Oppidum. Rurſus, aut hæc mutatio, ſeu tranſlatio eſt cum damno, ſeu præiudicio aliorum monaſteriorum, eo quòd proximius ad illa accedatur, vel non.

34 Et quidem loquendo de mutatione, ſeu tranſlatione monaſteriorum ex vna Ciuitate, vel Oppido ad alia, certum puto requiri ad illam prædictas ſolemnitates in prædictis Conſtitutionibus, & Decretis deſignatas. Ratio eſt, quia id videtur colligi ex prædictis Conſtitutionibus, quia in illis eſt ſermo de nouorum Conuentuum erectione, vt patet ex verbis ipſarum; quando autem monaſterium transfertur, ſeu mutatur de vna Ciuitate, vel Oppido ad alia, propriiſſimè dicitur erigi nouum monaſterium, imò de nouo erigi ibi. Accedit, quod in iſta mutatione, ſeu tranſlatione monaſteriorum procedit ratio motiua, propter quam Pontifices prædictas conſtitutiones ediderunt, ſcilicet euitare damnum, ſeu præiudicium aliorum monaſteriorum ad quæ proximè accedit monaſterium de nouo erigendum. Et in hoc ſenſu accipiendi ſunt Cherubinus *in Compend. Bullarij, in Conſtit. 99. Clem. VIII. Scholio* 1. & Theſaurus *ſuprà* relatus, & Laurentius de Franchis *in ſuis controuerſ. quæſt.* 1. *pag.* 109. Et quoad hunc modum mutationis, ſeu tranſlationis reuocata cenſeo prædicta priuilegia per dictas conſtitutiones, maximè per eam, quæ eſt SS. D. N. Vrbani, iuxta dicta *ſuprà num.* 4. Vide Riccium *in deciſ. Cur. Neapolit. deciſ.* 168. *part.* 4. Loquendo autem de mutatione, ſeu tranſlatione monaſterij ex vno loco ad alium intra eandem ciuitatem, vel Oppidum, ex qua nullum nouum præiudicium fit aliis, credo non requiri ad ipſam prædictas ſolemnitates, nec pro ipſa eſſe reuocata priuilegia prædicta. Ratio eſt, non ſolùm, quia in prædictis conſtitutionibus, & Decretis nullum eſt verbum denotans illis comprehendi mutationem, ſeu tranſlationem iſtam, de qua loquimur (cum tamen de illa expreſſa mentio fieri deberet, quia ſæpiùs circa ipſam multæ lites, & controuerſiæ Romæ apud Sacram Congregationem tractantur) ſed etiam, quia in ea non militat ratio motiua prædictarum conſtitutionum, quæ eſt, vt dixi, cauere, ne per nouas fundationes Conuentuum Eccleſiis antiquis aliquod præiudicium fiat, cum iam ſupponatur Regulares dicti monaſterij, quod mutatur, ſeu transfertur, habuiſſe ius ad commorandum, permanendum, & quærendum eleemoſynas in dicta Ciuitate, vel Oppido. Et ita hanc partem tuentur Rodriguez *dicta quæſt.* 49. *art.* 9. dicens ex Geminiano, & Baptiſta de Salis ita deciſum Bononiæ in caſu ſimili circa prohibitionem factam à Boniſac. VIII. *in cap. vnic. de exceſſib. Prælat. in* 6. de non mutandis monaſteriis à Regularibus. Miranda *ſup. dicta art.* 2. Diana 3. *part. tract.* 2. *Reſol.* 136. & clariùs Peirinis *tom.* 2. *Priuileg. Minim. in conſtit.* 6. *Gregorij XV. tom.* 3. *cap.* 11. *num.* 18. [Pro quo maximè facit declaratio Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium 13. Septembris 1641. pro Patribus Capuccinis. Declarauit enim mutationem ſitus Conuentus non eſſe nouam erectionem, nec ſubiacere conſtitutionibus Apoſtolicis ſuper erectione nouorum locorum.] Si tamen contingeret, quod ex tali mutatione, ſeu tranſlatione monaſterij de vno loco ad alium etiam intra eandem Ciuitatem, vel Oppidum, aliis Monaſteriis aliquod præiudicium fieret, ſaltem per accidens, ſcilicet ratione maioris propinquitatis, aut alterius cauſæ; tunc credo non poſſe fieri ſine ſolemnitatibus requiſitis in præfatis conſtitutionibus, & Decretis, & per illa reuocari priuilegia adducta. Tunc enim militat ratio motiua illorum Decretorum, & conſtitutionum. Et hoc puto ſenſiſſe Cherubinum, & Theſaurum relatos, ac alios Auctores.

Illud etiam certius, Monaſteria ſemel cum legitima licentia poſſeſſa, augeri, ſeu extendi poſſe intra terminos priores, eo quòd talis extenſio, ſeu augmentatio Monaſterij eſt de actibus iam permiſſis, ſuppoſita legitima acquiſitione illius, *argument. leg. ab ea parte, ff. de probat.* Et quia ille, cui eſt prohibitum acquirere nouum ius, non dicitur venire contra prohibitionem, ſi augmentet priſtinum, *cap. final. de conceſſ. præbend. in* 6. & aliis iuribus. Lapus *conſilio* 188. Syluester *in Summa, verbo Excommunicatio* 9. §. 86. Rodriguez *dicto art.* 9. ex Geminiano. 35

Notandum tamen, quod quamuis admitteretur, veram eſſe ſententiam illorum, qui iuxta dicta *ſup. num.* 4. dicunt ad nouam erectionem Monaſteriorum requiri his temporibus Sedis Apoſtolicæ licentiam, nihilominus hoc non procedere in prædicta mutatione Monaſteriorum ex vno loco ad alium, maximè intra eandem Ciuitatem, vel Oppidum, ſi talia Monaſteria poſt Bonifacium VIII. ſeu Clementem V. adquiſierunt. Ratio eſt, quia licèt *in cap. vnico de exceſſib. Prælat. in* 6. confirmato in Clementina *Cupientes, de pœnis*, talis licentia Sedi Apoſtolicæ ab his Pontificibus pro mutatione monaſteriorum requiratur, id tamen intelligitur ſolùm de mutatione eorum Monaſteriorum, quæ tempore dictarum conſtitutionum Mendicantes Religioſi habebant, non aliorum, quæ poſtea acquiſierunt. Dicitur enim in illis *Hactenus recepta mutare.* Et ita tenent Syluester, & Rodriguez ſupra ex Geminiano, qui refert ita deciſum Bononiæ in ſimili cauſa Fratrum Minorum. 36

Notandum etiam, id maximè procedere in Religioſis, qui vitam eremiticam, ſeu ſolitariam ducunt in Eremo, ſiue locis vbi non eſt hominum habitatio de propinquo; iſti enim ſine licentia Papæ poſſunt loca ſua non ſolùm mutare, ſed etiam ſimilia de nouo adquirere. Ita enim habet Bonifac. VIII. expreſsè in dicto *cap. vnico, de exceſſib. Prælat. in* 6. & notat ibi Gloſſa. 37

Maximè etiam notandum, Religioſos Minores, Prædicatores, & Minimos mutantes Monaſteria de vno loco ad alium, habere hoc priuilegium ex Sixto IV. & Iulio II. in Bullis *ſuprà num.* 32. relatis. *Adhæc liceat fratribus veſtri Ordinis, cum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia, quàm omnem ædificiorum materiam locorum quæ dimittunt, (dedicatis Eccleſiis dumtaxat exceptis) quàm libros, Calices, paramenta, ſecum ad alia loca transferre, ac ædificia ipſa cum ſolo, & aliis ad eadem loca pertinentia (præter Eccleſias) per perſonas ad hoc a Sede Apoſtolica deputatas vendere, ipſorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres ſe transferunt, ædificationem, ſeu aliàs in illorum vtilitatem conuertere, ſecundum quod eis meliùs videbitur expedire.* Addit infrà: *Et ne aliqui Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut alij Eccleſiarum Prælati, ſeu quæuis alia perſona Eccleſiaſtica, ſeu ſæcularis, prædicta loca, ſeu bona occupare, accipere, vel vſurpare, aut quoquo modo ſibi vendicare præſumant abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, diſtrictiùs inhibemus.* Benedictini etiam Luſitaniæ habent priuilegium Sixti V. quod retuli *ſuprà num.* 4. Imò & Minores ex Clem. IV. (vt refert Caſſarubius in *Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Ædificare, num.* 2.) habent ſimile priuilegium illi, quod ex Sixto IV. retulimus. 38

Pro quorum priuilegiorum praxi notandum primò, illis vti poſſe non ſolùm præfatas Religiones, quibus conceſſa ſunt, ſed etiam alias, quæ cum ipſis habent communicationem priuilegiorum. Confettius *in Summ. mater. priuil. tit.* 48. *cap.* 4. Miranda *ſup. d. quæſt.* 33. *art.* 2. Secundò, huiuſmodi mutationem, ſeu tranſlationem monaſteriorum tripliciter poſſe contingere. Primò quidem,

Digitized by Google

quidem, adquirendo nouum Monaſterium, & non derelinquendo antiquum. Secundò, deſerendo antiquum, & non adquirendo nouum. Tertiò, adquirendo nouum, & deſerendo antiquum. Ex quibus primus modus mutationis potius eſt adquiſitio monaſterij, quàm mutatio, & ideo de illo intelliguntur ea, quæ dicta ſupra ſunt *à num.* 1. circa monaſteriorum erectionem. Secundus etiam potius eſt derelictio, aut deſertio monaſterij, quam mutatio, & ita de illo intelligenda ſunt ea, quæ infrà dicemus. Tertius autem eſt propriè mutatio, de qua in præſenti, & ad quam deſeruiunt priuilegia adducta. Tertiò nota, quod ex vi illorum, quæ ſunt Sixti IV. & Iulij II. pro Prædicatoribus, Minoribus, & Minimis, poſſunt tam ipſi, quam alij, qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habent, omnia bona mobilia, etiam pretioſa, & materiam ipſam ædificiorum Conuentus, ſcilicet ligna, lapides, &c. quæ in antiquo monaſterio erant, ad nouum transferre, abſque eo quòd Ordinarij in eis ſe poſſint ingerere, vt patet ex prædictis priuilegiis. Confertius *ſupr.* Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Conſtit.* 2. *Iulij II.* §. 27. *num.* 77. Eccleſias verò integras relinquere debent, nec vllo modo prophanare, aut ad vſus profanos laicorum applicare. Tum ex regula iuris *in* 6. *ſemel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos vlteriùs transferendum.* Tum ex *cap. ligna. de conſecr. diſt.* 1. Vbi ſic: *Ligna Eccleſiæ dicata non debent ad aliud opus adiungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni ſunt comburenda, vel ad profectum in monaſterio Fratribus, in laicorum verò vſum non debent admitti.* Portellus *in Dubiis Regularium, verbo Eccleſiæ reconciliatio, in fine, num.* 5. Imò ſi in talibus Eccleſiis ſit cura animarum, proculdubio faciendum eſt id, quod Sixtus V. in priuilegio relato *d. num.* 32. dixit de non negligenda tali cura. Et etiamſi in illis cura animarum non ſit, fieri oportet id, quod Leo X. viuæ vocis oraculo ſtatuit pro Fratribus Minoribus apud Caſſarubium *ſupra verb. Monaſteria, num.* 8. ſcilicet, ea aliquando viſitare cum tempus opportunum fuerit, & in eis etiam aliquando celebrare. Maximè, quia *in cap. ſi quis, vlt.* 16. *quæſt.* 7. expreſsè determinatur, quod quando monaſterium aliquod in alium locum transfertur, dimitti debet Presbyter in priori loco ad miniſteria Eccleſiæ. Additur autem in prædictis priuilegiis, ſolum, ſeu fundum Conuentus, qui derelinquitur, vendi poſſe per perſonas à Sede Apoſtolica deputatas, dummodo ipſorum pretium in Fratrum vtilitatem conuertatur. Quamuis autem per perſonas iſtas à Sede Apoſtolica deputatas intelligendas credam, quoad fratres Minores, ipſorum Sindicos, prout habet idem Caſſarobius *ſupra dicto verbo, Ædificare*, & quoad alios putet Peirinis *ſupra* intelligi Conſeruatores Religionum, puto tamen priuilegia hæc his temporibus quoad hoc vacare, quia non ſolùm ex Extrauaganti *Ambitioſæ*, Pauli II. & aliorum Pontificum conſtitutionibus, ſed maximè ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 10. *à num.* 1. *& tom.* 2. *cap.* 19. *à num.* 54. *& tomo* 3. *verbo Alienatio, & alienare*, prohibita eſt regularibus omnibus quæcumque alienatio bonorum immobilium, & etiam mobilium pretioſorum cum reuocatione omnium, & quorumcumque ipſorum priuilegiorum. Quod potiori ratione dicendum de Eccleſiis ipſis derelictis, tum propter eandem rationem, tum quia ita etiam declaratur in prædictis priuilegiis. Quod intellige contra Peirinis relatum, ſiue eæ ſint conſecratæ, ſiue tantum benedictæ, propter eandem rationem. Quid verò de illis agendum ſit, inferius conſtabit, cum de dimiſſione, ſeu derelictione, aut deſtructione Monaſteriorum dicemus. An autem per translationem amittant Monaſteria ſua priuilegia, agit Tambutius *de Iure Abbat. tomo* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6.

Circa quartum de vnione monaſteriorum, extat primò priuilegium Ioannis XXIII. conceſſum Abbati Ciſtercienſi Cabilonenſis Diœceſis, eiuſque Coabbatibus vniuerſis in Capitulo Generali quandocumque congregandis, quod refert Rodriguez *in Bullario, tomo* 1. *in Ioanne XXIII. Bulla* 1. per hæc verba: *Hinc eſt quod nos volentes veſtro paci, & tranquillitati conſulere, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt quæcumque monaſteria dicti Ordinis, tam monachorum, quam etiam Monialium, & quorum facultates, fructus, redditus, & prouentus non ſufficiunt ad ſuſtentationem tot Regularium perſonarum in eiſdem monaſteriis pro tempore degentium, quot in eis pro augmento diuini cultus, ac Miſſis, & aliis diuinis Officiis celebrandis, ſecundum eiuſdem Ordinis ſtatuta, & promiſſarum, ac Regularium Caremoniarum obſeruantiam requiruntur, aliis Monaſteriis Religionis, & Ordinis prædictorum pro commodiori ſuſtentatione degentium in eiſdem, & quando pro ſtatu, & quiete huiuſmodi perſonarum id noueritis expedire (ſuper quibus veſtras conſcientias oneramus) cum omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis, vnum videlicet alteri monachorum, & aliud alteri monialium monaſteriis, eiuſdem Ordinis Monaſteria, cuiuſcumque taxæ, ſeu annui valoris fuerint, (& quæ cum eorum iuribus, & pertinentiis ſuis vniuerſis præſentibus haberi volumus pro expreſſis) authoritate Apoſtolica annectere, & vnire, ita quod cedentibus, vel decedentibus huiuſmodi Monaſteriorum Abbatibus, vel Abbatiſſis, ſeu Prioribus, vel Prioriſſis (ſi Monaſteria ipſa per Priores, aut Prioriſſas fuerint ſolita gubernari) aut ea quomodolibet dimittentibus, liceat aliis Abbatibus, & Abbatiſſis, aut Prioriſſis, quorum Monaſteriis aliis ſic vacantia venitur vnienda, corporalem poſſeſſionem huiuſmodi vacantium Monaſteriorum, iuriumque, & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria apprehendere, & perpetuò retinere, ac fructus, redditus, & prouentus dictorum Monaſteriorum vniendorum in ſuos vſus, ac pro ſuſtentatione huiuſmodi perſonarum degentium in eiſdem liberè conuertere, Diœceſani loci, aut cuiuſcumque alterius ſuper hoc licentia minimè requiſita, liberè, & licitè valeatis, deuotioni veſtræ de ſpecialis dono gratiæ concedimus per præſentes. Non obſtantibus,* &c. Hæc ibi ad litteram. 39

Secundò extat priuilegium Pij II. pro Priore, & Conuentu Benedictinorum Vallisoleti, quod retuli *ſupra num.* 32. in quo cum pro parte ipſorum petitio iſta propoſita eſſet, quod *in nonnullis domibus eiuſdem Ordinis diuerſarum Diœceſum profeſſo Monaſterio quoad obſeruantiam ſubiectis propter inopiam redditum vltra tres, vel quatuor Religioſi nequeunt commodè ſuſtentari, quo fit, vt in eiſdem domibus Regularis obſeruantia ad plenum, vt decet obſeruari non poſſit*, Pontifex concedit ſequentia. *Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis de quorum prouidentia, & circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, ſi eſt ita, duo vel tria Monaſteria, ſiue domos dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, redditium, & prouentuum tres, vel quatuor Monachi ſuſtentari nequeunt, Abbatum, & Conuentuum dictorum Monaſteriorum expreſſo ad id interueniente conſenſu vniendi, annectendi, & incorporandi, ac in aliquo ipſorum Monaſteriorum, ſiue domorum Monachos vſque ad numerum duodecimum conſtituendi, & deputandi.* Et infrà paucis interiectis: *Necnon fructus, redditus, & prouentus prædictorum omnium Monaſteriorum, vt præmittitur, vniendorum, quos pro expreſſis haberi volumus, pro ſuſtentatione Monachorum in magis accommodis domibus, & Monaſteriis commorantium deputandi plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus*, &c. 40

Tertiò Innocentius VIII. conceſſit fratribus Prædicatoribus quod Conuentus non valens ſuſtentare octo Religioſos poſſit alteri incorporari per Vicarium Congregationis. 41

gregationis, ſeu Prouincialem (quod idem eſt) cum Diffinitoribus, dum tamen ſine ſcandalo fiat, & in Eccleſia loci incorporati non ceſſet cultus diuinus. Refert hoc priuilegium Ioannes de Cruce *de Priuilegiis Regularium, lib. 1. cap. 9. dub. 2.* & tam ipſe, quàm Peirinis, qui *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtitut. 2. Iulij II. num.* 80. priora duo alia priuilegia referunt, ſupponunt illis vti poſſe Religioſos alias habentes communicationem priuilegiorum cum iſtis. Quod intellige, ſeruatis conditionibus in eiſdem priuilegiis deſignatis. Alia autem circa huiuſmodi priuilegia, & præſentem materiam habet Tamburin. *de iure Abbat. tom. 3. diſp. 8. per totam.* Quibus adde, SS. D. N. Vrbanum VIII. facultatem quoque conceſſiſſe Generalibus Minorum Conuentualium, & Minimorum ſupprimendi, & extinguendi Conuentus tenues, & pauperes, & eorum bona, & onera in alios Conuentus transferendi. Vt videre eſt in Peyrinis *tom. 3. priuileg. Minim. cap. 1. in Conſtit. D. N. Vrbani* 14. *alias* 24. *& in nouiſſ. Conſtitut. eiuſd. Vrban. num.* 15. [Nota autem ex doctrina Ricciij *in praxi deciſ.* 291. & Rodrig. *tom. 3 quaeſt. Regularium, quaeſt. vlt. art.* 1. quam ſequitur Tamburinus *de iure Abbat. tom. 3. diſp.* 15. *quaeſt.* 1. *num.* 4. Prælatos Regulares poſſe ex iuſta cauſa monaſteria, & Eccleſias ſibi pleno iure ſubiecta vnire, ſtando etiam in iure communi, eo quod habeant ſuper illa iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Quibus fauent, tum alij Doctores. Tum maximè declarationes quædam Sacræ Congregationis, quas referunt. Hoc etiam dicit de diſiunctione idem Tamburinus *ſup. quaeſt.* 7. ex aliis Doctoribus. Sed quod attinet ad talem vnionem, attendendum potius eſt ad priuilegia vel conſuetudinem. Quoad diſiunctionem verò, cum ſit quædam alienatio, videnda quæ diximus de alienatione bonorum Regularium in præcedentibus tomis.]

42 Circa quintum de dimiſſione, ſeu derelictione Monaſteriorum, conſtat ex dictis *tom. 1. part. 1. cap.* 22. *num.* 36. deſeri non poſſe à regularibus, in iure communi ſtando, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, *ex cap. vnico, de Religioſ. domib. in 6. & ex cap.* etiam *vnico de exceſſibus Prælatorum etiam in 6.* adiuncta Clementina *Cupientes, de pœnis.* Syluester *in Summa, verbo Caſus, quaeſt. 1. caſu* 8. Rodriguez *tomo 1. quaeſt. Regularium, quaeſt* 23. *art.* 6. Ioannes de Cruce *ſupra dub. 2. concl.* 1. Notandum tamen prohibitionem illam *cap. vnic. de Religioſis domibus*, ſolum eſſe iuxta dicta *ſupra num.* 4. pro illis Religioſis mendicantibus, quos Pontifex eo capite extingui fecit, non pro aliis quatuor Mendicantibus, aut aliis Religioſis. Similiter prohibitio illa *cap. vnic. de exceſſibus Prælat.* & Clement. *Cupientes*, ſolum eſt, iuxta dicta etiam *ſuprà*, pro Mendicantibus, non pro aliis Religioſis non Mendicantibus. Nauarrus *in Man. cap. 17. num.* 144. Rurſus ſolùm pro Conuentibus aut Monaſteriis, quæ habebant tempore Bonifacij VIII. & Clem. V. iuxta dicta *ſuprà*, non pro aliis Conuentibus, aut Monaſteriis, quæ poſtea adquiſierunt: Nauarrus *ſupra.* Regulares ergo non Mendicantes nullo iure communi prædicto prohibentur Monaſteria deſerere, nec mendicantes niſi ea, quæ illis temporibus poſſidebant.

43 Nihilominus extat priuilegium Sixti IV. pro Vicario Generali Minorum, quod refert Confettus *in Collect. Liter. Apoſt. in Sixto IV. Bulla* 12. & de quo Rodrig. *ſup.* quo ſcilicet illi conceſſit vt ea loca, quæ Fratribus ſuæ curæ commiſſis minùs commoda eſſe cognouerit, vel alias oneroſa, in manibus Ordinariorum locorum liberè, & licitè deſerere poſſit, facultatem conceſſit, prout ſibi viſum fuerit expedire, onerando tamen in hoc ipſius conſcientiam, non obſtantibus Conſtitutione Bonifacij VIII. & aliis quibuſcumque. Simile etiam priuilegium (forſan idem) pro Generali fratrum Minorum de Obſeruantia refert Caſſarubius dicto *verbo Ædificare, num.* 8. Notat autem Confettus ſupra *in Summ. mater. priuileg. tit.* 18. *cap.* 3. hoc priuilegium communicari Generalibus aliorum Ordinum, intellige habentium communicationem priuilegiorum cum Minoribus. Obſeruat etiam Rodrig. *ſup.* nec Prouinciam ſolam, nec Prouinciales poſſe vti hoc priuilegio, nec alio modo, quàm deſerendo dicta loca in manibus Ordinariorum.

Præcipuè notandum, huiuſmodi Monaſteria, ſeu loca Regularia derelicta, eſſe in triplici differentia: 44
alia enim ſunt, quæ à Communitatibus, Vrbibus ſcilicet, vel Oppidis ipſi conceſſa fuerunt. Alia verò, quæ ipſi ex eleemoſynis acquiſitis, vel propriis redditibus conſtruxerunt. Alia denique, quæ ſunt Iuriſpatronatus alicuius Patroni iure fundationis, conſtructionis, vel dotationis, iuxta dicta *tom. 2. cap. 11. num.* 2. Et quidem ſi fuerint primo modo, proculdubio videtur procedere doctrinam traditam, ſcilicet quod cum deſeruntur, deſeri debeant in manibus Ordinariorum; ad illos enim pertinet iure communi cura Eccleſiarum, & locorum piorum. Si autem fuerint ſecundo modo, oppoſitum videtur dicendum, loquendo de illis religionibus, quæ capaces ſunt dominij bonorum in communi, ſcilicet ea non debere deſeri in manibus Ordinariorum, ſed poſſe illa Regulares, quorum ſunt, vendere, alienare, commutare, &c. ſeruatis tamen ſeruandis, ſcilicet licentia Sedis Apoſtolicæ, &c. cum ſint bona Eccleſiaſtica immobilia, quæ ſine eius aſſenſu alienari non poſſunt. Nullo enim iure habetur, quod dicti Religioſi teneantur illa quæ ſunt ſua, & ab ipſis iuſtè adquiſita, Ordinario tradere. Etſi oppoſitum tenere videantur Miranda *dict. quaeſt.* 34. *art.* 3. *concluſ.* 2. & Barboſa *dicto lib. 2. de iure Eccleſiaſtic. cap.* 12. *num.* 67. Vnde quoad iſta priuilegium adductum videtur inutile, ac per conſequens ſtandum in iure communi de illis non deſerendis à Mendicantibus niſi ex Papæ licentia; loquendo videlicet iuxta dicta, & de Monaſteriis, quæ habebant tempore Bonifac. VIII. & Clementis V. non de aliis, quæ poſtea adquiſierunt. Si verò fuerint Monaſteria, ſeu loca tertio modo, diſtinguendum eſt, vel enim tales Fundatores, ſeu Patroni in contractu fundationis, ſeu patronatus retinuerunt ſibi dominium illorum, in caſu quo Religioſi illa relinquerent, vel non. Si primum, proculdubio pertinent ad ipſos talia Monaſteria, ſeu loca relicta; lege quidem naturæ, propter contractum factum, & lege poſitiua, propter *cap. Antigonus, de pact.* Peirinis *dicto tomo, Conſtitutione 2. Iulij II. num.* 82. Quod etiam eſt verum quando contractus factus fuit à prædeceſſoribus, quia Prælati ſucceſſores tenentur ex contractu prædeceſſorum. Prout ex Abbate, Baldo, Cardinali, & Decio tenent Rodriguez dicta *quaeſt. 49. art. 7.* & Miranda *ſupra quaeſt. 34. art. 2. concluſ.* 1. Idem dic, quando tales Patroni non abdicarunt à ſe dominium Monaſteriorum, ſed illud abſolutè ſibi retinuerunt. Portellus *in dub. Regularium, verb. Monaſterium, num.* 8. Si ſecundum, videtur eodem modo dicendum ac de locis, ſeu Monaſteriis adquiſitis ſecundo modo. Id tamen animaduertendum pro fratribus Minoribus, quod cum ipſi bona in communi non poſſideant, ſicut aliæ Religiones poſſident, ideo huiuſmodi Monaſteria, ſeu loca Regularia ab illis, vel eleemoſynis, vel à Patronis conceſſa tranſeunt in dominium, & proprietatem Sedis Apoſtolicæ, & ita vti poſſe illos priuilegio adducto prædicta Monaſteria in manibus Ordinariorum deſerendi. Siquidem ipſamet Sedes Apoſtolica hoc illis concedit in eodem priuilegio. Rodriguez *ſuprà dicto art. 7. §. quantum autem.* Quod intellige tantùm quantum ad Eccleſias, & Oratoria, & Cœmeterium; nam quantùm ad dormitoria, & officinas, ſeu alia loca Monaſterii, ea pertinent ad Patronos, ſeu fundatores. Prout expreſsè habet

Nicolaus

Nicolaus III. *in cap. exiit, de verb. ſignific.* Rodrig. *ſup.* Miranda *ſup. dicta quæſt. 34. art. 2. concl. 2.*

45 Præcipuè etiam iuxta dicta *ſuprà, num. 38.* notandum huiuſmodi Monaſteria, ſeu loca Regularia derelicta non eſſe in habitacula ſæcularium, vel laicorum conuertenda, nec à ſæcularibus gubernanda, aut commutanda, vel vendenda, *cap. nemini*, cum ſequenti 16. *quæſt. 7. cap. quo ſemel, 19. quæſt. 3.* Nec etiam Clericis ſæcularibus debent concedi, *cap. peruenit ad me 18. quæſt. 2.* Hieronymus Rodriguez *in Compendio quæſt. Reg. reſol. 55. num. 7.* Miranda *ſup. quæſt. 33. art. 1. concluſ. 1.* Barboſa *ſup. num. 59.* Qui etiam aſſerunt quod in caſu magnæ alicuius neceſſitatis, & rationabili exiſtenti cauſa, de licentia, conſenſu, & auctoritate Epiſcopi diœceſani, bene poſſit Monaſterium deſtrui, & deſeri, atque cum opus fuerit, in profanos vſus commutari. Quibus conſonat declaratio S. Congregat. quam refert Naldus *in Summ. verbo Eccleſia, n. 23.* in qua habetur, quod Ordinarij arbitrio relinquitur quando Eccleſiæ dirutæ conuerti poſſint in priuatas domos, aut loca publica, in vſus tamen non ſordidos, & an pecunia ex ipſis ruinis comparata ſit conuertenda in bona ſtabilia Eccleſiæ, vel eroganda in alios pios vſus. Apud eundem etiam Naldum *ibidem* ex Praxi Curiæ Archiepiſcop. Neapol. habes, quod Eccleſia diruta, & prophanata deſeruire poſſit pro magazzeno vini, ſeu cella vinaria, non autem pro vſu hiſtrionum, aut pro coquina, propter indecentiam, quæ in hoc eſt. Regulariter autem loquendo ligna, & lapides Eccleſiæ dirutæ non debent ad aliud applicari, niſi ad aliam Eccleſiam, vel profectum Fratrum in Monaſterio, nullatenus verò in laicorum vſum. Ita enim habetur *cap. ligna, de conſecrat. diſt. 1.* Syluester *in Summa, verbo Benedictio, quæſt. 7.* ex Palud. In caſu etiam quo pro Monaſteriis defuerint Regulares, Clerici ſæculares in eis poterunt conſtitui, *cap. inter quatuor, de Religioſ. domib.* Barboſa *ſup. num. 61.* Eccleſiæ autem dirutæ locum non poſſe alienari ſine ſolemnitate conſueta declarauit S. Congregatio, teſte Naldo *ſuprà num. 22.*

46 Prætereà notandum, quod ſi Regulares ſua loca, vel Monaſteria deſeruerunt per vim, aut metum iniuſtè illatum, prout contingit in deſertione Monaſteriorum noſtræ, & quarundam aliarum Religionum in partibus hæreticorum, Anglia ſcilicet, Scotia, Hibernia, Saxonia, & ſimilibus, quod ad ipſa recuperanda non videantur requiri ſolemnitates adductæ in ſuperioribus ex Decretis Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum confirmatis à Sanctiſſimo D.N. Vrbano in Conſtitutione relata *ſupr. num. 4.* Ratio eſt, quia Decreta illa, & Conſtitutiones, vt ex ipſis conſtat, ſolùm loquuntur de noua erectione Monaſteriorum Regularium, non autem de recuperatione eorum, quæ iniuſtè per vim, aut metum ab ipſis ablata fuerunt. Præſertim, quia illa ſemper manſerunt in dominio Religionum, cum per iniuſtam illam ablationem ſolùm priuati fuerint poſſeſſione illorum, non dominio. Rodriguez *dicta quæſt. 49. art. 9.* Miranda *dicta quæſt. 33. art. 5. concluſ. 1.* Quando verò Regulares ſponte dimiſerunt aliqua monaſteria, an ſi poſtea illa velint occupare, neceſſe ſit obſeruare prædictas ſolemnitates, dubiæ quæſtionis eſt, & parti affirmatiuæ fauent Cherubinus *in Compend. Bullar. in Clement. VIII. Conſtitut. 99.* Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Conſtitut. 6. Gregor. XV. num. 2.* eo quòd in iſta reaſſumptione Monaſteriorum militet eadem ratio, ac in noua erectione. Negatiuæ verò Rodriguez dicto *art. 9.* Miranda *ſupr.* Ego verò, iuxta dicta *ſuprà num. 33.* dicendum puto, quod ſi ex huiuſmodi recuperatione Monaſterij nouum detrimentum contingat aliis Monaſteriis, ſeu Eccleſiis, proculdubio neceſſarium videretur obſeruare iſtas, quia militat eadem ratio, & intentio Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum. Si verò, vel nullum nocumentum prædictis Eccleſiis, vel Monaſteriis inferatur, vel illud non eſt nouum, ſed antiquum, tunc non videtur requiri, quia ex vi prioris fundationis ſuperatum videtur iam hoc inconueniens, & adquiſitum ius Regularibus illorum Monaſteriorum.

Quod bona Monaſteriorum deſertorum, quæ erant 47
Regularium, ad ipſos pertineant, conſtat tum ex iure communi, cum nulla ratio ſit, vt ipſis priuentur, tum ex dictis ſuprà, cum de mutatione Monaſteriorum ageremus. Qualiter etiam bona Monaſteriorum quarundam Monialium deſtitutorum applicari debeant Religioſis earundem Religionum ex priuilegiis Sedis Apoſtolicæ, conſtat ex dictis *tom. 2. cap. 19. n. 50.*

Prædicta quoque Monaſteria à Regularibus deſerta 48
non requirere Prælatorum reſidentiam, conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis, quam ex Garcia, & Annendariz refert Barboſa *in Collectaneis Bullary, verbo Monaſteria Monialium* 1. Ibi enim habetur, quod Monaſteria, quæ cura, & Conuentu carent, non requirant aliquam reſidentiam. Similiter, ſi Religioſus aliquis ſit in talibus Monaſteriis deſertis pro illis adminiſtrandis, quod non teneatur rationem reddere Ordinario, colligitur tum ex dictis 3. *tom. verbo Adminiſtratio, & adminiſtrare, num. 2.* tum ex alia declaratione Sacræ Congregationis, quam ex eodem Armendaria refert Barboſa *ſupra.*

Qualiter prohibitum ſit viris Religioſis introducere, vel ingredi permittere in ipſorum Monaſteria fœminas quaſcunque, conſtat ex dictis *tom. 1. part. 1. c. 10. à num. 9.* De quo etiam, præter Authores ibi relatos, 49
Filliuccius *tract. 35. num. 118. & 119.* & Theſaurus *in prax. part. 1. verbo clauſura, cap. 3.* Maximè verò circa abſolutionem à ſuſpenſione à diuinis non reſeruata, quam contra tranſgreſſores impoſuit Pius V. in Conſtitutione eo *num. 9.* relata, & ab excommunicatione Papæ reſeruata, quam Greg. XIII. contra eoſdem impoſuit in Conſtitutione etiam eodem loco adducta, conſule priuilegia Religionum, & quæ pro noſtræ adduxi eodem *tom. 1. cap. 18. à num. 33.* Sicut pro diſpenſatione in pœnis priuationum, inhabilitatum, &c. dicta eo *cap. 18. num. 46.* & dicenda infrà verbo *pœna Eccleſiaſtica*, præſertim *num. 8. & 17.* De quibus etiam, & aliis hanc materiam concernentibus latè, & doctè Vincentius Candidus *tom. 5. diſquiſ. 5. art. 2.*

MONETARII.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutio Sanctiſſimi D. N. Vrbani contra Monetarios.*
2 *Actiones ibi prohibitæ.*
3 *Quomodo ea intelligenda.*
4 *De degradatione delinquentium.*
5 *De pœna triremium.*
6 *Nomine Italiæ an veniant Inſulæ adiacentes.*
7 *An Monetariorum crimen ſit reſeruatum.*
8 *An gaudeant immunitate Eccleſiæ.*
9 *De valore monetæ Sacræ Congregationis declaratio.*

DE Monetariorum crimine, & de pœnis ipſorum 1
aliqua dixi *tom. 1. cap. 10. num. 23. & ſuprà verbo Falſarius, à num. 5.* alia tamen in præſenti addenda, maximè cum Conſtitutio Sanctiſſimi D. N. Vrbani, quam eo loco retuli, etiam ad Regulares extendatur. 2
Ea verò quantum ad præſens, ſic habet. *Cum itaque felic. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter attendens, quod licet monetarum aurearum tonſoribus de iure vltimi ſupplicij eſſet inflicta pœna, argenteas tamen monetas tondentibus*

Digitized by Google

dentibus ſatis minor erat impoſita, omnes eos, qui argenteas tonderent, vltimi ſupplicij, & eadem, qua aureorum tonſores eatenus puniti fuerant, & de iure puniri debebant, pœna puniendos eſſe ſtatuerit, prout in cedula motus proprij manu eiuſdem Pij prædeceſſoris ſubſcripta plenius continetur. Nos motu proprio, ac ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris, ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatutum, voluntatem, & mandatum Pij prædeceſſoris præfati tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & innouamus. Ac ad omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, etiam quomodolibet exemptas, tam ſæculares, quam cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam de neceſſitate exprimendi, necnon militiarum quarumcunque, etiam Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani Regulares, non ſolum in ſtatu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis, & Sedi Apoſtolicæ ſubiecto, ſed etiam in omnibus, & ſingulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, & locis in Italia dumtaxat exiſtentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint, extendimus, & ampliamus. Volentes, vt culpabiles in præmiſſis reperti, præuia degradatione Curiæ ſæculari puniendi tradantur. Pecunias verò ſic, vt præfertur, adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, inſtrumenta, ſiue opem ad præmiſſa præſtantibus, pœnam triremium per decennium imponimus. Et cognitionem cauſarum huiuſmodi, quoad perſonas Eccleſiaſticas præfatas, tam ſæculares, quam Regulares in Prouinciis Nobis, & Sedi præfatæ ſubiectis, ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in eiſdem Prouinciis de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore exiſtentes, in aliis verò omnibus, & ſingulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis, tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quam cuiuſuis alterius Principis ditione, in Italia tantum comprehenſis, priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum ſpectare etiam volumus. Mandantes propterea Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſingulis videlicet in ſuis Ciuitatibus, & Diœceſibus, & quoad loca intra fines alicuius Diœceſis, non tamen de Diœceſi exiſtentia, ipſarum Diœceſum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo verò ad ea, quæ extra fines alicuius Diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, quatenus ad inſtantiam cuiuſuis fiſci, vel etiam cuiuſuis denunciatoris, cauſarum huiuſmodi cognitiones ſuſcipientes, præuia etiam auocatione à quibuſuis aliis, in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant omnibus iuris, & facti remediis opportunis, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Inhibentes, &c.

2 Circa quam Conſtitutionem notandum: Primò, ſex præcipuè actiones in illa prohibitas eſſe. Prima eſt *aureas, vel argenteas monetas tondere*. Secunda, eas *fabricare*. Tertia, eas *colorare*. Quarta, eas *adulterare*. Quinta, eas quomodolibet adulteratas *ſcienter erogare*. Sexta, illas *exponere*. De prima iam dixi loco relato 3. *tom.* quid ſit *tondere* monetam, ſcilicet de iuſto pondere ipſius aliquid detrahere, vel abſcindere, & qualiter ſic faciens peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem. Vbi etiam quid dicendum ſit de tondente priuata auctoritate monetas plus æqui ponderis habentes, in ea quantitate qua excedunt. Vbi nota, quod etſi talis propriè falſarius non ſit, quia falſarius non eſt niſi qui veritatem dolo aliquo mutat, quod non facit ſic tondens, vt habet Naldus *in Summa, verbo falſum, num.* 6. ex Petro de Nauarra, quem refert. Nihilominus punibilis eſt, etſi mitiori pœna, vt ibi dixi, quàm ea, quæ in prædicta Conſtitutione decernitur. De ſecunda etiam, quæ eſt *fabricare*, iam dixi eo loco hanc actionem committere illos, qui priuata authoritate monetam cudunt, & ſic facientes peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem iacturæ, quam patiuntur Principes, vel Ciuitates, ad quos pertinet illas fabricare. Quod intellige, etiamſi bonam, & iuſtam monetam cudant, propter eandem rationem; & quia cum non ſit Principis auctoritate facta, non habet verum valorem monetæ, ſed ſolùm valorem auri, vel argenti, ex quo facta eſt. Vide Chapeauille *de Caſib. reſeru. caſu* 16. *quæſt.* 1. *diffic.* 1. *&* 4 Notant autem Guidius *lib.* 3. *de Mineralib. tit.* 9. *de Moneta, quæſt.* 71. *num.* 204. & Peytinis 3. *tom. priuil. Min. in Conſt.* 12. *aliàs* 22. *Vrbani, cap.* 12. *num.* 2. quod qui incepiſſet fabricare falſam monetam, deinde pœnitens ex libera ſua voluntate non perfecit, ſed deſtruxit id quod cœperat facere, his pœnis non tenetur, quia leges pœnales non habent locum niſi ſecuto effectu. Dixi autem ad Principem, vel Ciuitatem pertinere ſolùm fabricare monetam, quia ita habetur ex variis Legibus & Authoribus, vt affert Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 51. *num.* 55. De tertia etiam actione, quæ eſt *colorare* monetas, eas ſcilicet pingendo, vt appareant aureæ, vel argenteæ, etiam dixi eo loco eſſe peccatum mortale obligans ad reſtitutionem. De quo etiam vide Barboſam *ſuprà*. De 4. quæ eſt *adulteratio* monetæ, etiam dixi loco relato. Pro qua nota, quod adulterare monetam, tribus modis contingere poteſt, ſcilicet circa ſubſtantiam, circa pondus, & circa formam. Quoad ſubſtantiam namque falſa moneta dicitur quando ſubſtituitur, aut permiſcetur vnum metallum pro alio, *l. Paulus, ff. de ſolut.* Circa pondus autem, quando minus pro maiori ponitur, *l.* 1. *ff. de contrahend. empt.* Circa formam verò, cum quis cudit monetam, hoc eſt veri, & iuſti ponderis, ac valoris, ſine tamen poteſtate id faciendi, aut imprimendo characterem, aut formam alienam abſque conſenſu eius cuius erat, *l. ſine nomine, & l. qui nomine, ff. ad leg. Cornel. de falſis.* Guidius *ſuprà tit.* 9. *de moneta, num.* 93. Barboſa *ſupra num.* 57. De quinta etiam, quæ eſt prædictas monetas falſas, ſeu adulteratas *ſcienter erogare*, etiam dixi loco relato eſſe peccatum mortale ad reſtitutionem obligans. Vbi nota, quod cum Pontifex poſuerit illam particulam *ſcienter*, denotare voluit pœnas huiuſmodi Conſtitutionis non eſſe applicandas ei, qui ignoranter id fecerit. Credo tamen, quod ſi talis ignorantia eſſet craſſa, aut affectata, illum non excuſaret. Talis enim ignorantia æquiualet malitiæ. Peytinis *ſupra num.* 3. Barboſa *ſupra num.* 66. Probabitur autem ignorantia prædictas monetas erogantis, primò, monſtrando perſonam à qua illas habuit. Secundò, ſi fuerit perſona bonæ opinionis, & famæ. Tertiò, iuramento dicentis ſe habuiſſe talem ignorantiam. De quibus Farinacius *in praxi criminali part.* 5. *quæſt.* 115. Decian. *tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 25. Guidius *ſuprà quæſt.* 74. & alij. De ſexta actione, quæ eſt exponere tales monetas, nihil occurrit dicendum, quia videtur coincidere cum quinta, vel ſaltem parum ab ipſa differre.

Notandum etiam circa eandem Conſtitutionem, eam & pœnas ipſius non eſſe extendendas ad exercentes prædictas actiones circa falſas monetas, cum tales non dicantur falſarij monetæ, intellige veræ, & vſualis. Barboſa *ſupr. num.* 62. ex Menochio, Surdo, & Deciano. Similiter nec videri extendendas ad exercentes tales actiones circa monetas reprobatas à Principe, quantumvis aliàs bonas, quia illæ ſolùm videntur intelligendæ de illas exercentibus circa monetam vſualem, & quæ expendi poteſt. Barboſ. *ſup. num.* 61. ex aliis. De quo etiam Franciſcus Curtius *de Monetis tom.* 12. *num.* 20. Guidius *ſupr. quæſt.* 78. *num.* 115. 3

Circa illud, quod additur in dicta Conſtitutione, ſcilicet *volentes, vt culpabiles in præmiſſis reperti, præuia degradatione Curiæ ſæculari puniendi tradantur*; notandum quoad Regulares, quod ſi ad illos ſpectet huiuſmodi 4

modi caoſæ cognitio, prout extra Italiam ſpectare poteſt, circa talem degradationem, quæ, qualis, & quomodo ſit facienda, animaduertere debent quæ dixi *ſuprà verbo Degradatio.*

5 Circa illud etiam eiuſdem Conſtitutionis: *Pecunias verò ſic, vt præfertur, adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, inſtrumenta, ſiue opem ad præmiſſa præſtantibus, pœnam triremium per decennium imponimus*, ſimiliter notanda pro eiſdem Regularibus, quando ad illos extra Italiam huius cauſæ cognitio ſpectauerit, quæ *tom. 1. cap. 16. n. 32.* de Regularibus ad triremes damnatis, dixi, qualiter ſcilicet talis pœna licitè in aliquibus caſibus ipſis infligi poſſit, & an ibi exiſtentes verberari: & quid; quando redeunt ad Religionem, an maneant irregulares, & an diſpenſari poſſint in irregularitate. Notandum etiam huiuſmodi damnatos ad triremes priuari poſſe, & etiam debere habitu pro eo tempore, quo ſunt in illis, vel etiam in carceribus ſæcularium, vt ad triremes mittantur. Tum quia ſunt indigni habitu pro eo tempore, tum ad vitandum ſcandalum, & dedecus Religionis, Bordon. *in Reſolut. reſolut. 35. num. 28.* Vide dicenda infrà verbo *Triremium pœna.*

6 Similiter notandum, quod cum prædicta Conſtitutio, vt patet ex verbis ipſius iam relatis, ſolùm ſit pro Italia, ideo iuxta opinionem illorum, qui dicunt nomine Italiæ non venire Inſulas Siciliæ, Sardiniæ, & Corſiæ (quam tueri videtur Diana *part. 3. tract. 17. Reſolut. 30.* ex Gambarupta *de Caſibus reſeruat. cap. 3. num. 8.* & ſequitur Peitinis *ſuprà num. 8.* dicens ſic practicari in Sicilia, & maximè in Diœceſi Catanenſi) poterunt Prælati Regulares in prædictis Inſulis, ſicut in aliis Orbis terræ partibus ſuos ſubditos hoc crimen perpetrantes punire ſecundum ſuarum Religionum iura, iuxta dicta vbi *ſuprà*. In Italia verò non ſolùm prohibentur id facere, ſed etiam impedire, moleſtare, aut perturbare Iudices in dicta Conſtitutione à Papâ deſignatos, ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis Beneficiorum, & Officiorum obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum, vociſque actiuæ, & paſſiuæ. Quin etiam præcipitur ipſis Superioribus Regularibus, vt quoties ad id fuerint requiſiti, Religioſos ipſos, etiamſi Superiores alicuius loci Regularis actu fuerint, ipſis Legatis, Prolegatis, Ordinariis, vel aliis quibus iidem Legati, Prolegati, & Ordinarij mandauerint, conſignent cum ſcripturis, & actis, ſi quæ facta fuiſſe reperiantur.

Quia etiam crimen Monetariorum aliqui recenſent inter caſos reſeruatos Epiſcopis, ſaltem ex conſuetudine; ideo notandum id quod dixi *ſuprà verbo Caſus reſeruati, num. 3.* quod ſcilicet quando de hac conſuetudine non conſtat, non eſt habendum pro reſeruato, niſi Epiſcopi eum ſpecialiter, & expreſsè reſeruent.

7 Præterea in hunc caſum incidentes gaudere Immunitate Eccleſiaſtica, eo quod non includatur in caſibus, quos tali Immunitate priuauit Gregorius XIV. in Conſtitutione, quam retuli *ſuprà verbo Immunitas Eccleſiarum, num. 1.* conſtat ex dictis *ibid. num. 16.* & tenent Peregrinus *de Immunitate, cap. 10. num. 9.* & Diana *part. 1. tract. 1. Reſolut. 7.* An verò Regulares perpetrantes hoc crimen potiri poſſint eadem Immunitate Eccleſiaſtica, conſtat ex dictis eo loco, *num. 6.* & *tom. 1. cap. 18. num. 83.*

8 Pro valore autem Monetæ notanda declaratio Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Moneta*, his verbis: *Moneta in valore regulariter attenditur tempus contractus, etiam in annuis præſtationibus.*

MONIALES.

SVMMARIVM.

1 *De Monialibus remiſſiuè.*
2 *De Monialium Obedientia.*
3 *De paupertate.*
4 *De caſtimonia.*
5 *De numero ipſarum in Monaſteriis collocando.*
6 *An duæ, vel plures ſorores poſſint in vno Monaſterio conſtitui.*
7 *De dote Monialium.*
8 *De ipſarum receptione.*
9 *De ætate pro ipſis requiſita.*
10 *Non cogendæ ad habitum ſub pœnis, &c.*
11 *An aliquando cogi poſſint fœmina ad Religionem ſuſcipiendam.*
12 *De excommunicatione contra impedientes earum receptionem.*
13 *De ætate recipiendarum.*
14 *De profeſſione Monialis dubitantis an ſit Baptizata.*
15 *De examine Monialium.*
16 *De obligatione ipſarum ad Officium diuinum.*
17 *Communicatio cum extraneis illis prohibita.*
18 *Decretum Sacr. Congregationis prohibens acceſſum Regularium ad Monaſteria Monialium.*
19 *Aliud ſimile Decretum.*
20 *Quomodo intelligendum.*
21 *Quos Religioſos comprehendat.*
22 *Quas Moniales.*
23 *Quæ licentia requiritur ad colloquendum cum ipſis.*
24 *De pœnis contra tranſgreſſores.*
25 *Maledictiones contra perturbantes illas in obſeruantia caſtitatis, & aliis bonis ipſarum.*
26 *An Regulares alloquentes moniales incidant in excommunicationem poſitam ab Epiſcopo.*
27 *Scribere ad illas an ſit prohibitum.*
28 *De regimine, & adminiſtratione bonorum ipſarum.*
29 *An gaudeant priuilegio fori.*
30 *De ipſarum abſolutione.*
31 *Declarationes Sacræ Congregationis circa illas.*
32 *Alia remiſſiuè.*

DE illis multa dicta ſunt in præcedentibus tomis, præſertim *tom. 1. cap. 25.* per totum, & *cap. 26.* de Abbatiſſis, ſeu Prælatiſſis ipſarum. Item *tom. 2. cap. 2. num. 8. 19. 22. 23. & cap. 5. num. 51.* præſertim etiam *ſuprà verbo Abbatiſſa, verbo Clauſura, verbo Dos monialium*, & aliis locis ſparſim. Nihilominus plura alia de ipſis addenda, ea præcipuè, de quibus particulares extant Sacræ Congregationis declarationes, vel pro maiori materiæ complemento. 1

Et primò, loquendo de Monialium obedientia, qualis ſit reſpectu Epiſcoporum, ſi illis ſint ſubiectæ, & reſpectu Prælatorum Regularium, ſi illis ſubiiciantur, & reſpectu Vicariorum, quos ſolent habere, ac ſuarum Prioriſſarum, vel Abbatiſſarum, & quanta ſit hæc obligatio, conſtat ex dictis *d. cap. 25. à num. 1. vſque ad 4.* Reliqua etiam, quæ ad ipſarum obedientiam ſpectant, quatenus ea eſt communis viris, & fœminis Religioſis, conſtant ex dictis eo *tom. 1. cap. 4.* per totum, vbi de obedientia Religioſorum latè egi. Specialiter etiam, & ſub quanta obligatione tenentur obedire ſuis Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, & an iſtæ poſſint illis aliquid præcipere *in virtute S. obedientiæ*, vel *S. Spiritus*, & circa quam materiam, & an ſub cenſura, habes ex dictis eo *cap. 26. à num. 8. vſque ad 11.* De obedientia autem ipſarum ad Regulas, conſtitutiones, & Statuta ſuorum Ordinum, iam dixi eo *cap. 25. num. 1.* ſimilem eſſe illi, quam obſeruare debent alij 2

Religioſi, exceptis quæ ipſarum ſexui, & fragilitati repugnant.

3 De modo paupertatis pro Monialibus requiſito, & magis conuenienti, dixi eo *cap.25. num.17.* Quibus etiam applicari poſſunt ea quæ dixi de voto paupertatis Religioſorum in communi eo *tom.2.cap.6.* Scio aliquos, qui poſt me ſcripſerunt, laxiùs de ea re loquutos fuiſſe, neſcio tamen an veritati, menti que Sac. Conc. Tridentini, Summorumque Pontificum Decretis ea cohæreant.

4 Circa Monialium caſtitatem, præter dicta *tom. 5. cap.5.* de Religioſorum caſtitate, quia etiam illis applicari poſſunt, deſeruiunt quoque ea, quæ dicto *cap.25. à num.16.* & *ſupra verbo Clauſura*, dixi de prohibitione, quam habent non egrediendi è ſuis Monaſteriis, nec ad illa admittendi quaſcumque perſonas. Ea enim ob caſtitatem exactiùs ab ipſis obſeruandam ab Eccleſia ſtatuta ſunt. Quibus addendum primò, peccatum carnis commiſſum cum moniali non ſolùm eſſe ſacrilegium, quia eſt contra cultum, & ſanctitatem perſonæ Deo Sacræ, vt colligitur ex S.Thom.2.2 *quæſt.*154. *art.*1. Angelo, Syluestro, Caietano, & alus Summiſtis *verbo Sacrilegium*; ſed etiam eſſe peccatum trium criminum malitia aliquo modo vitiatum, nempe ſacrilegio relato, adulterio ſpirituali, quia ſponſa Christi corrumpitur, & veluti inceſtu etiam ſpirituali, quia cum Monialis ſit ſponſa Dei, qui eſt pater noſter, per conſequens eſt veluti conſanguinea vel affinis noſtra. Gloſſa in *c. nuncidimus*, 27.*quæſt.*1. Rodr.*tom.*2.*quæſt.Reg. quæſt.*30. *art.*1. Homobonus *de Caſibus reſeruat. part.*2. *cap.*5.*ſect.*1. Addi etiam poteſt tale crimen habere ſtupri malitiam, ſi Monialis virgo erat, & malitiam raptus, propter iniuriam illatam Prælato ipſius. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum, diſp.*51. *quæſt.*1. *num.*4. Punitur propterea tale ſacrilegium committens excommunicationis pœna, & expulſione à Chriſtianorum conſortio, *canone virginibus*, & *can. impudicas*, 27.*quæſt.*1. Pœna etiam depoſitionis ab Ordine, & amiſſionis Beneficiorum, & aliis pœnis, *cap. ſi quis Epiſcopus* 27. *quæſt.*1. & 6. Synodo in Trullo *cap.*4. Punitur etiam iure ciuili pœna mortis, *l.ſacrileg.ff.ad l.Iuliam repet.l.aut facta*, §.*locus*, *ff.de pœnis.* Communiter tamen video ſimiles delinquentes ad triremes damnati. De iis, & aliis pœnis huius delicti Graffius *in Deciſionib. aureis*, *lib.*2. *cap.*46. Homobonus *ſup.* Tamburinus *ſup. quæſt.*2. ex aliis. Ipſæ autem Moniales ſe violari permittentes, eſto multis pœnis, ſicut & violatores ipſi ab antiquis Conciliis puniantur, regulariter tamen hac pœna plectuntur, vt perpetuo carceri mancipentur, *cap. impudicas*, relato. Marſilius *in lib.* 1. *Cod.de raptu virg. num.* 57. Tamburin. *ſuprà, quæſt.*3. Quas autem pœnas incurrant contrahentes cum Monialibus, ipſæque Moniales contrahentes, dixi eo *cap.*15 *num.*15. Addendum ſecundò, quod caſu quo Epiſcopus, vel Superior Regularis reſeruet ſibi caſum committentium aliquas obſcœnitates, vel alia crimina cum Monialibus, aliiſque honeſtis fœminis in Monaſterio exiſtentibus, hunc caſum incurrere primò illos, qui Monialium pudicitiam verbis tantùm attentarunt, *ex cap. ſi quis non dicam, de pœnit.diſt.*1. & *l.item apud Labeonem*, §. *ſi quis virgines*, *ff.de iniur.* Secundò, illas oſculantes, vel impudicis manibus tangentes. Tertiò, per litteras, vel nuncios, vel ſigna, aut nutus ad turpia ſollicitantes. Quartò, cum illis de obſcœnis loquentes. Quintò, hæc vel ſimilia cum Nouitiis, puellis educandis, nuptis, ſeu viduis in Monaſterio exiſtentibus molientes. De quibus Homobonus *ſup.* Tamburinus *quæſit.*1. ex Azorio, & Henriquez.

5 Pro numero Monialium in ipſarum Monaſteriis deſignando, iam dixi eo *cap.*15. *num.*6. ex iure Canonico, Concilio Trident. & Conſtitutione Pij V. (vt antiquiora iura omittamus) non poſſe recipi plures Moniales, quàm quæ ex redditibus, vel conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſint. Vbi etiam quid dicendum ex declaratione Sac. Congreg. de Monialibus ſupernumerariis. Ad quem verò pertineat huiuſmodi numerum deſignare, ſic habetur ex declaratione quadam S. Congregationis in vna Tortonenſi apud Barboſam *de iure Eccleſiaſtico lib.*1.*cap.*44.*num.*28. *Præfixio fiat ab Ordinario dumtaxat in Monaſteriis ſibi ſubiectis, in cæteris verò, quæ Regularibus ſubdita ſunt, fiat eadem præfixio ab Ordinario, cum interuentu tamen Superioris Regularis.* Pro Regno etiam Portugalliæ, petente Catholico Rege, à Sacr. Congreg. ſtatutum eſt vlteriùs, vt in iis Monaſteriis, quæ regularibus ſubiecta ſunt, Superiores regulares numeri præfixioni aſſiſtant, & quod ſupra numerum præfixum nulla deinceps admittatur Monialis abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, Barboſa *ſuprà num.*29.

Declaratum etiam video à Sacr. Congregatione ad Archiepiſcopum Bracharenſem, ſub die 26. Auguſti 1616. ſequentia. *Non poſſunt vltra duas ſorores in eodem Monaſterio habitum Regularem ſuſcipere, & profeſſionem emittere abſque Sacra Congregationis licentia, & ſi hac licentia obtenta, tertia ſoror ad habitum admittatur, voce actiua, & paſſiua tandiu careat quouſque altera ex eiſdem duabus ſororibus vitam cum morte commutauerit, dotemque duplicatam ſoluat, quatenus intra, triplicatam verò, ſi ſuprà numerum exiſtat. Talique caſu adimpleri debent conditiones in licentiis expreſſis pro Monialibus ſupranumerariis concedi ſolitis. Vbi autem laudabilis conſuetudo inoleuit, vel Pontificia Conſtitutione cautum eſt, quod nec duæ ſorores in eodem Monaſterio habitum ſuſcipiant, prout Florentiæ, & alibi, ita obſeruatur.* Barboſa *ſuprà num.* 24. & conſonant Gauantus in *Manuali Epiſcoporum, verbo Moniales*, *num.* 10. Circa quæ, præter dicta eo *cap.*25.*num.*6. Vide etiam Campanile *in Diuerſ. Iur. can.rubr.*12.*cap.*16.*num.*14. Gauantum *ſuprà, verbo Monialium Nouitiarum alimenta*, & Tamburinum *ſuprà diſp.*5.*quæſit.*4. Vbi etiam habetur epiſtola eiuſdem Sac. Congregationis ad Cardinalem Bendraminum, ex qua aliquot caſus, qui occurrere poſſunt circa præſentem difficultatem, decidi poterunt. Notandum etiam, quod mortua aliqua Moniali intra numerum præfixum, ad reliquas Moniales ſpectat capitulariter, votiſque ſecretis, eam puellam, quæ eis viſa fuerit, ad locum huiuſmodi intra numerum vacantem admittere. Barboſa *ſupra num.*33. Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Moniales*, *num.*23. Qui etiam dicit ita declaraſſe S. Congregationem. Notandum præterea circa hunc numerum Monialium, quod de conſuetudine aliquorum locorum Conuerſæ non habentur in conſideratione ad augendum talem numerum. Tamburinus *ſuprà diſp.*5.*quæſit.*1. *num.*3. Licet oppoſitum videam declaratum à S.Congregat. apud eundem Gauant. *ſuprà verbo Monialium*, *num.*3.

De dote Monialium, & quomodo licitè dari poſſit, 7
dixi non ſolùm eo *cap.*25.*num.*5. ſed etiam latiùs *ſuprà verbo Dos Monialium.* Præter dotem autem nihil accipi poſſe ex bonis Nouitiæ, dixi eo *cap.*25. *num.*39. Niſi ſolùm, vt ibi dixi, pro victu, & veſtitu Nouitiæ. Et conſonat declaratio Sac. Congreg. apud Barboſam *ſuprà num.*25. ex qua habetur à tempore ſuſcepti habitus vſque ad profeſſionem teneri conſanguineos, vel parentes eiuſdem ei victum, & veſtitum ſubminiſtrare, quamvis dos in depoſito exiſtat. Habetur etiam ex alia declaratione S. Congreg. apud eundem Barboſam *ſuprà num.* 27. non licere Epiſcopis cùm Nouitiæ veſtiuntur, vel profeſſionem emittunt, à propinquis, vel ab alio quocumque donatum, comeſtibilia, & linea, etiam parui valoris accipere. Hinc conſequenter propinæ dandæ Superioribus in habitu, & profeſſione Monialium ſunt prohibitæ, ſicut & conuiuia in foreſteriis Monialium, non verò eleemoſynæ pro Sacriſtiis & infirm-

Digitized by Google

infirmariis. Ita enim habetur ex alia declaratione Sac. Congregationis, quam refert Gauantus *ſuprà, verbo Monialium profeſſio, num.* 23. Cui etiam conſonat illa, quam *ſuprà num.* 5. dixi factam eſſe ad inſtantiam Regis Catholici pro Regno Portugalliæ. Cum enim poſtularetur, vt abuſus Monaſteriorum illius Regni circa propinam dandam Superioribus quotieſcunque aliqua puella indueretur habitu monaſtico, tolleretur, præcepit Sacra Congregatio ſic. *Propinarum abuſus nedum tollatur, ſed etiam grauiſſimarum pœnarum, etiam cenſurarum, comminatione prohibeatur. Pro ea tamen die, qua ad habitum Monachalem admittentur puellæ, aliquid eſculenti, vel poculenti, modici valoris, & pro eiuſdem diei vſu duntaxat elargiri, vetitum non cenſeatur.* Addit autem Barboſa loco relato *ex lib.* 1. *de iure Eccleſiaſtico, num.* 32. Sanctiſſimum declaraſſe prædictum Decretum dicendo. *Eleemoſynas, quæ per pactum Sacriſtiis & infirmariis Monaſteriorum Monialium dari ſolent, non comprehendi in Decreto, quo propinarum ſolutio per Moniales, dum ad habitum, vel ad profeſſionem admittuntur, fieri ſolet, interdicitur.* Quia verò in taxatione harum expenſarum exceſſus poteſt contingere, ideo ad id deſeruit declaratio S. Congreg. quam refert Campanile *ſuprà num.* 13. in qua dicitur, *Sumptus à Monialibus in profeſſione, & velo ſumendo faciendi taxentur ab Ordinario, & deſtinentur pro rebus neceſſariis.* Vbi nomine *Ordinarij*, quo S. Congregat. vtitur, intelligendus etiam venit Prælatus Regularis in ordine ad receptionem Monialium ſibi ſubditarum. Vide etiam quæ dixi eo *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 24. *à num.* 32. circa donationes Nouitiorum ante profeſſionem ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 16. Ea enim excommunicatio à Concilio impoſita etiam intelligenda eſt circa Nouitias Moniales. Pertinet quoque ad Epiſcopum, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas cogere Regulares, vt Nouitiis ante profeſſionem obeuntibus reſtituantur omnia, quæ ſua erant, iuxta dicta ex eodem Concilio *ſuprà verbo Epiſcopus quoad Regulares, num.* 8. [Circa id tamen quod diximus de propinis prohibitis in Regno Portugalliæ, notandum quod Portellus Auctor illius nationis *in reſponſionibus moral. tomo* 2. *caſu* 103. ait, quod non obſtante dicta prohibitione, etſi per D. Acorambonum Collectorem illius Regni anno 1616. die 8. Iulij publicata fuerit, non tamen fuit recepta, nec eſt in vſu & praxi illius Regni, cui fauet etiam Villalobos *in Summa, tomo* 2. *tract.* 2. *difficult.* 19. *num.* 15.]

8 Circa Monialium receptionem, præter Conſtitutiones, & Statuta particularia Religionum, Decreta quoque ſpecialia Diœceſis Mediolanenſis, quæ refert Gauantus *ſuprà verbo Monialium profeſſio*, notandum etiam eſt, Moniales legere neſcientes, neque ad profeſſionem, neque ad Chorum admitti debere. Ita enim declarauit S. Congregatio, vt refert Barboſa *ſuprà num.* 26. & ex ipſo Nouarius *in Lucerna Regul. num.* 2. Hoc tamen non videtur neceſſarium pro Conuerſarum receptione.

9 De Monialium recipiendarum conditione quoad ætatem, dixi eo *cap.* 75. *num.* 11. An non ſolùm virgo, ſed etiam vidua conſecrari poſſit velo proprio virginum, dixi eo loco, *num.* 9. & 10. Quibus addendum, Monialem viduam conſecrari poſſe benedictione viduali, ex Nauarro *lib.* 3. *conſil. de Regularibus, conſil.* 4. & Miranda *de Sacris Monialibus, quæſt.* 7. *art.* 8. *concluſ.* 2. Vbi addit modum benedicendi viduas dicens. Si benedicenda, & conſecranda publicè vidua eſt, quæ in facie Eccleſiæ viro nupſit, & poſtmodum eo mortuo Monialis eſt effecta, in tali caſu benedicenda eſt benedictione viduali publicè, de qua benedictione non habetur ſpecialis rubrica in Pontificali Romano, ſed illa, qua benedicuntur virgines adaptatur illi, mutatis nominibus ſignificantibus virginitatem in nomina ſignificantia viduitatem, & caſtitatem. Idem dicendum eſt de muliere corrupta, quæ nunquam viro nupſit, iudicialiter tamen habetur eam fuiſſe corruptam, nec id ipſa negat, quin verò fatetur; & hæc etiam debet benedici publicè benedictione viduali. Tamburinus *ſuprà diſp.* 27. *quæſito* 5. *in fine.* Quomodo autem conſecrari, vel non conſecrari poſſit Monialis aliquo modo corrupta, vel quæ contra caſtitatem peccauit, præter dicta eo *num.* 10. videndi ſunt ex iis, qui poſt me ſcripſerunt, Tamburinus *dicta diſp.* 27. *ferè per totam*, & Theſaurus *in praxi, part.* 2. *verbo Monialis, cap.* 3.

Qualiter puellæ cogi non poſſint ad habitum, vel profeſſionem Monialium, conſtat ex dictis *eo cap.* 25. *num.* 8. & 12. & etiam *cap.* 24. *n.* 29. Quia tamen Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. ſic habet: *Anathemati ſubiicit omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm laicos, ſæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocunque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcunque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem. Quique conſilium, auxilium, vel fauorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint.* Ideo aliqua animaduerſione digna ſunt. Primò, quod hæc excommunicatio eſt latæ ſententiæ, Theſaurus *in praxi, part.* 2. *verbo Monialis, cap.* 1. ex Toleto, & aliis communiter. Secundò, quod non videtur incurri ab Imperatoribus, Regibus, vel magnis Principibus, cum illi non exprimantur, prout videbatur neceſſarium, cum ſint perſonæ ſpeciali nota dignæ. Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *c.* 4. *num.* 2. Etſi oppoſitum indicet Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 25. *ſect.* 7. *n.* 8. Tertiò, quod non eſt reſeruata, cum nihil de reſeruatione in Concilio dicatur. Theſaurus *ſuprà, § limita quartò*, ex Suarez, Toleto, & Sayro. Quartò, quod iuxta dicta eo *cap.* 24. *n.* 29. hæc excommunicatio à Concilio impoſita non incurritur à cogentibus pueros, ſeu viros ad Religionem, cum Concilium ſolùm loquatur de fœminis. Quintò, eandem excommunicationem incurrere cogentes fœminas non ſolùm ad habitum ſuſcipiendum, vel profeſſionem emittendam, ſed etiam ad ingrediendum Monaſterium ſæculari habitu retento, ad educationem v.g. Ratio eſt, quia Concilium ſicut expreſſit ſuſceptionem habitus, & profeſſionem, ſic etiam expreſſit ingreſſum Monaſterij, per quem, vt diſtinctum ab aliis duobus, non potuit aliud intelligere niſi hunc ingreſſum, præſertim cum loquatur alternatiuè de his tribus caſibus, in alternatiuis autem iuxta Regulam iuris *in* 6. ſatis eſt alterius partis veritas. Ledeſma *in Additionib. Summæ, tit.* 2. *tract. de ſtatibus, cap.* 5. *concl.* 8. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 14. *cap.* 6. *num.* 89. Tamburinus *ſuprà diſp.* 1. *quæſit.* 4. poſt Dianam, & alios, quibus iunge Theſaur. *ſuprà, §. Amplia ſecundò.* Etſi Sanchez *ſuprà n.* 12. cum Rodriguez *tom.* 2. *Summæ, cap.* 8. *n.* 9. id probabiliter limitet, ita vt non incurratur hæc excommunicatio, niſi quando cogitur puella ad talem ingreſſum animo principali, vt poſtea puella habitum ſumat, & profeſſionem emittat. Non videntur autem incurrere hanc excommunicationem parentes, qui cogerent puellas impuberes ad ingrediendum Monaſterium, vt in eis ſub Regulari diſciplina viuant. Ratio eſt, quia huiuſmodi oblatio puellarum impuberum permiſſa eſt parentibus iure communi, prout colligitur à contrario ſenſu *ex c.* 2. *de reg. & ex c. puella* 20. *q.* 2. & expreſsè deciditur in Concilio Vuormarienſi *c.* 22. & habetur *cap. Addidiſtis* 20. *q.* 1. & in Concilio Tolet. 10. *cap.* 16. Item *cap.* 1. 20. *q.* 2. Idem habetur *l. regia* 4. & 5. *tit.* 7. *part.* 1. & docent D. Antoninus, Palud. & Syluester, quos refert, & ſequitur Sanchez dicto *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 8. Nec hoc 10

eſt reuocatum in Concilio Tridentino, aut alio loco, vt ipſe Sanchez *ibid. num.* 33. & Portellus *in dubiis Regularium, verbo Clauſura Monialium, in Additionibus mihi num.* 9. ac Tamburinus *ſupra dicto quæſito* 4. tenent. Cum autem parentes ex iure admonitum non reuocato habeant facultatem offerendi filias impuberes Religioni, à fortiori poterunt illas ad id cogere. Portellus *ſupra*, Tamburinus *ſupra*, *&* *diſp.* 2. *quæſit.* 4. Dixi autem non incurrere hanc excommunicationem parentes offerentes etiam cogendo dictas puellas impuberes Religioni, quia ſecus eſt dicendum de offerentibus, aut cogentibus puellas puberes, ideſt duodecimum annum, vel circiter habentes, cum textus adducti ſolùm loquantur de impuberibus, & de puberibus maximè procedat deciſio Concilij. Portellus & Tamburin. relati. Alia verò, quæ ſpectant ad huiuſmodi oblationem puellarum, habes apud Suarez *tom.* 3. *de Religione, lib.* 1. *cap.* 9. & Sanchez *dicto c.* 18. per totum. Qui porrò dicantur cogere puellas ad habitum, professionem, vel ingreſſum Monaſterij, latè habent idem Sanchez *ſupra dicto c.* 4. fermè per totum, Theſaur *ſuprà*, §. *amplia primò*, ex Rotæ deciſione, Portellus *ſuprà verbo Moniales*, *n.* 9. ex declaratione Sacræ Congregationis apud Marzillam, & *in Addit. à num.* 6. De quo etiam *infra verbo Profeſſio Regularis* dicetur. Nec etiam incurrent hanc cenſuram cogentes fœminas ad emittendum in ſæculo votum Religionis, quia in Decreto Concilij ſolùm eſt ſermo de cogentibus ad ingrediendum, vel habitum ſuſcipiendum, vel profitendum: & cùm ſit pœnale, non debet extendi. Sanchez *dicto cap.* 4. *n.* 13. Theſ. *ſupra*, §. *limita tertiò*, referens Suarez, & Filliucium. Qualiter etiam præbentes conſilium, auxilium, vel fauorem ad talem coactionem incurrant eandem cenſuram, habetur ex eodem Tridentino loco relato. De quo etiam, & qualiter id intelligatur, dummodo ſequatur effectus coactionis, agunt Sanchez *dicto lib.* 4. *cap.* 4. *à n.* 18. & Portell. *verbo Moniales, in additionibus n.* 17. Vbi etiam quinam intelligendi præſentiam, conſenſum, vel auctoritatem tali violentiæ præſtare.

11 Caſus autem, in quibus ex Iure habetur fœminas cogi poſſe ad Religionem, vel ingreſſum Monaſterij, præter adductum de puellis impuberibus oblatis Religioni, vel Monaſterio, ſunt. Primus, quando fœmina publicè, vel priuatim fecit votum Religionis, de quo conſtat, *cap. licet, de voto.* Secundus, ſi fœmina poſt duos menſes coniugata nolit conſummare Matrimonium de Religione deliberans, vel quando conſcia de diſpoſitione Iuris, *cap. quidam, & cap. placet, de conuerſ. coniug.* (quibus capitibus definitur quod coniux non poteſt altero coniuge inuito Religionem ingredi, & ingreſſus tenetur ad inſtantiam alterius coniugis egredi) conſcia, inquam, fœmina de hac diſpoſitione conſentit, vt vir in Religionem ingrediatur, in eaque profeſſionem emittat, ſi de illa remanente in ſæculo habeatur ſuſpicio, quod non ſeruabit votum continentiæ, cui ſe adſtrinxit ad hoc vt alter poſſet Religionem ingredi, poteſt ad intrandum compelli, iuxta *cap. ſignificauit, de conuerſ. coniug.* à contrario ſenſu. Tertius, ſi poſt quinquennium dicat profeſſionem ſuam fuiſſe nullam, Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. De quo *infrà verbo Profeſſio Regularis*. Quartus, ob crimen, vt ſi damnata ad carcerem perpetuum, offerat ſe Papæ, vt ſit Monialis, & liberetur à carcere, tunc enim debet cogi, ſicut de adultera, cui pœna remittitur, dummodo ſit Monialis, & illa acceptauit. Authentic. *Sed hodie, C. ad. leg. Iul. de adult.* In his ergo caſibus non incurritur dicta excommunicatio Concilij. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia, cap* 41. *dub.* 3. *num.* 27. *&* *dub.* 4. *n.* 42. Portellus *dicto verbo Moniales*, *num.* 7. Peirinis *tom.* 1. *de Subditis, quæſt.* 1. *cap.* 19. § *notu* 3. Theſaur. *ſuprà*, §. *limita primò.*

12 Incurrunt etiam prædictam excommunicationem latæ ſententiæ, & non reſeruatam, vt dixi, ex eodem Concilio *cap.* 18. relato, illi *qui Sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntates veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint.* Nomine autem voti non intelligitur votum ſimplex, ſeu priuatum factum in ſæculo, ſed votum ſolemne factum in Religione. Sanchez *dicto lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 14. ex Suar. Portellus *verbo Moniales, in addit. num.* 15. Addit Sanchez *num.* 15. nec comprehendi impedientes primum Religionis ingreſſum. Sed oppoſitum tenet Suarez, & ex eo Portellus *ſuprà num.* 16. Cùm autem Concilium dicat *ſine iuſta cauſa*, ideò ſi pater dicat filiæ, non poſſe illam eſſe Monialem, quia caret dote, vel quia eſt infirma, vel propter alias rationabiles cauſas, non incurret illam. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regul. quæſt.* 14. *art.* 3. Portellus *dicto num.* 16.

Circa ætatem puellarum ad habitum, & nouitiatum admittendarum, dixi eo *cap.* 11. *num.* 11. cautè procedendum, propter varietatem declarationum S. Congr. quæ in hoc puncto à DD. referuntur, quibuſdam aſſerentibus, puellas minores duodecim annorum accipi non poſſe, aliis verò negantibus. Nunc verò addendum partem negatiuam, ſcilicet puellas admitti non poſſe, niſi poſt duodecimum annum, communiorem eſſe, & magis conformem, tum Decreto Concilij Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 17. tum menti Sac. Congregationis, prout referunt Naldus *in Summ. verb. habitus*, *num.* 6. Bartholomæus de Vecchis *in Praxi Nouitiorum, diſp.* 2. *dub.* 6. *num.* 16. & Tamburin. *ſup. diſp.* 4. *quæſito* 2. latè. Vide alia *infrà verbo Nouitij*, *&* *Nouitia.* 13

Monialis dubitans an fuiſſet baptizata, quæ ad cautelam ſe iterum fecit baptizari, ſi antea profeſſionem emiſerat, profeſſio tenet, itaut exire non poſſit. Sed tamen debet iterum nouitiatum facere anno integro, & poſtea profiteri. Portellus *ſupr. verbo Moniales*, *n.* 5. ex declaratione S. Congregat. 14

De examine Monialium faciendo ab Epiſcopo, vel eius Vicario ante profeſſionem, & an etiam ante habitus ſuſceptionem faciendum ſit, & qualiter, egi dicto *cap.* 25. *num.* 12. *&* *cap.* 26. *num.* 17. *&* *ſuprà verbo Epiſcopus quoad Regulares*, *num.* 10. An autem ſuſpenſio, quam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 17. ſtatuit contra Præfectam Monaſterij, quæ ante profeſſionem Nouitiæ per menſem non monet Epiſcopum, ſit ſolum pœna, non autem cenſura, quæ ipſo facto ante declarationem incurratur, dicam *infra verbo Suſpenſio quoad Regulares*, *num.* 3. 15

De obligatione Monialium ad dicendum Officium diuinum in choro, & priuatiuè, & qualiter in *Confiteor* nihil mutare poſſint, nec dicere *tibi mater*, *&* *vobis ſorores*, ſed *tibi Pater*, & *vobis fratres*, dixi eo *cap.* 15. *num.* 13. *&* 41. Vbi etiam de Capellanis Monialium, pro quibus debent dicere miſſam. Pro quo etiam vide dicta *ſuprà verbo Miſſa*, *num.* 43. Vlteriùs notandum, teneri etiam Moniales celebrare facere miſſam Conuentualem, *cap. cum creatura, de celebrat. Miſſar.* *&* *cap. dolentes, eodem tit.* Sunt enim earum Eccleſiæ, vel Collegiales, vel ſaltem Conuentuales. Angelus *in Summ. verbo Miſſa*, §. 33. Corduba *in Annotationibus ad Compend. priuileg. fratrum, verba Moniales.* An verò talis miſſa Conuentualis Monialium ſit neceſſariò applicanda generaliter pro viuis, & defunctis, reſpondeo negatiuè, niſi ex ſtatutis particularium Religionum ad id obligentur, prout dicitur de Religione minorum. Cum conſtet ad id non obligari iure Diuino, aut Canonico communi. Si autem viuunt ex eleemoſynis fidelium, & non ex propriis redditibus, ſaltem ex gratitudine ad id videntur obligatæ, vt ſatisfaciant benefactoribus. Corduba *ſuprà*, Portellus *verbo Miſſa*, *num.* 7. 16

Circa communicationem extraneorum cum Monialibus, conſtat ex iure antiquo prohibitum eſſe accedere ad Monaſteria ipſarum, *cap. Monaſteria, de vit. & honeſt. Cleric. cap. periculoſo, de ſtat. Regular. in* 6. & in 17

Concil.

Concil. Matiſcon. I. *cap.* 2. Vnde nec Epiſcopis extra propriam Diœceſim id licet, vt habet Gratianus *tom.* 2. *diſp. forenſ. cap.* 392. & conſtat ex quadam Epiſtola Sac. Congregationis ad Archiepiſc. Barenſ. quam referunt Antonius Nouarius *in Summa Bullar. verbo Clauſura, & acceſſus*, *num.* 10. & Tamburin. *ſuprà diſp.* 25. *quæſit.* 2. Nec Subcollectori, vt conſtat ex alia declaratione Sac. Congregat. quam referunt Sellius *in Select. Canonic. cap.* 18. *num.* 51. Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Moniales alloqui, &c.* Specialiter Religioſis etiam eſt prohibitum, *cap. diffinimus*, 18. *quæſt.* 2. Inſuper, præter particulares prohibitiones, quas ſpeciales Religiones habent circa hoc, ſicut noſtra *in parte* 3. *Conſtit. cap.* 12. *num.* 24. & Franciſcana apud Mirandam *de Sacr. Monialib. quæſt.* 4. *art.* 2. & alia, quæ ad intentum dixi eo *cap.* 25. *num.* 34. 35. & 36. ſpecialiter, prout eo *num.* 36. & 40. dixi, extat Decretum S. Congregationis ſub Sixto V. quo illis prohibetur ſub variis pœnis accedere ad Monialium Monaſteria, exceptis Prædicatoribus, Capellanis, & Confeſſariis, quibus cum certis conditionibus id permittitur. Item, & Decretum aliud S. Congregationis ſub SS. D. N. Vrbano, quo moderatum eſt illud prius. Quia tamen prædicta Decreta ab aliquibus deſiderantur, ideo hic ponenda, & plura pro ipſorum explicatione dicenda.

18 Primò ergo Decretum S. Congreg. de anno 1590. huius tenoris eſt. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinales Sacra Regul. Congregat. Prafecti, ad occurrendum ſcandalis, qua contingere poſſunt, aliiſque iuſtis, & rationabilibus cauſis animum piè mouentibus, de ſpeciali, & expreſſo mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papa quinti, viua vocis oraculo eis facto, decreuerunt, & mandauerunt, nulli poſthac Religioſo cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat, (Superiore, cui Monaſterij, ſeu domus cura incumbit, Viſitatore, vel Viſitatoribus, Confeſſarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) licere abſque licentia expreſſa eiuſdem S. Congregationis accedere ad Monaſteria, ſeu domos quarumcunque Monialium, vel ſororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quod ſi aliquando mandato ſui Superioris aliquos Religioſos ad pradicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Miſſas in ipſarum Monialium, ſeu ſororum Eccleſiis, ſiue Oratoriis exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religioſi, vllo quaſito colore, Moniales, ſorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degentes alloqui poſſint. Confeſſariis autem ſimiliter interdixerunt, ne in eiſdem Monaſterij, ſeu domus, vel Monaſterio, ſeu domui Monialium, aut ſororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel aliàs ſ. cum retineant, neue extra tempora generalium Confeſſionum, quibus ſolo tantum Confeſſario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum, videlicet cum ſua habitatio, aut virorum domus, vel Monaſterium, in quo degunt, à Monialium, ſeu ſororum Monaſterio, vel domo nimium diſtat, niſi tamen, & eo caſu contrarium ſpecialiter conſtitutum ſit, ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum ſumant. Qua omnia, & ſingula ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiua, & paſſiua ipſo facto incurrendis, aliiſque eiuſdem Congregationis arbitrio praceperunt inuiolabiliter obſeruari. Iniungentes cunctis RR. PP. Generalibus, Prouincialibus, & aliis quorumvis Monaſteriorum, & Mendicantium, ac non Mendicantium Ordinum, & Congregationum Superioribus, ad quos ſpectat, quatenus infrà terminum vnius menſis, à die quo praſens Decretum ipſis notificatum fuerit computandi, debeant eiuſdem Decreti copiam cum huiuſmodi pracepto, omnibus ſuorum Ordinum, & Religionum Monaſteriis, domibus, & Conuentibus intimare, & notificare, & intimaſſe, & notificaſſe, ne vllum aliquando deſuper ignorantiam in futurum allegare, aut pratendere quoquo modo poſſint. Roma 9. Maij* 1590. Referunt hoc Decretum Quaranta *in Summa Bullar. verbo Monaſteria Monialium*, Naldus *in Summa, verbo Moniales*, Bonacina *de Clauſura, quaſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 3. Peyrinis *tom.* 2. *priuil. Minim. Conſtit.* 6. *Pij V. num.* 6. & Bordonus *in ſuis Reſol. reſol.* 7. *num.* 72. De quo etiam nouiſſimè Candidus *tom.* 4. *diſquiſ.* 5. *art.* 1. *dub.* 8. *& ſeqq.*

Decretum verò Sac. Congregationis ſub Sanctiſſ. 19
D. N. Vrbano tale eſt. *Cum aliàs de anno* 1590. *per Sacram Cardinal. negotiis Regularium Praſectorum Congreg. de mandato fel. record. Sixti Papa V. circa acceſſum Regularium cuiuſcumque Ordinis ad Monialium Monaſteria fuerit decretum, quod nulli Religioſo cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat (Superiore cui Monaſterij, ſeu domus cura incumbit, Viſitatore, vel Viſitatoribus, Confeſſarioque ordinario & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat abſque licentia expreſſa eiuſdem Sacra Congregationis accedere ad Monaſteria, ſeu domus quarumcunque Monialium, vel ſororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſvis Ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quod ſi aliquando mandato ſui Superioris aliquos Religioſos ad pradicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Miſſas in ipſarum Monialium, ſeu ſororum Eccleſiis, ſiue Oratoriis exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus mitti contigerit, ne dicti Religioſi vllo quaſito colore, Moniales, ſorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degentes alloqui poſſint, ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiua, & paſſiua ipſo facto incurrendis, aliiſque eiuſdem S. Congregat. arbitrio, fueritque poſtmodum declaratum, etiam Equites S. Ioannis Ieroſolymitani ſub eodem Decreto comprehendi, & quoſcunque contrafacientes ab alio, quam ab Apoſtolica Sede, aut à Sacra Congregatione abſolui, & rehabilitari non poſſe: Ampliſſimi eiuſdem Sacra Congregationis Patres Decreta huiuſmodi innouanda, & immutabiliter obſeruanda ſtatuerunt. Verum quia experientia compertum eſt, interdum ob pias, & rationabiles cauſas, euſque, ita ferente caſu, repentinas, vt ab eadem S. Congregatione licentiam expectari ſummè incommodum, vel inutile ſit, & Regularibus ſi prædictis colloquendi cum Monialibus ſibi attinentibus neceſſitatem obuenire, facto verbo cum SS. D. N. Vrbano Octauo, & de Sanctitatis ſua expreſſo ordine, & mandato, facultatem tribuerunt in poſterum locorum Ordinariis, vt quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere poſſint per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuicunque Regulari, vt Moniales ſibi in primo, & ſecundo tantùm conſanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui poſſit. Id verò non aliter, quam ſeruata ad vnguem forma infraſcripta. Vt id nullo modo liceat diebus feſtiuis, aut in Aduentu, Quadrageſima, Feria ſexta, Sabbato, & Vigiliis, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem ſpectet eam concedere, conſignetur Confeſſario ordinario Monaſterij, qui penes ſe retinere debeat, eoſque aſſociet, & præſens ſit, & auſcultatrices de more, non autem alia aſſiſtant, prædictoque licentia pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedatur, in libriſque cancellaria eiuſdem Ordinarij annotetur. Quod ſi pradicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter quam ſeruata forma ſupradicta, licentias contulerint, vel permiſerint, ſciant ſe intentionis S. D. N. & Sacra Congregationis tranſgreſſores, iudiciumque eſſuremident. Regulares autem pœnis in ſupradicto Decreto contentis, ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent, eo ipſo ſe nouerint eſſe addictos, & arbitrio Sacra Congregationis ſtatim puniendos. Roma* 12. *Kal. Decemb.* 1624. *Oct. Card. Bandinus. Laurentius Campegius Secr.* Referunt hoc Decretum Naldus *ſuprà*, Bonacina *num.* 34. Peyrinis *num.* 7. & Bordonus *num.* 90.

Circa hæc Decreta animaduertendum primò, illa 20
obligare ad mortale, prout colligitur ex grauitate materiæ, verbis ipſorum, & pœnis in illis contentis. Bo-

Digitized by Google

nacina *dicto num.*4. Naldus *ſuprà num.*17. Pro quo maximè facit quod Sacra Congregatio id declarauit anno 1606. prout retuli eo *cap.*25.*num.*36. Secundò, etiamſi vna vice ſolùm fiat contra ipſa. Cum Sacra Congregatio non prohibeat frequentationem, ſed acceſſum, qui vel per vnicam vicem contingit. Bonacina *num.*5. Bordonus *num.*83. Tertiò, requiri ad incurrendas eas pœnas vltra acceſſum ad Monaſteria, locutionem cum Monialibus. Ille enim acceſſus intelligendus venit ſecuto effectu locutionis, ſicut in ſimili dixi de caſibus reſeruatis *ſuprà verbo Caſus reſeruati Regularium, n.*12. & dicam infra de ſcribentibus ad Moniales. Bordonus *ſupra num.*79. Vnde audiens Monialem loquentem, ſi ipſe non loquatur, non incurrit illas. Diana *part.* 3. *tract.*2.*dub.*48.§.*nota primò*. Secus dic de loquente cum ipſa præſente per interpretem, quia talis in communi hominum æſtimatione cenſetur cum ipſa loqui, ſicut confeſſionem faciens per interpretem cenſetur cum Confeſſario loqui. Graſſius *de Caſibus reſeruat. lib.*2. *cap.*5.*num.*34. Idem de eo qui loquitur cum Moniali, quæ eſt intra clauſuram ex domo aliqua propinqua illi, tenet contra Graſſium Diana *ſupra* §. *nota ſeptimò*, ex Henriquez *lib.*12.*cap.*56.*num.*2. Alloquens autem cum Moniali exiſtenti extra ſuum Monaſterium ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, non incurrit illas, cum iſte non acceſſerit ad Monaſterium ad loquendum, &c. Bordonus *ſuprà num.* 77. Maximè etiam eſt notandum, quod cum pœnæ poſitæ in prædictis Decretis ſint graues, vtpote quia non ſolùm priuant Officiis, ſed etiam cum ſint priuatiuæ vocis, actiuæ, & paſſiuæ, reddant tranſgreſſores ineligibiles, & impoſtulabiles actiuè, & paſſiuè, ideo ad illas incurrendas requiri videtur peccatum mortale, prout ex D. Antonino, Angelo, Syluestro, Tabiena, Soto, Nauarro, Caietano, & aliis tenet Naldus *ſuprà num.*17. Ideo ſi quis Religioſus colloquatur caſu aliquo cum Monialibus per breue tempus, de re aliqua honeſta, vel indifferenti, propter aliquod negotium occurrens, vrbanitatem, pietatem, inſtructionem conſcientiæ, vel ſimilia, ſicut non peccabit mortaliter, ſic neque incurret dictas pœnas. Præſertim cum in Decreto illo ſub Sixto V. illis verbis: *Ad occurrendum ſcandalis, quæ contingere ſolent*, videatur aſſignari finis illius. Longus *de Caſibus reſeru. part.*2.*caſ.*3. Peytinis *ſupra num* 36. Diana *ſup. Reſol.*104. Burd. *ſuprà n.*82.

21 Circa Religioſos, quibus prohibetur talis acceſſus, nota, eſſe generaliter loquendo, omnes, & quoſcunque, præter expreſſos in ipſis Decretis. Vnde etiam nomine Religioſi, ſeu Regularis in eis veniunt equites S. Ioannis Ieroſolymitani, prout declarauit S. Congregatio, & habetur in Decreto adducto ſub Vrbano VIII. Quaranta *ſupra*, Bonacina *ſupra num.*7. De aliis autem militibus Regularibus S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, &c. non ſic dictum. Eſto enim verè Religioſi ſint, iuxta dicta *tom.*1. *part.*2. *cap.*5. *num.*6. quia tamen, iuxta ibidem dicta *num.* 18. non comprehenduntur nomine Religioſorum in odioſis, nec de illis aliquid eſt declaratum à S. Congregatione, ideo nec comprehenduntur dictis Decretis.

22 Circa Moniales verò, de quibus in eis eſt ſermo, dicendum eſt, eſſe omnes, & ſingulas quorumcunque Ordinum, ſiue eiuſdem, ex quo eſt Religioſus, qui cum ipſis loquitur, ſiue alterius, ſiue exemptas, ſiue non exemptas. Decreta enim generaliter de omnibus loquuntur. Campanile *in Diuerſ. iur. rubr.*11. *cap.*16. *num.*45. Sellius *in Selectis Canonicis*, *cap.* 30. *num.* 12. Quod ſi quæ Moniales ſint quæ clauſuram non ſeruant, prout aliquæ reperiuntur in Galliis, iſtæ non comprehenduntur dictis Decretis. Ita enim declarauit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium Generali Capuccinorum, teſte Naldo *ſuprà num.* 17. Abbatiſſas quoque non comprehendi, eo quod ipſæ in odioſis non veniant nomine Monialium, iuxta dicta *ſuprà verbo Abbas*, *num.*6. tenet Diana *part.*3. *tract.*2. *Reſolut.*48.§. *nota tertiò*. Licet Bordonus *ſuprà num.*70. ſequatur Graſſium oppoſitum tenentem. Comprehenduntur autem Nouitiæ. Etſi enim illæ non comprehenderentur, ſi tantum eſſet prohibitio de non alloquendis Monialibus, quia Monialium nomine in his odioſis non comprehenduntur Nouitiæ, vt habent Graſſius *tom.*1. *conſil.*22. *de excommunicatione*, *num.* 26. Diana *ſuprà* §.*nota* 9. & Bordonus *ſuprà*; nihilominus, quia in Decretis adductis non ſolùm prohibentur Regulares alloqui Moniales, ſed etiam *ſorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degentes*; ideo neceſſariò etiam comprehenduntur Nouitiæ. Quamuis autem ex prædictis verbis elici videatur comprehendi etiam Regulares loquentes cum puellis, vel mulieribus ſæcularibus ibi degentibus, quia illæ etiam ſunt perſonæ intra clauſuram exiſtentes; quia tamen oppoſitum eſt deciſum à S. Congregatione, vt refert Sellius *in Selectis*, *cap.*18. *num.*40. & Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Moniales alloqui*, *&c.* ideo videtur ipſi ſtandum. Licet tales Religioſi debitè puniri debeant à ſuis Superioribus, vt in dicta declaratione habetur.

De licentia porro requiſita pro Regularibus ad acce- 23
dendum ad Monaſteria Monialium ad colloquendum cum ipſis, quamuis ex vi Decreti S. Congregationis ſub Sixto V. deberet eſſe eiuſdem Sacræ Congregationis; ex Decreto tamen eiuſdem ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano ſufficit licentia ab Ordinario conceſſa, non pro ſemper, ſed tantùm per quatuor vices ad ſummum quolibet anno, ad colloquendum Moniales in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis coniunctas. Idque non pro diebus Feſtiuis, Aduentu, Quadrageſima, Feria ſexta, & Sabbato, & Vigiliis, cum aliis conditionibus in prædicto Decreto deſignatis. Inter quas vna eſt, quod dicta *licentia pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedatur, in libriſque Cancellaria eiuſdem Ordinarij annotetur*, prout patet ex verbis Decreti. Circa quæ notandum primò, quod vt patet ex illis verbis dicti Decreti ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano, *& ab alio, ad quem ſpectat eam concedere*, pro Regularibus adeuntibus ad colloquendum cum Monialibus Prælatis Regularibus ſubiectis, requiritur præter dictam licentiam ab Ordinario obtentam licentia quoque Prælatorum Regularium. Conſonat etiam declaratio eiuſdem Sacræ Congregationis de anno 1595. apud Sellium *ſupra cap.*31.*num.*14. & Gauantum *in Manuali Epiſcoporum*, *verbo Monialium colloquia*, *num.*2.3.*&* 21. in qua dicitur: Licentiam prædictam alloquendi Moniales Regularibus ſubiectas concedendam eſſe ab Epiſcopo, ſiue eius Vicario generali, & à Superiori Regulari, cui Moniales ipſæ ſubiectæ ſunt, coniunctim, navt Epiſcopos, ſiue eius Vicarius primo loco ſubſcribat. Non tamen licet Superiori Regulari alterare licentiam ab Epiſcopo, ſeu eius Vicario conceſſam, vt patet ex declaratione quadam Sac. Congregationis in vna Verulenſi 29. Ianuarij 1633. quam refert Barboſa *in Collectan. Bullarij*, *verbo Moniales* 1. his verbis. *Monialium Regularium ſubiectarum Superiores ſubſcribentes poſt Epiſcopum, vel eius Vicarium licentias eorum, qui ad colloquutoria accedunt, vel Clauſuram ingrediuntur, non poſſunt quid excludere, addere, vel adimere, ex illis, quæ Epiſcopus ipſe, aut Vicarius pro cura, & bono regimine clauſuræ, & licentiis preſcribit, & apponit.* Secundò notandum, quod cum ex declaratione Sac. Congregationis apud Gauantum *in Man. Epiſc. verbo Monialium colloquutio*, *n.*7.*&* 8. patres, & filij Monialium poſſint eas colloqui ſine licentia, præterquam in diebus prohibitis, ideo ſi contingeret Religioſum aliquem habere filiam Monialem, etiam illi, quorum matres Moniales factæ ſunt, poſſent eas alloqui ſine prædicta Ordinarij licentia. Tamburinus *ſup. diſp.* 26. *quæſt.* 1. *num.* 4. Nota etiam, quod nomine dierum feſtiuorum veniunt

Digitized by Google

veniunt Dominicæ, & Feſta ex præcepto, & non alia. Sub nomine Aduentus venit Romanus, non Ambroſianus, *arg.cap. 1. de Conſtit. in 6.* Papa enim præſumitur ignorare conſuetudines, & ſtatuta particularium locorum. Similiter Quadrageſima computanda eſt à die Cinerum. Neque ſub nomine Vigiliæ veniunt Quatuor Tempora, nam inter ſe multum differunt, vt videre eſt in Rubricis Breuiariorum. Bordonus *ſuprà*, *num.* 90. Licentia quoque conceſſa alicui Religioſo ad colloquendum cum Moniali, extendi etiam videtur ad ſocium ipſius. Ratio eſſe poteſt, quia de connexis idem eſt iudicium, *cap. tranſlato, de Conſtit.* Riccius *part.* 1. *prax. deciſ.* 745. Idem affirmat Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. ſui Ordinis, in addit.am. ad Conſtitutionem Pij V. cap.* 6. *num.* 1. vbi ait quod licentia Papæ viſitandi Sacroſanctum Domini Sepulchrum Ieroſolymis alicui conceſſa extenditur ad ſocium à Superiore aſſignandum. Idemque approbat Tamburinus *dicta diſp.* 26. *quæſit.* 3. *num.* 2. Prædicta autem licentia impetrata ab Ordinario ſolùm valet pro vna vice, niſi oppoſitum in ea declaretur, aut ex mente concedentis eliciatur. Colligitur *ex cap. Non poteſt*, §. *Illud autem, de præb. in* 6. Tiraquell. *in l. Boues*, §. *Hoc ſermone, de verb. ſign. num.* 73. Diana *dict. tract.* 2. *reſol.* 48. §. *nota decimò.* Riccius 1. *part. deciſ.* 649. Vbi obiter nota pro Regularibus quandam regulam, quæ poteſt ſeruire ad multa in Religionibus, ſcilicet, quod ſimplex ſermo regulariter verificatur in prima vice, per *l. Boues*, §. *Hoc ſermone*, *ff. de verbor. ſignific.* Quare ſi concedat Prælatus licentiam alicui eundi foras, eligendi confeſſarium, ſeu vt poſſit abſolui à reſeruatis, ingrediendi hortum, non eundi ad matutinum, &c. intelligitur pro vna vice. Peyrinis *ſuprà*, *num.* 2. Vide Tiraquell. *ſuprà*, *num.* 22. Felinum *in cap. Innouamus, de tregua, & pace, num.* 5. & Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regul. quæſt.* 6. *art.* 1. Et nota quod aliquando tales licentiæ poſſunt pro multis vicibus deſeruire, ſi ex verbis concedentis, ſeu poſtulantis, aut aliis circumſtantiis id colligatur.

24 Loquendo de pœnis illis priuationis officiorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ, &c. inflictis per dicta Decreta Regularibus tranſgreſſoribus ipſorum, an ſcilicet incurrantur ante aliquam declarationem, & quis poſſit in illis diſpenſare, & aliis concernentibus, collige ea dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *à num.* 30. & *cap.* 18. *à n.* 46. Nota etiam, quod præter dictas pœnas nulla alia iure communi inflicta eſt contra Regulares accedentes ad Moniales. Graſſius *in prax. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 47. Nec obſtat, quod frequentantes Clerici Monaſteria Monialium mandantur ſuſpendi, niſi deſiſtant, & laici excommunicati, *cap. Monaſteria, de vita & honeſt. Cleric.* Tum quia hæ pœnæ ſunt ferendæ, & non latæ. Tum quia in illo textu fit mentio de Clericis, quo nomine non veniunt in odioſis Religioſi, vt docet in terminis Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 16. *num.* 106. Notandum præterea, quod licet prædictæ pœnæ ex vi Decreti ſub Sixto V. reſeruatæ non eſſent, ex Decreto tamen ſub Vrbano conſtat Sacram Congregationem eas Sedi Apoſtolicæ reſeruaſſe, vt patet ex illis verbis, *quoſcunque contrafacientes ab alio quàm ab Apoſtolica Sede, aut à Sacr. Congregatione abſolui, & rehabilitari non poſſe.* Quod non animaduertentes quidam Recentiores dixerunt prædictas pœnas nulli eſſe reſeruatas.

25 Inter pœnas etiam iſtas, quando caſus fuerit (quod abſit) quod Religioſi cum Monialibus turpia loquerentur, eas à propoſito caſtitatis, quam promiſerunt abducere conantes, recenſeri videntur maledictiones illæ horribiles, quas Epiſcopus Moniales conſecrans talibus infligit, his verbis, prout & Naldus *ſup. num.* 21. refert. *Auctoritate Omnipotentis Dei, & B. Petri, & Pauli Apoſtol. eius, firmiter, & ſub interminatione Anathem. inhibemus, ne quis præſentes Virgines, ſeu Sanctimoniales à Diuino ſeruitio, cui ſub vexillo caſtitatis ſubiecta ſunt, abducat, nullus earum bona ſurripiat, ſed ea cum quiete poſſideant. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, maledictus ſit in domo, & extra domum; maledictus in Ciuitate, & in agro; maledictus vigilando, & dormiendo; maledictus manducando, & bibendo; maledictus ambulando, & ſedendo: maledicta ſit caro eius, & oſſa; à planta pedis vſque ad verticem non habeat ſanitatem. Veniat ſuper illum maledictio hominis, quam per Moyſen in Lege filiis iniquitatis Dominus permiſit. Deleatur nomen eius de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribatur. Fiat pars, & hæreditas eius cum Cain fratricida, cum Dathan, & Abiron, cum Anania, & Saphira, cum Simone mago, & Iuda proditore, & cum eis qui dixerunt Deo, Recede à nobis, ſemitam viarum tuarum nolumus. Pereat in die Iudicij, deuoret eum ignis perpetuus cum Diabolo, & Angelis eius, niſi reſtituerit, & ad emendationem venerit. Fiat, fiat.*

Maximè notandum, quod Regulares alloquentes 26
ſine licentia Epiſcopi Moniales, prout dixi ex declaratione Sacr. Congregationis *dicto cap.* 25. *num.* 35. incidunt in pœnam excommunicationis, quam Epiſcopus ſuo edicto propoſuit, niſi regulares illi haberent ex priuilegio, quod non poſſint excommunicari, & tunc deberent puniri à ſuis ſuperioribus alia pœna. Qui regulares ſic excommunicati non poſſunt abſolui a ſuis Superioribus, ſed ab Epiſcopo, qui ſibi hanc abſolutionem reſeruauit. Referunt hanc declarationem Quaranta *in Summa Bullary, verb. Monaſteria Monialium*, Peyrinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Conſtitutione* 6. *Pij V. num.* 37. Tamburin. *ſuprà*, *diſp.* 25. *quæſit.* 9. *num.* 1. Pro quo etiam vide dicta *ſupra*, *verb. Exemptio Regularium*, *num.* 8. [Vide etiam aliam declarationem Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium pro 9. Maij 1642.] Extendunt id etiam ad Regulares adeuntes Monaſteria Monialium exemptarum à iuriſdictione Epiſcopi, Gratianus *Diſceptat. forenſ. cap.* 393. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi*, *alleg.* 102. *num.* 74. & Diana *d. tract.* 2. *reſolut.* 48. §. *nota octauò*, & *part.* 5. *tract.* 9. *Reſolut.* 71. apud quos alia. Quibus adde declarationem S. Congregationis, quam referunt Stellius *in ſelect. cap.* 18. *num.* 41. & Tamburinus *d. diſp.* 25. *quæſit.* 4. *num.* 6. Vbi ſic. *Regulares cuiuſcunque Ordinis exiſtant, quotieſcunque abſque Sacr. Congregationis licentia alloqui Moniales reperti fuerint, carcerentur, eorumque Superioribus, iuxta Sacri Concilij Decretum puniendi conſignentur, qui Superiores deinde Sacr. Congregationem, ac Ordinarium de executione certiores reddant.* Imò etiam tales Regulares puniri poſſe immediatè à Diœceſano Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, prout dixi *eo cap.* 25. *num.* 36. conſtat ex declaratione Sacr. Congregationis ad Conſtitutionem Gregorij XV. quam ibi, & *num.* 46. retuli, & ita obſeruant Bariola *verb. Regulares*, *pag.* 267. & Bordonus *ſuprà*, *num.* 86. Nota tamen huiuſmodi Conſtitutionem Gregorij, ac per conſequens declarationem ipſius ſuſpenſam eſſe pro Regnis Hiſpaniarum, prout dixi *eo tom.* 1. *part.* 1. *c.* 19. *num.* 35. Nota etiam quod quamuis ipſi Religioſi cum Monialibus loquentes puniri poſſint ab Epiſcopis, non tamen Moniales ipſæ, ſi ſint exemptæ. Vt conſtat non ſolùm ex earum exemptione, ſed etiam ex declaratione Sacr. Congregat. ſub die 8. Auguſti 1621. quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Moniales alloqui*, &c. Extat tamen alia declaratio Sacræ Congregationis de anno 1633. quam referunt idem Barboſa in dictis *Collectan. Bullar. verb. Moniales* 1. & Tamburin. *ſuprà*, *diſp.* 25. *quæſit.* 8. *ad* 9. vbi ſic: *Moniales Regularibus ſubiecta alloquentes cum Regularibus etiam eiuſdem Ordinis licentiam legitimam non habentibus, incurrunt pœnas, & cenſuras à Concilijs Prouincialibus, vel Edictis Epiſcopalibus in ſimilibus appoſitas.* Quod intellige iuxta aliam declarationem eiuſdem S. Congregationis ſuperiùs adductam, ſi tales Moniales non ſint ex illis

Religionibus, quæ habent priuilegium, vt non afficiantur cenſuris poſitis ab Epiſcopis. Certa enim ſententia Doctorum eſt, regulares habentes priuilegia ne ab Ordinariis cenſuris affici poſſint, non comprehendi illorum cenſuris. Bonacina *de Clauſura*, *quæſt*. 3. *puncto* 4. *num*.8. ex Quaranta, Rodriguez, Sanchez, & Barboſa, contra Graffium. Quibus adde Dianam dicta *Reſolut*.48. §. *nota* 8. & Bordonum *ſupra*, *num*.70.

27 Qualiter ſcribere epiſtolas ad Moniales non ſit ex ſe peccatum, ceſſante mala circunſtantia, aut ſpeciali prohibitione, conſtat ex dictis *eo cap*.25.*num*.57. De quo etiam Candidus *tom*.4. *diſquiſ. diſquiſit*.5.*art*.1.*dub*.15. Tales etiam litteras ſcribentes non comprehendi in Decreto Sacr. Congregat. ſub Sixto V. confirmato ſub D.N. Vrbano VIII. habetur ex declaratione eiuſdem Sacr. Congregationis, quam referunt Sellius *in ſelectu*, *cap*.18.*num*.40. Barboſa *in Collectan. Bullary*, *verb. Moniales alioqui*, *&c*. Tamburin. *ſupra*, *diſput*.25. *quæſit*.4. *num*.5. Licet in eadem declaratione habeatur tales religioſos, & Moniales debitè corrigendos, ac puniendos eſſe à ſuis Superioribus. Caſu etiam quo cenſuris prohibitum eſſet ſcribere ad Moniales, ſi accideret quod aliquis epiſtolam ſcriberet ad Monialem, & ea non perueniret ad manus ipſius, quia detenta ab aliquo, vel perdita fuit, &c. etiamſi contra obedientiam peccauerit ſic faciendo, non tamen incurret tales cenſuris. Illæ enim non incurrunrur niſi ſecuto effectu, vt dixi ſupra, & tenet Sanchez *lib*.6.*in Decalog.cap*.16. *num*.117. ex Nauarro, & Rodriguez.

28 De iis porrò, quæ ſpectant ad regimen Monialium, adminiſtrationem bonorum ipſarum, & aliis concernentibus, dixi non ſolum *ſuprà*, *verb. Adminiſtrator*, *& adminiſtrare*, ſed etiam *tom*.1.*pars*.1. *cap*.25.*num*.44. *& ſeqq*. maximè iuxta Conſtitutionem Gregor.XV. & declarationes Sacr. Congregat. circa illam. De quibus relati Auctores, præſertim Gauantus *in Man. Epiſcop. verb. Monialium cura in temporalibus*. Tamburin. *ſupra*, *diſput*. 32. *quæſit*.13. Nouarius *in Lucerna Regularium*, *verb. Moniales*.

29 Qualiter etiam tam ipſæ Moniales, quàm ipſarum bona, gaudeant priuilegio fori, conſtat ex dictis *ſuprà*, *verb. Exemptio Regularium*, *verb. Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*, & aliis locis ibi relatis. Quid verò de Conuerſis, ſeu Oblatis ipſarum dicendum ſit, habes ex dictis *tom*.2. *cap*.18. Vbi etiam *cap*.14. quid dicendum de Tertiariis, ſeu Pinzocheris, & *cap*.16. quid de familiaribus. Quibus addendum, homines illos, qui aſſumpto habitu Religioſo, adhibentur ad ſeruitia, & obſequia Monialium ad petendum pro ipſis eleemoſynas, gaudere etiam priuilegio fori, vt tenent Bonacina *in Bullam Cœnæ*, *diſput*.1.*quæſt*.16. *ſect*.2. *punct*.5. *num*.18. & Diana 4. *part.tract*.1.*reſolut*.35.

30 Circa abſolutionem Monialium, præſertim à caſibus reſeruatis, præter dicta *eo cap*. 25. *num*. 42. Vide quæ dixi *ſuprà*, *verb. Abſolutio*, *verb. Bulla Cruciata*, *verb. Caſus reſeruati*, *verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, *verb. Confeſſarius Regularis*, & *verb. Confeſſio*. Ea enim omnia, quæ ibi dicta ſunt, Monialibus applicari poſſunt.

Circa electionem tamen Confeſſarij faciendam à Monialibus notandus caſus mihi propoſitus de quadam Moniali, quæ in articulo mortis exiſtens volebat eligere ſibi confeſſarium, etiam renuente ſuo Superiori. Ad quem ſic reſpondendum cenſui. Primò quidem Superiorem negantem ipſi facultatem eligendi Confeſſarium, quem vellet, pro illo articulo, non bene feciſſe, niſi valdè vrgens ratio eſſet, vt non concederet illam licentiam. Ratio eſt, quia articulus mortis debet eſſe priuilegiatiſſimus in fauorem animarum, & Superiores pro eo tempore debent eſſe faciles in concedenda tali licentia, & præbenda omni conſolatione ſpirituali ſuis ſubditis animam agentibus, ſeu moribundis, quia hoc conducit ad hoc quod piè, & ſanctè moriantur. Pellizzarius *de Monialibus*, *cap*.10. *num*.248. referens etiam, quod Cardinalis Petrus Aldobrandinus Archiepiſcopus Rauennatenſis in Conſtitutionibus editis pro Monialibus *cap*.12. ſtatuit extraordinarium Confeſſarium poſſe concedi Monialibus in periculo mortis exiſtentibus. Et *num*.249. refert Cardinalem Bellarminum, cum eſſet Protector Monaſterij Sanctæ Marthæ, & alios Cardinales Protectores, ſimiles facultates Monialibus faciliimè indulſiſſe. Ac Baldellum ei reſcripſiſſe, quod cum Cardinalis Vicarius vrbis ſciuiſſet à quodam ſuo miniſtro ad Monialium adminiſtrationem deputato, Moniali eidem morituræ id pertinaciùs denegatum fuiſſe, illum acriter reprehendit dicens, *in articulo mortis ea omnia debere concedi, quæ ad animæ ſalutem conferre poſſunt*. Cenſui ſecundò, quod ſi in Religione talis Monialis ſit priuilegium aliquod ad eligendum Confeſſarium in articulo mortis (quale videtur eſſe illud, quod ex Sixto IV. affert Caſſarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium*, *verb. abſolutio extraordinaria quoad fratres*, *num*. 5. ſi non eſſet viuæ vocis oraculum, & non authenticum, prout eſt, poſſe dictam Monialem eligere talem Confeſſarium in eo articulo, non obſtantibus Conſtitutionibus Pontificiis, quibus Religioſi prohibentur eligere ſibi confeſſarios independentes à voluntate ſuorum Superiorum. Quia tales Conſtitutiones non videntur comprehendere caſum articuli mortis, quia in eo non procedunt rationes ſeu fines illarum, & ceſſante cauſa ceſſat effectus. Vide Suarez *de Religione*, *tom*.4.*tract*.8. *lib*.2.*cap*.16.*n*.7.

31 Præter dicta etiam notandæ ſunt aliquæ declarationes Sacræ Congregationis, quæ pro monialium regimine, vita, & honeſtate prodierunt. Prima. *Præcedentia inter Moniales a die profeſſionis, non autem ſuſceptionis habitus Regularis deſumi debet. Quatenus verò duæ inſimul eodem inſtanti profeſſionem emiſerint, quæ prius ad habitum admiſſa fuerit, præcedere debet. Et ſi eodem tempore ad habitum admiſſæ fuerint, data etiam profeſſionis paritate, quæ prius in Capitulo acceptata fuerit, præcedat*. Gauantus *in Man.verb. Monialium communes leges*, *num*.3. Barboſa *de Iure Eccleſiaſt.lib*.1.*cap*.44. *num*.56. Secunda. *Ordinarij prohibere debent ne moniales monaſteriorum, tam eis quam Superioribus regularibus ſubditorum, in bacchanalibus, vel in aliis temporibus recreationis vtantur habitu virorum, nec cum ſuis ſpeciei armis ſe cingant*. Gauantus *ſuprà*, *num*.16. Nouarius *in Lucerna Regularium*, *verb. Moniales*, *num*.17. Tertia. *Item prohibeant Monialibus cibum externis parare, aut eſculenta vendere, exceptis tamen rebus minimi momenti pro infirmis, parentibus, & conſanguineis duntaxat*. Gauantus *ſup.num*.32. Nouarius *ſuprà*, *num*.12. Quarta. *Facultas diſponendi de cellis ſuis poſt obitum nulli Monialium concedatur, ſed eæ dum vacauerint, Superiorum arbitrio aliis Monialibus in Ordine ſenioribus diſtribuantur*. Barboſa *ſup. num*.59. Quinta. *Curandum itidem eſt, vt moniales in refectorio communi comedant, & in loco etiam communi laborent*. Barboſa *ſuprà*, *num*.60. Sexta. *Nec permittatur in Eccleſiis Monialium à perſonis ſæcularibus cantus ſimplex, vel figuratus*. Barboſa *ſuprà*, *num*.61. Septima. *Bene tamen inter ipſaſmet*. Barboſa *ibid*. Octaua. *Nec etiam permittatur acceſſus ſæcularium ad monaſteria huiuſmodi ſub prætextu docendi moniales ſonum cymbalorum, vel alterius inſtrumenti, aut etiam muſicam, vel cantum etiam ad crates*. Barboſa *ſupra*, *num*.62. Nona. *Nec vllo modo permittatur acceſſus Hebræorum ad earum monaſteria ad loquendum cum illis*. Gauantus *ſuprà*, *verb. Hebræi*, *n*.22. Decima. *Nec etiam in earum infirmaria ſacrificium Miſſæ celebrari permittatur*. Barboſa *ſuprà*, *num*.64. Vndecima. *Nec debent moniales appellari cum titulo*, Dominæ, *ſed* Sororis. Barboſa *ſuprà*, *num*.65. Nouarius *ſuprà*, *num*.1. Duodecima. *Tollatur abuſus ſecedendi in cellam, & veſtiendi veſtes lugubres in morte parentum*. Gauantus *dicto verb. Monialium communes leges*, *n*.25.

Vide

32 Vide alia dicenda infrà *verb. Nouitij, & Nouitiæ*, & *verb. Profeſſio Regularium*, & *verb. Sepultura*.

Pro caſu autem, quo à Sacra Congregatione Regularium poſtulatum fuit, vt pro ſeruitio cuiuſdam Monialis nobilis, & infirmæ concederetur vna Ancilla, quæ ipſi aſſiſteret, ipſa Sacra Congregatio da anno 1647. pro 11. Octobris ſic reſpondit.

Sacra, &c. cenſuit committendum, prout præſenti decreto committit Vicario Capitulari Elboren. vt conſtito ſibi de aſſertis, ac durante neceſſitate Oratricis, & non vltra (ſuper quibus ipſius conſcientiam onerotam eſſe voluit) petitam licentiam ſuo arbitrio, & prudentia eidem oratrici concedat, modo tamen aliqua eiuſdem Monaſterij Moniales ancillas Apoſtolica auctoritate retinere ſint ſolita, introducenda ſit Virgo capitulariter, ſecretiſque ſuffragiis à Monialibus recipiatur, tituloque educationis in eodem Monaſterio degat, & nihilominus oratrici debitum interim præſtet famulatum, ſumptibus conſanguineorum, vel affinium dicta Oratricis ſingulis ſemeſtribus Monaſterio & illius pro tempore Abbatiſſæ anticipatè in pecunia numerata perſoluendis alatur, & in reliquis adimpleantur, & concurrant omnes conditiones contenta in licentiis impreſſis, educationis titulo ab eadem Sacra Congregatione concedi ſolitis. Romæ. & in ſimili fermè declaratum video ab eadem Sacra Congregatione eodem anno 1645. pro 15. Nouembris.

MOZZETTA.

SVMMARIVM.

1 *Qui vtantur ipſa.*
2 *An hæc priuilegia aliis communicentur.*
3 *Alia remiſſiuè.*

1 MOzzetta, quæ eſt vna ex veſtibus prælatitiis, Epiſcopis præſertim conuenientibus, vtuntur etiam Abbates Generales quorundam Ordinum Monachorum ex priuilegio Summorum Pontificum. Vt Abbas Montis Caſſini, Abbas Sanctiſſimæ Trinitatis Cauen. Ordinis Caſſinen. aliàs Sanctæ Iuſtinæ de Padua, Abbas Sancti Michaëlis de Valuanere Ordinis Vallis Vmbroſæ, Abbas Generalis Cœleſtinorum, ex Conſtitutione Pauli V. incipit, *Ex iniuncto*, ſub dat. 5. Decembris 1606. & Abbas Generalis Virginis. Sunt & alij quamplurimi Abbates, tam Regulares, quam ſæculares in Hiſpania, Germania, & Gallia, qui hunc habitum geſtant. Poſſunt autem extra ſua monaſteria etiam coram Epiſcopo deferre Mozzetam, vt reſpondit Sacr. Congregatio ſub die 9. Decembris 1617. Epiſcopo Vercellenſi. Et iterum Cardinali Creſcentio referente, inhærendo dicto Decreto, cenſuit die 30. Martij 1621. Abbatem S. Andreæ Congregationis Lateranen. Ciuitatis Vercellenſis poſſe vbique, etiam præſente Epiſcopo, deferre Mozzetam, eidemque Pontificaliter celebranti, iuxta antiquam conſuetudinem, ſede, ſeu cathedra cum duobus gradibus vti licere. De his Michaël Leo Eſtenſis *in Specul. Sacror. rit. verb. Abbatis veſtes, & inſignia*. Tamburin. *de Iur. Abbat. tom. 1. diſp. 20. quæſit. 2.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico, lib. 1. cap. 17. num. 56. & 57.*

2 Circa quæ nota primò, prædicta priuilegia non communicari aliis Abbatibus, ſeu Prælatis Regularibus, præter illos quibus conceſſa ſunt, non obſtante generali communicatione priuilegiorum, iuxta dicta *ſuprà, verb. Abbas, num. 13.* & *ſuprà, verb. Mantelletum*. Secundò nota, nec iis quibus conceſſa ſunt talia priuilegia, competere poſſe niſi iuxta illorum tenorem. Propterea enim, non obſtantibus declarationibus Sac. Congregationis adductis, declaratum fuit à Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, Abbatem S. Saluatoris Montis Amiatæ non poſſe vti præfata Mozzetta extra Clauſtra, Barboſa *ſuprà, num. 59.* Tertiò, huiuſmodi Mozzettam in Regularibus debere eſſe coloris habitus ſuæ Religionis, ex Rituali Romano Clem. VIII. prout dixi *tom. 1. part. 1. cap. 17. num. 9.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 6. num. 22.* Quartò, quod cùm Epiſcopo non liceat deferre Mozzetam, ſeu Rochettum diſcoopertum, etiam in propria ciuitate, præſente Legato à latere, iuxta declarationem aliam S. Congregationis, quam refert idem Barboſa *in Collect. Bullar. verb. Mozzetta*, idem quoque potiori ratione dici debere de Abbatibus, cum ſint inferiores dignitate Epiſcopis. Quintò nota, Sanctiſſimum D.N. Vrbanum in Bulla *In ſuprema*, inter conſtitutiones ipſius in 4. tom. Bullar. *num. 12.* conformiter ad Decretum S. Congregationis Regularium præcepiſſe, vt Fratres Minores *Recollecti*, nuncupati Galliæ, aſſumerent Mozzettam longiorem, illam ſcilicet, quæ Epiſcoporum, aut Prælatorum propria non eſt, ſed talium Religioſorum habitui conueniens.

Vide dicta *ſuprà, verb. Abbas*, & *ſuprà verb. Mantelletum*, & *verb. Mitra*. 3

NEGOTIATIO QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Negotiatio quid, & quotuplex.*
3 *Quibus prohibita, vel permiſſa.*
4 *Qualis negotiatio Eccleſiaſticis prohibita.*
5 *Quæ verò conceſſa.*
6 *Monaſteriis Regularium quæ permiſſa, & quæ conceſſa.*
7 *Decretum Sacr. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ quomodo intelligendum.*
8 *Sacræ Congregationis Reſponſa circa negotiationem Eccleſiaſticorum.*
9 *Aliæ Reſponſiones eiuſdem.*
10 *Bona ex illicita negotiatione adquiſita ſpolia ſunt Cameræ Apoſtolicæ.*
11 *Quæ ſint talia bona.*

DE negotiatione prohibita Clericis, & Regularibus aliqua dixi *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 39.* & *part. 2. cap. 4. num. 8.* & *ſuprà, verb. Gabella quoad Regulares, num. 19.* quæ tamen cum aliis hanc materiam concernentibus, vtpote non mediocriter ipſis neceſſariam, hoc loco amplianda ſunt, maximè ex pluribus declarationibus S. Congregationis, quæ de ea re adduci ſolent. 1

Et primò dicendum, quod cum negotium dicatur quaſi negans otium, *cap. forus, de verb. Signif.* (Angelus, & Sylueſter *in Summa, verb. Negotium,*) ita negotiatio erit talis actio, per quam otium excluditur. Eſt autem negotiatio, iuxta dicta *eo num. 39.* triplex, ſcilicet œconomica, politica, & lucratiua. Ruſus lucratiua negotiatio (de qua in præſenti) eſt duplex, alia propria, alia minùs propria, ſeu non propria. Prior, iuxta dicta *eo num. 19.* eſt, in qua comparatur res, et integra, & immutata cariùs vendatur. Ita enim habetur ex Chryſoſtomo, ſeu Authore Imperfecti *hom. 38. ad cap. 21. Matthæi, & cap. eiiciens, diſt. 88.* Poſterior verò eſt, in qua res comparatur, vt poſtea mutata, & melior effecta cariùs vendatur, vt ſi ex lana empta panni conficiantur, & vendantur, vel ex hordeo cereuiſia; aut porci, boues, ſeu equi emantur, vt ſaginentur, & cariùs vendantur. Ioannes Medina *de Reſtitutione, quæſt. 30.* Proſper Auguſtinus *in Additionibus ad Quarentam, in Summa Bullar. verb. vectigal.* Layman. 2

man. *lib.3.tract.4.cap.17.§.7. num.39.* & 40. Lugo *de Contractib.diſp.26. ſect.3.num.21.* [Pro quo nota maximè iuuare ad negotiationis naturam cognoſcendam intentionem agentis. Etſi enim Clericus emat aliquid ad ſuum vſum, & poſtea mutato conſilio illud maiori pretio vendat, non erit negotiator, aut debitor gabellæ, prout tradit idem Lugo *ſupra. diſput.36. ſect.10. num.170.* conformiter *ad l.vnicam, Cod.de impon.lucrat. deſcript. lib.10.* Sanchez, quem refert.]

3 Secundò dicendum, quod licèt laicis licita ſit quæcunque negotiatio, prauis circunſtantiis ſeclusis, eo quod indifferens ea ſit ad bonum, vel malum, & poſſit bene, vel male geri, vt notat S.Thom.2.2. *quæſt.77. art.4.* & probat Medina *de Reſtitut. ſuprà.* Nihilominus clericis, & maximè Regularibus, prohibita eſt negotiatio lucratiua, vt patet ex multis iuribus eis locis relatis. Imò hæc prohibitio ſine dubio eſt ſub mortali ex genere ſuo, prout colligitur ex pœnis grauiſſimis, quas Eccleſia in illis contra tranſgreſſores imponit. Etenim *cap. ſecundo, ne Clerici, vel Monachi,* excommunicatio ferenda contra eos ſic imponitur: *Sub interminatione anathematis prohibemus ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur.* Et *in cap. ſed nec, eod.tit.* pœna etiam depoſitionis contra tales ſtatui videtur. Clariùs *in cap.conſequens, diſt.88.* vbi Gelaſius Papa contra negotiatores Eccleſiaſticos ſic habet. *Proinde huiuſmodi, aut ab indignis poſthac quæſtibus nouerint abſtinendum, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio, vel cupiditate ceſſandum, aut in quocumque gradu ſint poſiti, mox à Clericalibus officiis abſtinere cogantur, quoniam domus Dei domus Orationis & eſſe debet, & dici, ne per officia negotiationis potius ſit latronum ſpelunca.* Idem etiam habetur ex *cap.Clerici,* & *cap.Canonum 14. quæſt.3.* Huiuſmodi autem pœnas, quamuis non ſint latæ ſententiæ, ſed ferendæ, prout eo loco dixi, arguere tamen peccatum mortale in tranſgreſſoribus, (ſaltem quando ad eum terminum peruenerint, vt digni ſint quod illis applicentur, vt habet Naldus *in Summa, verb. Cenſura, num. 4.*) communis ſententia DD. eſt. Syluest. *in Summa, verb.Clericus 3.quæſt.3.* ex Archidiac. & Paludan. Leſſius *de iuſtitia, & iure lib.2. cap.21. dubit.1. num.4.* Naldus *ſuprà, verb. Clericus, num.36.* ex Molina, & aliis. Adde ex dictis *eo verb. Gabella quoad Regulares, num.19.* quod quamuis aliàs Clerici, & Regulares immunes ſint à gabellis, & tributis, quando tamen negotiationem exercent, non ſunt immunes ab illis, propter iura eo loco relata, & *cap. vltim.de vita, & honeſt.Cleric.* & quia dignum eſt Eccleſiaſticos, qui cum laicis ſimilem vitam gerunt, eiſdem oneribus ſubiacere, *cap. recolentes, de ſtatu Monach.* An verò ad talium ſolutionem teneantur non præmiſſa trina monitione, de qua agitur in dicto *cap. vltimo, de vita & honeſt. Clericor.* & *cap.quamquam, de cenſibus in 6.* & an ſit ſolùm de bonis, quibus negotiantur, an etiam de aliis, quæ habent, dixi eo loco. De quo, præter Auctores ibi relatos, lege Theſaurum *in praxi, part.2.verb. Negotiatio, cap.1.* An etiam tales priuentur priuilegio canonis, vel fori, habes ex dictis *ſuprà, verb.Clericus, num.10. & 11.* Quid verò dicendum de bonis per illicitam negotiationem adquiſitis poſt mortem eorum, qui ea adquiſiuerunt, dicetur infra. Ratio autem cur Eccleſia negotiationem Clericis tam ſeuerè prohibuit, eſt tum quia valde indecens eſt Clericos lucris captandis incumbere, tum quia valde occupat animum, & à ſpiritualibus auocat, tum quia plena eſt periculis periurij, fraudum, & iniuſtitiæ. De quo inter alios noſter Ioannes Beerz *de decem precept. Decalog.circa precept.7.expoſit.1. cap.14.*

4 Circa huiuſmodi autem negotiationem Eccleſiaſticis prohibitam notandum primò, nomine emptionis, ſeu venditionis lucratiuæ prohibitæ ipſis, comprehendi etiam permutationem, ſeu commutationem; conſtat enim campſores propter permutationem pecuniæ vocari negotiatores. Leſſius *ſupra, num.4.* Lugo *ſupra, num.21.* Nota ſecundò, per Clericos, & Regulares, quibus hæc negotiatio lucratiua interdicta eſt, quoad Clericos intelligi in Sacris conſtitutos, non in minoribus ſolùm. Medina, & Leſſius *ſuprà.* Licet Naldus *dicto verb. Clericus, num.36.* & Proſper Auguſtin. *ſuprà,* id extendant etiam ad Beneficiatos. Quoad Regulares autem, omnes comprehenduntur, etiam Conuerſi. Syluest. Medina, & Leſſius. Nota tertiò ex dictis *eo num.19.* quod cum Clerici, ſiue regulares, non dicantur negotiatores propter vnum vel alterum actum, ſed propter frequentiam illorum, cum negotiatio ſit nomen verbale, quod requirit frequentiam; ideo non fient digni prædictis pœnis, niſi propter frequentiam actuum. Limitat tamen hoc Theſaurus *ſup.* ita quidem, vt quoad illud negotium, ſeu actum, in quo negotiantur, priuentur priuilegio immunitatis à gabellis, etiamſi non adſit frequentia, ſeu conſuetudo. An autem quolibet actu negotiationis lucratiuæ illis prohibitæ peccent mortaliter dicti Eccleſiaſtici, & Regulares, reſpondendum eſt negatiuè, prout ex Cenedo, Graffis, & Salas tenet Diana *part.1. tract.8. reſolut.72.* Tunc ergo ſolùm erit peccatum mortale, cum propterea digni facti fuerint, vt dictum eſt, vt excommunicentur, vel ſuſpendantur, vel niſi tam grauis fuerit negotiatio, & talibus circumſtantiis veſtita, vt prudenter iudicetur eam eſſe peccatum mortale. Nota quartò, conſequenter etiam ad dicta *eo n.39.* probabile valde eſſe dictas pœnas non incurri à prædictis Eccleſiaſticis, ſeu Regularibus, non per ſe, & immediatè, ſed per interpoſitas perſonas, ſeu per alios negotiationem exercentibus, prout ex Medina, Leſſio, Aragonio, & aliis tenet Diana ſuprà. Licet quoad Religioſos vix poſſit id excuſari à peccato proprietatis contra votum paupertatis, iuxta dicta *eo num. 39.* Imò etiam generaliter de Eccleſiaſticis omnibus, vt notat Leſſius *ſuprà,* & Layman. *ſuprà, num.40.* Nec id admittendum, niſi iuſta aliqua cauſa interueniente. Non eſt enim id decens, aut expediens ſtatui ipſorum, ſed multis periculis expoſitum. Lugo *ſuprà, num.36.* Portellus *in Reſponſionib. part.3. caſu 47.* Vbi alia ad intentum. Maximè nota quintò, negotiationem lucratiuam iuribus prædictis prohibitam Eccleſiaſticis, & Regularibus ſolùm videri eſſe negotiationem illam propriè dictam, in qua ſcilicet res comparatur vt immutata cariùs vendatur, non illam quæ minus propriè, ſeu impropriè vocatur negotiatio, in qua ſcilicet res emitur, ſeu comparatur, vt mutata, & alterata cariùs vendatur. Hæc enim negotiatio propriùs dicitur artificium, ſeu induſtria, quàm negotiatio. Et videtur Clericis permiſſa, *cap.Clerici officia, de vita, & honeſt.Cleric.* & *92. diſtinct.cap. Clericus, & de conſecration.diſt.5. cap. nunquam,* vbi conceditur Clericis, quod de ſuo artificio viuant. Ioannes Beerz *ſuprà.* Syluester *ſuprà, quæſt.2.* & *verb.excommunicatio 9. num.21. §.primo vero.* Medina *ſuprà,* Molina *de Contractibus, Tractatu ſecundo, diſp.342.* Filliucius *tract.43. cap.4. quæſt.15.* Lugo *ſuprà, num.27.* Diana *5. part. tract.1. reſolut.27.* ex pluribus aliis. Addendum tamen, huiuſmodi negotiationem impropriè dictam minùs decentem eſſe Eccleſiaſtico, & præſertim Religioſo, ac per conſequens exerceri non poſſe ab Eccleſiaſticis, & Regularibus, niſi rationabili aliqua cauſa ſubſiſtente, putà neceſſitatis ſubleuandæ cauſa, &c. Filliucius & Layman. *ſuprà.* Propter quod *21. quæſt.3. cap.1. 2.* & *3.* prohibentur Eccleſiaſtici conducere aliena prædia, vel ſimiles res fructiferas, vt fructus vendant, & ita quæſtum faciant. Proſper Auguſtinus *ſuprà.* Leſſius *ſup.num.6.* Quod limita, niſi id faciant cauſa neceſſitatis ſubleuandæ, vel ſi ſuccederent conductori. Syluester *dict. quæſt.2.* Proſper Auguſtin. *ſuprà,* Naldus *d.num.36.* Limita etiam

reſpectu

Digitized by Google

reſpectu bonorum laicorum. Declaratum enim eſt à Sacr. Congregatione ſolam conductionem bonorum laicorum, non autem Eccleſiaſticorum, eſſe prohibitam Eccleſiaſticis. Naldus *ſuprà*. Vnde eadem Sacr. Congregatio, teſte Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 125. reſcripſit Nuncio Neapolitano, Clericos accipientes à locis piis terrena in affictum (id eſt, in conductionem) moleſtari non debere prætextu illicitæ negotiationis. Quod etiam conſtabit ex alia declaratione S. Congreg. de qua infra *num.* 8.

5 Ex quibus collige primò, poſſe Eccleſiaſticos, & Regulares comparare rem aliquam, vt ſit materia ex qua aliam conficiant, quam vendant, quia id non eſt negotiari, vt expreſsè Chryſoſtomus *ſuprà* docet. Sic olim Religioſi ſportas, ſtoreas, & ſimilia faciebant, vt venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent: & Apoſtolus autem ſcenofactoriam faciebat. Leſſius *ſuprà*, *num.* 5. Layman. *ſuprà*, *d. num.* 40. Et conſonant ea, quæ dixi *eo num.* 19. Collige 2. poſſe etiam vendere fructus ſuorum prædiorum, eaque excolere, & animalia pro ipſis neceſſaria emere, vendereque, prout etiam ex dictis eo loco habetur. Et conſonat declaratio S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Negotiatio*. Sylueſter *d. verb. excommunicatio* 9. *num.* 21. §. *ſecundò nota*, *&* §. *tertiò nota*. Filliucius *ſuprà*. Collige tertiò, poſſe ex ſuis fundis lapides, vel metalla cædere, vel eruere, ſiue ea mutare in aliam ſpeciem; greges in illis alere, vt ex fœtu, lacte, & lana pecuniam conficiant. Hæc enim omnia non ſunt propriè negotiatio, ſed artificium, imò artificium honeſtum, ſi fiant, vt eo loco dixi, propter ſuſtentationem neceſſariam, vel aliquam cauſam honeſtam, nec propterea deſinit à Clericali, vel Religioſo officio. Nauarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 128. Medina, Molina, Filliucius, & Leſſius *ſuprà*. Vide Stephanum Gratianum *in Diſceptationib. forenſ. cap.* 57. *num.* 27. Collige quartò, poſſe etiam pecunias aureas, quas habent, permutare pro argenteis cum lucro, quia nec hoc eſt propria negotiatio. Lugo *ſuprà*, *diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 30. Qui ſecus dicit, quando pecunias illas aureas ab aliis acceperunt ad emendum pro illis aliquid, & ſibi eas reſeruant, vt poſtea maiori valore permutent, rem commiſſam pecunia argentea exequendo.

6 Quamuis autem dicto *cap.* 9 *num.* 39. ex primo tomo Summæ dixerim, licere Monaſteriis Regularium aliquam apothecam habere pro vtilitate ipſorum, in qua per ſæculares vendantur, & emantur aliqua, quæ ipſis neceſſaria ſunt, vt ſi monaſteria habeant aliquod pharmacopolium, in quo medicamenta pro ipſis neceſſaria reſeruantur, & ne corrumpantur venduntur, & emuntur per aliquem ſæcularem ibi aſſiſtentem; eo quòd id etiam videatur artificium honeſtum, & non propria negotiatio, præſertim cum non fiat per ipſoſmet Religioſos, ſed per ſæculares ad id munus deſtinatos: nihilominus pro Vrbe Roma, & eius diſtrictu, poſtquam id ſcripſeram, exiit Decretum Sacr. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ die 29. Auguſti 1657. in Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ impreſſum, & in Vrbe publicatum, in quo præter alia hæc ad intentum. *Statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit omnibus tam Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in Vrbe, eiuſque diſtrictu exiſtentium, quàm particularibus Religioſis, & Eccleſiaſticis quibuſcunque, ne in poſterum, ſiue Religionis nomine, ſiue particulari audeant, & præſumant per ſe, vel alios exercere in ſuis Conuentibus, aut alibi in quocunque loco vllam venalem artem, ſiue aromatariam, piſtoriam, lanificinam, textrinum, aut aliam quamlibet, præterquam pro ſuis Religioſorum, aut alumnorum vſibus, nec vllo modo licere ſæcularibus, aut aliis Religioſis, & Eccleſiaſticis pharmaca, panem, carnes, aut alia qualibet opificia quomodocunque elaborata, & ornata vendere, etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, abſque ſpeciali licentia in ſcriptis obtinenda, etiam ab iis Religioſis, quibus ex particulari ſua Religionis inſtituto id alias liceret. Si quis vero ipſorum aliquid contra hoc Decretum quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam ſuſpenſionis a diuinis, priuationis omnium officiorum quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiue, ac paſſiuæ abſque alia declaratione incurrat. Et nihilominus contra eos Generalis Theſaurarius procedat tanquam contra illicitos negotiatores, confiſcando omnia lucra, & capitale ad dictas artes, & opificia ſpectantia. Non obſtantibus, &c.*

7 Circa quæ notandum, vt dixi, prædictum Decretum ſolùm eſſe pro Roma, & eius diſtrictu. Vnde in aliis partibus ſtandum erit iuri communi: abſtinendum tamen erit ſemper, præſertim Religioſis, ab iis, quæ in aliis ſcandalum, vel auaritiæ, ſeu cupiditatis notam generare poſſunt. Imò ab iis, quæ ipſorum ſtatum non deceant. Vnde quamuis Barboſa *de Iure Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 118. ex Abbate, Carolo de Graſſis, & aliis approbet Clericos poſſe vendere panem coctum, & ad minutum, ex frumento collecto in propriis prædiis, id tamen quoad attinet ad Religioſos, admitti non debet, ita vt id faciant in propriis Monaſteriis, ſecus per alios, & in domibus ſæcularium. Idem, & potiori ratione, dic de venditione vini proprij, non enim licet Monaſterium facere tabernam. Layman. *d. num.* 40. ex Rebello, quem refert.

8 Magis verò in ſpecie, & in particulari, quæ licita, vel quæ prohibita ſint Eccleſiaſticis, & Regularibus, ex variis declarationibus Sacr. Congregationis, quas hic adiiciam, conſtare poterit. Primò enim, cum Capitulum, Preſbyteri, & Clerus Ciuitatis, & Diœceſis Caputaquenſis ad S. Congregationem hæc dubia propoſuerit. Primum, *An liceat eis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere?* Secundum. *Pro neceſſario culturæ vſu an poſſint emere boues, & alia animalia, & fœtus illorum vendere?* Tertium. *An ij, qui ex propriis bonis habent quercus, & caſtaneas, quarum fructibus ſues veſcuntur, poſſint ſues emere, eoſve alere, & pro ſua, & familiæ ſuſtentatione vendere?* Quartum. *An Clerici pauperes ad ſuam, ſuæque familiæ ſuſtentationem poſſint terras Eccleſiæ conducere?* Quintum. *An iidem Clerici cum foliis ſuarum arborum poſſint in propriis ædibus arti ſericæ operam dare, vel idem opus dare ad medietatem, ſeu ad quartum, & fructus inde percipiendos vendere abſque reatu illicitè negotiationis?* Sextum. *An poſſint locare boues, oues, & animalia quæ habent ex ſucceſſione, vel aliis debitis, vel ex decimis, eorumque fructus vendere?* Septimum. *An liceat ex oliuis, vineis, quercubus, & aliis arboribus exiſtentibus in terris patrimonialibus, & beneficialibus, & aliis obtentis vendere oleum, vinum, glandes, & alios fructus ad ſuſtentationem ſuæ familiæ, item & granum, & frumentum huiuſmodi ex bonis patrimonialibus, aut beneficialibus?* Reſpondit eadem S. Congregatio. Ad primum. *Licere Clericis agros beneficiorum, & bonorum patrimonialium laicorum operâ colere abſque metu illicitæ negotiationis.* Ad ſecundum. *Poſſe ſimiliter Clericos pro culturæ vſu boues, & alia animalia emere, illorumque fœtus iuſto pretio, & honeſta ratione vendere, nec ob id prohibitæ negotiationis prætextu vexari poſſe, aut debere.* Ad tertium. *Item, & poſſe Clericos habentes in propriis bonis quercus, & caſtaneas, ſues emere, eoſque alere pro ſua familiæ ſuſtentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, diſtrahendiſve nihil ſordidum, aut indecens Ordini Clericali exequantur.* Ad quartum. *Licere Clericis folia arborum in propriis bonis exiſtentium alicui laico concedere, eo pacto adiecto, vt lucrum ex bombycibus inter vtroſque diuidatur. Et pariter eiſdem licere ex earundem arborum foliis per ſeipſos abſque officij eorum detrimento*

artè

tenentur. Item poſſunt boues proprios , quos ſcilicet in ſuis prædiis natos educauerint , & inſtruxerint , concedere pro certa tritici quantitate quolibet anno perſoluenda, ſecus quoad boues emptos. Item poſſunt oues centum , vel ſaltem quinquaginta ſimili modo concedere pro certa caſeorum quantitate , pro eorum , & ſuæ familiæ vſu , ſi oues propriæ fuerint , & non emptæ ad illum effectum cauſa lucri comparandi , ſecus ſi cauſa acquirendi neceſſaria ad victum.

NEOPHYTVS REGVLARIS,

SVMMARIVM.

1 *Neophytus qui dicatur.*
2 *Admittine poſſit in Religionibus.*
3 *Quid propter ipſarum priuilegia.*
4 *Quomodo ea accipienda.*
5 *Quid de particularibus ſtatutis Religionum.*
6 *An illa inualida ſint.*
7 *An Neophyti admitti poſſint ad ordines ſacros.*
8 *An aſſumi ad officia Religionis.*
9 *Quid ſtando in iure communi.*
10 *Quid ſecundum iura particularia Religionum.*
11 *Quomodo intelligenda.*
12 *Quæ ſtatuta poſſint facere circa illos Religiones.*
13 *De abiurantibus in officio Sanctæ Inquiſitionis, vel ab ipſo pœnitentiatis.*
14 *Reſolutio cuiuſdam dubij de filio cuiuſdam fœminæ combuſtæ propter crimen Magiæ.*
15 *Poteſt aſſumi ad dignitates , & officia Religionis.*
16 *Quia in Bulla Pauli IV. non excluditur.*
17 *Verba Bullæ.*
18 *Etſi eius mater fuerit Maga , non tamen declarata vt hæretica.*
19 *Poteſt dari Magia ſine hæreſi.*
20 *Authores referuntur.*
21 *Non obſtat quod fuerit ſuſpecta de hæreſi.*
22 *Non enim propterea eius filius excludi debet ab officiis.*
23 *Quia Bulla ſolum loquitur de hæreticis , &c.*
24 *Lex pœnalis intelligenda eſt ſtrictè.*
25 *Doctrina Sanchez.*
26 *Maximè hoc procedit in Religionibus vbi graſſantur hæreſes.*
27 *Alia reſolutio de quodam ex Mahometanis orto baptizato in infantili ætate.*
28 *Capax eſt officiorum Religionis.*
29 *Non obſtat illi* cap. quoniam molta, diſt.48.
30 *Quia per Neophytum intelligitur ille , qui nouiter , & recenter baptizatus eſt.*
31 *Religioſus autem iſte in infantili ætate.*
32 *Verba illius canonis.*
33 *Fauet* can. ſicut Neophytus.
34 *Fauent Doctores.*
35 *Non obſtat Pauli IV. Bulla.*
36 *Quia ibi loquitur Pontifex de deſcendentibus ex Iudæis , & hæreticis , non ex Mahometanis.*
37 *Nec hic valet argumentum à ſimili.*
38 *Quia lex Pœnalis non debet extendi.*
39 *Et hæc ſolùm eſt pro Ordine Minorum.*

1 NEophytus deducitur à verbo *neos* , quod eſt nouum , & *phitos* quod eſt fides , ideſt *nouus in fide.* Turrecremata *in Summ.* 48. *diſt. num.* 2. Campanile *in Diuerſ. iur. Canonic. Rub.* 11. *cap.*7. *num.*2. Triplicitec autem ſumitur : primò propriè , & rigoroſè , pro eo qui in adulta ætate nouiter , ſeu de recenti conuerſus eſt ad fidem ex reprobata Religione Maurorum , Hebræorum , &c. Secundò , minus propriè pro eo qui conuerſus eſt ad fidem à pluribus annis , vel à multo tempore. Tertiò , impropriiſſimè , iniurioſè , & vulgariter , pro aliis, ſeu deſcendentibus iſtorum. Turrecremata *ſuprà.* Nauarrus *in Man.cap.* 27. *num.* 105. Sanch. *lib.*2. *in Dec. cap.*28. *num.* 51. Miranda *in Man. tom.* 2. *part.* 1. *quæſt.*19. *art.*7. Barboſa *de Epiſcopali munere, tit.* 2. *gloſſa* 17. *a num.* 1. Candidus *tom.*4. *diſquiſ. art.* 12. *dub.* 11. De quibus omnibus in præſenti. Pertinet autem hæc materia ſpecialiter ad Regulares , quia inter ipſos ſæpius controuertitur , primò an tales ad Religionem admitti poſſint : ſecundò , an ad Ordines Sacros , tertiò an ad dignitates , & officia Religionum, de quibus ſigillatim dicendum.

Et quidem loquendo de iure communi , ſecluſis 2 particularibus Conſtitutionibus , aut Decretis Summorum Pontificum , vel particularium Religionum, Neophytos quoſcunque, ſiue primo modo , qui tales propriè ſunt, ſiue ſecundo , aut tertio, qui non niſi impropriè , impropriiſſimè, imò : & iniurioſè, & vulgariter Neophyti appellantur , admitti poſſe in Religionibus , nec propter hunc defectum eiici poſſe , conſtat non ſolùm ex dictis *tom.* 1. *pars.* 1. *cap.*24. *num.* 25. vbi de Neophytis tertio modo ; ſed etiam ex eo quòd nullus textus id prohibeat , quin potius oppoſitum colligi videatur *ex cap. eam te, de reſcriptis* , & ex eo quod cum Religio ſit ſtatus perfectionis , Eccleſia potius deſiderat , vt ad eam veniant fideles , quàm ipſus tanto bono priuare.

Dixi , ſecluſis particularibus Conſtitutionibus , & 3 Decretis Summorum Pontificum , quia Alexand. VI. anno 1495. approbauit Conſtit. Hieronymianorum de non recipiendis ſine licentia Cap.Gen. ad Ordinem ipſorum Neophytis , aut deſcendentibus intra quartum gradum ex nouiter à Iudaiſmo conuerſis ad fidem: quod etiam confirmatum dicitur à Pio IV. Rodriguez *tom.*1. *quæſt.Regul. quæſt.*14. *art.*14. Item Paulus IV. in Bulla *Cum ex Apoſtolatus*, in Bullario Rodriguez inter Bullas huius Pontificis *num.* 2. confirmans quæ Clemens VII. aliàs ordinauerat (licet Iulius III. ea reuocaſſet) proprio motu ſtatuit , & mandauit , quod de cætero nullus ſæcularis , qui Iudæus, ſeu hæreticus fuerit, ſeu à Iudæis , & hæreticis , quorum parentes , ſeu progenitores paterni , ſeu materni,viuentes, ſeu defuncti vſque quartam generationem incluſiuè hæretici declarati , & vt tales condemnati, ac illi , ſeu eorum corpora , & oſſa , vel ſtatuæ igni traditæ fuerint , originem trahat , ſeu ex deſcendentibus prædictorum Iudæorum , ſeu hæreticorum vſque ad quartam generationem incluſiuè fuerit , vel ſit, in totius Ordinis fratrum S. Franciſci dicti Ordinis fratrem quibuſcunque locis, & mundi partibus,vbi Religio, & Ordo fratrum Minorum huiuſmodi fuerit , aliquo modo ſub quouis prætextu , & quæſito colore recipi , & admitti poſſit ſub magnis pœnis in ea Conſtitutione deſignatis. Referunt , & explicant illam Nauar. *lib.* 5. *Conſilior. in* 1. *editione , tit.de Iudæis , toto conſilio* 1. *& in* 2. *titulo de hæreticis, toto conſilio* 22. Auila *de Cenſuris , part.*7. *diſp.*4. *dub.* 1. idem Rodrig. *dicta quæſt.*14. *art.*2. *ad* 2. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1. *quæſt.*19. *art.* 7. *& tom.*2. *quæſt.*1. *art.* 1. Et quamuis Auila dicat ſe accepiſſe à quibuſdam viris doctis eam non eſſe vſu receptam, nihilominus Portellus *in Dubiis Regular. verbo Nouitius , in additionibus num.* 22. dicit contrarium teſtari praxim Franciſcanam. Similiter Gregorius XIII. in Bulla , quam referunt Rodriguez *ſuprà quæſt.*14. *art.*1. & Portellus *ſuprà num.*20. extendit prædictam Bullam Pauli IV. ad deſcendentes à Sarracenis vſque ad quartum gradum. Item Pius IV. in Bulla *Qui libenter* , in Bullario Rodriguez inter Bullas huius Pontificis *num.*4. pro Congregatione S. Benedicti Valliſoletani Hiſpaniarum confirmauit Conſtitutionem quandam eiuſdem Congregationis , in qua ſtatutum erat , quod nullus , qui aliquando per Sanctæ Inquiſitionis officium

inquiſitus, aut punitus, ac confeſſus fuiſſet, ſeu eſſet, aut in quarto gradu, vel infra ipſum quartum gradum, ſeu vſque ad illum de eorumdem Maurorum, Turcarum, vel Hebræorum genere ea vtrinque, vel altero parente originem, & deſcendentiam habuiſſet, ſeu haberet in aliquo ex eiſdem Monaſteriis dictorum Regnorum in Monachum recipi, vel admitti poſſe. Portellus *ſuprà num.*21. Præſertim Gregorius XIII. in Bulla *Muneris noſtri*, quæ habetur apud Peirinis *in* 2. *tomo priuileg. Minim.* inter conſtitutiones eiuſdem Gregorij *n.*3. ſic decernit pro Minimorum Religione. *Quo verò ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quòd poſt Baptiſma ab eis ſuſceptum iterum à fide Catholica receſſerint, per ſententiam in foro Eccleſiaſtico latam damnatis, Mahumetanis item, & hæreticis ſimiliter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum oſſa, vel ſtatua combuſta ſunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vſque ad quartam generationem incluſiuè, in Ordinem ipſum recipi, & admitti non poſſe.* Portellus *ſuprà num.* 22. Peirinis etiam *ſupra, & tomo* 2. *de Prælato, quæſt.* 2. *cap.*5. § .6. *num.*87.

4 Circa quas Pontificias Conſtitutiones nota primò, quod licet illæ factæ ſint in fauorem dictarum Religionum, ac per conſequens ſint quaſi priuilegia ipſarum, nihilominus quia ſunt odioſæ, & pœnales, non communicari ſaltem de facto aliis Religionibus habentibus communicationem priuilegiorum cum prædictis, propter dicta *tom.*2. *part.*2. *cap.*1. *num.*52. Portellus *ſup. num.*21. & 22. Nota 2. circa filios hæreticorum, vel punitorum à Sancto Officio, vel ſimilium, valde probabile videri, quod ſi illi geniti ſunt antequam parentes eorum contraherent dictos defectus, non comprehendantur dictis Conſtitutionibus, ſed quod poſſint, eis non obſtantibus, ad præfatas Religiones admitti. Prout à ſimili de aliis hæreticorum pœnis, quod ſcilicet eas non contrahant filij ex ipſis geniti ante parentum hæreſim, latè probat Sanchez *lib.*2. *in Decalog. cap.*27. *à num.*4. ex variis fundamentis, & auctoribus. Ratio eſt, quia ex pluribus iuribus habetur non imputari filiis crimina patris, ſi antea nati ſunt. Prout colligitur ex Concil. Tolet. 15. *cap.* 1. & refertur 1. *quæſt.*4. *cap. non imputatur.* D. Auguſtino *epiſt.*75. *cap. non imputatur, cap. iam itaque* 1. *quæſt.*4. *lib.*2. *C. de liberis.* Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 1. *art.*2. poſt plures alios. Etiamſi alij, quos ibi refert, & ſequitur Portellus *ſuprà num.* 23. oppoſitum teneant. Nota tertiò, quod quamuis in Dictis Conſtitutionibus non excludantur ab habitu Religionis ſuſcipiendo illi qui fuerint ſuſpecti de hæreſi: tamen ſunt tum in Conſtitutione Sixti V. quam retuli *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 34. *num.* 12. etſi cum limitationibus ibi adductis; tum in noſtro Ordine, & Ieſuitarum, propter Conſtitutiones, & ordinationes infra referendas. Quod idem credo de aliis Religionibus. Nota quartò prædicta non debere extendi ad collaterales, fratres ſcilicet, vel patruos, quia Conſtitutiones ſolùm loquuntur de deſcendentibus, & pœnales ſunt, Rodriguez *d. quæſt.* 14. *art.* 6. Peyrinis *ſupra d.* § .6. *num.*89. Quintò nec extendi ad Moniales propter eandem rationem, & quia in odioſis lex loquens de viris non extenditur ad fœminas, Rodriguez *ſuprà, art.*13.

5 Dixi etiam ſuperiùs, omnes prædictos Neophytos, ſiue primi, ſiue ſecundi, aut tertij generis, poſſe recipi ad habitum, & Religionem, niſi obſtent particularia ſtatuta, ſeu Conſtitutiones Religionis, quia plures ex illis habent ſtatuta id prohibentia. Primò enim Carmelitis noſtris *in* 1. *part. Conſtitutionum, cap.*13. *num.*1. & 2. ſub variis pœnis præcipitur ne recipiant ad Ordinem deſcendentes ex genere Hebræorum, vel Sarracenorum, & quod antequam recipiantur Nouitij de hoc inter alia interrogentur. Subiiciturque: *Eis proteſtando, quod ſi aliquem horum defectuum patiantur, non tenebuntur, ſed habita certa cognitione repellentur.* In Ordinationibus etiam PP. Ieſuitarum *part.* 2. *Examinis*, interrogantur Nouitij an receſſerint à gremio Eccleſiæ, fidem abnegando, vel errores contra ipſam incurrendo, vt propterea damnati ſint, vel vt ſuſpecti de hæreſi declarati, vel ſchiſmatici. Item Hieronymiani Hiſpaniæ, vt habetur ea Compendio priuilegiorum eorum, & refert Sorbus infra citandus, id obſeruant, vt deſcendentes in quocunque gradu, etiam vltra quartum, à Iudæis, & Sarracenis non recipiantur ad Ordinem, & Priores illos recipentes grauiter puniantur. Similiter quoque Decretum audio haberi à Patribus Capuccinis.

Quamuis autem plures DD. teneant prædicta Statuta inualida eſſe, eo quòd ſint contra ius commune, prout tenet Nauarrus latè *lib.* 3. *conſiliorum, tit. de Regula, conſil.*5. Sorbus *in Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendic. verbo Nouitius*, §. *ſed circa*, referens Caietanum, & Paſſarellum, Miranda *tom.* 1. *Man. Prælat. quæſt.*19. *art.*1. §. *ſecundò præmitto, & tom.* 2. *quæſt.*1. *art.*1. & Peyrinis *ſup.* loco relato, *ex tom.*2. *p.*2. *de Prælato, num.*84. Nihilominus probabilius eſt contrarium, non ſolùm ſi prædicta Statuta auctoritate confirmata fuerint, vt eſt certum apud omnes, ſed etiamſi ab ipſo non fuerint confirmata, ſed tantum facta in Capitulis à legitimis legiſlatoribus. Ratio eſt, quia cum liberum ſit, & gratuitum Religioni admittere vel non admittere aliquos ad ipſam, liberum etiam erit ipſi, rationabili ſubſiſtente cauſa, vt in præſenti ſubſiſtit, non admittere illos, qui talem defectum habuerint. Præſertim, ſi tales admittere ignominioſum ſit Religioni, prout contingit, præſertim in Hiſpaniæ partibus, hæc enim Natio ob ſpecialem deuotionem erga Catholicam Religionem valde exoſos habet prædictos defectus. Vnde talia Statuta, ſaltem quatenus prohibitiua, & non irritatiua, valida eſſe tenent Rodriguez *tom.*1. *quæſt. Regular. quæſt.* 10. *art.*2. Suarez. *tom.*4. *de Relig. tractat.* 10. *lib.*2. *cap.* 2. Portellus *ſuprà verbo Nouitius, num.*30. in fine, & Vecchius *de Nouitiat. diſp.*4. *dub.*1. Neque obſtat, quod talia Statuta dicantur eſſe contra ius commune. Non enim ſunt contraria iuri communi poſitiuè, ſed tantùm negatiuè. Hoc eſt, ius commune non præcipere quod tales recipiantur, aut quod non poſſint excludi ab aliqua Religione, ſed tantum permittere quod recipiantur ad Religionem, & ita non recipere illos, aut prohibere ne recipiantur, non eſt contra, ſed præter ius commune. Poſſe autem Religiones hoc modo condere Leges, ſeu Statuta certum eſt, & indubitatum, cum iuxta ſubiectam materiam recipiendorum ad ipſas, ferè omnes habeant particularia Statuta ſuprà, vel præter ius commune. Verbi grat. quod non recipiantur qui fuerint ea alia religione etiam intra Nouitiatus annum eiecti, prout noſtra loco ſuperiùs relato ea Conſtitutionibus, & Patrum Ieſuitarum *in* 2. *part. Examinis, ſuprà num.* 5. Imò addendum, poſſe etiam religiones condere Statuta, quibus irritetur Profeſſio habentium tales defectus, propter rationem adductam, & præſertim quia cum ad profeſſionis validitatem non ſolùm requiratur voluntas, ſeu conſenſus profitentis, ſed etiam religionis acceptantis, ſanè ſi Religio non acceptauerit Profeſſionem alicuius habentis tales defectus, profeſſio illa valida non erit. Vnde ſi Nouitij interrogati an habeant prædictos, vel ſimiles defectus, proteſtatione facta quod ſi illos habuerint, Profeſſio illorum irritabitur, & ipſi ab Ordine eiicientur, ſi illos celauerint, profeſſio irrita erit, & eiici poterunt, iuxta dicta *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 23. & *cap.* 28. *numero* 26. & docet Nauarrus ſuprà dicto *conſil.*5. *num.*1. etiamſi credat talia Statuta inualida eſſe. Adde tamen, quod ſi tales defectus fuerint omninò occulti, & ipſos reuelare cedat in ignominiam propriam, vel

aliorum,

Digitized by Google

aliorum, probabile eſſe non teneri Nouitios ipſos propalare. Quia præceptum conſeruandæ famæ eſt de iure naturæ, *cap. quis aliquando*, §. *amplius horum*, *de pœnitent. diſtinctione* 1. Vnde in tali caſo celare debent tales defectus omnino occultos non reſpondendo, vel ſi coguntur reſpondere, vti amphibologia, iuxta dicta à ſimili *ſuprà verbo Iuramentum quoad Regulares*, *numer.* 11. Vide Portellum *in Reſponſionibus moralibus*, *part.* 1. *caſu* 8.

7 Circa ſecundam difficultatem de admiſſione prædictorum Neophytorum ad Ordines Sacros, diſtinguendum eſt. Si enim tales fuerint Neophyti propriè, & primo modo, cum illi ſint irregulares, iuxta dicta *ſuprà verbo Irregularitas*, *num.* 12. certum erit non poſſe, perſeuerante tali irregularitate, ad Ordines aſſumi. Quomodo autem ea tollatur, eo loco dixi. Loquendo autem de Neophytis ſecundo, & tertio modo, certum etiam eſt, quod ſtando in iure communi habiles ſint ad Ordines ſuſcipiendos, cum non ſint irregulares. Dixi iure communi; nam loquendo de Ordine Hieronym. id eſt prohibitum propter particulare Statutum ipſorum confirmatum ab Alexandro VI. in Bulla, quam refert Rodriguez *dict. tom.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 14. *art.* 15. reſpectu Neophytorum, aut deſcendentium intra quartum gradum à Iudæis nouiter conuerſis. Item pro Ordine Minorum id videtur prohibitum illis, quos recipi non poſſe ſtatuit Gregorius XIII. Bulla *ſuprà num.* 3. relata, & docet Portellus *dicto verbo Nouitius*, *in additionibus num.* 22. Idemque ex Pio V. in Bulla *Paſtoralis offi. y*, pro Ordine Minorum habet Sorbus *ſuprà*, §. *& per Conſtitutionem*, reſpectu illorum, qui ex hæreticis damnatis, & non conuerſis, vel quorum ſtatuæ combuſtæ fuerint, originem ducunt per lineam paternam vſque ad ſecundam generationem, & per lineam maternam vſque ad primam. Excipe autem filios hæreticorum; iſti enim, iuxta dicta *ſuprà verbo Irregularitas*, *num.* 62. ſunt irregulares, ac per conſequens tali irregularitate perſeuerante, admitti nequeunt ad Ordinum ſuſceptionem. Portellus *ſuprà num.* 24. Non tamen debent excipi deſcendentes ex Iudæis, vel Mauris, ſi ipſi ante rationis vſum baptizati ſunt, cum iura ſolùm filios hæreticorum excipiant. Nauar. *in Man. cap.* 27. *num.* 205. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 28. *num.* 11. Portellus *ſuprà num.* 25. An verò prædicti ſint infames, & per conſequens irregulares, itavt propterea etiam ad Ordines aſſumi non poſſint, conſule dicta *ſuprà* verbo *Infamia*, *num.* 2. *&* 11. Notanda eſt etiam declaratio quædam Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub die 20. Martij 1595. quam refert Barboſa *lib.* 1. *Iuris Eccleſiaſtici*, *cap.* 33. *num.* 103. ex qua habetur, deſcendentes è Neophytis, ſeu nouis Chriſtianis etiam in primo gradu, impediri non debere quominus ad Sacerdotium aſcendere valeant.

8 Circa tertiam difficultatem, an huiuſmodi Neophyti in Religionibus aſſumi poſſint ad Officia, & Dignitates ipſarum, diſtinguendum etiam eſt. Si enim fuerint Neophyti primo modo, & qui tales propriè dicuntur iuxta dicta, cum tales ſint irregulares, proculdubio irregularitate perſeuerante, non poſſunt habere ea Officia ſeu Dignitates in Religionibus, quorum, ſeu quarum irregulares ſunt incapaces. De quibus dixi *ſuprà* verbo *Irregularitas*, *num.* 6. Poterunt tamen habere ea Officia, quorum irregulares non ſunt incapaces, de quibus etiam dixi eo loco *num.* 5. *&* 6. Accedit etiam *cap. quoniam*, *cap. ſicut Neophytus*, *diſt.* 48. vbi huiuſmodi Neophyti excluduntur à Dignitatibus. Cuius prohibitionis duplicem cauſam aſſignat Gratianus *in principio dictæ diſtinctionis*, ſcilicet ne incidant in ſuperbiam putantes fidem Chriſtianam ipſis indigere, & propter eorum inexperientiam. Maiolus *de Irregularit. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 1. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 4. §. 7. Peyrinis *ſuprà num.* 82. ex aliis. Quia tamen huiuſmodi irregularitas non eſt talis, vt à ſolo Papa tolli poſſit, ſed pertineat etiam ad Epiſcopum, quando iudicio ipſius tales Neophyti ſunt ſufficienter in moribus, & Chriſtiana diſciplina inſtructi, vt iam quaſi veterani Chriſtiani cenſeri poſſint: prout ex *cap.* 1. *diſt.* 57. Couarruu. *Clementina ſi furioſus*, 1. *part.* §. 2. *num.* 8. *concluſ.* 3. & Auila *de Cenſur. part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 4. tenet Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 27. *num.* 12. ſiue id ſit per modum diſpenſationis, prout Henriquez *ſuprà* tenet, ſiue per ceſſationem rationis prohibitionis, prout indicat idem Sanchez, & ſequi videtur Barboſa *de Epiſcopali munere*, *tit.* 2. *gloſ.* 17. *num.* 6. *&* 7. ideo in tali caſu, & talibus circunſtantiis videtur Prælatos Regulares poſſe idem facere cum ſuis ſubditis neophytis. Siquidem habent iuriſdictionem quaſi Epiſcoporum ſuper illos.

Cæterum loquendo de Neophytis ſecundo, & tertio modo, quos impropriè, ſeu improprijſſimè tales vocari dixi, certa res eſt, quod ſtando in iure communi habiles ſint ad quaſcumque Dignitates, ſeu Officia Religionum. Sumitur *ex cap. cum te*, *de reſcriptis*, vbi Pontifex præcipit, vt quemdam de gente Iudæorum in Canonicum reciperent. Et ex facto etiam Clem. VIII. qui, vt refert Barboſa *ſup. num.* 9. Alexandrum de Franciſcis in Hebraiſmo natum ad Epiſcopatum Foroliuienſem aſſumpſit. Nouiſſimè etiam hoc anno 1648. die 2. Auguſti, cum quidam Religioſus, qui in Africa ex parentibus infidelibus natus, ſed infans captus, & Panormi baptizatus erat, quæreret à Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, an poſſet conſequi ſuæ Religionis gradus; reſque cum aliquibus Theologis (ex quibus vnus, & minimus ego fui) communicata eſſet, eadem Sact. Congregatio Eminentiſſ. Cardinali Caëtano referente, annuit vt concurrentibus in eo aliis neceſſariis, ad omnes Gradus, & Dignitates ſuæ Religionis aſſumi valeret. Vide ad intentum Rodriguez dicta *quæſt.* 14. *art.* 1. & Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæſt.* 1. *art.* 1. 9

Dixi *ſtando in iure communi*, quia ſecundum iura particularium Religionum plures ex illis admitti non poſſunt ad Prælatias, ſeu dignitates illarum. Primò enim Hieronymiani, propter Bullam Alexandri VI. quam *ſuprà num.* 3. retuli, qua approbatur Statutum eiuſdem Religionis, non poſſunt ad Dignitates, & Officia promouere neophytos, ſeu deſcendentes intra quartum gradum ex Iudæis nouiter conuerſis. Similiter Minores ex Bulla Pauli IV. quam etiam *ſuprà* eodem *num.* 3. retuli, illos quos eo loco dixi admittere non poſſe ad Religionem, nec etiam admittere poſſunt ad Generalatum, Prouincialatum, Commiſſariatum, Guardianatum, aut munus Prædicatoris, & talis electio, ſeu aſſumptio irrita, & nulla eſt, prout ex ipſa Bulla conſtat. Item Benedictini Congregationis Valliſoletanæ ex Pio IV. in Bulla eo loco adducta, eos etiam, quos vt ex ea dixi, non poſſunt ad Ordinem recipere, nec etiam in Abbatem, Priorem, Adminiſtratorem, vel Officialem cuiuſlibet Monaſterij aſſumere poſſunt. De his omnibus, & aliis concernentibus Rodriguez *ſuprà d. quæſt.* 14. *art.* 1. *&* 14. Miranda *in Man. Prælator. tom.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Portellus *in Dub. Regular. verbo Electio*, *num.* 11. *& verbo Nouitius*, *in Additionib. num.* 20. *&* 21. 10

Circa quæ Pontificum Decreta nota primò, rectè, & prudenter ab ipſis edita fuiſſe, non obſtante iure communi contrarium permittente, propter rationabiles valde cauſas, quæ ſunt in eo, quod prædicti non admittantur ad dicta Officia, & Dignitates Religionum. Quarum etiam aliquas ipſimet Pontifices aſſignant, & ſunt quies, & tranquillitas Religioſorum, quæ ſæpius à prædictis perturbatur, propter ipſorum vitia, ſuperbiam præſertim; & euertere ignominiam 11

Religionum, quæ ſaltem in aliquibns regionibus ſu-
let eiſſe, ſi tales ad prædicta cernantur aſſumpti. Cor-
duba *lib.* 1. *quæſt.* 54. quem refert, & ſequitur Rodri-
guez dicta *quæſt.* 14. *art.* 1. Miranda *art.* 1. Nota ſecun-
dò quod iuxta dicta in præcedentibus *num.* 4. ea non
extenduntur ad alias Religiones, propter fundamen-
tum, & Authores ibi adductos. Quibus etiam adde,
huiuſmodi conceſſiones potius debere dici Statuta par-
ticularia illarum Religionum, quam priuilegia ipſa-
rum, ac per conſequens non includuntur in vniuerſali
communicatione priuilegiorum quam plures Religio-
nes habent. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſput.* 17.
quæſit. 6. Nec etiam extenduntur ad Moniales, ita vt
ſimiles defectus patientes non poſſint aſſumi ad mu-
nus Abbatiſſatum, ſeu Prioriſſatum, vt notat Rodri-
guez dicta *quæſt.* 14. *art.* 13. Nec etiam extenduntur ad
collaterales prædictorum, aut ad eos, qui geniti fue-
runt antequam parentes eorum eos defectus contraxe-
rint, propter dicta ſuprà. Caſu etiam quo in aliqua
Religione Statutum eſſet de prædictis non recipiendis
ad ipſam, ſi tamen cautum non eſſet, quod tales rece-
pti, aut recipiendi ad Officia, & Dignitates ipſius
eſſent inhabiles, provt in noſtro Ordine contingit, ca-
paces illorum eſſent, cum ius commune, aut illa Re-
ligio illos non faciat incapaces.

12 Maximè notandum, quod quamuis Suarez *tom.* 5.
in 3. *part. diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 8. *& tom.* 4. *de Relig.
tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. Rodriguez *dict. tom.* 5. *quæſt.* 14.
art. 1. Miranda *dicto art.* 1. & Peyrinis *ſup. num.* 84.
poſt Nauarrum, & alios aſſerant Religiones non
poſſe ſine Papæ authoritate facere ſimilia Statuta,
quibus tales ſecundo, vel tertio modo appellati Neo-
phyti excludantur ab Officiis, vel Dignitatibus Re-
ligionum, eo quòd tales iure communi Canonico
habiles ſunt ad prædicta, & Religiones ſine Papæ
authoritate nihil poſſunt contra ius commune ſtatue-
re. Nihilominus probabile valdè mihi eſt, id poſſe
facere ſaltem pro illis regionibus, in quibus indeco-
rum, & ignominioſum eſt Religionibus, quod tales
Officia, & Dignitates obtineant, qualem eſſe Hiſpa-
niam propter ſpecialem pietatem, & deuotionem il-
lius nationis erga Religionem Chriſtianam, dixi *ſu-
prà num.* 6. & maximè ſi talia Statuta non compre-
hendant Religioſos iam profeſſos in Religionibus, ſed
eos, qui in poſterum profeſſuri ſunt. Ratio eſt, quia
quælibet Religio poteſt ea Statuta, ſeu leges conde-
re, quæ ad bonum regimen illarum ſpectauerint,
dummodo ea Regulam Religionis, iuxta dicta *tom.* 1.
part. 1. *cap.* 8. *num.* 4. concernant. Statuere autem, quod
prædicti non aſſumantur ad præfata Officia, ſeu Dig-
nitates, in illis præſertim regionibus, in quibus id
eſt indecorum, & ignominioſum Religioni, procul-
dubio ad bonum regimen ipſius ſpectat, Regulam-
que concernit. Nec hoc eſt contrarium poſitiuè iuri
communi Canonico, quia vt dixi à ſimili *ſuprà num.* 6.
Ius Canonicum non præcipit, quod tales ad præ-
miſſa aſſumantur, ſed ſolùm eos non excludit. Vnde
talia Statuta Religionum id prohibentia non ſunt
contraria poſitiuè iuri Canonico, ſed tantum nega-
tiuè, vt in ſimili loco relato dixi. Accedit non con-
gruè dici poſſe talia Statuta non ſolùm contraria non
eſſe iuri communi, præſertim Canonico, ſed etiam
illi conformia. Quod colligo manifeſtè ex Pio IV. in
Bulla *Prouiſionis noſtræ*, apud Rodriguez in Bullario in
eodem Pio *num.* 3. vbi confirmans Bullam Pauli IV.
prohibentis ne deſcendentes à Mauris, Iudæis, &
Hæreticis admitterentur ad Officia in ordine Mino-
rum, ſubiungit Pontifex: *Nos conſiderantes non ſolùm
eos, qui orthodoxæ fidei contemptores exiſtunt, à Sacris Ca-
nonibus pœnis grauiſſimis plecti, verum etiam eos, & eo-
rum deſcendentes à Dignitatibus, beneficiis, & Officiis
Eccleſiaſticis arceri, &c.* Canones autem propter quos

Pontifex id dicere potuit, ſunt c. *conſtituit*, 17. *quæſt.* 4.
& cap. ſtatutum 2. *de hæret. in* 6. Etenim *d. cap. conſti-
tuit*, decernitur eis, qui ſunt ex Iudæis, *officia publica*
non eſſe danda, & *cap. ſtatutum* 2. *de hæret. in* 6. filij
hæreticorum vſque ad ſecundam generationem ad Be-
neficia Eccleſiaſtica, ſeu officium publicum non ad-
mittuntur.

Si autem quæras, quid ſentiendum de iis, qui in 13
S. Inquiſitionis Officio abiurarunt, ſiue de leui, ſiue
de vehementi, ideſt iurarunt de non redeundo ad illud
delictum, an ſcilicet iſti comprehendantur in dictis
Statutis, quibus cauetur ne hæretici, vel de hæreſi ſuſ-
pecti admittantur ad Religiones, vel Officia ipſorum.
Reſpondeo attendendum eſſe, tum ad formam abiu-
rationis ab ipſis factam, tum ad formam abſolutionis
illis à DD. Inquiſitoribus præſtitam. Ex illis enim con-
ſtabit an ea abiuratio fuerit ſolùm propter hæreſis ſuſ-
picionem, an propter hæreſim ipſam, & an propterea
incapaces ſint ad prædicta. Quod etiam faciendum, vt
cognoſcatur an inciderint tales pœnitentiati à S. In-
quiſitione in inhabilitatem ad gradus, & Officia Re-
ligionum, quam dixi incurrere ex Decreto eiuſdem S.
Inquiſitionis *tom.* 5. *part.* 1. *Summæ huius cap.* 15. *num.* 39.
Notandum etiam eſt, an propter pœnitentiam à S. In-
quiſitione impoſitam, incurrerint infamiam; ſi enim
ita fuerit, ratione talis infamiæ erunt irregulares, ac per
conſequens incapaces ad plura Officia Religionum,
iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Infamia.*

Adiungenda huic loco reſolutio, quam dedi cuidam 14
dubio, quo quærebatur, an in ordine quodam Men-
dicantium aſſumi poſſet ad officia, & dignitates Reli-
gionis, Prouincialatus maximè, quidam Religioſus
filius fœminæ, quæ combuſta fuit propter crimen ma-
giæ. Eo quòd tali Religioſo obſtare videbatur Conſti-
tutio quædam Pauli IV. quæ incipit, *Cum ex Apoſtola-
tus*, anno 1559.

Reſpondi enim affirmatiuè, ſi mater dicti Religioſi 15
non fuit hæretica declarata, & vt talis expreſsè con-
demnata. Ratio eſt, quia in dicta Bulla Pauli IV. qua 16
confirmat aliam Clementis VII. non excluduntur à
prædictis dignitatibus, & officiis, niſi ſolùm illi, qui
(verba ſunt Bullæ) *olim Iudæi ſeu hæretici fuerint, ſeu* 17
*à ſimilibus Iudæis, ſeu hæreticis, quorum ſimiliter paren-
tes, & progenitores paterni, ſeu materni, viuentes, ſeu
defuncti vſque ad quartam generationem, incluſiuè hæretici
declarati, & vt tales condemnati, ac illi, ſeu eorum cor-
pora, & oſſa, vel ſtatua igni tradita fuerint, originem
trahentes, ſeu deſcendentes vſque ad quartam generatio-
nem incluſiuè.* Prædictus autem Religioſus vt ſupponi- 18
tur, neque eſt Iudæus, neque hæreticus, neque à Iu-
dæis, aut hæreticis deſcendens. Etſi enim eius mater
vt maga declarata, & combuſta fuerit, ſi tamen vt
hæretica expreſsè declarata non fuit, non eſt haben-
da vt talis: quia vt benè Toletus *in Summa, lib.* 4. 19
cap. 14. *num.* 7. etſi magia ſæpe cum hæreſi coniuncta
ſit, ſcilicet quando eſt cum errore in intellectu contra
fidem, accedente pertinacia, cum verò non eſt talis er-
ror in intellectu, provt poteſt contingere, etſi ſit gra-
uiſſimum peccatum, non tamen hæreſis eſt. Idem col-
ligitur ex Leſſio *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 44. *dub.* 4. & aliis DD. 20
communiter.

Neque obſtat, quod talis fœmina combuſta pro- 21
pter magiam de hæreſi ſuſpecta ſit, quia magi ſunt de
hæreſi ſuſpecti, prout communiter tradunt DD. dum
crimina, quæ ſunt ſuſpecta de hæreſi, referunt. Etſi 22
enim hoc ita ſit, non propterea ipſius filius excludi
debet à prædictis dignitatibus, & officiis in ordine 23
illo. Eo quòd prædicta Bulla ſolùm loquitur de hære-
ticis, & cùm ſit non ſolùm odioſa, ſed etiam valdè
exorbitans à Iure communi, reſtringi debet ad ſolùm
veros hæreticos, non ad ſuſpectos de hæreſi. Vt enim 24
benè Miranda *in Man. tom.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 1. *concluſ.* 3.

Lex

Lex pœnalis omnis continens aliquid contra genera-
lem regulam Iuris communis, intelligi debet ſtrictè,
vt quanto minus fieri poterit, corrigat Ius commune,
*cap. cum dilectus, de conſuetudin. l. fin. C. de Iure delibe-
randi, & c. ſi verba, §. de viro, ff. ſolut. matrimon. & fa-
cit cap. quæ à Iure, de regul. Iur. in 6. & l. benignius,*
25 *ff. de legibus.* Hinc Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 27. n. 29.*
expreſſe ait, quod *cap. ſtatutum 2. de hæret. in 6.* vbi fi-
lij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad beneficia Ec-
cleſiaſtica, non debet extendi, cum ſit pœnale, ad filios
eorum, qui ſuſpecti ſunt de hæreſi.

26 Quod maximè procedere videtur pro illis Regioni-
bus, in quibus palam, & impune hæreſes graſſantur,
qualis, proh dolor! eſt Germania, prout colligo ex
Henriquez *lib. 14. cap. 5. num. 4.* Layman. *de Irregulari-
tate cap. 4. §. notas vero,* Theſaur. *in praxi, part. 2. c. 3.
§. limita 2.* & aliis, quos refert.

27 Adiungi etiam poteſt breuis alia reſolutio de quo-
dam ex Mahumetanorum origine, qui in infantili æta-
te de manibus Turcarum à Chriſtianis captus, bapti-
zatus, & nutritus, ac poſtea effectus eſt Religioſus:
de quo quærebatur, an eſſet capax, vt in Religione ad
Prælaturas eligi poſſet. Quæ talis fuit.

28 Reſpondeo, quod ſi ſpecialia iura illius Religionis
non obſtent, procul dubio præfatus Religioſus aſſumi
29 poteſt ad Prælaturas in ipſa. Ratio eſt, quia ſi aliquid
obſtaret, maxime *cap. quoniam multa, diſt. 48.* vbi de-
30 ciditur, quod Neophytis conferri non poſſint Præla-
turæ, hic autem canon non ſolùm non obſtat prædicto
Religioſo, ſed maximè fauet illi, clarè enim, & ma-
nifeſtè per Neophytum intelligit illum qui nouiter,
31 & recenter baptizatus eſt. Religioſus autem iſte à mul-
tis annis, vtpoſé in infantia baptiſmum ſuſcepit, ver-
ba autem textus ex quibus manifeſtè colligitur per
Neophytum ſolùm intelligi nouiter, & recenter ba-
ptizatum, ſunt iſta: *Itaut homines ex vita gentili nuper
adhuc catechizati, vel inſtructi ſtatim ad ſpiritualem
Baptiſmum veniſſent, & continuò eum baptizatis etiam ad*
32 *Epiſcopatum, vel Presbyteratum prouecti ſunt.* Maximè
etiam fauet illi canon, *ſicut Neophytus, ead. diſt.* vbi
33 expreſsè dicitur, quod *Neophytus habendus eſt, qui re-
pentè Religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſa-
cros irrepſerit.* Quo verbo repentè manifeſtè excludi-
tur prædictus Religioſus, qui in infantia Baptiſmum
ſuſcepit; & ita in terminis, quod Neophytus non
dicatur, niſi qui de recenti, non à multo tempore fidem
34 ſuſcepit, tenent Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 205.*
Toletus *in Summ. libro 1. capit. 64.* ex Turrecrem.
Peirinis *tomo 2. de Prælato, quæſt. 2. cap. 5. num. 83.*
relatis Nauarro, Suarez, Campanili, Sayro, & Bo-
nacina.

35 Nec obſtat Bulla Pauli IV. quæ incipit, cum ex
Apoſtolatus, & habetur *in 2. tom. Bullarij Rodriguez,
in Paulo IV. Bulla 2.* vbi confirmans aliam Clemen-
tis VII. prohibet, ne deſcendentes ex genere Iudæo-
rum, ſeu hæreticorum aſſumi poſſint in ordine Mi-
36 norum ad dignitates & Prælatuas ipſius. Ibi enim
expreſsè ſolùm loquitur Pontifex de deſcendentibus
ex Iudæis, & hæreticis, non autem de deſcendenti-
bus ex Mahometanis, qualis eſt prædictus Religio-
ſus. Nec valet argumentum à ſimili. Nam interpre-
37 tatio legis pœnalis, qualis eſt ea, quæ continetur in
dicta Bulla, ſtrictè facienda eſt, *l. 42. ff. de pœnis, &*
38 *can. pœna, de pœnit. diſt. 1.* & ex regulis Iuris *in 6. re-
gula 15. & 48.* Vnde extendi non debet vltra caſus,
vel perſonas in ea expreſſas, propter paritatem rationis.
Sayrus *in Claui Regia, lib. 3. cap. 8.* Naldus *in Summa,
verbo obligatio, num. 14. & verbo Sacerdos, num. 5.*
Portellus *in dub. regular. verbo lex, num. 13.* & alij plu-
res. Adde quod etiamſi prædicta Bulla intelligi debe-
39 ret etiam de deſcendentibus à Mahometanis, id ſolùm
eſſet pro ordine Minorum, non pro aliis Religioni-
bus, nam vt dixi *tom. 2. Summa, cap. 1. num. 52.*
quamuis Religiones communicent in priuilegiis, non
tamen in pœnis.

NOTARIVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *Notarius quis dicatur.*
2 *De priuilegio Ordini Prædicatorum conceſſo.*
3 *Qui Prælati poſſint illos creare*, & n. 4.
5 *De Fratribus ad id munus conſtituendis.*
6 *De ipſorum munere.*
7 *An poſſint ſumere informationes pro Nouitiis.*
8 *De executione Pontificij Priuilegij.*
9 *De aliis ſpectantibus ad prædictos Notarios.*
10 *Quæ Monaſteria frui poſſint priuilegio Pij V.*
11 *An, & quando Notarij debeant ſubſcribere.*
12 *De aliis ad Notarios ſpectantibus.*
13 *Notarius creatus ab vno Epiſcopo poteſt ex cauſa ra-
tionabili non confirmari à ſucceſſore.*
14 *Quia notarius eſt de familia Epiſcopi.*
15 *Et Epiſcopus poteſt mutare ſuos familiares.*
16 *Declaratio Sacræ Congregationis.*
17 *Epiſcopus poteſt inſtituere notarios.*
18 *An per conſequens etiam deſtituere.*
19 *Deciſio Concilij Tridentini.*
20 *Ipſius intelligentia.*
21 *Deciſio Rotæ Romanæ coram Pirouano.*
22 *Deputatio Notarij ſolet eſſe manualis.*
23 *Ex Bartolo, & aliis.*
24 *Maximè ex Hieronymo Gonzalez.*
25 *Limitationes aliquot.*
26 *Obiectio ex l. Iuriſperitus, ff. de excuſat. tut.*
27 *Ipſius intelligentia.*
28 *Fortior obiectio ex cap. Nouit, de his quæ fiunt, &c.*
29 *Ipſi reſpondetur.*

NOtarius, qui & tabellio, & actuarius dicitur, 1
eſt perſona habens publicum officium ſcribendi
inſtrumenta ad faciendam fidem. Angelus, & Sylue-
ſter *verbo Tabellio, num. 1.* Creantur non ſolùm à Pa-
pa, & Imperatore, ſed etiam à Regibus, & Principi-
bus non recognoſcentibus Superiorem. Innocentius
cap. cum P. de fid. inſtrum. Angelus, & Syluester *ſuprà
num. 1.* Poſſunt etiam Prælati Regulares ipſos etiam in-
ſtituere intra Ordinem pro cauſis particularibus ſua-
rum Religionum, cum ſint iudices in illis, ad quos id
ſpectat, & ita conſuetudine obſeruatur, vocanturque
Secretarij. Rodriguez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 8. art. 1.*
Aldrete *de Religioſa diſciplina, lib. 2. cap. 8. num. 3. & 4.*
ex Speculatore, Ioanne Andrea, Abbate, Imola, &
Felino. Poſſe etiam aliquos Superiores Regulares con-
ſtituere in Notarios Publicos aliquem, vel aliquos
fratres ſui Ordinis pro intimandis extra ordinem man-
datis, & priuilegiis Apoſtolicis ex priuilegio Iulij Ter-
tij, & Pij V. dixi *tom. 2. cap. 18. num. 95.* vbi etiam ali-
qua ad idem intentum concernentia. Quæ pro maiori
luce huius materiæ amplianda ſunt, explicando primò,
quæ ſint Religiones, quibus id competit; ſecundò,
quibus Prælatis ipſarum Religionum; tertiò, qui fra-
tres ad id munus conſtitui poſſint; quartò, quod ſit
munus prædictorum fratrum in Notarios inſtitutorum;
ac denique quintò, de aliis ad ipſos ſpectantibus, de
quibus ſigillatim agendum.

Et quoad primum, licet hoc priuilegium ſolùm Or- 2
dini Prædicatorum conceſſum ſit, eo tamen vti poſſunt
tam ipſi quàm alij Mendicantes, & quicunque cum
ipſis communicationem priuilegiorum habent, & ita
ſupponunt Authores, qui de illo loquuntur, ſpeciali-
ter Rodriguez *ſuprà*, Portellus *in Dub. Regular. verb.*

Notarius, & Archangelus Romanus *de priuileg. lib. 3. verbo Notarius.* Licet autem, vt loco relato animaduerti ex Cherubino collectore Bullar. *in Pio V. Bulla 124.* Iulius III. hoc priuilegium 27. Februarij 1554. conceſſerit, quia tamen à Pio V. plenius id eſt conceſſum, ideo ipſius Bullæ ſtandum, quam refertur Confertius *in Collectan. liter. Apoſtolic. in Pio V. num.* 8. Rodriguez loco relato, & Cherubinus *dict. num.* 124. inter Bullas Pij V.

3 Circa ſecundum conſtat ex dictis eo *num.* 95. quod iſti Notarij creati non poſſunt niſi ſolùm à Generalibus, & Prouincialibus, non autem à Prælatis immediatis, ſcilicet Prioribus, Guardinis, &c. quidquid aliqui dicant. Ratio eſt, quia in dicta Bulla Pij V. ſolùm prædicti numerantur. Dicitur enim *Modernis, & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Magiſtro Generali, Vicariis, & Prouincialibus, tam citra, quam vltra, ac alias vbilibet conſtitutis. Quod in vnaquaque eorum Prouincia vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis beneviſos dictij Ordinis Religioſos, ſeu fratres, probatos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, & ab ipſis approbatos in Notarios creare, conſtituere, & deputare poſſint.* Vnde, etſi non apponat Pontifex dictionem taxatiuam, & aliquando contingat vtile eſſe Religionibus, vt Prælati immediati talem facultatem habeant, quia tamen priuilegia explicari non debent vltra id quod ſonant, & præſertim quia cum creare Notarios prædictos ſit ex grauioribus rebus Religionis; ideo Pontifex meritò ſolùm ad Generales, vel Prouinciales, propter maiorem auctoritatem, & prudentiam, quæ in ipſis præſumitur, ſpectare voluiſſe dici debet, & ad alios non extendi. Sicque ſupponit Portel. *ſup. n.* 1.

4 Nota tamen, quod quemadmodum creare Notarios perpetuos ſolùm pertinet ad Prædictos Principes ſupremos; creare autem Notarios pro cauſis particularibus, pertinet etiam ad quoſcunque iudices etiam inferiores, ſic etiam licet creare Notarios, ſeu Actuarios pro cauſis particularibus Religionum ſpectet ad inferiores, & immediatos Prælatos, cum ex vſu illarum id habeatur, vt dictum eſt, ad creandum autem Notarios perpetuos, pro cauſis præſertim extra Religionem exequendis, deſiderabatur auctoritas Pontificia, quæ meritò propterea ſolùm Generalibus, & Prouincialibus à Pio V. conceſſa eſt. Rodriguez *d. art.* 1. Portellus *ſupra num.* 1. & 2. Extendit autem hanc facultatem Pontifex ad Vicarios, intellige Generales, eo quòd in verbis relatis poſt Generalem, & ante Prouinciales nominentur.

5 Circa tertium de fratribus ad id munus conſtituendis, conſtat ex verbis allatis, eos debere eſſe *probatos fide, & doctrina idoneos, ac ab ipſis* Prælatis ad munus *approbatos.* Vnde licet tales non debeant eſſe Doctores, ſeu Magiſtri, quia nullo nullo iure id cauetur, tenentur tamen habere ſcientiam artis Notariæ, aliàs imputabitur ſibi damnum, quod imperitia ſua cauſarunt. Bart. *in l. fin. C. de tabell.* Angelus *ſuprà num.* 6. Syluester *ſup. quæſt.* 2. & conſonat valdè Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 10. Debent etiam ab eis accipere iuramentum fidelitatis, ſcilicet, quod fideliter exequantur ſuum officium. Syluester *ſup.* Aldrete *ſup. num.* 8. & 9. Portellus *ſup. num.* 2. Formam autem huius iuramenti faciendi, & litteratum pro fide ſacienda, quod tales ad prædictum munus aſſumpti fuerint, habes apud Peirinis *tom.* 2. *Priuilegiorum Minim. in Conſtitutione noua Pij V. num.* 9. & *in Formulario littera N, cap.* 1. Pro formula autem inueſtituræ vide Aldrete *ſupra n.* 9.

6 Circa quartum de munere prædictorum Notariorum hæc habet Pontifex in prædicta Bulla. *Qui ſic creati, conſtituti, & deputati ſine aliquo reſpectu, & omni ceſſante recuſatione, liberè, quoties requiſiti fuerint, omnia, & ſingula mandata, priuilegia Conſtitutiones, gratias, & indulta Apoſtolica, aliaque tam vniuerſalia quam particularia dicto Ordini, ac quibuſvis aliis, quæ de Obſeruantia ſunt tantum, locis, domibus, Conuentibus, Monaſteriis, & Eccleſiis, tam virorum quam mulierum, & ſeu eiuſdem Ordinis Magiſtro Generali, Prouincialibus, Vicariis, Prioribus, & aliis Superioribus fratribus, ac Abbatiſſis, Priorißis, Monialibus, & aliis perſonis ſub Regula dictorum Fratrum degentibus, & quæ ſunt Obſeruantia tantum, in genere, vel in ſpecie, & ad vniuerſam, ſiue priuatam vtilitatem conceſſa, & emanata Reſcripta Apoſtolica eiſdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus quibuſcunque, vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requiſiti fuerint, notificare, & intimare. Ac eoſdem, iuxta mandatorum, conceſſionum, indultorum, priuilegiorum, & reſcriptorum huiuſmodi formam, continentiam, & tenorem monere, & requirere, aliaque omnia, & ſingula circa ea requiſita, & opportuna facere, agere, exercere, & exequi, ac de eiſdem omnibus, & ſingulis publicos, & publica, actus & inſtrumenta coram teſtibus ad hoc requiſitis conficere, & ſtipulari, ac in notam redigere, vt exinde ſemel, vel pluries, prout ad id requiſiti fuerint, vnum, vel plures, ac plura, publicos, & publica actus, & inſtrumenta, quibus eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbique, ac ſi per alios quoſcunque publicos, & authenticos rogatos Notarios ſtipulata, confecta, & publicata, & authenticata fuiſſent, conficere, & debitis ſignis, & characteribus ſubſcribere, publicare, & authenticare liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem impartimur, concedimus, & indulgemus. Eiſdemque actis, notis, inſtrumentis, & ſcripturis per dictos Religioſos, vt præfertur, Notarios deputatos ſtipulatis, confectis, & vt præfertur, authenticatis, plenam, & indubitatam fidem vbique, tam in iudicio, quam extra adhibere, ac eoſdem ſic intimatos, monitos, & requiſitos eis afficere, & arctari debere volumus, ſtatuimus, & ordinamus.*

Cum autem Pontifex ſolùm concedat facultatem creandi dictos Notarios pro intimandis mandatis, priuilegiis, Reſcriptis Apoſtolicis, &c. mirum eſt quoſdam ſine ſufficienti fundamento id extendere ad ſumendas informationes pro Nouitiis, fabricandos proceſſus inter Fratres, & teſtimonium ferendum pro vita, aut morte alicuius, &c. Priuilegia enim tantum valent quantum ſonant, nec extendi debent vltra proprietatem verborum. Illa autem quæ aſſignantur, fieri poſſunt per alios Notarios deſignatos à Prælatis, iuxta dicta ſuperiùs, & *tom.* 1. *part.* 1. *ex cap.* 18. *num.* 95. 7

Pro executione autem huius priuilegij ſubiungit Pontifex. *Mandantes propterea in virtute S. Obedientiæ, & indignationis noſtræ, ac ſuſpenſionis à diuinis, quoad Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quoad alios verò inferiores ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, locorum Ordinariis, & aliis quibuſvis perſonis cuiuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis exiſtentibus, & quacunque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, ſeu poteſtate, etiam Legati de latere, ac Cardinalatus honore fungentibus, ne ipſos Notarios, vt præfertur, deputatos, & electos, ſiue eorum aliquem in executione ſupradictorum omnium quovis modo impediant, ſeu impedire, aut perturbare audeant, vel præſumant.* 8

Circa quintum de aliis ſpectantibus ad prædictos Notarios notandum, tam pro illis, quos diximus intra Ordinem creari poſſe à Prælatis omnibus ad cauſas particulares Religioſorum, quàm pro aliis, quos aliqui illorum ex vi dicti Priuilegij creare poſſunt pro cauſis extra Ordinem. Primò, congruum eſſe ad hoc munus aſſumi eos, qui in ſæculo Notarij, vel Tabelliones erant, *argument. cap. vt officium, §. verum, de hæreticis in 6.* Aldrete *ſuprà num.* 7. Secundò huiuſmodi Notarios omninò neceſſarios eſſe in actis publicis, vt 9

illis

Digitized by Google

illis fides adhibeatur, provt habetur *ex cap. quoniam, de probation.* Aldrete *ſupra, num. 5.* Vnde malè faciunt Prælati, qui in re graui faciunt proceſſum per ſeipſos abſque Notario: eſt enim de iure communi, quod ſcribat Notarius, & proinde videtur de ſubſtantia iuris, in qua Prælati non poſſunt diſpenſare. De quo multa Rodriguez *tom. 2. quæſt. 15. art. 2. & in Additionib. ſumma, cap. 58. num. 9.* & Portellus *ſuprà num. 6.* Tertiò, quod in cauſis criminalibus, & grauibus nunquam ſine ſcriptura procedere debent iſti Notarij, *cap. legum 2. quæſt. 1. cap. quiſquis, cum ſequenti 2. quæſt. 8. cap. ſi quis cum Clerico 11. quæſt. 1.* Optimè S. Thomas 2. 2. *quæſt. 68. art. 2.* Aldrete *ſupra num. 2.* Peyrinis *tom. 3. priuilegiorum Minim. cap. 6. num. 18.* Quartò, quod huiuſmodi Notarij in actibus extraiudicialibus, & extra iudicij proceſſum valent pro duobus teſtibus. Ita Gloſſa *cap. vt officium, de hæreticis, in 6. ad §. verum quia, in fine,* & Gloſſa *in cap. quoniam contra, de probat. verbo duos viros.* Portellus *dicto verbo Notarius, in additione, num. 5.* Quintò remoueri poſſe ab officio Notariorum à ſuis Prælatis. Pendent enim ab ipſis ſicut in fieri, ſic & in eſſe, & in conſeruari. Idque conſtat ex Concil. Trident. dicto *cap. 10. ſeſſ. 22.* Quod Decretum extendi etiam ad Prælatos inferiores quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes declarauit Sac. Congregatio apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Notarius.* Pro conditionibus autem requiſitis ad validitatem inſtrumentorum, & vt ipſis fides adhibeatur, vide Angelum *ſuprà num. 7.* & Syluestrum etiam *ſupra, quæſt. 9.* Sextò, quod quamuis multa apud Auctores, Summiſtas præſertim, reperiantur circa ſalarium Notariorum, plures etiam extent Sacræ Congregationis declarationes apud Barboſa *ſuprà verbo Cancellaria, & Cancellarius Epiſcopi*; illa tamen ceſſare inter Religioſos, à quibus hoc munus ex obedientia ſolùm, non autem ex pretio obiri debet.

10 Specialiter pro prædictis Notariis ex vi prædicti priuilegij Pij V. creandis, notandum eſt id, quod dixi *dict. cap. 18. num. 95.* ſcilicet, ipſummet Pontificem declaraſſe eo priuilegio vti non poſſe, niſi Monaſteria, quæ ſunt de Obſeruantia, & Religioſos qui etiam ſint Obſeruantiæ. Ex quo collige, quod Monaſteria, ſiue Religioſi, qui omnino non ſunt de Obſeruantia, dicto priuilegio vti non poſſunt. Pro quo vide dicta *tom. 1. p. 1. cap. 3. num. 17.* ex Miranda ibi relato.

11 Specialiter etiam pro aliis Notariis ad particulares cauſas Religioſorum deſignatis notandum primò, illos, vltra ſubſcriptionem teſtium, debere etiam proprio nomine ſubſcribere. Rodriguez dicto *cap. 58.* Portellus *ſupra num. 3.* Addit Rodriguez debere ſubſcribere ad ſingulorum teſtium, vel reorum, ſeu accuſatorum dicta, nec ſufficere ſi ſubſcribant in fine proceſſus. Quod & mihi placet, & eſt conforme vſui noſtræ Religionis. Licet Peyrinis *ſuprà* oppoſitam teneat. Notandum ſecundò, quod etiam in iudicio ſæculari danda eſt fides libris ratiocinij factis per Notarios Monachos, vel Moniales Notarias. Sic enim vſus obtinuit, & refert Valaſcus Luſitan. *lib. 1. conſultationum,* ſe ita vidiſſe iudicatum in facti contingentia. Portellus *ſuprà num. 5.*

12 Quod officium Notariorum poſſint exercere Regulares in quibuſcunque cauſis Sanctæ Inquiſitionis, conſtat ex dictis *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 13.* Similiter quod Regulares exercere non debeant munus Tabellionis (intellige pro cauſis ſæcularium) licet qui in ſeculo Tabelliones erant, poſſint poſt profeſſionem ſignare inſtrumenta, quæ in ſæculo facerent, conſtat ex dictis eodem loco. Alia verò, quæ ad ipſos ſpectant, præſertim circa fidelitatem, quam ſeruare debent, pœnas quas incurrunt aliter facientes, abbreuiaturas, quibus vtuntur, & alia concernentia habes apud Doctores, præſertim Naldum *in Summa, verb. Notarius,* & Lugo *de Contractib. diſp. 41. ſect. 2.*

Quia tamen quæri poteſt an Notarius Regularis ſemel à Regularibus deputatus poſſit ab ipſis, vel ipſorum ſucceſſoribus mutari, ideo placuit hoc loco inſerere reſolutionem à me datam, præcipiente quodam Eminentiſſimo circa mutationem Notarij Epiſcopalis: ex ea enim elici poterit quid ad dubium iſtud ſit dicendum. Reſolutio verò talis eſt.

Notarius creatus ab vno Epiſcopo pro inſtrumentis, 13
& negotiis Epiſcopatus actuandis, poteſt ex cauſa rationabili non confirmari ab Epiſcopo ſucceſſore, ſed
alterum nominando ipſi committere inſtrumenta, &
alia negotia actitanda in Epiſcopatu. Primò, quia Notarius cenſetur de familia Epiſcopi, & ipſius familiaris,
ſicut Fiſcalis, Nuncij, vel Curſores, Carcerum Cuſto- 14
des, Bariſellus, Birruarij, & his ſimiles, qui dicuntur
de familia Epiſcopi. Felinus *in cap. 1. num. 2. in fin. de foro
comp.* Rebuffus *de priuil. ſcholar. pag. 166. num. 1.* Rota
March. *deciſ. 233. num. 12. & num. 20.* & poſt alios 15
Theſaur. *for. Eccleſ. cap. 11. num. 17. &* 18. ac Barboſa
de Iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 39. num. 34. Vnde S. Congregatio Epiſcop. & Regular. in Ortunenſ. 6. Auguſti 1602.
dixit: *Notarius Curiæ Epiſcopalis cum ſit de familia
Epiſcopi, gaudet fori priuilegio.* Certum autem videtur
in Epiſcopi poteſtate ſitum eſſe familiares ſuos mutare,
inſtituere, deſtituere, &c. Secundò, quia certum etiam 16
eſt Epiſcopum poſſe inſtituere Notarios, ſeu Tabelliones, provt colligunt DD. *ex cap. Cum P. de fid. inſtrum.*
& tradunt Summiſtæ, ſpecialiter Angelus, & Syluester *in Summ. verb. Tabellio.* Conſtat autem illum poſſe 17
deſtituere, qui poteſt inſtituere, quia iuxta regulam
Iuris, *eius eſt deſtitutio, cuius eſt inſtitutio.* Provt habetur
in l. nihil tam naturale, ff. de Regul. iuris, vbi ſic: *Nihil
tam naturale eſt quàm eodem genere quodque diſſoluere,
quo colligatum eſt.* Cui regulæ accedit axioma illud,
*Res omnis per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, cap. omnis 27. quæſt. 2. cap. omnes res, de Regul.
Iur.* & ibi DD. Tertiò ex Concilio Trid. *ſeſſ. 22. de* 18
reformat. cap. 19. vbi ſic: *Cum ex Notariorum imperitia* 19
*plurima damna, & multarum occaſio litium oriatur, poſſit Epiſcopus quoſcunque Notarios, etiamſi Apoſtolica,
Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, examinatione adhibita,
eorum ſufficientiam ſcrutari, illiſque non idoneis repertis,
aut quandocunque in officio delinquentibus, officij eius in
negotiis, litibus, & cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus
exercendi vſum perpetuò, aut ad tempus prohibere, neque
eorum appellatio interdictionem Ordinarij ſuſpendat.* Quibus verbis videtur, non ſolum poſſe Epiſcopum remouere Notarios propter culpas, quæ denotantur ibi 20
in officio delinquentibus, ſed etiam ex alia rationabili
cauſa, propter quam non inueniantur *idonei,* provt denotatur ibi: *Illiſque non idoneis repertis.* Hæc autem
idoneitas ex multis penſanda eſt, arbitrio prudentis
Epiſcopi. Accedit quartò deciſio Rotæ coram Pirouano in vna Romana *Officij Hebræorum,* 3. Febr. 1623. 21
part. 4. recent. tom. 1. deciſ. 451. vbi cum quæreretur, an
officium Notariatus Hebræorum fuerit amouibile, &
vacabile per obitum Camerariorum, reſpondetur affirmatiuè. Eo quod talis deputatio ſolet eſſe manualis,
& amouibilis, non autem perpetua ad vitam electi,
cap. ſi gratioſe, de reſcript. in 6. Franciſc. de March. *de-* 22
ciſ. 19. num. 1. lib. 2. Boër. *deciſ. 149. num. 25.* Subditur
etiam in eadem deciſione valdè ad hoc intentum, *quia
Epiſcopus, aut ſimilis Officialis non poteſt grauare ſucceſſorem, item nec Prælatus poteſt ſupplantare in præueniendo tempus extra iuriſdictionem ſuam priuando nominatione Notariorum, quæ ad illum de iure ſpectare ſolet.*
Colligitur quintò hæc doctrina ex Bartolo *in l. nec* 23
ei, §. eos, num. 6 ff de adopt. Oldrado *conſ. 75. num. 2.*
Felino *in cap. cum P. Tabellio, num. 14. de fid. inſtrum.*
Maximè autem ex Hieronymo Gonzalez *ſuper Regu-* 24
la 8. Cancellariæ, gloſſ. 5. §. 11. num. 16. vbi hæc: *Et*

multo minus locum habere poteſt in Officiis qua prouidentur per Epiſcopos perſonis ſecularibus, veluti in Officiis Tabellionum & Notariorum, & aliorum Officialium ſuarum audientiarum Epiſcopalium, vel in Caſtellaniis, ac aliis ſimilibus, quorum prouiſio & diſpoſitio ſpectat ad Epiſcopos, itaut prouiſio duret ipſorum Epiſcoporum duntaxat vita, & non amplius, durante, vt poſt Innoc, & DD. in cap. cum P. Tabellio, de fid. inſtrum. tradit Matthaus de Afflictis deciſ. 101. num. 1. & per tot. Romanus ſingul. 348. incip. An Tabellio, Guidob. deciſ. 126. Chiſan. deciſ. 182. in manuſcript. & fuit reſolutum in vna cauſa Conchenſi Notariatus 10. Iunij 1600. coram Corduba, Molina de Hiſpan primogen. lib. 1. cap. 25. ſub num. 5. & 17. lib. 3. in fin. tit. 19. part. 3. & ibi Gregorius Lopez in gloſſ. penult. Antonius Gabriel, tit. de iure quaſito non tollend. concluſ. 5. num. 14. Tellus Fernandez in l. 26. Tauri, num. 6. cum ſeqq. vbi cum multis etiam concludit quod ſuc eſſio & venditio officiorum ſit contra ius. Huc vſque Gonzalez. Addit tamen aliquas limitationes in ſequen-

25 tibus, ſcilicet, *niſi conſuetudo eſſet in contrarium vt prouiſio duraret per totam vitam prouiſi, vel alias a Sede Apoſtolica ex certa ſcientia eſſet confirmata, vt tenuit Rota deciſ. 622. incip. vacante Caſtellania, num. 10. & 14. ac per tot. lib. 3. p. 3. diuerſ.* Inſuper *ſi talis prouiſio facta fuerit de conſenſu Capituli, quia tunc ipſa Eccleſia videtur conſentire, que nunquam moritur, cap. liberti 12. quaſt. 2. & in terminis affirmat poſt alios Afflictus d. deciſ. 101. num. 3.*

26 Si obiiciatur quod Officialis ad beneplacitum creatus eſt perpetuus, nec poteſt remoueri, *l. Iuriſperitum, ff. de excuſat. tut.* vbi DD. ſpecialiter Iaſon *l. centeſimis, §. ſi ita ſtipulatus, num. 14. conſ. 56. num. 22. vol. 1.* aſſerens id procedere etiam de Officiali creato ab Epiſco-

27 po. Reſpondeo id tantum procedere quando Epiſcopus abſque legitima cauſa id facit. Paſqualigus *var. qq. moral. centur. 2. quaſt. 143. num. 5.*

28 Fortius obiici poteſt *cap. nouit, de his qua fiunt à Prelatis ſine conſ. Capituli*, vbi prohibetur Epiſcopis inſtituere & deſtituere aliquem ſine conſilio Capituli.

29 Quia reſpondetur id eſſe intelligendum quoad beneficia maiora, vel dignitates, non quoad officia minora vt notat Abbas *ibi num. 6.* concludens quod minora negotia poteſt Epiſcopus ſolus expedire, quod maximè videtur dicendum in hoc caſu propter facultatem à Concilio conceſſam Epiſcopis, de qua *ſupra*.

NOTORIVM.

SVMMARIVM.

1 *Materia huius notitia Regularibus neceſſaria.*
2 *Notorium quid, & quotuplex.*
3 *Manifeſtum, publicum, famoſum, & Notorium quomodo diſtinguantur.*
4 *Ad notorium iuris quid requiratur.*
5 *Ad notorium facti quid.*
6 *Notorium poteſt fieri occultum.*
7 *Ad notorium quid attendendum.*
8 *Notorius Clerici percuſſor quis cenſendus.*
9 *Quomodo vox* Notorium *accipienda in priuilegiis Regularium.*
10 *Quomodo in Statutis Religionum.*
11 *Qua notanda circa modum concedendi diſpenſationes.*

1 HVius rei notitia valde neceſſaria eſt Regularibus, quia ſæpius in Bullis, ſeu Diplomatibus Summorum Pontificum, Priuilegiis, & Conſtitutionibus Religionum hæc vox reperitur, & ideo de ipſa agendum.

2 Noto primò, quod *notorium* dicitur à verbo *Noto*, quod eſt idem ac *demonſtro*, quod contingit quando aliquid quod eſt obſcurum, ſeu intricatum, manifeſtatur. Syluester *in Summa, verbo Notorium, in principio.* Vnde notorium eſt illud, quod ita clarè, & euidenter conſtat, vt nullo modo negari poſſit. Sanchez *tom. 2. Conſil. mor. lib. 6. cap. 3. dub. 3. num. 3.* ex Soto, Corduba, & aliis. Eſt autem duplex. Vnum Iuris, & alterum facti. Notorium Iuris eſt, quod conſtat per iuridicam ſententiam, vel per confeſſionem rei in iudicio. Nauarrus *in Man. cap. 35. num. 73.* Maſcardus *de probationibus, verbo Notorium, concluſ.* 1107. Cornejo *tom. 2. in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 4. dub. 1.* Thomas de Ieſu *de Viſitat. Regular. tract. 2. cap. 4.* Theſaur. *in praxi, part. 1. cap. 21.* Notorium facti dicitur illud, quod eſt publicum euidentia facti, id eſt, ita ſe exhibens omnium oculis, vel conſpectui maioris, vel ſaltem magnæ partis alicuius loci, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari. Nauarrus, & Cornejo *ſuprà*. Maſcardus *ſupra concl.* 1106. Theſaur. *ſuprà*, ex aliis. Hoc autem Notorium facti adhuc eſt triplex, facti ſcilicet tranſeuntis, vt ſi quis publicè in refectorio coram fratribus alapam alicui dediſſet. Aliud eſt Notorium facti interpolati, vt ſi quis notoriè domum meretricis frequentaſſet. Aliud eſt notorium facti permanentis, vt ſi quis notoriè vulnerauit aliquem in facie, itavt permaneat vulneris cicatrix. Speculator *lib. 3. rubric. de notorio crim. §. 8. à num. 1.* Maſcard. *ſuprà*, Farinacius *in praxi, quaſt. 21. à num. 8.*

Noto ſecundò, quod quamuis huiuſmodi voces, 3 *manifeſtum, publicum, famoſum, & notorium*, inter ſe confundi ſoleant, reuera tamen à notorio diſtinguuntur. Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 73.* Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 9. ſect. 2. num. 11.* id colligens *ex cap. Tua nos, cap. vlt. de cohabit. Cleric.* Manifeſtum enim dicitur illud, quod facilè probari poteſt per multos, licet non per tot vt dicatur notorium. Angelus *verbo Manifeſtum, in princip.* Syluester *ibidem.* Sanchez *ſuprà num. 26.* Deinde publicum, ſeu famoſum (quod idem eſt) dicitur illud, quod fama publica proclamatum eſt. Sotus *de ſecreto, memb. 2.* Sanchez *ſuprà num. 1.* Notorium verò, vt dixi, eſt illud, quod adeo clarè, & euidenter conſtat, vt negari non poſſit. Vnde fit poſſe aliquid eſſe manifeſtum, quia dicto modo probari poteſt, & publicum, ſeu famoſum, quia publica fama diuulgatum; non verò notorium, quia non conſtat clarè, & euidenter modo dicto.

Noto tertiò, quod quamuis plurium ſententia ſit 4 ad notorium Iuris ſufficere, quod res ſit plenè per teſtes in iudicio probata, etiamſi reus crimen non confiteatur, nec iudex ſententiam de illo proferat, prout colligitur ex Toleto *in Summ. lib. 5. c. 36. §. Illo dicitur,* Leſſ. *de iuſt. lib. 2. cap. 11. dubit. 13. num. 73.* & aliis; hoc tamen ſolùm eſt admittendum quando probationes tam claræ, & manifeſtæ fuerint, vt neque coloratè poſſint impugnari, quia vt dixi, notorium eſt illud, quod adeo euidens eſt, & clarum, vt negari non poſſit. Maſcardus *ſuprà num. 26. & 29.* Theſaurus *ſuprà, §. notorium Iuris.* Apud quem etiam quæ ſententia Iudicis ſit ea, quæ facit notorium.

Noto quartò circa notorium facti, quod quamuis 5 ad iudicandum quodnam ſit tale, maximè conducat arbitrium boni Iudicis, ſeu viri (Suarez *ſuprà*, addens nullam aliam certiorem regulam quoad hoc dari poſſe) regulariter tamen hæc attendenda. Scilicet, notitia hominum non paucorum, videlicet maioris, vel ſaltem magnæ partis loci, viciniæ, conuentus, &c. Locus in quo res contingit, vt ſi fuit publicus, in quem ſoleat conuenire Communitas. Et tempus, quo contingit, ſcilicet, dies; quia quod nocte fit, ſecretum cenſetur. Panormitanus *in cap. veſtra, de cohabit. clericor.* Syluester *d. verb. notorium, quaſt. 1.* Maſcardus *ſupr. d. concl.* 1106. *num. 18.* Attendendum etiam maximè eſt ad qualitatem perſonarum coram quibus res contingit, an

an ſcilicet arbitrio prudentis iudicari poſſit manifeſtaturos, vel non manifeſtaturos rem geſtam. Suarez, & Theſaur. *ſuprà.* Attendendum item ad maiorem, vel minorem numerum perſonarum in ea Communitate exiſtentium, vt ex Farinacio *part. 1. praxis, quæſt. 21. n.45.* habet Peyrin. *in Formulario, littera P, c.17. num.2.* Minor enim numerus Fratrum ſufficiet in paruo Conuentu ad faciendum notorium, quàm in magno.

6 Noto quintò, quod id, quod eſt aliquando notorium poteſt effici occultum, ſcilicet ſi omnes illi qui id nouerint, moriantur. Sanchez *ſuprà num.14.* ex Corduba. An verò notorium in aliquo loco poſſit cenſeri occultum in alio, dicam *infrà verbo Occultum.*

7 Noto ſextò, quod quando agitur de delicto notorio, non eſt attendendum ad factum ipſum materialiter, vt ita dicam, notorium, ſed formaliter in ratione delicti, iuxta dicta à ſimili *ſuprà verbo Irregularitas, num. 58.* Vnde etiamſi notorium ſit aliquem Sacerdotem celebraſſe, ſi tamen notorium non eſt illum celebraſſe cenſurâ irretitum, irregularitas illa non cenſebitur notoria. Nauarrus *ſuprà dict. cap.27. num.255. in fine.* Theſaurus *ſuprà. §. Aduertendum 2.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat.39. num.26.* ex multis aliis. Similiter, ſi notorium ſit aliquem ingreſſum fuiſſe in clauſuram Monialium, non tamen eſt notorium, an ingreſſus fuerit ſine licentia, non cenſebitur talis ingreſſus in ratione culpabilis notorius. Sanchez *de Matrim. lib.8. diſp.34 num.56.* poſt alios.

8 Ex quibus iam ad praxim Regularium colligi poteſt deciſio aliquorum dubiorum, quæ inter ipſos oriri ſolent. Primò enim, cum iuxta dicta *ſuprà verbo Excommunicatio quoad Regulares, num. 5.* communicans cum percuſſore Clerici non incurrat excommunicationem minorem, niſi iuxta ibidem dicta ex Extrauaganti *Ad euitanda*, quando talis Clerici percuſſor tam notorius eſt, vt nullâ tergiuerſatione celari poſſit, aut iuris ſuffragio excuſari, ideò etiamſi caſus eſſet, quod aliquis publicè diffamatus eſſet de manifeſta Clerici percuſſione, ſi factum ipſum notorium non eſſet, non teneretur aliquis illum euitare, quia ex vi talis Extrauagantis ſolùm tenemur vitare notorios percuſſores Clericorum, & cùm ſimus in materia odioſa, non debet id ampliari ad publicum, famoſum, ſeu manifeſtum percuſſorem, qui propriè notorius non ſit. Suarez *5. tom. in 3. part. diſp.9. ſect.2. num.11.* Addunt aliqui debere eſſe notorium notorietate facti, nec ſufficere eſſe notorium notorietate iuris, quia dicta Extrauagans ſolùm loquitur de percuſſore notorio notorietate facti. Suarez *ſupra*, Bonacina *de Cenſur. diſp.2. quæſt.2. punct.1. §.1 num.3.* Layman. *lib.1. tract.5. part.5. cap.4. num.2. §. Secundùm*, ex Couarruuia, & Auila.

9 Secundò colligi poteſt, quod quando in aliquibus priuilegiis Regularium conceditur facultas diſpenſandi, abſoluendi, &c. in aliquibus caſibus, dummodo notorij non ſint, tunc etiamſi tales caſus aliàs manifeſti, publici, ſeu famoſi fuerint, poterit dari talis diſpenſatio, abſolutio, &c. quia cùm materia priuilegiorum ſit fauorabilis, extendi debet quantum proprietas verborum permiſerit. Vnde ſi priuilegium quoddam Martini V. quo conceſſit Priori Sancti Benedicti Valliſoletani facultatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, etiam in occiſione, dummodo notorium delictum non ſit, modò ſubſiſteret, poſſet dictus Prælatus, & alij habentes communicationem cum ipſo, vti eo priuilegio, etiam in caſu homicidij manifeſti, publici, ſeu famoſi: propter dicta. Idque ſupponit Portellus *in Reſolutionibus, part.3. caſu 13. num.5.* Dixi ſi ſubſiſteret, quia iuxta dicta *ſuprà verbo Abortus, num.14.* tale priuilegium, cum fuerit viuæ vocis oraculum, his temporibus vacat, vtilis tamen eſt hæc doctrina, ſi illud confirmatum per Bullam fuerit, aut de nouo confirmetur.

Collige tertiò, quod quando in Statutis, vel Conſtitutionibus Religionum aliquæ pœnæ ponuntur contra committentes aliquod delictum, ſi illud fuerit notorium, non incurrentur dictæ pœnæ ſi illud fuerit tantum manifeſtum, publicum, aut famoſum, propter dicta. Similiter, quando in illis fit mentio de manifeſto, ex ſubiecta materia, & loquendi vſu deſumendum eſt in quo ſenſu accipiatur. Panorm. *cap. Cum olim, de verb. ſignif.* Angelus, & Syluester *verbo Manifeſtum.* In dubio autem, maximè in materia iſta pœnali, accipi debet prout diſtinctum à notorio. Sanchez *ſuprà num.17.* ex Angelo, Syluestro, & aliis. 10

Demùm collige quartò, ex notitia prædictarum vocum *Manifeſtum, Publicum, Famoſum, & Notorium*, haberi etiam poſſe notitiam circa modum concedendi diſpenſationes, quæ à Sede Apoſtolica committi ſolent Confeſſariis Regularibus, iuxta dicta *ſuprà verbo Litteræ Apoſtolicæ, à num. 9.* in caſibus occultis. Et etiam cognoſci quando ex delicto aliquo oriatur infamia, iuxta dicta *ſuprà verb. Infamia, num.3.* vel irregularitas, iuxta *ibid.* dicta. Et quomodo procedendum à Iudicibus Regularibus in ſimilibus caſibus, iuxta dicta *ſuprà verbo Iudex Regularis.* Pro quibus etiam vide alia dicenda *infrà verbo Occultum.* 11

NOVITII ET NOVITIÆ Regularium.

SVMMARIVM.

1 *De ipſis remiſſiuè.*
2 *Nouitij in quibus Conuentibus recipiendi.*
3 *Quomodo Breue Sanctiſſimi D. N. Vrbani intelligendum.*
4 *Gratia faciendi nouam profeſſionem illis, qui eam non emiſerunt in Conuentibus approbatis à Sede Apoſtolica, quibus ſuffragetur.*
5 *Quid debeant prius facere.*
6 *Quid de illis, qui è Religionibus exierunt ob Nouitiatum non habitum in Conuentibus approbatis.*
7 *Intentio Summorum Pontificum in Decretis de hac re, qualis.*
8 *De pœnis in illis deſignatis.*
9 *Quando cenſendus Conuentus approbatus pro Nouitiatu.*
10 *De receptione Nouitiarum.*
11 *De qualitatibus Nouitiorum.*
12 *Quid de illegitimis.*
13 *Quid de viris maioribus ſexdecim annis.*
14 *De conditionibus Nouitiorum ex Clemente VIII. & SS. D.N. Vrbano.*
15 *Quomodo intelligenda.*
16 *Decreta interdicentia profeſſionem, an cenſeri debeant illam irritantia.*
17 *Decretum Sacræ Congregationis* de propaganda fide.
18 *De aliis conditionibus Nouitiorum.*
19 *De conditionibus Nouitiarum.*
20 *De informationibus pro Nouitiis.*
21 *Pro quibus ſint neceſſariæ.*
22 *Quomodo facienda.*
23 *Quid in caſu quo certò conſtaret de qualitate recipiendorum.*
24 *An recipi debeant informationes pro receptione Nouitiarum.*
25 *De diſpoſitione bonorum Nouitiorum, ſeu Nouitiarum.*
26 *De deciſione Concilij Tridentini.*
27 *Qui Nouitij ipſa comprehendantur.*
28 *De licentia requiſita à Concilio ad valorem talis diſpoſitionis.*
29 *De bimeſtri à Concilio petito.*

30 *Teſtamen*

Digitized by Google

30 *Teſtamentum, ſeu Codicillus, an comprehendantur in diſpoſitione Concilij.*
31 *Quid de reſignatione beneficij Nouitij.*
32 *Quando ratificetur renunciatio.*
33 *Nihil accipiendum de bonis Nouitij ante profeſſionem, excepto, &c.*
34 *De priuilegiis Nouitiorum.*
35 *De excommunicatione impoſita contra impedientes ingredi volentes Religionem.*
36 *De facultate abſoluendi Nouitios.*
37 *De votis Nouitiorum.*
38 *De diſpenſatione, & commutatione ipſorum.*
39 *Quid de voto arctioris Religionis.*
40 *Nouitij quibus confiteri poſſunt.*
41 *Poſſunt eligere ſepulturam.*
42 *An poſſint munus Confeſſarij exercere.*
43 *An priuilegia Nouitiorum competant illis antequam habitum ſuſcipiant.*
44 *De obligationibus, & oneribus ipſorum.*
45 *De aliis ad ipſos ſpectantibus.*

1 DE Nouitiis Religioſorum plura ex profeſſo dixi *tom.1.part.1.cap.24.* per totum. De Nouitiis autem Monialium *eo tom.1. part.1. cap.25.* Et de vtriſque ſparſim per totam hanc Summam. De illis tamen aliqua in præſenti diſcutienda, quæ ampliatione egent, propter noua præſertim SS. Congregationum Decreta, & declarationes, quæ de ipſis in dies exeunt. Videlicet primò de loco in quo recipi poſſunt. Secundò, de qualitatibus ipſorum. Tertiò, de informationibus pro ipſorum receptione faciendis. Quartò, de diſpoſitione bonorum ipſorum. Quintò, de eorumdem priuilegiis. Ac ſextò de illorum obligationibus.

2 Et quidem quoad primum, loquendo de Nouitiis Religioſorum, quamvis in iure communi ſtando poſſint in quolibet Conuentu, ſeu Monaſterio recipi, niſi obſtent particularia Statuta Religionum; imò ius recipiendi illos ad Prælatos, & Conuentum pertineant, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.18. num.66.* de quo etiam Nauarrus *Conſil.9. de Conſtitut. num.12.* Miranda *in Manual.tom.1. quæſt.15. art.1. concluſ.2.* Vechius *de Nouit. diſp.7. dub.2.* maximè Tamburinus *de Iure Abbat.tom.3. diſp.6. quæſit.1.* nihilominus conſtat ex dictis eo *cap.24. num.23.* propter Decretum Clem. VIII. innouatum à Sacra Congregatione Concilij ſub Sanctiſſ. Domino Noſtro Vrbano, non poſſe Religiones (quibuſdam exceptis) intra Italiæ, & Inſularum adiacentium fines in Nouitios aliquos recipere, niſi in Conuentibus auctoritate Apoſtolica approbatis, receptioneſque, & profeſſiones aliter factas, irritas omninò eſſe, & tranſgreſſores varias pœnas incurrere. Item poſtea, propter Motum proprium, ſeu Breue SS. Domini Noſtri Vrbani eo *cap.24. num.24.* relatum, haberi vt ij, qui in Conuentibus non approbatis Nouitiatum iam pridem non fecerant, de nouo admitti poſſint ad profeſſionem ſine nouo nouitiatu, etiam in eadem antiquitate, & iure, ſicut priùs erant. Conſtat etiam ex dictis *num.24.* quod cum Sacra Congregatio cerneret plures Regulares ab Ordinariis locorum habitus, & profeſſionis relaxationem poſtulare, ſub prætexto quod Nouitiatum non egiſſent in Conuentibus à Sede Apoſtolica deſignatis, ipſique Ordinarij facilè prædictam relaxationem illis ſæpius concederent, huic malo obuiare intendens ad Archiepiſcopum Saccrenſem in Sardinia ſcripſit, quatenus imposterum à talium Religioſorum relaxatione ceſſaret, niſi iuxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum, Concilij Tridentini, & aliorum Decretorum Sedis Apoſtolicæ. Imò quod eos, quibus licentiam conceſſiſſet exeundi à Religione, ad eam reuocare quamprimùm curaret. Similes etiam litteras ab eadem Sacra Congregatione ſcriptas ad Epiſcopum Caſalenſem refert Peyrinis *tom.3. Priuileg. Minim. cap.12. in addit. ad Conſtitutionem 7. vel 17. Vrbani VIII. n.3.* & alias ad Vicarium Capitularem Brixiæ refert Bordonus *Reſolut.8. num.24.* Quia tamen hæc forſan ad notitiam aliorum Ordinariorum non peruenerant, ideo Sac. Congregatio Concilij ſub anno 1636. iuxta dicta *tom.1. part.2. cap.8. num.25.* ſtatuit, quod ſi aliqui contra formam prædictorum Decretorum recepti, & profeſſi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam reſpectiuè illos eiicere voluerint, annuente Sanctiſſimo, tam ipſi profeſſi, quàm Superiores reſpectiuè teneantur iura, quæ ſibi fauere viſa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex ſpeciali etiam ſuæ Sanctitatis facultate ſuper hoc conceſſa prouidebit. Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iuriſdictionem exercentibus, ac quibuſcunque Iudicibus Ordinariis, & Delegatis, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, & Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sediſque Apoſtolicæ Nuntiis, ne in poſterum in hoc quoquo modo ſe ingerant abſque ſpeciali eiuſdem Sanctitatis commiſſione ſub pœna ipſo facto incurrenda, quoad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & Primates Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excommunicationis latæ ſententiæ, quo verò ad Nuncios, & ad Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Indignationis ſuæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio eiuſdem imponendarum. Item ibidem pro maiori cautela, contra delinquentes ſtatuit, ac decreuit, quod ſi iidem, vt ſuprà, recepti, & profeſſi, iuribus ſuis minimè deductis coram Sac. Congregat. Concilij, & ſine illius expreſſa licentia è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eiicere auſi fuerint, ipſi recepti, & profeſſi tanquam apoſtatæ puniantur, & pro talibus habeantur, necnon contra eoſdem iuxta formam Decreti *de Regularibus apoſtatis, & eiectis*, eiuſdem Sanctitatis ſuæ iuſſu ab eadem Sac. Congregatione ſub die 21. Septembris 1624. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint, pœnam ſuſpenſionis à diuinis, necnon priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in poſterum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Extat etiam aliud Decretum eiuſdem S. Congreg. eodem anno 1636. ſubſcriptum ab Eminentiſſ. Cardinali Veroſpio, & Illuſtriſſ. D. Paulucio Secretario, apud Nouarium *in Lucerna Regularium*, in fine, in quo ſtatuitur, prædictos, qui habitum, & profeſſionem in locis non deſignatis non habuerunt, audiri non poſſe tranſacto quinquennio.

Circa quæ, præter dicta eiſdem locis, alia vlteriùs 3
notanda propter plures, & quotidianas difficultates, quæ circa illa ſoriri ſolent in Italia, & in Inſulis adiacentibus, vbi prædicta Decreta ſuum robur habent. Primò quidem, iuxta dicta eo *num.24.* intentionem Sanctiſſimi in eo Breui, ſeu Motu proprio, eum procul dubio fuiſſe, vt prædicti Religioſi, qui Nouitiatum in Conuentibus non deſignatis egerant, non egrederentur, aut eiicerentur à Religionibus, ſed potius profeſſionem ratificarent. Hoc enim colligitur tum ex ipſo Breui, ſeu Motu proprio in principio, vbi pro ratione ipſius concedendi ait Pontifex, vt *in vocatione, qua vocauit eos Dominus permaneant.* Tum quia præcipit Superioribus, vt prædictos Religioſos *ad profeſſionem denuo emittendam admittant.* Tum quia, vt ad id eos alliciat, poſt ratificatam profeſſionem præcipit reſtitui ad priora iura, & habilitates, quas primò habebant, ac ſi prior profeſſio fuiſſet valida. Tum denique, quia propterea Sacra Congregat. in Decreto, & litteris relatis prohibet facilem egreſſum dictorum Religioſorum Bordonus *ſuprà n.23.45. & 50. §. quinta*

ratio,

ratio, contra quendam Iuriſconſultum ab ipſo relatum. Nec obſtat, quod talium profeſſiones fuerint irritæ, & nullæ, vt conſtat ex Decretis adductis. Ex eo enim quod irritæ fuerint ſolùm ſequitur teneri eos, qui ita profeſſi ſunt, etiamſi id omninò occultum fuerit, profeſſionem denuo facere, vt illis conceditur in prædicto Breui, aut Motu proprio, vel ſi nolint id facere, cauſam proſequi in iudicio, iuxta formam, de qua poſtea. Quod ſi non fecerint, grauiſſimè peccabunt, tum illudentes aliis, ſi defectus fuerit occultus, tum ſiue ſit occultus, ſiue manifeſtus, vtentes iuribus, priuilegiis, commodis, & facultatibus propriis verè profeſſorum, in grauiſſimum ſuarum, & aliorum conſcientiarum detrimentum. Cuius etiam peccati rei erunt Superiores id permittentes. Bonacina *de Clauſura, quæſt.2.punct.10. difficult.1. num.2. per totum.* Bordonus *ſuprà num.44.* Quæ autem ſint illa, quorum capaces, vel incapaces ſunt huiuſmodi nulliter profeſſi, habebis *infra verbo Profeſſio Regularium.*

4 Secundò nota, prædictam gratiam faciendi nouam profeſſionem conceſſam à Sanctiſſimo præfatis Religioſis, qui ſuum nouitiatum in locis non deſignatis à Sede Apoſtolica non fecerunt, non ſolùm ſuffragari illis, qui in Religione permanſerunt, ſed & illis quoque, qui poſt dictum Breue è Religionibus exierunt, & deinde ad illam reuerſi denuò profeſſionem expreſſam emiſerunt. Ita enim declaratum eſt à Sacra Congregatione 15. Maij 1638. ad inſtantiam Reuerendiſſ. noſtri Generalis Theodori Stratij, qui pro ſuæ Religionis zelo id dubium Sacræ Congregationi propoſuit.

5 Tertiò nota, quod nolentes vti dicta gratia à Sanctiſſimo illis facta de renouanda profeſſione, propterea quod ſuum nouitiatum in Locis non deſignatis peregerint, his temporibus poſt Decretum Sacr. Congregat. de anno 1636. ſuprà relatum, nullo modo exire poſſunt à Religionibus, niſi, prout in ipſo Decreto habetur, priùs deduxerint coram eadem Sacr. Congregatione ſua iura, & intra quinquennium. Nec poſſunt alij Ordinarij in hoc ſe intromittere ſub pœnis in eiſdem Decretis contentis. Ante ipſorum tamen editionem; etſi poſſent à Religionibus exire ob defectum prærequiſiti nouitiatus, ſed non alio modo, niſi cauſa deducta etiam infra quinquennium à profeſſione ab ipſis facta coram Ordinario, & Prælato Religionis, iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *ſeſſ.25. de Regular. cap.19.* vbi ſic: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere, quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario.* Colligitur hoc primò ex litteris eiuſdem Sacr. Congregationis ad Archiepiſcopum Sacerenſem ſuperiùs relatis, in quibus illi præcipitur, vt nullum Religioſum ad ſæculum, vel ad habitum ſæcularem in poſterum relaxaret, niſi iuxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum Concilij Tridentini, & aliorum Decretorum Sedis Apoſtolicæ. Imò quod eos, quibus licentiam conceſſiſſet exeundi à Religione, ad eam reuocare quamprimùm curaret. Secundò, ex litteris eiuſdem Sacr. Congregationis ad Epiſcopum Caſſalenſem ſuperiùs etiam relatis, vbi non ſolùm habetur id quod in litteris præcedentibus, ſed etiam expreſsè dicitur, talem declarationem de nullitate profeſſionis ob defectum Nouitiatus habiti in loco non deſignato à Sede Apoſtolica fieri non poſſe niſi ſeruatis ſeruandis conformiter ad diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & Decretorum Apoſtolicorum, ac maximè Concilij Trident. Tertiò ex litteris etiam relatis eiuſdem Sacræ Congregationis ad Vicarium Capitularem Brixienſem, vbi non ſolum idem habetur, ſed etiam reprehenditur ille Vicarius, eo quòd contrarium fecerit. Ratio etiam eſt, quia cum Concilium eo loco formam præſcripſerit, quam ſeruare debent illi, qui ſub prætextu inualidæ profeſſionis à Religionibus exire prætendunt, vt patet ex illa particula *quacumque*, quæ vniuerſaliſſima eſt, loquaturque de omnibus, & quibuſque cauſis propter quas prætendi poſſit inualiditas profeſſionis (loquor de illis, quæ important impedimentum temporale, & non perpetuum, vt patet ex illis verbis, *aut quid ſimile*, & *quacumque de cauſa*, proculdubio dicendum eſt, non potuiſſe Ordinarios locorum concedere licentiam prædictis Religioſis exeundi à Religione, & multò minus ipſos Religioſos ex ſeipſis id potuiſſe facere, niſi conformiter ad dictum Decretum. De quo latè dictus Bordonus tota illa *reſolut.8. & 53.* contra prædictum Iuriſconſultum. Vide & Sanchez *lib.7. de Matrimon. diſp.37. quæſt.4.* [Video etiam Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 15. Septembris 1634. in vna Panormitana præcepiſſe, ne Ordinarij tranſacto quinquennio ſe introducerent in cauſis nullitatis profeſſionis ſine facultate Sedis Apoſtolicæ.] Quales autem debeant eſſe hic loci Ordinarius, & Superior, coram quibus facienda erat reclamatio, & qualiter computandum illud quinquennium, conſtabit ex dicendis *infra verbo profeſſio Regularium.*

Ex quo colligi videtur, Regulares, qui poſt prædictum Breue, aut Motum proprium SS. D.N. Vrbani, ſiue etiam antea, è Religionibus exierunt ſub prætextu nullitatis profeſſionis, ob defectum Nouitiatus non habiti in locis deſignatis à Sede Apoſtolica, ſiue id fecerint propria auctoritate, ſiue etiam Ordinarij, non ſeruatis tamen omnibus conditionibus à Concilio in prædicto Decreto requiſitis, ſecus in conſcientia non eſſe, ſed teneri ad Religionem regredi, ob non ſeruatam formam à Concilio. Nihilominus, quia poteſt dici præfatum Decretum Concilij, ſicut & alia, & litteras Sacr. Congregationis ſuperius relata ſolùm loqui pro foro externo, non pro foro interno, ideo probabiliter ſatis dici poteſt contrarium, eo præſertim, quod cum talium profeſſiones irritas, & nullas declarauerit Clem. VIII. *ad quemcunque effectum*, vt patet ex verbis ipſius relatis dicto *cap.24. num. 23.* nullam propter illas obligationem manendi in Religionibus in foro conſcientiæ, ſcandalo, & aliis circumſtantiis extrinſecis ſublatis, contrahere poterunt. Vt habet à ſimili Sanchez *lib.2. de Matrimon. diſput. 39. num.11. & 16. lib.4. diſp.15. num.5. & lib. 7. diſp.37. num.11.* poſt Sotum, Nauarrum, Angles, Henriquez, Rodriguez, & alios, & in terminis huius difficultatis tenet Bordonus *ſuprà num.58. & 62.* Quo autem pacto id intelligendum, & an contra illud obſtet, quod plures ſaltem illorum profeſſionem tacitam feciſſe credantur, conſtabit ex dicendis *infrà verbo Profeſſio Regularium.* 6

Quartò nota, quod iuxta dicta *tom.1. part.2. cap.8. num.56.* (quod etiam ſequitur relatus Bordonus *d. reſolut.8. num.10.*) intentio Summorum Pontificum eſſe videtur in dictis Decretis, vt Nouitiatus habeatur in locis deſignatis à Sede Apoſtolica, non verò quod in illis ſolùm ad habitum recipiantur Nouitij, aut profeſſionem emittant. Propter ibi dicta, & quia hoc eſt conforme fini intento ab ipſis in eiſdem Decretis, qui eſt recta Nouitiorum educatio. 7

Quintò, circa pœnas in prædictis Decretis deſignatas, an ſcilicet ipſo facto ante omnem declarationem incurrantur, & quis poſſit in illis diſpenſare, philoſophandum eſt iuxta doctrinam generalem de ſimilibus pœnis, quam tradidi *tom.1. part.1. cap. 10. à num.30. & cap.18. à num.46.* 8

Sextò pro praxi Regularium nota, quod ſi in aliquibus Monaſteriis conſtet nouitiatum fuiſſe à tem- 9

pore

poſe Clementis VIII. qui primus tale Decretum de non habendo Nouitiatu, niſi in locis deſignatis à Sede Apoſtolica edidit, continuatum ſub bona fide, quod talis Nouitiatus approbatus fuerit, etiamſi authenticè non conſtet de tali approbatione, credendum eſt illam factam fuiſſe, licet ob incuriam Religioſorum perditam. Peyrinis *tom. 3. priuileg. Minim. cap. 12. in Conſtit. 7. alias 17. Vrbani VIII. num. 2.* Vide alia ſpecialiter pro Religione Clericorum Regularium Minorum, propter Breuia quædam Clement. VIII. & SS. D. N. Vrbani pro illis apud Nouarium *in Lucerna Regularium*, ad finem.

10 Loquendo autem de receptione fœminarum in Nouitias, cum prædicta Decreta Clementis, & Vrbani non loquantur de ipſis, ſed de viris tantum, ſtandum eſt Iuri communi, quo cuilibet Conuentui, ſeu Monaſterio cum Prælatu immediato (niſi obſtent particularia ſtatuta Religionum) permittitur eas recipere. De quo Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp. 4. quæſt. 1.* Cum autem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ Monialium veræ Prælatæ non ſint ob defectum capacitatis iuriſdictionis, ideo iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 36. num. 17.* ipſæ non poſſunt recipere Nouitias, ſed hoc ſpectat ad veros Prælatos ipſorum Monaſteriorum. Circa modum verò eas recipiendi obſeruari debet is, qui præſcriptus ſit in particularibus ſtatutis Religionum. Declaratum autem eſt à Sacra Congregatione, teſte Gauanto *in ſu Manuali Epiſcoporum, verb. Monialium receptio, numer. 30.* ſuffragia ſecreta Monialium debere maiorem capituli partem excedere, ad hoc vt receptio locum habeat. Ex qua declaratione habetur, tum Moniales recipi non poſſe, niſi per ſuffragia ſecreta Monaſterij; tum talia ſuffragia affirmatiua debere excedere maiorem partem capituli. Tamburinus *ſuprà num. 4. & 5.* Declaratum etiam eſt à Sacr. Congregatione, teſte eodem Gauanto *ſuprà num. 34.* eum qui præbet habitum Moniali, non propterea ingredi poſſe ſepta Monaſterij. Inſuper declaratum etiam eſt ab eadem Sacr. Congregatione, eodem quoque Gauanto *ibid. num. 39.* teſte, Monialem Nouitiam collocandam eſſe in loco ſeparato, intellige à profeſſis.

11 Circa ſecundum de qualitatibus Nouitiorum, præter illas, quas ſpecialia ſtatuta Religionum decernunt, præcipuè animaduertendum, quod Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus*, ſub anno 1587. iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 34. num. 12.* declarauit verbis ibidem relatis, criminoſos, vel de crimine ſuſpectos, & obligatos debitis, ſeu ratiociniis, recipi non poſſe in Nouitios. Circa quos, præter dicta eo *cap. 24. num. 16. & 17.* nota primò, quod licet idem Pontifex in ea conſtitutione prædictos ad profeſſionem inhabiles fecerit, illam irritam, & nullam declarando, his tamen temporibus, iuxta dicta *ibid. num. 15.* ſtandum eſt conſtitutioni Clementis VIII. eo loco relatæ, in qua nullitatem profeſſionis illorum abſtulit, ſaluis tamen pœnis contra eos recipientes inflictis ab eodem Sixto, quas eo loco retuli. Secundò notandum, quod cum Sixtus eo loco expreſsè loquatur de iuuenibus maioribus ſexdecim annis, vt patet ex illis verbis: *Iuuenes, aut viros adultos maiores ſexdecim annis*, ideo ſi caſus eſſet, quod aliqui iuuenes non maiores ſexdecim annis criminoſi eſſent, aut debitis, & ratiociniis obnoxij, excluſi non eſſent ex vi dictæ conſtitutionis ab habitu Religionis. Et ita id tenet Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 37. quæſt. 4. num. 10.* Nota tertiò, *per criminoſos* intelligi, prout patet ex verbis Sixti eo *num. 12.* relatis, eos qui aliqua crimina, *qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut grauiora* commiſerunt. Vnde qui minora crimina, aut etiam forſan illa ſine ſcandalo, nota, aut infamia perpetrarunt, non videntur à Religionibus arcendi. Portellus *in Dub. Regul. verbo Nouitij qualitates.* Vide alia circa illos eo *cap. 24. num. 16.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7.* Sanchez *4. in Decalog. cap. 16. num. 39.* Vecchium *de Nouit. diſp. 2. dub. 12.* & Peyrinis *tom. 1. de Prælat. quæſt. 3. cap. 1. num. 7.* Nota quartò, per *ſuſpectos* criminum intelligere Papam, prout etiam patet ex verbis eo *num. 12.* relatis, eos *qui propterea damnati ſunt, aut ne damnentur formidant.* Portellus *ſupra num. 16.* Circa obligatos autem, ſeu grauatos debitis, aut ratiociniis, vide dicta eo *cap. 24. num. 17.*

Declarauit etiam idem Pontifex Sixtus in eadem Conſtitutione, illegitimos recipi non poſſe ad habitum, & profeſſionem, eorumque profeſſionem inualidam, irritam, & caſſam eſſe. Quia tamen iuxta dicta eo *cap. 24. num. 21.* Gregorius XIV. & Clemens VIII. id moderati fuerunt, ideo tali moderationi his temporibus ſtandum. Animaduertendum tamen primò, quod ad hoc, quod huiuſmodi defectus illegitimitatis impediat ſuſceptionem habitus, non requiritur, quod illum habens ſit maior ſexdecim annis, quia hanc conditionem ſolùm poſuit Sixtus pro criminoſis, obligatis debitis, &c. non pro illegitimis. Sanchez *dicto num. 10.* Nota ſecundò, non omnes illegitimos prohiberi à Sixto V. ad habitum recipi. Etenim vt patet ex dicta Conſtitutione, ſolùm in ea excludit illegitimos ex ſacrilegio, vel inceſtu intra tertium gradum conſanguinitatis, vel affinitatis, & ad habitum Clericorum, alios verò illegitimos recipi poſſe concedit, etſi ſub certis conditionibus ibi deſignatis. Peyrinis *ſuprà num. 4.* Imò idem Pontifex in alia conſtitutione *Ad Romanum*, declarauit illegitimè natos ex iis parentibus, inter quos tempore, quo ipſi geniti ſunt matrimonium conſiſtere poterat, ſequuto poſtea matrimonio legitimos effectos, ſub dicta conſtitutione minimè comprehendi. 12

Statuit etiam idem Pontifex in eadem conſtitutione *Cum de omnibus*, non poſſe recipi prædictos viros maiores ſexdecim annis, niſi conſtet ipſos non humana aliqua ratione, ſed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam Religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe. Sed notat Portellus *ſuprà num. 21.* ex Rodriguez, hanc vltimam conditionem non poni à Sixto tanquam obligatoriam, ſed tanquam de conſilio, & ad maiorem perfectionem. Quod etſi certum non ſit, probabilitate tamen non caret. 13

Præter dictas conditiones, ſeu qualitates pro recipiendis Nouitiis à Sixto V. aſſignatas, poſtea Clemens VIII. in Decretis *pro reformatione Regularium*, à Sac. Congregatione ſub SS. D. N. Vrbano approbatis, & innouatis, dum ſermo eſt de inſtitutionibus, *ſuper receptione, & educatione Nouitiorum*, ſic habetur. *Quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de vniuſcuiuſque Natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui ſextum & decimum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius adminiſtrationis rationi obnoxij ſint, iuxta formam Conſtitutionis ſælic. recordat. Sixti V. & moderationum ſubſequutarum, illud etiam Superiores, ad quos ſpectabit, ſedulo perquirant, vt quibus in Monaſteriis, & Conuentibus ex Apoſtolica facultate Nouitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus in poſterum admittatur, qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones Sacris Canonibus, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus præſcriptas non habeat, iuxta Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum. Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam eius Ordinis, in quo recipitur, Regularia inſtituta, & ordinationes requirunt. Eam verò litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, vt minores, & ſuis temporibus maiores Ordines, iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad habitum regularem admitti poſtulauerit, &* 14

talis

talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuerſorum tantùm, quibus litterarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur. Ipſi autem Conuerſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita nouerint. Demum Superiores diligenter exquirant quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint: num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari poſſint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an vt eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

15 Circa quæ nota primò, ea ſolùm videri inſtituta eſſe pro Nouitiatibus à Sede Apoſtolica approbatis, quales ſunt in Italia, & Inſulis adiacentibus, prout colligitur tum ex titulo horum Decretorum, tum ex illis verbis, *quibus in Monaſteriis, & Conuentibus ex Apoſtolica facultate nouitiatus fuerint inſtituti.* Secundò, circa ætatem ibi aſſignatam pro recipiendis Nouitiis, ſiue Choriſtis, ſiue Conuerſis, vide dicta *ſuprà verbo Ætas.* Tertiò, illa verba, *Superiores diligenter exquirant quo ſpiritu, qua mente, &c.* videri explicari poſſe ſicut & alia ſimilia Sixti V. de quibus *ſuprà num. 13.* Quartò, circa illa, *an eorum parentes, &c.* notari debere ea, quæ dixi *tomo 1. part. 1. cap. 2. num. 23. & cap. 24. num. 40.*

16 Maximè notandum, tam pro huiuſmodi Decretis, quàm pro aliis quibuſcumque Religionum Statutis, in quibus ordinatur, ne ad habitum, ſeu profeſſionem admittantur, niſi qui tales, vel tales conditiones habuerint, quod talium admiſſio ad habitum, ſeu profeſſionem nunquam debeat cenſeri irrita aut nulla, niſi prædictis Decretis, ſeu Statutis id expreſſè declaretur. Primò, à ſimili de matrimonio contracto contra interdictum, ſeu prohibitionem ſine Decreto irritante, vt colligitur *ex cap. 2. de matrimon. in fine.* Valet enim argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, *cap. viduas autem, cap. hæ verò, cap. quæ Chriſto, 27. quæſt. 1.* in quibus locis profeſſio dicitur matrimonium ſpirituale. Sylueſt. *in Summa, verbo Matrimonium 7. quæſtione 1. dicto 3.* Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſp. 2. num. 10. & 11.* Secundò, ex declarationibus Sacr. Congregationis, quas referunt Armendaria *in additionib. ad recopilat. leg. Nauarr. libro 2. titul. 18. l. 7. de Relig.* & Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcop. alleg. 101. num. 15. & in Collectan. Bullar. verbo profeſſio Regularis 2.* Ex quibus habetur, profeſſiones emiſſas in Ordinibus Sanctiſſ. Trinitatis, & Minimorum contra ſtatuta ipſorum ſine clauſula annullante, ſeu irritante, validas eſſe. Miranda *in Manual. Prælator. parte 1. quæſt. 24. art. 2. concl. 2.* Bordonus *ſuprà num. 8.* Quæ dixerim præcipuè propter prohibitionem factam à Clem. VIII. in Decretis relatis de non recipiendis Conuerſis ad habitum, vel profeſſionem ante 20. & 21. annum ætatis. Cùm enim ibi non ponatur clauſula irritans, ideo ſæpiùs reſpondi talium receptionem, & profeſſionem validam eſſe. Quid autem dicendum caſu quo talia Statuta fierent cum clauſula, *non poteſt*, aut *non poſſunt*, collige ea iis, quæ dixi *ſuprà verbo Leges Regularium, num. 47.*

Hic etiam repetendum Decretum S. Congregatio-
17 nis *de propaganda fide*, quod retuli dicto *cap. 24. n. 44.* illud enim vtiliſſimum eſt pro Eccleſiæ Sanctæ dilatatione, & Religionum honore. In eo namque admonentur Generales omnes, annuente SS. Domino Noſtro Vrbano, vt præter ſtudia linguarum aliàs à Sac. Congregatione Regularibus indicta, ſpeciali ſub Decreto præcipere velint, vt in Nouitiorum receptionibus in poſterum faciendis, aliqui ſemper ex variis nationibus, & linguis, pro modulo tamen ſuarum Religionum, vnà cum aliis, qui hactenus recipi conſueuerunt, ad habitum aſſumantur, qui peracto ſtudiorum curſu, & in ſimplici Sacerdotio conſtituti, & Epiſcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias propagandas fidei gratiâ mitti poſſint.

De aliis qualitatibus, ſeu conditionibus pro nouitiis 18
requiſitis dixi *tom. 1. part. 1. cap. 2. & 24.* Etenim, quod ſexus virilis requiſitus ſit pro ipſis inter viros Religioſos recipiendis, dixi eo *cap. 2. num. 20.* vbi etiam quid dicendum de hermaphroditis. Similiter, qualiter ſeruitus impediat ingreſſum in Religionem, dixi eo *cap. 2. num. 21. & cap. 24. num. 20.* De morbo, ſenectute, aut impotentia ad ſeruandam Regulam, & de dementia, dixi eo *cap. 2. num. 22. 23. & 24.* Similiter quod furioſi, aut mente capti admitti non poſſint ad Religionem, eo *cap. 24. num. 18.* vbi etiam *num. 19.* quid de coniugatis ſentiendum ſit. De quibus etiam omnibus alia dicentur *infra verbo Profeſſio Regularis.*

Loquendo de conditionibus, ſeu qualitatibus re- 19
quiſitis pro fœminis in nouitias inter Moniales recipiendis, cum prædicta Decreta, & conſtitutiones Sixti V. & Clementis VIII. ſolùm ſint pro viris, ideo quoad illas ſtandum eſt particularibus ſtatutis Religionum, & dictis *tom. 1. part. 1. cap. 25. & 26.* & *ſuprà verbo Moniales.*

Circa tertium de informationibus pro nouitiis re- 20
cipiendis conſtat ex dictis *eo cap. 24. num. 12. & 13.* quod licet Sixtus V. in dicta conſtitutione, *Cum de omnibus*, & in alia *Ad Romanum Pontificem*, formam dederit pro illis faciendis, poſtea tamen Gregorius XIV. in Bulla *Circumſpecta*, prædictas conſtitutiones Sixti V. moderatus fuit. Qua moderatione, & priuilegiis adductis *ibid. num. 14.* his temporibus Religioſi vtuntur. Quia tamen ea ſupponunt quoad multa dictas conſtitutiones Sixti V. ideo aliqua de illis dicendum.

Et primò quidem, ſtando in vi dictarum conſtitu- 21
tionum, dictæ informationes non ſunt neceſſariæ ad receptiones Religioſorum tranſeuntium de vna Religione ad aliam, quia in illis ſolum eſt ſermo de ſæcularibus volentibus fieri Religioſos. Rodrig. *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 10 art. 13.* Vecchius *de nouit. diſp. 6. dub. 6.* Portellus *ſuprà verbo Nouitij informationes, num. 8.* Secundò, nec ſunt neceſſariæ pro recipiendo eiecto, ſiue expulſo à Religione, à qua fuit eiectus. Quia Pontifex loquitur de purè ſæcularibus, & de primo ingreſſu ad Religionem. Portellus *ſuprà num. 9.* Quæ verò obſeruare debeat Religio pro receptione ſuorum eiectorum, conſule dicta *tom. 1. part. 1. cap. 23.* præſertim *n. 7.* Tertiò, nec videntur faciendæ pro ingreſſu ad Religionem illorum, qui ſub prætextu nouitiatus habiti in locis non deſignatis à Sede Apoſtolica pro Italia, & Inſulis adiacentibus (iuxta dicta ſuprà) ab ea receſſerunt, maximè ſi in habitu clericali vixerunt, quia dicta conſtitutio loquitur de merè ſecularibus. Bordonus *dicta reſol. 8. num. 64.* Secus dicens, ſi in habitu ſæculari per multum tempus vixerunt, cum potuerint fieri criminoſi, & obnoxij debitis ratiociniis. Quartò, nec eſſe neceſſarias pro receptione iuuenum, qui non ſunt maiores ſexdecim annis, communiter tenent Doctores, eo quòd Pontifex in dicta conſtitutione *Cum de omnibus*, id exprimat illis verbis, *maiores ſexdecim annis* (Suarez *tom. 3 de Relig. lib. 5. cap. 10. num. 11.* Rodriguez *ſuprà*, Miranda *tomo 1. Manual. quæſt. 21. art. 1. concl. 3.* & alij.) Cæterùm licet id verum ſit ex vi conſtitutionis Sixti, nihilominus ſtando in Decretis Clementis VIII. approbatis à Sacr. Congregat. ſub Sanctiſſ. Dom. Noſt. Vrbano, de quibus *ſuprà num. 14.* fieri etiam debent etiam de his, qui dictum 16. annum non excedunt. Quod colligitur ex verbis illis ibi adductis, *præcipuè eorum, qui 16. ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, &c.* vbi particula illa *præcipuè*, exprimit caſum minùs dubium. Barboſa *de dict. dict. 220. num. 1. & dict. 168. num. 1.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 100.*

*quæſt.*100. *art.*2. *verſ.* *Circa quam.* Menochius *de arbitr. lib.*2. *caſu* 416. *num.* 19. Peyrinis *ſup. dict. cap.*1. *num.*10. Cum autem iuxta dicta *ſuprà num.*15. prædicta Decreta ſolùm ſint pro nouitiatibus in Italia, & Inſulis adiacentibus à Sede Apoſtolica approbatis, ideo in aliis locis ſtandum erit conſtitutioni Sixtinæ. Quintò nota, prædictas informationes debere eſſe iuridicas, nimirum factas per duos, aut tres teſtes iuratos, qui iurent talem recipiendum in nouitium à ſe bene cognitum, non habere aliquem ex impedimentis contentis in præfatis conſtitutionibus. Ratio eſt, quia aliàs non facerent fidem, aut probarent intentum, *cap. tuis*, *& cap. nuper, de teſtibus.* Suarez *ſuprà*, Miranda *ſuprà art.*3. *concluſ.*4. Vecchius *ſuprà dub.*2. Non ſufficit autem quod teſtes generaliter dicant ſe neſcire in nouitios recipiendos eſſe comprehenſos in dictis conſtitutionibus; hæc enim negatio nihil probat. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*3.*diſp.*6.*quæſito* 4.*num.*4. Poſſunt autem tales informationes, ſtando in dicta conſtitutione Sixti fieri, ſiue per Iudices Eccleſiaſticos, ſiue per ſæculares, ſiue ad inſtantiam Religionis, ſiue ad inſtantiam recipiendi in nouitium. Pontifex enim ſolùm vult, quod fiant non determinando modum, vt patet ex illis verbis: *Accurata informatione, & fide digna relatione compertum, &c.* Rodriguez *ſupr. art.*2. Miranda *ſupr.art.*3.*concluſ.*1. Vecchius *ſup.dub.*2. Portellus *ſuprà verbo Nouitij informationes, num.* 3. Nota ſextò, quod iuxta dicta eo *cap.*24.*num.*15. licèt omiſſio harum informationum irritam redderet profeſſionem propter dictam conſtitutionem Sixti V. quia tamen Clem. VIII. illam reduxit ad terminos iuris communis, ſaluis ſemper pœnis contra tranſgreſſores inflictis, ideo licet profeſſio ſequuta ſine illis valida ſit, Prælati tamen illam dantes incident in pœnas à Sixto quinto poſitas, quas eo *num.*15. retuli. In Conuentibus etiam deſignatis à Sede Apoſtolica incident in pœnas, quas Clem. VIII. in Decretis relatis impoſuit. Probabile autem eſt, iuxta dicta eo *num.*15. quod prædictas pœnas euadent recipientes ſine dictis informationibus nouitios, qui revera carent defectibus deſignatis in Conſtitutione Sixti V. eo quòd illa ſolùm videatur ligare Prælatos recipientes nouitios ligatos à parte rei talibus impedimentis: ſicut etiam euadent illas illi Prælati, qui bona fide receperunt nouitios à parte rei habentes talea defectus, qui tamen per informationes factas comperti non apparuerunt. De quo Rodriguez *tom.*3. *quæſt.* 54. *art.*4. Portellus *ſuprà num.*6. Vecchius *ſupr.diſp.*7.*dub.*5. Diana *part.*3.*tract.*2.*reſol.*83. & alij.

22 Faciendæ porrò ſunt prædictæ informationes in vi dictæ Conſtitutionis Sixti quinti de illis, quæ idem Pontifex ibidem aſſignat, ſcilicet quod nec aliquorum criminum, qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut grauiora, rei, vel ſuſpecti exiſtant, vt propterea damnati ſint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum grauati, vel reddendis ratiociniis ita obnoxij, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis iam ſit illata, vel timendum ſit, quod inferatur; niſi denique conſtet ipſos non humana aliqua ratione, ſed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam Religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe. Faciendæ etiam ſunt in Conuentibus à Sede Apoſtolica pro Italia, & Inſulis adiacentibus deſignatis de illis, quæ Clemens VIII. in Decretis adductis *num.*14. requirit. Inſuper faciendæ ſunt de legitimitate, vel illegitimitate recipiendorum, non ſolùm pro prædictis Conuentibus à Sede Apoſtolica deputatis, propter illa verba Decretorum Clem. VIII. *De vniuſcuiuſque natalibus*, ſed etiam generaliter pro tota Eccleſia. Etſi enim Gregorius XIV. anno 1591. in Conſtitut. *Circumſpecta*, moderando conſtitutiones Sixti V. fecerit habiles ad Religionem quoſcunque illegitimos, etiam illos, quos Sixtus excluſerat, vt retuli *ſuprà num.* 12. addit tamen: *Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis, ad habitum, & profeſſionem Ordinum quorumcunque agitur, ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia, de quibus ex dictarum Conſtitutionum præcepto circa quoſcunque etiam legitimos diſquirere debent, diligenter eorum vitam, & mores inquirant, & ita demum recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, ac tot eis merita ſuffragentur, vt Natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo ij, ad quos, vt dictum eſt, pertinet huiuſmodi receptio, matura deliberatione habita, ita cenſuerint, & iudicauerint.* Subiungit Pontifex: *Dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem dicti filij profeſſus fuerit, ipſo patre viuente non admittatur, quod prohibemus.* Ad minus ergo fieri debent prædictæ informationes de legitimitate recipiendorum, ad hoc quod conſtet an in illis reperiantur conditiones aſſignatæ à Gregorio. Nota etiam obiter, quod quamuis ipſe prohibuerit verbis aſſignatis, quod illegitimus non admittatur in Religione, in qua eius pater profeſſus eſt, non tamen propterea irrita erit ipſius profeſſio, cum Pontifex ſolùm poſuerit verba prohibitiua, non tamen clauſulam irritantem. Rodrig. *tom.*3.*quæſt.*10.*art.*5. Miranda *tom.*1.*quæſt.*19.*art.*3.*concluſ.*3. Bordonus *ſuprà reſol.*12.*num.*18. *&* 19.

Si autem quæras an etiam in caſu, quo certò, & eui- 23
denter conſtat, eum qui recipi vult ad Religionem, carere prædictis defectibus, eo ſcilicet, quia inter Religioſos, vel apud illos enutritus eſt, neceſſariæ ſint prædictæ informationes. Reſpondeo, ſatis mihi probabile eſſe eas tunc non requiri, nec in foro conſcientiæ, nec in foro externo. Ratio eſt non ſolùm, quia in prædicto caſu ceſſat adæquatè finis Conſtitutionum præcipientium fieri tales informationes, ſed etiam quia quæ clara ſunt, examinatione non indigent, *cap. manifeſta* 2. *quæſt.*1. Et in notoriis iuris ordinem non ſeruare ordo eſt, *cap. ad noſtram* 3. *de iureiurando, cap. quoniam, de fil. Presbyt.* Vecchius *ſuprà diſp.*6. *dub.*1. *num.* 6. Nec diſſentit Diana *d.tract.*2.*reſol.*82.

Cum verò in huiuſmodi Pontificiis Conſtitutioni- 24
bus, ſeu Decretis requirentibus prædictas informationes ſolùm ſit ſermo de nouitiis viris, non de fœminis in Moniales recipiendis, ideò pro iſtis obſeruari tantùm debent ſtatuta, & conſuetudines particularium Religionum, iuxta dicta *tomo* 1.*parte* 1.*cap.*25.*num.*52. Quibus conſonat declaratio quædam Sacræ Congregationis, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Monialis*, vbi ſic: *Moniales illegitimo thoro procreatæ conſtitutione felic. recordat. Sixti V. contra Regulares illegitimos edita non comprehenduntur, quo minus ad officium, aut dignitatem Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, aliave Monaſterij munia eligi poſſint* [Quod verò præfatæ informationes non omninò requirantur pro illis qui ex remotiſſimis partibus ad religionem petunt admitti, ſed ſufficere pro illis quod diligentia aliqua adhibeatur ad dignoſcendum an habeant aliquod impedimentum, conſtat ex dictis *tom.*1.*part.*1.*cap.*24. *num.*12. ex Bulla Sixti V. ibi relata. Hæc verò diligentia ſufficiens videtur, ſi ingreſſurus Religionem iuret ſe illud non habere, aut quod illi cum quibus conuerſatus eſt id teſtificentur pro tempore quo illum agnouerunt. Bartholomæus de Vecchiis *in prax. nouitior. diſp.* 6. *dub.*5. *num.*3. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.*3. *diſp.*6. *quæſit.* 5. *num.* 6. Vide & Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regul. quæſt.*10.*art.*13.]

Circa quartum de diſpoſitione bonorum nouitio- 25
rum, ſeu nouitiarum, præter dicta *tom.*1.*part.*1.*cap.*24. *à num.* 32. alia addenda pro maiori diſcuſſione materiæ. Occaſio autem ſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*24.*de Regular.cap.*16. vbi de illis ſic dicitur: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam*

cum

cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij fiat, intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione, aliter verò facta, etiamſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione, etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus.

26 Circa quam Concilij deciſionem nota primò, illa comprehendi tam nouitios, quàm nouitias, vt patet, tum ex contextu, tum ex *cap.* 15. præcedenti. Non tamen comprehenduntur puellæ, quæ educationis, & ſolius inſtitutionis gratià in Monaſterio recipiuntur, quia nec ſunt nouitiæ, nec de illis agit Concilium. Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 13. *cap.* 9. *quaſt.* 2. Sanchez *lib.* 7. *in decalog, cap.* 5. *num.* 5. Ita etiam refert declaratum à S. Congreg. Barboſa *in prædict. locum Concilij., num.* 1.

27 Quod etiam non comprehendantur nouitij Societatis Ieſu, colligi videtur ex eodem Decreto Concilij, vel ad minus ex conſuetudine, & conſtitutionibus huius Religionis à Sede Apoſtolica approbatis id habetur. De quo Rodriguez *tom.* 2. *quaſt.* 47. *art. vlt.* Molina *tom.* 1. *de iuſtitia, diſp.* 139. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia, c.* 41. *dub* 4. *num.* 41. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 99. *num.* 32. An verò comprehendantur ſoli actu nouitij, aut nouitiæ, an etiam illi, vel illæ, qui tales eſſe volunt, dixi eo *cap.* 24. *num.* 34. vbi etiam quod deciſio Concilij procedit de omnibus nouitiis, ſiue maioribus, ſiue minoribus 16. annis.

28 Circa licentiam, quæ ex Concilio requiritur ad validitatem diſpoſitionis bonorum nouitij, ſeu nouitiæ, iam dixi eo *num.* 35. debere eſſe datam ab Epiſcopo, vel eius Vicario. Adde Capitulum Sede vacante poſſe illam concedere, quia ſuccedit in omnem ordinariam iuriſdictionem Epiſcopis competentem. Sanchez *ſuprà num.* 67. Vecchius *de nouit. diſp.* 8. *dubio* 9. *num.* 2. Idem dico de Abbatibus, & aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, nullique Epiſcopo ſubiectis, propter eandem rationem. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcopi allegat.* 99. *num.* 6. ex Sanchez, & Vecchio relatis. Prælati autem Regulares in Monaſteriis exemptis, & ſibi ſubiectis eam licentiam concedere non poſſunt, quia Concilium Epiſcopi licentiam petit. Rodriguez *tom.* 2. *quaſt. Regular. quaſt.* 47. *art.* 14. Sanchez *ſuprà, num.* 74. Barboſa *ſupra num.* 7. Similiter id, quod dicit Concilium de Vicario Epiſcopi, intelligendum eſt de Vicario generali, non de Vicario Foraneo, niſi expreſſam facultatem ad hoc habeat. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp.* 4. *quaſit.* 10. *num.* 3. ex Sanchez, Vecchio, & Bartholomæo à S. Fauſto. Renunciationem autem factam ſine prædicta licentia, irritam eſſe, & nullam, habetur non ſolùm ex ipſo Concilio verbis relatis, ſed ex Rotæ deciſione in vna Romana *fideicommiſſi* 1624. coram Domino Pirouano. Tamburinus *ſuprà*. Non tamen requiri quod talis licentia ſit in ſcriptis, cum Concilium id non petat, nec ſatis eſſe fuiſſe petitam, ſi non fuit obtenta, & ſufficere eam tacitè eſſe habitam ex ratihabitione de præſenti, tradit Barboſa *ſuprà num.* 10. ex Sanchez, & Vecchio relatis.

29 Circa bimeſtre illud à Concilio petitum ad hoc quod renunciatio valida ſit, notandum primò, non requiri, vt talis renunciatio fiat integro bimeſtri ante profeſſionem, ſed ſatis eſſe, vt intra eo bimeſtri fiat, quamuis immediatè ante profeſſionem. Propter dictionem illam *intra*, qua vtitur Concilium. Sanchez *ſuprà num.* 80. Bartholomæus à S. Fauſto *in Theſauro Relig. lib.* 5. *quaſt.* 192. Secundò, hoc bimeſtre computandum eſſe de momento ad momentum, & ſecundum quod occurrit menſis in Kalendario. Sanchez *ſupra num.* 81. Vecchius *ſupr. dub.* 9. *num* 5. Tertiò, quod renunciatio facta ſolùm per diem ante dictum bimeſtre non valet, prout deciſum eſſe à Sac. Congregat. referunt Aldana *in Compendio Canonicarum reſolutionum, lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 8. & Tamburinus *ſupra num.* 5. Quartò, quod ſi contingat profeſſionem differri ex quacunque cauſa, dummodo renunciatio facta ſit intra bimeſtre antequam profeſſio facienda erat, valida erit, quia cum lex ea, quæ frequentiùs contingunt ſpectet (*l. nam ad ea, ff. de legib.*) & profeſſio, attento iure, & frequentius, fiat completis ætate debita, & anno nouitiatus, Decretum hoc petens renunciationem fieri bimeſtri ante profeſſionem, intelligendum eſt de bimeſtri proximo tempori, quo regulariter profeſſio fieri debet. Item, quia in hac renunciatione ſaluatur omnino mens Tridentini, quæ fuit ne temerè feruore vocationis ductus Nouitius renunciet, ſed quando debita maturitate expertus eſt decem menſibus Religionis auſteritates. Sanchez *ſuprà num.* 82. & ex ipſo Barboſa *ſuprà num.* 1. Tamburinus *num.* 7. Fauentque deciſiones factæ de hac re, quas referunt Armendariz *in Addition. ad recopil. leg. Nauarræ lib.* 2. *tit.* 18. *l.* 7. *de Relig. num.* 18. *& ſequentibus*, Aldana, & Vecchius *ſuprà*. Quintò, quod ſi poſt lapſum annum probationis, profeſſione tamen non emiſſa, fiat renunciatio per duos menſes ante profeſſionem, adhuc valida erit. Sic enim etiam refert deciſum Aldana *ſuprà num.* 12. & ex eo Tamburinus *ſuprà*. Sextò, quod cum Nouitij, & Nouitiæ ſecundum præſentem ſtatum ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, ac per conſequens legibus laicalibus non ſubiectæ, ideo quoad prædictas renunciationes ſubiecti non ſunt formæ præſcriptæ per laïcalia Statuta. Ita enim declaratum dicitur à S. Congregatione, teſte Aldana *ſuprà num.* 11. & à Rota in vna Parmenſi *tranſactionis* 1627. coram Domino Dutan. Tamburinus *ſuprà num.* 7.

Non comprehendi dicta diſpoſitione Concilij teſtamentum, codicillum, & quamcunque aliam voluntatem reuocabilem, nec etiam donationes, & eleemoſynas parui momenti, aut ea, quæ dari ſolent pro ſuſtentatione Nouitij, vel nouitiæ tempore nouitiatus, & alia huiuſmodi, conſtat ex dictis *eo cap.* 24. *num.* 35. Comprehenduntur tamen omnes diſpoſitiones, ſeu contractus irreuocabiles, quibus nouitij, ſeu nouitiæ priuant ſe ſuis bonis, ita vt propterea impediantur ab egreſſu à Religione, quam inchoauerant, & cogantur in ipſa profiteri, eo quòd ſuis bonis ſe ſpoliauerint; hoc enim eſt contra intentionem Concilij volentis conſulere libertati illorum, iuxta dicta eo *cap.* 24. *à num.* 33. Vnde comprehenduntur ſub dicta diſpoſitione donationes inter viuos à nouitiis factæ, renunciationes officiorum publicorum, fideiuſſiones, & liberationes, quibus ſuos tutores, aut Curatores à reddendis rationibus eximerent. Quia hæc omnia ſunt contra intentionem Concilij, cum propterea cogi poſſint ad non egrediendum è Religione. De his Sanchez *dicto cap.* 5. *per totum.* Vecchius *ſuprà diſputat.* 8. Barboſa *dicta allegat.* 99. Tamburinus *dicto quaſito* 10. & alij plures. [Maximè etiam circa dicta *eo cap.* 24. *num.* 34. ſcilicet in hac deciſione Concilij non comprehendi niſi ſolùm actu nouitios, non verò illos, qui nouitij eſſe volunt, & intuitu Religionis ſuis bonis renunciant, notanda eſt declaratio Sacræ Congregationis, quam referunt Menoch. *in addit. ad lib.* 2. *de arbitr. iud. caſ.* 436. *num.* 3. & Tamburinus *de Iure Abbat. diſp.* 6. *quaſit.* 10. *num.* 6. Cum enim quæſitum eſſet à Sacra Congreg. quid ſentiendum in caſu quodam cuiuſdam Annæ de Cagnolis, quæ poſtquam donationem fecit partis ſuorum bonorum ingreſſa eſt poſtea in Monaſterium, ibique profeſſionem emiſit, Sacra Congregatio cenſuit, *Decretum Concilij Tridentini ſeſſ.* 16. *cap. de Regular. non habere locum in renunciatione facta ante ſusceptionem habitus.* Et ita conformiter ad hanc deciſionem, tenent præfatam ſententiam non ſolùm Paſſarellus, Sanchez, & Portellus, quos eo loco retuli, ſed etiam Vega, Garcia, Gratianus, Azorius,

Naldus, Villalobos, & alij, quos refert, & ſequitur præfatus Tamburinus *ſuprà*.]

31 Specialiter etiam quoad nouitios viros dicendum, prædictam Conciliarem diſpoſitionem habere quoque locum in reſignatione beneficij Eccleſiaſtici, ita vt illud renunciari non poſſit à nouitio, niſi cum ſolemnitatibus adductis à Concilio. Ratio eſt, tum quia Decretum Concilij vniuerſaliter loquitur de renunciatione bonorum nouitij, Beneficia autem Eccleſiaſtica ſunt etiam quædam bona: tum etiam, quia finis Concilij in hac quoque renunciatione locum habet, ſicut in renunciatione bonorum temporalium; non enim minus auferrur libertas nouitij egrediendi à Religione, ſi Beneficio ſuo renunciauerit, quàm ſi aliis bonis temporalibus. Azor. *tom. 2. Inſtit. Moral. lib. 7. cap. 20. quæſt. 6.* Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 5. cap. 16. num. 12.* Sanchez *ſupra à num. 36.* & plures alij, quos refert Barboſa *ſupra à num. 19.* quorum aliqui dicunt plures ita deciſum eſſe. Etſi ipſe Barboſa ſequatur Nicolaum Garxiam *de Beneficiis, part. 11. cap. 9. à num. 11.* oppoſitam ſententiam tenentem. Apud quos etiam aliæ.

32 Quamvis autem, iuxta dicta eo *cap. 24. num. 36.* donationes, ſeu renunciationes à nouitiis factæ cum ſolemnitate petita à Concilio non ſortiantur ſuum effectum, niſi realiter ſequuta profeſſione, imò & valida profeſſione, vt ibi etiam dixi, caſu tamen quo profeſſio nulla ſit, & inualidè emiſſa, ſi poſtea ratificetur, ſtatim cenſetur ratificata renunciatio, & reualidata. Riccius *in deciſionibus Curiæ Archiepiſc. Neapolit. deciſ. 146. part. 4.* Tamburin. *ſuprà quæſito 12. n. 1.* Quod etiam pro pluribus caſibus admittit Sanchez *ſuprà num. 56.* Pro caſu etiam quo profeſſio inualida eſſet ex eo ſolùm quod annus Nouitiatus peractus non ſit in Conuentibus à Sede Apoſtolica deſignatis pro Italia, & Inſulis adiacentibus, iuxta dicta *ſupra à num. 2.* ratificata, ſeu reualidata tali profeſſione, etiam ratificari cenſetur renunciatio facta cum ſolemnitatibus à Concilio requiſitis. Ita enim clarè colligi poteſt ex Motu proprio, ſeu Breui SS. D.N. Vrbani eo loco relato, vbi concedens Prælatis, ſeu Superioribus Generalibus Ordinum, vt prædictos, qui Nouitiatum in locis aſſignatis non peregerunt, ſubindeque profeſſionem inualidam emiſerunt, ad profeſſionem de nouo emittendam admitterent, quæ illis in vtroque foro ſuffragetur, eóſque reſtituerent ad priſtinum ſtatum, ſubiungit Pontifex: *Necnon omnes actus, ſeu contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxiſſent, vel cum laicis, & aliis Monaſteriis, ſeu alterius religionis viris, ſi nullum aliud vitium paterentur, vel defectum, niſi ex eo ſolùm, quia initi, aut contracti ſunt inualidè ab iis, qui contra dictam Conſtitutionem in domibus non deſignatis, ſeu ab eadem Sede non approbatis profeſſi ſunt, auctoritate noſtra prædicta confirment, & approbent, ac validos omninò declarent, ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tenore præſentium tribuimus, & impartimur.* Bordonus *dicta reſolut. 8. num. 31. & 40.*

33 Conſequenter etiam ad dictam deciſionem Concilij in eodem cap. ſic etiam ſubiungitur: *Sed neque ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat: nec facilè ſi diſceſſerit, id reuocare poſſit: quia potius præcipit Sancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur quæ ſua erant, quod vt rectè fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.* Circa quod Decretum, præter dicta eo *cap. 24. num. 32.* notanda declaratio quædam Sacr. Congregationis, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullary, verbo Nouitias,* in qua dicitur, *Nouitij patrem non potuiſſe dare paramentum Altari Monaſterij vbi filius erat in nouitiatu,* intelligi debere (caſu quo hæc declaratio ſit authentica) quando talis donatio fuit ex bonis ipſius Nouitij, iuxta dicta eo *num. 32.* Nota etiam, quod donationes factæ Deo, & Sanctis prohiberi non videantur dicto Decreto Concilij, vt tenent Rodriguez *dicta quæſt. 47. art. 5.* Sanchez *ſuprà num. 28.* Barboſa *ſuprà n. 29.* Quamvis Vecchius contrarium ſentiat. De facultate porrò Epiſcopis à Concilio eo loco tributa compellendi ad reſtitutionem bonorum Nouitiorum, aliquid dixi *ſuprà verbo Epiſcopus quoad Regulares, num. 8.*

Circa V. quod tractandum duxi in hac materia de Nouitiis, ſcilicet de eorum priuilegiis, conſtat ex dictis eo *cap. 24. num. 4.* gaudere priuilegio fori. Pro quo etiam vide Sanchez *tom. 2. conſil. Moral. lib. 6. c. 9. dub. 5. num. 32. & 33.* & Tamburinum *dicta diſp. 6. quæſit. 27.* ac dicenda *infrà verbo Prælatus Regularis, num. 9.* Qualiter etiam gaudeant priuilegio immunitatis à gabellis, conſtat ex dictis *ſuprà verbo Gabella quoad Regulares, num. 7.* Vbi etiam *num. 9.* quid dicendum ſi habitum Regularem ſuſceperunt ſolùm in fraudem gabellarum. Item quod gaudeant priuilegio Canonis, ita vt eos percutientes excommunicationem Papalem incurrant, dixi eo *cap. 24. num. 4. & cap. 3. eiuſdem primi tomi Summæ, num. 16. & tomo 3. verbo Clericus, num. 6.* Quod verò poſſint diſpenſari à Prælatis circa obſeruantias Regulares, imò in aliquo caſu particulari circa obſeruantiam præceptorum Eccleſiæ, dixi eo *cap. 24 num. 5.* An poſſint ad Ordines promoueri *ibid. num. 6.* Quod poſſint vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, etiam in caſibus, in quibus Religioſi profeſſi eo vti non poſſunt, dixi *ibid. num. 7.* Qualiter etiam poſſint abſolui à caſibus reſeruatis, & diſpenſari in irregularitatibus, ſaltem loquendo de Nouitiis aliquarum Religionum, & propter ipſarum priuilegia, dixi *ibid. num. 8. 9. & 10.* De peccato autem, quod committunt impedientes vi, vel fraude quod aliquis Nouitius non profiteatur, vel quod ſæcularis non aſſumat habitum Religionis (quod etiam videtur pertinere ad priuilegia Nouitiorum) etiam dixi eo *cap. 24. num. 28.* Aliqua tamen addenda ſunt circa huiuſmodi priuilegia. 34

Et primò nota, quod licèt impedientes fœminas volentes fieri Religioſas incidant in excommunicationem poſitam à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 18.* impedientes autem viros ne Religioſi fiant, non afficiuntur dicta excommunicatione, cum Concilium de illis non loquatur. Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 21. quæſt. 15.* Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 23. ſect. 7.* Ledeſma *de ſtat. Relig. in comm. cap. 5. concluſ. 8.* Nihilominus ex priuilegio Eugenij IV. pro Monachis S. Benedicti, quod refert Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Nouitius, num. 28.* & Iulij II. pro Monachis Oliuetanis, quod refert Peyrinis *tom. 1. priuileg. Minimor. in Iulio II. Conſtitut. 10.* (quo etiam gaudere poſſunt aliæ Religiones habentes communicationem priuilegiorum cum iſtis) prohibetur ne aliqui cuiuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, perſonas aliquas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, ex ſæculo fugientes, & ad Religionem venire cupientes, verberibus, aut violentiis quibuſcunque impedire, vel prohibere, aut è Monaſteriis euellere, aut extrahere, iniuriam illis irrogando, aut eos moleſtando audeant, vel præſumant, ſub pœna excommunicationis Papæ reſeruata. Addit tamen Pontifex, *Dum tamen cùm hoc præſens ſtatutum fuerit eis ad notitiam deductum, non deſtiterint à præmiſſis.* Ex quo colligitur excommunicationem iſtam ante monitionem eſſe comminatoriam, poſt monitionem eſſe latæ ſententiæ. Peyrinis *ſuprà num. 2.* Nota etiam, eandem 35

quoque

Digitized by Google

quoque excommunicationem incurrere iniuriam irrogantes, ſeu moleſtantes recipientes dictos Nouitios. Ita enim habetur in eodem priuilegio. Nota tertiò, Papam ibi ſolùm excommunicare impedientes talem ingreſſum, facta iniuria, vi & moleſtia. Vnde qui precibus importunis, vel conſilio impediret, non incurreret. Portellus *in dub. Regular. in additionibus verbo Nouitius, num. 2.* Peyrinis *3. tom. priuil. Minim. cap. 3. in additionibus ad Conſtitutiones Iulij II. num. 2.* Addunt etiam, quod qui Nouitium iam habitu indutum, vel ſtatim induendum ad Conuentum pergentem dicta precum importunitate retardaret, & ad ſæcularium domum reduceret, in eaque conuiuiis, laſciuiis, aliſque dæmoniacis voluptatibus detineret quouſque à propoſito diuerteretur, dictam cenſuram incurreret. Quia verè hoc non fit ſine iniuria, & violentia Nouitij, & Religionis; non enim minus violentant praui excitati affectus, quam verbera. Vnde inferunt quàm grauiter peccent parentes, vel conſanguinei dicto modo impedientes ingreſſum in Religionem. Hinc ſæpius euidenter ſunt à Deo puniti in hac vita. Nota quartò, quod talis impeditio, ſeu moleſtatio debet eſſe cum effectu, itavt Nouitius omnino, & de facto abſtrahatur, vel impediatur, neque ſufficit attentatio. Nam verba intelliguntur cum effectu. Gloſſ. *in cap. Perpetuò, de elect. in 6.* vbi Ioan. Andr. *ibid. num. 7.* & Nauarrus *lib. 5. conſ. de ſent. excom. conſil. 30. num. 3.* Peyrinis *ſuprà num. 42.* Fauent quæ dixi *ſuprà verbo Cenſura Eccleſiaſtica, num. 10.* Nota quintò, quod quando tales impedientes, & moleſtantes eò peruenerint, vt Nouitium à Monaſterio rapiant, capite puniuntur. Farinac. *de hæreſi, quæſt. 183. §. 6. num. 85.* Campanile *in diuerſorio iuris rubrica 12. cap. 16. num. 83.*

36 Deinde circa facultatem abſoluendi Nouitios, præter dicta eo *cap. 24.* loco relato, nota valde probabile eſſe, generaliter loquendo Nouitios poſſe abſolui ab omnibus caſibus etiam reſeruatis, à quibus poſſunt abſolui profeſſi virtute priuilegiorum Ordinum. Ratio eſt, quia Nouitij etiamſi in odioſis non habeantur pro Religioſis, in fauorabilibus tamen pro talibus habentur, ac per conſequens eiſdem priuilegiis, ac alij Religioſi profeſſi potiri poſſunt, maximè in rebus concernentibus eorum conſcientias. De quo Sanchez *lib. 6. in Decalogum, cap. 10. in fine, & lib. 4. cap. 39. n. 11.* poſt Molinam, Henriquez, & Azor. Quibus iunge Bonacinam *de voto diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 4. num. 28.* ex Reginaldo, Viualdo, & aliis, Portellum *verbo Nouitij abſolutio, num. 33. & 35. & in Additione n. 18.* Dianam *part. 3. tract. 2. reſol. 73.* poſt Suarez, & alios, Bordonum *reſol. 3. num. 11. & 30.* Nec obſtat viuæ vocis oraculum Clem. VIII. quod refert Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuilegiorum Mendicantium, verbo Abſolutio extraordinaria quoad fratres, §. quoad, §. tertium, & verbo Nouitius; ſub titulo de Nouitiorum abſolutione, & diſpenſatione*, quo declarauit Pontifex, quod ſi quis Nouitius ante, vel poſt ſuſceptum habitum aliquem caſum Sedi Apoſtolicæ reſeruatum habuerit, non obſtantibus priuilegiis Religionum debeat mitti ad eos, ad quos talis abſolutio ſpectat. Quia hoc ſolùm eſt declaratum pro Nouitiis Ordinis Capuccinorum, non pro aliis, quod ſciam. Nota tamen doctrinam traditam ſolùm videri intelligi quoad priuilegia concedentia facultatem abſoluendi, quando illa non ſunt limitata præcisè, & determinatè pro profeſſis, quia cum Nouitij profeſſi non ſint, non poſſunt venire profeſſorum nomine. Secus verò quando ea ſunt in generali pro ſubditis, pro Religioſis, pro Fratribus, &c. quia iſtorum nomine veniunt etiam nouitij. An verò ſic abſoluti à caſibus reſeruatis, ſi ex Ordine diſcedant, incidant in cenſuras, quibus antea irretiti erant, conſequenter ad dicta eo *cap. 24. num. 8. & 9.* dico, quod ſi abſoluti (idem dico de diſpenſatis in irregularitatibus) vel diſpenſati ſunt ex vi aliquorum priuilegiorum concedentium, talem abſolutionem, vel diſpenſationem ſolùm cum illa conditione, quod ſi ex Ordine exierint, vel illum non intrauerint, talis abſolutio, vel diſpenſatio illis non ſuffragetur, aut quod iterum incidant in eaſdem cenſuras, &c. procuIdubio ita tenendum eſt. Quando verò abſoluti, vel diſpenſati ſunt ex vi priuilegiorum abſolutè, & ſine limitatione concedentium talem facultatem, tunc non video quomodo etiamſi recedant, debeant incidere in eaſdem cenſuras, ſeu caſus reſeruatos. Bonacina *ſuprà.* Diana *part. 3. tract. 2. de dubiis regularium, reſol. 44.* Etſi Sorbus *ſuprà dicto tit. de Nouitiorum abſolutione, & diſpenſatione*, ex Syluestro, & Tabiena oppoſitum teneat.

Circa vota Nouitiorum iam dixi *tom. 1. part. 1. c. 18. num. 47.* ex Suarez ibi relato, quod licèt Prælati Religionum non poſſint directè irritare vota Nouitiorum, eo quòd in illis deficit ſubiectio ex voto obedientiæ, in quo fundatur hæc directa irritatio, indirectè tamen irritare poſſe illa vota, quæ gubernationi, & conuenienti Ordinis regimini obuiant. Hæc verò indirecta irritatio conſiſtit in ſuſpenſione prædictorum votorum. 37 Cum enim habeant poteſtatem in Nouitios quoad illa, quæ ſpectant ad experientiam morum ipſorum, procuIdubio ſuſpendere poſſunt ea vota, quæ impediunt dictam probationem. Sanchez *lib. 4. in decalog. cap. 33. num. 31.* Bonacina *de Voto diſp. 4. quæſt. 2. part. 7. §. 2. num. 32.* Fagundez *in 2. præcept. Decalog. cap. 36. n. 1.* Candidus *tom. 2. diſquiſit. moral. diſquiſ. 25. art. 2. dub. 6.* Bordonus *reſol. 14. num. 44.* Adde etiam magiſtrum Nouitiorum poſſe id facere. Vt enim habetur ex Decretis Clem. VIII. *pro inſtitutione Nouitiorum*, Magiſter Nouitiorum habet plenam, & abſolutam poteſtatem circa ipſorum inſtitutionem, ac nouitiatus regimen. Ergo poteſt impedire ea quæ contraria ſunt. Vecchius *ſuprà diſp. 10. dub. 5.* Candidus *ſuprà dub. 7.* Bordonus *ſuprà.* Hæc tamen intellige de votis perſonalibus; vota enim realia non impediunt regulariter loquendo exercitia probationis. Vecchius, Bonacina, Candidus, & Bordonus relati. Vnde conſequenter talia vota perſonalia iſto modo irritata reuiuiſcunt per retroceſſionem à Religione, itavt ſi ex ea exeat nouitius, ad illa obligetur, cum ſolùm cenſeantur irritata quatenus impediant obſeruantiam regularem. Sanchez *ſuprà num. 39.* cum Lopez, Leſſio, & Suarez. Quibus adde Vecchium, & Bordonum. Nota etiam, quod ſi nouitius intendat vouere dependenter à voluntate Superioris, aut Magiſtri, in eo caſu faciliùs poterunt irritare tale votum, quia quoad illud ſe ſubiecit voluntati ipſorum. Suarez *lib. 6. de voto, cap. 7. num. 11.* Sanchez *ſuprà num. 28.* Vecchius *ſuprà dub. 6.* Fagundez *ſuprà num. 3.*

38 Circa diſpenſationem autem, & commutationem votorum nouitiorum, licet plures negent poſſe dari à Prælatis Religionum, probabilius tamen eſt oppoſitum. Ratio eſt, quia licet non habeant poteſtatem dominatiuam ſuper illos, ac propterea non poſſint illorum vota, vt dictum eſt, directè irritare, habent tamen poteſtatem iuriſdictionis ſuper illos, ſimilem illi, quam habent Epiſcopi ſupra aduenas exiſtentes in ſua Diœceſi, ipſi quoque nouitij in fauorabilibus, vt dictum eſt, cenſentur veluti profeſſi. Poſſunt ergo Prælati ſuper illos eam iuriſdictionem exercere, quam circa profeſſos. Cum autem conſtet ex dictis *tom. 1. part. 1. cap. 18. n. 48. & 49.* quod Prælati Regulares poſſunt diſpenſare, & commutare vota ſuorum ſubditorum, quæ Epiſcopi commutant, & diſpenſant, idem etiam dici debet reſpectu Nouitiorum. Henriquez *lib. 7 cap. 12. num. 7.* Bonacina *ſuprà, §. 4. num. 27.* Vecchius *dicto dub. 6.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol. 71.* poſt Rodriguez, Leſſium, Sanchez, & alios. Refert etiam Sorbus *in Compendio verbo Nouitius, §. eſt tandem.* Priuilegium Leon. X. pro Camaldulenſibus, Iulij II. pro Oliuetanis, Eugenij IV. pro Auguſtinianis,

niani, & Alexandri IV. pro Carthuſienſibus, quæ tamen non vidi. Nota tamen hanc poteſtatem commutandi, & diſpenſandi vota Nouitiorum non competere Magiſtro Nouitiorum iure ordinario, cum non habeat ſupra illos poteſtatem iuriſdictionis, nec ſit eorum Prælatus propriè loquendo. Nec obſtat, quòd vt dixi ex Clemente VIII. habet ſuper illos plenam, & abſolutam poteſtatem. Hoc enim intelligitur quoad educationem, & inſtitutionem, non quoad iuriſdictionem. Bordonus *ſupra n.* 47. Nota etiam vota prædicta nouitiorum poſſe commutari in onera nouitiatus. Leſſius *tom.* 2. *de iuſtitia*, *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *n.* 107. Fagundez *in* 2. *præcept. Decalogi*, *lib.* 2. *cap.* 47. *in fine*. Quod intellige, quando prædicta onera æquiualeant votis. Quæ autem ſint vota, quæ Prælati Religionum diſpenſant, vel commutant, dixi eo *cap.* 18. loco relato, & copioſiùs dicam *infra*, *verbo Votum quoad Regulares*.

39 Specialiter quoad votum arctioris Religionis, præter dicta eo *cap.* 18. *num.* 50. qualiter diſpenſari poſſit à Prælatis quibuſdam Regularium cum illis qui ad Religionem veniunt, habetur ex priuilegio Eugenij IV. pro Monachis Caſſinenſibus apud Rodrig. *in Bullario*, *in Eugenio IV. num.* 11. quo tam ipſi quam alij, qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habent, vti poſſint, his verbis: *Liceat inſuper præfatis Præſidenti, Viſitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus præfatæ Congregationis, præſentibus, & futuris, perſonas volentes eorum Congregationi ſociari, quæ Religionem, locum, vel Ordinem alium quemcunque etiam arctiorem ingredi vouiſſent, tali voto non obſtante ad probationem, profeſſionemque recipere, eaſque auctoritate Apoſtolica ab ipſo voto abſoluere, & cum ipſis diſpenſare, dummodo in tali Religione, ſeu Ordine, de quo vouiſſent, profeſſionem non emiſerint. Quod ſi tamen ante profeſſionem emiſſam ab ipſa receſſerint Congregatione, huiuſmodi diſpenſatio nullius ſit roboris, vel momenti*. Refert etiam hoc priuilegium Caſarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Diſpenſatio, num.* 28. Item Sorbus *ſupra* §. *eſt eadem*, & Portellus etiam ſupra ſub titulo *Nouitij abſolutio*, &c. *num.* 31. Simile priuilegium aliis Religionibus conceſſum referunt, quæ tamen videre non potui.

40 Inter priuilegia etiam Nouitiorum illud referri poteſt, quod poſſint ſua peccata confiteri Religioſo ſolùm approbato à Prælato Religionis, & non ab Epiſcopo, quia vt dixi, nouitij in fauorabilibus ſunt ſimiles Religioſis profeſſis, qui iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. poſſunt peccata ſua confiteri approbatis ſolùm à ſuis Prælatis. Bordonus *Reſolut.* 34. *num.* 59. Vbi etiam ait, quod itinerantes gaudeant priuilegio profeſſorum eligendi Confeſſarium quemcunque, etiam non approbatum, ſed ſimplicem, aut externum, ſi careant copia Sacerdotis ſui Ordinis. Huiuſmodi autem Nouitiorum Confeſſarius qualis ſit, habetur ſic ex Decretis Clementis VIII. *de Inſtr. Nouitiorum*, pro nouitiatibus videlicet, vt dixi, à Sede Apoſtolica in Italia, & Inſulis adiacentibus deputatis. *Ipſi autem Magiſtro ſoli Nouitiorum Confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorundem Nouitiorum confeſſiones audire*. Vnde ea vi ſui officij puto poſſe audire confeſſiones Nouitiorum ſine alia noua commiſſione. Bordonus *Reſolut.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 15. Secus dicens de Submagiſtro, ſeu ſocio Magiſtri, quia hæc facultas ſoli Magiſtro committitur. Quamuis autem dicto *cap.* 24. *num.* 7. vt probabilius ſuſtinuerim, non poſſe nouitios validè confiteri alicui confeſſori tantum ab Epiſcopo approbato, propter ibi dicta; nihilominus valdè probabile etiam eſt contrarium, quia nouitij ante profeſſionem ſunt ſimpliciter ſæculares, licet fauoribus Religionis fruantur, & Decretum Clementis VIII. adductum non irritet confeſſionem factam alij præterquam Magiſtro nouitiorum. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 27. *artic.* 11. Portellus *ſupra*, *num.* 36. Molfeſius *in Summa*, *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 14. *num.* 81. Diana *parte* 1. *tract.* 6. *reſolut.* 27. referens Homobonum, Enriquez & alios. Idem quoque dicendum de confeſſionibus nouitiorum factis aliis Religioſis approbatis à Prælatis Religionum ſolùm pro ſuis Fratribus, in caſu videlicet, quo in Religione non ſit Statutum annullans confeſſiones factas aliis præterquam aſſignatis, nec illud obliget ſub culpa mortali ad ſui obſeruantiam. Ioannes de Cruce *de Voto obedientiæ lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 10. §. *ex dictis patet*. Bordonus *ſupra Reſol.* 4. *num.* 11. & 12.

Gaudent etiam Nouitij priuilegio eligendi ſepulturam. Ratio eſt, quia etſi id ſit prohibitum Religioſis, *cap. finali*, *de ſepult. in* 6. Nouitij autem in huiuſmodi odioſis non comprehenduntur, & habent velle, & nolle. Sanchez *lib.* 6. *in decal. cap.* 14. *num.* 10. ex Franco, Armilla, & Tabiena. Caſu autem quo decedant abſque ſepulturæ electione, licet quidam dicant ſepeliendos eſſe in Eccleſia, in qua, ſi ſæculares forent, ſepelirentur, eo quòd non ſunt ſimpliciter Religioſi; oppoſitum tamen habetur, tum ex conſuetudine, quæ constat ſepeliri in Monaſterio vbi ſunt nouitij, tum ex priuilegiis Religionum. Rodriguez *tomo* 3. *quæſt. Regul. quæſt.* 60. *art.* 2. Sanchez *ſupra num.* 11. ex Syluestro, Tabiena, & Armilla. Sepeliri autem debent expenſis Monaſterij, ſi non habent patrimonium, tum ex obligatione charitatis, tum & iuſtitiæ, cum tales nouitij ſint membra Religionis. Sanchez *ſupra num.* 12. Si verò patrimonium habent, quamuis Rodriguez *ſuprà art. vlt.* dicat ſepeliendos eſſe propriis expenſis, itavt ſi Monaſterium eas fecerit, repetere poſſit ab hæredibus, credo tamen conſuetudini eſſe ſtandum, & attendendum ad circunſtantias loci, & quantitatis expenſarum. Sanchez *dicto num.* 12. Nota etiam, facultatem iſtam nouitiorum ad eligendum ſepulturam competere etiam illis adhuc in caſu, quo cum habitu, & licentia Superiorum infirmi moriantur in domibus ſuorum conſanguineorum. Villalobos *in ſumma*, *tomo* 2. *tract.* 31. *difficult.* 2. Diana 5. *part. tract.* 3. *reſol.* 109. [De nouitio autem qui mortuus eſt in domo patris ſui, vbi erat cum licentia Prælati, quod non deberet ſepeliri in Monaſterio, eo quòd ante mortem declarauerit ſe nolle eſſe Religioſum, bene reſoluit Portellus *in reſponſ. moral. tomo* 2. *caſu* 69.] 41

Poſſunt etiam nouitij Sacerdotes, & aliàs idonei, ſtando in iure communi, & ſecluſis particularibus Statutis Religionum, fieri Confeſſarij, & audire aliorum confeſſiones. Nulla enim prohibitio in contrarium extat. Bordonus *dicta Reſol.* 4. *num.* 26. Caſu etiam quo Parochi, vel Confeſſarij ingrediantur Religionem, non perdunt iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, quam habeat ad audiendum confeſſiones ſæcularium. Bordonus *reſol.* 36. *num.* 87. Quod maximè eſt verum de Parocho, cum iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 24. *num.* 37. nouitij ſint capaces habendi beneficium ſæculare, & illud quod habent non debet prouideri ante tranſactum tempus nouitiatus, ſed debet curari, vt per alium ſeruiatur. Facta verò profeſſione, licet ceſſet facultas ordinaria, quam habebat nouitius Parochus ad audiendas confeſſiones, quia iuxta dicta eo *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 17. per profeſſionem vacant quæcunque beneficia antè habita, ac per conſequens talis facultas, quæ in beneficio fundabatur; non tamen ceſſat facultas delegata, quam habuit nouitius dum erat in ſæculo ad audiendas confeſſiones, cum ea non ſit annexa ſtatui clericorum ſæcularium, aut repugnans ſtatui Religioſo, Bordonus *ſuprà num.* 88. 42

Generaliter etiam loquendo, quod priuilegia nouitiorum competant etiam illis, qui nondum habitu religioſo ſunt induti, ſed breui tempore induendi, tenent 43

nent Vecchius *ſuprà diſp.9.dub.*1. Diana *part.3. tract.2. de dubus regularium, reſol.*46. & Peyrinis *tom.3. priuil. Minim.cap.3. in Additamentis,ad Conſtitutiones Iulij II. num.*3. plura ex Iuriſtis, ſpecialiter Gonzalez *in Regulam* 8. *Cancellariæ,gloſſ.*5.§.7. adducens. Veruntamen, ne plus æquo conſcientiarum habenæ laxentur, diſtinguendum eſt de priuilegiis nouitiorum: alia enim ſunt conceſſa volentibus ingredi religionem, quale eſt illud Eugenij IV. pro Benedictinis,quod *ſuprà num.*39. retuli,& alia, quæ in Compendiis Priuilegiorum Ordinum reperiuntur. Et quidem iſtis, vel ſimilibus, proculdubio frui poſſunt illi qui etſi habitum Religionis non induerunt, indui tamen illo volunt, & breui tempore induendi ſunt. Alia verò priuilegia ſunt conceſſa pro nouitiis qui ordinem ſunt ingreſſi, & habitum induti, & his non video quomodo vti poſſint illi, qui actu nouitij non ſunt,aut actu habitu Ordinis non ſunt induti. Benè verum eſt, quod ſi prædicti de proximo induendi ſint iam actu ſub obedientia, & iuriſdictione Prælatorum Ordinum, prout ſæpiſſimè in Religionibus contingit, poſſunt dici perſonæ Eccleſiaſticæ, & quodammodo Religioſi, ac per conſequens frui priuilegiis, quæ iure communi competunt perſonis Eccleſiaſticis, ſeu religioſis, qualia ſunt priuilegium Fori, & Canonis.

44 Circa vltimum de obligationibus nouitiorum conſtat ex dictis dicto *cap.*24. *num.*2. non teneri ex obligatione culpæ ad præcepta communia regulæ, Conſtitutionum, & Superiorum religionis, cùm actu religioſi non ſint, licet ex graui decentia ad prædicta obligentur, cùm aliquo modo ſubditi religioni ſint, & participent de bonis ſpiritualibus ipſius. Inſuper, quod iuxta *ibidem* dicta, quantùm ad ea, quæ ſpectant ad bonum regimen, & finem probationis ipſorum, teneantur in conſcientia obedire ſuis Superioribus. Nunc addendum, non teneri ſimpliciter ad vota eſſentialia religionis, cum illa non vouerint, ſed tantùm ſint in probatione ad experiendum an velint, vel non, illa vouere. Vnde conſequenter proprium aliquod habentes non ſunt dicendi proprietarij, Bordonus *reſolut.* 43. *num.*2.*&* 18. ex Graſſio. Hinc etiamſi nouitius habeat rem cum ſoluta, vel nouitia cum ſoluto; talis circunſtantia nouitiatus non eſt de neceſſitate confitenda, vt mutans ſpeciem, quia reuera illam non mutat. Confitenda tamen eſt iuxta ſententiam illorum, qui dicunt circunſtantias notabiliter aggrauantes confitendas eſſe. Llamas in *Summa, parte* 3. *cap.*8. §.14. Diana *part.*1. *tract.*7. *reſolut.*7. Similiter nec conſtringuntur præceptis, & cenſuris communibus Religionis, propter fundamentum adductum. Naldus *in Summa, verbo Nouitius, num.*7. Probabile etiam eſt, iuxta dicta *eo cap.*24. *num.*7. quod nec comprehendantur caſibus reſeruatis à Superioribus, propter idem quoque fundamentum. Naldus *ibid.* Ioannes de Cruce *de voto obedientia, lib.*1. *cap.*6. *dub.*10 *concluſ.*2. Homobonus *de Caſib. reſeruatis, part.*1. *cap.*32. Diana *dicto tract.*6.*reſolut.*27. Vnde conſequenter caſu quo incidant in caſus reſeruatos, poſſunt iuxta probabilem ſententiam, abſolui à Confeſſario ſeculari. Molfeſius *in Summa, tom.* 1. *tract.* 7. *cap.*14. Miranda *in Manuali tom.*2. *quæſt.* 34. *art.* 16. Diana *part.*3.*tract.*2. *reſolut.*4. *&* *part.*4. *tract.*4.*reſol.*5. poſt alios, quos refert. Caſu autem quo committant aliquod delictum propter quod à iure, vel à Papa impoſita eſt cenſura, vel pœna, poteſt Prælatus declarare illos incurriſſe in talem cenſuram, aut pœnam, quia eſt legitimus Iudex illorum ad puniendum illos pœnis condignis, cum ſint ſub ipſius poteſtate, & non ſub Iudice ſeculari, iuxta dicta eo *cap.*24. *num.* 4. De quo etiam Sanchez *lib.*6.*in Decal.cap.*10.*n.*11.*&* 17. Quamuis oppoſitum colligatur ex Vecchio *ſup. diſp.* 11. & Diana *part.*3.*tract.reſolut.*34. Non obligari ad officium diuinum (intellige, niſi aliàs ſint in Sacris conſtituti) conſtat ex dictis *tom.*1.*part.*1.*cap.*12. *num.*5. Nec etiam comprehendi nouitias ſub lege de non alloquendo Moniales, conſtat ex dictis ſuprà, verbo *Moniales, num.*12. & tenet Naldus *ſuprà.* Quod verò nec ipſæ obligentur ad clauſuram, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*25. *n.*17. Similiter quod nouitij, ſi Bullam Cruciatæ habeant, poſſint iuxta priuilegium ipſius, ouis, & lacticiniis veſci, etiam temporibus prohibitis, dixi *ſuprà* verbo *Bulla Cruciata, num.*16. [Poſſunt etiam nouitij Regulares tranſigere, pacem facere,& accuſare tam in iniuria ſibi, quam ſuis illata, ſtando quidem in iure communi, & niſi obſtent iura particularia Religionum. Quia quoad hæc non ſunt mortui mundo, ſed ſunt ſui iuris. Sanchez *lib.*6.*in Decalog.cap.*12.*n.*34. Vecchius *in prax. Nouitiorum diſp.*13. Tamburinus *de iure Abbat. ſuprà diſp.*6.*quæſt.*27.*num.*34.]

Alia, quæ ad nouitios ſpectant,dabimus infrà verbo *Profeſſio Regularis*, & verbo *Vota Regularia*.

OBEDIENTIA REGVLARIS.

Quia de hac materia non ſolùm latè egi *tom.*1. *p.*1. *cap* 4. quoad obligationem, quam habent religioſi ad obediendum ſuis Superioribus, ſed & *cap.*11. eiuſdem primi tomi, quoad obligationem, qua tenentur obedire Dominis Epiſcopis, & Principibus ſæcularibus, & *cap.*18. eiuſdem primi tomi dum agerem de Prælatis regularium, multa quoque dicta ſunt circa obedientiam illis debitam (de quo etiam infrà verbo *Prælatus Regular.*) item *cap.*25. *&* 26. eiuſdem primi tomi plura quoque dixerim de obligatione, quam habent Moniales ad obediendum ſuis Superioribus, tomo etiam 3. verbo *Epiſcopus quoad regulares*, plura etiam de iis in quibus Regulares tenentur obedire eiſdem Epiſcopis, ſparſim quoque per totum hoc opus plura de hac materia tacta ſint, ideo ad ea loca lector remittendus. 1

OBLATI, SEV COMMISSI.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *Varij, & diuerſi ſunt.*
3 *Tenentur ad aliquod genus obedientiæ.*
4 *Ad quid teneantur, vt fruantur priuilegio fori.*
5 *Priuilegia, & exemptiones ipſorum quomodo limitanda.*
6 *Priuilegia ipſorum quæ ſint.*
7 *An fruantur priuilegio Canonis,*
8 *An, & quomodo priuilegio fori.*
9 *De priuilegiis ipſorum ratione Religionum, quarum ſunt Oblati.*
10 *Quomodo ea accipienda.*
12 *De quibus Oblatis.*

DE iis non pauca *tom.*1.*part.*2.*cap.*8. alia tamen in præſenti addenda,præſertim quod ſpectat ad obligationes, quas habent, & ad priuilegia quibus frui poſſunt. Eſt autem ſermo in præſenti de Oblatis, Donatis, ſeu Commiſſis, qui tria vota Religionis non emittunt. Qui enim illa emittunt, prout contingit in aliquibus Religionibus, verè religioſi ſunt, ac proinde philoſophandum de illis eſt ſicut de Conuerſis, & laicis Religionum, de quibus eodem *cap.*8. etiam dixi. 1

Quoad priores ergo ſpectat, cum illi varij, ſeu diuerſi ſint; non enim illorum vniformis eſt modus, nec certa regula, aliquando enim ſe, & ſua offerunt Religioni; aliquando ſe, & non ſua; aliquando ſua, & non ſe; aliquando bona omnia, aliquando eorum partem, vt colligitur *ex cap. priuilegia, verſ. ſuos, de priuileg.* & benè aduertunt Abb. *conſ.*102. *num.*1. *part.*2. Boër. *deciſ.* 20. *num.* 7. Card. Tuſc. *practicar. concluſ. lit.* O. 2

lit. O, concl. 16. num. 10. & Couarru. *in cap. Alma mater, de ſent. excommun. lib. 6. in 2. part. relectionis.* Ideo ipſorum obligationes penſandæ ſunt ex oblatione quam fecerint, & ex Statutis earum Religionum, quibus eam fecerunt. Certum enim eſt illos non teneri ad obſeruantiam trium votorum eſſentialium Religionis, cum ipſi Religioſi non ſint, nec quoad obſeruantiam Regulæ, & Conſtitutionum Ordinum, niſi quatenus in ipſis aliquid ſpecialiter pro illis præſcribitur. Hinc, iuxta dicta eo *cap. 8. num. 9.* 12. *&* 14. poſſunt habere proprium, & iuxta dicta *ibid. num.* 10. poſſunt vxores habere.

3 Tenentur nihilominus ad aliquod genus obedientiæ, proportionatum videlicet ipſorum ſtatui, & deuotioni, prout colligitur ex Decretis Sacr. Congregationis, & Concilij Tridentini adducendis. Hinc matrimonium contrahere non debent niſi de licentia ſuperiorum, prout colligitur ex declaratione S. Congreg., quam *eo cap. 8. num.* 8. retuli. Similiter nec poſſunt ad Sacros Ordines promoueri, niſi de licentia Superiorum, prout colligitur etiam ex alia declaratione S. Congregationis Regularium, quam refert Peyrinis *in Formulario littera O, cap. 6. num. 5.* vbi etiam refert aliam declarationem, in qua habetur, Superiores de quorum licentia ad Ordines promoueri poſſunt, debere eſſe Generalem Ordinis, vel Prouincialem. An autem prædicti Superiores poſſint tribuere dimiſſorias huiuſmodi Oblatis, dicam infrà verbo *Ordines Sacri.*

4 Specialiter etiam ad hoc quod Oblati priuilegio fori, ac exemptione à vectigalibus gaudeant, obligati ſunt offerre Religioni in forma Iuris valida perpetuò, irreuocabiliter, plenè, & cum effectu ſeipſos, & bona ſua omnia præſentia, & futura, nulla prorſus quamuis minima eorum portione, neque in proprietatem, neque in vſumfructum ſibi reſeruata, & habitum aliqualiter mutaſſe, itavt ſi omnia prædicta ſimul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à ſæcularibus exactionibus frui poſſint. Ita enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas eo *cap. 8. num.* 8. ex Aldana, & Barboſa retuli, & quas etiam referunt idem Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib. 1. cap. 39* §. 2. *num* 44. *&* 45. & Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Oblati.* Quibus ſimilem etiam aliam refert Peyrinis *tom. 3. priuilegiorum Minim. cap. 3. in Additamentis ad Conſtitutiones Iulij II. n.* 34. Has verò conditiones ſic explicat Antonius de Marinis *Reſolutionum quotidianarum, cap.* 114. *num.* 7. & ex eo Diana *part. 4. tract. 1. Reſolut.* 31. Scilicet, quod alicui Religioni probatæ eorum perſonam per legitimam, & expreſſam dedicationem obtulerint, & dicauerint, nulla bonorum reſeruatione, aut eorum vſusfructus facta, itavt in oblationis inſtanti omnia ad Monaſterium transferantur, & quod in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur, ſed perpetuò ſtent, & ſeruiant Religioni, ad quod modo debito Religionis portent habitum à ſæcularibus euidenter diſtinctum.

5 Similiter, quia iuxta dicta eodem *cap. 8. num.* 13. ex Concilio Trident. *ſeſſ. 24. cap.* 11. priuilegia, & exemptiones Oblatis conceſſa, vel concedenda limitantur ſolum ad eos, qui intra ſepta Monaſteriorum, & ſub eorum obedientia viuunt; ideo ad hoc quod prædicti Oblati priuilegiis quibuſcunque fruantur, obligantur ad prædicta. Vnde à Sacra Congregatione declaratum eſt, teſte eodem Barboſa *ſup. num.* 44. dum ageretur de Oblatis Religionis S. Ioannis Hieroſolymitani, quod non inſeruiens actu militiæ, nec inſeruiens in eius domo, nec ſub illius obedientia, non debet eius priuilegio gaudere. Martha *de Iuriſdictione part. 4. caſu* 553. *num.* 17. Barboſa *ſuprà*, & fauet Naldus *in Summa, verbo Oblatis, num.* 6. Quomodo autem id limitandum, inferius dicetur.

Circa ſecundum de priuilegiis horum Oblatorum, diſtinguendum eſt de illis, quæ competunt ipſis quatenus perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt, & de illis, quæ competunt ipſis ratione Religionum quarum ſunt Oblati. 6

Inter priora autem, quod attinet ad priuilegium Canonis iam dixi *eo cap. 8. num. 6.* ipſo potiri Oblatos, qui ſe, & ſua Monaſterio tradiderunt, & in ipſo viuunt, habitu aliqualiter mutato; non tamen illos, qui in domo ſua manent, prout ex Hoſtienſi, & Rodriguez eodem loco dixi, & indicat Eraſmus Cochier *in tract. de iuriſdictione Ordin. in Exemptos, part. 1. quæſt. 19. n. 9.* ex Abbate, & Alberto Trotio. 7

Similiter quoad priuilegium fori, & immunitatis à gabellis, conſtat etiam ex dictis eo *cap. 8. num.* 8. & ex declarationibus Sacræ Congregationis ibi relatis, & ex alia, quam ſuprà retuli, potiri ipſo dictos Oblatos, dum tamen conditiones ibi à Sacr. Congregatione deſignatas obſeruent. Similiter conſtat ex alia declaratione, quam eo *num.* 8. retuli ex Aldana, & Barboſa, quos etiam ſequitur Nouarius *ſuprà*, quod huiuſmodi Oblati etiam quoad delicta ante oblationem commiſſa fori priuilegio gaudent, & à Iuriſdictione Iudicis laici liberati ſunt, punirique debent à Iudice Eccleſiaſtico, ſi modò abſque fraude, ideſt non animo effugiendi ſæcularis Iudicis punitionem, ſe & ſua obtulerint. Quod ſi fraus ſubſit, poſſunt à Iudice laico puniri pœna confiſcationis bonorum, & alia pecuniaria, ſed non corporali, illique remanent ſubiecti quoad cauſam, & bona, ſed non quoad perſonam. Debet tamen Iudex Eccleſiaſticus, ſi delicti qualitas id expoſcat, tradere tales in fraudem oblatos Iudici ſæculari corporaliter puniendos. Pro iis autem vide Tuſcum, & Martham relatos, ac Peregrinum *variar. lib. 6. n.* 71. Requiritur etiam iuxta dicta eo *cap. 8. num.* 13. ex Concilio Trident. ad hoc quod prædicti oblati dictis priuilegiis fruantur, vt actu ſeruiant Monaſteriis, & intra ſepta eorum, & ſub eorum obedientia viuant. Quod etiam ſequitur Naldus *ſuprà*, ex aliis, quos vocat *doctiſſimos.* Referunt etiam Barboſa dicto *num.* 45. & Nouarius *ſuprà*, quod cùm propoſitum eſſet à Sac. Congregatione: Primò, an iuriſdictio, quæ vigore Concilij Tridentini *cap. 11. ſeſſ.* 24. competit ordinario in oblatos carentes qualitatibus expreſſis *ibid.* in verſ. *exceptis*, intelligatur tributa ordinario in oblatos cumulatiuè, vel priuatiuè ad Superiores Regulares? Secundò, an iuriſdictio ex eodem Concilij Decreto tributa fuerit Ordinario in criminalibus tantùm, an verò etiam in ciuilibus? Reſpondit ad primum, in Oblatos carentes qualitatibus expreſſis *in verſ. exceptis*, tributam eſſe Ordinario iuriſdictionem cumulatiuè, non priuatiuè ad Superiores Regulares. Ad ſecundum: Huiuſmodi iuriſdictionem Ordinario tributam eſſe in criminalibus tantùm, non autem in ciuilibus. Ex quo collige, poſſe Prælatos Regulares Oblatos ſuæ Religionis, etiamſi in eorum Monaſteriis, aut ſub eorum obedientia non degant, punire, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus. Ad hoc etiam quod fruantur dictis priuilegiis videtur requiri quod actu tranſtulerint ſe, & omnia ſua in Religionem, quia in ſimili non dicitur quis eſſe de numero militum, aut etiam ſcholarium priuſquam ſit inter eos numeratus, *l. ex eo tempore, ff. de milit. teſtam. l. miles, ff. ex quibus cauſis maiores.* Rebuffus *de priuileg. ſcholar. priuil.* 141. Eraſmus Cochier *ſuprà.* Caſu tamen quo per oblatum non ſteterit quo minus ſe, ſuaque Religioni tradiderit, & proximè id ſic facturus, probabile eſt potiri poſſe dictis priuilegiis. Quia cingendus habetur pro cincto, *l. penult. ff. de teſtament. militar.* & quæ proximè inſtant ineſſe videntur, *l. lecta, verſ. dicebam, ff. ſi certum petat.* pariaque ſunt aliquid factum, vel proximè fieri deſtinatum, *l. veſtimentum, ff. de auro, & argento.* Hinc pro liberto, abſoluto, cancellato, bannito, condemnato facto, perdito,

dito completo habetur, quod tale decernendum eſt. Tiraquell. *de legib. connub. l.16. gloſſ.2.* Cochier *ſuprà num. 4. & 5.* Peyrinis loco relato ex 3. *tom. priuileg. Minim.*

9 De priuilegiis autem, quæ competunt huiuſmodi oblatis ratione Religionum, quibus addicti ſunt, ſufficienter dixi eo *cap.8. à num.*30. Quibus adde priuilegium Eugenij IV. pro Benedictinis, quod habetur in Bulla ipſius Eugenij apud Rodriguez *in Bullario, in eodem Eugenio num.*11. vbi concedit Præſidentibus, Viſitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus eiuſdem Religionis, vt cum commiſſis ſuis, quandiu in Monaſteriis, aut ſub obedientia eorum vixerint, ſuper omnibus votis, excepto duntaxat voto Religionis, diſpenſare valerent. Quo priuilegio tam prædicti Benedictini, quam alij, qui cum ipſis communicationem priuilegiorum habent, vti poſſunt. Vide etiam priuilegium Innoc. VIII. pro Seruitis, quod extat in Mari magno ipſorum *Centur.*3. *Annal. lib.*4. *cap.*6.

20 Circa quæ, & ſimilia priuilegia, præter dicta eo *cap.*8. *num.*32. vlterius animaduertendum id, quod in ſimili de priuilegiis familiarium Religioſorum dixi eo *tom.* 1. *p.*2. *cap.*16. *num.*14. quod ſcilicet licet Concilium *cap.*11. *ſeſſ.*24. relato decreuerit priuilegia oblatorum ſolùm ſuffragari illis oblatis, qui actu ſeruiunt Monaſteriis, & intra eorum ſepta ac domos reſident, ſubque eorum obedientia viuunt, ita vt alij quicunque oblati Ordinariis ſubditi exiſtant; nihilominus, prout eo loco ex Rodriguez dixi, probabile eſt Concilium non loqui de quibuſcunque priuilegiis, ſed de illis tantum, quæ perturbationem in Epiſcoporum iuriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere cognoſcuntur, vt idem Concilium in principio illius capitis dicit. Quare illa priuilegia oblatorum Regularium, quæ nihil horum parturire poſſunt, qualia erunt Indulgentiæ, diſpenſationes, & ſimiles remiſſiones peccatorum, non videntur modificata à Concilio, ſed relicta in ſua vi, iuxta tenorem ipſorum. Imò etiam ad hoc quòd oblati gaudeant priuilegio Eccleſiaſticæ ſepulturæ tempore Interdicti, non videntur requiri omnes illæ conditiones à Concilio requiſitæ. Etenim iure communi *in cap. vt priuilegia, de priuilegiis*, expreſsè habetur, eos oblatos, qui vel adhuc manentes in ſæculo ordini ſunt oblati, mutato habitu ſæculari, vel eos, qui bona ſua dederunt inter viuos, retento ſibi quandiu in hoc ſæculo vixerint vſufructu, ſepeliri poſſe apud ipſorum Regularium, vel aliorum non interdictas Eccleſias, in quibus elegerint ſepulturam. Barboſa *ſuprà num.* 44. ex aliis. Hoc enim priuilegium iuris communis non videtur derogatum à Concilio loco relato, licet deroget alia priuilegia particularia.

21 Hæc porrò, quæ de Oblatis dicta ſunt, intelligenda veniunt reſpectu illorum, qui in ætate adulta ſe, ſuaque religioni obtulerunt, non de pueris, aut puellis impuberibus à parentibus Religionibus oblatis, de quibus dixi ſuprà verbo *Moniales, num.*10. Pro quibus video Concilij Aquiſgranenſis Conſtitutionem circa modum quo offerendi ſunt apud Tamburinum *de Iure Abbat. tom.*1. *diſputat.*2. *quæſit.* 13. *num.* 36. videlicet: *Puerum pater, aut mater tempore oblationis offerant Altari, & petitionem pro eo coram laicis teſtibus faciant, quam tempore intelligibili ipſe puer confirmet.*

OBLATIO FACTA Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Oblationum nomine quæ veniant.*
2 *Regulares poſſunt recipere oblationes ſibi factas.*
3 *Oblationes factæ Imaginibus ad quos ſpectent.*
4 *Oblationes factæ Capellis ad quos.*
5 *Quid ſi factæ ſint ad certum finem.*
6 *An alienari poſſint.*
7 *De oblationibus ratione miniſterij Altaris.*
8 *De oblationibus ratione Parochiæ.*
9 *Laici illas detinentes quas pœnas incurrant.*
10 *Plures perſonæ prohibitæ ſunt oblationes facere ad Altare.*
11 *Quid de admittentibus excommunicatos ad illas.*
12 *Quomodo facienda ad Altare.*

QVamuis ex vſu, & conſuetudine plurium, oblationis nomine ſolùm veniant illæ, quæ inter Miſſarum ſolemnia Altari offeruntur, quia tamen in iure nomine oblationum veniunt etiam omnia, quæ Deo, & Eccleſiæ à piis, ac fidelibus Chriſtianis offeruntur, ſiue res ſint immobiles, vt prædia, domus, vineæ, oppida; ſiue mobiles, vt animalia, fructus, pecunia, ornamenta, & ſimilia; ſiue teſtamento legentur, aut alio modo donentur, *cap. qui oblationes, c. Clerici*, 13. *quæſt.*2. nam cum aliquid homini donatur, dicitur donatio, cum verò Deo, & Eccleſiæ donatur, dicitur oblatio in Iure (Sotus *de Iuſt. lib.* 9. *quæſt.* 3. *art.* 1. Azor *tom.*1. *Inſtit. moral. lib.*7. *cap.*38. *quæſt.*9. Fagundez *in* 5. *Eccleſiæ præcepta, lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 5.) ideo in præſenti nomine oblationum intelligo (quoad Regulares ſpectat) quidquid ipſis à fidelibus offertur, vel donatur, ſiue ad cultum Dei, ſiue pro ipſorum ſuſtentatione. Poſſunt autem huiuſmodi oblationes dari Religioſis triplíciter, primò omnino ſpontaneè, vel liberaliter ad ipſorum neceſſitates ſubleuandas, ſecundò ratione miniſterij Altaris, tertiò ratione Parochiæ, ſi ipſi illam habeant. De quibus omnibus ſigillatim dicendum. 1

Et quoad primum certa res eſt, Regulares omnes recipere poſſe oblationes ſibi à piis fidelibus factas. Et quidem quoad Mendicantes id conſtat ex dictis *tomo* 1 *p.*1. *cap.*6. *num.*43. & 44. & *part.*2. *cap.*1. *num.*4.5.35. & 48. Generaliter etiam de omnibus Religioſis id conſtat claré *ex cap.* 1. *de ſtatu Monachor.* vbi expreſsè dicitur, quod Monachis ſeruientibus Monaſterio debeat proficere quidquid à fidelibus offerri contigerit. Vnde Epiſcopos, aut alios Ordinarios non poſſe ſe intromittere in prædictis oblationibus Regularibus factis, habetur etiam expreſsè ex dicto *cap.*1. & ex *cap. nimis iniqua, de exceſſib. Prælat.* vbi Gloſſa, & DD. communiter. Riccius *in deciſ. Curiæ Neapolit. part.*4. *deciſ.*170. Ioannes de Cruce *de Statu Religionis lib.*2. *cap.*9. *concluſ.*4. Nouarius *in Lucerna Regularium verb. Oblationes, num.*2. Imò etiam ex priuilegio Bonifacij VIII. pro Ciſtercienſibus, quod extat apud Rodriquez *in Bullario, in eodem Bonifacio VIII. Bulla* 9. (quo tam ipſi quàm alij Regulares cum ipſis communicationem priuilegiorum habentes vti poſſunt) habetur, quod neque in caſu, quo Prælati Eccleſiarum in Eccleſiis Monaſteriorum Miſſarum ſolemnia celebrent, poſſunt dictas oblationes ſibi vindicare, ſed eas debere relinquere pro Fratrum vſibus. Rodriguez *tom.*3. *qq. Regular. quæſt.*20. *art.* 1. Ioannes de Cruce *ſuprà*. Vnde licet in illa quæſtione, qua quæritur cuius ſint oblationes in Miſſa factæ Epiſcopo celebranti in loco exempto, aliqui generaliter teneant eſſe Rectoris Eccleſiæ, alij eſſe Epiſcopi, & alij dicant eſſe attendendum quoad conſuetudinem (de quo inter alios Eraſmus Cochiet *de Iuriſdictione Ordinarij in exemptos, part.*4. *quæſt.*18. & Barboſa *de offic. & poteſtate Epiſcopi Allegat.*80. *num.*11.12. & 13.) quoad Regulares tamen attendendum eſt ad prædictum priuilegium, prout iidem Auctores ſupponunt ex Mariana Socino *tract. de Oblationibus lib* 18. *num.*60. per caput *porro de priuileg.* Idque ſatis conforme eſt iuri communi, quia etſi Diœceſano permiſſum ſit, vt celebret in loco exempto, iuxta Clement. *Archiepiſcopo,* 2

de

de priuileg. at verò de obligationibus nihil diſpoſitum reperitur. Vnde ſit locus axiomati, quod *omiſſum remaneat in diſpoſitione iuris communis, l.commodiſſimè, ff.de liber. & poſt.* Poſſunt etiam iidem Regulares prædictas oblationes etiam tempore celebrationis Miſſæ recipere, dummodo à perambulationibus per Eccleſiam, ac ſimilibus extorſionibus abſtineant, provt declaratum dixi à Sac. Congregatione *tom.1.part.1.c.12. num.* 41. Imò etiam poſſe inter Miſſarum Solemnia prædictas oblationes recipere vertendo ſe ad populum in medio Altaris; & generalem confeſſionem faciendo, non autem Eccleſiam circumeundo, deciſum refertur ab Aldana *in Compend. Reſolutionum Canonicarum, lib.1.cap.13. num.3.* & Nouario *ſuprà.* Qualiter etiam poſſint recipere triticum, vuas, ligna, & ſimilia antequam Parochus recipiat ſuas primitias, conſtat etiam ex declaratione S.Congregationis eo *cap.* 12. *num.* 41. relata. Similiter quod in eorum Eccleſiis poſſint recipere mulieres ad purificationem poſt partum, ac per conſequens oblationes, quas ipſæ deferre ſolent, conſtat etiam ex declaratione eo loco relata. De quo etiam *ſuprà verbo Benedictio, & Benedicere, num.*17. Vnde infert Ioannes de Cruce *ſuprà*, non poſſe Parochos ſibi poſtulare candelas, aut alia oblata in Eccleſiis Religioſorum à mulieribus puerperis ſuos filios Domino præſentantibus. Caſu etiam quo aliquæ domus Religioſorum in commendam, ſeu præceptoriam alicui datæ ſint, oblationes factæ dictis domibus ſeu Eccleſiis ipſarum, pertinent ad Regulares ipſos, provt colligo ex Rodriguez *in Compend. quæſt. Regular. reſolut.* 15. *num.*58.

3 Ex quo collige, oblationes factas Imaginibus exiſtentibus intra Eccleſias Regulares, pertinere ad ipſos, & nullo modo ad Ordinarios. Ratio eſt, quia communis ſententia tenet oblationes factas Imaginibus, quæ ſunt in Parochia, pertinere ad Parochum, provt ex Rotæ deciſionibus, & declaratione Sacræ Congregationis refert Barboſa *ſuprà num.*14. *& de iure Eccleſiaſtico lib.3.cap.23. num.*29. Eſtque iuri communi conforme, *cap.Paſtoralis, de his quæ fiunt, & cap. Dilectus, de offic. Ordinarij, & cap. hanc* 10. *quæſt.* 1. De quo etiam Azor. *tom.1. inſtitutionum moralium, lib.7.cap.*38. *quæſt.*13. Riccius *ſuprà*. Naldus *in ſumma, verbo Oblatio, num.*2. Cum autem Regulares ſint quaſi Parochi, & Rectores ſuarum Eccleſiarum, ideo ad illos, & non ad Ordinarios ſpectare debent oblationes factæ Imaginibus ibi exiſtentibus, Bordonus *Reſolut.7.n.*106. Idem dico de oblationibus factis Imaginibus poſitis extra Eccleſias regularium in parietibus Monaſterij, vel horti. Bordonus *ſuprà* ex Naldo.

4 Collige ſecundò, oblationes factas Capellæ ſitæ in Eccleſia Regularium, in qua capella eſt aliqua confraternitas, pertinere ad ipſos Regulares, non autem ad Confratres, quia tales oblationes pertinent ad rectorem Eccleſiæ, & non ad Confraternitatem, provt deciſum refert Riccius *collect.part.4. collect.* 99. *&* 1113. Naldus *ſuprà num.*3. Bordonus *ſuprà*. Addens tamen Mediolani ſeruari oppoſitum, ea tamen conditione, vt dictæ oblationes cedant in vtilitatem Altaris dictæ Capellæ. Ab aliis verò audio oppoſitum. Sed quidquid de hoc ſit, id quod dixi eſt conformius iuri.

5 Notandum, quod ſi dictæ oblationes factæ ſint à fidelibus ad certum finem, pro Miſſis ſcilicet, fabrica, ornatu Altaria, vel Capellæ, &c. tunc voluntas offerentium adimpleri debet, provt ex deciſione Rotæ affert idem Barboſa *dicta allegat.* 80. *num.* 15. *& dicto cap.*23.*num.*30. De quo etiam Riccius ſuprà *dicta deciſione* 170. & Bonacina *in tract. de legib. diſp. vlt, quæſt.5.punct.vlt.* In dubio tamen, & quando non conſtat quod eæ factæ ſint ad aliquem certum, & determinatum finem, cedere poſſunt in vtilitatem ipſorum Religioſorum. Barboſa *ſuprà*.

Qualiter huiuſmodi oblationes ſacræ factæ Imaginibus, alienari poſſint, ſi non ſint pretioſæ, aureæ ſcilicet, vel argenteæ magni valoris, dixi *tom.1. part.2. cap.19.num.*57. ex Riccio, & Bonacina, & tenet Diana *part.4. tract.4. reſolut.* 223. §. *nota quartò*. Qualiter etiam oblationes factæ Sanctis ab Eccleſia non Canonizatis, aut Beatificatis, recipi, collocari, aut aſſeruati poſſint à Regularibus, habes ex dictis *tom.1.p.1. cap.*12. *num.*39. Vide & dicenda infrà verbo *Sanctorum cultus*. 6

Circa ſecundum de oblationibus ratione miniſterij Altaris, quod ſcilicet recipi poſſint à Regularibus, conſtat ex dictis non ſolùm ſuprà verbo *Miſſa*, *n.* 10. ſed etiam *tom.1.part.1.cap.*21.*num.*4. vbi dixi poſſe Sacerdotes Regulares ſtipendia pro Miſſis recipere, Patribus Ieſuitis, & quibuſdam aliis Religioſis exceptis. Similiter poſſe Confeſſarios Regulares à pœnitentibus eleemoſynas ſpontaneè oblatas recipere, conſtat etiam ex dictis *eo tom.1. part.1. cap.*19. *num.* 39. vbi etiam an liceat illis iniungere pœnitentibus Miſſas à ſe dicendas. De quo præter Authores ibi relatos Syluester *in Summa, verbo Decima, quæſt.2. dicto* 4. poſt Angelum, & alios. Quod autem etiam poſſint recipere mercedem pro Concionibus, & à quo ea danda, conſtat ex dictis *ſuprà verbo Concionari, & Concionator Regularis, num.*12. 7

Circa tertium de oblationibus ſactis factis Eccleſiis Regularium ratione Parochiæ, ex dictis *ſupra tomo 2. cap.*18. *& tom.3. verbo Beneficium, & Beneficiati*, conſtat eas pertinere ad Regulares eodem modò, quo ſi fierent Eccleſiæ ſæculari, pertinerent ad Parochum, ſeu Rectorem illius. Subeunt enim Religioſi vicem Parochorum. Suarez *de Relig. tom.1.lib.1.cap.7. num.*4. 8

Aliqua tamen animaduertenda circa huiuſmodi oblationes. Primò quidem, quod laici illas detinentes, ſeu vſurpantes in excommunicationem latæ ſententiæ incidunt, *ex cap. Hanc* 10. *quæſt.* 1. De quo Graffius *lib.4.cap.24. num.*10. Suarez *ſuprà lib.1. cap.5.* Theſaurus *in Praxi, part.2. verbo Oblatio, cap.*1. Similiter ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 11. quicunque illas vſurpant, ſeu impediunt ne ab iis, ad quos pertinent, recipiantur, etiam excommunicantur. De quo Azor. *tomo 1.lib.7.cap.38.quæſt.*16. & Theſaur. *ſuprà*. Videntur etiam excommunicari in Bulla Cœnæ caſu 17. De quo Filliucius *tract.*16. *num.*220. & Theſaur. *ſuprà*. ex aliis. Hinc laici nullo modo recipere debent à Clericis oblationes, quia ſolùm Eccleſiaſticis ſunt debitæ. Riccius *ſuprà Reſolut.*265. Quod limitat niſi fuerit conſuetudo in contrarium, provt eſt in tota Italia, per quam in feſto Purificationis B.Virg. laici recipiunt oblationes candelarum benedictarum à Sacerdotibus. Non tamen debent Eccleſiaſtici huiuſmodi candelas benedictas tranſmittere ad ædes ſæcularium, ſed iuxta laudabilem, & obſeruatam ab Eccleſia vniuerſali conſuetudinem in Eccleſia populus eas recipere tenetur, vt cenſuit Sacra Congregatio negotiis Epiſcop. & Regul. præpoſita in vna Foglinen. de anno 1581. apud Barboſam *ſuprà d.cap.*23. *num.*7. Licet oppoſitum videam hic Romæ eſſe in vſu, vt dixi *ſuprà verbo Benedictio, & Benedicere, num.*15. 9

Nota ſecundò, plura genera hominum peccatorum eſſe, quibus iure prohibitum eſt oblationes facere ad Altare ad Offertorium Miſſæ. Hi ſunt primò diſſidentes fratres, *cap.oblationes, diſt.*90. Secundò, pauperes opprimentes, *eod.cap. oblationes*. Tertiò, Sacrilegi, *cap.de viro* 12. *quæſt.* 2. Quartò, extrahentes ſeruos ab Eccleſia, ad quam confugerant, *cap. miror, 17.quæſt.*4. Quintò, raptores, *cap. ſuper, de raptoribus*. Sextò, vſurarij, *cap.quia in omnibus, de vſur.* Septimò, pœnitentes, *cap. eos quos, de conſecrat.diſt.*4. De his omnibus Gloſſa *in cap.oblationes, diſt.*90. Angelus *in Summa, verb.oblatio, num.*3. 10

Digitized by Google

*num.*4. Sylueſter *verbo decima, quæſt.*2. *dicto* 6. Azot. dicto *cap.*38. Suarez *ſuprà cap.*6. *num.*9. Idem dic de matricida, *ex cap. latronem* 3. *quæſt.*2. & de his, qui rebaptizantur, *ex cap. eos quos, de conſecrat. diſt.*4. Suarez *ſuprà.* Idem ſimiliter de publica meretrice tenent Sanctus Thomas 2.2. *quæſt.*86. *art.*3. Gloſſa *ſuprà num.*8. Naldus *in Summa, verbo oblatio, num.*5. & alij, propter ſcandalum, & ne videantur Eccleſiaſtici tali turpitudini conniuere. Licet, ceſſante dicto ſcandalo, aliter fieri poſſet. Suarez *ibid.* Barboſa *d. cap.* 13. *num.*20. Nota tamen prædictos peccatores non prohiberi facere dictas obl. tiones ad Offertorium Miſſæ, niſi ſint publicè tales, & nolint emendari. Sylueſter *ſuprà*, ex Raymundo. Imò nec quando ſunt tales publicè, aut manifeſtè, prohibentur facere eleemoſynas Eccleſiis, aut Religioſis. Naldus *ſuprà.* Niſi eas faciant ex rebus contra iuſtitiam adquiſitis, *cap. ſuper, de raptoribus.* Pro quo etiam notandum, quod licet alij peccatores publici, præter aſſignatos, non prohibeantur in iure facere dictas oblationes ad Altare, nec prohibitio illa, cùm ſit pœnalis, ad alios extendi debeat (Gloſſa, Angelus, & Sylueſter *ſuprà*,) ſi tamen fuerit ſcandalum, ſicut dixi eſſe in caſu meretricis, aut oblationes facere voluerint de rebus contra iuſtitiam adquiſitis, admitti non debent. Suarez *ſupra num.* 6. & 8. Norent præterea Regulares, quod tam ipſi, quàm alij Preſbyteri Eccleſiaſtici accipientes oblationes à manifeſtis raptoribus, priuantur Eccleſiaſtico beneficio, *cap. ſuper, de raptoribus*, relato. Theſaur. *in Praxi, part.*2. *verbo Incendiarij, cap.*2. Similiter accipientes oblationes ab vſurariis manifeſtis, manent ſuſpenſi ab executione ſui officij, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciant, *c. quia in omnib. de vſur.* Suar. *de cenſ. diſp.*31. *ſect.*2. Bonacina *de cenſur. diſp.*3. *punct.*5. §. 2. *num.*19. ex Henriq. Filliucio, & aliis.

11 Maximè tamen notandum Religioſis, quod ſcienter admittentes excommunicatos à Papa, vt ab homine, ad oblationes prædictas in Altari faciendas, incurrunt eandem maiorem excommunicationem, ſi tales erant à Papa denunciati nominatim, *cap. ſignificauit* 18. *de ſent. excomm.* Theſaurus *in praxi, part.*2. *verb. Oblatio, cap.*4. ex aliis. Similiter recipientes oblationes prædictas ad Altare inter Miſſarum Solemnia à quibuſlibet excommunicatis maiori excommunicatione, vel interdictis non toleratis incurrunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, donec de tranſgreſſione huiuſmodi ad arbitrium eius cuius ſententiam contempſerit, ſatisfecerit competenter, *ex cap. Epiſcoporum, de priuileg. in* 6. Theſaurus *ſuprà.* Quomodo autem, ſecundum plures, liceat Religioſis poſtulare eleemoſynas ab excommunicatis etiam vitandis, dixi *ſuprà verbo Excommunicatio quoad regulares*, *num.*49. Quod intellige, etiamſi illas dent, vt oretur pro ipſis, oratione ſcilicet priuata tantum, cuius ſunt capaces. Theſaur. *ſuprà*, ex aliis. An verò liceat recipere eleemoſynam ab ipſis excommunicatis vitandis pro Miſſis dicendis pro illis, reſpondendum eſt negatiuè cum eodem Theſauro, & DD. communiter, *in cap. cum voluntate, de ſent. excomm.* conformiter etiam ad *dicta ſupra verbo Excommunicatio quoad Regulares*, *num.*11.

12 Cum oblationes fiunt ad Altare, non Patena, ſed Crux, aut Sacra Imago offerentibus fidelibus ad oſculum præberi debet. Naldus *ſuprà num.* 5. Pro quo, & aliis concernentibus modum faciendi iſtas oblationes, conſule Gauantum *in Man. Epiſcop. verb. Oblationes*, vbi nonnulla ex Conciliis Mediolanenſibus.

OCCVLTVM.

SVMMARIVM.

1 *Vtilis hæc materia pro Regularibus.*
2 *Occultum quotuplex ſit.*
3 *De occulto, quod opponitur contra probabile.*
4 *De occulto, quod diſtinguitur à notorio.*
5 *De occulto, quod opponitur publico, ſeu famoſo.*
6 *Facultates conceſſæ Regularibus ad abſoluendum, ſeu diſpenſandum in caſibus occultis, ad quos caſus extendantur.*
7 *De facultatibus conceſſis à Sacra Pœnitentiaria pro caſibus occultis.*
8 *Quando Regulares vti poſſunt dictis facultatibus.*
9 *Quid ſi caſus ſunt materialiter publici, licet in ratione delicti occulti.*
10 *Quid de caſibus alicubi publicis, in loco tamen vbi abſolutio, vel diſpenſatio conceditur, occultis.*
11 *Quid de caſibus ad forum contentioſum deductis.*
12 *Quid quando delictum ſocij reductum eſt ad forum contentioſum.*
13 *Quid quando reus non eſt abſolutus.*
14 *Quid quando caſus, qui erant occulti, fiunt publici.*

COntingit ſæpiùs, vt in priuilegiis ab Eccleſia Regularibus conceſſis, ipſis tribuatur facultas abſoluendi, diſpenſandi, &c. in caſibus ſolum occultis, prout contingit in priuilegio conceſſo Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *cap* 6. quod etiam conceſſum eſſe Prælatis Ordinis Prædicatorum, ac per conſequens aliis communicationem priuilegiorum cum ipſis habentibus, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*18. *num.*51. Idem dico de aliis ſimilibus priuilegiis, & literis S. Pœnitentiariæ, quæ committi ſolent Religioſis pro caſibus occultis. Idcirco vtile valde illis erit ſcire quando caſus aliquis ſit, vel dicatur occultus, vt poſſint dicta facultate vti. 1

Pro quo primò notandum, quod occultum dicitur duplicitet, primò per ſe, & eſt illud, quod nihil habet ex natura ſua vnde poſſit cognoſci ab hominibus, vt eſt actus interior nullo ſigno externo manifeſtatus. Secundò, per accidens, & eſt illud, quod ex natura ſua poteſt cognoſci ab hominibus, ſed de facto non cognoſcitur, quia defuit, qui illud cognoſceret, vt eſt actus externè factus, quem tamen nullus vidit, nec audiuit, quia nullus erat in loco, quo factus eſt. Caietanus, & Aragon 2.2. *quæſt.*11. *art.*3. Rurſus hoc occultum per accidens ſumitur tripliciter. Primò, vt diſtinguitur contra probabile, & eſt illud, quod etſi externè factum fuerit, nihilominus idoneis teſtibus probari nequit. Secundo modo, vt diſtinguitur contra publicum famoſum, & eſt illud, quod licet probari poſſit, non tamen laborat infamiâ. Tertio modo largius, vt diſtinguitur contra notorium, & eſt illud, quod etſi probari poſſit, & famâ publica proclamatum ſit, nihilominus non eſt tam clarum, & manifeſtum, quod tergiuerſatione celari non poſſit, quod eſt non eſſe notorium facti, vel iuris. Pro quo vide dicta ſuprà verbo *Notorium*, *num.*3. vbi habes quid ſit publicum, famoſum, & notorium. Vide & Sanchez *tom.*3. *conſil. Moral. lib.*6. *cap.*3. *dub.*3. *num.*15. ex Soto, Caſtro, Corduba, & aliis. Eſt autem in præſenti ſermo ſolùm de occulto per accidens, nam quod eſt per ſe occultum, cum ſit actus merè internus, ac per conſequens nec directè cadat ſub iuriſdictione Eccleſiæ, non eſt de facto reſeruabile ab ipſa, nec pœna aliqua Eccleſiaſtica mulctatur, ac proinde non cadit ſub facultate abſoluendi, & diſpenſandi in caſibus occultis. 2

Et quidem de occulto primo modo, eo ſcilicet, quod diſtinguitur contra probabile, ſeu quod non eſt probabile, quia ſcilicet etſi externè factum fuerit, nihilominus idoneis teſtibus probari nequit, certum eſt illud cadere ſub prædicta facultate abſoluendi, vel diſpenſandi in caſibus occultis. Tale enim eſt verè, & ſimpliciter occultum, cum reuera manifeſtatum, publicatum, aut notorium non ſit, *cap. veſtra, de cohabitatione Cleric*, 3

Cleric. Ita etiam ſupponunt communiter Auctores referendi inferiùs, præſertim Garcia *de Beneficiis part.7. cap.11.num.46.* Ex quo colligo, poſſe Prælatos Regulares ex vi dictæ facultatis conceſſæ Epiſcopis, & ſibi communicatæ (ſi communicationem habeant in priuilegiis cum Dominicanis) & ex vi quorumcumque priuilegiorum, quæ habuerint ad abſoluendum, ſeu diſpenſandum in caſibus occultis, vti illis cum ſuis ſubditis, etiamſi caſus illi ſint externi, & ab vno vel duobus ſciantur. Tales enim caſus dicuntur improbabiles.

4 Cæterum, loquendo de occulto tertio modo, ſcilicet prout diſtinguitur à notorio, certum etiam videtur non cadere ſub prædicta facultate. Ratio eſt, quia tale occultum cum aliàs non ſolùm ſit probabile, ſed etiam publicum, & famoſum, non poteſt dici ſimpliciter occultum, ſed ſolùm largo modo, & ſecundum quid, quatenus opponitur notorio, ſeu quatenus non eſt notorium. Ac per conſequens nomine occulti non veniet in prædictis priuilegiis. Et ita ſupponere videntur Authores referendi.

5 Loquendo autem de occulto ſecundo modo, quod ſcilicet non eſt publicum, aut famoſum, licet probari poſſit, quamuis Garzia *ſupra*, referens Graſſium dicat illud non appellari occultum in præſenti in ordine ad facultatem abſoluendi, & diſpenſandi conceſſam Epiſcopis pro caſibus occultis à Concilio, & ad id afferat quaſdam declarationes Sacræ Congregationis, nihilominus dum de talibus declarationibus authenticè non conſtat, probabilius cenſeo oppoſitum. Ita vt credam, quod in prædicta facultate, caſus occulti nomine intelligatur id, quod etſi probari poſſit per teſtes idoneos, de facto tamen non eſt probatum, publicatum, aut diffamatum. Ratio eſt, quia ipſum Concilium ſatis clarè id denotare videtur. Cum enim dixiſſet, *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus diſpenſare*, id limitat dicens, *exceptis deductis ad forum contentioſum.* Ex hoc enim manifeſtè ſequitur, ea quæ non ſunt deducta ad forum contentioſum, etiamſi deduci poſſint, quia ſunt probabilia, cadere ſub prædicta facultate. Et ita tenent communiter DD. ſpecialiter Nauarrus *in Manual.cap.27.n.255.* Suarez *tom.5.de Cenſur. diſp.41. ſect.2. num.6.* Saytus *de Cenſur. lib.4. cap.17.num 21.* & *lib.7. cap.13. num.12.* Bonacina *de Cenſur.diſp.1.quaſt.3.punct.2.num.1. §.quartò delicta*, & plurimi alij, quos refert, & ſequitur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop.alleg.39.num.24.*

6 Idem etiam dicendum de quibuſcunque aliis facultatibus conceſſis Regularibus ad abſoluendum, & diſpenſandum in caſibus occultis, extendi ſcilicet illas ad caſus occultos, qui quamvis probati poſſint, de facto tamen probati, aut publicati, aut famoſi non ſunt. Tum à ſimili de prædicta facultate Epiſcopis conceſſa: tum quia tales caſus, etiamſi probari poſſint, interim tamen dum non probantur, neque ad iudicium deferuntur, occulti cenſentur. Sanctarellus *var. reſolut. quaſt.27. num.13.* Theſaur. *in praxi, parte 1. cap. 21.* poſt Nauarrum, Suarez, Sà, Sayr. Molinam, Viualdum, & Sanchez.

7 Idem quoque dicendum de facultatibus conceſſis à Sacra Pœnitentiaria, conformiter ad dicta *ſuprà Verbo Littera Apoſtolica, num.28.* ita ſcilicet, vt cùm ab illa conceditur facultas abſoluendi, ſeu diſpenſandi in caſibus occultis, ea extendatur ad caſus illos, qui etſi probari poſſint per teſtes idoneos, de facto tamen, vt dixi, probati, publicati, aut diffamati non ſunt. Sanchez *lib.8.de matrimonio, diſp.34.num.55.* Garcia *ſuprà.* Licet Theſaurus ſupra videatur dicere non ſic practicari in Sacra Pœnitentiaria.

8 Vnde colligo, poſſe Regulares vti prædictis facultatibus in caſibus notis aliquibus perſonis, tribus ſcilicet, vel quatuor, aut etiam pluribus, reſpectiuè ad loca, in quibus nota ſunt, dummodo tamen talium notitia non faciat caſus illos publicos, ſeu famoſos. Ratio eſt, quia poſſunt illis vti in caſibus, qui publici, famoſi, aut notorij non fuerint: quamuis ergo plures perſonæ illos nouerint, ſi tamen eorum notitia non faciat caſus publicos, famoſos, aut notorios, dicentur occulti ſecundo modo, ac per conſequens comprehendentur dictis facultatibus. Auila *de Cenſuris part.7.diſp.10. dub.6. concl.2.* Sanctarellus *ſup.* Fagundez *in 2. Eccleſiæ præcept.lib. 8. cap. 8. num.24.* Theſaurus *ſuprà.*

Imò etiam poterunt vti prædictis facultatibus in caſibus, in quibus actus externus eſt materialiter publicus, ſed non in ratione delicti, ſeu quod idem eſt, malitia ipſius publica non eſt, iuxta dicta ſuprà verbo *Littera Apoſtolica, eo num.* 28. ex Nauarro, Sanchez, & Bonacina. Vnde ad praxim Regularium, ſi ipſi habeant facultatem diſpenſandi in irregularitate occulta contracta à celebrante excommunicato, poterunt illa vti etiam in caſu quo celebratio ſit publica, non verò excommunicatio. Viualdus *in Candelabro aureo de excommunicatione, num.41.* Fagundez *ſuprà num.25.* Bonacina *ſuprà.* Vide dicta ſuprà verbo *Notarium,num.7.* 9

Probabiliter etiam idem dici poteſt in caſu quo delictum ſit alicubi publicum, aut in iudicio probatum; in loco tamen vbi abſolutio, vel diſpenſatio conceditur, eſt occultum, nec eſt ſpes quod ibi publicetur, eo quod patratum ſit in loco remotiſſimo. Quia reſpectu illius loci vbi abſolutio, ſeu diſpenſatio conceditur, talis caſus cenſetur occultus de præſenti, & de futuro. Sanchez *tom.1. in Decalogum,lib.2. cap.11.n.20.* Auila *de Cenſuris part.2. cap.7.diſp.1.dub.11.concl.3.* Fagundez *ſuprà num.28.* Barboſa *ſuprà num.* 26. Licet oppoſitum teneat Suarez 4. *tom. de pœnit. diſput.30. ſect. 2. num.2.* Theſaurus *ſuprà,§.aduertendum tertiò*, dicens ita obſeruare Sacram Pœnitentiariam. Quod proinde eſt tenendum pro caſu, in quo timor probabilis ſit quod publicari poſſit in loco vbi conceditur abſolutio, aut diſpenſatio. 10

Idem quoque affirmandum conſequenter ad dicta ſuprà dicto verbo *Littera Apoſtolica, eo num.* 28. etiam quando tale delictum deductum fuit ad forum externum, & reus ab eo abſolutus, quantumvis falſis teſtibus ſe defenderit, cum adhuc crimen maneat occultum. Vide alia eo loco, & præter Auctores ibi relatos Viualdum *in Candelabro aureo, de excommunicatione num.* 42. Garziam *ſuprà num.* 48. Barboſam *ſupra à num.32.* & Fagundez *ſuprà num.26.* 11

Similiter idem dicendum, quando delictum ſocij delatum eſt ad forum contentioſum; nam etiam in hoc caſu delictum alterius poteſt eſſe occultum. Bonacina *ſuprà num.8.* ex Nauarro, & Sanchez. 12

Quando tamen delictum eſt deductum ad forum externum, & reus non eſt abſolutus, ſiue fuerit punitus, ſiue non punitus, non poſſunt Regulares vti prædictis facultatibus, non ſolùm quia Concilium expreſsè excludit hunc caſum, ſed etiam quia illa iam non eſt occultus, ſed publicus: nam quæ in iudicium adducuntur, non ſunt occulta, ſed publica. Suarez loco relato *ex 5.tomo de cenſur. dict.ſect.2. num.5.* Garcia *ſup. num.30.* Bonacina *de cenſur.diſp.7.quaſt.5.punct.1.num.6.* poſt Gutierez, Rodriguez, & alios, contra Sanchez, Auilam, Henriquez & Reginaldum. 13

Si autem caſus ſit, quod poſtquam Regulares conceſſerint dictam abſolutionem, ſeu diſpenſationem in caſibus occultis, fiant publici, vel deducti ad forum externum, tunc abſolutio, ſeu diſpenſatio data proderit ſolum in foro interiori. Niſi forſan Iudex, prout poteſt, abſolutionem ſeu diſpenſationem pro foro etiam externo acceptare velit, iuxta dicta *ſup.* verbo *Abſolutio, num.7.* ex Laymano ibi relato. 14

OFFICIA RELIGIONVM.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *Munia, ſeu Officia Religionum triplicis generis ſunt.*
3 *Nomine Officiorum quæ intelligantur in Bullis, & Conſtitutionibus Pontificiis.*
4 *Quorum officiorum Religionum ſint incapaces illegitimi.*
5 *Quid de officio prædicatoris generalis, & gradus Lectoratus.*
6 *Quid de officio Parochi.*
7 *De procuratione officiorum an liceat Regularibus.*
8 *Prælatia vix poſſunt appeti, aut procurari ſine peccato.*
9 *Alia officia, quæ non ſunt Prælaturæ, an poſſint procurari.*
10 *De Conſtitutionibus Summorum Pontificum prohibentium recurſum ad extraneos pro conſequendis officiis.*
11 *Quæ ſunt ex Motu proprio ſunt maioris firmitatis.*
12 *Quos Religioſos comprehendant.*
13 *An etiam complices, & fautores.*
14 *Quæ prohibeantur in dictis Conſtitutionibus.*
15 *De largitione munerum in ipſis prohibita.*
16 *Perſonæ extraneæ extra Ordinem quæ cenſeantur.*
17 *Quomodo prohibeantur Prælati dare officia intuitu fauorum extraneorum.*
18 *An aliquando id poſſint facere.*
19 *Quid quando timent notabile aliquod damnum.*
20 *Quæ gratiæ prohibeantur concedi intuitu talium fauorum.*
21 *Qualiter prohibitum Religioſis pro ſe, vel aliis vota, ſeu ſuffragia procurare.*

1 QVamuis de hac re non pauca dixerim *tom. 1. p. 2. cap. 13.* alia tamen in præſenti addenda, vel, pro maiori ampliatione materiæ.

2 Suppono autem ex dictis eo loco, munia ſeu officia Religionum generaliter loquendo ad tria genera reduci poſſe. Alia enim ſunt dignitates, illa ſcilicet quæ includunt adminiſtrationem cum iuriſdictione, qualia ſunt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Abbatiatus, Guardianatus, &c. quæ important iuriſdictionem ordinariam, & munera Commiſſariorum, Viſitatorum, Vicariorum, & Præſidentium Capitulorum Generalium, ſeu Prouincialium, quæ important delegatam. Alia verò ſunt perſonatus, illa ſcilicet, quæ important præeminentiam, ſeu præcedentiam ſine iuriſdictione, qualia ſunt officium Procuratoris Generalis in Ordine noſtro, & officia Diffinitorum, Aſſiſtentium, Sociorum, vel Conſultorum Generalium, vel Prouincialium. Alia verò ſunt, quæ ſpecialiter, & propriùs vocantur officia, ea ſcilicet, quæ important adminiſtrationem ſine præeminentia, aut iuriſdictione, qualia ſunt eſſe Sacriſtam, Procuratorem Conuentus, Syndicum, & ſimilia. De quibus præter dicta eo loco lege Portellum *in Dub. Regul. verbo officium ordinis, in additionibus*, & Bordonum *Reſolut. 12. à num. 14.* Vnde conſequenter ad dicta *ſuprà* verbo *Falſarius, num. 3.* Officialium nomine veniunt quicunque Religioſi, qui habent aliquod officium Superioritatis, vt Generalis, Prouincialis, Cuſtos, Prior, Guardianus, &c. ſiue honoris, vt Definitor, Socius, Aſſiſtens, &c. aut oneris, & laboris, vt Procurator, Syndicus, Celerarius, Sacriſta, Depoſitarius, &c. Portellus *ſuprà verbo Falſarius, num. 3.* Bordonus *Reſolut. 46. num. 5.* ex Graſſio, & Coriolano. De his ergo officiis aliqua dicenda in præſenti, præſertim primò, quæ ex illis veniant nomine officiorum in Bullis, Conſtitutionibus, ſeu Decretis Summorum Pontificum. Secundò, quorum ſint capaces illegitimi. Tertiò, an, & quomodo liceat Religioſis illa procurare.

Et quoad primum diſtinguendum eſt, vel enim officia ponuntur vt diſtincta à dignitatibus, perſonatibus, honoribus, &c. prout ſæpiùs in prædictis Bullis, Conſtitutionibus, & Decretis Pontificiis contingit, & tunc officiorum nomine ſolùm venient ea, quæ dignitates, perſonatus, honores, &c. non fuerint. Etenim iuxta dicta ſuprà verbo *Leges Regularium, num. 32.* verba legis ſecundùm proprietatem accipienda ſunt, *leg. non aliter, ff. de legatis 3.* Quando ergo in prædictis locis officia ponuntur vt diſtincta à dignitatibus, honoribus, &c. accipi debent vt talia. Cùm autem officium, vt diſtinguitur à dignitate, & perſonatu, importet ſolùm adminiſtrationem ſine præeminentia, aut iuriſdictione, iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 13. num. 2.* ideo officiorum nomine in prædictis locis ſolùm venient officia tertij generis. Quando autem officia non ponuntur vt diſtincta à dignitatibus, perſonatibus, honoribus, &c. prout ſæpiùs etiam contingit in prædictis Bullis, Conſtitutionibus, & Decretis Pontificiis, tunc officiorum nomine venient etiam dignitates, honores, &c. ac per conſequens veniet triplex genus officiorum ſuprà deſignatum. Quod intelligo etiam quoad pœnas priuationis officiorum, &c. quæ in prædictis Pontificiis reſcriptis apponi ſolent, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 31.* Quæ ſententia rigida non videbitur, prout eam vocat perdoctus Pater Diana *4. part. tract. 4. reſolut. 224.* ſi ea, quæ eo loco dixi, rectè expendantur. 3

Circa ſecundum, conſequenter ad dicta *tomo 1. part. 2. cap. 17. num. 7.* & *tom. 2. cap. 12. num. 21.* & *cap. 13. num. 50.* & *ſuprà* verbo *Illegitimi Regulares, num. 8.* illegitimi incapaces ſunt eorum officiorum, quæ ſunt dignitates & perſonatus, non autem eorum officiorum, ſeu adminiſtrationum, quæ dignitates, & perſonatus non ſunt, quæ Sixtus V. in Conſtitut. infrà referenda vocat, *officia oneris.* Vnde iuxta dicta eo *cap. 18. num. 62.* & eo *cap. 13. num. 50.* poſſunt eſſe Procuratores Conuentuum, Sacriſtæ, & Magiſtri Nouitiorum. Nec admittendus Bordonus *dicta Reſolut. 12. num. 34.* cum ait, Magiſtrum Nouitiorum illegitimum egere diſpenſatione, quia habet regimen animarum, & poteſtatem ſuper illos. Cùm enim officium Magiſtri Nouitiorum non importet iuriſdictionem ſuprà illos in foro externo, cum non ſit eorum Prælatus, propriè loquendo, nec importet aliquam præeminentiam in Religione, ſed merum miniſterium ad educationem, & inſtructionem Nouitiorum, non eſt dignitas, aut perſonatus, ac per conſequens poterit ab illegitimis exerceri. Et illa tenent non ſolùm Rodriguez, & Miranda ab ipſo relati, ſed Syluester *in Summa, verbo Prælatus, quæſt. 3.* & Portellus *ſuprà verbo illegitimus, num. 8.* Poſſunt quoque eſſe Confeſſores etiam monialium, dummodo iuriſdictionem aliquam in foro externo ſuper illas non habeant, propter rationem adductam. Syluester, & Portellus *ſuprà.* Item poſſunt eſſe Concionatores, Regentes, & Lectores artium, aut Theologiæ, propter rationem allatam, quia ſcilicet iſta munia non ſunt dignitates, aut perſonatus. Bordonus *ſuprà num. 25.* Vnde Sixtus V. in Conſtitutione *ad Romanum Pontificem, in 2. tom. Bullar. num. 71.* declarauit, illegitimos non arceri à Religionibus ab his officiis. Quamvis autem exceperit illegitimos à ſacrilegio vel inceſtu, quia tamen hæc conſtitutio moderata eſt à Greg. XIV. in conſtitutione *Circumſpecta, tom. 2. Bullar. num. 3.* & ad terminos iuris communis redacta, ideo huic moderationi, & reductioni ſtandum. 4

Nota tamen, quod officia Prædicatoris Generalis, 5

quæ aliquibus Religionibus eſſe ſolent in vſu, cum includant præeminentiam quandam ſuper alios, videntur dici poſſe perſonatus, ac per conſequens obtineri non poſſe ab illegitimis ſine diſpenſatione. Idem dico de gradu Lectoratus, qui etiam in aliquibus Religionibus (prout in noſtra in partibus Italiæ,) non eſt officium, ſed gradus, & importat præeminentiam, ac per conſequens etiam videtur dicendus perſonatus, nec obtineri poſſe ab illegitimis ſine diſpenſatione, iuxta dicta *ſupra* verbo *Illegitimi Regulares*, *num.*8. Idem dicit Portellus *ſupra*, *verbo Offi in Ordines*, *in additione*, *num.* 1. de officio Lectoris iubilati.

6 Non poſſe Regulares illegitimos ſine diſpenſatione obtinere officium Parochi, quia tale officium eſt verè Beneficium, conſtat ex dictis *ſupra* verbo *Beneficium*, *& Beneficiati*, *num.* 8. & verbo *illegitimi regulares*, *num.*9. & *tomo* 2. *cap.* 18. *num.* 34. & docet Bordonus *ſuprà*, §. 35.

7 Circa tertium, an & quomodo liceat Religioſis officia ſuæ Religionis procurare, in primis notanda quæ de ambitione Regularibus fugienda dixi *in libro de reformatione regularium*, & in hac Summa *ſuprà*, verbo *Ambitio*.

8 Diſtinguendum autem videtur de officiis, quæ ſunt Prælaturæ, curam ſcilicet animarum habentibus, & & de aliis, quæ talem curam non important. Et quidem quoad priora, iam dixi eo verbo *Ambitio*, *num.*4. quomodo vix ſit caſus, in quo licitè, & honeſtè Religioſus appetere, aut procurare poſſit Prælatias, niſi quando ex præcepto charitatis ad id teneretur, quando ſcilicet electores, vel qui ad Prælatias procedere debent, parati ſunt eligere aliquem poſitiuè indignum, aut pernicioſum communitati. Tunc enim propter bonum commune charitas Chriſti vrget, vt dignus Prælatia ſe offerat electoribus. In aliis autem caſibus, in quibus neceſſitas non vrget, peccatum mortale eſſe appetere Prælaturas, colligitur ex eo quod temerarium eſt magno periculo ſalutis animæ ſe exponere abſque vrgenti neceſſitate. Prælaturas autem appetere, ſeu procurare, eſt magno ſe ſalutis periculo exponere, ob multitudinem ſcilicet, & grauitatem obligationum, quas ſecum afferunt. Sotus *lib.* 10. *de iuſtit. quæſt.* 2. *art.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 2. Ledeſma *de ſtatu Epiſcopor. cap.* 3. *dub.* 2. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato*, *quæſt.* 1. *cap.* 6. plura in ſequentibus ad intentum ex Patribus, & Philoſophia adducens. Hinc Tamburinus *de Iure Abbat.* tom. 1. *diſp.* 10. *quæſit.* 1. *num.* 2. *&* 3. ait: *Nihil Monacho eſt in hac vita periculoſius, quàm Officium, vel Prælaturam expetere; nam qui ambitioſè exquirendo tale onus deſiderat, non religioſus Monachus, ſed mundanus homo eſt appellandus.* Appetere autem aliquem huiuſmodi Prælatias, non abſolutè, ſed conditionatè, ſcilicet ſi Deo, & Superioribus, aut etiam electoribus placuerit, & cum cognitione propriæ infirmitatis, & animo Dei Eccleſiæ inſeruiendi, itavt prodeſſe, & non præeſſe deſideret, licitum, & laudabile videtur, cum hoc non ſit ſe ingerere, ſed ſe Deo humiliter offerre. Caietan. *in Sum. verb. Beneficia Eccleſiaſtica*, §. *Beneficium*, Conradus 1. *part. caſuum*, *q.* 252. §. *quarta eſt.* Peyrinis *ſuprà num.* 12.

9 Loquendo autem de aliis officiis Religionum, quæ Prælaturæ non ſunt, aut curam animarum non important, ſed præeminentiam tantùm, illis applicari poſſunt ea quæ dixi dicto verbo *Ambitio*, *num.* 6. quod ſcilicet non ſit ambitioſus qui gaudet vel delectatur de honore ſibi oblato, vel etiam appetit illum. Primò, ſi id faciat propter honorem, & gloriam Dei. Secundò, ſi propter vtilitatem proximorum. Tertiò, etiamſi gaudeat, aut lætetur de illo, vel appetat illum ea ratione, qua ſibi eſt debitum. Quemadmodum enim licitè poteſt quis delectari, ſeu etiam appetere quod res ſibi debita, pecunia verbi grat. vel aliqua alia res non ſibi denegetur, ſic & de huiuſmodi honoribus dicendum eſt.

Quia tamen, iuxta dicta *tom.* 5. *part.* 1. *cap.* 10. *n.* 17. & *cap.* 15. *num.* 27. & *cap.* 18. *num.* 82. plures Bullæ editæ ſunt à Summis Pontificibus, quibus multarum Religionum Regularibus prohibitum eſt recurrere ad extraneorum fauores pro conſequendis officiis, gradibus, & honoribus in ipſorum Religionibus, & illorum Prælatis, ne ipſa conferant dictorum extraneorum intuitu, quarum plures retuli locis citatis, ſimileſque refert Tamburinus ſuprà, circa quas non paucæ, nec leues oriri ſolent difficultates (inter timoratos præſertim, apud quos eæ ſunt in vſu) ideo operæ pretium duxi nonnulla pro ipſorum explicatione dicere. Quia verò ipſæ variæ ſunt, nec eiuſdem tenoris, ideo ea præcipuè tangam, in quibus omnes, vel ipſarum plures conueniunt. 10

Et primò, cum illæ ſint ex Motu proprio, certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis, quæ denotant Papam in eis edendis non ex inſtantia ab aliis ipſi facta, ſed ex ſua ſcientia, & poteſtate abſoluta ita diſpoſuiſſe, ſunt maioris authoritatis, & firmitatis, nec de ſurreptione, aut obreptione calumniari poſſunt. De quo inter alios Gloſſa *in cap. quia diuerſitatem, de conceſſ. præbend.* Abbas *in cap. ea quæ, de ſent. & re iudic.* Graſſius *tom.* 2. *conſil. moral. lib.* 1. *de offic. delegat. conſil.* 2. & alij. 11

Deinde illi, quibus in prædictis Bullis prohibetur prædictus recurſus ad extraneos pro conſequendis prædictis officiis, &c. ſunt profeſſi illarum Religionum. Nouitij enim, iuxta dicta ſuprà verbo *Nouitij*, *& Nouitia*, *num.* 44. non comprehenduntur in huiuſmodi legibus odioſis. Portellus *ſuprà num.* 20. Nec etiam comprehenduntur in iſtis Moniales, ſed ſolùm Religioſi viri. Neque enim vidi aliquam de Monialibus loquentem, nec nomen maſculinum in odioſis extenditur ad fœminas. Portellus *num.* 19. Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. Minim. in Additamentis ad Conſt. Pauli V. cap.* 10. *num.* 3. Similiter nec comprehenduntur Tertiarij, aut Oblati, cum iſti Religioſi non ſint, & Bullæ prædictæ ſolùm de Religioſis loquantur. 12

Comprehendi etiam ſolent in aliquibus huiuſmodi Bullis, prout videre eſt in ea, quam pro Carmelitis edidit Clemens VIII. & quam retuli dicto *capite* 10. *num.* 17. etiam *complices*, *& fautores*, ita vt etiam illi incurrant eaſdem pœnas, quas incurrunt Religioſi prædictos fauores procurantes. Per quos intellige conſulentes, præcipientes, adiuuantes, cooperatores, &c. 13

Porrò id, quod prohibetur in dictis Bullis, eſt recurrere ad fauores extraneorum, &c. ſeu procurare illos pro conſequendis dictis officiis, dignitatibus, &c. 14
Per quæ intelligitur quæcunque actio facta à Religioſis, ſiue verbis, ſiue epiſtolis, precibus, ſiue muneribus data ad conſequendum dictos fauores. Portellus *ſuprà num.* 35. Addit tamen (quod & ſequitur Peyrinis *ſuprà num.* 8.) id intelligi quando procurant tales fauores pro ſe, non quando pro aliis Religioſis, quia ſumus in pœnalibus, in quibus non eſt facienda extenſio. In hoc tamen attendi debet ad verba Bullæ, quæ diuerſa eſſe ſolent, & videndum an ea etiam extendatur ad procurantes fauores pro aliis. Qualis eſt ea, quam Clemens VIII. fecit pro Ordine noſtro, & quam retuli *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. ea namque extenditur etiam ad *complices*, *& fautores.* Addunt etiam, quod ſi extraneus obtulit fauores Religioſo, ipſo non rogante, neque acceptante, imò potius recuſante, ſi poſtea contingat, quod interceſſione ipſius conferatur Religioſo aliquod officium, hic caſus non comprehendatur dicta prohibitione, ſed poſſit illud officium acceptare. Sed licet hoc verum ſit quoad Bullas, de quibus hi Authores loquuntur. Quoad eam tamen, quam pro Carmeli

Digitized by Google

Carmelitis edidit Clem. VIII. comprehendi videntur etiam hi, qui acceptant aliqua officia mediis fauoribus obtenta, etiamſi ea ſponte oblata, & minimè procurata ſint. Dicitur enim, *aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis vſi fuerint*, quæ verba ſi attendatur ad contextum Bullæ, ad officia referuntur. Illud autem cum eiſdem Authoribus admittendum, quod ſi extraneus obtulit Fratri ſe rogaturum pro illo ad obtinendum officium, &c. & Religioſus taceat, nihil, omnino loquens, comprehendatur in dictis Bullis; nam tunc intrat Regula illa 43. inter regulas Iuris. *Qui tacet conſentire videtur*. Procedit enim hæc regula, vt habet Gloſſa *ibidem*, vbi agitur de commodo, & honore tacentis, prout contingit in præſenti. Qualiter autem non incurrat pœnas harum Bullarum Religioſus, qui pro conſequendo aliquo officio ſuæ Religionis impetrauit aliquas litteras ab extraneo aliquo, & illas poſtea non dedit, vel ipſæ interceptæ ſunt, itavt ad manus Prælati officium daturi non peruenerint, conſtat ex dictis *tomo 1. part. 1. cap. 15. num. 27.* & conſonant ea, quæ in ſimili dixi *ſupra verbo Caſus reſeruati Regularium, num. 12.*

25 Circa munerum largitiones pro conſequendis officiis, &c. quæ in aliquibus Bullis prohibentur, expreſsè, & in ea quæ eſt pro Carmelitis implicitè illis verbis, *aliiſque viis directè, vel indirectè, palam, vel occultè*, &c. præter dicta *ſupra* verbo *Dare, ſeu Donare quoad Regulares, num. 1.* notandum cum prædictis Authoribus: primò, quod id eſt intelligendum, quando ea munera dantur extraneo, vt impetret à Prælato aliquod officium, non quando dantur Prælato, vt illud conferat. Eſto enim Religioſus id faciens incidere poſſit in pœnas alias grauiores, etiam Simoniæ, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 15. num. 28.* non tamen in illas, quæ his Bullis deſignantur. Secundò, incurrere Religioſum pœnas harum Bullarum quando dederit talia munera extraneo intentione impetrandi officium à Prælato religionis, medio fauore illius. Tertiò, non incurrere illas qui talia munera dederit extraneo pro obtinenda confirmatione alicuius electionis legitimè factæ à Prælato, iniuſtè, & ſine cauſa eam negante: quia hoc non eſt obtinere mediis muneribus collationem gratioſam officij, quod ſolùm videtur prohiberi his Bullis, ſed obtinere confirmationem iure debitam. An verò incurrat pœnas Simoniæ, aliquid inſinuaui eo *cap. 15. num. 36.* Vide dicenda infrà verbo *Simonia*. Quartò, nec incurrere dictas pœnas, qui parua munera non ſufficientia pro materia peccati mortalis, aut pro inductione illius extranei ad procurandum pro ipſo dictum officium, dedit. Quia licet intentio dandi illa poſſit eſſe peccatum mortale, actus tamen externus donandi, propter paruitatem materiæ, non meretur tam graues pœnas. Pro quo vide à ſimili dicta *ſuprà*, verbo *Caſus reſeruati, num. 10.*

26 Circa perſonas autem extraneas, ad quarum fauores prohibentur Religioſi recurrere pro obtinendis officiis, &c. licet diuerſimodè in prædictis Bullis nominentur, & ita diuerſimodè etiam de illis iudicari debeat; nihilominus ſi ſolùm nominentur perſonæ exiſtentes extra Ordinem, probabiliter credo cum Peyrinis *ſuprà num. 3. & 4.* contra Portellum *ſupra num. 18.* non comprehendi Moniales Ordinis, aut Epiſcopos, ſeu Cardinales ex Ordine aſſumptos; non enim ſunt ſimpliciter extra Ordinem. Præſertim, quia cum lex ſit pœnalis, & odioſa, reſtringi debet quantum fieri poteſt. Idem non improbabiliter dici poteſt cum eodem Peyrinis *num. 5.* de Cardinalibus Protectoribus, propter eandem rationem, & præſertim, quia iuxta dicta *tom. 2. part. 2. cap. 9. num. 5.* ipſi ſunt aliquo modo veluti Superiores Religionum, quibus præficiuntur, & veluti ipſarum Prælati, ſaltem ſpectato modo, quo circa illas de facto ſe gerunt. Vide Homobonum *tom. 2. exam. tract. 9. cap. 5. quæſt. 10.* Si autem, prout in Bulla pro Carmelitis contingit, nominentur perſonæ de gremio Ordinis non exiſtentes, cum nec Domini Protectores, nec Epiſcopi ex Ordine aſſumpti, aut Moniales ſint de gremio ordinis, eo quòd gremium Ordinis importare videtur eos, qui ſunt de ipſius Capitulis, quod non competit prædictis, non videtur ipſis applicari poſſe ea, quæ diximus. Licet ſi aliqui contrarium dixerint, aſſerentes idem importare extra gremium ordinis, & extra ordinem, non multùm contradicam.

Habetur etiam in prædictis Bullis prohibitio erga Prælatos Religionum, ne prædicta Officia Religioſis conferant propter fauores extraneorum, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 82.* Sed præter ibi dicta notandum ex prædictis Authoribus. Primò, quoad Prælatos attendendum eſſe ad verba Bullæ. In eis autem, quas vidi, tam pro noſtro, quàm pro aliis Ordinibus, omnes Prælati, ſiue infimi, ſiue ſupremi Religionum comprehenduntur. Secundò, nomine Prælatorum non venire Definitores, Socios, Aſſiſtentes, &c. quia iſti non ſunt Prælati, nec eorum munia ſunt Prælatiæ, aut dignitates, ſed perſonatus, iuxta dicta *ſupra num. 2.* Verum quidem eſt, quod in Bulla Clem. VIII. pro Ordine noſtro non ſolùm prohibetur id Prælatis, ſed etiam aliis Fratribus, ac per conſequens etiam iſti comprehenduntur. Tertiò, quoad ea quæ prohibentur facere propter dictos fauores attendi debere ad verba Bullarum. In aliis enim plura, & in aliis pauciora continentur. In eis verò, quas videre potui, ſolùm eſt ſermo de officiis intra Religionem. Quare ſi Prælatus ad inſtantiam alicuius extranei officium aliquod extra ordinem alicui Religioſo concederet, non incidet in pœnas dictarum Bullarum. Quartò, quod ſi Prælatus inferior, aut etiam quilibet alius Frater ad inſtantiam extranei petat à Prælato Superiori officium pro aliquo Religioſo, & obtineat illud, non propterea talis petens incurret pœnas harum Bullarum; quia illæ ſolùm prohibent dare tale officium propter dictos fauores, non intercedere, & intercedere non eſt dare. Quintò, quod ſi Prælatus intuitu alicuius ſæcularis amici ſui, nihil tamen ab ipſo poſtulantis daret alicui Religioſo amico, vel conſanguineo dicti ſæcularis aliquod officium, non tranſgrederetur dictas Bullas, quia illæ ſolùm prohibent ne dent dicta officia ad inſtantiam, requiſitionem, ſeu etiam contemplationem extranei petentis, ſeu fauorem ſuum interponentis. Generaliter etiam loquendo attendendum eſt ad verba dictarum Bullarum, & cùm ſimus in materia odioſa, & aliquoties neceſſarium ſit Prælatis religionum beneuolos habere ſæculares pro negotiis ipſarum, strictè interpretanda ſunt, quantum proprietas ipſorum permiſerit. Pro quo vide præfatum Peyrinis *ſuprà num. 2.* 27

28 Maximè ex ipſo, & relato Portello *ſupra num. 19.* notandum ſextò (quod eſt valde conſolatorium pro Prælatis) quod ſi ipſi conferant aliquod officium ad inſtantiam alicuius extranei alicui Religioſo digniori, vel ſaltem æquè digno, principaliter propter dignitatem, & capacitatem ipſius, licet ſecundariò propter preces illius extranei, probabile eſt non incurrere pœnas harum Bullarum. Primò quia ita videtur expreſſum *in capit. tuam, de ætat. & qualit.* vbi habetur non committi Simoniam ſi rogante aliquo pro eligendo, elector det officium, non habito reſpectu ad preces illicitas ſibi exhibitas. Quia non magis debet hæc lex obligare, quàm ea quæ imponit pœnas Simoniæ. Secundò, quia lex harum Bullarum videtur fundari in præſumptione, qua præſumitur indignos eſſe illos, qui fauores pro obtinendis officiis procurant. Ceſſante ergo hac præſumptione ceſſabit & lex, iuxta dicta ſuprà verbo *Leges Regularium, num. 61.* Sicque

video conſuli, & practicari à viris doctiſſimis. Notent tamen Prælati, ne ſeipſos decipiant, dando talia officia principaliter propter inſtantiam ſibi factam, & non propter idoneitatem illius cui dantur. Teſte enim D. Gregorio 1.*part.paſtoral.cap.9. Sapè mens de ſeipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, &c.* Quod pro aliis ſimilibus caſibus obſeruandum eſt.

19 Notandum etiam, quod ſi caſus eſſet (ſaltem rarus) quod ſi Prælatus non conferret Officium Religioſo ad inſtantiam alicuius extranei, ille, quia proponens eſt Princeps, vel magnæ authoritatis, indignaretur contra Prælatum, & Religionem, propter quod prudenter timeatur notabile aliquod malum illaturum Prælato ipſi aut Religioni, vel impediturum aliquod bonum: tunc poſita capacitate Religioſi pro quo facta eſt inſtantia, poterit ipſi conferri tale officium, tum ad redimendam iniuſtam vexationem, tum quia leges Eccleſiaſticæ non cenſentur obligare cum tanto diſpendio.

20 Cum autem in prædictis Bullis diuerſitas ſit circa ea, quæ prohibentur Prælati concedere ſubditis ad inſtantiam extraneorum, cum in quibuſdam ſolùm ſit ſermo de officiis, dignitatibus, &c. in aliis prohibeatur etiam quodcunque genus gratiæ, aliæ etiam, prout noſtra illa Clementis VIII. extendantur ad remiſſionem pœnarum, ideo generalis regula alia tradi non poteſt, niſi quod ad ſingularum verba attendi debet in particularibus Religionibus. Quid autem intelligatur in ipſis per dignitates, honores, officia, &c. conſtat ex dictis cum ſuprà, tum *tom.2. cap.*13. relato. Quomodo etiam incurrantur cenſuræ, & pœnæ in eiſdem contra tranſgreſſores aſſignatæ, maximè an prædictæ pœnæ incurrantur ante quamcunque declarationem, & quis poſſit abſoluere, ſeu diſpenſare, vide *dicta tom.1.part.1. cap.*10. *à num.*29. & *cap.*18. *à num.*30.

21 Qualiter prohibitum ſit Religioſis vota, ſeu ſuffragia pro ſe, ſiue pro aliis in Capitulis procurare, & de pœnis contra oppoſitum facientes, ex Decretis Summorum Pontificum inflictis, & quo pacto ea intelligenda, habes *ex dictis tomo* 1.*cap.*15.*num.*44.

OFFICIVM DIVINVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Tenentur ad illud omnes Eccleſiæ Regulares.*
3 *Qualiter peccent Prælati negligentes in ſequela Chori.*
4 *Communitates Regularium quomodo teneantur ad diuinum officium.*
5 *Quid de ſingulis Religioſis.*
6 *Officium diuinum quid importet.*
7 *Quid de Officiis particularibus propter obligationem aliquarum Conuentuum.*
8 *Quid de Conuentibus paruis.*
9 *De modo officiandi diuinum officium.*
10 *De loco, in quo dici debet.*
11 *Animaduertenda pro Religioſis ſcrupuloſis.*
12 *De Oratione* Sacroſanctæ, ac Indiuiduæ Trinitati, *&c.*
13 *Quomodo intelligenda hæc conceſſio.*
14 *De aliis ſpectantibus ad Officium diuinum remiſſiuè.*
15 *De officiis propriis Sanctorum, ſeu Beatorum.*

1 DE hac materia plura dicta ſunt *tom.1.part.1.c.*12. & *ſup.* verbo *Breuiarium*, & verbo *Feſti dies*, & *verbo Miſſa.* Nihilominus alia addenda pro ipſius complemento, ea præſertim, quæ ſpectant ad officium diuinum publicum, & in Choro dicendum.

2 Et iuxta dicta eo *cap.*12. *num.*9. & *cap.* 24. *num.*13. certum eſt teneri omnes Eccleſias Regulares, ſiue Fratrum, ſiue Monialium pſallere quotidie in Choro Officium diuinum, *horis debitis*, & *deuotè.* Ita enim habetur non ſolùm ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione, & Regulis, ſeu Statutis ferè omnium Religionum, ſed etiam ex Clementina 1. (non quidem *de Regularibus*, vt dicto *num.* 9. per errorem habetur) ſed *de Celebrat. miſſarum.* Sumiturque ex antiquiſſimo vſu Religioſorum Sancti Marci Euangeliſtæ, prout ex Philone approbat Vualdenſis noſter, *tom.*3.*tit.*3. *cap.*121. *num.*4. & 5. Quod autem hæc obligatio ſit ſub mortali, eodem etiam loco dixi, & colligitur ex dicta Clementina, vbi contradictores compeſcendi dicuntur per cenſuram Eccleſiaſticam. Cenſura enim Eccleſiaſtica, maximè in materia graui, qualis eſt iſta, peccatum, mortale ſupponit. Similiter, quod hoc præceptum præſertim obliget Prælatos, dixi eodem loco, & *cap.*18. eiuſdem primi tomi, *num.*69. prout etiam illis præcipitur in dicta Clementina, *omni negligentia, & incuria penitùs relegata*, vt ibi dicitur. Rodriguez *tomo* 1.*quæſt. Regular. quæſt.*42.*art.*1. Miranda *tomo* 1.*manual. prælat. quæſt.*47. *art.*5.

3 Hinc collige, Prælatos negligentes notabiliter, & abſque legitima cauſa, in frequentatione Chori, peccare mortaliter, non ſolùm quia ratione ſcandali, & mali exempli in cauſa ſunt quod ſubditi idem faciant, ſed etiam, quia vix poterit, ipſis abſentibus, Officium diuinum, prout decet, in Choro celebrari. Suarez *tom.2.de Relig. lib.* 4. *de Hor. Canonic. cap.* 10. *num.*8. Filliucius *tom.2. tractat.*23. *cap.*4. *num.* 135. Bartholomæus à Sancto Fauſto *de horis Canonicis, lib.2.quæſt.*18. Vnde tales Prælati deponi debent à ſuis officiis. Tum ex particularibus Statutis, & conſtitutionibus Religionum, ſpecialiter ex noſtris, *part.* 2. *cap.*3. *num.*1. vbi in hoc negligentes iubentur grauiter puniri. Tum ex iure communi, *cap. Si quis Preſbyter, diſt.*92. vbi Clericus Eccleſiæ deputatus choro adeſſe negligens deponi iubetur. Bartholomæus à S. Fauſto *in Theſauro, lib.*6. *quæſt.* 179. Peytinis *tom.*2. *de prælato, quæſt.* 1. *cap.*4. *num.*123.

4 Obligantur etiam eodem præcepto, & ſub mortali, pſallendi quotidie in choro diuinum Officium Communitates ipſæ Religioſorum, ſeu Religioſarum, vel quod idem eſt, Religioſi, aut Religioſæ perſonæ collectiuè ſumptæ. Ratio eſt, quia hoc præceptum obligat Eccleſias ipſas, Eccleſia autem ſupponit pro perſonis Eccleſiaſticis in ea exiſtentibus collectiuè ſumptis. Bonacina *de Horis Canonicis diſp.* 2. *quæſt.*1. *p.*1. *num.*9. Diana 3.*part. tract.*2. *reſolut.* 18. Bordonus *reſol.*30. *num.*5.

5 Non tamen tenentur dicto præcepto regulariter loquendo Religioſi ipſi, aut Religioſæ in particulari diſtributiuè, aut diuiſiuè ſumptæ, propter oppoſitum fundamentum, ſcilicet quia hoc modo ſumpti non repræſentant totam Eccleſiam Regularem, cui immediatè eſt poſitum hoc præceptum. Bonacina, Diana, & Bordonus relati, ex Suarez *tom.2.de Religione, lib.*4. *cap.*10. *num.*5. & Raphaël de la Torre *in* 2.2. *D.Thom. tomo* 1. *controuerſ.* 10. *de Horis Canonicis, diſp.* 1. *num.* 6. Dixi *regulariter loquendo*, quia in caſu quo ſingulorum abſentia in cauſa eſſet quod Officium diuinum in choro vel non celebraretur, vel non eo modo quo debet celebrari, ſingulos in particulari obligaret hoc præceptum. Bonacina *dicto num.*9. & *diſputat.* 1. *quæſt.*2. *punct.*2. *num.*8. §. *Dixi.* Bordonus *ſuprà.* Quo etiam caſu teneretur Prælatus diſtrictè præcipere ſubditis, vt chorum ſequantur, Bonacina, & Bordonus *ibid.* An verò extra talem caſum Religioſi, qui ex conſuetudine non veniunt ad chorum, peccent mortaliter, variant DD. Etenim Peregrinus *in Comment. ad Conſtitutiones ſui Ordinis part.* 1. *littera B*, tenet partem affirmatiuam, negatiuam verò Diana *ſuprà.* Ego autem,

licet

Digitized by Google

licet priorem ſententiam probabiliorem credam ratione ſcandali, aut mali exempli, quod ferè ſemper accidit, ſi Religioſus conſuetus ſit ſine legitimo impedimento ad chorum non venire; poſteriori verò adhærendum puto, ſecluſo tali ſcandalo, etiamſi adſit conſuetudo: quia iuxta *dicta tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. ex S. Thom. & Caietano, conſuetudo tranſgrediendi leges non obligantes ad mortale non inducit peccatum mortale, per ſe loquendo. Quid verò dicendum ſit de obligatione Religioſorum ad ſequelam chori, propter Decreta Summorum Pontificum Clement. VIII. & Vrbani VIII. habes *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 20. Quid etiam propter obligationem Regulæ, & conſtitutionum, vnaquæque Religio habebit in hoc particularia iura. Quantum verò obligent Regulæ, & conſtitutiones Religionum, habes *ex dictis tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 7. *&* 8. Illud certum Canonicos, & alios Beneficiatos ſtrictiùs obligari ad chorum, quàm Regulares, quia illi, & non iſti obligantur ex iuſtitia, ſcilicet ratione beneficij, quod illis datum eſt ob publicam recitationem diuini Officij. Suarez *ſuprà num.* 16. Bonacina *dicto num.* 8.

6 Officium porrò diuinum, ad quod dico teneri Eccleſias omnes Regulares, & totam Communitatem Religioſorum, vel Religioſarum in eis exiſtentem, & præcipuè Prælatos ipſarum, non ſolùm includit ſeptem horas Canonicas, ſed etiam Officium Beatæ Virginis, officium Mortuorum pro ſecunda die Nouembris, Litanias in die Sancti Marci, & in tribus diebus ante Aſcenſionem, Pſalmos Graduales, & Pœnitentiales, & officium Defunctorum pro diebus, quibus iuxta rubricas Breuiarij debet dici. Ratio eſt, quia officium diuinum importat laudes, & preces ab Eccleſia inſtitutas ad orandum, & laudandum Deum certis, ac definitis horis; hæc enim eſt definitio officij diuini, & competit prædictis. Peyrinis *ſuprà num.* 124. ex pluribus DD. De quo etiam Candidus 4. *part. diſquiſit.* 4. *art.* 24. *dubitat.* 19. *& ſequentib.* Quando autem, & quibus diebus obligent prædicta, habes ex dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. relato.

7 Idem dico de officiis diuinis, quæ in aliquibus Monaſteriis dicuntur in choro ex obligatione fundationis ipſorum, teſtamenti, pacti, legati, eleemoſynæ, Capellaniæ, &c. qualia ſunt aliqua officia mortuorum, Veſperæ B. Virginis, Sanctorum, &c. ea enim dicere ſpectat ad totam Communitatem collectiuè, ad Superiores autem, vt præcipiant ſubditis, vt illis ſatisfaciant, propter dicta à ſimili. Addit Bordonus *ſuprà num.* 9. etiam ſpectare ad ſingulos Religioſos diuiſiuè, itavt ſinguli peccent mortaliter ea omitientes. Sed hoc non admitto, niſi id habeatur in prædictorum onerum inſtitutione. Ex conſuetudine enim Eccleſiarum Regularium habetur, quod dummodo in choro adſit numerus competens Religioſorum, ipſi ſatisfaciant huiuſmodi obligationibus. Imò in rigore loquendo, niſi vt dixi, id exprimatur in iſtarum obligationum inſtitutione, aut habeatur ex voluntate Inſtitutoris, cum quatuor Canonici, vel Eccleſiaſtici conſtituant Chorum, vt habent Macignus *tract. de Horis Canonicis*, *cap.* 56. *num.* 24. & Diana 2. *part. tract.* 12. *Reſolut.* 31. videtur dicendum, quatuor Religioſos ſufficere in choro pro talium onerum adimpletione. Caſu autem quo non adimpleantur, teneri Monaſteria ad reſtitutionem prouentuum, quæ ex illis officiis ipſis contingunt (etſi oppoſitum tueatur idem Bordonus) certum omnino eſt, cum ex communi ſententia Doctorum, de qua inter alios Sotus 4. *de Iuſtitia, quæſtione* 7. *art.* 3. & Saytus *in Claui regia libro* 10. *tract.* 2. *capit.* 1. ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ, ſeu contractûs, aut ratione damni tertio illati, oriatur obligatio reſtituendi. Quæ omnia interueniunt in præſenti, ſiquidem prædicta officia debita ſunt ex iuſtitia commutatiua ratione contractus initi inter ipſorum Inſtitutorem, & Monaſteria, & in omiſſione illorum damnum ſpirituale illi infertur. Sicut ex communi ſententia Doctorum idem dicitur de non adimplentibus obligationes Miſſarum, Anniuerſariorum, Legatorum, &c.

Hæc porrò omnia etiam applicari debent ad Conuentus paruos. Etſi enim tales ſint, & in ipſis forſan prædictus numerus quaternarius Religioſorum quandoque non reperiatur, hoc tamen non tollit quominus, iuxta eorum poſſibilitatem, ſatisfacere teneantur obligationibus prædictis, ſaltem ratione pacti, aut promiſſionis, quibus illas acceptarunt. Etſi oppoſitum etiam inſinuet idem Bordonus. 8

Circa modum autem officiandi, ſeu dicendi officium diuinum in Choro, nota primò, illud non debere dici tranſcurrendo, ſyncopando, extranea, vana, aut profana intermiſcendo colloquia, prout expreſsè in dicta Clementina prima *de Celebrat. Miſſarum* cauetur. Imò id eſſe quandoque peccatum mortale dixi eo *cap.* 12. *num.* 12. Pſalmi etiam debent dici deuotè, prout etiam in eadem Clementina præcipitur, conformiter etiam *ad cap. Dolentes, de celebratione Miſſarum.* De qua deuotione, ſeu attentione requiſita dixi *cap.* 12. relato, *num.* 11. Dici etiam debet debitis, & ſtatutis temporibus, prout in eadem Clementina præcipitur, adiuncta conſuetudine Eccleſiæ, itavt ſine magna cauſa oppoſitum facere, graue peccatum ſit, iuxta dicta *eo cap.* 12. *num.* 25. Præueniri tamen poteſt, cum timetur impedimentum non recitandi illud tempore debito. Naldus *in Summa, verbo Officium diuinum, num.* 3. poſt Canum, quem refert. Notandum tamen, quod licet ſemel, vel iterum poſſint Prælati Regulares diſpenſare, vt Officium aliis temporibus, quàm ſtatutis ex conſuetudine Eccleſiæ dicatur in Choro, non tamen poſſunt in perpetuum id facere, etiam cauſa iuſta interueniente. Ratio eſt, quia contrarium præcipitur in dicta Clementina prima *de Celebrat. Miſſar.* quæ eſt Concilij generalis Viennenſis: in præceptis autem Concilij generalis licèt poſſint Epiſcopi, ac per conſequens etiam Prælati Regulares pro aliquo caſu diſpenſare, ſed non pro ſemper, quacunque etiam data cauſa. Sanchez *tom.* 2. *Conſil. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 42. *num.* 6. ex Armilla, Tabiena, & Nauarro. 9

Dici præterea debet Officium diuinum in choro, vel Eccleſia. Ita enim colligitur ex dicta Clementina, & *ex cap. vltim. diſt.* 92. accedente traditione, & conſuetudine Eccleſiæ. De quo Nauar. *de oratione tract.* 5. *num.* 3. Bellarminus *lib. de bonis operibus, cap.* 18. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 178. Cauſa tamen rationabili ſuppoſita, ſcilicet conſtructione Eccleſiæ, vel Capellæ, vel ad euitandum magnum frigus, aut magnam aliquam temporis intemperiem, dici poteſt in ſacriſtia, vel alio loco proximo Eccleſiæ. Bonacina *ſupra diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 5. *num.* 3. *&* 4. ex Macigno, & Suarez. Declaratum etiam dicitur à S. Congregatione apud Barboſam *in Collectaneis Bullarij, verbo officia propria*, Officium diuinum recitari poſſe extra chorum in ſacriſtia diebus ferialibus arbitrio Epiſcopi, non verò in feſtiuis, non obſtante contraria conſuetudine. Curandum tamen ſemper, vt eo loco dicatur, quo percipi poſſit à fidelibus in Eccleſia exiſtentibus. Officium enim diuinum publicum, de quo loquimur in præſenti, non ſolùm dicitur propter vtilitatem dicentium, ſed etiam audientium. Propterea enim, vt credo, Romæ deciſum audio, non potuiſſe Canonicos quoſdam ſatisfacere ſuæ obligationi in Sacriſtia, quæ non habebat feneſtram verſus Altare maius. 10

Pro Religioſis autem, maximè ſcrupuloſioribus in choro celebrantibus diuinum Officium aliqua animaduertenda. Primò, qui ſubmiſſa voce recitat ſuos verſiculos, & audit ſocios canentes aliam partem, ſatisfacit 11

obligationi Officij, quia talis verè recitat Officium cum aliis. Suarez *dict.lib.4.c.12.* Sanchez *ſuprà dub.14.* Candidus *tom.2. Diſquiſit. moral. diſquiſit. 25. art.24. dub.3.* Secus eſſet ſi tantum audiret alios, & ipſe nec cantaret, nec recitaret ſuam partem; quia præceptum Eccleſiæ eſt de recitando, aut cantando Officio, non de illo audiendo. Bonacina *dict.quæſt.3. punct.2.n.15.* Secundò, qui ſuam partem recitat, ſed aliam, quam alter Chorus recitat, attendens ad illam, ex aliquo accidenti, ſurditate, vel impedimento non percipit, ſatisfacit Officio, quia verè recitat cum aliis. Sà *in Summa, verbo Hora Canonica, num. 9.* Tertiò, qui in choro aliquid omittit culpabiliter, aut inculpabiliter, non debet omiſſum repetere durante Officio in choro, ſed potius debet illud reſeruare poſt expletum officium.

12 Ratio eſt, quia iuſtam habet cauſam differendi, cum chorus ſemper proſequatur officium. Bonacina *dict. quæſt.3. punct. 4.* poſt Nauarrum, Suarez, Filliucium, & alios, quos refert. Imò ſi talis pars, quæ omittitur, eſt parua, prætermitti poteſt, quia cum materia ſit leuis, ex leui cauſa omitti poteſt. Idem Bonacina *ſuprà punct. 2. §.1. num.23.* ex eiſdem Auctoribus. Vnde infertur, idem eſſe dicendum de Religioſo ſerò ad chorum veniente, ſi non multùm in choro proceſſum eſt. Candidus *ſuprà, art.26.dub 2.* poſt alios. Quartò, probabile ſatis eſſe, quod cenſeatur integrè recitare ille, qui dum dicitur diuinum Officium in choro, occupatur occupatione neceſſaria ad ipſum diuinum Officium, vt præuidendo lectionem, quam eſt cantaturus, vel mittitur ad thurificandum altare, &c. nec teneri repetere ea, quæ interim ab aliis dicuntur in choro. Ratio eſt, quia cum chorus reputetur vnum corpus, quod vnus dixit dictum cenſetur ab alio, qui detentus eſt occupatione neceſſaria ad ipſum chorum. Nauarrus *in cap.quando, num.36. & 37.* Sanchez *ſuprà dub. 15.* Limitandum tamen hoc eſt, quando hi ante Officium diuinum non potuerunt, vel non debuerunt præuenire talem ob occupationem, quia hoc ipſis non incumbebat, & propter neceſſitatem repentè occurrentem hæc faciunt. Tunc enim non tenentur ſupplere. Nauarrus, & Sanchez *ſuprà.* Quintò, probabile quoque eſſe, quod qui organis choro reſpondet, non tenetur recitare eam partem, quam organum pulſat. Ratio eſt, quia Eccleſia accipit ſonum illum organorum, vt partem diuini Officij. Nauarrus *ſuprà cap.21. num.15.* Sanchez *ſuprà dub.16.* & in idem propendet Sotus 10. *de Iuſtitia quæſt.5. art.3.* Sextò, probabiliter etiam dici, quod qui cantant in choro, non teneantur dicere verſum, qui organis pulſatur. Ratio eſt, quia ſonus ille organorum accipitur ab Eccleſia loco vocum, & vt pars diuini Officij. Sanchez *ſuprà* ex aliis. Laudabilior tamen, & ſecurior eſt vſus noſtræ, & aliarum Religionum, quod verſus qui organis pulſatur, dicatur à duobus in medio chori. Septimò notat Ioannes Sancius *in Selectis diſp.15. num.2. §. Perpendendum* (quod tam pro recitante priuatè, quàm in choro intelligi poteſt) infirmum, etſi valentem conuerſari cum amicis ſe inuiſentibus, non ob id conſtringendum eſſe ad Officium diuinum recitandum; quia cum amicis confabulari potius animi diuerſionem, quam attentionem importat, Officium verò diuinum attentionem neceſſariò petit.

13 Præcipuè octauò notandum, Leonem X. viuæ vocis oraculo conceſſiſſe, quod quicunque dixerit poſt quamlibet horam diei infraſcriptam Orationem, & in fine illius vnum *Pater noſter*, & *Aue Maria*, pro fœlici ſtatu ſuæ Sanctitatis, & Eccleſiæ Sanctæ Dei, conſequatur plenariam remiſſionem omnium delictorum in illa hora humanâ fragilitate commiſſorum. Oratio, *Sacroſanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Ieſu Chriſti Domini noſtri humanitati, & Beatiſſimæ, ac glorioſiſſimæ Virginis Mariæ fœcunditati, ſiue integritati, & omnium Sanctorum Vniuerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobiſque remiſſio peccatorum per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Et Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium, & beata vbera quæ lactauerunt Chriſtum Dominum. Pater noſter, & Aue Maria.* Caſſatubius *in Compendio Priuileg. Mendicant. verbo Officium Diuinum 2.num.5.* Addens *num.6.* quod Idem Leo ampliando prædictam gratiam conceſſit, quod non ſolùm ſufficiat dicere ſuprà ſcriptam orationem *Sacroſanctæ, &c.* pro ſupplemento vnius horæ, quando dicitur per ſe ſolam, ſed etiam omnium horarum, quæ dicuntur ſemel, ſeu vno contextu, licet aliquod paruum interuallum inter vnam, & aliam fiat.

Circa quam conceſſionem aliqua notanda ſunt. Primò, eam videri factam pro omnibus recitantibus Officium, non pro Regularibus tantùm. Nauarrus *in cap. Quando, de conſecrat. diſt.1. notabil.19.* Toletus *in Summa, lib. 2. cap. 13.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 42. art.3.* Secundò, quod quamuis illa ſit viuæ vocis oraculo conceſſa, nihilominus non propterea reuocata cenſetur hoc tempore, quo viuæ vocis oracula reuocata ſunt à Summis Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. Ratio eſt, quia per iſtas reuocationes non reuocarunt hi Pontifices omnes conceſſiones, & gratias viuæ vocis oraculo factas, ſed illas tantùm, quæ fuerunt conceſſæ *Superioribus, & perſonis cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, vel ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus*, vt patet ex verbis ipſorum, & docet noſter Stratius *in Inſtruct. pro Carmelit. cap.20.num.8. & 9.* Hæc autem conceſſio eſt pro omnibus recitantibus Officium in tota Eccleſia, vt dixi. Tertiò, quod talis Oratio applicari debet pro fœlici ſtatu Summi Pontificis, & Sanctæ Eccleſiæ, vt patet ex dicta conceſſione, quod tamen aliqui non animaduertunt. Quartò, quod defectus humana fragilitate commiſſi in recitatione Officij, quorum remiſſio à Papa conceditur recitantibus dictam Orationem, non ſunt illa peccata mortalia, quæ in tali recitatione committi poſſunt, non recitando verbi gratia integrè, vel attentè, itavt ab onere repetendi talis Officij liberetur ſic recitans. Hoc enim eſſet maximum, & extraordinarium priuilegium, ac ſpeciali notâ dignum. Solùm ergo ſunt illi defectus, qui vel per nullam culpam, ſed ſolùm per venialem committi poſſunt in tali recitatione, itavt ab onere iterum repetendi recitata cum ipſis excuſetur recitans. Addunt aliqui etiam remitti talia venialia ex vi talis Orationis ad modum Sacramentalis. Quod tamen dubium valde eſt, & abſque ſufficienti fundamento dictum. Quartò, probabile eſſe, valere iſtam conceſſionem, etiamſi talis Oratio ab vno ſolo, Hebdomadario ſcilicet, aliorum nomine dicatur. Ita enim piè interpretari poteſt intentio Pontificis in re maximè fauorabili. Bordonus *ſuprà num.28.*

An Prælati diſpenſare poſſint, vt in Choro pro aliquo caſu recitetur officium non contentum in Breuiario, vide dicta *ſuprà verbo Breuiarium, num.5.* Vbi etiam, & *tomo 1. part. 1. eo cap.12. & 21.* alia ad intentum. Item *ſuprà verbo Defunctus*, præſertim *num.6. & 7.* alia, quæ pertinent ad officium Defunctorum. Qualiter etiam excommunicatus maiori excommunicatione non poſſit diuina Officia ex officio exercere, aut illis aſſiſtere, licet ea teneatur priuatim dicere, habes ex dictis *ſuprà verbo Excommunicatio quoad Regulares, num. 14. & 19.* Qualiter quoque diuina Officia per interdictum prohibeantur, habes etiam ex dictis *ſuprà verbo Interdictum quoad Regulares, à num.20.* Similiter quæ diuina Officia prohibeantur à Religioſo irregulari, dixi *ſuprà verbo Irregularitas, num.6. & 7.* 15

De officiis autem propriis Sanctorum, ſeu Beatorum,

rum,

rum, quæ tam in Choro quàm extra recitari poſſunt, præter dicta *eo cap.* 12. *&* 21. vide Decreta S. Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo officia propria* 3. (licet his diebus videam hoc opus à S. Congregatione Indicis prohibitum) & Nouatium *in Lucern. Regular. verb. Officium.* Notandum etiam eſt S. Congregationem apud eundem Barboſam eo libro, *verbo Pœna*, mulctaſſe pœna priuationis vocis actinæ, & paſſiuæ quendam Priorem, qui recitauit in Choro Officium quoddam non approbatum. Quod notandum eſt pro Regularibus.

OLEVM SANCTVM QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Oleum Sanctum eſt triplex.*
2 *De Chriſmate.*
3 *De Oleo Catechumenorum.*
4 *De Oleo infirmorum.*
5 *An poſſit miſceri cum alio non benedicto.*

1 OLeum Sanctum in die Cœnæ Domini per Epiſcopum conſecratum eſt triplex. Primum, & principale dicitur Sanctum *Chriſma*, quod de Oleo, & balſamo conficitur, quo benedicuntur fontes Baptiſmales, Calices, & Patenæ, Eccleſiæ, & Altaria, & pueri baptizati in vertice, & in fronte, & Epiſcopi quando conſecrantur in manibus, & in capite, & omnes fideles cùm chriſmantur. Quod quidem oleum annuatim conſecrandum, & innouandum eſt, *c. ſi quis de alio, de conſecrat. diſt.* 4. Secundum eſt Oleum catechumenorum, quod dicitur Oleum benedictum, ſiue Sanctum, quo inunguntur baptizandi inter ſcapulas, & in pectore; & manus Sacerdotis cùm ordinatur, & Principes, ac Reges in brachio, & humero, & Eccleſia, ac altare ante Chriſmationem. Tertium eſt Oleum infirmorum, quo inunguntur infirmi in extrema vnctione, *vt de Sac. vnct. cap. vnico.* Angelus, Syluester, & alij Summiſtæ *verbo Oleum Sanctum*, Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 31. *num.* 1. Candidus *tom.* 3. *diſquiſit. diſquiſ.* 3. *art.* 2. *dub.* 15. De illis aliqua, quatenus ad Regulares ſpectare poſſunt, dicendum.

2 Et quidem loquendo de primo Oleo, ſcilicet Chriſmate, conſtat ex dictis *ſuprà verbo Conſecratio*, *num.* 3. quid ſit, quando, & à quo confici debeat, & qualiter peccent, qui veteri Chriſmate, ideſt qui non ſit illius anni, vtuntur. Pro quo etiam extant declarationes S. Congregationis apud Barboſ. *in Collectan. Bullar. verbo Olea Sacra.* Qualiter etiam eo vti non poſſint Abbates, aut Prælati Regulares in aliquarum rerum benedictione, aut conſeratione, dixi *ſupra verbo Altare*, *num.* 3. *&* 4. & *verbo Benedictio*, *& Benedicere*, *num.* 8. *&* 11. & *verbo Conſecratio*, *num.* 2. ex variis etiam eiuſdem Sacræ Congregationis declarationibus.

3 Loquendo autem de ſecundo Oleo, Catechumenorum appellato, illud ſolùm pro Regularibus animaduertendum, quod quando curam animarum cum Baptiſterio habuerint, prædictum Oleum illis ſit neceſſarium, ſicut etiam Chriſma pro vnctione baptizandorum modo dicto. Idem dico de tertio Oleo, ſcilicet infirmorum, pro Sacra vnctione extrema danda infirmis moribundis. Vnde illis concedendum eſt ab Epiſcopis, vel Ordinariis, prout ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Barboſa *in dictis Collectaneis*, loco relato colligitur. Omnes etiam quantumvis exempti ſubiiciuntur Epiſcopis quantùm ad petitionem talium Oleorum, *cap. veniens, de præſcript.* vbi Abbas *notatione* 2. Reboffus *in praxi beneficiorum*, *part.* 1. *tit. de Clericis*, *num.* 22. Eraſmus Cochier *de iuriſdictione Ordinarij in exemptos*, *part.* 2. *quæſt.* 45. *num.* 16. Debent etiam talia Olea Sacra illis gratis omninò tribui, ita vt neque liberè oblatum pro illis aliquid accipere poſſint. Ita enim colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quam refert Gauantus *in Manuali Epiſcopor. verbo Olea Sacra.* Quare tollenda eſt conſuetudo aliquorum, qui nolunt diſtribuere illa, niſi oua, aut aliquid aliud ipſis tribuatur. Fuſcus *de poteſtate Epiſcopi*, *cap.* 4. §. 3. *num.* 2. & Barboſa *dicta Allegat.* 31. *num.* 21.

Specialiter etiam quod tertium Oleum, ſcilicet infirmorum, concedi debeat ab Epiſcopis omnibus Regularibus pro vſu ſuorum Monaſteriorum, colligitur non ſolùm ex eo quod Prælati Regulares ſint veluti Parochi ſuorum Religioſorum, ac per conſequens ipſis, ſicut & aliis Parochis tribuendum, ſed etiam ex declaratione Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quam referunt idem Gauantus *ſuprà*, & Aldana *in Compendio Canonicarum reſolutionum*, *lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 10. & ex ipſo Nouarius *in Lucerna Regularium*, *verbo Oleum Sanctum*, *num.* 1. Specialiter quod Carmelitis tribui debeat iſtud oleum, habetur ex Clemente VIII. in Bulla *Exponi nobis*, *in* 3. *tom. Bullarij*, *num.* 57. vbi præcipit Dominis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, vt prædictum Oleum, ipſis petentibus, promptè ac liberaliter exhiberi faciant, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 20. De quo etiam Nouarius *ſupra.* Vbi etiam cum prædicto Barboſa *in dictis Collectaneis*, quod fratres Cruciferi oleum Sanctum recipiunt à quocunque Epiſcopo ex conceſſione Vrbani III. in Bulla *Cum anteceſſor*, *in* 1. *tom. Bullar.* in iſto Papa *num.* 1. Quo priuilegio vti etiam poſſunt aliæ Religiones cum ipſis communicationem priuilegiorum habentes. Imò etiam in iure communi ſtando, & ſecluſo omni priuilegio, ſi Epiſcopus proprius abſit, vel Sedes eo tempore vacet, proximus Epiſcopus adiri poterit ad hoc Oleum habendum, prout ex Gloſſa, & Vgolino tenet Barboſa *dicta Allegat.* 31. *num.* 19. 4

Nota prædictum Oleum infirmorum, quando timetur non futurum ſufficiens pro illo anno, aut propter aliam rationabilem cauſam, miſceri poſſe cum alio non benedicto, & ex illo augeri, modo ea pars, quæ additur ſit minoris quantitatis, quàm Oleum conſecratum, totumque reddi conſecratum, ſeu benedictum. Ratio eſt, quia magis dignum attrahit ad ſe minùs dignum, *cap. quod in dubiis, de conſecrat. Eccleſiæ.* Poſſeuinus *de officio Curati cap.* 9. *num.* 2. Naldus *in Summa*, *verbo Extrema vnctio*, *num.* 2. Barboſa *d. alleg.* 31. *num.* 17. *&* 18. Candidus 3. *tomo*, *loco relato*, *dubit.* 16. 17. *&* 18. De quo à ſimili idem dixi de aqua Benedicta *ſuprà verbo Benedictio*, *& Benedicere*, *num.* 20. Sicque cùm mihi propoſitum eſſet de mandato S. Congregationis retroactis diebus, reſpondi fieri poſſe in quadam grauiſſima Eccleſia Hiſpaniæ. 5

OPINIO REGVLARIBVS tenenda.

SVMMARIVM.

1 *Quid de hac materia tractandum.*
2 *Opinio quid, & quotuplex.*
3 *Sententia vnius Doctoris an efficiat opinionem probabilem.*
4 *Conſilium eſt ſequi opinionem tutiorem, & probabiliorem.*
5 *Regulariter autem loquendo obligatorium non eſt.*
6 *Ex duabus opinionibus æquè probabilibus qualibet amplecti poteſt.*
7 *Opinio iam antiquata amplectenda non eſt.*

Rr 4 8 *In*

Digitized by Google

8 *In materia, aut forma Sacramentorum non licet ſequi opinionem minùs probabilem.*

9 *Quid in materia obedientiæ Religioſorum erga ſuos Prælatos.*

10 *Opinio abrogata, vel reprobata Decreto Superiorum amplectenda non eſt.*

11 *Caſus practicabiles à Religioſis in materia opinionum probabilium.*

1 IN hac materia, quia latiſſima, ſolùm aliqua dicenda, quæ magis ad praxim, & caſus ferè quotidianos Regularium conducere poſſunt, ſuppoſitis priùs aliquibus ad opinionis naturam ſpectantibus.

2 Eſt autem opinio, iuxta dicta *ſuprà verbo Dubia Regularium, num.* 2. idem quod aſſenſus incertus intellectus ad aliquam partem contradictionis, cum formidine oppoſitæ. Per quod differt à dubio propriè dicto, iſtud enim eſt motus intellectus indifferens in vtramque partem contradictionis. De quo Saytus *in Claui Regia lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. Cornejo *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 8. *diſp.* 4. Diuiditur in probabilem, & improbabilem. Opinio probabilis eſt, quæ innititur rationi, ſeu fundamento alicuius momenti, ita tamen, vt pro oppoſita parte nihil conuincens ſit. Sanchez *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. Portellus *in Dub. Regular. verbo Opinio eligenda, num.* 1. Improbabilis verò ea, quæ debili fundamento, ſeu rationi innititur. Vnde in rigore loquendo potiùs debet dici ſententia falſa, quàm opinio. Portellus *ſuprà.* Quare ſi daremus, quod aliqua opinio falſo fundamento, aut nullius ponderis nitatur, dicetur improbabilis, etiamſi plures Auctores pro ſe habeat. Ioannes Sancius *in Select. diſp.* 48. *num.* 48. Rurſus opinio probabilis alia eſt probabilior, ea ſcilicet, quæ innititur pluribus, aut melioribus fundamentis, ſeu rationibus; alia minùs probabilis, quæ innititur paucioribus, aut debilioribus. Rurſus opinio alia eſt tuta, & ſecura, ea ſcilicet, quæ aliquo modo vitat peccatum, alia verò tutior, ſeu ſecurior, ea videlicet quæ magis, & ſecuriùs vitat illud. Non eſt autem idem opinio probabilis, aut probabilior, quod tuta, aut tutior; cum prior dicatur talis reſpectu fundamentorum, quibus innititur, poſterior verò ex eo quòd peccatum vitet. De his Sanchez *ſuprà num.* 5. Portellus *ſuprà num.* 1. *&* 2. Bordonus *reſol.* 19. *num.* 4. & plures alij.

3 Ex quo collige, auctoritatem vnius Doctoris pij, probi, & docti, qui rem ex profeſſo diſcuſſit, poſſe efficere vnam opinionem probabilem. Ratio eſt, quia auctoritas talis Doctoris non eſt leue, aut leuiſſimum fundamentum, ſed alicuius ponderis. Sanchez *dicto cap.* 9. *num.* 7. poſt Angelum, Syluestrum, Nauarrum, Valentiam, & Sà. Quibus iunge Dianam 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 30. poſt Merolam, Aluicium, & alios, quos refert, & Zachariam Paſqualigum *in Deciſ. moral. de opin. elect. deciſ.* 1. poſt Sayrum, Vaſquez, Caſtrum Palaum, & alios, & *deciſ.* 360. *& ſeqq.* Dixi *Doctoris pij, & probi*, quia attendendum eſt, an ſit homo, qui volens mundo placere, aut populi applauſum quærere, nouas, & laxiores ſententias enulgat: talis enim non eſt pius, & probus. Dixi etiam *docti*, quia Doctori non eſt credendum propter dignitatem, ſed propter doctrinam. Dixi quoque *qui rem ex profeſſo diſcuſſit*, quia qui rem caſualiter, incidenter, aut negligenter diſcuſſit, non eſt fide dignus. Adde, quod quando Doctor ſingularis talem opinionem docens habet dictas conditiones, præponi etiam poteſt ipſius opinio aliorum plurium contrariæ opinioni, propter fundamentum adductum. Villalobos *in Summa, tom.* 1. *tractat.* 51. *difficult.* 7. *num.* 3. Caſtrus Palaus *in opere morali, tom.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 1. *num.* 12. Diana *ſuprà*, Paſqualigus *ſuprà*.

4 His poſitis dicendum primò, Religioſi maximè conſulendi ſunt ſequi ſemper opinionem tutiorem, & probabiliorem, relicta minus tuta, aut probabili. Ratio eſt, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, iuxta *cap. iuuenis, de ſponſal.* & certum teneri debet relicto incerto, iuxta *cap. ſi quis, de pœnit. diſt.* 7. quæ etſi conſilia ſint, vt habent Antoninus 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. & Nauarrus *d. cap. ſi quis*, amplectenda tamen videntur Religioſis, qui viam perfectionis ſectantur. Quo ſenſu accipiendus eſt Peregrin. 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 3. *& in Addit. ad Conſtitut. ſui Ordinis, part.* 3. *quæſt.* 6. Specialiter proinde ad faciendam bonam electionem in opinionibus prudenter eligendis aliquas regulas aſſignant Sayrus *ſuprà cap.* 6. ex Azorio, & Filliucio, Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. Minim. cap.* 1. *in addit. ad Conſtit. Pyrrhi, num.* 10. ex aliis.

Nihilominus dicendum ſecundò, regulariter loquendo, poſſe Religioſos, ſiue in operando, ſiue in conſulendo aliis, vti opinione etiam minùs probabili, aut minùs tuta, relicta tutiori, aut probabiliori, etiam propria. Ratio eſt, quia operans ſecundum opinionem probabilem non poteſt iudicari temerarius, neque imprudens, habet enim pro ſe fundamentum alicuius momenti: ergo ſic faciens non peccat. Secundò, quia licet opinio tutior ſit perfectior, & ſecurior, nemo tamen tenetur ſequi quod perfectius eſt, & quod ſecurius, dummodo ſequatur perfectum, ac tutum. Ergo, &c. Tertiò, quia cum omnimoda certitudo in rebus agendis haberi nequeat, ſufficit vt operemur cum certitudine probabili, & non requiritur omnimoda certitudo. Opinio autem minus probabilis, & minus tuta eſt aliàs ſufficiens ad bene operandum moraliter: eſſet enim onus intolerabile, & multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores ſemper inueſtigare teneremur. Ergo, &c. Ita ferè Sanchez *ſuprà num.* 13. *&* 14. ex Mercado, Medina, Vaſquez, Valentia, Guttierrez, Suarez, Henriquez, Azor, Bannez, Nauarro, Aragon, Lopez, Ledeſma, Salas, Sayro, & Leſſio, quos refert. Item Diana *part.* 2. *tract.* 13. *reſolut.* 1. *& part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 4. ex Laymano, Baſilio Pontio, Maldero, Filliucio, Tanneto, Barboſa, Garzia, Villalobos, Ioanne Sancio, Lorca, Martinez, Aluarez, Sanctarello, altero Barboſa, Portello, & Merolla, quos refert. Ita etiam Paſqualigus *ſuprà* poſt innumeros alios. Ita quoque Cornejo *ſuprà diſp.* 3. *dub.* 6. poſt Salonem, & alios. 5

Ex quo collige, multò magis poſſe Religioſos ex duabus opinionibus æquè probabilibus ſequi quamlibet, non ſolùm quia tunc non operarentur temerè, aut imprudenter, ſed etiam, quia ſi tales opiniones ſunt æquè probabiles, erunt quoque æquè conſonæ rationi, ac per conſequens æquè amplectendæ. Cornejo *ſuprà dub.* 4. ex D. Antonino, Adriano, & Nauarro Paſqualigus *ſuprà deciſ.* 14. ex aliis. 6

Dixi autem ſuprà *regulariter loquendo*, poſſe Religioſos ſequi opinionem minùs probabilem, & tutam, relicta probabiliori, & tutiori, quia ſunt aliqui caſus, in quibus id non licet. Primus eſt, quando illa eſt iam antiquata, itavt in praxi oppoſita recepta ſit. Tunc enim talis ſententia, vel non eſt iam opinio, vel ſaltem improbabilis cenſeri debet. Sanchez *ſuprà num.* 11. Sayrus *cap.* 5. *num.* 21. *&* 22. 7

Secundus eſt, quando agitur de materia, aut forma Sacramentorum, tunc enim etiamſi ſint de eis variæ opiniones, illis relictis, ſtandum eſt illi, quam vſus, & conſuetudo Eccleſiæ approbat, ſaltem ad euitandum damnum proximi, quod illi eueniſſet, ſi materia illa, vel forma, quam talis opinio dicit eſſe ſufficientem, reuera à Chriſto vt ſufficiens inſtituta non eſſet. Sayrus *ſuprà cap.* 7. *num.* 6. Naldus *in Summa, verbo opinio, in fine.* Ioannes Sancius *ſuprà diſp.* 27. *num.* 15. Diana *d. tract.* 13. *reſolut.* 2. *part.* 4. *reſol.* 4. Vnde grauiter peccaret qui baptizaret paruulum *in nomine Ieſu*, aut *in nomine genitoris, geniti, & procedentis*, non expri- 8

mendo

mendo nomina *Patris*, *& Filij*, *& Spiritus Sancti*, quamuis faceret conformiter ad probabiles opiniones antiquas. Et ſimiliter circa materiam eiuſdem Sacramenti peccaret, qui baptizaret in lixiuio, omiſſa aqua pura, Sayrus *ſuprà*, Coroejo *dub.* 6. Qui rectè addit oppoſitum eſſe dicendum in caſu neceſſitatis. Tunc enim poſſet Sacerdos vti dicta materia, & forma dubia, ſaltem ſub conditione, iuxta dicta *ſuprà verbo Baptiſmus, num.* 6. *&* 12. Imò etiam quando dubietas ex parte materiæ non eſt ex parte Miniſtri, ſed ex parte recipiendi Sacramentum, licitè poterit illud adminiſtrari, iuxta opinionem etiam minùs probabilem, aut ſecuram. Vt in caſu communi, quo pœnitens accedere vellet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita, quia tunc Miniſter non faceret contra charitatem proximi illi conferendo abſolutionem, ſiquidem ipſe voluntariè accedere vult illo modo. Vaſquez 1.2. *diſp.* 63. *cap.* 3. *num.* 10. Sayrus *ſuprà num.* 7. Sanchez *ſuprà num.* 34. Similiter in caſu quo varietas opinionum non eſſet circa materiam, aut formam Sacramentorum, ſed circa iuriſdictionem Confeſſarij, licitè poterit ipſe vti opinione minùs probabili, & tuta, probabiliori, & tutiori relicta, iuxta dicta *ſuprà verbo Confeſſio, num.* 3. Quia tunc reuera nullo periculo inualiditatis exponitur Sacramentum: tum quia eo ipſo quod Confeſſarius ſequitur opinionem probabilem, datur communis error in populo, & Eccleſia pia mater propter bonum animarum dat illi iuriſdictionem, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Tum etiam, quia regulariter loquendo in confeſſione ſemper pœnitens confitetur aliquod peccatum veniale ſuper quod quilibet Sacerdos habet iuriſdictionem, & abſoluendo ab illo directè, eum ſine mortali auferri non poſſit, indirectè etiam abſoluet à mortali, poſita tali opinione probabili. Sanchez *ſuprà num.* 35. Leſſius 2. *de iuſtit. cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Diana locis relatis, ex Caſtro Palao, Granado, Maldero, & aliis.

9 Tertius caſus, in quo non licet Religioſis ſequi opinionem probabilem, eſt in materia obedientiæ, quando ſcilicet Superior præcipit aliquid inferiori; tunc enim inferior tenetur obedire Superiori præcipienti ſecundum opinionem probabilem, etiamſi inferior probabilem aliam habeat, quod non poſſit præcipere. Ratio eſt, quia aliàs iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 26. ex Corduba, & Valentia eſſet confuſio, & deſtructio Communitatis, ſi prætextu opinionis probabilis nollet quis Superiori obedire. Tum etiam, quia aliàs cogendi eſſent Superiores ad non præcipiendum, niſi ex certa, & euidenti notitia honeſtatis rei, quæ præcipitur, quod eſt ſupra humanam facultatem. Et ita hanc ſententiam vt probabiliorem ſequitur Diana *dicto tract.* 2. *reſol.* 10. *& dicto tract.* 4. ex multis Auctoribus contra Ioannem Sanctum *in Select. diſp.* 33. & Caſtrum Palaum *in Opere Morali, tom.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 5. Addit Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 11. ex Corduba, & Vaſquez, & Miranda, quod Superiori præcipienti ſecundum opinionem probabilem ſubditus teneatur obedire, etiam contra probabiliorem propriam, magiſque tutam. Tum quia in dubio inter Superiorem, & ſubditum præſumptio eſt pro Superiori, *argument. cap. quid culpatur* 23. *quæſt.* 1. Tum etiam, quia ſi ſubditus agere poteſt aliquid licitè ſecundum ſententiam probabilem etiam contra propriam probabiliorem ac tutiorem, ergo præcipiente Superiore ſecundum probabilem, tenetur ſubditus obedire, etiam contra propriam probabiliorem, ac tutiorem. Quia, vt dixi *eo cap.* 4. *num.* 24. quoties ſubditus poteſt habere iudicium prudentiale, quod res, quæ illi præcipitur ſit licita, & honeſta, tenetur obedire. In caſu autem præſenti poteſt habere hoc iudicium. Rectè ergo Bordonus *dicta reſol.* 19. *num.* 5. inquit, quod Superior poteſt cogere ſubditum ad ſequendum ſuam opinionem, & is tenetur obedire, & operari ſecundum illam, modò ſit circa materiam intra obiectum ſuæ poteſtatis.

Quartus caſus, ipſeque valde generalis, in quo non licet Religioſis ſequi opinionem aliàs probabilem, aut tutam, ſed tutiorem, & probabiliorem, eſt quando talis opinio abrogata, vel reprobata eſt per Decretum Superiorum. Tunc enim talis opinio deſinit eſſe probabilis. Sayrus *dicto cap.* 5. *num.* 21. Fraxinellus *de Sacerdotum obligationibus ſect.* 6. *obiect.* 14. *num.* 7. Declaratur hoc exemplis in materia celebrationis Miſſarum. Opinio probabilis antiquitùs erat plurium Theologorum, quod Sacerdos pauper poterat accipere ad ſui congruam ſuſtentationem plura ſtipendia pro vna Miſſa. Poſt Decretum tamen Sacræ Congregationis, iuxta dicta *ſuprà verbo Miſſa, num.* 14. talis opinio non poteſt in praxi modò ſuſtineri, ac per conſequens ceſſauit iam eius probabilitas, vt bene ait Fraxinellus relatus. Similiter, iuxta dicta *verbo Miſſa, num.* 35. licet etiam antiquitus probabilis ſententia eſſet, quod Sacerdotes poſſent accipere Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna, & poſtea aliis Sacerdotibus eam Miſſam committere, retenta ſibi parte eleemoſynæ, modò tamen poſt Decreta Sacræ Congregationis in contrarium, quæ eo loco retuli, probabilis iam non eſt, ac per conſequens modò teneri non poteſt, prout eo loco dixi ex Diana, Lugo, & Bordono. Niſi fortè caſu aliquo dato, de quo *ibidem*. Idem quoque dico de opinione aſſerente Regulares poſſe vi priuilegio Bullæ Cruciatæ etiam contra voluntatem ſuorum Superiorum, & quoad caſus ab eiſdem reſeruatos, iuxta dicta ex eiſdem Diana, & Lugo *ſuprà verbo Bulla Cruciata, num.* 29. Ac tandem idem dici poteſt de aliis caſibus ſimilibus, de quibus ſæpiùs dixi in diſcurſu huius Summæ. Animaduertendum tamen, quod ſi non obſtante tali Decreto, eo, & rationibus, quæ pro ipſo ſunt, perpenſis, aliqui Doctores ex ſufficientibus fundamentis antiquam ſententiam docuerint, dictum Decretum probabiliter explicando, haberi debet vt probabilis. Sanchez *ſuprà num.* 11. referens Vaſquez, & Sayrum. 10

Cum autem præter hos caſus, vt dixi, regulariter loquendo poſſint Religioſi opinionem minùs probabilem, aut tutam ſequi, probabiliori, & tutiori relicta, ideo aliqua pro ipſorum praxi ex dictis colligi poſſunt. Primò, quoad Prælatos Regulares, ipſos poſſe vti facultate diſpenſandi, abſoluendi, & commutandi circa ſuos ſubditos, iuxta ſententias probabiles (etiam probabilioribus in contrarium relictis) id aſſerentes, de quibus dixi, præſertim *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. Quod idem dico de ſimilibus facultatibus ipſorum, de quibus ſparſim per totam hanc Summam dixi. Secundò, quoad Confeſſarios, poſſe confeſſorem abſoluere pœnitentem ſequendo opinionem minùs probabilem pœnitentis, depoſita opinione propria probabiliori. Vt ſi Confeſſarius credat contractum hunc eſſe prohibitum, & pœnitens iudicet eſſe licitum, & vult contractum inire: vel circa circunſtantias non mutantes ſpeciem confitendas, & ſic de cæteris, Nauarr. *in Manuali, cap.* 26. *num.* 4. Layman. *ſuprà num.* 10. ex Soto, Victoria, Medina, & aliis. Imò teneri Confeſſarium tunc abſoluere pœnitentem, quia talis pœnitens ſequendo dictam opinionem non peccat, ac per conſequens ſufficienter diſpoſitus accedit. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 50. Layman. *ſuprà*. Portellus *ſuprà num.* 8. ex Suarez, Ledeſma, & aliis. Tertiò, quoad Sacerdotes Regulares, illos poſſe celebrare in Altari portatili propter priuilegia, quæ aliqui ipſorum habent, non obſtante quod plures Doctores dicant ea reuocata eſſe per Concilium Tridentinum, iuxta dicta *ſuprà verbo Altare, num.* 13. *& ſeqq.* Quartò, Portellus *ſuprà num.* 9. affert alium caſum ad intentum de Confeſſario cogitatione, vel opere peccante cum filia ſpirituali, cui abſolutionis 11

ſolutionis Sacramentum vel Baptiſmum contulit, quod ſcilicet, iuxta opinionem probabilem, non teneatur talem circumſtantiam confiteri. [Quintò, idem Portellus *in reſponſionibus Moral. tom. 2. caſu* 40. benè ait, quod in caſu quo Religioſus commiſit aliquod crimen propter quod ſunt opiniones diuerſæ, an incurrerit aliquam pœnam, v.g. excommunicationem, inhabilitatem, &c. poterit iudex Regularis non infligere illi talem pœnam; immò non poſſet eam ipſi infligere. Quod quidem verum exiſtimo non ſolùm, quia Religioſi procliuiores eſſe debent in partem benigniorem, quàm in rigidiorem, ſed etiam quia eo ipſo quod ſunt opiniones diuerſæ circa illam pœnam, non conſtat tale delictum eam promereri, ac proinde non debet ſic delinquenti applicari. Vide Sayrum *in Claui Regia lib. 1. cap. 13. num. 22. in additionibus non.* ac Lugo *tom. 2. de iuſt. & iure, diſp. 37. ſect. 10.*] Alia denique plura exempla ad intentum adduci poſſent, de quibus in decurſu huius ſummæ.

ORACVLA VIVÆ VOCIS.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *Conſtitutio Gregorij XV. reuocatoria ipſorum.*
3 *Conſtitutio Sanctiſſimi D.N. Vrbani de eadem re.*
4 *Animaduertenda circa has Conſtitutiones.*
5 *Per illas quæ viuæ vocis Oracula reuocata cenſeantur.*
6 *An illa, quæ ſortita ſunt ſuum effectum.*
7 *An illa, quæ poſtea per Bullam, vel Breue confirmata fuerunt.*
8 *Quid ſi priuilegium per Bullam vni Religioni conceſſum, alteri viuæ vocis Oraculo communicetur.*
9 *Viuæ vocis Oracula quæ, & qualia ſint.*

1 DE iis plura dixi non ſolùm per totum huius Summæ decurſum, ſed ſpecialiter *tom. 1. part. 1. cap. 3. num. 21.* Alia nihilominus addenda, relatis priùs conſtitutionibus Greg. XV. & SS. D. N. Vrbani, quibus iuxta dicta eo loco, reuocata fuerunt.

2 Igitur Gregorius XV. in Conſtitutione *Romanus Pontifex*, quam eo loco retuli, ſic ad intentum. *Itaque motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quam ad exterius ſpectantia, ac tam ad ſupplicationem partium, quam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque, ex quauis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, quibuſuis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Ieſu, ac Congregationibus quibuſlibet, ſiue eorum, & earum reſpectiuè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Prouincialibus, quocunque nomine nuncupatis Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubditis, cuiuſcunque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas; in iis videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annihilata, viribuſque, & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum, de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prædictis viuæ vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque fauorem, propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerint, decernentes, &c.* Et infrà, *Non obſtantibus, &c.*

Poſtea verò SS.D.N. Vrb. ſub anno 1631. die 20. Decembris in Conſtitutione *Aliàs fœlicis*, quæ ad verbum habetur apud Peyrinis *tom. 3. Priuil. Minim. cap. 12. in additam. ad Conſtitut. Vrban. Conſtit. 18. aliàs 28.* & Ioannem Mariam Nouarium *in Lucern. Regular. verbo Oracula viuæ vocis*, ſic ad intentum. *Cum autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, ſæpè ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari; idcirco, quantùm cum Domino poſſumus, his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrum S.R.E. Cardinalium, quibus negotium huiuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula priuilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcunque per Summos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac per Nos viuæ vocis oraculo, & S. R. E. prædicta Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuſcunque Generalibus, Prouincialibus, cæteriſque Superioribus, & perſonis cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſiue ſecularibus, ſiue Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societatis Ieſu, aut eius Clericis, ſeu Preſbyteris, aliiſque perſonis prædictis, quacunque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, nullique prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere, declaramus. Præterea, vt præſentes litteræ omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectant, & pro tempore ſpectabunt, quamtocitiùs innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Ieſu, & inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac priuationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis ipſo facto incurrendis præcipimus & mandamus, vt infra tres menſes proximos à die publicationis præſentium computandos, omnes, & ſingulos Prouinciales eorundem ſuorum Ordinum, Congregationum, ſocietatum, etiam Societatis Ieſu, & inſtitutorum, de iiſdem præſentibus litteris certiores faciant, earumdemque præſentium exemplaria illis tranſmittant. Qui quidem Prouinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, & Locorum Regularium præcipere, vt eaſdem præſentes ſubditis ſuis, vt moris eſt, publicent. Decernentes præſentes litteras, etiam ex eo quòd quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel controuerſiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſiue aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quouis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,* 3

Digitized by Google

facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præinſertis litteris huiuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam Regula noſtra de non tollendo iure quæſito, Priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

4 Circa quæ animaduertendum primò, quod Oraculum viuæ vocis eſt conceſſio, ſeu gratia à Summis Pontificibus oretenus facta ſine ſcriptura. Portellus *in Dubiis Regularium, verbo viuæ vocis Oracula, num. 1.* Bordonus *Reſolut. 31. quæſt. 1.* Vnde non ſolùm conceſſiones factæ per Bullam, aut Breue non dicuntur Oracula viuæ vocis, ſed etiam illæ quæ fiunt per ſignaturam Papæ, quando ſcilicet ipſe alicui petitioni propria manu ſubſcribit, vel ſolùm ſcribendo *fiat*, quia tales conceſſiones non fiunt oretenus, ſed etiam manu. Quamvis autem Oracula viuæ vocis probari non poſſint in forma authentica, niſi ſaltem duo teſtes idonei id conceſſum eſſe affirment, nihilominus Leo X. etiam viuæ vocis Oraculo conceſſit Minoribus, quod tuta conſcientia poſſent vti omnibus conceſſis à Sede Apoſtolica, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac ſi omnia fuiſſent ſpecificè expreſſa, & pro maiori conſcientiarum ſecuritate omnia de nouo conceſſit. Et quod non ſint minoris efficaciæ, & valoris, quàm ſi per Bullam, aut Breue ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa. Caſſarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium, verbo Oracula viuæ vocis, num. 1. & 2.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 7. art. 5. & tom. 3. quæſt. 22. art. 1. & 2.* Portellus *ſuprà num. 2.* Imò etiam, ſtando in iure communi, viuæ vocis Oracula habent eandem vim, ſaltem in foro conſcientiæ, ac aliæ Conſtitutiones Papales, prout colligitur *ex cap. inſtitut. 25. quæſt. 2.* & Clementina *Dudum, §. Nos etiam de Sepult.* vbi Gloſſ. *verſ. verbo.* De quo Anguianus *tract. de leg. lib. 1. cont. 9. à num. 9.* Addit Peyrinis *tom. 1. priuil. Minim. in Conſtitut. 17. Iulij 2. §. 1. num. 1.* hoc intelligendum eſſe tam in iudicio, quam extra illud, ex Conſtitutione 22. Iulij II. apud Rodriguez in Bullario, *pag. 277. num. 1.* Sed ibi non videtur hoc concedi à Pontifice Eremitis S. Auguſtini, pro quibus edita eſt illa Bulla, ſed ſolùm, quod omnes conceſſiones, ſiue in forma Breuis, ſiue per ſupplicationem ſola ſignatura factæ, habeant tam in iudicio quam extra illud eandem efficaciam, quam ſi plumbeo ſigillo obſignatæ eſſent. Vnde nihil ibi de viuæ vocis Oraculis. Quod etiam colligo ex Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regularium, quæſt. 7. art. 5. & quæſt. 8. art. 16.* vbi agit de huiuſmodi priuilegio Eremitarum S. Auguſtini. Id tamen quod idem Iulius II. conceſſit eiſdem PP. Eremitanis apud eundem Rodriguez immediatè poſt prædictam Bullam, ſcilicet communicationem priuilegiorum aliorum Ordinum Mandicantium factam eidem Ordini Eremitarum S. Auguſtini, ad ea etiam extendi, quæ viuæ vocis Oraculo ab illis impetrata ſunt, manet in ſua vi, & communicari poteſt aliis Ordinibus Mendicantibus. Nota etiam id, quod dicto *cap. 5. num. 21.* dixi, quod reuocatis aliis priuilegiis non cenſeantur viuæ vocis Oracula reuocata, niſi expreſsè ſpecificentur. Videntur enim ſpeciali notâ digna. Portellus *ſupra n. 3.* ex Henriquez. Refert etiam pro eo Peyrinis *ſuprà num. 2.* Sà *in Summa, verbo gratia, num. 13.* quatenus eo loco habet, quod per Conſtitutiones etiam habentes clauſulam generalem *non obſtantibus, &c.* non reuocentur priuilegia, conſuetudines, aut viuæ vocis Oracula, niſi exprimantur, aut nominentur.

Specialiter etiam circa reuocationem Oraculorum viuæ vocis factam à Summis Pontificibus Gregorio, & Vrbano, nota primò, per eam non videri reuocata ea viuæ vocis Oracula, quæ conceſſa ſunt generaliter omnibus fidelibus, aut omnibus Eccleſiaſticis, &c. iuxta dicta *ſuprà verba Officium diuinum, num. 13.* ex noſtro Reuerendiſſ. Theodoro Stratio, vt enim patet ex Conſtitutionibus relatis, ſolùm reuocantur ea, quæ conceſſa ſunt aliquibus Religionibus, Communitatibus, &c. Prælatis, ſeu perſonis particularibus. Secundò, iuxta dicta eo *num. 21.* non reuocari ea viuæ vocis Oracula, quæ non continent aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum, ſed ſunt meræ declarationes, aut explicationes. Quod poſtea ſequutus eſt Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Priuilegia, num. 5.* & Bordonus *ſuprà num. 7.* Qui etiam *num. 2. 3. & 4.* dicit nec reuocata eſſe illa viuæ vocis Oracula, quæ continent gratiam omninò fauorabilem, & nulli præiudicialem. Sed licet hoc probabilitatis ſpeciem præſeferat, quia tamen Conſtitutiones Gregorij, & Vrbani relatæ vniuerſaliſſimè loquuntur, & ita, vt credo, iuxta praxim Curiæ intellectæ ſunt, præſertim quia aliàs ſequi videretur inutilem fermè eſſe reuocationem per ipſas factam, cum omnia fermè viuæ vocis Oracula Religionibus aut Religioſis conceſſa concernant, ſaltem Regulariter loquendo, forum conſcientiæ, nec aliis præiudicium afferant; ideo oppoſitum dicendum. Probabile tamen eſt, quod ipſe eo *num. 4.* poſt Peyrinis loco relato *ex 3. tom. priuil. Minim. num. 1.* tenet, ſcilicet quod ſub illa reuocatione non cadunt viuæ vocis Oracula concedentia indulgentias, non ſolùm quia illæ videntur ſpeciali notâ dignæ: ſed etiam quia non nominantur, nec venire commodè poſſunt nomine priuilegiorum, aut gratiarum, ſed ſunt omnino diuerſa, & à diuerſis non fit illatio, præſertim in odioſis, qualia eſt hæc Conſtitutio, cum ſit reuocatoria tot priuilegiorum. Dixi autem ſolùm probabile id eſſe, quia cum Pontifex Gregorius reuocet *omnes gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectantes*; ſimiliter Vrbanus reuocet etiam omnes, & quaſcunque gratias, &c. per viuæ vocis Oraculum conceſſas, & nomine *gratia* quo vterque vtitur, & *conceſſionis*, quo vtitur Gregorius, iure intelligendæ veniant etiam Indulgentiæ, ideo ipſæ etiam reuocatæ videntur, prout ſuppoſui dicto verbo *Indulgentia quoad Regulares, n. 11. & 12.* Vtrumque ergo probabilitate gaudet.

Specialiter etiam tertiò notandum circa dictam Conſtitutionem Vrbani, quod iuxta dicta eo *num. 21.* probabile ſit, quod non cenſeantur reuocatæ per ipſam conceſſiones factæ per viuæ vocis Oracula, quæ ſunt ſortita ſuum effectum, licet effectus habeat tractum ſucceſſiuum pro futuro tempore. Vnde ſi aliquis Religioſus habuit gratiam ante hanc Conſtitutionem à Pontifice, ſolo viuæ vocis Oraculo, quod eſſet Magiſter, Præſentatus, aut quid ſimile, non cenſetur reuocata per illas. Quod poſtea ſequuti ſunt Peyrinis *ſuprà n. 4.* & Nouatius *ſuprà verbo Priuilegia, num. 6.* Fauetque maximè declaratio Sac. Congregat. Epiſcoporum, & Regularium, quam eo loco indicaui, & refert Caſtellinus *de elect. cap. 5. num. 37.* Ex ea enim conſtat, 6

quod

quod cum pro parte Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religioſorum Prouinciæ Bœticæ petitum fuerit à Sac. Congregatione quod declararet, an ſtante Conſtitutione Greg. XV. reuocatoria Oraculorum viuæ vocis, gratiæ, & priuilegia viuæ vocis oraculo facta Magiſtris Generalibus, Vicariis Generalibus, & Procuratoribus generalibus, conceſſa eorum Ordini, quæ ſortita fuerunt effectum ante reuocationem, licet effectus habeant tractum ſucceſſiuum, vel aliàs reſpiciant particulares perſonas, vt ſunt Præſentaturæ, vel Magiſteria, non obſtante prædicta reuocatione maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur, vti in dicta reuocatoria Conſtitutione non comprehenſa, vel aliqua indigeant reualidatione, tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus: eadem Sacra Congregatio reſpondit, *Prædictas gratias, & priuilegia in dicta reuocatoria Conſtitutione non comprehendi, nullaque reualidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & eſſe, eiſdemque ſecurè vti poſſe cenſuit, prout aliàs fuit reſponſum.* Hæc autem declaratio, etſi ſolùm pro Conſtitutione Gregorij data ſit, applicari etiam poteſt Conſtitutioni Vrbanæ. Nota tamen, quod ſi aliquis Religioſus habeat per aliquod viuæ vocis Oraculum ſibi conceſſum facultatem v.g. diſpenſandi, vel abſoluendi quemlibet ad ſe venientem in caſibus reſeruatis, & talem facultatem nondum exercuit, reuocatam cenſeri per dictas Conſtitutiones, quia illa non eſt ſortita ſuum effectum, neque habet tractum ſucceſſiuum per vnicum ſolùm actum, prout illum habent gratiæ relatæ in declaratione Sacræ Congregationis, ſed per plures independentes ab inuicem. Quod dixerim contra aliquos, qui non rectè percepiſſe videntur id quod loco relato dixi.

7 Dubium tamen eſt, an per dictas Conſtitutiones reuocata etiam ſint viuæ vocis Oracula, quæ etſi primitus verbo tenus conceſſa ſunt, poſtea tamen per Bullam, vel Breue fuerunt confirmata. Ad quod Bordonus *ſuprà num. 4. & 5.* affirmatiuè reſpondet. Probabilius tamen credo contrarium cum Peyrinis loco relato *ex verb priuileg. Minim. n. 1.* Quod intelligo non ſolùm quando prædicta viuæ vocis Oracula nominatim, & expreſsè referuntur in dicta Bulla, ſeu Breui, ſed etiam quando in genere, aut in communi ſub nomine viuæ vocis Oraculi innouantur, aut confirmantur ex certa ſcientia, ſeu cum illa clauſula, *Quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum, &c.* quia iam prædicta viuæ vocis Oracula deſinunt eſſe talia, & ſunt veluti conceſſa per dictas Bullas, Breuia, ſeu Reſcripta Papæ. Vnde infert idem Author, viuæ vocis Oracula conceſſa Religionibus Mendicantibus ante Pium V. non reuocari per dictas Conſtitutiones, quia ipſe Pius V. in Bulla *Etſi Mendicantium*, quam retuli *tom. 1. part. 2. cap. 13. num. 12.* confirmat omnia priuilegia etiam viuæ vocis Oraculo conceſſa Mendicantibus, &c. Idemque dicit de viuæ vocis Oraculis conceſſis ante Greg. XIII. propter aliam Bullam ipſius, in quibus pro Minimorum Ordine illa confirmat, quæ an practicari poſſint, aut conformia ſint menti Pontificum, docti videbunt. Vide ad hoc intentum Bullam Pauli V. quæ incipit, *Decet Romanum*, conceſſam Patribus noſtris Diſcalceatis, & quæ habetur inter priuilegia ipſorum in Paulo V. Bulla 4. [An autem per dictas Conſtitutiones reuocentur eæ conſuetudines quæ fundatæ ſunt in ſuo principio in aliquo viuæ vocis oraculo, tractat Portellus *in reſponſionib. Moral. tom. 2. caſu 13. num. 18.* Et quamuis ipſe teneat partem affirmatiuam, nihilominus probabilis etiam eſt pars negatiua, tum propter vim conſuetudinis, quæ poteſt inducere, & abrogare legem: tum quia dici poteſt quod tales conſuetudines quatenus fundatæ in viuæ vocis Oraculis, abrogatæ ſint per dictas Conſtitutiones, non tamen quatenus ſunt conſuetudines legitimæ, & rationabiles habentes conditiones ad illas requiſitas, de quibus dixi *ſuprà verb. Leges Regularium, num. 55.* Et ita hanc partem tenet vir quidam doctus, quem ipſe Portellus *ſuprà* refert.]

Quartò nota, quod ſi priuilegium per Bullam vni Religioni conceſſum, viuæ vocis Oraculo alteri communicetur, probabile ſatis eſt, tale viuæ vocis Oraculum non reuocari per dictas Conſtitutiones. Nam verè non eſt ſimpliciter viuæ vocis Oraculum, ſed priuilegium Bullarum. Turrianus *part. 2. ſelectarum diſputationum, diſp. 16. dub. 5.* quem referunt, & ſequuntur Peyrinis *ſuprà num. 2.* Bordonus *ſuprà num. 6.* 8

Quæ autem, & qualia ſint huiuſmodi viuæ vocis Oracula Religionibus conceſſa, ex Compendiis priuilegiorum ipſarum conſtare poterit. Plura ipſorum habet Caſſarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium*, vbi ea quæ ſunt authentica notat O magno, quæ verò authentica non ſunt, o paruo. Plura quoque ipſorum refert Rodriguez *in ſuo Bullario*, circa ſingulos Pontifices, qui illa conceſſerunt. 9

ORATORIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Oratorium quid, & quotuplex.*
2 *De Oratoriis publicis, ipſorumque priuilegiis.*
3 *Oratoria priuata qualiter permiſſa.*
4 *Quæ Oratoria gaudeant immunitate Eccleſiaſtica.*
Eorum bona an alienari poſſint. ibid.
5 *In quibus oratoriis miniſtrari poſſit Eucharistia.*
Quæ alia in ipſis fieri poſſint. ibid.
6 *De Oratoriis priuatis in Domibus Regularium.*
7 *Dubium, an in Oratoriis celebrari poſſint plures Miſſæ vna die.*
8 *An illis aſſiſtentes ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam.*
9 *Breue Pauli V.*
10 *Alia ex ipſo.*
11 *Non poſſunt vna die dici plures Miſſæ.*
12 *Quia priuilegium hoc debet reſtringi.*
13 *Quia Pontifex loquitur de Miſſa in numero ſingulari.*
14 *Quando appellatione numeri ſingularis venit pluralis.*
15 *Quando eſt eadem ratio in vtroque.*
16 *Non obſtat canon* ſi quis etiam.
17 *Alia obiectio ſoluitur.*
18 *Qui ex familiaribus ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam, & qui non.*
19 *Intelligentia indulti.*

ORatorium propriè eſt locus aptus ad orandum. Angelus *in Summa, verbo Eccleſia, num. 3.* Syluester, & alij Summiſtæ *in Summa, verbo Oratorium.* Eſt duplex, aliud publicum, & aliud priuatum: rurſus priuatum, aliud quod pro domibus ſæcularium conſtruitur, aliud quod in domibus Regularium. De quibus omnibus ſigillatim dicendum. 1

Et quidem loquendo de publicis Oratoriis, præſertim vbi Miſſa eſt celebranda, illa quidem primò ſunt auctoritate Epiſcopi, non ſecus ac Eccleſiæ ipſæ, conſtruenda, *cap. quidam 18. quæſt. 2. cap. nemo, de conſec. diſt. 1. Authent. vt nullus fabr. Orat.* Item ab eodem antea deſignanda. Concil. Trident. *ſeſſ. 22. in Decreto de obſeruandis, & euitand. in celebr. Miſſar.* Similiter ad Dei tantummodò cultum dedicanda, *cap. Oratorium, & cap. in Oratorio, diſt. 42.* Rodericus à Cunha *in Comment. ad dict. cap. Oratorium*, Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 8. n. 7.* Pariter etiam ſunt ab eodem Epiſcopo benedicenda, ſeu conſecranda, iuxta dicta *ſuprà verbo Eccleſia, ſeu templum.* Vbi etiam an quoad hoc ſint 2

aliqua

Digitized by Google

aliqua priuilegia inter Regulares. Si ea polluí, vel violari contingeret, reconciliari, & benedici poſſunt, ſicut & Eccleſiæ. Barboſa *ſuprà num.*8. Qualiter porrò id faciendum, & de priuilegiis Regularium quoad illud, habetur ibidem verbo *Eccleſia, ſeu templum.* Præterea, iuxta dicta ibidem *ſupra verbo Immunitas Eccleſiarum*, *num.* 2. huiuſmodi Oratoria Eccleſiaſticâ gaudent Immunitate. De quo Riccius *in Praxi, part.*4. *Reſolut.*427. Auctoritate demum Epiſcopi præſumitur Oratorium à principio erectum, quando haberet Altare lapideum ſtabile, & non portatile, vt per Decianum *in tract. crimin. lib.*6. *cap.* 25. *num.*19. Farinac. *de Immun. Eccleſ. num.*267. affert Barboſa *ſuprà num.* 10.

3 Loquendo etiam de Oratoriis in priuatis domibus ſæcularium, vnicuique fidelium illa in domo ſua habere permittitur, *cap. vnicuique, de Conſecrat. diſt.* 1. Angelus, & Syluest. *ſupra verbo Oratorium.* Sed Oratoria huiuſmodi non debent eſſe in forma Eccleſiæ. Iidem Angelus, & Sylueſter. Nec ſunt tanquam Eccleſiæ conſecranda. Barboſa *ſuprà num.* 3. Nec in eis habendæ campanæ, *cap. patentibus, de priuileg.* Sylueſter, & Barboſa *ibidem.* Nec in eis Miſſa eſt celebranda, dicto *cap. vnicuique*, cum ſequentibus. Angelus, Sylueſter, & Barboſa. Niſi de licentia Epiſcopi, *cap. Clerici, de conſecrat. diſt.*1. Angelus, & Sylueſter *ſuprà.* Imò contra oppoſitum facientes, quantumvis Regulares procedere poſſunt Epiſcopi, etiam per cenſuras, iuxta dicta *ſuprà verbo Epiſcopus quoad Regulares*, *num.*19. His autem temporibus ad hoc quod Miſſa dici poſſit in oratoriis priuatis, non ſufficit licentia Epiſcopi, ſed requiritur Sedis Apoſtolicæ licentia; prout ſæpiùs declarauit Sacra Congregatio, ſpecialiter in Epiſtola eiuſdem ad Archiepiſcopum Bononienſem, quam referunt Naldus *in Summa, verbo Miſſa*, *n.* 31. & Paſqualigus *in deciſ. Moral. deciſ.* 165. in qua grauiſſimè reprehenditur vſus in contrarium, & ipſi intimatur, vt facultates antea conceſſas, irritas, & nullas eſſe declaret, ac denotatur idem quoque intimatum fuiſſe cæteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis. Nota autem, quod oratoria, quæ penitus ſeiuncta ſunt à domibus priuatorum ciuium, & ad quæ non patet ingreſſus per eaſdem domos, ſed potiùs per viam publicam, & communem, concurrentibus cæteris requiſitis, non comprehenduntur in prædicto Decreto, ſed arbitrio Ordinarij poterunt declarari habilia, & apta ad diuina in ipſis celebranda abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ facultate, prout aliàs cenſuerunt conſulti patres Doctiſſimi, eodem Naldo ſuprà referente. De quo etiam Paſqualigus *Deciſ.*173. Caſu etiam quo Sedes Apoſtolica prædictam facultatem celebrandi in priuatis iſtis oratoriis conceſſerit, exceptis Feſtis Solemnioribus, celebrari in ipſis non poteſt, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 31. in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis, feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, vt cenſuit Sacra Congregatio apud Barboſam *ſuprà num.* 5. Iure etiam communi, *cap. ſi quis, de conſecr. diſt.* 1. qui habent oratoria in agro non poſſunt ibi audire Miſſas in Paſcha, Natali Domini, Epiphania, Aſcenſione, Pentecoſte, Natali S. Ioannis Baptiſtæ, & ſimilibus diebus. Limitatio porrò illa facta à Sac. Congregatione pro diebus Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, probabiliter ſanè intelligenda venit ſolùm pro primis diebus harum Feſtiuitatum, quia reſtrictio indulti, ſeu gratiæ ſapit odium, & ſic ſtrictè interpretanda. Naldus *ſuprà verbo Interdictum, num.*8. Quibus fauent ea quæ probabilia eſſe dixi ex Soto, Auila, Bonacina, Hurtado & Diana *tom.*3. *verbo Interdictum quoad Regulares, num.* 27. Qua autem moderatione, & pro quibus Miſſis huiuſmodi oratoria concedi debeant, habet Gauantus *in Comment. in Rubr. Miſſal. part.* 1. *tit.* 20. *§. in iis autem.*

Quamvis autem oratoria publica, vt dictum eſt, gaudeant Immunitate Eccleſiaſtica, ſed non iſta priuata oratoria, iuxta dicta *ſupra verbo Immunitas Eccleſiarum*, & ita declaratum dicitur à Sac. Congregatione Immunitatis apud Barboſ. *in Collect. Bullar. verbo Oratorium.* Deinde, quamvis ſimiliter oratoria publica gaudeant ſolemnitate requiſita ad alienationem rerum Eccleſiæ, ita vt ſine illa alienari non poſſint eorum bona, non autem oratoria priuata. Licet etiam oratoria publica quoad effectum furti, copulæ, pollutionis, &c. nomine loci Sacri, aut Eccleſiæ veniant, ſed non oratoria priuata, cùm illa, & non iſta authoritate Epiſcopi fundentur, & iſta, & non illa ad nutum fundatoris ad prophanos vſus reduci poſſint. De quibus, & aliis differentiis inter vtraque oratoria, Sylueſter *in Summa, verbo loca Religioſa*, præſertim *quæſt.* 2. Acuña *ſuprà*, Barboſ. *ſupra dicto cap.* 8. *à num.* 12. & aliis. 4

An in huiuſmodi priuatis Oratoriis poſſint Regulares, cum ibi celebrant, miniſtrare Euchariſtiam, habes ex dictis *ſuprà verbo Euchariſtia*, *num.* 11. Vbi etiam an virtute Bullæ Cruciatæ id fieri poſſit. Quæ autem fieri poſſint in eiſdem priuatis Oratoriis virtute eiuſdem Bullæ Cruciatæ, maximè tempore Interdicti, dixi *ſuprà verbo Bulla Cruciata*, *num.* 14. De quo etiam Diana 5. *part. tract.* 10. *reſolut.* 76. ex Ludouico de Cruce, & aliis. Maximè notandum pro iſtis Oratoriis, quod licèt, iuxta dicta ſuprà, in illis non poſſit celebrari ſine facultate obtenta à Sede Apoſtolica, & hoc limitatè, ſcilicet exceptis Feſtis Solemnioribus ibi aſſignatis, ſtando tamen in vi priuilegij Bullæ Cruciatæ non videtur requiri talis approbatio Sedis Apoſtolicæ, nec habet locum talis limitatio. Eo quod in dicta Bulla Pontifex abſolutè & ſine vlla limitatione concedit, quod illam habens poſſit audire, aut celebrare Miſſam in Oratorio priuato ab Epiſcopo deſignato, & viſitato, etiam tempore Interdicti, hoc eſt omni tempore anni, præterquam in die Paſchatis, vt ibi dicitur. Sic colligo ex Ægidio Trullench. *in Expoſit. Bullæ Cruciatæ lib.* 1. *§.* 3. *dub.* 4. & Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 76. Quibus fauet Rodriguez *in Addition. ad Bull. Cruciat. §* 5. *num.* 1. Illud tamen non placet, quod idem Diana 5. *part. tract.* 12. *reſolut.* 43. ex relato Trullench approbat, quod ſcilicet viſitans in domo ſua Oratorium priuatum, lucretur Indulgentiam Bullæ Cruciatæ conceſſam viſitantibus vnam Eccleſiam. Nomine enim Eccleſiæ quo vtitur Bulla, non veniunt, nec venire poſſunt hæc priuata Oratoria, cum ſine dote, aut licentia Epiſcopi fundentur, ſine illa prophanentur, nec gaudeant aliis priuilegiis Eccleſiæ, iuxta dicta *ſuprà.* Fagundez *in* 2. *præcept. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 47. *num.* 36. Barboſa *ſup. num.* 11. *&* 16. ex aliis. 5

Loquendo autem de Oratoriis priuatis in domibus Regularium, cum conſtet *ex dict. cap. vnicuique, de Conſecr. diſt.* 1. vnicuique licere in domo ſua Oratorium erigere, non eſt aliqua ratio cur id non ſit permiſſum omnibus Regularibus in ſuis domibus. Idque ſupponitur in aliquibus ipſorum priuilegiis, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 14. *&* 15. De quo etiam Azor. *tom.* 1. *inſt. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 9. Fagundez *in primum Eccleſ. præcept. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 17. *&* 18. An verò in illis celebrari poſſit propter aliqua priuilegia Religionum, habes ex dictis *ſuprà verbo Altare*, *num.* 13. 14. *&* 15. De quo etiam Paſqualigus *ſuprà deciſ.* 174. *& ſequentibus.* Addit Gauantus *ſuprà*, *§. Addam ex Scortia, cap.* 13. *lib.* 2. quod in Oratoriis, quæ ſunt in domibus Religioſorum priuilegia Societatis Ieſu participantium, iuxta conceſſionem Gregor. XIII. ſi ea deputentur ad Miſſam celebrandam à Prouinciali, poterunc 6

ibi Sacerdotes alij non Regulares celebrare. De quo
etiam Paſqualigus *ſuprà Deciſ.*180.
7 Dubium tamen mihi propoſitum fuit, an in Ora-
toriis priuatis ſæcularium, in quibus Papa concedit ce-
lebrari poſſe *Miſſam*, ſeu *ſacrificium*, poſſint plores
Miſſæ. aut plura *ſacrificia* eodem die celebrari. Et an
illis aſſiſtentes ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam.
8 Quod dubium mihi propoſitum fuit propter Breue
Pauli V. quo anno 1612. hæc conceſſit cuidam no-
9 bili familiæ, *vt in priuato quodam Oratorio in villa
quadam exiſtente ſacroſanctum Miſſa Sacrificium per
quemcunque Sacerdotem ſecularem, ſeu de ſuperiorum
ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcunque
iurium Parochialium præiudicio, ac Paſchatis, Reſurre-
ctionis, Pentecoſtes, & Natiuitatis Domini noſtri Ieſu
Chriſti feſtis diebus exceptis, in veſtra, ac familia,
veſtra, necnon eorum quos inibi adeſſe contigerit, præ-
ſentia celebrari facere licitè valeatis, Apoſtolica au-
thoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & in-*
10 *dulgemus, non obſtantibus, &c.* Et poſtea: *Volumus au-
tem quod familiares ſeruitiis veſtris non neceſſarij ibi-
dem Miſſa intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam
in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minimè liberi cen-
ſeantur.*
11 Dixi ergo primò, non poſſe vna die in eo Oratorio
celebrari plures Miſſas. Sic colligo ex P.Diana *9.part.
tract. de orator. priuat. reſol.5.* referente Quintanadue-
ñas, quem videre non potui, & Marchinum *de Sa-
cram.Ordin.tract.3.part.3.cap.9.num.9.* in quo nihil de
hoc reperi. Id tamen tenet Pellizzarius *tom. 2. man.
regul.tract.*8.*cap.*2.*ſect.*2.*num.*144. Colligitur etiam ex
Decreto Pauli V. quod idem Diana refert, ita decla-
rantis. Deinde, quia ſine dubio hoc priuilegium de-
rogat iuri communi, quo ſtatuitur, vt Miſſæ audian-
tur in Eccleſiis: non ergo debet ampliari, ſed reſtrin-
12 gi, iuxta communem regulam, *cap. porrò de priuileg.*
vbi DD. de quo plura dico *verbo priuil.reg.num.*8. Præ-
13 terea, quia cum Pontifex loquatur in numero ſingu-
lari, dicens *Miſſa ſacrificium*, non eſt cur intelligi poſ-
ſit de pluribus Miſſis. Tum quia ſi Pontifex id inten-
14 deret, facilè id declarare poſſet dicendo *Miſſas*, aut
Sacrificia. Tum quia etſi numeri ſingularis appellatio-
ne veniat quandoque pluralis, *l. 2. §. hereditas, ff. de
ſuis & legit. heredib. l. ſi quis ita, verſ. ſi quis filio, ff. de te-
ſtam.tut. §. ſi plures, Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.* & DD.
quos refert Barboſa *in tract. de appellat. verb. iur. ſignific.
15 appellat.* 169.*num.*4. Id tamen debet intelligi quando eſt
eadem ratio in numero plurali, ac ſingulari. Barboſ. *ibid.
num.* 1. ex aliis. Quod non procedit in caſu præſenti,
quia multò magis præiudicatur iuri communi per cele-
brationem plurium Miſſarum in dicto oratorio, quàm
per celebrationem vnius.
16 Nec obſtat quod *in can. ſi quis etiam, de conſec. diſt. 1.*
dicatur quod qui habet oratorium in agro, ibi *Miſſas
audiat*. Etenim illud *Miſſas*, intelligi debet in multis
diebus, non vna die. Sicut infra dum dicitur de clericis,
Miſſas celebrare voluerint, intelligitur etiam pluribus
17 diebus, non vna. Similiter non obſtat, quod haben-
tes priuilegia ad celebrandum in loco aliàs decenti, &
honeſto, poſſent in illo oratorio celebrare, etiamſi in
eo vna Miſſa eo die celebrata ſit. Quidquid enim de
hoc ſit, de quo alibi, dato quod id fieri poſſit, id non
eſſet ex vi priuilegij conceſſi huic Oratorio, ſed ex vi
priuilegiorum conceſſorum ſacerdotibus celebranti-
bus. Sic colligo ex Diana *d. reſolut.*5. & Barb. ab ipſo
relato.
18 Dico ſecundò, aſſiſtentes illi Miſſæ, qui non ſunt
de familiaribus neceſſariis illius familiæ, non ſatisfa-
ciunt præcepto audiendi Miſſam diebus de præcepto.
19 Hæc enim eſt vera, & legitima intelligentia verborum
illius indulti. Et ita ea intelligit Marchinus *ſup. num.* 10.
fauet Diana *reſol.6.§. verùm.*

ORDINES SACRI.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *Ordo quid, & quotuplex.*
3 *De materia, & forma Ordinis.*
4 *De ſubiecto capaci illius.*
5 *De Miniſtro ipſius.*
6 *An aliquibus Regularibus competat miniſtrare Ordines.*
7 *An ligati cenſura poſſint illud miniſtrare.*
8 *Quo in loco conferri poſſint Ordines.*
9 *Quo tempore.*
10 *Quibus poſſint Abbates Ordines, vel Tonſuram conferre.*
11 *Regulares ſubduntur Epiſcopis quoad collationem Ordinum.*
12 *Prælati Regulares debent dimiſſorias concedere.*
13 *An Regulares ordinandi neceſſariè examinari debeant.*
An poſſint Prælati exempti concedere dimiſſorias ſuis ſubditis ſæcularibus. ibid.
14 *De ætate ad Ordines requiſita.*
15 *De irregularitate defectu legitimæ ætatis.*
16 *De interſtitiis ad Ordines neceſſariis.*
17 *Religioſi ordinantur ſine titulo beneficij, aut patrimonij.*
De Religioſo inualidè profeſſo, & Ordines ſuſcipiente. ibid.
18 *Quid de Religioſo ordinato cum dubio de ſua profeſſione, ſi reuertatur ad ſæculum.*
19 *Ordinari non poſſunt Regulares extra tempora.*
20 *De irregularitate propter ſuſceptionem furtiuam Ordinum.*
Quid quando Epiſcopus declarauit ſe non habere intentionem ordinandi accedentes furtiuè, excommunicatos, &c. ibid.
21 *Probatio de vita, & moribus in ordinandis, &c. qualiter requirantur.*
23 *Reſolutio caſus de quodam ordinato.*
24 *Quia ordinatus eſt cum expectatiua dimiſſoriarum, quas actu non habebat, grauiter peccauit.*
25 *Si ordinatus eſt iuxta tenorem illarum, probabile eſt non incurriſſe pœnas latas.*
26 *Quia probabilis eſt ſententia affirmans, quod priuilegium valet à tempore conceſſionis.*
27 *An ordinatus ad titulum beneficij, quod non poſſidebat, inciderit, in ſuſpenſionem canonis* Sanctorum, diſt. 70.
28 *Probabilius eſt, quod non.*
29 *An incurrerit ſuſpenſionem latam à Pio II.*
30 *An impoſitam à Pio V.*
31 *Quòd ordinatus fuerit extra tempora in vim Breuis ſubreptitij, incurrit ſuſpenſionem à Pio II. poſitam.*
32 *Quia imponitur contra ſuſcipientes ſacros ordines extra tempora.*
33 *Celebrando incurrit irregularitatem.*
34 *An poſſit abſolui ab alio, quàm à Papa.*
35 *Quid ſi caſus eſſet occultus.*
36 *Quid de irregularitate à Pio II. impoſita.*
37 *An requiratur temeritas, ſeu præſumptio.*
38 *An à S. Pœnitentiaria, vel Epiſcopo abſolui, aut diſpenſari poſſit.*
39 *Quid ex vi Bullæ Cruciatæ in Hiſpania.*
40 *An Epiſcopus poſſit acceptare pro foro externo.*
41 *In irregularitate non diſpenſatur ex priuilegio Bullæ.*
42 *Quid ſi eſſet probabilis ſententia quorundam Doctorũ.*
43 *Potuit Epiſcopus priuare illum beneficiis Eccleſiaſticis.*
44 *De aliis, quæ geſſit.*

DE illis, prout ſpecialiter ad Regulares ſpectare poſſunt, non pauca dixi *tom.* 1. *cap.*14. & *ſuprà verbo Dimiſſoria*, & *verbo Interſtitia*: plura quoque ſparſim

ſparſim per totam hanc Summam. Nihilominus alia nunc addenda pro maiori materiæ complemento, præſuppoſitis primò generalibus principiis ipſius.

2 Et primò quidem dari Sacramentum Ordinis res eſt certa de fide, vt ex Concilio Florentino *in Inſtructione Armenorum*, & ex Tridentino *ſeſſ.23.cap.2.* docent communiter DD. ſpecialiter Bellarminus *de Sacramento Ordinis*, Ledeſma *in Summa, prima parte de Sacrament. Ordinis, cap.1.* Valentia *tom.4.diſp.9 quæſt.1. puncto 2.* Fuit inſtitutum à Chriſto in vltima Cœna, Lucæ 22. illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ibi enim contulit Chriſtus Apoſtolis authoritatem Sacerdotalem, in qua omnes Ordines formaliter, vel eminenter continentur. Valentia *ſuprà punct.4.* Henriquez *lib. 10. cap.3.* Eſt autem Ordo *Sacramentum, à quo ſpiritualis poteſtas traditur ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Chriſti.* Quæ definitio accommodatur ſingulis Ordinibus, ſiquidem in Ordine Sacerdotali confertur talis immediata poteſtas, in aliis verò mediata. Sotus *in 4.diſtinct.14. quæſt.1. art.1.* Bonacina *de Sacramento Ordinis, diſput. 8. quæſt. vnica, punct.1.num.1.* Candidus *4.part.diſquiſit.4.art.1. dub.1.* Sunt autem Ordines ſeptem, ſcilicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita enim colligitur ex Concilio *ſuprà cap.2.* & ex S.Thoma *in Additionib. ad 3.part.quæſt.37. art.3.* Vbi Nuñus, & alij ipſius Expoſitores. De quo etiam inter antiquiores Doctores noſter Ioannes Bacco *in 4. diſt. 25. quæſt. 1.* & noſter Guido *in lib.contra hæreſes, de hæreſibus Vualdenſium c.14.* Ex quibus quatuor priores vocantur Ordines minores, & non Sacri, tres autem poſteriores maiores, & Sacri, per antonomaſiam, ſcilicet quia propinquiùs ad Euchariſtiam accedunt, Sanchez *tom.1.opuſc.moral. lib.7.cap.1.dub.1. num.6.* Sunt autem omnes hi ſeptem Ordines vera Sacramenta characterem imprimentia, ac gratiam conferentia, eſto plures Theologi negent de quatuor minoribus Ordinibus. Probatur, tum ex Concilio Florentino *in Decreto Eugenij.* Poſtquàm enim dixit, ordinem eſſe ſextum Sacramentum, continuò ponit exempla de Ordine Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, & addit idem de aliis Ordinibus intelligendum. Tum ex Trident. *ſeſſ.23. cap. 2.* vbi hos omnes numerat inter Ordines. Et poſtea *cap.3.* abſolutè dicit ordinem eſſe Sacramentum. Tum etiam, quia per omnes illos traditur poteſtas, ſiue proximè, ſiue remotè, ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Chriſti. Vualdenſis noſter *de Sacramentis cap.116.* Bellarminus *de Ordin. cap 8.* Sanchez *ſuprà dub. 7.* ex multis aliis. Quamuis autem plurium ſententia ſit, Epiſcopatum non eſſe Ordinem, aut Sacramentum propriè, nec gratiam conferre, prout tenent Syluester *in ſumma, verbo Ordo primò, quæſt. 1. dub. 3.* Sotus *lib. 10. de iuſtitia, quæſt.1. art.2. & in 4.diſt. 24. quæſt.2. art.3.* Bonacina *ſuprà num. 3.* ex pluribus etiam aliis. Probabilius tamen eſt oppoſitum, ſcilicet Epiſcopatum Ordinem, & Sacramentum eſſe, characterem imprimere, gratiamque conferre. Primò ex *cap.1. diſt.32.* vbi quarto loco numeratur Subdiaconatus, quia nimirum Epiſcopatus eſt primus Ordo, vt notat Gloſſ. *ibid.* Item ex Concilio Trident. *ſeſſ. 23. cap. 4. de Sacramento Ordinis*, vbi videtur conſtitui diſtinctus Ordo à Sacerdotio, vt obſeruant Nauarrus, & Valentia infrà. Deinde, quoniam Epiſcopatus ordinatur etiam ad conficiendum Corpus Chriſti, quod eſt de eſſentia Sacramenti Ordinis; ordinatur enim ad conſecrandum vaſa Sacra ſine quibus confici non poteſt, & ad ordinandos Sacerdotes, & alios Miniſtros neceſſarios ad Euchariſtiæ celebrationem. Bacco, & Vualdenſis *ſuprà.* Nauarrus *in Manuali cap. 22. num. 18.* Valentia *ſuprà quæſt.1.punct.2. in fine.* Martinus Fornarius *de Ordine cap.1. § 4.* & Sanchez *ſuprà dub. 9.* poſt plures alios.

Illud certum, primam Tonſuram Sacramentum Ordinis non eſſe, iuxta dicta *ſupra verbo Irregularitas, num.5.* quia ipſa ſolùm eſt inchoatio quædam, & diſpoſitio ad Ordines. Sanchez *ſupra quæſt. 6.* poſt D. Thom. & alios communiter. Certum etiam eſt omnes ſeptem ordines dicendos eſſe vnum Sacramentum Ordinis, & quia ad vnum finem omnes diriguntur, ſcilicet Euchariſtiam perficiendam, & quia ex omnibus illis integratur vnum Sacramentum completum. Bonacina *ſuprà punct.2.num.2.* ex Valentia, Henriquez, & aliis. Epiſcopatus etiam dici poteſt vnum Sacramentum genere, ſed non ſpecie cum Sacerdotio, & comprehendi ſub illo, vt habet Bellarminus *ſuprà cap. 5.* Vel meliùs dicendum cum Sanchez *ſupra* ex Durando, Angles, & aliis, quod ſicut conſecratio panis, & vini conſtituunt vnum Sacramentum tanquam partes eius integrales heterogeneæ, ſic conſecratio ſimplicis Sacerdotis, & magni Sacerdotis, qualis eſt Epiſcopus (propterea enim Eccleſia in officio Sancti Epiſcopi canit illud Capitulum, *Ecce Sacerdos magnus*) eſt vnum Sacramentum perfectum, & conſummatum. Vnde infertur rectè dici poſſe characterem per Epiſcopatum impreſſum eſſe augmentum quoddam characteris Sacerdotalis ipſum neceſſariò ſupponens, & perficiens, & cum eo integrum characterem perfecti Sacerdotij conſtituens; Coninch. *de Sacramento Ordinis dubio octauo*, Sanchez *ſupra.* Candidus *ſuprà dubitatione tertia 3. 5. & 6.*

Quoad materiam, & formam huius Sacramenti dicendum, quod ſicut materia remota illius eſt res illa, quæ traditur ſuſcipienti ipſum; ſic quoque materia proxima eſt traditio talis materiæ remotæ, ſeu inſtrumentorum quibus ſignificatur poteſtas, quæ ſingulis traditur. Forma verò ſunt illa verba, quæ in traditione huiuſmodi materiæ proferuntur à Miniſtro, & quæ habentur in Pontificali, Bellarminus *de Ordine cap.9.* Henriquez *lib. 10. cap.6. & 7.* Fornarius *ſuprà cap. 2.* Bonacina *ſuprà punct. 3.* & alij communiter. Nota tamen primò, quod licèt contactus materiæ ſit de eſſentia huius Sacramenti, quia ſignificatur per verba formæ, prout habent Syluester *in Summa, verbo Ordo 1. & verbo Ordo 2, quæſt. 5.* Sotus *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art.2.* & alij plures; nihilominus non eſt neceſſarium tangere illam ambabus manibus, ſed ſat eſt vna manu id facere. Syluester *dicto verbo Ordo 1.* Sanchez *ſuprà dub.2. num. 3.* poſt Paludanum, Henriquez, & alios. Similiter non eſt neceſſarium, vt ſimul ſint mathematicè loquendo, contactus materiæ, & prolatio formæ, ſed quod ſint ſimul moraliter, iuxta doctrinam communem Sacramentorum. Sotus *dicto art. 2.* Fornarius *dicto cap.2.num.4.* Addit Sanchez *ſuprà num.4.* ex Syluestro, Angelo, Tabiena, & aliis, quibus iunge Nuñum *in addit. ad 3.part. tom.2. quæſt.24. art.5. difficult.2.* & Dianam *2. part. tract.16. reſolut.3.* non eſſe neceſſarium in conſecratione Sacerdotis tangere immediatè Calicem, Patenam & Hoſtiam ſuper illam poſitam, ſed ſat eſt tangere quomodocumque, & modicum quid rei, quæ nullum intermedium diſcontinuans habeat ad illa. Tum quia ibi iam verificatur corporalis tactus, & receptio: tum etiam quia ſicut tangens Calicem cenſetur tangere vinum, quod eſt intus, nec oportet immediatè vinum tangere, ita tangens Patenam cenſetur tangere hoſtiam, nec eſt opus immediatè illam tangere; non enim minùs, ſed æquè eſt materia vinum, & hoſtia. Addunt aliqui probabile eſſe, nec eſſe neceſſarium, vt ordinandi tangant phyſicè materiam, ſed ſufficere quod manuum extenſione oſtendant ſe eam ab Ordinante acceptare. Sic enim ex Soto, Victoria, Henriquez, Reginaldo, Molfeſio, & Vaſquez tenet Diana *ſuprà.* Sed vt notat ex Coninch de Sacramentis *diſp.20. dub.7. num.71.concluſ.6.* eſto hoc intelligatur de neceſſitate Sacramenti, ſaltem tamen 3

ex præcepto Eccleſiæ oppoſitum eſt neceſſarium. Et ita tutius eſſe, & conformius vſui Eccleſiæ tenet Fornarius *ſuprà num.* 4. Tertiò nota, quod Epiſcopus, qui profert formam, debet ipſemet tradere materiam tangendam. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 42. *ſect.* 3. *num.* 12. Fornarius *ſupra*. Bonacina *dicta punct.* 3. *num.* 55. Specialiter an pro conſecratione Sacerdotis neceſſarium ſit neceſſitate Sacramenti, quod Calix cum vino ſit, affirmant plures cum Ledeſma *de Sacramento Ordinis, cap.* 3. *difficultate* 3. & Ioanne de la Cruz *in Directorio conſcientiæ, part.* 2. *de Sacramento Ordinis, dub.* 2. *concluſ.* 1. Sed negat Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 186. ex Filliucio, Homobono, Bonacina, & Henriquez. Res quidem dubia, & ſaltem conſulendum quod Villalobos *in Summa tom.* 1. *tract.* 51. *difficult.* 4. *num.* 1. ex Doctoribus Salmanticenſis Academiæ approbat, ſcilicet reiterandum eſſe Sacramentum ſub conditione, ſi aliquis eo modo ordinatus ſit.

Conſequenter ad dicta ad caſum quemdam mihi propoſitum reſpondi, prout infrà. Caſus autem erat iſte: *Quidam ſuſcipiendo Ordinem Sacerdotalem tetigit ſolummodo Calicem & Hoſtiam, non autem patenam. Quæritur vtrum validè ſit ordinatus, & poſſit tutâ conſcientiâ functiones Sacerdotales exercere.* Ratio dubitandi eſt, quia opinio quæ tenet contactum phyſicum & immediatum trium materiarum, videlicet Calicis, Patenæ, & Hoſtiæ, eſſe neceſſarium ad validitatem, eſt opinio probabilior & tutior: in validitate autem Epiſcopatus & Presbyteratus (vt aiunt Doctores) tutior & probabilior opinio tenenda eſt in praxi, ne presbyter ordinatus iuxta opinionem minùs tutam, quamvis probabilem, ſe exponat periculo non conſecrandi, non abſoluendi, &c. Reſponſio verò fuit iſta. *Reſpondeo: Eum qui quando ordinabatur Sacerdos tetigit ſolummodò Hoſtiam & Calicem, non autem patenam, ritè & legitimè cenſeri debere ordinatum, itavt non egeat pro validitate Sacerdotij ordinationem repetere.* Moueor ad hoc primò, quia iuxta ſuperius dicta ex Sanchez, Syluestro, Angelo, Tabiena, Nuño & Diana, non eſt neceſſarium in conſecratione ſacerdotis tangere immediatè calicem & patenam & hoſtiam ſuper illam poſitam, ſed ſat eſt tangere quomodocunque, & modicum quid rei, quæ nullum intermedium diſcontinuans habeat ad illa. Tum quia ibi iam verificatur corporalis tactus & receptio; tum etiam quia ſicut tangens calicem cenſetur tangere vinum quod eſt intus, nec oportet immediatè vinum tangere, ita tangens patenam cenſetur tangere hoſtiam; nec eſt opus immediatè illam tangere: non enim minus, ſed æquè eſt materia vinum & hoſtia. Similiter tangens hoſtiam etiam tangit patenam ſuper quam eſt talis hoſtia. Vnde ad intentum, ſi iſte tetigit calicem & hoſtiam, dupliciter dici poteſt tetigiſſe patenam. Primò, tangendo calicem ſuper quem immediatè erat patena, & tangendo hoſtiam ſub qua etiam immediatè erat patena. Secundò, quia nullus textus reperitur alicuius canonis, aut Concilij, in quo requiratur huiuſmodi contactus immediatus: non ergo eſt ille neceſſarius. Præſertim, quia verba debent intelligi ſecundùm communem modum loquendi, *l. librorum*, §. *Quod tamen*, vbi Bart. *ff. de legat.* 3. *l. Labea*, *ff. de ſupel.* & aliis iuribus, eo quod vulgaris appellatio pro lege habetur. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. gloſſ.* 15. *num.* 69. Atqui euidenter conſtat, quod ſecundum communem vſum loquendi dicimus tangere etiam phyſicè illa quæ mediatè aliquo intermedio tangimus: ſic enim dicimus tangere terram pedibus, quamvis non tangamus illam niſi mediis calceis: & tangere aliquid manu, quamvis manus ſit cooperta chirotheca: quod etiam patet mille aliis exemplis. Tertiò, quia ſententia adſtruens non requiri pro validitate Sacramentorum contactum phyſicum materiæ, ſed ſolùm moralem, non eſt reiecta ab Eccleſia, ſed eſt plurium DD. quos referunt & ſequuntur Layman. *in Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 4. & Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 185. multò ergo magis receptibilis erit ſententia iſta noſtra quæ requirit contactum phyſicum, etſi non immediatum. Quartò, quia hæc ſententia non ſolùm defenditur à Doctoribus relatis, ſed etiam à multis aliis, & ipſis grauibus, ex quibus tres affero. Vnus eſt Reuerendiſſimus Vincentius Candidus S. Palatij Apoſtolici Magiſter *in ſuis diſquiſit. moral. tom.* 4. *diſp.* 4. *de Sacram. Ordin. art.* 2. *dub.* 9. & 10. *ꝗ.* 11. ex Soto, Valentia, Ioanne de la Cruz, Laymano, & Nuño. Alter eſt Iacubus Granadus *tom.* 5. *in* 3. *part. controu.* 9. *de Sacram. Ord. tract.* 1. *diſput.* 6. *num.* 10. vbi inquit: *Nihilominus exiſtima poſſe tutâ conſcientia exercere Ordinem Sacerdotalem illum qui immediatè tetigit calicem & patenam ſuper quam erat hoſtia, licet non attigerit hoſtiam immediate: & idem eſſet licet ſolum calicem immediatè contingeret.* Pro quo affert Syluestrum, Sotum, Valentiam, Vaſquez, Ægidium & Henriquez. Tertius eſt Caſtrus Palaus *in Theol. moral. part.* 4. *de Sacram. Ordin. tract.* 27. *diſp. vnic. punct.* 5. vbi inquit ex Vaſquez, Coninch, & Bonacina: *Ferè certum exiſtima non eſſe opus contactu materia immediato ad Sacramenti valorem, ſed mediatum ſufficere, vti euenit ſi calicem continentem patenam tangas, vel ſi tangas calicem media aliquo panno interpoſito.*

Vnde nego id quod in caſu ſupponitur, ſcilicet quod ſententia aſſerens contactum immediatum illorum trium eſſe neceſſarium ad valorem Sacramenti, ſit probabilior quàm oppoſita: probabiliorem enim ego exiſtimo hanc alteram ſententiam propter authoritatem DD. qui illam tenent, & quia fundamenta quæ pro ipſa ſunt, ſolidiora videntur. Præſertim quia, vt Granadus ſuprà inquit, nullus Auctor reperitur qui aſſerat pertinere ad eſſentiam Ordinis Sacerdotalis tangere immediatè illa tria, cum tamen ſint multi qui id expreſsè negent, vt ex dictis conſtat. Fateor quidem ſententiam illam eſſe tutiorem, cum qui illam ſequatur, non ſe exponat periculo alicuius peccati; cæterum quia ſententia noſtra eſt in praxi tuta, & *ferè certa*, vt Palaus dixit, rectè poteſt quis ſe accommodare, quia nullus tenetur ſequi tutiorem viam, dummodo practicè tutam ſequatur.

Loquendo autem de ſubiecto capaci Ordinis, dicendum, fœminam non eſſe capacem illius, & ſi fortè ordinetur, non recipere characterem, vt probat Toletus *in Summa, lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 2. ex Theologis, & 4
Iuriſtis. Neque hermaphroditum, niſi vigeat in eo virilis ſexus, iuxta dicta *ſuprà verbo Irregularitas, num.* 13. ex Nauarro, Sayro, & Cornejo. Eſſet enim contra Chriſti Domini inſtitutionem, vt probant Valentia *diſput.* 9. *quæſt.* 4. *puncto* 1. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 16. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 51. *ſect.* 2. ex D. Thoma, & ex aliis, contra errorem Cathaphrygum. De quo Gloſſ. *in cap. Diaconiſſam* 27. *quæſt.* 1. Sylueſter *verbo Ord.* 4. Sotus *diſtinct.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. & Valentia *ſuprà*. Qualiter etiam talis hermaphroditus, in quo præualet maſculinus ſexus, admitti non debeat ad Ordines, vtpotè irregularis, dixi eo loco ex eiſdem Authoribus. Similiter neque maſculus eſt capax Ordinis, niſi fuerit antea baptizatus, vt patet *ex cap. veniens, de presbyt. non baptiz.* Fornarius *ſuprà cap.* 3. *num.* 2. ex D. Thom. & communi ſententia. Non Confirmatum autem capacem eſſe Ordinis, conſtat ex dictis *ſuprà eo verbo Irregularitas, num.* 50. De quo Nauarrus *in Manuali, cap.* 22. *num.* 9. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 14. Quicunque autem baptizatus, etiam infans, capax eſt Ordinis. Ratio eſt, quia *in cap. vnico, de iis qui per ſaltum ordinantur*, habetur illos non eſſe Ordinandos, qui ante diſcretionis annos acceperunt minores Ordines, quod etiam dicendum videtur etiamſi maiores Ordines

ſuſcepiſ

ſuſcepiſſent. Fornarius *ſuprà num.* 8. ex Toleto, Azorio, & Henriquez, Bonacina *ſuprà punct.* 5. *num.* 1. ex Valentia, Coninch, Soto, & aliis. Vbi *num.* 3. ex aliis notat hanc differentiam inter pueros vſu rationis carentes, & inter amentes, quod pueris validè conferri poſſunt Ordines, etiamſi illos nunquam expetierint. Illis verò qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam non validè conferuntur Ordines, ſi illos nullo modo priùs expetierunt, cenſentur enim habitualiter nolle ordines ſuſcipere. Adde etiam, quod in adulto cum ordinatur, requiritur intentio. Quare ſi quis inuitus ordinetur, non recipit characterem, vt cum Palud. Aſtenſ. Sylueſt. Tabiena, & Arm. docent Henriquez *ſuprà*, Tolet. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 2. & Fornarius *ſuprà num.* 7.

5 Quod attinet verò ad Miniſtrum Sacramenti Ordinis, certa res eſt quemcunque, & ſolum Epiſcopum conſecratum eſſe ordinarium Miniſtrum illius. Ita enim habetur ex Concilio Toletano 8. *quæſt.* 7. Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. Florentino *in Decreto Eugenij*, & Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. & *cap.* 7. De quo S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. Henriquez *ſuprà cap.* 23. Fornarius *ſuprà cap.* 5. Barboſa *de Officio, & poteſt. Epiſcop. allegat.* 3. *num.* 3. Sanchez *ſuprà dub.* 18. ex communi doctrina. Apud quem, & alios, an ex commiſſione Papæ poſſit committi ſimplici Sacerdoti conferre primam Tonſuram, & minores ordines.

6 Specialiter quod attinet ad Regulares, Abbatibus conceditur iure communi, *cap. quoniam, diſt.* 69. & *cap. cum contingat, de ætat. & qualit.* facultas conferendi aliquos minores ordines, & *in cap. Abbates, de priuileg. in* 6. facultas conferendi primam Tonſuram. Quod totum etiam habetur ex aliquibus ipſorum priuilegiis, de quibus Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. Similéque priuilegium pro Priore S. Ioannis Hieroſolymitani referunt Molfeſius *in Summa Theolog. moral. tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. & Barboſa *ſuprà num.* 5. Hæc verò priuilegia neque per viam communicationis extenduntur ad alios Prælatos, quia nunquam fuerunt hoc modo intellecta, iuxta dicta *tom.* 5. *cap.* 18. *num.* 64. ex eodem Suarez. Nec etiam extenduntur ad Abbates Commendatarios, ſed ſolùm ad illos, qui habent Abbatias in titulum, quia priuilegia Abbatibus, & Prælatis Regularibus conceſſa non extenduntur ad Commendatarios, vt probat Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſit.* 4. & *tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſit.* 1. Nec etiam poſſunt prædicti Abbates hanc poteſtatem ordinandi aliis delegare, quia ea quæ ſunt Ordinis delegari non poſſunt, ſicut ea, quæ ſunt iuriſdictionis. Tamburinus *dict. diſput.* 2. *quæſito* 3. Conſtat etiam ex dictis eo *cap.* 18. *num.* 65. ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. prædictos Abbates non poſſe Tonſuram, aut minores Ordines conferre, niſi ſuis ſubditis Regularibus. Licet, prout etiam conſtat ex dictis *eodem num.* 85. & *cap.* 14. *eiuſdem primi tomi*, *num.* 13. ex declarationibus Sacræ Congregationis, Abbates habentes ius baculum deferendi, & mitram, poſtquam Sacerdotalem Ordinem, & munus Benedictionis ſuſceperint, poſſint Tonſuras, & Ordines minores ſæcularibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubditis conferre, ſi modò ipſius Epiſcopi conſenſus accedat, & à dicto Epiſcopo quiſque litteras dimiſſorias impetrauerit, ita vt ſatis non ſit id generatim ab Epiſcopo conceſſum eſſe, ſed hac conceſſione ſemper opus ſit ſingulis, &c. Poſſunt item ipſi Abbates eoſdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui dimiſſorias ſpeciales Superiorum ſuorum, & ſpecialem conſenſum Epiſcopi habuerint, ac præterea aliis ſæcularibus, qui aliorum Epiſcoporum iuriſdictioni ſubditi ſint, dummodo Superiorum ſuorum dimiſſorias attulerint, ac ſpecialem conſenſum Epiſcopi loci, in quo Ordines huiuſmodi cupiunt ſuſcipere.

De quo præter Authores eo loco relatos agunt Azorius *tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 20. *quæſt.* 7. Sorbus *in Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Ordines Sacri*, *num.* 5. Fornarius *dict. cap.* 5. & Tamburinus *ſup. quæſito* 7. referens etiam ſtatutum Concilij Mediolan. ſub S. Carolo Borromæo. Vnde deciſio quædam Rotæ ſub Seraphino *num.* 985. quam in contrarium afferunt Campanile *in diuerſ. Iuris, rubrica* 6. *cap.* 2. *num.* 6. Barboſa *ſuprà num.* 12. & Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Ordo*, *num.* 2. intelligi debet de Abbatibus ordinantibus ſæculares ſine conſenſu Epiſcopi Diœceſani, vt habent Ioannes Baptiſta Tibet. *cap.* 7. *Inſtruction. per ordinand. quæſt.* 48. *in fin.* & Tamburinus *ſuprà*. Quod idem cenſeo dicendum ad aliam declarationem S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quam in contrarium referunt idem Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 16. & Nouarius *ſupr.* Furſan etiam eſt id deciſum à S. Congregatione pro caſu particulari, eo quod aliqua ex conditionibus aſſignatis pro Abbatibus ſuprà, in tali caſu deerat. Caſu autem quo contra prædictas declarationes Abbates prædicti aliquos ordinarint, validam eſſe talem ordinationem, licet ſic ordinati ſuſpenſi maneant ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, & Ordinatores ab exercitio Pontificalium, tenet Tamburinus *ſupr. quæſt.* 8. & 9. & Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. quæſt.* 18. *art.* 1. ac Suarez *dict. cap.* 29. *num.* 20. & 21. Quibus etiam fauet Sanchez *ſupr. dub.* 19. *num.* 17. Oppoſitum tamen habetur ex declaratione Sacr. Congregationis Epiſcop. & Regular. relata, vbi declaratur quendam Thomam promotum ab Abbate de Corropoli eſſe malè promotum, & indigere alia promotione. Ad hoc autem quod prædictam Tonſuram, aut minores ordines ſuis ſubditis Regularibus concedant Abbates, neceſſarium non eſt, quod ipſi ſint benedicti. Ita enim habetur ex declaratione S. Congregationis ſub anno 1619. quam referunt Barboſa *in collectan. Bullar. verbo Ordo*, & Nouarius *ſuprà num.* 3. & ex multis priuilegiis ipſorum, quæ refert Tamburinus *diſp.* 2. *quæſt.* 3. Quamvis autem nomine Regularis ſubditi, cui ſoli permittit Concilium Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. conferri poſſe Tonſuram, vel minores ordines ab Abbatibus, communiter intelligant Doctores Regularem profeſſum, quia iſte ſolùm eſt ſimpliciter ſubditus (Tamburinus *ſup. quæſt.* 10. ex Henriq. Miranda, Vecchio, & aliis) nihilominus probabile videtur etiam intelligi poſſe nouitium, ita vt etiam reſpectu illius poſſint dicti Abbates id facere. Gaudent enim nouitij priuilegiis Religioſorum, & ſunt aliquo modo partes Religionum, ac ſubditi Abbatibus, Suarez *ſuprà num.* 12. Sanchez *ſuprà num.* 14. & 15. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato, quæſt.* 3. *cap.* 7. *num.* 22. Non tamen expedit id facere, quia exire poſſunt ex Religionibus, & fraus fieri, quæ præcauenda eſt, *cap.* 1. *de ſeru. non ordinand.* Ioan. Andreas *in cap. Abbates, de priuileg. in* 6. Rebuffus *in prax. beneficiorum, titulo de Clericis, à quibus, & quando, & quomodo creari debent*, *num.* 17. & 18. Campanile *ſuprà num.* 8. Sanchez *ſuprà num.* 15.

Abbates porrò, qui prædictos Ordines conferre poſſunt, id etiam validè efficiunt, etiamſi excommunicati, hæretici, ſuſpenſi, & interdicti ſint. Tales enim validè Sacramenta adminiſtrant, iuxta dicta *tom.* 3. verbo *Excommunicatio quoad Regulares*, *num.* 7. 7
Sotus *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. Henriq. *in Summ. lib.* 10. *cap.* 25. *in princip.* Fornarius *d. cap.* 5. *num.* 3. Licet ſic facientes irregularitatem incurrant, propterea quod actum Ordinis, qualis eſt ordinare, tempore cenſuræ exercuerint, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Irregularitas*, *num.* 55. Similiter, ſi prædicti fuerint notorij, ſeu vitandi, qui recipiunt tales Ordines ab ipſis, ſuſpenduntur ab illorum executione. Nauarrus *in Manuali*, *c.* 25.

num. 69. Fornarius *ſupr.* Bonacina *de cenſuris diſput.* 5. *puncto* 5. §. 1. *num.* 7. Theſaur. *in praxi, part.* 2. *verbo Ordo, cap.* 21. *num.* 1. ex aliis.

8 Locus autem, in quo tales Ordines conferre poſſunt, eſt proprium Monaſterium tantum. Ita enim habetur ex dicto *cap. quoniam, diſt.* 69. *& cap. cum contingat. de ætate & qualit.* Tamburin. *ſupra quæſt.* 13. Sanchez *ſupra num.* 13. Si tamen Abbas rogetur à Prælato alterius Monaſterij exempti, poteſt etiam ibi tales Ordines ſuis ſubditis Regularibus conferre. Sanchez *ſuprà* ex Angelo, Syluestro Tabiena, & Armilla.

9 Quoad tempus autem conferendi Tonſuram, & minores Ordines, dicendum, Tonſuram conferri poſſe qualibet die, quia ita conſuetudine Eccleſiæ habetur, Bonacina *ſuprà puncto* 6. *num.* 1. Minores autem Ordines in ſex anni temporibus, nimirum in quatuor temporibus, & in ſabbato ante Dominicam de Paſſione, & in ſabbatho Sancto, ex *cap.* 3. *de tempor. Ordin.* Quibus temporibus tam minores, quam maiores Ordines conferri poſſunt. Minores autem etiam Dominicis, & aliis Feſtiuis tantùm diebus ab Epiſcopis conferri poſſunt, vt dicitur in dicto *cap.* 3. *de tempor. Ordin.* idem autem dicendum de Abbatibus affirmat Ioan. Andreas allegans Hoſtienſ. *in cap. Cum contingat, num.* 8. *de ætat. & qualit.* & ex iis Tamburin. *ſupr. quæſt.* 13. Immò ſecundum Ioan. Andr. & Hoſtienſ. videtur quod potiùs his diebus, quàm quatuor temporibus ordinare debeant, ne Epiſcopare videantur, id eſt Ordinationes generales tenere. Ita etiam Syluest. *verbo Ordo* 2. *quæſt.* 6. Hi autem dies feſtiui debent eſſe de præcepto, Viualdus *in Candelabr. aur. part.* 1. *tit. de Sacramento Ordin, num.* 35. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, part.* 2. *allegat.* 21. *num.* 12. & alij. Et ſatis erit, ſi ſolemnitas diei feſti ſit in ſua Religione, vel Monaſterio, licet apud alios non celebretur, vt de Epiſcopo docent Henriquez *in Summa, lib.* 9. *cap.* 28. §. 1. Barboſa & Tamburinus *ſupra*.

10 Nota demùm circa prædictos Abbates, præter dicta *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 37. quod quamuis iuxta dicta *ſupr. & tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 65. ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. ipſi non poſſint conferre Tonſuram, aut minores Ordines, niſi ſuis ſubditis Regularibus, *non obſtantibus* (vt inquit Concilium) *quibuſcunque priuilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus*, nihilominus Sanchez dicto *dub.* 19. probabilius eſſe credit non reuocaſſe Concilium priuilegia conceſſa Abbatibus, quæ habentur in iure: tum quia priuilegium, quod habetur *cap. quoniam, diſt.* 69. eſt ſeptimæ Synodi generalis, cui non derogatur, niſi expreſsè nominetur, vt colligitur *ex cap. ex parte, & cap. vlt. de capellis Monach. cap. cum, de ætat. & qualit. cap. nonnulli, de reſcript.* tum quia priuilegia Abbatum quoad hoc inſerta ſunt in corpore Iuris, *cap. cum contingat, de ætat. & qualit. cap. Abbates, de priuileg. in* 6. At in generali priuilegiorum reuocatione non comprehenduntur inſerta in corpore Iuris.

11 Excepta autem hac facultate Abbatum ad conferendum Tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus, certum eſt Regulares ſubditos eſſe Epiſcopis quoad Ordinum collationem, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Epiſcopus quoad Regulares, num.* 15. Vnde priuilegium Innocentij VIII. pro quibuſdam Abbatibus Ciſtercienſibus, quod retuli eo *cap.* 2. *num.* 37. conferendi ſuis ſubditis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines, reuocatum eſt à Concilio Trident. vt ex eo loco dixi, præſertim quia, iuxta plurium ſententiam, quos refert, & ſequitur Sanchez *ſuprà dub.* 18. *num.* 10. nec ipſe Papa poteſt committere Sacerdoti non Epiſcopo facultatem conferendi Ordines ſacros. Vnde etiam dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 14. *num.* 22. quod excommunicatio, quam ſolet ponere Epiſcopus ante ordinationem contra eos, qui ordinantur habentes aliquod impedimentum occultum, afficiat omnes, etiam Regulares, & quod abſolutiones, & diſpenſationes, quas ſolent dare Epiſcopi ordinantes ordinatis ad cautelam, proſint etiam Regularibus exemptis.

Debent tamen Prælati Regulares dimiſſorias dare ſuis ſubditis, quos volunt ab Epiſcopis ordinari, iuxta dicta eo *cap.* 14. *num.* 12. & *tom.* 3. verbo *Dimiſſoria*, vbi etiam de modo, quo prædictæ dimiſſoriæ dandæ ſunt iuxta Decretum S. Congregat. ſub Clemente VIII. quod illis locis retuli, licet Portellus *in dubiis Regularium, verbo Ordines Sacri, num.* 1. dicat illud in Hiſpania non fuiſſe in praxi receptum. 12

Nota autem circa hoc decretum, quod licèt in illo denotetur quod Epiſcopus Ordines collaturus Regulari debeat illum quoad doctrinam examinare, hoc tamen non obſtante, poteſt, ſi vult, illum non examinare, non ſolùm quando notoriè litteratus fuerit, ſed etiam ſi id ſibi non conſtet, conformando ſuam conſcientiam cum conſcientia Prælati atteſtantis de illius ſufficientia. Prout benè Villalobos 1. *tom. Summæ, tract.* 11. *difficult.* 14. *num.* 5. Portellus *ſuprà in additione, num.* 1. Peyrinis *tom* 2. *de Prælato, quæſt.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. poſt alios. Poſſe etiam Abbates, & alios Prælatos exemptos habentes Diœceſim cum iuriſdictione Epiſcopali, concedere huiuſmodi dimiſſorias etiam ſuis ſubditis ſæcularibus, dixi eodem verbo *Dimiſſoria, num.* 3. & ſequitur Theſaurus *ſuprà cap.* 20. *in fine, & cap.* 21. §. *aduerte tertiò*. De quo etiam Sanchez *ſuprà dub.* 21. Et fauet valde declaratio Sacræ Congregationis pro Priore quodam Carthuſianorum, quam refert Nouarius *ſuprà n.* 5. Per eam enim Sacr. Congregatio cenſuit reuocandam, & tollendam eſſe, prout reuocauit ſuſpenſionem, per quam prædicto Priori prohibitum fuit ſub die 21. Februarij 1631. concedere litteras dimiſſoriales ad Ordinationes ſubditis propriis ſæcularibus. Credo etiam probabile eſſe, poſſe Prælatos dare dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos Oblatis, ſeu Commiſſis ſuorum Ordinum tria vota non emittentibus, aliàs capacibus, & habilibus. Sunt enim illi aliquo modo ipſis ſubditi, Religionum membra, & ſub earum obedientia degentes, & multis Religioſorum priuilegiis fruentes, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 8. & *ſuprà* verbo *Oblati, ſeu Commiſſi*. 13

Qualiter etiam his temporibus poſt Concilium Tridentinum nullum priuilegium Regulares habeant, quo poſſint ante legitimam ætatem ab eodem Concilio præſcriptam Ordines ſuſcipere, conſtat ex dictis eo *cap.* 14. *num.* 1. & latè tenet Portellus *ſuprà dicto verbo Ordines Sacri, num.* 1. *& verbo Priuilegium, num.* 64. ac Bordonus *reſolut.* 11. *num.* 22. Quæ verò ſit hæc ætas pro Ordinibus ſuſcipiendis, dixi ex Concilio *ſuprà*, verbo *Ætas, num* 6. Pro quo etiam vide dicta eodem *tom.* 3. verbo *Annus*, præſertim *num.* 6. De pœna autem ſuſpenſionis, quam incurrunt ordinati ante legitimam ætatem, & de irregularitate, quam etiam incurrunt, ſi cum dicta ſuſpenſione celebrant, & qui poſſint in huiuſmodi pœnis diſpenſare, dixi eo *cap.* 14. *à num.* 2. *vſque ad* 8. *& num.* 21. De quo etiam Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.* 5. *de Suſpenſ. diſput.* 4. *dub.* 1. *caſ.* 3. Portellus *ſuprà num.* 14. & Bordonus *reſolut.* 11. *à num.* 16. 14

Nota autem, quod cum iuxta dicta *ſuprà* verbo *Irregularitas, num.* 17. defectus legitimæ ætatis inducat irregularitatem, ideo Religioſus ordinatus ante legitimam ætatem duplex impedimentum habet ad non celebrandum in ordine ſic ſuſcepto, primum ratione ſuſpenſionis, quam incurrit ſuſcipiendo illum ante legitimam ætatem, ſecundum ratione irregularitatis prouenientis ex defectu ætatis. Vnde licet abſoluatur à prædicta ſuſpenſione, non propterea celebrare poteſt ante aduentum legitimæ ætatis, quia remanet in illo impedimentum irregularitatis, quod dixit Suarez *tom.* 5. 15

de Cenſuris, diſp.19.ſect.3. in fine. Portellus *ſuprà n.12.* Econtra verò, iuxta dicta eo *cap.* 14. *num.* 2. etiamſi propter aduentum legitimæ ætatis tollatur impedimentum Irregularitatis, non tamen tollitur ſuſpenſio, ſeu impedimentum ex illa proueniens, etiam ſuperueniente ætate, ſed indiget abſolutione, ſeu diſpenſatione. Vide alia dicto *num.*17.

16 Similiter qualiter Ordines recipi non poſſint à Regularibus, niſi ſeruatis interſtitiis, & ad quos pertineat diſpenſatio in illis, conſtat ex dictis eo *cap.*14. *à n.*14. & verbo *Interſtitia*, præſertim *num.*1. An verò ſint aliqua priuilegia quoad hoc, vide præter dicta illis locis, dicenda infrà *num.*19.

17 Religioſos debere ordinari ſine titulo beneficij, aut patrimonij, ſed ſolùm titulo paupertatis profeſſæ, conſtat ex dictis dicto *cap.*14. *num.*10. ex Decreto Concilij Trident. Vbi etiam propterea dixi, quod Regularis, qui ſcit ſuam profeſſionem irritam eſſe, ſi ordinatur, peccat mortaliter, & incurrit pœnas, quas ſæculares Clerici incurrunt, ſi ordinantur ſine beneficio, aut patrimonio, quia reuera talis Regularis ſæcularis eſt, & ita ſi ordinatur ordinari debet ad titulum prædictum beneficij, ſeu patrimonij. Portellus & Diana eo loco relati. Item Bonacina *de Clauſur.quæſt.*2.*punct.*10.*diff.*5. *num.*4. & idem Diana 4.*part. tract.*2.*reſol.*82. Quibus adde Hieronymum Rodriguez *in Compend.quæſt.Regul. reſolut.*106.*num.*25. & Bordonum *reſolut.*8. *num.*3. Incurrit etiam ſuſpenſionem poſitam à Pio II. in Bulla *Cum ex Sacrorum Ordinum*, quam retuli eo *cap.*14. *num.*2. quia ibi imponitur hæc cenſura contra recipientes Sacros Ordines abſque legitimis dimiſſoriis, iſte autem non ordinatur cum legitimis dimiſſoriis, quia non ſunt conceſſæ à legitimo Superiore Regulari, qui non eſt verè Prælatus reſpectu inualidè profeſſi. Bonacina, Diana, & Bordonus *ſup.* Vnde conſequenter incurrit & irregularitatem, ſi cum dicta ſuſpenſione celebrauerit, ſublatis quibuſcunque priuilegiis, & ſolùm à Papa diſpenſabilem, quam ſtatuit Pius V. in Bulla *Romanus Pontifex*, quæ habetur *in* 2. *tom. Bullary*, inter Conſtitutiones ipſius *num.*75. quam etiam retuli eo *cap.*14. *num.*10. Ratio eſt, quia hæc Conſtitutio Pij V. non ſolùm procedit contra illos, qui nullo modo profeſſionem emiſerunt, ſed & contra illos etiam, qui irritam, aut inualidam. Ita enim habetur non ſolùm ex declaratione S. Congregationis, quam refert Garzia *de Benef.part.*2.*cap.*5.*num.*11. ſed etiam, & maximè ex Rota in vna Vrgellenſi *Canonicatus*, 3. Martij 1595. coram Blanchetto, quam refert idem Garzia *ibid.* & poſt ipſum Sanctarellus *variar. Reſol.quæſt.*49. *num.*10. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 19. *num.*5. & Theſaur. *in Praxi, part.*2.*verbo Ordo, cap.*11. Procedit etiam contra ordinatos cum dubio de validitate profeſſionis, ſi verè reperiatur nulla, vel irrita. Ita enim habetur ex dicta Rotæ deciſione, Garzia, & Theſaur. *ſuprà.* Non tamen procedit contra eum, qui putabat bona fide ſuam profeſſionem validam eſſe, aut ſciens nullam eſſe, propter iuſtam cauſam, Superioribus volentibus eum promoueri, non eſt auſus detegere nullitatem, ratione ſcandali, aut damni grauis imminentis, & non poterat effugere ſine ſcandalo. Theſaurus *ſupr.* ex Sanchez, & Nauarro. Quibus adde Bonacinam, Dianam, & Bordonum *ſuprà.* Quomodo autem conſulendum ſit ſic inualidè profeſſo, vide eundem Sanch. *lib.*7.*de Matrim. diſp.*37. *n.*43. Quomodo etiam conſulendi ſint Domini Epiſcopi, vt ad euitandum prædictum inconueniens, quod nulliter profeſſi Ordines vt veri profeſſi recipiant, faciant iurare Regulares antequam illis Ordines conferant, quod ſunt legitimè profeſſi, vel ſaltem ratificaſſe profeſſionem, habetur ex praxi Eminentiſſ. Cardinal. Friderici Borromæi. & Synodo Mediolanenſi, referentibus Gauanto *in Manual. Epiſc. verbo Ordines maiores, num.*28. & Diana *ſuprà.*

Quoad praxim tamen Regularium collige ex dictis 18
Religioſos reclamantes contra ſuam profeſſionem, ſi in Religione exiſtentes ſuſceperunt Ordines Sacros, cum ſcientia, aut dubio de inualiditate ſuæ profeſſionis, ſi reuertantur ad ſæculum, indigere diſpenſatione Papæ, vt in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare poſſint. An verò talium Sacrorum Ordinum ſuſceptio in inualidè profeſſis ſit cenſenda profeſſio tacita, dicam infrà verbo *Profeſſio Regularis*, *num.*4.

Quod Regulares modò poſt Concilium Tridenti- 19
num ordinari non poſſint extra tempora, id eſt extra dies *ſuprà num.*9. deſignatos, conſtat ex dictis eo *cap.*14. *num.* 19. Vbi etiam quid de priuilegio Gregorij XIII. pro Religioſis Societatis ſentiendum ſit, dixi. Nota tamen oppoſitum tenere Rodriguez *tom.*3. *quæſt. Regularium*, *quæſt.*23. *art.* 5. Villalobos *in Summa*, *tom.* 7. *tract.*11.*difficult.*12.*&* 13. Ioannem a Cruce *lib.*2.*cap.*8. *dub.* 1. Homobonum *de exam Eccleſ. tom.* 1 *tract.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 3. & alios, quos ſequitur Diana *part.* 2. *tract.*2.*reſol.*31. Nota etiam, Portellum *ſuprà num.*4. aſſerere ſe vidiſſe priuilegium Clementis VIII. pro Patribus Congregationis S. Ioannis Euangeliſtæ in Portugallia, quod illis conceſſit anno 1596. die 23. Nouembris, quod poſſent ordinari extra tempora, & per quemcunque Epiſcopum tribus Dominicis, vel Feſtis continuis, vel interpolatis, non ſeruatis interſtitiis à Concilio Trident. deſignatis, & quoad Ordines minores, vt poſſent concedi quatuor diebus Feſtiuis, vel feriatis, continuis, vel interpolatis. Circa quod priuilegium (cui etiam innititur Diana *ſuprà*) dicit Peyrinis *tom.*2. *de Prælato*, *quæſt.*3.*cap.*7.*num.*21. ſemper ſe habuiſſe ſuſpecta priuilegia vltramontana. Quod an rectè dictum ſit, alij viderint. Mihi enim ſolùm videtur dicendum, non conſtare quale fuerit tale priuilegium, & an viuæ vocis oraculo ſolùm conceſſum. Nota etiam Barboſam *de officio, & poteſtate Epiſcopi allegat.* 4. *num.* 65. aſſerere Pium IV. in Bulla *Circumſpecta*, ſub anno 1561. conceſſiſſe Religioni S. Ioannis Hieroſolymitani, quod fratres Capellani dicti Hoſpitalis poſſent à quocunque Catholico Antiſtite ſub Romanæ Sedis obedientia conſtituto Sacros Ordines, etiam extra tempora à Iure ſtatuta, tribus diebus Feſtiuis ſuſcipere. Sed cum hæc conceſſio facta ſit ante Concilium, & per conſequens reuocata, iuxta dicta, videndum eſt an confirmationes priuilegiorum huius Religionis factæ, vt idem Barboſa notat, per Pium V. Sixtum V. Gregorium XIII. & XIV. ac Clementem VIII. contineant clauſulam communem, videlicet, *dummodo contraria non ſint Decretis Concilij Tridentini, &c.* ſi enim talia fuerint, tale priuilegium modò non ſubſiſtet. De alio Sanctiſſimi Dom. N. Vrbani VIII. conceſſo fratribus Minoribus in Indiis, vt ſcilicet poſſint ordinari etiam extra tempora, & non ſeruatis interſtitiis, agit relatus Peyrinis *in Formulario, littera O, cap.*6. *n.*2. & dicit poſſe etiam vti illo alios Mendicantes in Indiis habitantes.

De Irregularitate porrò, quam incurrit ſuſcipiens 20
Ordines furtiuè, hoc eſt non verè examinatus, neque admiſſus ab Epiſcopo, ſed examine, vel admiſſione alterius vtens, dixi *ſuprà* verbo *Irregularitas*, *num.*53. Quid verò dicendum pro caſu, quo Epiſcopus declarauerit ſe non habere intentionem ordinandi accedentes furtiuè, excommunicatos, irregulares, &c. vel ſimiles, licèt variè ſentiant Doctores, quibuſdam aſſerentibus tales pro non ordinatis haberi debere ob defectum intentionis Epiſcopi (prout cenſent Nauarrus *conſilio* 1. *de eo qui furtiuè*, Rebuffus *de beneficiis, part.*2. *tit.de Cleric. malè promot. gloſ* 4.*num.*19. & aliis,) pluribus quoque aliis oppoſitum tenentibus ſatis probabiliter cum Henriquez *lib.*14.*cap.*6.*num.*5.*& lib.*2.*c.*8. *num.*5. Sanchez *de Matrimon. lib.*7. *diſp.*18. *num.* 21. *&* 16. Layman. *de Sacramentis in communi*, *c.*4.*num.*6.

&, xliis, (eo quod non obſtante tali proteſtatione Epiſ-
copus ſemper cenſetur habere, ac retinere practicam,
& abſolutam intentionem ordinandi hominem præ-
ſentem, non verò conditionatam, ſiquidem appoſi-
tio talis conditionis conformis non eſt Eccleſiaſticæ
conſuetudini, imò ſacrilegio obnoxia,) dicendum vi-
detur, quod ſaltem quando id contingit in receptione
Presbyteratus, cùm in ipſius inualiditate grauiſſimum
immineat periculum animarum ſalutem concernens,
qui tali modo Presbyteratum ſuſceperit, iterum ſub
conditione ad illum debet ſe facere promoueri, prout
tenet in praxi Sacra Pœnitentiaria Romana, teſte The-
ſauro Pœnitentiario Apoſtolico *ſupra cap.7.* & docent
Granadus *3. part. de Sacramentis, controuerſia 9. tract. 5.
diſp. 6. num. 2.* & Diana *5. part. tract. 14. reſolut. 64. &
tract. 13. reſolut. 47.*

21 Probatio de vita, & moribus, tum iure diuino,
tum ex Concilio Trident. pro ſuſcepturis Ordines re-
quiſita, etiam procedit in Religioſis, propter eandem,
vel maiorem rationem, Porrellus *ſupra in Additione,
num. 3.* Subiungens propterea, quod ſi Prælatus Reli-
gionis det licentiam, vt Ordines ſuſcipiat aliquis Re-
ligioſus vitæ culpatæ, peccabit mortaliter, ſiue culpæ
ſint cognitæ in ſæculo, ſiue ſolùm intra Ordinem.

22 Eſt ad intentum huius materiæ reſolutio caſus mihi
propoſiti de quodam ordinato in ſacris, cum expecta-
23 tiua dimiſſoriarum ſui Epiſcopi antequam ad ipſius
manus perueniſſent, qui etiam ordinatus fuit ad titu-
lum beneficij, quod actu non poſſidebat, & etiam ex-
tra tempora in vim Breuis à ſanctiſſimo obtenti ſub-
reptitiè. Ad quem ſic reſpondi.

24 In iſto caſu cenſeo primò N. ordinatum in ſacris
cum expectatiua dimiſſoriarum ſui Epiſcopi antequam
ad ipſius manus perueniſſent, eſſe grauiter peccauerit
ſic faciendo, quia non erat omnino certus de conceſ-
ſione illarum, multo minùs de conditionibus, aut cir-
cumſtantiis cum quibus concedebantur, atque ita tene-
25 batur eas expectare; nihilominus ſi ordinatus eſt iuxta
tenorem, & formam illam, non ſolùm validè ordina-
tum cenſeri debere, vt per ſe patet, ſed probabile eſt
non incurriſſe pœnas latas contra eos, qui ſine dimiſ-
ſoriis recipiunt Sacros Ordines. Ratio eſt, quia pro-
babilis ſententia eſt multorum, quos referunt San-
26 chez *lib. 3. de Matrimon. diſp. 36. num. 1.* & Suarez *lib. 8.
de legib. cap. 25. num. 3.* quod priuilegium valet priuile-
giato à tempore conceſſionis, etiamſi non habeat
notitiam illius, quod ad præſentem caſum applicari
poteſt.

27 Quòd ordinatus fuerit de facto ad titulum beneficij
quod actu non poſſidebat, incidit ſecundum aliquo-
rum opinionem, in pœnam ſuſpenſionis deſignatam
contra eos, qui ſine titulo legitimo ordinantur. Can.
Sanctorum, diſt. 70. & innouatam à Concilio Tridenti-
no *ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.* vbi ſequitur *Beneficium
Eccleſiaſticum pacificè poſſidere* ad ſacros Ordines ſuſ-
cipiendos, *antiquorum Canonum pœnas ſuper eis inno-
uando.* Ita tenent Sanchez *opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 35.
num. 12.* cum Nauarro & Salzedo, & eam probabi-
liorem in praxi receptam ait Reginaldus *lib. 32. tract. 2.
num. 72.* Filliucius *tract. 57. num. 89.* & Theſaurus *in
28 praxi part. 2. verb. Ordines, cap. 51. num. 3.* Nihilomi-
nus, quia probabilior eſt oppoſita ſententia, quam
tenent plures, quos referunt, & ſequuntur Diana *part. 1.
tract. 56. reſol. 5.* & Barboſa *in collect. ad dictum locum
Concilij, num. 67.* aſſerentes talem pœnam non vigere
modò, neque eſſe innouatam à Concilio, ideo non
eſt cenſendus incurriſſe hanc diſpenſationem. Nec vi-
deo, quod propter hoc delictum præciſè aliquam ſuſ-
29 penſionem incurrerit, cum Pius II. in Bulla inferiùs re-
ferenda non includat hunc caſum, nec Pius V. in Bul-
30 la *Romanus Pontifex, num. 75.* talem ſuſpenſionem con-
tra clericos ſæculares, ſed contra Nouitios Religio-
ſorum ſtatuat, vt expreſsè tenet Manlius *de Ordine tra-
ctat. 2. cap. 7. difficult. 6.*

Quòd verò ordinatus fuerit extra tempora in vim 31
breuis à ſanctiſſimo obtenti ſubreptitiè, narrando ſci-
licet ſe velle ordinari ad titulum beneficij actualiter
poſſeſſi, cum tamen actu illud non poſſideret, abſque
dubio videtur incidiſſe in pœnam ſuſpenſionis latam à
Pio II. in Bulla relata (quidquid ſit de illa, quæ ſta-
tuitur iure antiquo *cap. ſanè de tempor. ordinat.* de qua
Theſaurus *ſupra cap. 14.*) Ratio eſt, quia in iſta Bulla
imponitur hæc cenſura ſuſcipientibus ſacros Ordines
extra tempora abſque *diſpenſatione canonica, aut legi-
tima licentia.* Quod fecit iſte, de quo in caſu, ſiqui- 32
dem Ordines Sacros extra tempora ſuſcepit in vim
breuis ſubreptitij, quod eſt illos ſuſcepiſſe *abſque diſ-
penſatione canonica, aut legitima licentia.* Per conſe- 33
quens etiam celebrando cum dicta ſuſpenſione incur-
rit irregularitatem, prout in dicta Bulla exprimitur,
& DD. communiter docent. Inſuper, prout in eadem
Bulla exprimitur, beneficiis Eccleſiaſticis poteſt iure
priuari.

Quamuis autem aliquorum ſententia ſit, quos refe- 34
runt Barboſa *de offic. Epiſc. allegat. 17. num. 14.* & The-
ſaur. *ſuprà*, poſſe tranſgreſſorem huius Bullæ abſolui
ab alio, quàm à Papa, Epiſcopo videlicet, eo quòd
Pius II. ſibi non reſeruauit abſolutionem; nihilomi-
nus communis ſententia oppoſitum docet, ſolùm vi-
delicet à Papa abſolui poſſe; ſic enim decreuit Rota
in vna Melitenſi Abbatiæ, anno 1590. coram Gipſio.
Etſi quando caſus eſſet occultus, Epiſcopus poſſet diſ-
penſare iuxta Decretum Concilij *ſeſſ. 24. cap. 6.* de quo 35
Bonacina *de cenſur. diſp. 3. punct. 5. §. 1. num. 2.* & Sayrus
apud ipſum.

Conſequenter etiam ſi iſte, de quo in caſu, cum hu- 36
iuſmodi ſuſpenſione celebrauit, incidit in irregularita-
tem impoſitam ab ipſo Pio II. his verbis: *Si huiuſmodi
ſuſpenſione durante in eiſdem Ordinibus miniſtrare præ-
ſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant.* Quia ta- 37
men Pontifex vtitur illo verbo *præſumpſerint*, quod
denotat præſumptionem, & temeritatem, ideo ſi iſte,
de quo in caſu, celebrauit ex ignorantia vincibili,
non affectata, aut coniuncta cum temeritate, ſed po-
tiùs cum bona fide, non incurrit talem irregularitatem,
vt notat Bonacina *ſuprà*, & iuxta ea, quæ dixi *tom. 1.
meæ ſummæ, cap. 10. num. 35.*

Caſu potiò, quod non ſolùm in ſuſpenſionem di- 38
ctam & irregularitatem etiam Papæ reſeruatas incurre-
rit, cum à S. Pœnitentiaria non poſſit obtinere abſolu-
tionem, & diſpenſationem, propter publicitatem ca-
ſus, neque etiam ab Epiſcopo, propter eandem ratio- 39
nem; nihilominus, quia eſt in partibus Hiſpaniæ, in
quibus eſt priuilegium Bullæ Cruciatæ, poterit ex vi
illius abſolui ſemel in vita à dicta ſuſpenſione, quan-
tumvis reſeruata Sedi Apoſtolicæ, propter priuilegium
ipſius Bullæ in foro conſcientiæ tamen, & non pro
foro externo, propter declarationem Vrbani VIII. in
Bulla, quam retuli *3. tom. meæ ſummæ, in Cruciata,
num. 27.* Et iuxta ibi dicta poterit D. Epiſcopus talem 40
abſolutionem pro foro externo acceptare, & congruum
eſt benignitati paternæ, vt id faciat pro tranquillitate
conſcientiæ ſui ſubditi: Quoad irregularitatem verò, 41
iuxta ſententiam, quam tenui eodem *verb. Bulla Cru-
ciatæ, num. 3.* non poteſt in illa diſpenſari ex priuilegio
Bullæ, quia in dicta Bulla non exprimitur irregularitas,
ſed ſolùm cenſura, nomine autem cenſuræ iuxta ſtylum
Curiæ non intelligitur irregularitas, cum ipſa non ſit
cenſura. Quia tamen aliqui Doctores, quos ibi retuli,
tenent oppoſitum, poterit Orator videre, an talia opinio
ſit probabilis, ſeu non. Caſu autem quo in foro con- 42
ſcientiæ diſpenſari poſſit, & diſpenſetur in dicta irre-
gularitate, poterit etiam D. Epiſcopus pro foro externo
contentus eſſe, & approbare dictam diſpenſationem.

Potuit

43 Potuit etiam idem D. Epiſcopus in rigore Iuris ſtando priuare dictum tranſgreſſorem beneficiis Eccleſiaſticis, quæ habet, propter Bullam Pij II. in qua id conceditur. Sed in hoc, ſicut & in aliis, D. Epiſcopus benignitati paternæ, & charitati erga ſuum ſubditum, præſertim, ſi pauper ſit, & bonæ notæ, conſulere debet.

44 Quod pergens in Hiſpaniam, præſentatuſque coram ſuo Ordinario, & ab eo notatus de ſua mala promotione, acceſſerit ad alium Ordinarium, in cuius diœceſi ſitum eſt beneficium ipſius, ibique celebrauerit, quod etiam fecit iterum reuertendo ad diœceſim ſui Ordinarij abſque licentia ipſius, eſto peccare potuerit, non video cur propterea incurrerit aliquam cenſuram, irregularitatem, aut pœnam aliquam.

PARAMENTA SACRA.

SVMMARIVM.

1 *Ipſorum diuiſio.*
2 *Quæ, aut qualia debeant eſſe.*
3 *Notanda circa illa.*
4 *Alia remiſſiuè.*

1 PARAMENTA, ſeu ornamenta Sacra, alia ſunt quæ pertinent ad ornatum Sacerdotis, vel Miniſtrorum Altaris, alia verò quæ ſpectant ad ornatum ipſius Altaris. De prioribus dicam infrà verbo *Vaſa Sacra.* & verbo *Veſtes Sacra.* De poſterioribus autem modò eſt dicendum.

2 Sunt autem huiuſmodi ornamenta, ſeu paramenta: primò, linteum, ſeu mappa linea extenſa ſuper menſam Altaris. Etſi verò deceat totum Altare eo cooperiri, ac veſtiri, tamen non in omnibus Eccleſiis id obſeruatur, vt notant Scortia *de Sacrificio Miſſæ, lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 8. & Layman. *de Sacrificio Miſſæ, tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 11. Secundò, duæ aliæ mappæ, ſeu ſyndones lineæ, vel vna duplicata. Ita enim habetur tum *ex cap. ſi per negligentiam, de Conſecrat. diſt.* 2. vbi quatuor lintea Altaris numerantur includendo ipſum Corporale. Tum ex Rubricis Miſſalium, præſertim Romani. Tum quia ita audio præcipi obſeruari hîc Romæ à Viſitatoribus Apoſtolicis pro omnibus Eccleſiæ Vrbis à Sanctiſſimo deſignatis. Vnde tuta conſcientia non poteſt aliter fieri, vt habet Gauantus *in Commentariis in Rubricas Miſſalis, part.* 1 *tit.* 20. §. *tribus mappis.* Quare quod Syluester *in Summa, verbo Corporalia, in princip. & verbo Miſſarum, num.* 2. Suarez *tom.* 3 *in* 3. *part. diſput.* 81. *ſect.* 6. Sà *verb. Miſſa, num.* 7. & alij dicunt, ſufficere pauciores, ſolùm eſt admittendum, quando legitimâ conſuetudine id fuerit introductum. Debent autem huiuſmodi mappæ benedici. Quamquam non adeo neceſſe eſt, vt ſint benedictæ, quin etiam aliquando ex neceſſitate poſſint adhiberi mappæ laïcorum non benedictæ. Syluester *verbo Benedictio, quæſt.* 5. Suarez *ſuprà*, Bonacina *de Sacrament. diſp.* 4. *quæſt. vlt. punct.* 9. *num.* 24. Quæ deinde ſicuti priùs vſibus prophanis applicari poterunt, Layman. *ſuprà*, ex Sà, & Azorio. A quo autem benedici poſſint, & an à Prælatis Regularibus, habes ex dictis *ſuprà* verbo *Benedictio, & Benedicere.* Tertiò, Corporalia repræſentantia Syndonem, qua Chriſtus inuolutus fuit, & quod proximè mappis imponitur, debent eſſe ex lino, vel canabe, ſaltem ex ea parte, qua continent Calicem, & Hoſtiam, in ora enim illorum, & extremitatibus non prohibentur auro, & ſerico ornari, vt notant Suarez *ſuprà*, Fagundez *in* 1. *Eccleſiæ præceptum, lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 11. Debent etiam eſſe ab Epiſcopo benedicta, *cap. conſulto, de Conſecrat. diſt.* 1. An verò poſſint ab Abbatibus, vel Prælatis Regularibus conſecrari, habes ex dictis loco citato ex 3. *tomo.* Hic tamen obſerua adhibentem Corporalia immunda peccare, & quidem grauiter, ſi valde notabiliter ſint immunda, facit enim contra reuerentiam tanto Sacramento debitam, in re, quæ proximè attingit Corpus Chriſti. Ita Bonacina *ſuprà num.* 23. ex Sà, Suarez, Reginaldo, & aliis multis. Pauetque valdè *cap. relinqui, de cuſtodia Euchariſtiæ*, illis verbis: *Nimis videtur abſurdum in Sacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.* Quartò, Palla, quæ etſi varias habeat ſignificationes (de quo Fagundez *ſuprà cap.* 21. *num.* 31. & Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 16.) communiter ſumitur pro ea, quæ Calici ſuperponitur, & pars quædam corporalis eſſe cenſetur, ſicuti colligitur ex antiqua conſuetudine, ſecundum quam Corporale etiam Calicem cooperiebat, vt præter alios notauit Scortia *lib.* 3. *cap.* 5. Quare linea eſſe debet, non ſerica, vel auro elaborata, parte ſaltem interiori, qua Calicem tangit. Fagundez *ſupr.* Layman. *d. num.* 11. Item benedicta ab Epiſcopo, vel alio habente priuilegium Sedis Apoſtolicæ. Iidem Authores *ex cap. conſulto, diſt.* 1. *de Conſecrat.* & S. Thom. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 7. *&* 8. Quintò pallium, vulgò *palliotto*, & hiſpanè *frontal.* Non ſolet autem benedici ſeparatim ab aliis ornamentis, nec eſt ita neceſſarium, vt ſine illo celebrari non poſſit. Etenim ſi Altare eſt ornatum auro, argento, vel lapide pretioſo, aliud pallium non requiritur. Gauantus *ſup.* §. *pallium quoque.*

Circa hæc verò ornamenta, ſeu paramenta, nota primò poſſe fieri ex materia etiam prophana, vel etiam mulierum veſtibus, non ſolùm propter viuæ vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Ornamenta Eccleſiaſtica, num.* 7. ſed etiam iure communi, quia per benedictionem ſanctificantur, & ex prophanis fiunt Sancta, & Sacra. Barboſa dicto *cap.* 2. *num.* 33. 3
Secundò, quod exſecrantur, vel amittunt benedictionem, itavt non noua indigeant, quando ita rumpuntur, vt apta non ſint ad vſum, ad quem fuerant deſtinata, aut non amplius priorem retineant figuram. Barboſa *ſup. à num.* 36. ex Armilla, Angelo, & aliis. Tertiò, quod quando fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dari debent, & cineres in Baptiſterio, vel alio abdito loco condi, *cap. Altaris, de Conſecr. diſt.* 1. *cap. ad hæc, de Religioſis domibus, cap. quæ ſemel, de regul. iuris:* Syluester *verbo Benedictio, quæſt.* 7. Galganetus *de Iure public. lib.* 3. *tit.* 67. *num.* 3. Non tamen debent in vſus prophanos conuerti, iuxta dicta *ſuprà verbo Monaſterium Regularium num.* 38. *&* 45. & qui id faceret horrendum committeret ſacrilegium, vt alter Balthaſar. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. Syueſter *ſuprà.* Fagundez *d. cap.* 21. *num.* 18. Quartò, prædicta vendi non poſſe, aut etiam pignorari abſque ſacrilegio, niſi propter magnam neceſſitatem Eccleſiæ, pauperum, captiuorum, &c. & tunc non niſi aliis Eccleſiis, vel ſi laicis, non ad vſus prophanos, ſed ad Sacros, & pios. Azor. *tom.* 3. *Inſtit. moral. lib.* 7. *cap.* 6. *quæſt.* 4. Nauarrus *Man. cap.* 17. *num.* 205. Fagundez *ſuprà num.* 19. Non tamen propterea ſi ſine tali neceſſitate venderentur ſimonia committeretur, cum non vendantur, vt ſupponimus, quatenus ſacra ſunt, ſed ratione materiæ. Sotus 9. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 1. *concluſ.* 2. §. *ad quæſtionem.* Sanchez *tom.* 1. *Conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 15. §. *quartò dico.* Si autem prædicta fuerint pretioſa, alienari non poſſunt ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, cum conſtet ex dictis *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *&* *part.* 2. *cap.* 19. *&* *ſuprà verbo Alienare, ſeu alienatio*, bona mobilia pretioſa Eccleſiaſtica alienari non poſſe ſine prædicta facultate.

Alia ad intentum vide infrà verbo *Prophanatio Sacrorum, verbo Vaſa Sacra, & verbo Veſtes Sacra.* 4

PAROCHVS

PAROCHVS, ET PAROCHIA Regularis.

SVMMARIVM.

1 *Parochus, & Parochia quid ſit.*
2 *An Regulares aſſumi poſſint ad munus Parochorum.*
3 *An ſaltem ad Parochias Regulares.*
4 *A quibus prouidendi, & examinandi.*
5 *An ſubſint viſitationi, & Correctioni Epiſcopi.*
6 *An remoti à Parochia poſſint munus Confeſſarij exercere.*
7 *De aliis ad ipſos ſpectantibus.*
8 *Declarationes S. Congregationis circa illos.*

1 PArochus Regularis eſt ille Religioſus, qui curam animarum in aliqua Eccleſia ex officio exercet. Parochia etiam Regularis eſt illa Eccleſia Regularium, cui talis cura eſt annexa. De quibus plura ſparſim per totam hanc Summam, & aliqua ſaltem remiſſiuè hoc loco.

2 Primò ergo, cum ex dictis *tom. 1. part. 3. cap. 2. n. 17. & part. 2. cap. 18. num. 1.* conſtet, Regulares non poſſe obtinere beneficia ſecularia ſine Papæ Diſpenſatione, ideo non poſſunt ad Parochias, quæ Regularibus non ſunt ſubiectæ, ſine dicta diſpenſatione promoueri. Quid verò de Nouitiis ſentiendum, dixi eo *num. 17.* & *cap. 24.* eiuſdem *primi tomi, num. 37.* & præcipuè *part. 2. cap. 2. num. 21. 22. 23.* Quid etiam de Regularibus Militiarum, dixi *ſuprà verbo Beneficium, & Beneficiati, num. 11.* In caſu tamen neceſſitatis, putà tempore peſtis, admitti etiam poſſunt Regulares ad ſeruitium Parochiæ ſecularis, prout accidiſſe Mediolani anno 1630. refert Bordonus *reſolut. 7. num. 46.*

3 Deinde etiam, cum iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 18. num. 2.* Regulares ſint capaces beneficiorum Regularium, ideo etiam Parochiarum Regularium capaces ſunt. Quod conſtat tum ex dictis locis relatis, tum *ex cap. Monachos, & cap. in Parochia 16. quæſt. 1.* Tum quia ipſi ſunt coadiutores parochorum. Tum præcipuè ex vſu Eccleſiæ, præſertim in Vrbe, in qua conſtat plures Religioſos officium parochorum in ſuis Eccleſiis exercere. Nauarrus *conſil. 7. de priuil. num. 14.* Bordonus *ſuprà num. 36.* Quales autem debeant eſſe Religioſi iſti, quibus parochiæ Regulares concedi poſſunt, dixi dicto *cap. 18. num. 3. 4. & 5.* An verò talia beneficia dicenda ſint ſolùm manualia, dixi *ibid. num. 6.*

4 De iis, ad quos pertinet illorum prouiſio, & de examine ad id requiſito, & quomodo non per concurſum, dixi eo loco, *num. 7. 8. & 11.* Adde nomine Superiorum, ad quos ſpectat ipſorum prouiſio, intelligi videri illos, qui poſſunt ipſis licentiam dare ad audiendum confeſſiones ſæcularium. Bordonus *ſuprà num. 37.* Adde etiam, quod quando Eccleſia Parochialis Regularis eſt in loco nullius Diœceſis, examinandi ſunt ab Abbate, vel Prælato, qui habet iura Epiſcopalia in illo loco. Ita enim deciſum refert Barboſa *ad cap. 11. ſeſſ. 25. Concilij, num. 30.*

5 Quomodo etiam prædicti Parochi ſubſint viſitationi, & correctioni Epiſcopi, dixi etiam eo loco, *num. 9. & ſequentibus.* De quo etiam Sellius *in ſelect. cap. 112.* Aldana *lib. 2. tit. 8.* Barboſa *ſuprà num. 12. & 14.* Vnde tenentur obſeruare ordinationes factas ab Epiſcopis in ſuis viſitationibus. Sellius *ibid.* ex vna Camerinenſi 20. Maij 1621. Et non excedere taxas ab ipſis poſitas in ſalario. Barboſa *ſuprà n. 16. & 23.* ex Sellio, & in vna Limana, 18. Septembr. 1625. Et accedere ad proceſſionem cum aliis Clericis. Bordonus *ſuprà num. 43.* ex Barboſa, & Aldana.

6 Circa remotionem ipſorum, præter dicta *cap. 18. à num. 17.* illud addendum, quod ſi à ſuis Superioribus amoueantur à cura, adhuc poſſe excipere confeſſiones ſæcularium ex vi approbationis factæ ab Epiſcopo, tenet Peyrinis *tom. 3. priuileg. Minim. cap. 4. num. 22.* ex Riccio, negat verò Bordonus *ſuprà num. 47.* Ego autem attendendum puto ad modum quo remouentur, & ad qualitatem approbationis Epiſcopi, an ſcilicet fuerit perpetua, vel ſolùm temporalis. Generaliter enim Parochum, qui habuit beneficium, & de facto non habet, indigere approbatione Epiſcopi ad audiendas confeſſiones tenet, Lugo *de Sacram. pœnit. diſp. 21. ſect. 1. num. 8.* ex aliis.

De obligationibus prædictorum Parochorum, ſalario ipſorum, vacatione talium beneficiorum, vnione ipſorum cum Eccleſiis Regularium, & quid quando ad Ordinem reuertuntur, latè habes dicto *cap. 18.* per totum. De quibus etiam Auctores relati. De his quoque, in quibus prædicta beneficia Regularia cum ſæcularibus conueniunt, & in quibus ab ipſis differant, ac de aliis hanc materiam concernentibus, latè *ſuprà verbo Beneficium, & Beneficiati.* 7

Plures etiam declarationes Sacrarum Congregationum ad Parochos, Parochias, & Parochianos ſpectantes, quæ etiam Parochis, & Parochiis Regularibus adaptari poſſunt, habes apud Barboſam *in Collect. Bullar. verbo Parochia, verbo Parochialis, & verbo Parochianus, & Parochus.* Nota tamen hæc Collectanea ſuſpenſa eſſe à S. Congregatione ob incertitudinem, vt creditur, plurium declarationum Sacrarum Congregationum, quæ in eis habentur. De priuilegiis Regularium quoad huiuſmodi Parochias, vide Caſarubium *in Compend. verb. Parochia,* & Portellum *in Dub. Regular. verbo Parochus frater.* 8

PAVPERTAS RELIGIOSA.

De hac materia copioſè dixi *tom. 1. part. 1. cap. 6.* & ideo ad eum locum remittendus eſt lector.

POENA ECCLESIASTICA.

SVMMARIVM.

1 *Pœna quid, & quotuplex.*
2 *Alia eſt cenſura, alia non cenſura.*
Aliæ diuiſiones pœnarum. ibid.
3 *De pœnis, quæ ſunt cenſuræ.*
4 *De Irregularitate.*
5 *Quando cognoſcuntur pœnæ eſſe latæ ſententiæ, vel ſolùm ferendæ.*
6 *Imponuntur ſolùm pro actibus externis.*
Quales debeant eſſe actus iſti. ibid.
7 *Propter quam culpam imponi poſſint.*
8 *Quando incurrantur in foro conſcientiæ.*
9 *De aliis pœnis remiſſiuè.*
10 *De pœna priuationis vocis actiuæ.*
11 *De pœna priuationis vocis paſſiuæ.*
12 *De pœna priuationis loci.*
13 *De pœna priuationis beneficiorum.*
14 *De aliis pœnis remiſſiuè.*
15 *De pœna maledictionis.*
16 *De pœna indignationis Dei, Sanctorum, & Summi Pontificis.*
17 *De diſpenſatione in pœnis.*
18 *An in ipſis diſpenſent Prælati.*
19 *Reſolutio cuiuſdam caſus.*
20 *De quodam Religioſo exeunte extra portam Monaſterij ſine licentia, contra præceptum expreſſum Superioris.*
21 *Et quia aſtitit ad portam cuiuſdam artificis, etiam contra expreſſum præceptum.*
22 *Habuit ignorantiam talis præcepti.*

23 *Non*

Digitized by Google

23 *Non adfuit publicationi illius.*
24 *Ignorantia excuſat à tranſgreſſione.*
25 *Quid ſi eſſet aliquo modo culpabilis.*
26 *An ſi fuiſſet affectata.*
27 *Qui operatur ex ignorantia neque contemnit legem, nec illi facit iniuriam.*
28 *An ſtari poſſit iuramento ipſius.*
29 *Quid de alio præcepto non adſtandi ante portam artificum.*
30 *Verbum* audeat *denotat præſumptionem.*
31 *Requirit ſcientiam.*
32 *Videtur excuſabilis, quia pœnæ erant grauiſſimæ.*
33 *Exigebant peccatum mortale.*
34 *Pœna debet eſſe proportionata culpæ.*
35 *Modica non nocent.*
36 *Non veniunt in conſideratione.*
37 *Pœnæ ſunt iſti tranſgreſſori applicandæ, ſaltem ex parte.*
38 *Quia culpa committitur etiamſi in minimo deficiatur.*
39 *Quia delicta puniri expedit Reipublicæ.*
40 *Maximè in Religionibus.*
41 *Ac præcipuè in culpis publicis.*
42 *Quæ præbent occaſionem ad ſimiles perpetrandas.*
43 *Commiſſa eſt culpa in præſentia Generalis.*
44 *Eſſet oppoſitum contra auctoritatem ipſius.*
45 *Lex hæc eſt impoſita ad tollendum abuſum.*
46 *Non eſt excuſabilis iſte reus ob ignorantiam.*
47 *Quia vidit illa decreta.*
48 *Et quia ſumus in cauſa criminali.*
49 *Quia hîc non adeſt paruitas materiæ.*
50 *Pœna applicanda magna ex parte.*
51 *In puniendis delictis ſeueritas cum benignitate ſeruari debet.*
52 *Nimis iuſtus in ſua iuſtitia perit.*
53 *Reſolutio alterius dubij de impoſitione pœnæ pecuniariæ.*
54 *Rarò aut nunquam eſt in vſu apud Regulares.*
55 *Epiſcopus non poteſt pœnas pecuniarias indicere pro tolerandis delictis.*
56 *Correctionis zelo poteſt per illam punire.*
57 *Non poteſt illam ſibi applicare.*
58 *Ex decreto Concilij Tridentini.*
59 *Diſcrimen inter mulctas, & pœnas pecuniarias.*
60 *Quæ applicari poſſint in opera pia.*
61 *Quid ſi Epiſcopus non habet redditus ſufficientes.*
62 *Pœna concubinarij cui applicanda.*
63 *Non Vicario, aut Cameræ Epiſcopali.*
64 *Quid ſi Epiſcopus eſſet multùm pauper.*

1 POena eſt *id quod pro culpa infertur.* Deriuatur enim à puniendo, & ſolùm culpa eſt id, quod punitur. Syluester *in Summa, verbo pœna, num.* 1. Diuiditur autem in legalem, ſeu ciuilem, & in Canonicam, ſeu Eccleſiaſticam. Prior eſt illa, quæ à iure ciuili, ſeu ſæculari imponitur, poſterior verò illa, quæ à iure Canonico, ſeu Prælato Eccleſiaſtico ſtatuitur. Angelus, Syluester, & alij Summiſtæ *verbo Pœna.* De hac ergo poſteriori in præſenti, ea præſertim, quæ in Bullis, & Decretis Summorum Pontificum, Sacrarum Congregationum, Conſtitutionum, & Statutorum Religionum imponi ſolet contra Regulares tranſgreſſores.

2 Diuiditur autem pœna, primò in pœnam quæ eſt cenſura, qualis eſt excommunicatio, ſuſpenſio, &c. & in eam, quæ non eſt cenſura, prout eſt irregularitas, priuatio vocis, officiorum, &c. Secundò, in pœnam latæ ſententiæ, & in pœnam ferendam. Tertiò in varias pœnas, ſcilicet depoſitionem, vel degradationem, infamiam, actuum factorum irritationem, & in priuationem vocis actiuæ, vocis paſſiuæ, loci, beneficiorum, dignitatum, officiorum, graduum, honorum. Item in inhabilitatem ad prædicta, ac in pœnas maledictionis, ſeu indignationis Dei, & Sanctorum, vel Summi Pontificis, obteſtationis diuini Iudicij, &c. De quibus omnibus, quia ſpecialiter poni ſolent contra Regulares, ſigillatim eſt dicendum.

Loquendo autem de pœnis, quæ ſunt cenſuræ, ſeu quod idem eſt, de cenſuris ipſis, certum eſt incurri à Regularibus, ſi tranſgrediantur leges in quibus poſitæ ſunt, dummodo peccatum talis tranſgreſſionis ſit externum, & conſummatum, iuxta dicta *ſuprà verbo Cenſura Eccleſiaſtica, num.* 10. Imò & mortale, iuxta ibidem dicta, niſi forſan talis cenſura fuerit leuis, vt excommunicatio minor, ſuſpenſio leuis, &c. iuxta *ibid.* etiam dicta. An verò excuſet ab illis incurrendis ignorantia, dixi *ibid. num.* 11. Item ſi tales cenſuræ fuerint latæ ſententiæ, ſuum effectum ſortiuntur ex ipſo iure ante omnem Iudicis ſententiam, ſeu miniſterium, itavt eo ipſo quo aliquis tranſgreditur leges imponentes tales cenſuras, etiam in foro conſcientiæ illas incurrat, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 29. Si verò non fuerint latæ ſententiæ, ſed ferendæ, non incurrentur eo ipſo, niſi poſt ſententiam Iudicis, ſaltem declaratoriam, iuxta dicta eo *num.* 29. Quando autem cenſuræ ſint latæ ſententiæ, & quando ferendæ, dixi eo *num.* 19. & conſtabit ea dicendis *infrà, num.* 5. 3

Idem quod dixi de cenſuris, dicendum etiam eſt de ea irregularitate, quæ eſt pœna alicuius delicti, eam ſcilicet incurri ipſo facto, & ante omnem ſententiam à quocunque tranſgreſſore legis iuris Canonici, vbi ea ſolùm imponitur, dum tamen tale delictum ſit peccatum mortale, externum, & conſummatum, iuxta dicta *ſuprà verbo Irregularitas, num.* 4. vbi etiam an ignorantia excuſare poſſit ab illa. 4

Circa pœnas verò latæ ſententiæ, ſeu ferendæ ſententiæ, notandum tunc cognoſci quales ſint, non ſolùm quando expreſsè tales vocantur, ſed etiam ex regulis ſequentibus. Prima, quotieſcunque pœna ponitur cum excluſione ſententiæ cuiuſvis, vt ſi dicatur, *ipſo iure, ipſo facto, abſque aliqua declaratione, ſententia, &c.* vel per verba præſentis temporis, & indicatiui modi, vt *priuamus, inhabilitamus, &c.* vel cum dictionibus, quæ omnem dilationem, vel temporis ſpatium excludunt, *vt ſtatim, confeſtim, ex tunc, continuò, illicò, protinus, mox, ſubitò, &c.* vel quando fertur per verba imperatiui modi, vt *ſubiaceat, incurrat, incidat, &c.* talis pœna eſt latæ ſententiæ, cùm excludat ſententiam, quæ non niſi futuro tempore, & interiecto ſpatio ferri poteſt. Secunda eſt è contrario, quotieſcunque pœna ponitur ſolùm verbis comminatoriis, v. g. *ſub pœna, ſub interminatione, & ſub interpoſitione, &c.* vel per verba futuri temporis, vt ſunt, *priuabitur, damnabitur, &c.* talis pœna ſolùm eſt ferenda, quia ſignificat actionem futuram. De his Tiraquellus *in Commentar. legis ſi vnquam, Cod. de reuocand. donationib.* Caſtro *de lege pœnali lib.* 1. *cap.* 1. Saytus *in Claui Regia lib.* 3. *cap.* 8. Bonacina *de Cenſ. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. ex Suarez, Filliucio, Conineh, & aliis. Etſi aliquas limitationes adducant, quas omitto, quia parum conducunt ad intentum Regularium. Supponunt autem communiter DD. quod quotieſcunque verba, quibus imponitur pœna, ſint ambigua, itavt tam latæ ſententiæ quàm ferendæ ſignificationem importare poſſint, accipienda ſint ſolùm pro ferenda, quia in materia pœnali benigniorem partem ſequi debemus, *cap. odia, de Regulis Iuris in* 6. Saytus *ſuprà, num.* 21. Bonacina *ſuprà*, Theſaurus *in Praxi, part.* 1. *cap.* 3. ea aliis. 5

Notandum ſecundò, prædictas pœnas imponi de facto non poſſe ab Eccleſia, aut Prælatis Regularibus pro actibus internis præcisè, quia Eccleſia non iudicat de occultis internis, ſed ea ſoli Deo reſeruat, *cap. conſuluiſti* 2. *quæſt.* 5. *c. erubeſcant* 32. *diſt.* Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 1. Salas *de legibus diſp.* 9. *ſect.* 1. Dixi *præcisè*, quia tales pœnæ imponi poſſunt ab Eccleſia pro actu interno, non prout interno, ſed prout 6

coniuncto

coniuncto cum externo, Theſaur. *ſuprà cap.5.* ex Sayro, Salas, Azor, & aliis. Actus potiò externus ille cenſetur in præſenti, qui eſt per ſe ſenſibilis, & de facto ſentiretur ab alio ſi adeſſet in illa circunſtantia loci, in qua fit. Theſaur. *ſuprà*, ex Suarez, Sanchez, & Layman. Addit etiam *cap.*8. 9. *&* 10. talem actum externum debere eſſe conſummatum, & prædictas pœnas non extendi ex identitate rationis de caſu ad ad caſum, neque ad cooperantes. De quibus à ſimili aliqua dixi *ſuprà verbo Cenſura Eccleſiaſtica, num.*10. & *verbo Caſus reſeruati Regularium, num.*13. & *verbo Bulla Cœna, num.*3. De quibus etiam Naldus *in Summa, verbo Pœna, num.*10. *&* 21. *&* 29.

7 Notandum tertiò, quod quando prædictæ pœnæ graues fuerint, ſupponunt culpam mortalem, & ſine illa non incurrentur, quia aliàs lex eſſet iniqua, ſiquidem pro culpa leui grauem pœnam imponeret. Sayrus *ſuprà cap.*7. *num.*25. poſt Caſtrum, Sotum, Medinam, Valentiam, & alios. Quod intelligo non ſolùm in pœnis latæ ſententiæ, ſed etiam ferendæ, propter eandem rationem. Sayrus *ſuprà, §. adducunt autem.* Et conſonant ea, quæ dixi *tom.* 1. *part.*1. *cap.*8. *num.*13. Fallit autem hæc regula in Conſtitutionibus Religionum, quæ ad culpam non obligant, ſed ſolùm ad pœnam, quales ſunt noſtræ, iuxta dicta eo *cap.*8. *num.*8. In illis enim impoſitio grauis pœnæ, v.g. priuationis officij, inhabilitatis, &c. non arguit, aut ſupponit culpam, cum legiſlator hanc eſſe mentem ſuam declarauerit, licet indirectè obligare etiam dicatur ad culpam, iuxta dicta eo *cap.*8. *num.*10.

8 Specialiter quartò circa pœnas iſtas latæ ſententiæ, quæ non ſunt cenſuræ, neque irregularitates, quod attinet ad illas, quæ vt in plurimum Regularibus tranſgreſſoribus aliquarum legum imponuntur (quidquid ſit de aliis, de quibus alibi) notandum, iuxta dicta eo *cap.*8. *num.*33. *&* *cap.*10. *num.*31. eas non incurri in foro conſcientiæ, etiam quando ponuntur illis verbis, *ipſo facto, ipſo iure*, aut *eo ipſo*, vel ſimilibus, niſi præmiſſa declaratione Superioris. Imò etiam, iuxta *ibid.* dicta, etiamſi tales pœnæ ponantur illis verbis, *abſque vlla declaratione, abſque vlla ſententia, ante declarationem, ſententiam, &c.* probabile eſt non incurri in foro conſcientiæ, niſi præmiſſa declaratione, ſententia, aut publicatione delicti, non ſolùm loquendo de pœnis non purè priuatiuis, in quibus exequendis aliqua actio hominis requiritur, vt ſunt priuationes vocis, officij; ſed etiam in purè priuatiuis, in quibus nulla talis actio requiritur, vt ſunt inhabilitas, incapacitas, &c. Ita vt verba illa *abſque declaratione, &c.* ſolùm importent declarationem pœnæ, non tamen criminis, aut delicti. Ratio eſt, quia ita videntur communiter acceptæ leges tales pœnas imponentes, eſtque hic vſus ſatis conformis tum benignitati, quæ ſupponitur in Superioribus Eccleſiaſticis tales pœnas imponentibus, tum iuri naturæ, quod præſcribere videtur, quod nullus ſe ipſum puniat pœna tam graui. Quod præter Auctores ibi relatos tenent Naldus *in Summa, verbo Monaſteria, num.*1. *& verbo Religioſus, num.*37. & Diana 3. *part. tract.* 2. *de dub. Regul. reſol.*66. & fauet *part.*2. *tract.*17. *reſol.*67. poſt alios, fauet etiam Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſp.*19. *queſit.*3. Id quoque probabile cenſet Theſaurus *in Praxi, part.* 1. *cap.* 28. *quæſt.* 4. *& cap.* 5. *§. limita primò*, vbi plures alios refert. Illud certius, quod quando reus non poteſt tales pœnas ſuſtinere ſine infamia notabili, non tenetur id per ſe ipſum facere, tum quia ius ad propriam famam conſeruandam præponderat iuri humano tales pœnas imponenti, tum quia lex humana cum tam graui detrimento non obligat. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Ingredi Monaſteria, §. Idem dicendum*, poſt Nauarrum, Sotum, & Corduham, Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 2. *num.* 10. Quomodo autem non propterea ſequatur illa verba, *ipſo facto, &c. ante omnem declarationem, &c.* in his pœnis latæ ſententiæ fruſtraneè poni, eo quod ſequuta ſententia declaratoria retrotrahantur, habent Leſſius *lib.*2. *de iuſtit. cap.*29. *n.*64. Sanchez *in Decal. lib* 2. *cap.* 22. Theſaurus *ſupra cap.*6. & Candidus *tom.* 4. *diſquiſit.*4. *art.*29 *dub.*20.

Loquendo autem ſpecialiter de aliis pœnis in particulari relatis *ſuprà num.* 2. quod attinet ad depoſitionem, degradationem, & infamiam, ſufficienter dixi *ſuprà verbo Depoſitio, verbo Degradatio, & verbo Infamia.* De pœna irritationis actuum geſtorum, aliqua etiam dixi *ſuprà verbo Leges Regularium*, & plura habent Leſſius *ſuprà cap.*17. Salas *de legib. diſp.* 16. Bonacina *ſupra* §. 5. & Theſaurus *ſuprà cap.*35. latè ex aliis. Solùm ergo de aliis agendum eſt. 9

Et primò quidem pœna priuationis vocis actiuæ importat inhabilitatem ad ferendum ſuffragium in Capitulo ad quamcumque electionem Prælati, aut actum collegialiter faciendum, v.g. receptionem nouitij, &c. Nauarrus *lib.*1. *conſil. tit. de elect. conſ.*6. Portellus *in dub. Regular. verbo vox actiua, & paſſiua, num.*1. Quamvis autem, iuxta dicta, generaliter loquendo dicendum probabiliter eſſet eam non obligare in conſcientia ante declarationem delicti, etiamſi ſit latæ ſententiæ, prout præter Auctores relatos tenet Granad. 1. 2. *contrau.* 7. *tract.* 3. Caſtellinus *de Elect. canonic. prælud.* 1. §. 6. *n.*20. Peyrinis *tom.* 1. *de ſubdito, quæſt.* 2. *cap.* 2. §. 11. & alij multi, nihilominus quando ea lata eſt ſolùm pro vna vice, ſeu pro vno actu, ſeu quoad hanc numero electionem, vt ſi aliqua lex dicat, *qui hoc fecerit, priuatus ſit voce actiua in tali electione*, obligare etiam in foro conſcientiæ ante quamcumque declarationem tenet Theſaurus *ſuprà cap.* 29. dicitque eſſe omnium ſententiam. Sed credo hoc non eſſe in praxi receptum, nec video communem ſententiam pro ipſo, aut non eſſe certum, niſi quando lex clariùs id exprimit. Pro eo autem quod ſubdit, ſcilicet quod ſi quis priuatus voce actiua propter delictum occultum eligat, ſecuta poſtea declaratione criminis, talis electio erit caſſa eo ipſo, ſi tali ſuffragio nitebatur, conſule dicta *tom.* 1 *part.* 1. *cap.* 15. *num.*6. *& tom.*1. *cap.*12. *num.*29. 10

Pœna priuationis vocis paſſiuæ importat, quod ipſam incurrens eligi non poſſit, aut poſtulari in Capitulo ad quamcumque dignitatem, vel officium honoris, & præeminentiæ, non tamen ad munera onerosa, & pœnalia. Nauarrus *ſuprà*, Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.*56. *art.*1. Naldus *in Summa, verbo Moniales, num.* 17. Addens hanc pœnam ſimul cum priuatione vocis actiuæ ſupponere peccatum mortale, ex communi ſententia DD. Addit Theſaurus *ſuprà*, hanc pœnam quando eſt latæ ſententiæ pro vno actu ſolùm, obligare ante omnem declarationem. Sed de hoc ſenſeo idem, quod dixi de priuatione vocis actiuæ. Nota etiam, quod ſi quando in aliqua lege, vel Conſtitutione inferatur pœna priuationis vocis, non determinando, an paſſiuæ, vel actiuæ, vel vtriuſque, licet Leſſius *lib.*2. *cap.*34. *dub* 29. *num.*105. eam intelligere videatur de vtraque voce; Diana tamen 5. *part. tract.*16. *reſolut.*90. ex Garzia, & Caſtro Palao, eam intelligit de ſola voce actiua, quæ propriè, & abſolutè *vox* dicitur, & verba indeterminatè ſumpta accipienda ſunt in famoſiori ſignificato. [Nota etiam quod pœna priuationis electionis, niſi aliud exprimatur, importat idem quod pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, ita vt tali pœna affectus nec eligi, nec eligere poſſit. Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.*94. ex aliis. Addens ex Nauarro, & Sayro, ſic priuatos poſſe licitè vices Priorum, ſeu Guardianorum ſuſtinere, & alia officia exercere, quæ per collationem, ſeu delegationem, non autem ex vi electionis actiuæ, ſeu paſſiuæ obtinentur.] 11

Pœna priuationis loci, quæ maximè eſt in vſo in 12

quibuſdam

quibuſdam Religionibus, importat carentiam eius loci, qui Religioſo eſt debitus ratione ſuæ profeſſionis. Vnde de ſic priuato in noſtris Conſtitutionibus *part. 5. cap. 7. num. 6.* dicitur: *Vltimum locum teneat in Choro, Capitulo, & refectorio iuxta nouitios, & etiam vbicunque Fratres fuerint congregati.* Specialia ergo iura Religionum conſulenda ſunt. Quomodo etiam aſſignari debeat præcedentia Religioſorum quoad locum, dicam *infrà verbo Præcedentia Regularium.*

13 Pœna priuationis beneficiorum quoad Regulares ſpectat, intelligitur de beneficiis Regularibus, & de quibus dixi *tom. 1. part. 2. cap. 18.* & *ſuprà verbo Beneficium, & beneficiati,* & *ſuprà verba Parochus, & Parochia Regularis.* Dubitari autem poteſt, an etiam intelligatur de Prælaturis Regularium, puta Generalatu, Prouincialatu, Prioratu, &c. quæ dixi eo *verbo Beneficium, & Beneficiati, num. 3.* beneficia etiam vocari. In quo negatiua pars eſt mihi probabilis, quia materia odioſa, & pœnalis reſtringi debet. Et ita video ſenſiſſe de Superioritatibus Mendicantium Filliucium *tract. 45. cap. 13. num. 23.*

14 Quid importent pœnæ illæ priuationis dignitatum, officiorum, graduum, & honorum, ac inhabilitatis ad illa, habes ex illis, quæ dixi *tom. 1. p. 2. cap. 13.* & *ſuprà verbo Gradus, & Graduati,* ac *ſuprà verbo Officia Ordinis.*

15 Pœna maledictionis, quæ ſæpiùs ponitur in Iure, Conciliis, & Decretis, ſeu Conſtitutionibus Apoſtolicis, quamuis videatur importare idem quod excommunicatio, communiter tamen intelligitur de pœna æterna, quæ debetur pro peccato mortali, atque ideo ſignificat præceptum illud obligare ſub mortali. Ita DD. *in cap. Romana, §. Procuratores, de cenſuris in 6.* Alterius *tom. 1. diſp. 22. lib. 5. cap. 8.* Theſaurus *ſuprà cap. 42.*

16 De pœnis Indignationis Dei, & SS. quid importent, & qualiter ſupponant peccatum mortale, dixi *ſuprà verba Clauſula, num. 34. & 35.* De pœna autem indignationis Papæ dicit Decius *in cap. prudentiam, de offic. deleg.* importare priuationem beneficiorum. Sed credo ſolùm importare pœnam arbitrariam à Papa imponendam. Similiter pœnam obteſtationis diuini Iudicij apponi ſolitam peccato mortali (intellige ſoli) tenet Naldus *ſuprà verba Pœna, num. 13.*

17 Pro diſpenſatione autem in huiuſmodi pœnis, quatenus ad Regulares ſpectat, & an ea dari poſſit à Prælatis Regularibus, vide dicta *tom. 1. p. 1. cap. 10. num. 35. & 36. & cap. 18. num. 46.* Vide etiam Portellum *in Dub. Regul. verbo Diſpenſare, num. 10.* Ioannem de Cruce *de ſtatu Religionis lib. 1. cap. 6. dub. 13. & 15.* Bordonum *Reſol. 10. à num. 24.* & alios apud ipſos. [Nota tamen pœnas inhabilitationum, ſeu illas quæ important inhabilitatem, non tolli per abſolutionem, ſed per diſpenſationem inſtar irregularitatum. Suarez *de Relig. tom. 1. tr. 3. lib. 4. cap. 61. n. 3. & tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 21. n. 13. & 14.* Sigiſmundus *ſuprà dub. 97.*] Nota etiam priuilegium Pauli III. pro Benedictinis, quod retuli *ſuprà verbo Irregularitas, num. 32.* Maximè cires dicta illis locis, ſcilicet Prælatos Regulares poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis iure communi, & ſecluſo quocunque priuilegio in omnibus pœnis contractis propter delicta minora adulterio, ſi tales pœnæ Papæ reſeruatæ non ſint, propter *cap. etſi Clerici, de iudiciis,* videndi ſunt Ioannes de la Crux *dicto dubio 15. concl. 6.* [Sigiſmundus *ſuprà dub. 96.* vbi etiam an id poſſit fieri pœnitentia non peracta, quod locis relatis diximus eſſe neceſſarium ad dandam huiuſmodi diſpenſationem.] & Theſaurus *ſuprà cap. 23.* vbi plura huic intento neceſſaria.

18 An etiam Prælati Regulares diſpenſare poſſint in pœnis per ſuas Conſtitutiones taxatis, vide dicta *tom. 1. part. 1. cap. 8. num. 23. & cap. 18. num. 54.*

19 Congruit ad intentum quædam reſolutio cuiuſdam caſus mihi propoſiti de quibuſdam pœnis; quæ talis

eſt. Quoad caſum mihi propoſitum de P.M.N. qui ex-
tra portam Conuentus exiuit ſine licentia Superioris,
cum tamen Reu. Generalis eius Ordinis præceptum 20
promulgauerit, *quod fratres exeuntes Monaſterium cu-
iuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, ſiue ſint de fa-
milia, ſiue hoſpites dicti Conuentus, non exeant extra por-
tas dicti Conuentus, niſi prius petita, & obtenta venia à
Priore, &c. ſub pœnis priuationis gradus, vtriuſque vo-
cis, dignitatis, & officij, quod habuerint, & inhabilitatis
ad alia in poſterum obtinenda, & expulſionis à Conuentu
irremiſſibiliter infligendis:* & quia aſtitit ante portam
cuiuſdam artificis habentis officinam propè ipſum
Conuentum, contra præceptum eiuſdem Reuerendiſ-
ſimi, quo præcepit, *vt nullus frater cuiuſcunque gradus,
aut conditionis exiſtat, audeat aſtare ante portam artifi-
cum, domus, apothecas, ſiue officinas Monaſterio circum-
iacentes, ſiue vicinas, ſiue remotas, ſub eiſdem pœnis gra-
duatis, & ſimplicibus reſpectiuè ipſo facto infligendis,*
videtur dicendum nullatenus incurriſſe tales pœnas.

Primò quidem, quoad attinet ad exitum illum è Mo- 21
naſterio ſine licentia, non ſolùm quia tales pœnæ non
ſunt ipſo facto, aut iure ipſo inflictæ, aut latæ ſenten-
tiæ, ſed ſolùm à Iudice infligendæ, vt patet ex contextu
ipſarum, & iuxta communem doctrinam, quam ex Ti-
raquello, Caſtro, Sayro, Bonacina, Suarez, Filliucio,
Coninch, & aliis affero *in Summ. verbo Pœna Eccleſia-
ſtica, num. 5.* Sed etiamſi accipiantur in vim pœnarum
infligendarum à Iudice, ſeu Superiori: eo quod talis
exitus à Conuentu fuit cum ignorantia talis decreti à 22
Reuerendiſſ. Patre editi; quia videlicet etſi bis in com- 23
munitate publicatum fuerit, prædictus autem Magiſter
aliunde occupatus non adfuit tali publicationi. Igno- 24
rantiam autem legis excuſare à tranſgreſſione, vel ſal-
tem pœna legis, compertiſſimi Iuris eſt, prout ex Suarez,
Sanchez, Laymano, Caſtro Palao, Sayro, Salas, Baldel-
lo, & communiter Canoniſtis, ac Rotæ deciſione pro-
bat Theſaurus *in prax. p. 1. cap. 15. quæſt. 1.* Quod adeo 25
eſt verum, vt etiam hæc ignorantia eſſet aliquo modo
culpabilis ob prætermiſſam debitam diligentiam, aut ex
alio capite excuſaret, iuxta ea, quæ tradunt Speculator,
Ioannes Andreas, Sylueſter, Angelus, Tabiena, Lopez,
Ledeſma, Henriquez, & Sanchez, quos refert & ſequi-
tur Paſqualigus *in qq. moral. cent. 3. q. 285. num. 7.* Imò ge- 26
neraliter, ignorantiam, quæ non ſit affectata, aut craſ-
ſa, excuſare à tranſgreſſione præceptorum humanorum,
doctrina eſt plurium Doctorum apud Dianam *p. 3. tr. 5.
reſol. 14. & p. 4. tr. 2. reſol. 85.* ac etiam *p. 5. tr. 9. reſol. 17.*
qui afferunt rationem deductam ex benignitate, ac ſua-
uitate obligationis legum humanarum. Cui etiam addi 27
poteſt, quoniam qui operatur ex ignorantia, neque con-
temnit, neque affert iniuriam legi, aut legiſlatori, prout
colligi videtur *ex l. ſi ignorans, ff. locati,* & Mateo Vidal
in Arca Inquiſ. c. vnic. de blaſphemia num. 17. Caſu verò, 28
quod non credatur ipſi habuiſſe talem ignorantiam, vi-
detur ſtari poſſe iuramento ipſius iuxta doctrinam Pel-
lizzarij *tom. 2. Man. Regul. tract. 7. c. 1. ſect. 1. num. 45.*

Quod etiam videtur dicendum de tranſgreſſione alia 29
alterius præcepti eiuſdem Reuerendiſſimi de non ſtan-
do ante portam artificum, &c. quia etiamſi pœnæ pro
iſta culpa impoſitæ ſint ipſo facto, tamen eadem eſt
ratio quantum ad hoc de illis, ac de aliis ſententiam
Iudicis ſpectantibus, prout Auctores relati communiter
dicunt, & ſupponunt. Idque magis procedere videtur 30
in hac culpa, eo quod legiſlator appoſuerit verbum
illud *audeat,* quòd denotat præſumptionem: quando
enim hoc modo loquuntur legiſlatores, requirunt ſcien-
tiam in tranſgreſſoribus, iuxta ea quæ dixi *tom. 1.
Summ. cap. 10. num. 33.* & affert Theſaurus *ſuprà part. 2.
cap. 1. verb. Agnus Dei, § limita primò.* Cum igitur talis 31
ſententia non adfuerit, excuſabilis videtur talis Reli-
gioſus à tranſgreſſione horum præceptorum, & pœ-
narum impoſitarum.

32 Caſu verò, quod ex certa ſcientia talium decreto-
rum præfatus Pater operatus eſſet, adhuc nihilomi-
nus excuſabilis videretur ab incurſione in tales pœnas:
33 eo quòd illæ ſunt grauiſſimæ, ac per conſequens ſo-
lùm propter peccatum mortale imponibiles; non vi-
detur autem eſſe peccatum mortale egredi ex Conuen-
tu ad paucos paſſus ſine cappa, & alloqui amicum
34 paucis verbis pro aliqua neceſſitate. Pœnam porrò pro-
portionatam eſſe debere culpæ adeo tritum, & fami-
liare inter Doctores eſt, vt vix probatione egeat. Sic
enim colligitur *ex can. Non afferamus 24. quæſt.* 1. ex D.
Auguſtino petito, vbi alij Doctores, & maximè *ex
cap. Felicis, de pœnis in 6. §. Illud*, vbi dicitur ſecundum
quod exceſſus exegerit, vindicta procedat, ac ex eo
quod non diceretur rationabile præceptum quod pro
re leui magnam inducit pœnam, *l. reſcriptum, ff. de
his quibus, l. Paulus, & l. Beneficio*, & vtrobique Bar-
thol. Aretinus *conſ.* 14. *num.* 5. Bordonus *reſol.* 78. *num.* 2.
35 Moratus *reſp.* 21. *num.* 17. *& reſp.* 92. *num.* 3. Quibus
fauent Iuris axiomata, videlicet, Modica non nocent,
cap ſi proponente 42. vbi gloſſ. 1. *de reſcript.* Tiraquell. *in
l. ſi vnquam, verb. donatione largitus, num.* 107. *C. de reuoc.
donat.* & de modico non eſt curandum, *l. ſi oleum, § fin.
cum l. ſeq. ff. de dolo, l. In rebus, §. poſſunt, ff. commodati.*
36 Barboſa *in axiomat. axiomat.* 151. *n.* 2. Et modica non ve-
niunt in conſideratione, *l. quamuis, ff. de condit. & de-
monſtrat. & cap. coram dilecto, de offic. deleg.* Paſqualigus
in qq. moral. quæſt. 122. *num.* 4. & parum, & nihil æqui-
parantur, *l. quamuis, ff. de condit. & demonſt.* & plures
DD. apud Barboſam *in axiomat. axiom.* 175.

37 Nihilominus, re enucleatiùs perſpecta, & ſecun-
dum circumſtantias loci, & temporis conſiderata, in
eam partem inclino, vt prædicto P. Magiſtro præfatæ
pœnæ applicari debeant, ſaltem magna ex parte, & pro
tempore paruo ab ipſo Reuerendiſſimo deſignando.
38 Moueor primò eo quod generaliter apud plures Au-
ctores exaratum video, quod pœna Committatur,
etiamſi in minimo deficiatur, prout ex Cornejo *con-
ſil.* 95. *col.* 3. *lib.* 4. & Crauet. *conſ.* 781. *n.* 8. tradit Car-
dinalis Tuſchus *concl.* 296. *num.* 13. & ex ipſis Barboſa *de
39 clauſulis, clauſ.* 96. *num.* 5. Secundò, quia delicta puniri
expedit Reipublicæ, ne maneant impunita, *l. Ita vulne-
ratus, §. quod ſi quis, verſ. cum neque impunita, ff. ad leg.
Aquil. l. licitatio, §. quod illicitè, ff. de public. l. Congruit* 13.
ff. de offic. Præſid. l. Stichum, § tametſi, ff. de ſolut. Extrau.
ad reprimend. in princ. vbi Bart. *verbo Impunita, cap. eſt
iniuſta* 23. *quæſt.* 4. *cap. vt fama* 35. §. 1. *de ſent. excom.* Sig-
40 norol. *conſ.* 242. *in fin.* quod eſt Leonardi de Ceris, vbi
quod placatur Deus, quando delicta puniuntur, quod
maximè procedit in Religionibus, quia vt loquit B.
Petr. Damian. *epiſt.* 11. ad Gotifredum *lib.* 7. dum vltoriæ
ſeueritatis cenſura reprimatur, temeraria delinquendi
licentia relaxatur, inordinata ſaeè pietas nutrit impieta-
tem, & timida manus Medici vulnus auget ægroti. Ac
41 maximè in culpis publicè perpetratis, quia ſunt in ma-
lum exemplum aliorum, quod grauius punitur, quia
eſt Reipublicæ perniciosius, *leg.* 3. *§. ſed & ſenatuſcon-
ſulto, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. ſi quis, §. abortionis, ff. de
pœnis, cap. præcipuè* 11. *quæſt.* 3. Gloſſ. *in cap. nemo* 32.
quæſt. 4. Tiraq. *de pœn. temper. cauſ.* 44. *num.* 35. Carrer.
in pract. crim. in tract. de homicid. n. 27. *pag.* 258. Menoch.
de arbitr. q. caſu 358. *n.* 4. *lib.* 2. ac ſuper omnia in culpis,
quæ ſi non puniantur, alij occaſionem accipient ad ſi-
miles committendas. Tunc enim neceſſarium eſſe, vt
42 talis pœna exacerbetur, vt alij timorem habeant, rectè
dicit Sayr. *in Clau. Reg. lib.* 3. *c.* 8. *a.* 5. *ex l. aut facta, § fin.
43 ff. de pœn.* quod contingere in propoſito nullus negare
poterit: cum enim tranſgreſſio illorum præceptorum
facta fuerit ſciente, & vidente R. P. Generali, & quaſi
ſub feneſtra ipſius Cameræ, ſi pœnas talis tranſgreſſio-
nis præfato Patri non applicaret, vtique tota Religio
pro qua edita ſunt ea decreta, diceret P. Generalem ea

edidiſſe ſolùm eluſoriè, perfunctoriè, ac veluti per cæ-
remoniam, & ita omnes ſimiliter poſſe illa impunè
tranſgredi. Quæ omnia eo magis robur accipiunt, quod 44
cum edita ſint huiuſmodi decreta ad tollendum abu- 45
ſum, qui erat in contrarium, cum abuſus ſit difficilè
ſeparabilis, oportet quod lex rigoroſè executioni
mandetur, *l. Capitalium, §. ſolent, & §. graſſatores, ff. de
pœn. l. ſeru. C. ad leg. Iul. de vi, l.* 1. *ff. de iur. patr. cap.
ita nos* 25. *quæſt.* 2. *cap. perpenis* 27. *quæſt.* 1.

Vnde nec eſt excuſabilis iſte Pater propter ignoran- 46
tiam, quia illa non præſumitur in præſenti, quia vt ſup- 47
ponitur in facto, ipſe habuit præ manibus dicta decreta,
& illa affixit, quæ adeo vehemens ſuſpicio eſt, quod illa
legerit, vt nec iuramento purgari poſſit, eo quòd iura-
mentum non adhibetur quando indicia ſunt in contra-
rium. Bald. *in l.* 1. *C. de confeſ. deteg.* Bordonus *contro.* 46.
n. 14. ex aliis. Præſertim in cauſis criminalibus. Iulius 48
Clar. *q.* 63. *in princ.* Bordonus *ſuprà n.* 15. Nec etiam illi
ſuffragatur paruitas materiæ, quia attentis circunſtan-
tiis adductis, hic non intercedit talis paruitas, ſed potiùs 49
grauitas moralis ſufficiens in Religionibus ad incurren-
das ſimiles pœnas, vt patet ex Conſtitutionibus illarum.

Dixi autem applicandas eſſe dictas pœnas, ſaltem 50
magna ex parte, & pro paruo tempore duraturas, quia
in puniendis delictis ſeueritas cum benignitate tempe-
randa eſt, *can. quid faciat* 23. *quæſt.* 3. *& can. licet, diſt.* 45.
vbi quod plus erga corrigendos agat beneuolentia, 51
quàm ſeueritas, plus cohortatio, quàm commotio,
plus charitas, quàm poteſtas, cum nemo noſtrum ſine
reprehenſione, & ſine peccato viuat. Et ibi gloſſa dixit
quod ſententia, quæ miſericordiam vetat, fugienda eſt.
Item & text. *in cap. ſerpens, de pœn. diſt.* 1. vbi quod quis
non debet eſſe minùs iuſtus, & in *cap. niſi cum pridem,
ante med.* & ibi gloſſ. *de renunc.* dicit, quod nimis iuſtus 52
quandoque in ſua iuſtitia perit, per *cap. de his* 2. *quæſt.* 7.
& per *d. cap. ſerpens.* Et ait Seneca ad Neronem *in fin.*
quod in puniendis delictis venia, & clementia atten-
dantur. Vide Farinac. *in prax. quæſt.* 17. *num.* 4.

Congruit etiam ad intentum reſolutio cuiuſdam du- 53
bij mihi propoſiti circa impoſitionem pœnæ pecunia-
riæ, quæ ab aliquibus Prælatis ſæcularibus imponi ſo-
lèt pro aliquibus culpis. Etſi enim rarò, aut nunquam 54
ſit, aut poſſit eſſe in vſu apud Regulares, caſu tamen
dato quod aliquando ſit, vel fuerit, videtur eodem mo-
do de ipſa philoſophandum, ac de pœna pecuniaria
ab Epiſcopo aſſignata. In quo præcipuè inueſtigan-
dum, an Epiſcopus poſſit illam ſibi, vel ſuæ Cameræ,
aut ſaltem Eccleſiæ ſuæ applicare. De quo interrogatus
ab amico perilluſtri ſic reſpondi.

Epiſcopus nullo modo poteſt pœnas pecuniarias in- 55
dicere, vel exigere pro criminibus tolerandis. Ita enim
expreſsè deciditur *cap. licèt, de pœnis, ab Alex.* 3. Et ratio
euidens eſt, quia perniciosum valdè eſt tolerare crimi-
na, aut pro ipſis tolerandis pecunias veluti annuum
cenſum à concubinariis exigere. DD. *in d. cap. licet*, Co-
uar. *lib.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 9. Barboſa *de offic. & poteſt.
Epiſcop. alleg.* 107. *num.* 19.

Poteſt tamen Epiſcopus correctionis zelo pœna pe- 56
cuniaria Clericos ſuos punire, maximè vbi ea magis ti-
meretur. Colligitur *ex d. cap. licet*, & ex DD. *ibid.* ac
conſtat ex vſu Eccleſiæ, & ſupponitur in Concilio Tri-
dentino *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 3. *&* 14.

Nec poteſt huiuſmodi pecuniarias pœnas ſibi appli- 57
care, ſed locis piis erogare. Ita enim habet Concilium
eo *cap.* 3. dicens: *Liceat eis ſi expedire videbitur in cau-
ſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet perti-
nentibus contra quoſcumque, etiam laicos, per mulctas pe-
cuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo quod exacta
fuerint aſſignentur.* Et *cap.* 14. loquens de cauſis crimi- 58
nalibus, ſcilicet concubinatu Clericorum, *ſi à Supe-
rioribus moniti ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fru-
ctuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum,*

quorum

Digitized by Google

quorumcunque & penſionum ipſo facto ſint priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicentur.

59 Eſt tamen diſcrimen inter dictas mulctas, ſeu pœnas pecuniarias: nam illæ, quæ ſunt arbitrariæ,& iuxta *cap.* 3. Concilij relatum ab Epiſcopo impoſitæ in cauſis ciuilibus, ita piis locis applicari debent, vt non poſſit illas Epiſcopus conuertere, nec etiam in fabricam Eccleſiæ, mercedem Vicarij, vel aliorum Offi-
60 cialium Curiæ. Ita enim referunt deciſum Piaſecius *in prax. Epiſcop. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 97. *in princ.* Galetus *in margar.caſ. conſc.verb. Pœna*, Aldana *in Comp. Canon.reſol.lib.*5. *tit.*1. *num.*8. & 11. vbi dicit ita deciſum à Sacr. Congregatione in Auerſana 22. Ianuarij 1590. Nota tamen quod Genuenſis *in praxi Archiep. Cur. Neap. in impreſſ. Veneta de anno* 1645. *pag. mihi* 232.
61 loquens de hac deciſione Concilij videtur dicere illam procedere, cùm Epiſcopus habet redditus ſufficientes, quia ſi pauper eſſet, aliud videretur dicendum iuxta doctrinam Hoſtienſis & Felini, quos ibi refert. Prudenter tamen animaduertit conſulendam eſſe in dubio S.Congregat.

65 Pœnæ autem aliæ pecuniariæ in cauſa criminali concubinatus iuxta præfatum *cap.* 14. ab ipſo Concilio impoſitæ, *fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi*, applicari debent, vt idem Concilium
63 inquit. Ac proinde non poſſe Epiſcopum portionem aliquam, etiam in minima parte, Vicario pro ſua mercede limitare, & minùs Cameræ ſuæ Epiſcopali applicare, non obſtante contraria conſuetudine, reſoluunt, deciſumque referunt Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Pœna pecuniaria*, Sbrozius *de Offic. Vicar. in addit. lib.* 2. *quæſt.* 143. Piaſec. *in Prax. Epiſcop. part.*1. *cap.*4. *num.*97. *in princip.* Galet. *in margar.caſ. conſc. verb. Pœna*, Aloyſius Riccius *in prax. rerum for. Eccleſ. deciſ.*349. *in* 1. *edit.aliàs reſolut.*307.*num.*3. *in* 2.*edit.* quos refert,& ſequitur Barboſa *in Collect. ad d.cap.*14.*relatum Concil. & de offic. & poteſt. Epiſcop. part.*3.*allegat.*107.*num.*19.

64 Vbi autem Epiſcopus admodum pauper eſſet, eas ſibi aſſumere poſſe, pariter deciſum referunt Molfeſius *in Comm.ad conſ. Neapol. part.*4. *quæſt.*64.*num.*24. Aloyſius Riccius *reſol.*307. *num.*3. *verſ. limita*, quos etiam refert & ſequitur idem Barboſa *in collect. ad dict. cap.*14. *num.*15.

POENITENTIA.

Vide dicta *ſuprà verbo Confeſſio*, & *verbo Confeſſarius.*

PORTIO CANONICA.

Vide dicta *ſuprà verbo Canonica portio*, & *infrà verbo Quarta funeralis.*

PRÆCEDENTIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De qua præcedentia hîc agatur.*
2 *Controuerſia de præcedentia ab Epiſcopis dirimenda.*
3 *Clerus ſæcularis præcedit Regularem.*
4 *In præcedentiis quæ attendenda.*
5 *Declaratio Sedis Apoſtolicæ maximè attendenda.*
6 *De Conſtitutione Gregorij XIII.*
Præcedentia quæ Romæ obſeruatur inter Regulares] in proceſſionibus. ibid.
7 *Mendicantes præcedunt non Mendicantes.*
8 *Monachi præcedunt Mendicantes.*
9 *Præcedentia Regularium vnius Ordinis inter ipſos quomodo habenda.*
10 *De aliis ad id ſpectantibus remiſſiuè.*

NOn loquor in præſenti de iure præcedentiæ inter Religiones ratione inſtitutionis, vel confirmationis Pontificiæ ipſarum, res enim eſt potius ad hiſtoriam ſpectans, & fuſiùs alibi tractanda; ſed de præcedentia, quæ competit ipſis Regularibus, & etiam Confraternitatibus, ſiue cum aliis Regularibus, ſiue cum Religioſis eiuſdem Religionis, ex Conſtitutionibus, priuilegiis, & Decretis Sedis Apoſtolicæ. 1

Et primò ex dictis *ſupra verbo Epiſcopus quoad Regulares, num.* 23. ad Epiſcopum ſpectat propter Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.*25. *cap.*13. componere controuerſias ortas circa præcedentiam Regularium in proceſſionibus, omni appellatione poſtpoſita, breui manu, ſummariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, prout declaratum à Sac. Congregatione eo loco dixi. De quo etiam Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Præcedentia, num.*1. & 2. poſt Armendariz, Leonem, & alios. Intelligitur etiam hæc facultas quoad proceſſiones, quæ fiunt in tumulandis corporibus Defunctorum. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.*78.*num.*29. Hæc autem Conciliaris diſpoſitio, cum ſolùm facta ſit ad tollenda ſcandala, non tollit appellationem quoad effectum deuolutiuum, ſed ſolùm quoad ſuſpenſiuum. Barboſa, & Nouarius *ſuprà.* Burdonus *reſol.*7.*num.*139.

Deinde præcedentia non debetur Regularibus ſupra Clerum ſæcularem, cùm potiùs Clerus ſæcularis potiatur præcedentia ſupra Regulares, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis, & Monaſteriis, ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine, vt declarauit ſæpiùs Sac. Congregatio, & nouiter plura de hoc Vulpius *in Praxi fori Eccleſ. cap.*34. & Nouarius *ſupra num.*4. & 5. 3

In præcedentiis autem iudicandis attendenda ſunt tria, ſcilicet prioritas in inſtitutione, & approbatione, prout ex Rotæ deciſionibus, & Chaſſaneo *in Catalogo gloriæ mundi, p.*4. *conſider.*52. habet Barboſa *ſuprà num.* 56. Secundò, conſuetudo locorum, etiamſi iuri repugnet, prout etiam ex variis Rotæ deciſionibus, & Riccio *in ſuis Deciſionibus*, habet idem Barboſa *ſuprà num.*27.36. & 37. Adde Naldum *in Summa, verbo præcedentia, num.*1. & conſonat Conſtitutio Greg. XIII. de qua infrà. Tertiò, tempus fundationis Monaſterij in locis, ita vt illi Regulares debeant præcedere, qui priùs in loco Monaſterium habuerunt. Ita enim habetur non ſolùm ex Conſtitutione relata Gregorij XIII. ſed ex pluribus declarationibus Sac. Congregationis apud eundem Barboſam *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 43. *num.*182. Etiamſi prioritas ſit tantum vnius diei, vel horæ. Idem Barboſa *dicta allegat.* 78. *num.* 33. & 34. Caſu autem, quo plures Conuentus procederent ſub vna Cruce, vt olim faciebant Patres Capuccini cum aliis fratribus Minoribus, ſi aliquis illorum incipiat erigere Crucem, debet habere ſuam præcedentiam non à loci antiquitate, ſed à tempore erectionis Crucis. Ita enim habetur ex quadam declaratione Sac. Congregationis, quam dicit eſſe authenticam, & apud ſe haberi manu Cardinalis, & Secretarij ſubſcriptam, Bordonus *ſuprà num.*183. Cum enim caſus eſſet quod Patres Capuccini priùs incederent ſub Cruce fratrum Minorum Mediolani, & poſtea cœperint erigere Crucem, lite orta, & quæſtione inter ipſos, an quia antiquiores erant in eadem Vrbe præcedere deberent alios; an verò ſolùm habere præcedentiam à tempore erectionis Crucis, Sac. Congregatio reſpondit, Cardinali Milino referente, *Capuccinos cedere debere digniorem locum iis Regularibus, qui ſub propria Cruce, & in proprio loco in proceſſionibus incedebant antequam ipſi propriam Crucem deferrent.* Refert etiam hanc eandem declarationẽ Nou.

ſuprà num. 14. Supponit autem idem obſeruare debere prædictos Patres Capuccinos cum omnibus aliis Regularibus, qui ſub propria Cruce in eo loco incedebant, antequam ipſi propria Cruce vterentur. Vide Vulpium *ſupra*. [Nota autem Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 11. Iulij 1638. ordinaſſe quod Auguſtiniani Diſcalceati Ciuitatis Neapolis, qui priùs incedebant in proceſſionibus ſub Cruce Calceatorum, non poſſent in die Corporis Chriſti in proceſſione ſub Cruce ſeparata incedere.]

5 Maximè autem attendenda in præcedentiis Regularium eſt declaratio facta à Sede Apoſtolica circa eam rem. Vnde Canonici Regulares habent præcedentiam ſupra Monachos, etiam nigros, vt poſt longam diſcuſſionem decreuit Pius IV. in Bulla *Sedes Apoſtolica*, anno 1564. Nauarrus *tom. 4. de Regul. num.* 4. Tamburinus latè *tomo* 1. *de Iure Abbat. diſp.* 25. *quæſit.* 1. Deinde Monachi præcedentiam habent ſuprà Mendicantes ex declaratione Sacræ Congregationis apud relatum Nouarium *num.* 11. De quo etiam idem Tamburinus *ſuprà quæſit.* 8. *num.* 2. Inter ipſos quoque Monachos præcedentia debetur Cœleſtinis ſupra Oliuetanos, ex declaratione etiam Sacræ Congregationis, & determinatione Rotæ apud eundem Nouarium *ſuprà num.* 15. De quo ſimiliter Tamburinus *ſupra à num.* 7. Vbi etiam agit de præcedentia Oliuetanorum ſupra Monachos Montis Virginis. Inter Mendicantes etiam, prout habetur ex Bulla Pij V. quæ incipit *Diuina*, Prædicatores præcedere debent ſuper alios Mendicantes. Tamburinus *ſuprà num.* 5. Nouarius *ſuprà num.* 16. Quod etſi derogatum videatur à Gregorio XIII. in Bulla modò referenda, vt tenet Campanile *in Diuerſar. Iuris Canonici Rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 121. confirmatum tamen videtur à Clemente VIII. pro Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Chataloniæ in Bulla *Inter cætera*, *in tom.* 3. *Bullar. num.* 13. Quoad alios autem Mendicantes, & Confraternitates ita ſtatuit Gregorius XIII. in Bulla *Exposcit*, die 15. Iulij 1583. in Bullario Laërtij *tom.* 2. in ipſo Gregorio *num.* 84. prout etiam referunt Quaranta *in Summa Bullarij*, *verbo præcedentia*, Naldus *ſuprà num.* 4. Cherubinus *in Collectan. litterar. Apoſtolicar. in Gregorio XIII. num.* 8. *De nobis attributa poteſtatis plenitudine volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quicunque ex dictis fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia huiuſmodi contendentibus aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & cauſæ præmiſſorum occaſione ortæ iam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ac iuris præcedendi ſunt, (ij quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in proceſſionibus tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ huiuſmodi, inter fratres quidem Mendicantes, ij qui antiquiores in loco controuerſiæ, inter Confratres verò inter ſe litigantes, ij qui priùs ſaccis vſi ſint in proceſſionibus tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant, itavt ſi contigerit noua Monaſteria, aut Domus alicuius Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria, aut domus priùs erecta, aut inſtituta ſint, erigi, ille Ordo, qui priùs Monaſterium, ſeu domum in loco habuerit præcedat.*

6 Circa hanc verò Gregorij Conſtitutionem nota primò, quod licèt Portellus *in Dubiis Regular. verbo proceſſiones*, *num.* 9. dicere videatur eam non eſſe vbique receptam, ac proinde ſtandum eſſe conſuetudini, nihilominus ex pluribus declarationibus Sac. Congregationis, quas refert Barboſa loco relato *ex lib. Iuris Eccleſiaſtici*, *num.* 182. & 183. & Nouarius *ſuprà num.* 6. habetur, eam vbique obſeruari debere. Imò ex aliis, quas refert ipſe Nouarius *num.* 18. elicitur, eam eſſe in viridi obſeruantia. Video etiam SS. D. N. Vrbanum VIII. litteris datis in forma Breuis 18. Decembr. 1637. *in Additamentis ad Peyrinis Conſtit.* 17. approbaſſe plures litteras Sac. Congregationis ad diuerſos Epiſcopos circa præcedentiam Regularium, maximeque dictam Conſtitutionem Gregorij. Nota ſecundò, quod cum poſt dictam Conſtitutionem aliæ complures ortæ fuiſſent lites circa præcedentiam iſtam, ideo die 26. Auguſti 1593. Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium ad tollendas omnes lites, & controuerſias, quæ inter Regulares plerumque ſolent oriri ſuper eorum præcedentia in proceſſionibus, cæteriſque actibus, tum publicis, tum priuatis, illud in futurum obſeruandum cenſuit, quod in hac alma Vrbe omnium Magiſtra ſeruatur. Et die 30. Auguſti eiuſdem anni 1593. Dominus Cardinalis Alexandrinus retulit ſupra ſcriptam Congregationis ſententiam Sanctiſſimo placuiſſe, & iuxta eam in caſibus occurrentibus ſemper reſcribi, & ſi opportunum fore videbitur, generalem Conſtitutionem deſuper fieri mandaſſe, illa Gregoriana, aliiſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Quarum declarationum meminerunt Compendium Camaldulenſium, Campanile *ſuprà*, & Barboſa dicta *allegat.* 78. *num.* 35. Præcedentia autem, quæ Romæ obſeruatur inter Regulares in proceſſionibus talis eſt, prout ex Rinaldo Bottigliero Decano Mandatariorum Tribunalis Eminentiſſimi D. Cardinalis Vicarij, per teſtimonium authenticum ab ipſo acceptum habeo. Poſt pueros *Litterati orphani* vocatos incedunt primò fratres Reformati S. Auguſtini. Secundò S. Mariæ dictæ de Miracoli. 3. Capucini. 4. S. Ioannis Collauitæ, ſeu Fratres de Beato Ioanne de Deo. 5. S. Adriani Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede. 6. S. Ioannis, & Pauli Ordinis S. Hieronymi. 7. S. Honuphrij. 8. S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis. 9. Minimi. 10. Minores. 11. Auguſtiniani. 12. Carmelitæ. 13. SS. Clementis, Pancratij, & Ambroſij ad Nemus. 14. Seruitæ. 15. Prædicatores. 16. Monachi S. Alexij. 17. Canonici Regulares S. Petri ad Vincola, & S. Laurentij extra Muros. 18. Oliuetani. 19. Cœleſtini. 20. Ciſtercienſes. 21. Vallis-Vmbroſani. 22. Camaldulenſes S. Gregorij. 23. Caſſinenſes. 24. Canonici Regulares S. Mariæ de Pace Congregationis Lateranenſis, & Canonici Regulares S. Saluatoris in Lauro. Nota tertiò, quod id quod dicitur in dicta Bulla Gregorij de maiori antiquitate Monaſterij attendenda in huiuſmodi præcedentiis, intelligi debet de habitatione formali, & non ſimplici, perfunctoria, ſeu hoſpitali, cum verba in dubio ſint accipienda in ſenſu formali, & proprio. Naldus *verbo Præcedentia*, *num.* 4.

Mendicantes autem præcedentiam habere ſupra non 7
Mendicantes conſtat ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ, pluribuſque Sedis Apoſtolicæ quoad hoc declarationibus, ſpecialiter pro præcedentia Carmelitarum ſuper fratres S. Mariæ de Mercede extat Decretum Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ de anno 1600. ſub die 27. Aprilis, & Rotæ deciſio eodem anno ſub die 10. Martij, quod confirmat Clemens VII. in Bulla *Decet Romanum*, *in* 3. *tom. Bullarij*, *num.* 95. de quo Tamburinus *dicta diſputat.* 25. *quæſito* 8. *num.* 3. vbi poſt alia ſic: *Demum quod Ordo Carmelitarum præcedat fratres S. Mariæ de Mercede cenſuit Rota in Oriolenſi præcedentiæ* 10. *Maij* 1600. *coram Litta, eſt deciſ.* 26. *part.* 2. *Recent. ea ſcilicet ratione, quia Ordo Carmelitarum inſtitutus fuit ante Concilium generale, de quo in cap. ne nimia, de Relig. domibus, vt probatur in cap. fin. §. ſanè ad Prædicator. eod. tit. in* 6. *& approbatus per Honorium tertium anno ſalutis* 1225. *Ordo autem Beatæ Mariæ de Mercede inſtitutus fuit poſt dictum Concilium generale, & approbatus à Gregor. IX. Pontificatus ſui anno* 8. *qui Pontifex creatus fuit poſt dictum Honorium, & ideo Rota vbi ſuprà decreuit præcedentiam deberi dicto Ordini*

Carmelita

Digitized by Google

Carmelitarum, vti priori in tempore, iuxta adnotata per Doctor. in leg. honores, ff. de decur. & in leg. fin. vbi Bart. C. de Tyron. lib. 12. cum aliis per Chaſſaneum in Cathalog. glor. mund. parte 4. conſiderat. 52. verſ. quintò ergo, & per Tobiam Nonium conſ. 71. num. 35. Nauar. conſ. 5. de ſtatu Monach. Et iuxta hanc doctrinam ſæpiùs, tam à Sacra Rituum Congregat. quam à Rota in hac materia deciſum fuiſſe teſtatur eadem Rota in vna Salernitana præcedentiæ 2. Iunij 1625. coram bon. mem. Burrato, vbi plures concordantes in additionibus refert D. Ioan. Franciſc. Ferentill. Nobilis Interamnenſ. & in Romana Curia Aduocatus, qui de ſe multa, & grauia in dies pollicetur. Hæc Tamburinus. Quæ annotanda duxi propter aliqua, quæ in Conſtitutionibus huius Sacri Ordinis B. Mariæ de Mercede, in Tractatu, qui dicitur *De initio, ac fundatione, &c.* à Franciſco Zumel edito, *in §. Tandem Ordo*, incongruè de Carmelitarum Ordine habentur. Quibus iunge, quæ in noſtris Annalibus Deo duce dabimus, ſcilicet, ante dictos Pontifices Ordinem Carmelitarum ab Alexandro III. & Innocentio III. confirmatum fuiſſe. Adde etiam, Sacram Congregationem declaraſſe Carmelitanos in omni loco præcedere debere fratribus S. Mariæ de Mercede. Barboſa loco relato *de Iure Eccleſiaſtico, num. 187.* Nouarius *ſuprà num. 9. & 10.*

8 Quamuis autem, iuxta dicta ſuperiùs, Monachi præcedere debeant Mendicantes, nihilominus cum eſſet orta controuerſia inter Regulares Ordinis Sylueſtrinorum ex vna parte, & Regulares Ordinum Mendicantium in Diœceſi Nucerina commorantes, ex altera, ſuper quæſtuatione, & præcedentia in proceſſionibus, S. Epiſcoporum Congregatio ſub die 24. Ianuarij 1617. dictos Sylueſtrinos tanquam poſtremos in dicta Diœceſi commorantes, aut à quæſtuatione in poſterum abſtinere, aut in proceſſionibus vltimum locum iuxta diſpoſitionem Gregorij XIII. obtinere debere cenſuit. Die verò 19. Maij euſdem anni, eo quòd à quæſtuando ſe abſtinuiſſe S. Congregationi expoſuerunt, Sac. eadem Congregatio præcedentiam eiſdem Sylueſtrinis dandam decreuit. Barboſa loco relato *de Iure Eccleſiaſtico, num. 185.* Nouarius *ſuprà num. 21. & 22.*

9 Loquendo de præcedentia Regularium in ordine ad Religioſos eiuſdem Ordinis, in primis id obſeruandum eſt, vt Prælatus Monaſterij præcedat omnes alios, qui eius Monaſterij Prælati non fuerint. Conſtat enim ex iis, quæ habentur *in l. 1. de Dignit. lib. 12.* quod illi qui ſunt in dignitate præferuntur aliis, qui dignitate non præfulgent. Prælatis autem Regularis Officium dignitas eſt, iuxta dicta ſuprà verbo *Officia Religionum, num. 2. & 3.* Ex præcedentiis etiam, & ſedibus vnicuique debitis ſingulorum dignitas oſtenditur, vt colligitur *ex cap. olim, de conſuet.* & tradunt Gloſſ. & Baldus *in l. decernimus, 2. not. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Tiraquell. *de Primogenitis in præfatione, num. 23.* & alij. Vnde à Sacr. Rota deciſum eſt Parochum in vna Eccleſia præferendum Decano, & Capitulo Collegiatæ ad eam Eccleſiam perſonaliter ex antiqua conſuetudine accedentibus, quodque maior minori in eius domu cedere teneatur. Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. gloſ. 6. num. 101. & ſequent.* Barboſa *dicta allegat. 78. num. 38.* Inter alios autem Religioſos (niſi obſtent ſtatuta Ordinum, quibus ea ſpeciali priuilegio aliud ordinetur) præcedentia ſumenda eſt à puncto profeſſionis emiſſæ, ſicut ab eo tempore ius ſeſſionis in Choro, & refectorio adquiritur. Bordonus *reſolut. 29. num. 84.* Quod ſi contingat aliquos ſimul omnino profeſſionem emiſiſſe, tunc qui priùs ad habitum admiſſus eſt, præcedentiam habere debet, & ſi ſimul recepti ſunt, ille præcedet, qui priùs in Capitulo acceptatus fuit. Ita enim quoad Moniales decreuit S. Congregatio in vna Paduana de anno 1608. prout refert Nouarius *ſuprà num. 20.* Caſu autem quo aliquis propter culpam à loco deiiceretur, prout contingeret ſi à Religione eiiciatur, tunc præcedentiam amittet, etiam ad Ordinem reuerſus. Naldus *ſuprà num. 5.* Profeſſos autem etiam Conuerſos debere præcedere Nouitiis quantumvis Choriſtis, habetur ex Decreto S. Congregat. Regularium pro Ordine Capuccinorum approbato à SS. D.N. Vrbano litteris datis 7. Maij 1631. quæ habentur *in Additionibus ad Peyrinis Conſtitutione 9.* & ex nouiſſimo alio ſub Sanctiſſimo D. N. Innocentio de anno 1653. huius tenoris: *Cum in quibuſdam Prouinciis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſeruantia Reformatorum, Clerici Nouitij, qui in domibus ad id deſignatis regularem habitum ſuſceperunt, in ipſo probationis anno à fratribus laicis iam profeſſis, ac quandoque de Religione optimè meritis, præcedentiam & maioritatem arrogare ſibi præſumant, indeque occaſio plurium ſcandalorum oriatur: S. Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, audito Commiſſario Generali Ordinis huiuſmodi, ſtatuit, atque decreuit, dictis Nouitiis, quouſque profeſſionem emiſerint, tam in publicis, quam priuatis functionibus vltimum locum deberi. Quoniam verò ab eiuſmodi contentionibus præfatum Inſtitutum longè abhorret, eadem S. Congregatio omnes & ſingulos dicti Ordinis Fratres ſeriò hortatur, ac monet, vt Seraphicæ ſimplicitatis memores, ſublatis præcedentiarum litibus, humilitatem inuicem, & charitatem æmulentur, cum paupertatis virtus non eluceat niſi humilitati aſſocietur, & ille maior ſit in lege Euangelica, qui aliis ex charitate inſeruit, atque miniſtrat, digniorémque ſibi locum vendicet qui per eiuſmodi virtutes propius accedit ad Deum, ſiue à dextris, ſiue à ſiniſtris aſſideat. Romæ 8. Auguſti 1653. M. Cardinal. Ginettus. Loco † ſigilli. H. Archiep. Patracen. ſecret.*

Quia tamen aliquando contingit inter Regulares, quod ratificet aliquis ſuam profeſſionem, quam priùs fecerat, ideo notandum quod licet regulariter loquendo præcedentia in Religione ſupra alios Religioſos non competat tali profeſſo, niſi à tempore ratificationis profeſſionis, ſi talis profeſſio cum primum facta fuit, fuit inualida. Qui tamen bona fide, etſi inualidè profeſſus eſt, poteſt retinere locum licitè, quem obtinuit vigore inualidæ profeſſionis. Ratio eſt, quia licet profeſſio irrita non incipiat eſſe valida niſi à tempore ratificationis, vt docet Nauarrus *lib. 3. conſil. de Regular. conſ. 28. num. 3.* tamen bona fides, quæ operatur quod Nouitius non amittat quod putabat eſſe ſuum, dabit etiam prædictum locum præfato Nouitio. De qua re videatur Tiraquel. *in tract. de cauſ. ceſſ. lim. 12. num. 16.* & expreſſiùs Laurentius de Peyrin. *tom. 2. de Prul. quæſt. 3. cap. 1. num. 152.* Nauar. *loco citato, num. 4.* Rodrig. *tom. 3. quæſt. Regular. quæſt. 17. art. 3. in fine.* Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitiorum diſp. 14. dub. 2. num. 2.* Rota coram Seraphino *deciſ. 361. num. 5.* Graffius *tom. 2. conſilior. lib. 3. de Regular. conſ. 6. num. 18.* & Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 3. diſp. 6. quæſt. 17. num. 10*]

De aliis ſpectantibus ad præcedentiam inter Minores Conuentuales & Obſeruantes, ſeu ſtrictioris Obſeruantiæ, vide Barboſam, & Nouarium relatos, ac Caſſatubium *in Compend. verbo profeſſiones.* Item pro præcedentia Abbatum Canonicis, Vicariis Epiſcopi, & aliis Prælatis, ſeu ſæcularibus perſonis, ac inter ſeipſos, vide Tamburinum *d. diſp. 25. quæſit. 2. 3. 4. 5. & 6.* & nouiſſimè Paſqualigum *deciſ. 405.* 10

Reperio etiam alias declarationes SS. Congregationum, quæ meritò addi debent iis quæ diximus circa præcedentiam Regularium, pro caſibus, in quibus controuerſiæ aliquæ fuerint inter ipſos.

PRIMA.

De Sabbati X. Iulij 1621.

Congregatio Sacrorum Rituum, vt tandem diſſenſionibus, quæ circa præcedentiam in proceſſionibus inter Capuccinos, & alios Regulares poſt conceſſam ipſis Capuccinis propriæ Crucis erectionem quotidie oriuntur, aditus omnino præcludatur, inhærendo decreto ſub die 23. Martij 1619. emanato, illudque declarando, cenſuit erectionem Crucis ſupradictis Capuccinis fuiſſe conceſſam, in his tamen locis in quibus ſub Cruce Minorum Conuentualium incedebant, qui aliàs id fortaſſe nunquam permiſiſſent, ac propterea eoſdem Capuccinos in locis, in quibus iam ſub propria Cruce, ſeu in proprio [loco ſub Cruce Cleri, in proceſſionibus ante huiuſmodi conceſſionem incedebant eundem locum] retinere debere. Franciſcus, M. Cardinalis a Monte. Locus † ſigilli. Ioan. B. Rinuccius Secretarius.

SECVNDA.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi D. Card. Cæſarini cenſuit Fratribus Auguſtinianis Conuentus S. Spiritus Florentiæ deberi præcedentiam à Fratribus Conuentus S. Mariæ Maioris Ordinis Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, quando iſti nolunt incedere ſub propria Cruce Die 19. Februarij 1639. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Pius. Iulius Cinthius Secretarius.

TERTIA.

Eminentiſſimi & Reu. Domini. Prior, ac fratres Conuentus Sancti Elmi Ordinis S. Auguſtini Villævinaros Dertuſen. Diœceſis, eò loci à ſexaginta circiter annis erecti: cum de facto moleſtentur circa præcedentiam à fratribus Hoſpitij, ſiue Conuentus à duobus annis ibidem erecti Reformatorum S. Franciſci de Obſeruantia, qui etiam fortè extorſerunt aliquam prouiſionem ad eorum fauorem à Tribunali Epiſcopali, præſertim quia ipſemet Dominus Epiſcopus eſt eiuſdem Ordinis, ac proinde illis ſpecialiter affectus. Supplicant humiliter Eminentias Veſtras, vt ad obuiandum litibus dignentur præcipere, ac mandare, vt circa præcedentiam inter eoſdem Conuentus ſeruetur motus proprius Gregorij XIII. ac Breue ſan. me. Vrbani VIII. hac de re edita ex voto huius Sacræ Congregationis, quàm Sacrarum Congregationum Concilij Tridentini, & Rituum. Quod in ſingularem referent gratiam ab Eminentiis Veſtris. Quas Deus, &c.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, ac Regularium præpoſita, cenſuit ſeruandas eſſe litteras Gregorij XIII. & Vrbani VIII. hac de re editas, vt qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ præcedant, & vbi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ij, qui ſunt antiquiores in loco controuerſiæ, & ita ab his, ad quos ſpectat ſeruari mandat, & præcipit. Romæ 6. Octobris 1645. M. Cardinalis Ginettus. [Archiepiſcopus Patracenſis Secretarius.

PRÆCEPTVM.

1 Vide pro hac materia dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. vbi de Obedientia Regularium ſatis dixi.

PRÆDICATORES VERBI DEI.

1 De illis plura dicta ſunt non ſolùm ſparſim per totam Summam, ſed ſpecialiter *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. & *ſuprà* verbo *Concionari*, *&* *Concionator Regularis.*

PRÆLATVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *De ipſorum electione.*
3 *De qualitatibus eligendorum in Prælatos.*
4 *Bigami eligi non poſſunt.*
5 *Nec publici aleatores.*
6 *Nec publici vſurarij.*
7 *Nec ebrioſi.*
8 *Quid de Neophytis.*
9 *De facultate Prælatorum circa Nouitios.*
10 *De facultate ipſorum quoad abſoluendum à peccatis, ſeu cenſuris.*
11 *Quid quando ſubditi [habent legitimum impedimentum veniendi ad Sedem Apoſtolicam.]*
12 *De facultate diſpenſandi in Irregularitatibus.*
13 *In obſeruantiis Regulæ.*
14 *In legibus, ſeu Conſtitutionibus Religionum.*
15 *In pœnis taxatis per ipſas.*
16 *Quid de pœnis impoſitis à Prælatis, vt ab homine.*
17 *De authoritate Prælatorum ſuprà contractus factos, vel faciendos à ſubditis.*
18 *Circa adminiſtrationem bonorum Monaſterij.*
19 *An facultates, quas concedere poſſunt ſubditis, poſſint etiam dare aliis.*
20 *De obligationibus ipſorum remiſſiuè.*

DE Prælatis Regularibus plurima quoque dicta ſunt in præcedentibus, præſertim *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. De illis tamen in præſenti, vel remiſſiuè agendum, aliqua etiam addendo pro materiæ neceſſitate. 1

Et primò quidem, quod attinet ad Prælatorum Regularium electionem, præter dicta *tom.* 1. *part.* 1. *c.* 15. & *tom.* 3. *verb. Electio quoad Regulares*, notandum quod licet eo *cap.* 15. *num.* 11. dixerim, electiones per modum compromiſſi, & per modum inſpirationis iure communi licitas eſſe, video tamen Sac. Congregationem apud Garziam *de Beneficiis*, *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 204. videri declaraſſe ſolùm electionem per viam ſcrutinij vtendam eſſe in electione Regularium. De quo Sigiſmundus de Bononia *de Electione dubio* 2. *num.* 7. Bordonus *reſolut.* 26. *num.* 75. Quod intellige, iuxta dicta eo verbo *Electio inter Regulares*, *num.* 3. ſi conſtat authenticè de prædicta declaratione. Si enim de ipſa non conſtet, conſuetudo Religionum obſeruari poteſt. Layman. *in Quæſtionib. Canonic. de Prælatorum Eccleſiaſticorum electione*, *quæſt.* 79. Vnde iuxta dicta *ibid. num.* 2. ſeruari debet in electionibus Prælatorum Regularium forma electionis deſignata à Concilio Lateranenſi *in cap. quia propter, de electione.* Non tamen neceſſariò in electionibus aliorum officialium, iuxta *ibid.* etiam dicta. Ad eorum namque electionem, in iure communi ſtando, & ſecluſis particularibus Statutis Religionum, ſufficit quomodocunque haberi conſenſum maioris partis Capitularium communiter congregatorum. Syluester *in Summa, verbo Electio* 1. *quæſt.* 1. Laymanus *ſup. quæſt.* 78. Imò etiam quando electores ſunt pauci, non teneri formam præſcriptam in prædicto *cap. quia propter* obſeruare, ſed alio modo commodiori ſuffragia dare poſſe, tenet Layman. *dicta quæſt.* 79. ex Gofrido, & Abbate. Quod valdè notandum eſt pro noſtra Religione, in qua aliquando electiones Priorum ſolent fieri non ſeruata forma prædicta, quando ſcilicet fiunt à diffinitorio Capituli Prouincialis, in quo pauci, ſcilicet quinque, aut ſex ſolùm, ſolent aſſiſtere.] Sed adhuc tunc conſultius & ſecurius eſt ſeruare formam dicti *cap. Quia propter.* Imò forſan neceſſarium, eo quòd cum de Iure communi electio Priorum ſpectet ad Monaſte- 2

rium

rium iuxta dicta *tom.1.part.1.cap.15 num.1.* de quo latè Sigiſmundus *ſuprà dub.* 114. ex Rotæ deciſionibus & aliis Doctoribus, & ſi electio ſi fieret à Monaſterio deberet fieri iuxta formam præfati *cap. Quia propter*, ideo quando deuoluitur ad Capitulum, vel diffinitorium debet etiam fieri ſeruata eadem forma. Nam id Conſtitut. ſtatuentes, cum ſint correctoriæ Iuris communis, ſolùm ſunt interpretandæ vt corrigant illud in quantum ſonant, ſcilicet quantum ad electores, non quantum ad formam electionis. Etenim ſtatutum correctorium tantùm corrigit quantum loquitur, *l. Si verò, §. de viro, ff. ſolut. matrim.* Sigiſmundus *ſuprà dub.* 7. ex Rotæ deciſionibus, & multis doctoribus.]

3 Circa qualitates eligendorum in Prælatos conſtat ex dictis *tom.1.part.1.cap.15.num.*23. & *cap.*18. *num.*5. 6.7. 8. & 9. eos debere eſſe expreſſè profeſſos, bonæ notæ, & famæ, ſeu non infames, liberos à cenſura, vel pœna Eccleſiaſtica eos inhabilitante, legitimè natos, debitæ ætatis, ſufficientis litteraturæ, Sacerdotio decoratos, &c. Nunc addendum circa litteraturam, quod ſæpiùs excuſari poſſunt Superiores Prælati Religionum præficientes in Conuentibus exiguis, & remotis Prælatos minùs doctos, eo quòd non ſint alij peritiores, qui illud munus exerceant. Prout in ſimili habet Lugo *de Sacram. pœnit. diſput.*21. *ſect.*4. *num.*74. Addens tamen deberi prædictos indoctos de ſua inſufficientia, & obligatione, quam habent comparandi ſibi litteraturam neceſſariam ad ſuum miniſterium obeundum admoneri. Generaliter etiam circa Prælatos animaduertendum, eos debere præditos eſſe ea habilitate corporali, quæ eſt neceſſaria ad exercendum munus Prælatiæ. Leſſius 2. *de iuſtit. cap.* 34. *dub.* 25. Peyrinis *tom.1.de Prælato, quæſt.*1.*cap.*4.*num.*2. ex aliis. Vnde cæci, omninò ſurdi, phthiſi laborantes, continuò podagroſi, paralytici, morbo comitiali, ſeu caduco ſubiecti, leproſi, furioſi, lunatici, energumeni, fatui, muti, & ſimiles, omninò ineligibiles ſunt, quia ſunt inhabiles ad exercendum propria munera Prælatiæ. Garzia *de Beneficiis part.*7. *cap.*12. Sigiſmundus à Bonon. *de Elect. part.*1. *dub.*88. & 89. Peyrinis *dict. cap.*4. Qui id ex aliis extendit ad valetudinarios, illos ſcilicet, qui malo corporis habitu, & affectu ſemper malè habent, valdè ſenes, & præpingues. Sed animaduertendum, an tales impotentes omninò ſint ad munia prælatiæ exercenda; ſi enim tales fuerint, proculdubio arceri debent à Prælaturis, ſecus verò ſi ſolùm aliquo modo impediti. Similiter, quod dicit hic Author de morbo Gallico laborantibus, & carentibus naſo, barba, ſeu capillis ex Venere, quod etiam inhabiles ſint ad Prælaturas, intelligi etiam debet quando tales valdè deformes, abominabiles, aut notoriè infames fuerint. Illud admittendum, quod ex Caietano 2. 2. *quæſt.*185.*art.*4. refert, ſcilicet, quod illæ cauſæ, quæ obligant Prælatum ad renunciandum Prælatiæ (de quibus infrà verbo *Renunciatio*) obligant multò magis electores, ne eligant illas habentem, & ipſum ad non acceptandum munus Prælatiæ. Notat etiam, quod quando poſt acceptam Prælatiam adueniat Prælato aliquod ex prædictis impedimentis, non propterea eſt ipſo ipſo remouendus, ſed ei addendus coadiutor, iuxta *cap. penult. & vlt. de Cleric. ægrot. & cap. ſcripſit mihi, & cap. quamuis triſte 7. quæſt.*1. Vſus tamen Religionum, (vt credo) eſt quod tales cogantur renunciare. Notandum etiam, quod cum iuxta dicta *ſuprà* verbo *Irregularitas, num.*5. vnus ex effectibus irregularitatis ſit facere incapacem beneficij Eccleſiaſtici, & Prælaturæ Religionum, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Beneficium, & Beneficiati, num.*3. ſint quædam Beneficia, ideo illi defectus corporales, qui iuxta dicta eo verbo *Irregularitas, num.* 12. inducunt irregularitatem, inducent etiam incapacitatem ad Prælaturas. Eo præſertim, quia cum Prælatus debeat eſſe Sacerdos, ideo qui Sacerdotio fungi nequit, neque etiam Prælatia. Quæ autem ſint hæ Prælatiæ, quarum incapaces ſunt dicti Irregulares, dixi verbo *Irregularitas, num.*6.

Eligi etiam nequeunt ad Prælaturas Religioſi bigami, ſiue bigamia vera, ſiue ficta iuxta dicta *ſuprà* verbo *Bigamus, & bigamia.* Vbi etiam quid importent tales bigamiæ, & à quibus Superioribus diſpenſare poſſint. Ratio eſt, non ſolùm quia bigami ſunt irregulares, qui iuxta dicta incapaces ſunt harum Prælatiarum, ſed & propter dicta eodem *verbo, num.*13. 4

Publici etiam aleatores ineligibiles ſunt ad Prælaturas Regulares. Ratio eſt, non ſolùm propter dicta *tom.1.part.2.cap.*12. *num.*46. ſed etiam quia id habetur *ex cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælator.* iuncta Gloſſa *verbo Aleatorem*, maximè cum tales ſint infames, ac per conſequens irregulares. De quo Riccius 2. *part. prax. reſolut.* 119. *num.* 2. Campanile *in Diuerſ. Iur. rubric.*4. *num.*32. Peyrinis *ſup. cap.*5. §. 5. ex aliis Iuribus, & Authoribus. An autem talium electio eo ipſo irrita ſit, an ſolùm irritanda, & qui ſint publici aleatores, habes ex dictis *ſuprà*, verbo *Ludus quoad Regulares, num.*5. 5

Idem dicendum de publicis, ſeu notoriis vſurariis (ſi tales quandoque fuerint reperti Regulares) iuxta dicta *eo num.*46. Id enim habetur *ex dict. cap. cum inter dilectos*. & ex eo quod etiam tales ſunt infames. Prout ex Vgolino, Maiolo, & aliis tenet Theſaurus *in praxi, part.*2. *verbo vſura, cap.*4. vbi plura ad intentum. 6

Idem quoque dicendum de ebrioſis, vino deditis, ſeu ſe inebriare conſuetis. Quia etiam illi ſunt infames, & viles. *Vilibus autem perſonis portæ dignitatis patere non debent, cap. inter dilectos relato*, Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.*89. *num.*8. Peyrinis *ſuprà* ex aliis Iuribus, & Doctoribus. Apud quem etiam alia ad intentum. 7

Quid verò dicendum de Neophytis, vulgò *Chriſtianis nouis*, & illis qui abiurarunt coram S. Officio Inquiſitionis, ac de Pœnitentiatis ab eodem S. Officio, ac ſimilibus, habes ex dictis *ſuprà*, verbo *Neophytus Regularis.* 8

Pertinet ad Prælatos Regulares Nouitios recipere, & profeſſare, ſeruatis tamen ſeruandis; tum ex ſtatutis particularibus Religionum, tum præcipuè ex Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII. & Sanctiſſimi D.N. Vrbani, iuxta dicta *tom.1.part.1.cap.*18. *num.*66. vbi etiam an hoc munus ſolùm ſpectet ad Prælatos, an verò etiam ad Conuentum. Num autem quando maiores Prælati, ſcilicet Generales, & Prouinciales id munus exercent, teneantur adhibere conſilium ſuorum Aſſiſtentium, vel Sociorum, & qualis debeat eſſe talis ipſorum aſſenſus, colligi poteſt, tum ex prædictis Statutis Religionum, tum præcipuè ex Conſtitutionibus Sixti V. & Gregorij XIV. De quo Suarez 3. *tomo de Religione lib.*5. *cap.* 10. Rodriguez 3. *tomo quæſt. Regular. quæſt.*10. *art.*1. Sorbus *in Additionib. ad Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Nouitius*, & Peyrin. *tomo* 1. *de Prælato, quæſt.*3. *cap.*1. De conditionibus autem, & qualitatibus recipiendorum in Nouitios, & ad profeſſionem, habes ſuprà verbo *Nouitij*, & *Nouitiatus Religionum.* Habent etiam ſupra illos poteſtatem temporalem ad puniendum quæcunque ipſorum delicta, ita vt propter delicta Nouitiatus tempore commiſſa puniri non poſſint, niſi à Prælatis Religionum, iuxta dicta *tom.1.part.1. cap.*24. *num.*4. & *tom.*3. *verb. Clericus, num.*11. Quod debet intelligi propter delictum ante Religionis ingreſſum commiſſum, ſaltem ſi non in fraudem ingreſſi ſunt Religionem, prout eo loco dixi. Quod verò ibidem etiam dixi, ſcilicet ſi poſt commiſſum delictum in Nouitiatu reuerſi ſunt ad ſæculum habitu dimiſſo, adhuc puniri debere ſolùm à Prælatis Regularibus, intelligendum ita eſt, quod ſi ab ipſis Prælatis puniri non poſſint, Iudices ſæculares eos 9

quod inferiores non poſſunt in legibus latis à ſuis Superioribus diſpenſare; Conſtitutiones autem Religionum factæ ſint à tota Religione, vel Prouincia, quæ ſunt Superiores Generali, & Prouinciali, iuxta ibidem dicta. Nihilominus in caſibus leuibus, & frequentibus, in quibus recurrere ad Superiores, vel Capitulum eſſet durum, & aſperum, poſſunt in prædictis Conſtitutionibus diſpenſare, quia pro illis caſibus præſumitur licentia interpretatiua ad id faciendum, iuxta ibidem dicta. Semper tamen ad talem diſpoſitionem dandam requiritur iuſta cauſa, ita vt ſine illa, nec licita, nec valida ſit diſpenſatio, iuxta dicta *ſupra* verbo *Diſpenſare, & Diſpenſatio inter Regulares, num.* 2. Peccant ergo Prælati ſine iuſta cauſa in Conſtitutionibus Ordinum diſpenſantes, & ſubditi ſine illa diſpenſationem petentes. Suarez *de Legibus, lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 14. *&* 16. Portellus *in Dub. Regular. verbo diſpenſare, num.* 12. Si tamen diſpenſatio bona fide data eſt ab exiſtimante ſuſtinere cauſam iuſtam, adhuc illa non ſubſiſtente, valida probabiliter reputatur. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 17. *num.* 8. Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. moral. lib.* 7. *cap.* 29. *quæſt.* 9. Diana *part.* 1. *tract.* 10. *Reſol.* 33. Exiſtente etiam dubio de iuſtificatione cauſæ, probabile quoque eſt, poſſe dari diſpenſationem, quia in benigniorem partem eſt in eo dubio inclinandum. Sanchez *tomo* 1. *in præcept. Decalogi, lib.* 4. *cap.* 44. Diana 4. *part. tract.* 3. *reſolut.* 44. ex Syluestro, & aliis. E contra etiam quando ſubeſt cauſa rationabilis ad diſpenſandum, peccant Prælati non diſpenſantes. Saltem ſi ex malitia id faciant, quia poteſtas ad diſpenſandum eſt in bonum, & ædificationem ſubditorum, & ita ſi bonum, & ædificatio ſubditorum diſpenſationem exigant, tribuenda eſt, Syluester *ſuprà quæſt.* 1. Miranda *tom.* 2. *Man. Prælat. quæſt.* 30. *art.* 6. *concluſ.* 2. Sà *in Summa, verbo Diſpenſatio, num.* 2. Quod limita, niſi talis diſpenſatio contraria ſit bono communi Religionis, quia tale bonum commune præferri debet bono priuati. Rodriguez *tom.* 2. *Quæſt. Regul. quæſt* 46. *art.* 4. Peyrinis *ſupra*. Quid verò ſit dicendum ſi ſubditus habet iuſtam cauſam diſpenſationis, & non adeſt Prælatus, qui illam tribuat, vel ex mala voluntate eam non vult concedere, habes ex dictis *tomo* 1. *parte* 1. *cap.* 7. *num.* 29.

15 In pœnis quoque taxatis per Conſtitutiones, ſeu ſtatuta Religionum, poſſunt diſpenſare Prælati illas remittendo. Primò quidem, quando talium pœnarum relaxatio non eſt reſeruata. Generaliter enim loquendo Prælati Ordinarij poſſunt omnia, in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti, *cap. nuper, de ſent. excommunicat.* Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regular. quæſt.* 22. *art.* 8. Miranda *tom.* 2. *Man. quæſt.* 30. *art.* 11. *concluſ.* 1. Secundò, ſi hoc ipſis concedatur in eiſdem Conſtitutionibus, & ſtatutis, prout in noſtra Religione, in qua *part.* 1. *Conſtitutionum, cap.* 2. *num.* 20. Prioribus conceditur pœnam leuem, & mediam remittere, pœnam verò grauem Prouincialibus. Tertiò id facere poſſunt rationabili ſubſiſtente cauſa, iuxta dicta eo *cap.* 18. *num.* 86. Iuſtæ autem cauſæ ſunt pueritia, ſenectus, doli defectus, conſuetudo, quando ex pœnæ diminutione ſperatur emenda delinquentis, quando poſt commiſſum delictum magnum aliquod interuallum tranſiit, ſpontanea criminis confeſſio abſque incuſſione metus, & quæuis alia circunſtantia, quæ delictum minuat, imò & merita delinquentis. Sanchez *lib.* 6. *Conſiliorum moral. cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 13. Peyrinis *in Formulario, littera P, cap.* 16. *num.* 8.

16 In pœnis autem taxatis, ſeu poſitis ſpecialiter à Prælatis Ordinariis, vt ab homine, non poſſunt Prælati diſpenſare illas remittendo, non ſolùm loquendo de Prælatis inferioribus reſpectu pœnarum impoſitarum à Superioribus, cum inferior nihil poſſit contra voluntatem ſui Superioris, *cap. inferior, diſt.* 21. *Clem. ne Romani, de elect.* ſed etiam loquendo de Prælatis ſuperioribus, Generalibus videlicet, reſpectu pœnarum impoſitarum à Prælatis inferioribus, ſcilicet Prouincialibus. Ita enim colligitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Reform. cap.* 1. Et ex eo quod aliàs facilè ſubditi contemnerent ſuos Prælatos Ordinarios, Rodriguez, & Miranda *ſuprà*, ac Portellus *in dub. Regul. verbo Prælatus, num.* 12. Extenditur hæc doctrina ad pœnas non ſolùm temporales, ſed etiam perpetuas. Ex declaratione Sac. Congregationis, quam refert Barboſa in eum locum Concilij. Limita tamen, quod in caſu quo Prælatus imponens pœnas iam eſt mortuus, vel functus ſuo officio, vel quando ſubditus legitimè appellauit, tunc Prælatus ſuperior poteſt remittere pœnas impoſitas à Prælato inferiori, cum tunc non contemnatur auctoritas Prælati ordinarij. Rodriguez, Miranda, & Portellus relati. Limitari etiam poteſt in caſu valdè vrgentis rationis, ſeu cauſæ ad id faciendum; tunc enim videtur poſſe Prælatum ſuperiorem remittere pœnas impoſitas à Prælato inferiori. Miranda *ſupra*. Quid autem poſſint Prælati Regulares circa pœnas impoſitas à Summis Pontificibus, diximus *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 46. & *ſuprà verbo Pœna Eccleſiaſtica.*

Habent etiam Prælati Regulares auctoritatem ſupra contractus emptionis, venditionis, commutationis, vel ſimilium, cum quibuſcumque perſonis celebratos à ſuis ſubditis. Non ſolùm quia tales contractus abſque voluntate Prælatorum facti illiciti ſunt, & peccaminoſi, cum Religioſi nec velle, nec nolle habeant, *cap. non dicatis* 12. *quæſt.* 1. *cap. ſi Religioſus, de elect. in* 6. *cap. final. de ſepult. in* 6. *cap.* 2. *de teſtam. in* 6. & ſint mortui mundo, *cap. placuit* 2. 16. *quæſt.* 1. ſed etiam quia Prælati poſſunt illos irritare, itavt poſt talem irritationem nulla ratione teneantur ad ipſos, ſicut neque ad vota à Prælatis irritata. Sanchez. *lib.* 7. *in Decal. cap.* 31. *num.* 39. ex Nauar. Azor. Rebello, & Leſſio. Addens, nullam exigi cauſam ad hanc irritationem faciendam, ſicut neque ad irritationem votorum, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 47. Si tamen tales contractus initi ſint ex conſenſu tacito, vel expreſſo Prælatorum, non poſſunt ab ipſis, aut ipſorum ſucceſſoribus irritari. Oritur enim ex talibus contractibus obligatio non ſolùm naturalis, illa ſcilicet quæ eſt in foro conſcientiæ ex vinculo legis naturalis; ſed etiam ciuilis, illa ſcilicet, ad quam implendam datur actio in foro externo. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regularium, quæſt.* 26. *art.* 1. Sanchez *ſuprà, num.* 40. 41. Portellus *in Dub. Regul. verbo pactum, num.* 1. Ex contractibus autem celebratis à Religioſis abſque prædicta Prælatorum licentia antequam irritentur ſolùm oritur in ipſis obligatio prædicta naturalis, non ciuilis. Ratio primæ partis eſt à ſimili de votis factis à Religioſis; illa enim ex lege naturali valida ſunt antequam irritentur. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia Religioſus comparatur ſeruo, qui ſine Domini licentia contrahens non obligatur ciuiliter, *leg. naturaliter,* 13. *ff. de condict. indeb.* Sanchez *ſuprà*, ex Abbate, Syluestro, Azorio, Leſſio, & aliis. Et licet alij, quos ſequitur Molina *tom.* 1. *de iuſtitia, diſp.* 140. *verſ. penitus diſtinguerem,* & Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato, quæſt.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. probabiliter teneant ex contractu inito à Religioſo abſque licentia ſui Prælati nullam obligationem oriri, nec naturalem, nec ciuilem, ſed prorſus manere liberum. In omnium tamen ſententia, contrahendo Religioſus dedit aliquod damnum ſocio, & tenetur illud reſtituere, curando ſcilicet, quantum ipſius ſtatus patitur, obtinere aliquid, quo relicto à Prælato ſuæ liberæ diſpoſitioni, parti iniuſtè læſæ ſatisfaciat. Molina *ſupra*, Sanchez *ſuprà num.* 38. Peyrinis *ſuprà num.* 6. Monaſterium autem non tenetur ad tale damnum reſarciendum, niſi quando vel in illud conſenſit, vel inde aliquam vtilitatem accepit, vel ſi Religioſus ſic contrahens erat adminiſtrator Monaſterij, & 17

id

Digitized by Google

id petebat tale munus adminiſtratoris. Syluester *verbo Religio* 8. *quaſt*.3. Leſſius *lib*.2.*de iuſt*. *cap*.41. *dub*.11. *num*.90. Sanchez *ſupra num*. 9. & 10. Peyrinis *ſuprà num*.11. & *ſequent*. An verò Monaſterium teneatur ad debita contracta à Religioſo propter delictum ipſius, habes ea dictis *tom*.1.*part*.1. *cap*.2.*num*.18. Et generaliter pro contractibus Religioſorum vide Ioannem de Lugo *tom*.1.*de iuſt*.*diſp*.3.*ſect*.10. præſertim *num*. 221. & 221. [Ex quibus obiter collige, ad quid teneatur fideiuſſor, qui acceſſit contractui celebrato à Religioſo. Dico enim primò, ſi talis contractus eſt celebratus à Religioſo de licentia Prælati, maximè ſi id conſtet fideiuſſori, tenebitur ſicut quilibet alius fideiuſſor in alio quocumque contractu; non enim eſt aliqua ratio, quare liberetur fideiuſſor in hoc caſu ab obligatione fideiuſſionis. In hoc conueniunt communiter Doctores. Si autem talis contractus non eſt celebratus cum tali licentia, diſtinguendum eſt; vel enim fideiuſſor ſe obligauit ad ſuſtinendum contractum, licet Prælatus velit conſentire; vel non. Si primum, proculdubio tenebitur ad fideiuſſionem, etiamſi Prælatus non conſentiat. Quia in eo caſu procedunt rationes communes, propter quas obligantur omnes fideiuſſores ad contractus, nec eſt aliqua ratio, quæ eum excuſet. Lugo *de iuſt*. & *iure tom*.1.*diſp*.5. *ſect*.10. *num*. 224. Idem dico quando ſe obligauit vt principalis debitor, quia tunc fecit debitum principalis debitoris ſuum proprium, abſtrahendo à licentia quacumque. Sanchez *lib*.7.*in Decalog*.*cap*.31. *num*.47. ex Nauarro, Mandoſio, & aliis. An verò adhuc requiratur quod renunciauerit priuilegio, *Authentic*.*de fideiuſ*.*in princ*.& *Authentic*.*præſente*, *Cod*.*de fideiuſſ*.quod eſt vt prius excutiantur bona principalis debitoris, quàm fideiuſſor conueniri poſſit, tractant Molina *tom*.2.*de iuſt*. *diſp*.545. §. *Quando fideiuſſor*, & Sanchez *ſuprà*. Si verò fideiuſſor accederet contractui celebrato ſine licentia Prælati ſolùm quantum ad ſecuritatem debiti, tunc iuxta ſententiam ſuperius relatam negantem Religioſum naturaliter obligari vllo contractu, nec fideiuſſor obligatus manebit, quia vbi principalis nihil debet, nec fideiuſſor debet. Iuxta ſententiam tamen aliam aſſerentem Religióſum obligari illo contractu naturaliter, fideiuſſor obligabitur naturaliter, imò & ciuiliter, ad obligationem enim ciuilem fideiuſſoris capacis ſufficit obligatio naturalis in debitore principali, *leg*. *naturaliter*, *ff*.*de condict*. *indebit*. Sanchez *ſupra num*.42. ex Nauarro & Azorio, Lugo *ſuprà num*.225. apud quos alia.]

18 De poteſtate, quam habent Prælati Regulares ad adminiſtrandum bona Monaſterij, dixi *tom*. 1. *cap*.18. *relato num*.13. & *ſuprà verbo Adminiſtratio*, & *Adminiſtrator*. Similiter de poteſtate, quam habent ad corrigendum, & puniendum ſubditos, dixi eo *cap*. 18. *num*.15. & *ſequentib*. & *cap*. 27. *eiuſdem* 1.*tom*. & *ſuprà verbo Iudex*, & *Iudicium Regularium*. Pariter etiam de poteſtate, quam habent ad reſeruandum ſibi caſus, & quos caſus, dixi *eod*. *cap*.18. *num*. 19. & *ſequentib*. & *ſuprà verb*.*Caſus reſeruati Regularium*. Inſuper de poteſtate, quam habent circa vota ſubditorum, dixi eo *cap*.18.*num*.47.& *ſequent*. & etiam *ſuprà verb*. *Nouitij*, & *Nouitia Regularium*, *à num*.37. De poteſtate porrò, quam habent circa iuramenta, ſeu vota iurata ſubditorum, dixi eo *cap*.18.*num*.55.& *ſuprà verbo Iuramentum quoad Regulares*. An poſſint diſpenſare in præceptis Eccleſiaſticis, habes eodem *cap*. 18. *num*.55. An benedicere, ſeu conſecrare Calices, Aras, Patenas, & ornamenta Sacra, ac Eccleſias, *ibid*. *num*.57.58. & 59. & *ſuprà verbo Altare*, *verbo Benedictio*, & *Benedicere*, *verbo Calix*, *verbo Cœmeterium*, *verbo Conſecratio*, *verbo Eccleſia*, *ſeu Templum*, & *infrà verbo Vaſa Sacra*, & *verbo Veſtes Sacræ*. An poſſint Tonſuram, aut minores Ordines ſubditis conferre, eo *cap*.18.*num*.64. & 65. & *ſuprà verbo Ordines Sacri*. De facultate quoque, quam habent ad inſtituendas Confraternitates ſuorum Ordinum, eodem *cap*.18.*num*.88.& præſertim *tom*.2.*c*.15. An poſſint condere leges, eo *cap*.18.*num*.90. Quomodo poſſint mutare ſuos ſubditos ex vno loco ad alium, eo *cap*. 18.*num*.91. An commutare legata, *num*. 94. & *ſuprà verb*. *legata Regul*. *relicta à num*. 35. An conſtituere Notarios, eo *cap*.18. *num*.95. & *ſuprà verb*. *Notarius Regularis*. An concedere licentiam ſuis ſubditis legendi libros prohibitos, eo *cap*.18. *num*.96. & *ſuprà verb*. *Libri*, *num*.30. Qualiter Carmelitarum Generales inſtituere poſſint Prouinciales titulares, eo *cap*.18. *num*.98.

Nota, quod quamuis ex doctrina communi Docto- 19
rum ſæpiùs dixerim poſſe Prælatos vti illis facultatibus, ſeu licentiis, quas ſuis ſubditis conferre poſſunt, ne ſint peioris conditionis quàm ipſi ſubditi: hæc tamen doctrina limitanda eſt ſolùm ad eas facultates, ſeu licentias, quæ tempore quo durant ipſorum Prælatiæ executioni mandari poſſunt, vt ſunt facultates ad exeundum foras, & exercenda aliqua munia, quæ etiam à ſubditis exerceri poſſunt. Non verò ad eas facultates, ſeu licentias quæ exerceri debent finito tempore Prælatiæ. Etſi enim iuxta dicta *ſuprà verbo Gratia pro Regul*. *num*.8. 10. & 11. gratiæ factæ durent in ſubditis etiam poſt finitum tempus prælatiæ concedentis, ac proinde Prælatus poſſit concedere ſubdito facultatem aliquam, quæ duret etiam finita ſua Prælatia, v.g. facultatem abſoluendi à reſeruatis, dandi, accipiendi, &c. has tamen facultates exequendas poſt tempus ſuæ Prælatiæ non poteſt Prælatus ſibi communicare, quia pro tunc non eſt capax accipiendi illas à ſeipſo, quia dantur per modum delegationis, ſeu commiſſionis, quæ requirunt diſtinctionem realem inter dantem, & accipientem. De quo Lugo *de Sacram*. *pœnit*.*diſput*.9. *ſect*.2.*num*.42.43.& 44. Addens *num*.45.& ſequentibus id fieri poſſe mediatè, & indirectè duobus modis. Primò, ſi Prælatus daret alij facultatem abſoluendi à reſeruatis, v.g. cum poteſtate ſubdelegandi; tunc enim ſicut ille poſſet aliis ſubdelegare eam facultatem, ſic poſſet ipſi, qui dederat, finitâ prælaturâ. Secundò, ſi Prælatus, v.g. Prouincialis, daret facultatem omnibus Religioſis alicuius Conuentus ad aliquid faciendum, tunc finito Prouincialatu, ſi ipſe fieret habitator illius Conuentus, poſſet vti eadem facultate.

De obligationibus autem Prælatorum Regularium 20
plura eodem *cap*.18. & ſparſim per totam ſummam.

PRÆSES CAPITVLORVM.

SVMMARIVM.

1 *De Præſide Capitulorum remiſſiuè.*
2 *Præſes Capituli quis ſit.*
3 *Eſt Iudex ſuper acta Capituli.*
4 *Debet notificare tempus electionis.*
5 *Non poteſt facere contra libertatem eligentium.*
6 *An poſſit facere contra ſecretum electionis.*
7 *Quid debeat facere quando eligitur indignus.*
8 *Non decet Præſidem eligi ad aliquod officium.*
9 *An poſſit diſpenſare cum illegitimis.*
An illegitimi poſſint eſſe Præſides. ibid.
10 *De Præſide pro electionibus Abbatiſſarum remiſſiuè.*

DE Præſide Capitulorum Regularium aliqua dixi 1
tom.1.*cap*.15.*num*.34. & *part*.2.*cap*.12. *à num*.31. & conducunt dicta illis capitibus, & quæ dixi *ſuprà verbo Commiſſio*, *ſeu Commiſſarius Regularis*, & *verb*. *Electio inter Regulares*, & dicenda infrà verbo *Vicarius Regularis*. Aliqua tamen addenda pro complemento materiæ ferè quotidianæ inter Regulares.

Præſes ergo Capituli ille dicitur qui de iure, con- 2
ſuetudine,

ſuetudine, vel ſaltem ex commiſſione competit præſidere electionibus, quæ fiunt in ipſis capitulis. Caſtellinus *de Electione canonica, cap.13.num.7.* ex aliis. Qui porrò ij ſint, quibus competit tale munus, ex particularibus Statutis Religionum ſumi debet. In noſtra autem, iuxta noſtras conſtitutiones *part.4.cap.5.num.1.* vacante officio Generalatus, Prior Prouincialis illius Prouinciæ, in qua capitulum generale erat aſſignatum, Præſidens eſt pro capitulo generali; & pro capitulo Prouinciali, ſi Generalis non adeſt, hoc munus exercet cui ipſe generalis idem commiſerit, vel ſi id non fecerit, primus Definitor præcedentis Capituli, iuxta eaſdem conſtitutiones *part.4.cap.11.num.1.*

3 Præſes Capituli eſt veluti Iudex habens ius ſuper acta Capituli ad eum finem, vt omnia legitimè fiant, *cap. quamuis, ad finem, de elect. in 6.* Bordonus *reſol.26. num.2.* ex Nauarro. Vnde poteſt recuſari, ſi probabiliter timeatur, quod ſit timorem cadentem in virum conſtantem incuſſurus, vel electionem violentaturus. Peyrinis *in Formulario, littera P, cap.8.num.10.* ex Panormitano, Hoſtienſi, & aliis. A maiori tamen parte Capituli, quia ipſa eſt quæ totum capitulum repræſentat, *cap.1. de his quæ fiunt à maiori parte capituli.* Peyrinis *ſupra.* Pro tempore ipſius capituli præcedere debent omnes de capitulo, tam in capitulo ipſo, quàm in refectorio, proceſſionibus, & aliis omnibus locis. Eſt enim caput pro eo tempore. Peyrinis *ſuprà num.3.*

4 Debet in aliqua parte diei præcedentis diem electionis notificare in loco communi per ſe, vel per alium, videlicet, quod die ſequenti tali hora facienda ſit electio. Caſtellinus *ſupra num.5.* ex Syloeſtro.

5 Cùm munus ipſius, iuxta dicta *tom.2.cap.12.* relato *num.35.* ſit, vt electiones omnino liberè fiant, ideo nullatenus poteſt præcipere ſcrutatoribus, vt non recipiant hæc, vel illa vota. Conſtat enim ex declaratione Sacr. Congregationis, quam referunt Caſtellinus *ſuprà cap.4. num.66.* Riccius *in Praxi fori Eccleſiaſtici reſol. 29. part. 4.* & Nouatlus *in Lucerna Regularium verbo Præſidentes*, quod cum à Sac. Congregatione quæreretur, an in electione Superiorum Regularium Præſidens Capituli poſſit præcipere ſcrutatoribus ſub præcepto Sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne recipiant ſuffragia ottenos tradi ſolita pro aliquibus vltra certum numerum electioni inſufficientem, ſed eo completo dicat electoribus ad aures (vt ſeruari dicitur) vt dent aliis eorum vota; & an electio hoc modo celebrata ſit valida: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum hanc eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali conſenſui aduerſatur, omninò improbauit, cenſuitque electiones hactenus celebratas, ſi ſcrutatores præcepto Superioris obtemperantes ſingulorum eligentium vota non receperint, pro canonicis non haberi.*

6 Quamuis autem, iuxta dicta eo *cap. 12. num. 34.* Præſidis etiam munus ſit curare, vt electio omninò ſecretè fiat, nihilominus in caſu, quo aliqui ex electoribus ex fraude, vel mala intentione, ad impediendum videlicet illam, aliquam malignitatem fecerint, plura videlicet ſuffragia dando, vel quid ſimile, poterit Præſes ad præcludendam viam tali malignitati, & vt fiat electio, legitimè præcipere ſcrutatoribus, vt aperiant votum eorum, de quibus eſt talis ſuſpicio, & manifeſtent illos, vt puniantur. Hoc enim votum pertinet ad Præſidis munus, quod vt dixi, eſt eſſe Iudex in cauſa electionis, & eſt conforme menti Concilij, quod etſi *ſeſſ.25.cap.16.* præcipiat, vt electiones per vota ſecreta fiant, ita vt eligentium nomina nunquam publicentur; hoc tamen ideo præcipit, vt ibi dicitur, *quo omnia rectè, & ſine vlla fraude fiant.* Ex quo colligit Portellus *in Reſponſionibus moralibus, part. 2. caſu 4. num. 2.* quod ſi contingeret quod Præſes Capituli nollet publicàre electionem legitimè factam, poſſent ſcrutatores declarare electionem legitimè eſſe factam, & ſi neceſſitas poſtularet, nomina eligentium reuelare.

Si Præſes, qui præeſt electioni, videt eſſe electum 7
indignum, non poterit electionem ſupprimere, tacendo illam, ſed debet eam publicare, & electum indignum (etiamſi ad eum ſpectet confirmatio) non confirmare, ſed de illius inſufficientia ſummariè per teſtes inquirere, probataque indignitate, & illo audito, ipſum eiicere ab electione. Sin autem ſpectet ad alium Superiorem confirmatio electionis, ad ipſum mittere debet proceſſum de electi indignitate, ne confirmetur. Prima pars, quod ſcilicet teneatur electionem publicare, expreſsè præcipitur, *cap. quia propter de electione,* vbi facto ſcrutinio iubentur ſtatim vota publicari. Secunda verò colligitur *ex cap. indemnitatibus, in 6. & cap. venerabilem, & cap. nihil eſt, de elect.* vbi præcipitur, quod publicato ſcrutinio, ſi electus non eſt cognitus, Prælatus ſummariè inquirat de ſufficientia electi, & ſi indignum inuenerit, repellat. Quod verò debeat illum audire, ex eo colligitur, quia aliàs ſi taliter indignus electus ſub ſilentio omitteretur, & procederetur ad aliam electionem, in rigore ferretur ſententia contra aliquem inauditum, & condemnaretur aliquis non citatus in materia graui, quod non eſt admittendum. Portellus *in Dub. Regular. verbo Elect. in additione ad additionem, num.5.*

Non decere Præſidem Capituli in eo eligi ad aliquod 8
officium, dixi eo *cap. 12. num.37.* ex Miranda, & Caſtellino. Nunc addendum, nec poſſe poſtulare ſe ipſum in caſu quo Prælati Religionum crearentur per poſtulationem, de qua dixi eo *cap. 12. num.50. & 51.* Ratio eſt, non ſolùm ea, quam ibi adduxi pro electione, ſed etiam, quia iuxta dicta eo *tom. 2. cap. 11. num. 25.* ex *cap. per noſtras, de iurepatron.* patroni non poſſunt præſentare ſeipſos ad beneficia, ex eo enim ſequitur neque Præſidem Capituli, qui eſt quaſi Patronus ipſius, poſſe ſe poſtulare. Præſertim, quia talis poſtulatio quantumvis facta etiam ab aliis Gremialibus, præſumeretur potiùs coacta, quàm libera. Cum credi poſſet timorem reuerentialem, & metum cauſam fuiſſe, quod Gremiales Præſidem poſtularent. Bordonus *reſol.26.n.72.* ex Nauarro, & Rodriguez.

Poſſe Præſides Capitulorum Generalium, vel Pro- 9
uincialium vti facultate, quam habent Generalis, ſeu Prouincialis ex Gregorio XIV. in Bulla, quam retuli *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 60.* & *part. 2. cap. 12. num. 21.* ad diſpenſandum cum illegitimis ad officia Religionis ſimul cum ipſis Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, probabile videtur; cùm prædicti Præſides ſint Vicarij, & Commiſſarij ipſorum Generalium, vel Prouincialium, ac proinde habeant eorum vices. Bordonus *Reſol. 12. n. 61.* Nota etiam obiter, quod illegitimi non poſſunt eſſe Præſides Capitulorum, ſi non diſpenſentur. Præſidis enim officium, cum ſit Commiſſarius, vel Vicarius Generalis, vel Prouincialis, dignitas quædam eſt, ac per conſequens ipſius incapax illegitimus, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 62.* & *part. 2. cap. 13. num. 50.*

De præſide pro electionibus Abbatiſſarum dixi 10
tom. 1. cap. 25. num. 46. ex declarationibus S. Congregationis, quod & refert Nouarius *verb. Præſidentia* Vide & dicta *ſuprà verb. Abbatiſſa, ſeu Priorιſſa, n.4.* Et circa id, quod debet facere Præſes ante ipſas, & alia concernentia, vide Tamburinum *de Iure Abbatiſſarum, diſp. 28.*

PRIVILEGIA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia quo tractanda.*
2 *Quid, & quotuplex priuilegium.*

3 *Quomodo*

3 *Quomodo differat à diſpenſatione.*
4 *Priuilegium reale, & perſonale quomodo differant.*
5 *Priuilegia conceſſa Regularibus extenduntur ad Prælatos.*
6 *An ad valorem priuilegij requiratur ſcriptura.*
7 *Auguſtinianorum Religio quo priuilegio fruatur.*
8 *Notanda circa interpretationem priuilegiorum.*
9 *Quando priuilegium latè explicari debeat.*
10 *Quid ex priuilegiis Religionum.*
11 *Ad quem ſpectat interpretatio priuilegiorum.*
12 *Extranei illa explicare prohibentur.*
13 *Facultas Prælatorum ad limitandum, ſeu reſtringendum priuilegia.*
14 *Quomodo ceſſent priuilegia.*
15 *Quid de ceſſatione per non vſum.*
16 *Quid de ceſſatione per contrarium vſum.*
17 *Priuilegia aliquot Regularium circa hoc.*
18 *Quomodo priuilegia amittantur per abuſum.*
19 *Quomodo per reuocationem ipſorum.*
20 *Quæ notanda circa hoc.*
21 *Quid de reuocatione generali priuilegiorum.*
22 *Quid pro Regnis Hiſpaniæ.*
23 *Priuilegia deperdita quomodo reuiuiſcant.*
24 *Notanda circa communicationem priuilegiorum Regularium.*
25 *De particularibus priuilegiis Religionum.*
26 *Patrum Seruitarum.*

1 DE hac materia, quamuis latiſſima ſit, duo ſolùm explicare intendo, alterum erit de natura, diuiſionibus, & proprietatibus priuilegij, maximè prout ad Regulares ſpectat. Alterum, ſaltem remiſſiuè de particularibus ipſorum priuilegiis.

2 Quoad primum ergo. Priuilegium eſt veluti lex in alicuius fauorem data, *cap. priuilegia, diſt.* 3. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 1. Syluester *in Summa, verb. priuilegium, num.* 1. Seu *priuata lex*, Thomas Vualdenſis *in Doctrin. fidei, tom.* 1. *lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 41. Diuiditur primò in priuilegium reale, & perſonale. Priuilegium reale eſt, quod proximè, ac directè alicui rei, loco, muneri, vel officio, v. g. domi, Eccleſiæ, Generalatui, Prouincialatui, &c. conceditur. Perſonale verò eſt, quod proximè ac directè perſonæ confertur ratione ſui. Etſi enim omne priuilegium finaliter, & vltimatè, vt ita loquar, dirigatur in gratiam hominis, nihilominus quando cadit immediatè ſupra hominem, dicitur perſonale. Deinde, vtrumque aliud eſt generale, quod ſcilicet omnibus locis, &c. vel perſonis conceditur, aliud particulare, quod ſcilicet tantùm alicui, vel aliquibus. Item priuilegium aliud eſt odioſum, aliud fauorabile. Fauorabile eſt, quod purè fauorem continet illius cui conceditur, & nulli alteri nocet, nec præiudicium affert Iuri, quale eſt priuilegium audiendi Miſſam tempore Interdicti. Odioſum eſt illud, quod ita alicui fauorem aliquem concedit, vt tamen alteri noceat, vel eſt contra ius aliquod, quale eſt priuilegium de non ſoluendis Decimis. Præterea, aliud dicitur gratioſum, aliud remuneratorium. Gratioſum eſt illud, quod gratia conceditur, nulla habita ratione meritorum illius cui conceditur, vel aliorum. Remuneratorium dicitur illud, quod conceditur alicui ratione meritorum ipſius, vel alterius. Pariter etiam priuilegium aliud eſt contra ius, v. g. priuilegium de non ieiunando diebus præſcriptis ab Eccleſia. Aliud præter ius, ſeu vltra ius, vt poteſtas abſoluendi, vel diſpenſandi in caſibus particularibus. Similiter priuilegium aliud eſt inſertum in corpore Iuris, aliud extra illud. Item, aliud eſt conuentionale, quod ſcilicet conceditur interueniente pacto, ſeu conuentione. Aliud abſolutum, & purum, quod ſine tali pacto, aut conuentione conceditur. De his priuilegij diuiſionibus Summiſtæ *verbo Priuilegium*, Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 3. *&* *ſequentibus*, Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 1. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. Archangelus Romanus *de priu. lib.* 3. *cap.* 2. & alij.

Priuilegium differt primò à diſpenſatione in hoc, quod priuilegium ſolet aliquando concedi ſine cauſa, ſed diſpenſatio *eſt prouida iuris relaxatio, ſeu moderatio, vtilitate, ſiue neceſſitate penſata.* Ita Panormit. *in cap. cum in cunctis* 1. *de elect.* & Ioannes de Cruce *in Epitome de ſtatu Religion. lib.* 2. *c.* 1. *concl.* 2. Differt Secundò quòd diſpenſatio regulariter eſt ad vnum, vel paucos actus, & ad breue tempus: priuilegium autem regulariter eſt ad plures actus, & pro multo tempore. Laym. *ſupra num.* 5. ex Salas, & Suarez. 3

His poſitis circa priuilegium reale & perſonale Regularium id primò animaduertendum, hoc præcipuè diſcrimen inter vtrumque verſari, quod priuilegium perſonale corruit extincta perſona cui conceſſum fuit. Priuilegium verò reale perſeuerat etiam extincta perſona. Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 5. *cap.* 22. *quæſt.* 6. Suarez *dict. cap. num.* 3. Vnde priuilegium conceſſum alicui officio Religionis, verb. gr. Generalatui, vel Prouincialatui, vel quod idem eſt, priuilegium conceſſum alicui Religioſo ratione officij, quod habet, non ceſſat in ipſo, ſed tranſit ad ſucceſſores, iuxta dicta *ſuprà verbo Commiſſio, & Commiſſarius Regularium, num.* 3. De quo & Fagundez in 6. *precept. Decalogi, lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 35. Similiter ſi immunitas aliqua Monaſterio, vel Eccleſiæ concedatur, ea gaudere poterunt omnes, qui temporis ſucceſſu monaſterium, vel Eccleſiam poſſidebunt, donec omninò deſtructa ſint ſine ſpe refectionis. Nam ſi ſpes refectionis ſit, perdurat priuilegium, & cenſetur adhærere ſolo, *argum. legis Æde Sacra, ff. de contrahend. emptione, & argum. cap. & hoc diximus* 16. *quæſt.* 7. iuncta Gloſſa *in cap. Abbate, de verbor. ſignificat.* Gloſſa *in cap. paſtoralis* 7. *quæſt.* 1. & aliis, Gonzal. *reg.* 7. *n.* 6. Layman. *ſuprà num.* 2. Et conſonant quæ dixi *ſuprà verbo Indulgentia quoad Regulares*, n. 8. In dubio autem an priuilegium ſit reale, an verò perſonale, præter dicta à ſimili etiam *ſuprà verbo Commiſſio, & Commiſſarius Regularium, num.* 4. dicendum, quod quando priuilegium eſt fauorabile, ſeu purum, beneficium iudicandum eſt reale. Ratio eſt, tum quia beneficium Principis latè explicandum eſt, *leg. vlt. ff. de conſtit. principum.* Tum quia beneficium à Principe conceſſum decet eſſe manſurum, *de regul. iuris in* 6. Quando verò priuilegium eſt odioſum, quia eſt contra Ius commune, vel præiudicat tertio, in dubio iudicandum videtur tanquam perſonale, quia odia ſunt reſtringenda. Suarez *ſuprà num.* 18. *&* 19. Bonacina *ſuprà num.* 7. Portellus *in Dub. Regular. verbo priuilegium, num.* 5. Diana 4. *part. tract.* 3. *reſolut.* 51. Per accidens tamen, ſcilicet ratione poſſeſſionis, vel maioris probabilitatis in alterutram partem, poterit etiam priuilegium odioſum in dubio pro reali reputari, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, Suarez, & Bonacina relati. 4

Secundò, priuilegia, ſiue realia, ſiue perſonalia, conceſſa Religioſis vt ſic, extenduntur etiam ad Prælatos ipſorum, etiamſi de ipſis nulla facta ſit expreſſa mentio in dictis priuilegiis. Tum quia Principis beneficium latè explicandum eſt, ex lege relata, & *cap. cùm olim de verborum ſignificat.* Priuilegium autem fauorabile eſt verè, & propriè beneficium. Ergo latè explicandum. Tum etiam, quia priuilegium non ſolùm cenſetur conceſſum perſonis, quæ in ipſo ſunt expreſſæ, ſed etiam iis, quæ propter vocis ſignificationem in eo comprehenduntur. At in fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas comprehenditur appellatione Monachorum, cum per promotionem ad Abbatiam non deſinat eſſe monachus, ſicut Rector per Rectoratum non deſinit eſſe ſcholaris; aut eſt peioris conditionis quàm ille. Rodriguez *tom.* 3. *quæſtionum Regular. quæſt.* 51. 5

quæſt. 51. *art.* 11. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 3.

6 Tertiò iuxta dicta *ſuprà verbo Gratia pro Regularibus*, *num.* 13. ad valorem cuiuſcunque priuilegij non requiritur ſcriptura, ſeu bulla. Licèt pro foro externo, vt probetur, ſcriptura requiratur. De quo etiam Ioannes de Cruce *ſuprà dub.* 2. Nota autem id quod eo *num.* 13. dixi, ſcilicet quod propter reuocationem oraculorum viuæ vocis à Sede Apoſtolica Regularibus conceſſorum, priuilegia Regularibus conceſſa ſine ſcriptura his temporibus inualida ſunt, niſi aliquo modo poſtea per ſcripturam ſint confirmata, iuxta dicta ſuprà verbo *Oracula viua vocis*. Si tamen in futurum poſt prædictam reuocationem oraculum viuæ vocis à Gregor. XV. & SS. D. N. Vrbano factam, priuilegia aliqua viuæ vocis oraculo concedantur, valida erunt pro foro conſcientiæ, iuxta dicta.

7 Quartò priuilegia quæcunque Auguſtinianorum, & eorum, qui cum ipſis communicant in priuilegiis, ſiue facta in forma Breuis, ſiue per ſupplicationem cum ſola Signatura *Placuit*, eandem omninò habent efficaciam, etiam in iudicio, ac ſi plumbeo ſigillo ſignata eſſent. Ita enim conceſſit eiſdem Auguſtinianis Iulius II. *Bulla XXII.* in Bullario Rodriguez, vbi ſic dicitur. *Præterea, vt omnia firmiſſima ſint, quæ vobis Apoſtolica Sedes elargita eſt, proprio & motu, & ſcientia, atque de plenitudine poteſtatis, volumus, ſtatuimus, decernimus, vt hæc noſtra conceſſio, & quæcunque alia, vel tibi, vel tuo Ordini facta, ſiue per ſe, ſiue per communicationem, quam fecimus cum aliis Ordinibus, & Congregationibus, eandem omninò vim atque efficaciam perpetuò habeant, tam in iudicio, quàm extra iudicium, ac ſi plumbeo ſigillo obſignata eſſent. Quod intelligi volumus, tam de his, quæ in forma Breuis, quàm de his, quæ per ſupplicationes expedita ſunt, in quibus placuit vt ſola ſignatura ſufficeret. Quamobrem tam omnia præmiſſa, quàm quæcunque alia fuerunt tuo ordini vtcumque conceſſa, ſiue ipſa exemplaria, ſiue eorum tranſumpta oſtendantur Prælati alicuius, aut publici Notarij manu ſignata, aut etiam Generalis Ordinis ſigillo firmata, eodem motu, ſcientia, & poteſtate decernimus, mandamuſque eandem omninò & vim ineſſe, & fidem adhiberi, ac ſi plumbi ſignum haberent.* Caſſarub. *in Comp. Priuilegiorum Mendicantium, verbo Priuilegia fratrum, num.* 18. & 19. Ioannes de Cruce *ſuprà dub.* 2. *concl.* 3. Addit idem Caſſarubius *num.* 20. eandem conceſſionem feciſſe eiſdem Auguſtinianis Leonem X.

8 Circa interpretationem priuilegij, præter dicta ſupra verbo *Leges Regularium*, *à num.* 31. alia quoque animaduertenda. Primò, quod quando in verbis ipſorum nulla eſt ambiguitas, vel dubietas, in illis non habet locum interpretatio, *leg. ille aut ille*, *ff. de leg.* 3. Azor. *ſuprà dicto lib.* 5. *cap.* 23. Tamburinus *dicta diſput.* 16. *quæſt.* 5. Quando verò verba priuilegij ſunt obſcura, diſtinguendum eſt. Priuilegium enim fauorabile latè explicandum, & pleniſſimè interpretandum, quantum rationabiliter iudicatum fuerit, ſeruata verborum proprietate, vt habetur expreſsè *in l. beneficium*, *ff. de conſtit. Princip. & cap. quia circa, de priuileg. & cap. dilecti, de donation. & cap. olim, de verb. ſignificat.* Si verò priuilegium eſt odioſum, ſtrictè explicandum eſt, ſeruata verborum proprietate. Princeps etenim in odioſis cenſetur ſolùm denotare voluiſſe, quatenus per verba expreſsè declarauit, *leg. quod auſus*, *ff. de emancip. liber.* Vnde ſi priuilegium eſt contra Ius commune, ſtrictè interpretandum eſt, vt quamminimùm Iuri communi deroget, vt colligitur *ex l. quoties. Cod. de prec. Imper. offerend. l. ſi quando*, *C. de inoffic. teſtam. cap.* 1. & 2. *de fil. preſbyt. cap. quod dilectio, de conſang. & affinit.* Et ratio eſt, quia priuilegium quod eſt contra Ius commune, continet diſpenſationem Iuris communis, diſpenſatio autem eſt odioſa, & per conſequens ſtrictè explicanda. Gloſſa, & alij communiter *in dicto cap. olim, de verborum ſignificat.* Sylueſter *verbo Priuilegium, quæſt.* 3. Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 79. Azor. *dict. cap.* 23. *quæſt.* 2. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 5. Bonacina *dict. quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 4. 5. & 8. Naldus *in Summ. verbo priuilegium*, *num.* 1. Portellus *in Dub. Regular. verbo priuilegij extenſio*, *num.* 44. & alij. Similiter, ſi priuilegium in alterius præiudicium cedat, ſtrictè etiam eſt interpretandum, vt colligitur *ex leg.* 2. §. *meritò*, *ff. ne quid in loco publico.* Tum quia Princeps non cenſetur velle alterum priuare iure ſuo, aut alteri damnum inferre, niſi quatenus verbis expreſſit. Tum quia in priuilegio ſemper ſubintelligitur clauſula, *Salua iuſtitia*, vt docet Ioan. Andr. quem citat Panormitan. *in cap. certificari*, *num.* 9. *de ſepultur.* Salas *de legibus diſp.* 17. *ſect.* 8. Bonacina *ſuprà num.* 13. Naldus *ſuprà.* Tamburinus *dict. quæſtio* 5. Idem dicendum de priuilegio, quod præbet occaſionem peccandi, ſeu ſcandali, quale eſſet, ſi alicui Religioſo concederetur aliquid contra Regularem obſeruantiam, vel quietem Religionis, *argument. cap. quod dilectio, de conſanguinitat. & affinat. in fin.* Non enim præſumendum eſt Principem, multò minùs Papam, velle alicui concedere gratiam contrariam reformationi, aut quieti Religionum, Naldus *ſuprà*, Bonacina *ſupra num.* 11. Layman. *ſuprà num.* 6. Non eſt tamen ita ſtrictè interpretandum priuilegium, vt nihil operetur, ſed debet intelligi, vt aliquid conducat, & vt potiùs valeat quàm pereat. Nam iuſta Principis voluntas nunquam fruſtrari, aut inefficax reddi debet, *cap. in his*, *de priuileg.* Tamburinus *ſuprà*, referens Syluest. Nauarr. Azor. Suarez, & Salas.

Specialiter tamen quoad Regulares ſpectat animaduertendum, eſſe caſus aliquos, in quibus priuilegium quantumvis contrarium Iuri communi, latè explicari debeat. Primum eſt, ſi datum ſit in fauorem cauſæ publicæ, piæ, & religioſæ, qualis eſt cauſa Religionum. Qua de re Syluester *dict. quæſt.* 3. Tiraquellus *de priuilegiis piæ cauſæ, priuileg.* 162. Suarez *cap.* 27. *num.* 7. vbi ait: *Priuilegium exemptionis Clericorum à iuriſdictione Principum temporalium, vel Religioſorum à iuriſdictione Ordinariorum, amplè interpretandum eſſe in Religionis fauorem. Summa enim ratio eſt, quæ pro Religione facit, vt dicitur in l. ſunt perſonæ, ff. de Religioſ. & ſumpt. fun.* Accedit, quod eiuſmodi priuilegia non vni perſonæ; ſed toti Communitati in perpetuum conceſſa æquantur legibus publico Iuris corpori inſertis, quæ latam interpretationem habent, ſicuti notauit Sanchez *de Matrimon. lib.* 8. *diſput.* 2. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 3. Coninch. 3. *part. tom.* 2. *diſput.* 33. *dub.* 2. *num.* 16. Layman. *ſuprà num.* 5. Secundus eſt, quoties priuilegium ex vna parte derogans Iuri communi, ex alia cenſetur eſſe neceſſarium communi bono Reipublicæ. Nam tunc poteſt hæc ratio illi præponderare, & ea ratione priuilegium ampliari contra commune Ius. Et ſic ſolent ampliari priuilegia militum, & ſimilia. Quod etiam procedit in priuilegiis Religioſorum. Ratio autem clara eſt, quia cùm hæc priuilegia habeant miſtionem odij, & fauoris reſpectu diuerſorum, neceſſe eſt, vt in effectu fauoris, vel odij illud vincat, quod ſecundùm rectam prudentiam maioris ponderis fuerit. Item quia prudenter coniectamus hanc fuiſſe tunc mentem Principis concedentis priuilegium: in qua coniectura ferè tota hæc interpretatio priuilegiorum nititur. Suarez *ſuprà num.* 7. Tertius eſt, quando priuilegium eſt conceſſum motu proprio; nam tunc, etiamſi ſit contra Ius commune, ampliatur, & in ordine ad interpretationem cenſetur ſimpliciter fauorabile, iuxta *cap. ſi motu proprio, de præbend. in* 6. & tradunt Iuriſtæ. Abb. cum Ioan. Andr. *in cap. cum in cunctis*, §. *cum verò*, *de elect. num.* 8. Felyn. *in cap. ex parte, de reſcript. num.* 13. *limitat.* 6. Alex. de Neuo *in cap.*

Quocirca, de conſanguinitat. & affinitat. num. 10. Rebuf. *in concordat. tit. forma mandati, verb. motu proprio.* Anton. Gabr. *lib.* 10. *concluſ.* 2. *num.* 61. & ſequentibus, vbi plures refert. Ratio verò eſt, quia hæc extenſio videtur pertinere ad fauorem, & honorem ipſius Principis. Nam quod motu proprio concedit, cenſetur proprium beneficium eius, & ex certa ſcientia fieri, vt in dubio extendatur potiùs, quam reſtringatur. Suarez *ſuprà num.* 8. Portellus *ſuprà num.* 45. Layman. *ſuprà.* Quartus eſt in priuilegiis, quæ in Iure communi continentur; nam illa iam non cenſentur ius priuatum, ſed commune, & ideo per regulas Iuris communis iudicanda ſunt. Suarez *ſuprà.*

10 Quoad hoc etiam priuilegia aliqua Regularibus conceſſa ſunt, ex quibus habetur, quod priuilegia dubia ipſorum, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & Iuriſtarum interpretatione, in fauorem Regularium ſint intelligenda. Ita enim conceſſit Camaldulenſibus Leo X. & Iulius II. Congregationi Montis Oliueti, vt habetur *in Compendio Societatis, verbo priuilegia*, §. 4. & Alexand. VI. Benedictinis Caſſinenſibus, vt habetur *in iſtorum Compendio, conceſſione* 49. Ioannes de Cruce *ſuprà cap.* 2. *concl.* 3. §. 1. *regula.* Tamburinus *ſuprà quæſit.* 6. *num.* 4. dicens idem conceſſiſſe Iulium II. Congregationi Vallis vmbroſæ.

11 Circa eum verò, ad quem ſpectat priuilegia interpretari, nota quod licet interpretatio priuilegiorum Sedis Apoſtolicæ ſpectet ad eum, qui illa conceſſit, ſcilicet Papam, *cap. cùm veniſſent, de iudic. & cap. inter alia, de ſentent. excommunicat. & leg. ſi Imperialis maieſtas, l. leges Sacratiſſimæ, Cod. de legibus, l. non ambigitur, ff. eodem*, Syluester *ſupra, quæſt.* 3. Barboſa *in dict. cap. cùm veniſſent*, Tamburinus *ſuprà num.* 1. Hoc tamen intelligendum eſt de interpretatione iudiciali, quæ de iure ad ſolum Summum Pontificem ſpectat, de qua principali, & iuridica interpretatione iudiciali intelligi debent (iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 76.) verba appoſita in conſtitutionibus Summorum Pontificum, quando dicitur, quod *Nemini liceat ipſas aliter interpretari*, vel quod ſit ſublata poteſtas aliter definiendi, interpretandi, & determinandi; non autem de interpretatione, & declaratione doctrinali, & magiſtrali, quæ benè fieri poteſt à Prælatis Religionum, iuxta ibidem dicta. Interpretationi autem huiuſmodi ab ipſis factæ poſſunt eorum ſubditi tuta conſcientia ſtare, iuxta dicta etiam eo *cap.* 18. *num.* 56. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 15. *artic.* 1. Miranda *in Manuali Prælator. tom.* 2. *quæſt.* 44. *art.* 2. Ioannes de Cruce *ſuprà cap.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 2. *& dub.* 2. *concluſ.* 2. Peyrin. *tom.* 1. *priuilegiorum Minimorum, in Conſtitut.* 13. *Iulij II.* §. 2. *num.* 1. Tamburinus *ſupra, dict. quæſit.* 6.

12 Extant etiam plura priuilegia Regularibus conceſſa, quibus prohibetur interpretatio (intellige iuridica) priuilegiorum Religionum Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis. Ita enim conceſſit Clem. IV. Prædicatoribus, & Minoribus. Caſſarub. *in Compend. Priuilegiorum Mendicantium, verbo priuilegia fratrum, num.* 5. Et Paulus III. Ieſuitis. Sanchez *tom.* 2. *Conſiliorum moralium, lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 34. Vide alia apud Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentiis, cap.* 25. *num.* 6. & Rodriguez *ſuprà.* Extat priuilegium Iulij II. conceſſum Thomæ de Vio Caietano Generali Prædicat. apud Peyr. relatum, in quo ipſe concedit facultatem declarandi priuilegia à Sede Apoſt. eidem Ordini conceſſa, & concedenda, *quoad ſerenitatem conſcientiarum ſubditorum dumtaxat*, inquit Pontifex. Quod priuilegium Peyrinis, & Tamburinus relati intelligunt de facultate interpretandi etiam iuridicè, & non tantùm de facultate interpretandi doctrinaliter, cum ad hanc non requiratur auctoritas Apoſtolica. Supponere etiam videntur, hoc priuilegium, etſi ſolùm dicto Thomæ Caietano ſit conceſſum, extendi etiam ad alios Generales eiuſdem Ordinis, ac per conſequens etiam aliorum Ordinum habentium communicationem cum Ordine Prædicatorum.

Qualiter etiam poſſint Prælati Regulares non ſolùm interpretari, ſed etiam limitare, reſtringere, imò etiam tollere ſuis ſubditis vſum quorumcumque priuilegiorum, etiam à Sede Apoſtolica emanantium, ita vt nequeant talibus priuilegiis vti, dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 56. Tum ex conceſſione Leonis X. facta Minoribus, & Auguſtinianis, & Clementis IV. Ciſtercienſibus, & Gregorij XIII. Societati Ieſu. Tum etiam ea ratione, quia nullo modo credendum eſt, velle Summos Pontifices Regularis obſeruantiæ maximos zelatores, vt fratres priuilegiis eorumdem Ordinibus conceſſis vti poſſint contra voluntatem ſuorum Superiorum. De quo, præter Authores ibi relatos, vide etiam Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regularium, quæſt.* 9. *art.* 2. & Tamburin. *ſuprà quæſit.* 9. 13

Ceſſant primò priuilegia Regularium, ſi fuerint conditionata, ceſſante conditione: nam mens concedentis illa ſolùm fuit dependenter ab illa conditione. Suarez *ſuprà cap.* 29. *num.* 3. Portellus *ſupra verbo Ceſſatio priuilegij, num.* 49. Layman. *ſupra num.* 17. Ceſſant ſecundò, ſi conceſſa fuerint pro tempore determinato, elapſo illo tempore. Suarez *ſupra num.* 4. Portellus, & Layman. *ſupra.* Ceſſant tertiò, ceſſante cauſa totali, propter quam conceſſa ſunt, vt ſi Monaſterio conceſſa fuerit exemptio à ſoluendis Decimis propter illius conſtructionem, ceſſat tale priuilegium, quando iam plenè conſtructum fuerit, *cap. cùm ceſſante, de appellat.* vbi dicitur, quod *ceſſante cauſa ceſſat effectus.* Layman. *ſuprà*, Tamburinus *ſuprà quæſit.* 10. *num.* 3. Nota autem pro Regularibus hunc modum deſitionis priuilegij non habere locum in priuilegio, quod non derogat iuri, ſiue communi, ſiue alterius tertij, ſed eſt mera gratia, & beneficium Principis. Quia vt tale priuilegium ritè, & licitè concedatur, vel non requirit cauſam (vt aliqui volunt) vel licèt illam requirat, vt honeſtè, & prudenter concedatur, poſtquam ſemel facta eſt conceſſio, iam non ampliùs requiritur talis cauſa, quia ſolùm fuit neceſſaria reſpectu voluntatis Principis, vt honeſtè moueretur, & ideo beneficium permanet, etiamſi cauſa ceſſauerit. Decet enim beneficium Principis eſſe manſurum, vt in regula Iuris dicitur. Quod maximè locum habet in beneficio mero, & fauorabili, quod ſine conditione, & abſolutè fit. Sicut eleemoſyna facta pauperi rata manet, etiamſi deſinat eſſe pauper; & donatio facta amico ſemper durat, etiamſi amicitia ceſſet. Suarez *ſupra cap.* 30 *per totum*, vbi multa. Ceſſant quartò, quando important gratiam faciendam morte concedentis, ſi res ſit integra, & non ſit inchoata executio priuilegij, iuxta dicta *ſuprà verbo Gratia pro Regularibus, num.* 7. Vbi etiam *num.* 8. quod ſecus dicendum ſit de priuilegiis, quæ continent gratiam factam. De quo, præter Auctores ibi relatos, Ioannes de Cruce *ſuprà, cap.* 3. *de Ceſſatione priuilegij, dubio primo, concluſione* 3. An autem ceſſent morte concedentis gratiæ, ſeu priuilegia conceſſa ad beneplacitum, arbitrium, ſeu voluntatem concedentis, Sedis, Officij, Dignitatis, &c. dixi eo loco, *num.* 9. Ceſſant quintò per renunciationem ipſorum; quilibet enim poteſt priuilegio, & fauori ſuo renunciare, *capit. ſi terra, & capit. accedentibus, de priuileg. capit. ad Apoſtolic. de Regularibus, leg. ſi quis in conſcribendo, Cod. de pact.* DD. ibidem, Syluester *in Summa, verbo priuilegium, quæſt.* 10. *diſp.* 8. Suarez *ſuprà cap.* 33. Bonacina *dicta quæſt.* 3. *puncto* 8. §. 4. apud quos alia. Nota autem quoad Regulares id præcipuè eſſe verum in priuilegiis priuatis perſonis conceſſis: priuilegia namque Communitati Religioſorum conceſſa re- 14

nunciari

Digitized by Google

nonciari non poſſunt à particularibus Religioſis, quia renunciatio eſt adiudicatio illius, quod cuique proprium eſt: at priuilegium totius ordinis non eſt proprium vnius Monachi, neque vnius prouinciæ; & proinde illi renunciare non poſſunt. Portellus *ſupra verbo priuileg. ceſſatio, num.* 58. ex Rodriguez, Ioannes de Cruce *ſuprà cap.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 5. ex Syluestro, & Armilla. Addit Portellus, poſſe Capitulum generale renunciare priuilegiis ſui Ordinis. Cui fauet caput *ſi terra*, sclatum, vbi id videtur haberi. Verumtamen ſatis probabile eſt, nec Capitulum generale poſſe renunciare priuilegiis ſuæ Religioni conceſſis, niſi illa non ſint ipſi vtilia, aut ſint indifferentia, iuxta *cap. cum acceſſiſſent, de conſtit. cap. pro illorum, de prebend.* Et ratio eſſe poteſt, quia renunciatio priuilegiorum videtur quædam alienatio bonorum, quæ prohibita eſt Regularibus, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *& part.* 2. *cap.* 19. *à num.* 54. *& ſuprà verbo Alienare, ſeu Alienatio.* Priuilegia enim ſunt quædam bona Religionis. Ceſſant ſextò quotieſcumque ſubreptitiè, vel obreptitiè impetrata ſunt. De quo, præter dicta ſuprà verbo *Leges Regularium, num.* 4. agit Miranda 2. *tom. Man. Prælator. quæſt.* 43. *artic.* x. *concluſ.* 1. An autem perdant Religioſi non viuendo Regulariter ſua priuilegia, habet ibidem Miranda *ſupra art.* 5.

15 Ceſſant ſeptimò, & præcipuè, priuilegia Regularium per non vſum ipſorum. Ita enim ſupponunt Doctores *in cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut. & in leg. falſo, Cod. de diuerſ. reſcript. & in leg. prima, ff. de nundin.* Pro quo nota primò, aliud eſſe non vſum priuilegij, aliud contrarium vſum priuilegij. Non vſus priuilegij eſt omiſſio priuilegij affirmatiui concedentis talem vſum; ſeu, quod idem eſt, ſolùm opponitur priuilegio affirmatiuo concedenti aliquem vſum, quale eſt verbi gratia priuilegium comedendi carnes die prohibito, vel audiendi diuina in loco interdicto, aut eligendi Confeſſorem, &c. Contrarius vſus priuilegij opponitur negationi, ſeu omiſſioni conceſſæ per priuilegium, ſeu quod idem eſt, opponitur ſolùm priuilegio negatiuo, quod ſcilicet dat facultatem non faciendi aliquid, videlicet non ſoluendi Decimas, non accedendi ad proceſſiones, &c. Suarez *ſuprà cap.* 34. *num.* 2. & *cap.* 35. *num.* 1. Bonacina *ſupra, punct.* 8. §. 5. *&* 6. Portellus *ſuprà num.* 56. Modò ergo ſolùm loquimur de non vſu priuilegij; dicturi poſtea de vſu contrario priuilegij. Nota etiam ſecondò, quod cum dicimus priuilegia Regularium amitti per non vſum, intelligendum ſolùm id eſt de priuilegiis, quibus conceditur facultas ad aliquod faciendum, quod in aliorum grauamen cedit, vt eſt priuilegium imponendi tributum, vel exigendi Decimas, &c. non autem de priuilegiis, quæ concedunt facultatem aliquid faciendi, quod non cedit in aliorum grauamen, qualia ſunt ea, quæ adduxi, & ſimilia, etiamſi talis non vſus per longiſſimum tempus duret. Ratio primæ partis eſt, quia ex non vſu priuilegiorum primo modo poteſt naſci præſcriptio ex parte illorum, in quorum præiudicium cedunt, ac per conſequens ratione talis præſcriptionis ceſſabunt dicta priuilegia. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia nullo iure habetur huiuſmodi priuilegia per non vſum, quantumvis longiſſimum amitti. Non enim amittuntur via præſcriptionis, cum nemo ſit qui contra huiuſmodi priuilegia non oneroſa præſcribere poſſit. Neque via tacitæ renunciationis, quia quiſque liberam facultatem habet priuilegio vtendi, vel etiam non vtendi. Hanc enim regulam tradit Abbas *in capite Ioannes, de Clerico coniugat. in fine.* Cum lex non neceſſitat ad agendum, ſed ſolùm dat facultatem ad agendum, non tollitur per non vſum. Eadem verò ratio eſt de priuilegio, quod etiam liberum vſum habet. Suarez *dicto*

cap. 34. *num.* 16. *&* 17. Bonacina *dicto* §. 5. Layman. *dicto cap.* 25. *num.* 21. *&* xx. Tamburinus *ſuprà quæſit.* 14. Apud quos alia, quæ quia parum ſpectant ad Regulares, omitto. Illud tamen tertiò pro eiſdem animaduertendum, quod cum per non vſum priuilegij affirmatiui, per quod conceditur facultas faciendi aliquid in aliorum damnum vergens, ceſſet eo quòd ſit indicium renunciationis illius, vt communiter ſupponunt Doctores; ideo ad hoc quod per talem non vſum ceſſet priuilegium requiruntur tria. Primò, vt oblata fuerit occaſio vtendi illo, & non ſit factum: quod vocari ſolet non vſus priuatiuus, ad differentiam non vſus negatiui; qui tunc contingit quando quis non vſus eſt priuilegio, quia non eſt data occaſio, ſeu opportunitas eo vtendi. Secundò, vt detur ſcientia talis priuilegij. Tertiò, vt detur potentia tunc faciendi: ideſt, quod non detur tunc impedimentum. Si enim hæ tres conditiones non concurrant, talis non vſus non dicetur voluntarius, ac proinde non poterit eſſe indicium renunciationis, quæ debet eſſe voluntaria. Declaratur hoc exemplo. Habet aliquis Conuentus priuilegium exigendi Decimas ab aliquo populo in aliqua occaſione, v. g. tempore belli: non occurrit talis occaſio per longiſſimum tempus, vel non adeſt ſcientia talis priuilegij, vel eſt aliquod impedimentum ad illius executionem: tunc etiamſi longiſſimum tempus pertranſeat, non ceſſat priuilegium. Corduba *in annotationibus ad Compend. priuilegior. Mendicant. verbo Abſolutio quoad ſæculares,* §. 19. Suarez *ſuprà num.* 3. *&* 4. Portellus *ſuprà num.* 57. Naldus *ſuprà num.* 6. *&* 9. Bonacina *ſuprà num.* 5. Tamburinus *ſuprà*, Ioannes de Cruce *dicto lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 4. Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minimor. in Conſtitut.* 15. *Iulij II. num.* 2. Archangelus Romanus *ſuprà lib.* 2. *cap.* 14. Quartò etiam animaduertendum, quod adhuc poſitis dictis conditionibus, ad hoc quod currat præſcriptio non vſus priuilegiorum Religionis, requiritur illud temporis ſpatium, quod ad præſcriptionem bonorum Religionis; cum priuilegia etiam ſint quædam bona ipſius. Cum ergo licet ad præſcriptionem priuilegij conceſſi priuatæ perſonæ requiratur decennium, vt ex Bart. *in l. falſo, Cod. de diuerſ. reſcript. & in l.* 1. *ff. de nundinis*, & aliis DD. communiter tradunt Suarez *ſupra num.* 17. Naldus *ſuprà num.* 9. & Ioannes de Cruce *ſuprà concluſ.* 3. & ad præſcriptionem contra Eccleſias, ſeu Monaſteria requiratur tempus 30. vel 40. potius annorum, *cap. accedentibus, de priuilegiis, cap. de quarta, & cap. illud, de præſcriptionibus* (Suarez *ſuprà num.* 20. & Salas *de legibus diſp.* 17. *ſect.* 13. *num.* 64.) ideo ad præſcriptionem per non vſum contra religionum priuilegia requiritur idem tempus. Corduba, & Peyrinis *ſuprà*, Portellus etiam *ſuprà num.* 58. Sunt etiam aliquæ Religiones, in quibus, & aliis, quæ potiuntur per communicationem ipſarum priuilegiis, non currit dicta præſcriptio, ac per conſequens per non vſum priuilegiorum non perdunt illa, niſi per ſpatium ſexaginta annorum. Ita enim conceſſit Eugenius IV. Benedictinis in Bulla *Etſi ex debito* in Bullario Rodriguez *tom.* 1. in eodem Eugenio Bulla 7. Refert etiam Tamburinus *dicto quæſito* 4. hoc idem priuilegium extenſum fuiſſe à Iulio II. ad Congregationem Vallis Vmbroſæ. Idem etiam Eugenius IV. in alia Bulla *ex Apoſtolica*, conceſſit Benedictinis Monaſterij S. Pauli extra muros Vrbis apud eundem Rodriguez dicto primo tomo Bullarij, *in eodem Eugenio, num.* 17. quod contra bona prædicti Monaſterij non currat præſcriptio, niſi per ſpatium centum annorum. Quod priuilegium, licet ſpecialiter conceſſum ſit dicto Monaſterio, eo quòd illud ſit ſpeciale membrum Apoſtolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis Sedes, vt inquit Pontifex in ea Bulla, nihilominus ad alias Religiones habentes commu-

nicationem cum Benedictinis extenſum eſſe, tenent Rodriguez *tom. 3. quæſt. Regularium, quæſt. 35. art. 8.* Ioan. de Cruce *ſuprà concl. 2.* Portellus, & Tamburinus *ſuprà*, & alij.

16 Octauò etiam, & præcipuè, amitti priuilegia Regularium per contrarium vſum, colligitur, tum ex eo quod per talem contrarium vſum præſumuntur renunciare dictis priuilegiis, tum *ex cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut. cap. accedentibus, de priuilegiis*, & aliis iuribus. Tum quia lex ceſſat per actus contrarios, ergo etiam ceſſare videtur priuilegium. Syluest. *ſuprà quæſt. 10. dicto 3. & 10.* Suarez *ſuprà cap. 35. num. 8.* Bonacina *ſuprà §. 6. num. 2.* ex aliis. Nota tamen primò, id eſſe intelligendum de priuilegiis negatiuis, illis enim ſolùm opponitur vſus contrarius, iuxta dicta ſuprà. Bonacina *ſuprà num.* 1. Deinde ſecundò de priuilegiis, quæ aliis ſunt oneroſa, v.g. exemptionis à Decimis, à iuriſdictione ordinarij, &c. Alia enim nulli præiudicantia, v.g. priuilegium non ieiunandi, per actum contrarium non tolluntur. Layman. *ſuprà num.* 13. Tertiò, ad id etiam requiri ſcientiam, ſeu notitiam priuilegij: nam ſine illa non contingit renunciatio voluntaria priuilegij, ratione cuius hic vſus contrarius eſt cauſa amiſſionis illius, Bonacina *dict. num. 2.* ex Salas, Suarez, & aliis. Quartò, quod ſi priuilegiatus actum contrarium exercens non habuit animum priuilegium ſimpliciter renunciandi, ſed ſolùm quoad illum actum, in conſcientiæ foro priuilegium non amittit. Imò neque in externo foro amittere debet, ſi conſtet, vel ex indiciis colligi poſſit, animum ſimpliciter renunciandi defuiſſe. Niſi inſuper etiam legitimæ præſcriptionis tempus cum priuilegiati taciturnitate decurrerit. Suarez *ſuprà n. 15.* Layman. *ſuprà num. 13. §. Cæterùm.* Si verò priuilegiatus fecit contra priuilegium intentione non renunciandi, intentionem autem ſuam nequeat in foro externo probare, tenetur ratione ſcandali vitandi ſe gerere, ac ſi re ipſa renuntiaſſet. Præciſo verò ſcandalo, non tenetur, ſed poteſt ſibi conſulere, quia ſententia materialiter iniuſta contra rei veritatem non obligat in conſcientia, præciſo ſcandalo. Bonacina *ſuprà num. 5.* ex Suarez. Optimum autem conſilium eſt, quod ſi priuilegiarius aliquid, quod videtur contrarium priuilegio, facit, illud faciat præmiſſa proteſtatione non præiudicandi priuilegio. Talis namque proteſtatio excludit voluntatem renunciandi priuilegio, & oſtendit talem actum non eſſe formaliter priuilegio contrarium, cum priuilegiarius illum non faciat vti obligatus, ſeu animo ſubeundi obligationem, quæ per priuilegium ablata fuerat. Salas *dicta ſect. 13. num. 63.* Tamburinus *dicto quæſit. 14. num.* 8. Nota quintò, quod priuilegia conceſſa principaliter in fauorem Eccleſiæ, alteriuſve Communitatis, qualia ſunt regulariter priuilegia Religionum, non poſſunt tolli per renunciationem particularium perſonarum, verbi gratia Prælati, Clerici, aut alicuius particularis. Abbas *in cap. cum acceſſiſſent, num. 1. de conſtitut.* Layman. *ſuprà*. Et ratio eſt, quia contrarius vſus, per quem tollitur priuilegium, debet eſſe illius cuius eſt priuilegium. Rodriguez *tom. 1. quæſt. 51. articulo 5.* Suarez *ſuprà num.* 6. Vnde colliges, quod ſi Prior, vel Guardianus non obligatus ire ad proceſſiones, nihilominus vadit bis, & ſæpè, per hunc contrarium vſum non perditur priuilegium Ordinis, aut Conuentus. Ille enim contrarius vſus non eſt factus à Religione, & ſaltem ſucceſſor reclamans reſtitutionem obtinebit antequam accreſcat præſcriptio contra illud Monaſterium. Portellus *ſuprà num.* 60. Suppono autem ſextò priuilegia etiam amitti per viam præſcriptionis per vſum contrarium. Vnde de tali præſcriptione, & tempore ad illam requiſito philoſophandum eſt ſicut dixi ſuprà de amiſſione priuilegiorum per non vſum. De quo etiam Suarez *ſuprà num. 21.*

Notanda etiam hic ſunt aliqua priuilegia Regularium, quibus ea, quæ dixi circa non amiſſionem priuilegiorum eorum per non vſum, vel vſum contrarium, magis elucidantur. Primò enim Nicolaus Quartus conceſſit Carthuſienſibus, vt poſſint vti priuilegiis eis conceſſis, etiamſi propter ſimplicitatem, & iuris ignorantiam vſi non fuiſſent illis retroactis temporibus, dummodò eis non ſit per præſcriptionem, vel aliàs legitimè derogatum, Caſſarubius *in Compend. Priuilegiorum fratrum, poſt num.* 35. Similiter Eugenius IV. in Bulla *Etſi quælibet*, in Bullario Rodrig. in eodem Eugenio *Bull.* 11. poſt plura priuilegia Benedictinis conceſſa, hæc habet. *Adiicientes etiam, quod ſi quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiuſmodi, aut quæcunque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates, & ordinationes præfatæ Congregationi conceſſa, aut ipſorum aliquid, à quocunque cuiuſcunque conditionis, dignitatis, gradus, ſeu ſtatus exiſtat, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut aliâ quauis cauſa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obſeruatum, ignoranter, vel ſcienter, nullum tamen præiudicium decretis, priuilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, ordinationibus huiuſmodi volumus generari: ſed in ſuo vigore, ac robore permanere.* Ferè ſimilia, etſi non tam vniuerſaliter eiſdem Benedictinis conceſſit idem Eugenius in alia Bulla *Regularem vitam*, apud eundem Rodriguez *ſuprà num. 9.* De quo etiam Naldus *ſuprà num. 9.* Ioannes de Cruce *ſuprà dub. 3. concl. 1.* Diana *3. part. tract. 2. reſ. 68.* & Tamburinus *ſuprà num. 11.* 17

Nonò ſimiliter amitti priuilegia Regularium per abuſum illorum, colligitur *ex cap. vbi, diſt. 74. cap. priuilegium, quæſt. 3. cap. licèt, de Regularibus, cap. vt priuilegia, de priuileg. cap. contingit 2. de ſentent. excommunicat. cap. 1. & 7. de poſtulat. prælat. & cap. recolentes, de ſtatu Monachor.* Suarez *dicto lib. 8. cap. 36. num. 1.* Salas *diſput. 17. ſect. 13.* & alij. Hic autem abuſus multipliciter contingere poteſt, primò vtendo priuilegio conceſſo vltra limites priuilegij, vt ſi quis vtatur priuilegio ceſſante cauſa priuilegij, aut eo loco, vel tempore, vel circa perſonam, vel circa res, quibus priuilegium non eſt conceſſum. Secundò, faciendo aliquid iniquum ſpe, vel occaſione, ſeu licentia arrepta à priuilegio: vt ſi libetiùs delinquat ſpe impunitatis concepta occaſione priuilegij. Tertiò, faciendo contra finem priuilegij, vt ſi Canonicus dum abeſt cauſa ſtudiorum prætextu priuilegij, neglecto ſtudio, inutiliter tempus conterat, vaniſque occupationibus detineatur: vel quod idem eſt, & magis ad intentum noſtrum, ſi Monaſterium habens ius percipiendi Decimas ratione cultus diuini conſeruandi, illas expenderet in vanos vſus. Suarez *ſuprà num.* 3. Bonacina §. 7. *num. 4.* Tamburin. *ſuprà num. 12. & 13.* Licet autem regulariter loquendo priuilegia dicantur amitti per abuſum, quatenus ſcilicet mereantur illis priuari, qui ipſis abutuntur, prout colligitur ex iuribus relatis, ſpecialiter ex dicto *cap. vbi*, in quo Simplicius Papa dicit *priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*, aliquando tamen amittuntur ipſo facto, tum ex iuris diſpoſitione, quo pacto verb. grat. *in cap. vltim. de immunitate Eccleſ.* ſtatuitur, eos qui in Eccleſia, vel Cœmeterio delinquunt, Eccleſiaſtica immunitate non gaudere. Tum ex natura ipſorum priuilegiorum, vt ſi in illis dicatur, quod qui ipſis abuſus fuerit, ipſa perdat. De quo Suarez *dicto cap.* 36. Bonacina *dicto §. 7.* Layman. *ſuprà num.* 14. An autem quando ipſo facto amittuntur, adhuc requiratur ſententia declaratoria, ſaltem criminis, ſeu abuſus, collige ex dictis ſuprà verb. *Pœna Eccleſiaſtica, num.* 8. ex Authoribus relatis. 18

Maximè decimò amitti priuilegia Regularium per 19
reuocationem ipſorum, communis ſententia Doctorum

eſt

eſt, *leg. Iudicium, ff. de iudiciis.* Syluester *dicto verbo priuilegium, quæſt. 10. dicto* 7. Ioannes de Cruce *ſupra dub. 4. concluſ.* 1. Duobus autem modis reuocari poſſunt: primò expreſsè. Tunc autem expreſsè reuocantur, cum per verba expreſſa, & clara, v.g. *Reuocamus, annullamus*, vel aliis ſimilibus, id fit. Hæc autem reuocatio expreſſa poteſt eſſe, vel ſpecialis, vel generalis: ſpecialis eſt quando per eam reuocatur aliquod priuilegium ſpeciale in particulari, generalis verò erit, cum non ſpecificatur aliquod priuilegium ſpeciale, quod reuocetur: ſed in genere, & in communi dicitur reuocari omnia priuilegia & indulta in contrarium, prout faciunt Summi Pontifices per hæc verba, *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis*, &c. Suarez *ſupra cap. 38. num.* 1. Bonacina *d. quæſt. 3. punct. 8. §. 3. num.* 11. Portellus *ſuprà verbo priuilegij ceſſatio per renunciationem, num.* 66. Reuocatio tacita priuilegij eſt illa, quæ non fit expreſſis verbis, ſed per actum contrarium omnino priuilegio factum à concedente, per quem actum priuilegium ſubſiſtere non poſſit. Vt ſi concedens Religioſis exemptionem à tributis iuberet poſtea ab illis exigi ipſa. Tunc enim per hunc actum contrarium clarè innuit ſe tollere priuilegium, cum voluntas alicuius non ſolùm verbis, ſed etiam factis demonſtretur Portellus *ſupra num.* 86. Bonacina *ſupra num.* 14. ex Felinu, Suarez, Salas, & aliis. Requiritur tamen, vt concedens reuocans priuilegium habeat notitiam illius, aliàs non cenſebitur illud tollere, vt de ſe patet, & ſupponunt dicti Authores, & Layman. *ſupra n.* 27. Circa quæ, quia maximè neceſſaria Regularibus, aliqua animaduertenda.

20 Et primò quidem generaliter loquendo circa reuocationem priuilegiorum nota primò, priuilegia conceſſa Regularibus reuocari non poſſe niſi ab iis, qui ipſorum Regularium Superiores fuerint. Quod dixerim propter priuilegia ab Imperatore, Regibus, vel Principibus conceſſa eiſdem Regularibus. Ea enim poſtquam ab ipſis acceptata fuerint, reuocari ab illis non poſſunt, quia poſtquam acceptata ſunt, tranſeunt in contractum, quo ius adquiritur ad illa. Suarez *ſupra cap. 37. num.* 2. Diana *part. 3. tract. 1. reſol. 57. §. non tamen, & part. 5. tract. 1. reſolut. 14. §. ſed hac doctrina.* Layman. *ſuprà num. 25. §. dixi autem.* Limitant tamen id aliqui, niſi tanta rerum mutatio ſuperueniret, vt priuilegium cenſeatur grauiter pernicioſum Reipublicæ. Suarez *ſuprà num.* 3. Bonacina *ſuprà num.* 4. ex aliis. Secundò nota, nec à Superioribus Regularium, qui ipſis priuilegia conceſſerunt, reuocari poſſe, niſi ſolùm illa, quæ gratioſè data ſunt. Quæ enim etiam ſubditis data ſunt per contractum oneroſum, ſeu lucratiuum, vel in præmium, ſeu remunerationem meritorum, aut cum adiuncto onere, reuocari non poſſunt. Quia hæc obligatio naſcitur ex naturali iuſtitia, quæ etiam obligat Superiores reſpectu ſuorum inferiorum. Suarez *ſuprà num. 5. & 6.* Salas *ſuprà diſput. 17. ſect.* 4. Bonacina *ſuprà num.* 2. ex his, & aliis DD. Intellige tamen, niſi adſit grauis cauſa ad bonum publicum ſpectans, & tunc cum aliqua compenſatione iuris ablati. Layman. *ſuprà* ex aliis DD. Conſonantque quæ *ſuprà* verbo *Bulla Cœnæ*, *num.* 61. & verbo *Bulla Cruciata*, *num.* 12. & verbo *Iubilæum*, *num.* 5. ex aliis dixi. Quæ maximè animaduertenda ſunt pro priuilegiis Regularibus conceſſis; ea enim, magna ſaltem ex parte, illis conceſſa ſunt in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ defenſione, & augmento, ac animarum ſalute, prout & ipſi Summi Pontifices, qui talia priuilegia conceſſerunt, ſæpius teſtantur. Peyrinis *tom. 1. Priuilegiorum Minimor. in Conſtitut. 16. Leonis X. num. 2. & tom. 3. cap. 4. in Additamentis ad Conſtitutiones eiuſdem Leonis*, *num.* 14. Tertiò nota, quod vt reuocatio priuilegij facta per legem habeat ſuum effectum, requiritur publicatio reuocationis. Sicut enim lex non obligat ante publicationem, ita reuocatio priuilegij facta per legem non habet ſuum effectum antequam publicetur. Suarez *ſuprà cap. 40. n.* 1. Bonacina *ſuprà num.* 20. Imò etiam requiritur quod talis reuocatio quantumvis facta in Curia peruenire poſſit ad notitiam priuilegiatorum. Ita enim videtur neceſſarium ad conueniens ordinis gubernium, & ad vitanda plura incommoda, quæ ſequi poſſunt. Suarez *ſupra num.* 3. Portellus *ſupra n.* 1. Non tamen opus eſt, vt talis lex priuilegiatis ſingulis innoteſcat: ſatis enim eſt ſi legitima promulgatio facta ſit, ita vt in publicam notitiam deuenire poſſit; quod contingit regulariter poſt duos menſes extra Curiam. Tunc enim ſi aliqui adhuc ignorent, per accidens id cenſeri debet. Layman. *ſuprà num.* 28. poſt Salas, & alios. Nec etiam requiritur, quod talis promulgatio reuocationis in ſingulis Diœceſibus fiat, prout tenent Sotus 1. *de Iuſtit. quæſt. 1. art.* 4. & Medina 1. 2. *quæſt. 90. art. 4. poſt 5. concluſionem.* Quia Eccleſiæ praxis eſt in contrarium, cum conſtet quotidie fieri leges Pontificias reuocantes priuilegia Religionum Romæ tantùm promulgatas. Suarez *ſuprà num.* 2. Portellus *ſuprà num.* 40. Facta verò legitima publicatione, itavt eius notitia ad Ordines, Communitates, vel Monaſteria priuilegiata peruenire poſſit, ſtatim manet reuocatum priuilegium, itavt acta per illud non valeant, et ainſi ignoranter, aut ſine culpa fiant. Quia leges communes non attendunt id quod eſt per accidens, qualis eſt dicta ignorantia; ſed id quod eſt per ſe, & morale. Suarez *num.* 4. Bonacina *num.* 20. Excipe actus publicos factos cum errore communi, & titulo colorato; nam iſti validi ſunt, non in vi ſolius priuilegij, ſed adminiculo iuris ſuſtinentis ſimiles actus factos titulo publicè reputato, ac tolerato, iuxta *l. Barbarius, ff. de off. præt.* Ita DD. citati. Loquendo autem de reuocatione priuilegij facta ab homine non per legem, ſed priuatim, dicendum eſt, eam non habere effectum, nec irritare geſta per dictum priuilegium antequam priuilegiato ſpecialiter intimetur, ſiue ad eius notitiam perueniat. Ratio colligitur ex differentia, quæ eſt inter reuocationem priuilegij factam per legem, & eam quæ fit ab homine, & priuatim: nam reuocatio priuilegij facta per legem habet definitum modum, quo per ſe poſſit, ac debeat publicari, & diuulgari, vt in aliorum notitiam poſſit peruenire, illum ſcilicet, quem aſſignauimus, & ideo illa notitia publica per ſe ſufficit, & particularis ignorantia, quæ per accidens eſt, non conſideratur. At verò reuocatio ab homine, & priuata, non habet per ſe alium modum promulgationis, neque illum poſtulat, & ideo per ſe expectat ſingulorum intimationem. Syluester *in Summa, verbo gratia, quæſt.* 2. Armilla *quæſt.* 6. Corduba *in quæſt. lib. 4. quæſt. 36. concluſ.* 3. quæ refert, & ſequitur Suarez *ſuprà num. 5. & 6.* Vide priuilegium Gregorij XIII. conceſſum Ieſuitis, vt ſcilicet nulla derogatio ſub qualibet ampliſſima forma præiudicet priuilegiis dictæ Societatis conceſſis, ſi non fuerit intimata, & dictis Patribus Inſinuata, quod refert Diana *part. 3. tract. 2. reſolut.* 68. Iuxta praxim communem ſolùm videtur intelligendum de reuocatione priuilegiorum non facta per legem, ſed ab homine. Aliqui etiam DD. ſuſtinent reuocationem priuilegij non operari ſuum effectum, niſi reuocatio per literas, aut per nuncium ad hoc deſtinatum perueniat ad notitiam priuilegiarij, & conſequenter ad reuocationem priuilegij non ſufficere vt priuilegiarius alio modo cognoſcat reuocationem; niſi fortè reuocans velit quamcumque reuocationis notitiam ſufficere. Prout ex Sanchez, Azor, & aliis ſequitur Bonacina *d. n. 10. §. dixi.* Quod tamen negat Suarez *ſup. n.* 7. Nota quartò, quod in caſu dubio, priuilegium non præſumitur reuocatum, niſi de reuocatione conſtet, Sanctarellus

tomo 5. variar. reſol. quæſt. 16. *num.* 12. Diana *part.* 4. *reſol.* 51. §. *notandum.*

21 Loquendo ſecundò de reuocatione generali priuilegiorum, quæ fit illis verbis: *Non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis, &c.* vel ſimilibus, dicendum eſt per illam reuocari generaliter omnia priuilegia regulariter loquendo, quia genus de ſe comprehendit ſpecies. Suarez *ſupr. cap.* 38. *num.* 2. Dico autem *regulariter*, primò propter priuilegia in Iure contenta, quæ aliquid ſpecialius requirunt. Nam eo ipſo quod in corpore iuris inſeruntur, non tantum priuilegia, ſed etiam leges publicæ cenſentur, & ideo non derogantur per generalem clauſulam reuocatoriam priuilegiorum, in poſteriori Reſcripto poſitam, niſi addatur etiam clauſula derogatoria legum, ſeu Canonum. Suarez *ſuprà*, Layman. *ſuprà num.* 26. Portellus *ſuprà num.* 67. Ratio etiam huius eſt, quia cum correctio iuris vitanda, & non facilè præſumenda ſit, ideo Ius generale poſterius non tollit prius ſpeciale, ſi ob ſpecialem aliquam rationem exceptum videri poſſit. Layman. *ſuprà*, ex Nauarro & Rodriguez. Accedit quod Princeps iura omnia etiam ſpecialia, quæ in corpore Iuris continentur, noſſe creditur, *cap.* 1. *de conſtit. in* 6. Quare credendum eſt, ſi eiuſmodi Ius ſpeciale per generalem derogationem tollere vellet, eius ſpecialem mentionem facturum. Sic Ciſtercienſes Monachi *ex cap. cùm Ordinem, de reſcript.* id ius obtinent, vt nullo reſcripto Papali contra eorum priuilegia impetrato reuocentur, niſi in eo ſpecialis mentio Ordinis fiat. Layman. *ſuprà.* Secundò dixi *Regulariter*, propter priuilegia, quæ in ſuo tenore continent, vt reuocari non poſſint, niſi fiat expreſſa eorum mentio de verbo ad verbum, vel aliquid ſimile. De quibus Caſſarub. *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo priuilegia fratrum*, §. *prima quæſtio*, Miranda *ſupr. q.* 45. *art.* 6. Ioannes de Cruce *ſupr. dub.* 4. *concl.* 2. Vbi ait ex Mandoſio, quod priuilegia Regularium non reuocantur per generalem reuocationem omnium priuilegiorum. Quia cum iſta ob merita concedantur, non reuocantur, licet in reuocationibus verba generalia, & geminata ponantur. Talia autem priuilegia reuocata cenſentur, ſi in reuocatione contineatur hic modus loquendi: *Reuocamus priuilegia, quamuis conceſſa ſint ſub hac forma, vt non cenſeantur reuocata, niſi illorum fiat expreſſa mentio, aut niſi recitentur de verbo ad verbum.* Imò etiam ſufficienter reuocantur per hanc verborum formam: *Non obſtante priuilegio ſub quacunque forma conceſſo.* Et ratio clara eſt, quia non eſt cogendus Pontifex, vt de verbo ad verbum talia priuilegia referat, quæ fortaſſe ſcire non poteſt, neque eſt priuandus poteſtate reuocandi illa, quando oportuerit: ergo ſatis eſt, vt per alia verba generalia, quæ priora comprehendant, ſufficienter explicet ſuam mentem. Syluester *verbo Priuilegium, quæſt.* 10. *dicto* 6. Suarez *ſuprà num.* 2. Bonacina *ſuprà num.* 11. Naldus *ſuprà num.* 5. Tertiò dixi *Regulariter*, propter priuilegia conceſſa per modum contractus, quæ non reuocantur per clauſulam generalem etiam expreſſam, niſi ſaltem in genere reuocentur priuilegia, etiamſi per modum contractus fuerint conceſſa. Quia cum talia priuilegia iure ordinario ſint irreuocabilia, & neceſſaria ſit grauis cauſa, vt iuſtè reuocentur, non præſumuntur reuocari, niſi prædicto ſaltem modo ſufficienter exprimantur. Item, quia talis reuocatio eſt in præiudicium tertij in iure acquiſito, & iuſtitiæ, tale autem præiudicium non præſumitur, niſi exprimatur, Suarez *ſupra num.* 3. Bonacina *ſuprà*, ex Molina, Azor. Salas, & aliis. Nota tamen Sanctiſſimum D.N. Vrbanum litteris datis ſub 5. Nouembris 1631. occaſione accepta quod multæ Religiones haberent priuilegia quod in Conſtitutionibus generalibus à Sede Apoſtolica editis, vel edendis non comprehenderentur, niſi de eis ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, ſeu expreſſa mentio fieret, declarauit, quod Conſtitutiones Apoſtolicæ editæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquiſitionis Officium, ac Conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes edendæ tam per ipſum, quàm per Romanos Pontifices ſucceſſores, tam circa prædictam materiam, quàm ſuper quacunque alia re, negotio, ſeu materia, comprehendant omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos, niſi ſpecialiter, & expreſsè excipiantur, etiamſi ipſi forent magis ſpeciali notâ, & expreſſione digni, eiſque priuilegia, gratiæ, & indulta à Sede Apoſtolica præfata etiam ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine ſimilibus, & conſiſtorialiter, etiam contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet conceſſa reſpectiuè ſint. Vnde iam his temporibus ceſſant multa, quæ de priuilegiis Regularium habentibus ſimiles clauſulas ſcribunt Caſſarubius, Corduba, Rodriguez, Miranda, Sorbus, Portellus, Ioannes de Cruce, & alij. An per Bullam Cœnæ reuocentur priuilegia Regularium, dixi *ſuprà* verbo *Bulla Cœnæ, num.* 54. An per Bullam Cruciatæ, etiam *ſuprà*, verbo *Bulla Cruciatæ, à num.* 38.

Specialiter loquendo de reuocatione priuilegiorum Regularium in Regnis Hiſpaniarum commorantium, de qua dixi *tom.* 1. *cap.* 10 *num.* 26. factam fuiſſe à Sanctiſſimo D.N. Vrbano, & intimatam à Catholico Rege Prouincialibus Religionum per litteras ad illos miſſas, conſtat ex dictis eo loco, per eam reuocata eſſe quæcunque priuilegia quibuſcunque Religioſis quorumcunque Ordinum, tam per Sedem Apoſtolicam, quàm per Nuncios dictorum Regnorum, & quàm per illorum Superiores ex quacunque cauſa, ac ſub quibuſcunque verborum formis, & expreſſionibus quomodolibet conceſſa, per quæ iidem Religioſi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & è Monaſteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum ſociis ſibi bene viſis, & iam deſtinatis, etiam Superiorum ſuorum non petita licentia egrediuntur, abſque eo quod iidem Superiores, tam huiuſmodi ingreſſum, quàm ſæcularium perſonarum quibuſvis horis ad eorum cellas acceſſum, atque ingreſſum impedire poſſint. Eas quoque, per quæ de vno ad aliud Monaſterium, ſeu Regularem domum, etiam ipſis Superioribus inuitis tranſeunt, nec Choro, & aliis ſpiritualibus exercitiis, minuſque refectorio cum aliis intereſſunt. Habetur hæc Conſtitutio non ſolùm loco relato eo *num.* 26. ſed etiam apud Peyrinis *in* 3. *tom. priuilegiorum Minimorum, c.* 12. *Conſtit.* 15. *aliàs* 25. De ea etiam agit Portellus *in Reſponſionibus Moral. part.* 2. *caſu* 31. Qui notant primò, quod in illa ſolùm eſt ſermo de Religioſis viris, non de fœminis, non ſolùm quia contextus verborum id requirere videtur, ſed etiam quia cum illa ſit odioſa, & in odioſis nomen maſculinum non comprehendat fœminas, ideo ad illas non extenditur. Secundò, dictam Conſtitutionem non obligare extra Regna Hiſpaniarum, nec Religioſos extra illam exiſtentes, etiamſi ſubditi ſint Regis Catholici, ſed ſolùm commorantes in prædictis Regnis. Tertiò, non reuocari priuilegia, ſeu exemptiones conceſſas per Capitula Generalia, aut Prouincialia Lectoribus, ſtudentibus, Magiſtris, vel ſimilibus. Idem dico de exemptionibus conceſſis eiſdem per Conſtitutiones, aut Statuta Religionum; quia vt patet ex verbis ipſius Conſtitutionis, ſolùm reuocantur eæ exemptiones, quæ Religioſis conceduntur tam ab ipſorum Superioribus, quam à Sede Apoſtolica, & illius Nontiis. Probabile etiam credo cum ipſis, non reuocari eas exemptiones, quæ conceduntur aliquibus Religioſis ex cauſa ſpectante ad bonum commune, 22

qualis

qualis eſt occupatio publica. Verba coim illa *ex quacunque cauſa*, ſolùm videntur intelligenda de cauſa priuata, ſeu priuati commodi, non de illa, quæ tangit bonum commune Religionis, vel Eccleſiæ. Audio etiam quendam Illuſtriſſimum Dominum Nuntium Hiſpaniarum declaraſſe, non reuocari per hanc Conſtitutionem priuilegia ſeu exemptiones conceſſas aliquibus Officiis, purà Regentibus, Procuratoribus, &c. quia ſolùm videtur ibi reuocari exemptiones conceſſas perſonis.

23 Priuilegia autem Regularium quomodocunque deperdita de nouo reuiuiſcunt, non ſolùm quando de nouo conceduntur, vt per ſe patet, ſed etiam quando confirmantur ex certa ſcientia, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Clauſula*, *num.*29. Pro quo notandum, quod duobus modis ſolent confirmari priuilegia à Summis Pontificibus. Primo, in forma communi, ideſt in confuſo, ſicut iacent, ſine examine, & hæc dicitur confirmatio in forma communi. Secundo modo ex certa ſcientia, quando ſcilicet ſupponit Papa habere ſe notitiam claram illorum, vt ſi antequam confirmet, ponit tenorem priuilegij, vel ſi in confirmatione dicat ſe confirmare *ex certa ſcientia*, vel ſi dicat: *Confirmo ex plenitudine poteſtatis*. Per hæc enim verba ſignificat Papa ſe velle operari quidquid poteſt, videlicet ſuprà Ius, & contra Ius. Quando ergo priuilegium confirmatur ſolùm in forma communi, talis confirmatio nullum ius nouum confert, neque dat valorem priuilegio, quod erat antea inualidum. Et ita non eſt conceſſio priuilegij, ſed ſola roboratio pro ſtatu in quo erat, *cap. quia diuerſitatis, de conceſſione prabend.* & aliis iuribus. Confirmatio autem ex certa ſcientia habet vim nouæ conceſſionis talis priuilegij, vel priuilegiorum. Ita Gloſſa *in d. cap. quia diuerſitatis, & in cap. 1. de tranſact.* Et ratio redditur, quia talis confirmatio ex certa ſcientia habet vim confirmandi actum nullum, reddendo illum de inualido validum, ſeu de priuilegio nullo facere validum. Rodriguez *tom.1. quæſt. Regul. quæſt.8. art.2. & 3.* Naldus *ſupr. num.*14. Suarez *dicto lib.8. cap.*18. & 19. Portellus loco relato *de Dub. Regularium*, *à num.* 26. Ioannes de Cruce *ſupra dub.2. concl.* 6. Limita tamen, dummodo Papa confirmans ex certa ſcientia non ponat aliquam clauſulam, per quam dicat ſe nolle confirmare priuilegia aliàs nulla, vt ſi v.g. dicat: *Quatenus ſunt in vſu*, vel *Dummodo ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa non ſint*, aut *Non ſint contraria Concilio Trident. &c.* Tunc enim non confirmantur talia priuilegia, itavt de nouo concedantur. Suarez *d. cap.*18. *num.*16. & 17. Portellus *ſuprà num.*29. Referens in ſequentibus varias priuilegiorum Minorum confirmationes. Quomodo autem intelligi debeat clauſula illa communis, quæ poni ſolet in confirmationibus priuilegiorum, ſcilicet *Quatenus ſunt in vſu*, habes ex dictis *tom.1. part.2. cap.15. n.17.* Et nota cum Peyrinis *tom.1. de Subdito, quæſt.4. cap.10. §. vnico*, quod vt priuilegium aliquod dicatur eſſe in vſu, ſufficit quod ſit in vſu apud doctiores, & peritiores. Similiter quomodo intelligenda illa clauſula, *Quatenus Concilij Trident. Decretis non aduerſentur, &c.* dixi eo *cap.15. num.*18. & *cap.5. eiuſdem 2. part. n.*58. De clauſula. *Et Sacris Canonibus; &c.* dixi *ſuprà* verbo *Clauſula*, *num.*27. De clauſula *Inuocato ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis*, ac de clauſulis *Motu proprio*, *Appellatione remotâ*, *Supplentes omnes defectus*, & ſimilibus apponi ſolita in confirmationibus priuilegiorum, dixi eo verbo *Clauſula*, per totum, & de illis agit Miranda poſt alios *d. tom.5. quæſt.*45. feſè per totam.

24 Circa communicationem Priuilegiorum Religionum inter ſe ipſas, quod attinet ad Mendicantes egi *tom.1. part.2. cap 1. à num.* 52. Quod attinet verò ad alias Religiones, agunt Rodrig. *tom.1. quæſt. Regular. quæſt.*55. Miranda *ſup. quæſt.*46. Ioannes de Cruce *ſup. lib.2. cap.*4. Tamburin. *ſup. diſp.*17. *quæſit.*8. Archangelus Romanus *ſupr. lib 2. cap.5. & ſequent.* Quamvis autem eo *num.*52. dixerim Religiones communicare in priuilegiis, nihilominus ſecus dicendum duxi de pœnis & cenſuris impoſitis vni Religioni, illas ſcilicet non communicari aliis. An autem priuilegia vni domui, vel Conuentui conceſſa, aliis domibus, vel monaſteriis conceſſa exiſtimari debeant, dixi etiam eo *num.*52. De priuilegiis vni Religioſo conceſſis, an aliis communicentur, dixi *num.* 53. Quid verò dicendum quando priuilegium vni Religioſo conceſſum inutile eſſet, ſi aliis non communicetur, dixi *num.*54. Priuilegiorum communicationem intelligendam eſſe reſpectiuè ad Religionem cui communicantur, dixi *num.*55. Quomodo hæc communicatio priuilegiorum non ſit admittenda in illis, quæ repugnant obſeruantiæ Religioſæ, dixi eo *num.* 56. Et per communicationem priuilegiorum fieri priuilegia propria illius Religionis cui communicantur, itavt per illa poſſit ſe defendere contra eam cui primò erant conceſſa, dixi eo loco, *num.*57. Vnde nata ibidem dicta, & ſuprà verbo *Monaſteria Regularium*, *num.*20. ſi aliqua Religio ex Mendicantibus velit fundare Monaſterium circa Monaſterium alterius Religionis ex eiſdem Mendicantibus, poteſt hæc Religio defendere ſe contra illam priuilegio conceſſo à Summis Pontificibus de non fundando Monaſterio alterius Ordinis iuxta Monaſterium ipſius, intra ſpatium tot cannarum, etiamſi caſus eſſet quod illud priuilegium primò conceſſum eſſet illi alteri Religioni, & ſibi ſolùm per communicationem. Quare regula illa, quod priuilegiatus non poteſt vti ſuo priuilegio contra pariter priuilegiatum, quæ elicitur *ex §. ſed hac præſenti*, *Authent. de Sanctiſſ. Epiſcopis*, *l. verùm*, *§. vlt. cum l. ſequent. ff. de minor.* præter alios caſus, in quibus locum non habet, vnus etiam eſt, quando priuilegiatus agit de damno vitando; tunc enim vtitur ſuo priuilegio contra æquè priuilegiatum agentem de lucro captando, prout contingit in præſenti. Naldus *ſuprà num.*13. ex Deciano, & Rotæ deciſione. Vide Rodriguez *tom.1. quæſt. Regularium, quæſt.55. art.21.* & maximè *quæſt.9. art.*11. & Portellum *in Dub Regularium, verbo Priuilegij communicatio*, *num.* 24. & 25. ex eodem Rodrig. & Corduba. Maximè etiam notandum, quod in communicatione priuilegiorum, iuxta dicta *tom.1. part. 1. cap. 4. num.* 57. ex Syluestro, non tam vſus, quàm ius vtendi debet attendi, ita vt Religiones habentes priuilegium communicatiuois poſſint vti priuilegio conceſſo alteri Religioni, quo ipſa propter aliquam cauſam non vtitur. Quod enim à Papa impetratur per viam communicationis eſt ius vtendi priuilegio, non tamen vſus; cùm iſte non in iure, ſed in facto conſiſtat. Vnde ſi Religio cui primò conceſſum eſt priuilegium, illud perdat propter aliquam cauſam, vel etiam propter reuocationem particularem pro illa tollatur, diminuatur, vel alteretur, non hæc eueniunt in ſecunda Religione, cui per communicationem factum eſt proprium. Ioannes de Cruce *d. cap.4. concluſ.*3. Portellus *ſuprà num.*22. & fauet Fagundez *in 5. Eccleſ. præcept. lib.3. cap.3. num.*12. maximè verò Suarez *d. lib.*8. *cap.16. num.*17. & Sanchez *Conſil. moral. lib.6. cap.9. dub.9. num.*1. Similiter è contra, ſi priuilegium communicatum reuocetur, vel reſtringatur in Religione, cui per communicationem competit, hæc mutatio, vel alteratio non continget in illa Religione, cui primò conceſſum eſt. Suarez *ſuprà num.* 16. Portellus *ſuprà*. Auctum verò priuilegio quoad primam Religionem cui conceſſum eſt, non cenſetur auctum quoad aliam cui communicatur, niſi illa communicatio extendatur etiam ad priuilegia concedenda. Ratio eſt, quia niſi hæc additio habeatur in dicta communicatione priuilegiorum, ſolùm illa extendi poterit ad priuilegia conceſſa, non ad concedenda, quale reputatur

tale augmentum. Suarez *ſuprà*. Quid verò dicendum de priuilegiis *ad inſtar*, illis ſcilicet, quæ conceduntur vni Religioni ad ſimilitudinem illorum, quæ alteri conceſſa ſunt, quæ ſunt eadem, ac priuilegia per communicationem, vel ſaltem parum differunt ab ipſis, agunt Rodriguez *dicta quæſt.* 55. *art.* 19. Suarez *dicto lib* 8. *cap.* 15. Barboſa *de Clauſulis vſufrequentibus, clauſula* 5. & Tambutinus *ſup. diſp.* 17. *quæſt.* 5. ex aliis.

25 Quoad ſecundum verò, quod de hac re tractare propoſui, ſcilicet de particularibus priuilegiis Religionum, ex dictis *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. conſtat quid dicendum de priuilegiis Mendicantium. Ex dictis etiam ibidem *cap.* 2. conſtat etiam quid etiam ſentiendum de aliquibus priuilegiis Monachorum. De priuilegiis autem Canonicorum Regularium dixi ibidem *cap.* 3. De priuilegiis Clericorum Regularium *cap.* 4. De priuilegiis Regularium Militarium, *cap.* 5. Hoſpitalariorum *cap.* 6. Eremitarum *cap.* 7. Conuerſorum, ſeu Oblatorum *c.* 8. Dominorum Cardinalium Protectorum *cap.* 9. Iudicum conſeruatorum *cap.* 10. Patronorum *cap.* 11. Tertiariorum *cap.* 14. Confratrum *cap.* 15. Familiarium, ſeu ſeruitorum Religioſorum *cap.* 16. Procuratorum ipſorum *cap.* 17. Specialiter etiam de priuilegiis, quæ competunt Religioſis ratione profeſſionis dixi *tom.* 1. *cap.* 3. Circa Officium diuinum *cap.* 12. Circa habitum Religioſum *cap.* 13. & præſertim *ſuprà* verb. *Habitus Regularis*. Circa ſuſceptionem Ordinum *cap.* 14. & *ſup.* verb. *Ordines Sacri*. De priuilegiis aſſumptorum extra Ordinem *cap.* 17. Prælatorum, ſeu Superiorum Regularium, *cap.* 18. & *ſuprà* verbo *Abbas*. Confeſſariorum Regularium *cap.* 19. & *ſuprà* verbo *Confeſſarius Regularis*. Circa quod etiam ſpeciale priuilegium Vrbani VI. pro Seruitis video in Annalibus ipſorum *Centuria* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. Concionatorum Regularium *c.* 10. & *ſuprà* verbo *Concionari*, & *Concionator Regularis*. Sacerdotum Regularium *cap.* 21. Pro tranſeuntibus ex vna religione ad aliam *cap.* 22. Pro Nouitiis *cap.* 24. & *ſuprà* verbo *Nouity*, & *Nouitia Religionum*. Pro Monialibus *cap.* 25. Pro Abbatiſſa Monialium *cap.* 26. & *ſuprà* verbo *Abbatiſſa*, *ſeu Prioriſſa*. Specialiter quoque de priuilegiis, quæ habent Regulares ad benedicendum, ſeu conſecrandum egi *ſupra* verbo *Benedictio*, & *Benedicere*, verb. *Calix*, & verbo *Conſecratio*, & verbo *Cœmeterium*. Quoad Decimas non ſoluendas etiam *ſuprà* verbo *Decima quoad Regulares*. Quoad adminiſtrationem Euchariſtiæ *ſuprà*, verbo *Euchariſtia quoad Regulares*. Quoad extremam vnctionem *ſuprà* verbo *Extrema vnctio*. De priuilegiis exemptionis verb. *Exemptio Regularium*. Circa obſeruationem feſtorum verbo *Feſti dies quoad Regulares*. Quoad non ſoluendas gabellas verbo *Gabella quoad Regulares*. Pro gradibus conſerendis verb. *Gradus*, & *Graduati Regulares*. Quibus adde, quod priuilegium, quod eodem loco *num.* 5. retuli Bonifacij IX. pro Generali Prædicatorum, vidi nuper etiam conceſſum eſſe ab eodem Bonifacio Generali Ordinis Seruitarum. Vide *Annal. huius Ordin. cent.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. De priuilegiis immunitatis Eccleſiarum verb. *Immunitas Eccleſiar.* Perſonarum regularium verb. *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium*. Quoad Indulgentias Regularium verb. *Interdictum quoad Regulares*. Pro quo etiam video notabile Priuilegium Honorij IV. pro Ordine Seruitarum in Annalibus eius Ordinis *lib.* 5. *cap.* 6. *cent.* 1. Quoad diſpenſandum in Irregularitatibus, verb. *Illegitimi Regulares*, & verb. *Irregularitas*. De aliis tandem Regularium priuilegiis ſparſim per totam hanc Summam dico. Alia, quæ ſpectant ad priuilegia Regularium, maximè ex declarationibus Sacrarum Congregationum circa illa, habes apud Barboſam *in Collectaneis Bullarij verbo priuilegium*, & Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regularium*, *verbo Priuilegia*.

26 Vnum tandem notandum, quod cùm dum tres tomos huius Summæ ſcriberem, videre non potuiſſem priuilegia Ordinis Seruitarum, ea idcirco ſuis locis non retuli. Quia tamen modò à Reuerendiſſ. adm. Procuratore Generali eiuſdem Ordinis Annales ipſios accepi, in quibus plura priuilegia eiſdem conceſſa à Sede Apoſtolica reperi, idcirco in hoc quarto tomo ipſorum aliqua refero, idem facturus in aliis tribus tomis, ſi iterum typis mandari contingat. Nunc verò ſolùm animaduertendum duxi, ex prædictis Annalibus elici poſſe, priuilegia huic Ordini conceſſa fuiſſe ab Ardingo Florentino Epiſcopo, Raynerio, Petro, & Guilielmo Cardinalibus, Innocentio IV. Alexandro IV. Clemente IV. Summis Pontificibus, Rodulpho Cardinali, Honorio IV. Nicolao IV. Bonifacio VIII. Benedicto XI. etiam Summis Pontificibus, Caietano, Vrſino, & Benedicto, Ægidio, Antonio Cardinalibus, Clemente VI. Innocentio VI. Gregorio XI. Vrbano VI. Bonifacio IX. Ioanne XXIII. Martino V. maximè ab Innocentio VIII. qui Bullam eidem Ordini conceſſit, quæ iure optimo *Mare Magnum* appellatur.

PROCESSIO QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Proceſſiones Regularium quot ſint.*
2 *Qui ad proceſſiones publicas, & quomodo cogi poſſunt.*
3 *Qui ſint exempti ab ipſis.*
4 *Indicere proceſſiones ad quem ſpectat.*
5 *Componere controuerſias de præcedentia in ipſis.*
6 *De campanis pulſandis, & Reliquiis deferendis in proceſſionibus.*
7 *De proceſſionibus mortuorum.*
8 *Proceſſiones Monaſteriorum quomodo facienda.*
9 *Declaratio Sacræ Congregationis circa hoc.*
10 *De proceſſionibus Confraternitatum.*
11 *De proceſſionibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti.*
Alia ad ipſa ſpectantia. ibid.
12 *Dubium propoſitum à S. Congregatione circa proceſſionem Corporis Chriſti.*
13 *Reſolutio eiuſdem S. Congregat.*
14 *Dubium circa ingreſſum fœminarum tempore proceſſionum.*
15 *Reſolutio.*
16 *Declaratio Pij V.*
17 *Caſus excepti.*
18 *Poſſunt ingredi tempore proceſſionum.*
19 *Alia declaratio eiuſdem Papæ.*
20 *Alia de eadem re.*
21 *Authores qui id tenent.*
22 *Non obſtat Bulla Gregorij XIII.*
23 *Quæ ſit mens illius.*
24 *An Bulla Pij V. cenſeri debeat publicata.*
25 *Quid de reuocatione Oraculorum viuæ vocis.*
Bullata non ſunt reuocata per Greg. XV. ibid.
26 *Quid de reuocatione facta per Vrbanum.*
27 *Declaratio, ſeu decretum Sacræ Congregationis Rituũ.*
28 *Vnde habeatur.*
29 *Similes declarationes in magno pretio habendæ.*
30 *Quid obſtet huiuſmodi declarationi.*
31 *Non videtur ſufficienter publicata.*
32 *Qualiter intelligenda.*
33 *Quæ fides ipſi adhibenda.*
34 *Ex declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis.*
35 *Talis ingreſſus fœminarum in Clauſtra Monaſteriorum tempore proceſſionum, &c. eſt in vſu.*

PRoceſſiones, ad quas Regulares accedere ſolent, vel ſunt proceſſiones communes Ciuitatis, vel Oppidi vbi morantur, vel ſunt proceſſiones mortuorum, 1
ad

Digitized by Google

ad aſſociandum videlicet ipſorum cadauera, vel ſunt proceſſiones priuatæ Monaſteriorum. De quibus omnibus ſigillatim dicendum.

2 Et quoad primum conſtat ex dictis *tom.1.p.1. cap.9. num. 47.* & *tom. 1. cap. 1. num. 50.* Regulares omnes, etiam Monachos, ad publicas proceſſiones vocatos accedere compelli poſſe, iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt. Ita enim habetur expreſsè ex Concilio Trident. *ſeſſ.25. cap.13.* nihilominus non poſſe ad id compelli per cenſuras, colligitur ex dictis *ſuprà cap. 11. num. 14. & 15. & ſupra* verbo *Exemptio Regularium, num. 11.* Non ſolùm loquendo de illis Regularibus, qui iuxta dicta eo verbo *Exemptio Regularium, num.8. & 15.* habent priuilegium ne Ordinarij poſſint contra illos per cenſuras procedere, ſed etiam de aliis qui non habent talia priuilegia. Ratio eſt, quam adduxi eo *cap.11. num. 14.* & eo verbo *Exemptio Regularium, num.11.* quia quoties Concilium voluit dare hanc auctoritatem Epiſcopis procedendi per cenſuras contra Religioſos exemptos, id explicuit, vt *in ſeſſ.25.cap.16.* contra dantes, aut recipientes aliquid pro ingreſſu Nouitiorum, & *cap.5. eiuſdem ſeſſionis* pro reſtituenda, & conſeruanda clauſura Sanctimonialium, & *ſeſſ.22.* in Decreto *de obſeruandis, & vitandis in celebratione miſſæ.* Ergo ſignum eſt, in aliis locis, & caſibus, in quibus non explicuit talem auctoritatem concedi Epiſcopis ſupra Religioſos exemptos, noluiſſe illam habere. De quo præter Henriquez. Sanchez, Vulpium, & Nouarium eo loco relatos, videndi ſunt Scortia *in Bullas Pontificias, theoremate 393.* Peyrinis *in priuilegia Minimor.tom.1.Conſtit.2.Sixti IV. num.60.* Portellus *in additionibus ad dubia Regularium, verbo Epiſcopus, num.5. & verbo proceſſiones, in addit. num.1.* Villalobos *in Summa, tom.2 tract.35.difficul.5. num.17.* quos refert, & ſequitur Diana *part.5. tract.2. reſolut.76.* Neque obſtat, quod dicitur, ſcilicet Sacram Congregationem declaraſſe contrarium, prout referunt Sorbus *in Annotat.ad Compend.priuileg.mendicant. verbo proceſſiones,* & Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib. 1. cap.43. num.163. & 164.* Tum quia, eodem Barboſa teſte *in Remiſſionibus ad Concilium. Trident. loco relato* ex Quarant. *in Summa Bullary, verbo Præcedentia,* pluries declaratum eſt à Sacra Congregatione, non poſſe Epiſcopum per cenſuras cogere Regulares ad dictas proceſſiones. Tum quia ad minus, vt Diana *ſupra* ait, authenticè non conſtat de eiuſmodi declaratione, & iuxta dicta *ſupra* verbo *Sacra Congregatio*, eadem S. Congregatio declarauit fidem non eſſe adhibendam declarationibus non authenticis. Interim ergo, dum de aliqua declaratione eiuſdem S. Congregationis authenticè non conſtiterit, ſtandum erit rationi adductæ. Eſto autem Regulares compelli non poſſint ad prædictas proceſſiones per cenſuras, compelli ſaltem poſſunt aliis pœnis, iuxta *cap.1. de priuileg.in 6.* nimirum deponendo Superiores, & contradictores incarcerando, & Monaſterio amouendo, priuando prædicatione verbi Dei, ſeu etiam pœnis pecuniariis, Stephanus Gratianus *decif.132. num.15.* Peyrinis *ſuprà.* Confraternitates etiam laïcorum ad dictas proceſſiones cogi poſſe ab Epiſcopo, tenere videtur idem Barboſa *in loco relato ſuper Concilium*, ex eodem Gratiano, licet melius dicat oppoſitum *de Offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat.78 num.24.* De quo vide quæ dixi *tom. 1. part. 2. cap.15.num.24.*

3 Quomodo autem Regulares Monaſterij vltra medium milliare à Ciuitate diſtantis non poſſint ab Epiſcopo compelli accedere ad proceſſiones, dixi ex declaratione S.Congreg. *cap.11.num.47.* Quod etiam ſequitur Portellus dicto *verbo proceſſiones, in additione num.2.* ex Rodriguez. Quomodo etiam vocari debeant Regulares ad proceſſiones, & quæ ſint proceſſiones publicæ, ad quas compelli poſſunt, dixi eodem *n.47. tom.1. num. 50.* Regulares etiam, qui ex priuilegio eis conceſſo poſſunt non ire ad proceſſiones prædictas, non poſſe ad id cogi, etiamſi ſæpiùs gratis acceſſiſſent, cum ex hoc nullum ius adquiratur contra illos, dixi eo *num.47.* & tenent Portellus dicto *verbo proceſſiones, num.6.* & Barboſa loco relato *de iure Eccleſiaſtico, num.176.* ac Nouarius *in Lucerna Reg. verb. proceſſiones, num.19.* dixi autem eo *num.47.* Reuerendos Patres Diſcalceatos noſtros exemptos eſſe ab hoc onere accedendi ad proceſſiones. Quod etiam priuilegium aliis quoque Religionibus conceſſum eſſe conſtat ex eodem Barboſa loco relato *de iure Eccleſiaſtico, à num.170.* & Nouario loco relato, *à num.9.* Nota tamen primò, regulares accedentes ad proceſſiones teneri accedere in numero decenti, debito, & conſueto, prout ex declaratione S. Congregat. refert Barboſa *ſuprà num.165.* & Nou. *ſupra num. 3.* Nota ſecundò Sorbum *ſup.* referre S.Congregationem declaraſſe regulares ſic accedentes ad proceſſiones teneri in illis cantare, quod tamen obſeruari non video, niſi in ſolis proceſſionibus Litaniarum. Tertiò nota, Regulares cogi non poſſe ad accedendum ad proceſſiones in eo loco, in quo conſuetudine fruerentur non accedendi. Ita enim declaratum vidiſſe à S.Congregatione refert Campanile *in Diuerſor. iuris, rubrica 12.cap.13.num.18.* Quartò nota SS.D.N. Vrbanum litteris datis in forma Breuis 17. Nouembr. 1638. confirmaſſe Decretum Sacræ Congregationis Rituum, in quo habebatur quod Monachi Caſſinenſes non ſunt vllo modo cogendi accedere, niſi ad proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti.

Indicere autem proceſſiones pertinet ad Epiſcopos, ſiue Ordinarios, cum hoc ſit de iuribus Epiſcopalibus. 4
Innocentius *in cap. Cùm inter, num.2. de ſententia, & re iudicata,* Campanile *ſuprà*, Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici, decif.362. in prima editione, & reſolut. 308. num.7. in 2.* Barboſa *dicta alleg. 78. num.3.* Quare quod Portellus *ſuprà dicto verbo proceſſiones, num.7.* poſt Rodriguez *in additione ad Summam, tom. 4. cap.105. num.1. ad finem,* tenere videtur, videlicet quod Priores, vel Archipreſbyteri in Vrbibus, vel Oppidis vbi non reſident Epiſcopi, non poſſunt compellere Religioſos ad proceſſiones, intelligendum eſt, ſi tales non ſint Ordinarij locorum, vel proceſſiones illæ ſint inſolitæ, neque pro cauſa publica, ſed tantùm ex leui cauſa. Eraſmus Cochier *de Iuriſdictione Ordinary in exempt. part.2. quæſt.45. num.109.* Vbi etiam an talis ſit cenſenda, quæ pro introitu nouo Epiſcopi, vel Legati inſtituitur. Dirigere etiam proceſſiones, vel decernere Eccleſias quò pergere debent, pertinet etiam ad Ordinarios cum conſilio Capituli. Ita enim deciſum referunt Franciſcus Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſtici, part.4.c.2. num.145.* Armendariz *in Additionibus ad recopilationem legum Nauarræ, lib.1. tit.14.cap.28.§.31. de proceſſionibus, num.1. & 2.* & ex illis Barboſa *ſuprà num.4.* Subdeos *num.5.* ex eodem Armendariz, abſente Epiſcopo id facere poſſe Vicarium generalem.

Pertinet etiam, iuxta dicta *ſuprà verbo Epiſcopus quoad Regulares, num.23.* ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium, componere, amota omni appellatione, controuerſias ortas circa præcedentiam in proceſſionibus, 5
iuxta Concilium Trident. *ſeſſ.25. cap.13.* Quod breui manu, ſummariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij fieri debet, vt declaratum à Sacr.Congregatione refert Campanilis *num.120.* & dixi eo loco. De quo, & aliis ad intentum, Franciſcus Leo *ſup. part.1. cap.8.num.18.* Campanile *d.num.120. & 121.* & Barboſa *ſuprà num.26. & 27.* Maximè tunc attendendum eſt ad ea, quæ dixi ſuprà verbo *Præcedentia quoad Regulares.* Optimus etiam modus componendi controuerſias circa præcedentiam ex improuiſo ortas tempore proceſſionum eſt, vt controuertentes, ſi de iure eorum non poſſit incontinenti conſtare, eiiciantur ex illis;

falua

Digitized by Google

ſalua eorum iuſtitia. Rodriguez *tom. 3. quaſt. Regular. queſt. 37. art. 3.* Peyrinis *tom. 2. priuilegiorum Minim. in Conſtitutione 2. Sixti IV. num. 38.*

6 In his proceſſionibus pulſantur campanæ ad excitandam populi deuotionem. Solitum etiam eſſe geſtare aliquas Sanctorum Reliquias, præterquam in proceſſione Corporis Christi, habet Campanile *ſuprà num. 119.* ex Sà *in verbo proceſſio.* Sed neque id obſeruatur in proceſſionibus Litaniarum, & aliis ſimilibus. Conſuetudini ergo ſtandum. Quid autem dicendum de Cruce, & aliis Inſigniis deferendis à Regularibus in proceſſionibus, dixi *ſuprà* verbo *Crux quoad Regulares, num. 1. & 2.*

7 Circa ſecundum de Proceſſionibus mortuorum, ſeu de aſſociatione cadauerum, iam dixi *tom. 1. p. 2. cap. 1. num. 31. & 46.* qualiter ſe gerere debeant Regulares in efferendis, ſeu leuandis Defunctorum corporibus, ex declarationibus Sacrarum Congregationum. Qualiter etiam officia mortuorum fieri non debeant à Rectoribus Parochialium Eccleſiarum in Regularium Eccleſiis contra ipſorum voluntatem, & quomodo libera ſepultura ibidem habenda ſit, & non ſepelienda corpora Defunctorum, ad quæ aſſocianda vocati fuerint, ſine ipſis, dixi eo *cap. num. 47.* Vbi etiam de loco, ad quem accedere debent Regulares ad dictas proceſſiones vocati. De quibus etiam, & aliis concernentibus latè egi *ſuprà* verbo *Defunctus*, aliqua etiam dixi *tom. 1. part. 1. cap. 12. num. 41.* & alia adiungam infrà verbo *Sepultura quoad Regulares.* De candelis porrò, quæ in talibus proceſſionibus mortuorum Fratribus diſtribuuntur, quomodo ea eis nulla debeatur canonica portio, ac quomodo diuidendæ inter Parochos, & alios miniſtros Eccleſiarum, dixi eo *cap. 2. num. 48.* de Cruce quomodo deferenda, vel inferenda à Regularibus pro corporibus Defunctorum deferendis, & aliis etiam concernentibus, dixi *ſuprà* verbo *Crux quoad Regulares.*

8 Circa tertium de proceſſionibus priuatis Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum Regularium, certum eſt eas facere non poſſe ſine licentia Epiſcopi, præter quam intra Eccleſiam, eiuſque, & Monaſterij ambitum, eo quòd non habeant territorium. Quod fuiſſe etiam non ſemel reſolutum teſtatur Zerola *in Praxi Epiſcoporum, part. 1. verb. proceſſiones, §. 4.* & ſic obſeruari vidiſſe refert Campanile *cap. 13. relato, num. 118.* exploſa ſententia Iacobi de Graſſis *conſil. 20. de regularibus*, opinantis illis licere per triginta paſſus extra ambitum proceſſiones facere, per text. *in c. ſicut antiquitus, 17. quaſt. 4.* Ex eo enim quod ibi decernatur, quod Eccleſiæ potiantur priuilegio immunitatis per 30. aut 40. paſſus, non ſequitur quod iuriſdictio Monaſterij ad illud ſpatium extendatur, cum potiùs Abbatis territorium tantùm dicatur ipſius Monaſterium. Campanile *ibidem*, ex Zabarella, & aliis. Et ideo Sacra Congregat. iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 12. num. 41.* cenſuit, non licere Regularibus huiuſmodi proceſſiones facere extra Eccleſias, & ambitum illarum. Barboſa *d. Allegat. 78. num. 7.* [Conſonat & alia declaratio Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium 27. Septembris 1641. ex qua habetur, Regulares non poſſe cum ipſorum proceſſionibus ingredi limites alterius Parochiæ ſine licentia Parochi.] Intelligendum tamen, niſi adſit conſuetudo in contrarium. Vnde circa proceſſiones Roſarij refert Feſtus *in Conſtitut. ſui ordinis, part. 1. cap. 23.* declarationem Sacr. Congregat. qua declaratur, poſſe dictam proceſſionem fieri per totam Ciuitatem, ſi ita habeat conſuetudo à decem retro annis ſeruata, in quatuor Feſtiuitatibus Beatæ Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis. Peyrinis *tom. 2. priuilegiorum Minimorum, in Conſtitutione 7. Pij V. §. 10. num. 13.* [Video etiam Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium, 18. Maij 1640. & 14. Februarij 1642. declaraſſe Regulares habentes conſuetudinem legitimam faciendi proceſſiones extra proprium ambitum, poſſe illas continuare ſine licentia Ordinarij.] Hanc verò conſuetudinem eſſe in Luſitania, refert Portellus *ſupra verbo Proceſſiones, num. 18.* Sicque vidi obſeruari in aliquibus locis Hiſpaniæ. Conſuetudini ergo locorum ſtandum eſt, præſertim cum Ius commune, *cap. certum eſt quidem, de conſecrat. diſt. 1.* non omninò contradicat. Portellus *ſuprà*, Villalobos *in Summa, tom. 2. tract. 35. difficult. 5. num. 9.* Hieronymus Rodriguez *in Compend. quaſt. Regularium, reſolut. 118. num. 10.* Idem dico ſi Religio, vel Conuentus habeat circa hoc particulare priuilegium. Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 1. diſp. 15. quaſt. 7. num. 39.* Nouarius *in Lucerna regular. verbo proceſſiones, in fine.*

Hæc verò maximè conſtabunt ex alia declaratione 9
Sacr. Congreg. quam refert vterque Nouarius, vnus *in Summa Bullary*, tit. *de proceſſionibus Regul.* & alter *ſuprà*, his verbis. *Sacra Congregatio, ad tollendas difficultates, quotidicanas circa proceſſiones fiendas, tam per Regulares, quàm per Confraternitates in Eccleſiis Regularium, inhærendo Decretis alias in ſimilibus factis, & ſignanter in Cæſaraugustana 17. Martij 1627. cenſuit in proceſſionibus fiendis tam per Regulares, quam Confraternitates laicorum ita in poſterum ſeruari debere, vt in Eccleſiis habentium Clauſtrum proceſſiones fieri non poſſint niſi intra Clauſtra, & non extra; in Eccleſiis verò carentibus Clauſtris fieri poſſint intra ambitum, hoc eſt, propè muros Eccleſiæ, ſiue exeundo à ianua Eccleſiæ, & per aliam intrando, ſiue per eandem, & propè muros Eccleſiæ. Extra verò ambitum Eccleſiæ non licere, neque Confraternitatibus facere proceſſiones, niſi de licentia, conſenſu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Eccleſiis, quæ habeant in hoc ſpeciale priuilegium faciendi proceſſiones per alia loca quibus per hoc Decretum Sacra Congregatio non intendit præiudicari.*

Ex qua declaratione conſtat idem, quod diximus 10
de proceſſionibus Regularium, intelligendum etiam eſſe de proceſſionibus Confraternitatum, iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 35. num. 25.* Quibus adde inſignem Confraternitatem Beatiſſ. Mariæ Virginis de Monte Carmelo in antiquiſſima S. Martini de Montibus Eccleſia fundatam nouiſſimè iis annis, ſub auſpiciis Eminentiſſimi D. Cardinalis Antonij Barberini eiuſdem Confraternitatis Protectoris, fieri ſolitam, non ſolùm, vt olim, per vicinas plateas, ſed per medium totius Vrbis, maximo cum applauſu & concurſu Principum, & Dominorum Prælatorum, qui in valdè copioſo numero in ea incedunt cum habitu, & Inſigniis Confraternitatis.

Specialiter etiam, licèt proceſſiones in Sanctiſſimi 11
Corporis Christi feſtiuitate in propriis Regularium Eccleſiis fieri nequeant, quia tantùm in Cathedrali Sacramentum in illius feſtiuitate publicè adorandum proponitur, vt declarauit S. Congregatio in vna *Aretina* 11. Decembris 1613. & in *Gabellicenſi Inſulæ*, 28. Auguſti 1615. & ſub die 18. Februarij 1617. (Barboſa *d. cap. 43. num. 124.* Nouarius *ſuprà num. 20.*) Ceſſaret tamen hoc quoties id priuilegium aliqua Religio haberet, vel eſſet conſuetudo ita faciendi, qualis eſt in Hiſpaniæ partibus. Prout etiam colligitur ex declaratione Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in vna *Mexican.* 27. Iunij 1615. reſpectu Regularium S. Dominici, quam referunt iidem Authores. Imò etiam ex alia declaratione Sacr. Congregationis, quam iidem Authores referunt, habetur, quod quamuis Prædicti Patres Dominicani facere poſſint dictam proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti in Dominica infra octauam Corporis Christi per vicos, plateas, & loca ciuitatis; non poſſe tamen variare loca ab ipſis ſemel electa, per quæ perſonaliter prima vice ire cœperunt, iuxta litteras quaſdam Clementis VIII. Nota

etiam

etiam Proceſſiones einſdem SS. Sacramenti concedi
omnibus in quacunque die infra octauam. Gauantus
in Man. Epiſcop. verbo Proceſſio, *num.* 31. ex Grego-
rio XIII. item Euchariſtiam non debere deferri in hu-
meris, ſed in manibus Sacerdotis celebrantis, iuxta di-
cta tom. 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 19. Gauantus *ſupra à n.* 32.
ex declarationibus Sac. Congregationis. Apud quem
etiam *num.* 45. quod Regulares in proceſſionibus non
debeant ingredi Eccleſias Monialium ſibi ſubiecta-
rum, ex declaratione Sacr. Congregationis Epiſcopor.
& Regular. Alia apud iſtum Authorem, & Barboſam
in Collectan. Bullar. verbo Proceſſiones.

12 Inſuper notandum, quod cùm in Monte Leone
aliqui prætenderent, quod Religioſi Auguſtiniani Diſ-
calceati ibi exiſtentes deberent interuenire, non ſolùm
ad proceſſionem Corporis Chriſti in proprio die, ſed
etiam in Octauo, ſupplicatum fuit Sacræ Congrega-
tioni Epiſcoporum, & Regularium pro declaratione,
13 & obtenta hæc declaratio. *Sacra Regularium Congre-
gatio reſpondet, Regulares ſupradictos non teneri in caſu
propoſito accedere ad Proceſſionem ſanctiſſimi Sacramen-
ti in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & nullo modo poſ-
ſe cogi in Octaua, & ita ſeruari mandauit die nona De-
cembris* 1638.

14 Circa dubium autem, quod aliquoties occurrit &
mihi propoſitum eſt, an videlicet cum Regulares fa-
ciunt ſuas Proceſſiones per Clauſtra ſuorum Monaſte-
riorum, poſſint admittere fœminas ingredientes cum
dictis proceſſionibus intra Clauſtra ipſorum Regula-
rium, ſic reſpondi.

15 Pro comperto videtur, poſſe Religioſos Congrega-
tionis Montis Virginis, & quoſcunque alios habentes
communicationem priuilegiorum cum illis, admittere
fœminas in clauſtris Monaſteriorum, quando in eis
fiunt proceſſiones, & aliis quibuſdam caſibus declara-
tis à Pio V. in Bulla *Decet Romanum Pontificem*, data 16.
Iulij ann. 1570. quæ extat *in* 2. *tomo Bullar. inter Bul-
las huius Pontificis*, *num.* 20. vbi habetur, quod cùm
idem Pontifex per alias litteras de anno 1566. pro 24.
Octobris prohibuiſſet ſub grauiſſimis pœnis ingreſ-
ſum, ſeu admiſſionem fœminarum in clauſtra Mona-
ſteriorum virorum Religioſorum, in illis tamen poſte-
rioribus de anno 1570. declarauit ſuæ intentionis fuiſ-
ſe, & eſſe, quod dictæ litteræ non ſolùm comprehende-
16 rent, *mulieres habere prætendentes facultatem, & indulta
ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes, & quaſcunque
mulieres alias.* Excepit tamen Pontifex aliquos caſus,
in quibus id liceret, ſic dicens: *Significantes nihilomi-
nus, prout ſignificamus, quod propter hoc & prædictas
noſtras litteras non intelleximus, nec intelligimus, quod
17 mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Mo-
naſteria, & loca Regularia dictæ Congregationis, ac eo-
rum clauſtra, quando in eis Miſſæ, & alia diuina officia
celebrantur, ac dum proceſſiones fiunt, & quando Chriſti
fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffra-
gia fiunt: ſed liberè perpetuò concedimus eiſdem omni-
bus mulieribus facultatem, vt ad illa loca dictæ Congrega-
tionis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Ca-
tholicis perſonis accedere liberè, & licitè poſſint, & va-
18 leant.* Ex hoc autem indulto manifeſtè infertur, tempo-
re proceſſionum, quæ fiunt in Clauſtris Religioſorum
ingredi poſſe fœminas cum dictis proceſſionibus in ea
clauſtra. Cui conceſſioni per Bullam factæ conſonat
alia euſdem Pij V. de ann. 1568. pro die 27. Ianuarij,
19 quæ habetur in Bullario Rodriguez poſt Bullas Pij V.
inter viuæ vocis oracula ipſius, & apud Quarantam
*in Summ. Bullar. verb. Conuentus, ſeu Monaſteria Re-
gularium*, in qua, vt teſtatur per litteras patentes Ale-
xander Card. Cribellus viuæ vocis oraculo dicitur de-
claraſſe dictam prohibitionem de anno 1566. itavt ea
non habeat locum in quatuor caſibus, nempe ſi in
Clauſtro celebraretur Miſſa, & alia diuina officia; ſi
ibidem fiat proceſſio; ſi in Clauſtro aliquis ſepeliatur,
& tempore magni concurſus ad Eccleſiam ad feſtum
celebrandum, vel concionem audiendam, itavt ob fre-
quentiam non detur facilis ingreſſus, & egreſſus per
Eccleſiam, & tunc poſſe mulieres cum viris ingredi,
& egredi per Clauſtra. Affert etiam idem Rodriguez
ibidem ſimilem aliam declarationem eiuſdem Pij V. ex
teſtimonio Cardinalis Moncliani de anno 1567. pro
die 7. Iunij.

Et ita conformiter DD. tenent hic fieri poſſe, ſcili- 20
cet, quod præfati Regulares poſſint in proceſſionibus,
quæ fiunt intra clauſtra ipſorum fœminas admittere,
& ipſæ intrare: ſpecialiter Rodriguez *tomo* 1. *qq. Regul.
quæſt.* 48. *art.* 3. afferens etiam aliud viuæ vocis oracu-
lum eiuſdem Pij V. de anno 1569. Sanchez *lib.* 6. *in
Decalog. cap.* 17. *num.* 22. Aliter Rodriguez in *Compendio
reſolut.* 27. *num.* 3. idque ſupponunt Peyrinis *tom.* 1. 21
Priuileg. Minim. in Conſtitutione 6. *Iulij II. num.* 13. & 14.
& Portelius *in dub. Regul. verb. clauſur. Monach. num.* 5.
& 6. Ac tenent Cotulanus *de caſib. reſeruatis*, *part.* 2.
caſ. 3. *num.* 21. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant.
verb. ingredi Monaſteria*, *num.* 7. Bonacina *de Clauſu-
ra*, *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. & 11. Texeda *in controuerſ.
moral. tomo* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *controuerſ.* 17. *num.* 8. Alphon-
ſus Leo *de cenſur. recollect.* 4. *verb. Mulieres*, *pag.* 360.
col. 2. Sanctorius de Melfi *ſuper ſtatut. & Conſtitution.
Minor. cap.* 11. *ſtatut.* 5. *pag.* 775. Pellizarius *in Man.
Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *ſect.* 2. *à num.* 45. Ioannes
Maria Nouarius *in Lucern. Regul. verbo clauſtra*, *num.* 7.
me relato, qui id ſecutus ſum *tom.* 1. *Summ. quæſt. Re-
gular. cap.* 10. *num.* 12.

Nec obſtat, quod Gregorius XIII. in Bulla, *Vbi* 22
gratiæ, de anno 1575. *in* 2. *tomo Bullar. Bulla* 28. reuo-
cauerit, & aboleuerit omnes, & quaſcunque licentias,
& facultates quibuſcunque mulieribus conceſſas ingre-
diendi Monaſteria virorum. Hæc enim reuocatio, &
abolitio intelligitur in terminis reuocationis factæ à
Pio V. Prædeceſſore, & iuxta limitationes, & decla-
rationes ab ipſo appoſitas in Bulla de anno 1570. ac
proinde cum exceptione illorum caſuum, qui in ea, &
viuæ vocis oraculis adductis continentur. Et quod ta-
les caſus ſunt nimis ſpeciales, & priuilegiati, etiam
ſecundùm rectam rationem, ac propterea non cenſen-
tur comprehenſi in generali diſpoſitione, gloſſa 1. *in
l. fin. C. de ſilentiariis*, *lib.* 12. Baldus *in l. non plures*, *n.* 4.
Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Caſſadorus *deciſ.* 6. *num.* 11. *ſup.
Regul.* Gonzalez *ſup. Regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 9. §. 2.
num 6. & 7. poſt plures. Et quia caſus omiſſus à noua
diſpoſitione intelligitur ſecundùm Ius antiquum, *l. ſi
vero*, §. *de viro*, *ff. ſoluto Matrimon. l. commodiſſimè*,
ff. de liber. & poſth. & alij apud Barboſam *in axiomat.
axiom.* 39. *num.* 6. Ad quæ accedit, quod Gregorius in 23
ea Bulla ſolùm videtur loqui de mulieribus, quæ habe-
bant facultatem, ſeu licentiam ingrediendi *copulatiuè*
quæcunque Monaſteria, ſiue virorum, ſiue Monia-
lium. Dicit enim Pontifex ſe reuocare omnes, & quaſ-
cunque licentias, ac facultates *ingrediendi Monaſteria,
Domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorum-
cunque ordinum.* Etenim dictio illa *ac*, præſertim con-
iuncta dictioni *etiam*, cum ſit copulatiua, *l.* 2. §. *& cum
placuiſſet*, *ff. de orig. Iur. l. ſi de lege*, *ff. de legib. l. libertas*,
§. *fin. ff. de ſtat. hominum*, *l.* 1. §. *fin. C. de ſumma Trinit.* ſu-
mi debet *copulatiuè*, & coniunctim, itavt intentio Pa-
pæ ſolùm ſit reuocare licentias, quas habebant mulie-
res aliquæ introeundi in Monaſteria quæcunque, ſiue
Monialium, ſiue Religioſorum.

Nec obſtat ſecundò, ſi dicatur id quod notauit The- 24
ſaurus *in praxi, parte* 2. *verb. Clauſura*, *cap.* 2. *num.* 1. vi-
delicet Bullam illam Pij V. de anno 1570. cui inniti-
mur, non fuiſſe publicatam, eo quòd in fine illius
deſit relatio Curſorum, qua dicatur, publicatam fuiſſe.
Hoc enim nihil obuiat ad intentum. Quidquid enim
ſit,

Digitized by Google

ſit, an dicta Bulla per Curſores publicata ſit, vel non, cùm ea receptiſſima ſit apud Auctores, præſertim inter alios ex adductis apud Confertium grauem auctorem *in Summ. Collect. Litter. Apoſtolicar. in Pio V. Bulla 6.* & inſerta in Bullario communi Romano ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ, procuIdubio habet publicationem requiſitam, itavt ſine fundamento ipſius fides vel in dubium reuocari poſſit.

25 Pariter etiam nec obſtat, quod illa viuæ vocis oracula, quæ adducta ſunt, reuocata ſint à Gregorio XV. & Vrbano VIII. iuxta ea, quæ dixi *ſuprà verbo oracula viua vocis, num. 5. & 3.* Primò enim cum illa ſint ſubſcripta per Cardinales, non ſunt reuocata per Gregorium XV. vt patet ex his, quæ dixi *ibid. num. 5.* Deinde nec ſunt reuocata per Vrbanum VIII. eo quòd illa ſunt facta bullata per Pium V. in dicta Bulla eiuſdem
26 de anno 1570. iuxta dicta loco citato, *num. 7.* videlicet, quod viuæ vocis oracula per Bullam aliquam poſtea confirmata, non cenſentur reuocata per eam Conſtitutionem. Tertiò hæc viuæ vocis oracula nullatenus reuocata cenſeri debere per dictas Conſtitutiones, conſtat ex iis, quæ dixi *tom. 1. Summæ, cap. 3. num. 21.* ex Peyrinis, quod etiam ſequitur Portellus *tom. 5. reſponſ. Moral. caſu 13. num. 13. §. dubium tale eſt*, nempe præfatos Summos Pontifices ſolùm reuocaſſe ea viuæ vocis oracula, quæ continebant conceſſiones, gratias, aut Indulta aliqua, non verò ea, quæ ſolùm continebant meras declarationes, aut explicationes, qualia ſunt iſta, vt ex ipſis patet.

27 Difficiliùs obiici poteſt contra dicta ex declaratione quadam, ſeu decreto Sacræ Congregationis Rituum, quod refert Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. verbo clauſura, num. 6.* videlicet: *Oriolen. Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D.D. Archidiaconus Oriolen. exponit DD. VV. Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis, qualiter in Ciuitate Oriolen. vſu, ſeu forſan etiam conſuetudine immemorabili introductum eſt in aliquibus Monaſteriis Regularium, ſcientibus & non contradicentibus Epiſcopis pro tempore, vt annuatim faciant ſuas proceſſiones, tam ſolemnes Rogationum, Candelarum, Palmarum, de Sanctiſſimo Sacramento, ac alias, quàm priuatas de Cruce tempore Paſſionis, de Roſario, de Carmelo, de Cingulo S. Franciſci, de Corrigia S. Auguſtini, cum ſimilibus ſingulis menſibus per clauſtra dictorum Monaſteriorum, comitantibus vndique deuotionis, & Religionis cauſa vtriuſque ſexus fidelibus, quod cum videatur contrarium Conſtitutionibus Sanctæ memoriæ Pij V. & Gregorij XIII. quibus præcluditur aditus mulieribus accedendi ad clauſtra Regularium, ideo Orator ſupplicat declarari, an hoc*
28 *iure liceat. Sacra Rituum Congregatio reſpondit, non licere mulieribus comitari proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit ad hoc expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. Die 3. Septembris 1628. Iulius Benius Secretarius.* Quamuis autem hic author non afferat vnde hoc decretum Sacræ Congregationis hauſerit, nec aliquem authorem apud quem habeatur: ego autem video haberi apud Marcellum de Vulpe *in praxi iudiciali, cap. 4. num. 7.* Et propter illud dicunt, quod eo ſtante non liceat aliquibus mulieribus ingredi clauſtra Monaſteriorum, comitando proceſſiones abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, & Pater Diana *part. 7. tractat. 12. reſol. 6. dicit hanc reſponſionem Sacræ Congregationis illum torquere.*

29 Cæterum etſi verum ſit ſimiles Sacræ Congregationis declarationes iure optimo debere torquere quemcunque pium authorem, iuxta ea quæ dixi *ſuprà in Summ. verbo Sacra Congregatio*: plura tamen ſunt propter quæ huiuſmodi decreti, ſeu declarationis veritas in dubium verti poſſit. Primò quidem, quia apud Marcellum de Volpe dicitur emanaſſe 30. die Septem-
30 bris, apud Antonium Nouarium die 3. Septembris, & apud quendam alium in manuſcripto quodam die 13. Septembris, quæ variatio ſuſpicionem falſitatis ingerit iuxta communia principia Iuriſtarum. Deinde 31
admiſſo, quod in hoc decreto nulla ſit talis varietas, ſed quod ipſa ortum habuerit ex negligentia ſcriptoris, non videtur fuiſſe publicatum, ſiquidem publicatio ſimilium decretorum ſolet fieri in Curia, ſaltem poſt impreſſionem illorum apud Typographum Cameræ Apoſtolicæ, quod non contigit in præſenti decreto, cùm Diana, Theſaurus, & ego, qui in Curia præſentes fuimus eo ann. 1628. quo dicitur emanaſſe, illud viderimus. Idem dico de Pellixario, Sanctorio, Ioanne Maria Nouatio, & aliis, qui poſt dictum annum ſcripſerunt. Declarationes autem, ſeu decreta Sacrarum Congregationum, quæ ritè publicata non ſunt, non obligare, communiter tenent DD. & ego dixi *verbo Sacra Congregatio, num. 12.* Prætereà eſto, quod hoc decretum ritè publicatum eſſet, nihilominus, vt notauit Alphonſus Leo relatus, nec diſſenſit idem Diana, illud ſolùm loquitur, vt patet ex verbis ipſius ſuprà adductis, de mulieribus ingredientibus dicta Monaſteria tempore proceſſionum, &c. *vſu, ſeu conſuetudine*
etiam immemorabili: authores autem qui dicimus lici- 32
tum eſſe talem ingreſſum, non innitimur ſaltem principaliter *in dicto vſu*, aut *conſuetudine*, ſed in declaratione Pij V. quæ conſtat, tum ex duplici viuæ vocis oraculo ipſius, tum ex Bulla eiuſdem Papæ. Imò ex ipſo decreto colligi poteſt, licere talem ingreſſum, ſiquidem in eo dicitur, *niſi adſit ad hoc expreſſa licentia Se-*
dis Apoſtolicæ: huiuſmodi autem declarationes Pij V. 33
pro *expreſſa licentia* haberi debent. Tollitur autem tota difficultas huius caſus, ſi animaduertatur, quod eadem Sacra Congregatio Rituum de anno 1632. pro die 11. Auguſti, provt refert ex decreto authentico Barboſa *in Summ. Bullarij, verbo Congregatio pro Sacris Ritibus 2. & in Summa Apoſtolicarum deciſionum verbo Congregatio pro Sacris Ritibus, n. 9.* & ante eum Sellius *in ſelect. canonic. cap. 1. num. 78.* & ego *dicto verbo Sacra Congregatio, num. 5.* ex ſpeciali iuſſu felicis recordat. Vrbani VIII. præcepit, decretis, ſeu deciſio-
nibus eiuſdem Sacræ Congregationis Rituum, *tam im-* 34
preſſis, quàm imprimendis, ac etiam manuſcriptis, nullam fidem in iudicio vel extra eſſe adhibendam, ſed tantùm illis, quæ in authentica forma; ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munita fuerint. Cùm enim hoc decretum Sacræ Congregationis Rituum, quod afferunt Marcellus de Vulpe, & Ioannes Antonius Nouarius, non ſit ſubſignatum, neque ſubſcriptum ab Eminentiſſimo Cardinali Præfecto, vt conſtat, apertè ſequitur, *nullam fidem in iudicio, vel extra eſſe adhibendam illi.*

Aliis etiam prætermiſſis, cùm ingreſſus fœminarum 35
in Clauſtra Monaſteriorum tempore proceſſionum, &c. ſit in vſu, & praxi Religionum, præſertim Neapoli, ſciente, & conſentiente E. & R. D. Cardinali Philomarino eiuſdem Eccleſiæ Vigilantiſſimo Paſtore, non videtur poſſe in dubium reuocari, provt ex dictis ſequitur, & clarè tenet Alphonſus de Leo citatus, nec diſſentit Diana. Sic ſub cenſura, &c.

PROCVRATORES RELIGIONVM.

SVMMARIVM.

1 *De Procuratoribus remiſſiuè.*
2 *An Religioſi poſſint gerere munus Procuratoris pro ſæcularibus.*
3 *De Procuratoribus Regularibus pro ipſorum negotiis.*
4 *Procuratores Generales aliqui habent locum in Capella Pontificia.*

5 Priuile

5 *Priuilegium Bonif. IX. pro Procuratoribus Generalib.*
6 *Alia remiſſiuè.*

1 DE Syndicis, ſeu Procuratoribus ſæcularibus Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, eorumque priuilegiis latè egi *tom. 1. part. 2. cap. 17.* Nunc ſolùm agendum de Procuratoribus, ſeu Religioſis munus Procuratorum exercentibus. Et de illis duo tractanda, alterum quatenus ſæcularia negotia gerunt, ſeu procurant, alterum verò quatenus negotia propria Religionis, vel Monaſterij.

2 Et quoad primum, ex dictis *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 12.* conſtat Religioſum non poſſe gerere officium Procuratoris pro ſæcularibus perſonis, niſi duplici concurrente conditione, ſcilicet vtilitate Monaſterij, ſaltem indirecta, & licentia Superioris. Ita enim habetur, *cap. Monachi, 16. quaſt. 1. & cap. 2. de poſtulanda, & Clem. Religioſus.* Syluester, & Sayrus eo loco relati, Rodriguez *tom. 3. quaſt. 41. art. 2.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 1.* Concurrente autem duplici iſta conditione, & non aliter, poterit Religioſus procurare tam coram Iudice ſæculari, quàm coram Eccleſiaſtico in cauſa ciuili. Syluester *verbo Aduocatus, quaſt. 6.* Peyrinis *tom. 1. de Pralato, quaſt. 3. cap. 5. num. 16.* poſt alios. In cauſa autem criminali procurare non poterit coram Iudice ſæculari, ſed tantùm coram Eccleſiaſtico, *cap. 1. & cap. finali, de poſtulando,* Sanchez *ſupra num. 4.* ex aliis. In cauſis etiam miſerabilium perſonarum, pro illis ſcilicet tuendis, videtur Religioſum de licentia ſui Prælati, etiamſi inde vtilitas aliqua Monaſterio non contingat, munus Procuratoris obire. Eſt enim Eccleſiæ proprium tales perſonas præſidio deſtitutas tueri. Nauarrus *Commentario 2. de Regularibus, num. 66.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 22. n. 5.* Nouarius *in Lucerna Regul. verb. Procurator, num. 4.* Dicens ita cenſuiſſe Sac. Congregationem. Comprehenduntur autem hac prohibitione non ſolùm Monachi, ſed etiam Regulares omnes, quia quamuis textus *eo cap.* loquatur de Monachis, idem tamen dicendum eſt de quibuſcunque veris Religioſis. Et conſtat ex eo *cap. 2. de poſtulando*, vbi conſultus Pontifex, an ea prohibitio Monachis facta, comprehendat quoque Monachos Regulares, qui laxiori regulæ inſeruiunt (vt dicitur *cap. quod Dei timorem, de ſtatu Regular.*) reſpondet comprehendere, ex dicta *Clem. Religioſus*, quæ in ea prohibitione *verbo Religioſus*, vſa eſt. Et ratio eſt, quia ea prohibitio non habuit reſpectum ad Ordinem Monachorum, ſed ad Religionem. Non tamen comprehenduntur nouitij, quia non ſunt veri Religioſi quoad hæc odioſa. Sanchez *num. 1. & 2.* poſt alios. Quomodo autem intelligenda ſit vtilitas illa, vel neceſſitas Monaſterij, habet idem Syluester *ſuprà, quaſt. 7.* & Peyrinis *num. 17.* Circa licentiam verò iſtam notat Sanchez *ſupra, num. 5.* debere eſſe non ſolùm petitam, ſed etiam obtentam. Id enim colligitur ex iuribus relatis. Notat ſecundò Peyrinis *ſuprà*, quod ſuperior ipſe poteſt abſque alicuius licentia munus Procuratoris ſuſcipere. Sicut enim poteſt ſubditis illam dare, ſic & per ſe accipere. De quo etiam Nauarrus *ſuprà, num. 64.* Azor. *tom. 1. Inſtit. moral. lib. 12. cap. 11. quaſt. 9.* De Superiore autem, qui poteſt hanc licentiam concedere, dicendum eſt, poſſe eſſe Prælatum immediatum Religionis, niſi particularia ſtatuta Religionum aliud poſcant. Textus enim adducti non aliud petunt, iuxta dicta *d. cap. 9. num. 9.* Quod & tenet idem Sanchez *ſuprà num. 8.* An verò poſſit talis Religioſus Procurator ſubſtituere alium Procuratorem, tractant Sanchez *ſuprà num. 13.* & Peyrinis *dicto num. 17.* Maximè verò, an ſi Religioſus abſque Superioris licentia Procurator conſtituatur, valeat actus Procuratoris titulo geſtus, latè tractat ipſe Sanchez *à num. 19.*

3 Quoad ſecundum verò de Procuratoribus Regularibus pro ipſorum Regularium negotiis gerendis conſtitutis, nota quod alij ſunt pro vno Conuentu, Monaſterio, ſeu etiam Prouincia deſignati, alij verò pro tota Religione, qui communiter Procuratores generales nuncupantur. Et quidem loquendo de Procuratoribus Conuentuum, ſeu Monaſteriorum, conſtat ex dictis *tom. 1. part. 2. cap. 13. n. 43.* talium Procuratorum munus officium eſſe, non dignitatem, aut perſonatum, cùm meram adminiſtrationem ſine iuriſdictione, aut præeminentia importet, in quo ratio officij conſiſtit. Vnde propterea, iuxta dicta eo *cap. 13. num. 50.* poteſt illegitimis concedi etiam ſine diſpenſatione. Loquendo autem de munere Procuratorum generalium, cum è conuerſo præeminentiam importet, erit dignitas, ſi illi adiuncta ſit iuriſdictio in aliquos ſubditos, vel ſaltem perſonatus, iuxta dicta eo *cap. 13. num. 25.* Vnde etiam conſequenter, iuxta dicta eo *num. 50.* non poteſt conferri ſine diſpenſatione illegitimis. Ex quo etiam conſtat, quid dicendum de Procuratoribus Prouinciarum; talium enim munus, ſi iuriſdictionem, aut præeminentiam importet, erit dignitas, vel perſonatus, ac per conſequens illegitimis conferri non poterit ante diſpenſationem. Si verò ſolam adminiſtrationem importet, erit ſolùm officium, ac per conſequens illegitimis conferri poterit ſine vlla diſpenſatione. Penſanda ergo ſunt particularium Religionum iura ad id cognoſcendum.

Habent prædicti Procuratores generales Mendicantium, & quorumdam aliorum, locum in Capella Pontificia poſt Epiſcopos, & Generales Ordinum. Et quoad Procuratores Generales Ordinis Minorum præcedentia datur Procuratori generali obſeruantium reſpectu Procuratoris fratrum Conuentualium, vt declarauit Sac. Congregatio de anno 1602. ſub die 25. Ianuarij in vna Romana. Barboſa *de iur. Eccleſiaſt. vniuerſ. lib. 1. cap. 43. num. 194. in Collectan. Bullar. verb. Procurator,* Nouar. *in Lucern. verb. Pracedent. num. 18.* 4

Maximè tamen circa inſtitutionem, depoſitionem & auctoritatem magnam, quam habent Procuratores generales Ordinum in Romana Curia exiſtentes, extat priuilegium Bonifacij IX. conceſſum Generali ordinis Prædicatorum, ac ipſius ſucceſſoribus. Quo etiam gaudent aliæ Religiones communicationem priuilegiorum cum Patribus Dominicanis habentes. Cuius priuilegij, prout habetur apud Conſtitium *in Collectione priuilegiorum, in Bonifacio IX. num. 2.* talis eſt tenor. *Nos tuis deuotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt tu, & ſucceſſores tui Magiſtri dicti Ordinis, qui fuerint pro tempore, aliquem ex fratribus huiuſmodi ad hoc idoneum in dicti Ordinis Procuratorem deputare, & inſtituere, & inſtitutum ab ipſo officio amouere, & alium loco eius ponere, ſemel, & pluries, & toties quoties tibi, & ſucceſſoribus tuis videbitur, & placebit, qui ipſo facto omnium Prouinciarum, Conuentuum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum ipſorum Ordinis, & perſonarum eorumdem, ac aliorum prædictorum, & ipſi Ordini ſubditorum, cenſeatur, & ſit verus Procurator, cuiuſque procurationis officium, vacante Magiſterio ipſius Ordinis, nullatenus expiret, donec ſuper hoc per Magiſtrum proximè ſuccedentem aliter ordinetur. Dictuſque Procurator poſſit, & valeat cauſas quaſcunque, tam ciuiles, quàm criminales, Eccleſiaſticas, ſiue mundanas, quas voluerit, aſſumere, pro dicto Ordine, locis, & ipſorum locorum Conuentibus, & officialibus, ac perſonis prædictis, & ipſorum quolibet, ac etiam nomine, & pro eis, tam coniunctim, quam diuiſim, per ſe, vel alium, ſeu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quaſcunque perſonas, Collegia, & Vniuerſitates, mouere, proſequi, defendere, & agere, & appellare in iudicio, & extra, tam in prima, quam in ſecunda, & tertia inſtantiis, etiam in his, in quibus requiritur ſpeciale mandatum, toties, quoties, ſemper, & quandocunque ſibi videbitur, & placebit, ſecundum poteſtatem per te, vel ſucceſſores tuos huiuſmodi ſibi traditam, vel* 5

tradendam, perinde ac ſi ab Ordine, & locis, officialibus, & perſonis prædictis ſibi data eſſet omnimoda poteſtas cum plene, libero, & generali, & ſpeciali mandato ad cauſas antedictas, tibi, & ſucceſſoribus tuis Magiſtris huiuſmodi de Apoſtolica poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, tenore præſentium indulgemus. Refert etiam Sorbus *in annotationibus ad Compendium priuilegiorum Mendicantium, verbo Procuratores fratrum*, idem priuilegium conceſſiſſe Martinum V. eiſdem Dominicanis, & Bonifacium VIII. Auguſtinianis.

6 Alia ad intentum habes *ſuprà verbo Mandatum quoad Regulares.*

PROFESSIO FIDEI.

De hac materia dixi, ſaltem remiſſiuè, *ſuprà verbo Fidei profeſſio.*

PROFESSIO REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De profeſſione Regularium, remiſſiuè.*
2 *Quid, & quotuplex.*
3 *Notanda circa profeſſionem tacitam.*
4 *An inducatur propter ſuſceptionem Ordinis Sacri.*
5 *Quæ conditiones ad illam requirantur.*
6 *Non inducitur niſi per actus approbatos à Religione.*
7 *Quid de illis qui Nouitiatum geſſerunt in locis non approbatis.*
8 *Redditur nulla propter eaſdem cauſas, ſicut expreſſa.*
9 *Propter defectum anni integri Nouitiatus.*
10 *Propter defectum anni continui.*
Qualis continuitas Nouitiatus requiratur. ibid.
11 *Propter defectum ætatis ſexdecim annorum.*
12 *Quid de priuilegio Pij V. pro Ordine Prædicatorum.*
13 *Propter defectum auctoritatis in recipiente ad profeſſionem.*
14 *Propter defectum ſexus conuenientis.*
15 *Propter ſeruitutem, ſeu ligamen Matrimonij.*
16 *Propter coactionem.*
17 *Propter defectum rationis.*
18 *Propter defectum occultum, ſuper quo proteſtatum eſt, quod ſi illum celaret Nouitius, Profeſſio ipſius irrita eſſet.*
19 *De aliis cauſis remiſſiuè.*
20 *Impedimenta ad profeſſionem alia perpetua, alia temporalia.*
De ratificatione profeſſionis inualidæ. ibid.
21 *De quinquennio requiſito ad reclamandum.*
Quomodo intelligendum. ibid.
22 *De circumſtantiis ipſius.*
23 *Profeſſio inualida non validatur præcisè propter curſum temporis.*
24 *Quid faciet Religioſus inualidè profeſſus, ſed non potens probare inualiditatem.*
25 *Bona profeſſorum propria, quæ non profeſſis conueniro non poſſunt.*
26 *Quando profeſſio inualida obligat, vt votum ſimplex.*
27 *Votum circa præcedentiam cuiuſdam ratificantis ſuam profeſſionem.*
28 *Si ratificauit ob defectum Nouitiatus in loco deſignato, præcedentia ſumi debet à tempore profeſſionis omiſſæ.*
29 *Ex Breui Vrbani VIII.*
30 *Si id fecit ob prætenſam coactionem, ſeu vim, ſtandum iuri communi.*
31 *Profeſſio talis Religioſi fuit inualida.*
32 *Confeſſione partis non poteſt afferri melior probatio.*
33 *Credere præſumitur quis, quod verbis profert.*
34 *Non obſtat ſi dicat fuiſſe deceptum.*
35 *Iure communi præcedentia ſumitur à ratificatione.*
36 *Quia ſumitur à tempore, quo quis eſt verus Religioſus.*
37 *Sumitur à tempore, quo aliquis eſt Regularis illius Religionis.*
38 *Tranſeuntes à quo tempore ſumant præcedentiam.*
39 *Non entis nullæ ſunt qualitates.*
40 *Non obſtat regula Iuris, quod ratihabitio retrotrahatur ad diem actionis.*
41 *Intelligitur quando non adeſt præiudicium tertio.*
42 *Nec obſtat acceptatio facta à Religione.*
43 *Quia fuit ex errore.*
44 *Nec obſtant aliqui Auctores in contrarium.*
45 *Quia ſolùm videntur loqui in foro conſcientiæ.*

DE hac etiam materia non pauca dixi *tom.1.cap.2.* 1
3.& 24. ac *ſuprà verbo Nouitij, & Nouitia Religionum.* Alia tamen addenda in præſenti, maximè conformiter ad noua Decreta, & declarationes Sacrarum Congregationum.

Primò ergo, profeſſio propriiſſimè eſt promiſſio 2
obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis. Sylueſter *in Summa, verbo Profeſſio, & verbo Religio 3. in principio*, ex S.Thoma 2.2. *quæſt.* 178. *art.7.* Eſt autem iuxta dicta *dicto cap.2. num.5.* duplex, ſcilicet expreſſa, & tacita. Expreſſa eſt illa, quæ fit verbo, vel ſcripto; tacita verò, quæ fit ſine verbo, vel ſcripto. Noſter Ioannes Bacco *in 4.diſt.3.quæſt.4. art.3.* Sylueſter *dicto verbo Religio 3. quæſt.1. & 19.* Sanchez *lib.5. in Decalog.cap.3.num.1.* Fiebat autem profeſſio tacita antiquitus variis modis, qui ad duos referri poſſunt, ſcilicet per exercitium actuum profeſſorum, ſeu qui proprij profeſſorum ſunt, *cap. vidua, de Regularib.* per delationem habitus profeſſorum, *cap. ad noſtram, de Regularib. & cap. conſtitutionem, eiuſdem tituli in 6.* De quibus, ac conditionibus iure antiquo requiſitis ad talem profeſſionem tacitam, agunt Angelus, & alij Summiſtæ *verbo Nouitius*, Sylueſter *ſuprà*, Azor. *tomo 1. Inſtitut. moral. lib. 12. cap.4. quæſt. 3.* Cordubą *in expoſit. Regulæ ſancti Franciſci, quæſt.12.cap.2.* Sanchez *ſupra à num. 20.* Layman. *lib.4. de ſtatu Relig. cap.5.num.1.* De quibus & nos *infra.*

Circa quam profeſſionem tacitam nota primò, il- 3
lam ſublatam non eſſe per Concilium Tridentinum, ſed in ſuo priſtino valore manere, dummodo in ea obſeruentur duæ conditiones ab eodem Concilio *ſeſſ.25. de Regular.cap.15. & 16.* aſſignatæ. Scilicet, quod ea non valeat ante expletum integrum Nouitiatus annum, & decimumſextum profitentis. Azor. *ſuprà quæſt.6.* Nauarr. *conſil.28.num.5.de Regularibus, in 2.editione*, Sorbus *in Compend. Priuilegior. Mendicant. verbo Nouitius, verſ. quid autem dicendum*, Layman. *ſuprà*, Sanctarellus *variarum qq. quæſt. 48. num.51.* Tamburinus *de iure Abbat. tom.3. diſp.6. quæſt.13.num.10.* Idque conſtat manifeſtè non ſolùm ex Sixto V. in declaratione ſuæ Conſtitutionis *de illegitimis*, apertè ſupponente tacitam profeſſionem his temporibus validam eſſe poſſe, vt benè Suarez *tom.3. de Relig. lib.6. cap.1. num. 8.* ſed etiam ex declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt idem Suarez, & Armendariz *in Additionib. ad Recopil. leg. Nauarræ, l.7. tit.18. de Relig. num.6. & 8.lib.2.* quos ſequuntur Barboſa *in Collectaneis Bullarij, verbo profeſſio Regularis*, & Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo profeſſio, num.24.* Id quoque à Sacra Rota ſæpiùs determinatum eſt, præſertim in vna Vlyſbonenſi *Profeſſionis*, 10. Decembris 1621. coram Domino Merlino, & in alia Metenſi *Profeſſionis* coram Domino Çatillo, 2. Iunij 1621. Specialiter etiam quoad Moniales id video etiam deciſum à Sac. Congregatione, prout referunt Vecchius *in Praxi Nouitiorum, diſp.14. dub.7. num.4.* & Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſp.6. quæſit.1. num.9.* his verbis: *Moniales, quæ eius Ordinis ſunt, qui requirit profeſſionem, ſi tacitam*

profeſſio

Google

profeſſionem emiſerint, etſi palam & expreſsè id faciendum non fuit, cogenda non ſunt, vt expreſsè profiteantur. Etenim ſingula Monaſteria liberum habent tacitè, vel expreſsè profitendi. [Video etiam Sacram Congregationem Concilij in vna Cauenſi, 14. Decembris 1624. declaraſſe profeſſum inualidè expreſsè ob defectum anni approbationis cenſeri tacitè profeſſum, & potiri priuilegiis Religionis, intellige poſt expletum probationis annum.] ſublatæ tamen ſunt eæ tacitæ profeſſiones, quæ antiquitus inducebantur ſtatim delato habitu profeſſorum diſtincto patenter à nouitiorum habitu, cum exercitio actuum profeſſorum, vel altero horum concurrente cum tridui perſeuerantia, etiam ante expletum 16. annum. Quia Concilium loco relato requirit integrum annum Nouitiatus, & 16. annum expletum. Sed poſſent habere locum ij textus quando tranſacto integro nouitiatus anno, expletiſque ſexdecim annis, quis indueretur habitu profeſſorum diſtincto patenter à nouitiorum habitu; vel vnà cum aliis profeſſis exerceret actum iure, vel conſuetudine ſolis profeſſis competentem. Azor. *ſupra quæſt.*6. Sanchez *ſupra num.* 37. Vecchius *ſupra dub.*8. Peyrinis *tom.* 1. *de ſubdito, quæſt.* 1. *cap.* 26. §. 3. Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 162. & 163.

4 Nota ſecundò, vltra prædictos modos profeſſionis tacitæ non incongruè etiam aſſignari poſſe alium, qui eſt per receptionem Sacrorum Ordinum. Ex ſuſceptione enim Ordinum profeſſio tacita inducitur, vt cenſuit S. Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum in vna Beneuentana, 20. Decembris 1619. in hæc verba: *Cum frater Andreas Ponſettus in Religione per octennium permanſiſſet, abſque eo quod profeſſionem emiſiſſet, dicto autem tempore, Patre Magiſtro Curiario inſtante, Sacros Ordines ſuſcepiſſet, petiit facultatem habitum dimittendi ſibi concedi. Sacra autem Congregatio reſpondit, quod ſuſceptio Ordinum profeſſionem tacitam inducit.* Barboſa *ſuprà num.* 167. & *in Collectaneis Bullar. verbo Profeſſio Regularis.* Nouarius *in Lucerna, verbo Profeſſio, num.* 23. Et ſanè ita videtur dicendum, cum ſuſceptio Sacrorum Ordinum ad titulum paupertatis profeſſæ, qualiter eos ſuſcipere poſſunt Religioſi, actus profeſſorum ſit. Fauetque conceſſio Iulij II. pro Auguſtinianis, in qua habetur, quod quicunque nouitius, qui promoueretur ad Sacros Ordines, habetur pro profeſſo. Caſſarub. *in Compend. priuil. Mendicantium, verbo Nouitius, n.* 24. Corduba *ibid. in Annotationib.*

5 Notandum tertiò, aliquas etiam conditiones, præter duas aſſignatas à Concilio, requiri ad hoc quod his temporibus profeſſio tacita inducatur, eo quòd illæ ante Concilium requirebantur, & ab Ipſo non ſunt ſublatæ. Prima eſt, vt actus, per quem tacita profeſſio induci debet, fiat auctoritate, & conſenſu eius, cuius eſt in eam Religionem admittere. Ratio eſt, quia nec profeſſio expreſſa poteſt abſque dicto conſenſu firma eſſe: ergo à fortiori nec tacita. Eadem enim, & par eſt ratio taciti, & expreſſi, nec tacitum plus operari poteſt, quàm expreſſum, vt tradunt omnes ſcribentes, *l. cùm quid, ff. ſi certum petatur.* Secunda conditio eſt, vt ſpontanea, & non coacta voluntate fiant ea, per quæ profeſſio tacita eſt inducenda. Habetur expreſsè *cap. vidua, de Regular.* Et conſtat ex ratione tradita. Si enim ad profeſſionem expreſſam id requiritur, requiretur etiam ad tacitam. Tertia eſt, vt ea *ſcienter* fiant, nempe vt iis actibus vtens nolit eos ad ſolos profeſſos pertinere. Quia cum hæc profeſſio tacita præſumatur ex tacito vtentis conſenſu, quo vult iis ſignis profiteri, data ignorantia ceſſat eius conſenſus præſumptio. Imò & requiritur iis vtentem noſſe, per illos induci tacitam profeſſionem. Quippe eius rei ignorantia efficiet deeſſe conſenſum tacitè profitendi. Quarta conditio eſt, vt iis actibus vtens verum profitendi animum habeat. Cum enim profeſſio expreſſa conſenſu non exiſtente ſit irrita, à fortiori idem dicendum erit de tacita. Nec ſatis erit ſe habere negatiuè, nempe nec habendo animum profitendi, nec non profitendi, ſed poſitiuus profitendi per eos actus animus deſideratur. Quia ij actus eatenus profeſſionem tacitam inducunt, quatenus internum profitendi animum indicant. At in habenti ſe negatiuè, nullus eſt internus profitendi conſenſus. Vltima eſt, vt iis profeſſorum actibus vtens ſit conſtitutus in legitima ætate iure petita ad profeſſionis expreſſæ valorem. Quæ eſt ante Concilium pubertas completa, *ex cap. conſtitutionem, de Regular. in* 6. & poſt illud ætas 16. annorum, iuxta dicta. Agunt de huiuſmodi conditionibus Angelus, & Sylueſter relati, Roſella, Tabiena, & Armilla *verbo Nouitius.* Nauarrus *Commentario* 4. *de Regularib. à num.* 73. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regularium, quæſt.* 17. *art.* 1. Azor. *dicto cap.* 4. & *cap.* 2. Sanchez *ſupra à num.* 14. Portellus *in Dub. Regular. verbo Profeſſio Nouitij, num.* 4. Addit Vecchius *ſuprà dicto dub.* 8. ſpecialiter quod attinet ad profeſſionem tacitam, quæ inducitur propter delationem habitus, eam non induci, niſi habitus intra Monaſterium deferatur. Barboſa *ſuprà num.* 158. ex Rotæ deciſione, Menochio, & Azorio.

Ex prima autem conditione pro profeſſione tacita 6
aſſignata, ſcilicet quod ea non inducatur, niſi per actus approbatos ab eo ad quem intereſt ad Religionem admittere, infertur primò, quod ſi in aliqua Religione eſſet ſtatutum, vel conſuetudo præſcripta, vt liberum ſit nouitios ante profeſſionem expreſſam expellere, nulla tacita profeſſio valeret in illa Religione, quia eſſet diſſenſus ex parte admittentis. Item, quia ea libertate gaudet nouitius ad exeundum, quâ Conuentus ad expellendum. Atque idem eſt dicendum, ſi conſtaret de expreſſa, vel tacita Conuentus voluntate non admittendi niſi expreſsè profeſſos, vt vtrumque benè docent Nauarrus *lib.* 3. *conſil. tit. de Regularib. in* 1. *editione conſil.* 30. *num.* 3. *in* 2. *conſil.* 20. *num.* 3. & Sanchez ex illo *ſuprà num.* 40.

Infertur ſecundò, nulliter profeſſos in Italia, & In- 7
ſulis adiacentibus ob defectum Nouitiatus non habiti in locis deſignatis à Sede Apoſtolica, iuxta dicta *ſuprà verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum,* ex Decretis Clementi. VIII. ibi adductis nullatenus etiam cenſeri debere tacitè profeſſos, etiamſi Sacros Ordines ſuſcepiſſent. Vt enim dictum eſt, tacita profeſſio non inducitur, niſi per actus approbatos ab eo, qui auctoritatem habet admittendi ad Religionem. Conſtat autem Summum Pontificem, ad quem principaliter ſpectat ad Religionem admittere, non approbaſſe aliquos actus ipſorum pro profeſſione tacita, cum potius, vt conſtat ex eiſdem Decretis, admiſſionem ad Religionem, & profeſſionem in illa facta in prædictis Conuentibus, omnino reprobauerit. Ad quod accedit, quod cum profeſſio expreſſa illorum inualida ſit, multò magis id dici debet de profeſſione tacita, cùm iuxta dicta *ſuprà num.* 5. eadem ratio ſit taciti, & expreſſi, nec tacitum plus operari poſſit quàm expreſſum. Præſertim, quia cum profeſſio tacita eatenus vim habeat, quatenus inde vera profeſſio præſumitur, quoties ex aliquo defectu profeſſio expreſſa, quæ vera eſt, nequit valere, à fortiori nec tacita, quæ eſt præſumpta, valere poterit. Sanchez *ſuprà num.* 14. ex Nauarro.

Infertur tertiò ex ratione adducta, quod ex omni- 8
bus cauſis, propter quas profeſſio expreſſa redditur nulla, ex eiſdem etiam nulla quoque reddatur tacita. Sanchez *ſuprà num.* 18. & *lib. de Matrim. diſp.* 37. *num.* 34. Quamuis autem huiuſmodi cauſas *dicto cap.* 2. & 24. eiuſdem primi tomi retulerimus, operæpretium nihilominus videtur illas magis in præſenti declarare.

Prima ergo cauſa, propter quam profeſſio quæcun- 9
que, ſiue tacita, ſiue expreſſa, his temporibus poſt Con-

cilium Tridentinum irrita eſt, & nulla, eſt defectus anni integri Nouitiatus, iuxta dicta *ſuprà*, & *dicta cap.* 2. *num.* 10. ex Decreto eiuſdem Concilij ibi relato. Vnde profeſſio aliter facta neque ad Religionem in genere, nec in ſpecie, nec in foro conſcientiæ obligat. Prout ex ipſo Concilio, & declarationibus Sacræ Congregationis conſtat. Vecchius *in Praxi Nouitiorum, diſput.* 15. *dub.* 2. Garzia *de Benefic. part.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſol.* 57. Nouatius *ſuprà num.* 5. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſit.* 21. Quamuis autem, iuxta dicta *ſuprà verbo Annus*, *num.* 8. ſæpiùs ad hoc quod annus dicatur completus ſufficiat, quod ſit inchoata dies vltima illius anni; fallit tamen hæc regula in anno Nouitiatus. Video enim apud Barboſam *in Collectan. Bullarij, verbo Profeſſio Regularis*, & Nouatium *ſuprà verbo Annus*, *num.* 4. & 5. Sac. Congregationem declaraſſe, profeſſionem emiſſam à Regulari non completo anni curriculo, etiam per duas horas, & emiſſam in anno Biſſextili, non expectato lapſu illius diei, qui eo anno additur, eſſe inualidam. Cui conſonant dicta eo *num.* 10. De quibus, & aliis ad hoc intentum ſpectantibus, Naldus *in Summa*, *verbo Profeſſio*, *num.* 7. Portellus *in Dub. Regul. verbo Profeſſio*, *n.* 13. & Theſaurus *in Praxi, part.* 2. *verbo Profeſſio*, *cap.* 1. An verò idem dici debeat de Nouitiis Ordinum Militarium, dixi eo *num.* 10. & *tomo* 1. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 17.

10 Quod hic annus pro Nouitiatu requiſitus debeat eſſe continuus, conſtat ex dictis eo *cap.* 1. *n.* 1. & *cap.* 24. *num.* 21. Quibus addendum, quod licèt Decretum Concilij de vno anno Nouitiatus habendo ante profeſſionem, intelligi debeat de anno continuo, quia quoties in decreto aliquo, ſeu lege præſcribitur aliquod tempus, id neceſſe debeat eſſe continuum, prout ex pluribus probant Sanchez *dicto lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 31. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 3. & Bonacina *de Clauſura*, *quæſt.* 2. *punct.* 10. *difficult.* 2. § 2. *num.* 3. eo præſertim, quia prædictus annus præſcribitur, vt nouitius integrè, & perfectè Religionis aſperitates experiantur, inter quas non infimum locum tenet eas ſine intermiſſione perferre, ſicut multò difficilius eſt continua quadraginta ieiunia perferre, quam interpolata. Nihilominus annus probationis in Nouitiatu non interrumpitur, ſi ex mala valetudine Nouitius, præcedente licentia Superioris, extra Monaſterium permaneat, vt deciſum teſtantur ex Vecchio, Barboſa loco relato *de Iure Eccleſiaſtico*, *num.* 126. & Nouatius *dicto verbo Annus*, *num.* 8. & probant Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 566. *num.* 14. Mendez *in Diuerſ. iur. argument. cap.* 15. *lib.* 2. Tamburinus *ſuprà quæſito* 7. *n.* 16. Armendar. etiam *in addit. ad recopilat. leg. Nauarr. lib.* 2. *tit.* 18. *l.* 7. *de Relig. num.* 13. Suarez *ſuprà cap.* 4. *n.* 13. & declaratum referunt à Sacr. Congreg. Nouitiam, durante probationis anno, curandæ valetudinis gratia, de licentia Superiorum è Monaſterio exeuntem, & poſtea regredientem, eodem tempore profeſſionem emittere poſſe, ac ſi nunquam exiiſſet. De quo etiam Barboſa *ſuprà num.* 27. & Nouarius *ſuprà num.* 9. Et ratio huius eſſe poteſt, quia licet de ratione nouitiatus videatur eſſe quod peragatur intra Clauſtrum Monaſterij veluti formaliter, ideſt quod extra illud non exeat nouitius ſine obedientia Superioris; non tamen videtur talis permanentia materialiter ſumpta eſſe de ſubſtantia nouitiatus. Suarez *dicto num.* 13. approbans ex Nauarro, quod ſi Nouitius de mandato Prælati per magnam partem anni extra Monaſterium verſetur, etiam in Curia Principis tractans negotium Religionis, ſemper cenſeatur eſſe in probatione ſine interruptione, & poſſit ſuo tempore profeſſionem emittere, quia non eſt de ratione anni probationis manere ſemper intra ſepta Monaſterij, ſed ad probationem ſufficit manere ſub obedientia ſui Superioris vbicunque nouitius fuerit. An verò hæc doctrina etiam verificetur pro nouitiis Italiæ, & Inſularum adiacentium, conſule dicta *cap.* 24. *num.* 22. *in* 1. *tom.* Nec etiam interrumpi nouitiatum, ſi nouitius retento habitu, perterritus ſeueritate, vel iracundia, vel minis, ſeu odio Superioris, aut Magiſtri, Monaſterio abditè exeat, cauſa ſe celandi, dummodo habeat animum redeundi, tenent Tamburinus *ſuprà num.* 18. Barboſa *ſuprà num.* 128. ex Vecchio, & aliis. Pro his tamen, & ſimilibus caſibus maximè aduertendæ ſunt circunſtantiæ egreſſus, ſcilicet an ſint tales, ex quibus præſumi poſſit factum fuiſſe animo deſerendi Religionem; ſi enim tales fuerint, vt ex illis præſumi poſſit nouitium ſic egredientem egredi animo non redeundi, ſeu ſe conſtituendi extra obedientiam Prælati, tunc proculdubio interrumpetur nouitiatus. Secus verò ſi non adſit, aut præſumatur talis animus. Suarez *dicta cap.* 14. *num.* 24. Vecchius *ſuprà diſp.* 15. *dub.* 3. *num.* 25. Barboſa *dicto num.* 128. An autem hæc continuitas nouitiatus debeat eſſe vſque ad profeſſionem intrinſecè, vt ſic dicam, vel ſufficiat annum ipſum eſſe integrum, etiamſi proximè non ſequatur profeſſio, & conſequenter, ſi expleto anno probationis nouitius nolit profiteri, ſed è Monaſterio egrediatur, & poſtea iterum redeat, an prior annus probationis ſufficiat ad profeſſionem emittendam. Priorem partem tenent Suarez *ſuprà cap.* 15. *num.* 10. Vecchius *d. diſp.* 11. *dub.* 3. *num.* 1. Poſteriorem verò Rodriguez *tomo* 3. *quæſt. Regular. quæſt.* 15. *art.* 10. *ad finem*, Layman. *ſuprà num.* 2. Bonacina *ſuprà num.* 4. poſt S. Antoninum, Angelum, Syluestrum, & alios. Quibus adhæreo, pro caſu tamen quo conditio perſonæ, aut Religionis non eſt ita immutata, vt nouitius propter illam diſcontinuationem non cenſeatur difficultates Religionis moraliter exploraſſe. Præſertim cum iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 24. *num.* 41. ex declaratione Sacræ Congregationis, quam communiter Auctores referunt, non obſtante quod in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. ſic habeatur: *Finito tempore Nouitiatus Superiores Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monaſterio eos eiiciant*; nihilominus Superior Prælatus poteſt ex cauſa profeſſionem differre. Sanchez *ſuprà cap.* 4. *num.* 21. & 34. Theſaurus *ſuprà*, §. *limita ſecundo*. Cui doctrinæ maximè fauet declaratio quædam Sacræ Congregationis, quam refert Barboſa *in Collectan. verbo Profeſſio*, in qua deciditur, poſſe profiteri in Religione illum, qui cum eſſet duodecim annorum, & permanſerit per annum integrum in Nouitiatu, poſtmodum habitu retento commoratus fuit domi ſuæ vſque ad tempus ſexdecim annorum, quo reuerſus fuit ad Religionem, & petiit profeſſionem. Vide Dianam 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 128. [Pro caſu tamen qui ſæpiùs inter Regulares contingere ſolet, ſcilicet, quod cum aliquis Nouitius Nouitiatum in totum, vel in partem iuxta morem Conuerſorum peregerit, poſtea verò in profeſſione ad Clericatum admittatur, vel aliquando etiam è contra; notandum eſt valdè probabile eſſe talem profeſſionem eſſe validam, & illum nouitiatum ſufficientem fuiſſe pro tali profeſſione facienda. Quia ad probationis annum legitimè implendum ſatis eſt quod nouitius vno integro anno ſub obedientia Prælati exiſtat. Ita Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſit.* 17. *num.* 8. cui fauent plures Auctores, aſſerentes non teneri nouitium omnes aſperitates Regulæ experiri in ſpecie, ſed ſatis eſt ſi probet in genere perſeuerando ſub dicta obedientia Prælati per annum. Ita Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 15. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regul. quæſt.* 5. *art.* 10. Sanchez *in præcept. decalogi*, *cap.* 4. *lib.* 5. *num.* 52. & Bartholomæus à S. Fauſto *in Theſauro Religioſorum*, *lib.* 5. *quæſt.* 249. *num.* 3. Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato*, *quæſt.* 3. *cap.* 1. *num.* 66.

Secunda cauſa, propter quam quæcunque profeſ- 11
ſio, ſiue expreſſa, ſiue tacita, redditur nulla his temporibus,

Digitized by Google

tibus, eſt defectus ætatis 16. annorum, iuxta dicta *tom.1.part.1.cap.2.num.10. & cap.24.num.21.* vbi alia ad intentum. De quo etiam *ſupra verbo Ætas, num.5. & verbo Annus, num.9.* Debet autem eſſe, iuxta dicta eo *num.5.* 16. annorum completorum. De quo etiam Diana 3.*part.tract.2.reſolut.57.* Theſaurus *ſuprà cap.2.* Vnde practicanda venit opinio Riccij *in Praxi fori Eccleſ.reſolut.656. in 1.edit. aliàs reſol.549.* quatenus poſt Galletum *in Margarit.caſ. conſcient. in verbo profiteri*, exiſtimat nullam eſſe profeſſionem, ſi deficiat vna dies ante dictum 16. annum completum. Nouarius *dicto verbo Profeſſio, num.14.* Licet oppoſitum teneant Campanile *in diuerſor. Iuris Canonici, rubr.12.cap.11.num.1.* & Barboſa *ſuprà num.139.* exiſtimantes profeſſionem factam in vltima die anni 17. validam eſſe. Valida autem eſt profeſſio poſt 16. annum facta, ſed ante 18. vel vigeſimum requiſitum à ſtatuto Ordinis Minimorum, vel SS. Trinitatis non annullante, aut irritante factam, quia profeſſio non redditur nulla ex eo quod ſimpliciter prohibita ſit, prout in dictis ſtatutis Rodriguez *tom.3.quæſt.Regularium, quæſt.17.art.10.* Miranda *tom.1. Manual. quæſt.24.art.2. concl.2.* Peyrinis *de Subdito Relig.tom.1.cap.16.§.3.* Sanchez *ſuprà cap.4.num.4.* Sicque referunt à Sacr.Congregatione deciſum Armendariz *in addition. ad recopilat.leg. Nauar. d.lib.7. de Relig. num.14.* Barboſa *ſuprà num.141.* & Nouar. *ſupra num.16. & 17.*

12 His tamen non obſtantibus profeſſiones factas à Nouitiis Ordinis Prædicatorum, & aliorum communicantium cum ipſis in priuilegiis, quando ſunt in articulo mortis conſtituti, ante 16. annum, validas eſſe, conſtat ex dictis *tomo 1.part.1. cap.24.n.42. & cap.25. num.39.* ex Priuilegio Pij V. vbi etiam alia ad intentum. De quo & Diana 5.*part. tract.3.reſolut.139.* Ad quod etiam deſeruit declaratio quædam S. Congregationis, quam refert Barboſa *ſuprà num.138.*

13 Tertia etiam cauſa, propter quam quæcunque profeſſio redditur nulla, eſt defectus auctoritatis, ſeu poteſtatis in acceptante ad illam, iuxta dicta *dicto cap.2. num.25.* vbi & alia ad intentum. De quibus etiam Reginaldus *in Praxi, lib.18.num.385.* Vecchius *ſuprà diſput.13. dub.2.* Tamburinus *ſuprà quæſit.14.* Nota autem, quod quamuis hoc ſolùm videatur eſſe neceſſarium pro profeſſione expreſſa, illa enim debet fieri in manus Prælati facultatem habentis ad eam admittendam, ſuo etiam modo requiritur pro profeſſione tacita; ſiquidem, iuxta dicta *ſuprà num.5.* inter conditiones ad illam requiſitas vna eſt, vt actus per quem inducitur, auctoritate, & conſenſu eius, cuius eſt ad Religionem admittere, fiat, ſeu, quod idem eſt, iuxta dicta etiam *ſuprà*, vt admiſſio ad illam ſit conſentiente Prælato, vel Religione. Layman. *ſupr.num.3. & 5.*

14 Quarta eſt defectus ſexus conuenientis Monaſterio, in quo ſit profeſſio, iuxta dicta *cap.2.num.20.* Quid verò dicendum de fœmina, quæ fingens ſe eſſe virum profeſſa eſt in Conuentu virorum, agunt Comitolus *lib.2.Reſponſ.moral.quæſt.18.* & Portellus *ſuprà num.23.* apud quem etiam *in additione ad additionem ad dictum verbum Profeſſio*, latè de quodam caſu fœminæ cuiuſdam, quæ poſt profeſſionem inter Moniales in maſculum erupit. De quo etiam dixi *ſuprà verbo Irregularitas, num.14.*

15 Quinta eſt defectus libertatis, ſeu quod idem eſt, ſeruilis conditio. De qua dixi *dicto cap.2.num.21. & cap.24.num.20.* De qua etiam, præter Auctores ibi relatos, agunt Azor. *tom.1.Inſtitution.moralium, lib.12.c.1. quæſt.3.* Vecchius *ſuprà diſp.2. dub.2.* Tamburinus *ſuprà diſp.6.quæſit.3.num.6.* Barboſa *dicto cap.42.num.2.* & ſequentibus, ex multis aliis. Ad hunc libertatis defectum reducitur etiam Matrimonij ligamen, etenim qui Matrimonium conſummarunt, nequeunt validè Religionem profiteri, niſi de conſenſu alterius coniugis, iuxta dicta eo *cap.24.num.31. & cap.2.num.32.* vbi etiam alia ad intentum. Quid verò dicendum de Matrimonio etiam conſummato infidelium, aut rato tantum etiam fidelium, habes ex dictis eodem *tom.1.p.1. cap.3.num.3.* De quibus etiam omnibus Reginaldus *in Praxi lib.18.num.377. & lib.39.num.68.* Bartholomæus à S. Fauſto *in Theſauro Relig.lib.1.quæſt.286. & lib.5.quæſt.81.* Vecchius *ſuprà diſput.14. dub.1.* Cornejo *tract. de Matrim.diſp.6.* Portellus *ſupra à num.17.* Barboſa *ſuprà num.7.* & ſequentibus, ac Tamburinus *ſupra à num.4.*

Sexta eſt coactio. Debet enim eſſe voluntarius Religionis ingreſſus, alioquin is qui cogitur fieri Religioſus, non tenetur Regulam obſeruare, nec valida eſt profeſſio, niſi poſtea conſenſiſſet, *cap.præſens 20.quæſt.3. cap.1.de Regularibus, cap.1.de iis, quæ vi.* Bonacina *ſuprà difficult.2. §.1.num.3.* Layman. *ſuprà num.6.* Nota tamen, vim & metum debere eſſe grauem. Tum quia in Iure non habetur ratio metus leuis, tum quia metus leuis non irritat carnale Matrimonium: ergo neque ſpirituale, ideſt profeſſionem. Bonacina, & Laymanus relati, ac Theſaurus *in Praxi, part.2. verb. Moniales, cap.1. §. Amplia 1.* ex Rotæ deciſione. Eſt autem metus grauis primò metus mortis; ſecundò, mutilationis; tertiò, atrocis cruciatus; quartò, longi carceris; quintò, diuturni exilij; ſextò, ſeruitutis; ſeptimò, ſtupri in viro, vel fœmina; octauò, amiſſionis honorifici ſtatus (hæc omnia habentur *§ quod metus cauſa, & Cod. eodem, & in 1.Decretal. eod.titulo*) nonò, amiſſionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis; nam ſine his non poteſt homo commodè, & honoratè viuere; decimò, infamiæ iuris, vel etiam facti, quæ difficulter poſſit abſtergi. Fama enim præfertur opibus, iuxta illud Prouerb.22. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Vndecimò, excommunicationis iniuſtæ, ſecus ſi iuſta ſit. Hæc enim facilè poteſt caueri, ſublata contumacia.] Duodecimò, etiam metus grauis dicitur, ſi hæc mala liberis propriis timeantur, quia pro affectu naturæ parentes magis in liberis terrentur, vt habetur *in l.iſti quidem 8.in fine, §.quod metus cauſa.* Leſſius *de Iuſtitia, lib.2.cap.17.num.35.* Quamuis autem non leuis controuerſia ſit, an metus reuerentialis cenſendus ſit grauis, ita vt annullet profeſſionem? Quibuſdam affirmantibus cum Nauarro, Rodriguez, & aliis, quos refert Sanchez *lib.4.de matrim. diſp.6. num.17.* quibus iunge Dianam *part.3. tract.2. reſolut.92.* aliis verò negantibus cum eodem Sanchez *ibid.num.18.* Soto Henriquez, & aliis, quos refert. Nihilominus iſtis adhærendum videtur, dicendo quod metus reuerentialis ſolus non ſufficiat, niſi ſit coniunctus cum timore incurrendæ grauis, ac diuturnæ offenſionis, cum aſperitate vultus, verborum, & tractationis, & maximè timore ſubtractionis rei neceſſariæ, ſeu congruæ ſuſtentationis, ſeu eiectionis de domo, vel grauibus minis, aut importunis, & inculcatis precibus. Prout ea variis iuribus, & Doctoribus probant idem Sanchez *ſuprà diſp.7. à n.3. vſque ad 8. & tom.1.part.1.in Decalog.lib.8.num.8.* Leſſius, Layman. & Theſaurus *ſuprà*, ex notabili deciſione Rotæ, & aliis Doctoribus. Vide alia quoad Monialium coactionem *ſuprà verbo Moniales, num.10.* 16

Septima eſt defectus vſus rationis, ſiue per dementiam, ſiue per furiam, aut quid ſimile, iuxta dicta *dicto cap.2.num.24. & cap.24.num.18.* Habentes enim talem defectum carent libertate requiſita ad Religionem. De quo Syluester, Azor, Sanchez, & Bonacina iis locis relati. 17

Octaua eſt ille defectus occultus, ſuper quo proteſtatum eſt Nouitio, quod ſi illum haberet, & celaret, profeſſio inualida eſſet, iuxta dicta eo *cap.2.num.23. & cap.24.num.26.* Quod intellige, etiamſi talis defectus non ſit contrarius eſſentiæ Religionis. Etſi enim iuxta dicta eo *num.23.* defectus non repugnans ſubſtantiæ 18

Digitized by Google

Religionis, qualis eſt morbus Gallicus, morbus caducus, commiſiſſe aliquod delictum, originem trahere à parentibus infidelibus & infamibus, aut quid ſimile, non irritet profeſſionem: ſi tamen habenti illum, proteſtatum eſt de nullitate profeſſionis, ſi illum celaret, profeſſio nulla erit illo celato. De quo præter Auctores eo loco relatos, Miranda *in Manuali tom.* 2. *q.*30. *art.*4. *concluſ.* 2. Suarez *tom.*4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *num.*29. Vecchius *in Praxi diſp.*14. *dub.*15. *& diſput.*4. *dub.*1. Diana 4. *part. tract.*4. *reſol.*188. Bordonus *reſol.*8. *num.* 30. & Theſaurus *in Praxi part.* 2. *verbo Profeſſio*, *cap.*3. Pro quo etiam vide dicta *ſuprà verbo Neophytus Regularis*. Nota autem, quod quamvis circa huiuſmodi proteſtationem, & modum quo facienda ſit, diſſentiant Doctores, illud tamen videtur certius, eam ſufficere, quæ de facto intimata ſit tacitè, vel expreſsè Nouitio profeſſuro. De quo Vecchius, & Theſaurus *ſupra*.

19 De aliis porrò cauſis, quæ irritare poſſunt profeſſionem, quales ſunt appoſitio conditionis contrariæ ſubſtantiæ Religionis, & fictio, ſeu animus non promittendi, dixi eo *cap.*2. *num.*26. *&* 27. Item an conditiones deſignatæ à Sixto quinto pro informationibus Nouitiorum, ſint ita de ſubſtantia profeſſionis, vt defectus illarum ipſam irritet, habes ex dictis eo *cap.*24. *num.*12. *& ſequentibus*, & *ſuprà verbo Nouitij*, *& Nouitiæ Religionis*, *num.*21. Similiter an defectus Nouitiatus habiti in locis non approbatis à Sede Apoſtolica pro Italia, & Inſulis adiacentibus, profeſſionem annullet, dixi *ſuprà dicto verbo Nouitij*, *& Nouitia*, *n.*3.

20 Pro prædictis autem caſibus, in quibus profeſſio eſt nulla propter dicta impedimenta, aliqua animaduertenda ſunt. Primò, aliqua impedimenta ex ipſis eſſe perpetua: alia verò ſolùm temporalia. Perpetua dicuntur illa, quæ perpetuò, & inſeparabiliter perſonæ inhærent, nec ab ipſa auferri poſſunt, ſed eam ſemper, & pro ſemper inhabilem ad profeſſionem faciunt, qualia ſunt ſexus virilis ad profitendum inter Moniales, & ſexus fœmineus ad profitendum inter viros. Huius generis erunt impedimenta illegitimorum, criminoſorum, & obnoxiorum debitis, & ratiociniis, iuxta diſpoſitionem Conſtitutionis *Cùm de omnibus*, Sixti V. quam retuli *tom.*1. *part.*1. *cap.*24. *num.*12. *&* 15. Licèt, vt ibidem dixi, moderata ſit his temporibus à Clement. VIII. Huius etiam generis ſunt impedimenta aliqua per particulares Conſtitutiones Religionum poſita, per quæ inhabiles omninò redduntur ad profeſſionem. Temporalia verò dicuntur illa, quæ etſi inhabilitent ad profeſſionem, ſed non perpetuò, quia poſſunt poſtea amoueri, vt defectus ætatis, defectus conſenſus. Sanchez *lib.*7. *de Matrimon. diſp.*37. *num.*50. Bordonus *ſuprà num.* 4. Ex quo fit profeſſionem factam cum prioribus impedimentis nunquam ratificari poſſe, ſeu quod idem eſt, de nouo fieri, ita vt valida ſit, eum ſemper perſeuerent ipſa impedimenta; hoc tamen factam cum poſterioribus impedimentis, propter oppoſitam rationem. Et ita ſupponunt Sanchez, & Bordonus relati, aliique communiter. Qualiter autem ad ratificandam profeſſionem factam cum aliquo ex prædictis impedimentis temporaneis, non requiratur reiteratio Nouitiatus, ſed ſufficiat quod ſuppleantur ea, quæ primò defuerunt, dixi dicto *cap.*2. *num.*9. De quo etiam Leſſius *lib.*2. *de Iuſt. cap.*41. *num.*66. Suarez *tom.*3. *de Relig. lib.*7. *cap.*2. *num.*8. Vecchius *ſuprà diſput.*14. *dub.*5. Bonacina *ſuprà d. punct.* 20. *diffi ult.* 1. *num.* 5. Quod intellige, quando Nouitiatus fuit integer, & validus. Si enim inualidus, & irritus fuit, reiterari debet. Ita enim declaratum ſæpè eſt à S. Congregatione *circa ſeſſ.*25. *cap.* 15. *Concilij Tridentini*: Suarez, & Vecchius ſuprà poſt Nauarrum *conſil.*26. *de Regularib. num.*17. *&* 19. & alibi, ac Rodriguez *part.* 2. *Summ. cap.*5. *num.*2. Licèt oppoſitum probabiliter etiam tueantur Leſſius, & Bonacina relati, ac Portellus *verbo Nouitij annus*, *num.*52. Peyrinis *tom.*1. *de Prælato*, *quæſt.*3. *cap.*1. §.5. *num.* 147. Bordonus *ſuprà num.* 76. *&* 77. poſt Azorium, Sanchez, & alios, pro aliquibus ſaltem caſibus, & præcipuè quando per talem Nouitiatum ſufficienter expertus fuerit Nouitius auſteritates Ordinis. De modo repetendi talem annum probationis, & an neceſſarium ſit non ſolùm habitum Nouitiorum ſuſcipere, ſed & modum viuendi ipſorum obſeruare, agit Suarez *ſuprà num.*9. *& ſequentibus*. Quando autem cenſeatur Religioſus ratificare profeſſionem aliàs inualidam, dixi eo *num.*9. De quo etiam Leſſius *ſuprà*, & Bonacina *d. diff.*5. *num.*2. Similiter, qualiter ad ratificationem talis profeſſionis inualidæ ob defectum aliquem temporalem probabile ſit non requiri nouum conſenſum Religionis, dixi eo *cap.* 2. *num.*7. De quo etiam Peyrinis *ſuprà num.* 146. Tamburinus *ſuprà quæſit.* 23. Bordonus *ſuprà n.*74. poſt Azorium, Sanchez, Rodriguez, Suarez, & Vecchium. Quod intellige pro caſu quo Religio tempore profeſſionis inualidæ verum conſenſum habuerit. Si enim antea non conſenſit, ſed potiùs reſtitit, neceſſarium videtur quod de nouo habeatur conſenſus illius. Idem Bordonus *dicto num.* 74. *& num.* 60. Illud certius, in ratificatione profeſſionis antea inualidæ opus non eſſe iteratione Cæremoniarum, quæ ex conſuetudine, vel Conſtitutionibus Religionis adhiberi ſolent. Tum quia non ſunt de ſubſtantia. Tum quia neque iteramus benedictiones in Matrimonio antea inualidè celebrato: tum quia iſtæ antea adhibitæ fuerunt. Peyrinis *ſuprà num.*151. Bonacina *ſuprà num.*4. ex Nauarro, Azorio, & Sanchez.

Secundò animaduertendum, quod pro nulliter profeſſis Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regularib. cap.* 19. hæc ſtatuit: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi antè habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcunque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur. Interim verò nullo priuilegio ſuæ Religionis iuuetur.* Circa quod Decretum, præter dicta *dicto cap.*2. *n.*7. *&* 8. & *ſuprà verbo Cauſa Iudicialis Regularium*, *num.*9. & *verbo Epiſcopus quoad Regulares*, *num.*11. *&* 12. & *ſuprà verbo Nouitij*, *& Nouitia Regularium*, vlteriùs animaduertendum, iuxta dicta loco immediatè relato, diſpoſitionem iſtam Concilij non ſolùm habere locum in impedimentis ibi expreſſis, ſcilicet vis, metus, & defectus ætatis; ſed etiam in aliis ſimilibus. Tum quia illa ponuntur exempli gratiâ, non autem ad excludenda alia, cum exempla regulam non reſtringant, *l. damni infecti*, *ff. de damn. inf.* Tum quia hoc indicat illa particula, *aut quid ſimile*. Item illa *quacunque de cauſa*, in ſupradicto capite expreſſa: aliter eſſent ſuperfluæ, quod dicere magnum abſurdum eſt; in Iure enim neque vna ſyllaba ſuperfluere debet. Gloſſa *verb. tanquam*, *cap. ſolitæ*, *de maior.* Tum quia terminus *quicunque*, propter eius generalitatem comprehendit caſus etiam ſimiles, vt habet Gloſſa *verb. quamuis*, *initio Clem.*1. *de ſent. & re iud.* Bordonus *reſolution.*23. *num.*3. ex Sanchez, & aliis. Procedit autem hæc diſpoſitio Concilij ſolùm in reclamantibus de nullitate profeſſionis propter impedimenta temporalia, non propter impedimenta perpetua. Qui enim cum impedimento perpetuo profeſſi ſunt, etiam elapſo quinquennio audiri poſſunt. Ratio eſt, tum quia quod fauore alicuius introductum eſt, in ipſius damnum retorqueri non debet, *l. quod fauore*, *Cod. de leg. & Regul.* 21

quod

Digitized by Google

quod in gratiam, de Reg. iur. in 6. Si autem Religioſus laborans perpetuo impedimento dirimente profeſſionem è Religione exire non poſſet, Religio detrimentum pateretur, quia cogeretur retinere perpetuò inhabilem, quod videtur contra Concilij mentem, cùm hoc Decretum in fauorem Religionis ediderit. Tum quia Concilium denegat audiri poſt quinquennium, quia præſumit Religioſum conſenſiſſe; hæc autem ratio ceſſat in habente perpetuum impedimentum, cum ipſius conſenſus validus eſſe non poſſit. Tum quia ſequeretur mulierem, quæ mentito ſexu profeſſionem in Monaſterio emiſit, cogi in eodem Monaſterio remanere, quod eſt abſurdum. Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de Regular. in 1. edit. conſil. 5. num. 12. & conſil. 25. num. 1. & vlt. & in 2. conſil. 26. num. 2. & conſil. 48. num. 2. & fin.* Sanchez *lib. 5. de Matrim. diſp. 37. num. 32. & 33.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 5. n. 7. 8. & 9.* Sanctarellus *quæſt. 48. num. 36.* Bonacina *dicto punct. 10. difficult. 4. num. 7.* Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcopi, alleg. 104. num. 20.* Theſaurus *in Praxi, part. 2. verbo Profeſſio, cap. 1. §. amplia ſecundo.* Idem dico de habentibus impedimentum temporale durans etiam poſt quinquennium, ſi illud irritet profeſſionem, vt ſi profeſſi ſunt ex metu, vel cum defectu ætatis, & hæc etiam durent poſt quinquennium. Quia cum Tridentini Decretum fundetur in præſumptione ratificationis profeſſionis irritæ, cum talis ratificatio eo tempore eſſe non poſſit (quia, vt diximus, ea impedimenta, quæ inualidant profeſſionem expreſſam, inualidant etiam tacitam) ceſſat præſumptio Concilij. Sanchez *ſuprà num. 34.* Portellus *ſupra verbo Profeſſionis nullius reclamatio, num. 52.* Cum etiam eo *cap. 2. num. 7.* dixerim, non obſtante taxatione quinquennij à Concilio facta, audiri poſſe reclamantes poſt illud, ſi legitimas cauſas allegauerint, ob quas non potuerint intra prædictum tempus reclamare, ideo probabiliter ſatis, non reclamantem intra quinquennium, vel quia fuit impeditus, vel quia ignorauit iuſta ignorantia ſuam profeſſionem eſſe irritam, poſſe reclamare etiam poſt quinquennium, reſoluunt non ſolùm Nauarrus eo loco relatus, ſed etiam Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 4. quæſt. vltim.* Sanctarellus *dicta quæſt. 48. n. 3.* Diana *3. part. tract. 2. reſol. 53. & 65.* Paſqualigus *deciſ. 432.* & maximè Suarez *dicto cap. 4. num. 6.* Propterea ſubdens, quod licèt Concilium dicat, quinquennium eſſe computandum à die profeſſionis, intelligendum eſt per ſe; per accidens verò, interueniente ignorantia probabili, computandum eſſe à die quo cœpit quis habere ſcientiam de nullitate profeſſionis. Quod confirmatur, quia Concilium voluit concedere quinquennij tempus habile ad ratificandam profeſſionem, ſed quandiu ignoratur nullitas profeſſionis, non poteſt ratificari, ergo non debet tempus illud in hoc quinquennio computari. Suarez *ſuprà.* Vide tamen circa hoc aliquas declarationes Sacr. Congregat. quas referunt Barboſa *in prædictum locum Concilij,* & Sanctarellus *ſuprà.* Attende etiam ad praxim, & ſtylum Curiæ, quia talis eſt, vt quoties elapſo quinquennio quis vult dicere de nullitate, adit Pontificem, vel Sacram Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationem, & allegato iuſto impedimento non reclamandi intra tale tempus, illiſque ſummariè cognitis, impetrat talem facultatem, per viam ſaltem extraordinariam reſtitutionis in integrum. Portellus *ſuprà verbo Profeſſionis nullius reclamatio, n. 45.* Nouarius *in Lucerna, verbo reclamare, n. 5.* Nota autem tale impedimentum, vel ignorantiam reclamandi intra quinquennium, minimè probari iuramento ipſius reclamantis. Sanchez *dicta diſp. 37. n. 34.* Rodriguez *in addit. ad Summ. cap. 65. num. 6.* Nouarius *ſuprà num. 6.* Comprehenduntur quoque ſub iſto Decreto Milites S. Ioannis Hieroſolymitani, prout conſtat ex declaratione S. Congreg. quam referunt Barboſa *ſuper illud,* & Suarez *ſuprà num. 10.*

Circa circumſtantias autem prædicti quinquennij ad 22 reclamandum nota, quod illud in profeſſione expreſſa incipit per ſe, vt dixi, à die quo quis illam emiſit, in tacita verò à die, quo fecerit actus ſolummodo profeſſis proprios, quibus inducitur. Barboſa *dicta allegat. 104. num. 16.* ex Miranda, Azorio, & Bonacina, quos etiam ſequitur Nouarius *ſuprà num. 2. & 3.* [Si autem quæras an dies ipſa profeſſionis computetur in quinquennij ſpatio. Reſpondeo affirmatiuè, eo quod tempus in materia iuris alteri contraria debet eſſe completum, & computandum non ſolùm de die in diem, ſed à momento in momentum, *l. 3. §. Minorem, ff. de minorib.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. diſp. 6. quæſit. 25. num. 6.* conformiter ad doctrinam Sayri, Sanctarelli, Bonacinæ, & aliorum, quos refert.

Vnde ſolus Ordinarius non poteſt proceſſum talis nullitatis facere ſine dicto Prælato Regulari. Portell. *in Reſponſionib. Moral. tom. 2. caſu 14. quæſt. 2. & caſu 93.* vbi agit de quodam Ordinario, qui excommunicauerat Prælatum cuiuſdam Religionis, eo quòd nollet tradere illi quendam Religioſum propter crimina ab ipſo commiſſa in carcere detentum, qui prætendebat ſe nulliter profeſſum.] Quoad eos autem coram quibus facienda eſt huiuſmodi reclamatio de nullitate, nota ex declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Barboſa *ſuper illud cap. Concilij, & in Collectaneis Bullarij verbo Profeſſio Regularis,* Tamburinus *ſuprà quæſit. 26.* ac Nouarius *ſupra verbo Profeſſio,* eam fieri debere coniunctim coram proprio Superiore Regulari illius Monaſterij, in quo profeſſionem emiſit, & coram Ordinario illius loci, vbi Monaſterium exiſtit. Si autem huiuſmodi cauſæ intra biennium non determinentur, ad Iudices Superiores trahi poſſunt, iuxta Decretum eiuſdem Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 20.* Niſi aſſignentur cauſæ legitimæ, propter quas non ſunt definitæ. Ita enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas ex Acmendariz, Leone, Riccio, & Barboſa retuli *ſuprà verbo Cauſa iudicialis Regularium, num. 9.* Quomodo autem facienda ſit huiuſmodi reclamatio cum habitu, dixi in *cap. 1. num. 8.* De quo etiam Diana *ſuprà dicta reſolut. 53.* & Tamburin. *ſuprà num. 2.* [Notat autem idem Tamburinus *quæſit. 55. num. 10.* reclamantem ſcienter contra profeſſionem validam, & reſiliendo propterea à Religione, cenſeri debere vt apoſtatam, quia iniuſtè, & illegitimè recedit à Religione, in qua validè profeſſus eſt.]

Nota quartò, profeſſionem quomodocunque inua- 23
lidam non validari præcisè propter curſum temporis, ſi de nouo non ratificetur. Ita enim habetur expreſsè ex Regula Iuris *in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit.* Confirmatur à ſimili de matrimonio; quod enim à principio ſemel nullum fuit, non incipit eſſe validum ſolùm propter fluxum temporis. Suarez *ſuprà cap. 1. num. 3.* Peyrinis *ſuprà num. 143.* Tamburinus *ſuprà quæſit. 17. num. 1.* Deinde profeſſionem quomodocunque inualidam, ex vi ſua nullam inducere obligationem in profeſſo ad vota, Regulam, Conſtitutiones, &c. Ratio eſt, quia obligatio hæc ſolùm eſt effectus profeſſionis validæ. Bonacina *ſuprà difficult. 1. num. 1.* ex Nauarro, Henriquez, Sanchez, & aliis. Dixi ex vi ſua, quia ratione alterius circumſtantiæ fieri poteſt, vt obligetur ad illa profeſſus, vt ſi ſcandalum præbeat, Regulam, aut vota coram aliis non ſeruando. Quilibet enim tenetur ſcandali occaſionem præcauere. Ita relati Auctores. Quamvis autem iidem Auctores, & alij, ſpecialiter Leſſius *lib. 2.*
cap. 41. dub. 7. num. 63. & Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 5.* 2
num. 7. ſupponentes prædictum Religioſum inualidè profeſſum cogi non poſſe ad ratificandam profeſſionem (prout eſt certum, ſiquidem profeſſio debet eſſe actus omninò liber, & abſque vlla coactione) conſequenter etiam, & ſatis probabiliter ſupponant, quòd

ſi nolit ſpontaneè ratificare profeſſionem inualidam, poſſit intra quinquennium auctoritate propria dimittere habitum, fugere è Religione, & ducere vxorem, ſecluſo tamen ſcandalo, vel aliis circunſtantiis extrinſecis; imò & Prælatum id ſcientem poſſe illum occultè dimittere. Hæc tamen limitanda ſunt primò, quando inualidè profeſſus eſt certus de inualiditate ſuæ profeſſionis, quando enim dubius eſt de illa, tenetur iudicare in fauorem Religionis, quæ poſſidet ipſum, iuxta dicta *ſuprà verbo Dubia Regularium*, *num.* 16. & tenent Sanchez *dicta diſput.* 37. *num.* 52. & Suarez *ſuprà cap.* 2. *num.* 6. Secundò, id etiam limitari debet pro caſu quo ille non poſſit probare coram Eccleſia inualiditatem ſuæ profeſſionis, ſi enim illam probare poteſt, debet vti remedio à Concilio deſignato, ſcilicet reclamando coram Ordinario, & Superiore ſuo. Licèt enim hoc Decretum probabiliter ſatis intelligatur ab Auctoribus relatis ſolùm pro foro externo, non pro interno, aut foro conſcientiæ; probabilius tamen eſt oppoſitum, non ſolùm propter pœnas, quas Concilium aſſignat, ſcilicet quod habeatur vt apoſtata, & quod nullo Religionis ſuæ priuilegio fruatur; quæ pœnæ cum ſint graues nimis, ſupponere videntur culpam in foro conſcientiæ, ſed etiam quia actus illi per ſeſe videntur pernicioſi bono communi, atque contra ius Religionis, vel ſaltem contra iuſtitiam legalem, quia quando aliquis habet ius ad rem, vel in re, quam alius poſſidet, præſertim iuſtè, non poteſt ſua auctoritate illam vſurpare, ſed debet vti auctoritate Iudicis, quando commodè poteſt. Quia oppoſitum eſt contra bonum ordinem Reipublicæ, & non per accidens, ſed per ſe inferre poteſt ſcandalum, & perturbationem. Ita Suarez *ſuprà cap.* 3. *num.* 11. Idem quoque videtur dicendum etiam poſt expletum quinquennium, in caſu ſcilicet quo illi permittatur reclamare, ſaltem per viam extraordinariam reſtitutionis in integrum. Quia ratio tradita etiam probat pro eo tempore. Caſu tamen quo talis reclamatio non ſit tunc poſſibilis, probabile eſt quod Auctores ſuprà relati tenent, ſcilicet quod cum Decretum Concilij fundetur in præſumptione, qua ſupponitur in foro externo profeſſionem illam inualidam, ſaltem tacitè ratificatam fuiſſe à profeſſo, ideo ſi inualidè profeſſus certò ſciat nunquam eam ratificaſſe, ac per conſequens Iuris præſumptionem falſam eſſe, in conſcientia obligatus non eſt ad manendum in Religione, ſed per ſe loquendo, ſi graue ſcandalum, aliudve maius incommodum ſecutum non ſit, dimiſſo habitu occultè fugere, atque vxorem ducere non prohibetur, aut à Prælato occultè dimitti, ſcandalo ceſſante. Quemadmodum, iuxta plurium ſententiam, iudex, qui alioquin contra allegata, & probata abſoluere non poteſt, ſi tamen publicè conuictum reum certò ſciat innocentem eſſe, poteſt ei occultè fugiendi aditum patefacere, modo ſcandalum abſit. Ita Layman. *ſuprà* ex relatis Auctoribus. Vide & Sanctarellum *dicta quæſt.* 48. *à num.* 18.

Caſu verò, quo prædictus Religioſus inualidè pro-
24 feſſus non poſſit inualiditatem ſuæ profeſſionis in foro
externo probare, nec è Religione exire, aut occultè
dimitti, propter ſcandalum, quod inde ſequetur, vel
aliam impoſſibilitatem, tenetur ſuam profeſſionem ra-
tificare, ſeu inualidare, iuxta dicta *cap.* 2. *relato*, *num.* 7.
Ratio eſt, quia licet abſolutè, per ſe, & ex natura
rei nullus poſſit cogi ad Religionem profitendam, cum
iugum Religionis ſit valdè oneroſum, iis præſertim,
qui illud ſponte non recipiunt; nihilominus per acci-
dens, ſcilicet ad maiora vitanda incommoda, & pro-
pter commune bonum, ad id obligari poteſt, qualiter
contingit in propoſito. Primò, propter dicta eo *num.* 7.
ſcilicet ad vitandam fictionem, & deceptionem, non
ſolùm Religionis, ſed & totius Eccleſiæ. Cùm enim
illa eum habeat pro vero profeſſo, ipſe etiam ſe verum
profeſſum eſſe procurare debet. Secundò, ad vitanda
grauia pericula, quibus ſe exponit manendo in Religio-
ne, non ratificata profeſſione. Nam quæ propria ſunt
profeſſorum, & profeſſionem ſupponunt, itavt ſolis
profeſſis conuenire poſſint, cum ipſorum præiudicio
exequi, & ſubire cogetur, itavt ſine ſcandalo ea recuſa-
re non poſſit. Rodriguez 2. *tom. Summa*, *cap.* 92. *concl.* 5.
Suarez *ſuprà cap.* 2. *num.* 7. & 9. Bonacina *dicta diffi-
cult.* 5. *num.* 2. Vecchius *ſuprà diſp.* 54. *dub.* 2. Bordonus
ſuprà reſol. 8. poſt alios.

Bona autem profeſſorum propria, & quæ non pro- 25
feſſis nullatenus conueniunt, ſed peccant illa vſurpando, ſunt. Primò, ali bonis, redditibus, ſeu eleemoſynis Religionis. Licet in hoc excuſari poſſint tales fictè profeſſi, ſi obſequia, quæ ipſi præſtant Religioni, ipſis æquiualeant. Secundò, habere locum, & præcedentiam inter profeſſos. Tertiò, poſſe confiteri ſua peccata Sacerdoti approbato ſolùm à Superiore Regulari, & non ab Epiſcopo, ſeu Ordinario. Quartò, frui priuilegiis Religionis, quæ ſolùm veris profeſſis conceſſa ſunt. Neque obſtat, ea etiam, iuxta dicta *ſuprà verbo Nouitij*, & *Nouitia Religionum*, *à num.* 34. extendi quoque poſſe ad Nouitios. Nam iſti fictè profeſſi non ſunt Nouitij, cùm non ſint in probatione, nec vt tales à Religione habeantur, nec veri profeſſi, vt ſupponitur, ſed ſolùm falſi, intruſi, & ſuppoſititij profeſſi contra voluntatem Eccleſiæ, & Religionis. Verum quidem eſt, poſſe dici frui prædictos illis priuilegiis, quæ Religioni conceſſa fuerint pro ſuis commenſalibus, & domeſticis. Sed iſta pauca ſunt. Quintò, diſponere de bonis ſuis, iuxta Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. Sextò, ſpecialiter, ſi fuerint Choriſtæ, vel Choro deſignati, habere vocem actiuam, & paſſiuam in electionibus. Septimò, ordinari ad titulum paupertatis profeſſæ, & non alicuius beneficij, aut patrimonij. Octauò, ordinari per dimiſſorias conceſſas à Prælatis Regularibus. Nonò, admitti ad gradus, & honores Religionis. Decimò, eligi ad officia, & dignitates Religionis. De quibus omnibus Sanch. *dicta diſp.* 37. *num.* 37. 42. & 43. ex Nauarro, & Rodriguez. Peyrinis *ſuprà num.* 141. Bordonus *ſupra num.* 31. & *ſequentibus.* Apud quos alia ad intentum. Vide aduertentiam pro Dominis Epiſcopis conferentibus Ordines Regularibus, quam retuli *ſuprà verbo Ordines Sacri*, *num.* 17.

Pro caſibus, in quibus profeſſio inualida obligat, 26
ſaltem vt totum ſimplex, ad promiſſa, vide dicta *tom.* 1. *part.* 1. relato *cap.* 2. *num.* 28. cum Auctoribus, quos ibi refero. Alia quoque ad intentum habebis *infra verbo Vota Regularium.*

Iungendum dictis votum, quod dedi circa præce- 27
dentiam cuiuſdam Religioſi, qui cum proteſtatus eſſet de nullitate ſuæ profeſſionis, poſtea eam ratificauit, & confirmauit: quærebatur enim à quo tempore accipienda eſſet talis præcedentia, an à die profeſſionis emiſſæ, an à die ratificationis, ſeu confirmationis. Quod tale fuit.

Si prædictus Monachus ſuam profeſſionem ratificaſ- 28
ſet, ob defectum anni Nouitiatus non habiti in loco
deſignato à Sede Apoſtolica, proculdubio eius anti-
quitas, ſeu præcedentia ſumi deberet à tempore pro-
feſſionis emiſſæ. Ita enim ſtatuit pro illis, qui præfa-
tum Nouitiatus annum in locis deſignatis à Sede Apo- 29
ſtolica non peregerant, quando ſuam profeſſionem ra-
tificaſſent, Vrbanus VIII. litteris datis 11. April. 1631.
quas refero *tom.* 1. *Summa*, *cap.* 24. *num.* 54. Quia tamen
ratificatio profeſſionis huius Religioſi non fuit ob
prædictum defectum, ſed prætendebat ſe coactione, vi,
& metu talem profeſſionem emiſiſſe, ideo ſtandum erit
iuri communi, & non prædictis litteris Vrbani. Sup- 30
pono autem profeſſionem dicti Religioſi inualidam
fuiſſe. Ita enim ipſe confeſſus eſt, vt patet ex caſu rela- 31
to. Confeſſione autem partis non poteſt afferri melior

probatio

32 probatio, *l. cum precum, C. de liberal. cauſ.* Gabr. *de conf. concl. 4. num. 5. & ſeq.* Rota coram Ludouiſio *deciſ. 200. num. 2. & deciſ. 458. num. 3.* ac in vna Colonien. *præcedentia*, 9. Iunij 1627. *num. 2.* coram Vbaldo. Accedit, quod credere præſumitur quis, etiam in foro con-
33 ſcientiæ id, quod verbis exprimit, Bald. *in Margar. verbo credulitas, verſ. 2.* Bertachinus *in repertorio, verbo credo.* Item credendum eſt cuilibet in arte ſua. Bertachin. *ibid.*

Nec obſtat ſi reſpondeat deceptum fuiſſe, exiſtiman-
34 do fuiſſe talem coactionem, vim aut metum in ſua profeſſione. Quia qui nimis credulus eſt, ſibi imputare debet, *l. miles, §. pen. ff. de adult. authent. hodie, C. eod. cap. relatum, qui filij ſint legitimi, l. nimia credulitate, C. de act. & obligat.*

35 In iure ergo communi ſtando, ſi non obſtant Conſtitutiones præfatæ Religionis, videtur ſolùm ſumendam eſſe antiquitatem, ſeu præcedentiam huius Religioſi à die ratificationis ſuæ profeſſionis. Ratio eſt, quia antiquitas, ſeu præcedentia in Religione ſolùm ſumitur à tempore, quo aliquis eſt verè Religioſus,
36 nullus autem conſtituitur verè Religioſus, niſi per legitimam, & veram profeſſionem, *cap. 1. de Regularib. in 6. cap. porrectum, de Regularib.* Gloſſa *in cap. vidua, eod. tit.* Nauar. *lib. 3. conſil. de Regularib. conſ. 17. num. 1.* Ergo ſolùm à tempore ratificationis profeſſionis ſumenda eſt
37 antiquitas, & præcedentia. Confirmatur, quia antiquitas, & præcedentia in Religione ſolùm ſumitur à tempore, quo aliquis incipit eſſe Regularis illius Religionis, *l. 1. ff. de alb. ſcribendo, arg. cap. 1. & cap. ſtatuimus, de maioriu. & obedient.* Nauarrus *ſuprà conſil. 60.* Rodrig. *tom. 3. quæſt. regular. quæſt. 55. art. 29.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. quæſt. 31. art. 23.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 86.* Bordonus *reſol. 39. num. 84.*
38 propterea aſſerentes (vt ego *tom. 1. cap. 22. num. 17.*) quod tranſeuntes ex vna Religione ad aliam, ſolùm debent habere præcedentiam à die profeſſionis emiſſæ in poſteriori Religione, quia ſolùm ab eo tempore ſunt Religioſi illius, & numerantur inter membra ipſius. Quod etiam procedit in noſtro caſu. Siquidem iſte Religioſus non incepit eſſe Religioſus huius Religionis, niſi à tempore ratificationis profeſſionis, quæ fuit vera profeſſio, non verò à tempore profeſſionis, quam ipſe confeſſus eſt fuiſſe inualidam ob metum, coactionem, &c. Confirmatur vlterius ex eo, quod non en-
39 tis nullæ ſunt qualitates, *l. eius qui in Prouincia, ff. ſi cert. pet. cap. bona, de elect.* Cum ergo dicta profeſſio inualida fuerit, nullum pariet effectum antiquitatis, vel præeminentiæ: fauet huic doctrinæ Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſp. 37. num. 68.* dum inquit, nulliter profeſſum, ad hoc vt gaudeat antiquitate exiſtimatæ profeſſionis, teneri impetrare diſpenſationem, & abſtinere ab iis, quæ ſibi ratione talis antiquitatis competebant, ſi ſine nota id facere poteſt: fauet etiam Bordonus *reſol. 8. num. 67.* dicens ex Sellio, & Barboſa id deciſum, videlicet nulliter profeſſum, quando ratificat profeſſionem, debere ſedere iuxta ſecundam profeſſionem, quod idem dicit *num. ſequenti* de aliis iuribus, & priuilegiis profeſſionis.

40 Nec obſtat regula illa iuris *num. 10.* vbi habetur, *ratihabitionem retrotrahi ad diem, ſcilicet actionis, quæ ratificatur*, ex quo videtur colligi ratificationem talis profeſſionis, cum retrotrahatur ad diem profeſſionis inualidæ, poſſe frui priuilegiis, quibus frueretur, ſi talis
41 profeſſio valida fuiſſet. Reſpondeo enim ratihabitionem iſtam non retrotrahi, aut habere ſuum effectum, quando per illam fit præiudicium tertio, prout contingere videtur in præſenti, ſiquidem Religioſi illi, qui profeſſi fuerunt ante dictam ratificationem, habent ius ad prætendendum antiquitatem, & præcedentiam ſuprà prædictum Religioſum ratificantem ſuam profeſſionem inualidam, argumento legis *ſi partem, §. vlt. ff. quemad. ſeruitutes, cap. ſi pro te, & cap. quamuis, de reſcriptis in 6.* prout ex variis auctoribus refert Barboſa *in collectaneis Doctorum ſuper dictam regulam decimam, num. 7. 8. & 9.*

Nec etiam obſtat, quod Religio quantum eſt ex 42
parte ſua acceptauerit præfatum Religioſum ad ſuam antiquitatem, & præcedentiam à tempore primæ profeſſionis. Quia cùm id fuerit ex errore, ſeu exiſtima- 43
tione, quod talis profeſſio fuerit valida, nihil iuuare poterit illum, præſertim in præiudicium aliorum Religioſorum, vt dictum eſt.

Nec denique obſtant Nauarrus *lib. 3. conſiliorum de* 44
Regularibus, in prima editione, conſ. 46. num. vltim. & Bonacina *de clauſura quæſt. 2. punct. 10. difficult. 1. num. 6.* dum credunt Religioſum, qui profeſſionem nullam ratificauit, frui poſſe priuilegiis Religioſis, ac ſi ab initio validè illam emiſiſſet; quia ſolùm videntur loqui in foro forſan conſcientiæ, non quando res eſt deducta ad forum externum, ſeu aliis Religioſis ignorantibus nullitatem profeſſionis, vt inquit ipſe Bonacina. Meliùs tamen dicam eorum ſententiam non eſſe veram.

PROFANATIO SACRORVM.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Profanatio Sacrorum eſt ſacrilegium.*
3 *Quando liceat.*

DE hac re aliqua dixi *ſuprà verbo Monaſteria Re-* 1
gularium, num. 38. & 45. & *verbo Paramenta Eccleſiaſtica*, & dicam *infrà verbo vaſa Sacra*, & *verbo Veſtes Sacra.* Alia quoque in præſenti dicenda, conformiter ad declarationes aliquas S. Congreg. quæ circumferuntur. Ex quibus aliqua pro Regularibus vtilia haberi poſſunt.

Primò ergo nota, quod prophanare Sacra eſt ſacri- 2
legium, vtpote quia eſt contra reuerentiam debitam rebus Sacris. Naldus *in Summa, verbo Sacrilegium, num. 2.* Vnde ex Abbate infert, quod ſacrilegium etiam ſit, ſi res aliena inuito, vel ignaro ipſius domino effecta ſacra, poſtea deſecraretur, quia potiùs in hoc caſu eſſet ei ſatisfaciendum de ſuo intereſſe, relinquendo ipſam durare Sacram.

Secundò nota, quod cum iuxta præſcriptum Con- 3
cilij Tridentini *ſeſſ. 21. cap. 7. de reformatione*, Epiſcopis liceat aliquando Eccleſias aliquas dirutas in prophanos vſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, conuertere, ideo Prælati Regulares, qui habuerint iuriſdictionem Epiſcopalem in populum, id etiam facere poterunt. Quod qualiter ſit intelligendum, habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas refert Barboſa in *locum Concilij relatum, & in Collectaneis Bullarij verbo Profanare.* Ex declaratione etiam Sacræ Congregationis apud Nouarium *in Lucerna Regularium, verbo Profanatio, num. 1.* conceditur ex cauſa profanatio Clericis Regularibus Societatis IESV. Item ex declaratione etiam Sacræ Congregationis, quam refert idem Nouarius *ibidem num. 2.* conceſſa fuit profanatio domorum, in quibus Moniales habitarunt, & diuina officia recitarunt, ac Miſſas celebrari fecerunt.

PROTECTORES ORDINVM.

De illis ad ſufficientiam dictum eſt *tom. 1. part. 2, cap. 9. per totum*, & *ſuprà verbo Cardinales*, & ideo pro nunc ſuperſedendum.

QVARTA FVNERALIS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Quarta funeralis quid ſit.*
3 *Ad illam an teneantur Religioſi, præcipuè Mendicantes.*
4 *Priuilegia ipſorum moderata à Concilio Tridentino.*
5 *Quomodo intelligendum.*
6 *De priuilegiis Mendicantium ex Pio V.*
7 *Quæ Monaſteria eam ſoluant.*
De quibus rebus. ibid.
8 *Quid de Monaſteriis Monialium.*
9 *An debeatur ex iis, quæ alio die, præter quam in die ſepulturæ offeruntur.*
10 *Caſus, in quibus non debetur.*
11 *Pœnæ, quas incurrunt Ordinarij cogentes Regulares ad illius ſolutionem, quando non debetur.*

1 DE hac etiam materia nonnulla dixi *tom. 1. part. 1. cap. 3. num. 13. & part. 2. cap. 1. num. 29. & 30.* Deſeruiunt etiam ad intentum dicta *ſuprà verbo Canonica portio.* Alia tamen addenda pro materiæ ampliori notitia.

2 Quarta funeralis eſt quarta pars illorum bonorum, quæ parochiani relinquunt, vel offerunt ratione funeris cum extra Parochiam propriam ſepeliuntur. Clement. *Dudum, de ſepultur.* Ioannes de Cruce *de ſtatu Religionis lib. 2. cap. 9. dub. 5.* Tamburin. *de iure Abbatum tom. 1. diſp. 15. quæſtio 17. num. 1.* Vocatur etiam quarta parochialis *cap. 1. & cap. relatum, de ſepultur. & in cap. 2. eod. tit. in 6. & dicta Clem. Dudum*, §. *verùm*, & vtrobique Doctores *de Sepultur.* ex eo ſcilicet, quod debita ſit Parocho propter Sacramenta, quæ miniſtrat ſuis parochianis, ideſt, propter onus, quod in eorum adminiſtratione ſubit, *cap. 1. cap. relatum, cap. de his, de ſepultur.* Tamburinus *ſuprà num. 2.*

3 Etſi autem Religioſi omnes, etiam Mendicantes, teneantur iure communi ſoluere quartam funeralem: ita enim habetur in Clem. citata, vbi etiam reuocantur conſuetudines, & priuilegia illuc vſque conceſſa, & conuentiones, ſtatuta, & pacta, ac per conſequens hoc tempore Religioſi non habentes aliquod priuilegium ad illam teneantur, prout notat Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib. 3. cap. 24. num. 13. & 14.* Nihilominus plures Religioſi habent talia priuilegia, & ita nec ipſi, nec illi, qui cum illis communicant in priuilegiis, eam ſoluere tenentur. Hi ſunt Carmelitæ, propter priuilegium Nicolai V. quod retuli ad verbum *ſuprà verb. Canonica portio, n. 7.* & quod eſt copioſius, & melius, vt habent Caſſarubius, Rodriguez, & Miranda eo loco relati. Deinde Benedictinis Congregationis S. Iuſtinæ, ex Eugenio IV. in Bullario Rodriguez *Bulla 15.* & apud Tamburinum *ſuprà n. 6.* Qui etiam refert hoc priuilegium communicari Monachis Vallis Vmbroſæ, & Cœleſtinis. Prædicatores etiam, Minores, & Carmelitæ habent ſimile priuilegium à Sixto IV. vt patet ex Miranda *tomo 2. quæſt. 48. art. 6.* & Ioanne de Cruce *ſuprà.* Similiter noſtri Patres Diſcalceati poſt contradictorium iudicium à ſolutione prædictæ quartæ exempti ſunt per Clementem VIII. in Bulla *Quod ſemel*, in Bullario Rodriguez in eodem Clemente *Bulla 26.* Ioannes de Cruce *ſuprà.*

4 Hæc verò priuilegia, & alia à prædictis Auctoribus relata, & ante Concilium Tridentin. conceſſa, aliquatenus moderata ſunt ab eodem Concilio *ſeſſ. 25. cap. 13.* vbi ſic habetur: *Decernit S. Synodus, vt quibuſcunque in locis iam ante annos quadraginta, quarta quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocunque priuilegio, aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcunque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro iure, & eadem portione, qua antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcunque.*

Ex hoc autem Concilij Decreto inferuntur aliqua ad intentum. Primum, ea Monaſteria, quæ 40. annis ante Concilium ſolita erant ſoluere dictam quartam, teneri etiam nunc ad eam, non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis. Ita enim habetur expreſsè in dicto Decreto. Secundum, quod illa Monaſteria fundata ante Concilium, quæ ſolita non erant per 40. annos ſoluere dictam quartam, hodie non teneantur ad illam. Quia ita etiam habetur in Decreto Concilij adducto. Tertium, quod Monaſteria fundata ante Concilium citra 40. annos non teneantur ad illam; quia Concilium ſolùm loquitur de Monaſteriis fundatis ante Concilium ante quadraginta annos, non citra. Quartum, quod Monaſteria fundata poſt Concilium, aut in poſterum fundanda, non teneantur ſoluere dictam quartam, quia nullo modo comprehenduntur in Decreto Concilij. Quod ſolùm loquitur de fundatis ante ipſum, & quæ ſolita erant illam ſoluere, quod non poteſt competere Monaſteriis fundatis, aut fundandis poſt Concilium. Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regul. quæſt. 39. art. 2.* Miranda *in Manuali tom. 2. quæſt. 48. art. 7.* Ioannes de Cruce *ſuprà*, Portellus *in Dubiis Regul. verb. Canonica portio, num. 1. & ſeqq.* Naldus *in Summ. verb. Sepultura, num. 1.* 5

Id verò ita obſeruandum eſſe colligitur primò pro Mendicantibus ex Bulla Pij V. *Etſi Mendicantium*, paucis annis poſt ipſum Concilium edita, de qua dixi *tomo 1. part. 2. cap. 1. num. 12.* ibi enim ſic habetur ad intentum: *Quartam autem funeralium, de qua ſeſſ. 25. c. 13. nequaquam ſoluere teneantur Monaſteria, quæ à 40. annis citra fundata exiſtunt. Poſtquam Concilium ipſum loquitur tantùm de Monaſteriis ante annos 40. fundatis, quæ ipſam quartam ſoluere conſueuerunt.* Hæc autem Conſtitutio Pij V. reuocata non eſt à Gregorio XIII. per aliam Conſtitutionem, quæ incipit *In tanta*, quia iuxta dicta eo *cap. 1. num. 16.* ſolùm Gregorius reuocauit præfatam Conſtitutionem Pij V. quatenus per ipſam conceditur aliquid contrarium Decretis Concilij Tridentini, non tamen quatenus ipſa declarantur, prout infertur ex Rotæ deciſione in vna Licienſi, de qua infra, & præter Auctores à me eo loco relatos, tenet etiam Ioannes de Cruce *ſuprà.* Similia habentur in alia Bulla eiuſdem Pij V. *Ad hoc nos Deus*, in 2. tom. Bullarij Laërtij *ſub num. 41.* Colligitur ſecundò ex declaratione S. Congregationis, quam ex Rodriguez retuli loco relato ex primo tomo Summæ, qui eam authenticam monſtrat *ea quæſt. 39. art. 2.* Tertiò, ex alia declaratione S. Congregationis pro Ordine Minimorum, quam ex Quaranta *in Summa Bullarij, verbo Priuilegia Regularium*, eo etiam loco retuli. Quartò etiam, ex Paulo V. in Bulla *Decet Romanum*, pro Carmelitis, quam ibidem etiam retuli. Quintò ex Rotæ deciſione in vna Licienſi *Quarta funeralium*, coram Domino Coccino, quam referunt Barboſa *ſuprà num. 14.* & Tamburinus *ſuprà num. 7.* Aliam refert Caſſarubius *in Compend. Priuileg. Mendicantium, verbo Canonica portio, in fine.* 6

Illa autem Monaſteria, quæ quartam funeralem ſoluere tenentur, quia ſcilicet 40. annis ante Concilium illam ſoluere ſolita erant, licèt ſtando in iure communi eam ſoluere debeant de omnibus legatis factis Eccleſiæ, in qua quis ſepelitur, prout ex dicta Clement. *Dudum*, & aliis capitibus Tituli *de Sepulturis* inferunt Syluest. *in Summa, verbo Canonica portio, quæſt. 9.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 215.* Barboſa *ſuprà, num. 51.* his tamen temporibus, Mendicantes, & qui ipſorum priui- 7

legiis

legiis fruuntur, non tenentur illam ſoluere, niſi de his tantùm, quæ cum corpore defuncti deferri ſolent, vino ſcilicet, tritico, pane, cereis, &c. Portellus *ſuprà n.5.* Ita enim pro Mendicantibus declarauit Pius V. Bulla relata, vbi poſt verba adducta ſic habet: *Et vbi ſolui conſueuit id tantùm ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeu legatis, vel aliis Fratribus ipſis, ſeu Monialibus huiuſmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, ſolui debet; ſicque intelligi Decretum quoad quartam huiuſmodi ſoluendam debere decernimus. Vbi verò non eſt conſuetudo ſoluendi quartam huiuſmodi, de nullo ſupra ſcriptorum ſolui debere declaramus. Nec ad quartam, ſeu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum quæ dictis Eccleſiis relinqui, vel dari contigerit, etiamſi pro victu Fratrum*, aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur*, Similia habentur in alia Bulla eiuſdem Pij V. *Ad hoc nos*, quam ſuprà retuli. Ita etiam habet vſus, vt ex Cardin. *in Clement. Dudum, de ſepult. §. verùm*, notant Couar. *cap. vltim. de teſtam. num. 6. & 7.* Molina, Rodriguez, & Ioannes de Cruce *ſuprà*, ac Miranda etiam *ſupra art. 6.* Per quem vſum, vt credo, moderatum eſt priuilegium illud Nicolai V. pro Carmelitis, per ipſum enim eximebantur à ſolutione omnimoda funeralium, non obſtante Clementina *Dudum*, & aliis Conſtitutionibus. Rodriguez *ſupra*. Cum autem dico de cereis deberi dictam quartam, intelligi id debet de cereis, qui circa Crucem, vel cadauer deferri ſolent, maximè in Italia. Barboſa *ſuprà num. 41.* ex aliis. Qualiter autem eorum diuiſio facienda ſit cum Parochis in Vrbe, habes ex SS. D. N. Vrbani declaratione apud eundem Barboſam *num. 42.* De quo etiam dixi *tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 48.* Non de candelis, quas in manibus portant Religioſi in huiuſmodi funeribus, iuxta dicta eo *num. 48.* ex priuilegio Sixti IV. pro Minoribus. De quo idem Barboſa *ſuprà num. 39.* Idem quoque *num. 40.* referens declaratum à S. Congregatione de candelis, aut cereis Confraternitatum ſæcularium, aut locorum piorum aſſociantium funera.

8 Nota ſupradicta etiam habere locum in Monaſteriis Monialium. Quia Pius V. in vtraque Conſtitutione relata ipſarum expreſsè meminit. Portellus *ſuprà num. 8.* Etſi Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Quarta, num. 1.* oppoſitum teneat, niſi vbi adſit conſuetudo in contrarium.

9 Ex dictis autem infertur, non deberi dictam quartam ex iis, quæ alio die, præterquam in die ſepulturæ afferuntur, cùm illa non poſſint dici deferri cum corpore Defuncti. Et ita tenent Rodriguez, Molina, & Miranda *ſuprà*, poſt Panormitanum, & fauet Axor. *tom. 2. Inſtit. moral. lib. 9. cap. 13. §. funeralia.* Nota tamen Barboſam *ſuprà num. 38. & in Collectan. Bullar. verbo Quarta*, referre declarationem S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quæ aliquo modo huic doctrinæ contrariatur. Propterea cautè procedendum, ſi de dicta declaratione authentica conſtet.

10 Sunt etiam plures caſus, in quibus generaliter loquendo, ſecundum Doctores, non debetur dicta quarta à Monaſteriis, ſeu Eccleſiis. Primus, quando adeſt conſuetudo illam non ſoluendi, iuxta dicta *ſuprà verbo Canonica portio, num. 8.* Secundus, quando adeſt etiam priuilegium non ſoluendi illam, vt dictum eſt. Tertius, quando aliquid legatur in vſus priuilegiatos, de quibus *in cap. fin. de teſtam.* ſcilicet, prout ibi dicitur, *de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, ſeu fabrica, luminaribus, anniuerſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo die, ſiue aliis ad perpetuum cultum diuinum legantur Eccleſiis, &c.* Quartus, quando Eccleſiæ aliquid inter viuos donatur, ſeu quando legator in vita ſoluit legatum. Quintus, quando poſt electionem ſepulturæ Religioſus effectus eſt in illo Monaſterio. Sextus, quando quis legat Eccleſiæ, in qua non ſepelitur. Septimus, quando aliquis ſepelitur in Eccleſia contra voluntatem Religioſorum illius. Octauus, quando Eccleſia Parochialis eſt interdicta culpâ Parochi. Nonus, quando quis elegit ſepulturam in aliqua Eccleſia, ſed poſtea reuocauit eam electionem, & ſepelitur in alia. Decimus, quando, etſi elegerit, de facto tamen non ſepelitur in illa Eccleſia ex aliquo caſu. Vndecimus, cum legatur pro incertis malè ablatis. Duodecimus, quando legatur Eccleſiæ Parochiali quantum illi debebatur ratione quartæ. Tertius decimus, quando tempore teſtamenti, & legati non elegit ſepulturam, ſed poſtea tempore mortis, & hoc non in fraudem Parochiæ. Quartus decimus, cùm ille non potuit accipere per longum tempus Sacramenta, aut diuina à ſua Parochia. Quintus decimus, quando fit depoſitio funeris in aliqua Eccleſia ad tempus ſolùm. De his caſibus, eorumque explicatione, & limitatione, communiter Summiſtæ *verbo Canonica portio*, ſpecialiter Angelus *ibid. num. 14.* Syluest. *ſupra.* Molina *dict. diſp. 215.* Axor. *ſuprà, c. 12. & 13.* Rodriguez *d. quæſt. 39.* Miranda *d. quæſt. 48.* Portellus *dicto verbo Canonica portio, & in Additionibus ad illud, ac in Reſponſionib. moral. part. 2. caſu 25.* Barboſa *ſuprà num. 45. 46. 47. & 52.* Adde, nec deberi ex legatis particularibus Religioſis, quia Iura ſolùm loquuntur de legatis Eccleſiis, Sylueſter *ſuprà quæſt. 6.* Miranda *ſuprà art. 3.* [Pro Complemento Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium 19. Iulij 1641. pro PP. Conuentualibus declaraſſe Quartam funeralem deberi proprio Parocho defuncti, quando ſibi elegerit ſepulturam in Eccleſia Regulari; ſi tamen defunctus mortuus ſit extra propriam Parochiam, quartam deberi Parocho, in cuius Parochia mortuus eſt. Item 28. Martij 1642. nòn deberi Quartam, eo quòd corpus defuncti dum ad ſepulturam ferretur, tranſierit per aliam Parochiam.]

Pro pœnis, quas incurrunt Ordinarij cogentes Regulares ad ſolutionem quartæ, quando eam non debent, & qualiter tunc non teneantur coram ipſis comparere, vide Rodriguez *ſupra art. 9.* Mirand. *art. 14.* & Portellum *num. 11.* An poſſint renunciare illis, ſeu pacta facere circa ipſius ſolutionem, videantur Syluest. *ſuprà quæſt. 2.* Rodrig. *ſupra art. 8.* Miranda *ſuprà art. 11.* Portellus *ſupra num. 9. & 10.* alter Rodrig. *in Compend. quæſt. Regul. reſol. 18.* & Barboſa *ſuprà num. 34. & 35.* An dicta quarta debeatur ex iis, quæ Confraternitatibus relinquuntur, tractant Azor. *cap. 12. quæſt. 11.* Miranda *ſupra art. 3.* & maximè Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 75. num. 43. & ſequentibus.* 11

Deſeruit ad intentum huius materiæ ſententia quædam lata per Locumtenentem Auditoris Cameræ in fauorem PP. Cœleſtinorum circa exemptionem à *quarta funerali*, & ius deferendi defunctos ad ſuas Eccleſias, ſimulque S. Rotæ Romanæ deciſio confirmatoria dictæ ſententiæ; & ideo huic loco apponenda.

Sententia lata ſuper exemptione à ſolutione quartæ Funeralis, ac iure deferendi defunctos ad Eccleſias Cœleſtinorum ſine Capituli & Cleri conſenſu, ſeu interuentu.

In nomine Domini. Amen. Nouerint Vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum ſententiæ inſtrumentum inſpecturi, viſuri, lecturi, & audituri, quod nuper, ſeu aliàs introducta lite, & cauſa coram Perilluſtri, & Reuerendiſſimo D. Camillo Meltio I.V.D. Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Auditoris Cameræ in Ciuilibus Locumtenente, per viam Monitorij inter Admodum RR. Priorem & Monachos Monaſterij Sanctiſſimæ Annunciationis Ciuitatis Tarentinæ Congregationis Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti ex vna, & RR. Capitulum

pitulum

pitulum & Clerum eiuſdem Ciuitatis Tarentinæ de, & ſuper exemptione à ſolutione quartæ funeralis defunctorum, rebuſque aliis, de quibus in actis, & proceſſu cauſæ, & cauſarum huiuſmodi latiùs deductis, & illarum occaſione, partibus ex altera; in qua quidem cauſa ſeruatis de iure ſeruandis, verificatis verificandis, citatiſque dictis RR. Capitulo, & Clero priùs in partibus, deinde hic in Curia per Audientiam litterarum Contradictarum S. D. N. Papæ more ſolito; tandem idem Perilluſtris, & Reuerendiſſimus D. Camillus Meltius Locumtenens ſuam in his ſcriptis in cauſa & cauſis prædictis tulit, & promolgauit ſententiam diffinitiuam in hunc qui ſequitur modum, videlicet: Chriſti nomine inuocato. Pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam, quam de iuris peritorum conſilio ferimus in his ſcriptis, in cauſa & cauſis, quæ primò, & in prima, ſeu alia veriori coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantia inter RR. Priorem, & Monachos Monaſterij S. Annunciationis Ciuitatis Tarentinæ, Congregationis Cœleſtinorum, Ordinis S. Benedicti Agentes ex vna; & RR. Capitulum, & Clerum eiuſdem Ciuitatis Tarentinæ reos conuentos de, & ſuper prætenſa ſolutione dimidiæ, ſeu quartæ funeralis defunctorum deferendorum ad præfatam eorum Eccleſiam, ac iure deferendi defunctos ad eandem Eccleſiam abſque interuentu ipſius Capituli, & Cleri, rebuſque aliis in actis cauſæ, & cauſarum huiuſmodi latiùs deductis, & illarum occaſione, partibus ex altera. Dicimus, pronunciamus, ſententiamus, diffinimus, decernimus & declaramus, prædictos RR. Priorem, & Monachos Monaſterij Sanctiſſimæ Annunciationis Congregationis Cœleſtinorum, Ordinis S. Benedicti Ciuitatis Tarentinæ, non teneri, nec obligatos eſſe ad ſolutionem dimidiæ, ſeu quartæ funeralium defunctorum deferendorum ad præfatam eorum Eccleſiam, ſed prædictos RR. Priorem, & Monachos fore, & eſſe exemptos, & propterea abſoluendos & liberandos à dicta ſolutione dimidiæ, ſeu quartæ funeralis prætenſæ per dictum Capitulum & Clerum, prout abſoluimus, & liberamus, & pro abſolutis, & liberatis haberi volumus; ipſoſque Priorem, & Monachos poſſe, ac debere, ac eis licere deferre ad dictam eorum Eccleſiam defunctos, ſine prædicti Capituli, & Cleri interuentu, declaramus, ac reſpectiuè mandamus, moleſtationes, oppoſitiones, perturbationes, & impedimenta quæcunque per dictos aduerſarios præſtitas & illatas, præſtitaque & illata fuiſſe, & eſſe nullas, temerarias, indebitas, iniuſtas, ac de facto illatas, & præſumptas, illatáve, & præſumpta, & de, & ſuper illis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe, prout imponimus, victoſque victoribus in expenſis in huiuſmodi cauſa factis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de iure in poſterum reſeruamus; & ita dicimus, pronunciamus, ſententiamus, diffinimus, & declaramus non ſolum modo, & forma præmiſſis, ſed etiam omni alio meliori. Ita pronunciaui. Ego Camillus Meltius Locumtenens. Lecta, lata, & in ſcriptis promulgata fuit præinſerta diffinitiua ſententia per eundem Perilluſtr. & Reuerend. D. Camillum Meltium in Ciuilibus Locumtenentem Illuſtr. & Reuerendiſſimi D. Auditoris Cameræ, ſub anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1628. Indictione vndecima, die verò nona menſis Februarij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui anno eius ſexto, præſentibus in Palatio ſolitæ Reſidentiæ ipſius Reuerendiſſimi Domini Meltij, ibidemque audientibus, & intelligentibus DD. Franciſco Belgio, & Ioanne Zeppa, teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, &c. Datum hac die 20. Martij 1630.

Ego Ceſar Columna Romanus Cur. Cauſ. Cam. Apoſt. Notarius de præmiſſis rogat. præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui, requiſitus, &c.

Loco ſigni Notarij.

DECISIO S. ROTÆ ROMANÆ ſuper confirmatione ſupradictæ ſententiæ pro exemptione à ſolutione quartæ Funeralis.

R. P. D. QVEIPO.

Tarentina quartæ Funeralis.

Merc. 5. Decembris 1629.

SEntentiam A. C. confirmandum eſſe Dominis placuit. Nam licet quarta funeralis Eccleſiæ Cathedrali, vel Parochiali iure communi debeatur, *cap. Cùm ſuper*, *cap. In noſtra, de ſepulturis*, *cap. Cùm quis, in princ. eod. tit. lib.* 6. Clem. *Dudum, eod. tit.* Monachi autem Cœleſtini exempti, & priuilegiati exiſtunt ab hoc onere per fel. rec. Cœleſtinum Quintum, ſicut de aliis Religionibus, quæ ſimili priuilegio à diuerſis Pontificibus conceſſo fruuntur, refert Eman. Rodericus *quæſt. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 2. Et iam olim huiuſmodi exactionem Epiſcopis interdictam fuiſſe, aduertit P. Gregorius *lib.* 2. *Syntagm. cap.* 25. *num.* 10. *per text. in cap. Priſcis quidem Canonibus*, & *cap. Vnio* 10. *quæſt.* 3. Maximè cum dicti Monachi Cœleſtini eodem priuilegio aliis Religionibus conceſſo vti poſſint, propter priuilegiorum communicationem ipſis à S. D. N. conceſſam, ex Seraph. *deciſ.* 605. *num.* 4.

Et quamuis Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. In fauorem Eccleſiarum Cathedralium, & parochialium Ius quartæ Funeralis confirmauerit, & priuilegiis in contrarium conceſſis derogauerit, dumtaxat loquitur de Eccleſiis exiſtentibus in poſſeſſione percipiendi dictam quartam Funeralem citra quadraginta annos. Atque ita priuilegia religionum quadraginta annos excedentia non comprehendit, vt S. M. Pius V. expreſſit, & S. Congregatio Concilij ſæpè declarauit, vt referunt Eman. Roderic. *vbi ſuprà*, Gutier. *de iur. confirm.* 1. *p. c.* 3. *n.* 2. *&* 3. & fuit dictum in Hiſpalenſi quartæ Funeralium, 4. Iulij 1590. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio.

Nec viſum fuit Dominis præfatam Conſtitutionem Pij V. fuiſſe reuocatam per Gregorium XIII. quia per Gregorium ex eo quod Bulla Pij V. plura contineret, fuit dumtaxat reducta ad terminos Sacræ Congregationis Concilij. Refert Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 5. & fuit reſolutum coram Reuerendiſſimo D. meo Decano in cauſa Licienſi quartæ Funeralis, 15. Ianuarij 1618.

Et ita, &c. Vna tantùm parte informante.

QVÆSTVARII REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quæ de ipſis alibi dicta.*
2 *Qui quæſtuarij prohibiti ſunt à Concilio.*
3 *Licentia ad quæſtuandũ quando oſtendenda Ordinariis.*
4 *An poſſint ipſam limitare.*
5 *De Conuerſis quæſtuariis Monialium.*
6 *De publicantibus indulgentias ob quæſtum.*

QVæ de hac materia ſparſim per totam Summam dixi, hic vel remiſſiuè repetendo pro ipſius complemento. 1

Primò

Primò ergo, quamuis iuxta dicta *tom.1.p.1.cap.20. num.17.* quæſtores, vel quæſtuarij omnino aboliti ſint à Concilio Trid. *ſeſſ.5.cap.2.& ſeſſ.21.cap.9.* iuxta dicta tamen *tom.1. part.2. cap. 1. num.4.* talium quæſtorum, ſeu quæſtuariorum nomine non veniunt Religioſi pauperes, Mendicantes præſertim, propter declarationem Pij V. & S. Congregationis, quam eo loco retuli. De quo etiam, præter Auctores ibi relatos, Nauarrus *conſ.33.de Pœnit.* Vgolinus *de poteſtate Epiſcopi cap.8.§.4.num.6.* & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.109.num.7.*

3 Quamuis etiam iuxta dicta eo *num.* 4. licentiam ad quæſtuandum, quam Regulares habent à ſuis Superioribus, teneantur oſtendere ordinariis, id tamen intelligendum videtur ſolùm quando extra loca vbi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint. Ita enim colligo ex declaratione Sacr. Congregationis authentica apud Barboſam *ſuprà num.* 20. & Peyrinis *tom. 3. priuileg. Minim. cap.2. num.* 41. quæ ſic habet: *S. Congregatio cenſuit fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi quominus per ſeipſos in Diœceſibus vbi habent Conuentus, eleemoſynas quærant, ſed tantùm ſi extra loca vbi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere.* Quod etiam tenet Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Quæſtuarij, num.* 4. [Et conſtat ex alia declaratione Sac. Congregationis Epiſcoporum & Regularium 28. Nouemb. 1642. quam vidi. Item ex alia Vercellenſi 18.Maij 1640.]

4 Regulares prohiberi poſſe per Epiſcopum ab immoderata exactione eleemoſynæ, vel ne exigant eleemoſynas pro Conuentu extra Diœceſim exiſtente, & ne exigant, niſi quorum licentias confirmauerit priùs Epiſcopus, ex praxi ſuarum partium referunt Marc. Anton.Genuenſ. *in Praxi Archiep. Neapolit. cap. 59. num.* 11. & Campanile *in Diuerſ. Iur. Canon. rub.12. cap. 23. num.* 134. Cæterùm animaduertenda eſt Dominis Ordinariis declaratio S. Congregationis adducta, quæ ſolùm eis permittere videtur facultatem videndi licentiam ſuorum Superiorum, quando extra loca vbi Monaſteria habent, quæritare voluerint Regulares. Animaduertendum quoque illis eſt, quod dicto *cap. 2. num.5.* dixi. Maximè etiam priuilegia Summorum Pontificum, quibus grauiter, & per cenſuras procedunt contra eos, qui impediunt Mendicantes ab eleemoſynis quærendis, vt patet apud Caſſarub. *in Compend. priuilegior. Mendicantium, verbo Eleemoſyna, num.7.8.9.& 13.*

5 Qualiter, aut quando Conuerſæ Monialium mitti poſſint ad quæritandum, ſeu quærendum eleemoſynas, conſtat ex declarationibus Sac. Congregationis, quas retuli *dicto tom.1.part.2.cap.8.num.29.* quas etiam referunt Aldana *in Compendio Canon. lib.* 2. *tit.* 10. Nouarius *in Lucerna regularium, verbo Conuerſa, numer.4.5.& 6.*

6 Quod Religioſi publicantes Indulgentias ob quæſtum, ideſt ob eleemoſynas ratione illatum acquirendas, ſententiam excommunicationis incurrant Papæ reſeruatam, & Epiſcopi, quantumvis Cardinalatus honore præfulgeant, ſi id egerint, aut attentauerint, ab ingreſſu Eccleſiæ, & perceptione fructuum ſint ſuſpenſi, donec ſatisfactione præmiſſa à Sede Apoſtolica diſpenſentur, conſtat ex dictis ex Bulla Pij V. *ſuprà* verbo *Indulgentia quoad Regulares, num.* 23. [Quod quæſtuantes ſub eodem titulo coërceri debeant, itavt qui de nouo quæſtuare volunt, non impediant eos qui ab antiquo ſolebant ſub eo titulo quæſtuare, habetur ex declaratione Sac. Congregationis Epiſcoporum & Regularium 8.Maij 1643.

RATIFICATIO PROFESSIONIS.

Vide ſuprà verbo *Profeſſio Regularis.*

RECONCILIATIO ECCLESIARVM.

Vide dicta *ſuprà* verbo *Cœmeterium*, & verbo *Eccleſia.*

RECVRSVS REGVLARIVM ad Sedem Apoſtolicam.

SVMMARIVM.

1 *De recurſu Regularium ad extraneos remiſſiuè.*
2 *Recurſus viâ appellationis ad Sedem Apoſtolicam quando licitus.*
3 *An requiratur licentia Prælati Regularis pro acceſſu ad Sedem Apoſtolicam titulo appellationis.*
4 *Quid ſi Prælatus illam neget.*
5 *Quid quando ſine cauſa rationabili petitur.*
6 *Venientes ad Sedem Apoſtolicam ſub illius protectione ſunt.*

DE recurſu Regularium ad extraneos pro fauoribus ipſorum impetrandis ad obtinendum aliquam gratiam, officium, vel gradum in religionibus, latè dixi ſuprà verbo *Officia Religionum, à num.* 10. & locis ibi relatis. De recurſu etiam eorumdem Regularium ad tribunalia extra ſuam Religionem titulo appellationis, ſeu querelæ contra ſuos Prælatos, dixi *ſuprà* verbo *Apellare, & Appellatio.* De recurſu etiam ad eadem titulo violentiæ, ſeu vis illatæ, dixi *ſuprà* verbo *Exemptio Regularium, n.15. 16. & 17.* Nunc autem ſpecialiter agendum de recurſu ipſorum ad Sedem Apoſtolicã, maximè vi âappellationis. 1

Et quidem talem recurſum via appellationis ad Sedem Apoſtolicam licitum eſſe Religioſis, in caſu videlicet raro, & graui, in quo non ſub dubio, ſed euidenter conſtaret eos notabiliter grauari à ſuis Superioribus in fama, aut honore, conſtat ex dictis *tom.1.p.2. cap.9.num.4.& 7.* ac *ſuprà* verbo *Appellare, & Appellatio, num.4.* Conſtat etiam ex dictis iis locis, quod licet hæc appellatio facienda ſit, regulariter loquendo gradatim, modo aſſignato eo *cap.9. num.* 4. ſcilicet à Prælato immediato ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & à Protectore ad Sanctiſſimum, vel Sac. Congregationem eius vices habentem: nihilominus iuxta dicta eo *num.* 7. in aliquo caſu, ſcilicet quando à ſuis Superioribus non ſperant remedium contra iniuriam ſibi illatam, poſſunt Religioſi immediatè à ſuo Superiore appellare ad Sedem Apoſtolicam, *cap. ad Romanum, el 1. & 2.2. quæſt.6.cap.ſi duobus, cap.dilecti filij, el 3. de appell.* vbi habetur quod omnes ad Sedem Apoſtolicam appellare poſſunt. Ratio eſt, quia Papa eſt principalis, vniuerſalis, & immediatus Superior Regularium. Vnde illorum eſt Prior, Prouincialis, & Generalis. Sotus *lib.8. de iuſt.quæſt.5.art.1.* Peyrinis *tom.3. Priuilegior. Minim. cap. 4. num.* 14. Scofra *de inualiditate profeſſ. dub.* 25. & 26. Bordonus *reſolut.* 32. *num.* 26. poſt Rodriguez Nauar. & alios. 2

In caſu etiam prædicti grauaminis, ſeu grauis iniuriæ illatæ Religioſo, ſi ipſe appellet ad Prælatum Superiorem, vel Sedem Apoſtolicam, & Prælatus inferior nolit ipſi concedere licentiam ad illos accedendi, licitè poteſt ſine illa id facere. Ratio eſt, quia Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.25.cap.4.* in quo prohibetur Regularibus accedere ad ſuos Superiores ſine licentia, non intelligitur pro iſto caſu, eo quod, iuxta dicta *tom.1 part.1.cap.16.num.9.* ex Nauarro, & Sayro, non eſt credendum Concilium loqui de Religioſis à ſuo Superiore iniquè, & contra ius grauatis, prout etiam tenet Bordonus *ſuprà num.* 6. ex Rodriguez, Azor, & Sanchez, & Barboſa. Similiter Decreta Summorum 3

Pontificum Clementis VIII. & Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, quæ retuli eodem *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 16. (& idem dico de Conſtitutione Sixti V. & declaratione Sac. Congregationis, quam eo loco *n.* 15. retuli) vbi prohibetur acceſſus Regularium ad Romam ſine licentia Generalis, vel Protectoris ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, excludunt hunc caſum. Loquuntur enim de acceſſu ſine grauamine, aut alio prætextu, quàm liberandi ſe à grauamine illicitè illato. Peyrinis *ſuprà num.* 15. & 17. Bordonus *ſuprà num.* 28. Idem dico de ſtatutis Religionum, ſi quæ ſint quoad hoc. Tum propter dicta. Tum etiam, quia Iuri communi contraria eſſe non poſſunt, *cap. quod ſuper his, de maior. & obed. cap. inſtitutionis* 25. *quæſt.* 2. Peyrinis *ſuprà num.* 16. Ratio etiam generalis eſſe poteſt, quia licentia formalis, & expreſſa neceſſaria non eſt in iis, quæ aliàs ſunt conceſſa, qualis eſt prædictus recurſus, præſertim cùm in illo includatur tacita licentia ad talem acceſſum. Bordonus *ſuprà* poſt alios. Quod maximè eſt verum ſi talis licentia fuerit petita, quia licentia rationabiliter petita habetur pro obtenta, licet negetur, maximè quando expreſsè non requiritur, vt obtineatur, *arg.* 2. *cap. licet* 18. *de Regul.* Ad minùs tamen non incurreretur pœna illa priuationis vocis, &c. quia ea ſolùm infligitur contra præſumentes, vt patet ex verbis ipſius. Pœna autem, quæ requirit præſumptionem non incurritur ab eo qui legem illam tranſgreditur ob legitimam cauſam, & non ex temeritate, prout dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. & me relato ſequitur Peyrinis *dicto num.* 17. Caſu tamen quo Religioſus iniuſtè, & certò grauiter grauatus æquè benè poſſet conſulere ſuæ famæ ſequendo appellationem, vel habendo recurſum ad ſuos Superiores, vel Sedem Apoſtolicam per nuncios, litteras, vel procuratores, tunc, vt credo, illicitè id faceret, & incurreret dictam pœnam perſonaliter adeundo, non obtenta legitima licentia; quia intentum Concilij, Summorum Pontificum, & aliorum ſtatutorum id videtur eſſe, vt impediatur inutilis vagatio Religioſorum, qualis eſſet in dicto caſu.

4 In caſu etiam prædicti legitimi recurſus ob legitimam appellationem ad Sedem Apoſtolicam factam, ſi Prælatus ſubdito petenti licentiam adeundi Romam, nec potenti per alios appellationem ſequi, talem licentiam negaret, ſine dubio grauiter peccaret. Tum propter dicta. Tum quia in tali caſu eſt iure debita ſubdito talis licentia. Non tamen propterea incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ in ipſa ponitur *num.* 9. & cuius verba retuli *ſuprà*, verbo *Bulla Cœnæ*, *num.* 27. Ea enim excommunicatio ſolùm ponitur contra eos, qui ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent venientes ad Sedem Apoſtolicam, non verò volentes venire, quia in pœnalibus verba accipienda ſunt formaliter, & ſtrictè. Bordonus *ſuprà n.* 33. Videtur tamen incurrere illam, quæ 13. caſu in eadem Bulla ponitur verbis relatis loco adducto *num.* 36. ſcilicet: *Quive aliàs quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.* Megala *de Cenſuris lib.* 3. *cap.* 10. *quæſt.* 1. *num.* 8. Sed neque hoc admittit Bordonus *ſuprà num.* 34. dicens, quod verba illa ſolùm videntur comprehendere impedientes eos, qui recurrunt ad Sedem Apoſtolicam, ve eneruent litteras, gratias, & alia, quibus poteſt tueri illa iniuſta appellatio, de qua ſermo eſt in dicto caſu 13. *num.* 2. non verò eos, qui impediunt quouis modo recurrentes ad Sedem Apoſtolicam: vel dici poteſt, & meliùs, illis verbis, *prohibere, ſtatuere, ſeu mandare*, ſolùm denotari actiones poſitiuas, non verò negationem concedendi dictam licentiam.

Dixi autem hæc ſolùm procedere in caſu legitimi recurſus ob legitimam appellationem, quia ſi Prælatus, ſubdito volenti ad Sedem Apoſtolicam recurrere ſine cauſa rationabili legitimæ appellationis, vel ſimili, licentiam negaret, rectò faceret; nam eam negare debet quando irrationabiliter petitur, prout ſupponunt Authores relati, & fauet Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 23. & 24. 5

Notandum etiam, quod in Iure communi ſtando, & ſecluſis aliis circunſtantiis, venientes ad Curiam Sedis Apoſtolicæ, & in ea manentes, & reuertentes, cum rebus ſuis dicuntur eſſe ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, *cap. vnic. de Cleric. peregrinant.* Gloſſa *ibid.* ex aliis iuribus. Alterius *de Cenſur. lib.* 5. *diſp.* 10. *cap.* 2. Theſaur. *in Prax. part.* 2. *verbo Curia, cap.* 3. [Vnde Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium quendam Religioſum ex Minoribus voce priuatum propterea, quod proceſſerat contra quendam alium, qui recurrerat ad Sedem Apoſtolicam, ad vſum talis vocis rehabilitauit 9. Martij 1635. & die 1. Martij 1641. declarauit Generalem non potuiſſe priuare voce actiua & paſſiua quoſdam Religioſos ſui Ordinis, qui ad Sacram Congregationem recurſum habuerant, quin potiùs in integrum reſtituendos eſſe. 6

Notandum præterea, quod non obſtante maxima authoritate quam in Curia habet D. Auditor Cameræ, nihilominus prohibitus eſt de ordine Sanctiſſimi à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium 20. Martij 1643. ingerere ſe in Regularium cauſis, etiam in gradu appellationis.] 7

RECVSATIO IVDICIS Regularis.

SVMMARIVM.

1 *Quando licita, aut illicita ſit.*
2 *Quid ſit recuſatio.*
3 *Ipſius effectus.*
4 *Regulanda eſt ſecundùm Ius Canonicum.*
5 *Recuſatio an facienda in ſcriptis.*
6 *Quando opponi debeat.*
7 *Non in viſitatione generali Prælatorum Regularium.*
8 *Arbitri quales ſint futuri.*

Licèt iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. illicita, & abominabilis ſit, regulariter loquendo, recuſatio Prælati Regularis, quia tamen iuxta ibidem dicta, & *ſupra* verbo *Iudex, & Iudicium Regularium, num.* 15. licita eſt aliquando, in caſu ſcilicet raro, videlicet quando conſtat certò, & euidenter iniquè ſe gerere, aut velle gerere contra bonam famam, & opinionem alicuius Religioſi: ideo eo *num.* 12. & 13. *ſequenti*, nonnulla dixi circa cauſas, & praxim recuſationis. Quibus addenda alia pro maiori notitia materiæ. 1

Primò, quod recuſatio eſt, Iudicis, vel Audientiæ, cauſâ ſuſpicionis propoſitâ, declaratio, *l. apertiſſimi, C. de Iudic. cap. quia ſuſpecti* 3. *quæſt.* 5. *cap. ſuſpicioſis, de officio deleg.* Sic definit eam Speculator 1. *part. tit. de Recuſat. initio*, quem ſequitur Sanchez *lib.* 6. *Conſilior. moral. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 2. 2

Secundò, quod effectus recuſationis eſt, quod pendente illa non poteſt Iudex ad aliquem actum procedere in ea cauſa, & ſi procedit, proceſſus eſt nullus. Suſpenditur enim eius iuriſdictio. Sanchez *ſuprà num.* 3. ex Bart. & communi Doctorum. Notanda cum Franco, quod non priuatur Iudex fundamentaliter iuriſdictione, quia etiam poſt recuſationem, & approbationem cauſæ 3

ſuſpicio

ſuſpicionis, poſſet Index de conſenſu partis recuſantis in ea cauſa procedere, vel alteri delegare, vt dicitur *cap. index, de offic. deleg. in 6.* Quin etiam eo ipſo quod quis poſt propoſitam recuſationem litigat coram Iudice recuſato, videtur per hoc renunciare recuſationi. Sanch. *ibid.* ex Panormit. & Maranta.

4 Tertiò, quod recuſatio Prælati Religionis regulanda eſt ſecundum Ius Canonicum, ſicut & recuſatio Iudicis Eccleſiaſtici, cum hæc res canonica, & Eccleſiaſtica ſit. Sanchez *ſuprà num.* 7. poſt aſſignatas differentias, quæ ſunt inter recuſationem factam ſecundùm Ius Canonicum, & ſecundùm Ius Ciuile.

5 Quartò, quod licet loco relato *num.* 3. dixerim cauſas ſuſpicionis debere aſſignari à recuſante in ſcriptis coram Iudice recuſato; nihilominus probabile eſt, non eſſe neceſſe, niſi ſolùm ad meliùs eſſe recuſationem fieri in ſcriptis, cum ius id non exprimat, *cap. cùm ſpeciali, de appell.* Portell. *in Reſolutionib. part.* 1. *caſu* 22. *num.* 6. Peyrinis *in formulario, in littera R, capit.* 2. *num.* 1.

6 Quintò, quod licet recuſatio opponi debeat non tantùm ante litem conteſtatam, verum etiam debeat eſſe prima exceptio, quæ opponi debet ante omnes dilatorias, quia ſi opponitur alia dilatoria, cenſetur prorogari Iudex, vt ſuper ea pronunciet, & ſic inducitur conſenſus in iudicem; nihilominus quando de nouo superuenit cauſa, poteſt in quacunque parte litis opponi. Poteſt etiam recuſari, quando de nouo cognoſcitur cauſa, licet ea non emergat de nouo. Sanchez *ſuprà num.* 19. Ioſephus à S. Maria *in Tribunal. Religioſ. tract.* 4. *cap.* 20. §. 3. Peyrinis *ſuprà num.* 2. Quibus adde Naldum *in Summa, verb. Iudex, num.* 17. (poſt Farinacium, quem refert) & Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ.* 350. *& ſequentib.*

7 Non tamen propterea poſſunt Moniales, aut Fratres vnius Conuentus recuſare Prouincialem, aut Viſitatorem, eumque impedire (quantumcunque ſuſpectus ſit) ne viſitet ex officio ſuum Conuentum viſitatione generali, & ordinaria, ſi ſola inquiſitione generali vult viſitare. Ratio eſt, quia per inquiſitionem generalem præciſè non inquiritur crimen, aut defectus alicuius particularis, nec formantur proceſſus. Sed ſolùm procedit Prælatus in illa ex officio, inquirendo in generali de vitiis, & virtutibus Religioſorum ad ipſorum correctionem, ac per conſequens ceſſat periculum euidentis grauaminis, propter quod ſolùm poteſt recuſari Prælatus. Portellus *ſuprà num.* 1. *& caſu* 21. *num.* 3. 4. *&* 5. Peyrin. *ſuprà num.* 3. *in fine.* Et fauent Nauarrus *lib.* 5. *conſil. tit. de accuſat. inquiſit. conſil.* 3. & dicta à me *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 27. *num.* 2. Fauet etiam Decretum Pauli V. tranſmiſſum ad Epiſcopum Portugalenſem, quod referunt Portellus *num.* 3. *relato*, & Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 73. *num.* 38. vbi dicitur, Epiſcopum, vel alium Viſitatorem non poſſe recuſari. Licèt enim ibi ſolùm ſit ſermo de Epiſcopo, vel Viſitatoribus ſæcularibus, quia tamen Prælati, & Viſitatores Regulares ſunt quaſi Epiſcopi in hoc, & de æquipollentibus idem eſt iudicium, *l. fin. ff. mandat. & cap. ſi quando, de reſcript. & cap. dudum, de elect.* 2. ideo quæ dicuntur de Epiſcopo Viſitatore applicari poſſunt Prælato Regulari, etiam Viſitatori. Portell. *ſupra.* Dixi, ſi ſola inquiſitione generali vult viſitare. Si enim via inquiſitionis ſpecialis, aut denunciationis vult procedere, tunc poterit recuſari, quia tunc eſſe poterit euidens ſuſpicio grauaminis. Portellus, & Peyrinis relati. Et à ſimili de Epiſcopo Viſitante id tenent Piaſegus *in Praxi, part.* 2. *cap.* 3. Armendariz *tit.* 6. *de viſit. lib.* 5. §. 2. *num.* 7. quos refert, & ſequitur Barboſa *ſuprà.*

8 Sextò, quod attinet ad arbitros, quos *eo num.* 13. dixi aſſignari debere quando cauſa ſuſpicionis ad recuſandum eſt dubia, nota tales poſſe eſſe Religioſos alterius Religionis, cùm nullo iure oppoſitum habeatur, quinimò iſte ſit ſtylus Religionum, & colligi poſſit ex *cap. paſtoralis, de offic. Iudic. Ordinar.* Peyrin. *ſuprà num.* 4. Imò etiam ſæculares probos, & bonæ famæ, vt credo, propter eandem rationem. Quæ tamen intellige, ceſſante ſcandalo, aut ſi Conſtitutiones Religionum non contradicant. An verò in caſu quo eſſent plures Viſitatores ſimul, poſſit vnus eſſe Iudex arbiter in cauſa recuſationis alterius, agit Paſqualigus *ſuprà deciſ.* 356. *& ſeq.*

REFORMATI REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *De illis vbi actum.*
2 *Qui dicantur Reformati.*
3 *Prælati Regulares tenentur procurare Monaſteriorum Reformationem.*
4 *Indultum notabile Pij II. pro Carmelit. reformatis & reformandis.*
5 *Item Pauli II. pro eiſdem.*
6 *An ea communicentur aliis Religionibus.*
7 *De tranſitu Religioſorum reformatorum ad non reformatos.*

DE ipſis, & de iis quæ ad ipſorum reformationem ſpectant, egi in ſpeciali libro *de Reformatione Regular.* quibus alia addenda pro materiæ explicatione. 1

Et primò, reformati Regulares illi dici poſſunt, 2
qui iuxta Regulæ quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituunt. Vnde illi, qui non iuxta Regulæ ſuæ præſcriptum, ſed ſecundùm vſum viuunt, non Reformati dici debent. Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuilegiorum Mendicantium, verbo Reformatio*, §. *notandum*, ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 45. *cap.* 1. Si autem tales non reformati, ex conceſſione, vel mitigatione Sedis Apoſtolicæ ſic viuant, non propterea deſinunt eſſe filij illius Religionis, & Regulæ. Imò contrarium aſſerentes excommunicari ſolent à Summis Pontificibus, vt patet ex Conſtitutionibus Vrbanis Fratrum Minorum Congregationis S. Franciſci, anni Domini 1628. Tales verò Reformati Regulares non ſolùm ſunt in noſtro Carmelitarum Ordine, ſed etiam inter Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Prædicatores, Minores, Auguſtinianos, Trinitarios ac Fratres S. Mariæ de Mercede, & alios. Quorum aliqui ſub eodem Generali, ac non reformati viuunt; alij ſub diuerſis Prælatis. Quidam ſub eiſdem Conſtitutionibus, alij ſub diuerſis. Alij etiam diſcalceati, alij calceati incedunt, iuxta diuerſitatem Religionum. De quibus Caſſarub. *in Compend. priuilegior. Mendicant. verbo Reformatio*, Sorbus *ibidem*, & Rodrig. *tom.* 3. *quaſt. Regul. quaſt.* 47. *artic.* 4.

Omnes autem Prælatos Ordinum Mendicantium te- 3
neri debitè reformare Monaſteria ſibi ſubdita, tam Fratrum, quàm Monialium, habetur ex Bulla Sixti IV. quam refert Caſarub. *ſuprà num.* 1. [Adeò autem deſideratur hoc à Sede Apoſtolica, vt quandoque videam Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium ſtatuiſſe, differri poſſe celebrationem cuiuſdam Capituli Prouincialis ad effectum introducendæ Reformationis, & quod interim gubernaret aliquis à Generali deſignatus, prout pro Auguſtinianis decreuit 7. Iunij 1641.] Quia tamen ipſorum reformatio præſertim conſiſtit in vita communi perfectè tenenda, iuxta Concil. Trident. loco relato, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 60. *& cap.* 7. *num.* 19. *ac præſertim c.* 18. *n.* 14. Superiores peccant mortaliter, ſi cùm poſſunt, non cogunt ſubditos ad vitam communem reſtituendam.

Naldus in *Summa, verbo Religioſus, num.* 5. ex D. Antonino, Valentia, & aliis, hæc etiam ſubiungens. *De Religioſis autem vtriuſque ſexus, qui cum habere poſſint ſuffi icutem, imò & abundantem victam, & veſtitum ex redditibus, vel eleemoſynis conſuetis, adhuc tamen reſiſtere volunt Superioribus, qui eis vitam communem iniungunt, iuxta præſcriptam Sacrorum Canonum, ac Concilij Trident. dicendum eſt profectò, quod ſint in malo ſtatu ſalutis ſuæ. Ratio eſt, quia volunt diſponere de legatis, vel eleemoſynis propinquorum ſecundùm voluntatem ſuam, contra votum obedientiæ, & paupertatis; & quia ſic viuentes ex ſua propria voluntate conuincuntur contemptui habere æquipollenter perfectionem ipſam. Nec eos iuuat licentia ſic viuendi à Superioribus obtenta, quia apertè conſtat illam eſſe conſenſum, & voluntatem extortam, eo quòd ſuperiores ob vitandas inferiorum aſſiduas querimonias, permittant eis, quæ nolentes coguntur velle, & in conſcientia actus geſtus ob metum etiam iuſto minorem, modò ſit cauſa illius actus, inficitur.*

4 Extat etiam circa hoc notabile Indultum Pij II. pro Generali, Prouincialibus, & Prioribus noſtri Ordinis in Mari Magno Ordinis apud Rodriguez *in Bullario, in Sixto IV. Bulla* 37. Ipſa autem Pij II. Bulla eſt apud ipſum *num.* 26. apud nos autem *num.* 33. In qua non ſolùm prædictis Superioribus Ordinis reformationem iniungit, ſed etiam ad id præſtandum auxilium, & brachium Prælatorum, & Principum extra Religionem exhibet, & Fratribus reformationi reſiſtentibus excommunicationem infligit, his verbis. *Diſcretioni veſtræ præſentium tenore committimus, & mandamus, quatenus iuxta conceſſam vobis à Domino gratiam, & officiorum veſtrorum exigentiam, omnes & ſingulos dicti ordinis profeſſores, iuxta Sanctorum Patrum, & veſtra Regularia inſtituta in vita, & moribus reformare, ac Regulari diſciplinæ ſubdere, & ad meliorem vitam reducere procuretis. Ita quod per veſtra laudabilis diligentiæ ſtudium in dicto veſtro Ordine Regularis diſciplina, & vitæ caſtimonia laudabiliter obſeruentur, ac in eo deuotæ ſollicitudinis ſtudio benedicatur Altiſſimus, & odor bonæ famæ perſonarum illius vtiliter diffundatur. Et ne, quod abſit, peruerſorum eorundem prauitas, qui paterna, & proficua veſtra correctionis monita ſubire recuſans, in ſua profeſſionis transgreſſione damnabiliter perſeueret, aut ſatore zizaniæ, & hoſte humani generis procurante, in deterius prolabatur, & eorum impunitas trahi poſſit ab aliis in exemplum: Vniuerſos, & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros locorum Ordinarios, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Seneſcallos, Iudiciarios, Poteſtates, Capitaneos, cæteroſque Dominos temporales, & eorum Locatenentes, Vniuerſitateſque, & Communitates Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, & aliorum quorumcunque locorum rogamus, requirimus, & hortamur attentè, ſubditis verò noſtris iniungimus, & mandamus, quatenus pro tam ſaluberrimo operis complemento vobis efficacis fauoris, & adiumenti præſidio, quoties opportunum fuerit, & pro veſtri parte fuerint requiſiti aſſiſtant, & fauores præbeant opportunos: ita quod vos, & veſtrûm quilibet quoſcunque incorrigibiles, dyſcolos & delinquentes ipſius veſtri Ordinis profeſſores punire, corrigere, & iuxta ſuam profeſſionem vitam ducere compellere valeatis. Cæterum vt optata ipſius Ordinis, illiuſque domorum, & perſonarum reformatio abſque alicuius impedimenti, aut obſtaculi machinatione ſuccedat, vniuerſis, & ſingulis, tam profeſſoribus prædictis, quàm aliis quibuſcumque Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis cuiuſcunque dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, diſtrictiùs inhibemus, ne reformationi domorum, aut perſonarum Ordinis antedictè quouis quæſito colore ſe opponere, aut illam impedire præſumant, ſub excommunicationis pœna, quam ſi ſecus fecerint, eos & eorum quemlibet incurrere volumus ipſo facto, & à qua donec à præmiſſis reſipuerint cum effectu, abſolui nequeant, præterquam in mortis articulo conſtituti, non obſtantibus, &c.*

Deinde Paulus II. in alia Bulla in eodem Mari 5 magno immediatè proxima ſequenti, prædictam Pij, non ſolùm quoad dictam excommunicationem contra impedientes reformationem confirmauit, ſed etiam qualiter Priores Conuentuum Reformatorum ab ipſis Fratribus Reformatis ſolùm eligi, & à Capitulis confirmari deberent; item quod nec amoueri poſſent dicti Fratres Reformati, aut alij eiſdem adiungi ſine ipſorum conſenſu: inſuper quomodo prædicti Conuentus à ſolo Prouinciali viſitari poſſent cum Socio eiuſdem Reformationis, non maiorem taxam, quàm pro aliis Conuentibus poſtulando: ac de Priore talium Conuentuum qualiter promittere debeat Regulæ obſeruantiam, & quod aliàs deponendus ſit, & alia ad intentum, ſic ſtatuit, & ordinauit. *Sanè pro parte dilecti filij Ioannis Soreth Ordinis fratrum Glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, ne in ipſo Ordine ſciſſuram aliquam pullulare contingeret, & vt Fratribus dicti Ordinis ſub arctiori obſeruantia Regula etiam per felic. record. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum mitigata Altiſſimo famulantibus fauor debitus impenderetur, & vt quietiùs, abiecto omni timore humano, id efficere poſſent, & in vnitate fraternæ charitatis in præmiſſa obedientia permanerent, in quibuſdam generalibus, & prouincialibus in ipſo Ordine celebratis Capitulis, promouente dicto Generali, inter cætera ſtatutum extitit, vt Priores Prouinciales extra prouinciale Capitulum non poſſent pro libito eiſdem præficere Priores, vel etiam amouere ſine eorum conſenſu, ſed quos elegiſſent confirmare, Fratres etiam eorum abſque Prioris, & Fratrum aſſenſu extra ponere, ſiue aliàs, præter eorum conſenſum, ipſorum adiungere nequirent conſortio: quod quidem Statutum, & nonnulla tunc expreſſa per piæ memoriæ Calixtum III. confirmata ſunt, necnon per Pium II. Romanos Pontifices ſimiliter prædeceſſores noſtros, etiam deſuper adiecto, ne quis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna reformationem Conuentuum dicti Ordinis impediret, aut ſe illi opponeret quouis quæſito colore, à qua quidem ſententia abſolutionem, niſi reſipuerit, Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, præterquam in mortis articulo reſeruauit. Quare pro parte dicti Generalis nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt Statuto, aliiſque præmiſſis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac aliàs ſuper iis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dicti Ordinis ſtatum proſperum, & tranquillum paterno zelamus affectu, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Statutum prædictum ratum habentes, & gratum, illud, prout in litteris Calixti, & Pij prædeceſſorum huiuſmodi continetur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus. Adiicientes nihilominus ad præmiſſa, quod nullus Prouincialis Conuentus dicti Ordinis reformatos poſſit per Vicarium viſitare, niſi talem Conuentus ipſe requirat, ſed perſonaliter teneatur eos viſitare cum Socio qui fuerit perſeuerans in vita conſimili. Item quod pro communibus expenſis Ordinis, Conuentus hactenus reformati, aut etiam qui in poſterum reformabuntur, vltra ſummam conſuetam, quam antea perſoluebant, taxari, vel compelli non poſſint. Voleteſque, & diſtrictiùs iniungentes, quod omnis Prior, tam in Conuentibus reformatis prædictis, quàm de cætero reformandis, promittat tam confirmanti, quàm Conuentui, in quo recipietur, fideliter obſeruare, & obſeruari facere Regulam, ſaltem ſecundùm ipſius Eugenij prædeceſſoris mitigationem, vt præmiſſum eſt. Si verò in hoc deſes, ſeu negligens notabiliter repertus fuerit, Prior Generalis, ſeu Prouincialis teneatur*

eam

eum abſoluere ſub pœnis, & cenſuris contra impedientes reformationem, vt ſuprà dicitur, latis. Caterùm, vt Prouinciales ad plantandam in dicti Ordinis Conuentibus, ſuiſque Prouinciis, conſouendamque Regularem obſeruantiam per ampliùs animentur, volumus vt Conuentus, quos iam reformarunt, aut in poſterum reformabunt, ſub eorum obedientia, ſeruatis præmiſſis conditionibus, reſeruare debeant, nec Vicarius cuiuſcunque hoc impedire præſumat. Non obſtantibus, &c.

6 Has porrò Pontificias conceſſiones pro Reformatis Regularibus vtiles valdè communicari credo etiam aliis Religionibus communicationem priuilegiorum habentibus cum Carmelitis. Sunt enim priuilegia quædam, & fauores pro communi bono Religionis, & ita comprehenduntur ſub gratiis, & priuilegiis, in quibus Religiones communicant. Idem dico de alio priuilegio Leonis X. quod refert Caſſarub. *ſuprà, num.* 3. quo ſtatuit, & in virtute obedientiæ præcepit, quod de extero nullæ nouæ Reformationes in Ordine fratrum Minorum introducantur, aut fiant abſque Miniſtri Generalis, aut Prouincialium, Miniſtrorum Reformatorum in ſuis Prouinciis reſpectiuè expreſſo aſſenſu. Ita tamen quod dictæ Reformationes Miniſtro Generali, & Prouincialibus Reformatis per omnia, iuxta Regulam ſubiiciantur. Rodrig. *ſupra art.* 1.

7 Circa tranſitum Religioſorum Reformatorum ad non reformatos, videnda ſunt primò dicta *tom.* 1. *cap.* 22. *per totum*, & dicenda infrà verbo *Tranſeuntes Regulares.* Attendendum etiam eſt, an prædicti Reformati ſint ſub eodem Prælato, Generali videlicet, ſeu Prouinciali, quia tunc faciliùs admitti poteſt talis tranſitus, de licentia tamen Prælati, & legitima cauſa ſubſiſtente. Secùs verò quando tales Reformati, & non reformati ſunt ſub diuerſis Generalibus, vt contingit in Ordine Minorum. Tunc enim talis tranſitus regulari debet ſicut tranſitus ex Religione ſtrictiori ad laxiorem, quia iuxta dicta eo *cap.* 22. *num.* 16. licet tales Religiones cenſeantur vna ratione Regulæ, & Fundatoris, tamen ſimpliciter ſunt diuerſæ, & habent diuerſas auſteritates, vel adminus diuerſum modum viuendi. Maximè attendendum an authoritate Pontificia prohibitus ſit talis tranſitus, itavt ſoli ipſi reſeruetur. Si enim talis fuerit, non poterunt Prælati Religionis licentiam pro tali tranſitu concedere. Quia ergo Sanctiſſimus D. N. Vrbanus in Litteris ſub forma Breuis die 8. Ianuarij anni 1636. approbans Conſtitutiones pro Reformatis noſtræ Religionis, ait: *Eos, qui ſemel eas profeſſi fuerint, ab earum obſeruantia nequaquam diſcedere, nec ad quamcunque aliam Congregationem, niſi de ſpeciali noſtra licentia tranſire poſſe, ſed iuxta eas ſemper viuere teneri*, ideo de illis hoc tenendum.

8 Regulares Reformatos eiuſdem Religionis debere dici, ac alios eiuſdem Ordinis, ſiue *Obſeruantes*, ſiue *Conuentuales* appellentur, pro comperto eſt; ſiquidem obſeruant eandem Regulam magis, vel minùs mitigatam. Pro quo emanauit decretum die 2. Septembris 1645. à S. Congregatione negotiis Regularium præpoſita in fauorem Auguſtinianorum Diſcalceatorum, quo declaratum fuit, præfatos fratres eſſe veros S. Auguſtini filios, & gaudere iiſdem priuilegiis, quibus gaudent Calceati. Cumque in ſpretum præfati decreti prodierit in lucem liber à Carolo Moreau Auguſtiniano, vel potiùs renouatus fuerit primus liber Apologeticus, in quo præ cæteris calumniis, quibus afficit Diſcalceatos, paſſim aſſerit eos non eſſe veros S. Auguſtini filios, ſed adulterinos, nihilque habere obſeruantiæ Regulæ, & Conſtitutionum Ordinis, præter nomen. Hinc eſt quod PP. Procuratores Generales Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ Diſcalceatorum ſupplicauerunt S. Congreg. vt imponeret ſilentium huiuſmodi calumniis ſub cenſuris, & aliis pœnis, à qua obtentum eſt hoc Reſcriptum. *S. Congregatio, &c. ad compeſcendam nimiam eorum licentiam, qui contra declarationem alias ab eadem S. Congregatione latam ſub die 2. Septembr. 1645. auſi fuerunt deinceps aſſerere, fratres Diſcalceatos S. Auguſtini non eſſe veros eiuſdem S. Patris Filios, nec eos, eorumque Congregationem gaudere omnibus priuilegiis, quibus Calceati, illorumque Religio gaudet: Eminentiſſ. Carpineo referente, ſupradictam declarationem, etiam quoad fratres Congreg. Hiſpaniæ renouans, & confirmans, pœnam excommunicationis maioris S. Sedi Apoſtolicæ reſeruatam contrauenientibus impoſuit. Et ad tollendas huiuſmodi contentiones, & iurgia, quæ inter fratres ſupradicti Ordinis, & Congregationem Diſcalceatorum, non abſque Religioſi ſtatus dedecore, ac ſæcularium ſcandalo prodeunt, néve frater cum fratre contendat, eoſdem ſeriò monet, ac hortatur in Domino, vt proprij inſtituti memores, ac fraternæ charitatis, per quam ſub eodem inſtitutore vocati ſunt in ſocietatem Chriſti in vno ſpiritu, contentiones huiuſmodi, quæ Religioſam vnitatem maximè labefactant, deponant omnino, quinimò amtantur potius, vt ambulantes in domo Dei cum conſenſu, per mutuam in ſeipſos charitatem, quæ eſt vinculum Perfectionis, veriùs quam per habitum, & calceamenta, tanti Patris filios ſeſe exhibeant. Dat. Romæ 11. Auguſt. 1651.*

Extat ſimiliter declaratio quædam, in qua Cardinalis Sancius totius Auguſtiniani Ordinis Protector, ſub dat. Romæ 12. Octobr. 1613. declarat viuæ vocis oraculum felic. record. Pauli V. in quo inter alia aſſerit, fratres diſcalceatos S. Auguſtini eſſe vera membra, & filios prædicti S. Patris, atque vt tales participes eſſe omnium priuilegiorum & gratiarum Mendicantium, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & maximè earum, quibus Auguſtiniana gaudet Religio. 9

REGVLARES, SEV RELIGIOSI.

De illis per totam hanc Summam ſcripſi, vt propterea neceſſe non ſit modò de illis aliquid ſpecialiter dicere.

RELIQVIÆ SANCTORVM.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *Reliquiæ quæ dicantur.*
3 *An liceat illas vendere, emere, ſeu alienare.*
4 *Ac exponere venerandas propter lucrum.*
5 *De furantibus Reliquias, eorumque pœnis.*
6 *De extrahentibus illas, eorumque pœnis, ex Paulo V.*
7 *Qualiter, aut quomodo exponi debeant veneranda.*
8 *Quid quanda ab antiquo in veneratione ſunt.*
9 *Ad cultum priuatum Reliquiarum quæ ſufficiant.*
10 *An liceat eas tangere, vel ſecum geſtare.*
11 *An poſſint radi oſſa Reliquiarum, vt dentur infirmis.*
12 *Modus obſeruandus ab Epiſcopo in earum approbatione.*
13 *Alia remiſſiuè.*

NOnnulla ad ipſas ſpectantia in ſuperioribus dixi, videlicet 1. *tom. part.* 1. *cap.* 12. *num.* 33. *&* 35. qualiter de Sancto, cuius inſignis Reliquia habetur, fieri poſſit Officium, & dici Miſſa, & quæ cenſenda ſit inſignis Reliquia. Deinde *ſuprà* verbo *Alienare, &c. num.* 14. an Reliquiæ Sanctorum alienari poſſint. Item eodem loco *ſupra, verbo Fratrum, n.* 4. *&* 5. an, & quando furans, ſeu ſurripiens Reliquias excommunicationem incurrat. Nunc alia addenda, vel pro materiæ complemento. 1

Primò ergo iuxta Syluestrum *in Summa, verbo Reliquia, num.* 1. Reliquiæ in propoſito dicuntur ea, quæ nobis de Sanctorum humanitate remanſerunt, vt totum 2

corpus, & propriæ particulæ eius. Cæterum communi etiam vſu Reliquiæ nomen ad alia applicari conſtat, veſtes ſcilicet, calceos, vel alia, quæ ipſorum Sanctorum fuerunt. Azor. *tom. 1. cap. 8. quæſtio 1.* Sanchez *lib. 2. in Decalogum, cap. 53. num. 2.* Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. vlt. quæſt. 4.*

3 Reliquias ſanctorum vendere, ſeu emere peccatum ſimoniæ eſt prohibitum, *l. nemo, Cod. de ſacroſanct. Eccleſiis, cap. cum ex eo, de reliq.* Sanchez *ſuprà num. 2.* Bonacina *de Simonia quæſt. 4. num. 3.* Theſaur. *in Prax. p. 2. verbo Reliquia, cap. 1. §. 1.* Excipe tamen niſi Reliquiæ eſſent apud infideles; quia tunc emi poſſent, eo quod tali pretio non Sacrum ipſarum Reliquiarum, ſed vexatio infidelium redimeretur. Sanchez *ſuprà*, ex Philiarcho, & Vgolino. Excipe etiam, ſi Reliquiæ continerentur in vaſis aureis, vel argenteis, & tunc venderentur ratione illorum, itavt nullo modo augeatur pretium ratione ipſarum Reliquiarum, quia talia vaſa pretio æſtimabilia ſunt. Bonacina *ſuprà*, poſt Sylueſtrum, Suarez, Filliucium, & alios. Nulla tamen adeſt pœna latæ ſententiæ in dictis iuribus, niſi quando Reliquiæ, ſeu corpora ſunt alicuius loci Eccleſiaſtici: nam tunc incurrunt vendentes, ſeu alienantes, & recipientes excommunicationem latam in Extrauag. *Ambitioſæ, de rebus Eccl. non alienand.* Quia ſunt res mobiles pretioſæ. Genuenſis *in Praxi, cap. 56. num. 4. & 6.* Theſaut. *ſuprà.* Quod tamen limita, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Alienare, dicto num. 14.* vt ſolùm intelligatur de Reliquiis muro clauſis, vel inſignibus, aut ipſarum partibus notabilibus, vel perpetuæ traditis ſepulturæ. Plures etiam cenſent probabile eſſe contrarium, eo quòd dicta Extrauagans ſolùm videatur loqui de bonis temporalibus pretio æſtimabilibus, Bonacina *de alienatione bonor. Eccleſiaſtic. punct. 2. num. 31.* Bordonus *reſolut. 27. num. 62.* ex aliis. Sed Stylus Curiæ iis aduerſatur, vt dixi *d. num. 14.*

4 Illas exponere venerandas, provt contingit aliquando inter Regulares, propter lucrum oblationum inde prouenientium, peccatum quoque eſſe ſimoniæ, plures tenent, *ex d. cap. cùm ex eo*, & ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. in princip. in decret. de innocat. venerat. & reliq. Sanctor.* de quo Azor. *ſup. quæſt. 6.* Graffius *2. part. deciſ. lib. 2. c. 14. num. 7.* & alij. Hoc autem limitant aliqui dicentes eſſe ſimoniam quando tales Reliquiæ exponuntur in publico ob quæſtum, ſi talis quæſtus temporalis ſit principale intentum illius oſtenſionis, vel expoſitionis; ſecus ſi principale intentum ſit cultus Sanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale ſit minùs intentum. Armilla *in Summa, verbo Reliquia, num. 1.* & Tabien. *ibid.* Nauar. *in Summa latina, cap. 17. num. 169.* & alij. Ad eum modum quo Clericus vadens ad Chorum principaliter propter lucrum temporale eſt ſimoniacus. Secus, ſi lucrum illud eſt ibi cauſa minus principalis, ſeu conditio ſine qua non. Et hæc limitatio clara, & ſecura eſt. Portellus *in Dub. Regular. verb. Reliquiæ Sanctorum, num. 3.* Limitant etiam alij dicentes probabiliter, quod etiamſi in iſta Reliquiarum expoſitione principale intentum ſit lucrum temporale, non ſit ſimonia, niſi quando illud lucrum ſperatur vt pretium oſtenſionis. Tunc enim eſt quædam quaſi venditio. Si verò tale lucrum non ita ſperatur vt pretium, ſed tanquam ſuſtentatio congrua ibi laborantis, non erit ſimonia. Quia *cap. cum ex eo*, citatum, & Tridentin. loco relato, quando prohibent Reliquias venales oſtendere, intelliguntur quando quæſtus, ſeu oblationes deducuntur in pretium ſub pacto, vt ſi diceretur, *propone Reliquias in publico, reddemus tantum*, vel quando proponens Reliquias principaliter lucrum prætenderet tanquam pretium oſtenſionis ipſarum. Sotus *lib. 9. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. ad fin. corpor.* Sanchez *ſuprà.* Et fauent Portellus *ſuprà*, ac Peyrinis *tom. 3 priuileg. Minim. cap. 4. num. 2.* Nota hîc etiam, quod antiquæ Reliquiæ Sanctorum non poſſunt extra capſam oſtendi, *ex cap. cum ex eo*, relato. Rationem reddit Abbas ibi, quia cum oſtenduntur extra capſam oſſa nuda, multorum deuotio tepeſcit, & datur detractoribus anſa obloquendi. Angelus, Syluestre, & alij Summiſtæ *verb. Reliquia.*

5 Quamuis autem non liceat Reliquias furtiuè ſubtrahere, etiam vt honorabiliùs collocentur, eſt enim ablatio rei Sacræ inuito domino, & conſequenter furtum ſacrilegum (Sayrus *in Claui regia, lib. 4. cap. 7.*) nec paruitas materiæ excuſet à mortali; nam hic non ſpectatur ſola rei quantitas, ſed dignitas, & æſtimatio moralis (Summiſtæ *verb. Reliquia*, Sanch. *ſuprà num. 23.* Layman. *ſuprà num. 17.*) nihilominus, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Furtum, num. 4. & 5.* Reliquias furans, ſeu ſuscipiens abſque effractione loci, non incidit ipſo facto Iure communi in aliquam cenſuram, ſecus verò ſi id fiat cum aliqua effractione. Item *ex can. corpora, de conſecr. diſt. 1.* Sanctorum corpora perpetuæ ſepulturæ tradita non poſſunt erui, & transferri ſine licentia Papæ, aut Epiſcopi, aut Synodi, aut Capituli Canonicorum, excepta neceſſitate incendij, vel reparationis, vel mutationis Altaris. Sayr. *ſuprà*, Sanch. *ſuprà num. 25.* Layman. *ſuprà, num. 17.* Si autem perpetuæ ſepulturæ traditæ non ſunt, nihil obſtat eas transferri ad alium locum Religioſum, non petita licentia Prælati. Layman. *ſuprà*, ex Antonino, Syluestro, Armilla, & aliis. Similiter Edicto Vicarij Vrbis Romæ edito de mandato Pauli V. anno 1613. die 24. Auguſti, cautum eſt, ne quis audeat, vel præſumat, vel poſſit intrare in aliquam ex Cryptis, Catacumbis, vel Cœmeteriis intra, vel extra Vrbem Romanam, neque ab illis extrahere Reliquias etiam in minima particula, neque ad id præſtare auxilium, vel fauorem, ſub pœna triremium, & aliis arbitrio Vicarij ipſo facto incurrendis, & excommunicationis latæ ſententiæ. Extenduntur dictæ pœnæ, & cenſuræ ad omnes, ad quorum inſtantiam fiet extractio, aut attentata fuerit, & ad complices, & ad recipientes ſcienter reliquias illicitè extractas, vt ſuprà. Abſolutio etiam dictarum pœnarum Papæ reſeruatur. Regulares autem vltra dictas pœnas incurrunt ipſo facto priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ, & inhabilitatem ad dignitates, & gubernationes ſuæ Religionis, & diſpenſatio, vel habilitatio Papæ reſeruatur. Bonacina *de Cenſuris in particulari, diſp. 2. quæſt. 3. puncto 13. §. incidens*, Theſaurus *ſuprà num. 2.* Notat autem idem Bonacina hoc Edictum ligare etiam extraneos Romam venientes, & eſſe perpetuum, quia ſcilicet editum eſt per modum legis, & ſtatuti.

6 Ex Breui etiam eiuſdem Pauli V. promulgato Edicto eiuſdem Cardinalis Millini Vicarij Vrbis anno 1614. die 16. Maij ſtatutum eſt, vt nullus vigore licentiarum à Papa viuæ vocis oraculo ante duos menſes proximos conceſſarum, poſſit Reliquias extrahere de Eccleſiis, Monaſteriis, locis piis, Cœmeteriis, vel Cryptis, intra, vel extra Vrbem, aliàs incurrat excommunicationem ipſo facto Papæ reſeruatam. Eamque extendit contra eos, qui curam habent, ſeu gubernationem dictarum Eccleſiarum, vel locorum, ſi permiſerint, ſeu conſenſerint extractioni. Theſaurus *ſuprà num. 3.* Inſuper ex eodem Edicto Cardinalis Millini Vicarij, de mandato eiuſdem Pauli V. prohibitum eſt, ne quis ſæcularis, aut Regularis fidem vllam, aut teſtimonium, ſeu inſtrumentum, ſeu ſcripturam publicam, vel priuatam faciat extractionis, donationis, conſignationis, aut tranſlationis, aut alterius contractus, aut ſcripturæ, vbi fiat mentio Reliquiarum, niſi cum licentia in ſcriptis eiuſdem Vicarij Vrbis, non ſuffragante quacunque Sedis Apoſtolicæ licentia aliter emanata; & tranſgreſſoribus ibidem ſtatutæ ſunt pœnæ, ſcilicet dominis officiorum pœna priuationis officiorum, notariis autem, & ſubſtitutis pœna 500. ſcutorum. Et

has

has pœnas decernit incurri ipſo facto. Religioſis autem ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum, & exilij ab omni ſtatu Eccleſiæ Romanæ. Theſaur. *ſupra num.* 4. Pro extractione etiam Reliquiarum pro Prouincia Mediolanenſi extat prohibitio Gregorij XIII. quam refert Barboſa *de off. & poteſt Epiſcop. alleg.* 50. *num.* 158. Quam tamen moderatam eſſe à Sixto V. & Sac. Congregat. refert Gauantus *in Man. verb. Reliquia Sanctorum, num.* 36.

7 Etſi de fide ſit Sanctorum Reliquias venerandas eſſe, prout ex dicto *cap. cum ex eo*, & Concilij Tridentini Decreto colligitur, de quo inter alios Vualdenſis noſter *tom.* 3. *tit.* 23. *cap.* 164. nihilominus ad publicum ipſarum cultum, qualis contingit cùm exponuntur publicè, requiritur quod ab Eccleſia approbatæ fuerint. Diuerſimodè tamen hæc approbatio requiritur. Si enim fuerint Sancti non canonizati, ſolùm à Papa approbari debent, quia ita habetur *cap. cum ex eo*, relato, & quia ſolius Papæ eſt Sanctos canonizare; ſi verò fuerint Sancti canonizati, ſed nouiter inuentæ, approbari poſſunt ab Epiſcopo. Ita enim colligitur ex Concilio Tridentino *in Decreto relato*. Sanchez *ſuprà n.* 10. Azor. *ſupra quæſt.* 8. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. diſput.* 55. *ſect.* 2. *verſic. ſed quæret aliquis*, Fagund. *de primo Eccleſiæ præcepto, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Nomine autem Sancti Canonizati non ſolùm intelligitur ille qui in canone Miſſæ (à quo forſan huiuſmodi appellatio deriuatur) inſcriptus eſt, aut per Bullam canonizatus eſt, ſed qui per antiquam traditionem, ſeu Eccleſiæ conſuetudinem vt Sanctos habetur. Azor. *dict. quæſt.* 8. Sanchez *ſuprà num.* 11. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 97. *num.* 11. Afferens declarationem Sacr. Congregationis, de qua infra. Cui etiam conſonat Decretum S. Inquiſitionis, quod retuli *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. Tales ſunt omnes ſancti, qui in Martyrologio Romano leguntur. Portellus *ſuprà num.* 10. Quid verò dicendum de Sanctis ſolùm Beatificatis, habes infrà verbo *Sanctorum cultus*.

8 Pro praxi autem Regularium notandum, quod licet ipſi nequeant exponere Sanctorum Reliquias ſine prædicta Epiſcopi approbatione, prout ex declaratione Sac. Congregationis apud Sellium *in Selectis Canonicis, cap.* 3. *num.* 11. & Nouarium *in Lucerna Regularium, verbo Reliquia, num.* 3. colligitur: quando tamen in aliqua Regularium Eccleſia fuerint aliquæ Reliquiæ, quæ ab antiquis temporibus in veneratione fuerunt, tales exponi publicè poſſunt. Declaratum enim eſt à Sacr. Congregatione, quod Reliquiæ antiquæ habendæ ſunt in illa veneratione, quam hactenus habuerunt. Barboſa *dicto num.* 11. & in locum Concilij relatum, Naldus *in Summa, verbo Reliquia Sanctorum, num.* 1. Similiter, ſtante dubio de veritate Reliquiarum, non ſunt contemnendæ, aut in ignem, v.g. abijciendæ, ſed loco decenti aſſeruandæ, non penitus, aut ad venerationem expoſitæ cum aliis Sanctorum Reliquiis. Naldus *ſuprà*, Layman. *ſuprà num.* 16. Fagundez *ſupra à num.* 10. poſt alios.

9 Loquendo autem de priuato cultu Reliquiarum, ad illas non eſt neceſſaria Papæ, aut Epiſcopi approbatio, ſed ſufficit priuatum teſtimonium vnius perſonæ fide dignæ, aut alia ratio, vel coniectura, quæ ad prudentem aſſenſum ſufficiat. Suarez *dicta ſect.* 2. Sanchez *ſuprà, num.* 13. Fagundez *ſuprà num.* 6. Vnde conſequenter ad dicta *tomo* 1. *cap.* 12. *num.* 40. licitum eſt eas habere, & venerari, etiam aliis videntibus, modò ſcandalum abſit. Id enim habet praxis Eccleſiæ, mox enim ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad Reliquias rapiendas; & ſimiliter quando moriuntur homines clari ſanctitate, multi deuotè oſculantur manus, & pedes illorum, & de veſtibus eorum pro Reliquiis ſcindunt, nec id vnquam prohibitum fuit. Præterea, ſi licet honorare viuentes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos? Peyrinis *tom.* 1. *Priuilegiorum Minimorum, in Conſtitutione tertia Leonis X. num.* 3. Et ratio eſt, quia cultus publicus qui negatur Reliquiis non approbatis, ea eo dicitur publicus, non quia exhibetur illis publicè coram aliis, ſed quia illis exhibetur nomine totius Eccleſiæ, tanquam ab illa inſtitutus. Portellus *ſuprà num.* 11.

Licitum eſt ſiue clericis, ſiue laïcis Sacras Reliquias cum reuerentia tangere, aut decenter incluſas deuotionis gratia ſecum habere, vel è collo geſtare. Syluester *ſupr. quæſt.* 4. Nauarrus *cap.* 11. *num.* 35. Azor. *ſup. cap.* 8. *quæſt.* 6. vbi ait: Non idcirco talem grauiùs peccare, ſi reliquias deferendo peieret, mentiatur, furetur, alteri detrahat, in quempiam maledicta coniiciat, aut quid ſimile peccet, quia non directè cultui Reliquiarum aduerſatur. Quinimò nec fornicari cum Reliquiarum geſtatione, continere circunſtantiam neceſſariò confitendam, tenent Sanchez *ſuprà num.* 28. Naldus *ſuprà num.* 2. Portellus *num.* 9. Layman. *num.* 18. Fagundez *num.* 13. & alij. Venialem tamen aliquam irreuerentiam in hoc plures ipſorum meritò agnoſcunt. Vnde etiam in congreſſu maritali eas deponi debere conſulunt viri docti, ſpecialiter Homobonus *de Examine Eccleſiaſt. fol.* 517. 10

Notanda tamen declaratio Sacr. Congregationis Epiſcoporum & Regularium, quam refert Gauant. *ſuprà, num.* 34. ex qua habetur, non poſſe radi oſſa Reliquiarum Sanctorum, vt raſuræ dentur in potum infirmis. 11

Modus autem, quem ſeruare debet Epiſcopus in approbatione reliquiarum, habetur in eodem Concilij Decreto. De quo Azor. *ſuprà, quæſt.* 8. Sanchez *ſuprà n.* 15. Barboſa *dict. allegat.* 97. *num.* 17. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 51. cum aliis. 12

Vide alia infrà verbo *Sanctorum cultus*.

Nota tamen, quod cum de anno 1649. pro 25. Auguſti ſupplicaſſent nonnulli Regulares S. Congregationem Rituum, an deferente Epiſcopo aliquam Sanctorum Reliquiam, etiam Patroni Ciuitatis, teneantur Religioſi iuxta quorum Monaſteria, vel Eccleſias tranſitur, exire de domo, ſeu Eccleſiis, ipſamque reliquiam etiam cum thurificatione venerari, & an ad id Epiſcopus eos compellere valeat. Et reſpondit Sacra Congregatio, *hoc laudabile eſſe, non tamen cogi poſſe*. Id tamen efficiant Regulares, quorum muneris eſt piis, & religioſis actibus inſiſtere. 13

RENVNCIATIO INTER Religioſos.

SVMMARIVM.

1 *De renunciatione remiſſiuè.*
2 *Renunciatio quid ſit.*
Quas conditiones requirat. ibid.
3 *Quilibet Religioſus poteſt renunciare officium quod habet.*
4 *Renunciatio fieri poteſt per procuratorem.*
5 *Debet fieri ſcienter, ſponte, & purè.*
6 *In manibus Prælati ad quem ſpectat prouiſio illius officij.*
7 *An fieri debeat in ſcriptis.*
8 *Debet fieri ob rationabilem cauſam.*
Quid de renunciatione vocis actiuæ, & paſſiuæ. ibid.
9 *Ad renunciationem requiritur acceptatio Superioris.*
10 *Effectus renunciationis quis ſit.*
11 *Quid de renunciatione electionis ad Officia Ordinis.*
12 *An renuncians poſſit retractare renunciationem.*
13 *Alia remiſſiuè.*

DE renunciatione, ſeu diſpoſitione bonorum Nouitiorum, latiùs dixi *tom.* 1. *cap.* 24. *à num.* 32. & ſuprà verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum, à num.* 25.

Digitized by Google

De renunciatione etiam Beneficiorum Regularium aliqua dixi *ſuprà* verbo *Abbas*, *num.* 18. & verbo *Beneficium*, *& Beneficiati*, *num.* 16. Item de renunciatione priuilegiorum aliqua dixi *ſuprà*, verbo *Priuilegia Regularium*, *num.* 14. Alia ergo in præſenti addenda circa renunciationem munerum, ſeu officiorum Religionum, quæ non rarò inter ipſas contingit. Præſuppoſitis priùs aliquot principiis huius materiæ.

2 Primò ergo renunciatio, conformiter ad dicta *ſuprà* verbo *Beneficium*, *& Beneficiati*, *num.* 16. eſt *rei*, *vel iuris proprij legitima refutatio*, *vel dimiſſio*, *cap. quam periculoſum* 7. *quæſt.* 1. Angelus, Syluester, & alij Summiſtæ *verbo Renunciatio.* Pariſius *de reſignatione*, *lib.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 34. Dicitur, *vel iuris proprij*, quia quod non habetur, renunciari non poteſt. Pariſius *ſuprà num.* 50. Dicitur *legitima*, quia facta contra legem, vel Conſtitutionem erit irrita, vel illicita, iuxta talis legis præſcriptum. Vnde renunciatio redditur illegitima primò ratione perſonæ renunciantis, putà quia eſt minor, *cap. ſi annum*, *de iudic. lib.* 6. vel aliàs non potens renunciare. Secundò, ratione perſonæ in cuius manibus fit renunciatio, ſi non fiat cui debet, *eo tit. cap. cùm dilecti*, *& cap. admonet*, *& cap. quod in dubiis.* Tertiò, ratione rei, quæ renunciari non poteſt, vt iuris naturalis, & agnationis, & ſanguinis, *l. ius ſanguinis*, *ff. de pact.* Summiſtæ *ſuprà.*

3 His poſitis, aliqua dicenda. Primò, quemlibet religioſum poſſe renunciare quodcunque officium, beneficium, munus, vel ius Religionis, quod poſſidet. Ratio ſumitur, tum ex dictis dicto verbo *Abbas*, *n.* 18. ſcilicet quemlibet poſſe cedere iuri ſuo, tum etiam quia ſi maximè dignitas, qualis eſt Papatus, renunciari poteſt, prout habetur *ex cap.* 1. *de renunciat. in* 6. cur non aliæ dignitates, munera, iura, &c. Pariſius *ſupr. lib.* 2 *quæſt.* 1. Peyrinis *in Formular. litter. R*, *cap* 8. *num.* 8. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 13. *quæſt.* 1. *num.* 2.

4 Dicendum ſecundò, quamcunque renunciationem fieri poſſe etiam per procuratorem. Non enim eſt aliqua ratio, quæ ſuadeat oppoſitum. Syluester *ſuprà quæſt.* 2. Vbi etiam an ad hoc requiratur ſpeciale mandatum. Sanchez *tom.* 1. *conſ. mor. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 36. *à num.* 31.

5 Tertiò, ad hoc quod renunciatio ſit licita, & valida, debet fieri primò *ſcienter.* Quia id quod ignoratur, renunciari non poteſt, *l. mater*, *ff. de inoffic. teſtam.* Vnde cum quis ignorat ius aliquod, debet notificari, vt in authent. *quod Epiſcop.* Secundò *ſponte*, & propria voluntate, *cap. quamuis* 7. *quæſt.* 1. Tertiò, purè, & abſolutè, *cap. ex parte*, *de offic. deleg. el primo de Simon.* Summiſtæ *ſuprà*, Pariſius *ſupr. lib.* 13. apud quem de dolo, fraude, & metu, quæ reddunt renunciationem irritam. De quo etiam Garcia *de Benef. p.* 1. *cap.* 3. § 2.

6 Quartò conſequenter ad dicta eo verbo *Abbas*, *n.* 18. renunciationem officiorum, ſeu beneficiorum Religionis, fieri debere in manibus illius Prælati, ad quem ſpectat inſtitutio illorum, *cap. admonet*, *de renunciat.* Et ratio eſt, nam Superioris intereſt, ne diminuatur officium, vel beneficium, quod ad eum pertinet, ſine ipſius licentia, aliàs ei præiudicaretur, *cap. ſignificaſti*, *de foro compet. cap. Clericum* 11. *quæſt.* 1. *cap. non liceat* 3. *quæſt.* 6. Syluester *quæſt.* 3. Peyrinis *ſuprà num.* 3. Tamburinus *ſupra num.* 3. Dixi renunciationem officiorum, ſeu Beneficiorum Religionis. Nam renunciatio aliorum iurium, quæ non ſunt officia ſeu Beneficia, putà vocis actiuæ, vel paſſiuæ, fieri poteſt coram aduerſario, vel notario publico, vel Iudice nomine aduerſarij, *leg.* 2. *ff. Remp. ſal.* Syluester *ſuprà.*

7 Quintò, renunciationem debere fieri in ſcriptis, 2. *quæſt.* 1. §. *ecce*, *cap. quamuis* 7. *quæſt.* 1. *cap. Gonſaluus* 17. *quæſt.* 2. Etſi enim hæc iura ſolùm loquantur de Epiſcopatu, & Beneficiis, nihilominus militat eadem ratio in officiis, & iuribus Religionis, ideo idem videtur dicendum de illis, ſaltem pro bono regimine. Cùm enim renunciatio ſit ſtricti, imò ſtrictiſſimi iuris, ideò ad tollendas omnes lites, debet ſemper de illa conſtare per teſtem irrefragabilem, vt ſunt litteræ, quæ ſcriptæ manu propria probant plenè intentionem ſcribentis, *l. publica mœnia*, §. *Titius*, *ff. depoſiti*, *vel contra*, Peyrinis *ſuprà*, *num.* 7. ex Pariſio. Apud quem etiam *ibidem*, *& cap.* 5. 6. 7. *&* 8. de formis renunciandi officia, acceptandi illa, & notificandi talem renunciationem.

Sextò, requiri ad renunciationem rationabilem aliquam cauſam pro illa facienda, itavt ſine illa, ſaltem imprudenter, & illicitè fiat, *cap. ſuper hoc*, *de renunciat.* Fuſcus *de Viſitatione*, *part.* 2. *cap.* 28. Peyrinis *ſuprà num.* 4. *&* 7. Vnde huiuſmodi renunciatio officiorum, ſeu iurium Religionis, videlicet vocis actiuæ, ſeu paſſiuæ, ſæpiùs eſt peccaminoſa, quia eſt contra bonum commune Religionis, quod præponderare debet bono particulari, quieti verbi grat. Religioſorum. Pro quo vide dicta *tom.* 1, *cap.* 15. *num.* 8. *&* 23. Sigiſmundum *de elect. dub.* 15. Lauorium *de elect. tit.* 4. *cap.* 18. Molinam *tract.* 2. *de iuſtit. tom.* 3. *diſput.* 752. *num.* 4. Bonacinam *de contract. lib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 8. *num.* 8. Naldum *in Summa*, *verbo Renunciare*, *num.* 7. & Valentiam *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 4. Nota autem, aliquas cauſas eſſe, cum quibus non ſolùm Regulares poſſunt renunciare officia Religionis quæ habent, præſertim Prælatias, ſed etiam teneri ad faciendum. Huiuſmodi ſunt, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Abbas*, *num.* 18. cenſura, irregularitas, infirmitas corporis, ſenectus, vel aliud impedimentum impediens officij executionem. Idem dico de illis, qui per ſimoniam, vel intruſionem ea adepti ſunt, *cap. niſi cum pridem*, *de renunciat.* Valentia *ſuprà.* [Nota etiam quod qui ſemel renunciauit voci actiuæ, vel paſſiuæ, & talis renunciatio acceptata eſt à Superiori, non poteſt eam reaſſumere: quia iam eſt omninò ſpoliatus tali iure, & *quod ſemel placuit*, *ampliùs diſplicere non poteſt*, iuxta regulam iuris *in* 6. Si autem non eſt acceptata renunciatio, poteſt ad rem, cui renunciauit, regredi; res enim de facili ad ſui primæuam naturam redit. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 32. Sigiſmundus *ſuprà.* Vide infrà *num.* 12.] 8

Septimò requiri etiam ad renunciationem quod acceptetur à Superiori, itavt vt ante acceptationem non ſortiatur ſuum effectum, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 45. *cap. admonet*, *de renunciat.* Layman. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 4. De quo plura Garcia *de Benefic. part.* 11. *cap.* 3. §. 3. 9

Octauò, effectum renunciationis hunc præcipuum eſſe, vt is qui renunciauit, ad id, quod renunciauit, non habeat regreſſum, *cap. cum inter*, *cap. ex tranſmiſſa*, *cap. cùm in præſentia*, *de renunciat.* Syluester *ſuprà quæſt.* 5. Pariſius *ſuprà lib.* 1. *quæſt.* 12. *&* 13. vbi plura ad intentum. 10

Eadem porrò, quæ dicta ſunt de renunciatione officiorum, iurium, &c. intelligi etiam debent de electione ad illa, itavt quemadmodum Religioſi poſſunt dictis officiis, aut iuribus renunciare, ſic & electioni quâ ad illa electi ſunt, *cap. ſi electio*, *de elect. in* 6. Tunc autem electio deuoluitur iure communi ad primos electores, *dicto cap. ſi electio.* Sigiſmundus *ſuprà dub.* 12. Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. Minim. cap.* 9. *num.* 10. Attendenda tamen ſunt particularia iura Religionum, approbata maximè à Sede Apoſtolica, & an Capitulum de nouo poſſit commodè congregari. Iidem Authores. 11

Circa quæſtionem illam, an renuncians poſſit pœnitere, ſeu retractare renunciationem, dicendum primò: Renuncians per nuncium poteſt pœnitere, re integra, *cap. electa*, *de renunciat.* Secus ſi res non eſt integra, *cap. in cauſis*, *de elect.* §. *finali*, Armilla *in Summa*, *verbo Renunciatio*, *num.* 7. Tabiena *quæſt.* 10. Syluester *quæſt.* 2. 12

dicto

Digitized by Google

dicto 4. Vbi addit rem non eſſe integram, ſi Superior expoſita renunciatione cœperat de acceptatione cogitare. Sanchez *ſuprà*, *num.* 29. Dicendum ſecundò, qui impetrauit licentiam renunciandi, cogendus eſt renunciare, *cap. quidam, de renunt.* Vbi Gloſſ. rationem reddit, quia quod à principio fuit voluntarium, poſtea fit neceſſarium, & quod ſemel placuit, amplius diſplicere nequit. Sic Syluester, Armilla, Tabien. *ibi*, & Sanchez *ſuprà num.* 30. Quia tamen oppoſitum practicari video in Religionibus, limitanda videtur hæc doctrina ad renunciationem Beneficiorum, de quibus *eo cap. quidam*, & quando ea fit non ex animi leuitate, ſed lectiò, & cum prudentia. Imò etiam de Beneficiorum renunciatione, iuxta Cameræ, vel Cancellariæ ſtylum, id non admittitur. Naidus *ſuprà num.* 8. Dicendum tertiò, ſi quis conſtituit procuratorem ad renunciandum, licet poſtea reuocet facultatem ipſi datam, tenebit renunciatio facta per eum, ſi facta eſt antequam reuocatio mandati intimaretur ipſi procuratori, vel ei in cuius manibus renunciatio facienda erat. Clem. vnic. *de renunciat.* Sanchez *ſuprà num.* 31. Dicendum quartò, generaliter loquendo, antequam renunciatio ſit admiſſa à Superiore, poteſt retractari à renunciante, non verò poſtquam admiſſa eſt. Quia in priori caſu res eſt integra, non in poſteriori. Pariſius *d. quæſt.* 12. Sigiſmund. *de elect. dub.* 15. *num.* 8. Lauorius *de elect. tit.* 4. *cap.* 18. *num.* 83. Caſtellinus *de elect. cap.* 5. *num.* 12. Peyrinis *dict. cap.* 9. *num.* 29. & *dict. cap.* 8. *num.* 9.

13 Vide alia infrà verbo *Reſignatio officiorum ordinis.*

RESERVATIO CASVVM.

De hac materia ſufficienter dictum eſt *ſuprà*, verbo *Caſus reſeruati Regularium.*

RESIDENTIA PRÆLATORVM Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter regulares reſidere teneantur in ſuis Eccleſiis, vel Monaſteriis, quibus ſunt Præfecti.*
2 *Quanta abſentia permittatur.*

1 QVod Prælati Regulares teneantur reſidere in ſuis Eccleſiis, & Monaſteriis reſpectiuè, videlicet Generalis in Ordine, Prouincialis in Prouincia, & Conuentualis Prælatus in Conuentu, ſeu Monaſterio, conſtat ex dictis *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 12. & *ſuprà* verbo *Abbas*, *num.* 10. ex Concilio Trident. & aliis iuribus. Vbi etiam qualiter tempore peſtis, vel hæreſis teneantur ad dictam reſidentiam, etiam cum periculo mortis. Quod intellige, etiamſi per ſubſtitutum ſuum munus adimplere poſſint. Tum quia *in cap. extirpandæ, de præbend.* declaratur non ſufficere id facere per Vicarium, & in Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. requiritur perſonalis reſidentia. Tum etiam, quia ſubditi magis venerantur, & timent ſuum Prælatum, quàm Vicarium ipſius, Peyrinis *tom.* 2. *de Prælat. quæſt.* 1. *cap.* 7. *num.* 27. Notans vlteriùs, Prælatos illos, qui habent aliquod ſtipendium à ſuis Conuentibus, non poſſe illud recipere, aut retinere, ſi non reſideant.

2 Nihilominus iuxta dicta eo *num.* 10. permittitur Prælatorum abſentia intra duos, vel tres menſes in anno, dummodo id fiat æqua cauſa, abſque vllo gregis detrimento. Imò ad maius tempus in caſu raro, & magna ex cauſa. Quales ſunt, iuxta Concilium loco relato, *Chriſtiana charitas*, *vrgens neceſſitas*, *debita obedientia*, *ac euidens Eccleſiæ*, *vel Reipublicæ vtilitas.* Eas verò explicant Azor. *tomo* 2. *Inſtit. moral. lib.* 7. *c.* 4. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *part.* 5. Toletus *in Summa*, *lib.* 5. *cap.* 4. Sanctarellus *variar. reſol. quæſt.* 3. Barboſa *de Off. & poteſtat. Epiſcop. alleg.* 53. Peyrinis *ſuprà num.* 31. & plures alij. Nota tamen adhuc in illis caſibus requiri diſpenſationem, ſeu licentiam Superiorum. Cum propter obedientiam, quam Regulares profitentur, tum etiam quia ita colligitur ex Concil. Trident. loco relato, & aliis Iuribus. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 14. *quæſit.* 4. *num.* 12. Suppono autem quod ea, quæ de reſidentia Prælatorum Canones, & Concilia decernunt, trahi debent ad Prælatos Regulares, prout communiter Authores ſupponunt, ſpecialiter Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regularium*, *quæſt.* 39. & Homobonus *tom.* 3. *de Examine*, *tract.* 15. *cap.* 16. *q.* 12. Vbi enim eadem eſt ratio, ibi & idem ius.

RESIGNATIO OFFICIORVM Ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Reſignatio quid ſit.*
2 *Dupliciter fieri poteſt.*
3 *Beneficiorum nomine quæ veniunt.*
4 *Reſignatio pura, & abſoluta licita eſt.*
5 *Coram quo Superiore facienda.*
6 *An poſſit fieri non purè, & abſolutè, ſed ſub modo, conditione, &c.*

NOta quod Reſignatio eſt, *voluntaria beneficij abdicatio facta coram legitimo Superiore.* Bonacin. *de Simonia*, *quæſt.* 4. §. 14. *in princip.* Vnde ſolo nomine videtur à renunciatione differre, vel in eo ſolùm, quod renunciatio latiùs patet, quàm reſignatio, quia illa eſt iurium, officiorum, &c. reſignatio verò, ſaltem ex vſu, ſolùm eſt Beneficiorum. Quare ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs de renunciatione, applicari debent reſignationi. 1

Nota ſecundò hanc reſignationem, ſeu Beneficiorum renunciationem fieri poſſe dupliciter, ſcilicet primò purè, & abſolutè, id eſt abſque vlla conditione, penſione, deſignatione perſonæ, vel onere aliquo: ſecundò, cum aliqua conditione, penſione, deſignatione, vel onere. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 1. Bonacina *ſuprà*. 2

Nota tertiò, nomine Beneficiorum, quæ per reſignationem renunciari poſſunt, intelligi in præſenti quoad Regulares, non ſolùm ea, quæ curam animarum ſæcularium important, & dicuntur beneficia Regularia, de quibus egi *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 18. *per totum*, ſed etiam Prælaturas Religionis, quæ ſolùm important curam animarum Religioſorum, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 32. & *tom.* 3. verbo *Beneficium*, & *Beneficiati*, *n.* 3. 3

Dico ergo primò. Pura, & abſoluta reſignatio beneficiorum, ſeu officiorum Ordinis, quæ beneficia ſunt, licita eſt, & honeſta inter Regulares, ſi fiat coram legitimo Superiori. Nihil enim eſt in tali renunciatione contra diuinum, aut humanum ius. Suarez, & Bonacina relati. Vide dicta *ſuprà* verbo *Renunciatio inter Religioſos.* 4

Dico ſecundò, Superior coram quo fieri poteſt & debet dicta reſignatio, eſt Prælatus Religionis. Ratio eſt, quia iuxta dicta ſuprà eo verbo *Renunciatio inter Religioſos*, *num.* 6. qui habent ius, & poteſtatem conferendi beneficia, habent illam ad recipiendam eorum reſignationem. Quod maximè eſt verum, ſi etiam habent facultatem deſtituendi beneficiatos, etiam inuitos, iuſtis de cauſis, quæ omnia competunt Prælatis Regularibus, iuxta dicta locis relatis ex 2. & 3. *tom.* De quo Pariſius *de Reſign. Benef. lib.* 7. *quæſt.* 1. Layman. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. & 4. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 13. *quæſt.* 8. & alij apud ipſos. 5

An verò huiuſmodi reſignatio beneficiorum poſſit 6
fieri

fieri non purè, & abſolutè, ſed ſub aliqua conditione, modo, perſonæ deſignatione, &c. conſtabit ea dicendis infrà verbo *Simonia*, *num.* 15. Interim iuxta dicta *ſuprà*, verbo *Beneficium*, *& Beneficiati*, *num.* 16. circa illam quæſtionem, an Beneficiorum reſignatio fieri poſſit à Regularibus in fauorem tertij, dicendum primò, fieri poſſe hoc modo, reſignando ſcilicet abſolutè Beneficium in manibus Prælati cum intentione, & ſpe non manifeſtata ipſi, vt illud conferat certæ perſonæ. Secundò, reſignando ſimiliter abſolutè beneficium in manibus Superioris, deſignando tamen poſtea ipſum, vt illud conferat alicui, verbi grat. Petro. Cum enim in hoc nullum interueniat pactum cum Superiore, aut cum illo pro quo rogatur, nec vlla obligatio iniuncta Superiori conferendi beneficium perſonæ deſignatæ, vt ſuppono, non eſt in eo aliquid contra ius diuinum, aut etiam Canonicum. De quo etiam Sanchez *tomo* 1. *Conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 36. *num.* 23. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 26. & Theſaur. *in Praxi*, *part.* 2. *verbo Reſignatio*, *cap.* 2. Addit Peyrinis *in Formulario*, *littera R*, *cap.* 8. *num.* 8. ex Nauarro *lib.* 5. *conſil. de Simon. conſil.* 38. quod licèt, ſi quis renunciaret alicui officio cum pacto quod Superior illum remuneraret de alio, ſimoniam committeret; ſecus tamen eſſet, ſi Superior ſolùm diceret, *Relinque hoc officium amore mei, & prouidebitur tibi de alia re.*

REVERENDÆ PRO ORDINIBVS recipiendis.

De illis dixi ſufficienter *ſuprà* verbo *Dimiſſoria*.

REVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De reo regulari remiſſiuè.*
2 *Antequam examinetur informari debet de ſtatu cauſa.*
3 *Prima interrogatio ipſi facienda.*
4 *In ipſius examine quæ notanda.*
5 *De rei confeſſione.*
6 *Alia remiſſiuè.*

1 DE Regulari reo plura dixi *tom.* 1. *cap.* 27. *per totum*, *& ſuprà* verbo *Accuſatio*, verbo *Appellatio*, verbo *Cauſa Iudicialis Regularium*, verbo *Commiſſio*, *& Commiſſarius*, verbo *Denunciatio*, & maximè verbo *Iudex*, *& Iudicium Regularium*. Aliqua etiam ſuprà verb. *Recuſatio*. Alia tamen ſpecialiora, & magis practicabilia addenda pro materiæ complemento, maximè circa confeſſionem à reo faciendam.

2 Et primò quidem, cùm iuxta dicta eo *cap.* 27. præſertim *num.* 6. non poſſit Iudex, maximè Regularis, iuridicè contra aliquem per ſpecialem inquiſitionem procedere, niſi infamia, ſiue clamoroſa inſinuatio, vel indicia, aut ſemiplena probatio præcedant, ideo antequam Religioſus reus examinetur, informari à Iudice debet de ſtatu cauſæ, id eſt contra eum eſſe aliquod ex præmiſſis, vt ſciat ſe eſſe in tali articulo conſtitutum, vt Iudex iuridicè eum interroget, ac per conſequens ipſe teneatur veritatem fateri. Ratio eſt, quia iniuſtum, & inhumanum videtur, obligari aliquem ad confitendam veritatem in ſui notabile præiudicium, niſi illi conſtet quod iuridicè interrogatur, ſicut generaliter loquendo, nullus tenetur dimittere bonam famam, vitam, aut bona quæ poſſidet, niſi illi conſtet de alieno iure. Thomas de Ieſu *de Viſitat. Regular. tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Naldus *in Summa*, *verbo Reus*, *num.* 2. Aldreta *de Religioſa diſcipl. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. referens Caietanum, Sotum, Nauarrum, Cordubam, Toletum, & alios. Diana 3. *part. tract.* 5. *reſolut.* 91. referens etiam Aragon. Ioannem de Cruce, Sanchez, Salon. Leſſium, & alios. Quid verò dicendum in caſu quo reus dubitet an iuridicè interrogetur, habes ex dictis *ſuprà*, verbo *Iudex*, *& Iudicium Regularium*, *num.* 9. teneri tunc fateri veritatem, eo quòd in dubiis obediendum eſt Prælato. Licèt oppoſitum probabiliter tueantur aliqui, quos ibi retuli, & Peyrinis *in Formular. littera R*, *cap.* 9. *num.* 8. referens alios. Cum limitationibus tamen, quas refert Sanchez 2. *tom. Conſil. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 31. *à num.* 3. quarum præcipua eſt, vt intelligatur, quando crimina, de quibus inquiritur non ſunt in præiudicium Reipublicæ, vt crimen læſæ maieſtatis, hæreſis, proditionis, &c. Tunc enim in eo dubio tenetur teſtis fateri veritatem. Ratio eſt, quia minus periculum eſt ſi perſona priuata iniuſtè occidatur, quàm ſi Reſpublica graue damnum patiatur. Sanchez *num.* 4. ex Soto, & Nauarro.

Secundò nota, primam interrogationem faciendam 3
reo (idem dico de teſte) eſſe, an ſciat cur vocetur ad examen. Et ſi cauſam expreſſerit ſui examinis ex qua delictum ab ipſo factum colligatur, debet interrogari, vt facti ſeriem dicat à principio vſque ad finem. Poſtea debet interrogari ſuper his, quæ obſcurè, & non plenè explicauit, pro facti maiori dilucidatione. Si autem reſpondeat cauſam ſe neſcire, nec præſumere ſui examinis, poterunt illi fieri communes interrogationes, ſcilicet ex quonam tempore in eo Conuentu fuerit, an fuerit vnquam denunciatus, vel de aliquo crimine inquiſitus. Quod ſi reſpondere recuſet, debet id notari in proceſſu, & ad reſpondendum compelli, etiam indicta multa; & factis tribus monitionibus, ſub pœna ipſum mulctabit, & condemnabit ad pœnam in mandatis contentam. Debet autem reus reſpondere formaliter, & præciſè, affirmando ſcilicet, vel negando, non autem dubiè, puta non ſcio, vel non recordor. Nam reſpondere hoc modo idem eſt ac non reſpondere abſolutè. Et ſic, factis debitis monitionibus, poteſt cogi ſub mulcta, vel pœna confeſſi criminis, aut periurij, ſeu ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vel torturæ ad reſpondendum præciſè, vt dictum eſt. Quæ tortura hoc caſu non illi datur ad eruendam veritatem de delicto, ſed ad extorquendam reſponſionem affirmatiuam, vel negatiuam. Quod ſi poſt torturam etiam reſpondere recuſet pertinaciter, poteſt ſumi pro confeſſo. Pro his, & ſimilibus vide Carthatium *de reor. interrogat. lib.* 3. *cap.* 1. 2. *&* 3. Ambroſium *de modo formandi proceſſum*, *lib.* 2. *cap.* 6. *&* 7. Sparthatium *de modo corrigendi Regulares*, *tract.* 9. *cap.* 10. Thomam de Ieſu *ſuprà cap.* 8. Naldum *ſuprà à num.* 1. & Peyrinis *ſuprà à num.* 1. poſt alios.

Tertiò nota, quod in rei examine notandum eſt no- 4
men, officium, patria, ætas, tum ſæculi, tum Religionis. Cartharius *ſupr. cap.* 3. *à num.* 6. Conueniens etiam eſt, quod ſi reus ſit in carcere, & in compedibus, quod ſoluatur, & excarceretur, vt liberiùs poſſit veritatem fateri. Cum carcer mala manſio ſit, & morti æquiparetur; adeo vt confeſſio à carcerato extorta, metu tormentorum extorta dicatur. De his Sparthatius *ſuprà cap.* 5. Rodriguez *in reſolut. Regular. reſol.* 44.

Quartò circa rei confeſſionem notandum, quod 5
confeſſio iudicialis aliquando valeat pro ſufficienti probatione, & eſt multò efficacior, quàm aliæ probationes, & tunc dicitur nullas eſſe partes Iudicis in confitentem, ſcilicet partes examinatorias, benè tamen condemnatorias. Ad hoc autem vt confeſſio talem vim habeat multa requiruntur, ſcilicet vt reus ſit maior 25. annis, & quod ſponte confiteatur, & non metu torturæ, & quod confiteatur parte aduerſa præſente, & coram competenti Iudice ſedente pro tribunali, & quod confeſſus ſit rem certam. E contra autem, in multis caſibus, confeſſionem iudicialem non ſufficere ad damnandum reum, vt ſi confeſſus eſt propter anguſtiam

tormento

tormentorum, vel aliàs carceris, in quo nimis affligebatur, niſi poſt talem anguſtiam iam finitam perſeueret etiam in confeſſione, eaque finita iam liber à doloribus in loco publico, ideſt coram notario, & aliis eam confirmet. Secundò, ſi ſemel confeſſus dicit ſe erraſſe, & probat ſuum errorem ante ſententiam. Item, ſi per procuratorem ſuum eſt facta talis confeſſio, & ante triduum reuocat. Item, ſi facta eſt propter promiſſionem falſam, & fraudulentam Iudicis. Item, ſi facta eſt de re, quæ naturaliter videtur impoſſibilis, vel repugnans, vt ſi frigidus fateatur adulterium commiſiſſe. Item, ſi facta ſit de re, quæ ſecundum Ius poſitiuum eſt impoſſibilis, vt ſi quis Chriſtianus fateatur ſe Iudæi mancipium. Ita Sanchez *dict. cap. 3. dub. 13.* ex Angelo, Syluestro, & aliis. [Eſt tamen dubium practicum, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum reo qui legitimè ac juridicè interrogatus negauit crimen quod reuera commiſit. Et quidem ſi lis eſt conteſtata, & reus abſolutus, & ex negatione delicti non eſt ſecutum aliquod damnum tertio, procuIdubio abſolui poteſt reus à Confeſſario, niſi fortè talis caſus ſit reſeruatus propter iuramentum falſum in iudicio, prout poteſt eſſe inter Regulares, & ipſe Confeſſarius non habeat facultatem abſoluendi à reſeruatis. Si aliquod damnum tertio eſt ſecutum, prout contingeret in caſu quo accuſator puniri deberet pœna talionis, tunc abſolui non poteſt talis reus, niſi tali tertio ſatisfaciat, etiam offerendo ſe ad dicendum veritatem, ſi alio modo ſatisfacere non poſſet, prout colligo ex Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 7. num. 11.* Quando tamen lis non eſt conteſtata, aut ſententia lata, & reus manet ſub poteſtate Iudicis, licèt Sotus, Nauarrus, & alij, quos referunt Sanchez *ſuprà num. 7.* & Lugo 2. *tomo de iuſtit. & iure, diſp. 40. ſect. 1. num. 17.* dicant teneri reum offerre ſe ad confitendum veritatem, quia adhuc cenſetur durare Iudicis præceptum ad dicendum illam, ac per conſequens non debere abſolui à Confeſſario, niſi habeat propoſitum id faciendi: nihilominus probabilius eſt oppoſitum, eo quòd cum primùm negauit veritatem, ſolùm peccauit contra obedientiam, quæ tantum obligauit pro tempore quo interrogabatur à Iudice, non poſtea. Sanchez *ſuprà num. 8.* poſt Philiarcum, & alios, quos etiam ſequitur Lugo *ſuprà.* Si autem cum primùm interrogatus eſt reus, & negauit veritatem, peccauit contra iuſtitiam tertiæ perſonæ, nec poſſit alio modo illi ſatisfieri niſi iterum offerendo ſe ad dicendum veritatem, prout contingeret in caſu quo accuſator puniri deberet pœna talionis, & nullo modo ei poſſet ſatisfieri niſi dicendo veritatem: tunc credo teneri reum propalare ſe, & dicere illam, prout ſupponunt iidem Authores, ac per conſequens non poſſe tunc abſolui à Confeſſario, niſi proponat priùs id facere. Idem dicendum eſt de alio caſu, quem iidem Authores afferunt, ſcilicet quando reus non obſtante delicti negatione conuictus & damnatus eſt, vel ducitur ad ſupplicium. De prudentia autem quâ Confeſſarius vti debet cum tali reo, agunt Azorius *p. 3. lib. 13. cap. 25. dub. 2.* Dian. *part. 2. tract. 2. Miſcell. reſol. 16.* & Lugo *ſuprà num. 20.* Nota autem totam hanc doctrinam procedere ſuppoſita communi ſententia Doctorum, quod ſcilicet reus legitimè interrogatus à Iudice, teneatur dicere veritatem, prout habent Diana dicta *reſolut. 26. in fine,* & Lugo *ſuprà n. 17.* Etenim in ſententia illa quam iſti authores, & alij plures probabilem putant, quod ſcilicet ſaltem in cauſis capitalibus in quibus imminet periculum mortis, ad id non teneatur reus, non eſt difficultas.

Quia verò poteſt contingere quod reus interrogatus non reſpondeat clarè, & manifeſtè, ſed dubiè, ambiguè, & obſcurè, & ideo Iudex animaduertere debet, quod in tali caſu debet eum vberius interrogare, vt clariùs reſpondeat, Albertinus *de Catholic. aſſertionib. quæſt. 35. n. 48. & ſeq.* Decianus *tract. crim. lib. 5. cap. 37. num. 6. & 47.* Ricciulus *de perſon. quæ in ſtat. reprob. verſant. lib. 1. cap. 4. num. 8.* Imò tenetur id facere, ne iudicium reddatur nullum propter ipſius negligentiam in inquirendo, *cap. iudicantem 11. quæſt. 5.* Gloſſa *verbo remaneat,* Bordonus *de S. Tribunal. cap. 34. num. 13.* Et quia debet omnia perſcrutari, de tota cauſa eſſe inſtructus, & cognoſcere initium, medium, & finem illius, *cap. cum fides, de fide inſtrument. cap. ſuper, de offic. deleg. l. iudices, ff. de iudic.* Boſſius *de confeſſ. num. 43.* Menochius *lib. 1. de præſumpt. quæſt. 89. num. 24.* Bordonus *ſuprà.* Et generaliter loquendo, quia vt efficax ſit, debet eſſe indiuidualis, ſpecifica, non generalis, dubia, vel æquiuoca, Boſſius *ſuprà,* Farinacius *quæſt. 81. num. 31. & ſeqq.* Carena *de offic. S. Inquiſit. part. 3. tit. 8. §. 9. n. 46.* Et quia confeſſio ambigua non eſt confeſſio, *l. neque naturales, C. de probat. cap. in præſentia, eod. tit. l. non hoc, C. vnde legitimi.*

Caſu autem quo non interrogetur, & ſemper maneat dubia eius confeſſio, regulariter interpretari debet in fauorem confitentis, niſi ſit malæ famæ. Souſa *in Aphoriſm. lib. 2. cap. 20. num. 12.* Carena *ſuprà, n. 47.* & Farinacius. Eo quòd in dubiis quilibet præſumitur bonus, *l. abſentem, ff. de pœnis,* cum aliis per Menochium *de præſumpt. præſumpt. 1. lib. 5.* Ricciulum *ſuprà lib. 1. cap. 23. num. 1.* Si verò ſit malæ famæ, præſumptio ſtat contra illum, quia ſemel malus ſemper præſumitur malus, *de Regul. iur. in 6. l. ſicuti, §. quidem,* & ibi Bartolus *num. 8. ff. de accuſat.* Alexander *conſ. 5. num. 3. lib. 1.* Abbas *in cap. teſtimonium, num. 14. de teſtib.* & ibi Felinus *num. 34.* Maximè in materia hæreſis, quia ſemel hæreticus ſemper præſumitur talis, quouſque non probetur correptus. Idem Felinus *cap. ſcribam, col. 2. de præſumpt.* Ricciulus *ſuprà num. 6.*

Vide alia ad intentum infrà verbo *Sententia Iudicialis,* verbo *Teſtes Regulares,* & verbo *Tortura quoad Regulares,* & verbo *Viſitator Regularis.* 6

RITVS SACRI.

SVMMARIVM.

1 *Ritus Sacri qui ſint.*
2 *Veteres ritus non immutandi.*
3 *De ritibus, ſeu cæremoniis Miſſæ.*
4 *De ritibus in adminiſtratione Sacramentorum.*
5 *De ritibus, & cæremoniis Officij diuini.*
6 *De aliis ritibus Eccleſiæ.*
7 *Alia remiſſiuè.*

Ritus Sacri ab Eccleſia inſtituti alij ſunt circa Miſſæ celebrationem, alij circa adminiſtrationem, ſeu receptionem Sacramentorum, & alij circa Officium diuinum, alij verò circa Orationes, Benedictiones, Conſecrationes, Sacramentalia, & ſimilia. De quibus ſigillatim aliquid dicendum. 1

Et quidem generaliter loquendo de veteribus ritibus Eccleſiæ, conſtat ex dictis *ſuprà* verbo *Sacra Congregatio, num. 3.* non poſſe Regulares inconſultâ Sacr. Congregatione Rituum, communes veteres ritus Eccleſiarum immutare, nouos inſtituere, Sanctis Officia concedere, aut aliquid ad ipſorum ſolemnitatem ſpectans de nouo efficere. Idem colligitur ex Bulla Sixti eo loco, *num. 2.* relata, ac ex Decreto Sacr. Congregationis, quod ex Gauanto *in Man. Epiſc. verb. Librorum editio, num. 5.* retuli *ſuprà* verbo *Libri, num. 9.* vbi prohibetur imprimi aliquid ſpectans ad nouos ritus inconſulta Sac. Congregatione. 2

De ritibus autem, ſeu cæremoniis ad Miſſæ celebrationem requiſitis, latiùs dixi *ſuprà* verbo *Crux,* maximè verbo *Miſſa.* Plura etiam ad intentum *tom. 1. cap. 21.* 3

Digitized by Google

*cap.*21. Deſeruiunt etiam dicta etiam *ſuprà* verbo *Calix*, & dicenda infrà verbo *Vaſa Sacra*, & verbo *Veſtes Sacræ*. Nota autem, Epiſcoporum munus eſſe, iuxta Decretum Concilij Triden. *ſeſſ.*22. curare, vt tollantur in celebratione Miſſæ ea, quæ vel auaritia, vel irreuerentia, vel ſuperſtitio induxit. Sed ſpecialiter etiam, vt in eodem Decreto habetur, ſic monentur circa Rituum, & cæremoniarum Miſſæ obſeruantiam tuendam. *Edicto, & pœnis propoſitis caueant, ne ſacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, néve ritus alios, aut alias ceremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti, & laudabili vſu receptæ fuerint. Quarundam verò Miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quam à vera Religione inuentus eſt, omnino ab Eccleſia remoueant.*

Nota cum de anno 1649. die 16. Nouembris ſupplicatum fuiſſet ex parte Fratrum Minorum, quod Sacra Congregatio Rituum huiuſmodi dubiis declarationem traderet. *Primum videlicet, an & à quo fieri debeat aſperſio die Dominicò quando ſuperior celebrat. Secundum an debeant velari imagines, & Cruces Sabatho Paſſionis, ſi occurrat eo die feſtum S. Titularis, vel Patroni Eccleſiæ. Tertium an detegi illo debeant quando in hebdomada Paſſionis occurrit feſtum S. Titularis, aut dedicatio Eccleſiæ. Quartum quo velo cooperienda ſit Crux in altari ad ſumptionem lotionis pedum in feria quinta maioris hebdomadæ, & Crux paſſionis, cum Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo, & actus ipſe lotionis, ſiue mandati præcipiatur à rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtiuitate Miſſæ celebratæ in mane cum cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis. Quintum an, & quando benedicenda ſit pyxis, purificatoria, oſtenſoria, vel ſaltem lunula, quæ immediatè inſeruiunt Sacramento pluſquam alia, quæ habent in Miſſali propriam formam benedictionis.* Et Sacra Congregatio ſic reſpondit? Ad primum, *aſperſionem ſemper faciendam eſſe à celebrante.* Ad ſecundum, *affirmatiuè*. Ad tertium, *negatiuè*. Ad quartum, *colorem non eſſe mutandum*. Ad quintum, *ſeruandas eſſe rubricas.*

4 Generaliter etiam circa ritus obſeruandos in adminiſtratione Sacramentorum ſic habetur ex eodem Concil. *ſeſſ.*7. *can.*13. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Idem etiam fermè dicitur de ceremoniis Sacramenti Ordinis *ſeſſ.*23. *can.*5. & Sacramenti Matrimonij *ſeſſ.*24. *can.*11. In profeſſione etiam fidei à Pio IV. inſtituta pro promouendis ad Doctoratus, Beneficia, &c. ſic habetur: *Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.* Vnde illos negare cum contumacia hæreſis eſt, & id faciens hæreticorum pœnas incurrit. Theſaurus *in Praxi part.* 2. *verb. Ritus, cap.*1. ex Maiolo.

5 Maximè etiam de ritibus, & cæremoniis Officij recitandi latè dixi *tom.*1. *part.* 1. *cap.* 12. & *ſuprà verbo Breuiarium*, ac *ſupra verbo Officium diuinum*. Quia tamen multi in praxi dubitare ſolent, an de Sancto Beatificato, qualis in Ordine noſtro eſt Beata Maria Magdalena de Pazzis, dici poſſit Miſſa, vel officium, notandum eſt id, quod dixi *dicto cap.* 12. *num.* 37. quod de Sancto Beatificato, nec ab aliis perſonis, nec alio die, aut loco quàm deſignantur in Bulla Beatificationis, poſſe dici Officium, aut Miſſa. Quia cultus Sancti Beatificati omnibus eſt prohibitus, niſi iis quibus expreſsè conceſſus, & eo modo, quo conceſſus. Quod ad eo verum eſt, vt neque deuotionis gratiâ, aut priuatim id liceat alicui. Granadus *in* 2. 2. *Controuerſ.* 1. *tract.*7. *diſput.*4. *ſect.*2. Diana *part.*4. *reſol.*231. Qui addunt nec licere commemorationem in Miſſa facere de prædictis Beatificatis aliis diebus, præterquam in conceſſis, neque aliis Eccleſiis. Præcipuè tamen quod Miſſa, & Officium conceſſa pro Sancto Beatificato non poſſint dici ab aliis, niſi illis, quibus conceſſa ſunt, colligitur ex Alexandro III. *in cap.* 1. *de Reliquiis, & venerat. ſanctorum*, vbi prohibuit aliquem colere cultu publico (qualis eſt Miſſa, & Officium) ſine Apoſtolicæ Sedis facultate, quem non habent niſi ſolùm ij, quibus conceditur; cum incluſio vnius ſit excluſio alterius, *l. cùm prætor, ff. de iudic. & l. maritus, C. de procur.* Cui etiam conſonat, quoad Regulares ſpectat, decretum Sacr. Congregationis Rituum, quod retuli *tom.*1. *cap.*21. *num.* 23. ex Gauanto, & Barboſa, vbi habetur quod Miſſæ certis Regularibus conceſſæ non poſſunt ab aliis dici, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. Caſtell. *tract. de Canonizat. Sanctorum cap.* 2. *part.*1. §. 6. *num.*6. & 7. Diana *part.*2. *tract.*15. *reſol.*55. & *in addit. reſol.*2. ex aliis, meritò reprehendens oppoſitum dicentes.

De aliis quoque Eccleſiæ ceremoniis, & ritibus, 6
certum eſt reprobari non poſſe ſine nota hæreſis, vel erroris, aut ſaltem temeritatis. Certum etiam eſt aliquas illarum, & non principales, omittere, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, non eſſe peccatum mortale, iuxta dicta *ſuprà verbo Miſſa, num.*58. Vnde relinquere cæremonias ab Eccleſia inſtitutas in abſolutione à cenſuris, non eſſe peccatum mortale, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, tenent Tannerus, Turrianus, Auila, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Diana 5. *part. tract.*9. *reſol.*23. Ex quo etiam patet, quid dicendum ſit de obligatione obſeruandi Cæremoniale Epiſcoporum à Clemente VIII. *Bulla* 69. & Rituale Romanum à Paulo V. *Bulla* 85. inſtituta. De obligatione autem obſeruandi cæremonialia, ſeu ritualia Religionum, dixi *tom.*1. *part.* 2. *cap.*8. *num.* 32.

Vide dicenda infrà verbo *Sanctorum cultus*, verbo 7
Vaſa Sacra, & *verbo Veſtes Sacræ.*

SACRAMENTORVM administratio.

De Sacramentis, prout ſpecialiter ad Religioſos ſpectant, plura dixi per totam hanc ſummam. Etenim de Baptiſmo, an poſſit à Regularibus miniſtrari, dixi *tom.*1. *part.*1. *cap.*9. *num.*31. & maximè *ſuprà verbo Baptiſmus*. De Sacramento Pœnitentiæ eodem *tom.*1. *p.*2. *cap.*19. & *ſuprà verbo Confeſſarius Regularis*, & *verbo Confeſſio*. De Sacramento Eucharistiæ *eo num.* 31. & *cap.* 21. *num.* 8. maximè verò *ſuprà verbo Euchariſtia*. De Sacramento Extremæ vnctionis eo *num.* 31. & *dict. cap.* 21. *num.* 10. ac *ſuprà verbo Extrema vnctio*. De Sacramento Ordinis dicto *tom.* 2. *cap.* 14. & *ſuprà verbo Dimiſſoria*, & *ſuprà verbo Ordines Sacri*. De Sacramento Matrimonij dicto *num.* 31. & *eo cap.* 21. *num.*9. Plura etiam de hac materia Putellus *in Dub. Regularium, verbo Sacramentorum adminiſtratio.*

SACRILEGIVM.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium quid ſit.*
2 *Tria genera rerum ſacrarum.*
3 *Quando committatur ſacrilegium circa perſonas ſacras.*
4 *Quando circa loca ſacra.*
5 *De ſacrilegio furti in loco ſacro.*
6 *De ſacrilegio circa res ſacras.*

7 De

7 *Committitur ipſas profanando.*
8 *De ſacrilegij pœnis.*

1 CVm ſacrilegiom ſit rei ſacræ violatio, ſeu irreuerentia contra rem ſacram, prout ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 1. & 2. colliguot communiter DD. Sicque ſpeciale peccatum Relegioni oppoſitum, prout etiam cum eodem S. Thoma eo *art.* 2. communiter tenent DD. ideo ſpecialiùs videtur ad Religioſos hæc materia pertinere, & idcirco de ipſa agendum in præſeoti.

2 Et in primis, tria genera rerum ſacrarnm ſunt, qoarum violatiooe, ſeu irreuerentia committiuc ſacrilegium, ſcilicet primò, perſonæ ſacræ, videlicet Clerici, ſiue Religioſi. Secundò, loca ſacra, ſcilicet Templa, Monaſteria, Hoſpitalia, Oratoria, &c. Tertiò, res ſpecialiter vocatæ ſacræ, videlicee Sacramenta, vaſa ſacra, Veſtes ſacræ, vel illa, quæ ees ſacras ſignificant, vt ſunt Imagines, vel Verba Sacra. Sanct. Thomas *ſupra art.* 3. Caietanus, & Expoſitores ibidem, Summiſtæ *verbo Sacrilegium*, Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. moral. lib.* 9. *cap.* 27. *quæſt.* 2. De his ergo ſpecialiter diceodum. Notandum tamen, rem ſaceam propriè eam tantùm cenſeti, quæ poblico ritu aut inſtitutione ad cultum Dei deputata eſt, *l. in tantam, leg. ſacra, ff. de rerum diuiſione*, Petrus Geeg. *lib.* 33. *ſynagm. cap.* 14. & Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *de Sacrilegio, cap.* 2. *num.* 1. Vbi rectè monet, oon quolibet priuato propoſito, aut voto rem, aot perſonam ſacram effici, ſed neceſſe eſſe, vt publicam ex iute cooſecrationem, vel deputationem ad Dei cultum habeat. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap.* 7. *num.* 1. Nota etiam quoad forum externum, ſacrilegium eſſe delictum mixti fori, ita vt tam à Iudice laico, quàm Eccleſiaſtico poſſit puniri. Batboſa *in Collectan. tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 23. *cap.* 2. *num.* 9. Diana *part.* 5. *tractat.* 2. *reſolut.* 82. Theſaurus ia *Praxi, part.* 2. *verbo ſacrilegium, cap.* 1. ex aliis. Quoad forum verò conſſcientiæ nota, illud ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, cum ſit grauis offenſa Dei, licet ratione inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ poſſit eſſe ſolùm veniale. Vnde quando mortale fuerit, neceſſariò confitendum eſt peccatum talem circunſtantiam habens. Reginaldus *l.* 19. *num.* 58. Bunacina *in tractatu de Legibus, diſput.* 3. *quæſt.* 6. *puncto vnico, num.* 19. & 20. ex aliis communiter. Specialiter qnoad Regulares, an teneantur confiteri circumſtantias voti caſtitatis, & annexi ſacris Ordinibus, & an in caſu quo confeſſarij eos agnoſcunt, & quid de illis qui vltra votum ſolemne votum etiam ſimplex emiſerunt, habes ex dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. & 9. De quo etiam Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 3. & 4. & *part.* 3. *Tract.* 4. *Reſol.* 67.

3 Committitur ſacrilegiom contra perſonas ſactas, ſcilicet Eccleſiaſticas, per iniurioſam ipſatum peecuſſiooem. De qua, & de excomiounicatioue latæ ſenteutiæ, quæ propterea incurriiur, dixi *ſupra verbo Clericus, num.* 2. Secundò perſonas Eccleſiaſticas ſubiiciendo fori ſæcularis iudicio aduerſus priuilegium exemptionis illarum, iuxta dicta eodem loco, *a num.* 19. Tertiò, ab eiſdem tributum exigeodo aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem, ſiue exemptionem à talibus ooeribus, ſicoti conſtat ex eis, quæ dixi *ſupra verbo Gabella quoad Regulares.* Quartò, luxurioſè violando corpus perſooæ Deo ſacratæ per votum caſtitatis. Quod intellige tam de peeſona, quæ aduerſus proprium votum peccat, iuxta dicta *tom.* 1. *part* 1. *cap.* 5. *n.* 4. 5. & 6. de Religioſis cootra caſtitatem peccantibus, quàm de altera, quæ illam violat, ſeu talis peccati eſt complex, S. Thom. *ſupra artic.* 3. Summiſtæ *verbo ſacrilegium*, Axor. *ſupra quæſt.* 3. Leſſius *de iuſt. & iure lib.* 2. *cap.* 45. *dub.* 3. Laymao *ſuprà num.* 3. Fagundez *in* 6. *præceptum Decalogi. lib.* 6. *cap.* 8.

Sacrilegium adoerſus locum ſacrum accidit primò, violaodo illios immunitatem, extrahendo videlicet reos ex eo, niſi in caſibus permiſſis. De quo dixi *ſuprà verbo Immunitas Eccleſiarum.* Secondò polluendo illum ſemine, vel ſanguine humano. De quo etiam eadem parte *ſupra verbo Cæmeterium*, & *verbo Eccleſia, ſeu Templum.* Tertiò, exercendo io illo iudicia ſæculatia, iuxta dicta eo verbo *Cæmeterium, num.* 2. Dixi iudicia ſæcularia, quia cauſæ Eccleſiaſticæ non ſuot prohibitæ in loco ſaceo. Imò etiam nec actus voluntariæ Iuriſdictionis, quales ſunt diſpenſationes, pupillorom prooiſiones, gtaduum collationes, & ſimiles, ſi ad pietatem, vel Eccleſiæ hooorem ſpectent, in loco Sacro ſunt prohibitæ. Quartò, exercendo ibi negotiatiooes, iuxta dicta eo *num.* 2. vbi etiam alia ad intentum. Quintò, habendo ibi conoiuia, ioxta dicta etiam eodem loco. Sextò, ſpoliaodo illum, vel furando aliquid ex ipſo, maximè eum effractione, vel incendio, iuxta dicta *ſuprà verbo Furtum, numero* 4. & 5. Azoe. *ſuprà quæſt.* 4. Leſſius *ſuprà.* Suarex *ſuprà, cap.* 4 Layman. *ſupra num.* 8. Bonacina *ſuprà à num.* 9. Theſaur. *ſuprà cap.* 2. 3. & 5. 4

Nota tamen circa ſactilegium furti, qnod iuxta probabiliorem ſenteotiam, illud committitur furando aliquid in Eccleſia, ſiue illud ſit res Sacra, ſiue non, ſiue ibi poſita ſit ſub cuſtodia, ſiue non, prout ex Nauatro, Valentia, Suarez, Vaſquez, Nuño, & aliis ſequuntur Bonacina *ſupra, num.* 17. Layman. etiam *ſuprà num.* 18. & alij. Ratio ſumitur ex Iuris diſpoſitione *in cap. quiſquis inuentus* 17. *quæſt.* 4. in quo dicitur, ſacrilegium committitue auferendo *Sacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro.* Vbi notanda eſt illa clauſula *non ſacrum de ſacro*, quæ cum abſolutè loquatue, & ſioe diſtinctione, non eſt cur à nobis diſtinguatur, & intelligatur ſolùm de re Sacra, vel de re poſita ſub cuſtodia in loco ſaceo, præſertim com id vertat in reuerentiam Eccleſiarum, & fauorem immunitatis Eccleſiæ. Non deſunt tamen DD. probabiliter aſſerentes non committi ſacrilegium accipiendo eem non Sacram de loco Saceo, modò res non ſit tradita Eccleſiæ in cuſtodiam, vel pignus, vel alio modo. Ita Azor. *ſupra quæſt.* 6. Leſſius *ſuprà*, Henriquex, Victoria, & alij, quos ſequuntur Naldus *in Sum. verbo Furtum, n.* 1. & *verbo Sacrilegium, num.* 6. & 12. & Diana *part.* 1. *tract.* 7. *Reſol.* 27. Sed, vt dixi, oppoſitum eſt probabilius, & communiter receptum. Nota etiam circa ſacrilegium, quod dixi committi ob Eccleſiæ pollotionem, id intelligi, etiam quando eſt pollutio occulta, quia etiam talis actus eſt contra ſanctitatem, & reuerentiam debitam Eccleſiæ. Suarez *ſuprà, dicto lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 4. Sanchex de *Matrimon. lib.* 9. *diſp.* 15. *n.* 11. Raphael de Torre *in* 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 1. *diſp.* 6. Licet Diana *ſupra Reſol.* 26. cum Vaſquex oppoſitum probabile exiſtimet. Idem dicendum de tactibus impudicis in Eccleſia factis, propter idem fundamentum. Suarez *ſuprà num.* 11. Torre *ſupra art.* 4. *diſp.* 7. Licèt etiam idem Diana *part.* 2. *tract.* 17. *Reſol.* 23. oppoſitum ſentiat cum Sanchex, Valentia, Vaſquex, & aliis. Secus videtur dicendum de ſimilibus actibus, etiam fornicatione, factis in cubilibus, tefectoriis, vel aliis officinis Religioſorum, quia illa non ceoſentur loca Sacra, quantum ad hoc. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 166. ex Axorio, quem refert. Quamuis autem idem dicat de Sacriſtiis, animaduertendum tamen, an illæ ſint benedictæ, vel cooſecratæ, vt partes Eccleſiæ, ſi enim tales fuerint, ſacrilegium committetue per tales actus, ſicut in 5

aliis Eccleſiæ pàrtibus, Zerola *in Praxi pœnit. cap.* 12. *quæſt.* 27. & alij.

6 Sacrilegia autem circa res Sacras ſunt. Primò, omnis abuſio Sacramentorum. Secundò, perceptio, & adminiſtratio eorumdem in ſtatu peccati mortalis. Et quia inter Sacramenta ſupremum locum tenet Eucharistia, quæ non ſolùm ſanctitatem efficit, ſed etiam ipſum fontem ſanctitatis realiter continet, ideo violatio huius eſt grauiſſimum ſacrilegium. Tertiò, abuſio, & violatio vaſorum Sacrorum, vt ſi quis vtatur Calice conſecrato ad potandum, ſicut Balthaſar vaſis Templi, vel ſi ex veſtibus Sacris conficiat ſibi caligas, vel thoraces. Quartò, rerum huiuſmodi ſurreptio. Quintò, abuſio ſententiarum Scripturæ ad ſuperſtitiones, & facetias, ad amatoria, ſeu ad ſtabiliendas hæreſes. Sextò irreuerentia omnis, quæ committitur in recitando, vel cantando Officio diuino, ſacriſque cæremoniis obeundis. Ad quod etiam pertinet muſica laſciua, vel prophana rebus diuinis adhibita. Septimò, mala tractatio, vel confractio Imaginum Sacrarum, ſi id fiat, vt Sancti per eas non colantur, vel ex contemptu illorum, ſicut fit ab hæreticis. Item, ſi indecorè pingantur, vel ſculpantur, vt cum B. Virgo inſtar fœminæ mundanæ exprimitur. Octauò, ſi Reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, aut diſſipentur eo animo ne colantur. Nonò, ſi dies ſacri operibus ſeruilibus, vel aliis prohibitis violentur. Omiſſio autem ſacri non tam videtur eſſe ſacrilegium, quam cultus debiti neglectus. Decimò, inuaſio bonorum, vel iurium Eccleſiaſticorum, retentio Eccleſiæ legatorum, &c. ſeu oblationum, iuxta dicta *ſupra verbo Oblatio facta Regularibus, num.* 9. Hæc enim ſæpè in Iure ſacrilegia vocantur, vt patet ex multis canonibus 17. *quæſt.* 4. Etſi enim hæc bona nullam in ſe ſanctitatem habeant, tamen Iure naturæ, & Canonico ob reuerentiam, quæ cultui diuino debetur, debent eſſe ab occupatione ſæcularium immunia. Azor. *ſuprà q.* 8. *&* 9. Leſſius *ſupra*, Reginaldus *ſupra num.* 57.

7 Adde, ſacrilegium etiam committi circa res ſacras eas prophanando. Azor. *ſupra quæſt.* 8. Naldus *in Summa, verbo Sacrilegium, num.* 2. Pariter etiam dici poteſt committi ſacrilegium circa res ſacras, ſeu bona Eccleſiaſtica, illa alienando, eo enim ipſo quod ſunt res Eccleſiaſticæ, ſpecialiter ſunt dicatæ cultui diuino. Theſaur. *ſupra cap.* 1. *§. Sacrilegium.*

8 Circa ſacrilegij pœnas, præter excommunicationem, & alias, quas de ipſis ſacrilegiis in particulari ſuis locis dixi, notat Theſaurus *ſuprà* ſacrilegij criminis damnatum Iuris infamiæ pœnam incurrere, ac per conſequens eſſe irregularem, licet Epiſcopus in tali infamia, & irregularitate poſſit diſpenſare, pœnitentia, vel eius parte peracta, & ceſſante ſcandalo. Pro quo vide dicta *ſuprà verbo Infamia*, & Garciam *de Beneficiis, p.* 11. *c.* 10. *n.* 173. Nota etiam, quod ex Bulla Sixti IV. *Cùm prouida*, ſtatuta eſt excommunicatio latæ ſententiæ Papæ reſeruata contra quoſcunque, qui de lapidibus porphyreticis, marmoreis, aliiſve diuerſorum generum, ſeu colorum ad Eccleſiarum Vrbis Romæ decorem, & ornatum deputatis, ſiue de aliis earumdem Eccleſiarum ornamentis, auſu ſacrilego abſtulerint, ſeu auferent in furtum, aut per ſe, vel per alios ad diuerſa loca aſportari præſumpſerint, aut talia habuerint, aut in ſurripiendo, ſeruando, & retinendo auxilium præſtiterint, vel fauorem, & contra ſcientes, & non reuelantes Papæ. Item ſtatutum eſt ibidem interdictū latæ ſententiæ contra Eccleſias, & loca, quorum vſui taliter oblata & deputata fuerint, ſeu deputabuntur, quod tam diu duret, quamdiu ad loca, vnde priùs ablata fuere, abſque diminutione aliqua fuerint reportata. In ſuo robore etiam permanentibus Conſtitutionibus ab aliis Summis Pontificibus promulgatis, quibus excommunicati declarantur auferentes lapides, ſeu ornamenta de Eccleſiis, ſeu Sacris locis. Ita refert hanc Conſtitutionem (quam tamen videre non potui) Theſaurus *ſuprà cap.* 4. notans illam etiam durare pro tempore futuro, licèt fortè non quoad obligationem denunciandi. De ea etiam Filliucius *tract.* 15. *num.* 126. Bonacina *de Cenſuris in particulari, diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 13.

SACRISTA, ET Sacriſtia.

SVMMARIVM.

1 *De Sacriſtæ officio.*

2 *Sacriſtia an contineatur ſub clauſura.*

Alia remiſſiuè, ibid.

DE Sacriſtæ officio, & aliis ad ipſum ſpectantibus, dixi *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 45. vbi etiam *num.* 46. an Sacriſtæ Conuerſi habeant facultatem tangendi Calices, Patenas, & Purificatoria. De quo etiam eadem *part.* 2. *cap.* 8. *à num.* 33. Non poſſe aliquid exigere pro benedictione ſponſi, & ſponſæ, habetur ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Sacriſta.* Præter dicta autem eo loco notandum vlteriùs, munia Sacriſtæ incumbentia eſſe, cuſtodire vtenſilia Eccleſiæ, ſigna dare ad Horas Canonicas recitandas, luminaria Eccleſiæ accendere, ignem vigilanter cuſtodire ne extinguatur, vinum, Hoſtias, incenſum, & alia ad Altaris Sacrificium neceſſaria præparata habere. Hæc enim omnia conformia ſunt Iuri canonico *de offic. Sacriſtæ cap.* 1. *& de offic. cuſtodis cap.* 1. *&* 2. Azor. *tom.* 2. *Inſtit. moral. lib.* 3. *cap.* 16. *quæſt.* 7. Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 27. *à n.* 8. Sacriſtæ quoque munus conferri poſſe illegitimis, conſtat ex dictis *tom.* 1. *part.* 2. *c.* 13. & *ſup. cap.* 18. *num* 62. 1

Sacriſtiam Choro contiguam Monaſterij Religioſorum eſſe ſub clauſura comprehenſam, itavt in illam ingredi non poſſint mulieres, conſtat ex declaratione Sacr. Congregationis, quam refert Barboſa loco relato *ex Collectaneis*, & Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Sacriſtia, num.* 2. Similiter & Sacriſtiam, ad quam non patet aditus niſi per clauſtra Monaſterij, ſubijci clauſuræ, ac proinde mulieres nullo modo illuc ingredi poſſe, tenent Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 17. *num.* 17. Coriolanus *de caſibus reſeruatis cap.* 3. *num.* 31. *verſ. quæritur quartò*, & Bonacina *de Clauſura quæſt.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. Idem dico ſi ſacriſtia habeat duas portas, vnam in Eccleſia exiſtentem, alteram in clauſtro Religioſorum, Bonacina *ſuprà §. ſi verò*, Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 102. *num.* 85. Ea verò Sacriſtia, ad quam ſolùm eſt aditus per Eccleſiam, non eſt ſubiecta clauſuræ, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. ex Bonacina loco relato. Pro quibus etiam videndus Candidus *tom.* 4. *diſquiſit. diſquiſ.* 5. *art.* 2. *dub.* 14. An Sacriſtia poſſit aliquando pro choro deſeruire, habes ex dictis *ſuprà verbo Officium diuinum*, *num.* 10. 2

SANCTORVM CVLTVS.

SVMMARIVM.

1 *Sancti quomodo colendi.*

2 *Sancti Canonizatique cultu colendi.*

3 *Beatificati quomodo coli poſſint.*

An

An eligi in Protectores Ciuitatum. ibid.
4 *An poſſint publicè dici Sancti.*
5 *Quid de illis qui cum opinione Sanctitatis deceſſerunt.*
6 *Quomodo tales coli, aut non coli poſſint.*
7 *Quid de Imaginibus non Canonizatorum, & Beatificatorum.*
8 *Geſta, miracula, reuelationes ipſorum quomodo non imprimenda.*
9 *Proteſtatio Authoris in principio libri imprimendi.*
10 *Proteſtatio in fine libri.*
11 *Notanda circa iſtas proteſtationes.*
12 *Tabellæ, aut Imagines, vel lampades ad eorum ſepulcra non ponenda.*
13 *Decretum S. Congregationis.*
14 *De habitu Sacrarum Imaginum.*
15 *Alia remiſſiuè.*

1 SAnctos Angelos, ac homines in cœlo regnantes adoratione duliæ colendos, & adorandos eſſe, conſtat ex Concilio Nicæno II. *act.* 6. Gangrenſi *cap.* 20. & Trident. *ſeſſ.* 25. *in princip.* & ex eo quod illi ſunt filij, amici Dei, & conſortes gloriæ ipſius. Saytus *in Claui Regia, lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 10. Bellarminus *lib.* 1. *de Sanct. Beatitud. cap.* 13. Cùm autem, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 40. & *ſuprà verbo Reliquia*, duplex ſit cultus Sanctorum, vnus qui dicitur priuatus, quia non exhibetur tanquam inſtitutus ab Eccleſia, neque nomine Eccleſiæ, ſed ex peculiari deuotione colentis priuatim, aut publicè; alter qui dicitur publicus, & ſolemnis, qui non ideo dicitur talis quod coram aliis exhibeatur, ſed quia defertur tanquam inſtitutus ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ; vt aiunt Bellarminus *ſuprà*, Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 3. Laymanus *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 14. & alij: ſimiliter Sancti alij ſunt canonizati, alij ſolùm beatificati, alij verò nec Canonizati, nec beatificati, ſed ſolùm qui piè creduntur in cœlis cum Chriſto regnare, eo quòd piè vixerunt, & ita deceſſerunt; ideo de illis & de tali cultu ſigillatim dicendum.

2 Et quidem ſancti Canonizati coli poſſunt, & debent ab Eccleſia etiam publico, & ſolemni cultu. Ita enim colligitur *ex cap.* 1. & 2. *de Reliq. & venerat. Sanct.* & Bullis, quibus canonizantur, & praxi Eccleſiæ. Qui porrò ſint cenſendi Canonizati, conſtat ex dictis *ſuprà verbo Reliquiæ Sanctorum, num.* 7. Honores autem ab Eccleſia Canonizatis exhibiti præcipuè ſunt ſeptem. Primus, quod ſcribuntur in Catalogo Sanctorum, ideſt ſtatuitur, ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. Secundus inuocantur in publicis Eccleſiæ precibus. Tertius, Templa, & Aræ in eorum memoriam dicantur Deo. Quartus, Sacrificia, tam Euchariſtiæ, quàm laudum, & precum, quæ vulgò officium, ſiue Horæ canonicæ nuncupantur, in honorem eorum Deo publicè offeruntur. Quintus, dies feſti in eorum memoriam celebrantur. Sextus, pinguntur eorum Imagines addito certo quodam lumine in ſignum gloriæ, quam habent in cœlis. Septimus, eorum Reliquiæ ſpecioſis thecis includuntur, & publicè honorantur. Bellarminus *ſuprà cap.* 7. Azor. *tom.* 2. *inſtitut. moral. lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 8. Fagundez *in* 2. *precept. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 13.

3 Sancti quoque Beatificati coli poſſunt, & debent ab Eccleſia cultu etiam publico, & ſolemni. Ita enim conſtat ex vſu ipſius Eccleſiæ, & Bullis Pontificiis, quibus Beatificantur, & ſupponunt Authores relati. Differt autem cultus exhibendus Canonizatis ab eo, qui exhiberi poteſt, vel debet Beatificatis, quòd ille eſt generalis, & ſolemnis, iſte autem ſolùm eſt particularis, non omnium honorum debitorum Canonizatis, ſed aliquorum dumtaxat, & non in omni loco, ſed alicubi tantùm. Peyrinis *tom.* 1. *part.* 5. *Priuilegiorum Minimorum, in Conſtitut.* 16. *Leonis X. num.* 1. Vnde ex ſeptem illis honoribus Sanctis Canonizatis exhibendis, primus de inſcriptione in Catalogis Sanctorum, ſi per eum intelligatur Martyrologium, ipſis tribuitur, cum conſtet noſtram Magdalenam de Pazzis in nouiſſimo Martyrologio Romano anni 1632. inſcriptam fuiſſe pro 25. Maij. Secundus etiam de inuocatione in publicis Eccleſiæ precibus, ſi per illas intelligantur ſolùm illæ, quæ in Miſſa, & Officio Canonico ipſorum dicuntur, non autem ſi per illas intelligantur Litaniæ, quia in illis Beatificati non inſeruntur, cùm in ipſis ſub titulo Sanctitatis ab Eccleſia ſerui Dei inuocentur. Fortunatus Scachus *de cultu, & veneratione ſeru. Dei lib.* 1. *ſect.* 10. *cap.* 3. §. *verùm non licere.* Quoad tertium verò de Templis, & Aris ipſis dicatis, quamuis Templa ipſis non concedantur, ſaltem ex vſu Eccleſiæ, cùm nullum (quod ſciam) Sancto Beatificato dicatum ſit, bene tamen Aræ, cùm ipſis plura Altaria etiam in Vrbe dicata conſpiciantur. Addit Fagundez *ſuprà num.* 15. etiam Eremitoria illis dicata eſſe, quæ tamen non vidi. Quartus de Sacrificio, & officio Canonico ipſis conceditur, limitatus tamen, & coarctatus ad perſonas, loca, & tempus, iuxta dicta *ſuprà verbo Ritus Sacri, num.* 5. De quinto, ſcilicet an dies feſti in eorum memoriam celebrari poſſint, dixi *ſuprà verbo Feſti dies quoad Regulares, num.* 7. probabiliorem eſſe partem negatiuam. Licet aliqui, videlicet Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 4. & 5. & Fagundez *ſuprà num.* 14. & 15. probabiliter oppoſitum tueantur. De ſexto, qui eſt pingere eorum Imagines cum laureolis, &c. dicendum ipſis conuenire, prout colligitur ex Decreto Sac. Congregationis, quod retuli *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. & de quo infrà. De ſeptimo autem, cum iuxta dicta *ſuprà verbo Reliquiæ Sanctorum, n.* 5. non poſſint Reliquiæ Sanctorum non Canonizatorum publicè adorandæ proponi, niſi à Papa approbentur; ideo videtur non poſſe id competere Sanctis ſolùm Beatificatis. Nihilominus quia Sanctis Beatificatis Miſſa, Officium, Altaria, & Imagines cum laureolis, vt dixi, etiam publicè conceduntur, quæ maiorem, & magis publicum cultum importaut, quàm veneratio etiam publica ipſorum Reliquiarum: ideo is honor illis competere poteſt. Quod ſupponunt Portellus *in Dub. Regular. verbo Reliquiæ Sanctorum, num.* 10. Fagundez *dicto num.* 15. & *cap.* 4. *num.* 3. Vnde *ad cap. cum ex eo,* ibi relatum, in quo negatur publica veneratio Reliquiarum niſi à Papa approbentur, dicendum, ſufficienter approbatas cenſeri Reliquias Sancti beatificati, eo ipſo quod beatificatur, & Miſſa, Officium, ac cætera, quæ dixi, illi à Papa conceduntur. Quod verò beatificati eligi non poſſint in Protectores alicuius ciuitatis, & caſu quo ſint electi, præcedere debeant Canonizatum poſtea electum, reſoluit Paſqualigus *Deciſ.* 507. ex declarationibus Sacræ Congreg. video etiam S. Congregationem die 23. Martij 1630. annuente SS. D. N. Vrbano, *ſuper electione Sanctorum in Patronos* hæc decreuiſſe. *Primò, quod eligi poſſint in Patronos ij ſolùm, qui ab Eccleſia vniuerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat. Secundò, quod de Patrono Ciuitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à populo, mediante Concilio generali illius Ciuitatis, vel loci, non autem ab Officialibus ſolùm. Et quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci. Idemque ſeruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum Ciuitatum Prouinciæ. Et quod repræſentantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciam nulla competat facultas*

eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & vlterius interueniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum. Tertiò, quod cauſa electionis nouorum Patronorum debeant in Sacr. Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari. Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio ſupradictum Decretum imprimi, & publicari mandauit. Vide Peyrinis *ſuprà priuileg. Minim. cap.12.in Conſtit.21.alias 31.Vrbani VIII.* De quo etiam Barboſa *in Collectan.Bullar.verbo Patronus.*

4 An verò poſſint Beatificati dici ſimpliciter, & publicè Sancti. Aliqui affirmare videntur. Tum quia eo ipſo quod ſunt Beati, etiam ſunt Sancti, tum quia ex vſu Eccleſiæ Beati, & Sancti ſæpiùs confunduntur, vt patet in Confeſſione generali, vbi Sanctiſſima virgo Maria, & S.Michaël, & Ioannes Baptiſta appellantur Beati, & Apoſtoli Petrus, & Paulus vocantur Sancti. Cæterum ex vſu, & praxi Curiæ *Sancti* nomen ſolùm tribuitur Canonizato, licet etiam appelletur Beatus; Beatificato autem ſolùm conceditur nomen *Beati*. Et ita obſeruandum. Fortunatus Scachus *ſuprà ex cap. ſi quis hominem* 11. *quæſt.*3.

5 Loquendo autem de hominibus non Canonizatis, nec Beatificatis, qui tamen cum opinione Sanctitatis vixerunt, & deceſſerunt, dicendum, quod licet publico cultu coli non poſſint, bene tamen priuato. Prima pars conſtat *ex cap.* 1. *& fin.de Relig. & vener. Sanctor.* Secunda verò conſtat etiam ex dictis *ſuprà*, verbo *Reliquiæ Sanctorum*, *num.* 9. & ex eodem *cap.fin.* Cum enim ideo prohibitus ſolùm ſit cultus publicus Sancti non approbati ab Eccleſia, videtur permiſſus cultus priuatus. Syluester *in Summa, verbo Reliquia, quæſt.*1. Bellarminus *ſuprà cap.* 10. Sanchez *ſupra num.*4. Layman. *ſuprà quæſt.*3 Bonacina *de legibus diſp.*3.*quæſt.*1.*punct.*2. Portellus *ſupra.*

6 Vnde licet tales non poſſint in Miſſa, officio diuino, Litaniis, aut precibus communibus, etiam priuatè recitatis, aut publicis concionibus, ſancti, aut beati appellari, aut inuocati, aut illis Templa, Eremitoria, oratoria, aut altaria erigi, vel Feſta, Vota, aut ieiunia publica in ipſorum honorem inſtitui, aut eorum Imagines cum laureolis, aut ſignis Sanctitatis depingi, quia hæc omnia ad cultum publicum ſpectant; poſſunt tamen, ſcandalo ceſſante, etiam aliis ſcientibus, in priuatis colloquiis, aut precibus Sancti, & beati nuncupari, & inuocari, ſicut ſe geſſiſſe conſtat S.Gregorium Nazianzenum *in Oratione de S. Athanaſio*, & altera *de S.Baſilio*, & S. Hieronymum *in vita Paulæ*, pro tempore, quo Athanaſius, Baſilius aut Paula ab vniuerſali Eccleſia inter ſanctos recenſiti non erant. Item poſſumus in eorum natalibus peculiariùs lætari, ab operibus ſeruilibus abſtinere, Deo vacare, ieiunare, votum in ipſorum cultum offerre, ipſorum Imagines ſine laureolis, aut ſignis ſanctitatis tenere, venerari, vt dixi, etiam aliis ſcientibus, modo ſcandalum abſit. Hæc enim omnia ad cultum particularem ſpectant, Bellarminus *ſuprà a.*11.*&* 12. Sanchez *ſupra a.*5. Layman.& Bonacina *ſuprà*, Portellus *ſupra num.*11.*&* 12.

7 Specialiter tamen circa Imagines iſtorum non Canonizatorum, nec Beatificorum notandum; quod illæ nullo modo, aut nullibi, etiam in priuatis locis, depingi, aut teneri poſſunt, cum laureolis, & ſignis Sanctitatis, provt dixi, & conſtat ex Decreto SS. D. N. Vrbani cum S. Inquiſitionis Congregatione, quod retuli *tom.*1. *cap.*12. *num.*39. vbi graues pœnæ contra tranſgreſſores deſignantur. Quod etiam confirmatum eſt ab eodem SS. Breui dato die 5. Iulij 1634. quod habetur cum aliis nouiſſimis Decretis ad Canonizationem, & Beatificationem Sanctorum ſpectantibus, Romæ editum ann. 1642. Imagines autem prædictorum non habentes tales laureolas, aut ſigna Sanctitatis, licet poni poſſint in Eccleſiis, Templis, aut Oratoriis pro ipſorum ornatu, & ſeparatæ ab imaginibus Sanctorum, ſicut poni poſſunt Imagines Imperatorum, Regum, Patronorum, &c. Bellarminus, Sanchez, Layman, Portellus *ſupra*, ac Peyrinis *tom.*1. *priuileg. Minim. in Conſtit.III. Leonis X.num.*4.) non tamen in Altari aliquo publico, vel priuato. Ita enim habetur in prædictis Decretis de anno 1642. editis. Quamuis autem Sanchez *ſuprà num.* 7. & Peyrinis *ſupra*, limitare id videantur, vt ſolùm id ſit verum quando tales Imagines ſolæ ponuntur in Altaribus, Decreta tamen vniuerſaliter loquuntur. Probabilior apparet limitatio alia, quam conformiter ad doctrinam eiuſdem Sanchez affert Fagundez *ſuprà c.*4. *num.* 15. vt ſolùm id ſit verum quando prædictæ Imagines ponerentur in Altari ipſo, non quando ad latus, ad ornatum ipſius. Illud certiùs, prædictas Imagines nullatenus cum lampade aliqua haberi poſſe. Provt ex Decretis relatis eo *num.*39. colligitur, & ex Philiarco *de Offic. Sacerd. tom.*1.*part.*2. *lib.*3.*c.*9. tenent Sanchez, & Layman. *ſuprà*, & fauet Fagundez etiam *ſupra num.*16. Quale autem ſanctitatis argumentum ſumatur ex Imaginibus habet Scachus *ſupra ſect.*9.*cap.*6.

Conſtat etiam ex dictis *num.* 39. relato, propter Decreta ibi adducta, non licere imprimere libros continentes horum, qui cum ſanctitatis fama deceſſerunt, geſta, miracula, reuelationes, &c. ſine approbatione Ordinarij, & reſponſione circa id negotium Sedis Apoſtolicæ. Vnde prædicta neque per modum hiſtoriæ referri licere, tenere videtur Peyrinis 3.*tomo priuil. Minim.cap.*4.*n.*1.ex Caſtellino. Illud etiam omninò obſeruandum, quod circa prædicta præcipitur in nouiſſimis Decretis anni 1642. videlicet: *Reſponſum, quod à Sede Apoſtolica in vim prædictorum Decretorum expectare debent Ordinarij locorum, vt imprimi poſſint libri continentes geſta, miracula, ſeu reuelationes eorum, qui cum prædicta fama ſanctitatis, ſeu Martyrij deceſſerunt, non detur niſi cum infraſcriptis proteſtationibus in dictis libris, & hiſtoriis inferendis. Declarando etiam expreſſè, quod tales libri, ſeu hiſtoria, licet ab Ordinariis reuiſa, & poſt Sedis Apoſtolicæ reſponſum approbata, non faciant maiorem gradum probationis in ordinatione ad Canonizationem, ſeu Beatificationem, quàm quæ alias abſque tali approbatione de iure fecisſent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu.* Proteſtationes verò ſunt iſtæ. 8

Proteſtatio Auctoris in principio libri imprimenda.

Cum Sanctiſſimus D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anni 1625. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, quâ par eſt inſiſtendo, profiteor me 9

haud

haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ dumtaxat humana auctoritate, non autem diuina Catholica Romana Eccleſia, aut Sancta Sedis Apoſtolica nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.

Sequens verò in fine libri.

10 *Lector aduerte, in Elogiis virorum Illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab iis geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt, præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi, beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione diuinitus. Demum nonnullis ſanctimonia, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam, quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum Sac. Congregationis S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiuſdem Decreti à Sanctiſſ. Dom. Noſtro Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando illius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi. Ego N.N.*

11 Circa prædictas autem proteſtationes nota primò, quod illæ per ſe ſolæ non ſufficiont ad hoc quod reuelationes, miracula, geſta, &c. præfatorum hominum, qui cum opinione ſanctitatis deceſſerunt, imprimi poſſint, niſi accedentibus etiam Ordinarij approbatione, & reſponſo Sedis Apoſtolicæ, prout colligitur ex verbis relatis. Nota ſecundò, quod in præfatis libris non poteſt tribui nomen Sancti, aut Beati illis, qui cum opinione ſanctitatis deceſſerunt. Tum quia eſt contra ſtylum Curiæ, qui ſolùm ipſis tribuit nomen ſerui Dei, Ancillæ Dei, &c. Tum quia, vt ſæpè expertus in Sacra Congregatione Indicis, quando de correctione librorum agitur, ſimiles tituli non permittuntur.

12 Ad prædictorum etiam ſepulchra appendi, aut affigi non poſſe tabellas, imagines, aut lampades ſine recognitione Ordinarij, ac approbatione Sedis Apoſtolicæ, conſtat ex Decretis relatis *eo num.* 39. *cap.* 12. *tom.* 1. *p.* 1. *Summæ*, & ex eo quod id pertinere videatur ad publicum cultum. D. Conterolus *in Addit. ad Iacob. Caſtellan. quæſt.* 9. *art.* 1. *num.* 29. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 97. *num.* 14. Similiter nec occultè licere lampadem ibi accendere, propter eandem rationem, & declarationem Sac. Congregationis, tenent Caſtellinus *de Canonizat. Sanct. cap.* 2. *part.* 8. §. 3. Peyrinis *loco relato*. Quamuis autem in prædictis Decretis præcipiatur, quod ſi prædictæ tabellæ, imagines, &c. deferantur, cuſtodiri debere in ſecreto aliquo ſeorſim ab Eccleſia loco; nihilominus in nouiſſimis Decretis de anno 1642. permittuntur cuſtodiri in Sacrario, ſecretò tamen, & eo modo, quo cultum, & venerationem non præſeferant.

13 Plura alia circa modum procedendi in Canonizatione, vel Beatificatione Sanctorum, iuramentum præſtandum per DD. Cardinales, formam commiſſionis, & litterarum remiſſorialium, ſeu compulſorialium, & pro Nunciis, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac alia concernentia habes in prædictis nouiſſimis Decretis, quæ omitto, quia parum ad noſtrum intentum. Præſens autem Decretum Sac. Congregationis Rituum à Sanctiſſimo approbatum, & vbique, vt ipſe præcipit, publicandum, quod etiam habetur inter præfata nouiſſima Decreta, quia vtile valdè Regularibus eſt, hîc apponendum cenſeo. *Cum in tota Eccleſiæ gubernatione nihil maius, nihil ſit auguſtius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, vtpote homines iam demortuos, etiam cum fama ſanctitatis, ac miraculorum, declarare pro Sanctis, eoſque vti tales colendos, & venerandos decernere. Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè ampliſſima, atque grauiſſima ritè, ſancteque conficiatur, prohibet omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm regularibus, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Societatis Ieſu, vel aliorum quantumuis ſpeciali notâ dignorum, ne audeant ipſi per ſe, aut per alios capere informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones ſub pœnis arbitrio Sac. Congregationis infligendis. Quod ſi Superiori, Sacriſtæ, ſeu alteri Officiali illius Eccleſiæ, in qua requieſcit corpus ipſiuſmet defuncti, vel alterius etiam Eccleſiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, ſeu prophetiæ dona, poſſint ea recipere ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tantùm relatoribus, in quorum gratiam contigiſſe narrabitur; teneantur tamen quamprimùm commodè, poterunt, eadem deferre, vel obſignata tranſmittere Epiſcopo loci, cum expreſſa declaratione, quod reuelationes ſic, vt ſuprà, recepta, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiuſvis longiſſimi temporis curſu.*

Pertinent etiam ad Sanctorum cultum ea, quæ idem Sanctiſſimus Vrbanus motu proprio circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum die 15. Martij currentis anni 1642. his verbis præcipit. *Ne quis cuiuſcunque gradus, qualitatis, Ordinis, ſtatus, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Eccleſiaſticæ, etiam indiuidua, ac ſpeciali expreſſione digna exſtat, præſumat Imagines Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcunque ſculpere, aut pingere, vel ſculpi, aut pingi facere, aut antehac ſculptas, aut pictas, & aliàs quomodolibet effictas tenere, ſeu publicè aſpectui exponere, aut veſtire cum alio habitu, & forma quam in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſueuit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore præſentium prohibemus, ac vt Imagines aliter picta, vel ſculpta ab Eccleſiis, & aliis locis quibuſlibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ab antiquo tempore conſuetam, vt veneratio, & cultus ſic dictis imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium ſubiiciuntur non inordinata, nec inſolita appareant, ſed deuotionem pariant, & pietatem, & ne exponantur in Eccleſiis quibuſlibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontiſpiciis, & atriis imagines prophana, vel aliàs indecentiam, & inhoneſtatem præſeferentes, cùm demum Dei deceat ſanctitudo, præcipimus.* Inferius autem omnibus Ordinariis, & Nunciis, ſeu Legatis, vt prædicta inuiolabiliter obſeruent, præcipit, ac omnibus, & quibuſcunque Regularibus, ſiue ſæcularibus, vt præmiſſa etiam obſeruent, & obſeruari faciant. Statuit etiam quod ſi Regulares, ſeu Moniales prædictis parêre neglexerint, poſſint, & debeant Epiſcopi, & locorum Ordinarij, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncij, & Legati Apoſtolici de latere 14

miſſi tanquam in hoc à Sede Apoſtolica ſpecialiter delegati, eontra omnes, & ſingulos prædictos, & quoſeunque alios quomodolibet inobedientes, & tranigreſſores procedere, & quacunque appellatione, recurſu, reclamatione, aliiſque Iuris, & facti remediis ordinariis penitus, & omnino remotis, ad omnimodam obſeruantiam illos, præuia vniea monitione, cenſuris Eccleſiaſtieis, & aliis eorum arbitrio, & præſertim quoad loci Superiores, etiam priuationis Officij, & voeis actiuæ, & paſſiuæ, pœnis compellere.

15 Hinc Sacra Congregatio Rituum de anno 1649. pro 23. Ianuarij, petentibus œconomis Capellæ ſanctiſſimi Roſarij in Eeclesia fratrum Prædicatorum terræ Balneoli faeultatem deferendi ſtatuam B. Virginis in Proceſſione, quam fratres Dominieani in ſecunda Dominiea euiuſlibet menſis peragere conſueſcunt: reſpondit, *ad licere, loco & tempore ab Ordinariis deſignandis, quatenus ſtatua ſit compoſita ad formam decretorum.*

16 Alia, quæ ſpectant ad Officium Canonieum Sanctorum dieendum habes *tom.1.p.1. cap.12.& 21.* Quid eirca ipſorum Reliquias venerandas *ſup.* verbo *Reliquia ſanctorum.*

Pro his autem, quæ diximus de Sanctis Patronis in aliquibus locis, hic inngendum veræ pietatis & deuotionis erga Deiparam Sanctiſſimam de Monte Carmelo ſignum, quod Terra Meſſapienſis in Diœceſi Brunduſina oſtendit, dum Capitulum, & Canoniei Eccleſiæ Collegiatæ com Clero, & Vniuerſitate ob magnum pietatis ſtudiom, quo ipſam B. Virginem ſub titulo de Monte Carmelo proſequebantur, eam communibus ſuffragiis, ſeruatis ſeruandis in principalem Patronam elegerunt, ae Sacram Congregationem Rituum humiliter ſupplicarunt, vt huiuſmodi deeretum confirmare dignaretur. Quod lubentiſſimè feeit eadem Saera Congregatio 2. Martij 1652. ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Ludouiſij, ac eidem Deiparæ Sanctiſſimæ in Patronam ſie electæ omnes prærogatiuas principalioribus Patronis conceſſas competere deereuerunt iuxta rubrieas Breuiarij, & Miſſalis Romani, & ad formam Conſtitutionis fœl. record. Vrbani VIII. ſuper obſeruatione feſtorum. Quod ad exemplum aliarum ciuitatum, & oppidorum totius Orbis Chriſtiani ſcribimus, vt cunctos non pigeat eam pro ſpeciali Patrona habere, quæ iure maternitatis Dei eſt Aduocata noſtra.

Præcipuè notandum, quod pro obſeruantia decretorum S. Inquiſitionis, præſertim eorum, quæ ſunt pro Sanctis non Canonizatis, ſeu beatificatis, Sacra Congregatio Rituum 23. Martij 1652. declarauit ad ſpatium eentum annorum, de quo in illis fit ſermo, non eſſe attendenda geſta poſt eadem decreta.

SEMINARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Seminarium quid.*
2 *Non inſtituendum ex Collegiis, & Monaſteriis Mendicantium.*
3 *An ex redditibus Beneficiorum illorum Monaſteriis annexorum.*
4 *De quadam declaratione Sacr. Congregationis.*
5 *De priuilegio Pij V.*
6 *Quid de Regularibus fruentibus priuilegiis Mendicantium.*
7 *Quid de Monialibus.*
8 *Quid de Regularibus non Mendicantibus.*
9 *Ex quibus bonis contribuendum pro ſeminario.*
10 *Quid de Confraternitatibus, Capellis, ſeu ſcholis.*
11 *De aliis ad hanc materiam ſpectantibus.*

NOta primò, quod ſeminarium eſt quoddam Collegium pro puerorum educatione inſtituendum ab Eecleſiis Cathedralibus, Metropolitanis, atque his maioribus, ex fructibus menſæ Epiſcopalis, & quarumcunque Dignitatum, &c. Abbatiarum, Prioratuum, etiam Regularium, & Beneficiorum quorumeunque etiam Regularium, ac ex fabrieis Eecleſiarum, & Monaſteriorum. Ita enim habetur ex Concil. Trident. *ſeſſ.23. de Reform. cap.18.* De quo Rodriguez *tom.2. quæſt. regul. quæſt.66. art.3.* Zerola *in Praxi Epiſcopali part. 1. verbo Seminarium.* Gonzales *ad Regulam octauam Cancellariæ, gloſſa 5. §.7. à num.68.* Riceius *in Praxi deciſ. 489. in prima editione, & reſolut. 380. in 2.* Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcopi allegat.77. à num.1.* 1

Nota tamen ſecundò, quod lieet eo loeo Concilium etiam aſſerat ſeminarium inſtitui debere ex quibuſeunque quoque Eccleſiaſticis redditibus ſeu prouentibus Collegiorum, ſeu Monaſteriorum, quia tamen ibi addit, *Non tamen Mendicantium*, ideo Collegia, & Monaſteria Mendicantium ab hoc onere exempta ſunt, Barboſa *ſuprà num.14.* Nouatius *in Lucerna regular. verbo Seminarium, num.2.* Qui autem ſint Mendicantes, dixi *tom.2. cap.1. num.1.* 2

Mendicantes autem ex redditibus Beneficiorum illorum Monaſteriis annexorum ſeminario contribuere debere, nec obeſſe, quod prætendant ſe exemptos; quia videlicet in illis lectiones Grammaticæ, & conſcientiæ caſuum pro audiendis confeſſionibus quotidie habeantur, quia non ſunt ob id exempta, ſed tantùm eius impenſæ habendam eſſe rationem, quæ ante Concilium fieri ſolebat pro ſalariis horum lectorum, & ea tanquam æs alienum detrahenda: teneri tamen ex reliquo ad contributionem ſeminarij, declaratum eſſe à Sacr. Congregatione referunt Sellius *in Select. canon. cap.10. n.19.* Barboſa *in declarationibus Concilij Tridentini ſuper c.18. ſeſſ.23. §. fratres Mendicantes, & in Collectan. Bullar. verbo Mendicantes Religioſi*, ac Nouarius *ſuprà num. 2.* Quia tamen hæc declaratio non benè refertur ab iis Auctoribus, ea enim, vt habetur in Collectione manuſcripta harum declarationum, quæ extat in noſtra Bibliotheca Monaſterij S. Mariæ Tranſpontinæ de Vrbe, ſolùm loquitur de Regularibus non Mendicantibus, ideo ex ea nihil colligi poteſt ad intentum. 3

Quia etiam idem Barboſa loco relato, *ex declarationibus ſuper Concilium, S. Congregatio cenſuit*, & Petrus de Marzilla *in Decretis, & declarationibus Concilij Trident. Venetiis anno 1620. impreſſis*, & Collectio declarationum, quæ in dicta Tranſpontina Bibliotheca reſeruatur habent, Sacr. Congregationem hæc declaraſſe: *Portionem, quam ſeminario legitimè contribuere tenebatur id Beneficium, quod vnitum poſtea fuit Monaſteriis vel Mendicantium, vel eorum qui iiſdem ac mendicantes gaudent priuilegiis, non poſſe amplius exigi, propterea quod Beneficij ſtatus mutatus ſit adeptione eorum, quos ex Pij V. Sanctæ mem. priuilegio ab huiuſmodi onere ſeminarij exemptos eſſe perſpicuum eſt.* Ideo dicendum, Mendicantes Regulares à contributione ſeminarij exemptos eſſe. 4

Quod ita eſſe non ſolùm colligitur ex prædicta declaratione, ſed etiam ex Pij V. priuilegio in eadem declaratione relato. Etenim in Bulla *Etſi mendicantium*, quæ habetur *in 2. tom. Bullarij*, inter Bullas huius Pontificis *num.41.* & de qua latè dixi *tom. 1. p.2. cap.1. à num.12.* inter alia priuilegia Mendicantibus conceſſa, de ipſis dicit: *Illos, illorumque loca, etiamſi curam animarum habeant, ac quacumque Beneficia illis vnita* 5

vnita ad contributionem pro ſeminario minimè teneri. Quod etiam habet idem Pontifex in alia Conſtitutione *Ad hoc nos*, quam ad intentum hoc refert Peyrinis *tom. 2. de priuileg. Minimorum, in Conſtitutione 7. Pij V. num. 16.* Nec obſtat ſi dicatur prædictas Conſtitutiones Pij V. renocatas eſſe à Gregorio XIII. in Conſtitutione *In tanta.* Quia iuxta dicta eo *cap. 1. num. 16.* ex Rodriguex, Miranda, Sorbo, Molfeſſio, & Peyrinis, ſolùm prædictæ Conſtiturlones cenſentur reuocatæ à Gregorio quatenus per ipſas conceditur aliquid contrarium ipſis Decretis Concilij Trident. non tamen quatenus conceditur aliquid non contrarium ipſis Decretis, nec etiam quantùm ad ea, quæ Pius in dictis Conſtitutionibus, dixit non aliquid de nouo concedendo, ſed Concilinm Tridentinum explicando, quale eſt iſtud priuilegium de exemptione Mendicantium à contributione ſeminarij.

6 Idem quoque dicendum de Regularibus fruentibus priuilegiis Mendicantium, conſtat ex declaratione relara, & ex Conſtitutionibus Pij V. Vnde declaratio S. Congregationis, quam refert Sellius *ſupra num. 18.* Barboſa *verbo mendicantes, & verbo Seminario contribuere qui teneantur*, vbi dixit, ſub die 21. Iulij 1629. declaraſſe Sacr. Congregationem portionem debitam ſemiuario ratione beneficiorum exigi poſſe poſt vnionem eiuſdem Beneficij factam regularlbus, qui Mendicantinm priuilegiis gaudent, fideliter non refertur, vt video in declaratione authentica eodem die facta ab eadem Sacra Congregatione, & ſubſcripta per Eminentiſſ. Cardinalem de Torres, & per Illuſtriſſ. D. Paulucinm Sacr. Congregationis Secretarium. In ea namque ad Inſtantiam Patrnm Preſbyterorum Sanctæ Mariæ in Campitello, reſpondit, ſeruandam eſſe in hoc declarationem iuſſu felicis recordationis Greg. XIII. editam. Hæc autem declaratio Gregorij XIII. iuſſu edita eſt ea, quam pro parte noſtra adduximus *ſupra num. 4.* & in qua dicit non poſſe exigi à Mendicantibus, vel iis qui gaudent ipſorum priuilegiis portionem pro ſeminario ratione Beneficij illi vniri, propterea quod ſtatus Beneficij muratus ſit, & ipſi exempti ſint ex Pij V. priuilegio.

7 Idem quoque videtur dicendum de Monialibus Mendicantium, & eorum, qui gaudent ipſarum priuilegiis, propterea quod Pius V. in dictis Cnnſtirutionibus eas eximit ab hoc onere ſoluendi pro ſeminario, etiam pro Beneficiis eiſdem vnitis. Vnde quod deciſum referunt de Monialibus in contrarium Sellius *ſupra num. 19.* & Nonarius *ſupra num 6.* intelligi debet de Monialibus non Mendicantium, nec gaudentium priuilegiis ipſorum.

8 Reliqui autem Regulares, ſiue monachi non mendicantes, nec potientes mendicantium priuilegiis omninò ſoluere tenentur pro ſeminario, quia non eximuntur à Concilio, & declaratum eſt à Sac. Congregatione, teſtibus Zerola *ſuprà*, & Barboſa *ſupra verb. Seminario contribuere qui teneantur*, quod à contributione ſeminarij nullus ſit exemptus, niſi qui nominatim à Concilio excipiuntur. Id enim ſupponunt aliæ declarationes, quas referunt Zerola *ſuprà*, Barboſa etiam *ſupra*, & loco *ſuper Concilium*, ac Nouarius *ſupra num. 9. & 10.* Excipiuntur tamen fratres S. Ioannis Ieroſolymitani, tum ex vigore Concilij, in quo expreſsè nominantur, tum ex Bulla Gregorij XIII. *Quo magis.* Gonxales *ſuprà gloſſa 8. num 53.* Sellius *ſupra num. 20.* Barboſa *locis relatis*, & Nouarius *ſuprà num. 7. & 8.*

9 Nota tamen Regulares obligatos ad contribuendum pro ſeminario non teneri id facere ex emolumentis, prouentibus, & legatis ipſis relictis pro celebratione miſſarum, prout ex declaratione S. Congregationis refert deciſum Barboſa *dicto verbo Seminario qui contribuere, &c.* Neque ex iis, quæ in incerto, & in eleemoſynis piorum, & ſimilibus conſiſtunt. Ex declaratione etiam Sac. Congregationis, quam referunt Piaſecius *in Praxi Epiſcop. part. 2. cap. 2. num. 5.* & Barboſa *ſuprà.*

10 Cunfraternitates autem, Capellæ, ſeu ſcholæ habentes redditus Eccleſiaſticos, etiamſi intra Eccleſias Regularium exiſtant, tenentur contribuere pro ſeminario. Ita declarante Sacr. Congregatione apud Zerolam *ſuprà*, Barboſam *locis relatis.*

11 Alia, quæ ad hanc materiam ſpectant omitto, quia parum neceſſaria pro Regularibus. De illis tamen Authores relati.

SENTENTIA IVDICIALIS.

SVMMARIVM.

1 *De ipſa remiſſiuè.*
2 *An debeat dari in ſcriptis.*
3 *An abſolutus per ſententiam iterum conueniri poſſit.*
4 *In ſententia an cauſa ipſius exprimenda.*
5 *An Prælati Regulares ſententiam proferre poſſint extra propria territoria.*
6 *Praxis Regularinm circa ſententias cenſurarum ferendas.*

1 DE ſententia iudiciali, prout ſpecialiter ad iudicia Regularium ſpectat, plura dixi non ſolùm *tomo 1. part. 1. cap. 27. num. 13. 15. 16. & 18.* ſed etiam *ſuprà verbo index, & iudicium Regular. num. 10* Alia etiam *ſuprà verbo Recuſatio*, & verbo *Reus regularis.* Nihilominus alia in præſenti addenda ſunt inter ipſos Regulares magis practicabilia.

2 Primò, ea quæ dixi *dicto cap. 27. num. 18* ex Aldrete *lib. 1. de Diſciplina religioſa, cap. 18. num. 5.* ſcilicet Superiorem poſſe ſententiam ferre, vel in ſcriptis, vel viua voce, ita eſt intelligendum, quod ſcilicet in rebus grauis momenti ſententia ſemper debeat in ſcriptis ferri, aliàs nulla erit, *cap. etſi ſententia, de ſent. & re iudic.* Scaccia *de ſentent. cap. 1. gloſſ. 12. & ſequentibus.* Peyrinis *in Formnlario littera S, cap. 3. num. 4.* In rebus autem minoris momenti, & quando cauſæ ſunt breues, & perſonarum exiguæ æſtimationis, poteſt ſententia ferri ſolùm viua voce, *C. de ſentent. ex per. recit.* Angelus *in Summa, verbo ſententia, num. 5.* Syluester *quæſt. 4. dicto 4.* Sanchez *lib. 6. Conſiliorum moralium, cap. 3. dub. 9. num. 4.* Idem dico quotieſcunque Iudex procedit de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Syluester, & Sanchez *ſupra.* Addit Angelus *ſupra* ex dicto *cap. etſi ſententia*, quod ipſe qui dat ſententiam debet legere, ſeu recitare illam, quando videlicet intimatur reo. Sed quod hæc cæremonia in deſuetudinem abierit, tenet Aldrete *ſuprà*, ex Maranta, & Claro.

3 Secundò, circa illam quæſtionem, an ſcilicet reus abſolutus per ſententiam poſſit iterum conueniri, ſeu contra illum pro illo delicto procedi. Nota, quod tripliciter reus Regularis abſolui poteſt per ſententiam definitiuam, ſiue fuerit accuſatus, denunciatus, vel inquiſitus. Primò, quia eſt repertus innocens ab ipſo Iudice, qui certò cognouit eius innocentiam per ſemetipſum abſque facto prætenſi rei, ex eo quod nulla aderant indicia, quibus poſſet citari, vocari, vel examinari. Secundò, quia reus prætenſus ſuam innocentiam manifeſtè probauit. Tertiò, quia dictam innocentiam probauit purgando indicia, ſed non clarè, aut manifeſtè. Quando ergo quis eſt abſolutus ex cauſa innocentiæ primo vel ſecundo modo, non poteſt contra

Digitized by Google

eum amplius procedi pro illo delicto, neqne ex officio, neque ad inſtantiam partis, neqne per viam accuſationis, neque per viam denuneiationis, quibuſcunque ſuperuenientibus indieiis, *cap. de his, de accuſat.* & *in l.ſi cui, §.iidem, ff de accuſat.* Aldrete *ſuprà lib.2.cap.10. num.9.* Spatharius *de modo corrigendi Regulares, tract.10.cap.11.* Peyrinis *ſuprà cap. 1. num. 2.* poſt alios. Et ratio eſt, quia illa abſolutio tranſit in iodicatum, & de re iam iudicata amplius iudicari non poteſt, *l.g.res indicata, ff.de reg.iur.Clem.2.de except.* Contra abſolutum autem tertio modo, licet in rigore iuris poſſit iterum procedi, ſi nouæ probationes ſuperueniant, provt communis opinio Doctorum tenet: inter Regulares tamen, inter qoos, quantum fieri poteſt, à litibus abſtinendum eſt, ſemel abſolutus, etiam com clauſula *rebus ſic ſtantibus*, non debet iterum accoſari, aut contra illum procedi, etiam ſuperuenientibus magnis indiciis, ad truneandas diſſidiorum, & malignitatum occaſiones. Spatharius *ſuprà num.4.* & *cap.13.num.6.* Peyrinis *ſuprà num.3.*

4 Nota terriò, neceſſarium non eſſe qnod in ferenda ſententia Superior eauſam exprimat, propter quam eo modo iudicet, *cap. ſicut, de ſentent.* & *re iudic.* Thomas de Ieſu *de Viſitat. Regular.tract.3.cap.15.* Aldrete *ſuprà lib.1.cap.18.num.6.* Imò conſultius exiſtimatur à doctis, non expedire, quod eam declaret, ne fortè ineptam, vel iniuſtam exprimat. Aldrete *ſuprà*. Expedit tamen, vt in ea dicat Iudex in genere, iuſtis de eauſis animum ſuum mouentibus talem ſententiam proferre. Peyrinis *ſuprà cap.3.num.1.* ex Farinacio, Claro, Miranda, & Aldrete.

5 Nota quartò, quod licèt, iuxta dicta *tomo 1.p.1. cap.4. num.37.* Prælati Regulares procedere poſſint contra ſubditos, quamvis exiſtant extra eorum Monaſteria ſeu Prouincias, quia Prælati Religioſorum non habent territoria diuiſa, ſicuti Epiſcopi, ſed eorum iuriſdictio eſt in ordine ad perſonas ſubditas ſecundùm ſe, & vbicunque fuerint. Nihilominus ad proferendum ſententias contra illos in foro contentioſo requiritur, quod exiſtant Prælati in proprio Monaſterio, vel Prouincia. Nam quoad contentioſam iuriſdictionem non poteſt quis ponere ſedem in alieno territorio, *cap.cum Epiſcopus, de Officio Ordin. in 6.* Ang. *ſupra num.6.* Syluest. *ſuprà q. 7.* ex Cardinali. Quoad voluntariam autem iuriſdictionem, & in caſu quo Prælatus non procedit ſeruata forma iudicij, poteſt ſententiam ferre contra ſubditos, etiamſi in proprio territorio non ſit. Angelus, & Syluest. *ſuprà*. Imò etiam quoad contentioſam iuriſdictionem, & ſeruata forma iudicij Prælatus exiſtens in Prouincia vel Monaſterio ſuo poteſt ſententiam ferre contra ſubditum abſentem, ſeruatis tamen citatione, & aliis ſeruandis. Ratio eſt, quia vt dicit Pan. *in cap. cùm contingat, de foro compet.* Monachos vbicunque eſt, ſemper eſt de iuriſdictione Abbatis, quem vice Dei ſuper caput ſuum impoſuit, *19.quæſt.3.cap.ſtatuimus,* & *cap.ſi Religioſus, de elect. 6.* Et quia fictione Iuris ſemper eſt in Clauſtro, vt notant Innoc. & Abb. antiquus *in cap. cùm illorum, de ſentent.excomm.* & Archid. *in cap.vt periculoſa, ne Cler.vel Mon.in 6.* Angelus *ſuprà*.

6 Maximè quintò, circa praxim Religioſorum, & qnoad ſententias cenſurarum, v.g. excommunicationis, aliqua notanda ſont. Primò, quod nulliter excommunicatus, ſuſpenſus, &c. non tenetur abſtinere à communione fidelium, & aliis prohibitis. Etenim cenſura nulliter lata nullum habet effectum. Naoartus *in Man.cap.7.num.3.* Diana *part.5. tract.9.reſol.26.* ex Mexia, Guttierrez, & Torriano, & aliis. Idem dico de ſententia iniuſta ob defectum aliquem ſubſtantialem, iuxta dicta *ſuprà* verb. *Iudex, & Iudicium Regularium, num.10.* De quo etiam Diana *ſuprà reſolut.27.* ex Hurtado, Suarez & aliis. Idem etiam dicendum quando ſententia lata eſt ex cauſa apparente vera ſecundùm allegata, & probata; ſed in re falſa. Theſaurus *in Praxi, part.1.cap.22.§. quinta differentia,* ex Nauarro, Sayro, Suarez, & Sanchez. Quid verò dicendum in caſu quo aliquis probabiliter iudicet ſententiam contra illum latam eſſe inualidam, habes ex dictis *tom.1. part.1.cap.4. num.26.* quod etiam tenent Vaſquez *de Excommunic. dub. 15. num.23.* Diana *ſuprà reſol. 29.* ex aliis. Quid autem in caſu quo quis dubitet, an talis ſententia fuerit valida, dixi *ſuprà* verbo *Dubia Regularium, num. 7.* De quibus nouiſſimè Eminentiſſ. Card. de Lugo *de Contract.diſp.37.ſect.15.à num.185.* Nota tamen, qnod in his, & ſimilibus caſibus ligatus tali ſententia tenetur pro foro externo obſeruare illam, vel petere abſolutionem, ſeu diſpenſationem ratione ſcandali vitandi, provt communiter docent Authores relati. Quod autem (magis ad praxim Regularium) declaratur per *cedulones*, vt dicitur, incurriſſe in excommunicationem, & ſi intra terminum legitimum appellauit, poſſit communicare cum aliis, conſtat ex dictis *ſuprà* verbo *Appellare, & Appellatio, num.11.* De quo etiam Diana *ſuprà reſolut.30.*

SEPVLTVRA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Sepultura ſimpliciter ſumpta.*
2 *De ſepultura pro iure ſepeliendi.*
3 *De ſepultura pro loco in quo quis ſepelitur.*
4 *Sepultura apud Mendicantes libera.*
5 *Non poſſunt Parochi maiorem eleemoſynam petere pro illis, qui apud regulares ſepeliuntur.*
6 *Statutum Bonifacij VIII. pro libertate ſepulturæ.*
7 *Notanda circa illud.*
8 *Quid pro praxi regularium.*
9 *Eccleſia, in qua quis de iure ſepeliri debet, quæ ſit.*
10 *Alia pro libertate ſepulturæ.*
11 *Electio ſepulturæ quomodo probetur.*
12 *Priuilegium Clementis IV. pro libertate ſepulturæ.*
13 *Sepultura non impedienda, aut retardanda.*
14 *An ſepultura ſit materia ſimoniæ.*
15 *Quid de Capellis pro vſu ſepulturæ concedi ſolitis.*
An arma, ſeu inſignia fundatorum inde tolli poſſint. ibid.
An alij ibi ſepeliri. ibid.
16 *De religioſorum ſepultura.*
17 *De iis qui habitu religionum induti ſepeliri volunt.*
18 *Quomodo defuncti deferendi ad Eccleſias Regularium.*
19 *De conceſſione Leonis X. & Adriani VI.*
20 *De modo ſepulturæ.*
21 *Defuncti an poſſint exhumari, aut transferri.*
22 *De ſepulchrorum violatoribus.*
23 *Quibus negetur ſepultura.*
24 *Pœna ſepelientium illos.*
25 *Quando prædictis negetur ſepultura.*
26 *Quid de religioſis proprietariis.*
27 *Quid de ſepultura damnatorum ad mortem.*
28 *Dubium de infirmis, qui moriuntur in quodam Monaſterio.*
29 *Sepeliuntur in Eccleſia, ſeu Cœmeterio illius.*
30 *Ex generaliſſima exemptione huius Religionis.*
31 *Specialiter ex priuilegio Ioannis XXII.*
32 *Expenduntur verba illa,* vos, & perſonas.
33 *Caſus de quodam ſæculari.*
34 *Exemptio locorum Ordinis.*
35 *Monaſteria æquiparantur locis poſitis extra diœceſim.*
36 *Quilibet Catholicus eſt liber ad ſepulturam eligendam.*

37 Tales

37 *Tales infirmi cenſentur eligere ſepulturam in illa Eccleſia.*
38 *Et mutaſſe domicilium.*
39 *Plura priuilegia.*
40 *Cenſentur vt familiares.*
41 *Commorantes cum Religioſis.*
42 *Bulla Nicolai V.*
43 *Gaudent hoc priuilegio.*
44 *Moderatio Concilij Tridentini.*
45 *De quibus priuilegiis loquatur.*
46 *Verificatur conditio.*
47 *Fauet conſuetudo.*
48 *Quis humari debet vbi recipit Sacramenta.*
49 *Cui licet quod eſt plus, licet quod eſt minus.*
50 *Dignius trahit ad ſe minùs dignum.*
51 *Hoſpitalia Religioſa fruuntur multis priuilegiis.*
52 *Recenſentur.*
53 *Ita & hoc priuilegio debent gaudere.*
54 *Quid de conſuetudine in contrarium, quæ prætenditur.*
55 *Regularium priuilegia non amittuntur per non vſum.*
56 *Non adfuit ſcientia priuilegiorum.*
57 *Priuilegium Eugenij IV.*
58 *De Diplomate Sixti IV.*
59 *Non derogat Mari Magno.*
60 *Potiùs derogatur ab illo.*
61 *Caſu quo derogaret, quo ſenſu intelligi debeat.*
62 *Conſuetudo fauet.*
63 *Et Concilium.*
64 *Maximè pro certis infirmis.*
65 *Generi per ſpeciem derogatur.*
66 *De diplomate Pauli Papæ.*

1 TRipliciter ſumitur ſepultura. Primò, pro iure ſepeliendi, ſiue ſepulchri. Secundò pro ipſo officio, quod impenditur corporibus funerandis. Tertiò, pro loco, in quo aliquis eſt ſepultus, vel ſepeliendus, ſiue terra, ſiue arca lapidea, ſiue aliud. Angelus, Syloeſter, & alij Summiſtæ *verbo Sepultura*.

2 Et primò, loquendo de ſepultura primo modo, dicendum, quod ius ſepeliendi mortuos, licet de iure ciuili competat omnibus quibus ineſt ius illos inferendi, *ff. de mort. infer. per totum*, iure tamen Canonico hoc non competit niſi Eccleſiis Parochialibus, vel habentibus populum, vel quibus ex priuilegio eſt conceſſum. Angelus *ſupra num. 3.* Syluest. *ſuprà q. 3.* Quia ergo Innocentius Quartus, Clem. IV. Martinus IV. Bonifacius VIII. & IX. Sixt. IV. Leo X. & alij Summi Pontifices, prout videre licet in Caſarub. *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Sepelitio, & Sepultura*, & in compendiis particularium Religionum, ius ſpeliendi mortuos Regularibus conceſſerunt, vel approbarunt, ideo illis licitum eſt in propriis Eccleſiis mortuos ſepelire. Quomodo autem ſe debeant gerere Regulares circa cadauera ſæcularium in Eccleſiis ſuis ſepelienda, vel ea aſſocianda, habes ex dictis *ſuprà* verbo *Defunctus*, vbi etiam de Officio impendendo pro dictis defunctis, quod eſt ſepultura ſecundo modo.

3 Loquendo autem de ſepultura tertio modo, ſcilicet de loco, in quo mortui ſepeliuntur, ille debet eſſe Eccleſia, vel circa Eccleſiam poſitus. Angelus *ſup. num. 1.* Syluest. *ſupra quæſt. 1.* Vnde quoad Regulares ſpectat, Clauſtrum, Sacriſtia, & Capitulum ipſorum poteſt eſſe locus ſepulturæ etiam pro ſæcularibus. Paſqualigus *in deciſ. mor. deciſ. 381.* Non tamen eſt neceſſarium, quod ſit conſecratus, ſed ſufficit quod ſit benedictus. Syluest. *ibid.* contra Angelum, & Innocentium. Hic portò locus ſepulturæ deputatus religioſus eſt, etiamſi nullus ſit ibi ſepultus, *cap. quæſita eſt, & cap. poſt miſſam, cap. præcipiendum, 13. quæſt. 2.* Si verò non eſt ſic deputatus, ſecundùm Canones non eſt religioſus, etiamſi ſit ibi aliquis ſepultus. Innocent. *in cap. abolenda, de ſepult.* Syluest. *ſuprà in princip.* Licèt olim de iure ciuili per ſolam illationem mortui locus efficeretur religioſus, *l. in tantùm, in fine, ff. de rerum diuiſ.* Rodriguez *tomo 3. quæſt. Regular. quæſt. 58. art. 3.* Genuenſis *in Praxi Archiepiſcop. Neapolit. cap. 33. num. 22.* Theſaur. *in Praxi part. 1. verbo Sepulchrum, cap. 1.*

Portò ſepulturam in Eccleſiis Mendicantium liberam eſſe debere, conſtat ex dictis *tom. 1. p. 2. cap. 1. num. 31.* ex priuilegiis Summorum Pontificum, præſertim Sixti IV. & Pij V. Quibus adde Innocentium IV. Clementem IV. Bonifacium Octauum, & Clem. V. apud Caſſarub. *in Compend. priuileg. mendicant. verbo Sepelitio, & Sepultura, num. 1. 3. & 8.* & Benedictum XI. pro Seruitis *in Annalib. huius ordinis, lib. 6. cap. 3.* De quo etiam loco relato *ſuprà n. 1.* [Et ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium 8. Maij 1643.] Hæc autem libertas ſepulturæ, iuxta antiquorum Pontificum decreta, præſertim Sixti IV. in Mari magno pro Carmelitis, in hoc conſiſtebat, vt Fratres ipſi, nullius ſuper hoc petita licentia, Parochias, in quibus corpora prædicta forent, cum Cruce proceſſionaliter ingredi, & corpora ipſa leuare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre poſſent, vbi hoc fieri conſuetum eſſet, vel Presbyteri de leuatione requiſiti id facere recuſarent. Cæterum Leo X. in Bulla *Dum intra*, in Concilio Lateranenſi edita hæc ſic moderatus eſt. *Parochias autem cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Eccleſias decernunt, & locorum eorumdem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi priùs præmonito, & requiſito, ac recuſante Parochiano Presbytero, & tunc ſine eius, ac Ordinarij præiudicio. Niſi eiſdem fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſeruantia, & cum pacifica poſſeſſione ſuffragetur.* Cui decreto Concilij conſonat aliud Sacr. Congregationis Regularium relatum cõ *num. 31.* vbi etiam alia declaratio ad intentum. Conſonant etiam aliæ declarationes Sac. Congregationis, quas refert Barboſa non ſolùm *in Collectan. Bullarij verbo Sepultura*, ſed etiam *de Iure Eccleſiaſtico lib. 2. cap. 10. num. 11. & 23.* Illud ergo certum eſt, libertatem ſepulturæ in Eccleſiis Regularium in eo ſaltem conſiſtere, vt ipſius electio in dictis Eccleſiis à Parochis impediri non poſſit. Riccius *in Praxi, part. 4. reſol. 193.* Hieronymus Rodriguez *in Compend. Quæſt. Regul. reſol. 128.* Barboſa *ſuprà num. 21.* Imò etiam declaratum video à Sac. Congregat. Regularium, licere parentibus in quacumque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum venerunt, eligere ſepulturam, nec à Parochis locorum impediri poſſe, aut debere, præſertim verò, ſi in dictis Regularium Eccleſiis ſepeliri conſueuerint, vel in eis habeant ſepulchrum maiorum. Peyrinis *in Additament. decret. 17.* [Vnde ab eadem Sacra Congregatione 22. Februarij 1641. ordinatum fuit, vt Epiſcopus Placentinus faceret reſtitui à quodam Curato ſuæ Diœceſis Patribus Minoribus cadauer cuiuſdam puellæ, cui pater ipſius elegerat ſepulturam in ipſorum Eccleſia, cum omnibus eleemoſynis funeris. Vide pro hac re Porcellum *in Reſponſion. Moral. tomo 1. caſu 61.*] 4

Pertinet etiam ad libertatem ſepulturæ in Eccleſiis Regularium, quod Parochi non poſſunt maiorem eleemoſynam petere pro illis, qui apud Regulares ſepeliuntur, quàm pro illis, qui in Parochiis. 5
Hoc enim eſſet quædam virtualis coactio ad eligendum ſepulturam in Parochiis, quæ eſt omninò prohibita, vt infrà dicetur. Vnde Clem. VIII. in Bulla *Expoſitum*, apud Rodrig. *in Bullario in Clem VIII. Bulla 2.* præcipit ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna Papæ reſeruata, ne Parochi Indiarum Occidenta

Digitized by Google

eidentalium maiotem eleemoſynam exigant ab iis, qui ſepeliuntur in Eccleſiis Minorum, quàio ab iis, qui in Parochiis. Quam conceſſionem putat Portellus *in Dub. Regul. verbo Sepultura, in addit. n. 2.* communicari omnibus Conuentibus Ordiuis. Ex quo etiam dici poteſt, communicari etiam omnibus Religionibus habentibus communicationem priuilegiorum cum Minoribus. [Video etiam Sacr. Congregatiouem Epiſcoporum, & Regularium 16 Augusti 1641. declaraſſe non licere Parocho accipere vnum ſcutum vltra quartam funeralem ab illis, qui eligunt ſepulturam in Eccleſiis Regularium.] Similiter Sanctiſſ. D.N. Vrbanus litteris datis in forma Breuis 11. Martij 1638. apud Peyrinis *in Additamentis Conſtitut.* 20. Ordinariis locorum commiſit, vt prouiderent, & decernerent, *ne parochi plus percipere poſſint in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, ſeu aliorum Clericorum.* [Nota hic obiter ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium ſub die 1. Februarij 1641. quod quando Parochi non interueniunt aſſociationi cadaueris defuncti, qui elegit ſepulturam in Eccleſia Regularium, etſi poſſint habere emolumenta, quæ illis contingunt propter ius Parochiale, ſed non illa quæ dantur propter aſſociationem. Nota etiam eandem Sac. Congregationem eodem anno, & eodem menſe Februar. ſub die 22. declaraſſe ad inſtantiam Procuratoris Generalis Auguſtinianorum Diſcalceatorum, Plebanum teneri aſſociare cadauera defunctorum vſque ad Eccleſiam Regularium, ſi in ea elegerint ſepulturam, niſi fuerit legitimè impeditus.]

Vidi, & aliam declarationem Sacræ Congregationis, in qua ad querelam factam per quendam Commiſſarium Ordinis Minorum de obſeruantia contra Parochos, & Preſbyteros Terræ de Leuerano Diœceſis Brunduſinæ, & alios Preſbyteros, ſic reſponſum eſt.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad tollendas indebitas exactiones, quæ vt proponitur, in tumulandis defunctorum corporibus fieri ſolent, cenſuit iniungendum, prout tenore præſentis decreti iniungit Archiepiſcopo Brunduſino, cæteriſque locorum Ordinariis, ne permittant, vt Parochi, aliique de Clero ſeculari maiorem poſthac eleemoſynam ſibi attribui faciant ab heredibus defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium prædictorum ſepulturam ſibi elegerunt, quam percipere poſſent, ſi in Parochiali, ſeu alio ipſius Cleri ſecularis Eccleſia ſepeliri voluiſſent, contrariis quibuſque non obſtantibus. Romæ hac die 7. Decembris 1640.

6 Pertinet quoque ad libertatem ſepulturæ id, quod *cap. 1. de ſepultur. in 6.* à Bonifacio VIII. his verbis ſtatuitur. *Vniuerſis Religioſis, & ſecularibus Clericis cuiuſcunque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel iam electam vlterius non immutent. Nos enim ſi ſecus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis. Statuentes, vt hi qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias vllatenus ſepeliri, nec alibi, ne contra votum, iuramentum, aut promiſſum huiuſmodi a ſe factum materiam habeant veniendi, poſſint eligere ſepulturam. Sed contradictione quacunque ceſſante, ſepeliantur omninò apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de iure fuiſſent, ſi alias ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent. Si vero iidem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis, præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum, ſi petantur, quàm etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum peruenerint quomodolibet ad eoſdem, intra decendium integraliter faciendam ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſia ipſa, apud quas ſepulti fuerint, necnon, & Cœmeteria eadem, extunc eo ipſo ſint, & tandiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab iis facta fuerit reſtitutio plena omnium prædictorum.*

7 Circa quam conſtitutionem nota primò, eam confirmatam fuiſſe in Clement. *Cupientes, de pœnis*, & additam eſſe contra temerarios violatores ipſius ſententiam excommunicationis Papæ reſeruatam. De qua dixi *tom. 1. cap. 9. n. 25.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 85. art. 7.* Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. num. 25.* Bonacina *de Cenſuris extra Bullam, diſp. 2. quæſt. 5. punct. 4.* Barboſa *ſupra num. 25.* & Paſqualigus *deciſ. 373.* Nota ſecundò, quod iuxta ibidem dicta, ſimpliciter ad prædicta inducentes non incurrunt prædictas pœnas, quia Conſtitutio ſolùm loquitur de inducentibus ad *vouendum, iurandum*, ſeu *promittendum, &c.* Suarez *ſupra*, Rodriguez *in 4. tomo Summæ, cap. 103. concluſ. 10.* Portell. *ſupra dict. verbo Sepultura, num. 3.* & Paſqualigus *ſupra*. Nec qui inducunt ad eligendam ſepulturam in teſtamento, ſeu codicillo, quia hoc non eſt votum, aut iuramentum. Theſaur. *in praxi, part. 2. verbo ſepultura, cap. 3.* ex aliis. Idem dicit Paſqualigus *ſuprà*, de inducentibus ad electionem ſepulturæ cum obligatione non irreuocabili. Nec qui inducunt, etiam medio voto, aut iuramento, ad eligendam ſepulturam in Eccleſiis alienis, quia Pontifex ſolùm loquitur de propriis. Rodrig. *ſup. concluſ. 6.* Portell. *num. 5.* Bonacina *ſuprà*, Paſqualigus *ſuprà*. Incurrunt autem illas inducentes prædicto modo, etiam non ſecuto effectu ſepulturæ, ſecuto tamen voto, iuramento, vel promiſſione. Rodrig. *dicto art. 7.* Portell. *ſupra, num. 4.* Barboſa *ſuprà num. 26.* Theſaur. *ſupra*. Alia verò circa hanc Conſtitut. vide apud relatos Authores, & Filliucium *tract. 15. cap. 7. quæſt. 3.* Maximè verò præfatum Paſqualigum *deciſ. 374. 375. & ſequentib.*

8 Præcipuè tamen nota pro praxi Regularium, quod ſi vnus Religioſus nomine ſuo inducat aliquem dicto modo ad eligendum ſepulturam in ſua Eccleſia, quamuis ipſe peccauerit, tamen non propterea alij Religioſi, aut totus Conuentus incidet in prædictas pœnas, niſi ipſe ſit Prælatus, aut alius nomine Communitatis, quia ſolùm iſti poſſunt aliis, aut Communitati præiudicare. Rodriguez *d. art. 7.* Portellus *ſupra, num. 4.* Licèt oppoſitum tueatur Paſqualigus *ſup. deciſ. 380.* Vide Angelum *ſuprà num. 33.* & Syluestrum *ſupra quæſt. 11.* Alia apud prædictum Rodriguez *ibid.*

9 Nota etiam, Eccleſiam, in qua de iure quis ſepeliri debet, & de qua fit mentio in dicto *cap. 1. de ſepultur.* eſſe illam, apud quam ſunt maiorum ſuorum ſepulchra, *cap. Hebron, cap. placuit 13. quæſt. 2. cap. fraternitatem, de ſepult. cap. ij qui, eodem tit. in 6.* Gloſſa *in dicto cap. 1. verb. apud quas.* Vgolinus *de officio, & poteſtate Epiſcopi cap. 17. num. 3. in fine*, Barboſa *ſup. num. 31.* Et habetur ex declaratione Sac. Congregat. refert idem Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Sepultura.* Qui verò ſint iſti maiores, aut quid ſi contingat illos in diuerſis locis ſepultos eſſe, agunt Lauorius *in variis lucubrat. tit. 2. cap. 11.* Villalobos *in Summ. tom. 2. tract. 31. diff. 2.* & ex illis Diana *5. p. tract. 3. reſol.* 108. Quod ſi nullam ſepulturam maiores ſui habebant, ſepultura, quæ illi competit, eſt in Parochia, *cap. ex parte, cap. in noſtra de ſepulturis.* Layman. *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 12. n. 8.* Barboſa *ſuprà n. 33. & 34* ex aliis. [Quoad Regulares ſpecialiter declaratum video à Sac. Congregatione Epiſcoporum & Regularium 3. Maij 1641. quod cadauera illorum, qui ſunt ſui iuris, & non ſibi elegerunt ſepulturam, ſepeliri debeant in ſepultura ſuorum maiorum, etiamſi ſit in Eccleſiis Regularium, ſine præiudicio tamen iuris Parochialis

chialis,& monſtro primùm Parocho defuncti; ſi tamen non obſtet conſuetudo contraria legitimè præſcripta. Imò etiam 9. Nouemb. 1640. declarauit eum qui habet ſepulturam ſuæ familiæ in Eccleſiis Regularium, in eis ſepeliendum eſſe, quando ſine electione ſepulturæ moritur, & non in Eccleſia Parochiali. Conſule circa hoc Portellum *dicto caſu* 68.

10 Generaliter etiam liberam eſſe debere electionem ſepulturæ clarè habetur *ex cap. ex parte, & ex cap. cum liberum, de ſepultur.* Riccius *in Praxi, reſol.* 563. *in* 2. *edit.* Belletus *Diſquiſ. cleric. part.* 2. *tit. de Cleric. debitore,* §. 3. Vnde ſi Parochus, dum vadit ad infirmum communicandum, ipſum interrogat non in genere, in qua Eccleſia vult ſepeliri, ſed in ſpecie, dicendo vis ſepeliri in Parochia, vel in alia Eccleſia, ipſam ſpecialiter nominando, non valet hæc electio tanquam facta ad ſuggeſtionem, debet enim in genere interrogare. Genuenſis *ſuprà cap.* 61. *num.* 3. Barboſa *n.* 58. ex Riccio, & aliis. Similiter Parochus violenter rapiens, vel ſpolians funus antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit ius quod habet, & quartam canonicam, teneturque reſtituere cum corpore quidquid accepit. Portell. *ſup. verbo Canonica portio, num.* 6. Barboſa *ſupra num.* 27. ex vtroque Rodriguez. De his etiam Angelus, & Syluester *ſuprà* ex aliis. [Et conſonat S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium, quæ 10. Martij 1643. iuſſit cuidam Parocho, vt reſtitueret ceram quam abſtulerat, cum quidam defunctus deferretur ſepeliendus ad Eccleſiam quandam Regularem. Pariter etiamſi Parochus nollet aſſociare defunctum quando defertur ad Eccleſiam Regularem, prout contigiſſe refert Portellus *in Reſponſionib. moral. tom.* 2. *caſu* 66. non ſolùm grauiſſimè peccaret peccato ſcandali, ſed etiam contra libertatem ſepulturæ, priuilegia Religionum, & declarationes Sacræ Congregationis, quarum aliquas inferiùs afferimus, & vnam quam refert idem Portellus miſſam fuiſſe in Hiſpaniam ad Dominum Nuncium Apoſtolicum Hiſpaniarum anno 1627. Fauent quæ adduximus *ſup. verbo Defunctus,* præſertim *n.* 7. ex variis decretis S. Congregationis Rituum ab Auditore Cameræ authenticatis.]

11 Electio autem ſepulturæ probatur per teſtamentum, vel per duos teſtes, qui in qualibet cauſa probant. Diana *ſuprà reſolut.* 106. Peyrinis *tom.* 3. *priuilegiorum Minimorum, cap.* 4. *num.* 52. ex Barboſa. Electio etiam ſepulturæ probatur per teſtes ſingulares. Lauorius *ſupra,* Genuenſis *ſupra cap.* 61. *n.* 8. Addens, quod Neapoli ſtatur dicto Confeſſarij. Molfeſius *in Summ. tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 32. Paſqualigus *ſup. Deciſ.* 404. *&* 406. Quid verò agendum quando teſtes ſunt diuerſi, agunt Lauorius *ſup. n.* 20. & Peyrinis *etiam ſupra.* Apud quem etiam *in d. num.* 53. declaratio S. Congregationis circa ſepulturam in domibus Regularium, eorum quos ſolùm per teſtes conſtat ibi ſepulturam elegiſſe.

12 Pertinet etiam ad libertatem ſepulturæ in Eccleſiis Regularium, quod conceſſit Minoribus Clem. IV. videlicet, vt nulli Religioſi, vel ſæculares præſumant ſine aſſenſu, & voluntate fratrum Minorum aliquorum defunctorum corpora in ſuis Cœmeteriis ſepelire, nec etiam in Eccleſiis prædictorum Fratrum (ipſis inuitis) audeant Miſſarum ſolemnia, vel exequias pro animabus eorum, qui ad huiuſmodi loca tumulandi deferuntur, celebrare. Caſſarubius *ſupra num.* 4. Rodriquez *ſupra artic.* 4. Quod maximè confirmatur ex Decreto authentico Sac. Congreg. apud Peyrinis *in Additamentis, decreto* 9. Cùm enim quæſitum fuiſſet ab ipſa, an Rectores Parochialium Eccleſiarum loci de Biraxas habeant, aut prætendere poſſint ius ſepeliendi cadauera defunctorum in Eccleſiis Conuentus Conceptionis dicti loci abſque vlla deſuper licentia Superioris Conuentus. Reſpondit S. Congregatio, *Non licere Curatis ſepelire cadauera Defunctorum, nec Officia facere in Eccleſiis Regularium abſque expreſſa licentia Guardiani, aut Superioris Eccleſiarum ipſorū Regularium, non obſtante contraria conſuetudine.*

Pertinet quoque ad libertatem ſepulturæ, quòd vt 13
conſtat ex declaratione S. Congregat. apud Barboſam *ſup. in Collect.* ea retardari, aut impediri non debet ſub quouis prætextu compoſitionis quartæ funeralis. Item, quod Parochi non poſſint cadauer exhumatum retinere, propter ius ſepulturæ non ſolutum. Ea declarat. etiam Sacr. Congregat. apud eundem Barboſam loco relato *de Iure Eccleſiaſt.* *n.* 55. Ex aliis quoque declarationibus apud eundem *n.* 83. *&* 85. habetur non debere Parochos plus recipere pro ſepeliendis exteris quàm ciuibus, & pauperum cadauera gratis ſepelienda eſſe. Quod ſepultura impediri non poſſit propter debita defuncti, neque propter aliam cauſam, agit Naldus *in Summa, verbo Sepultura, n.* 11. ex aliis Doctoribus. De quo etiam Angelus, Syluester, & alij Summiſtæ. Maximè etiam ſpectat ad libertatem ſepulturæ, quod à S. Congreg. declaratum eſt, & à Sanctiſſ. Dom. Noſt. confirmatum Litteris in forma Breuis datis 25. Iulij 1643. apud Peyrinis 3. *tomo Priuileg. Minimor. cap.* 12. *in Conſtit.* 20. *alias* 30. *Vrbani,* videlicet, Regulares non poſſe prohiberi aſſociare corpora defunctorum, & quod Curati non poſſint cogere hæredes defunctorū, celebrari facere Miſſas in ſuis Eccleſiis Parochialibus.

Circa quæſtionem illam, an ſepultura, ſaltem 14
quoad honoratiorem locum Eccleſiæ, vendi poſſit ſine labe ſimoniæ, aliqua dicenda ſunt. Primò ergo dico, quod locus, in quo nullus eſt ſepultus, nec deputatus eſt per Epiſcopum ad ſepulturas, nec aliàs eſt benedictus, ſed tantùm deputandus eſt ad ſepulturas, eſt omninò profanus, & poteſt vendi, ſicut & terra, in qua Eccleſia erigenda eſt, vendi poteſt. Ratio eſt, quia iuxta dicta *ſupra num.* 3. etſi ſecundum ius ciuile locus in quo aliquis eſt ſepultus ſit religioſus, at ſecundum ius canonicum non eſt talis, nec inuendibilis, niſi quando auctoritate Epiſcopi deputatus eſt ad fidelium ſepulturas, etiamſi nullus ibi ſepultus ſit. Sanchez *tom.* 1. *Conſil. moral. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 14. *num.* 1. Bonacina *de Simon. quæſt.* 4. §. 6. *num.* 1. Ioan. de Cruce *in Director. præcept.* 7. *quæſt.* 4. *dub.* 9. Secundò dico, quod talis locus ſepulturæ ſi ratione conſecrationis vendatur, aut pluris vendatur, eſſet ſimonia iure naturali, & diuino. Eſt enim venditio rei omnino ſpiritualis pro temporali. Sanchez *ſuprà num.* 1. & Doctores communiter. Si verò ratione terræ vendatur, quidam dicunt non eſſe ſimoniam, quod intelligendum eſt de iure naturali, & diuino. Sicut enim ſtando in iure naturali, & diuino non eſt ſimonia vendere rem ſacram, v. g. Calicem ratione materiæ, ſic nec vendere ſepulturam. Bonacina & Sanchez *ſuprà.* Eſt tamen ſimonia de iure Eccleſiaſtico, quia id prohibetur *cap. abolendæ, de ſepult. & cap. non ſatis, & cap. audiuimus, de ſimon.* Bonacina, & Sanchez *ſuprà.* Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* §. 4. *num.* 36. & alij communiter. At licitum eſt accipere conſueta ſtipendia pro tali loco ſepulturæ. Primò, ſi id recipiatur non vt ſepulturæ pretium, ſed ad fabricam Eccleſiæ. Decens enim eſt, vt defuncti, qui Templum inhabitant, contribuant ad eius Templi reparationem. Sanchez *ſupra.* Secundò, ſi id accipiatur pro ſuſtentatione Miniſtrorum Eccleſiæ, ſicut datur eleemoſyna pro Miſſis celebrandis. Portellus *ſuprà num.* 10. ex Rodriquez, Barboſæ *ſuprà num.* 16. ex Suarez, Villalobos & aliis. Tertiò dico, quod licitum eſt accipere pretiū pro loco honoratiori ſepulturæ. Ratio eſt, quia venditur quid temporale, ſcilicet honor, vt pendet ex hominum æſtimatione, & per accidens

rei

rei ſpirituali coniungitur. Sanchez *ſuprà num.*3. Naldus *in Summ. verb. Sepultura, num.*8. Ioannes de Cruce *ſuprà*, Diana *part.*3. *tract.*15. *reſol.* 57. Barboſa *ſuprà num.*16. ex aliis contra Suarez, Reginaldum, Filliucium, & alios. Limitant id ſatis probabiliter Bonacina *ſupra num.*4. & Barboſa *n.*18. vt ſolùm ſit verum, quando locus eſt honoratior ob reſpectum aliquem temporalem, non verò ſi eſt propter reſpectum ſpiritualem, v.g. quia eſt propinquior Altari, Sanctiſſimo Sacramento, &c. Licèt Sanchez, Diana, & alij nihil in hoc diſtinguant. Item licitum eſt pretium recipere pro perpetuo iure ſepulchri, id eſt pro obligatione, vt in tali loco nullus præter emptorem, & ſucceſſores ſepeliatur. Quia hæc obligatio eſt quid temporale, & per accidens adiungitur rei ſpirituali. Sanchez *ſupra*, Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*4. *de Simonia, cap.*14. Ioannes de Cruce *ſupra*. Licet aliqui oppoſitum teneant. Vltimò dico, quod laïcus nequit habere ſepulturæ dominium, quia loca religioſa nequeunt eſſe in alicuius dominio, *l. quæ de tota, ff. de rei vendic.* Lambertinus *de iure patronatus lib.*3. *q.*9. *art.*9. At poteſt habere tale ius quoad vſum pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, ita vt nullus poſſit eis inuitis ibi ſepeliri, licet eo mortuo, & familia illius, poſſit aliis concedi vſus illius ſepulturæ, iuxta dicta *tom.*1. *c.*11. *n.*26. Quia mortuo habente vſum, vſus redit ad proprietarium. Sanchez *ſuprà num.*4. Addit Barboſa *ſuprà* ex Suarez, quod ſi quis habeat ſepulchrum proprium ſuis ſumptibus emptum, vel ædificatum pro ſe, aut ſuis, non eſt materia ſimoniæ, ſi vendatur quoad proprietatem iuxta valorem fundi, & reſpectu habito ad ſolas expenſas in eo ædificando factas, quia ibi non venditur benedictio, nec proprium ius ſepulturæ, ſed materiale illud ad quod alia ſequuntur. Vnde ſimilia loca iure hæreditario transferri ſolent à parentibus ad filios ratione tẽporalitatis, quæ in eis eſt.

15 Circa Capellas autem, quæ in Eccleſiis, præſertim Regularium, dari ſolent ſæcularibus pro vſu ſepulturæ, idem proportionaliter dicendum, ac de ſepulturis, vt notat Sanchez *ſuprà num.*4. Adde, quod caſu quo illæ vendi poſſent, id non fit ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *cap.*19. *num.*56. quia ſunt bona immobilia Eccleſiaſtica. Non poſſe inſignia fundatoris, vel Patroni in ea poſita auferri, conſtat ex dictis ea 2 *part. cap.*11. *num.*23. Nec etiam in caſu quo illi, vt proditores è Ciuitate fuerint expulſi, *l. qui liberalis, & l. opus nouum, ff. de oper. publ.* tenet Romanus *ſingul.*480. & 673. & Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in conſtit.*26. *Leon. X. num.*24. Alia etiam circa huiuſmodi arma non auferenda, & qui ex hæredibus in dictis Capellis, ſeu ſepulchris ſepeliri poſſint, habes apud Lambertinum *ſuprà quæſt.*5. *art.*4. & *lib.*1. *p.*1. *quæſt.*11. *art.*13. & Lauorium *variarum tom.*1. *tit.*2. *c.*10. Non poſſe alios ibi ſepeliri niſi poſtquam tota ipſorum progenies eſt extincta, dixi eodem *n.*23. De quo etiam Lambertinus *ſuprà dicto art.* 4. Peyrin. *loco relato, ex tom.*3 *priuil. Min. n.*49. & Portellus *in Reſponſionibus Moralibus, part.*2. *caſu* 20. *num.*1. de Capella vni conceſſa, an alij poſtea dari poſſit loquens. Addunt alij, etiam poſſe alios ibi ſepeliri, ſi iuſta aliqua adſit cauſa, puta ſi ſepeliendus non haberet propriam ſepulturam, vel non eſſet in Eccleſia, vel Cœmeterio ſepultura communis, quia hoc eſt facere eleemoſynam extremè indigenti, quæ poteſt fieri de bonis alterius inuito Domino. Ita Archidiac. *in cap. præcipiendum* 13. *quæſt.*2. Romanus *ſingul.*692. Panorm. *in cap. abolenda, de ſepult. num.*3. Peyrin. *tom.*1 *priuil. Minimor. in Conſtit.*26. *Leon. X. num.*22. & indicat Sanchez *ſupra*. Nota etiam, quod ad conſtruendam ſepulturam, vel Capellam in Eccleſia patronata, ſeu quæ fundatorem habet, non requiritur conſenſus fundatoris, imò eo inuito conſtrui poteſt, quia Patrono nullum ex hoc infertur præiudicium, & Eccleſiæ beneficium affertur. Vnde Patronus, qui Eccleſiæ beneficium procurare tenetur, eſt irrationabiliter inuitus. Quare eius contradictio nihil obſtat. Lambertinus *ſuprà lib.*1. *p.*1. *quæſt.*3. *art.*17. Lauorius *loco citato, cap.*9. *n.*83. Peyrinis *loco relato, ex* 1. *tom. num.*30. Pro quo maximè notandum, mortale peccatum eſſe, ſi quis fidelium corpora ſepelire negligat, cùm nullus alius adeſt qui id officium præſtet, quia opera charitatis, ac miſericordiæ in caſu eiuſmodi neceſſitatis obligatoria fiunt. Layman. loco relato, *ex l.*3. *dicto cap.*12. *num.*12. poſt Bañez, Valentiam, & Sà. Nota præterea, quod conceſſa Capella non intelligitur ius funerandi, niſi expreſſè fuerit conceſſum. Archid. *in cap.*1. *de pactis in* 6. Bonif. *in Clem. Dudum, §. huiuſmodi, num.*11. *de ſepult.* Genuenſis *dicto cap.*33. *num.*17. & *cap.*61. *num.*7.

Circa Religioſorum ſepulturam dixi *tom.* 1. *p.*1. *cap.*9. *n.*10. eos non poſſe ſibi eligere ſepulturas, niſi à propriis Monaſteriis adeò ſint remoti, quod ad ea cùm moriuntur, non poſſint commodè portari. Vbi etiam quid de Prælatis dicendum. De quo etiam Layman. *dicto cap.*12. *num.* 7. Paſqualigus *ſuprà deciſ.*382. Quod ſi moriantur remoti à Monaſterio non electa ſepultura, ſepeliendi ſunt in Eccleſia Parochiali, in qua deceſſerunt, inſtar ſæcularium in itinere morientium. Sanchez *lib.*5. *in Decal. cap.*14. *n.*4. Diana 5. *part. tract.*3. *reſol.*110. ex aliis. Quod intellige, niſi in eo loco ſit Monaſterium ſui Ordinis. Sanch. *ſuprà*. Layman. *ſuprà num.* 6. Paſqualigus *ſuprà deciſ.*383. Tenetur autem Monaſterium expenſas factas pro Religioſorum ſepultura ſoluere, *l. ſi quis ſepulchrum, ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum.* Rodriguez *tom.*3. *quæſt. Regul. quæſt.*60. *art.*3. Sanchez *ſuprà num.*5. Quod intelligunt, niſi Religioſi habeant beneficium, etiam manuale, quia tunc expenſis illius ſunt ſepeliendi. Regulariter autem loquendo Religioſi ſepeliendi ſunt in propriis Monaſteriis, *cap. vlt. de ſepult. in* 6. Rodriguez *ſuprà art.*1. & 2. Riccius *in Praxi rerum fori Eccleſ. p.*4. *reſol.*393. *num.*39. Etiamſi extra clauſtra decedant, quia tunc etiam Parochis inconſultis, ad eorum Eccleſias deferri debent, vt cenſuit S. Congregatio, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *cap.*12. *num.*41. De quo etiam Diana *ſupra*, & Archangelus Romanus *de priuileg. lib.*3. *verb. Sepelitio.* De Nouitiorum ſepultura dixi *ſuprà verbo Nouitij*, *n.*41. De Tertiariorum ſepultura dixi *tom.*1. *p.*2. *cap.*14. *num.*33. Pro quo vide declarationem S. Congregationis apud Peyrinis loco relato, *ex* 3. *tom. Priuil. n.*53. De Oblatorum ſepultura *ſupra verbo Oblati, num.*10. De familiarium, ſeu famulorum Religioſorum ſepultura dixi *tom.*1. *part.*2. *cap.*16. *num.*32. De Confratrum verò ſepultura agit Genuenſis *ſupra c.*61. *n.*6. [Nota etiam Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium declaraſſe 24. Nouembris 1634. & 24. Septembris 1636. Clerum ſæcularem nihil poſſe prætendere propter exequias, aut ſepulturam Monachorum defunctorum, aut Fratrum morientium extra clauſtra.] 16

Pro iis verò, qui habitu Religionum induti ſepeliri volunt, & Indulgentiis, quas lucrantur, plura dixi *ſupra verbo Habitus Regularis.* Nota tamen declarationem S. Congregationis circa hoc apud Barboſam *ſupra num.*73. truncatè referri, fideliter autem à Peyrinis *d. n.*53. Cum enim à S. Congregatione poſtularetur à fratribus Minoribus, an in eorum Eccleſiis ſepelienda ſint cadavera eorum, qui dicti Ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt. Reſpondit id fieri debere, ſi tamen *Guardiano domus loci, in quo tales accedere contigerit, aut ab alio Superiori, vel altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior habitum huiuſmodi ſuſcipientes præmonuerit, eorum cadavera propter habi-* 17

conceſſionem , ac receptionem penes ipſos Fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepeliendâ.

18 Qualiter etiam defunctorum corpora, cum in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, ad eas recto tramite deferri debeant, conſtat ex dictis *ſupra verbo Defunctus, num.3.& 7.* ex Conſtitutione Pij V. *Romanus Pontifex*, apud Rodriguez *in Bullario Pij V. num. 2.* & ex declaratione S. Congregationis apud Peyrinis *ſupra dicto num.53.* Refert etiam *ibid. num.52.* aliam declarationem S. Congregationis, ex qua habetur, quod quando cadauera ſepeliuntur apud Regulares, ad ipſos ſpectet declarare, an per Ciuitatem, an per aliam viam ſint aſportanda. Cuius contrarium habetur ex aliis declarationibus, quas retuli dicto *verbo Defunctus, num.4.* Propterea ergo conſuetudine legitimæ, vel authenticæ declarationi eiuſdem Sacræ Congregationis ſtandum eſt. [Illud tamen de cadaueribus defunctorum qui ſibi ſepulturam elegerunt in Eccleſiis Regularium, deferri debere ad illas recto tramite, declaratum etiam eſt a Sacr. Congregatione Regularium 22. Februarij 1652.] Alia ſpectantia ad Parochos Regulares circa cadauerum ſepulturam habet Barboſa *ſupra n.76.& 77.* Quia tamen nouiſſimè vidi aliquas declarationes authenticas S. Congregationis in vna Camerienſi, eas placuit hîc adiungere. Quæſitum autem eſt. Primò, An poſſint hæredes defunctorum vocare numerum Religioſorum ſibi bene viſum in deferendis cadaueribus ad Eccleſias. Secundò. An cadauera efferri, ſeu tolli poſſunt ab aliis etiam Regularibus, & quibuſcumque, non vocato, nec expectato Parocho, niſi ipſe Parochus aliud permiſerit, vel adeſſe recuſauerit. Tertiò, An cadauera quotieſcunque ad Eccleſias Fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium deferuntur, Officia mortuorum, & reliqua munia, quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolẽt, fieri debeant à Canonicis, & Clero, vel ab ipſiſmet Regularibus ipſius Eccleſiæ vbi cadauer ſepelitur. Quartò, An Crux Parochialis deferri etiam debeat, quando cadauer defertur ad Eccleſiam Regularem, attentâ conſuetudine, qua ſemper delata fuit tantùm vna Crux illius Eccleſiæ, ad quam corpora fuerint delata. Ad quæ ſic reſpondit. Ad primum, *Poſſe hæredes defunctorum vocare numerum Religioſorum ſibi beneviſum.* Ad ſecundum, *Negatiuè.* Ad tertium, *Non à Canonicis, nec aliis, ſed ab ipſiſmet Regularibus in propriis eorum Eccleſiis Officia ſuper cadaueribus peragi debere.* Ad quartum, *Vnicam tantum Crucem in cadaueribus efferendis eſſe deferendam, & illam eſſe debere illius Eccleſiæ, ad quam corpus defuncti defertur.* [Similiter in alia Lateranenſi declarauit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium 21. Martij 1642. Primò eſſe in arbitrio hæredum defuncti vocare ad funus numerum Sacerdotum, tam Regularium, quàm ſæcularium ſibi benè viſum. Secundò, non poſſe obligari ad maiorem eleemoſynam, quando ſepultura fuerit electa in Eccleſiis Regularium. Tertiò, quod in tali caſo non teneantur ſoluere aliquid vltra quartam funeralem.

19 Valdè etiam notandum, Leon. X. & Adrianum VI. conceſſiſſe omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Regnis Caſtellæ, Legionis, & Granatæ exiſtentibus, qui deuotionis feruore ducti in habitu Sanctiſſimæ Trinitatis deceſſerunt, aut eorum corpora, ſeu cadauera, dum ab hoc ſæculo migrauerint, in Eccleſiis Monaſteriorum Ordinis prædicti ſepeliri ordinauerint, omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones Fratribus prædicti Ordinis conceſſas. Caſſarubius *ſuprà n. 21.* Hanc verò gratiam communicari aliis Religioſis habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliorum ordinum, quales ſunt Carmelitæ, dixi *ſuprà verbo Habitus Regularis, num.9.* Non verò eſſe reuocatam conſtat ex dictis etiam *ſuprà verbo Indulgentia quoad Regulares, num.12.*

Quoad modum ſepulturæ attendendum eſt ad 20 Conſtitutionem Pij V. *Cum primùm*, in qua decernitur, vt cadauera defunctorum non ponantur ſuper terram, ſed infra ipſam in tumbis profundis. Naldus *in Summ. verbo Sepultura, num 12* Item declaratum eſt à S. Congregat. neminem ſepeliendum eſſe propè altare, ſeu ſub bradellis, & quod ſi contra huiuſmodi prohibitionem ſepulturæ ibi reperiantur conſtructæ, non debere in eo Altari celebrari, donec corpora aliò transferantur. Naldus *ſupra, & verbo Miſſa, n.33.* Barboſa *ſupra n.10.* Vide dicta *ſuprà verbo Altare, n.17.* & circa ſepulchra eorum, qui cum opinione ſanctitatis vixerunt, & è vita deceſſerunt, dicta *tom.1. p.1. cap.12. num.39.* & *ſupra verbo Sanctorum cultus, n.11.*

Corpora defunctorum non poſſunt exhumari, aut 21 transferri de loco in locum ſine Epiſcopi licentia, *c. corpora Sanctorum, de conſecrat. diſt.1. l. nemo humanum, C. de Relig. & ſumptibus funer.* Diana *p.2. tract.2. reſolut.120.* Theſaurus *ſupra cap.2. in fine* [Vnde S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium 21. Septembris 1643. ordinauit Epiſcopo Placentino, vt reprehenderet quoſdam Regulares, qui permiſerant exhumari cadauer vnius defuncti, vt recognoſceretur à Curia ſæculari, ſine conſenſu Epiſcopi.] Intelligendum id eſt de corporibus perpetuæ ſepulturæ traditis, non de iis, quæ per modum depoſiti in aliqua Eccleſia, vel Capella poſita ſunt. Hieronymus Rodrig. *in Compend. quæſt. Regul. reſol.127. num.25.* Villalobos *in Summ. tom.2. tract.31. diff.6. num.4.* Rurſus intelligendum, quando non adeſt neceſſitas, vtpote Eccleſiæ, vel Capellæ renouatio. Theſaurus *ſupra.* Refertur etiam priuilegium Leonis X. pro Minoribus, quo illis conceſſit, quod Prælati ipſorum poſſint in ſuis Eccleſiis, & Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias ſepulturas in eiſdem Eccleſiis ſuis transferre, de conſenſu tamen illorum, quorum intereſt. Caſſarub. *in Compend. ſuprà, n.10.* Villalobos *ſuprà num.5.* Portellus *loco relato de Dub. Regul. in additione, num.1.* Nota tamen hoc priuilegium, niſi de nouo confirmatum fuerit, nihil valere, cùm ſit viuæ vocis oraculum. Vide dicta *ſupra verbo Oracula viuæ vocis, num.6.7.& 8.* Notat etiam Diana *ſuprà*, quod quando corpus defuncti fuit Regularibus datum, vt ponerent illud vbicunque voluerint, poſſunt illud ſine vllo priuilegio, aut licentia Epiſcopi, vel conſanguinei exhumare, & ad alium locum eiuſdem Eccleſiæ transferre. Sed hoc non facilè admittendum, propter iura relata, niſi ex rationabili cauſa. De quo Peyrinis *loco relato, ex 3. tom. Priuileg. Minim. num.49.* Nota etiam, quod exenterantes, concidentes, aut elixantes cadauera defunctorum, vt ea ad alium locum transferantur, incidunt in excommunicationem Papæ reſeruatam, & cadauer ſic inhumaniter tractatum Eccleſiaſtica ſepultura carere debet. Ita enim habetur in Extrauag. 1. *de ſepultur.* De quo Toletus *lib.1. cap.36. §. ſeptimo.* Suarez *de Cenſur. diſp.22. ſect.5.* Theſaurus *dicto cap.2.*

Sepulchra violantes, ſcilicet frangentes illa, ſiue 22 deformantes, aut mortuos ſpoliantes, infamiam incurrunt, & conſequenter irregularitatem, *c. infames 6. q.1. & ff. de ſepulchr. violat.* De quo Turrecremata *in d. cap. infames.* Syluester *ſupra, quæſt.13.* Theſaurus *ſuprà cap.1.* poſt Sayrum, Vgolinum, & alios. Quid verò dicendum de violatoribus ſepulchrorum, vbi Sancti requieſcunt, habes ex dictis *ſuprà verbo Furtum, n.4. & 5.* & *ſuprà verbo Reliquiæ Sanctorum, n.5. & 6.*

Valde quoque notandum, plura eſſe genera perſo- 23 narum, quibus in loco Sacro, Eccleſia videlicet, vel Cœmeterio, ſepultura dari non poteſt. Primò, omnis non baptizatus, Paganus, vel Iudæus, *c. Eccleſiam, de. conſecrat.*

conſecrat. diſt. 1. Idem etiam dicendum de pueris non
baptizatis, etiam filiis fidelium, iuxta dicta *ſupra
verbo Eccleſia, num.* 12. Secus dicendum de infantibus
mortuis in vtero matris defunctæ, & ibi exiſtenti-
bus, quia tales non cenſentur moraliter perſonæ à
matre defuncta diſtinctæ. Secus etiam dicendum de
pueris, de quibus dubitatur an ſint, vel non, bapti-
zati, eo quòd baptiſmo dubio in forma, vel materia
baptizati fuerunt. Homobonus *volum.* 5. *part.* 7. *reſ-
ponſ.* 67. Diana 4 *part. tr.* 3. *reſol.* 69. Secus ſimiliter di-
cendum de catechumenis, illi enim pro fidelibus
habentur, & ſunt baptizati in voto. Secundò, omnis
hæreticus, etiamſi poſt mortem appareat de hæreſi,
24. *q.* 2. *c. ſanè*. Idem dico de credentibus, receptatori-
bus, defenſoribus, & fautoribus hæreticorum, *ex cap.
excommunicamus, de hæretic.* §. *ſane, & cap.* 5. *de hæretic. in* 6.
Vbi variæ pœnæ imponuntur contra dantes ipſis
Eccleſiaſticam ſepulturam. Tertiò, moriens in tor-
neamentis, *cap.* 1. *&* 2. *de torneamentis*. Idem dicendum
de morientibus in duello, iuxta dicta *ſupra verbo
Duellum, num.* 14. Quartò raptores, ſeu violatores Ec-
cleſiarum, iuxta *cap.* 2. *de raptoribus*. Quintò ij, qui ſe
occidunt ex induſtria, *c. placuit* 23. *q.* 5. Sextò qui ſe-
mel in anno proprio Sacerdoti confiteri, & Eucha-
riſtiæ Sacramentum in Paſchate ſumere notoriè, &
abſque probabili excuſatione intermittunt, *cap. om-
nis, de pœnit. & remiſſ.* Septimò, vſurarij manifeſti, *cap.
quia, de vſuris, cap. quamquam, eod. tit. in* 6. Octauò, blaſ-
phemi, iuxta *cap.* 2. *de maledicis*. Nonò, non reſtituen-
tes Eccleſiæ decimas, *cap. prohibemus, de decimis*. Deci-
mò, Religioſi inuenti proprietarij in morte, *cap. ſu-
per quodam, de ſtat. Monach.* Vndecimò, omnis pecca-
tor mortalis, ac notorius, ſi abſque pœnitentia præ-
ſumitur deceſſiſſe, *cap. quibus, & ſequentibus*, 13. *q.* 2.
Inter quos recenſetur Clericus notoriè concubina-
rius, ſic perſeuerans vſque ad mortem. Peccantes
autem, ſeu illi, qui exiſtimantur in peccato mortali
deceſſiſſe, dummodo non conſtet impœnitentes
mortuos eſſe, quales ſunt, qui moriuntur in cor-
nibus taurorum, & adulteri deprehenſi in adulte-
rio, & idcirco interfecti à marito, quamuis nulla
ſigna contritionis dederint, in loco Sacro ſepeliri
debent. Ioannes Sancius *in Selectis diſp.* 36. *n.* 3. *&* 4.
Duodecimò, quod excommunicati priuentur ſepul-
tura Eccleſiaſtica, habes ex dictis *ſupra, verbo Ex-
communicatio quoad Regulares, num.* 53. Decimotertiò,
quod etiam Interdicti ſepulturâ priuentur, habes
etiam ex dictis *ſupra verbo Interdictum quoad Regu-
lares, num.* 33. 34. *&* 36. De his omnibus Summiſtæ
verbo Sepultura ſpecialiter Angelus *num.* 36. Syluester
quæſt. 9. Vgolinus *de offic. Epiſcopi cap.* 17. Layman.
d. cap. 12. *n.* 10. 11. *&* 18. Barboſa *ſupra num.* 40. *& ſeq.*
Theſaur. *ſupra verbo Sepultura*, ſpecialiter loquens
de pœnis prædictorum delictorum.

24 Circa prædicta autem nota, quod Parochi, vel Re-
ligioſi ſepelientes aliquos iure ſepulturæ priuatos
peccant mortaliter, quia faciunt in re graui contra
Eccleſiæ prohibitionem. Syluest. *ſuprà quæſt.* 11. In-
currunt etiam pœnas impoſitas contra ſic facientes
in Iuribus relatis. Imò etiam tenentur reſtituere cor-
pus, & quidquid ratione illius perceperunt. Angelus
ſupra n. 32. Syluester *ſupra*, Baboſa *ſuprà num.* 53. per
text. *in cap. cùm liberum, de ſepult.* referens Suarez, &
vtrumque Rodriguez. Similiter ſi quis prædictorum
de facto in loco Sacro contra Sacros Canones fuerit
ſepultus, ſi diſcerni poſſit ab aliis fidelibus, exhu-
mandus eſt, alias non, iuxta *cap. Sacris, de ſepult. & cap.
Eccleſiam* 1. *&* 2. *diſt.* 4. *de Conſec.* & Eccleſia, vel Cœ-
meterium reconcilianda, ſi in ea fuerit ſepultus ex-
communicatus vitandus, iuxta dicta *ſupra verbo Ec-
cleſia, n.* 12. Imò ſi talis ſepultus fuerit infidelis, debet
etiam tigna, & parietes radi, iuxta *ibid.* dicta. Summi-
ſtæ *ſuprà*, Layman. *ſuprà*, §. *Porrò*. Si tamen de cada-
uere dubitaretur, vtrum ſit fidelis, vel infidelis, in
meliorem partem interpretandum erit, niſi aliqua
probabilitas appareat de oppoſito. Syluest. *ſup. q.* 9.

Notandum etiam, quod ſi illi, qui ſeipſos occide- 25
runt, aut non confeſſi, vel excommunicati in Paſcha
fuerunt, aut peccatores notorij ſunt, ante mortem
Eccleſiæ conciliari, vel eos ſignum pœnitentiæ de-
diſſe ex vnius ſaltem teſtimonio probari poteſt, ſe-
pulturæ tradi debent. Syluester *ſup.* Nauar. *lib.* 3. *conſil.
tit. de ſepult. conſ.* 6. Portellus *ſuprà, n.* 1. Layman. *ſuprà
num.* 11. Naldus *in Summa, verbo Sepultura, num.* 6. *&* 7.
[Vnde Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regula-
rium 16. Nouembris 1635. quendam Presbyterum
excommunicatum, qui ante mortem ſigna contri-
tionis dedit, quod ipſius cadauer abſolueretur, & ſe-
peliretur ordinauit.] Publici autem vſurarij non antè
ſepeliendi ſunt, quàm vſurarum reſtitutio facta ſit,
vel de facienda cautio detur, *c. quamquam, de vſur. in* 6.
Laym. *ſup.* Theſaur. *ſup. verbo Vſurariorum pœna, c.* 1. Imò
etiam qui in torneamentis moriuntur, etiamſi pœ-
niteant, Eccleſiaſtica ſepultura carere debent, *c.* 1. *de
torneamentis*, Syluester *ſuprà, q.* 9. Naldus *ſuprà n.* 7. De
raptoribus autem, ſeu violatoribus Eccleſiarum, qui
in morte pœnitent, ſed ſatisfacere non poſſunt, ſta-
tuitur *in c.* 2. *de Raptorib.* quod Clerici non inter ſint
eorum ſepulturæ. Gloſ. *ibid. verbo Sepultura*, Nald. *ſup.
n.* 7. Ex quo inferunt, Cœmeteriũ non eis denegari.

Specialiter circa id, quod dixi de Religioſis pro- 26
prietariis, quod ſint priuandi ſepultura Sacra, nota
id eſſe intelligendum quando admoniti ſunt à ſuo
Prælato, ne eſſent proprietarij. Etenim *cap. ſuper quo-
dam, de ſtat. Monach.* relatum ſolùm loquitur de Re-
ligioſo commonito à ſuo Priore. Portellus *ſuprà
num.* 11. Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tract.* 31. *diffic.* 3.
num. 6. Diana 4. *p. tract.* 4 *reſol.* 23. Id etiam intelligen-
dum eſt, quando certò conſtat de proprietate Reli-
gioſi, non verò quando habere potuit aliquam pro-
babilem excuſationem, vt puta, quod pecunia non
eſſet ſua, quod haberet licentiam à Superiori ad il-
lam tenendam, &c. Portellus, Villalobos, & Diana
ſupra, ex vtroque Rodriguez. Addit Portellus id
etiam eſſe intelligendum, quando caſus eſt publi-
cus, non quando eſt occultus.

Nota tandem cadauera ſuſpenſorum, ſeu ad mor- 27
tem damnatorum, ſi pœnitentes deceſſerunt, non
priuari Eccleſiaſtica ſepultura. Abbas *in cap. ex parte,
n.* 4. *de ſepultur.* Layman. *ſupra num* 10. Interdum tamen
in criminis pœnam, & aliorum exemplum ipſa pri-
uantur. Quo caſu non videtur mortale, ſi ad vitan-
dam talem infamiam conſanguinei ipſorum eos ſe-
peliri clam faciant. Portellus *ſuprà n.* 10. ex Rodrig.

Hic placet apponere dubium mihi ab aliquot an- 28
nis propoſitum de infirmis, qui moriuntur in quo-
dam Monaſterio noſtro, cum eius reſolutione, quæ
talis eſt.

Infirmi qui curantur in Monaſterio Sancti An- 29
geli de concordia Congregationis Mantuanæ, Or-
dinis Carmelitarum, ſi è viuis decedant, ſepeliri
debent in Eccleſia, ſeu Cœmeterio eiuſdem Mo-
naſterij.

Primò, ex generaliſſima exemptione, qua fruitur 30
Religio Carmelitarum, non ſolùm quoad perſonas
Religioſorum, ſed etiam quoad loca, & perſonas
alias degentes, ſeu commorantes cum ipſis Religio-
ſis. Ad quod ſpecialiter deſeruit priuilegium Ioannis
XXII. in eorum Mari magno, vbi ſic: *Deuotionis ve-* 31
*ſtra precibus fauorabiliter annuentes, vos, & prædictum Or-
dinem, perſonas, & Eccleſias, Oratoria, domos, res alias,
& loca veſtra, ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitatis
ad præſens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuri-
bus, & pertinentiis ſuis, ac perſonis degentibus in eiſdem*

in

Digitized by Google

in ius & proprietatem Beati Petri , & Apoſtolicæ Sedis
aſſumimus , illaque à cuiuſcunque Diœceſani , & cuiuſli-
bet alterius poteſtate, iuriſdictione, & dominio omnimodè in
perpetuum prorſus eximimus. Vbi expendendum quod
Pontifea non ſolùm concedit hanc exemptionem
Religioſis notaris per verba illa , *Ves & perſonas*, ſed
32 etiam omnibus aliis cum ipſis commorantibus no-
tatis verbia illis , *ac perſonis degentibus in eiſdem.* Vn-
de vt notaui 5. *tom Summ. circa hunc locum Maris mag-*
ni, §. 5. *num.* 10. in facti contingentia cum quidam
33 ſecularis bic Romæ infirmaretur , & deuotionis
cauſa ad ſe curandum in quoddam Monaſterium
noſtrum veniſſet, ex vi huius priuilegij Sacramenta
Euchariſtiæ , & extremæ vnctiouis a fratribus ipſi
miniſtrata fuerunt.

34 Suffi. iebar autem ad id faciendum exemptio lo-
corum Ordini conceſſa ab hoc Pontifice. Certi enim
iuris videtur, quod Monaſteria & loca exempta om-
nia Regularium æquiparantus toraliter locis poſi-
35 tis extra Diœceſim: vnde quemadmodum Parochus
nullum ius haberet in eo qui decederet ea bac vi-
ta extra Parochiam ſuam ; neque Diœceſanus in
eo qui moreretur extra ſuam Diœceſim , ita nul-
lus eorum in eo qui decedit in Monaſterio exemp-
to, quale eſt præfatum Monaſterium. Peytinis *tom.* 1.
priu. Minim. in Conſt. 1. *Iuly* 11. *n.* 94. referens Rodrig.
Graſſium, & Regiualdum, Samuellius *de ſepult. tr.* 1.
contrau. 15. *n* 4. Ex quo proinde ſequitur, ſepeliri de-
bere dictos infirmos in eo loco. Bordonua *tom.* 2. *re-*
ſol. 51. *n.* 168. ex iure etiam communi id probans.

36 Accedit ſecundò, quod quilibet Catholicus eſt li-
ber ad ſepulturam ſibi eligendam, quando eſt ſibi
compos, *c. Licèt, de ſepultur. in* 6. *c. Cum liberum, & cap.* 1.
de ſepult. Et quando non eſt ſibi compos, vt impubes,
& ſimiles, talis libertas reſidet penes eos qui ſuper
ipſos poteſtatem habent, vt ipſos gubernent , *cap.* 4.
de ſepult. in 6. vbi Gloſſa *not.* 1. recte aduertit conſue-
tudinem quandoque alteri poteſtatem præſtare pro
altero ſepulturam eligere. Tales ergo infirmi ad præ-
fatum Monaſterium accedentea , cùm quandoque
habeant liberum vſum rationis, quia ſont babentes
37 lucida interualla, vel etiamſi non habeant, cum eò
accedant ex ductu , & voluntate eorum qui ipſos
gubernant, cenſeri debent elegiſſe ſibi ſepulturam in
dicta Eccleſia ea propria voluntate, vel ſaltem eo-
rum qui ipſos gubernant, ac per conſequens ibi tu-
mulari debere. Eo præſertim, quia eo ipſo, quod vel
nutu proprio, vel eorum à quibus reguntur, ad dictũ
38 Monaſterium accedunt, cenſentur mutaſſe domici-
lium, & eſſe ſub ditione Superioris eius loci, & ſub-
jici illi quoad Sacramẽta recipienda, & ſepulturam,
ſi deceſſerint. Samuellius *ſup. n.* 45. Eo quoque quod
Mendicantes liberam habeant ſepulturam, provt di-
xi *tom.* 8. *Summ. c.* 1. *n.* 31. ex priuilegiis Summorum
Pontificum, præſertim Sixti IV. & Pij V. *ſup. verb.*
Sepultura quoad Regulares , *n.* 41 ex Innocent. IV. Cle-
mente IV. Bonifacio V. apud Caſſatub. *in Comp. priuil.*
Mendic. verb. Sepelitio & Sepultura, n 1. 3. & 8 & Bene-
dicto II. pro Seruitis in Annalibus huius Ordinis
lib. 6. *c.* 3., & fauet ius commune *c. Super Cathedram, de*
ſepult. in 6. & *c. Inter cunctas, de priuileg. etiam in* 6. *ac cap.*
Dudum, de ſepult. etiam in 6. & *c.* 8. *de ſepult.*

39 Tertiò, & ad intentum, ſunt innumera priuilegia
Mendicantibus conceſſa circa ſepulturæ exhibitio-
nem ſuis familiaribus commenſalibus, quorum plu-
ra adduxi *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 21. conformiter etiam ad
doctrinam Rodriguea & Portelli *ibid.* relatorum,
quos & alios plures refert & ſequitur Samuelliua
40 *ſup. n.* 83. Tales autem infirmi nomine familiarium
veniunt, cum verè ſint de familia talium Religioſo-
rum, eorum poteſtati ſubiecti, ipſorum expenſis ali-
ti, & commenſales, *c. vlt. de verb. ſignif. in* 6. Rota Ro-
man. *diu. part.* 2. *dec.* 303. *num.* 8. Maſcardus *de probat.*
concl. 755. Quinimò vt familiares dicerentur, ſuffice-
ret quod ſub eorum poteſtate, & correctione viue-
rent, *l.* 1. *C. ſi Rector Prouinciæ, l.* 1. *C. ſi quacunque prædi-*
tus pot. Marc. Anton. *reſol.* 75. *num.* 3. Barboſa *de Offic.*
& poteſt. Epiſcop. alleg. 10. *n.* 10. Et quod ipſis obſeque-
rentur, provt conſtat ex priuilegio Innocentij VIII.
apud dictum Samuellium *n.* 51. vbi hanc facultatem
extendit ad perſonas obſequia impendentes Reli-
gioſis. Et quod magis eſt, etiamſi nihil horum face-
rent , ſolùm quia commorarentur cum dictis Reli-
giosis. Sic enim conſtat ex Bulla Nicolai V. apud 41
eundem Samuellium *n.* 50. vbi priuilegium à variis
Summis Pontificibus conceſſum fratribus Prædica-
toribus præbendi Sacramenta & ſepulturam *ſingulis*
perſonis, quæ in eorum obſequiis morarentur, extendit idem
Pontifea ad perſonas cum eis commorantes, etiamſi
in eorum ſeruitiis non inſiſtant. Dicit enim Ponti-
fea : *Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat , perſæpè*
in diuerſis domibus, ſiue Conuentibus dicti Ordinis contingat
nonnullos Chriſti fideles ob deuotionis cauſam infra ſepta 42
domorum huiuſmodi & clauſuram cohabitare , quibus dari
debent huiuſmodi Sacramenta : Nos noſtrorum Prædeceſſo-
rum in hac parte veſtigiis inhærentes, ipſorum Magiſtri &
Procuratoris ſupplicationibus inclinati , Magiſtro , Priori-
bus & fratribus præfatis vbilibet conſtitutis, omnibus & ſin-
gulis perſonis infra ſepta & clauſuram prædictam pro tem-
pore commorantibus quoties opus fuerit Sacramenta Eucha-
riſtiæ liberè & licitè , ſicut illis qui in eorum ſeruitiis inſi-
ſtunt miniſtrandi, & eas poſt earum deceſſum in eorum Cœ-
meteriis ſepeliendi, Diœceſani loci, aut alterius cuiuſcunque
licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, plenam & liberam con-
cedimus, tenore præſentium , auctoritate Apoſtolica facul-
tatem. Ex quibus omnibus infertur prædictos infir- 43
mos gaudere hoc priuilegio ſepulturæ in dicta Ec-
cleſia pluribus titulis adductis , ſcilicet familia-
rium , ſubiectorum , commenſalium , domeſtico-
rum, &c. Bordonus latè *tom.* 1. *reſol.* 36. *n.* 63.

Nec obſtat quod Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. 44
c. 11. bæc & ſimilia priuilegia moderetur, itavt ſolùm
intelligi valeant de habentibus tres conditiones, ſci-
licet *actu ſeruire* Religioſis, & intra eorum ſepta , ac
domos *reſidere* , ac ſub eorum obedientia *viuere* : ex
quibus prima, ſcilicet actu ſeruire Religioſis, non
ſubſiſtit in hoc caſu, cum potius ipſi Religioſi ſer-
uiant dictis infirmis. Nam præterquam quod vt dixi
tom. 1. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 14. Concilium tantùm videtur loqui 45
de priuilegiis , quæ *perturbationem in Epiſcoporum iu-*
riſdictione excitare , & exemptis occaſionem laxioris vitæ
præbere cognoſcuntur, quod non verificatur in præſen-
ti, vlterius manifeſtè conſtar etiam verificari dictam
conditionem , ſiquidem eſto quod Religioſi inſer-
uiant ipſis infirmis in eorum actuali curatione, ni-
hilominus viciſſim ipſi infirmi eiſdem Religioſis 46
deſeruiunt, tum quando lucida interualla patiuntur,
tum etiam quando non illa patiuntur, ſed ſunt mente
& ratione priuati, cùm euidenti experientia conſtet
huiuſmodi mente captos, etſi in aliquibus materiis
tales ſint, in aliis tamen ſe gerere, ac ſi rationis cõpo-
tes ſint; tum denique quomodocunque ſint obedien-
tes dictis Religioſis in obſequiis vilibus, & ſeruili-
bus Monaſterij, hoſpitalis, & aliorum infirmorum.

Tollitur autem omnis difficultas in hoc caſu ex 47
eo quod vt refertur, Religioſi dicti Conuentus con-
ſuetudinem habent adminiſtrandi dictis infirmis
Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis. Ex
hoc enim manifeſtè deducitur ipſis poſſe tribuere
ſepulturam cum decedunt. Ius enim ſepulturæ pen-
det ab adminiſtratione Sacramentorum. Gratian.
diſcept. forenſ. c. 94. *n.* 74. Sanchez *de matr. lib.* 3. *diſp.* 23.
num 17. Barboſa *de Offic. & poteſt Parochi p.* 3. *c.* 26. *n.* 34.
Vnde in iure vtrumque munus adminiſtrandi Sa-

cramenta,& concedendi ſepulturam eidem concedi-
tur, *c. Ex parte, & cap. In noſtra. de ſepult.* & docent
Gloſſa *c.Vbicunque,inst.13.quaſt.2.* Archid. *c.1.de ſepult.*
in 6.num.2. & ibi Domin. *§.ſtatuentes, num.4. verſ.ſed*
dubium eſt. Abbas *c.1.de ſepult.num.4.* Sylueſt. *verb. Se-*
48 *pultura.quaſt.8.dict.1.* Quare de iure Canonico certiſ-
ſimum eſſe,quod quis humari debet vbi Sacramen-
ta recipit ſine electione ſepulturæ, firmat Samuel-
lius *ſup.n.55.* ex Gloſſa *c.Dudum,de ſepult.in 6.* Et ratio
49 id ſuadet,quia vt habetur in Regul Iur. *in 6. Cui licet*
quod eſt plus,licitum quoque eſt quod eſt minus. Minus au-
tem eſt cadauer ſepelire,quàm Sacramenta admini-
ſtrare, cum iſtud ſit exercere iuriſdictionem ſuper
totum hominem animatum,illud verò ſolum ſuper
putridum eius corpus. Fauet etiam & alia Iuris re-
gula *Dignius trahit ad ſe minus dignum:* quam etiam ad
50 hoc intentum affert Peyrin. *ſup. n.93.* Et ita *in Clem.*
Religioſi, de priuil. cum plura Summus Pontifex pro-
hibuiſſet Religioſis, nihilominus in fauorem admi-
niſtrationis Sacramentorum hæc ſubiungit in fine:
Sane Religioſis illis quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſ-
ſum, vt familiaribus ſuis domeſticis,aut pauperibus in ho-
ſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica
miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præiu-
dicium generari.

51 Maximè etiam roboratur intentum ex eo, quod
Hoſpitalia Religioſa gaudent tot tantiſque priuile-
giis,vt prorſus à ratione & iure exorbitet dicere non
gaudere iſto de ſepultura pro infirmis,qui in eo cu-
52 rantur. Primò enim gaudent priuilegio Eccleſiarum,
& earum emolumentis,quod declarat Felinus *in cap.*
de quarta,colum.1.num.3.de praſcript. Maſcardus *de pro-*
bat.vol.2.concl.869.num.9. Secundò,gaudent priuile-
gio reſtitutionis in integrum, ſicut Eccleſia, vt ex
Ioanne Andrea,Romano,Abbate, Felino & aliis af-
fert idem Maſcat. *n.10* qui agit *in ſeqq.* quomodo plu-
ribus aliis priuilegiis potiantur. Hinc quoque variis
nominibus appellabantur à Græcis, *Noſocomia, Or-*
phanotrophia, Brephotrophia, Ptochotrophia, Gerontocomia,
Xenodochia, quorum locorum mentio habetur apud
Iuſtinianum *in l. Sancimus 2. de Sacroſ. Eccleſ. & 23.*
quaſt.8.cap.In qualibet,§. Sancimus,& l.Illud,C.de Sacroſ.
Eccleſ. Eorum etiam meminit Theodor. *lib.5.Eccleſ.*
hiſt.c.18. Sozomen. *lib.6. Eccleſ.hiſtor.cap.29.*

53 Mirabile ergo prorſus videtur præfatis conſide-
ratis dubitari de hoc priuilegio talis Monaſterij,
cum eiuſdem inclytæ Ciuitatis Venetiarum exem-
plo conſtet Hoſpitalia omnia hoc ius habere, nec
Parochos ſe ingerere in illo, prout etiam exemplo
aliorum Hoſpitalium Vrbis & Orbis Chriſtiani id
roborari poteſt.

54 Nec obſtat prætenſa conſuetudo in contrarium de
humandis cadaueribus infirmorum dicti Hoſpita-
lis,& Monaſterij per Parochum,ſeu Plebanum; nam
præterquam quod ea non eſt continua, ſed interru-
pta per actum vltimum,vt ex facto conſtat: ſanè præ-
fatus vſus,quatenus eſſet, abuſus potius quàm con-
ſuetudo appellari poſſet, prout dicta corroborant.
55 Deinde Regularium priuilegia non amitti per non
vſum,ſeu vſum contrarium,expreſsè habet Samuel-
lius ſuprà relatus *in apparat.præiud.2.* quod probat ex
eo quod Regulares, neque illis renunciare, neque
per contrarios actos valent eis præiudicium inferre,
penes ea,quæ à Panormitano notantur *in c. Acceſſiſ-*
ſet, de Conſt.in fine, vbi inquit, *quod quando vnus vtitur*
& non alter priuilegio amborum vniuerſitati conceſſo, tunc
non vtens vtenti non præiudicat. Caſu etiam dato, quod
dictum priuilegium(quod potius ius commune ap-
pellari poſſet)amitti poſſet à fratribus dicti Mona-
ſterij permittentibus dictos infirmos ſepeliri à Pa-
56 rocho,ad id requirebatur,quod haberent ſcientiam
priuilegiorum ad non id faciendum, prout ex Cor-
duba,Suarez,Portello,Naldo,Bonacina,Tambur.&
aliis dixi *tom.4.Summ.verbo Priuilegia Regul.n.15.* Talis
autem ſcientia ſine dubio non fuit in id permitten-
tibus, aliàs ſtolidi eſſent in permittendo. Præterea 57
ſiue talis ſcientia eſſet,ſiue non eſſet, extat priuile-
gium Eugenij IV. quod retuli eo loco, *n.17.* & affert
Samuellius loco proximè *cit.n.4.* ex quo habetur, re-
gularia priuilegia non amitti per contrauentionem
factam *ex negligentia,vel ignorantia,aut alia quauis cauſa.*

Nec obuiat diploma Sixti IV. in fauorem Paro- 58
chorum Ciuitatis Venetiarum, in quo reuocat pri-
uilegia Ordinibus Mendicantibus conceſſa per eo-
rum Mare magnum. Primò,quia hoc diploma non
poteſt derogare Mari magno Carmelitarum, quod
fuit conceſſum poſt dictum diploma. Etenim diplo- 59
ma datum eſt Romæ ſub Annulo Piſcatoris die 18.
Martr.1476. Pontificatus eiuſdem Sixti anno 5.at ve-
rò Mare magnum Carmelitarum conceſſum eſt eo-
dem anno 1476. ſub 4.Kalend. Decembris Pontifi-
catus eiuſdem Sixti anno 6. Fuit ergo Mare mag-
num Carmelitarum poſt illud diploma Sixti IV. ac
per conſequens nullatenus ab ipſo derogatum,cùm
certi iuris ſit, legem poſteriorem non derogari per
anteriorem. Imò potiùs dicendum Mare magnum 60
Carmelitarum derogaſſe dicto diplomati,cum con-
tineat ampliſſimas & vniuerſaliſſimas derogationes
anteriorum Bullarum. Secundò, dato quod Bulla
iſta derogaret Mari magno Carmelitarum, ſolùm 61
eſſet prout in ea dicitur, *quoad funeralia & Sacramen-*
torum adminiſtrationes, non quoad ſepulturam,de quo
nulla ibi mentio. Nomine autem funeralium non
venit ſepultura, ſed quæ ratione ipſius obueniunt,
cap.Cum liberum, cap.noſtra, de ſepult. Alberic. *in l.ſeruo*
alieno 16.§.ineptas, n.13.ff.de leg.1. Riccius *in prax.rer.for.*
Eccleſ.dec.670.num.4.aliàs reſol.571.r.4.in 2.edit.& p.4.
reſol.300. Barboſa *de Offic.& poteſt. Paroch.part.3.c.25.*
n.37. Tertiò, cùm non obſtante dicta Sixtina con- 62
ſuetudine receptum ſit, vt fratres præfati Monaſte-
rij adminiſtrent Sacramenta etiam Euchariſtiæ, &
extremæ Vnctionis dictis infirmis,proculdubio etiã
non obſtante illa poterunt concedere ſepulturam
eiſdem. Quartò, cum non obſtantibus huiuſmodi 63
& aliis Parochorum priuilegiis,Concilium Triden-
tinum ſtatuerit, quod priuilegia Regularium ma-
neant in ſua vi quoad eorum ad familiares, poſitis ta-
men tribus illis conditionibus aſſignatis, ſiquidem
hæ conditiones ſubſiſtunt, & prædicti infirmi no-
mine familiarium venire debent, prorſus ſequitur
Concilium derogaſſe dictæ Sixtinæ, quatenus ali-
quid valere poſſet ad intentum. Quintò, quia eſto 64
illa aliquid ponderis haberet, ſolùm eſſet reſpectu
omnium ſecularium communiter,& genericè, non
ſpecificè & indiuidualiter de iſtis infirmis, qui
quandiu detinentur in Hoſpitali Religioſorum,re-
putantur ac ſi eſſent Religioſi quoad fauorabilia,
& cùm Religioſis adhæreant, Religioſi cenſendi
ſunt, *arg.l. qua Relig. ff. de rei vendic.* Bordonus *reſo-*
lut.36.num.603. Quæ doctrina ex eo etiam firmatur 65
quod generi per ſpeciem derogatur in omni mate-
ria, *l.In toto iure 91.ff. de regul. Iur.l.Sancimus 41.ff. de*
pœn.cap.1. cap. Paſtoralis, §. quoniam,de reſcript. cap.1.
de regul. iur. lib.6. Caſtrenſ. *conſ.476. lib. 2.* Tuſchus
litt.G, concluſ.16.

Diploma aliud Pauli Papæ, quod etiam Parochi 66
Venetiarum præ ſe afferunt,ex dictis corruit: nul-
lum enim verbum eſt in ipſo de ſepulturæ conceſ-
ſione, nec de ſpeciali caſu præſenti, ſcilicet infir-
morum commorantium cum Religioſis in Hoſ-
pitali, & quibus adminiſtrant Sacramenta: ſed
generaliter de adminiſtratione Sacramentorum om-
nibus fidelibus, ac perinde ſine cauſa adducitur ad
intentum.

Digitized by Google

SIMONIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De ſimonia remiſſinè.*
2 *Simoniæ definitio.*
3 *Diuiſio.*
4 *Alia iure diuino, alia ſolum iure Eccleſiaſtico prohibita.*
5 *Qualiter dare, vel accipere aliquid pro receptione ad Religionem ſit ſimonia.*
6 *Pro Sacramentis, & ipſorum adminiſtratione.*
7 *Pro Sacramentalibus, & ſimilibus.*
8 *Pro rebus Sacris permanentibus.*
9 *Quid pro ſepultura.*
10 *Quid pro actibus, ſeu exercitiis ſcientiarum.*
11 *Quid pro licentia docendi, aut pro gradibus.*
12 *Pro licentia audiendi confeſſiones, prædicandi, abſoluendi, &c.*
13 *Quid de Beneficiis, & Prælatiis Regularium.*
14 *An in commutatione ipſorum.*
15 *An in renunciatione, ſeu reſignatione.*
16 *Quid de aliis officiis Religionum.*
17 *De interceſſoribus, ſeu mediatoribus ad ipſa.*
18 *De Iurepatronatus.*
19 *De ſimonia confidentiali.*
20 *De ea, quam committere poſſunt Regulares in electionibus.*
21 *In quibus caſibus eam committant.*
22 *De pœnis ſimoniacorum.*
23 *Propter quam ſimoniam incurrantur pœnæ.*
24 *De dantibus, ſeu recipientibus aliquid pro ingreſſu in Religionem.*
25 *De pœna ſuſpenſionis, quæ propterea incurritur.*
26 *Qualiter puniendus tam recipiens, quàm receptus ſimoniacè.*
27 *Simoniaci ſunt infames.*
28 *De pœnis ſimoniacorum in Ordine.*
29 *Simoniacorum in Beneficiis.*
30 *De abſolutione, & diſpenſatione prædictarum pœnarum.*
31 *Pro quiete Religioſorum quid notandum.*

1 QVamuis hæc materia latiſſima ſit, reſtringenda tamen in præſenti eſt ad ea, quæ magis communiter inter Regulares contingere poſſunt, præſuppoſitis tamen aliquibus principiis ipſius.

2 Primò ergo quoad nominis etymologiam, ſimonia à Simone Mago originem traxit, qui Act. 8. Dei donum emere volebat. S. Thom. 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 1. & alibi. Summiſtæ communiter *verbo Simonia, in principio.* Definitur autem ſic. *Eſt Sacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, vendendi, ſeu commutandi rem Sacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam pro temporali, vt pretio.* Ita ferè S. Thom. *ſup.* & communiter Doctores, ſpecialiter ex noſtris Ioan. Beetx *de decem præcept. Decal. circa 7. præcept. expoſit. 2. c. 6.* Dicitur *Sacrilegium*, tum loco generis, tum vt indicetur virtus cui ſimoniæ vitium aduerſatur. Hæc autem virtus eſt Religio, cui opponitur ſimonia, æſtimando res Sacras tanquam prophanas, illaſque in contractum deducendo. Leſſius *de Iuſtitia, & iure lib. 2. c. 35. dub. 1. num. 2.* Bonacina *de Simonia, num. 2.* Dicitur *in ſtudioſa voluntate*, tum quia ſimonia, ſicut & alia omnia peccata, voluntatis deliberationem exigit, tum quia ad eſſentialem malitiam huius peccati non requiritur vt pactum mutuo conſenſu, vel re ipſa perficiatur, ſed ſufficit affectio vnius ſimoniaca cum opere ſubſecuto. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 1.* Reginaldus *lib. 23. c. 11. quæſt. 1.* Layman. *lib. 4. tract. 10. c. 8. §. 1. n. 1.* Dicitur *emendi, aut vendendi, aut commutandi, &c.* ad denotandum, quod ſimonia committitur per contractum quemcunque oneroſum, ſeu non gratuitum, ſiue ſit empiio, ſiue venditio, ſiue locatio, ſiue permutatio, ſeu alius quicunque. Syluester *in Summa, verbo Simonia, quæſt. 1.* Azor. *3. tom. Inſtit. moral. lib. 12. c. 1. q. 1.* Toletus *in Summa, lib. 5. c. 84. n. 1.* Circa illud *rem Sacram, ſeu ſpiritualem, &c.* nota, quod nomine rei ſpiritualis, quæ eſt obiectum ſimoniæ, intelliguntur ea, quæ à Deo, vt eſt Author ſupernaturalis, ideſt, vt eſt hominum, & Angelorum Saluator, & glorificator, procedunt, vel ad illum vt ſic ordinantur. Et eſt quadruplex genus ſpiritualium. Quoddam eſt ſpirituale per eſſentiam, vt virtutes ſupernaturales, & dona ſupernaturalia, & gratiæ gratis datæ. Quædam verò cauſaliter, quia ſcilicet ſunt cauſæ rerum prædictarum, vt Sacramenta, ad quæ reducuntur Sacramentalia, vt aqua benedicta, Catechiſmus, Exorciſmua, Chriſmaiis confectio, &c. Aliæ ſunt res ſpirituales effectualiter, quia ſcilicet ſunt operationes ex aliqua poteſtate ſpirituali procedentes, vel operationes ad Deum ordinatæ, vt diſpenſare in voto, Matrimonio, abſoluere ab excommunicatione, communicari, cantare in choro, ſepelire mortuos. Tandem quædam ſunt res ſpirituales ex annexione, quæ ſunt in duplici differentia, quædam quæ ad officium ſpirituale ordinantur, vel ex ſpirituali Ordine pendent, vt ſunt omnia Beneficia Eccleſiaſtica. Ius enim percipiendi fructus Beneficij eſt annexum Ordini Clericali, & ad Officium diuinum ordinatur. Quædam, quæ præparatoriæ ſunt ad ſpiritualia, vt vaſa Sacra, veſtes Sacræ, candelæ benedictæ, campanæ benedictæ, templa, Ius patronatus, quod ordinatur ad præſentandum Clericos ad Beneficia, &c. Et hæc omnia intelliguntur nomine rei ſpiritualis. De quibus omnibus latiùs Doctores in materia de ſimonia, ſpecialiter noſter Michaël de Bononia *in 4. diſt. 24. q. vnic.* Sylueſt. *ſupra*, ex Sancto Thoma, Richardo, & Panormitano, Ioannes Beetx *ſuprà*, Toletus *ſuprà n. 2.* Sanchez *lib. 2. Conſil. moral. cap. 3. dub. 1. n. 1.* Dicitur *pro re temporali*, vt oſtendatur ſimoniam regulariter non committi dum res ſpiritualis commutatur cum alia re ſpirituali, ſed dum res ſpiritualis commutatur cum re temporali pretio æſtimabili, vt equo, veſte, & ſimilibus. Leſſius *ſupra num. 3.* Bonacina *ſuprà num. 6.* Dicitur, *vt pretio*, quia malitia ſimoniæ in eo conſiſtit, vt res vilis, qualis eſt temporalis, tradatur vt pretium rei tantæ, qualis eſt ſpiritualis. Vnde quamuis aliquis det, vel accipiat aliquid pro re ſpirituali, niſi id ſit vt pretium, non committitur Simonia. Nauarrus *in Man. c. 23. n. 102.* Toletus, & Bonacina *ſupra*. Quod clarè, & pro multis caſibus conſcleutiæ valdè vtiliter explicat Sanchez *ſuprà dub. 11. num. 9.* has duas regulas ſtatuendo. Prima eſt: *Quod cùm multis titulis poſſit temporale dari, dum ſpirituale recipitur, ſcilicet per modum ſuſtentationis, vel liberalis doni ad gratiam referendam, vel ineundam, vel per modum eleemoſynæ, vel per modum remunerationis, & honeſtatis, ideſt ob reuerentiam Sacramenti, vel pro ſolutione obligationis legis, vel conſuetudinis, nullum horum conſtituit ſimoniam, ſed tantum quando datur temporale pro ſpirituali, vt pretium.* Altera eſt, *Quod ſi miniſtrans ſpiritualia accipiat temporale non detorquendo intentionem, ideſt non cum intentione emendi, vel vendendi, ſed dicendo, accipio hoc, ſicut ſolent communiter Clerici probi accipere, non eſt ſimonia.* His fermè ſimilia habet Nauarrus *ſuprà num. 103. §. quartò quod non, & §. decimò.* Solet autem à Doctoribus *ex cap. Saluator 1. q. 3.* & D. Greg. *hom. 4. in Euang.* huiuſmodi pretium *munus* appellari, & diſtingui in pretium, ſeu munus à *manu*, *à lingua*, & *ab obſequio*. Per primum intelligitur pecunia, equus, bos, veſtis, & ſimilia vendi conſueta. Per

ſecundum laus, & vitupetatio, pattocinium Aduocaii, commendatio apod Principem. Hoc enim officium eſt pretio æſtimabile. Per ıettium miniſterium aliquod in rebus tempotalibus, vr eſt famuli, œconumi, &c. Ioannes Beeıa *ſuprà cap.* 9. Michaël de Bononia *ſuprà*. Sotus *lib.9.de Iuſtit.q.7.* Toletus *ſuprà num.*3. Leſſius *num.*4. Layman. *ſupr.*§.3.

3 Simonia eſt trjplea : meotalis, coooentionalis, & realis. Mentalis commonitet accipitut ptimò pto nudo propoſito, ſen deſidetio committendi ſimoniam. Hæc enim ſola meute coocipitur, & nolla tatione cum externo actu coniungitur, vt ſi Religioſus inrentionem habear dandi aliquid, pecuniam v. g. pro aliqua Prælatura ; ſed poſtea pœnirentiâ ductus, vel alia ıatione impeditos, intenrionem ſuam opere nou compleat, nec vllam de hac re conuentionem faciat. Secundò ſomitur pro illa actione externa, quæ fit mente ſimoniaca, ſed ex ſe, & ea circumſtantiis ſimoniam oon ptæfert, vt ſi Religioſus pecnniam, vel aliquid det, vel accipiat pto obtinenda, vel danda Prælatura, quod tamen nec implicitè, nec explicitè ſignificarur eaternè eſſe pretium. Conuentionalis conſiſtit in pacto, ſeu conuentione capreſſa, vel tacita dandi, vel tecipiendi temporale pro ſpiritnali. Vnde hæc ſimooia diſtinguitut à mentali ob conuentiouem eaternam, quam non includit mentalis, diſtinguitur verò à ecali, quia non haber adiunctam tei traditionem. Realis enim eſt illa, qua res temporalis verè traditur, vel accipitut pro ſpirituali. Nauatrus *ſuprà num.*103. Toletus *ſuprà cap.*86. Bonacina *ſuprà queſt.* Layman. *ſuprà* §.6. *num.*67. Candidus *tom.4.diſquiſ.4.art.19.dub.*4.

4 Rurſus ſimonia eſt duplea, alia iure diuino, ſeu naturali ptohibita, quæ ſolet dici prohibita quia mala, alia ſolo iure Eccleſiaſtico ptohibita, quæ ſolet dici mala, quia prohibita. Prioris generis eſt illa, quæ committitur in emptione, venditione, &c. terum Sactarum, ſiue ſint Sactæ ex narura ſua, vr Sacramenta, &c. ſine ex benedictione Eccleſiæ, vt Ara, Calia, &c. Poſteriotis verò eſt illa, quæ verſarur circa petmutationem, vel teſignationem Beneficiorum, aut circa emptionem, vel venditiouem aliqootum officiorum temporalium Eccleſiæ, v. g. Oeconomi, Saciiſtæ, Procuratotis, &c. quæ ab Eccleſia ptohibita eſt, *cap. Saluator* 1. *queſt.* 3. Ioannea Beerx *ſupr. d.cap.*6. Nauartus *ſuprà num.* 100. Aaor. *ſupra quaſt.*2. Suatea *ſupra c.*2. Sanchez *ſuprà dub.*1.

5 Hæc etgo Regulatibus applicando, primò dicendum, quod iuxta dicta *tom.1.cap.24.num* 30.31.32.*&* *cap.*25.*n.*5. ſimontacum eſt aliquid dare, vel accipere vt pretium pto receptioue alicuius, ſiue viti, ſiue fœminæ ad Religionem, quia eſt vendere rem ſpiritualem pto temporali. Non tamen etir ſimonia aliquid accipere ad ſuſtentanda oneta temporalia, quæ Religio ſuſcipir cum aliqua petſona, neque pro ſuſtentatione, aut dote ipſius, iuata ibidem dicta, & *ſuprà* verbo *Dos Monialium*, ac ſuptà verbo *Moniales, num.*7. De quo etiam Suarex *cap.*54.*num.*4. Portellus *in Dub. Regul.verbo Simonia, num.*3.*&* 4. & Candidus *tom.4 diſquiſ. diſquiſ.4.art.*19. *dub.*31. *&* 32. Licer aotem ſimouia ſit date aliquid alicui, vt fiat Religioſus, vel Religioſa, vel illud accipere vt prerium, quia fieri Religioſam aliquam perſonam eſt aliquid ſacrum, & ſpirituale, ac per conſequens dandum graris ſine vllo pretio (Suarez *ſuprà*, Filliucius *tract.*45. *cap.*11. *quaſit.*8. *num.*16.) licirum tamen erir, & abſque labe ſimoniæ, ſi aliquid detur tali perſonæ alliciendo ipſam ad Religionem, & cum ſpe quod Religionem ingrediatur, etiam ſi talis ſpes manifeſtetut, cùm adhuc tunc non detur res illa tanquam pretium. Bonacina *ſuprà q.4. punct.7. in fine*. Nota autem quod in caſibus, in quibus ſimonia committitue dando aliquid, vel recipiendo pro ingreſſu io Religionem, committitue etiam à coopeꝛantibus, v. g. daoribus ſuffragium pto receptione talium, &c. Suarez *ſupr.quaſt.5.n.7.* De pœnis autem huius ſimoniæ inftà dicerur. An verò poſſit aliquis date aliquid gratis Prælatis Religionum ad faciliùs impetrandum ſuam teceptionem in illis, agit Diana *3.part.tract.2.reſol.*64. ex Vecchio, & aliis.

Simoniam etiam committunt Religioſi aliquid 6 dando, vel accipiendo vt pretium, pro Sacramentis, aut adminiſtratione illotum, iuata dicta de Sacramento Pœniteotiæ *tom.1.cap.19.num.*40. Sunt enim illa tes valdè Sactæ ; & ita decetnitur *cap. cùm in Eccleſia, de ſimon.* Toletos *ſuprà cap.*88. Sanchez *ſuprà dub.* 7. Idem dico de labote intrinſeco, ſeù concomitante ipſorum adminiſtrationem, quia talis labor eſt pats neceſſatia ipſius, & nullo modo ſeparabilis ab ipſa. Toletus *ſuprà*, Sanchez *ſuprà dub.* 10. Poſſuur tamen pto Sactamentorum adminiſtratione, & labore etiam intrioſeco ipſius aliquid accipere modis aſſignatis *ſuprà num.*2. Eacipi tamen debet Sacramentum Ordinis, etſi enim ſtando in iore naturali, & diuinn, poſſer pto ipſius collatione aliquid accipi, ſaltem pro Epiſcopi ſuſtentatione, iure tamen Eccleſiaſtico Concilij Ttident. *ſeſſ.21.cap.1. de Reform.* & conformitet ad alia iura antiqua : *Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonſura, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa etiam ſponte oblatum*, ab Epiſcopis, aut aliis miniſtris accipi poteſt. Sanchea *ſup. dub.*19. Bonacina *ſupr.*§.3. Pro labore autem eattinſeco, ſeu antecedenti, quia non eſt per ſe coniunctus cum Sacramenti adminiſtratiooe, vt ſi qois Religioſus ad audiendum alicuius confeſſionem duo, aut tria milliatia conficiat, aut aliquas eapenſas faciat, poteſt aliquid recipere, etiam per modum pretij. Ille enim eſt omnino remporalis, & non niſi per accidens coniunctus cum re ſpirituali. Leſſius *ſupra dub.*8. Toletus & Sanchez *ſuprà*, Ioannes de Cruce *in Director.pracept.7.c.4.dub.*5. ez Medina. Adde, poſſe eaigi pretium pro obligatione quâ ſe obligatet Religioſus ad Sactamentorum adminiſtrationem, v. g. ſi quia ſe obliget pet vnum annum, vel duos ad Sacramenta miniſtrandum, ſeu celebtandum, pretium exigere pro tali obligatione poteſt abſque ſimonia. Ratio eſt, quia hic non vendit rem ſpiritualem, ſed ſuam libertatem. Leſſius, Toletus, Sanchez & Ioannes de Cruce *ſupr.* Caſu etiam quo Sacramentorum miniſtet nolit illa adminiſttare niſi data pecunia, licet plurium ſententia ſit dari non poſſe, nihilominus probabiliot eſt conttaria, ſaltem pro caſu granis neceſſitatis tecipiendi illa, cum tunc ſolùm detut talis pecunia, non pro ipſa adminiſtratione Sactamentorum, ſed ad redimeodam iniuſtam veaationem, vel tollendum impedimentum auatitiæ iniqui miniſtti nolentis illa adminiſteate gratis. Leſſius *ſup. dub.* 7. Suarez *ſup.cap.*12. Filliucius *ſup.cap.3.quaſit.*5.

Idem qnod diai de Sacramentis, ſcilicer ſimo- 7 uiam committere Religioſos aliquid dando, vel ecipiendo tanquam pretiom pto ipſis, aut ipſotum adminiſtratione aut labore inteinſeco ipſius, benè ramen modis, aur titolis aſſignatis *ſupra num.*2. imò etiam vt pretium pro labore eatrinſeco, aut obligarione illa adminiſtrandi, dicendum eſt de exercitio, ſeo adminiſtrarione Sacramentalium, qualia ſunt Ezorciſmi, Catechiſmi, Conſectationes, Benedictiones, &c. eum etiam ſint tes ſpirituales, à poteſtate ſpiritnali procedentes, & ad finem ſpiritualem otdinaræ. Sylneſter *ſuprà quaſt.8.dicto* 6. Suarez *ſuprà c.*14. Sanchez *ſuprà dub.*15. Bonacina *dicta q.4.* §. 2. *&* 4. poſt alios. Idem etiam diceodum de fun-

ctionibua

ctionibus Ordinum, qualia ſunt cantare Euangelium, vel Epiſtolam, ſeruire Miſſæ, aut exercere munua Acolythi, Exorciſtæ, &c. Propter eandem rationem. Suarez *ſupra cap.* 13. Filliucius *ſuprà c.* 4. Bonacina *ſuprà* §.4. Idem, & propter eandem rationem dicendum de diuinis Officiis, qualia ſont celebratio Miſſæ, Horæ canonicæ, Exequiæ, Proceſſiones, Orationes publicæ, &c. Michaël de Bononia *ſuprà*, Syluester *ſupra quæſt.9.dicto* 3. Suarez *ſupra c.*15. Bonacina *ſuprà* §.5. Idem quoque dicendum de orationibus priuatis, quia etiam quatanus impetratoriæ, ſatisfactoriæ, vel meritoriæ de congruo, ſunt res ſpirituales, & ad finem ſpiritualem ordinatæ. Suarez *dicto cap.15.num.9.* Bonacina *ſuprà*, Layman. *ſuprà*, §.4.*num.*38. Idem ſimiliter dicendum, & propter eandem rationem, de actibus iuriſdictionis ſpiritualis, quales ſunt non ſolùm abſolutiones à cenſuris, diſpenſationes, &c. ſed viſitationes, correctiones, &c. ſed & iuxta dicta *ſuprà verbo Concionator, num.*3. Ipſæ Conciones. Vbi etiam *num.*12. quid dicendum de mercede, aut ſalario, quod Concionatoribus dari ſolet. Sanchez *ſuprà dub.*17. Ioannes de Cruce *ſuprà dub.*6. Laymanus *ſuprà* §.4. *num.*40. An verò idem dici debeat de omiſſione actus ſpiritualis, qualis eſt non abſoluere, non dicere Miſſam, non excommunicare, non eligere, &c. tractant Leſſius *ſuprà dub.*11. Layman. *ſuprà n.*43. Bonacina *ſuprà* §.9. ex aliis. De quo etiam aliqua ad intentum Regularium dixi *tom.1.part.1.c.15.num.30.* & 31.

8 Simoniacum etiam eſt dare, vel accipere aliquid vt pretium pro rebus Sacris permanentibus, putà veſtibus, vaſis & ornamentis Sacris, & ſimilibus. Etſi enim iſta ratione materiæ, quæ quid temporale eſt, vendi poſſint, non tamen ratione conſecrationis, aut plus ratione ipſius, quia etſi illarum conſecratio ab Eccleſia dependeat, ea tamen poſita, ſunt res Sacræ, & ad finem ſpiritualem animæ ordinatæ. Toletus *ſuprà c.*89. Suarez *ſuprà c.*14 *num.*6. Sanchez *ſuprà dub.*15. vbi etiam §. *Tertiò dico.* Idem dicit de Oleo ſacro, & Chriſmate, quod tamen negant Angelus *in Summa, verbo Simonia* 2. *num.*24. & Syluester *ſuprà* 8. *dicto*. ex Panormitano. De Reliquiis Sanctorum iam dixi *ſupr. verbo Reliquiæ Sanctorum, num.*3. eas vendere, aut emere eſſe ſimoniam. Quid de Agnis Dei ſentiendum, dixi *ſupra verbo Agnus Dei cerei, n.*3. & 4. De quo etiam Suarez *ſuprà c.*14. *num.*10. Quid verò dicendum de ſepultura, habes ex dictis ſuprà verbo *Sepultura quoad Regulares, num.*14.

Circa quæſtionem autem illam, an liceat aliquid
9 dare, vel accipere pro faciendo aliquo bonò opere, v.g. ieiunando, audiendo Sacrum, intrando in Religionem, ſuſcipienda fide Catholica, vel deſiſtendo ab aliquo peccato, v.g. fornicatione, furto, &c. certum eſt licere gratis offerre aliquid alicui per viam diſpoſitionis ad reddendum eum beneuolum, vt hæc velit facere. Syluester *ſuprà quæſt.* 8. *dicto* 3. Leſſius *ſuprà dub.*12. Sanchez *ſuprà dub.*16. Bonacina *ſuprà* §.7. *verſ. ex dictis.* Nota autem, quod donatio hæc ſimplex eſt, nec onus, nec obligationem faciendi inducens. Quare ſi alter non faciat, non tenetur reſtituere. Sicut licitum eſt munera offerre alicui ad habendum ipſum beneuolum, vt mihi mutuet, alter tamen acceptis muneribus licitè poteſt id nolle. Similiter, ſi aliàs quis affectus ſit ad talia opera, & impediatur paupertatis timore, vt ſi renuit baptizari, quia cogetur reſtituere vſuras, vel non ingreditur Religionem, quia aſtrictus eſt ære alieno, fas eſt pecunias offerre ad auferendum obſtaculum illud, quia hoc non eſt emere ſpiritualia, ſed impedimenta remouere. Angelus *verbo Simonia* 5. *num.*13. Syluester, & Sanchez *ſupra.* Licet autem valde dubium ſit, an liceat offerre munera ex pacto hæc faciendi, ita vt alter accepto munere ad id maneat obligatus; inter varias tamen Theologorum opiniones, & diſtinctiones, de quibus Suarez *ſuprà c.*16. & Bonacina *ſupra*, §.7. verius eſt abſolutè, & generaliter licere, etiamſi detur ex pacto, & cum obligatione faciendi, modò non detur in pretium, vt dare munera, vel nubere infideli hac lege, vt fiat Chriſtiana, & donare vitam infideli damnato ad mortem, aut illi concedere libertatem, ſi conuertatur, & filiis veſtes & equos, ſi frequenter confiteantur, aut ſe communicent, vel legare alicui, aut dare ipſi munera, ſi fiat Religioſus, ſi iſta omnia non offerantur in pretium. Ita Sanchez *ſupra*, cui fauet Leſſius *ſuprà.* Illud certius, quod quando promittitur, vel datur aliquid alteri non ſub obligatione faciendi prædicta, ſed ſub conditione illa faciendi, non committitur ſimonia, tum quia id non datur, aut promittitur vt pretium, tum quia adhuc ille cui res datur, vel promittitur, manet liber ad faciendum, vel non faciendum ea. Suarez, & Bonacina relati, & alij. Idem proportionaliter dici debet de recipientibus, ſi id non recipiant vt pretium.

Licitum etiam eſt Religioſis, & abſque labe ſimo- 10
niæ, aliquid dare, vel accipere, etiam vt pretium, pro actibus, ſeu exercitiis ſcientiarum, vel artium naturalium, quæ humano labore comparantur, videlicet Logicæ, Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ, Theologiæ, &c. Ratio eſt, quia quamuis iſta ſint ſpiritualia, tamen quia non ſunt Sacra, aut ſupernaturalia, ſed naturalia, ideo illa vendere, aut emere, non opponitur Religionis virtuti, ac per conſequens nec ſunt materia ſimoniæ, quæ vt dixi, eſt Sacrilegium contra virtutem Religionis. S. Thom. *ſup. art.*3. Expoſitores *ibid.* Nauarrus *ſupra num.*110. §. *ex qua definitione.* Toletus *ſuprà c.*88. Vnde poſſunt docere dictas artes, vel ſcientias, reſpondere ad caſus conſcientiæ, vel dare, aut ſcribere conſilia de ipſis, etiam propter pretium. Nauarrus *ſuprà.* Sanchez *ſuprà dub.*5. Layman. *ſupra num.* 30. Bonacina *ſupra*, §. 10. Nota tamen id eſſe intelligendum de huiuſmodi actibus, quatenus ſunt præcisè per modum doctrinæ, aut inſtructionis intellectus. Si enim conſiderentur quatenus referuntur ad animæ ſalutem, vel ad actus ſupernaturales eliciendos, ſeu per modum exhortationis, cenſentur res Sacræ, & ſupernaturales, & ita pro ipſis nihil dari, aut accipi poteſt vt pretium. Suarez *ſupra, cap.*18. *à num.*19. Leſſius *ſuprà dub.*13. *num.*78. Sanchez *ſupra.* Idem dicunt Leſſius, & Sanchez de illis quatenus ordinantur ad pacandas conſcientias. Licet oppoſitum aſſerat Bonacina *ſupra num.*7. Vide tamen Suarez *ſupra.* De actu verò docendi doctrinam Chriſtianam, quamuis Leſſius, & Sanchez dicant nihil dari aut accipi pro illo poſſe vt pretium, meliùs tamen Suarez *ſuprà n.*24. & Bonacina *ſuprà num.* 9. dicunt id ſolùm eſſe verum, ſi ſit modo perſuaſiuo, aut per modum concionis, ſeu perſuaſionis ad rectè operandum; non ſi ſit per modum doctrinæ ad inſtruendum intellectum, vel iuuandam, aut exercandam memoriam. Ex quo patet, quid dicendum ſit de Catechiſmo, aut actu Catechizandi, de quo Authores relati.

Ex dictis autem infertur licentiam docendi quam- 11
cunque artem, vel ſcientiam, etiam Theologiam, ſeu, prout in Religionibus contingit, eſſe lecturam Artium, vel Theologiæ, aut etiam gradus Baccalaureatus, & Magiſterij, ſeu Doctoratus, de quibus egi *ſupra verbo Gradus, & Graduati*, non eſſe materiam ſimoniæ, ac per conſequens, quantum eſt ex parte illorum poſſe dari, & accipi pretium pro ipſis. Tum quia non ordinantur ad actum Sacrum, aut ſupernaturalem, ſed ad naturalem, ſcilicet docendum: tum quia in Vniuerſitatibus videntur dari

propter pretium. Tum denique, quia dari poſſunt à poteſtate laïca. Leſſius *ſupra num.* 83. Filliuccius *dict. tract.* 45. *quæſit.* 8. Layman. *ſuprà num.* 31. Dixi quantum eſt ex parte illorum; quia quod attinet ad Regulares, cum prædicta dentur ipſis à Prælatis ex vi iuriſdictionis ſpiritualis, quam habent in ſubditos, ideo pro illis ſunt materia ſimoniæ, & per conſequens nihil dari, aut accipi pro ipſis poteſt, etiamſi in ſe ſint res naturales. Ad modum quo, licèt facultas medicandi conceſſa medico presbytero ſit quid naturale, ſi tamen pretio obtineatur, ſimoniaca erit, quia procedit ex poteſtate ſpirituali Prælati diſpenſantis. Suar. *ſupra num.* 14. *&* 15. Sanch. *d. dub.* 5. Idque videtur valdè conſonum *cap.* 1. 2. *&* 3. *de Magiſtris.* Layman. *ſuprà.*

12 Simoniacum etiam erit dare aliquid, vel accipere inter Religioſos pro licentia confeſſiones audiendi, Prædicandi, Ordines recipiendi, à caſibus reſeruatis abſoluendi, & ſimilia. Sunt enim ſpiritualia, Sacra, & ad animarum ſalutem ordinata. Suarez *ſup. cap.* 54. *num.* 3. *ad finem*, Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito, quæſt.* 1. *cap.* 31. §. 9.

13 Maximè notandum etiam pro Regularibus, quod cum iuxta dicta *ſuprà num.* 2. in definitione ſimoniæ, materia ipſius non ſolùm ſit quid ſpirituale, ſed etiam id quod eſt annexum rei ſpirituali, ideo Beneficia Eccleſiaſtica, cum ſint annexa rebus ſpiritualibus, nam ſunt annexa Ordini Sacro, & ordinantur ad Officia diuina peragenda, ſunt materia ſimoniæ, ac proinde pro ipſis pretium dari, aut accipi non poteſt ſine labe ſimoniæ, prout communiter Doctores ſupponunt. Quod non ſolùm intelligendum eſt de Beneficiis Regularibus, quæ important curam animarum ſæcularium, de quibus dixi *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 18. *& ſupra verbo Beneficium, & Beneficiati*, ſed etiam de Prælatiis Regularium, quæ importan ſolùm curam animarum ipſorum, Generalatu videlicet, Prouincialatu, Prioratu, &c. Ratio eſt, quia licet illa, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 22. & loco relato *ex tom.* 3. *num.* 3. non ſint propriè Beneficia quoad vtilitatem temporalem percipiendi fructus, ſeu redditus; ſunt tamen Beneficia quoad iuriſdictionem ſpiritualem, & curam animarum, quam important, ac proinde proportionaliter dicendum de illis eſt, ac de aliis Beneficiis. Suarez *ſuprà c.* 54. *num.* 3. *ad finem*, Filliucius *ſuprà c.* 12. *quæſito* 8. Sanchez *ſuprà dub.* 104. *num.* 5. *&* 11. Peyrinis *ſuprà*, Layman. *ſuprà*, §. 7. *num.* 72. Bonacina *ſuprà quæſt.* 5. *num.* 7. Nouarius *in Lucern. Regular. verbo Simonia, num.* 9. An verò propterea incurrantur pœnæ ſimoniacorum in Beneficio, dicetur infrà *num.* 29.

14 Quemadmodum ergo ſimonia Iure Eccleſiaſtico introducta committitur permutando, ſeu commutando Beneficia Eccleſiaſtica, ſi priuatâ authoritate, & non Superioris fiat, ex variis textibus relatis *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 15. *num.* 32. de quo non ſolùm Suarez ibi relatus, ſed etiam Sotus *d. lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 2. Azor. *ſupra c.* 12. Toletus *ſuprà c.* 91. & alij. Sic etiam dicendum de prædictis Prælatiis Religionum, iuxta ibidem dicta. Nota autem primò, huiuſmodi commutationem ſolùm eſſe ſimoniacam in Beneficiis propter textus relatos. Vnde commutare alias res ſpirituales inter ſe, nec eſt ſimonia, cùm ſimonia ſolùm ſit commutare ſpirituale pro temporali, non ſpirituale pro ſpirituali, nec vllo modo prohibitum, cum quotidiana experientia conſtet etiam inter timoratos, quod vnus cum alio commutet Miſſas, ſpirituales functiones, aut exercitia circa animarum curam. Sotus *ſup. quæſt.* 5. *art.* 2. Suarez *ſuprà c.* 30. *n.* 5. Bonacina *ſuprà*, §. 12. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 150. Nota ſecundò, Superiorem illum, cuius auctoritate poteſt fieri hæc commutatio, eſſe illum, qui Beneficium ipſum poteſt conferre. Toletus *ſuprà*. Vnde ad propoſitum Prælatorum Religionum, erit Generalis, vel Prouincialis, aut Superior, ad quem ſpectat illa conferre. Sanchez *ſuprà dub.* 38. *num.* 4. Nota tertiò, quod ſi vel minimum pretij, aut commodi temporalis in tali commutatione intercedat, fore ſimoniacam, quia iam erit commutatio rei ſpiritualis pro temporali. Toletus *ſuprà.*

15 Quemadmodum etiam renunciatio, ſeu reſignatio Beneficiorum, ſi pura, & abſoluta ſit, non eſt ſimoniaca, ſed licita, cum nihil detur, aut recipiatur pro illa, & aliàs fiat coram legitimo Superiori; ita etiam de renunciatione, ſeu reſignatione prædictarum Prælatiarum dicendum eſt, iuxta dicta *ſuprà verbo Abbas, n.* 18. & *verbo Beneficium, & Beneficiati, n.* 16. Vbi etiam huiuſmodi Prælatiarum reſignationes fieri poſſunt in fauorem tertij, vel deſignando perſonam, cui conferri debeant. De quo præter Authores ibi relatos vide etiam Sanchez *ſupra dub.* 36. *num.* 25.

16 Simoniam etiam committunt Regulares aliquid temporale dando, vel accipiendo pro officiis Eccleſiaſticis ſuarum Religionum, qualia ſunt Officia Procuratoris Ordinis, Sacriſtæ, & ſimilia. Ita enim habetur expreſsè *c. Saluator* 1. *quæſt.* 3. ex Concil. Chalcedonenſi, Suarez *ſup. cap.* 54. *num.* 3. Peyrinis *ſuprà*, Bonacina *dicta quæſt.* 5. *num.* 7. Nouarius *ſuprà num.* 9. Hæc verò officia Eccleſiaſtica, quantùm ex dicto *cap. Saluator*, colligi poteſt, ſunt illa, quæ habent adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum. Quare alia officia, quæ non important talem adminiſtrationem qualia ſunt ianitoris, & ſimilia, etiamſi pretium pro illis detur, vel accipiatur à Regularibus, quamuis illicitum valdè ſit, non tamen vt credo erit ſimoniacum; cùm in ſe merè temporalia ſint, nec adſit ſpecialis prohibitio Eccleſiæ circa illa.

17 In caſibus autem, in quibus ſimonia committitur dando, vel accipiendo aliquid temporale pro Prælatiis, vel officiis Eccleſiaſticis Religionum, etiam erit ſimonia, ſi illud temporale detur, vel accipiatur ab interceſſoribus, ſeu mediatoribus, *c. præſentium* 1. *q.* 5. Sotus *ſup. q.* 7. *art.* 3. Sanchez *ſuprà dub.* 26. *num.* 2. ex aliis. Notat autem *num.* 3. hoc intelligi, ſi illud detur pro mediatione, ſeu interceſſione, non ſi pro ſollicitatione. Aduertit etiam Portellus *in Dub. Regul. verbo Simonia, num.* 2. ex Rodriguez ab ipſo relato, ſimoniam eſſe aliquid dare, vel recipere pro informando Prælato de qualitatibus prætendentis, vel procurantis officium, vel Beneficium.

18 Eſt etiam materia ſimoniæ juſpatronatus, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 11. *num.* 7. *& ſequentibus*, ac per conſequens propter illud dari, aut accipi aliquid temporale non poteſt. De quo, præter Authores eo loco relatos, latè Sanchez *ſuprà dub.* 48. & ſequentibus.

19 De ſimonia confidentiali agere, quia rarò inter Regulares contingere ſolet, ad alium locum remittendum. Quia tamen inter caſus, à quibus ex Decreto S. Congregationis ſub Clem. VIII. quod retuli *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. prohibentur Confeſſarij Regulares per vniuerſam Italiam extra Vrbem abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum, vnus eſt iſte; ideò ſolùm modo dicendum huiuſmodi ſimoniam confidentialem conſiſtere in reſignatione, collatione, electione, vel præſentatione Beneficiorum hoc animo, vt ipſa, vel fructus ipſorum, vel in partem reſtituantur, vel reſeruentur ipſi reſignanti, conferenti, eligenti, vel præſentanti, aut alteri iuxta ipſius electionem. De qua Nauarrus *ſuprà num.* 110. *& lib.* .. *conſil. tit. de renunciat. conſ.* 5. *& lib.* 5. *tit.* 3. *de Simonia conſil.* 48. *&* 76. Quaranta *in Summa Bullar. verbo Simonia*, Rodrig. 2. *tom. Summ. cap.* 56. Sanchez *ſuprà dub.* 34. & Bonacina *ſuprà quæſt.* 7. §. 1. Stratius noſter *in Inſtruct. pro Carmelitis, c.* 7. De ea, quæ committitur

in

Digitized by Google

in peoſiooibos, quia inter Regolares cariùs cootiogere ſolet, pro nunc nibil agendum. De ea tamen communiter Aothores.

20 De ſimonia, quam committere poſſunt Regulares in electiooibus, dixi dicto *cap.15.n.58. & ſequentibus.* Maximè verò licèt, iuxta dicta eo loeo, *num.59.* committant ſimoniam Religioſi in electionibus, ſi couueotionem, vel pactum faciant, qood vnus ſuffragetur vni io vna electiooe, & alier ſuffragetue to alia. Vt ſi dicant, Si dederis mihi, vel aiiis tuum votom, ego dabo tibi meum, vel amieo too. (De qoo præter Authores ibi relatos Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1.diſp.10.quæſt.3.num 3.* & Paſqualigus inſra referendus.) Eacuſare tamen illoa videtur à ſimonia Portellus *ſupra num.1.* ea Rodrignea, & cooſonat idem Paſqualigus, ſi in hoc non fiat pactum, & conuentio clara, ſed solùm detur demonſtratio ſpei futuræ. Vt ſi dicatur: Da tu ſuffragium, & de tuo honote curabitot, ſicut congrunm fuerit, vel quid ſimile. Tuoc enim ſi amore amicitiæ detur tale promiſſum, abſqoe aoimo ſe coiligandi per contractum, non videtur intetuenire pactum. Secus ſi dicatur clarè: Si dedatis pro me ſuffragium, ego etiam dabo, aliàs non dabo. Hic enim clarè interuenit pactum, & cootractus ſimoniacus. Vnde immeritò Sanchez *ſupra dub 44.num.4.* dicit eacuſari à ſimonia Monachos ſie cooueniences inter ſe. Elige me in Prouincialem, & te eligam in Priorem, quia inquit, licer hæc officia ſint ſpiritualia, at nòn ſunt beneficia. Quod probabile eſſe docet Diana *4.part.tract.4.reſol.150.* Nam ipſe Sanchez *ibid.dub.104.num.11.& dub.107.n.3.* & idem Diana eadem *4.part.tract.4. reſol.156.* prædictas Prælatias Religionum vocant Beneficia. Eſto autem probabile ſit Beneficia non eſſe quantum ad pœnalia, quando oon habent aliquam præbendam, vel commoditatem redditnum adiunctam, iuxta dicenda infra *num.59.* nihilominus valdè damnabilia ſuot, & ſimoniaca in Religionibus talia pacta, nòn ſolùm propter iura adducta eo *num.59.* & quia talia officia ſunt ſpiritualia, ſed etiam quia tales coouentiones ſunt virtuales quædam ſubornationes omni iure prohibitæ io electionibus. Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 27. diffic.24.num.1.* Hierooymus Rodrig. *ia Compend. Quæſt. Regular. reſol.129.num.3.* & Diana *iam dicta reſol.150. 3.part. tract.2. reſol. 135.* Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.224.* Addit tamen *deciſ.226* eacuſari proferentes talia verba, ſi ea dieantur oon paeiſeendo, ſed deelarando mentem ſuam.

21 Adde etiam, ſimoniam committi in electiooibus Regularium, ſi aliquis pecunia, vel aliquo dono temporali conoeniat com aliquo, ne concurrat cum ipſo ad electionem alicuius Prælatiæ. Ita enim aliquo modo colligitur *ex cap. Matthæus, de Simonia*, & etiam quia talis ſic faciendo ſibi parat electionem media illa pecunia, aut donu temporali, quod eſt virtualis quædam emptio Prælatiæ, aut electionis ad ipſam. Maiolos *lib.5.de Irregularitate, cap. 45.n.3.* Proſper de Augoſtioo *in Additionibus ad Quarantam, verbo Simonia*, Vgolinus *de Officio Epiſc.cap.30.§.9.num.1.* & ex illis Barboſa *de Offic.& poteſt.Epiſc.alleg.60. n.54.* Idem refert ex Sanchez, Paulo, Leſſio, & Baſilio Pontio Paſqualigus *ſuprà deciſ.248.* Licèt ipſe in partem contrariam incliner. Similiter ſimoniam committent Regulares, ſi in electionibos vnus faciat hoc pactum cum alio, ſcilicet, *non concurras mecum in hac electione, & ego non concurram tecum in alia.* Tom propter dicta, tum etiam quia obligatio non coocorrendi in electione ſequenti eſt res pretio æſtimabilis, & per illam parat ſibi ille viam ad electionem, ſeu Prælatiam, quæ eſt res ſpiritualis, Sanchez *ſuprà dict.lib.2.cap.3. dub.30.* Licèt præfatus Paſqualigus in boc non conueniat *deciſ.249.* Conſeqoenter etiam ad dicta *tom.1.part.1.cap.15.num.50.* ſimoniam committerent Regulares, qui in electionibua darent, vel promitterent pecuniam, vel quid ſimile aliis, ne exponerent contra ipſos defectus quos patiuntue, & propter quos eacludi deberent ab electionibus, prout tenent non ſolùm Graffius, & Peyrinis eo loco relati, ſed etiam Vgolinus, Nauarrus, Palaus, Barboſa, & Sanchez, quos refert Paſqualigos *ſupra deciſ.247.* Etiamſi ipſe ſimiliter diſſentiat. Idem quoqoe dicendum, ſi aliquis det pecuoiam, vel quid ſimile alicui, vt metum incutiat competitori, vt deſiſtat à coocurſu ad electionem. Ita enim colligitur ea fundamentis adductis, & tenent Barboſa *ſupra num.56.* ea Vgolino, contradicens quoque Paſqualigo *deciſ.250.*

Circa pœnas ſimoniæ, præter dicta eo *cap. 15. num.33.* ſpecialiter dicendum primò, nullam ſimoniam inducere pœnas iuris ipſo facto, niſi io ingreſſu Religionis, Ordine, & Beneficiis. Leſſius *ſupra dub.23.num.1.* Layman. *ſupra,§.7.num.69.* Diana *4. part. tract.4. reſol.157.* poſt Syluestrum, Caietanum, & Nauarrom. Vnde ſi quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in Conſecrationibus, Benedictionibus, diſpenſationibus, vel ſimilibus ſimoniam committat, etſi peccet, non tamen cootrahet Iuris pœnas. Leſſius *ſupra.* 22

Secuodò, nullam pœnam iuris incorri propter ſimoniam mentalem, etiam illam, quæ in actum extraoeum profluit. Sic enim colligitur *ex cap. vlt. de Simon.* Toletus *ſupra cap.93.* ea Panormitano, Syluestro, & Caietano, Leſſius *ſuprà dub.24. num.150.* Suarez *ſupra cap.55. num.10.* Imò aliqui arbitrantur non poſſe puniri, quia licet à ſimonia mentali tale opus externum imperetur, tameo iu eo ſimooiaca labes non ſatis proditor, vt de illa Eccleſia iudicare qoeat. Layman. *ſupra num. 68.* Tertiò dicendum, propter ſimoniam purè conuentiooalem, quæ in ſola cooueotione ſiſtit, nullam quoque pœnam, & cenſuram iuris incurri. Cum enim Caoones ſimoniacis cenſuras ingerunt, non meram conuentionem, ſed datiooem, acceptionem, ordinationem, aliamve realem executionem exprimunt, ſicuti videre eſt in Extrauag. 1. & 2. *de Simon.* aliiſque iuribus. Nauarrus *d.cap.23.num.104* Leſſius *ſupra dub.27. n.149.* Suarez *ſuprà num.12.* Sanchez *ſupra dub.106.* Eacipitor ſimonia confidentialis, ea eoim ſubiecta eſt pœnis, licèt noo ſit completa. Saochez *eo dub.106.num.5.* Layman. *ſuprà*, Tannerus a. 2. *diſp.5. q.8.num.99.* Quartò non ſubiacere dictis pœnis eam ſimoniam, quæ tantùm eſt completa traditione rei temporalis, Toletos *ſup.* ea Caietano, & Soto. De altera verò, quæ completa eſt traditione rei ſpiritnalis, quamuis nondum ſoloto pretio, quòd per eam omoes pœnæ Iuris incurrantur, perinde ac ſi vtrinque completa eſſet, ſatis probabiliter exiſtimaot Sotus *ſuprà q.8.art.1.* Toletus *ſuprà*, & Garzias *p.8.de Benefic.cap.1.num.20.* afferens *à num. 51.* plures Rotæ deciſiones ad iotentom. Nihilominus probabilis etiam eſt ſententia cootraria, quam defendunt Nauarrus *cap.fin.de Simon. & in Man.cap.23 a num.103.* Leſſius *ſupra dub.27.* Sanchez *d.dub.106.num.4.* Ioannes de Cruce *de Simonia dub.17.concl. 4.* Nam quidquid ſit de rigore iuris, talis videtur eſſe ſtylos Curiæ, & eum fundamento, quia pœnæ, præſertim tam graoes, ſtrictæ interpretationis eſſe debent; vt cum decernunt propter aliquem actum peccaminoſum, intelligantor de acto omninò completo. Layman. *ſupra.* Vnde quintò notandom, prædictas pœnas certò incurri per ſimoniam realem, & completam, quæ contingit traditione rei ſpiritualis, & temporalis pro ipſa. Soarez *ſuprà num.17.* Sanchez *ſuprà*, 23

ex

& alij communiter. Apud quos etiam, an quando ſimonia conuentionalis fit realis, retrotrahatur ad tempus pactionis. Nota ſextò, quod pretium, ſeu rei temporalis data ſimoniacè in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis, reſtitui debet, *cap. de hoc, de Simon.* Extrauag. 2 *de Simon. cap. veniens, de Simon.* S. Thom. *d. q. 100. art. 6* Expoſitores *ibid.* etiam ante Iudicis ſententiam, & in foro conſcientiæ, ſaltem quando id datum fuit pro Beneficio, Suarez *ſuprà ca. 60. num. 3.* Theſaur. *in Praxi, p. 1. verbo Simonia, c. 2. num. 4.* Tannerus *ſupra.* Quamuis autem plures idem dicant de pretio recepto pro quacumque alia re ſpirituali, probabilius tamen eſſe contrarium, cum nullo iure id habeatur, tenet Sanchez *ſuprà dub. 113.* referens Sotum, Henriquez, Rodriguez, & alios. Addit tamen, in venditione Iuris patronatus pretium eſſe reſtituendum. Pretium porrò illud ſimoniacè datum reſtitui debet, iuxta varias opiniones Doctorum, vel danti illud, vel pauperibus, vel (quod probabilius eſt, ſaltem inter Regulares, ſi talis ſimonia inter eos contingat) Eccleſiæ, vel Monaſterio, *cap. de hoc, & c. audiuimus, de Simonia.* Suarez *ſupra n. 8.* poſt Syluestrum, Nauarrum, & alios. Quomodo autem res ipſa ſpiritualis pro pretio recepta reſtitui debeat, agunt relati Authores, & Layman. *ſuprà §. 9. num. 85.* & aliquo modo conſtabit ex dicendis.

24 Secundò dicendum, quod dantes aliquid, ſiue recipientes pro ingreſſu in Religionem, ſiue virorum, ſiue mulierum, ſunt excommunicati excommunicatione Papæ reſeruata in Extrauag. *de Simonia, cap. 1.* Nota autem primò, huiuſmodi excommunicationem ſolùm incurri contra præſumentes id facere, quia id colligitur ex textu. Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 106.* Sanchez *ſupra dub. 104. num. 50.* Bonacina *ſuprà quæſt. 7. §. 4. num. 2.* Nota ſecundò, non incurri ab his, qui ſponte aliquid tribuunt. Suarez *ſuprà cap. 57. num. 5. 6. & 7.* & Bonacina *ſuprà.* Tertiò, neque incurri quando ingrediens aliquid exigit à Monaſterio vt ingrediatur, etiamſi in hoc ſimoniam committi contingat, quia de hoc modo ſimoniæ nulla ibi mentio fit, & lex pœnalis non extenditur vltra caſum expreſſum. Suarez *ſupra.* Nota quartò, cenſuram hanc incurri non ſolùm ſi tempore profeſſionis ſimonia committitur, ſed etiam in ipſo ingreſſu, & receptione ad habitum, quia textus abſolutè loquitur de volentibus ingredi. Filliucius *dict. tract. 45. cap. 13. num. 11.* Theſaur. *in Praxi, part. 2. verbo Simonia, cap. 10.* Probabile autem eſt, quod licèt culpa ſimoniæ in receptione ad habitum pro pretio committatur, nihilominus quia receptio ad Religioſum ſtatum, & traditio rei ſpiritualis, quæ ibi præcipuè emitur, non conſummatur vſque ad profeſſionem, non incurrit hanc cenſuram vſque ad ipſam profeſſionem. Itavt licet receptio ad habitum fuerit ſimoniaca, ſi poſtea factum retractetur, & pecunia vel non accipiatur, vel reddatur, & profeſſio merè gratis admittatur, non incurratur hæc excommunicatio. Suarez *ſupra,* Laym. *ſuprà num. 70.* Bonac. *ſuprà num. 11.* E conuerſo autem, licet receptio ad habitum gratis facta fuerit, ſi tamen tempore profeſſionis ſimonia committatur, illud ſufficiet pro hac cenſura incurrenda, quia ibi actus plenè conſummatur. Suarez *ſupra.* Iudicant etiam aliqui cum Leſſio *ſuprà num. 131.* hanc Extrauagantem non eſſe vſu receptam, ſed contrarium ſupponunt communiter Doctores. Vide alia ad intentum *ſuprà verbo Dos Monialium,* & *ſupra verbo Moniales,* & *verbo Nouitij, & Nouitia,* & circa legatum relictum Monialibus ſub onere recipiendi aliquam in Monialem, dicta *ſupra verbo Legata Regularibus relicta, num. 22.*

25 Statuitur etiam in eadem Extrauaganti pœna ſuſpenſionis contra Conuentum, ſeu Capitulum aliquid dans, vel recipiens pro dicto ingreſſu in Religionem. Hæc verò ſuſpenſio, licèt iuxta dicta *ſuprà verbo Capitulum, num. 10* ſit totalis, ideſt ab Officio, & Beneficio; probabiliter tamen limitatur ſolùm quoad actus Capitulares pertinentes ad iuriſdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam. Leſſius *ſupra num. 8.* Theſaur. *ſup. §. limita tertiò,* ex Alterio, Filliuccio, & Barboſa. Vide pro hac ſuſpenſione quæ dixi eo *num. 10.*

Similiter, ſi quis ſimoniacè receptus fuerit ad profeſſionem, quamuis eius profeſſio valida fuerit, iuxta dicta *tom. 1. p. 1. cap. 2. num. 15.* vt ſupponunt Authores infrà referendi, nihilominus ſi profeſſionem emiſit ſimonia ſcienter contracta, tam recipiens, quam receptus de Monaſterio ſiue ſpe reſtitutionis expellendus eſt, & in locum arctioris Regulæ ad pœnitentiam perpetuam detrudendus, *cap. quoniam, de Simon.* Syluest. *ſup. dub. 15. dicto 8.* Sanchez *ſuprà dub. 104. n. 51.* Theſaur. *ſupra, §. 2.* Si autem ignorante ipſo recepto, ſeu profeſſo, ſimonia ſit contracta cum recipiente, debet receptus renunciare illi loco, & poſtea poterit de nouo recipi ibidem, ſi abſque ſcandalo ibi poſſit permanere, aliàs ponendus in alio loco eiuſdem Ordinis, *cap. de Regularibus, de ſimonia,* Sylueſter, Sanchez, & Theſaur. relati, ac Sotus *ſup. quæſt. 8. art. 1. ad 3.* Quamuis autem aliqui dicant hanc pœnam eſſe latæ ſententiæ, & procedere etiam in caſu occulto, etiam pro foro conſcientiæ, prout putat Sylueſter, & alij; ſed contrarium eſt verum, ſcilicet eſſe pœnam ſententiæ ferendæ, neque obligare ante ſententiam, maximè cùm pœna ſit grauiſſima. Leſſius *ſuprà num. 131.* Sanchez, & Theſaurus relati, ac Layman. *ſupra, §. 7. n. 70.* Talem verò profeſſum ſimoniacè non adquirere ius ad ſuſtentationem ex redditibus Monaſterij, neque ad vocem actiuam, aut paſſiuam, tenent Nauarrus *Comment. 4. de Regul. num. 25.* & Leſſius *ſupra.* Sed melius Laym. *ſuprà* poſt Suarez oppoſitum tenet. 26

Tales etiam ſimoniaci ſunt infames, prout colligitur ex Extrauag. 1. *de ſimonia, §. Cæterùm.* Licet videatur requiri adhuc notorietas, iuxta dicta *ſuprà verbo Infamia, num. 3.* Theſaur. *ſup. §. 3.* Conſequenter etiam erunt irregulares, iuxta dicta *ibid. n. 15.* 27

De pœnis autem ſimoniacorum in Ordine recipiendo, ſeu conferendo, iam dixi *tom. 1. p. 1. c. 4. n. 13.* eſſe ſuſpenſionem, depoſitionem, & excommunicationem. De quibus, præter Authores ibi relatos, agunt Sanchez *dicto dub. 104. à num. 19.* Bonacina *ſup. q. 7. §. 6. & 7.* Cornejo *tom. 2. in 3 part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 4. dub. 1. caſ. 1.* Layman. *ſuprà num. 71.* Ioannes de Cruce *ſuprà dub. 16.* Theſaurus *ſuprà cap. 9.* Adde, tales eſſe etiam infames. Sanchez *ſupra* poſt alios. Quod intellige, dum fuerint notorij, iuxta dicta loco relato *ex 3. tom. eo num. 3.* Vnde conſequenter erunt irregulares, iuxta dicta eo *num. 15.* Quo ſenſu accipiendi Sylueſter, Sotus, & alij qui prædictos vocant irregulares. Henriquez *lib. 14. de Irregularit. cap. 6. num. 7. & in comment. littera V.* Sanchez *ſuprà num. 25.* Nota autem, probabilius eſſe ordinatum ſimoniacè ignoranter, v. g. quia alius eo neſciente contulit pecunias ordinanti, niſi forſan talis ignorantia ſit craſſa, vel ſupina, non incurrere dictas cenſuras. Ita enim colligitur *ex cap. 2. de Conſtit. in 6.* Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 68.* Henriquez *de Excommunicat. lib. 13. cap. 37. num. 4. & lib. 14. de Irregularit. cap. 6. num. 7.* Sanchez *ſuprà num. 33.* Layman. *ſuprà.* De quo etiam Cornejo *ſuprà.* Incurrunt tamen illas dantes ſeu recipientes aliquid pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, aut pro ſigillo Ordinum, & non tantùm Collatores Ordinum, ſed etiam eorum miniſtri, licèt ſponte oblatum recipiant. Quia Trident. *ſeſſ. 21. cap. 1. de Reformat. in fine,* decernit, 28

quod,

qond hi omnes incurrant ipſo facto pœoas à iure inflictas. Rodriguez *2.tom.Summæ,cap.56.num.6.* Sanchez *ſuprà num.21.*

29 De pœnis autem ſimouiacorum in Beneficiis iam dixi *tom.1.cap.15.num.52.& 53.* eſſe irritationem talis prouiſiqnis, itavt Beneficium ſic receptum teneantur ſtatim renunciare, excommunicatiohem Papæ reſeruatam, priuationem dignitatum quas quis obtinet, iohabilitatem ad ipſas & alias, & infamiam. De quo etiam Sorbus *in Addit. ad Compend. priuil. Mendicant. verbo Simonia.* Maximè notandum, quod licèt iuxta ibidem dicta, prædictæ pœnæ etiam incurrantur propter ſimoniam, quæ incurritur circa officia Religionum, quæ ſunt Beneficia, vel quaſi Beneficia, qualia ſunt Prælatiæ, &c. provt tenent non ſolùm Rodriguez & Suarez eo loco relati, ſed etiam Caietanus *in Summa verb. Excommunicatio, c.72.* Reginaldus *in Praxi, lib.23. n.182.* Sorbus *ſuprà.* Sanchez *ïcto dub.104.num.11.& dub.107.n 5* & Theſaur. *ſupra ... av.2.§. Amplia prædictas pœnas*, ex deciſione Rotæ. Nihilominus oppoſitum videtur probabile, tum quia licet prædicta officia ſint áliquo modo Beneficia Regularia, & officia Eccleſiaſtica, qoia tamen ea non ſunt propriè, aut ſimpliciter Beneficia, cum non ſint perpetua, nec habeant redditus Eccleſiaſticos, & quia ſumus in materia odioſa, & pœnali, ideo prædictæ pœnæ non videntur extendendæ ad illa. Tum etiam, quia non ſatis exprimuntor in Extrauaganti *Cùm deteſtabile 2. de Simon.* nec in Conſtitutione Pij V. eo loco relata. Etſi eoim in ea Extrauaganti ſit ſermo de dignitatibus, perſonatibus, officiis; & Beneficiis Eccleſiaſticis in Eccleſiis, & Monaſteriis, & in dicta Conſtitut. Pij V. generaliter ſit ſermo de omnibus dignitatibus, officiis, ſeu Beneficiis Eccleſiaſticis, quæ etiam comprehenduot dictas Prælatias, videtur tamen id limitandum ad ea ſolùm, quæ habent aliquos redditus, ſeu præbendam, vt contingit inter Monachales, provt colligi videtur ex dicta Extrauaganti. Nauar. & Azor. eo loco relati. Filliucius *d.tract.45.cap.13.n.23.* Leſſius *ſupra, n.137.* Peyrin. *tom.1. de Subdito, q.1. cap.31. §.9. concl.21.* Bonacina *dicta quæſt.7.§.2.num.4.* & Bordonus *reſol.16.num.33.& 34.*

30 Circa abſolutionem tamen à prædictis pœnis, vel diſpeoſationem in illis, vide dicta oon ſulùm eo *num.33.* ſed etiam eodem *tom. 1. cap. 18. num. 39.* De quo etiam Soarez *ſuprà cap.61.* Peyrin. *ſup. concl.25. & 26.* Qui etiam refert Scortiam, Sigiſmundum, & Vecchium.

31 Pro quiete tandem Religioſorum nota, quod ſi forſan in eorum Religionibus per vſum, vel potiùs abuſum, aliqoando contigerit ipſos dare, vel accipere aliqood munus in prooiſione officiorum Ordinis, etſi propterea peccent, vel contra Conſtitutionem Clementis VIII. *de largitione munerum*, de qua egi *ſuprà* verbo *Dare, ſeu Donare*, vel contra conſtitutiones particolares Religionum; non tamen idcirco cenſeri debent ſimoniam commiſiſſe, ſi tale munus non dant, aut accipiunt in pretiom talium officiorum, quia iuxta dicta *ſuprà num.2.* multi tituli honeſti, etiam gratitodinis, aſſignari poſſunt, propter quos tradens, vel accipieps temporale pro ſpiritoali à labe ſimouiæ liberetur. De quibus Caietanus *verbo Simonia.* Suarez *ſupra cap.45.& 46.* Leſſius *ſuprà dub.8.* Filliucius *ſuprà cap.10.* Bonacina *ſup. quæſt.6.* Diana *2.part. tract.16. reſol.37.* & alij. [Nota tamen quod licet eo *cap.18. num. 39.* dixerim Simoniacos in Ordinum receptione non poſſe abſolui à Prælatis Religionum propter ipſarum priuilegia, eo quod Clemens VIII. in Bulla *Romanum Pontificem, in 3. tomo Bullar. num.40.* abrogauerit omnia & quæcumque priuilegia ad abſoluendum ſimoniacè ordinantes, & ordinatos, quod etiam tenent Suarez & Peyrinis eo *num.39.* relati, nihilominus Portellus *in Reſponſionib. moral. tom.2. caſu 41.* dicit, id poſſe fieri propter innouationem priuilegiorum Minorum factam ab eodem Clemente VIII. & Paulo V. quod an ſit probabile in praxi, alij viderint.]

SOLLICITANTES IN CONFESSIONE.

De hac materia ſufficienter dixi *tom.1. part.1. c.19. à num.33.* & *ſupra* verbo *Denunciatio*, & *Denunciare, n.5. & ſequent.* Ideo pro nunc ab ea ſuperſedendum.

SPOLIA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Spolia Regularium quæ ſint.*
2 *Bona Religioſi ex illicita negotiatione, aut contra ſacros Canones adquiſita, ſpolia ſunt.*
3 *Quid de bonis Beneficiati Regularis.*
4 *Quæ bona ſpoliorum nomine veniant.*
5 *An ſpolia Regularium pertineant ad Conuentus vbi morantur tempore mortis, an vbi profeſſionem emiſere.*
6 *Seruari debent Conſtitutiones, & conſuetudines Religionum.*
7 *Spectat ad Superiores inter mendicantes determinare hoc.*
8 *Quidquid Monachus acquirit, Monaſterio acquirit.*
9 *Quando non adeſt lex, aut conſuetudo, videtur iudicandum pro conuentu, in quo Religioſi morantur tempore mortis.*
10 *Quia ad illum ſpectat ſuſtentare ipſos.*
11 *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum.*
12 *Commodum eius eſſe debet, cuius eſt incommodum.*
13 *Bona lapſorum Clericorum traduntur Monaſteriis, quibus ipſi ad pœnitentiam peragendam ſunt traditi.*
14 *Fauet Concilium Tridentinum.*
15 *Decreta Clementis, & Vrbani.*
16 *Conuentus, qui prouidens Religioſis in ſuis neceſſitatibus.*
17 *Bona huius defuncti ſpectant ad Conuentum, in quo diem clauſit.*
18 *Quia erant acquiſita illi.*
19 *Ius quæſitum per acquiſitionem fortius eſt, quàm ius quærendum.*
20 *Non refert conſtitutio huius Religionis.*
21 *Generalis, qui eſt vir doctus, applicauit ſpolia Monaſterio, vbi obiit.*
22 *Potuit id facere.*
23 *Dicto viſi, ponit exceptionem.*
24 *Conſtitutio loquitur pro caſu particulari.*
25 *Caſus omiſſus à lege habetur pro omiſſo.*
26 *Conſtitutio quomodo intelligenda.*
27 *Ad inſtar peculij adquiſiti à ſeruo communi.*
28 *Ratio huius limitationis.*
29 *Generalis videtur habuiſſe ius commune pro ſe.*

SPolia Regularium, ſeu quod idem eſt, ea bona, 1
quæ ipſis poſt mortem ſuperſunt (Filliucius *tract.43. de Spoliis, cap.1. quæſt.1.* ex Redoano, Azorio, & Nauarro) de iure communi ad Monaſteria ipſorum ſpectant, cùm ipſi nihil habeant proprij, & omnia, quæ ipſorum ſunt, ad Monaſteria eorumdem pertineant, iuxta dicta *tom.1. cap.6. & tom.2. c.19.* De quo Azorius *tom.2 Inſtit. Moral. lib.8. c.3. quæſt.10.* Nihilominus de iure Pontificio, ſi ipſi extra Clauſtra ſuorum Monaſteriorum decedant, eorum bona ad Cameram Apoſtolicam ſpectant, propter Conſtitutionem Gregorij XIII. in Bulla *Officij noſtri*, quam retuli *tom.1. cap.16. num.20. & 31.* vbi etiam ſpecialiter *num.21.* quod bona apoſtatarum, ſeu fugitiuorum

rum etiam pertineant ad Cameram Apoſtolicam, ſi
in apoſtaſia, vel fuga deceſſerint: vbi etiam dixi,
quod ſi in vita illa Religioni dederunt, non videri
pertinere ad dictam Cameram, niſi ipſa petat. Ad
quæ etiam deſeruiunt, quæ ex priuilegio Pij V. pro
Mendicantibus dixi *tom.1.p.2.c.1. num.*40. Nota au-
tem, quod ſi prædicti in Romana Curia, vel eius di-
ſtricta intra decem milliaria, non tamen extra de-
bitam reſidentiam, deceſſerint, ipſorum bona ad
eorum hæredes, ſcilicet Monaſteria, pertineant. Pro-
pter Conſtitutionem Pauli V. *In eminenti, in 3. tom.
Bullar. num.*18. Filliucius *ſuprà cap.6.quæſt.6.*

2 Qualiter etiam bona Religioſi ex illicita nego-
tiatione, aut contra ſacros Canones adquiſita, per-
tineant ad Cameram Apoſtolicam tanquam ſpolia
ipſius, conſtat ex dictis *tom.1.cap.*10.*num.5.& cap.*16.
*num.*21. & 22. & *in hoc 4.tomo*, verbo *Negotiatio quoad
Regulares, num.*19. Vbi etiam alia ad intentum, præ-
ſertim quæ ſint talia bona ex illicita negotiatione
acquiſita, & an debeant dari in conſcientiæ foro
prædictæ Cameræ ante quamcunque ſententiam.
Quæ verò ſint contra Canones adquiſita, habent
Azorius *ſupra, cap.2.quæſ.6.* & Filliucius *ſupra cap.8.
quæſt.10.*

3 Specialiter etiam, licet iuxta dicta *tom.1.p.2.c.*18.
*num.*15. bona beneficiarij Regularis, quando acqui-
ſita ſunt intuitu Religionis, ad illam pertineant, &
iure antiquo ad Monaſterium pertinerent poſt mor-
tem, *cap. cum olim 1. de priuilegiis. Authentic. ingreſſi, de
Sacroſ. Eccleſ.* nihilominus ex Conſtit. Pij IV. *De-
cens*, in Bullar. *n.*13. pertinent ad Cameram Apoſto-
licam. Filliucius *ſupra cap.6 quæſt.*1. Nota autem pri-
mò, id intelligi ſolùm de Beneficiatis Regularibus,
qui viuunt ſeparati ab obedientia Superiorum Re-
ligionis, habentes liberam adminiſtrationem bo-
norum; non de illis qui ſub eorum obedientia vi-
uunt, non habentes illam. Nauarrus *in Comment. de
ſpoliis, §.1.num.*3. Filliucius *ſupra*, Bonacina *de Clau-
ſura, q.2.punct.9. §.4. difficult.2. num.*17. Lugo *de Iuſt.
& iure tom.1.diſp.10.num.*134. Nota etiam videri ex-
cipiendos eſſe Beneficiarios Regulares decedentes
in Curia, iuxta dicta *ſupra num.*1. ex Conſtitutione
Pauli V. Filliucius *ſuprà.*

4 Quæ verò ſint bona, quæ nomine ſpoliorum ve-
niunt, habetur ex Conſtitut. Pij V. quæ incipit *Ro-
mani Pontificis*, in Bullar. *num.* 42. & ex Conſtitut.
Sixti V. *In conferendis*, in Bullar. *num.*100. vbi colli-
guntur ferè omnia ad hanc materiam ſpectantia,
quæ omitto, quia illa magna ex parte ad forum
contentioſum ſpectant, & de illis agunt relati Au-
thores, & Quaranta, cum eius Additionatore Pro-
ſpero Auguſtino *in Summ. Bullar. verb. Spolia Cleric.* ac
Tamburinus *de Iure Abba. tom.3.diſp.*16.*per totam.* Pro
pœnis autem occupantium, vel detinentium dicta
ſpolia, præter relatos Authores, vide Theſaur. *in
Praxi, part.2, verbo Vacantia.*

5 Ad dubium quo quæritur, an ſpolia Religioſo-
rum Mendicantium, ſeu illa bona, quæ habebant in
vita, pertineant ad Monaſterium, in quo moraban-
tur tempore mortis, an verò ad illud, in quo emiſe-
rant ſuam profeſſionem. Reſpondeo primò, ſeruari
in hoc debere Conſtitutiones, & ſtatuta, aut etiam
6 conſuetodines Religionum. Cùm enim regulariter
loquendo mendicantes non emittant ſuam profeſ-
ſionem alicui conuentui ſeu Monaſterio determina-
tis, quemadmodum Monachi plures facere ſolent,
ſed toti Religioni, ſeu Generali ipſius, ideo ad eun-
7 dem vel ipſius ſuperiores ſpectat determinare con-
uentum ad quem ſpolia Religioſi decedentis veni-
re debeant. Ita ſupponunt communiter Doctores,
ſpecialiter Nauarrus *comment.2.de Regularibus, num.5.*
Sanchez *lib.7.in decal.cap.*31.*num.*54. alios ad inten-
tum referens; Cardinalis de Lugo *tomo 1. de Iuſt.
diſp.3.ſect.*11. *num.*216. Tamburinus *de iur. Abbat.
tom.3.diſp.*11.*quæſit.4. num.*6. Maximè, quia cum cer-
tum ſit, quod quidquid Monachus adquirit, Mona- 8
ſterio adquirit, *argument. l. placet, de acquirend. heredit.
cap. in præſentia, de probat. Authentic. ingreſſi*, vbi DD.
C. de ſacroſ. Eccleſ. Rota *deciſ.*703. *n.3. p.1. diuerſor.* &
coram Cancellario *deciſ.*606. *num.* 1. oportet quod
per ſtatuta, aut conſuetudines Religionum deter-
minatum ſit quodnam debeat eſſe hoc Monaſte-
rium, quod ſuccedat in ſpolia Religioſorum è vita
decedentium.

Caſu tamen, quo nec lege, nec conſuetudine 9
determinatum ſit in aliqua Religione Monaſte-
rium, ad quod pertineant talia ſpolia, dicendum
eſt, eſſe illud, in quo Religioſi morantur, vt Con-
uentuales tempore mortis. Moueor primò, quia ad 10
tales conuentus ſpectat ſuſtentare dictos Religio-
ſos, & prouidere illis in ſuis neceſſitatibus. Ergo
etiam ſpectabit ſuccedere in bona ipſorum, iuxta
regulam iuris *in 6. Qui ſentit onus, ſentire debet commo-* 11
dum, quæ deſumitur *ex l. ſecundùm naturam, ff. de Re-
gul. iuris*, & ibi DD. & iuxta illud axioma commo-
dum eius eſſe debet, cuius eſt periculum, & incom- 12
modum; quod etiam eſt deſumptum *ex d. l. ſecundùm
naturam*, & adſtipulantur *l. fin. §. ſed cum, C. de furtis,
l. ſuperuacuam, C. de temp. in integr. reſtitut. l. Iulianus, §. ex
venditis, ff. de actionib. empti*, & alia iura, ac DD. Vnde *in
can. de lapſis* 16.*q.*6. ſtatuitur bona lapſorum Clerico-
rum tradi debere Monaſteriis, quibus ipſi ad pœni- 13
tentiam peragendam traduntur, *quatenus ipſi ex rebus
illorum ſubſidium habeant, qui de correctione eorum ſollici-
tudinem gerunt.* Quæ ratio ad amuſſim quadrat præ-
ſenti intento, & fauet *cap ſi quis rupuerit*, 17.*q.*1. Mo-
ueor ſecundò ex Concil. Trident. *ſeſſ.25. de Reg. c.2.*
ibi, *Quouis modo ab eis adquiſita, & ſtatim ea Superiori
tradantur, Conuentuique incorporentur*: & ex Decretis
Clement. VIII. & Vrban. VIII. *pro reformat. Regul.* ibi, 14
*Ea omnia ſtatim Superiori, tradantur, & conuentui incor-
porentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis,
ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, &
veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.* His enim decretis 15
ſtatuitur, quod quæcunque bona à Religioſis adqui-
ſita, adquiruntur, & incorporantur, imò & con-
funduntur cum aliis bonis Monaſterij, à quo alun-
tur, ſuſtentantur, & prouidentur in ſuis neceſſitati-
bus. Cum autem Conuentus, in quibus Religioſi
manent conuentuales, & de familia, ſint illi, qui
prouident illis in ſuis neceſſitatibus quoad victum,
veſtitum, &c. non autem Conuentus, in quibus pro- 16
feſſionem emiſerunt, aut quorum ſunt filij, vt ſup-
pono ex vſu, & praxi Religionum Mendicantium,
vtique neceſſariò videtur dicendum, quod illis ſint
adquiſita, incorporata, & confuſa talia bona. Ac
perinde, quod poſt Religioſorum obitum non poſ-
ſint vt ſpolia applicari aliis Conuentibus, *c. ſtatu-
tum* 18.*q.*1. Rota relata coram Cauallerio *n.5. & 14.
ex d. can. ſtatutum eſt.*

Et quoad caſum præſentis dubij, quod eſt de 17
quodam Religioſo, qui cùm in quadam Religione
Mendicantium fuiſſet filius cuiuſdam Conuentus,
poſtea nihilominus, per tempus ſcilicet 30. anno-
rum, moratus eſt in alio Conuentu, & ibi ſuperioris
officium exercuit, ac tandem in eo obiit. Dicen-
dum videtur eius bona poſt mortem relicta ſpecta-
re ad hunc Conuentum, in quo diem clauſit. Ratio 18
eſt ex dictis, quia ſcilicet illa bona adquiſita iam
erant dicto Monaſterio, imò incorporata, & confu-
ſa cum aliis bonis ipſius. Nullo ergo iure priuari
ipſis poteſt. Siquidem pro certo habetur, quod ius
quæſitum, quod habetur per adquiſitionem, fortius
eſt quam ius quærendum, *l. ſi ita ſcriptum, §.1. l. ſi ita* 19
ſcripſiſ

ſcripſiſſet, ff. de leg. 1. Et tam forte, vt nec Papa præſu-
matur agere velle contra illud, *c. ſuper eo, de offic. de-
legat. & aliis iuribus*, Gonzalez *ſup. regul.* 8. *Cancellar.
gloſſ.* 15. §. 1. *num.* 75. Et ſaltem faciliùs impeditur ius
quærendum, quàm quod tollatur ius quæſitum.
Barboſa *axiom.* 135. *n.* 2. cum aliis.
20 Nec refert conſtitutio, ſeu ſtatutum huius Reli-
gionis, vbi dicitur quod ſpolia fratrum defuncto-
rum ſint incorporata conuentibus, quorum ſunt fi-
lij. Etenim primò dici poteſt, Generalem huius Re-
ligionis, qui aliàs eſt vir doctus, ac per conſequens
pro quo extat præſumptio, quod rectè geſſerit, vt in
ſimili dixit Rota relata coram Cauallerio *num.* 12.
21 ex Menochio *præſumpt.* 53. *n.* 3. *lib.* 3. applicauit dicta
ſpolia, pecuniam videlicet, & mobilia Monaſterio
in quo ille Religioſus obiit, in beneficium Eccleſiæ
ipſius: & quod id facere potuerit, colligitur ex ip-
ſis conſtitutionibus, ſeu ſtatutis, vbi *cap.* 16. *fol.* 115.
22 ſic dicitur: *Bona autem è vita decedentium, ſi quæ ha-
bere contigerit, cœnobio adiquirantur, in quo eos profeſſionem
emiſiſſe contigerit, niſi aliud de bonis eorum Generalis mini-*
23 *ſter cum diſcretorum conſilio duxerit ſtatuendum.* Dictio
enim illa *niſi*, ponit exceptionem à regula, vt per
Dec. *in l.* 1. §. *fin. num.* 7. *ff. de offic. io eius*, Gratian. *diſcept.
forenſ. cap.* 9. *num.* 16. & modificatiua, limitatiua, & ex-
cluſiua eſt, Barboſa *in tract. de dictionib. dict.* 127. *n.* 11.
24 *&* 12. ex aliis. Secundò etiam videtur dicendum, quod
Conſtitutio applicans dicta ſpolia Conuentui, in
quo Religioſus profeſſionem emiſit, videtur ſolùm
loqui pro caſu particulari, quando ſcilicet ratione
ſenectutis, infirmitatis incurabilis, vel alterius ſimi-
lis cauſæ ad eum mittitur, non in caſu huius dubij,
25 in quo nihil horum contigit. Caſus autem omiſſus à
lege habetur pro omiſſo, *l. commodiſſimè, ff. de liber. &
poſthum. cap. inter corporalia, de tranſlat. Epiſcop.* Et rema-
net in diſpoſitione iuris communis. Rota *in Floren-
tin. Capellæ* 1617. coram Pirouano, apud Barboſam
in axiom. axiom. 39. *num.* 8.
26 Maximè verò videtur dicendum, Conſtitutionem
præfatam ſolùm intelligi poſſe, & debere de bonis
adquiſitis à præfato Religioſo intuitu perſonæ il-
lius, qualia eſſent bona hæreditaria, aut legataria,
ſiue etiam quæ ex propria induſtria, prædicatione
videlicet, lectura, &c. adquiſiiſſet, non de illis,
quæ adquiſiuit intuitu Monaſterij, in quo viuebat
per 30. circiter annos, in quo bonorum adminiſtra-
tionem exercuit. Priora enim bona, quia videntur
ſequi perſonam, ideo congruum videtur quod ap-
plicentur Monaſterio, cuius eſt filius: poſteriora
verò, quia ex oppoſito videntur ſequi Conuen-
tum in quo obiit, ita etiam æquum eſt, quod illi
27 applicentur. Ad inſtar ſanè peculij quæſiti à com-
muni ſeruo duorum dominorum, quod cedit ad
commodum illius domini, cuius bonorum admi-
niſtrationem gerebat. Bartolus *in l. communis ſeruus,
num.* 6. *ff. de ſtipulat. ſeru.* Ad inſtar etiam Regularis
facti Epiſcopi, vel beneficiati, qui iuxta plurium
DD. ſententiam, ea quæ adquirit intuitu perſonæ
pertinent ac Religionem, ex qua fuit aſſumptus,
& quæ adquirit intuitu Eccleſiæ, ſpectant ad illam
quam adminiſtrat. Sic colligo ex Nauarro *com-
ment.* 2. *de Regular. num.* 6. *&* 7. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.
Regular. quæſt.* 5. *art.* 5. & Franciſcus Marth. *in deciſ.
Delphinat. deciſ.* 104.
28 Ratio autem huius limitationis eſt in promptu;
quia ſcilicet cum adquirere Religioſum Conuen-
tui, in quo viuit, conforme ſit iuri communi, præ-
ſertim deſumpto ex Concilio Tridentino, iuxta di-
cta ſuperius, omnis alia conſtitutio, aut ſtatutum
in contrarium limitari debet, & interpretationem
ab eo accipere, *l.* 1. *C. de noxalibus*, vbi Gloſſa, & alij,
cap. cùm dilectus, iuncta Gloſſa *verbo Iure communi, de*

conſuetudine, Romanus, Aymon. Caſſiodorus, &
Rota ac Gonzalez cum aliis *ſup. Regula* 8. *Cancellar. in
proœm.* §. 7. *num.* 139. Itavt proptereà Generalis, qui
conceſſit talem facultatem applicandi ſpolia eius
Religioſi defuncti Monaſterio, in quo obierat, cum 29
habeat ius commune pro ſe, tutus dicatur quandiu
aliqua exceptione contraria ex aduerſo plenè pro-
banda non excluditur. Bartol. *in l. admonendi*, *n.* 50.
Ripa *num.* 112. *ff. de iureiurand.* Gonzalez *ſuprà gloſſ.* 9.
§. 1. *num.* 22.

STATVTA.

SVMMARIVM.

1 *Quid illa importent apud Regulares.*
2 *De ſtatutis Religionum.*
3 *An obligentur Regulares ad ſtatuta laïcalia.*
4 *Ad quæ ex ipſis obligari poſſint.*
5 *De aliis ſtatutis laicalibus.*
6 *Sacræ Congregationis declaratio.*
7 *Quid in dubio, an ſint contra immunitatem Eccleſia-
ſticam.*
8 *De pœnis contra facientes ſtatuta contraria libertati Ec-
cleſiaſticæ.*
9 *Reſolutio cuiuſdam dubij circa quoddam ſtatutum.*
10 *Tale ſtatutum videtur licitum, & honeſtum.*
11 *Ordinatur ad maiorem decorem Eccleſiæ.*
12 *An obſtet quod factum ſit per ſæculares.*
13 *Eſt propter bonum publicum.*
14 *Statutum laicorum preſcribens formam in funere de-
functorum an ſuſtineatur.*
15 *An priuilegiatiuum, & fauorabile reſpectu Eccleſia-
ſticorum.*
16 *Ordinare quod clerici non vtantur vtenſilibus Eccleſiæ,
niſi certis diebus, an debeat ſuſtineri.*
17 *Ille Camerarius eſt veluti Oeconomus bonorum illius
Eccleſiæ.*
18 *Facit valdè Bulla Martini V.*
19 *Bulla Clementis VII.*
20 *Talis Camerarius eſt adminiſtrator illorum bonorum.*
21 *Verba Martini V.*
22 *Verba Clementis.*
23 *Adminiſtratores vniuerſitatum habent adminiſtratio-
nem cum libera.*
24 *Hoc declaratur in Bulla Martini.*
25 *Pro adminiſtratione præſumitur.*
26 *Videtur habere iuriſdictionem delegatam.*
27 *An dici poſſit Papam non potuiſſe id facere.*
28 *Facultas contenta in Bulla Martiniana.*
29 *Quid Prædeceſſores egerint.*
30 *Videtur ceſſare ſcrupulus peccati, & cenſura.*

HÆc materia, prout ſpecialiter ad Regulares 1
ſpectat, duo præcipuè importat, alterum de
obligatione ipſorum ad obſeruantiam ſtatutorum
Religionis, alterum verò de obligatione ad obſer-
uandum ſtatuta laïcalia.
Et quoad primum, ex dictis *tom.* 1. *cap.* 8. conſtat 2
quæ, quanta, & qualis ſit obligatio Regularium ad
Conſtitutiones, ſeu Statuta Religionum, an obli-
gent in conſcientia, de quibus rebus eſſe debeant,
& à quibus fieri poſſint. Item ſuprà verbo *Leges Re-
gularium*, plura dixi de eadem materia, præſertim
circa promulgationem, interpretationem, & ceſſa-
tionem ipſorum. Alia quoque ſparſim per totam
hanc Summam.
Circa ſecundum verò de obligatione Regularium 3
ad obſeruanda ſtatuta laicalia, ſeu leges ciuiles, con-
ſtat ex dictis *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 16. quod quamuis
Religioſi immunes, & exempti non ſint à legibus

ciuilibus,ſeu ſtatutis laïcalibus,quæ non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed pro bona Reipublicæ adminiſtratione inſtituta, immunes tamen,& exempti ſint ab illis legibus ciuilibus , ſeu ſtatutis laïcalibus,quæ Eccleſiaſticæ libertati ipſorum contrariantur. Conſtat etiam ex dictis eodem loco,generaliter loquendo eas leges ciuiles,ſeu ſtatuta laïcalia dici contraria libertati Eccleſiaſticæ,quæ Eccleſiaſticis , ſiue Regularibus tollunt ea , quæ iure naturali , diuino , canonico , aut imperiali maiori, ſunt illis conceſſa. Pro quibus vide Victoriam,Molinam,Sotum,& Rodrig. eo loco relatos,& Doctores communiter *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtit. cap. cum terram,de elect.& cap.fin.de immun. Eccleſ.in 6.* ac plures Rotæ deciſiones apud Dianam *5.p.tract.1. reſolut.* 8. Similiter generaliter loquendo ea ſtatuta laïcalia ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam , per quæ Regulares , ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ efficiuntur deterioris conditionis, quàm laici,aut timidiores in ſuis priuilegiis,prout probant Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.2.cap.3.num.*193. Diana *4.part.tract.1. reſol.*55. & Bonacina *de Cenſur.in Bulla Cœnæ contentis, diſp.1.q.16.ſect.2.punct.2. num.*4. & 6. Item ea, quibus eorum priuilegia reſtringuntur , Bonacina , & Barboſa *ſupra*,ex aliis.

4 Specialiter autem, quæ ſint in particulari materia huiuſmodi leges ciuiles , aut ſtatuta laicalia, quæ Religioſis , aut Eccleſiaſticis tollunt ea , quæ iure naturali, diuino , canonico, aut imperiali ſuperiori ipſis competunt , quia res eſt longiſſima, & multis difficultatibus implicata,ſolùm tangam quæ proptiora ſunt ipſis Regularibus , & magis communiter à Doctoribus ſuſtinentur , non tam pro nunc reſoluendo,quàm eorum ſententias ſolùm referendo , copioſiorem diſputationem de ipſis ad alium locum remittans.

5 Inter hæc ergo primum locum tenere videtur ſtatutum , quo Principes prohiberent laicis ne vendant aliquid Eccleſiis,aut Regularibus,aut ne molant,aut coquant panem, vel ne exhibeant ipſis aliqua obſequia , & ſeruitia neceſſaria. Ita enim habetur *cap. eos, de immunit. Eccleſ.in 6.* Suarez *de Cenſ. ſup.diſp.*21.*ſect.*2.*num.*93. Filliucius *tract.*16.*cap.*10. *num.*271.Bonacina *ſupra num.*4.Diana ex ipſis & aliis *part.*1.*tract.*1.*reſol.*54. contra Caietan.Nauarrum, & alios. Secundò,ſtatutum, quo prohiberentur ſæculares contractus inire cum Regularibus,vel Eccleſiaſticis,Barboſa *ſupra n.*194.& 195. Duardus *in Bull. Cœnæ,ca.*15.*q.*19. Bonacina *ſupra num.*5. Tertiò,ſtatutum excludens Religioſos à Collegio Doctorum. Bonacina *ſupra* ex aliis.Quartò,ſtatutum, quo prohiberetur alienatio bonorum immobilium in Regulares, quia tale ſtatutum prohiberet Regularibus non ſolùm id quod iure naturali permiſſum eſt, ſed etiam quod iure humano eſt conceſſum , *l.generali,& l.iubemus,C.de Sacroſanct.Eccleſ.& cap.eos* relato, ac deciſione Pauli V.circa hanc rem.Filliucius *d.cap.*10.*n.*272.Reginaldus *in Praxi,tom.*1.*lib.*9.*cap.*23. *num.*319. noſter Epiſcopus Bouius *in Reſponſ.part.*1. quos & alios refert, & ſequitur Diana loco relato *ex* 1.*p.reſol.*58.& 4.*part.tract.*1.*reſol.*13 & 70. maximè verò *6.part. tract.3. apolog.de hac re.* Iunge Barboſam *ſupra num.*216. contra Molinam, Angulanum,Graffium , & alios. Quintò , ſtatutum , quo decerneretur, quod Regulares non fruantur priuilegiis aliorum ciuium, quia etiam tale ſtatutum tolleret Regularibus id , quod iure communi ipſis competit, *cap. conſtit. de reſtit. in integrum* , Suarez *contra Regem Angliæ,lib.*4.*cap.*22.*n.*19. Diana *loco relato,ex part.*1.*reſol.*61. & 4.*p.tract.*1.*reſol.*15. contra alios. Qui etiam eo loco *ex* 1.*part.reſol.*64.& 6.*part.tract.*3. *reſol.*10. ex Hoſtienſi,Archidiacono,& aliis idem refert de ſtatuto mandante , vt bona Eccleſiæ relicta intra certum tempus vendantur,quod etiam tenet Bonacina *ſupra num.*18.Idem dicens *num* 19. de ſtatuto quo decerneretur,vt de re ad pias cauſas relicta aliquid ſoluatur fiſco. Idem dicit Diana *reſol.*69.& 6.*p.tract.*8. *reſol.*4.de ſtatuto prohibente Regularibus extractionem , vel introductionem annonæ, videlicet vini, frumenti,&c.quamuis in hoc varietas magna ſit inter Doctores. Sextò, ſtatutum quo decerneretur ne aliqui cum Monialibus loquantur. Bonacina *ſupra num.*27. Septimò, ſtatutum diſponens ingredientem Monaſterium non ſuccedere in hæreditatem, prout ex Rotæ deciſione, & variis Doctoribus habet idem Diana *6.parte,tract.3.reſol.*8.& ſpecialiter Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.* 12. *num.*18. Barboſa *ſuprà num.*198. Octauò,ſtatutum, quo decerneretur,quod pecora , ſeu animalia etiam Regularium , damna agris, vel fructibus inferentia,capiantur. Hoc enim ſtatutum videtur eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam pluribus iuribus introductam. Barboſa *in Collectan.tom.*1.*lib.*1.*tit.*2.*cap.*10.*num.*6.Diana *ſupra reſol.* 101. Notans tamen multos docere contrariam ſententiam. Nonò , ſtatutum , ſiue lex inualidans donationem bonorum factam Regularibus , ſaltem ſi id non fuit in fraudem tributorum Principum, propter idem fundamentum. Diana *part.*1. *tract.*1. *reſol.*3. contra Vaſquez , & alios oppoſitum tenentes. Decimò , ſtatutum , quo punirentur pœna aliqua,propterea quod tranſgreſſi fuerint pretia taxata. Etſi enim iuxta dicta eo *cap.*11. *num.*17. ſtare debeant Religioſi legibus taxantibus pretia rerum, cum ſint membra Reipublicæ,ſicut alij ciues , non tamen propterea puniri debent pœnis contra tranſgreſſores à laicis inflictis , ſed à ſuis Prælatis iuxta grauitatem tranſgreſſionis,& ſcandali inde ſequentis, iuxta dicta eodem loco. De quo etiam , præter Authores relatos,Villalobos *in Summa,tom.*1.*tract.*2. *diff. ult.*31. Squillante *de priuileg. Cleric.* c.8.*n.*89. & Salas *de Legibus diſp.*14.*ſect.*8. *n.*104. De ſtatuto laicorum prohibente impreſſionem librorum ſine ipſorum licentia, dixi ſuprà verbo *Libri,n.* 10. De ſtatuto etiam laicorum,quo prohiberetur conſtructio Monaſteriorum ſine ipſorum licentia,dixi etiam *ſuprà*,verbo *Monaſteria Regularium , num.*29. De ſtatuto quoque quorundam laicorum , quo prohiberetur immunitas Eccleſiarum quoad reorum receptionem, dixi eodem verbo , *num.*25.& 26.

Specialiter etiam quod ſtatuta laicorum non comprehendant Regulares, aut alios Eccleſiaſticos (intellige quando ſunt contra immunitatem Eccleſiaſticam) conſtat ex declaratione S. Congregationis immunitatis, quam refert relatus Diana *5.part. inter Declarationes Sacrarum Congregationum*, *n.*42.& 48. vbi habetur laicos publicantes Edicta generalia cogi poſſe ad declarandum ſub ipſis non comprehendi Eccleſiam, neque Clericos. Vnde etiam ibidem declaratur Eccleſiæ molendina non comprehendi ſub prohibitione facta à laicis, ne aſportetur frumentum ad molendina. 6

Maximè etiam circa huiuſmodi ſtatuta ſæcularia notandum , quod in dubio an ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam, debemus fauere opinioni affirmatiuæ. Et ratio eſt , quia in dubio tenenda eſt opinio,quæ fauet Eccleſiæ , vt patet *ex c. fin.de ſent. & re iudicata, & ex l.ſunt perſonæ ,ff.de Relig.& ſumpt. funer.* Idem docet Diana dicto *tract.* 2. *ex* 1. *part. reſol.*66. ex Felyno, Iaſone, Deciano, Belleto,& aliis. Nota etiam ſtatutum dici contra immunitatem Eccleſiaſticam , ſiue indirectè , ſiue directè id habeat, *ex cap. ſtatutum, de hæreticis in* 6. ſiue expreſsè , ſiue tacitè , *ex cap.Clericis,* §. *Nos igitur, de immunitate Eccleſ. in* 6. Etiamſi non loquatur de ipſis perſonis 7

Eccleſiaſti

Digitized by Google

Eccleſiaſticis. Duardus *ſuprà*. Bonacina *ſuprà n.* 32. Diana 4 *part. dicta tract.* 1. *reſolut.* 52. ex aliis. [Quia tamen dubitari poteſt, quod ſtatutum ſit indirectè contra immunitatem Eccleſiaſticam, ideo in præſenti afferre placuit diuerſas ſententias circa explicationem illius particulæ *indirectè*, vt ex ipſis ſimul, vel illarum aliquibus huius dubij deciſio habeatur. Primò ergo Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 18. *num.* 25. explicans verbum *indirectè*, quod habetur in quodam voto Patrum Ieſuitarum, quo promittunt ſe nihil acturos neque indirectè vt aliquam Prælationem obtineant, dicit, quod particula illa nihil diuerſum importat, ſed poni ad maiorem ponderationem. Secundò idem Sanchez *ibid. num.* 42. cui fauent Soſſa in explicatione Bullæ Clementis VIII. *de largitione munerum, num.* 71. & Sorbus *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, part.* 1. *verbo Dare, in expoſitione euſdem Bullæ*, §. *Tertia generalitas*, dicit idem eſſe *indirectè*, ac ſimulatè, tacitè, ſeu palliatè. Tertiò Suarez *lib.* 4. *contra Regem Angliæ, cap.* 33. *num.* 5. *&* 6. explicat terminum illum *indirectè*, vt idem ſit quod fieri cum talibus circumſtantiis, ex quibus colligatur per circuitum aliquem id de quo dicitur. Quartò Cardinalis Lugo *tom.* 2. *de iuſtit. & iure, diſput.* 36. *ſect.* 9. *n.* 136. dicit idem quod Suarez. Vnde ad intentum noſtrum, quid ſcilicet intelligatur per illud *indirectè* eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam, dicit, quod indirectè in hac materia intelligitur quando lex non intendit directè verbis ſuis grauare Eccleſiaſticos; nihil enim eis præcipit, vel ab eis exigit: ab aliis tamen ſubditis exigit, vel eis præcipit aliquid., ſpecie quidem externa ſubditos ſolùm grauando, vel eis præcipiendo, ſed in tali materia vel talibus circumſtantiis quæ oſtendunt id præcipi vel exigi ad finem grauandi per circuitum illum Eccleſiaſticos, quibus directè præcipi non poterat. Directè ergo læditur immunitas Eccleſiaſtica quando imponitur gabella ſoluenda ab omnibus etiam Eccleſiaſticis: tunc enim directè, & immediatè grauatur ipſe Eccleſiaſticus, non mediante vllo alio, ex cuius grauamine reſultet grauamen Eccleſiaſtici: indirectè verò quando præceptum vel onus imponitur laïco ea intentione, vt conſequenter grauetur Clericus. Vt ſi laïcis prohibeatur ne vendant vel laborent, niſi cum licentia ſpeciali Magiſtratus ea intentione, vt non detur licentia vendendi vel laborandi pro Eccleſiaſticis: quæ probibitio directè tendit ad laïcos, ſed indirectè ad Eccleſiaſticos. Vnde infert cum Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 78. in hac materia læſionis indirectè multùm attendendum eſſe ad intentionem ſtatuentis: quia etſi intentio ſola non ſufficiat, quando tamen actio externa eſt capax iudicandi talem intentionem, ex iſta poſſet illa colligi.

8 Aduerte tamen, non eſſe indirectè contra immunitatem Eccleſiaſticam legem illam quæ ſolùm remotiſſimè tangeret Eccleſiaſticos, qualis eſſet illa qua mercatores laïci in ingreſſu ciuitatis cogerentur ſoluere tributum ex mercibus quas portant vendendas, etiamſi inde ſequatur quod eas vendant cariùs Eccleſiaſticis. Tum quia aliàs nullum eſſet Statutum laïcis impoſitum, quod aliquo modo non tangeret Eccleſiaſticos. Tum etiam quia communis ſententia DD. tenet, quod ea quæ ſolùm remotè Eccleſiaſticos lædere poſſunt; non ſunt contra eorum immunitatem. De quo Enriquez *lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 5. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regular. quæſt.* 74. *art.* 7. Azor. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 20. *q.* 2. Sanchez *dub.* 55. *n.* 40. Lugo *dicta ſect.* 9. *num.* 123. alios referentes.]

9 Nota tandem contra facientes ſtatuta, quibus Eccleſiaſtica libertas tollitur, læditur, reprimitur, vel reſtringitur, eſſe inflictam excommunicationem latæ ſententiæ in Bulla Cœnæ verbis relatis *ſup.* verbo *Bulla Cœnæ*, *num.* 40. De qua Suarez 5. *tom.* 3. *part. diſp.* 21. *ſect.* 2. *a n.* 79. Toletus *in Summa, lib.* 1. *c.* 37. Filliucius, Duardus, & Bonacina relati. De aliis etiam pœnis contra illos Barboſa *ſupra num.* 192.

Facit ad intentum reſolutio cuiuſdam caſus mihi 10
propoſiti circa quoddam ſtatutum factum per quoſdam ſæculares. Reſolutio autem talis eſt.

Decretum, ſeu ſtatutum factum per Camerarium 11
& ſuperſtantes fabricæ Eccleſiæ Vrbeuetanæ, quod videlicet ornamenta, ſeu paramenta legata dictæ Eccleſiæ, & calix quidam conſeruentur, & cuſtodiantur in quodam loco vbi conſeruantur res aliæ pretioſæ, nempe mitræ Epiſcopales, Candelabra & Lãpades argenteæ, gemmæ & monilia quibus ornari ſolet Imago Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quando proceſſionaliter defertur in die ipſius ſanctiſſimæ Aſſumptionis; & quod dicta ornamenta, paramenta, ſeu veſtimenta ſacra non dentur ad vſum Eccleſiæ, niſi in aliquibus diebus ſolemnioribus, videtur licitum & honeſtum, ac proinde poſſe ſuſtineri ſine vllo ſcrupulo peccati aut cenſuræ.

Ratio principalis eſt, quia hoc totum ordinatur & 12
dirigitur ad maiorẽ decorem dictæ Eccleſiæ, & conſeruationem eorum ornamentorum, veſtimentorum & vaſorum ſacrorum, quod eſt euidens redundare in incrementum & augmentum eiuſdem Eccleſiæ. Quæ omnia cum cedant in Dei cultum & reuerentiam, negari non poteſt, quin bona ſint licita & honeſta, prout latè S.Th. 2.2. *q.* 84. *&* 85. & ibi DD. cum ipſo.

Nec refert, quod ea ſancita & determinata ſint per 13
decretum ſeu ſtatutum factum per dictos Camerarium & ſuperſtantes. Etſi enim regulariter loquendo ſtatuta laïcorum non obligent Eccleſiaſticos, nec illi poſſint ea facere hoc modo, *c. Statutum, de hæret. in* 6. *& c. Quamò, de priuil.* Etiamſi talia ſtatuta non tangant expreſsè, ſed ſolùm tacitè perſonas Eccleſiaſticas, *cap. Clericis*, §. *Nos igitur, de immun. Eccleſ. in* 6. Surdus *conſ.* 301. *n.* 77. Marta *de iuriſdict. p.* 4. *Centur.* 1. *caſ.* 62. Duardus *in Bullam Cœnæ, lib.* 2. *can.* 15. *q.* 19. Maximè ſi per illa prohibeantur, vel impediantur vti rebus, aut facultatibus à iure communi ſibi conceſſis, vt docent Felynus *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. n.* 111. & ibi Imola & Butrius. Primò, quia id limitandum eſt, quando talia ſtatuta feruntur propter bonum publicum, quale eſt hoc de quo in præſenti. Thomas Delbene *de Immun. Eccleſ. p.* 1. *cap.* 8. *dub.* 14. *ſect.* 3. *num.* 3. Ioannes Lacuna *in allegat.* edita Matriti die 16. Maij anno 1638.

Secundò, quando talia ſtatuta cedunt in vtilita- 14
tem Eccleſiaſticorum. Sic enim quia ſtatutum laïcorum præſcribens modum & pompam in funere defunctorum, eo quod cedat in vtilitatem Clericorum ſuſtinetur vt validum & honeſtum, prout tuentur Caietan. *in ſum. verb. Excommunic. cap.* 31. Laym. *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 9. *n.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *c.* 10. *n.* 173. & plures alij, quos refert & ſequitur Thomas Delbene *ſup. cap.* 8. *dub.* 4. Pariter ergo hoc ſtatutum, ſeu decretum præſcribens modum vtendi dictis veſtibus ſeu paramentis, cum reſpiciat bonum commune illius Eccleſiæ, ipſiuſque vtilitatem, vt licitum & validum ſuſtineri debet.

Tertiò, quia ſtatutum laïcorum priuilegiatiuum 15
& fauorabile reſpectu Eccleſiaſticorum omnino ſuſtinetur vt licitum & validum, eo quòd concedere priuilegium actus pietatis eſt, non iuriſdictionis, & eſto iuriſdictionis eſſet, eſt iuriſdictionis priuilegiatiuæ & voluntariæ. Abbas *c. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtit. ex cap. nouit, de iudic.* Et quia Clerici quoad priuilegia & ſtatuta fauorabilia, reputantur vt ſubditi, Abbas & Felinus *in d. c. Eccleſia S. Mariæ*, Suar. *de leg. lib.* 8. *c.* 9. *n.* 4. Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *in quæſtionibus*

de priuil.num.15. Ordinate autem quod Clerici non
vtantur vtenſilibus Eccleſiæ,& ornamentis,niſi cer-
tis diebus & occaſionibus,ad hoc vt diutiùs durent
16 & conſeruentur , fauor eſt & priuilegium Eccleſiæ,
tum quia cedit in ipſius vtilitatem ; tum quia pro-
pter hanc cauſam ſæpius Eccleſiæ , maximè Regu-
lares , obtinere ſolent Breuia Pontificia ad hoc in-
tentum.Rectè ergo ordinari hoc potuit à prædictis
Camerario & ſuperſtantibus,qui ſunt veluti admi-
niſtratores bonorum dictæ Eccleſiæ.

17 Et etiam quartò , quia præfatus Camerarius eſt
veluti bonorum illius Eccleſiæ Oeconomus , ſeu
quod idem eſt,adminiſtrator,imò Procurator,iuxta
*c.vnic.de Syndic. & can. Saluator,*ex Concilio Chalce-
donenſi,vbi Gloſſa *1. quæſt.3.* Oeconomus autem,&
Procurator rerum Eccleſiaſticarum ſunt perſonæ
Eccleſiaſticæ, vel ad inſtar ipſarum,vt de Procura-
tore conſtat *ex d.can. Saluator,* & Chalcedonenſi Sy-
nodo ; ac de Oeconomo *ex cap. Quia in quibuſdam,
cap.indicatum,89.diſt.c.in noua 16.q.7.c.cùm ſimus 9.q.3.
cap.cum vos,de offic. Ordin.* & aliis iuribus. Non ergo
miſerunt falcem in meſſem alienam , dum de vten-
ſilibus illius Eccleſiæ, & pro ipſorum conſeruatio-
ne diſpoſuerunt per tale decretum.

18 Quæ omnia quintò , & clariùs innoteſcunt ex
Bulla Martini V. Pontificatus ſui anno 3. in qua
narrans quod *nonnulli Clerici ſe in huiuſmodi fabrica,
eiuſque redditnum & prouentuum receptione & adminiſtra-
tione contra veterem obſeruantiam , & conſuetudinem miſ-
cere , ſeu intromittere ſub certis titulis & coloribus præ-
ſumpſerunt ;* pro maiori ipſius augmento & conſer-
uatione conſeruatoribus & communi ciuitatis Vr-
beuetanæ concedit iſta : *Vt duo vel tres , ſeu plures ci-
ues Vrbeuetanos laicos fide,bonitate & idoneitate conſpicuos
& præclaros, quatenus pro tempore duxeritis in ſuperſtites
dictæ fabricæ nominandos eligere , ipſoſque ad tempus , de
quo vobis videbitur, ſuper introitibus, prouentibus , oblatio-
nibus,obuentionibus,relictis & legatis in reparationem & fa-
bricam dictæ Eccleſiæ conuertendis , & etiam exponendis,
authoritate noſtra conſtituere & ordinare & etiam deputa-
re vſque ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum li-
bere & licitè valeatis,auctoritate Apoſtolica concedimus per
præſentes , volentes ac etiam ſtatuentes,quod Epiſcopus Vr-
beuetanus pro tempore exiſtens , & dilecti filij clerus ciui-
tatis eiuſdem de ipſa fabrica , eiuſque redditnum & pro-
uentuum adminiſtratione, huiuſmodi durante beneplacito ſe
nullatenus intromittere debeant quoquo modo.* Poſt alia
hæc etiam ſubiungens : *Nos enim eiſdem ciuibus per
vos in ſuperſtites dictæ fabricæ , eiuſque conſeruationis ,vt
præmittitur eligendis & deputandis omnia & ſingula introi-
tus,prouentus, obuentiones, relicta,legata & bona ad dictam
Eccleſiam ratione dictæ fabricæ peruentura , vel peruenire
debentia quouis modo à quibuſuis illorum debitoribus cuiuſ-
cumque ſtatus, gradus , ordinis , præeminentiæ vel conditio-
nis exiſtentis, petendi , exigendi , & de receptis ſoluentes fi-
niendi, quietandi & liberandi, & alia in præmiſſis faciendi,
diſponendi , mandandi , & exequendi , quæ ſuperſtites dictæ
fabricæ qui fuerunt pro tempore,facere conſueuerunt de con-
ſuetudine , vel de iure , & quæ præfati ciues pro augmento
diuini cultus , ac ampliatione & incremento Eccleſiæ præli-
batæ expedire cognouerint,eadem auctoritate plenam & libe-
ram tenore præſentium licentiam elargimur, non obſtantibus
19 quibuſcunque.* Quæ omnia Clemens VII. in alia Bul-
la de anno 1528. ſupponens & virtualiter confir-
mans,ſolùm adiunxit,quod deinceps vnus Camera-
rius per vnum annum duntaxat duraturus dictæ fa-
bricæ præeſſet,iuramentum de benè adminiſtrando
ſuo munere faceret , & in fine ſui officij rationem
redderet coram quibuſdam reuiſoribus ab eodem
Pontifice deſignatis,& alia concernentia.

20 Ex his enim deducitur,talem Camerarium & ſu-
perſtantes adminiſtratores eſſe bonorum & reddi-
tuum dictæ fabricæ. Propterea enim in Bulla Mar-
tini dicitur , quod nonnulli Clerici *in huiuſmodi fa-* 21
*brica,eiuſque redditnum & prouentuum receptione & admi-
niſtratione , &c. ſe intromittere præſumpſerint.* Propterea
etiam ſtatuit, quod Epiſcopus & Clerus Ciuitatis
*de ipſa fabrica , eiuſque redditnum & prouentuum admi-
niſtratione ſe nullatenus intromittere debeant quoquo modo.* Et
in Bulla Clementis dicitur,*cuius fabricæ adminiſtratio,*
&c. *& adminiſtretur.* Et infrà : *Fideliter adminiſtrando* 22
ratione adminiſtrationis , &c. Ac infrà : *Si quid doli, vel
fraudis in adminiſtratione , &c.* Si autem adminiſtra-
tores ſunt , rectè ſequitur potuiſſe ſtatuere circa il-
la vtenſilia Eccleſiæ ea quæ fecerunt. Etenim ad- 23
miniſtratores vniuerſitatum cenſentur habere ad-
miniſtrationem cum libera , vt dicit Bartol. *in
l.Præſes, num.4.C.de tranſact.* quod etiam tenent Dec.
*conſ.*204.*num.*5. & Cardinal. Tuſchus *tom.5.litt. M,
concl.*45. *num.*25. & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi
alleg.*133.*num.*19. Si etiam eſt cum *libera*,intelligitur
quoad omnia , Crauetta *conſ.* 122. *num.*5. Alexand.
*conſ.*96. *lib.* 5. totalitatem enim importat. Menoch.
*conſil.*1.*num.*13. *& conſil.*633. *num.*14. Præſertim cùm
hoc expreſsè declaretur in eadem Bulla Martini,
ibi : *Eadem auctoritate plenam & liberam tenore præſen-* 24
tium licentiam elargimur. Maximè etiam, quia dictio
plenam , adeò eſt vniuerſalis, vt omnia comprehen-
dat, nec recipiat diminutionem, aut egeat additio-
ne, quia nihil poteſt addi, aut ab ea aliquid minui,
cap. Bene quidem,96.diſt. cap. Apoſtolicæ, de præbend. in 6.
Baldus & alij Doctores apud Barboſam *in tract. de
dict.dict.*261.*n.*2.*&* 3 Et præſumendum eſt animo ad- 25
miniſtrandi id feciſſe, ſicut de adminiſtratore præ-
ſumitur ,*l.Cum quidam,quando ex fact.tut.l.Cum poſt.§.2.*
& ibi Bart. *in 1.col.in fin. ff de adminiſtr. tut.* Bald. *in
l.fin.in 3.col.C. de dot. promiſſ.* Bertachinus *in Repert.
p.1.verb. Adminiſtrator & adminiſtratio.*

Quia etiam in dicta Bulla Martini dicitur de hu- 26
iuſmodi adminiſtratoribus, eos deſignari *auctoritate
noſtra* , & rurſus *auctoritate Apoſtolica.* Et inferiùs *ea-
dem auctoritate* : cum hæc clauſula denotet iuriſdi-
ctionem delegatam, vt reſoluunt Menochius *de præ-
ſumpt.lib.2.præſumpt.16.num.*18. Marcheſanus *de Com-
miſſ.part.1. pag. 64 & pag.702. & pag. 416. in vlt. im-
preſ.* & Moneta *de commut. vltim.vol. cap.7. num.*141.
veluti Iudices delegatos à Sede Apoſtolica id feciſſe
exiſtimari debet.

Nec dicatur, Papam non potuiſſe ſubiicere Cle- 27
ricos & bona Eccleſiaſtica perſonis laicis. Oppoſi-
tum enim eſt veriſſimum pro certis caſibus , prout
ex pluribus Iuribus & DD. ſatis probat Iulius Car-
tarius almæ Vrbis Senator *in diſp. de foro compet.* ab
Illuſtriſſimo Carolo Cartario eius filio typis tradi-
*ta num.*138.*&* 139.

Nec omittendum,quod cum in dicta Martiniana 28
ampliſſima facultas prædictis concedatur dicta au-
ctoritate Apoſtolica,inter alia dicitur concedi illis
licentiam *petendi & exigendi,& de receptis ſoluentes fi-
niendi, quietandi & liberandi, & alia in præmiſſis faciendi,
diſponendi , mandandi , & exequendi , quæ ſuperſtites dictæ
fabricæ qui fuerunt pro tempore,facere conſueuerunt de con-
ſuetudine , vel de iure , & quæ præfati ciues pro augmento
diuini cultus , ac ampliatione & incremento Eccleſiæ præli-
batæ expedire cognouerint.* Si enim anteriores ſuper- 29
ſtantes , ſeu ciues Vrbeuetani ſimile aliquid tempo-
ribus anteactis fecerunt (prout credibile eſt feciſſe,
quia vt notatur in dicta Bulla, videntur fuiſſe pa-
troni dictæ Eccleſiæ , eam fundando, conſtruendo
& dotando) proculdubio idem etiam potuerunt fa-
cere dicti Camerarius & ſocij.

Ceſſat igitur ex dictis ſcrupulus peccati aut cen- 30
ſuræ incurſæ in dicto decreto, ſeu ſtatuto , cùm in-
nitatur auctoritati Apoſtolicæ conceſſæ dictis admi-
niſtratori

Digitized by Google

niſtratoribus. Etenim iuria communis, Summorum Pontificum, & Bullæ Cœnæ decreta prohibentia ſimilem ſubiectionem perſonarum, ſeu bonorum Eccleſiæ laicis, intelligenda ſunt, iuxta communem DD. niſi aliter Sedes Apoſtolica pro caſibus particularibus decreuiſſet, provt in caſu præſenti contigiſſe videtur.

SVFFRAGIA.

SVMMARIVM.

1 *Suffragium quot modis ſumatur.*
2 *Suffragium pro adiutorio ſpirituali tribus modis contingit.*
3 *Suffragium ex opere operantis duobus modis.*
4 *Fideles in hac vita poſſunt ſe inuicem adiuuare.*
5 *Item defunctos in Purgatorio exiſtentes.*
6 *Qualiter Regulares teneantur ſuffragia offerre pro benefactoribus.*
7 *An perdant ipſorum opera de ſuo valore, ſi aliis applicentur.*
8 *Qui fructus applicatur à Summis Pontificibus aliquando.*
9 *De ſuffragiis ſumptis pro votis, ſeu vocibus Capitulariuм.*
10 *An ſemper dignioribus dari debeant.*
11 *An poſſit aliquis duo ſuffragia in electione aliqua habere.*

1 CVm ſuffragium à ſuffragando, ſeu auxiliando dicatur, provt ex S. Thoma *in 4. diſt. 45.* habet Sylueſt. *in Summ. verb. Suffragium, num. 1.* ideo id, quo aliquis aliquo modo adiuuatur, ſuffragium dici poteſt. Ad rem autem noſtram, ſuffragium duo importare poteſt: primò auxilium, ſeu adiutorium ſpirituale, quo vnus fidelis alterum iuuat ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis, vel aliud ſimile. Secundò, votum, ſeu vocem in electionibus. De quibus ſigillatim agendum, quatenus propriùs ad Regulares ſpectat.

2 Et quidem ſuffragium priori modo tribus modis poteſt contingere; ſcilicet primò ex opere operato per Sacramenta, & Sacrificium Miſſæ. Secundò, per Indulgentias. Tertiò, ex opere operantis. Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 48. in princip.* De ſuffragio primo modo plura dixi *ſupra verbo Miſſa.* De ſuffragio ſecundo modo *ſuprà verbo Indulgentia quoad Regulares.* Solùm ergò eſt modò loquendum de ſuffragio tertio modo.

3 Pro quo ſuppono, huiuſmodi ſuffragium ex opere operantis duobus modis contingere poſſe, ſcilicet per modum ſatisfactionis, quatenus ſcilicet vnus offert pro alio valorem ſatisfactionis, qui eſt in operibus bonis ad ſatisfaciendum pro pœna temporali. Secundò, per modum impetrationis, aut meriti de congruo, quatenus ſcilicet vnus ſuis precibus, aut orationibus impetrat à Deo, vt alteri concedat auxilium ad faciendum bonum opus, per quod remittatur illi culpa, aut pœna temporalis, cuius eſt debitor. S. Thom. *in 4. diſt. 45 q. 2. art. 1.* Sylueſt. *ſuprà verbo Participatio.* Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuileg. Mendicant verbo Indulgentia quoad Seculares 4.* Peyrinis *tomo 2. de Prælato, q. 5. c. 6.* Apud quos etiam de iis, in quibus conueniunt, & in quibus differunt hi duo modi ſuffragij.

4 His poſitis, certum eſt omnes fideles in hac vita degentes poſſe ſe inuicem adiuuare prædictis duobus modis. Colligitur *ex Communione Sanctorum*, quæ eſt articulus fidei in Symbolo poſitus. Eâ enim non ſolùm denotatur omnes fideles communicare in vno Capite Chriſto, vno Baptiſmate, & aliis Sacramentis, ſed etiam quod mutuò ſe poſſunt adiuuare per ſatisfactiones, & merita de congruo, ad remiſſionem pœnæ temporalis, vel alterius boni ſpiritualis conſequutionem. Colligitur etiam ex Sacra Scriptura Pſalm. 18. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Et ad *Rom. 15. Obſecro vos, &c. vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* S. Thom. *in 4. diſt. 20. q. 1.* Suarez *ſuprà, ſect. 1. & 2* Bonacina *de Sacram. diſp. 6. q. 2. punct. 1.*

5 Certum etiam eſt, poſſe fideles viuentes eodem modo adiuuare defunctos in Purgatorio exiſtentes, tum ex illo 2. *Machab. 12. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur.* Tum ex pluribus Conciliis, Eccleſiæ traditione, & conſuetudine. Vualdenſis noſter *tom 3. tit. 11. c. 107.* noſter Hieronymus Gratianus *de Iubileo, p. 1. c. 15.* Sotus *in 4. diſt. 19. q. 3 art. 1. & diſt. 45. q. 2. art. 2* Suarez *ſup. ſect. 4.* Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp. 26. ſect. 2. n. 17.* poſt alios.

6 His poſitis, ad Regulares deueniendo, certum eſt illos, qui ex eleemoſynis fidelium, vel etiam ex redditibus ab illis relictis viuunt, teneri ipſorum bona ſatisfactoria, ſeu impetratoria pro ipſis applicare. Ratio eſt, quia tales eleemoſynæ, ſeu redditus conceduntur ipſis à fidelibus ſpe participandi eorum bona opera, & illorum intuitu, iuxta dicta *tom. 1. p. 1. c. 6. n. 43.* Vnde hoc fine, & ſpe defraudant illos, ſi talia opera pro ipſis non applicent. Sanch. *lib. 7. in Decal. c. 24. n. 8* poſt D Thom. Caietanum, Ledeſmam, Angles, & Valentiam, quos refert. Hoc autem peccatum regulariter eſt contra virtutem gratitudinis, quia accipere debent prædictas eleemoſynas animo gratificandi benefactoribus, ſaltem in ſpiritualibus, faciendo ſcilicet illos bonorum ſuorum operum participes. Licet autem regulariter ſolùm ſit veniale, poterit tamen eſſe mortale, quando Religioſus ferè nunquam benefactorum Ordinis memor eſſet, & notabiliter negligens in operibus bonis pro illis applicandis. Valentia 2. 2. *diſp. 10. q. 5. puncto 3.* Licèt Sanchez *ſuprà n. 9.* ſolùm venialem culpam in hac ingratitudine agnoſcat. Adde, quod ſi Religioſus à prædictis actibus deſiſtat ex formali beneficij eleemoſynarum contemptu, vel in actibus ad mortale obligantibus, peccatum mortale erit talis ingratitudo. Caietanus 2. 2. *quæſt. 187. art. 4. dub. 2.* Cordub. *in Regulam D. Franciſci, cap. 6. quæſt. 13.* Valentia *ſuprà.* Quando autem ex pacto, vel promiſſione tenentur Religioſi ad prædicta opera pro benefactoribus facienda, tunc peccabunt contra iuſtitiam non ſic faciendo. Ratio eſt, quia ex pacto, & promiſſione accepta oritur obligatio iuſtitiæ, provt ſupponunt Sanchez *num.* 10. ex Caietano, Valentia, & Angles. Imò tale peccatum erit mortale, quando materia grauis fuerit, & obligans ad reſtitutionem, iuxta communes regulas materiæ de iuſtitia. Vide dicta *ſuprà verbo Legata Regularibus, & verbo Miſſa.*

7 Nec credant Regulares propter applicationem ſuorum bonorum operum pro benefactoribus perdere ipſorum fructum. Licèt enim ea, quatenus ſatisfactoria ſunt pro pœna temporali, & meritoria de congruo, ſeu impetratoria, ſolùm deſeruiant illis pro quibus applicantur, deſeruiunt tamen ipſis applicantibus, quatenus meritoria de condigno gratiæ, & gloriæ, cum iuxta dicta *ſupra verbo Bona Regularium, num. 3.* ſecundùm iſtam rationem ſint perſonalia, & inapplicabilia pro aliis. Imò ſi ex motiuo charitatis pro prædictis applicentur, erunt magis meritoria de condigno, ſicut generaliter, iuxta doctrinam Theologorum in materia de merito, opera bona facta à iuſto ex motiuo charitatis, ſunt magis meritoria, quàm facta ex motiuo alterius virtutis. Angelus *in Summ. verb. Suffrag. n. 2.* Sylueſt. *ſupra verb. Suffragia, q. 3. & 4.* Ludou à Croce *de Expoſit. Bull. Cruc. diſp. 1. cap. 8 dub. 15. n. 10.*

8 Is porrò fructus ſatisfactorius pro pœna temporali, & meriti de congruo, ſeu impetrationis bonorum

Digitized by Google

rum ſpiritualium eſt, quem Summi Pontifices applicare ſolent ob ſpeciales rationes aliquibus fidelibus, vt patet in Bulla Cruciatæ, iuxta dicta *ſupra verbo Bulla Cruc. n.* 17. & in Bulla Clem. VII. pro Confratribus Carmelitarum explicat noſter Reuerendiſſ. Stratius *in Inſtruct. pro Fratribus Carmelitis, cap.* 22. Hic quoque fructus eſt ille, quem Prælati regulares applicant de bonis ſpiritualibus ſuorum ſubditorum cùm benefactoribus ſuis litteras Confraternitatis concedunt. De quo latè dixi *ſuprà verbo bona Regul. num.* 1. *& ſeqq.* Quibus addendum, quod licet tales litteræ ſolùm benefactoribus concedi ſoleant, poſſunt nihilominus etiam non benefactoribus concedi, ex charitate, aut ſpeciali amicitia. Sorbus *ſuprà, §. quare dicitur.* Peyrinis *d. c.* 6. *num.* 13. Ludouicus à Cruce *ſuprà num.* 17. ex Cord. & Rodrig. Quando autem conceduntur alicui titulo benefactoris, ſi talis cauſa non ſubſiſtat, non valeret talis communicatio bonorum, quia deficiente cauſa, fine, ſeu conditione conceſſionis, deficit ipſa conceſſio. Sorbus *ſuprà.* Ludouicus de Cruce *ſuprà num.* 16. Peyrin. *ſupra.* Addit idem Peyrin *in Formul. litt. P, c.* 1. *num.* 1. non debere concedi, niſi verè benefactoribus, & quod participationes factæ à Superioribus non valeant poſtquam ſuum officium finierunt. Quod poſterius non videtur admittendum, quia iuxta dicta *ſupra verbo Gratia pro Regularibus, n.* 8. gratia facta non ceſſat poſt mortem, vel ceſſationem officij illam concedentis.

9 Circa ſecundam acceptationem ſuffragij, ſcilicet pro votis, ſeu vocibus in electionibus, plura dixi in præcedentibus, quæ ſufficient ad intentum, ſi ſolùm remiſſiuè referantur. Primò enim qualiter vota, ſeu ſuffragia inhabilium vitiant electiones, dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 15. *n.* 6. *&* 7. *& tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 12. *n.* 29. & *ſuprà verbo Excommun. n.* 31. Similiter, quod ſuffragia in electionibus debeant eſſe abſoluta, & non conditionata, certa, & non indeterminata, dixi eodem *cap.* 15 *n.* 16. Quod debeant eſſe ſecreta, itavt nunquam publicentur, dixi *ibid. n.* 17. & *ſuprà verbo Electio inter Regulares, num.* 11. vbi etiam quid ſi vel vnum tantum votum publicetur, & quid de votis aliquo patenti ſigno denotatis, vt cognoſcantur qui ea dederunt, & alia ad intentum. De quibus nouiſſimè Zacharias Paſqualigus *in Deciſ. moralib. deciſ.* 261. *& ſeqq.* Maximè *ibi n.* 7. an ſuffragia dari poſſint per Procuratores. Debere eſſe libera prædicta ſuffragia, dixi *eo cap.* 15. *n.* 21. & loco relato *ex num.* 12 Suffragia ſemel data an reuocari poſſint, dixi eo *c.* 15. & loco relato *ex* 3. *tomo, dict. a.* 12 Qualiter pro ipſis ſuffragiis fieri non poſſit pactum, ſeu conuentio, *ibid. n* 29. 30. *&* 31. ac *ſupra verbo Simonia quoad Regulares* Alia etiam ad intentum *ſuprà verbo Prælatus Regularis, & verbo Præſes Capitulorum.*

10 Maximè tamen, quod ſuffragia in electionibus dari debeant dignioribus, conſtat ex dictis eo *cap.* 15. *num.* 11. & *tom.* 1. *p.* 2. *cap* 11. *num.* 20 & *ſuprà verbo Beneficium, num.* 13. Quod etiam tenent, præter Auctores ibi relatos, Portellus *in Dub. Regul. verbo Electio, n.* 6. Turrianus *tom.* 2. *in* 2. 2. *dub* 4. *num.* 1. An verò in aliquo caſu liceat eligere dignum relicto digniori, conſule Reginaldum *tom.* 1. *lib.* 3. *tract.* 5. *n.* 199. ipſum Portallum *ſup. n* 20. & *in addit. ad dictum verbum Electio, n.* 10. Ioannem Valerum *in different. vtriuſque fori, verb. Electio, different.* 1. *num.* 1. Dianam 2. *p. tract.* 15. *reſol.* 61. maximè verò 3. *p. tract.* 5. *reſol.* 110. & Paſqualigum *dec.* 256. *& ſeqq.* poſt alios, quos referunt. Vnde autem penſari debeat hæc maior dignitas, dixi dicto *verbo Beneficium, n.* 13. De quo etiam Comitolus *lib.* 1. *Reſponſ. moral.* & Portellus *d. verb. Electio, n.* 21. *& in addit. n.* 10. Quo etiam ſenſu accipiendum eſt, quod in Decretis Clem. VIII. & SS. D. N. Vrbani, quæ retuli eo *c.* 15. *n.* 13. dicitur, *electores debere in electionibus iurare ſe electuros probiores, & magis idoneos.* De quo iuramento, & eius Decreti intelligentia, Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 26. Lauorius *de elect. c.* 19. Peyrin. *in Formul. litt. E, c.* 2. & Bordonus *Reſol.* 16. *n.* 28.

Poſſe autem aliquem duo ſuffragia in electione aliqua habere, vnum ratione ſui, & alterum vt procuratorem alterius abſentis, tenere videtur idem Portellus *ſupra in addit. ad addit. n.* 2. eo quòd ius commune illud permittat, nec Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap* 6. contradicat. Sed eſto ita ſit in iure communi ſtando, id tamen meritò ab vſu, & praxi Religionum relegatum eſt, propter ambitionem, & alia inconuenientia. [Nota ſuffragia in electionibus maximè Prælatorum non poſſe fieri per calculos, lupinos, fabas, &c. ſed ſolùm per ſchedulas: quia alia non eſſent certa aut determinata, nec iſto modo manifeſtarent electores perſonam electi. Miranda *in Manuali tom.* 2. *q.* 23. *art.* 17. *concl.* 3. Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 27. poſt Tabienam, Syluestrum, & alios. 11

SVPERIOR REGVLARIS.

Vide dicta *ſuprà verbo Prælatus Regularis,* & aliquas declarationes ad intentum apud Barboſam *in Collectan. Bullar. hoc eodem verbo.*

SVSPENSIO QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſio quid ſit.*
2 *Quotuplex ſit.*
3 *De cauſis ipſius.*
4 *De effectibus ipſius.*
5 *De ſuſpenſione ab officio ſimpliciter.*
6 *De ſuſpenſione ab officio in Religionibus.*
7 *De ſuſpenſione ab Ordine.*
8 *De ſuſpenſione à Beneficio.*
9 *De ſuſpenſione à Iuriſdictione.*
10 *De ſuſpenſione à diuinis.*
11 *De ſuſpenſione à iuriſdictione temporali.*
12 *De ſuſpenſione ab ingreſſu Eccleſiæ.*
13 *De violante ſuſpenſionem.*
14 *An actus prohibiti ſuſpenſo validè fiant.*
15 *Suſpenſum an vitare teneamur.*
16 *Suſpenſiones impoſitæ contra Regulares.*
17 *Aliæ ſuſpenſiones.*
18 *Suſpenſio quot modis tollatur.*

SVſpenſio eſt *Cenſura Eccleſiaſtica, quâ Miniſter Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſtica perſona impeditur ne functiones exerceat ſui officij, Beneficij, vel Ordinis.* Nauarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 151. Suarez *tomo* 5. *in* 3. *part. diſp.* 25. *ſect.* 1. Saytus *de Cenſur. lib.* 4. *cap.* 1. Ioannes de Cruce *in Direct. Tract. de Cenſuris, art.* 3. Filliucius *tract.* 17. *cap.* 1. *q.* 2. Cornejo *tom.* 2. *in* 3 *p. tract.* 5. *de Suſp. diſp.* 1. *dub.* 1. & alij communiter, licèt diuerſis verbis. Dicitur *Cenſura Eccleſiaſtica,* loco generis, hoc enim eſt commune ipſi cum excommunicatione, & interdicto, iuxta dicta *ſuprà verbo Cenſura Eccleſiaſtica, num.* 1. Toletus *in Summa, lib.* 1. *c.* 42. *n.* 1. Bonacina *de Cenſuris diſp.* 3. *punct.* 1. *n.* 1. Excluditur per dictam particulam peccatum mortale, quod quamuis priuet vſu Ordinis Sacri, hoc tamen non eſt tantùm iure Eccleſiaſtico, ſed iure naturali, aut diuino, propterea quod tale peccatum habens indignus redditur vſu talis Ordinis. Suarez, & Cornejo *ſuprà.* Excluditur etiam per dictam particulam irregularitas, quia illa non eſt cenſura, ſed impedimentum quoddam, iuxta dicta loco relato *ex* 3. *tom.* Suarez *ſuprà.* Item prohibitio celebrandi impoſita à Confeſſario ſuo pœnitenti in foro pœnitentiali. Cùm enim 1

enim impoſita non ſit pro foro externo, non eſt cenſura, nec vera ſuſpenſio. Cornejo, & Bonacina *ſuprà.* Idem ad intentum Regularium dicendum de ſuſpenſione facta Clerico ab Abbatiſſa, propter dicta *ſuprà verbo Abbatiſſa, n.*16. Quod & notat Laym. *lib.*1. *tract.* 5. *part.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Scilicet, quod Abbatiſſa, cùm non ſit capax iuriſdictionis ſpiritualis, non poteſt ferre cenſuram. Excluduntur etiam generaliter loquendo omnes aliæ ſuſpenſiones impoſitæ vt pœnæ purè vindicatiuæ, ſeu punitiuæ peccati præteriti, non per modum pœnæ medicinalis præſeruatiuæ à peccato futuro, qualis eſt cenſura. Suarez & Cornejo *ſup.* Bonac. *ſup. a.* 5. Dicitur *qua miniſter Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſtica perſona*, ad denotandum, ſubiectum huius cenſuræ non eſſe laïcos, ſed ſolùm Eccleſiaſticos. Nauar. *ſup. n.* 153. Bonac. *ſup.* Dicitur etiam *ne functiones exerceat*, ad oſtendendum huius cenſuræ effectū, qui non eſt auferre officium, aut Beneficium quoad titulum, quemadmodum aufertur per degradationē, aut depoſitionem, ſed ſolùm quoad vſum, iuxta dicta *ſup. verbo Depoſitio, n.* 1. Toletus, & Cornejo *ſup. n.* 4.

2 Suſpenſio multiplex eſt, quædam enim eſt ſuſpenſio ab *officio* ſiue officium ſit ordinis, ſiue iuriſdictionis, & quædam à *Beneficio Eccleſiaſtico*, quædā etiam eſt ab *officio, & Beneficio* ſimul. Secundò, ea quæ eſt ab *officio* tantùm, aliquando eſt à toto officio, aliquando à parte. A toto officio, quādo priuat vſu ordinis cuiuſque, & ſimul vſu iuriſdictionis. A parte verò, quando ſolùm priuat alicuius ordinis, ſeu iuriſdictionis vſu, non aliis, verbi gratia ab audiendo confeſſiones, celebrando, &c. Tertiò, ſimiliter, ea quæ eſt à Beneficio, aliquando eſt etiam à toto, aliquando à parte ſola, vt à fructibus percipiendis, vel aliquo alio ad ipſum pertinente. Quartò, diuiditur ratione temporum; nam aliquando eſt ab officio, vel Beneficio, vel vtroque ad aliquod tempus maius, vel minus, prout determinatum fuerit à iure, vel ab homine. Aliquando eſt à parte aliqua prædictorum, aut ad tempus aliquod, aut in perpetuum. Quintò, rurſus diuiditur; nam quædam eſt à iure, quædam eſt ab homine, ſicut de cenſuris in communi dixi *ſuprà verbo Cenſura Eccleſiaſtica, num.* 1. De his diuiſionibus communiter Summiſtæ, & Doctores. Licet Suarez *ſuprà ſect.* 1. *num.* 3. & Cornejo *ſuprà dub.* 5. dicant ſuſpenſionem latam ad determinatum tempus, non eſſe propriè cenſuram. Quod tamen non admittunt communiter Doctores, vt notat Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 10. *dub.* 7. *num.* 130. & *num.* 135. Alias autem diuiſiones ſuſpenſionis, quas antiquiores afferunt, reiiciunt Suarez *ſuprà ſect.* 5. Sayrus *ſuprà*, Filliucius *ſuprà q.* 3. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 31. & alij.

3 Quoad cauſas ſuſpenſionis, loquendo de finali, certum eſt, eam eſſe correctionem delinquentis. Toletus *ſuprà cap.* 44. *in fine.* Quoad efficientem, regula generalis eſt, omnem & ſolum illum, qui poteſt excommunicare, poſſe etiam ſuſpendere, quia vtrumque pertinet ad vnam, & eandem poteſtatem iuriſdictionis. Angelus, Sylueſter, & alij Summiſtæ *verbo Suſpenſio*, Toletus *ſuprà cap.* 44. Sayrus *ſuprà cap.* 2. Vnde id etiam competit Prælatis Regularibus, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 55. & *ſuprà verbo Cenſura Eccleſiaſtica, num.* 2. Quomodo autem poni debeat, habes ex dictis eo *n.* 52. & *ex verb. Cenſura Eccleſiaſt. n.* 6. De quo etiam Peyr. *in Formul. litt. C, c.* 5. Cauſa verò materialis remota, ſeu is, qui ſuſpendi poteſt, iam dixi *ſuprà num.* 1. eſſe ſolam perſonam Eccleſiaſticam, ſeu miniſtrum Eccleſiaſticum. Vnde ad propoſitum Regularium, Religioſus, qui non eſt ad minus prima Tonſura initiatus, ſuſpendi non poteſt. Sayrus *ſuprà cap.* 1. *n.* 17. Theſaurus *in praxi, p.* 5. *verbo Monialis, c.* 5. Vnde etiam ſuſpenſio, quam ponit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 17. contra Præfectam Monaſterij, quæ non monet Epiſcopum ante profeſſionem Nouitiæ, non eſt propriè cenſura, propter rationem aſſignatam, Theſaurus *in Prax. p.* 5. *verbo Monialis, cap.* 2. Addēs tamen, eſſe ſimilem ſuſpenſioni, quæ eſt cenſura, & ferri ad modum ipſius, ac per conſequens incurri in conſcientia ante omnem declarationem. Nomine autem perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ poteſt ſuſpendi, venit etiam Capitulum, iuxta dicta *ſuprà verbo Capitulum.* Suarez *ſuprà diſp.* 58. *ſect.* 3. Cornejo *ſuprà dub.* 1. Layman. *ſuprà c.* 5. Pro cauſa verò materiali proxima, ſeu peccato, pro quo quis poteſt ſuſpendi, conſule dicta eo *verbo Cenſura Eccleſiaſtica, n.* 10. Vbi habes debere eſſe peccatum mortale, externum, & conſummatum, imò & proprium. Quando autem ſuſpenſio non fertur directè in perſonam, ſed contra Communitatem, vel Capitulum, tunc poteſt cōtrahi propter peccatum alienum. Corn. *ſup. dub.* 5. poſt D. Thom. Sylueſtrum, & alios. Similiter ſuſpenſio leuis, qualis eſt ſuſpenſio ab vno actu eligendi, à diſtributionibus vnius horæ, &c. poteſt incurri pro ſola culpa veniali. Caietanus *in Summa, verbo Suſpenſio*, Toletus, Cornejo, & Layman. *ſuprà*, & Diana *part.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 19. Tale porrò peccatum, pro quo imponi poteſt cenſura ſuſpenſionis, debet eſſe aliquo modo futurum, iuxta dicta eo *num.* 10. Licet ſuſpenſio, quæ tantùm eſt pœna, poſſit poni propter peccatum purè præteritum, iuxta dicta *ibid.* & *ſuprà num.* 1. Formalis autem cauſa ſuſpenſionis, ſeu forma ipſius, non eſt determinata in iure, ac proinde ſufficiet ea, quâ ſufficienter ſignificetur modus, ſpecies, ſeu effectus illius. Nauarrus *ſuprà num.* 161. Toletus *ſuprà*, Suarez *ſuprà ſect.* 3. Alia, quæ pertinent ad ſuſpenſionem, habes ex dictis generaliter de cenſuris *ſuprà eo verbo Cenſura Eccleſiaſtica.*

Quod attinet autem ad effectus ſuſpenſionis, ea applicando ſpecialiter ad Regulares, dicendum primò, Religioſum ſuſpenſum ſuſpenſione abſolutè lata ſine vlla limitatione tacita, vel expreſſa, cenſeri ſuſpenſum ab omnibus, ſcilicet ab Ordine, Officio, Beneficio, &c. Quia verba accipienda ſunt prout ſonant, & cùm ſint generalia, generaliter accipi debent. Sylueſter *verbo Suſpenſio, quæſt.* 5. Toletus *ſuprà cap.* 45. *n.* 3. Bonacina *ſuprà punct.* 5. *num.* 5. Diana 5. *p. tract.* 10. *reſol.* 14. ex aliis. 4

Secundò, Religioſus ſuſpenſus ab officio generaliter, & ſine vlla reſtrictione, eſt priuatus omni vſu Ordinis, & iuriſdictionis; hæc enim omnia importat nomen officij in præſenti. Suarez *ſuprà diſp.* 56. *ſect.* 1. Cornejo *ſuprà diſp.* 5. *dub.* 1. Laym. *ſup. c.* 5. *n.* 5. §. *Suſpenſio totalis.* Qui verò ſint actus Ordinis, iuriſdictionis, & muneris Eccleſiaſtici, ex dicendis conſtabit. Similiter quid dicendum de ſuſpenſo non generaliter ab officio, ſed tantùm ab officio, ſeu officiis Religionis, infrà dicetur. Non tamen propterea talis ſuſpenſus generaliter, & ſine reſtrictione ab officio, cenſetur ſuſpenſus à beneficio, ſeu fructibus ipſius. Quia cùm aliquando imponatur ſuſpenſio ab officio, & beneficio ſub his terminis, cum id non fit, non debet nomen officij ad beneficium extendi in materia odioſa, qualis eſt cenſura. Nauarrus *ſuprà num.* 160. Suarez *ſuprà ſect.* 3. Sayrus *ſuprà c.* 5. Cornejo *d. dub.* 1. Diana *ſuprà reſol.* 1. Verùm, ſuſpenſum ab officio debere per alium ſupplere onera ſui beneficij, quæ per ſe non poteſt exercere, alioquin non poſſe fructus beneficij percipere, cum illi dentur propter officium, quod talis non poteſt exercere, tenet Bonacina *ſuprà punct.* 5. *n.* 10. ex Henriquez, Reginaldo, Filliucio, Suarez, & aliis. Taliter etiam ſuſpenſus ab officio non poteſt eligi ad aliquam Prælaturam Religionis, Propter regulam generalem *cap. fin. de Cleric. excommunic. miniſtr.* quod quoties aliquis priuatur aliquo munere, vel actu, etiam eſt priuatus 5

Digitized by Google

receptione eorum, quæ ad talem actum, vel munus ordinantur; ſuſpenſus autem ab officio priuatus manet actibus Ordinis, & iuriſdictionis, ad quos ordinantur dictæ Prælatiæ, Suarez *ſuprà ſect. 3. num. 6.* Cornejo *ſupra d. dub. 1.* Qui addunt, talem promotionem non eſſe irritam, ſed potius irritandum. Oppoſitum tamen colligitur ex his, quæ dixi *ſupra verbo Beneficium & Beneficiati, num. 6.* ac tenent Bonacina *ſupra num. 11.* & Peyrinis *tom. 2. de Pralato quæſt. 2. c. 5. § 1. n. 29.* poſt plures alios. Non poſſe etiam ſic ſuſpenſum ab officio habere votum in electionibus, dixi *tomo 1. part. 1. c. 15. ex c. cùm dilectus, de conſuet.* & tenent Filliucius *ſuprà c. 2. num. 25.* & Peyrinis *ſupra num. 32.* poſt alios. Poteſt nihilominus taliter ſuſpenſus ab officio ſacris Officiis intereſſe, Miſſæ deſeruire, in neceſſitate baptizare, Epiſtolam ſine veſtibus in Choro canere, & generaliter ea omnia facere, quæ alicuius Eccleſiaſtici officij exercitium non ſint. Filliucius *ſupra c. 2. n. 12. & 25.* Auila *p. 3. diſp. 2. dub. 1. concl. 1.* Coninch. *de Cenſur. diſp. 5. dub. 2. concl. 1.* Cornejo, *ſuprà* poſt Nauarrum, Sotum, & alios.

6 Tertiò ſpecialiter, Religioſus ſuſpenſus non ab officio ſimpliciter, ſed ſolùm ab officio aliquo ſuæ Religionis, v.g. Prioratu, Prouincialatu, &c. ſolùm priuatur vſu, & exercitio talis officij, pro tempore in lege deſtinato. Suſpenſio enim ab officio non eſt priuatio officij. Portellus *in Dubiis Regularium, verbo ſuſpenſio, n. 2.* Durante verò tempore ſuſpenſionis, peccat mortaliter, ſi ſe ingerat officio ſibi prohibito. Contrariatur enim per hoc tali legi directè id prohibenti, & in materia graui. Portellus *ſup.* Nota autem huiuſmodi ſuſpenſionem regulariter loquendo non eſſe propriè cenſuram in Religionibus, ſiquidem in ſtatutis ipſarum, vt patet in noſtra *p. 5. Conſtit. c. 9. num. 4* non incurritur niſi poſt declarationem, quod eſt contra rationem cenſuræ, quæ ſemper incurritur ante declarationem, iuxta dicta *tom. 1. p. 1. cap. 10. n. 29.* Solùm ergo erit pœna purè vindicatiua, & non præſeruatiua, præſertim cùm imponi ſoleat propter delictum præteritum, & ſine præmiſſa monitione, quod non competit cenſuræ propriæ. Suar. *ſupra diſp. 25. ſect. 1. n. 2. & 3. & ſect. 2. num. 3.* Cornejo *ſuprà diſp 1. dub. 1. & 2.* Bonacina *ſuprà num. 2.*

7 Quartò, Religioſus ſuſpenſus ſimpliciter ab Ordine priuatur omni actu Ordinis maioris, & minoris; quia nomen *Ordo* abſolutè prolatum dicitur de quolibet Ordine, tam maiori, quàm minori. Cornejo *ſuprà diſp. 2. dub. 2* Bonacina *dict. punct. 2. n. 8.* Peyrinis *ſuprà num. 28* Qui verò ſint actus Ordinis maioris, ſeu minoris, habes ex dictis *ſuprà verbo Excommunicatio, num. 13.* & *verbo Irregularitas, num. 15. & 16.* Qui ſuſpenſus eſt ab Ordine inferiori, verbi gratia Diaconatu, priuatur etiam vſu Ordinis Superioris, ſcilicet Presbyteratu, &c. niſi ſuſpenſio expreſſis verbis referatur ad inferiorem tantùm. Ratio eſt, quia cui non licet minus, nec ei licere debet quod eſt maius, *argum. cap. cùm illorum, de ſent. excommunicat. & leg. relegatorum, §. vlt. D. geſt. de interdict.* Ioannes de Cruce *ſuprà, §. nota quod.* Naldus *in Summa, verbo Suſpenſio, num. 6.* Cornejo *ſupra* Quod tamen probabiliter limitatur ſolùm ad actus inter ſe connexos, itavt in exercitio Ordinis Superioris contineatur exercitium Ordinis inferioris, à quo quis eſt ſuſpenſus. Vt ſi verbi gratia Presbyter ſit ſuſpenſus ab exercitio Diaconatus, conſequenter etiam à ſacrificando, cùm Sacrificium non fiat ſine Euangelio, non tamen ab aliis functionibus Sacerdotis, putà audire confeſſionem, ſolemniter baptizare, benedicere, &c. cum iſta non contineant exercitium Diaconatus. Cornejo *ſupra, §. limitari ſolet,* Layman. *ſupra num. 6.* poſt Sayrum, Sà, Coninch. & alios. Illud certius, quod ſuſpenſus ab Ordine Superiori, verbi gratiâ Sacerdotio, non impediatur exercere inferiorem, Ioannes de Cruce, Naldus, Cornejo, Layman. & alij communiter. Illud quoque certius, quod ſuſpenſus ab Ordine, non eſt priuatus actibus iuriſdictionis, qui non ſunt connexi cum exercitio Ordinis.

Quintò, Religioſus ſuſpenſus à beneficio, non pri- 8
uatur vſu officij, quia in rigore nomine beneficij non ſignificatur officium. Vnde poteſt, & debet officio ſuo ſatisfacere, & iuriſdictionem, vel adminiſtrationem ratione officij exercere. Solùm ergo priuatur perceptione fructuum, ac per conſequens aliquibus actionibus, quæ ad talem perceptionem ordinantur, vt ſunt locatio, venditio, &c. Imò poteſt fructus aliquos recipere proportionatos arbitrio prudentis exercitio ſui officij, & ſi fuerit pauper, neceſſarios ad ſui ſuſtentationem. De quibus Doctores communiter, ſpecialiter Sayrus *ſuprà, c. 6.* Suarez *tota diſp. 27.* Sanchez *tom. 1. Conſil. moral. lib. 2. c. 2. dub. 15.* Cornejo *ſupra dub. 4* Layman. *ſuprà num. 4.* Bonacina *ſuprà n. 12.* poſt Vgolinum, Auilam, Henriquez, Filliucium, & alios. Apud quos plura, quæ tamen omitto, quia raro inter Regulares hæc ſuſpenſio locum habet, & vt credo, probabile valdè ſit, quod Prælaturæ Religionis quoad hæc odioſa nomine beneficij non veniant, iuxta dicta *ſuprà verbo Simonia, num. 20.* Licèt oppoſitum tenere videatur Peyrinis *ſupra.*

Sextò, Religioſus ſuſpenſus à iuriſdictione ſolùm 9
priuatur actibus iuriſdictionis, quales ſunt imponere cenſuras, abſoluere ab illis, conferre beneficia, vel Prælatias, iudicare, &c. Imò, quando ſuſpenſio non fertur ſimpliciter, ſed cum determinatione certi actus, verbi gratia conferendi beneficia, ſolùm illo priuatur. Priuatur etiam actibus Ordinis, qui requirunt iuriſdictionem, qualis eſt adminiſtratio Pœnitentiæ. Alios autem actus Ordinis iuriſdictionem non importantes, vt ſunt dicere Miſſam, eſſe Hebdomadarium, &c. exercere poteſt. Suar. *vbi ſuprà ſect. 4. à n. 16.* Filliucius *tract. 17. c. 1.* Cornejo *ſupra dub. 3.* Layman. *ſupra num. 5.* poſt Caietanum, Nauarrum, Sayrum, Auilam, & alios.

Septimò, Religioſus ſuſpenſus à diuinis (quod 10
genus ſuſpenſionis ſæpius contra Religioſos ponitur in Decretis Pontificus, & Sacrarum Congregationum) non poteſt diuina Officia perſoluere ex officio, bene tamen vt priuata perſona, ſeu tanquam laïcus. Vnde licèt non poſſit officium Hebdomadarij exercere, nec canere in choro tanquam Clericus, poteſt tamen, imò tenetur, dicere priuatim Officium Canonicum. Poteſt etiam in choro cantare tanquam laïcus. Similiter poteſt facere totum, quod laïcus, nempe confiteri ſua peccata, audire Miſſam, communicari, &c. Naldus *ſupra n. 11.* Filliucius *ſupra, à n. 33.* Bonacina *ſup. n. 16.* Portellus *ſupra n. 5.* Priuatur etiam exercitio Ordinum, etiam minorum, quos habet, ita vt nec Miſſam, aut Euangelium dicere, vel confeſſiones audire poſſit, licèt poſſit cantare Epiſtolam abſque veſtibus in choro, & ſine ſolemnitate, ſicut faciunt non ordinati, & ſeruire Miſſis, prout faciunt ſæculares. Nauarrus *ſup. n. 163 & 244.* Bonac. *ſupra,* Sorbus *in annotationib. ad Comp. priu.* Mendez. *verbo Ingredi Monaſteria Monialium, § 9.* Non tamen priuatur iure eligendi, cùm conſtet Moniales, quæ neque Ordinis, neque officij Eccleſiaſtici ſunt capaces, poſſe eligere, & ita declarauit S. Congr. apud Peyr. *ſup. n. 36.* Barboſam in *Collectaneis Bullaru. verbo Suſpenſio.*

Octauo, Religioſus ſuſpenſus à iuriſdictione tem- 11
porali non poteſt temporalia bona adminiſtrare. Poteſt tamen iuriſdictionem ſpiritualem, & quodcunque aliud officium ſpirituale exercere, cum ab iis non ſit ſuſpenſus. Peyrinis *ſuprà, num. 37.*

Quid prohibeatur ſuſpenſo ab ingreſſu Eccleſiæ, 12
conſtat ex dictis *ſup. verbo Interdictum quoad Regulares, num. 36.*

num. 36. Parum enim, vel nihil, differt hæc cenſura ab interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, Filliucius *ſuprà num.* 32. An verò gaudeat immunitate Eccleſiaſtica, agit Diana 6. *part. tract.* 1. *reſol.* 26. Quid etiam prohibeatur ſuſpenſo per ſuſpenſiones partiales, quibus ſolùm exprimitur aliquis actus in particulari, conſtat ex dictis ſolùm eſſe illum actum particularem, prout ex communi Doctorum tenent Nauar. *ſupra n.* 160. Bonacina *ſupra n.* 2. & Tannerus *ſuprà n.* 135.

13 Circa quæ nota primò, Religioſum ſuſpenſum exercentem eos actos, à quibus eſt ſuſpenſus, peccare mortaliter ex ſuo genere, *argum. cap.* 2. *de maior.* Nauarrus *ſupra num.* 165. Toletus *d. cap.* 45. *n.* 1. Cornejo *d. diſp.* 2. *dub.* 1. Diana *ſupra reſol.* 9. & alij communiter. Dixi *ex ſuo genere*, quia aliquando tale peccatum erit ſolùm veniale, vel ex defectu plenæ aduertentiæ, vel propter leuitatem materiæ, præſertim in ſuſpenſione leui, iuxta dicta *ſupra n.* 3. Imò etiam aliquando nullum peccatum, iuxta dicta *ſupra verb. Cenſura Eccleſiaſtica*, *n.* 12. Violans autem ſuſpenſionem exercendo aliquem actum peculiarem alicuius Ordinis, ſiue maioris, ſiue minoris, niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, ignorantiæ, inaduertentiæ, vel obliuionis, incurrit irregularitatem, iuxta dicta *ſupra verb. Irregularitas*, *n.* 55. De quo etiam *d. n.* 161. Toletus *ſuprà n.* 2. Corn. *ſupra d. diſp.* 2. *dub.* 1. & alij communiter. Notat autem Nauarrus, quod illa dicuntur actus Ordinis, quorum faciendorum ſpecialis poteſtas traditur in ordinatione, vt in Preſbyteratu poteſtas conſecrandi, baptizandi ſolemniter, dicendi collectas in choro, in Diaconatu poteſtas canendi Euangelium, in Subdiaconatu canendi ſolemniter Epiſtolam, & Acolytatu ferendi cereos, &c. Vnde cum prædicare non ſit actus alicuius Ordinis, iuxta dicta *ſupra verbo Concionari, & Concionator*, *num.* 4. & *verbo Excommunicatio quoad Regulares*, *n.* 17. ideo Religioſus ſuſpenſus ab officio prædicandi non incurrit irregularitatem ſi prædicet, etiamſi grauiter peccet. Tannerus *ſupra n.* 137. Diana *ſupra reſol.* 10 poſt Syluestrum, Armillam, Medinam, & Henriquez. Licet Toletus *ſupra*, §. 5. *ſuſpenſus*, dicat ſecus eſſe ſi ſolemniter, ac ex ſuo officio prædicaret. Exercens autem actus iuriſdictionis, vel alterius miniſterij, in quibus eſt ſuſpenſus, ſi in eis non includatur exercitium alicuius Ordinis, nullam incurrit pœnam in iure poſitam, ſed ex ſolo Iudicis arbitrio puniendus erit. Corn. *ſup.* Diana 4. *p. tract.* 2. *reſol.* 91.

14 Nota ſecundò, actus Ordinis prohibitos ſuſpenſo, excepta abſolutione Sacramentali, validos eſſe, at verò actus qui iuriſdictionem poſtulant (ad quos reducitur actus eligendi) per ſe inualidos eſſe, cùm ſuſpenſus ſit priuatus actuali iuriſdictione, & iura non minùs de ſuſpenſione, quàm de excommunicatione id ſtatuant. Nihilominus, ſi ſuſpenſus ſit occultus, & ab Eccleſia communiter toleratus, acta eius valent, quia Eccleſia ſupplet defectum. Imò, ſi ſuſpenſus non ſit ſpecialiter denunciatus, quamuis quoad ſe ſit prohibitus ne in officio miniſtret, ideoque peccet, ſi id ex ſe, ac ſua ſponte faciat, tamen quoad alios non eſt priuatus iuriſdictione, iuxta dicta à ſimili de excommunicatione *ſupra verbo Excommunic. quoad Regul. n.* 33. 34. & 35. Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 5. *num.* 2. Cornejo *d. diſp.* 2. *dub.* 1. Tannerus *ſuprà num.* 138. Diana *ſuprà reſol.* 12.

15 Nota tertiò, neminem teneri ex vi præcepti Eccleſiaſtici vitare ſuſpenſum, aut non communicare, aut loqui cum ipſo, quia nullibi reperitur tale præceptum prohibens communicare cum ſuſpenſis, ſicut datur præceptum prohibens communicare cum excommunicatis. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 5. §. 5. & *cap.* 33. §. 3. Auila *de Cenſur.* 3. *part. diſp.* 2. *dub.* 4. Suarez *dicta diſp.* 26. *ſect.* 2. *n.* 7. Cornejo *dub.* 1. Diana *ſuprà reſol.* 20. Vnde, ſecluſo ſcandalo, non erit peccatum etiam veniale communicare cum ſuſpenſo, etiam in actibus à quibus ſuſpenſus eſt, niſi quando talis communicatio fuerit quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo vſu miniſterij; nam tunc erit peccatum contra legem naturalem, & diuinam, ſiquidem cooperari peccato alterius intrinſecè malum eſt. Suarez, & Cornejo *ſupra*. Tannerus *ſupra num.* 139. Tunc autem dicitur quis cooperari peccato ſuſpenſi, quando ſuſpenſum non toleratum extra caſum neceſſitatis extremæ inducit ad vſum actus prohibiti, aut ſi toleratus ſit, tamen ſine vlla prorſus neceſſitate, aut vtilitate, cum aliàs non eſſet paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus, prouocat illum ad talem vſum, vel ei ad exercitium actus prohibiti inſeruit. Vnde per ſolam aſſiſtentiam, quæ eſt quædam pura communicatio, non peccabit, atque ita ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ illam ingrediatur, vt diuina Officia audiat, non tenetur exire. Cornejo *ſupra*. Addens ex Sayro *ſuprà c.* 11. quod ſi ſuſpenſus ab Ordine, licet denunciatus, Miſſam celebraret, poterit illam alius audire licitè, modo Altari non miniſtret. Quod tamen negat Bonacina *ſupra punct.* 4. *num.* 4. ex Nauarro *ſupra n.* 163. Sed ipſi contradicit Diana *ſup. reſol.* 20. Refertque etiam Suarez, & Auila. Illud certius, quod quamuis quis cooperetur peccato ſuſpenſi, non propterea incurrit aliquam pœnam iure latam, nec vllam cenſuram excommunicationis, aut ſuſpenſionis minoris; quia nullo iure talis pœna exprimitur, ſicut imponitur contra communicantes cum excommunicatis. Suarez *ſupra n.* 8. Cornejo *ſuprà*.

Nota quartò, plures ſuſpenſiones poſitas eſſe in Iure, & Conſtitutionibus Pontificiis contra Regulares. 16
Prima eſt *ex cap. vltimo de apoſtat.* contra Religioſos, qui in apoſtaſia perſeuerantes Ordinem ſacrum ſuſcipiunt. De qua dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 16. *num.* 12. Secunda *ex cap. non ſolùm*, & *cap. Conſtitutionem, de Regularibus in* 6. contra Mendicantes Religioſos admittentes aliquem ad profeſſionem ante completum probationis annum. Tertia ex Clem. 1. *de reb. Eccleſ. non alienandis*, contra Præſidentes Monaſteriorum, qui iura, redditus, aut poſſeſſiones alicui concedunt. De qua dixi *ſupra verbo Alienatio, & alienare*, *n.* 15. Quarta ex Clem. I. *de Decimis*, contra Religioſos ſibi applicantes, vel defraudantes decimas. De quo aliqua dixi *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 23. Quinta ex Clem. 1. § *ſi quis autem, de ſtat. Monachor.* contra Monachos non vtentes habitu ad formam ibi præſcriptam, vel venationibus, aut aucupationibus clamoroſis, &c. vacantes. Sexta ex Clem. 1. § *quibus, de priuileg.* contra Prælatos Religionum, qui occaſione quorundam exceſſuum ſuorum Religioſorum ibi prohibitorum, Eccleſiis, aut perſonis læſis intra menſem non ſatisfecerint. De qua dixi *ſuprà verbo Legata Regularibus relicta*, *n.* 18. Septima ex Clem. *Cupientes, de pœnis*, contra confeſſarios Religioſos, qui ſcienter omittunt conſcientiam facere ſuis pœnitentibus de ſoluendis decimis. De qua dixi *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 26. & *ſupra verbo Decima quoad Regulares*, *num.* 12. Octaua ex Extrauag. *ſanè, de ſimonia*, contra capitula, vel conuentus aliquid accipientes pro receptione alicuius in religionem. De qua dixi *ſup. verbo Simonia*, *n.* 25. Nona, ex Pio V. contra Religioſos, qui ad Ordines ſacros nondum facta profeſſione promouentur, non ſeruato decreto Concilij. De qua dixi *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 20. & *ſup. verbo Ordines ſacri*, *n.* 17. Decima ex eodem Pio V. contra Religioſos admittentes fœminas in ſua Monaſteria. De qua dixi eodem *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 13. Vndecima ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 10. contra Abbates, & exemptos, qui litteras dimiſſorias aliis, quàm ſuis ſubditis Regularibus concedunt. De quo dixi *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 14. *n.* 13. & *c.* 18. *n.* 64. & 65. De his etiam præter Summiſtas *verbo Suſpenſio*,

Digitized by Google

Suſpenſio, Rodrig. *tom.3. quaſt. Regul. q.65. art.2.* Sayrus *ſuprà c.13* Suar. *ſupra diſp.31. ſect.6.* Filliucius *ſup. c.9.* Portellus *ſup. n.* . Bonac. *ſup. diſp.3. punct.5. §.4.*

57 Sunt etiam aliæ ſuſpenſiones (de quibus etiam auctores relati) impoſitæ in Iure, Conciliis, & Bullis Pontificiis contra diuerſas communitates, & perſonas, ex quibus aliquæ immeritò inter irregularitates numerantur, cum tamen nun ſint niſi ſuſpenſiones, quas omitto, quia non ſunt ſpecialiter poſitæ pro Religioſis. Idem dico de illis, quæ ſpecialiter impoſitæ ſunt pro Clericis. Circa quas nota id quod dixi *tom.1. p.1. cap.11. num.21.* ex Suarez, & Cornejo, ſcilicet, quod ſuſpenſio generaliter lata in Clericos comprehendat etiam Religioſos, niſi ex verbis, aut aliis circunſtantiis oppoſitum colligatur. Adde tamen, quod quando res fuerit dubia, ſatis probabile eſt nomine Clerici in huiuſmodi odioſis non venire Religioſos, iuxta dicta *ſupra* verbo *Clericus, n.1.* Eo quòd odia reſtringenda ſint, *c. odia, & cap. in pœnis, de Reg. iuris*, & ita in materia cenſuratum id tenent expreſsè Nald. *in Summ. verb. Clericus, n.1.* Bonac. *ſupra d. §.4. num.1.* ex Vgolino, Sayro, & aliis.

58 Nota quintò, ſuſpenſionem multis modis tolli poſſe. Primò enim ſi fuerit ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna vindicatiua, & non propriè cenſura, tollitur per diſpenſationem, aut relaxationem. De quo, prout attinet ad Prælatos Regulares, dixi *tom.1. p.1. c.18. num.46.* Pro quo vide etiam *d. ſuprà verb. Pœna Eccleſiaſtica.* Deinde, quæcunque ſuſpenſio ſolùm ad tempus determinatum lata, tollitur abſque alia abſolutione, eo tempore lapſo, ſicut enim prohibitio non operatur vltra intentionem prohibentis, ita ſuſpenſio ex prohibentis intentione procedens ſolùm ad certum tempus, ceſſabit eo tempore lapſo. Deinde, ſuſpenſio quæ eſt cenſura, tollitur per abſolutionem, iuxta *d. ſupra verb. Cenſura Eccleſiaſtica, num.15.* Quis verò abſoluere poſſit ab illa, collige ex dictis eo *num.12. & 13.* & ſpecialiter, quod attinet ad Prælatos Regulares, ex dictis *tom.1. part.1. cap.18. num.36.* De iis autem Nauarrus *ſupra num.161.* Toletus *ſupra c.46.* Sayrus *ſuprà cap.17.* Henriquez *lib.3. cap.35.* Suarez *ſupra diſp.29.* Fillincius *ſupra cap.4. quaſt.6.7. & 8.* Cornejo *ſupra diſp.5.* Layman. *ſupra cap.4.* Diana *ſup. reſol.23.24. & 25.* Theſaurus *in praxi, p.1. cap.24.25. & 26.* & alij.

TERTIARII, ET TERTIARIÆ.

SVMMARIVM.

1 *De illis remiſſiuè.*
2 *An potiantur priuilegiis Religionum.*
3 *Quid circa ſepulturam.*
4 *Eligere illam quomodo expediat.*
5 *An poſſint accipere Sacramenta à Regularibus ſua Religionis.*
6 *Quid circa reſeruationem caſuum.*
7 *Quid circa lucrandas Indulgentias.*
8 *Quid de priuilegio Bullæ Cruciatæ.*
9 *Explorandáne ſit voluntas Tertiariorum ab Epiſcopis.*
10 *Alia remiſſiuè.*

1 DE iis ad ſufficientiam, vt credo, dixi *tom.1. p.2. cap.14* per totum, quia tamen poſtea alij de iiſdem ſcripſerunt, aliqua addenda pro maiori materiæ notitia.

2 Et quidem conſtat ex dictis eo *cap.14. num.27.28. & 29.* propter Bullas Leonis X. & declarationes Sacr. Congregationis, quas ibi retuli ex Soſſa, Peyrinis, Cochiero, & Barboſa, & poſtea retulerunt noſter Reuerendiſſ. Theodorus Stratius *in Opuſcul. de Tertiariis, cap.9.* ac Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Tertiarii*, Tertiarios viros potiri priuilegiis ſuarum Religionum, ſi collegialiter viuant, aut cum clauſtralibus habitent. Tertiarias verò fœminas, ſi virginalem, cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub habitu religionum, vitam traduxerint, etiamſi in domibus conſanguineorum, affinium, aut etiam propriis morentur. Quamuis vt in Decreto eo *num.29.* adducto habetur, præcipiatur ipſis ne cohabitent cum aliis viris, quàm cum conſanguineis, & affinibus in primo tantùm gradu ſibi coniunctis. Conſtat etiam ex dictis eo *num.29.* ex declaratione S. Congregationis ibi relata, & poſtea ex Authoribus adductis, quod decedentes ſine electione ſepulturæ, in Eccleſiis Ordinum ſui habitus ſepeliri poſſint, ſi communis ſepultura pro ipſis in eis reperiatur, aliàs in Parochia. [Vnde eadem Sacra Congregatio 25. Ianuarij 1641. idem declarando præcepit, vt cadauer cuiuſdam tertiariæ reſtitueretur quibuſdam Regularibus, propterea, vt credo, quod illi haberent communem ſepulturam pro tertiariis, & illa tertiaria ſine electione ſepulturæ deceſſiſſet è vita. Vide aliam declarationem eiuſdem Sacræ Congregationis 3. Octobris 1642.] Similiter dixi eo *cap.1. num.33.* propter declarationem Sacr. Congregationis ibi ex Barboſa *Collect. Bullar.* relatam, poſſe Regulares in eorum Eccleſiis ſepelire abſque Parochi interuentu tertiarios collegialiter viuentes, aut cum clauſtralibus habitantes, necnon mulieres virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dictu habitu, vitam ducentes.

Quia tamen his non obſtantibus, diligentiſſimos Author Pater Diana *6. p. tract.8. reſol.30.* refert quandam Epiſtolam Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ad Epiſcopum Modenæ (Mutinæ forſan) directam, in qua eadem Sacr. Congregatio reprobat factum quorundam Religioſorum S. Auguſtini, qui tertiariam quandam ſui Ordinis poſt Euchariſtiam pro Viatico, & extremam Vnctionem illi adminiſtratam ſepeliri curarunt ſine interuentu, vel licentia Parochi, cum tamen hæc omnia fieri poſſe videretur à dictis Religioſis ex vi præfatarum declarationum. Ideo, ſub eiuſdem Sacr. Congregationis cenſura dicerem hanc epiſtolam ad prædictum Epiſcopum ſcriptam fuiſſe, eo quòd præfatæ tertiariæ deerant aliqua, vel aliquæ ex conditionibus ad potiendum priuilegiis ſuæ Religionis ex Bullis Leonis X. & Decretis Sac. Congregationis adductis requiſitæ, videlicet quia, vel non obſeruabat virginalem, cœlibem, aut caſtam vitam, vel quia non ex voto expreſſo; & quoad ſepulturam, quia forſan in Conuentu dictorum Religioſorum non erat ſepultura communis pro tertiariis. Video enim eandem Sacr. Congregationem de anno 1615. declaratione, quæ videtur authentica (& de qua Peyrinis *tom.3 priuileg. Minim. c.4. n.53.*) ad dubium, quo quærebatur an cadauera Tertiariorum Ordinis Minorum de Obſeruantia ſepelienda eſſent in eorum Eccleſiis, ſic reſpondiſſe. *Tertiarios huiuſmodi, ſi qualitatibus in Bulla fel. recordat. Leonis Papæ X. præſcriptis ſint praditi, videlicet, ſi viri collegialiter, aut clauſtraliter viuant, mulieres verò virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem ſub expreſſo voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, poſſe, & debere, etiam inuito, ac minimè requiſito Parocho, in ſupradictis Fratrum Eccleſiis ſepeliri; ſecus verò ſi ſupradictis qualitatibus careant.* Cui declarationi etiam conſonat Priuilegium Sixti IV. in Mari Magno Carmelitarum, vbi concedit ipſis, Pinzocheras, & mantellatas perſonas eorumdem Ordinis ſepeliri poſſe in Eccleſiis ipſorum, etiam ſine licentia Parochorum. Stratius *ſupra §.6. quoad ſepulturam.* Pro hoc tamen, & aliis priuilegiis Tertiariarum 3

perſona

Digitized by Google

perſonarum, ſtandum eſt legitimæ conſuetudini, iuxta dicenda infrà ex eodem Stratio.

4 Circa electionem tamen ſepulturæ prædictarum Tertiariarum, & ad omnem litis, & ſcandali materiam auferendam, notat idem Stratius *ſupra*, Fratres Superiores noſtri Ordinis procurare debere, vt perſonæ quæ habitum noſtri tertij Ordinis ſuſcipere voluerint, aut per inſtrumentum publici notarij, aut coram duobus, vel tribus teſtibus, declarent ſe in Eccleſiis noſtris ſepulturam eligere, & in ipſis poſt mortem ſepeliri velle. An verò hoc ſit contrarium ſtatuto Bonifac. VIII. *cap. 1. de ſepult. in 6.* conſule dicta ſuprà verbo *Sepultura quoad Regulares, num. 6. & 7.* Vide etiam alias declarationes ad intentum ſepulturæ Tertiariorum apud Lauorium *in ſuis Elucubrationibus, tit. 2. cap. 11. num. 102. & 103.*

5 An prædicti Tertiarij, & Tertiariæ habentes conditiones à Leone X. & S. Congregatione requiſitas, poſſint accipere Sacramenta à Regularibus ſuæ religionis, dixi eo *cap. 14. num. 34.* & tenuit poſtea Reuerendiſſimus Stratius *dict. cap. 9.* An gaudeant priuilegio fori, dixi eo *cap. 14. num. 35.* Quod etiam ſequitur idem Reuerendiſſimus loco relato. An gaudeant priuilegio Canonis, dixi *ibid. num. 39.* & ſecutus eſt idem Stratius, nec reprobat Diana *ſupra*. Clariùs id tenet Bordonus *Reſol. 28. num. 19.* referens Bonacinam, Megalam, & alios.

6 Addit idem Reuerendiſſ. Stratius eodem *cap. 9.* (quod ex ipſo refert, nec reprobat idem Diana *ſuprà*) quod cùm prædictæ perſonæ Tertiariæ, habentes videlicet conditiones à Leone X. & Sacra Congregatione requiſitas, ſubditæ ſint Prælatis ſuarum Religionum, & exemptæ à iuriſdictione Ordinariorum, poſſe Prælatos Religionum reſeruare caſus aliquos pro ipſis, nec aſtringi reſeruatione caſuum ab Ordinariis facta. Poſſe etiam Prælatos Religionum ipſarum eas abſoluere à caſibus, in quibus poſſunt Fratres abſoluere, & diſpenſare cum ipſis, ſicut diſpenſant cum Fratribus, earumque vota commutare, & diſpenſare, ſicut & vota Fratrum. Notat tamen prudenter pro prædictis idem Stratius *d. cap. 9. in fine*, ex declaratione Sac. Congregat. Concilij, ea omnia intelligenda eſſe ſpectatis priuilegiis. Si enim Ordinarij, vel Parochi maiorem ſupra Tertiarias iuriſdictionem adquiſiuerunt, conſuetudini ſtandum eſſe. Addo & ego, ſtandum etiam eſſe declarationibus Sac. Congregationis authenticis, ſi circa id fuerint.

7 Poſſe etiam Tertiarias noſtri Ordinis lucrari omnes Indulgentias, quas Fratres lucrantur, de quibus dixi *tom. 1. p. 1. cap. 3. num. 19.* & *ſuprà verbo Indulgentia quoad Regulares, num. 9.* ex Bulla Pauli V. ibi relata, tenet idem Stratius *ſupra*, eo quòd Sixtus IV. eiſdem conceſſit frui Indulgentiis omnibus conceſſis, & concedendis Fratribus, vt patet ex verbis Bullæ, quæ retuli dicto *cap. 14. num. 6.* Quod etiam, vt ibidem dixi, conceſſum eſt Tertiariis aliorum Ordinum, & id non eſt reuocatum, neque à Leone X. nec à Sacr. Congregatione. Pro quo vide dict. *ſuprà* eo verbo *Indulgentia quoad Regulares, num. 26.*

8 Poſſe autem prædictas perſonas Tertiarias vti priuilegio Bullæ Cruciatæ quantùm ab abſolutionem à caſibus reſeruatis, tenet Bordonus *reſolut. 34. num. 44.* & meritò ſanè, quia licet Regularibus id ſit prohibitum, iuxta dicta *ſuprà verbo Bulla Cruciata, num. 29.* prædictæ tamen perſonæ non communicant in huiuſmodi odioſis cum Fratribus, ſed ſolùm in fauorabilibus.

9 Pariter etiam quamuis exploratio voluntatis puellarum Deo dicandarum facienda ſit ab Epiſcopo, &c. iuxta Decretum Concilij Trid. *ſeſſ. 25. cap. 17.* de quo ſæpiùs dixi, id tamen non procedit circa Tertiarias in propriis domibus degentes, etiamſi votum cœlibatus emittant, iuxta declarationem Sac. Congregationis, quam referunt Sellius *in Selectu canonicu, cap. 55. num. 20.* & Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Exploratio, num. 7. & verbo Tertiarij, num. 8.*

Alia circa ipſas vide dicto *cap. 14.* & Caſſtrubium *in Compend. Priuil. Mendicantium, verbo Tertiarij*, Cordubam, & Sorbum ibi, Portellum *in Dub. Regul. eodem verb. Tertiarij*, Stratium noſtrum *in dicto Opuſculo de Tertiariis*, ac Bordonum *in ſuis Reſolutionibus*. 10

TESTAMENTVM QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*

2 *An poſſint Regulares teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem interpretari.*

An illud reuocare. ibid.

An donare cauſa mortis. ibid.

3 *An exercere munus executoris teſtamentarij.*

4 *Quid de fratribus Minoribus.*

5 *Non poſſunt cùm adſunt confeſſionibus teſtamentorum retrahere à reſtitutionibus, legatis, &c.*

6 *Nec inducere ad vouendum, vel promittendum electionem ſepulturæ.*

CIrca hanc materiam iam dixi *tom. 1. p. 1. cap. 9. num. 19.* ac ſuprà verbo *Legata Regularibus relicta, n. 4.* quod, etſi Regulares poſſint facere aliquam ſchedulam, qua rogent Prælatum, vt aliqua quæ ipſi habent ad vſum, aliis concedat, non propterea poſſunt teſtamentum facere, aut legare aliis. Quod etiam extenditur ad Prælatos ipſorum Regularium, iuxta dicta *tom. 1. p. 2. cap. 3. num. 54.* An autem extendatur ad Regulares Militares, conſule dicta eo *tom. 1. p. 2. cap. 5. num. 33. & 34.* De militibus autem S. Ioannis Hieroſolymitani id affirmat Rota apud Farinacium *deciſ. 76. num. 1. part. 2. recent.* De quo etiam Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 8. num. 36.* Riccius *in Deciſ. Cur. Archiepiſcop. 321. p. 3.* Potiò Regulares profeſſos teſtari non poſſe, habetur etiam ex declarat. Sacr. Congregat. vt refert Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Teſtamentum, n. 1.* ex aliis. Quod extenditur etiam pro caſu, quo Regularis tempore profeſſionis ſibi reſeruaſſet facultatem teſtandi de ſuo patrimonio. Sanchez *ſuprà, num. 19.* Nouarius *ſuprà num. 3.* Etſi talem profeſſionem validam eſſe declarauerit Sacr. Congregatio, teſtibus Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 42. num. 207.* & Nouario *ſupra num. 3.* Conſonatque dicta *tom. 1. p. 1. cap. 2. n. 16. & c. 6. num. 19.* Amplia prædictam reſolutionem procedere, etiamſi Regulares ad pias cauſas teſtari velint. Rodriguez *tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 69. art. 2.* Sanch. *ſuprà num. 3.* Barboſa *ſuprà num. 108.* poſt alios. Amplia, etiamſi Prælati cuiuſcunque Summo Pontifice inferioris accedat licentia. Rodriguez *ſuprà*, Sanchez *ſuprà n. 5.* Lugo *de iuſt. & iure tomo 1. diſp. 3. ſect. 6. n. 109.* Poſſe autem id fieri ex licentia Summi Pontificis, dixi eo *cap. 1. num. 19.* Qualis autem debeat eſſe hæc licentia, & quomodo intelligenda, & quantum duratura, ac de aliis conditionibus ipſius, conſule Sanchez *ſuprà num. 36. & ſequentibus.* Hieronymum Rodriguez *in Compend. quæſt. Regul. reſol. 135.* & Barboſam *ſuprà num. 215. & ſequentibus*, poſt alios, quos referunt. An autem Religioſus factus Epiſcopus, Cardinalis, &c. teſtari poſſit, dixi *tom. 1. p. 1. cap. 17. n. 5.* An Nouitij, dixi *eod. tom. 1. cap. 24. n. 35.* Quæ autem dicta ſunt de teſtamento, etiam ſunt intelligenda de codicillo, *leg. Diui 6. § pen. & fin. & l. ſi quis 3. & l. reg. 6. tit. 12. p. 6.* Nauarrus *Comment. 1. de Regular. n. 43. & 44.*

&

& in Man.cap.17.num.270. Sanchez *ſuprà num.9.* Bartholomæus à S.Fauſto *in Theſaur.Relig.lib.8.quæſt.71.* Nota pro appendice huius doctrinæ reſolutionem cuiuſdam caſus quem refert Portelius *in Reſponſ.moral.tom.2.caſu* 85. Quidam Prælatus conceſſit cuidam Moniali, vt res aliquæ mobiles, & æſtimabiles, quibus in vita vtebatur, poſt mortem ipſius venderentur, & pretium ipſarum applicaretur pro Miſſis celebrandis pro anima ipſius Monialis. Dubitatum autem fuit, an hæc licentia valida fuerit, eo quòd videretur eſſe licentia teſtandi. Et quamuis aliqui exiſtimauerint ita eſſe: nihilominus credo præfatam licentiam validam fuiſſe, nec eam fuiſſe licentiam teſtandi. Ratio eſt non ſolùm quia talis donatio, aut diſpenſatio talium rerum mobilium non eſt facta coram teſtibus, Notario, &c. quod pertinet ad formam veri teſtamenti; ſed etiam, quia illa non habet vim ex voluntate defuncti, quod etiam requiritur ad teſtamentum, ſed ex voluntate ſolummodò Prælati concedentis talem licentiam, qui ſemper illam reuocare potuit, etiam poſt mortem Monialis. Et confirmatur, quia quemadmodum Prælatus potuit applicare illa bona alteri perſonæ poſt mortem illius Monialis, ita etiam ea applicare potuit in vtilitatem ipſius Monialis. Portelius *ſupra*, conformiter ad doctrinam Sanchez.

Nota etiam poſſe Religioſum in morte declarare ſe debere aliquid tali perſonæ, ac proinde ſaltem in foro conſcientiæ obligari Prælatos ad talem ſolutionem ex bonis quæ religioſus habebat ad vſum, etſi in foro externo ad id non obligentur, vt habet Lugo *dicta ſect.6.n.122.* Addo tamen nec in conſcientia eſſe obligatos Prælatos, ſeu Monaſterium ad ſolutionem talis debiti, niſi illud contractum ſit ex licentia tacita, vel expreſſa Superiorum, aut res illa propter quam contractum eſt debitum, vtilis fuerit Monaſterio, iuxta dicta *tomo 1.cap.2.num.18.* Et conſtat ex ſimilitudine ſerui, aut filiifamilias, ad quorum debita non tenentur pater aut dominus, niſi de eorum conſenſu contracta fuerint, aut ipſis vtilia, *l.1. §. Si cum impubere, ff. de peculio*, Sanchez *lib.7.in Decal. cap.31.num.9.*]

2 Poſſe autem Regulares teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem interpretari, & declarare, ſi declaratione, aut interpretatione egeat, quia hoc non eſt diſponere de aliquibus bonis, ſed declarare diſpoſitionem à ſe factam, quando poterant illam facere, dixi eo *cap.9.n.19* quod latè proſequitur Nouarius *ſupra à num.7.* & tenet Portellus *in Dub. Regul. verbo Teſtamentum, num.2.* Circa quæſtionem autem illam, an ſaltem Regulares poſſint teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem, poſt illam reuocare, inter varias ſententias probabiles, quarum vna abſolutè affirmat, alia id ſolùm concedit in fauorem filiorum, aut Monaſterij, non in fauorem extraneorum; & alia quæ abſolutè id negat, hæc poſterior probabilior videtur. Primò, quia eadem poteſtas exigitur in actu diſſoluendo, quæ in ipſo conſtituendo, *leg.ſi vt proponis 7. in fine, Cod. de nuptiis*, atque ideo ad eum ſolùm ſpectat reuocare teſtamentum, qui poteſt ipſum condere, ſed profeſſus nequit condere teſtamentum, ergo neque priùs conditum reuocare. Secundò, quia per profeſſionem ita moritur mundo, vt nihil proprium habere poſſit, nec deinceps de bonis antè habitis quidquam diſponere. Authent. *ingreſſi, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Ergo nequit teſtamentum reuocare. Ita Sanchez *ſupra cap.11. num 5.* poſt Molinam, Azorium, Rodriguez, & plures alios DD. & Summiſtas. Quibus adde Portellum *ſuprà*. [Et nouiſſimè *in 2.tomo Reſponſion. Moral.caſu* 38. vbi etiam cum Bonacina diſputat, an ſi Religioſus qui teſtamentum facit in ſæculo, transferatur ad ſtatum in quo habeat facultatem diſponendi de bonis ſuis, poſſit reuocare tale teſtamentum.] Similiter teſtamentum profeſſi de rebus alienis non valere, etiam ex domini conſenſu, eo quòd teſtamentum ſit nomine proprio, & eſt proprium perſonæ teſtatoris, tenet Nauarrus *dicto Commentario ſecundo de Regularibus, num. 57.* & ſequitur Sanch. *dicto cap. 8. num. 6.* Qui *ibid.num.11.* dicit, poſſe Regularem ex Superioris licentia donare cauſa mortis aliquid moderatum, ſicut ex eadem licentia poteſt donare inter viuos, eo quòd iura ſolùm prohibeant Regularibus teſtari, non autem donare causâ mortis. Licet oppoſitum teneant Nauarrus *lib.3.Conſil. in 1. editione, tit. de donationib. conſilio 6. num.3. & in 2.edit. lib.2. titul. de præſumptionib.conſilio 2. num.3. & dicto Commentar.2. de Regular. num.43. & 44. & in Manuali, cap.17.num.270.* Rodriguez *tom.2.quæſt. Regular.quæſt.47.art.7.* Graffius *1.part. deciſ.lib.3.cap.5. num.58. & 2.part.lib.3. cap.19.* & Lugo *ſupra*. Poſſe autem Regularem de his, quæ ipſi donata ſunt cum facultate diſponendi de ipſis, tempore mortis diſponere, dixi ſuprà verbo *Legata Regularibus, num.4.* De quo etiam Lugo *ſupra n.111.*

Regulares etiam non poſſe eſſe executores teſtamentorum, ſiue teſtamentarios, ſiue ad cauſas pias, ſiue prophanas, ſine licentia ſui Superioris, dixi *tomo 1.part.1.c.9.num.9. & ſuprà verbo Legata Regularibus relicta, num. 39.* & declaratum eſſe à Sacr. Congregatione refert Nouarius *ſupra verbo Teſtamenti executor, num.1.* Qualis autem debeat eſſe hæc licentia, & à quo Superiore concedenda, dixi eo *n.9.* De quo etiam Barboſa *ſuprà cap.43. num.66. & ſeq.* Vbi etiam poſt Sanchez, & alios, non ſufficere licentiam obtineri poſt ſusceptum executoris officium, ſed ad illud acceptandum prærequiri. Nota autem, ipſoſmet Ordinum Superiores executores teſtamentorum eſſe poſſe: ob generalem regulam, quod facultatibus, quas Prælatus Monaſterij ſubditis concedere poteſt, eiſdem ipſemet vti non prohibeatur, niſi à Superiore ipſi interdictum ſit, vel oppoſitum Statuto Ordinis decretum. Layman. *lib.4.tract.5.ſect.5.cap.11.num.4.* Quid etiam dicendum quoad hoc de Religioſis extra clauſtra degentibus, vt Beneficiis deſeruiant, habet idem Barboſa *ibid.num.69.* ex Rotæ deciſione, Sanchez, & aliis, ac Layman. *ſupra*. 3

Quomodo autem Fratres Minores, etiam obtenta ſuorum Superiorum licentia, non poſſint prædictum munus exercere, conſtat ex dictis eodem *n.9.* vbi de pluribus aliis ad Minoritas in hac materia ſpectantibus, Portellus *ſupra num. 5. & ſequentibus.* An verò executio teſtamenti à Regularibus facta ſine prædicta licentia Superioris ſit omnino irrita, & inualida, an verò ſolùm illicita, & peccaminoſa, probabilius eſt hoc ſecundum; quia licèt in textu eo *num.9.* relato ſit verbum *non poteſt*, quod ſolet denotare actus irritationem: nihilominus, quia cum ponitur ſolùm ob honeſtatem perſonæ, & perfectionem ſtatus, non inducit illam, iuxta dicta *ſupra* verbo *Clauſula, n.47.* ideò videtur dicendum in præſenti ſolùm importare, quod actus ille fiat illicitè à Religioſo, eo quòd nec velle, nec nolle habeat. Azor. *tom.1. inſtit. moral. lib.12.cap.11.quæſt.1.* Sanchez *ſuprà cap.11. n.44.* Barboſa *ſupra num.65.* Layman. *ſupra n.5.* Quod prædicti Regulares executores teſtamentorum teneantur reddere rationem Epiſcopis, dixi eodem *n.9.* ex Concilio Trident. ibidem relato, & habet Layman. *eod.num.4.* ex Clement. *vnic.de teſtam.* 4

Qualiter autem Religioſis prohibeatur ex Clem.1. *de priuilegiis*, dum adſunt confectionibus teſtamentorum retrahere teſtatores à reſtitutionibus debitis, aut legatis, vel ea ſibi applicare, habes ex dictis *ſupra* verbo *Legata Regularibus relicta, num.28.* 5

Qualitas

Digitized by Google

6 Qualiter etiam in Clem. *cupientes, de pœnis*, prohibeantur iidem Religioſi ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, & Papæ reſeruata, aliquos ad vouendum, ſeu aliàs promittendum inducere, vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel iam electam non mutent, conſtat ex dictis *tom. 1. p. 1. c. 9. num. 25. & ſuprà* verbo *Sepultura quoad Regulares, num. 6. & 7.* Quæ ideo hic annotari volui, quia talis inductio ſæpiùs contingere ſolet, cùm adſunt confectionibus teſtamentorum ſæcularium.

TESTIS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Caſus, in quibus Religioſi tenentur eſſe teſtes.*
3 *An teneantur manifeſtare ea quæ faciunt pro aduerſario.*
4 *Teſtes falſarij ad quid teneantur.*
5 *De numero teſtium.*
6 *De qualitate teſtium.*
7 *Regulares pro teſtibus à S. Officio examinati moleſtari non poſſunt à Prælatis.*
8 *Alia remiſſiuè.*

1 CIrca hanc materiam iam dixi *tom. 1. p. 1. cap. 9. num. 16* non eſſe prohibitum Regularibus teſtes eſſe, tam iudiciales, quàm cuiuſcunque inſtrumenti, vel teſtamenti, ſuppoſita tamen licentia Superioris, & quod, etſi non adſit talis licentia, teſtimonium nihilominus eorum valeat, prout etiam determinatum à Sacr. Congregatione refert Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Teſtis, num. 2.* Obiter tamen animaduerte, non facilè Prælatos Regulares debere hanc licentiam ſuis ſubditis concedere, niſi in cauſis alioquin piis, & quæ ſic vni faueant, vt in alterius detrimentum non cedant, prout habent Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. n. 104.* & Peyrinis 3 *tom. Priuileg. Minim. cap. 3. num. 35.* Quod autem Prælati, qui hanc licentiam concedere poſſunt, non ſolùm ſint ſupremi, videlicet Generales, aut Prouinciales, ſed etiam immediati, ſcilicet Priores, Guardiani, &c. dixi *ſupra* verbo *Iuramentum quoad Regulares, n. 7.* vbi etiam alia ad intentum. Non poſſe etiam Regulares compelli ad teſtimonium ferendum in cauſis ciuilibus, niſi quando veritas aliter haberi non poteſt, dixi *eodem tomo 1. cap. 12. num. 24.* Quod intellige in cauſis grauibus, vel quando teſtificari neceſſarium ſit ad ſubueniendum proximo, iuxta dicta eo verbo *Iuramentum quoad Regulares, num. 8.* Vbi etiam *num. 9* quod in talibus caſibus non debent fictè iurare. Et *num. 10.* quod à Iudicibus, vel Principibus ſæcularibus cogi non poſſint ad id faciendum. Adde, quod ſi id faciant, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ tenet Peyrinis *in Formular. littera T, c. 1. num. 5.* ex aliis. Maximè ſi id ſit in cauſa ſanguinis ad condemnandum, iuxta dicta eo *cap. 12. num. 24.* & loco relato *ex 3. tomo, num. 11.* Vbi etiam quomodo ſe debeant gerere caſu, quo cogerentur iurare ad teſtificandum. An verò poſſint aliquando eſſe teſtes ad condemnandum in cauſa ſanguinis ſine periculo irregularitatis, dixi etiam *ſupra*, verbo *irregularitas, num. 30.* Quid verò ſi teſtificarent ad liberandum aliquem, ex quo ſequeretur mors accuſatoris, agit Peyrinis *ſupra*, & Diana 4. *part. tract. 2. reſolut.* 96. poſt alios. Teſtes Regulares in ipſorum cauſis quomodo interrogandi, dixi etiam dicto *tom. 1. p. 1. cap. 17. num. 11.* Vbi etiam qualiter interrogati debeant veritatem dicere, dum tamen non eam ſciant per Sacramentalem confeſſionem, aut ſub ſecreto naturali, niſi in hoc caſu ſecreti naturalis, quando id cedit in damnum aliorum; nec poſſe vnquam mentiri, aut teneri dicere ea, quæ à non fide digno, aut appaſſionato audierunt, aut teſtificari cum ſuo notabili damno. Quinam verò ſint teſtes oculares, aut conteſtes, aut omni exceptione maiores, aut ſingulares, vel non exceptione maiores, dixi eodem *cap. 27. num. 15.* An excommunicatus poſſit eſſe teſtis, dixi *ſuprà* verbo *Excommunicatio, num. 38.* Alia tamen in præſenti addenda, quæ etſi communia ſint tam Regularibus, quàm aliis, ſæpiùs tamen inter Regulares practicabilia ſunt.

Primò, eſſe aliquos caſus, in quibus Religioſi teneantur teſtificari, ſeu eſſe teſtes in cauſis Regularibus. Primus, quando id præcipitur ipſis à ſuis Prælatis, ſeu, quod idem eſt, quando interrogantur ab illis in iudicio. Quia tale præceptum eſt iuſtum, & per conſequens ſubditi tenentur obedire. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 70. art. 1.* Caietan. & Expoſitores *ibidem*, ac Sanchez *tom. 2. Conſil. moral. lib. 6. cap. 5. dub. 1.* Quod intellige, quando iuridicè interrogantur, id eſt ab habente poteſtatem, & præcedente infamia, ſemiplena probatione, ſeu notitia delicti, iuxta dicta *to. 1. cap. 27. num. 11.* Secundus eſt, quando teſtimonium eorum eſt neceſſarium ad liberandum proximum ab iniuſta læſione. Tunc enim etiamſi à Superiori non interrogentur, tenentur ſe ad id offerre, quia ea lege charitatis tenetur quiſque proximum ab iniuſto damno liberare. S. Thom. Caietanus, Sanchez *ſuprà*, Fagundez *in 8. præcept. decal. lib 8. cap. 42. num. 6.* Tertius eſt, quando accuſator non ſponte, ſed ex obligatione aliquem accuſauit: tunc enim tenentur teſtes ſe offerre ad teſtificandum, ſi videant illum deficere in probatione. Propter eandem rationem. Sanchez *ſuprà* poſt alios. In quibus caſibus eſt talis obligatio ſub mortali. In primo quidem, propter præceptum obedientiæ, & materiæ grauitatem; in ſecundo autem, & tertio, quia ſub mortali tenemur liberare proximum à periculo patiendi iniuſtè graue, & notabile damnum, quando id facere poſſumus ſine damno proprio, aut alterius. Sotus *lib 5. de iuſtit. quæſt. 7. art. 1. & lib. de Secret. membr. 2. q. 7.* Corduba *in Summ. quæſt. 157. punct. 3.* Sanchez *ſupra dub. 2.* Religioſi autem vocati à ſuis Prælatis ad teſtificandum, ſi non teſtificantur, & exinde ſequatur damnum alicui, tenentur eidem reſtituere illud damnum. Eo quòd ſic facientes peccant contra iuſtitiam, cum ex illa tenerentur obedire ſuperiori. Sotus *ſupra*, Nauar. *in man. cap. 25. n. 44. & cap. inter verba, corol. 63.* Sanchez *ſup. dub. 3.* Portell. *in Dub. Regul. verb. Teſtis, n. 7.* Qui ſecus dicunt, quando non ſunt vocati à Iudice. Vide Naldum *in Sum. verb. Teſtis, n. 2.* Spatharium *in pract. Regul. tract. 7. c. 12. num. 7.* Fagund. *ſupra à num. 9.* Dianam *p. 3. tract. 5. reſol. 101.* & Lugo *de Contract. diſp. 39. ſect. 1.*

Secundò, Religioſos vocatos, vt teſtimonium in aliqua cauſa ferant, teneri etiam manifeſtare, quæ pro aduerſario faciunt, & ſi illa taceant, teneri ad reſtitutionem damni ſequuti ex taciturnitate. Ratio eſt, quia ſunt cauſa talis damni, & tenebantur euitare illud ex iuſtitia. Nauarrus *d. cap. 25. num. 40.* Sanchez *ſupra dub. 7.* 3

Tertiò, teſtes qui falſum depoſuerunt, præter pœnas periurij, quas incurrunt, de quibus dixi *tom. 1. cap. 9. num. 42* & *ſupra* verbo *Iuramentum quoad Regulares, num. 14* tenentur etiam ad reſtitutionem damni inde ſequuti, propter iniuſtitiam commiſſam, vel totalis damni, ſi id fecerunt ſcienter, vel ex notabili negligentia, vel ſaltem partis, iuxta modum culpæ, ſi id fecerunt ſcienter, nec ex lata culpa, ſed tantùm ex leui. Sotus *d. quæſt. 7. art. 4.* Nauar. *d. n. 40.* Sanchez *ſup. dub. 11.* Fagundez *ſup. n. 1.* Limitant id aliqui pro caſu quo reus non erat per alios teſtes conuictus, 4

nec iudex determinatus ad illum puniendum. Fagundez *ſuprà n.3.* Diana *ſuprà Reſol.*103. Qui autem præter intentionem, adhibita mediocri diligentia, falſum dixerunt, non tenentur ex iuſtitia ad reſtitutionem damni illati, cum verè iniuſtitiam non commiſerint. Diana *ſuprà* poſt alios. Sed ſolùm tenentur ex charitate retractare id, quod dixerant, eo modo quo poterunt. Caietanus 2.2. *quæſt.*70.*art.*4. Corduba *memb.*2. *de Secret. quæſt.* 7. Nauarrus, & Sanchez *ſuprà*. Vide Dianam 4.*p.tract.*4.*reſol.*99. & Fagundez *ſuprà num.*3.

5 Quartò, circa numerum teſtium nota, quod licèt iure antiquo *c. Præſul*, 2.*q.*5. contra Præſulem Eccleſiæ Rom. requireretur numerus 72. teſtium, contra Preſbyterum Cardinalem 44. (aliàs 62.) contra Diaconum Cardinalem 27. & contra Subdiaconum, Acolytum, Exorciſtam, Lectorem, & Oſtiarium 7. (Leſſius *de iuſt.lib.*2.*c.*30.*dub.*4.*num.*27. Sanch. *ſuprà dub.*9.) conſuetudine tamen obtentum eſt, vt ad condemnandum quemcunquè Regularem, etiam Sacerdotem, ſufficiant duo teſtes præter actorem, ſi idonei ſint, & omni exceptione maiores, hoc enim eſt conforme iuri diuino *Deuter.*17. *&* 19. *& Matth.*18. & in iure humano *cap.quod verò* 2.*q.*5. *& c.omni negotio, & cap.licet, de teſtib. & l.vbi numerus, ff.de teſtib.* Aldrete *de Relig.diſcipl.lib.*2.*cap.*3.*n.*5. Laym.*lib.*3.*ſect.*5. *tract.*6.*c.*4 *num.*3. Peyrin. *in formul.littera T, c.*3.*num.*10. ex Sylueſt. Couaruu. Farinacio, & aliis. Nunquam tamen ad condemnationem alicuius ſufficit vnius priuati teſtimonium. Leſſius *ſuprà n.*45. Aldrete *ſup. num.*4. Qui addit, etiamſi talis ſit grauiſſimus, & in dignitate conſtitutus. Sed hoc limitat Sanchez *ſuprà dub.*10. in Summo Pontifice, cuius teſtimonium facit probationem. Limitat etiam cum Sylueſt. *in Summa, verb. Teſtis, quæſt.*5. in Cardinali, in multis caſibus de conſuetudine Curiæ.

6 Quintò, circa qualitates teſtium nota, quod in cauſis criminalibus Regularium non ſunt teſtes legitimi ſæculares, vt conſtat *ex cap. de cætero, de teſtib.* præſertim cum ipſi ſoleant eſſe Religioſis infeſti. Aldrete *ſuprà n.*14. ex Maſcardo, Farinacio, & aliis. Niſi quando crimen eſt occultum, vel aliter probari non poſſit. Aldrete, & Layman. *ſuprà*. Alias eorum depoſitio ſolùm facit indicium. Aldrete *ibid.*

7 Sextò nota, quod Regulares examinati pro teſtibus à S. Officio non poſſunt à ſuis Prælatis per quinquennium continuum à die depoſitionis moleſtari, vel ex quacunque cauſa, aut prætextu prætenſo puniri, inconſultis DD. Cardinalibus. Ita enim habetur ex decreto Pij V. in Sacr. Congregatione, quod refert Nouarius *in Lucerna Regul. verbo Teſtis, n.*3.

8 Alia quæ ſpectant ad examen teſtium Regularium, præter dicta *tom.*1.*p.*1.*cap.*27. habes apud noſtrum Thomam de Ieſu *de Viſitat. Regul. tract.*3. *cap.*7. Ghiſletium *de indic. Regul. cap.*17. Spatharium *de modo corrigendi Regular. tract.*7. *cap.*6. & Peyrinis *ſuprà cap.* 2. cum aliis, quos referunt. Plura etiam ad teſtes ſpectantia, præter relatos authores afferunt nouiſſimè Paſqualigus *in Deciſ. moral. deciſ.*221. *& ſeq.* & Eminentiſſ. Lugo *de Contractib. diſp.*37.*ſect.*24. *& diſp.*39 *per totam.*

TORTVRA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quando, aut quomodo torqueri poſſint Regulares.*
2 *Quæ indicia ſufficiant ad torturam.*
3 *Non ſtatim applicanda eſt.*
4 *Priuilegiati non torquendi.*
5 *Quando tortura applicari non debet.*
6 *Quid quando pœna delicti eſt æqualis, vel minor tortura.*
7 *An reus ſemel tortus iterum torqueri poſſit.*

EX dictis *tom.*1.*p.*1.*c.*18.*num.*17. *& c.*27.*n.*16. conſtat poſſe Prælatos Regulares ſubditos non plenè conuictos de aliquo crimine atrociori, & grauiori, cogere per torturam ad illud fatendum. Vbi etiam de modo talis torturæ. Eſſe autem mitiùs torquendum Religioſum quàm ſæcularem, dixi etiam *ſuprà verbo Iudex. & Iudicium Regularium, num.*14. Vbi etiam de miniſtris, per quos torqueri debent Religioſi, & quibus tormentis. Appellationem quoque à ſententia torturæ eſſe ſuſpenſiuam, dixi eodem loco, & *verbo Appellare, & Appellatio, num.*17. An etiam, & quando reus cogi poſſit per torturam ad reſpondendum, dixi *ſupra verbo Reus Regularis, n.*3. Nunc alia addenda ad intentum inter Regulares practicabilia. 1

Primò, quod licet Iudicis arbitrio relinquatur, an indicia, quæ ſunt de crimine ab aliquo commiſſo ſint ſufficientia ad torturam, vt habent Angelus, Sylueſter, Armilla, & Tabiena *in Summa verbo Indicium*, & Sanchez *tomo* 1. *Conſil. moral. lib.*6. *c.*3.*dub.*14. *n.*6. Nihilominus regulariter loquendo non quoduis indicium ſufficit, ſed debet eſſe graue, quod legitimè, videlicet per duos teſtes, comprobetur. Farinacius *in Practic. criminal quæſt.*37.*num.*7. *&* 13. Laym. *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*6.*c.*5.*quæſt.* 9. Vnus tamen teſtis exceptione maior, qui teſtatur de delicto viſo, ſufficiet. Angelus, Sylueſter, Armilla, Tabiena *ſuprà*, Leſſius 2. *de iuſtit. c.*29.*dub.*17.*num.*153. & Layman. *ſuprà*. Excipe, niſi reus eſſet bonæ famæ. Si enim talis eſſet, neceſſe eſſet, vt alia indicia afferrentur. Sanchez *ſuprà num.*3. ex Simancas, & aliis. Vnde S. Ludouicus Galliarum Rex, vt habet Boërius *deciſ.*103. & ex eo Aldrete *de Diſcipl. Regul. lib.*1. *cap.*17. *num.*11. ſtatuit nullum virum honeſtum, vel integræ famæ ad vnius depoſitionem poſſe torqueri. Poteſt tamen eſſe vnum indicium tam vehemens, vt illud ſolùm ſufficiat, vt ſi Religioſus iuuenis inuentus eſſet cum fœmina in loco ſecreto apto ad peccandum. Sanch. *ſuprà num.*5. ex prædictis Summiſtis, & Dom. Lugo *de Contractib. diſp.*37 *ſect.*13.*num.*154. In ſpecie autem de huiuſmodi indiciis, quæ ſint ſufficientia ad torturam, agit Aldrete *ſupra*. Leſſius *ſuprà lib.* 2.*cap.*8. *num.*136. *& ſequentibus*, Sanchez *ſupra num.*7. Portellus *in Dub. Regul. verbo Tortura.* 2

Secundò, non ſtatim ac ſunt ſufficientia indicia ad torturam, veniendum eſſe ad illam, maximè inter Regulares, inter quos benigniùs agendum, ſed dandam eſſe copiam ipſorum reo, & dilationem, vt ſe defendat. Si tamen in defenſione defecerit, damnandus erit tormento, & ſententia ipſi intimanda. Quod ſi ab ea non appellat, vel caſu quo appellet, appellatio cenſetur friuola, torquendus eſt. Sanch. *ſupra num.*4. Portellus *ſuprà num.*11. 3

Tertiò, quod cum in Iure ſint multi priuilegiati, qui torqueri non poſſunt, niſi in criminibus exceptis, ſcilicet hæreſis, læſæ Maieſtatis, proditionis, &c. quales ſunt minores quatuordecim annis, ſenes, milites, decuriones, nobiles, & mulieres prægnantes, de quibus communiter Doctores, ſpecialiter ex relatis Leſſius *ſupra à num.*154. Sanchez *ſuprà num.*15. Fagundez *lib.*8. *in Decalog. c.*21.*num.*14. Layman. *ſuprà n.*12. Lugo *ſupra à num.*133. poſt Clarum, Gomez, & alios, & inter eos recenſeantur etiam Doctores, & conſtituti in magna dignitate, ideo Magiſtri Religionum, cum ſint Doctores, & Generales, aut Prouinciales, qui ſunt conſtituti in magna dignitate, hoc priuilegio potiri poſſunt, præſertim in materia fauorabili. Portellus *ſupra num.*12. 4

Quartò, tortura applicari non debet, quando crimen eſt plenè probatum, vel quando aliâ viâ veritas 5

haberi

haberi poteſt, quamuis reus illud neget. Tortura enim ſolùm adinuenta eſt in ſubſidium veritatis cognoſcendæ: quando ergo veritas eſt cognita, non debet applicari tortura, maximè inter Regulares, cùm apud illos rariſſimus eſſe debeat illius vſus. Aldrete *dict. loc. 17. num.* 8. Portellus *ſuprà num.* 4. Excipe duos caſus, prior eſt, quando reus malitioſè appellat ad Superiorem, vt executionem iuſtæ ſententiæ impediat, vel quando putatur habuiſſe ſocios, vel commiſiſſe alia crimina. Leſſius *ſupra num.* 152. ex Nauarro, & Claro.

6 Quintò, tortura non eſt applicanda quando pœna imponenda pro delicto eſt æqualis, vel minor ipſa tortura, ſed quando eſt maior. Iniuſtiſſimum namque eſt, vt pro delicto pro quo Religioſo imponenda eſt pœna aliqua ieiunij, mortificationis, &c. aut etiam priuatio officij, &c. enormiſſima torturæ pœna ei applicetur. Aldrete *dict. c.* 16. *num.* 8. Portellus *ſuprà n.* 2. [Adde quod iuxta dicta *tom. 1. p. 1. c. 57. n.* 12. nomina teſtium non debent manifeſtari reo, eo quòd etſi talis manifeſtatio ſit conformis iuri communi, *c. fin. de hæreſ. in 6 & cap. Qualiter & quando, de accuſ.* Nihilominus quia eſt vſus S. Inquiſitionis, & quia ex hoc oriri poſſint plura damna contra charitatem, quæ maximè impediri debent inter Regulares, ideo inter ipſos non debet admitti talis teſtium manifeſtatio. Lugo *tom. 2. de iuſtit. & iur. diſp. 37. ſect. 14. n.* 168. poſt Suarez, & Sanchez. Huiuſmodi autem defectus manifeſtationis teſtium in tribunali Religioſorum ſuppletur, primò ex eo quod in illo mitius, & benignius contra reum proceditur, quàm in aliis tribunalibus. Tum etiam ex eo, quod minori pœna punitur, & præſertim quia Iudex Regularis ante rei condemnationem eum interrogare debet, an habeat aliquem ſibi peculiariter infenſum, vel ſuſpicetur de aliquo ſibi falſum crimen impoſiturum. Lugo *ſup.*]

7 An reus ſemel tortus iterum torqueri poſſit, & quando, habent Leſſius *d. dub.* 17. *n.* 168. & Layman. *ſuprà n.* 10. ex aliis. Nota tamen, quod inter Religioſos hoc non eſt laudabile. Portellus *ſupra n.* 8. ex Rodriguez. Apud quos etiam alia ad intentum, maximè prout ad Religioſos ſpectat, apud Aldrete locis relatis. Vide etiam Dianam 4. *part. tract.* 6. *per totum*, dum loquitur de tortura in S. Officio.

TRANSEVNTES REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *Quibus conditionibus permittatur tranſitus vnius Religionis ad aliam.*
2 *Tranſitus non debet eſſe ex animi perturbatione, ira, odio, &c.*
3 *Nec cum iactura Religionis, quæ deſeritur.*
4 *Nec ſine licentia Superioris.*
5 *Religio ad quam fit tranſitus, debet eſſe perfectior.*
6 *Nomine perfectioris Religionis quæ intelligatur.*
7 *Quid attendendum ad iudicandum de tali perfectione.*
8 *Quid ad iudicandũ, quæ Religio ſit ſtrictior, aut aſperior.*
9 *Regulares tranſeuntes non debent à Sede Apoſtolica habere prohibitionem.*
10 *Qui Religioſi interdicti ſint tranſire ad alias Religiones.*
11 *Qui poſſint dare licentiam ad tranſeundum de vna Religione ad aliam.*
12 *Per Regulares quibus permittitur tranſitus, qui intelliguntur.*
13 *An tranſeuntes teneantur facere Nouitiatum.*
14 *De loco, quem habent Religioſi tranſlati.*
An vota prioris Religionis obligent tranſeuntes. ibid.
Maximè propter Conſtitutionem Sanctiſſ. D. N. Vrbani. ibid.
De aliis ad ipſos ſpectantibus. ibid.
15 *An Choriſtæ tranſeant ad Conuerſos, ſeu Conuerſi ad Choriſtas.*
16 *Caſus propoſitus de Prælato potente concedere facultatem tranſeundi ad laxiorem Religionem.*
17 *In triplici ſenſu tractatur.*
18 *Quid de iure communi.*
19 *Auctoritas hæc eſt neceſſaria pro bono regimine Religionis.*
20 *Sententia hæc eſt valdè probabilis, propter multitudinem DD. qui illam tenent.*
21 *Qui ſunt hi DD.*
22 *Non poteſt non eſſe probabilis tot fauoribus.*
23 *Non obſtat Concil. Trident.*
24 *Nec Extrauagans* viam ambitioſæ.
25 *Nec Conſtitutio Pij V.*
26 *Quomodo ea intelligenda.*
27 *Nec Bulla Sixti V.*
28 *Nihil ibi dicitur de Prælatis Regularibus.*
29 *De conſuetudine, & praxi Curiæ.*
30 *An ſit talis conſuetudo, & praxis.*
31 *Quid de iure ſpeciali Bulla Sixti V.*
32 *Verba ipſius.*
33 *Expenduntur illa,* ſine expreſſo conſenſu.
34 *Dictio* ſine, *quantum valeat.*
35 *Verba illa* ſine conſenſu, *ad quæ referenda.*
36 *Bulla illa eſt fauorabilis.*
37 *Quomodo ſit procedendum iuxta conſilium Authoris.*

Tranſitum Regularium ex vna religione ad aliam licitum eſſe quibuſdam conditionibus ſeruatis, dixi *tom. 1. cap.* 22. per totum. Nunc verò prædictæ conditiones expendendæ ſunt, & materia ipſa amplianda. 1

Et primò, ex dictis eo *cap.* 22. *num.* 3. conſtat, quod ad hoc quod iſte tranſitus ſit licitus, requiritur primò, quod non fiat temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, ſed ſtudio vitæ perfectioris. De quo etiam Bonacina *de Clauſura, q. 1. punct. 9. §. 3. diff. 2. num.* 1. Portellus *in dub. regul. verb. Religionis tranſitus, num.* 6. Dixi etiam *ibid. num.* 7. defectum huius conditionis non irritare tranſitum ex vna Religione ad aliam. Tum quia, vt ibi dixi, iura quæ de huiuſmodi tranſitu loquuntur, & talem conditionem apponunt, nullo modo aſſerunt propter ipſius defectum irritari. Tum etiam, quia malus finis profeſſionis, ſi non eſt contra ſubſtantiam ipſius, eam non irritat, vt dixi eodem *tom. 1. cap. 2. num.* 15. Leuitas autem, odium, ira, contemptus, vel animi perturbatio non ſunt contraria ſubſtantiæ profeſſionis. Bonacina *ſupra diff. 1 num.* 7. Bordonus *reſolut.* 29. *num.* 47. Licèt oppoſitum teneat Theſaur. *in Praxi, p. 2. verbo Religioſus, cap. 4. num.* 5. 2

Requiritur ſecundò, quod is tranſitus non fiat cum iactura, & detrimento Religionis, à qua diſceditur, iuxta dicta *eo num.* 7. Vnde ſi volens tranſire ſit perſona inſignis, valdè doctus, aut in aliqua re magnæ æſtimationis, non videtur poſſe licitè tranſire, quia talis tranſitus magnam afferet iacturam Religioni derelictæ. Portellus *ſuprà*. Defectus etiam huius conditionis non irritat tranſitum, vt ibi etiam dixi. Quod etiam tenent Bonacina *ſuprà, diffic. 2. num.* 4. & Bordonus *ſuprà num.* 48. Quo tamen non obſtante, prior Religio habet ius repetendi Religioſum, quia cum notabili ipſius iactura ad aliam tranſiit. Tum quia id colligitur *ex cap. licet, de Regularibus.* Tum quia Religioni competit ius petendæ reſtitutionis in integrum, cum læſa fuit, *cap. 1. de in integr. reſtit.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 7 num.* 11. *&* 92. Bonac. *ſupra*, poſt D. Anton. Angelum, Sylueſtrum, Tabienam, & alios. Quod tamen limitandum eſt, ſi 3

forſan Religioſi deſertæ Religioſi fuerint petoerſorum motuo, vt propterea cauſa fuerint talis tranſitus, tunc enim tale damnum ipſis imputari debet. Sanchez *eo num.* 11. ex aliis.

4 Tertiò requiritur, iuxta dicta eo *cap.* 22. *num.* 4. petitio licentiæ à Superiori. Quibus fauet declaratio Sacr. Congregationis, quam refert Barboſa *de iure Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 43. Licèt defectus huius conditionis non irritet tranſitum, vt dixi *ibid. num.* 7. Quod tenet etiam Sanctarellus *de apoſtaſia cap.* 8. *dub. vnico num.* 6. Bonacina *ſuprà diſp.* 1. *num.* 7. contra Sanchez, & alios. Adde, ex declaratione Sacr. Congregationis, quam referunt Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regularium, q.* 32. *art.* 20. Quarant. *in Summa Bullar. verb. Monaſteria, & Conuentus, verſ. Quoad tranſitus*, & Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Tranſitus Religioſus*, tranſitus ad parem, vel arctiorem Religionem, non fieri niſi cauſa cognita, & vitæ, ac morum ratione, idque ex approbatione Capituli Generalis. Oppoſitum tamen, vt credo, practicatur in Religionibus, quod attinet ad approbationem Capituli Generalis.

5 Quartò requiritur ad hoc vt tranſitus ab vna ad aliam Religionem fieri poſſet, quod religio, ad quam fit tranſitus, ſit perfectior, iuxta dicta eo *c.* 11. *num.* 5. Dixi autem eo loco *n.* 7. defectum huius conditionis reddere nullum tranſitum, & irritare profeſſionem factam in alia religione. Excipe niſi adſit legitima diſpenſatio potentis illam concedere ad tranſeundum ad æquè ſtrictam, aut laxiorem religionem, iuxta dicta eo *cap.* 22. *à n.* 8. quia nullo iure tranſitus ad non perfectiorem religionem permittitur, nec religioſus ſui iuris eſt, vt validè poſſit in prioris profeſſionis, & iuris per illam priori religioni comparati, præiudicium profiteri in altera Religione æquè ſtricta, aut laxiori. Sanchez *ſuprà num.* 23. Quæ autem religio ſit dicenda perfectior in præſenti, habes ex dictis *eo num.* 5. Nota tamen, quod quamuis ibi dixerim in quæſtione illa, quid intelligatur nomine religionis perfectioris, probabiliter dicere aliquos eam eſſe perfectiorem non quæ fuerit arctior, aſperior, & rigoroſior, ſed quæ habuerit perfectiorem finem, & media ad illum proportionata, nihilominus video ſententiam aliam, quam ibi etiam ſatis probabilem dixi, ſcilicet eam dici perfectiorem, quæ fuerit arctior, durior, & aſperior, communiorem eſſe, vt patet ex multis Authoribus, quos Sanchez *ſuprà n.* 21. adducit. Quibus iunge Sanctarellum *ſuprà c.* 8. *num.* 30. Bonacina *ſupra diſp. ult.* 3. *num.* 2. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. precept. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. Tamburinum *de iure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. *num.* 18. & Bordonum *ſuprà num.* 21. Et ratio eſt, tum quia tranſitus ad aliam Religionem conceditur, vt ſalus Religioſi ad aliam Religionem tranſmigrantis in ſtatu magis tuto collocetur; in ſtatu autem magis tuto collocatur amplectendo Religionem arctiorem, & duriorem, quàm aliam perfectiorem, & fructuoſiorem, per ordinem ad finem, & ſalutem animarum. Non leue enim periculum ſubit, qui curam aliorum gerit. Confirmatur, tum quia *in cap. licet* citato, mentio fit arctioris, & aſperioris vitæ. Tum quia in omnibus priuilegiis, in quibus interdicitur tranſitus ab vna religione ad aliam, excipitur Carthuſia, ſed hæc non eſt perfectior quoad finem (Carthuſiani enim aliorum ſaluti non vacant) eſt tamen arctior, & aſperior ratione abſtinentiæ à carnibus, ſilentij, perpetuæ clauſuræ, & aliarum perpetuarum pœnitentiarum. Ergo illa religio perfectior in hac parte vocatur, quæ durior fuerit, & aſperior.

6 Etſi autem in hac parte nomine perfectioris Religionis intelligatur auſterior, abſolutè tamen loquendo aliud eſt Religionem eſſe perfectiorem, aliud verò eſſe ſtrictiorem, ſeu rigidiorem. Religionis enim perfectio ſumitur à meliori, ac perfectiori fine, contemplatiuæ ſcilicet vitæ, vel actiuæ, per exercitium virtutum perfectiorum. At religionis ſtrictio, & aſperitas ſumitur ex aſperioribus, & ſtrictioribus actionibus vitæ, & corporis, in quibus Religioſi exercentur, vt à maiori ieiunio, ſilentio, ciliciis, &c. Vnde poterit contingere, vt vna Religio ſit ſtrictior, & aſperior alterâ, ſed altera minus ſtricta, ſit nihilominus perfectior, quia habet meliorem, ac perfectiorem finem, & exercitium virtutum perfectiorum. Portellus *ſuprà num.* 1. ex D. Bonauentura.

7 Dixi etiam eo *n.* 5. quod ad iudicandum quæ Religio ſit perfectior (idem dico de ſtrictiori) non tam attendendum ſit ad primam Inſtitutionem, & Regulam, quàm ad præſentem obſeruantiam, & modum, quo in tali religione viuitur. Quod non ſolùm tenent Azor, & Leſſius eo loco relati, ſed Sanchez *ſupra n.* 24. poſt plures alios. Quibus iunguntur Bonacina *ſupra num.* 3 Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito, quæſt.* 1. *cap.* 14. *§. nota tamen*, & Bordonus *ſuprà num.* 15.

8 In iudicando etiam, quæ Religio ſit ſtrictior, aut aſperior, non ſolùm inſpicienda eſt externa corporis aſperitas, aut votorum multitudo, verùm etiam alia vitæ ratio, vt eſt exacta paupertas, ſtricta propriæ voluntatis abnegatio, & ſimilia, quæ corporis auſteritates valdè ſuperant. Vnde meritò Summi Pontifices aliquando interdixerunt quibuſdam Religioſis, ne Fratres Minores, aut alios ſtrictioris Regulæ in ſuam religionem admitterent prætextu quarti voti, quod in ea emittitur. Sanchez, & Bonacina *ſuprà*. Vnde etiam ceſſant quæſtiones aliquorum, qui propterea ſolùm aliquas religiones ſtrictiores appellant, & ad eas tranſire poſſe alios quoſcunque, etiam Carthuſianos, contendunt, quia in eis eſt quartum votum aliquod.

9 Quintò, iuxta dicta eo *cap.* 12 *num.* 6. requiritur, vt Religioſus poſſit ex vna Religione ad aliam tranſire, quod illi non ſit à Sede Apoſtolica talis tranſitus interdictus. Huiuſmodi etiam conditionem aliquando irritare tranſitum, & profeſſionem de nouo in alia Religione factam, quando ſcilicet in tali prohibitione Pontificia clauſula irritans apponatur; ſecus verò quando non, dixi eo *cap.* 22. *n.* 7. Pro quo video notabile priuilegium Innoc. VII. pro Patribus Seruitis *in Annalibus huius Ordinis, centur.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. Quomodo autem intelligenda ſint ſimilia priuilegia interdicentia talem tranſitum, & an illis non obſtantibus permitti poſſit, agunt Sanchez *ſuprà num* 10. Vecchios *in Praxi Nouit. diſp.* 15. *dub.* 3. & Barboſa loco relato *de iure Eccleſiaſt. num.* 51.

10 Religioſi porrò, quibus interdictus eſt tranſitus ad aliam Religionem, ſunt primò Mendicantes, niſi ſolùm ad Carthuſiam, iuxta dicta *ibid. n.* 6. Secundò Ciſtercienſes, iuxta dicta *ibid.* Tertiò, Ieſuitæ, & Carmelitæ noſtri diſcalceati, prout ibidem dixi. Item Clerici Regulares Miniſtrantes infirmis, qui etiam ad Carthuſianos tranſire non permittuntur, vt ibidem quoque dictum eſt. Deinde prout habet Sorbos *in additionibus ad Compendium priuil. Mendicantium, verbo Recipere*, Capuccinis prohibitum eſt à Pio V. Gregor. XIII. ac Sacr. Congregat. tranſire ad Minimos S. Franciſci de Paula, vbi etiam alia ad intentum. Diſcalceati etiam S. Auguſtini ad calceatos eiuſdem ordinis, ſiue ad quemcunque alium ordinem laxiorem ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia tranſire prohibentur, ex Clement. VIII. Barboſa *in Collect. Bullar. verbo Tranſitus Religioſus*. Similiter Trinitarij diſcalceati nequeunt tranſire ad aliam quamcunque Religionem,

Carthu

Google

Carthuſiana excepta, ex SS.D.N.Vrbano VIII. Peyrinis *tom.3. priuil. Minimor. cap.12. in Conſtitutione* 11. *vel* 21. *Vrbani VIII.* Inſuper Fratres Ordinia Beatæ Mariæ de Mercede prohibentur tranſire ad Mendicaotes, ea Calixto III. Bordonus *ſuprà num.* 38. Diſcalceati etiam huius Ordinis prohibentur à Sanctiſſ. D.N. Vrbano tranſire ad calceatos. Barboſa *ſuprà.* De aliis, quibus ſimiliter id eſt prohibitnm, latè Barboſa loco relato *de iure Ecleſiaſtico, à num.* 52. Tamburinus *ſupr. quæſt.* 2. Theſaurus *ſupra n.* 4. Bordonus *ſuprà num.* 27. & ſequentibus. Nouarius *in Lucerna Regul. verbo Tranſlatio, num.* 9. *& ſeqq.*

11 Qui poſſint dare licentiam ad tranſitnm ad Religionem æquè ſtrictam, ſeu ſtrictiorem, conſtat ex dictis eo *cap.* 22. *num.* 8. 9. *&* 10. Vide tamen priuilegia particularia Religionom, ſpecialitee Benedictinorum, & Hieeonymianorum, apud Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. Regul. quæſt.* 52. *art.* 10. & Portellum *ſupra num.* 10. *&* 11. Quomodo peccet Prælatus non concedens licentiam ſubdito ad tranſeundum ad ſtrictiorem religionem, diai *ibid. num.* 13. De quo etiam Vecehius *d. diſp.* 15. *dub.* 2. & Barboſa *ſupra à num.* 69. Qui verò dent illam ad laxiorem, aut minùs ſtrictam, dixi *ibid. num.* 11. Vbi primò notanda declaratio S. Congregationis, quam referunt Quaranta *ſupra*, & Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Clauſtrales*, ex qua habetur, Religioſis clauſtralibus non licere tranſire ad non clauſtrales, qnales ſunt Militares, & Hoſpitalarij, per liceotias, quæ conceduntur clauſtralibus ingrediendi quamcunque Religionem. Maximè notandum ſecundò, quod cum iuxta dicta eo *num.* 11. probabile ſit apud multos Doctores poſſe Prælatos Papa inferiores, videlicet Regulares ſupremos, ex legitima cauſa diſpenſare cum ſuis Regularibus ad tranſeundum ad laxiorem religionem, prout tenent Nauarrus, Sanchez, & Leſſius eo loco relati, Sanctarellus, Vecchius, & Fauſtus, quos refert, & ſequitur Nouarius *ſupra num.* 6. *&* 7. Fagondez *ſupra num.* 10. Tamburinus *ſuprà quæſit.* 5. *num.* 7. & alij plures apud Sanchez *ſupra à num.* 45. Barboſam *ſupra à num.* 78. & Peyrinis etiam loco relato eo *tom.* 1. *de Subdito*, §. *dico ſexto*. Nihilominus probabilitas huius ſenteutiæ ſolùm videtur practicabilis qnando adeſt certa, & indubitata cauſa talis diſpenſationis, & tantùm pro foro interno, non pro externo, propter decretum Concilij Trident. eo loco adductnm, & alia quæ affert Peyrinia *ſupra*, §. *dixi*, *&* §. *cæterùm*. Pro foro ergo externo ſemper Sedes Apoſtolica conſulenda eſt, peout laudabiliter ſatis, etiam quando tranſitus eſt ad ſtrictiorem Religionem, fieri ſolet, vt teſtatur Eraſinus Cochier *de iuriſdictione Ordinary in Exemptos, p.* 4. *quæſt.* 12. *in fine.* Addit Sanchez *ſupra num.* 70. ad id qnoque requiri conſenſum Conuentus, eo quòd cum agitur de maioribus negotiis Monaſterij, talis conſenſus reqniritur, & in præſenti talis ſit iſte caſus, quia in eo agitue de alienatione Religioſi. Attendendus tamen eſt, vt credo, quoad hoc vſus, & ſtylus Religionis. Quæ verò ſint cauſæ talis diſpenſationis, diai in eo loco, *num.* 12. ex Axorio, Suarez, Sanchez, & Diana. De illis etiam Barboſa *ſuprà num.* 82. Fagundez, & Nooarius *ſupra*, ea Sanctarello, Vecchio & Fauſto. Qnomodo autem non poſſit concedi licentia ad tranſitum, niſi concedenti illam conſtet, Religionem ad quam fit tranſitus, paratam eſſe ad recipiendum talem religioſum, conſtat ex dictis ea Decreto Sac. Congregationis eo *cap.* 22. *num.* 15. De quo etiam Vecchius *ſuprà dub.* 2. *num.* 9. Bordonus *ſuprà num.* 3.

2 Per regulares autem, quibus permittitur tranſitus ad alias religiones, ſeruatis ſeruandis, intelliguntur etiam Epiſcopi regulares, iuxta dicta *cap.* 22. *num.* 28. Item Militares, adeo vt tales in clauſtris vitam communem non degentes, etiam abſque licentia ſuorum Superiorum, poſſint tranſire ad Clauſtrales, vt fuit reſolutum à Rota in vna Bononienſi *profeſſionis* 24. Maij 1622. coram Domino Merlino, quam citant Veccbius *ſupra dub.* 2. *n.* 14. & Barb. *ſupra n.* 64. Poſſunt etiam id facere Moniales, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 25. *n.* 41. & *ſupra* verb. *Clauſura, n.* 14. Quibus etiam locis plura dixi ad intentum. Pro foro tamen eaterno, vt credo, S. Congregat. non ſemel cenſuit ad eam in ſimilibus caſibus eſſe recurrendum, & ſignanter in quadam Nannetenſi, & Redonenſi. Ex quibus colligitur, illâ, & ſimiles licentias concedi non conſueniſſe niſi com quatuor conditionibus. Prima eſt, vt antequam à primo Monaſterio Monialis egrediatur, aliud ſit paratum, & quod beneuolas habeat receptricea, quodque in eo capitulariter per ſecreta ſuffragia recipiatur. Secunda eſt, vt dotem à cæteris Monialibus præſtari ſolitam, perſolnat. Tertia, vt ſpes illi auferator ad primum Monaſterium redeundi. Quarta, vt tranſlatio fiat comitantibus matronis conſanguineis granibus ab vno ad aliud monaſterium recta via abſque diuerticulo, ac nullibi pernoctetur, niſi cauſa hoſpitij, idque non niſi apud honeſtas perſonas. Barboſa *ſup. n.* 45. *&* 46 Pro huiuſmodi etiam tranſitu monialium vide Portellum *ſup. n.* 8. *&* 9. An verò tunc debeant ſecum ſuam dotem deferre, conſule dicta *ſuprà* verbo *Dos Monialium, num.* 6. & Eminentiſſ. Ioannem de Lugo *de iuſt. & iure to.* 1. *diſp.* 3. *ſect.* 11. *n.* 229 Item Tertiarij, ſeu Tertiariæ, cum illi non ſint veri religioſi, ad qnamcunque veram religionem tranſire poſſunt. Item Oblati, ſeu Donati, ioxta dicta *tom.* 2. *c.* 8. *num.* 21. De quo etiam Bordonus *ſup. n.* 53. ex aliis. Idem dicendum de toto Conuentu, ſeu Monaſterio, iuxta dicta eo *cap.* 25. *num.* 27. De quo etiam Bordonns *ſupra num.* 79.

Tranſlatos de vna Religione in alteram teneri facere noniriatum vnius anni, & de nono profiteri, conſtat ex dictis eo *cap.* 22 *num.* 16. Vbi etiam dixi id eſſe neceſſarium, quando eſt tranſitus ab vna familia in aliam eiuſdem Ordinis, vt ſi à Diſcalceatis Carmelitarum ab Obſeruantes eiuſdem Ordinis, vel à Conuentualibus ad Obſeruantes, vel Capuccinos in Ordine Minoeum, vel è contra fiat tranſitus, quia vt ibi dixi, iſtæ religiones habent diuerſas auſteritates, diuerſuſque modos viuendi, & propterea neceſſaria eſt probatio Religioſorum in ipſis. Et ideo Rota apud Farin. *deciſ.* 115. *num.* 7. *p.* 2. *recent.* cenſuit quod Monialis vnius Monaſterij vbi ad aliud transfertur, ſi non emitit profeſſionem in ſecundo Monaſterio, non ſit Monialis illius. Et *num.* 8. tenet ſufficere profeſſionem emiſſam in primo monaſterio, quando ſit tranſlatio de vno monaſterio ad aliud eiuſdem regulæ. Barboſa *ſuprà n.* 87. Fratres tamen diſcalceati Sanctiſſimæ Trinitatis, ex declaratione S. Congregationis, quando tranſeunt ad calceatos, non tenentur emittere nouam profeſſionem, licet debeant facere annum probationis. Barboſa *ſuprà num.* 86. Nouarius *ſupra n.* 25. 13

De loco, quem babent Religioſi tranſlati ad aliam Religionem, diai eo *c.* 22. *n.* 17. De quo etiam, præter authores ibi relatos. Barboſa *ſup. n.* 88. *&* 89. Similiter de obligationibus ſic tranſlatorum dixi eodem *cap.* 22. *n.* 19. De quo etiam Barboſa *ſuprà num.* 90. ex aliis. Pro quo valde notanda Conſtitutio SS. D.N. Vrbani VIII. data anno 1635. die 2. Maij, in qoa ſtatnitur, quod Regulares, qui ex ſuo inſtituto votum habent, ſeu iuramentum de non procuranda, vel acceptanda extra eorum Religionem, dignitate, aut ſuperioritate, tranſeuntes ad aliam Religionem, etiam cum licentia Papæ, aut dimiſſi, ſeu eiecti, remaneant aſtricti dicto voto, aut iuramento. Vnde eſto, quod 14

prædicti iuxta dicta eo *num.*19.non tenerentur dicto
voto,ſeu iuramento, quia illa,vel ſimilia cenſentur
annexa,& veluti acceſſoria priori profeſſioni , hoc
tamen nouo iure SS.D.N. Vrbani inducta eſt præ-
ſumptio iuris,quod ea cenſeantur principaliter facta
in cultum Dei, & non vt adnexa priori profeſſioni.
Theſaur. *ſup.n.*13. Nota tamen, quod quamuis ipſe
ex Leſſio,& Sanchez, quos refert,putet hoc votum
de iure communi Papæ reſeruatum non eſſe ; nihi-
lominus ex nouiſſima Conſtitutione Sanctiſſimi
D. N. Vrbani ſub die 26. Februarij præſentis anni
1643. declaratum eſt ab eodem Sanctiſſimo Motu
proprio ,prædictum votum diſpenſari, aut relaxari
non poſſe , aut aduerſus illud aliquam licentiam,
indultum,vel præceptum concedi,niſi ſolùm à Ro-
mano Pontifice pro tempore exiſtenti , ſublata fa-
cultate id faciendi omnibus,& quibuſcunque Supe-
rioribus,Nunciis Apoſtolicis, Legatis,etiam de la-
tere,ſublatis quoque quibuſcunque priuilegiis, in-
dultis,& facultatibus in contrarium. An tranſlati
volentes redire ante non emiſſam profeſſionem,ſint
admittendi in prima Religione, dixi *ibid. n.*18. De
quo etiam Bordonus *ſup.n.*57. *& ſeqq.* Vbi etiam de
loco,quem talibus debet tribuere Religio,& an de-
beant facere nouum nouitiatum. De iis,quibus pri-
uantur tranſeuntes de vna ad aliam Religionem,dixi
*ibid.n.*20.*&* 21.De bonis autem prælatorum tranſla-
torum,ad quam Religionem pertinent,dixi *ibid.n.*3.
De quo Portellus *ſupr. verb. Bona tranſeuntium* , *n.*1.
Barboſa *ſupr.à n.*91. Bordonus *ſupr. à n* 88. De egre-
diente Religionem animo tranſeundi ad aliam poſt
aliquod tempus,dixi *n.*26.Similiter de pœnis tranſ-
euntium illegitimè ex vna Religione ad aliam,dixi
*ibid.n.*22. *&* 24. De quo etiam Theſaur. *d. cap.*4. De
obligatione ſic tranſlatorum ad manendum in clau-
ſtris propter decretum Concilij Trident. dixi *n.* 29.
Nota autem Sacr.Congregationem declaraſſe apud
Armendariz *in Additionibus ad recopil. legum Nauarræ,
lib.*2.*tit.*18.*l.*7. *de Religion.num.*69. & Barboſam *ſuprà
num.* 103. poſſe Prælatum prædictis tranſlatis licen-
tiam concedere ſtandi ad modicum tempus extra
monaſteria , cauſa prædicationis, vel audiendi con-
feſſiones.

15 Quomodo, & quando Religioſi Choriſtæ tranſ-
ferri poſſint ad ſtatum laïcorum , ſeu Conuerſo-
rum, dixi eo *cap.*21.*num.*25. Quomodo verò è con-
tra non debeant Conuerſi , ſeu laïci , permitti ad
Ordines Sacros promoueri,habes ex dictis *tom.*1.*p.*2.
*cap.*2.*num.*22.

16 Conſequenter ad dicta *n.* 11. ad quendam caſum
mihi propoſitum ,ex parte Maioris ſeu generalis
S. Ordinis Camaldulenſis , an videlicet poſſet ſuis
ſubditis facultatem tranſeundi ad laxiorem Reli-
gionem concedere , iuſta & rationabili ſubſiſtente
cauſa,ſic reſpondi.

R e s p o n s i o.

17 Poſſumus loqui in hoc dubio vel de iure commu-
ni , vel de ſpeciali Sixti V. in Bulla *Ea eſt*. Romæ
apud S. Petrum die 9. Iulij 1586. pro his Patribus
data , vel etiam de ſtylo,& praxi Rom. Curiæ.

18 Et loquendo de iure communi , ſatis probabile
eſt,& in praxi ſecura ſententia affirmans poſſe præ-
dictum Maiorem,ſicut & quemlibet alium Genera-
lem Religionum concedere licentiam prædictam
ſuis ſubditis iuxta dicta à me *tom.*1 *ſum.c.*22.*n.*11.Ra-
tio eſt, quia authoritas concedendi hanc licentiam
ferè neceſſaria eſt pro bono regimine Religionis;
cum ſæpius expediat,poſita tali rationabili & iuſta
cauſa , aliquem ab onere talis Religionis liberare.
Pertinet etiam ad perfectam ſubiectionem ſubdito-
rum erga Prælatos ; magis enim ipſis ſubiecti erunt
ſi ab illis poſſint hanc licentiam obtinere.Ergo cre- 19
dendum,iure communi habere illam dictos Præla-
tos Religionum erga ſuos ſubditos, præſertim cum
circa illos habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopa-
lem , & omnino ſimilem Epiſcopis , maximè in iis
quæ ad ſalutem animarum & conſcientiæ quietem
ſpectant, qualis eſt hæc facultas.

Eſſe autem hanc ſententiam ſatis probabilem ſuf- 20
ficienter probatur ex innumeris ferè Doctoribus,
Iuriſtis & Theologis,qui illam vel abſolutè tenent,
docentes Prælatum Papâ inferiorem poſſe hanc li-
centiam concedere ; vel id expreſsè affirmant de
Abbatibus,aut Prælatis ſupremis Ordinum ; vel ad
minus id eſſe probabile iudicant. Hi ſunt Specula-
tor *tit. de diſpenſat.* §. *nunc de Epiſcoporum* , *num* .3. 21
*verſ.*20. Archidiaconus *cap.quam ſit, num.*6. 18.*q.*2. *&
cap. ſi Religioſus, in fin. de elect. in* 6. Innocentius *cap.
Dilectus, num.*3.*ad fin.de tempor. ordin. & cap.fin.num.*1.
de renunc. & ibi Hoſtienſis *num.*3. *& cap.non eſt,in fin.
de regul.num.*1. Ioan.Andreas *n.*7.& in addit. ad Spe-
culat. *tit.de diſpenſat.*§. *ſunt quoque,num.*6.*littera* O, *&
cap.non eſt,in fin.de regular.* Abbas *num.*2.*cap.ſignificatum
in fin. & d.cap.non eſt,num.*6. Roſella *verb. Abbas* , *n.*3.
Paludanus *in* 4.*diſt.*38.*q.*4. *art.*4. *num.*43. D.Antoni-
nus 2.*part.tit.*11.*cap.*2.§.9.*verſ.hoc autem videtur*, Maior
in 4.*diſt.*38.*quæſt.*21.*concl.*5. Angelus in Summa, *verb.
Religioſus, num* 34. Syluester *verb. votum* 4.*q.*3. *dict.*6.
& verb. Religio 4. *quæſt.*2. Tabiena *verb. Religio, q.*23.
*num.*24 Gregorius Lopez *lib.*9.*verb. Las fuertes* , *tit.*7.
*part.*1.Nauarrus *conſ.*56.*de Regul & cap. ſtatuimus, q.*3.
Rodrig. *tom.*3.*qq.reg.q.*52.*art.*9.*&* 2.*tom.ſum.c.*6. *n.*8.
Leſſius 2.*de iuſt.cap.*41.*dub.*13.*num.*102.*&* 103. Azor.
*tom.*1.*inſt.mor.lib.*12.*cap.*15.*quæſt.*1. Miranda *in Manual.
Prel.tom.*1.*q.*31.*art.*5. *&* 6. Suarez 4.*tom.de Relig.tr.*8.
*lib.*3.*c.*11.*n.*20. Sanchez *lib.*6.*in Decal.c.*7.*n.*53. *&* 68.
Sanctarellus *de apoſtaſia* , *cap.*8. *n.*7. Barthólomeus à
S.Fauſto *lib.*5.*quæſt.*345.Bartholomæus de Vecchis *in
prax.diſp.*12.*dub.*5. Barboſa *de Iur.Eccleſ.lib.*1.*cap.*42.
*n.*78 Diana *p.*3.*tract.*2.*dub.*43. Peyrinis *tom.*1.*de ſubd.
quæſt.*1.*c.*24.§. *dico* 6. Fagundez *in* 2.*Eccleſ. præc.lib.*8.
*cap.*5.*n.*10. Laym. *de ſtat.Relig.tract.*5.*c.*6.*n.*9. Theſaur.
*in prax.p.*2.*verb. Relig.c.*4.*num.*1. Ioannes Maria No- 22
uarius *in Lucerna Regul.verb.Tranſlatio* , *num.*6. & alij.
Quis autem dicat ſententiam quam tot tantique Do-
ctores docent , aut probabilem eſſe cenſent , pro-
babilem non eſſe, aut non in praxi ſecuram.

Nec obſtat ſi contra illam dicatur , Concil. Tri- 23
dent.*ſeſſ.*25.*cap.*19.dixiſſe,*nemo etiam Regulares cuiuſ-
cunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religio-
nem.* Mens enim Concilij fuit ne fieret talis tranſi-
tus abſque iuſta , & rationabili cauſa , aut prætet-
miſſa ipſius exacta cognitione , ſed ſolùm ad arbi-
trium Prælatorum, vt olim fiebat. Sic enim,vt dixi
*eo cap.*22.*num.*11.exponunt mentem Concilij Nauar-
rus,& Leſſius eo loco relati,quibus addo Azorium,
Rodrig. Sanchez , Bartholomæum de Vecchis , &
Barboſam etiam relatos.

Nec etiam obſtat extrauagans *viam ambitioſa, de 24
Regularibus* , vbi decernitur ne Mendicantes poſſint
ad aliam Religionem,præter Carthuſianam,tranſire
abſque Pontificis licentia, & aliter fore excommu-
nicatos tam recipientes quàm receptos,quo ſuppo-
nere videtur nullum Regularem poſſe ſine tali Papæ
licentia ad laxiorem Ordinem tranſire. Nam præ-
terquam quod hæc Extrauagans ſolùm loquitur de
Mendicantibus, ea intelligitur ſicut & Concilium
Tridentinum de tranſeuntibus abſque legitima , &
rationabili cauſa, provt dicto loco retuli ex Leſſio
& Sanchez,quibus adde Barboſam ſuprà ex aliis.

Similiter nec obſtat Conſtitutio Pij V. *Quæcun- 25
que Sacrarum* 1569. edita, quâ ſtatuit non poſſe reci-
pi , nec retineri ab vlla Religione fratres alterius

Ordinis,

26 Ordinis, ſed debere remitti ad proprios. Quia, vt
aiunt Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de Regul. in 2. edit. conſ.* 88.
num. 1. & Sanchez *d. cap. 7. n.* 2. ibi non eſt ſermo de
tranſeuntibus virtute licentiæ iure communi con-
ceſſæ, ſed virtute facultatum, ſeu priuilegiorum ali-
quibus particularibus Religioſis conceſſorum, vt
conſtat illis verbis: *vigore huiuſmodi priuilegiorum, &c.* Addit Rodriguez 2. *tom. ſum. c.* 6. *n.* 7. eam con-
ſtitutionem non eſſe receptam, & *tom.* 3. *qq. regular.*
q. 52. *art.* 8. ait intelligi de iis qui tranſeunt ad aliam
Religionem non petita licentia.

Pariter etiam nec obſtat Bulla Sixti V. *Immenſa*
27 *æterni*, an. 1587. 11. Kal. Febr. edita *in 2. tom. Bullarij*
Laërtij, inter Conſtitutiones huius Pontificis *n.* 74.
vbi Pontifex inſtituens Congregationem Eminen-
tiſſimorum Cardinalium ſuper negotiis Epiſcopo-
rum & Regularium, concedit illis facultatem dandi
licentiam dictis Regularibus, vt tranſeant ſolùm ad
arctiorem Religionem, quo ſupponit Pontifex tran-
ſitum ad laxiorem ſolùm concedi poſſe à Summo
Pontifice. Facilè enim reſponderi poteſt, quod cum
28 ibi nihil dicatur de Prælatis Regularibus, nihil inde
ſequi poſſit ad intentum. Potuit autem iure optimo
Pontifex decernere vt præfati Domini Cardinales
ſolùm concederent Regularibus licentiam tran-
ſeundi ad arctiorem Religionem, relinquendo ſibi,
ſiue Datariæ, aut ſacræ Pœnitentiariæ, vt per Bul-
lam, Breue, aut alio modo facultatem tranſeundi ad
laxiorem concedere poſſent, maximè pro foro ex-
terno, & iuſtificatione cauſæ.

29 Multo minùs obſtat quod aliqui obiiciunt, ſcili-
cet quod conſuetudine & praxi Romanæ Curiæ ha-
beatur quod talis licentia tranſeundi ad laxiorem
Religionem ſolùm à Sede Apoſtolica concedi ſo-
leat. Negatur enim talis praxis, aut conſuetudo, ſi
30 intelligatur vniuerſaliter, etſi verum ſit plures pro
tali diſpenſatione ad Sedem Apoſtolicam recurre-
re ſolitos, tum propter maiorem quietem con-
ſcientiarum, tum propter dubietatem & incertitu-
dinem ſufficientiæ cauſæ, quæ dubietas tollitur per
diſpenſationem à Papa factam; tum præcipuè pro-
pter forum externum, quia qui à Papa talem facul-
tatem obtinent, certi ſunt, quod non poſſint mole-
ſtari, aut cogi ad propriam Religionem, vnde di-
greſſi ſunt, redire.

31 Loquendo autem de iure ſpeciali Bullæ Sixti V.
conceſſæ in fauorem dictorum PP. Eremitarum Ca-
maldulenſium, de qua ſupra, ſatis etiam probabile
eſt per eam confirmari authoritatem, quam iure
communi dixi habere Reuerendiſſimum Maiorem
huius Religionis. Dicit enim Pontifex: *Omnibus &*
32 *ſingulis eremitis præfatæ Congregationis nunc & pro tempo-*
re exiſtentibus, & cuilibet eorum, in virtute ſanctæ obedien-
tia, ac ſub excommunicationis maioris eo ipſo incurrenda,
à qua nullus præter Romanum Pontificem pro tempore exi-
ſtentem, præterquam in mortis articulo, abſolutionis benefi-
cium impendere poſſit, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,
cenſuris, ac pœnis, necnon apoſtaſiæ reatus, ſuſpenſionis à
diuinis, aliiſque arbitrio Maioris einſdem Congregationis
pro tempore exiſtentis moderandis, iniungendis & declaran-
dis pœnis, ne ad alios quoſcunque Ordines, nec etiam ad
Sacram Eremum einſdem Camaldulenſis Ordinis Aretinæ
Diœceſis, ſine expreſſo conſenſu & licentia ab eodem Ma-
iore pro tempore exiſtente ſupradictæ Congregationis in ſcri-
ptis petita, & obtenta tranſire & tranſmeare audeant vel
audeat, eiſdem authoritate & tenore interdicimus, & pro-
hibemus. Verba enim illa *ſine expreſſo conſenſu & li-*
33 *centia, &c.* hunc videntur habere ſenſum, vel ex
illorum proprietate, vel ſaltem à contrario ſenſu,
quod ſcilicet, habito tali conſenſu & licentia, tran-
ſire poſſint, prout notat Nauarrus relatus *d. conſ.* 56.
ex Can. ſtatuimus 19. *q.* 3. & colligitur ex Bartolo *in*
l. Actione, n. 2. *verſ. Et per hoc reſpondetur*, & ibi Decio
num. 5. *C. de tranſact.* Alexandro *conſ.* 83. *n.* 3. *lib.* 1. ex
aliis. Vnde Naldus *in Summ. verb. Mulier, n.* 7. ex Ale-
xandro & aliis *in d. l. Actione*, dicit dictionem *ſine*, 34
inducere permiſſionem in caſu ſequenti. Et ſanè ta-
lis videtur eſſe communis intelligentia inter Re-
gulares dictæ dictionis *ſine*, quotieſcunque enim in
legibus, ſtatutis, vel conſtitutionibus ipſorum di-
citur aliquid fieri non poſſe ſine licentia, ſiue con-
ſenſu, &c. Prælatorum, intelligitur accedente eo-
rum conſenſu, vel licentia id fieri poſſe.

Nec obſtat, ſi dicatur quod illa verba *ſine conſenſu*, 35
& licentia, &c. ſolùm referri videantur ad illa im-
mediata, *ad ſacram eremum eiuſdē Camaldulenſis Ordinis,*
&c. non ad illa, *ad alios quoſcunque Ordines.* Cum enim
poſita ſint ſub vna oratione, verſu & capitulo, &
clauſula in fine poſita debeat ad omnia præceden-
tia referri, ſaltem, ſi ſalua recta ratione ad illa re-
ferri poſſit, vt dico *tom.* 3. *Summæ, verb. Clauſula, n* 3. 36
probabile etiam eſt ad illa omnia referri. Maximè
cum ea Bulla fauorabilis ſit dictæ Religioni, & Re-
uerendiſſimo Maiori ipſius: fauores autem amplia-
ri debent, vt vulgata iura clamant.

Quamuis autem hæc ita ſint, nihilominus pro 37
quiete conſcientiarum conſeruanda, ſcandalo pu-
ſillorum vitando, & pro iuſtificatione cauſæ, ac
maximè pro foro externo, conſulerem ne Reueren-
diſſimus Maior præfata facultate vtatur, niſi quando
omnino certus eſt de ſufficientia cauſæ, & Papa
commodè adiri non poteſt, propter periculum in
mora, vt conſulunt Angelus, & Tabiena relati.

TRIREMIVM POENA.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *Hæc pœna an noua, vel antiqua.*
3 *An dignum quod imponatur Religioſis.*
4 *Quando poſſit illis imponi.*
5 *An damnati ad triremes habitu ſpoliari debeant.*
6 *Quibus adquirant tales damnati.*
7 *Propter quæ delicta S. Officium hanc pœnam imponere ſoleat.*

HAc pœna mulctari poſſe Regulares propter 1
grauia delicta ab ipſis commiſſa, & quæ aliter
caſtigari non poſſunt, dixi *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 32. Vbi
etiam, qualiter triremium miniſtri non incidant
in excommunicationem Canonis eos verberantes,
niſi modum excedant. Inſuper, vt *ibidem*, & *ſuprà*
verbo *Infamia, num.* 7. dixi, illi qui fuerint ad trire-
mes damnati, ſunt irregulares, vtpote infames in-
famiâ Iuris. Quod intellige, iuxta dicta eo *num.* 7.
quando ſunt damnati ad talem pœnam ob cauſam
famoſam: De quo Theſaurus *in Praxi, part.* 1. *cap.* 33.
§. *talis eſt, & part.* 2. *verbo Miſſa, cap.* 5. §. *item ſi eſſet.*
Vbi quod tales, etiam à triremibus liberati ſint in-
fames, & irregulares, *l. ad tempus, C. ex quibus cauſ. in-*
fam. irrogat. A quibus autem diſpenſari poſſint in di-
cta irregularitate infamiæ, dixi eodem *num.* 32. de
quo etiam Theſaurus eo §. *Item ſi eſſet.* An verò tales
dum ſunt in triremibus, teneantur ad Officium di-
uinum perſoluendum, ſi ſint in Sacris, dixi eodem
tom. 1. *c.* 12. *num.* 7. De quo etiam Bordonus *reſol.* 30.
n. 13. An licitè poſſint ex triremibus fugere, collige
ex dictis *tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 10. De quo nouiſſimè Emi-
nentiſſ. Lugo *de Contractibus, diſp.* 40. *ſect.* 4. *n.* 54 Alia
ergo in præſenti addenda.

Primò, quod licèt huiuſmodi pœna ſit omnino 2
noua, cùm non reperiatur quod antiqui religio-

 num

num Fundatores ea vſi fuerint ad puniendum ſuos teligioſos, ſed ſolùm diſciplinis, mortificationibus, carcetibus, &c. (Nauarrus *Comment. 3. de Regular. num. 52* Peyrinis *tom. 1. de Subdito, q. 1. cap. 27.*) ea tamen ſucceſſit in locum antiquæ pœnæ depottationis, vel damnationis ad opus publicum. Theſaur. *ſupra*, ex Claro, Farinacio, & aliis.

3 Secundò, quod licet huiuſmodi pœna indigna valdè ſit quod teligioſis imponatut, cum per illam inter nefarios homines collocentur (Nauarrus *ſuprà num. 5.* Iulius Clarus *in pract. lib. 5 §. finali*, Diaa *in pract. cap. 143.*); vt propterea rectè à SS D.N. Vrbano VIII. prouiſum ſit, vt tali pœna digni mittantur in carcerem quemdam ab eo deſignatum, & *Ergaſtulum* vocatum, nihilominus, quia non extat prohibitio in contrarium, & vſus Religionum ita obtinuit, ſintque aliqua priuilegia quoad hoc aliquibus Religionibus conceſſa; videlicet Hieronymianis Hiſpaniæ à Pio V. & Minimis à Clement. VII. & præſertim quia experientia compertum eſt criminoſos aliquos religioſos alio modo puniri non poſſe, ideo prædicta pœna corrigi debent. Rodriguez *tom. 2. quæſt. Regul. quæſt. 24. alias 25. art. 2.* Aldrete *de Diſciplin. Relig. lib. 2. c. 27. n. 16. & 17.* Peytinis *ſupra*. Vbi etiam de modo, quo Prælati Regulares in tali pœna infligenda procedere debent.

4 Tertiò, non debere hanc pœnam infligi Regularibus niſi quando aliter caſtigati non poſſunt. Eſt enim terribiliſſima, & infamiſſima, & periculoſiſſima ſpiritnali ſaluti, propter ſocietatem flagitiniſſimorum hominum, etiam infidelium, qui in triremibus verſantur, plurimorum, ſpurciſſimorumque peccatorum participationem, quæ ibi committuntur. Diaz, & Peytinis *ſupra*. Vide plura ad intentum apud Viualdum *in tract. de depoſ. & degradat. ſub num 38.*

5 Quartò, decens ſatis eſſe, vt prædicti Religioſi ad triremes damnati, finito tempore, habitu remanerent ſpoliati. Tum quia indecens eſt tam infami pœna punitos habitu Sancto, & religioſo veſtiri. Tum quia propter peſſimam ſocietatem hominum, qui in triremibus morantur, peſſimos quoque mores imbibere ſolent, vt propterea à conſortio religioſorum iure arceri deberent. Rodriguez *ſuprà art. 2.* Peyrinis *ſupra*. Hinc audiui ſæpiùs, referente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinali Ginetto noſtri ordinis Protectore, SS.D.N. Vrbanum velle, vt teligioſi non damnentur ad triremes ad tempus, ſed in perpetuum, quod tamen non video executioni mandari. Nec quando reuertuntur habitu priuantur, præſertim propter Decretum Sacr. Congregat. *de apoſtatis, & eiectis*, eiuſdem Sanctiſſimi mandato editum de non eiiciendo aliquem à religione, niſi ſeruatis multis conditionibus, quæ ſæpiùs non reperiuntur in iſtis ad triremes damnatis. Illud certius, ipſos dum in triremibus morantur, vel ad illos mittuntur, habitu religioſo priuati debere. Bord. *reſol. 35. n. 29.* Caſu verò quo ad religionem reuertantur, non amittunt primogenituram. Peytin. *ſup.* referens Syluestrum, & Nauarrum. Qui etiam addit, Capitaneos triremium non recipientes religioſos ad ipſas damnatos, vel eos receptos dimittentes, non conſentiente religione, peccare mortaliter. Quod limitat *tom. 3. priuil. Minim. cap. 6. num. 5.* niſi ipſis conſtet tales religioſos iniuſtè eſſe damnatos ad talem pœnam.

6 Quintò, quod licèt variè loquantur Authores de illo cui adquirunt iſti damnati ad triremes ea quæ adquirunt, mihi autem videtur dicendum, quod ſiue ſint damnati ad tempus, ſiue in perpetuum, ſemper adquirunt religioni, prout in ſimili dixi de eiectis *tom. 1. cap. 23. n. 15.* propter rationem ibi aſſignatam, quia ſcilicet tales non ſunt omninò à religione derelicti, ſed ſolùm ſeparati, cuius ſignum eſt, quod ex rationabili cauſa poteſt illos reuocare. Tamen, ſi in eo ſtatu eos mori contigerit, tunc credo ipſorum bona pertinere ad Cameram Apoſtolicam, propter dicta eo loco, *num. 16.* & *ſuprà* verbo *Spolia, num. 1.* ex Conſtitutione Gregorij XIII.

De caſibus, in quibus à Sancto Officio Inquiſitionis hæc pœna infligi ſolet, plura habes apud Dianam *4. part. tract. 7.* & Carenam *de Offic. S. Inquiſitionis, part. 3. tit. 13. § 3.* 7

TVTELA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Regulares quando tutelam ſuſcipere poſſint.*
An tunc negotiari poſſint, ibid.
2 *An poſſint ſuſcipere tutelam honorariam.*
3 *An eſſe tutores miſerabilium perſonarum.*

RELigioſos ſuſcipere non poſſe tutelam alicuius perſonæ, teſtamentariam videlicet, & datiuam, bene tamen legitimam, de licentia Prælatorum, conſtat ex dictis *tom. 1. cap 9. num. 17.* De quo etiam Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib. 1. c. 40. num. 113.* ex multis aliis. Quamuis Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 221.* Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 14. num. 25.* Peyrin. *tom. 2. de Prælato, quæſt. 3. cap. 5. num. 26.* & alij id negent. Vnde pater profeſſus fieri poteſt tutor, aut curator filij. Bordonus *reſol. 14. n. 79.* ex Nauarro, Syluest. & Graffio. In caſu etiam quo Clerici (idem dico de Religioſis) de iure poſſint eſſe tutores, res pupillorum negotiari valent, non tamen turpis lucri gratiâ. Ex declaratione S. Congregationis apud Barboſam *ſuprà, & cap. 9. §. 5. n. 74.* Non poſſe autem Regulares cogi ad munus tutoris ſuſcipiendum, & cogentes in excommunicationem incidere, dixi *ſupra* verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium, num. 9.* 1

Videntur etiam Regulares ſuſcipere poſſe tutelam honorariam aliquorum. Dicitur autem tutor honorarius, qui datur vt pupillus ſit magis honoratus eius auctoritate, & protectione, non autem, vt ſæcularibus negotiis ſe immiſcere debeat. Barboſa *ſuprà num. 76.* ex aliis. 2

An autem Religioſi poſſint eſſe tutores miſerabilium perſonarum, agunt Graffius *eo num. 17.* à me relatus, & Sanchez *ſupra n. 56.* Barboſa *ſup. c. 43. n. 57.* Nouarius *in tract. de priuil. miſerab. perſonarum, priuil. 86.* & Peyrinis etiam *ſuprà, num. 26.* ex aliis. Quæ verò ſpectent ad officium tutoris, & quid teneatur facere, vide Summiſtas *verbo Tutela*, ſpecialiter Angelum ibi à *num. 5.* & Syluestrum *à quæſt. 4.* 3

VASA SACRA.

SVMMARIVM.

1 *Vaſa Sacra quæ dicantur.*
2 *De Calice, & Patena.*
3 *De Pyxide, ſeu ciborio.*
4 *De lunula, quæ Sacram hoſtiam tangit.*
5 *De vaſis, ſeu thecis Reliquiarum.*
6 *Vaſorum Sacrorum conditiones, & qualitates.*
An alienari, confringi, vel conflari poſſint. ibid.

VAſa Sacra generaliter dici poſſunt quæcunque vaſa ad miniſterium Euchariſtiæ, eiuſque, & Sacrarum vnctionum, imò etiam Reliquiarum cuſtodiam deſeruientia. Barboſa 1

de

de iure Eccleſiaſtico lib.3.c.2.n.1. Specialiter autem hoc nomen tribuitur Calici, & Patenæ. Graffius *in deciſ. aureis, p.2.lib.2.c.24.num.*8. Sanchez *tom.1. in Decalog. lib.2.cap.43.num.*26. Barboſa *ſuprà.*

2 Porrò Calicem, & Patenam non debere eſſe de ligno, ære, aurichalco, aut cupro, lapide, vitro, vel cryſtallo, ſed de auro, argento, vel ob magnam paupertatem, ſtanno, dixi *ſupra* verbo *Calix, n.*1. Debere eſſe conſecrata, ac Chriſmate peruncta, *ibid. num.*2. A quo debeant conſecrari, *ibid. num.* 3. & 4. An reddantur conſecrata eo ſolùm quod cum illis celebretur, *ibid.num.*8. Quando exſecrentur, ſeu amittant conſecrationem, *ibid. num.*5.6. & 7. Non poſſe tangi à laicis abſque peccato, *ibid. num.* 9. Quod intelligit etiamſi vacua ſint, nec contineant Corpus, aut Sanguinem Chriſti, *cap. in Sancta, diſt.*1. *de conſecrat. cap. Sacratas, aliiſque iuribus, diſt.*23. Layman. *lib.5.tract.5.cap.6.num.*19. Quando autem Corpus, aut Sanguinem Chriſti continent, ſine culpa graui tangi non poſſunt, niſi ſolùm à Sacerdote, vel Diacono, iuxta dicta *tom.1.p.2. cap.2.n.34.ex cap.non oportet, diſt.*23. Paludano, & Suarez ibi relatis. Quibus iunge Sylueſtrum *in Summa, verbo Euchariſtia* 3. *quæſt.*4. & Laym. *ſupra num.*18 In caſu autem vrgentis neceſſitatis, & cauſa rationabili ſuadente, nullum erit peccatum prædicta tangi, etiam à laïcis, iuxta dicta eo *num.*44. & à ſimili *ſupra* verbo *Agnus Dei, num.*7. An verò prædicta quando non continent Corpus, aut Sanguinem Chriſti, poſſint tangi ſine peccato ab Acolythis, & inferioribus Clericis, etiam extra neceſſitatem, affirmare videtur Suarez *tom.3.in 3.part.diſp.*8. *ſect.*8. ſed communior opinio, & conformior vſui Eccleſiæ Romanæ id negat. Azor. *tom.1.Inſtit. Moral. lib.9.cap.9.quæſt.*6. Layman. *ſuprà n.*19. *§. dico tertiò*, poſt alios. Excipe, niſi adſit priuilegium Sedis Apoſtolicæ, iuxta *cap.*8. *num.* 35. De quo etiam Azor. & Layman. *ſupra*, ac Fagundez *de 1.Eccleſ.præcept.lib.3.cap.21.num* 27. & 29.

3 De Pyxide etiam, ſeu ciborio, quod eſt vas, in quo conſeruatur Corpus Chriſti, idem proportionaliter dicendum, ac de Calice, & Patena, prout ſupponunt Authores communiter, ſpecialiter Layman. *d. num.*18. An verò neceſſe ſit, quod conſecretur, vel ſufficiat, quod benedicatur, & à quo danda ſit talis conſecratio, ſeu benedictio, habes ex dictis *ſupra* verbo *Benedictio, & Benedicere, num.*11. De quo vide Cardin. Lugo *de Sacram. Euchariſt.diſp.*20. *ſect.*4. *num.*96. & 97. Idem etiam videtur dicendum de vaſe, in quo Euchariſtia miniſtratur fidelibus. Ioannes de Cruce *in Director. conſcientiæ de Sacrificio Miſſa, quæſt.3.dub.*3.

4 Cæterùm, de lunula illa, quæ Sacram Hoſtiam immediatè tangit, quamuis non videatur conſuetudine receptum quod conſecretur, valdè decens tamen eſt, vt ſaltem benedicatur. Durandus *lib.1. de ritibus Eccleſiæ, cap.*16. Suarez *ſupra, ſect.*7. Ioannes de Cruce *ſuprà.* Poteſt nihilominus tangi ſi conſecrata non eſt, etiam à laïcis, non ſolùm antequam ad Corporis Chriſti contactum adhibeatur, ſed etiam poſtquam illud contigit, & iam non continet Corpus Chriſti. Layman. *ſuprà num.*22.

5 De vaſis autem, ſeu thecis Reliquiarum, in quibus ipſæ conſeruantur, cum nec conſecrata, nec benedicta eſſe ſoleant, dicendum, quod tangi poſſunt reuerenter etiam à laïcis ſine peccato. Sanchez *ſupra.* Ea tamen publicè in proceſſionibus geſtare, ſolùm ad Clericos ſpectare videtur. Layman. *ſuprà num.*21. ex aliis.

6 Generaliter etiam Regularibus maximè notandum primò, vaſa Sacra honeſta eſſe debere, & proportionata miniſterio, ad quod accommodantur. Angelus *in ſumma, verbo Vaſa, num.*1. Secundò, nitida aſſeruari debere, *cap. relinqui, de cuſtodia Euchariſtiæ*, iuxta dicta *ſuprà verbo Paramenta Sacra, num.*1. Barboſa *ſuprà num.*41. Tertiò, ad vſus prophanos applicari non poſſe abſque ſacrilegio, *cap. quæ ſemel* 18. *quæſt.*3. *Regul. ſemel, de Reg. iuris in* 6. iuxta dicta etiam eo verbo *Paramenta Sacra, num.*3. Fagund. *ſupra, c.*21. *n.*18. Barboſa *ſuprà num.* 45. Quod intellige, etiam poſtquam formam, ſeu conſecrationem amiſerunt, propter idem fundamentum, & iuxta ibidem dicta. Licet Diana *6.p.tract.*13. *reſolut.*76. id excuſet à peccato mortali. Quartò vendi non poſſe, aut etiam pignorari abſque ſacrilegio, niſi propter neceſſitatem magnam Eccleſiæ, pauperum captiuorum redemptionem, &c. *cap. aurum* 12. *quæſt.*2. & tunc non niſi aliis Eccleſiis, vel ſi laicis, non ad vſus prophanos, ſed ad Sacros, & pios, iuxta dicta eo verbo *Paramenta Sacra, d. num.*3. Azor, Nauarrus, & Fagundez ibi relati, ac Sanchez *tom.1. Conſil. Moral. lib.*2. *cap.7.dub.*15. *§. quartò dico, & §. vltimo dico.* Vide etiam Couarruuiam *lib.2. cap.* 16. imò iuxta dicta etiam eodem verbo *Paramenta Sacra, eo num.*3. ex aliis locis noſtræ Summæ, ſi prædicta vaſa Sacra fuerint pretioſa, alienari non poterunt ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Addit Sanchez *ſupra, eo §. Quartò dico*, poſſe pro prædicta neceſſitate vendi vaſa Sacra etiam ad vſum profanum, ita tamen, vt priùs confringantur, & conflentur, præmiſſa priùs oratione ad Deum. Sed quod attinet ad neceſſitatem ad id faciendum, ea debet eſſe non quælibet, etiam magna, ſed ſumma, vt idem Sanchez §. *ſequenti*, ex Couarruuia approbare videtur. Quoad conflationem, licet ita fieri deberet in rigore iuris propter dictum *cap. aurum*, & ſic etiam tenet Barboſa *ſuprà num.* 48. ex Galero; iuxta dicta tamen *ſuprà verbo Calix, n.*10. ex Naldo, praxi obſeruatur, quod ſufficiat frangi talia vaſa, ſic enim ſufficienter deperditur forma conſecrationis ipſius, qui eſt finis talis ceremoniæ. Fagundez *ſuprà n.* 19. Illud autem de oratione præmittenda, ſatis laudabile eſt. Nota quintò, quod ſi prædicta vaſa Sacra à degradatis miniſtris, vel aliàs indignis in miniſterio contrectentur, non ideo perdent benedictionem, *à nobis, de Sacrament. non iterand.* Barboſa *ſuprà num.*41. Caſu autem quo prædicta vendantur ratione materiæ, non incurri ſimoniam, conſtat ex dictis eo *verbo Paramenta Sacra*, & *ſupra verbo Simonia quoad Regulares.*

VELVM MONIALIVM.

SVMMARIVM.

1 *Velari fœminas vnde ſumpſit exordium.*
2 *Sex vela, ſeu velamina Monialium.*
3 *De velo probationis, & profeſſionis.*
4 *De velo conſecrationis.*
5 *De velo ordinationis.*
6 *De velo Prælationis.*
7 *De velo continentiæ.*

FOeminas velare caput ſuum, maximè in Eccleſia, ortum habere videtur ex illo Pauli 1. *Corinth.*11. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum.* Et ex eo quod Linus Papa primus poſt S. Petrum ſanciuit, ne qua mulier niſi velato capite in Eccleſiam introiret. Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.1.cap.44.num.*14. ex variis iuribus. Hinc etiam conſuetudo velandi, vel Deo conſecrandi Virgines, antiquiſſima eſt, etiam à tempore Apoſtolorum, cum conſtet Sanctum Petrum velaſſe Petronillam, S. Paulum Theclam, S. Matthæum Iphigeniam, S. Clementem Flauiam 1

Domitil

Domitillam, & Liberium Papam Marcellinam S. Ambroſij ſororem. De quo ex variis hiſtoriis Tamburin. *de iure Abbat. diſp. 27. quæſit. 1.* & nos in noſtris Annalibus.

2 Sex autem ſunt vela, ſeu velamina, quæ religioſis fœminis, ſeu Monialibus ex vſu Eccleſiæ concedi ſunt ſolita. Primum vocatur *probationis*, ſeu *receptionis*, quod datur nouitiis ante profeſſionem, in ipſa receptione, ſeu prima tonſione, & communiter ſolet eſſe album. Secundum *profeſſionis*, quod datur profeſſionis tempore, & communiter ſolet eſſe nigrum, licet aliquando ſit album, & antiquitus fuerit purpureum. Tertium *conſecrationis*, quod ſcilicet aliquando, & aliquibus Monialibus datur à Prælato in pompa ſolemni deſcripta in Pontificali Romano. Quartum vocatur *ordinationis*, quo ſcilicet olim Diaconiſſæ ordinabantur, ſed hodie cum velo conſecrationis confertur. Quintum *Prælationis*, quo Prælatiſſæ, vel Abbatiſſæ conſtituuntur. Sextum *continentiæ*, quod dari ſolet Monialibus viduis. De iis variis iuribus Miranda *de Sacris Monialibus, quæſt. 7. art. 8.* Portellus *in dub. regul. verbo Velum Monialium, num. 1.* Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 5. num. 21.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 9. lib. 1. c. 11.* Barboſa *ſuprà à num. 15.* Tamburinus *ſupra quæſit. 2.* Nouarius *in Lucerna regular. verbo Velamen, ſeu Velum.* Addit Maiolus *lib. 1. de I. regularit. cap. 29.* ſeptimum velum, ſcilicet *pœnitentiæ*, quod fœminis conuertitis dari ſolet. Quod tamen prætermittimus, quia parum conducens ad noſtrum intentum.

3 Et quidem ex iis velis, ſeu velaminibus, primum, ſcilicet *probationis*, ſeu *receptionis*, datur ea ætate, in qua fœmina recipere poteſt habitum nouitiæ, de qua dixi *tom. 1. p. 1. cap. 25. n. 11.* Barboſa *ſuprà num. 15.* Secundum, ſcilicet *profeſſionis*, datur omnibus Monialibus profeſſionem emittentibus, poſtquam probationis tempus expleuerint, ſiue virgines ſint, ſiue non, iuxta dicta *eo c. 25. num. 10.* poſt completum 16. annum, iuxta dicta *ibid. num. 11.* & in ipſius ſuſceptione capilli abſcinduntur, iuxta ritum Eccleſiæ. Barboſa *ſupra*, Tamburinus *d. quæſit. 2. §. ad tertium reſpondeo.*

4 Tertium, ſcilicet *conſecrationis*, iuxta dicta eo *num. 10.* ſolùm datur virginibus, non viduis, aut corruptis. Miranda & Sanchez *ſupra*, ex S. Antonino, Paludano, & Nauarro. Et ſolùm ab Epiſcopo, iuxta ibidem dicta. Licet ex priuilegio id competere aliquibus Abbatibus, & Prælatis teneant Benedictus Bomartius, & Tamburinus à me relati *ſuprà verbo Benedictio & benedicere, num. 2.* diebus tamen, & temporibus à iure ſtatutis, *cap. de vot. c. virgines 20. quæſt. 1.* iuxta dicta eodem *num. 10.* Barboſa *ſupra num. 17.* Virgines autem hoc velum *conſecrationis* recepturas debere eſſe in ætate 25. annorum, dixi eodem *n. 10.* ex declaratione Sacræ Congregationis, quam etiam vel ſimilem refert Armendarix *in Addit. ad recapilat. leg. Nauarræ, l. 1. de ætatibus, n. 2.* & conſtat ex Pontificali Romano. Barboſa *n. 19.* Tamburinus *ſupra, §. hodie ergo.* Nota tamen, quod quamuis iuxta dicta eo *num. 10.* ex declaratione Sacræ Congregationis ibi adducta, tollenda ſit huiuſmodi conſecratio Monialium maximè inter Mendicantes, nihilominus quia teſte Piaſecho *in Praxi Epiſcop. p. 1. cap. 2.* & Barboſa *ſupra num. 21.* eadem Sacra Congregatio reſpondit Patriarchæ Veneto obſeruandam eſſe, ſi alicubi adhuc vigeret, ideo ſic faciendum. Quomodo autem ſe gerere debeat Monialis occultè corrupta, ſed cum fama virginitatis, in caſu, quo velum hoc conſecrationis ſuſcipere debeat, dixi eo *num. 10.* De quo etiam latè Tamburinus *ſuprà, quæſit. 4.* Portellus *ſuprà num. 2.* Pro conditionibus etiam Monialium ſic conſecrandarum Maiolus *ſuprà*, Tamburinus *ſuprà quæſito 3.* poſt Sylueſtrum, Tabienam, & alios Summiſtas *verbo Conſecratio Virginis.*

5 Circa quartum velum, ſcilicet *ordinationis*, nota per illud ſolùm concedi Monialibus facultatem Officium inchoandi in Choro, vel Homilias legendi. Quod quidem non eſt aliquis Ordo Eccleſiaſticus, cum fœminæ illius ſint incapaces, ſed genus quoddam nudi officij, quod per benedictionem, & Breuiarij traditionem ipſis confertur. Maiolus *ſuprà*, Tamburinus *ſuprà §. ad quintum.*

6 De quinto autem velo, ſcilicet *Prælationis*, qua ætate Monialibus concedendum ſit, & de aliis ad ipſum requiſitis, lege dicta *tom. 1. p. 1. cap. 26. & ſuprà verbo Abbatiſſa, ſeu Priorißa.*

7 De vltimo velo, ſcilicet *continentiæ*, nota quod licet illud viduis concedatur, *cap. vidua 27. quæſt. 1.* poterit tamen dari virginibus, licet non è contra velum virginum dari poſſit viduis. Suarez *ſuprà*, Barboſa *ſuprà n. 20.* Tamburinus *ſuprà, §. ad Octauum*, ex variis iuribus. De hoc etiam velo, & aliis ad illud ſpectantibus, Miranda *dicto art. 8.*

VENEFICIA.

SVMMARIVM.

1 *Caſus reſeruabilis inter Regulares.*
2 *Veneficia, incantationes, & ſortilegia quomodo differant.*
3 *Quando reſeruata fuerint, quomodo intelligenda.*
4 *An illis comprehendantur omnes ſpecies ſuperſtitionum.*
5 *Superſtitio quid, & quotuplex.*
6 *Quando Regulares in hunc caſum incidant.*
7 *Quando in incantationem.*
8 *De ſignis, vel verbis, quæ per veneficia, vel incantationes applicantur.*
9 *De ſortilegio, & ſortibus.*
10 *Quando in hunc caſum incidant Regulares.*
11 *Quid de illis, qui* Enſalmadores, *ſeu* Saluatores *vocantur.*
12 *In huiuſmodi peccatis an detur paruitas materiæ.*

1 INter caſus, quos iuxta dicta *tom. 1. c. 18. num. 20. & ſupra verbo Caſus reſeruati regularium, n. 32.* Clemens VIII. permiſit Regularibus reſeruari poſſe, primum eſt *Veneficia, incantationes, & ſortilegia*, ideo operæpretium erit aliquid in præſenti de ipſo dicere.

2 Et primò nota, *Veneficia, incantationes, & ſortilegia*, non differre ſpecie, ſed ſolùm ex parte materiæ, ſeu modi quo fiunt. Conueniunt enim in formali malitia, quæ eſt fieri inſtigante, vel paciſcente Diabolo, & ſolùm differunt, quia veneficium fit applicando res naturales inefficaces ad aliquem effectum, non vtendo aliquibus verbis, neque cæremoniis. Incantatio, dicendo verba inutilia, vel inefficacia ad talem effectum, non apponendo res naturales, ſed ſola verba. Sortilegium verò, mittendo ſortes, vel quid æquiualens, ad cognoſcendum ſecretum præteritum, vel futurum, ita vt ſemper in his tribus concurrat Diabolus. Portellus *in Dub. Regul. verbo Veneficia, num. 1.* Graffius *de Caſibus reſeruatis ſuper hunc caſum.* Bordonus *in ſuis reſolutionibus, Reſol. 40. num. 11. 13. & 14.*

3 Secundò nota, præſenti caſui, quando reſeruatus fuerit, applicari debere generalem doctrinam, quam pro caſibus reſeruatis aſſignaui *ſupra* dicto verb. *Caſus reſeruati Regularium.* Primò, iuxta dicta eo loco *num. 9.* nullum peccatum merè internum cenſeri debere ſaltem de facto (quidquid ſit de poſſibili) reſeruatum. Secundò, iuxta dicta *ibid. num. 10.* peccata venialia de facto (quidquid etiam ſit de poſſibili) non debere cenſeri reſeruata. Tertiò, iuxta dicta

eodem

eadem num. 10. probabile eſſe, qood peccatum, de quo dubitatur an ſit mortale, vel veniale, reſeruari ſaltem non debetet. Quartò, provt etiam eo loco dixi, quod quando actus externus non eſt peccatum mortale, etiamſi internus mortale ſit, non cenſeri debeat reſeruatus. Quintò, iuxta dicta *ibid. num.* 11. non cadere ſub reſeruatione mortalia aliàs confeſſa. Sextò, provt *ibid. num.* 12. nec peccata mortalia cenſeri debete reſeroata, niſi ſint completa, & coosummata, aut niſi ipſa attentatio criminis reſeruetur. Septimò randem, iuxta dicta *ibid. num.* 13. *&* 14. quod reſeruatio caſuum debeat reſtringi, & qnod in dubiis non debeat cenſeri aliquis in eos incurriſſe, exceptis aliquibus caſibus. De Prælatis porrò, qui poſſunt caſus reſeruare, & qui, & quomodo ab illis abſoluere, quando ceſſet ipſorum reſeruatio, & qualiter pœnitens, qui illos habet, ſe gerere debeat ad petendam abſolutionem ab ipſis, ac de aliis concernentibus, latè eo *verbo Caſus reſeruati Regularium* dixi.

4 Specialiter tertiò, qnod in his tribos ſupeſtitionum ſpeciebus notant Graffius, Coriolanus, & Longus *in tract. de caſibus reſeruatis ſuper hunc caſum*, Portellus *ſupra n.* 23. Melſeſius *tom.* 1. *Summa, tract.* 7. *cap.* 20. *num.* 15. & Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato, quæſt.* 3. *c.* 2. *§.* 1. *num.* 38. Eo quòd iuxta doctrinam Iaſonis *in Authentic. quas actiones, num.* 25. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quando agitur de ſalute animæ, & de vitando peccato, debet ius etiam pœnale extendi, adeo vt potiùs dicator incluſio ſimilium peccatorum, qoam extenſio. Ego tamen probabilius cenſeo cootrariom, quia iuxta dicta *ſuprà verbo Caſus reſeruati Regularium, num.* 13. *&* 14. reſeruatio caſuum, cum ſit odioſa, & pœnalis, reſtringenda eſt, & non extendenda ad alios caſus, etiam ſimiles, vel maiores, niſi illi exprimantur. Cùm ergo in hoc caſu ſolùm exprimat Clemens VIII. tres has ſpecies ſuperſtitionis, ſcilicet *veneficia, incantationes, & ſortilegia*, non eſt admittenda extenſio ad alias. Bordonus *ſuprà num.* 1.

5 Pro quo etiam notandum quartò, quod ſuperſtitio eſt vana, ſeu falſa Religiu, aut cultus alicui indebitè conceſſus. Nauarrus *in Manual. c.* 11. *num.* 12. Toletos *in Summ. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 1. Leſſius *de iuſtit. & iure lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 1. & alij communiter. Eius autem ſunt qnatuoc ſpecies. Prima eſt indebitus cultus Deo vero tcibutus. Secunda, idololatria. Tertia, diuinatio. Quarta, obſeroatio vana. Naoarrus *ſuprà num.* 23. Saytus *in Claui regia, lib.* 4. *cap.* 4. Bordoous *ſuprà num.* 1. Cum autem vana obſeruatio ſit procuratio alicuius effectns adhibitis mediis inotilibns, & à Deo minimè conſtitutis, ope Dæmoois tacitè, vel expreſsè innocati, provt ex S. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 1. *&* 2. elicinnt communiter Doctores, ſpecialiter Toletus *ſuprà cap.* 16. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 40. ideo ex tribus prædictis veluti ſpeciebus ſuperſtitionis, duæ, ſcilicet veneficium, & incantatio, ſolùm ad quartam ſpeciem ipſius, quæ vana obſeruatio nuncupatur, reducuntur. Tertia verò, quæ eſt ſortilegium, etiam ad tertiam ſpeciem ſuperſtitionis, qnæ eſt diuioatio, reduci poteſt. Botdonus *ſuprà num.* 11. 12. 13. *&* 14.

6 Ex quo patet, qoando regulares in prædictum caſum, cùm reſeruatus fuerit, iucidiſſe cenſendi ſint. Primò enim quoad veneficia, tunc Regulares cenſeri debent in hunc caſum incidiſſe, com maleficium aliquod feceriot, ſioe ad inferendum, ſiue ad tollendum morbum, vel aliàs damnificandum aliqoem, vel aliquos, in perſonis, vel in rebus. Similiter quando, licet maleficium oon fecerint, vel etiam neſciunt facere, eo tamen à maleficis fabricato, ſiue ad ſoluendom, ſiue ad ligandum vtantur. Fagundex *in* 2 *præcept. Eccleſ. lib.* 8. *c.* 4. *num.* 7. *&* 8. Peyrinis *ſupra*. Conſolentes aotem veneficas, ſeu ſagas, aut conſulentes vt coosulantur, ſi illarom remediis non vtantur, non comprebenduntor caſu reſeroato. Portell. *ſuprà num.* 30. Fagundex *ſupra num.* 9. Peyrinis *ſuprà*. Qui duo etiam addunt, idem eſſe diceodum, etiamſi ex conſilio ſagæ ad maleficia componenda colligant oſſa mortuorum, aut alias res ſacras, vel prophanas, qoia maleficium per hoc uon faciunt, nec eo vtuntur, licèt materiam præparent. Grauiſſimè autem in eo peccate non eſt dubium. Fagundez *ſupra*.

Similiter circa incantationem, ſi ea Regolaribos 7
ſit caſus reſeruatus, tunc in eum incidiſſe cenſendi ſunt, cum aliquibus verbis, vel ſignis inutilibus, vel Inefficacibus ad aliqnem effectum conſequendum vtantor, vt ſi v. g. ignotis litteris, figutis, ſignis, caracteribos, aut nominibus, etiam Angelorum, aut aliarum rerum prolatis intendant ſanitatem alicui dare, aot aliquam rem improportionatam efficere. Caietanus *in Summa, verbo Incantatio*, Nauarrus *ſupra num.* 25. Portellus *ſuprà num.* 10. Faguodex *ſuprà num.* 11. Idem eſt dicendum, etiamſi talia verba ſint Sacra, v. g. ex Euangeliis aut Sacta Scriptura deprompta, ſi cum illis adhibeatur aliqua vana, & inutilis circumſtantia, vt quod profetantur tali die, tali hora, cum tali ſitu corporis, aot tali voce, aut quod ſiot ſcripta tali modo, aut tali charta. Nauarr. Portel. & Fagund. *ſupra* Aut ſi talia verba ſint falſa, v. g. quod Chriſtus habuit febres, aut quod Beatiſſ. Virgo haboit dolores in partu. Fagundex *ſup.* referens Nauarrum. Idem dicendum, ſi effectus ſecutus ex talibus verbis ſit vanus, & inutilis, vt ſi ex aliorum prolatione moueatur annulus, vel cribrum, vel quid ſimile. Iidem Nauarrus, Portell. & Fagund. Addit Port. etiamſi id fiat ex ioco. Addit etiam Fagund. *ſup. n.* 10. quod & ſequitur Peyrin. *ſup* idem dicendum de iis, qui pactum implicitè, vel explicitè cum Dæmone ineunt, auxilium ab eo expectando, vel ipſum colendo. Sed licet hoc grauiſſimum peccatum ſit, & grauiſſimis pœnis dignum, quia tamen non eſt formaliter incantatio, quæ vt dixi, ſolùm conſiſtit in vſu verborum, ſignorum, &c. inutilium ad aliquem effectum conſequendum, ideo, vt credo, non comprehenditor hoc caſu.

Circa prædicta autem verba, ſigna, vel quælibet 8
alia, quæ per veneficia, vel incantationes applicantur ad effectus improportionatos, maximè pro foro externo, notanda eſt regula, quam ex D. Thom. Gerſone, & aliis colligont communiter DD. quod quoties res aliquæ, ſiue verba, &c. applicantur ad aliquem effectum, ad quem producendum non habent virtotem naturalem, nec ex S. Scriptura, vel reuelatione conſtat eiſdem eſſe tributam virtutem aliquam ſupernaturalem ad talem effectum, ſemper haberi debere vt ſoſpecta de pacto cum Diabolo inito expreſsè, vel tacitè. Portellus *ſupra n.* 12. Qui tamen ex Victoria, & Delrio benè animaduertit, non ſemper effectus, qui nobis videntur mirabiles, procedere à Diabolo, nam poſſunt procedere à cauſa naturali nobis incognita, maximè per Magiam naturalem, quæ cognitis ſecretis virtutibus rerum naturalium, illaſque miſcendo, producit effectus, naturales quidem, ſed vulgo incognitos, quia ignorantur commuoiter rerum illarum particulares virtutes. De quo etiam Sanch. *ſup. cap.* 40. *n.* 32. Vbi etiam *n.* 44. quid ſentiendum quando res eſt dubia.

Vt autem ſciatur, quando regulares in caſum præ- 9
dictum denotatum per particulam illam *Sortilegium*, incidant, præmittendum ex D. Th. ab omnibus recepto 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 8. ſortes propriè eſſe, cum aliquid fit, vt eius euentu conſiderato aliquid fiat, aut innoteſcat. Et eas eſſe triplices, quædam ſunt *diuiſoriæ*, vt ſciant ſortientes quid cuiqoe tribuendum

in electionibus, controuerſiis, &c. Aliæ ſunt *conſultoria*, quibus diuina voluntas exquiritur, vt ſciatur quid in aliquo negotio faciendum, cauendumve ſit. Aliæ *diuinatoria*, quibus aliqui vtuntur ad occulta cognoſcenda, vt ſi ſic, vel aliter taxilli, chartæ, &c. decidant, coniecturatur proſper, vel aduerſus caſus; vel cum diuerſa nomina collocantur in vrna, vt coniecturetur furtum eſſe apud eum cuius nomen educitur. Ex quibus ſortibus illæ, quæ ſunt *diuiſoria*, licitæ ſunt iure naturæ, vt in ſortibus, quæ mittuntur ad dirimendas controuerſias inter hæredes, & legatarios ad aliqua bona obtinenda, & in electionibus ad officia ſæcularia, & aliis caſibus ſimilibus. *Conſultoria*, autem rarò ſunt licitæ, cum Deus non velit ſuam voluntatem ſortibus indagari, ſed Eccleſiæ, & Sanctorum doctrinis, ac petito à viris prudentibus conſilio. Licet poſſint eſſe licitæ aliquibus conditionibus concurrentibus. *Diuinatoria*, autem ſortes ſunt omnino illicitæ, & ſuperſtitioſæ, quia cum illæ ſint medium improportionatum ad talia occulta cognoſcenda, proculdubio ſunt vanæ, & ſuſpectæ de Dæmonis ſaltem tacita inuocatione. Quare Ius Canonicum eas interdicit, *can. ſi quis Epiſcopus, & can. ſequenti*, 26. *quæſt.* 5. De illis noſter Ioannes Beetz *in præcept. Decal. circa* 1. *præc. expoſit.* 4. *c.* 6. Sayrus *ſup. cap.* 5. *à num.* 15. Sanchez *ſup. cap.* 38. *à num.* 56. & alij communiter.

10 Ergo ad intentum, tunc Regulares incidiſſe credi debent in prædictum caſum reſeruatum per illam particulam *ſortilegium*, quando præiactis ſortibus, aliquid occultum, ſiue præteritum, vel futurum noſcere vellent. Graſſius *ſupra num.* 16. Portellus *ſuprà num.* 21. Peyrinis *ſuprà*, Bordonus *ſupra num.* 11. Omnem etiam diuinationem per medium impertinens ſpectare ad hunc caſum, tenent Graſſius, & Longus *in explicatione huius caſus*, Portellus *ſup. n.* 13. Peyrinis, & Bordonus *ſupra*. Quia tamen, vt dixi, cum reſeruatio caſuum non ſit amplianda, ſed potius reſtringenda, ideo cum ſortilegium ſolùm importet diuinationem per ſortes, non video cur extendi debeat ad alias diuinationes. Quod ſi oppoſita ſententia aliquibus placeat, cum communis ſit, pro huiuſmodi diuinationis ſpeciebus cognoſcendis adeat Ioannem Beetz *ſupra, expoſit.* 4. *c.* 3. 4. *&* 5. Delrium *lib.* 4. *Diſquiſ. Magic. c.* 2. *quæſt.* 6. *&* 7. Toletum *ſup. c.* 15. Sanchez *d. c.* 38. *à num.* 13. Sayrum *d. cap.* 5. *à num.* 5. Leſſium *ſup. dub.* 5. & alios.

11 Ex dictis autem patet, quando Regulares exercentes ea, quæ aliquæ perſonæ vulgò vocatæ *Enſalmadores*, ſeu *Saluatores*, exercent, in prædictum caſum incidant. De illis autem ſpecialiter agunt Leſſius *ſup. dub.* 10. Sanchez *dict. c.* 40. *n.* 39. 45. *& ſequen.* Fagund. *ſuprà n.* 16. Portellus *ſuprà n.* 6. *&* 8. & alij apud ipſos.

12 Nota etiam, quod in huiuſmodi peccatis veneficij, incantationis, & ſortilegij non poteſt dari paruitas materiæ, cum fundentur, vt dictum eſt, in tacita, vel expreſſa Dæmonis inuocatione, in qua non datur. Leſſius *ſup. c.* 4. *num.* 26. Sanchez *ſup. c.* 38. *num.* 18. poſt Valentiam, & Delrium. Diana 5. *part. tract.* 5. *reſol.* 39. poſt Caſtrum Palaum, & alios.

VESTES SACRÆ.

SVMMARIVM.

1 *Veſtium Sacrarum inſtitutio, & neceſſitas.*
2 *Quot ſint.*
3 *Qualitas ipſarum.*
4 *Debent eſſe benedicta.*
5 *Quando ceſſet earum benedictio.*
6 *Quid de alba, ſi reficiatur.*
7 *Quid quando vetuſtate conſumpta fuerint.*
8 *An fieri poſſint ex materia alias prophana.*
9. *An vendi, vel alienari.*
10 *De veſtimentis Epiſcoporum.*

VEſtes Sacras, quibus Sacerdotes, & Miniſtri 1
in Sacrificio Miſſæ peragendo vtuntur, rationabiliter inſtitutas eſſe ab Eccleſia, conſtat ex eiuſdem Eccleſiæ traditione, vſu veteris legis *Exodi* 28. *ex cap. veſtimenta, de conſecrat. diſt.* 1. Concil. Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. & aliis iuribus, & Authoribus. Noſter Vualdenſis *tom.* 1. *doctrin. fid. lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 58. Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa, cap.* 29. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 82. *ſect.* 2. Vnde cum veſtibus profanis celebrare nunquam licet, niſi forſan in caſu grauiſſimæ, & rariſſimæ neceſſitatis (quæ vix accidere poteſt) in quo immineret periculum mortis Sacerdoti, ſi id non faceret, & id non peteretur ab ipſo in odium fidei, neque eſſet ſcandalum. Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *num.* 17.

Sunt autem huiuſmodi veſtes, quibus Sacerdotes 2
vtuntur, ſex, ſcilicet *amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola*, quæ etiam *orarium* dicitur, *planeta*, ſiue *caſula*. Diaconi autem, & Subdiaconi vlterius vtuntur dalmaticis, quæ olim dicebantur *colobia*, ad inſtar *ephod*, cuius vſus erat in veteri lege. Henriquez *ſuprà*. Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, circa* 1. *præcept. lib.* 3. *cap.* 23. Cardin. Lugo *de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 98. De myſtica verò etiam ſignificatione, ſiue ad Chriſti paſſionem, ſiue ad virtutes, aut mores referantur, latè prædicti Authores. Gabriel *lect.* 15. *in Canon.* Durandus *in Rationali diuin. offic. lib.* 5. Graſſius *part.* 1. *deciſ. aurear. lib.* 2. *cap.* 41. Toletus *in Summ. lib.* 2. *cap.* 2. *à num.* 3. Layman. *ſuprà num.* 14. Bonacina *de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. vnic. punct.* 5. *à num.* 44. & alij. De earum etiam figura Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 22. *quæſit.* 4.

Circa eas verò nota primò, debere eſſe honeſtas, 3
& proportionatas vſui, ad quem deſeruiunt, iuxta dicta *ſuprà verbo Vaſa Sacra, num.* 6. Quod etiam habetur *ex cap. veſtimenta, de conſecrat. diſt.* 1. Secundò, nitidas, & mundas aſſeruari debere, iuxta dicta etiam *ibid.* Ita vt iuxta eo loco dicta *ex cap. relinquis, de cuſtodia Euchariſtiæ* (vbi Innocentius tertius vocat *abſurdum in ſacris ſordes negligere*) peccatum mortale plerumque ſit veſtibus notabiliter immundis celebrare. De quo, præter Authores ibi relatos, Syluester *in Summa, verbo Miſſa* 1. *quæſt.* 2. *dicto* 3. Sà *in Summa verbo Miſſa, num.* 15. Notat autem Laymanus *ſuprà num.* 15. (quod pro praxi Regularium deſeruire poteſt) quod ſi Sacerdos ſubditus monuerit ſuum Prælatum, vt veſtes, vel vaſa Sacriſtiæ mundari iubeat, iſque negligat facere, excuſari talem Sacerdotem celebrando cum illis immundis, propter neceſſitatem celebrandi. Tertiò, debere eſſe integras, non notabiliter dilaceratas. Toletus *ſuprà num.* 2. Quartò, quoad materiam iſtarum veſtium, quod licet amictus, & alba linea eſſe debeant, aliæ verò veſtes poſſunt eſſe ex quacunque materia honeſta, ſcilicet ſerico, lana, &c. Suarez *ſuprà*, §. *ſecundò obſeruandum*. Fagundez *ſuprà num.* 7. Qui etiam notant, quoad colorem vtendum eſſe eo, qui pro variis temporibus, & feſtiuitatibus ab Eccleſia inſtitutus eſt. Quintò, quod illis aliis in vſibus quàm in Eccleſiaſticis, nullus vti poteſt. *cap. veſtimenta* relato, *& cap. ad nuptiarum, ibid.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 3. *c.* 2. *n.* 34. Sextò, quod non debent tangi quando benedicta ſunt, niſi à ſacratis hominibus, *cap. veſtimenta, & c. ad nuptiarum*, relatis. Angelus *in Summa, verbo Veſtis, num.* 2. Licèt oppoſitum teneant Ioannes de Cruce *de Sacrificio Miſſæ, quæſt.* 3. *dub.* 4. *concluſ.* 3. Layman. *ſuprà num.* 20. Quod tamen intelligunt

intelligunt de veſtibus Sacerdotalibus, quæ non tangunt immediatè Euchariſtiam, aut non ſunt Chriſmate Sacro perunctæ. Quia ergo Corporalia immediatè tangunt Corpus Chriſti, ideo ſi ſint ſordida, ſunt priùs, ſub peccato (ſaltem veniali) à Sacerdote, aut Diacono lauanda, & lotio mittenda in piſcinam, *c.nemo, de conſecr.diſt.*1. poſt primam tamen lotionem licitè traduntur Corporalia, & Purificatoria mulieribus, maximè Religioſis iterum lauanda. Ita Caietanus *verbo Mulierum peccata*, Ledeſma *in Summa, cap.*20. Ioannes de Cruce *ſupra, concl.*1.

5 Maximè ſeptimò nota, veſtes Sacras debere eſſe benedictas. Ita enim colligitur *ex d. cap. veſtimenta*, antiqua Eccleſiæ conſuetudine, & benedictionibus pro hac re contentis in Cæremoniali Romano. Sotus *in 4.diſt.*3.*quæſt.*2. Henriquez *ſupra cap.* 26. Suarez *ſupra ſect.*2. Vnde ſine aliqua ex his veſtibus benedictis, aut cum aliqua non benedicta celebrare, regulariter eſt peccatum mortale, quia eſt contra Eccleſiæ præceptum & conſuetudinem in re graui. Suarez *ſupra*. Fagundez *ſupra num.*15. ex aliis. Dixi *regulariter*, quia in caſu neceſſitatis grauis, ad vitandum periculum mortis id liceret, ceſſante ſcandalo, & fidei contemptu, quia præcepta humana non obligant cum tanto rigore. Henriquez *ſupra*, Fagundez *ſuprà num.* 17. Dixi etiam *regulariter*, quia celebrare ſine aliqua veſte ex minoribus, v.g. cingulo non benedicto, in caſu alicuius neceſſitatis, ſolùm videtur veniale, vti graues Doctores cenſent. Suarez *ſupra*, §.*ſecundò dicendum*, Additionator Toleti *ad dictum c.*2. Ioannes de Cruce *ſuprà, concl.*1. Lugo *ſuprà*. Imò celebrare ſine cingulo benedicto, nullum erit peccatum in illis partibus, in quibus conſuetudo eſt illud non benedicendi. Talis enim conſuetudo legem contrariam abrogaſſe cenſeri debet, Syluester *ſuprà dicta* 2. Nauarrus *in Man. c.*25.*num.*84. ex Ricardo, & Scoto. Caſu autem quo cingulum benedictum non habeatur, poteſt Sacerdos pro illo vti ſtola, ſicut etiam ſtola pro manipulo, & manipulo, ſi oblongum fuerit, pro ſtola. Syluester *ſup. verbo Benedictio, quæſt.*6. Nauarrus *ſupra*, poſt Paludanum, Azor. *to.*1. *Inſtit. mor. lib.* 10. *c.*28.*q.*9. Quando autem vna veſtis benedicta pro alia deſeruit, neceſſe non eſt, quod iterum benedicatur. Syluester *ſup* Laym. *ſuprà n.*17. A quo autem dari poſſit hæc benedictio, præcipuè an à Prælatis Regularibus, habes ex dictis *ſup. verbo Benedictio, & Benedicere, num.*5. & ſequentibus.

Octauò, circa ceſſationem huius benedictionis dicendum conſequenter ad dicta *ſuprà verbo Paramenta Sacra, num.*3. quod veſtes Sacræ exſecrantur, vel amittunt benedictionem, itavt noua indigeant, quando ita rumpuntur, vt aptæ non ſint ad vſum, ad quem fuerant deſtinatæ, aut non amplius priorem retinent figuram, provt ibidem ex Armilla, Angelo, Barboſa, & aliis retuli. Quibus adde Card. Lugo *ſup. n.*99. & Tamburinum *dict. quæſit.*4.*n.*1. Quando autem veſtis Sacra cenſeri debeat ita rupta, vt apta non ſit ad finem, ad quem fuerat deſtinata, vel quando amittat priorem figuram, iudicio boni viri ſtandum erit. Syluester *dicto verbo Benedictio, quæſt.*6. Qui ſpecialiter quoad cingulum fractum dicit, quod quandiù altera pars tanta remanet, quod ſufficiat ad honeſtè ex more cingendum, liceat cum eo celebrare, maximè in neceſſitate, quia videtur eſſe corpus vniforme, cuius ſcilicet quælibet pars eſt eiuſdem rationis, vel qualitatis cum alia, vel cum toto, licet non eiuſdem quantitatis, & quod multò melius id liceat, ſi antequam fractura compleatur, fortificetur nodo, vel grupo. Ita etiam Fagundez *ſuprà num.*14. ex Henriquez, & aliis.

6 Ex quo collige, albam non indigere noua benedictione, ſi ad eam reficiendam aliqua adiunguntur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamſi quæ adduntur non ſint benedicta. Acceſſorium enim ſequitur principale. E contra verò deſinit eſſe benedicta, ſi ex ipſa abſcindatur manica, quamuis illi poſtea eadem manica aſſuatur; nam per abſciſſionem manicæ ita perfringitur, vt non ſit apta ad vſum, ad quem fuerat deſtinata, nec amplius retinet priorem figuram. Angelus *in Summa, verbo Benedictio, num.*3. Bartholomeus ab Angelis *dialogo* 5. §.265. Barboſa *ſupra num.* 37. Et ob hanc rationem ſtola facta de planeta benedicta debet iterum benedici, non ſolùm quia ad ipſam eſt data particularis benedictio, ſed quia eſt mutata forma, quam habebat, & quæ dabat eſſe rei. Vgolinus *de poteſt. Epiſcopi c.*32.§.1.*num.*36. Barboſa *ſupra num.*38. Tamburinus *ſuprà*. Quod ſi huiuſmodi veſtes breuiores factæ ſint, modò formam non mutent, benedicendæ iterum non ſunt. Tamburinus *ſupra*, ex Vgolino, & Barboſa. Quod ſi de ſtola fiat manipulus, vel de manipulo ſtola, non debent iterum benedici, quia non differunt in figura, niſi ſolùm quod vnum eſt breuius altero. Angelus, & Tamburinus *ſuprà*.

Conſequenter etiam ad dicta eo verbo *Paramenta Sacra*, quando huiuſmodi veſtes vetuſtate conſumptæ fuerint, itavt ampliùs deſeruire non poſſint, incendio dari debent, & cineres in Baptiſterio, vel alio loco abdito condi, nullatenus tamen in vſus prophanos conuerti poſſunt, provt præter Authores eo loco relatos, tenet Laymanns *ſupra num.* 20. & Tamburinus *ſupra num.*2. ante illos ex antiquioribus noſter Bacco *in 4.diſt.*11. *q.*1.*art.*5. 7

E contra tamen, conſequenter etiam ad dicta eodem verbo *Paramenta Sacra*, huiuſmodi veſtes Sacræ 8
fieri poſſunt ex materia aliàs prophana, etiam ex fœminarum veſtibus, propter dicta eo loco, quod etiam tenent Angelus *ſup. verb. Veſtis, n.*1. Syluester *ſup. verb. Veſtis*, Fagundez *ſup. n.*23. Licet oppoſitum teneat Bacco *ſup.* quem alij ſequuntur.

Qualiter autem prædicta vendi, aut alienari non 9
poſſint, niſi cum quibuſdam circumſtantiis, collige à ſimili ex dictis eo verbo *Paramenta Sacra, num.* 3. vbi etiam alia ad intentum.

De veſtimentis Epiſcoporum, dum in Pontifica- 10
libus celebrant, tractat Durandus *lib.*2. *de ritibus Eccleſiaſticis, cap.*9. De Superpelliceo, Dalmatica, & Tunicella, Fagundez *ſupra num.*24. *&* 25. & Tamburinus *ſupra a num.*14.

VICARII RELIGIONVM.

SVMMARIVM.

1 *Vicarij qui dicontur.*
2 *Alij ſunt veri Prælati, alij non.*
3 *De Vicariis Generalibus.*
4 *De aliis Vicariis Generalibus.*
5 *Quæ obſeruanda in ipſorum inſtitutione.*
6 *De Vicariis Prouincialibus.*
7 *De Vicariis Conuentualibus.*
8 *De aliis Vicariis Conuentualibus.*
9 *De Vicariis Monialium.*
10 *De Vicariis Epiſcoporum.*
11 *Alia remiſſiuè.*
12 *Curandum vt Vicarij non deſint ſuæ reſidentiæ.*
13 *Dubium de quodam Vicario Epiſcopali.*
14 Primicerius *quod officium importet.*
15 *Docet Diaconos, & alios Clericos tantum.*
16 *Habet gradum, & locum honorificum.*
17 *Si curam animarum exercet, non poteſt ab illa extrahi.*
18 *Ex declaratione S. Congregat.*
19 *Ex ſtrictiſſima obligatione Parochi ad reſidendum.*

20 *Si non habet curam animarum, an impediri poſſit.*
21 *Ex* cap. de cætero, de cleric. non reſid.
22 *An derogatum per Concilium.*
23 *Non* ex cap. ad audientiam, de cleric. non reſid.
24 *An ex quibuſdam declarationibus S. Congregat.*
25 *Quatenus primicerius non poteſt extrahi.*
26 *Propter reſidentiam beneficiatorum.*
27 *Ex munere Primicerij.*
28 *Quia iura relata ſolùm loquuntur de canonicis.*
29 *Ex multis Doctoribus.*
30 *Quid de aliis.*
31 *An modò Epiſcopi poſſint extrahere canonicos pro ſuo ſeruitio.*
32 *An ſit probabile contrarium.*
33 *Ex* d. cap. de cætero.
34 *Vicarius dicitur eſſe in ſeruitio Epiſcopi.*
35 *Exemplo Vicarij.*
36 *Seruiens Epiſcopo Eccleſiæ ſeruit.*
37 *Abſens pro ſeruitio Eccleſiæ fructus percipit.*
38 *Ita videntur tenere plures DD.*
39 *An concurrente Epiſcopi diſpenſatione.*
40 *Rota deciſio.*
41 *Debet Epiſcopus prouidere vt abſentia talis Primicerij non ſit damnoſa Eccleſiæ.*
42 *Subſtituendo alium.*

1 VIcarij etymologia ſumitur à vice quam gerit. Syluester in *Summa, verbo Vicarius, in princip.* Generaliter etiam loquendo Vicarius eſt ille, qui vices gerit alterius, ſiue in officio contentioſo, ſiue non contentioſo. *De officio Vicarij* per totum, *& C. de offic. eius, qui vices alterius gerit*, etiam per totum. Angelus *in Summa, verbo Vicarius, in princip.* Syluester *ſuprà*, & alij Summiſtæ communiter. Ad intentum ergo Regularium, illi dicentur Vicarij in Religionibus, qui vices Superiorum gerunt.

2 Iſti autem Vicarij in Religionibus, conſequenter ad dicta *tom. 1. c. 18. num. 3. & tom. 1. p. 2. c. 13. n. 39. 40. & 41.* alij ſunt veri Prælati, illi ſcilicet, qui in eo munere, quod gerunt, non habent Superiores, alij verò non Prælati, illi videlicet, qui ſolùm instituti ſunt, vt adiuuent Prælatos. Quod ex modo electionis ipſorum, ſtatutis, & conſuetudine Religionum deſumendum eſt. De quibus non ſolùm Suarez, Rodriguez, & Portell. eo loco relati, ſed etiam Caſſarub. *in Compend. Priuil. Mendicant. verb. Vicarius*, Corduba *ibid.* & Bordonus *reſol. 2. num. 8.* Similiter, conſequenter ad dicta eo *cap. 13. num. 39. & 41.* huiuſmodi Vicarij, alij ſunt *Generales*, ſic dicti, vel quia à Generalibus ſunt constituti, vel quia pro tota Religione, vel ſaltem Congregatione aliqua ipſius; alij *Prouinciales*, ſic etiam dicti, vel quia à Prouincialibus conſtituuntur, vel quia pro tota Prouincia; alij denique *Conuentuales*, ſic quoque appellati, vel quia ſolùm à Prælatis immediatis, videlicet Prioribus, Guardianis, &c. nominati ſunt, vel quia ſolùm pro vno Conuentu, ſeu Monaſterio ſunt deſignati. Qui aliquando *Vicarij in capite* nominantur, aliquando verò *Superiores*, *Vicarij Chori*, &c. Alij etiam ſunt Vicarij Monialium. De quibus omnibus ſigillatim dicendum.

3 Et quidem loquendo de Vicariis Generalibus, qui iuxta iura Ordinis, vel per electionem à particularibus Congregationibus electi ſunt, quales ſunt Vicarius Generalis Congregationis Mantuanæ in Ordine noſtro; & alij in aliis Religionibus, iuriſdictionem ordinariam habent aliis delegabilem, iuxta dicta eo *cap. 13. num. 17.* Et ita declarauit Sacr. Congregatio de ann. 1626. pro Vicario Generali Auguſtinianorum Diſcalceatorum Italiæ, teſte Nouario *in Lucerna Regularium, verbo Vicarius, n. 4.* Gaudent etiam prædicti Vicarij Generales priuilegiis conceſſis Generalibus earundem Religionem. Tum quia in re ſunt ipſi Generales, cum nullum habeant ſupra ſe in Religione ſuperiorem, quod eſt proprium Generalium: tum quia priuilegium non ſolùm cenſetur conceſſum perſonis, quæ in illo exprimuntur, ſed etiam illis quæ propter vocis ſignificationem ipſo comprehenduntur, iuxta dicta *ſuprà* verbo *Priuilegia Regularium, n. 5.* Præſertim quia, vt ibi dixi, *ex l. vlt. ff. de conſt. Princ. & cap. cum olim, de verbor. ſignific.* Principis beneficium latè explicari debet. Pro quo faciunt quæ dixi *tom. 1. c. 18. n. 3.* ex Suarez, & Rodriguez ibi relatis, & quæ affert Portellus *in Dub. Regularium, verbo Vicarius, in capite, num. 3.*

Loquendo autem de aliis Vicariis Generalibus, 4
qui non iure Ordinis, aut per electionem fiunt, ſed ſolùm per nominationem Generalium, tales quidem à Generalibus conſtitui poſſe, conſtat tum ex iure communi, *cap. Paſtoralis, de offic. Iudic. Ordin. & cap. cum Epiſcopus, de Offic. Ordinar. in 6.* & ex aliis iuribus: tum ex vſu Religionum, tum etiam ex declaratione Sacr. Congregationis pro Ordine Minimorum, quam refert Peyrinis *tomo 1. Priuileg. Minimor. Conſtit. 14 Leonis X. num. 4.* Tales autem, iuxta dicta eodem *num. 17.* ſolùm habent iuriſdictionem delegatam amouibilem à Generalibus, nec eam poſſunt ſubdelegare, niſi pro caſu quo ipſis id eſſet commiſſum, aut pro cauſa aliqua determinata, ſi ipſi eſſent delegati ad vniuerſitatem cauſarum, iuxta dicta eo *cap. 13. num. 16.* Cùm autem iſti Vicarij Generales ſint veluti Commiſſarij, ideo quæ diximus *ſuprà* verbo *Commiſſio, & Commiſſarius Regularis, & ſup. verb. Mandatum*, ipſis applicari poſſunt. [Maximè quod non ſe debeant ingerere in iuriſdictionem ordinariam Prælatorum, niſi in caſu appellationis, dixi ex declarationibus Sac. Congregationis eo *cap. 13. n. 16.*] Adde, huiuſmodi Vicarios miſſos à Generalibus, honorari debere, etſi non tantùm quantùm ipſi Generales, prout ex S. Antonino, Nauarro, & Rodriguez probat Peyrinis *tom. 1. de Subdito, quæſt. 1. cap. 18. concl. 2.* & conſtat à ſimili ex declaratione Sac. Congregationis, quam refert Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Vicarius Generalis Epiſcopi 1.* in quibus dicitur, Vicario Generali deberi reuerentiam, & honorem, non tamen ſicut Epiſcopo.

Circa ipſorum autem inſtitutionem obſeruari de- 5
bent non ſolùm quæ in particularibus Conſtitutionibus Religionum ſtatuuntur, ſed etiam alia, quæ iure communi videntur neceſſaria. Ex quibus vnum videtur eſſe, quod Generales tales Vicarios Generales conſtituentes, debeant eſſe vero, & legitimo impedimento detenti, aut ita impediti, vt non poſſint per ſe tale munus exercere. Peyrinis *in Formular. littera V, cap. 6. num. 6.* Notans etiam in ſequentibus, quod in litteris patentibus talis Vicariatus, debeat exprimi tale impedimentum. Quod communiter practicari credo in Religionibus. Deinde requiritur, quod iuriſdictio talium Generalium Vicarios conſtituentium impedita, aut ſuſpenſa non ſit per excommunicationem, aut aliam cenſuram, propter dicta *ſupra verb. Commiſſio, & Commiſſarius Regularis, n. 7. & verbo Excommunicatio quoad Regulares, num. 33.* Vbi etiam *num. 34.* an talis delegatio iuriſdictionis, quando delegans eſt excommunicatus toleratus, valida ſit. Vnde ſi Generales ipſos conſtituentes, in excommunicationem incidant, poſtquam illos conſtituerunt, cùm per talem excommunicationem ſuſpendatur Generalium iuriſdictio, ſic etiam & Vicariorum, cum iſta pendeat ab illa, iuxta dicta eodem *verbo Commiſſio, & Commiſſarius Regularis, num. 5.* Vbi etiam alia ad hoc intentum, præſertim quomodo debeat hoc intelligi re integra manente, id eſt antequam ipſi Vicarij inceperint exercere

dum

ſuum munus, & quid ad hoc requiratur. Tertiò requiritur, quod tales in Vicarios Generales conſtituti, excommunicatione (idem dico de alia cenſura) affecti non ſint. Excommunicatus enim incapax eſt iuriſdictionis ſuſcipiendæ, qualis datur per Vicariatum. Peyrinis *ſupra num.* 12. Quartò, illegitimos non poſſe eligi in Vicarios Generales, conſtat ex dictis *tom. 1. p. 1. cap. 13. num.* 50. Quoad locum verò, ſeu præcedentiam, quam tales Vicarij tenere debent, quidquid ſit de ſtatutis particularium Religionum, ſtando in Iure communi videtur dicendum, debere præcedere omnibus illis, quibus præcedunt Generales, qui eos in Vicarios conſtituerunt, cum gerent vices illorum, *cap. Paſtoralis, §. Præterea, de Offic. Ordinary, cap. ſanè, el ſecunda de officio iudic. deleg.* Peyrinis *ſuprà cap. 5. num.* 4. Secus dicens, quando tales Vicarij non ſunt conſtituti niſi pro aliquo caſu emergenti, quia tunc non debent præcedere prædictis, niſi quando actualiter exercent ſuum munus. Vide declarationes Sacr. Congregationis circa Vicarios Epiſcopales apud Barboſam *ſuprà, verbo Vicary Generalis præceden ia, & locus, n.* 3.

6 De Vicariis quoque Prouincialibus, tam illis, qui iure Religionum per conſtitutiones, aut veram electionem electi ſunt, quàm de aliis, qui ſolùm per nominationem à Prouincialibus factam conſtituti ſunt, eodem modo reſpectiuè philoſophandum eſt, ac de Vicariis Generalibus, iuxta dicta ſimiliter *tom 1. part. 2. cap. 13. num.* 28.

7 Pariter etiam de Vicariis localibus Conuentuum, aut Monaſteriorum philoſophandum eſt reſpectiuè ac de Vicariis Generalibus, ac Prouincialibus. Vnde illi, qui vocantur, & ſunt Vicarij in capite, cùm ſint veri Prælati illorum Conuentuum, ſeu Monaſteriorum, gaudent iiſdem Priuilegiis, quibus dicti Priores, Guardiani, &c. iuxta dicta *tom 1. part. 1. cap. 18. num.* 3. Vnde ſpecialiter habere facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, tenet Bordonus *reſol. 54. num.* 29. ex Suarez, Rodriguez, & aliis. Similiter, iuxta dicta eo *cap. 13. num.* 39. poterunt facere omnia, quæ alij Prælati immediati Conuentus. De illis etiam ſpecialiter quoad Ordinem Minorum agit Caſſarubius *ſupra num.* 5.

8 Cæterum loquendo de Vicariis Conuentuum, qui in ipſis Conuentibus Superiorem agnoſcunt, & ipſi non ſunt veri Prælati, quales in noſtro Ordine *Superiores* vocantur, & in aliis Religionibus *Vicary Conuentus*, ſeu *Vicary Chori*, iam dixi eo *cap. 13. n.* 40. non debere dici habere dignitatem Eccleſiaſticam, ſed vel perſonatum, vel præcedentiam, iuxta diuerſorum Ordinum ſtatuta. Cum autem non ſint veri Prælati; non poſſunt vti priuilegiis Prælatorum, prout in ſpecie de facultate eligendi ſibi Confeſſarium, tenent Diana *6. part. tract. 8. reſol.* 15. & Bordon. *ſupra num.* 30. An verò id facere poſſint ſaltem in abſentia Prælatorum immediatorum, conſule dicta eo *cap. 13. num.* 41. Dianam *ſuprà, & p. 3. tract. 2. reſol.* 1. Megalem *lib. 1. de Pœnit. cap. 10. num.* 4. & Bordon. *ſuprà.* An poſſint cum Prælati immediati per vnum diem v.g. abſunt è Conuentibus, abſoluere ab his caſibus reſeruatis, à quibus ſoli dicti Prælati abſoluere poſſunt, conſule Peyrinis *tom. 1. Priuil. Minim. in Conſtit. 4. Sixti IV. num.* 26. & Dianam *eo tract. 2. reſol.* 28. De talibus etiam Vicariis Religioſorum declareuit Sac. Congregatio apud Sellium *in Select. cap. 18. num.* 43. & Tamburinum *de Iure Abbatiſſar. diſp. 25. quæſt. 4. num.* 7. alloqui non poſſe Moniales, niſi vices Priorum ſubeant.

9 Loquendo etiam de Vicariis Monialium, iam dixi *tom. 1. part. 1. cap* 25. *num.* 2. eos non eſſe veros Prælatos ipſarum, eſto ſuper illas habeant aliquam ſuperintendentiam. Caſu verò quo fuerint ipſarum Prælati, prout Caſſarubius *ſuprà*, & Portellus *in Dub. Regular. verbo Vicarius in capite*, de Ordine Minorum tenent, poterunt ea facere, quæ veri Prælati faciunt. An verò poſſint benedicere corporalia, & paramenta pro ipſis Monialibus, conſule Portellum *ſupra*, & ea quæ dixi *ſupra* verbo *Benedictio, & Benedicere*, præſertim *num.* 8.

De Vicariis Epiſcoporum agere, quia res eſt non 10
directè pertinens ad Regulares, vide Sbrozium *de
offic. Vicary*, Rebuffum *in tract. partionis benefic. Vicar.*
Campanile *in Diuerſ. iuris, rubric. 7. cap. 6. à num.* 113.
& rubric. 11. cap. 23. à num. 148. Naldum *in Summ. verbo
Vicarius*, & Barboſam *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 25.
& de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 54. poſt alios, quos
referunt. Nota tamen, quod iuxta dicta *tom. 1. cap. 19.
num.* 14. poſſunt Regulares, ſaltem ex vi iuris communis, munus Vicariorum Epiſcopalium exercere
cum licentia Superiorum, & vtilitate Monaſterij.
Quod non ſolùm tenet Azor. & Rodriguez eo loco
relati, ſed etiam plures, quos refert Nauarius *ſuprà
num.* 1. Quamvis *num.* 1. referat declarationem quandam S. Congregationis in contrarium, quam tamen
non conſtet eſſe authenticam.

Vide dicta *ſuprà* verbo *Commiſſio, & Commiſſarius*, 11
ac *ſuprà* verbo *Mandatum*, & dicenda infrà verbo
Viſitator Regularis.

His quoque addendum, quod in electione, ſeu 12
deſignatione huiuſmodi Vicariorum cauiè curandum, vt quorum fieri poteſt, nec obſtent Ordinum
ſtatuta à Sede Apoſtolica approbata, hi Vicarij ſic
inſtituendi, vt ſi aliàs Prælati fuerint, non deſint reſidentiæ pro Prælatis neceſſariæ, iuxta dicta *tom. 1.
part. 1. cap. 18. num.* 25. Ad quod deſeruit ſaltem à ſi- 13
mili, reſolutio à me data in caſu quodam, in quo
quærebatur, an Epiſcopus poſſit inſtituere Vicarium Generalem ſui Epiſcopatus quendam Primicerium Eccleſiæ cuiuſdam Collegialis ſuæ Diœceſis. Ad quod ſic reſpondi.

Responsio.

Suppono quod *Primicerius*, eſt idem quod *primus* 14
Cantor, ſeu *primus ratione cantus*, quia eius munus eſt
docere quid ſit canendum in choro, *cap. Perlectis, 25.
diſt.* Lælius Zecchius *de Republ. Chriſt. tit. 24. à num.* 16.
Petrus Gregorius *in Syntagm. Iur. lib. 15. cap.* 22. Barboſa *de Iur. Eccleſ. lib. 1. cap.* 28. Imò etiam ad illum 15
ſpectat docere Diaconos & reliquos Clericos de
cantandi forma & aliis ſpectantibus ad diuinum
Officium, *cap. Vnico, de offic. Primiceriy.* Gloſſ. *in d. cap.
vnic.* Zecchius *ſuprà*, Barboſa *num.* 6. poſt alios. Vnde
habet gradum & locum honorificum inter vel iuxta Canonicos, ſecundum locorum conſuetudinem,
& in proceſſionibus poteſt capere pluuiale, ſicut
Dignitates, & non planetam ſicut Canonici, iuxta 16
quandam declarationem S. Congregationis Rituum, quam refert Barboſa *ſuprà num.* 9. Quia tamen contingere poteſt vt aliquando ſit etiam Canonicus, aliquando vlterius exerceat curam animarum, idem ſub diſtinctione reſpondendum.

Primo enim, ſi Curam aliquam animarum exer- 17
ceat, omnino dicendum, non poſſe ab illa extrahi
ad munus Vicarij Generalis Epiſcopalis, ſic colligo 18
ex declaratione S. Congregationis Concilij, quam
referunt Gonzal. *ſuper Regul. 8. Cancel. gloſ. 6. num.* 258.
& 259. reprehendens Nauarrum, quod oppoſitum
dixerit *conſ. 25. de Cleric. non reſid.* Garzia *de benef. part. 3.
cap. 2 num.* 42. Sà *in Summ. verb. Reſidentia, num.* 1. Sanctarellus *part. 1. var. quæſt. 3. num.* 49. & plures alij. Et
Ita tenent Vgolinus, & Piaſecus, quos refert Garzia
ſuprà num. 40. Armendariz, Zerola, Quaranta, & Poſſeuinus, quos refert Sanctarellus. Quorum om- 19
nium ratio eſt deſumpta ex ſtrictiſſima obligatione,

quam habet Parochus ad reſidendum in ſua Paro-
chia, à qua non excuſatur, etiamſi ſit Inquiſitor,
Auditor Rotæ, Secretarius Sedis Apoſtolicæ, aut
etiam Cardinalis, ſecundum Doctores quos allegat
relatus Sanctarellus.

20 Si autem dictus Primicerius eſt Canonicus, dicen-
dum, ex parte quidem Canonicatus non impediri,
quominus poſſit ab Epiſcopo aſſumi ad Officium
Vicariatus. Ratio deſumitur *ex c. de cætero, de Cleric.*
non reſid. vbi Alexand. III. cuidam Epiſcopo conce-
dit, vt Canonicis quandiu fuerint in ſeruitio ipſius,
21 nihil ſubtrahatur de fructibus ſui beneficij. Cum
enim Papa non loquatur determinatè de Canonicis
Cathedralis Eccleſiæ, ſed indefinitè de Canonicis,
extendi etiam videtur conceſſio ad Canonicos Ec-
cleſiæ Collegialis, qualis eſt iſte de quo in caſu; ac
perinde, quod quantum eſt ex parte Canonicatus
non ſit impeditus vt aſſumatur ad Officium Vica-
rij; ſiquidem Vicarius etiam eſt in ſeruitio Epiſco-
pi, ad quod attendere voluit Pontifex. Moneta *de*
diſtribut. quotid. p. 2. quæſt. 8. num. 6. Barboſa *in collect. ad*
d. cap. de Cætero, *num.* 4. Non eſſe autem derogatum
22 iſtud *cap. de Cætero*, per Concilium Tridentinum, latè
oſtendit ex iuribus & Doctoribus Garzia *ſupra*
n. 346. Idem etiam colligi videtur *ex cap. Ad audien-*
tiam de Cler. non reſid. Honorius tertius Meldenſi Epiſ-
23 copo etiam concedit, *vt duo ex Canonicis Eccleſiæ me-*
moratæ in ſuo ſeruitio exiſtentes, ſuarum fructus integrè
percipiant præbendarum. Cæterum cum Pontifex ibi
loquatur ſolùm de Canonicis Eccleſiæ Cathedra-
lis, ſcilicet Meldenſis, de qua ibi erat ſermo, & de
qua erat poſtulatus; ideo conceſſio hæc non vide-
tur extendi ad caſum præſentem, cum iſte de quo
eſt ſermo, non ſit beneficiatus Eccleſiæ Cathedra-
lis, aut eius Ciuitatis, in qua reſidet Epiſcopus;
ſed Eccleſiæ cuiuſdam Collegialis extra dictam
Ciuitatem. Moneta *ſuprà num.* 7. & Barboſa etiam
ſupra, & in Collect. ad hoc cap. Ad audientiam, *num.* 5.
Idem quoque colligi videtur ex aliquibus declara-
tionibus S. Congregationis, quas refert Garzia *ſu-*
24 *prà num.* 347. etſi non multùm vrgeant ad inten-
tum, quia videntur intelligi de Canonicis Eccle-
ſiæ Cathedralis, non Collegialis ſitæ in loco extra
Ciuitatem in qua eſt Epiſcopus, prout eſt ſermo in
præſenti.

25 Siue autem iſte de quo agitur, ſit vel non ſit Cano-
nicus dictæ Eccleſiæ Collegialis, conſideratus præ-
ciſe vt eſt Primicerius talis Eccleſiæ, videtur nullo
modo aſſumi poſſe ab Epiſcopo ad officium Vicarij
extra locum ſuæ reſidentiæ. Ratio ſumitur primò ex
26 generalibus iuribus circa reſidentiam Clericorum
beneficiatorum, quæ conformia eſſe tum iuri diui-
27 no, tum naturali, alibi oſtenditur. Secundò, ex mune-
re Primicerij, qui cum debeat, vt dixi *ſuprà*, regere
Chorum, & ordinare de cantandis, ſeu pſallendis,
aliiſque ſpectantibus ad Officium diuinum procul-
dubio valde intereſt Eccleſiæ ne amoueatur à ſua
reſidentia. Tertiò, quia iura relata ſolùm loquuntur
de Canonicis, quorum nomine non comprehen-
28 duntur Primicerij, aut alij Clerici, maximè in ma-
teria exorbitante à iure Communi, & quæ videtur
odioſa, cum agatur in illa de cultu diuino dimi-
nuendo. Sanctarellus *ſupra à num.* 39. Quaranta *in*
29 *in ſumm. Bullar. verb. Reſidentia*, *§. in quæſt. illa.* Quartò
quia id habetur ex magna parte Doctorum, ſpecia-
liter Rebuffo *de Vicar. Epiſcop. num.* 5. Moneta *ſuprà*
num. 8. & pluribus aliis, qui aiunt *d. cap. de Cætero,*
& ad Audientiam, non extendi ad alios quàm ad Ca-
nonicos. Quales ſunt Sanctarellus *ſupra num.* 38. fa-
uet Cenedo *pract. & Canon. quæſt. lib. 1. quæſt. 1. num.* 35.
cui adhæret Barboſa *in Collect. ad d. cap. de Cætero,*
num. 3. Alij autem DD. qui loquuntur de Canonicis
Eccleſiæ Cathedralis, non poſſunt trahi ad inten- 30
tum de beneficiato Eccleſiæ Collegialis, nam Ca-
nonici Eccleſiæ Cathedralis in Ciuitate Epiſcopali
exiſtentes poſſunt dici habere reſidentiam, etſi non
intereſſentiam, quæ inter ſe differunt, vt notant
DD. *in cap. licèt vobis, de præb.* Gemin. *in cap. Vnico, § fin.*
num. 1. de Cler. non reſid. in 6. poſt Gloſ. ſingularem ibi
verb. Adfuerint. Ex his & aliis Gonzal. *ad Regul.* 8.
Cancel. gloſ. 43. num. 50. At verò beneficiatus Eccleſiæ
Collegialis Diœceſis, ſi reſideat in Ciuitate Epiſ-
copali munus Vicarij exercens, non poterit dici
quod habeat neque intereſſentiam, neque reſiden-
tiam in ſua Eccleſia.

Eo autem magis hæc procedunt, quod vt notat 31
Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 166. *num.* 20.
quam aduertentiam vocat *piam* Barboſa *d. num.* 3.
hodie Epiſcopi iam non poterunt extrahere Cano-
nicos ab Eccleſia, iuxta *d. cap. de Cætero*, pro ſuo ſer-
uitio, inſpecta vbertate redditaum Epiſcopalium,
ratione quorum poterunt habere alios pro ſuo ſer-
uitio quàm Canonicos.

Nihilominus, non videtur improbabile, poſſe 32
Epiſcopum extrahere dictum Primicerium à ſua
Eccleſia Collegiali oppidi alicuius ſuæ Diœceſis, &
illum inſtituere Vicarium Generalem cum reſiden-
tia in Ciuitate vbi eſt Eccleſia Cathedralis, & per-
ceptione fructuum Primiceriatus, concurrente ta-
men Epiſcopi diſpenſatione & Eccleſiæ neceſſitate,
vel magna vtilitate. Colligo primò à ſimili *ex d.*
cap. de Cætero; ſi enim pro conſeruando Epiſcopi ſer- 33
uitio Eccleſia liberaliter ipſi concedit vt poſſit reti-
nere apud ſe Canonicos, non determinando an illi
eſſe debeant Eccleſiæ Cathedralis, aut etiam Colle-
gialis alicuius Oppidi Diœceſis; neque etiam nu-
merum Canonicorum, quæ duo limitantur *in cap.*
Ad audientiam, vt dictum eſt, & probabile videtur id
poſſe à ſimili dici de Primicerio Eccleſiæ Colle-
gialis Diœceſis, & ad Officium Vicariatus; cum 34
Vicarius dicatur eſſe in ſeruitio Epiſcopi, vt ait
Rota inferiùs referenda, & ex alia parte non ſit ma-
gna differentia inter Canonicum & Primicerium,
vt propter illam credi poſſit id conceſſum fuiſſe
pro Canonico, non pro Primicerio, concurrentibus 35
dictis conditionibus. Accedit ſecundò, quod Vica-
rius electus à Capitulo ſede vacante, facit fructus
ſuos non reſidendo, ſed officium Vicarij exercen-
do. Rota in vna Calagurritana *fructuum*, 18. Martij
1588. coram Bubalo, quæ eſt deciſio 222. *p. 2. diuerſ.*
cum Panuino *de offi. & poteſt. Cap. ſed. vac. 2. p. q.* 10.
num. 5. & Rebuffo *in prax. tit. de Vicar. num.* 4. Iure
idem dici poterit de Primicerio. Quia videtur in
vtroque caſu eadem ratio procedere. Nam ratio
quare id conceditur tali Vicario Capituli, eſt quia
ſeruiens Capitulo ſeruit Eccleſiæ, vt notat Panui-
nus, & ex eo Garzia *ſupra num.* 358. quæ etiam ra-
tio procedit in præſenti; quia ſimiliter ſeruiens
Epiſcopo, Eccleſiæ quoque ſeruit, quia Epiſcopus 36
eſt in Eccleſia, & Eccleſia in Epiſcopo, *cap. ſcire*
debes 7. q. 1. Gonzal. *ſupra num.* 155. Barboſa *in collect.*
DD. ad d. cap. Ad audientiam, n. 6. Eo magis, quod talis
Vicarius Capituli non reſidendo non ſolùm percipit
fructus, ſed etiam diſtributiones, vt ait Garzia *ſuprà*
d. n. 358. contra Monetam. Præſertim tertiò id col- 37
ligitur ex eo quod qui abeſt pro ſeruitio & euidenti
Eccleſiæ vtilitate, de iure percipit non ſolùm fru-
ctus, *cap. ex parte 2. de Cler. non reſid.* ſed etiam diſtri-
butiones quotidianas, ſi eſt præſens in loco vbi eſt
Eccleſia. *Cap. vnico, de Cler. non reſid. in 6.* Couaruu.
Ocon, Gutterez, Zerola, & alij, quos refert & ſe-
quitur idem Garzia *num.* 259. Quamuis ergo Primi-
cerius iſte non fruatur diſtributionibus, quia non
erit præſens in loco vbi eſt ſua Eccleſia, poterit
tamen

tamen frui fructibus, ſi pro euidenti Eccleſiæ vtili-
38 tate & diſpenſatione Epiſcopi ad munus Vicarij
Epiſcopi aſſumptus fuerit. Tandem quartò, quia ita
videntur ſentire plures DD. qui etſi non loquantur
expreſſe in terminis huius caſus, nihilominus trahi
poſſunt ad illum, quatenus generaliter concedunt
non ſolùm Canonicos, ſed etiam alios beneficiatos,
dum ſunt inſeruitio Epiſcopi, poſſe percipere in ab-
ſentia fructus ſuos, dummodo concurrat diſpenſa-
tio Epiſcopi. Hi ſunt Ioannes Andreas *in d. cap. Ad
audientiam, verſ. dici poteſt*, quem ibi ſequitur Butrius
n.9. Cardin. *quæſt.4.* Imola *num.13.* Anania *in princ.*
39 Ancharanus *notab.* 1. Et concurrente Epiſcopi diſ-
penſatione & neceſſitate, ſeu magna Eccleſiæ vtili-
tate, Abbas *in d. cap. Ad audientiam, n.8.* Ioannes Sel-
ua *de benef. 4. p. q. 6. num. 53.* Gonzal. *ſup. n. 262.* Garzia
ſuprà n. 369. Barboſa *in collect. ad d. cap. de cætero, num. 4.*
Quaranta *in ſumm. Bullar. verb. Reſidentia, §. In quæſtione
illa,* & Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 121.* maximè
Rota relata, vbi propterea fuit reſolutum, quod
40 Epiſcopus Calaguritanus non potuit extrahere
quemdam portionarium Eccleſiæ Cathedralis non
Capitularem, vt exerceret Officium Vicarij gene-
ralis in eadem Diœceſi, eo quòd illud non redun-
dabat in vtilitatem Eccleſiæ. Fauet etiam alia Rota
apud Puteum *lib. 3. deciſ. 293. in fin.*

41 Adderem tamen non poſſe Epiſcopum facere id
quod petitur in caſu, niſi diligenter priùs prouide-
rit, vt abſentia talis Primicerij non ſit damnoſa cul-
tui diuino, qui in tali Eccleſia exercetur, eo quòd
42 hoc munus exerceri poſſit per alium loco dicti Pri-
micerij abſentis.

VISITATOR REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *Viſitator qui dicatur.*
2 *Viſitare competit habenti iuriſdictionem Ordinariam in aliquos.*
3 *De obligatione Prælatorum Regularium ad viſitandum.*
4 *Tempore viſitationis ad quem pertineat regimen Conuentus, vel prouinciæ.*
5 *De modo procedendi in viſitatione.*
6 *De modo procedendi per inquiſitionem generalem.*
7 *De modo procedendi per inquiſitionem ſpecialem.*
8 *De criminibus propter quæ formari debet proceſſus.*
9 *Qualiter teneantur Regulares in viſitationibus denunciare defectus aliorum.*
10 *Qui eo tempore id non faciunt, poſtea audiri non debent.*
11 *Viſitatores qualiter abſtinere debent à munerum receptione.*
12 *An in eodem anno poſſit bis viſitari Prouincia, ſeu Conuentus.*
13 *Viſitator an recuſari poſſit.*
14 *An ipſe, vel ipſius ſocius eligi in Prælatum locorum, quæ viſitauit.*
15 *Cæcus an eligi poſſit in Viſitatorem.*
16 *De abſolutionibus, ſeu diſpenſationibus dari ſolitis tempore viſitationis.*
17 *De caſibus, in quibus Epiſcopi viſitare poſſunt Monaſteria Regularium.*
18 *De Viſitatoribus Monialium.*

1 Viſitator dicitur ille, qui de regimine loco-
rum, & vita aliquarum perſonarum indaga-
tionem facit. Syluester *in Summa, verbo Viſitatio, in
princip.* Vnde ad intentum noſtrum ille dicetur Vi-
ſitator Regularis, qui de regimine Monaſterio-
rum, & vita perſonarum Regularium dictam in-
dagationem facit.

Cum autem viſitationem facere competat cui- 2
cunque habenti iuriſdictionem ordinariam in ali-
quos, vt patet de Archiepiſcopo, *cap. Romana, & cap.
perpetuò, de cenſibus in 6.* de Epiſcopo *cap. conquerente,
de offic. ordinar.* de Archidiacono, & Decano, *cap.
cum Apoſtolus, de cenſibus, & cap. mandamus, de offic.
Archidiac.* ideo certum eſt ad Abbates, & Prælatos
Regulares, præſertim Generales, & Prouinciales,
ſpectare viſitationem ſuorum Monaſteriorum &
Religioſorum in eis exiſtentium, *de ſtat. Monach.
cap. penult. & vltim.* Angelus *in Summa, verbo viſitatio,
num. 1.* Sylueſter *ſuprà quæſt. 1.* & Summiſtæ commu-
niter, ac noſter Thom. de Ieſu *de Viſitat. Regularium
tract. 1. cap. 1.*

Hinc iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap 18. num. 68.* te- 3
nentur iure naturali, & diuino Prælati Regulares,
ſcilicet Generales, & Prouinciales, viſitare Mona-
ſteria ſibi ſubiecta. Rodriguez *in tract. de Ordine iu-
diciar. cap. 1. num. 2.* Fagundez *in 8. præcept. Decal. lib. 8.
cap. 45. num. 5. & 6.* Per ſeipſos quidem, ſi im-
pediti non fuerint: alioquin per alios, iuxta dicta
eo *cap. 18. num. 92.* Idque colligitur *ex cap. Epiſco-
pum 10. quæſt. 1. & cap. paſtoralis*, & *cap. inter cætera, de
Offic. Ordin.* & *cap. cum Epiſcopus, eodem tit. in 6.* Ma-
ximè ex regula illa iuris *in 6. Poteſt quis per alium quod
poteſt facere per ſeipſum.* Omittere autem perſonalem
viſitationem ex otioſitate, aut negligentia, videtur
peccatum mortale, quia eſt grauis tranſgreſſio præ-
cepti Concilij Generalis, ſcilicet Tridentini *ſeſſ. 24.
cap. 3.* & *ſeſſ. 25. cap. 1.* Peyrinis *in Formular. littera P.
cap. 9. num. 15.* Tenetur etiam viſitare Conuentus,
in quibus reſident, cum quantumvis vigilent ſuper
eorum obſeruantia, nihilominus plura ipſis ab-
ſconduntur, quæ ſolùm præcepto quod in viſita-
tione ponitur, ipſis manifeſtantur. Peyrinis *ſuprà
num. 11.* ex Piaſecio, Gauanto, & aliis. Dixi etiam
eo *num. 92.* deſtinandos à Generalibus, vel Prouin-
cialibus pro Viſitatoribus debere eſſe Religioſos
eiuſdem Ordinis, non extraneos, vel ſæculares. Viſi-
tationem quoque præſcribi non poſſe, probat Bar-
boſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 129. num. 11.* ex
Rotæ deciſione, & aliis Doctoribus. Quando autem
Viſitatores Regularium ſint Iudices Ordinarij, &
quando ſolùm delegati, quando etiam poſſint dele-
gare ſuam authoritatem, & quando non poſſint, ſi-
militer quando exſpiret eorum auctoritas, & quan-
diu duret, conſtat ex dictis *tom. 1. part. 2. eo cap. 13.* &
ſupra verbo *Commiſſio, & Commiſſarius*, & hoc *tom.
ſuprà*, verbo *mandatum*, & verbo *Vicarius Religionum.*
An geſta ab illis reſcindi poſſint, & quos proceſſus
fabricare queant, dixi eodem *cap. 13. n. 33. & 34.*

Maximè etiam quod tempore actualis viſitationis 4
totum regimen externum contentioſum Prouinciæ,
vel Conuentuum, qui viſitantur, pertineat ad Viſi-
tatorem, & non ad Prælatos Prouinciæ, vel conuen-
tuum, conſtat ex dictis eo *cap. 13. num. 18. & 29.* Non
tamen propterea Prælati qui viſitantur ſunt pro eo
tempore ſuſpenſi à ſuis officiis, ſuſpenſione, quæ eſt
cenſura, ſed tantum impediti ne illa exerceant. Por-
tellus *in Dub. Regul. verbo Prouincialis, in addit. ad addit.
num. 2.* Imò etiam, iuxta ibidem dicta, poſſunt dicti
Prælati exercere circa ſuos ſubditos omnem iuriſ-
dictionem, quam vocant *voluntariam*, ſeu non con-
tentioſam, dummodo id non perturbet, aut impe-
diat officium Viſitatoris. Generaliter etiam loquen-
do poterunt prædicti Prælati facere ea omnia, quæ
prohibita ſunt Viſitatori ſecundum ſtatuta Ordinis.
Eo enim ipſo, quo ſunt illi prohibita, ſunt conceſſa
Prælatis Ordinariis. Portellus *ſuprà num. 3.* Simili-
ter poterunt facere ea omnia, ad quæ non ſe exten-
dit commiſſio Viſitatoris, ſi ille ſit Viſitator dele-
gatus, propter eandem rationem.

quam habet Parochus ad reſidendum in ſua Paro-
chia, à qua non excuſatur, etiamſi ſit Inquiſitor,
Auditor Rotæ, Secretarius Sedis Apoſtolicæ, aut
etiam Cardinalis, ſecundum Doctores quos allegat
relatus Sanctarellus.

20 Si autem dictus Primicerius eſt Canonicus, dicen-
dum, ex parte quidem Canonicatus non impediri,
quominus poſſit ab Epiſcopo aſſumi ad Officium
Vicariatus. Ratio deſumitur *ex c. de cætero, de Cleric.
non reſid.* vbi Aleaand. III. cuidam Epiſcopo conce-
dit, vt Canonicis quandiu fuerint in ſeruitio ipſius,
21 nihil ſubtrahatur de fructibus ſui beneficij. Cum
enim Papa non loquatur determinatè de Canonicis
Cathedralis Eccleſiæ, ſed indefinitè de Canonicis,
extendi etiam videtur conceſſio ad Canonicos Ec-
cleſiæ Collegialis, qualis eſt iſte de quo in caſu; ac
perinde, quod quantum eſt ea parte Canonicatus
non ſit impeditus vt aſſumatur ad Officium Vica-
rij; ſiquidem Vicarius etiam eſt in ſeruitio Epiſco-
pi, ad quod attendere voluit Pontifex. Moneta *de
diſtribut. quotid. p. 2. quæſt. 8. num. 6.* Barboſa *in collect. ad
d. cap. de Cætero, num.* 4. Non eſſe autem derogatum
22 iſtud *cap. de Cætero*, per Concilium Tridentinum, latè
oſtendit ex iuribus & Doctoribus Garzia *ſupra
n.* 346. Idem etiam colligi videtur *ex cap. Ad audien-
tiam de Cler. non reſid.* Honorios tertius Meldenſi Epiſ-
23 copo etiam concedit, *vt duo ex Canonicis Eccleſiæ me-
morata in ſuo ſeruitio exiſtentes, ſuarum fructus integrè
percipiant præbendarum.* Cæterum cum Pontifex ibi
loquatur ſolùm de Canonicis Eccleſiæ Cathedra-
lis, ſcilicet Meldenſis, de qua ibi erat ſermo, & de
qua erat poſtulatus; ideo conceſſio hæc non vide-
tur extendi ad caſum præſentem, cum iſte de quo
eſt ſermo, non ſit beneficiatus Eccleſiæ Cathedra-
lis, aut eius Ciuitatis, in qua reſidet Epiſcopus;
ſed Eccleſiæ cuiuſdam Collegialis extra dictam
Ciuitatem. Moneta *ſuprà num.* 7. & Barboſa etiam
ſupra, & in Collect. ad hoc cap. Ad audientiam, num. 3.
Idem quoque colligi videtur ex aliquibus declara-
tionibus S. Congregationis, quas refert Garzia *ſu-
24 prà num.* 347. etſi non multùm vrgeant ad inten-
tum, quia videntur intelligi de Canonicis Eccle-
ſiæ Cathedralis, non Collegialis ſitæ in loco extra
Ciuitatem in qua eſt Epiſcopus, prout eſt ſermo in
præſenti.

25 Siue autem iſte de quo agitur, ſit vel non ſit Cano-
nicus dictæ Eccleſiæ Collegialis, conſideratus præ-
ciſe vt eſt Primicerius talis Eccleſiæ, videtur nullo
modo aſſumi poſſe ab Epiſcopo ad officium Vicarij
extra locum ſuæ reſidentiæ. Ratio ſumitur primò ex
26 generalibus iuribus circa reſidentiam Clericorum
beneficiatorum, quæ conformia eſſe tom iuri diui-
27 no, tom naturali, alibi oſtenditur. Secundò, ex mune-
re Primicerij, qui cum debeat, vt dixi *ſuprà*, regere
Chorum, & ordinare de cantandis, ſeu pſallendis,
aliiſque ſpectantibus ad Officium diuinum, procul-
dubio valde intereſt Eccleſiæ ne amoueatur à ſua
reſidentia. Tertiò, quia iura relata ſolùm loquuntur
de Canonicis, quorum nomine non comprehen-
28 duntur Primicerij, aut alij Clerici, maximè in ma-
teria exorbitante à iure Communi, & quæ videtur
odioſa, com agatur in illa de cultu diuino dimi-
nuendo. Sanctarellus *ſupra à num.* 39. Quaranta *in
29 in ſumm. Bullar. verb. Reſidentia, §. in quæſt. illa.* Quartò
quia id habetur ex magna parte Doctorum, ſpecia-
liter Rebuffo *de Vicar. Epiſcop. num.* 5. Moneta *ſuprà
num.* 8. & pluribus aliis, qui aiunt *d. cap. de Cætero,
& ad Audientiam*, non extendi ad alios quàm ad Ca-
nonicos. Quales ſunt Sanctarellus *ſupra num.* 38. fa-
uet Cenedo *pract. & Canon. quæſt. lib. 1. quæſt. 1. num.* 35.
cui adhæret Barboſa *in Collect. ad d. cap. de Cætero,
num.* 3. Alij autem DD. qui loquuntur de Canonicis
Eccleſiæ Cathedralis, non poſſunt trahi ad inten- 30
tum de beneficiato Eccleſiæ Collegialis, nam Ca-
nonici Eccleſiæ Cathedralis in Ciuitate Epiſcopali
exiſtentes poſſunt dici habere reſidentiam, etſi non
intereſſentiam, quæ inter ſe differunt, vt notant
DD. *in cap. licèt vobis, de præb.* Gemin. *in cap. Vnico, §. fin.
num. 1. de Cler. non reſid. in* 6. poſt Gloſ. ſingularem ibi
verb. Adfuerint. Ex his & aliis Gonzal. *ad Regul.* 8.
Cancel. gloſ. 45. num. 50. At verò beneficiatus Eccleſiæ
Collegialis Diœceſis, ſi reſideat in Ciuitate Epiſ-
copali munus Vicarij exercens, non poterit dici
quod habeat neque intereſſentiam, neque reſiden-
tiam in ſua Eccleſia.

Eo autem magis hæc procedunt, quod vt notat 31
Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 166. *num.* 20.
quam aduertentiam vocat *piam* Barboſa *d. num.* 3.
hodie Epiſcopi iam non poterunt extrahere Cano-
nicos ab Eccleſia, iuxta *d. cap. de Cætero*, pro ſuo ſer-
uitio, inſpecta vbertate redditu um Epiſcopalium,
ratione quorum poterunt habere alios pro ſuo ſer-
uitio quàm Canonicos.

Nihilominus, non videtur improbabile, poſſe 32
Epiſcopum extrahere dictum Primicerium à ſua
Eccleſia Collegiali oppidi alicuius ſuæ Diœceſis, &
illum inſtituere Vicarium Generalem cum reſiden-
tia in Ciuitate vbi eſt Eccleſia Cathedralis, & per-
ceptione fructuum Primiceriatus, concurrente ta-
men Epiſcopi diſpenſatione & Eccleſiæ neceſſitate,
vel magna vtilitate. Collige primò à ſimili *ex d.
cap. de Cætero*; ſi enim pro conſeruando Epiſcopi ſer- 33
uitio Eccleſia liberaliter ipſi concedit vt poſſit reti-
nere apud ſe Canonicos, non determinando an illi
eſſe debeant Eccleſiæ Cathedralis, aut etiam Colle-
gialis alicuius Oppidi Diœceſis; neque etiam nu-
merum Canonicorum, quæ duo limitantur *in cap.
Ad audientiam*, vt dictum eſt, & probabile videtur id
poſſe à ſimili dici de Primicerio Eccleſiæ Colle-
gialis Diœceſis, & ad Officium Vicariatus; cum 34
Vicarius dicatur eſſe in ſeruitio Epiſcopi, vt ait
Rota inferiùs referenda, & ex alia parte non ſit ma-
gna differentia inter Canonicum & Primicerium,
vt propter illam credi poſſit id conceſſum fuiſſe
pro Canonico, non pro Primicerio, concurrentibus 35
dictis conditionibus. Accedit ſecundò, quod Vica-
rius electus à Capitulo ſede vacante, facit fructus
ſuos non reſidendo, ſed officium Vicarij exercen-
do. Rota in vna Calagurritana *fructuum*, 18. Martij
1588. coram Bubalo, quæ eſt deciſio 222. *p. 2. diuerſ.*
cum Panuino *de offi. & poteſt. Cap. ſed vac. 2. p. q.* 10.
num. 5. & Rebuffo *in prax. tit. de Vicar. num.* 4. Iure
idem dici poterit de Primicerio. Quia videtur in
vtroque caſu eadem ratio procedere. Nam ratio
quare id conceditur tali Vicario Capituli, eſt quia
ſeruiens Capitulo ſeruit Eccleſiæ, vt notat Panui-
nus, & ex eo Garzia *ſupra num.* 358. quæ etiam ra-
tio procedit in præſenti; quia ſimiliter ſeruiens
Epiſcopo, Eccleſiæ quoque ſeruit, quia Epiſcopus 36
eſt in Eccleſia, & Eccleſia in Epiſcopo, *cap. ſcire
debes 7. q. 1.* Gonzal. *ſuprà num.* 155. Barboſa *in collect.
DD. ad d. cap. Ad audientiam, n.* 6. Eo magis, quod talis
Vicarius Capituli non reſidendo non ſolùm percipit
fructus, ſed etiam diſtributiones, vt ait Garzia *ſuprà
d. n.* 358. contra Monetam. Præſertim tertiò id col- 37
ligitur ex eo quod qui abeſt pro ſeruitio & euidenti
Eccleſiæ vtilitate, de iure percipit non ſolùm fru-
ctus, *cap. ex parte 2. de Cler. non reſid.* ſed etiam diſtri-
butiones quotidianas, ſi eſt præſens in loco vbi eſt
Eccleſia. *Cap. vnico, de Cler. non reſid. in* 6. Couaruu.
Ocon, Guttierez, Zerola, & alij, quos refert & ſe-
quitur idem Garzia *num.* 259. Quamuis ergo Primi-
cerius iſte non fruatur diſtributionibus, quia non
erit præſens in loco vbi eſt ſua Eccleſia, poterit
tamen

Digitized by Google

tamen frui fructibus, ſi pro euidenti Eccleſiæ vtili-
38 taic & diſpenſatione Epiſcopi ad munus Vicerij
Epiſcopi aſſumpius fuerit. Tandem quertò, quia ita
videntur ſentire plures DD. qui etſi non loquentur
expreſſe in terioinis huius caſus, nihilominus trebi
poſſunt ed illum, quatenus genereliter concedunt
non ſolùm Canonicos, ſed etiam elios beoeficiatos,
duio ſunt in ſeruitio Epiſcopi, poſſe percipere in ab-
ſentia fructus ſuos, dummodo concurrat diſpenſa-
tio Epiſcopi. Hi ſuni Ioennes Andrcas *in d. cap. Ad
audientiam, verſ. dici poteſt*, qucio ibi ſequitur Butrius
n. 9. Cardin. *quæſt. 4.* Imola *num. 13.* Ananie *in princ.*
39 Ancberaous *notab.* 4. Et concurrente Epiſcopi diſ-
peuſatione & neceſſitate, ſcu magna Eccleſiæ vtili-
tate, Abbas *in d. cap. Ad audientiam, n. 8.* Ioennes Scl-
ua *de benef. 4. p. q. 6. num. 35.* Gonxal. *ſup. n. 261.* Garzia
ſuprà n. 369. Barbuſa *in collect. ad d. cap. de cætero, num. 4.*
Quetanta *in ſumm. Bullar. verb. Reſidentia, §. In quæſtione
illa*, & Nanatrus *in Man. cap. 25. num.* 1e1. maximè
Roia relate, vbi propierca fuit reſolutum, quod
40 Epiſcopus Calaguritaons non potnit extrahere
quemdam portionarium Eccleſiæ Cathedralis non
Capiiularem, vt cecrecret Officium Vicerij genc-
relis in cadem Diœceſi, eo quòd iſtud non redun-
dabat in vtiliratem Eccleſiæ. Fauet etiem elia Rote
epud Puteum *lib. 3. deciſ. 293. in fin.*

41 Adderem iemen non poſſe Epiſcopom facere id
quod peiitur in ceſu, niſi diligenter priùs prooide-
rit, vt abſentia talis Primicerij non ſit damnoſa cul-
tui diuino, qui in tali Eccleſia exercetur, eo quòd
42 hoc munus exerceri poſſit per alium loco dicti Pri-
micerij ebſentis.

VISITATOR REGVLARIS.

SVMMARIVM.

1 *Viſitator qui dicatur.*
2 *Viſitare competit habenti iuriſdictionem Ordinariam in aliquos.*
3 *De obligatione Prælatorum Regularium ad viſitandum.*
4 *Tempore viſitationis ad quem pertineat regimen Conuentus, vel prouinciæ.*
5 *De modo procedendi in viſitatione.*
6 *De modo procedendi per inquiſitionem generalem.*
7 *De modo procedendi per inquiſitionem ſpecialem.*
8 *De criminibus propter quæ formari debet proceſſus.*
9 *Qualiter teneantur Regulares in viſitationibus denunciare defectus aliorum.*
10 *Qui eo tempore id non faciunt, poſtea audiri non debent.*
11 *Viſitatores qualiter abſtinere debent à munerum receptione.*
12 *An in eodem anno poſſit bis viſitari Prouincia, ſeu Conuentus.*
13 *Viſitator an recuſari poſſit.*
14 *An ipſe, vel ipſius ſocius eligi in Prælatum locorum, quæ viſitant.*
15 *Cæcus an eligi poſſit in Viſitatorem.*
16 *De abſolutionibus, ſeu diſpenſationibus dari ſolitis tempore viſitationis.*
17 *De caſibus, in quibus Epiſcopi viſitare poſſunt Monaſteria Regularium.*
18 *De Viſitatoribus Monialium.*

1 VIſitetor dicitur ille, qui de regimine loco-
rum, & vite eliquarum perſonarum indaga-
tionem facit. Syluester *in Summa, verbo Viſitatio, in
princip.* Vnde ed intentum noſtrum ille dicetur Vi-
ſitator Regularis, qui de regimine Moneſterio-
rom, & viia perſonerum Regularium dictam in-
dagationem facit.

Cum eutem viſitetionem fecere competet eoi- 2
cunque hebenti iuriſdictionem ordioariam io eli-
quos, vt paiet de Atchiepiſcopo, *cap. Romana, & cap.
perpetuò, de cenſibus in 6.* de Epiſcopo *cap. conquerente,
de offic. ordinar.* de Atchidiacono, & Deceno, *cap.
cum Apoſtolus, de cenſibus, & cap. mandamus, de offic.
Archidiac.* ideo certum eſt ad Abbates, & Prælatos
Regoleres, præſertim Generales, & Prouinciales,
ſpectare viſiiationem ſuorum Monaſteriorum &
Religioſorum in eis exiſtentium, *de ſtat. Monach.
cap. penult. & vltim.* Angelus *in Summa, verbo viſitatio,
num. 1.* Syluester *ſuprà quæſt. 1.* & Summiſtæ commo-
niter, ac noſter Thom. de Ieſu *de Viſitat. Regularium
tract. 1. cap. 1.*

Hinc iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap 18. num. 68.* te- 3
nentur iure oaturali, & diuino Prælati Regulares,
ſcilicet Generales, & Prouincieles, viſitare Mona-
ſteria ſibi ſubiecte. Rodriguez *in tract. de Ordine iu-
diciar. cap. 1. num. 2* Fagundez *in 8. præcept. Decal. lib. 8.
cap. 45. num. 5. & 6.* Per ſcipſos quidem, ſi im-
pediti non fuerint: alioquin per alios, iuxta dicta
eo *cap. 18. num. 92.* Idque colligitur *ex cap. Epiſco-
pum 10. quæſt. 1. & cap. paſtoralis*, & *cap. inter cætera, de
Offic. Ordin.* & *cap. cum Epiſcopus, eodem tit. in 6.* Ma-
xiotè ex regula illa iuris *in 6. Poteſt quis per alium quod
poteſt facere per ſeipſum.* Omittere autem perſonalem
viſitetionem ex otioſitete, aut negligentie, videtur
peccatum mortale, quia eſt grauis tranſgreſſio præ-
cepti Concilij Generalis, ſcilicet Tridentini *ſeſſ. 24.
cap. 3.* & *ſeſſ. 25. cap. 1.* Peyrinis *in Formular. littera P.
cap. 9. num. 15.* Tenetur etiam viſitare Conuentus,
in quibus reſident, cum quantumvis vigilent ſuper
eorum obſeruantia, nihilominus plura ipſis eb-
ſconduntur, quæ ſolùm præcepio quod in viſita-
tione ponitur, ipſis manifeſtantur. Peyrinis *ſuprà
num. 11.* ex Piaſecio, Gauanto, & aliis. Dixi etiem
eo *num. 92.* deſtinandos à Generalibus, vel Prouin-
cialibus pro Viſitetoribus debere eſſe Religioſos
eioſdem Ordinis, non exttencos, vel ſæculares. Viſi-
tationem quoque præſcribi non poſſe, probat Bar-
boſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 129. num. 11.* ex
Rotæ deciſione, & eliis Doctoribus. Quando eutem
Viſitetores Regularium ſint Iudices Ordinerij, &
quando ſolùm delegati, quando etiam poſſint dele-
gare ſuam authoritatem, & quendo non poſſint, ſi-
militer quendo exſpiret eorum auctoritas, & quen-
dio duret, conſtet ex dictis *tom. 1. part. 2. eo cap. 13.* &
ſupra verbo *Commiſſio, & Commiſſarius*, & hoc *tom.
ſuprà*, verbo *mandatum*, & verbo *Vicarium Religioſorum.*
An geſta ab illis reſcindi poſſint, & quos proceſſus
fabricare queant, dixi eodem *cap. 13. n. 33. & 34.*

Maximè etiam quod tempore actualis viſitetionis 4
totum regimen externum contentioſum Prouinciæ,
vel Conuentuum, qui viſitantur, pertineat ed Viſi-
tatorem, & non ad Prælatos Prouinciæ, vel eoonen-
tuum, conſtat ex dictis eo *cap. 13. num 28. & 29.* Non
temen propterca Prœleti qui viſitantur ſunt pro eo
tempore ſuſpenſi à ſuis officiis, ſuſpenſione, quæ eſt
cenſura, ſed tantum impediti ne illa exerceant. Por-
tellus *in Dub. Regul. verbo Prouincialis, in addit. ad addit.
num. 2.* Imò etiam, iuxta ibidem dicta, poſſunt dicti
Prælati exercere circa ſuos ſubditos omnem iuriſ-
dictionem, quam vocant *voluntariam*, ſeu non con-
tentioſam, dummodo id non perturbet, ent impe-
diat officium Viſitatoris. Generaliter etiam loquen-
do poterunt prædicti Prœleti facere ea omnia, quæ
prohibite ſont Viſitatori ſecundum ſtatute Ordinis.
Eo enim ipſo, quo ſunt illi prohibite, ſunt conceſſa
Prælatis Ordineriis. Portellus *ſuprà num. 3.* Simili-
ter poterunt facere ea omnia, ad quæ non ſe exten-
dit commiſſio Viſitatoris, ſi ille ſit Viſitator dele-
gatus, propter eandem rationem.

DDd 3 Circa

5 Circa modum procedendi Viſitatorum Regularium in ſuis viſitationibus, generaliter loquendo, dicendum eſt conſequenter ad dicta *tom.1.part.1.c.27. num.1. vſq.ad* 9. dupliciter procedere poſſe. Primò, per modum inquiſitionis generalis. Secundò, per modum inquiſitionis ſpecialis. Primò modo procedere debent in viſitationibus generalibus, & ordinariis, quando viſitant Prouincias, ſeu Conuentus ex officio, non ad inſtantiam alicuius. Secundò autem modo, quando vel ex inquiſitione generali conſtat illis aliquod crimen commiſſum eſſe ab aliquo Religioſo, vel eſt aliquis qui accuſet, vel denunciet tale delictum commiſſum fuiſſe, vel ad id vocantur à Conuentu, vel Prouincia.

6 Et quidem, cum primo modo procedunt, iam dixi eo *cap. 27. num.2.* ad prædictam inquiſitionem generalem non requiri quod præcedat aliqua infamia, accuſatio, aut denunciatio delictorum, nec etiam requiri petitionem iuramenti, ſtando in iure communi, eſto particulares Religiones particularia etiam ſtatuta habeant, ſicut eo loco dixi de noſtra. Similiter, cum iuxta dicta eo loco, finis viſitationum generalium, & communium, ſit inquirere de vitiis, & virtutibus Religioſorum, ideo cum ita procedunt Viſitatores, non ſolùm de vitiis, aut defectibus, ſed etiam de illorum virtutibus, & ſcientiis inquirere debent. Quia in omni bene ordinata Republica ſpecialis prouidentia Gubernatoris eſt pœnâ afficere malos, & præmio bonos. Tum quia aliquando vitia compenſari poſſunt, & debent virtutibus, vt dicunt communiter Iuriſtæ. Ad quæ omnia neceſſe eſt viſitatores tam de virtutibus, & meritis, quàm de vitiis, & defectibus Religioſorum inquirere, Naldus *in ſumm. verbo Viſitat, num.11.* Peyrinis *d.cap.9.num.15.* Qualiter autem cum proceditur via inquiſitionis generalis, crimina occulta interrogari, aut patefieri non debeant, & an de hoc debeant admoneri ſubditi à Viſitatoribus, & de aliis concernentibus, dixi loco relato *num.2. & 3.* & *ſupra verbo Iudex, & iudicium Regularium, num.5.* De quibus etiam Nauarrus *in Rub. de iudic. num.79.* & Portellus *in Reſponſionib. moral. p.1. caſu 20.*

7 Cum verò viſitatores procedunt contra aliquem Religioſum per inquiſitionem ſpecialem, iam conſtat ex dictis eo *cap.17. num.6.* & eo verbo *iudex, & iudicium Regularium, num.6.* requiri ad hunc modum procedendi quod præcedat infamia, clamoroſa inſinuatio, indicia manifeſta, aut ſemiplena probatio de delicto, aut delinquente. Quod intellige, iuxta dicta eo *cap.27. num.10.* cum procedunt ad punienda delicta; cum enim non procedunt ad punitionem, ſed ad habendum notitiam alicuius perſonæ, quia ſcilicet eſt eligenda in Prælatum, tunc poſſunt Viſitatores de vitiis alicuius particularis inquirere, etiam non præmiſſa infamia, &c. Suarez, & Aretinus eo loco relati. Tamburinus *de iure Abbatiſſar. diſp.14. quæſt.7. num.8.* Quia tamen ſæpiùs dicti Viſitatores procedere ſolent ad inquiſitionem ſpecialem ex eo quod per ea quæ audierunt à Religioſis in inquiſitione generali conſtat illis aliquem Religioſum eſſe diffamatum de aliquo delicto, & ita volunt contra ipſum ſpeciali inquiſitione procedere; ideo notandum, quod licet in rigore priuilegij Bonifac. VIII. quod retuli *tom.2. cap.18. num.16. & cap.27. n.26.* quo conceſſit Ordini Prædicatorum quod poſſent Prælati ipſius in cauſis religioſorum procedere apicibus Iuris poſtpoſitis, intellige ſummariè, de plano, & ſola rei veritate perſpecta (prout in aliis priuilegiis Religionum habetur, poſſent Viſitatores Religionum habentium talia priuilegia propter illos ſolùm teſtes, vel denunciatores, per quos in inquiſitione generali audierunt aliquem Religioſum commiſiſſe aliquod delictum, illos ſic diffamatos citare, eiſque exhibere articulos culparum, & auditos condemnare abſque eo quod teſtes eas culpas denunciantes ſeu teſtificantes de nouo vocentur, & ratificentur, quia id videtur eſſe conforme dictis priuilegiis, & modo procedendi religioſorũ, in quo quantum fieri poteſt, à fabricatione proceſſuum abſtinendum eſt, prout etiam tenet Portellus *d. caſu 20.* ex Ioſepho de S. Maria, Paulino Berto, & aliis. Nihilominus oppoſitum obſeruari debet in cauſis grauioribus, ad euitandas appellationes inter Regulares fieri ſolitas, in eis præſertim Religionibus, in quibus (proh dolor) apices Iuris obſeruantur. Nauarrus *ſupra num.85. & lib.5. conſil. tit. de accuſ. inquiſit. & denunciat. conſil.3. num.4.* Portellus *d. cap.20. num.8.*

Circa crimina porro propter quæ Viſitatores regulares debent formare proceſſus, præter dicta eo *c.27.* & *ſupra* eo verbo *iudex, & iudicium Regularium, num.5.* nota, inter ipſa numerari debere etiam crimina à multis annis commiſſa, præſertim ſi qui ea commiſerunt non ſe emendarunt, & ea ſunt in damnum Communitatis. Delicta enim non debent præſcribere. Rodriguez *tom.2. quæſt. Regul. quæſt.5. art.11.* Spatiliarius *tract.3. cap.15.* Peyrinis *tom.1. de ſubdito, quæſt.1. cap.16. §.4.* Subiungens tamen ex eiſdem, & aliis Authoribus, cauendum eſſe prædictis viſitatoribus, ne propterea delicta iam mortua, & conſopita Religioſorum (intellige ſine vrgenti cauſa) reuiuiſcere faciant, & quod poteſt fieri in religionibus ſtatutum quo ordinetur, vt certo tempore elapſo delicta non proceſſentur. 8

Qualiter Regulares teneantur in viſitationibus denunciare crimina, ſeu defectus aliorum, conſtat ex dictis non ſolùm eo *cap.28. num.3.* ſed etiam *ſuprà verbo Accuſatio, & accuſare, a num.9.* & verbo *Denunciatio, & denunciare pro Regularibus.* Nota tamen, quod licèt, iuxta dicta eo verbo *Denunciatio, &c. num.8.* ſi quis non denunciauit intra terminum præfixum, teneatur ipſo tranſacto denunciare, hoc tamen fallit in viſitationibus communibus, quia præceptum denunciandi impoſitum Viſitatoribus ſolùm videtur obligare pro tempore, quo durat viſitatio, niſi aliud exprimant, Fagundez *in 8. precept Decalogi, lib.8. cap.52. num.12.* 9

Circa eos autem qui tempore viſitationis tacent aliquorum delicta, & poſtea eos manifeſtant, nota eos debere ab accuſatione, denunciatione, ſeu etiam teſtimonio ferendo veluti ſuſpectos repelli, eo quòd tempore debito id non fecerunt. Quod intellige, niſi conſtet rationabili cauſa, aut impedimento vrgente, id tunc non feciſſe. Peyrinis *ſuprà.* Conſonantque aliquæ conſtitutiones religionum circa hoc. 10

Nota etiam, quod licet iuxta dicta *tom.1. part.1. eo cap.18. num.68.* & *ſuprà* verbo *iudex, & iudicium Regularium, num. 16.* Viſitatores, aut Iudices Regulares abſtinere omnino debeant à munerum receptione, etiam liberaliter conceſſorum, itavt ad reſtitutionem ipſorum teneantur (de quo præter Authores ibid. relatos Saytus *in Claui Regia, lib.3. cap.9. num.31.*) nihilominus poſſunt taxas à conſtitutionibus particularibus Religionum deſignatas recipere, & à Conuentibus tempore viſitationis de eſu, & potu, ac aliis neceſſariis prouideri, ita tamen, vt ſubditos non grauent expenſis, aut cibis, & potubus delicatis, & exquiſitis. De quibus omnibus ex variis Authoribus, Peyrinis *tom.1. Priuilegiorum Minimorum, in Conſtitutione 10. Leonis X. num.6.8.9. & 10.* & loco relato *ex Formulario, num.9.* 11

Præſertim circa fermè quotidianum dubium, an ſcilicet cùm Generalis, vel Viſitator Generalis, Prouinciam, vel Conuentum viſitauit, poſſit poſtea eodem anno eandem Prouinciam, vel Conuentum 12

viſitare

viſitare Prouincialis : maximè ſtandum cenſeo ſtatutis Religionum, quæ ſi nihil circa hoc decernant, credo poſſe id fieri. Ratio eſt, quia Prouincialis eſt Iudex Ordinarius, cuius iuriſdictio impediri non poteſt ſine rationabili cauſa. Peyrinis *tom.3. priuilegiorum Minimorum, c.4. num.9.* An verò idem dici debeat quando talis viſitator fuit à Papa deſtinatus, agit poſt alios Barboſa *de Officio, & poteſt. Epiſc. allegat. vlt. num. 30. & ſequentibus.*

13 Viſitatorem Regularem procedere volentem ſolùm per inquiſitionem generalem, non verò per particularem, recuſari non poſſe, conſtat ex dictis *ſuprà verbo Recuſatio Iudicis Regularis, num.7.* Nota autem idem debere dici de appellatione, ita ſcilicet, vt ab ipſo cum procedit ſolùm per inquiſitionem generalem, & non per particularem, appellari non poſſit. Ratio eſt, quia finis inquiſitionis generalis ſolùm eſt morum correctio, & impoſitio pœnitentiarum ſalutarium, non verò punitio, propter quam quando in ea certò exceditur, aut fit cum euidenti grauamine, admitti poteſt appellatio inter Regulares. Fauet Naldus *ſupra num.5.*

14 Non conuenit Viſitatores, aut eorum ſocios eligi in Prælatos Prouinciarum, ſeu Conuentuum, quæ viſitant. Nam propter authoritatem eorum timeri poteſt tales electiones liberas non eſſe, ſed coactas. Caſtellinus *de Electione Prælat. cap.13. à num.28.* dicens *num.33.* ita ſtatutum eſſe in Ordine Prædicatorum. Fauet Miranda *in Man. tom.2. quæſt.22. art.7.* Vide quæ dixi *tom.1. part.2. cap.12. n.37.*

15 Non poſſe cæcum eligi in Viſitatorem, aut munus viſitatoris continuare, etiam cum ſocio ſano, meritò tenent Megala *variar. reſolut. tom.2. reſolut.183.* & Diana *5. part. tract.6. reſol.20.* Plura enim ſpectant ad viſitatorem, de quibus ſi viſu careat, iudicare non poteſt.

16 De abſolutionibus, ſeu diſpenſationibus, quas dare ſolent viſitatores Regularium in ſuis viſitationibus, quantùm valeant, & ad quas perſonas extendantur, dixi *tom.1. p.1. cap.18. num.93.* & *ſuprà* verbo *Abſolutio, num.16.*

17 Demùm pro complemento materiæ notandi ſunt ſaltem remiſſiuè caſus, in quibus Epiſcopi, vel Ordinarij viſitare poſſunt Eccleſias ſeu Monaſteria regularium. Et quidem primò, ſi tales Regulares ſubditi ſint Epiſcopis, nec ab illis exempti, cum ipſorum Prælati ſint, poterunt ipſos viſitare quando, & quomodo Prælati Regulares, iuxta dicta tamen *ſuprà* verbo *Epiſcopus quoad Regulares, n.2.* Si autem Regulares ſint exempti à iuriſdictione Epiſcoporum, quales communiter ſunt ferè omnes Religioſi, tunc etſi non poſſint eos regulariter vt ipſorum Prælati viſitare, nihilominus iuxta dicta *tom.1. p.1. c.11. n.7. & 9. & tom.1. p.2. cap.5. n.49.* viſitare poſſunt Eccleſias Regularium, quibus imminet cura animarum ſæcularium, imò & Regulares ipſos, qui talem curam exercent, in iis, quæ ad dictam curam, & adminiſtrationem Sacramentorum ſpectant. Item iuxta dicta eodem *tom.1. p.2. c.15. num.27.* viſitant Epiſcopi Confraternitates laïcorum erectas in Eccleſiis regularium, non obſtante quacunque contraria conſuetudine. Quod intellige quoad ea tantùm, quæ ad Confratres ſpectant. Prout declarauit S. Congregat. teſte Barb. *de Iure Eccleſiaſt. lib.1. c.14. n.30.* & Nouario *in Lucern. Regul. verb. Viſitare, n.2.* Similiter, iuxta dicta eodem *n.27.* viſitare etiam poſſunt Altaria, & Capellas confraternitatum in eiſdem Regularium Eccleſiis exiſtentes, in his tamen, quæ confratrum adminiſtrationem reſpiciunt, propter declarationem etiam S. Congreg. apud eundem Barboſam *ſup.* Nouarium etiam *ſup. n.4. &* 8. Pro quibus etiam vide Aldauam *in Compend. Canonic. reſol. lib.1. tit.7.* Item Eccleſias Parochiales canonicorum Regularium monaſterio vnitas, ita declarante Sac. Congregatione. Armendariz *Addit. ad recopil. leg. Nau. lib.1. tit.6.* Nouarius *ſup. n.14.* Item Regulares ſimplicibus beneficiis ſeruientes. Ea declarat etiam S. Congregat. Sellius *in Select. can. c.6. num.28.* Nouarius *ſupra num.15.*

18 Hæc porrò omnia reſpectiuè applicari poſſunt viſitatoribus Monialium. Imò ipſarum monaſteria ſingulis annis viſitari debent. Clement. *Attendentes, de ſtat. Monach.* Portelius *in Reſponſionib. p.1. caſ.21. num.1.* Tambur. *de iur. Abbatiſſar. diſp.14. quæſt.3. n.2.* Moniales etiam Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectæ viſitantur ab Epiſcopis tanquam eiuſdem Sedis delegatis. Concil. Trident. *ſeſſ.25. cap.9.* Nouarius *ſuprà,* poſt Leinam, Armendar. & Barboſam. Item quantumvis ſubditæ regularibus poſſunt viſitari ab Epiſcopis in eis, quæ ſpectant ad clauſuram, iuxta dicta *tom.1. part.1. c.25. n.49.* & *ſupra* verbo *Epiſcopus quoad Regulares, n.13.* Quomodo autem, & de quibus rebus interrogari debent in viſitationibus, habes apud Gauantum *in tract. de Viſitat.* & Tamburin. *ſupra quæſit.6.* Impedientes Viſitatores Monialium in iis quæ pertinent ad munus viſitationis earumdem, eſſe excommunicatos ipſo facto, dixi eo *c.25. n.47.* & conſtat ex dicta Clement. *Attendentes.* De quo agunt Angelus *in Sum. verbo Excommunicatio, caſ.39.* Syluest. *in ſum. verbo Excommunicatio 9. n.39.* Nauarr. *in manual. c.27. num.140.* Suarez *de Cenſuris, diſp.23. ſect.5.* Sayrus *lib.3. cap.35.* & alij plures. [Adde viſitatores tum Prouinciarum, tum Conuentuum, tempore quo manent in illis, teneri conformari legibus, & conſuetudinibus illorum, tum vt conformentur ſubditis, tum propter bonum exemplum illis tribuendum: tum quia aliàs credent ſubditi velle dictos Superiores abrogare dictas leges aut conſuetudines. Suarez *de legibus, lib.3. c.35. n.14.* Salas *de legibus, diſp.14. ſect.2. num.23.* Tambur. *de iure Abbat. tom.3. diſp.3. quæſt.4.*

VNCTIO SACRA.

De hac materia prout ad Regulares ſpectat, ſufficienter dixi *ſuprà* verbo *Extrema Vnctio.*

VOTVM PRO REGVLARIBVS.

SVMMARIVM.

1 *De hac materia remiſſiuè.*
2 *De votis eſſentialibus.*
Tam ſolemnibus, quam ſimplicibus. ibid.
3 *De votis ſpecialibus aliquarum Religionum.*
4 *De voto Religioſorum Sanctæ Mariæ de Mercede.*
5 *De voto Minimorum.*
6 *Aliqua illorum ſolemnia, & alia ſimplicia.*
An obligent ſolùm quando Religioſi permanent in prædictis Religionibus. ibid.
7 *Vota Regularium quæ irritari poſſint à ſuis ſuperioribus.*
8 *Quid de votis Nouitiorum.*
9 *De commutatione votorum Regularium.*
10 *De diſpenſatione ipſorum.*
Vota Papæ reſeruata quæ, & qualia. ibid.
11 *An & quando cenſeatur conceſſa licentia pro illis diſpenſandis, vel commutandis.*
12 *In quibus caſibus diſpenſari poſſunt ab Epiſcopis.*
13 *Alij caſus.*
14 *An aliquando in voto religionis.*
15 *An in voto caſtitatis.*
16 *Notanda circa vota viſitationis Romæ, & Compoſtellæ.*
17 *De voto tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem.*
18 *Diſpenſatio in votis quomodo danda.*
19 *Confeſſarij an irritent vota.*
20 *An illa commutent.*

21 *Quid ex priuilegiis Regularium:*
22 *An diſpenſent in illis ſaltem propter priuilegia.*
23 *Reſpectu quorum competit facultas commutandi, & diſpenſandi Confeſſariis regularibus.*
24 *Qualiter poſſint vt illa.*
25 *An diſpenſent cum coniugibus qui voto facto de caſtitate contraxerunt ad petitionem debiti.*
26 *Quæ vota poſſint Regulares emittere.*
27 *Quæ vota ipſorum cenſeri debent valida.*
28 *Quid de votis realibus Regularium.*
29 *Quid de votis non petendi irritationem, commutationem, ſeu diſpenſationem votorum.*

1 DE hac etiam materia, prout ſpecialiter ad Regulares ſpectat, plura dixi per totam hanc Summam. Etenim *tom. 1. p. 1. c. 1.* de illis quatenus ad profeſſionem Religioſorum ſpectant, latè dixi. Deinde eod. 1. *tom. cap. 4.* latè etiam de voto obedientiæ. Item *c. 5.* de voto Caſtitatis, & *cap. 6.* de voto paupertatis. De Prælatis autem Religioſorum, quæ & qualia vota ſuorum ſubditorum irritare, commutare, & diſpenſare poſſint, dixi eod. *tom 1. p. 1. c. 18. n. 47. & ſeqq.* An Abbatiſſæ, ſeu Priorißæ Monialium, ipſarum vota irritare, commutare, aut diſpenſare poſſint, dixi eod. *tom. 1. p. 1. c. 26. n. 15.* De Confeſſariis etiam Regularibus, quæ vota commutare, aut dipſenſare poſſint, dixi eod. *tom. 1. p. 1. c. 19. a n. 12.* & *ſupra* verbo *Confeſſarius Regularis*, *n. 13. 14. &* 15. Ad quæ etiam deferuiunt quæ dixi etiam *ſup.* verbo *Iuramentum quoad Regulares.* Alia ergo in præſenti addenda, & aliqua ex prædictis pro materiæ neceſſitate amplianda.

2 Et primò, ex dictis *tom. 1. p. 1. cap. 2. num. 1.* conſtat ad ſubſtantiam, & eſſentiam Religionis requiri tria vota, videlicet obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & quod per illa conſtituatur vouens ſub iuriſdictione, & poteſtate Superioris, ſeu Prælati. Vnde etiam ibi *n. 2.* & *tom. 1. p. 2. c. 5. n. 5. &* 6. dixi tria vota, quæ emittunt Milites, non ſolùm S. Ioannis, ſed aliorum Ordinum Militarium, eos conſtituere veros Religioſos. Idem etiam dixi *eo cap. 2. num. 3* de votis ſimplicibus, quæ emittunt Patres Ieſuitæ poſt biennium, propter declarationem maxime Gregorij XIII. Secus verò dicendum de aliis votis ſimplicibus, quæcunque illa ſint, & à quibuſcunque emiſſa. Ea enim non ſufficiunt ad veram Religionem. In quo autem differant votum ſolemne, & ſimplex, res valde controuerſa eſt. Quædam enim ſententia tenet votum ſolemne differre à ſimplici, quòd ſimplex eſt quædam mera, & ſola promiſſio, ſolemne verò vltra promiſſionem addit etiam traditionem vouentis, prout docent Sotus *in 4. diſt. 38. q. 2. art. 5.* Valentia *in 2. 2. diſp. 6 q. 6. punct. 5.* & alij. Vnde conſequenter dicunt votum ſolemne dirimere Matrimonium ſubſequens, etiam iure naturali, & diuino. Quod etiam tenet Cornejo noſter *tom. 2. in 3. p. tr. 6. de impedim. Matrim. diſp. 7. dub. 9.* Quidam verò nullam aliam differentiam cognoſcunt inter votum ſimplex, & ſolemne, niſi quod ex decreto Eccleſiæ traditio, quæ eſt in voto ſolemni, fit etiam in manu Prælati, non verò ea, quæ eſt in voto ſimplici, prout tenent Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 40. dub. 19.* Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 25.* Portellus *in dub. Regul. verb. Voti ſolemnitas, num. 21.* & Bonacina *de matrim. q. 3. puncto 4. n. 5.* poſt Reginaldum, Bellarminum, & alios, quos refert. Vnde conſequenter ad iſtam ſententiam dicitur votum ſolemne ſolùm iure Eccleſiaſtico dirimere ſubſequens Matrimonium. Pro qua etiam Cornejo *ſupra*, plures alios refert. Quidquid autem ſit de huiuſmodi controuerſia (de qua alibi) pro nunc ſufficiat dicere votum ſolemne eſſe illud, quod fit in profeſſione Religionis approbatæ, vel ſacrorum Ordinum ſuſceptione, ſimplex verò quodcunque aliud, ſiue publicum, ſiue occultum. Nauarrus *in Man. cap. 12. n. 52.* & alij communiter.

Præter huiuſmodi autem tria vota ſubſtantialia, & eſſentialia Religionis, quam cuncti Regulares in profeſſione emittunt, aliqui illorum alia etiam faciunt, iuxta dicta *tom. 1. part. 2. cap. 4. n. 9.* Etenim profeſſi Societatis Ieſu plura alia vota emittunt. Videlicet, obedientiæ ſpecialis erga Summum Pontificem, non permittendæ relaxationis paupertatis, non prætendendi directè, vel indirectè dignitatem, vel Prælationem in Societate, non procurandi dignitatem extra Societatem, denunciandi ambientes, & audiendi conſilium Generalis, vel alterius ad id deputati, ſi in Epiſcopos, vel Præſides alicuius Eccleſiæ eligantur. Clerici etiam Regulares Minores quartum votum emittunt (vt dicitur) de non petendo Prælaturam extra Religionem. Clerici autem Regulares miniſtrantes infirmis plura etiam vota, & inter ea vnum præcipuum, emittunt de perenni miniſterio ægrotantibus exhibendo. Religioſi item S. Mariæ de Mercede votum quartum emittunt de redemptione captiuorum. Prout colligo ex SS. D.N. Vrbano in Bulla *Ex Clementi*, inter Bullas ipſius *tom. 4. Bull n. 94* Minimi etiam votum vitæ quadrageſimalis faciunt, prout conſtat ex Scriptoribus huius Religionis, ſpecialiter ex Peyrinis *tom. 1. de Subdito, q. 4.* Moniales etiam S. Claræ votum clauſuræ emittunt, prout habet Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 39* Inſuper noſtri Patres Diſcalceati Carmelitarum, & Diſcalceati S. Auguſtini, votum quoque faciunt de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, vel Prælaturam extra Religionem, prout conſtat ex nouiſſimis litteris SS. D.N. Vrb. in forma Breuis datis die 26. Febr. currentis ann. 1643. Et quidem de votis PP. Ieſuitarum, Clericorum Minorum, ac Clericorum miniſtrantium infirmis, aliqua dixi eo *cap.* 4. Nunc verò agendum de votis etiam aliarum Religionum.

Et quod attinet ad votum Religioſorum S. Mariæ de Mercede, prout colligitur ex Conſtitutione relata SS. D.N. Vrbani, & Conſtitutionibus huius Ordinis *cap. 52. 1. diſt.* ſub his verbis emittitur: *Et in Saracenorum poteſtate in pignus, ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſti fidelium detentus manebo.* Quibus verbis, etſi expreſsè non contineatur votum de procuranda redemptione captiuorum Chriſtianorum apud Infideles exiſtentium, aut vacandi huic muneri, ſufficienter tamen id intelligitur, tum ex titulo eius Religionis, qui etiam in profeſſione exprimitur, ſcilicet *Redemptionis Captiuorum*; ſiue ipſius, qui vt habetur *in Scholiis dictarum Conſtitutionum ad locum relatum*, eſt in fauorem fidelium Chriſtianorum, & ad redimendos eos à poteſtate infidelium, ac ex praxi eiuſdem. Quomodo autem obliget huiuſmodi votum, ſic habetur *in prædictis Scholiis. Idcirco Fratres noſtri cum fidem, Religionemque Chriſtianam apud quoſdam inter miſeros captiuos periclitari cernunt, ne aduerſarij Crucis Chriſti latabundi inſultent, trophæum ſe reportare credentes de receſſu quorundam Chriſtianorum Chriſti Crucem profligantium, ſe in pretium, & redemptionem eorum, de quibus rationabiliter timetur ne Chriſtum deſeram, ſe in pignus liberationis, & redemptionis ipſorum tenentur donare.* Nota tamen SS. D.N. Vrbanum litteris datis in forma Breuis 15. Febr. 1640. decreuiſſe quod miniſterium redemptionis captiuorum in omnibus ſpectet ad Fratres Calceatos iſtius Ordinis dumtaxat, & nullatenus Diſcalceatos.

Quod attinet etiam ad votum Minimorum de vita quadrageſimali ſeruanda, dicendum, illud eſſe eſſentiale Religioni Minimorum, itavt eo ſublato, talis Religio non ſubſiſtat. Paſſarellus *in notab. priuileg. notab. 25.* Peyrinis *d. q. 4. cap. 1.* Quod idem videtur dicendum

cendum de voto Religioſorum S.Mariæ de Mercede,& ſimilibus,propter eandem rationem. An verò talia vota maneant in ſua vi,etiam in caſu,quo illa emittentes ad Epiſcopatum aſſumantur, conſtabit ex dicendis *num. ſequenti*. Alia etiam ad hoc votum pertinentia habes apud prædictum Peyrinis *d. q 4. tom.3. priuileg.Minim.cap.14*

6 Generaliter etiam circa prædicta,& ſimilia vota nota primò,aliqua ipſorum videri ſolùm ſimplicia, & non ſolemnia,vel quia ſunt ſimplices promiſſiones non includentes traditionem,vel quia ab Eccleſia non admittuntur vt ſolemnia,ſed ſolùm vt ſimplicia,accedente præſertim intentione vouentium, & Prælatorum illa acceptantium. Et ita ſpecialiter de votis illis Patrum Ieſuitarum ſuprà relatis, eo excepto quod eſt de obedientia præſtanda Summo Pontifici, tenent Suarez *4.tom.de Relig.tract.10.lib.6. c.11.* & Sanchez *lib.4.in Decal.c.33.num.5.& cap.18. n.1.& 7.* Vota autem illa Religioſorum S.Mariæ de Mercede,& Minimorum, cenſentur ſolemnia, propter oppoſitam rationem.Peyrinis *d.quæſt.4.c.1.§.nota primo,& §.notandum ſecundo*. Vota etiam illa noſtrorum Patrum Diſcalceatorum Carmelitarum,ac Patrum Diſcalceatorum S. Auguſt.de non procurando, nec acceptando aliquam Prælaturam extra Religionem,etſi ſimplicia cenſeantur; nihilominus ſolemnia eſſe,vel ſaltem efficaciam voti ſolemnis habere, dicitur in litteris Sanctiſſ. D.N. Vrbani, de quibus *ſupra n.3.* Secundò nota, quod,licèt huiuſmodi vota annexa ſint,& quaſi acceſſoria tribus aliis votis Religionis, & pro illa Religione, in qua emittuntur, itavt valdè probabile ſit quod quoties qui ea emiſit eximitur ab obligatione votorum in illa Religione per aſſumptionem ad Epiſcopatum, vel per tranſitum ad aliam Religionem,vel per eiectionem ab illa, amplius non teneatur ad ipſa, iuxta dicta *tom.1.p.1. cap.17.num.10.& cap.25. num.19.& cap.23.n.17.* quod etiam tenent Fagundez *in 4.Eccleſ.præcept.lib.1.cap.6. num.6.in fin.*Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.1.c.42.n.90.* Tamburinus *de iure Abbat.tom.3.diſp.7.quæſito 6.num.6.* & Zacharias Paſqualigus *in Deciſ. Moral. deciſ.266. 271. 273. & 274.* Nihilominus propter dicta *ſuprà verbo Tranſeuntes Regulares, num.24.* ratione Conſtitutionis Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, quam ibi retuli, Regulares quicunque, qui ex ſuo inſtituto votum habent, ſeu iuramentum annexum de non procuranda, vel acceptanda extra eorum Religionem dignitate, aut ſuperioritate, tranſeuntes ad aliam Religionem, etiam cum licentia Papæ, aut à Religione ſua dimiſſi, vel eiecti, remanent adſtricti voto,ſeu iuramento prædicto, propter præſumptionem Iuris, vt eo loco dixi per dictam Conſtitutionem inductam, quod ſcilicet dicta vota cenſeantur principaliter ob cultum Dei, & abſolutè emiſſa, & non reſtricta ad præſentem ſtatum Religionis, in qua profeſſio facta fuit.Theſaur.in *Praxi,part.2.verbo Religioſi,cap.4.§.nota circa.* Tertiò nota,quod licet Religio habens quartum votum cæteris paribus ſtrictior ſit dicenda aliis Religionibus illud non habentibus,prout ſpecialiter de prædicta Religione S.Mariæ de Mercede declarauit Calixtus III. in Bulla *Super gregem,in 1.tomo Bullarÿ*,in hoc Pontifice *num.5.* & de Religione Minimorum declararunt Iulius II. & Leo X.apud Peyrinis *ſupra quæſt.1.c.54.§.* Nihilominus quoad praxim tranſitus aliarum Religionum ad iſtas,attendendum eſt non ſolùm ad priuilegia, quibus multæ Religiones fruuntur, de quibus *ſuprà verbo Tranſeuntes Regulares,num.10.* ſed etiam,& maximè id quod dixi eodem *verbo Tranſeuntes Regul. num.8.* & declarauit Clemens VIII. in Conſtit. *Nuper ad nos, 3. tomo Bullar*, inter Conſtitutiones ipſius num.46. vbi non ſolùm prohibet quod Religioſi S. Mariæ de Mercede non poſſint recipere quemcunque Religioſum Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, aut alicuius ſtrictioris Regulæ, quàm ſit Regula dictorum Religioſorum Beatæ Mariæ de Mercede; ſed etiam ſubiungit Pontifex, *Declarantes Regulam ſtrictiorem eſſe iudicandam alia ratione, quam reſpectu quarti voti*.Quod maximè,vt dixi,notandum credo pro huiuſmodi tranſitu.

Vota Regularium irritari poſſe à ſuis Superioribus non ſolùm indirectè,& ex parte materiæ,immotando illam, præcipiendo ſcilicet, vel prohibendo oppoſitum, ſed etiam directè, tollendo obligationem, etiam ſine mutatione materiæ, & etiamſi votum ſit de re,quæ nullum præiudicium inferat religioni,conſtat ex dictis *tomo 1.cap.18.n.47.* vbi etiam quod hæc poteſtas extenditur ad ea vota, quæ ſunt circa materiam præceptorum,& ad illa etiam, quæ facta ſunt auctoritate ipſorum, & ab ipſis confirmata. Non extendi autem hanc poteſtatem ad votum tranſeundi ad ſtrictiorem religionem, eo quòd quoad hoc votum Inferior non dependeat à Superiori, dixi *ibid.* ex Nauarro. Nota etiam hanc facultatem non extendi ad tria vota ſubſtantialia religionis, vt omnes communiter ſupponunt.Neque etiam ad illa vota,quæ,vt dixi, vltra tria religionis ſubſtantialia emittuntur in aliquibus religionibus, iuxta eorum Conſtitutiones à Sede Apoſtolica approbatas.Quia in his omnibus, & materia ipſa, & actus vouendi ſunt omnino extra Superioris dominium,cum iuxta Conſtitutiones à Pontifice approbatas, ea vota ſint annexa ei ſtatui religioſo. Sanchez loco relato *ex lib.4.in Decalog.*Portellus *in Dub. Regularium,verbo Voti irritatio, in additionibus,num.68.* Fagundez *in 2.præcept. Decalogi,lib.2.c.34.num.6.*Diana *6.part.tract.8.reſol.34.* Bordonus *reſol.14.num.24.*Extenditur tamen hæc poteſtas irritandi vota ſubditorum ad vota quæcunque peregrinationis,verbi gratia,in Hieroſolymam,Romam,aut S.Iacobum de Compoſtella.Ratio eſt,quia etiam in his votis procedunt rationes communes, propter quas Prælati Regulares poſſunt Religioſorum ſubditorum vota irritare, ſcilicet quia Religioſi non ſunt amplius ſui iuris,ſed ſunt traditi Religioni,& conſtituti in poteſtate Superioris,& quia ius Eccleſiaſticum hanc tacitam conditionem votis Religioſorum ineſſe voluit, *niſi Prælatus aliquando contradixerit*. Hanc autem conditionem votis ineſſe ex iuris Eccleſiaſtici diſpoſitione,communis Religioſorum vſus,& praxis ſufficienter indicat.Leſſius *de inſt.lib.2.cap.40.n.75.* Sanchez *ſuprà c.24. num.30.* Vaſquez *1.2.diſp.165. cap.4. num.29.*& Bonacina *de voto diſp.4.quæſt.2.punct.7.§.1.num.56.* Vnde hæc vota peregrinationis irritari poſſe à Prælatis, expreſsè tenent *ſuprà n.13.*Peyrinis *tom.1.de Prælato,q.3.cap.3. num.27.* Portellus *ſupra verbo Voti commutatio,in additiones num.45.*& *verb.Voti diſpenſatio,n.76.* & Bordonus *ſupra n.23.* poſt Sanchez,& Mirandam.

Vota porrò Nouitiorum irritari etiam poſſe à Prælatis Regularium,conſtat ex dictis *ſup.verbo Nouitÿ, & Nouitia Religionum, n.37.* vbi etiam de modo quo facere poſſunt, & an Magiſtri Nouitiorum poſſint id facere. Vota etiam Monialium irritari poſſe ab ipſarum Abbatiſſis,dixi *tom.1.part.1.c.26.n.15.* 8

Vota ſimiliter Regularium commutari poſſe ab eorum Superioribus,conſtat ex dictis *tomo 1.cap.18. num.48.*Vbi etiam qualiter ad commutationem voti in melius,quando conſtat de exceſſu, non requiratur auctoritas Superioris, ſecus verò ad commutationem voti in æquale,vel minus bonum; tunc enim non ſolùm auctoritas Superioris, ſed etiam cauſa proportionata requiruntur. De quibus,& aliis concernentibus,præter auctores ibi relatos,Leſſius *ſup. dub.16.* Sanchez *ſupra cap.49.* Bonacina *ſuprà §.3.* 9

Quæ

Quæ verò ſint hæc vota quæ à Prælatis Regularibus commutari poſſint, conſtabit ex dicendis de diſpenſatione. Certa enim regula eſt, quòd qui habet facultatem ad diſpenſandum aliqua vota, habet etiam facultatem ad illa commutanda, quia cui licet maius licet minus, *Regula cui li.et 53. de Regul. iuris in* 6. quando minus continetur in maiori tanquam pars in toto, vel ſpecies in ſuo genere; commutatio autem quid maius eſt contentum in poteſtate diſpenſandi; diſpenſatio enim remittit totaliter vinculum voti, commutatio verò ſolùm partem remittit, vt ſcilicet non impleatur in materia promiſſa. Quæ quidem regula pro habentibus facultatem ordinariam ad diſpenſandum, communis eſt inter Doctores. De quo Syluester *in Summa, verbo Votum* 4. *quæſt.*3.*d.*2. Toletus *in Summa, lib.* 4. *cap.*18.*num. vltim.* Suarez *tom.*2.*de relig.tract.*8.*de Voto, lib.*6.*cap.*12.*num.*4. Ledeſma 2.*tom. Summæ, tract.*10.*cap.*8 & alij. Et loquendo de habentibus facultatem ſolùm delegatam, magis probabiliter tenent Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.*11.*à n.*116. *& cap.*12.*n.*15. Suarez *ſupra n.*10. Bonacina *ſupra dict.*§.3.*n.*10. contra Nauarrum, Azorium, & alios, quos ſequitur Sanchez *ſupra cap.*53. *n.* 4. Hac porrò facultate commutandi vota carere Abbatiſſas reſpectu Monialium, ſicut etiam facultate diſpenſandi in illis, dixi *tom.* 1.*part.*2.*cap.* 26. *n.*15. An verò illa gaudeant Prælati regulares reſpectu Nouitiorum, dixi *ſupra verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum, n.*38. Alia etiam quæ ſpectant ad huiuſmodi commutationem votorum, habes ex dictis *ſupra verbo Cruciata, n.*34.35.*&* 36. & *verbo Iubileum num.* 18. Vide etiam pro votis iuratis dicta etiam *ſupra verbo Iuramentum quoad Regulares.*

10 Similiter Prælatos Regulares diſpenſare non poſſe cum ſuis ſubditis in votis ſubſtantialibus Religionis, neque in votis ſpecialibus, quæ, vt vidimus, in aliquibus Religionibus emittuntur, dixi *tom.* 1.*p.*1. *cap.*18.*n.*54. De quo etiam Diana 6.*part.tract.*8.*reſol.*3. ex Suarez, Laymano, Palao, Portello, & Bordono. Quod, prout attinet ad votum de non procurando dignitatem, vel Prælaturam extra Ordinem, declaratum eſt à SS. D. N. Vrbano in litteris ſuprà relatis, vbi motu proprio declarat tale votum diſpenſari, aut relaxari non poſſe, niſi ſolùm à Summo Pontifice, omnibus, & quibuſcunque aliis priuilegiis, aut Indultis omnino excluſis, iuxta dicta *ſup. verbo Tranſeuntes Regulares, n.*14. Nihilominus diſpenſare poſſe dictos Prælatos regulares in votis ſuorum ſubditorum, in quibus diſpenſant Epiſcopi cum ſuis ſubditis, non verò in votis reſeruatis Papæ, conſtat ex dictis eo *cap.*18.*n.*49. Pro quo notandum, vota reſeruata Papæ eſſe primò votum Religionis; ſecundò votum caſtitatis; tertiò votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum D. Petri, & D. Pauli; quartò, peregrinationis Hieroſolymitanæ (quod vocatur vltramarinum) quintò, peregrinationis Compoſtellanæ ad D. Iacobum. Ita enim habetur ex Extrauag. *Etſi Dominici* 2.*de pœnit.& remiſſionib.* Sotus 7.*de iuſtit. quæſt.*4.*art.*3. Nauarr. *in Manual. cap.*12.*num.*75. Sayrus *dicto lib.*6.*cap.*11.*n.*35. & alij communiter. Pro praxi autem Cur. Rom. circa huiuſmodi vota vide Theſaurum *in Praxi, p.*2. *verbo Votum, cap.*1. Nota etiam prædictis quinque votis aliquos cum Nauarro *Commentar.*1.*de regularib.n.* 21. addere etiam votum peregrinationis in Templum B. Mariæ Lauretanæ. Sed id iure communi non habetur, & de particulari priuilegio, ſi id habeatur, mihi non conſtat. De quo Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.* 12. *c.* 18. *quæſt.*4.*& cap.*19.*quæſt.*3. Sanchez *ſuprà cap.*40.*num.*10. Portellus *in Dub. Regular. verbo Voti diſpenſatio, in addit. num.* 76. Nec obſtat, quod ex Breui Gregorij XIII. quod refert Naldus *in Summa, verbo Votum, numero* 33. habeatur ipſum Gregorium conceſſiſſe Confeſſariis Congregationis Oratorij de Vrbe, ſeu *Vallicellæ*, commutationem votorum, excepto prædicto Lauretano, & aliis quinque ſolitis, hoc enim non arguit reſeruationem generalem talis voti pro tota Eccleſia, ſed ſolùm pro illis Confeſſariis. Et ita in praxi obſeruari tenet idem Naldus *ibid.* ex Azorio.

Circa prædicta autem quinque vota nota, ipſa à
Papa diſpenſari poſſe, prout ſupponunt communiter 11
Doctores, ſpecialiter ex noſtris antiquioribus Ioannes de Baccone *in* 4. *diſt.* 3. & Michaël de Bononia ibi *diſt. ſect.*42.*q. vnic.* Nota ſecundò, adeo cenſeri Papæ reſeruata, vt nunquam ſub conceſſione generali votorum cenſeantur comprehenſa, niſi exprimantur. Prout de commutatione dixi *ſupra verbo Iubilæum n.* 18. & de diſpenſatione colligitur ex generali illa Regula Iuris, quod ſcilicet *In generali conceſſione non veniant ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus.* Suarez *ſupra libro* 6.*c.*25.*n.* 4. Sanchez *ſupra n.* 16. Bonacina *de Legib. diſp.*4.*quæſt.* 2.*punct.*7.§.4.*n.* 12. Quod ſi vota reſeruata abſque aliqua reſtrictione, vel declaratione, alicui concedantur ad diſpenſationem, vel commutationem, claudentur in ipſis prædicta quinque, quia ſatis exprimuntur ſub nomine reſeruatorum. Suarez *ſupra n.*15. Sanchez *ſupra n.*17. Pontifice etiam concedente omnia vota, præter votum caſtitatis, & Religionis, cenſentur quoque conceſſa vota triplicis peregrinationis reſeruatæ, vel quia tunc procedit Regula illa *Exceptio regula firmat eam in contrarium*, quæ deſumitur ex *cap. Dominus* 32. *quæſtione* 7. *& ex cap.* 2. *de coniugio leproſorum*, prout tenet Suarez *ſupra num.* 7. vel quia habetur ex communi vſu, & conſenſu Doctorum, prout tenent Sanchez *ſuprà n.*19. & Bonacina *ſupra*. De quo etiam Diana 5.*part. Tract.*12.*reſolut.*58. Apud quos & alia ad intentum.

Quamuis autem prædicta quinque vota reſeruata 12
ſint ſemper Papæ, nihilominus ſunt aliqui caſus, in quibus Epiſcopi in ipſis diſpenſare poſſunt. Primus eſt, quoties de voti valore fuerit morale dubium, ſiue ſit dubium Iuris, ſiue facti, ſiue ſit negatiuum, propter coniecturas, quæ non ſufficiunt ad determinandum iudicium, ſiue ſit poſitiuum ex opinionibus probabilibus contrariis. Et hoc eſt verum, quamuis id dubium non ſufficiat ad excuſandum vouentem à voti obligatione. Ratio eſt, quia cum diſpenſationis reſeruatio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad caſus certos. Dubij ergo caſus non comprehenduntur ſub reſeruatione. Suarez *ſupra cap.*26.*n.*6. Sanchez *ſuprà n.*16. Card. Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.* 20.*ſect.* 2. *n.*22. Addens ex Sanchez, etiam comperta poſtea voti certitudine, non eſſe neceſſarium recurrere ad Papam pro diſpenſatione, quia iam eſt obtenta legitima diſpenſatio. Secundus, quoties illa emiſſa ſunt metu etiam alicui per iniuriam incuſſo ad extorquendum illa. Tum *ex c. veniens, qui Clerici, vel vouentes.* Tum quia id inuoluntarium ſecundùm quid repertum in talibus votis, non quomodocunque, ſed per iniuriam, minuit notabiliter rationem voluntarij, ac voti, ac proinde non cenſetur Pontifex velle, quaſi iniuriam illam fouens, reſeruare huiuſmodi vota. Angelus *in Summa, verbo Votum* 4.*n.*9. Henriquez *lib.*11.*de Matrimon. cap.*15.*n.*8. Leſſius *de Iuſtit. cap.*40. *in edit. vltima, dub.*18.*n.* 127. Sanchez *ſupra n.*31. Diana *d. tract.* 55. *Reſolut.* 61. Tertius eſt ſpecialiter pro voto Religionis, & caſtitatis, in caſu quo immineret magnum incontinentiæ periculum, neque eſt facilis aditus ad Pontificem, vel Legatum præ paupertate, vel alia cauſa; quia iure optimo credi poteſt non eſſe Pontificis mentem, velle in tali caſu reſeruare ſibi hæc vota; nec eſt veriſimile velle eum, vt animæ laqueis irretitæ verſentur in tanto periculo. Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *numero* 76. Ledeſma 2. *tom. Summæ, tract.*

tract.10. *cap*.8. Suarez *dict. cap*.26. *à numero* 9. Leſſius *ſupra num*.125. 126. & 127. Fagundez *in* 2. *præceptum Decalog. lib*.2. *cap*.42. *n*.18. Diana 6. *part. tractat*. 6. *reſolut*.50. Limitatur tamen, vt diſpenſatio hæc conceſſa ab Epiſcopo ſolùm ſit, quatenus illud periculum poſtulat, & ipſo durante, quia ſolùm ipſi eſt conceſſa pro tali neceſſitate. Quare tales cum quibus ob dictas rationes Epiſcopus in voto continentiæ diſpenſauit, vt vel Matrimonium contrahere, vel contracto vti poſſent, contra votum peccabunt, ſi extra Matrimonium fornicentur, vel eo ſoluto, ad aliud ſine noua Pontificis diſpenſatione tranſeant. Layman, *lib*.4. *tract*.4. *cap*.8. *num*. 16. poſt Suarez, & Sanchez, Bonacina *ſuprà*, *n*.25. poſt Syluest. Nauarrum, Reginaldum, & alios. Eadem doctrina extendi debet ad triplicem peregrinationem Pontifici reſeruatam, in caſu quo vrgeret neceſſitas diſpenſationis, nec præ paupertate, aut alia cauſa adiri poſſet Pontifex, vel Legatus ipſius. Ledeſma *ſupra*. Sanchez *ſuprà n*.11. Idem quoque dicendum eſt, ſi eſſet periculum alicuius magni ſcandali, vel damni tertiæ perſonæ. Sanchez *ſupra n*.36. poſt Syluest, Henriquez, & Suarez, Diana etiam *ſupra*.

13 Quartus caſus eſt valde generalis, quando materia horum votorum deficit à natura materiæ reſeruatæ, tunc enim Epiſcopus in illis diſpenſare poteſt. Contingit autem hoc multipliciter. Primò, quando tota materia, quæ promiſſa eſt per votum, non eſt reſeruata, vt ſi quis faciat votum disiunctiuum, verbi gratia caſtitatis, aut ieiunij. Quia cum in alternatiuis electio ſit debitoris, ſatisfaciatque quamcunque disiunctionis partem præſtando, iuxta Regulam *In alternatiuis, de Regulis iuris in* 6. ideo tale votum non obligat præcisè ad rem reſeruatam, & ſubinde reſeruatum non eſt. Sayrus *ſuprà, cap*.11. *n*.62. Azor. *tom*. 1. *Inſtitut. Moral, lib*.11. *cap*.19. *quæſt*.10. Secundò, quando animus vouentis, dum vota illa emiſit, ſolum fuit obligandi ſe ſub veniali, vel ſub nulla obligatione. Talia enim vota non ſunt perfecta, ſed imperfecta, ac per conſequens reſeruata non debent cenſeri. Sanchez *ſupra n*.47. Bonacina *ſuprà num*. 21. Candidus *tom*. 2. *Diſquiſit. moral. diſquiſit*. 25. *artic*.8. *dub*.1. Tertiò, quando illa non ſunt abſoluta, ſed conditionalia conditione de futuro (modò conditio non ſit adimpleta) quale eſt votum ſic dicentis: *Si ex morbo conualuero, voueo me Religioſum fore*. Quia vota, quæ Papæ reſeruantur, ſunt vota perfecta, cum reſeruatio ſit odioſa, ac per conſequens non extendenda ad votum imperfectum, quale eſt votum nondum impleta conditione, cum ante illius euentum non obliget. Aragon. 2. 2. *quæſt*. 88. *artic*.11. Toletus *in Summa lib*.4. *cap*.18 Sayrus *ſuprà, n*.77. Candidus *ſuprà artic*. 7. *dub*. 1. Dixi *conditione de futuro*, quia in voto facto ſub conditione de præſenti, aut præterito, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, cum huiuſmodi conditio non ſuſpendat conſenſum, nec efficiat votum conditionale, *l. cùm ad præſens ff. ſi certum petatur*. Suarez *ſuprà cap*.15. Sanchez *ſuprà n*.88. Bonacina *ſupra n*.17. Candidus *ſuprà*. Dixi etiam *modò conditio ſit adimpleta*, nam adimpleta conditione, votum cenſetur abſolutum, & non minus obligat, quàm ſi factum fuiſſet ſine illa. Reginaldus *libro* 18. *n*.336. Sayrus *ſupra cap*.21. *à num*. 23. & alij plures contra Sanchez *ſuprà n*.99. & *lib*.8. *de matrim. diſp*.10. *num*. 13. Dianam 5. *p. tract*.5. *reſolut*.25. & alios. Quartò, quando talia vota ſunt pœnalia, quale eſt hoc: *Si fornicatus fuero, voueo in pœnam me Religionem ingreſſurum*. Ratio eſt, quia cum reſeruatio ſit odioſa, ac nimis reſtringenda, vota hæc tunc reſeruata cenſeri debent, quando ſunt ſimpliciter rei reſeruatæ, vt Religionis, &c. At vota pœnalia non ſunt huiuſmodi. Cum enim votum ſit actus Religionis, quo quis rem ſibi gratam, & acceptam offert Deo in eius cultum, id ſimpliciter & perfectè dicetur tale, quod ex vera & directa rei promiſſæ voluntate oritur. At in votis pœnalibus conditionalibus nullus eſt affectus, nullaque voluntas directa rei promiſſæ in pœnam, ſed potius hanc ſibi proponit voluntas tanquam odioſam, & non vult eam, imò potius propoſitum habet cauendæ eius obligationis. Aragon *ſuprà*, Medina *in inſtructorio Confeſſar. cap*.14. §.6. Sayrus *ſup. n*.72. & 73. Reginaldus *ſupra num*.337 Ledeſma *ſupra capit*.8. Qui omnes loquuntur etiam in caſu quo ſit commiſſa talis culpa, ideoque contracta obligatio pœnæ. De quo etiam Sanchez *ſupra num*. 91. Quintò, quando prædicta vota non ſunt principalia, ſed acceſſoria, prout contingit in eo, qui emiſit votum ſuſcipiendi Sacros Ordines, quibus eſt annexum votum caſtitatis. Aragon *ſuprà*, Sayrus *ſupra num*.60. Azor. *ſuprà c*. 19. *dub*. 9. Leſſius *ſupra num*. 124. Candidus *ſuprà art*.8. *dub*.13.

Specialiter etiam circa votum Religionis id continget primò, quando fuerit votum Religionis non approbatæ, quia Religio non approbata non eſt Religio. Leſſius *dicto dub*. 18. *num*. 123. Sanchez *ſuprà num*.71. Reginaldus *ſuprà num* 331. Secundò, quando fuerit votum ſolùm paupertatis, ſeu obedientiæ, ſiue in ſæculo, ſiue in Religione, propter eandem rationem. Leſſius *ſuprà*, Sanchez *ſupra num*.75. Tertiò, in voto aſſumendi habitum Tertiariarum, propter eandem rationem. Aragon *ſupra*, Sayrus *ſupra n*.64. Sanchez *ſuprà num*.71. Quartò, in voto non nubendi, vel non fornicandi, hoc enim non eſt votum Religionis, vel caſtitatis perfectæ, ſed tantummodò partis. Nauar. *ſuprà*, Reginaldus *ſuprà n*.332. & 334. Bonacina *ſupra n*.21. poſt alios. Quid verò dicendum de voto aſſumendi habitum Equitum Ordinum Militarium, conſtat ex iis, quæ dixi *tom*.1. *p*.2. *c*. 5. Qui enim dixerint tales Ordines verè Religiones eſſe (prout ſaltem de Militari S. Ioannis negari non poteſt) conſequenter dicere debent, votum ingrediendi Papæ reſeruatum eſſe. De quo etiam Sanchez *ſupra num*.37. 14

Similiter ſpecialiter loquendo de voto caſtitatis, id continget primò in voto caſtitatis temporalis, quia ſolùm votum caſtitatis perpetuæ, quòd eſt ſimpliciter tale, cenſetur reſeruatum. Azor. *ſuprà, quæſt*. 6. Sayrus *ſupra n*.48. Ledeſma *ſupra*, Fagundez *in* 2. *præcept. Decalog. lib*.2. *cap*.27. *n*.11. Naldus *in Summ. verbo Votum, n*.58. Candidus *ſuprà artic*.8. *dub*.4. & alij communiter. Secundò, in voto caſtitatis coniugalis ſeruandæ, quia non eſt votum totius caſtitatis, ſed ſolùm partis. Sanchez *ſuprà n*.50. Layman. *ſuprà, n*.8. Candidus *ſuprà art*.9. *dub*.3. Tertiò, in voto, quo alter coniux abſque alterius licentia, ſiue cum illa, promiſit ſe non petiturum debitum. Et idem quando vterque coniux ex licentia alterius, ſiue abſque illa, eo voto ſe ligauit. Sanchez *ſuprà num*. 51. & *ſequentibus*, Layman. *ſuprà*, Candidus *ſuprà dub*. 2. 15

Similiter, & ſpecialiter quoad duo vota illa viſitationis Romanæ, & Compoſtellanæ, idem continget, ita vt Epiſcopus in illis diſpenſare poſſit primò, quando animus expreſſus vouentis non eſt ad inuiſenda, ſeu viſitanda talia loca, ſed ad alium finem, etiam piũ, vt ſi quis voueat venire Romam ad oſculandos pedes Papæ, vel viſitandam Imaginem aliquam, verbi gratia Beatæ Virginis, quia Extrauagans illa *Etſi Dominici*, ſolùm reſeruat Papæ illa vota, quando fiunt ad viſitanda limina Apoſtolorum Romæ, & S. Iacobi in Compoſtella. Sanchez *ſuprà num*.77. Idem quoque dicit *ibid*. de alio voto Terræ Sanctæ. Sed oppoſitum credo verius, quia in d. Extrauaganti diuerſo modo loquitur Pontifex de hoc voto, ac de aliis duobus; illud enim vocat peregrinationis, & iſta duo viſitationis. 16

Digitized by Google

tionis. Vnde votum peregrinandi in Terram Sanctam, etiamſi non fit ad viſitandum aliquem locum in particulari ipſius, credo reſeruatum Papæ. Secundò, in qualitatibus, vel conditionibus prædictis tribus votis adiunctis, vt ſi quis promiſerit ſe iturum pedibus, mendicando, &c. ad illa loca. Quia hoc non eſt diſpenſare in illis, ſed in qualitatibus ipſis adiunctis, Reginaldus *ſupra, n.* 342. Sanchez *ſupra n.* 78. Bonacina *ſup. n.* 21. Nota tamen circa hæc, quod quamuis aliquorum ſententia ſit hæc tria vota non eſſe reſeruata Papæ, niſi quando fiunt cauſa ſubſidij, non verò deuotionis, oppoſitum tamen eſt veriſſimum, quia ita tenet praxis, & ſtylus Curiæ, ac Sac. Pœnitentiaria, ad quam quotidie recurritur pro diſpenſatione in illis, etiamſi cauſa deuotionis facta fuerint. Leſſius *ſupra n.* 222. Suarez *ſupra c.* 21. *n.* 5. Theſaurus *in praxi, part.* 2. *verbo Vota, §. ſed tenendum.*

17 Cum autem votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem non includatur in voto Religionis, quod Papæ eſt reſeruatum, ſed poſſit Epiſcopus in illo diſpenſare, prout ex Antonio, Paludano, Syluestro, Aragon. & aliis tenet Sayrus *ſuprà, n.* 63. ex Rodriguez, Henriquez, Ledeſma, Azorio, & aliis tenet Sanchez *ſuprà num.* 75. ideo meritò dixi *tom.* 1. *p.* 1. *eo cap.* 18. *num.* 50. poſſe etiam Prælatos Religionis in tali voto diſpenſare.

18 Qualiter huiuſmodi diſpenſatio in votis non debeat fieri inuito vouente, neque ſine cauſa legitima, & qui ſint Prælati, qui eam dare poſſunt, habes ex dictis eo *c.* 18. *num.* 51. & 52. De aliis verò ſpectantibus ad hanc diſpenſationem, conſule dicta *ſuprà verbo Diſpenſatio, & diſpenſare inter Regulares.* Pro cauſis etiam legitimis ad diſpenſandum vide Suarez *ſuprà libro* 6. *c.* 17. & Portellum *ſupra verbo Voti commutatio, & diſpenſatio erga ſubditos, n.* 55. *ac verbo Voti diſpenſatio in addit. num.* 84 & 85 Vbi etiam ex Azorio, Sayro, & aliis, quod ſanum conſilium ſit maioris ſecuritatis gratia in huiuſmodi diſpenſationibus admiſcere aliquam commutationem, iniungendo videlicet aliquod pium opus exequendum à diſpenſato. Inſuper pro facultate, quam habent Prælati ad diſpenſandum vota Nouitiorum, ſeu eorum, qui volunt ingredi eorum Religionem, vide dicta *ſupra verbo Nouitij & Nouitia Religioſorum, n.* 37. 38. & 39. & Sorbum *in Annotat. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. Votum.*

19 Loquendo autem de Confeſſariis Regularibus in ordine ad vota ſuorum pœnitentium, certum eſt eos non poſſe propriè loquendo irritare illa. Neque enim (quod viderim) extat aliquod priuilegium quo hoc ipſis concedatur, & ex alia parte irritatio ſpectat ad poteſtatem dominatiuam, quam non habent Confeſſarij ſuper ſuos pœnitentes. Dixi propriè loquendo, quia rationabili ſubſiſtente cauſa, quando ſcilicet ita conueniens ſaluti pœnitentium fuerit, poterunt illa ad tempus ſuſpendere, quod vocari ſolet irritatio impropriè.

20 Cæterum quoad facultatem commutandi vota notandum eſt, Sixtum IV. in dicta Extrauaganti *Etſi Dominici* 2. *de pœnit. & remiſſ.* prohibuiſſe ne aliqui Confeſſarij virtute priuilegiorum commutare poſſent dicta quinque vota Papæ reſeruata, ſub pœna nullitatis talis commutationis, & excommunicationis maioris latæ ſententiæ Summo Pontifici reſeruatæ. Nauarrus *dicto c.* 12. *n.* 75. & *c.* 27. *num.* 105. poſt Angelum, Syluestrum, & alios Summiſtas. Notat autem idem Nauarrus *eo n.* 75. ex eiſdem Angelo & Syluestro, hanc excommunicationem ſolùm incurri ab illis Confeſſariis, qui talia vota commutauerint virtute priuilegiorum ab eodem Sixto IV. conceſſorum, quia ſolùm de ipſis loquitur. Vnde ſi ex vi alterius priuilegij, vel etiam nullius priuilegij id fecerint, etſi grauiſſimè peccent, non propterea incidant in dictam cenſuram. Sayrus *ſupra num.* 138. Suarez *de Cenſur. diſputatione* 22. *ſectione* 5. *num.* 28. Sanchez *ſuprà num.* 40. Quamuis autem plures Auctores extendant dictam excommunicationem ad diſpenſantes talia vota, quia tamen Extrauagans ſolùm loquitur de commutantibus, & pœnalia non ſint extendenda, ideo ſolùm incurretur à commutantibus. Sayrus *ſupra num.* 39 & 40. Sanchez *ſuprà.*

Nihilominus Confeſſarij Regulares habentes priuilegiorum communicationem cum Benedictinis, & Ieſuitis, poſſunt omnia vota (illis quinque exceptis) ſuorum pœnitentium commutare, iuxta dicta *tomo* 5. *part.* 1. *c.* 19 *num.* 23. propter priuilegium Eugenij IV. pro Benedictinis Italiæ, & Pauli III. pro Ieſuitis, quæ ibidem retuli. Quibus adde etiam priuilegium eiuſdem Eugenij IV. pro Benedictinis Valliſoletanis, de quo infra. Imò etiam, iuxta dicta *ibid. num.* 24. poſſunt etiam commutare prædicta quinque vota in caſibus in quibus ea non ſunt reſeruata Papæ, ſed Epiſcopis, eo quòd vel ſint imperfecta, pœnalia, conditionata, partialia, &c. iuxta dicta *ſupra num.* 13. & *ſequentibus.* Non tamen propterea poſſunt dicti Confeſſarij prædicta vota commutare in caſibus, in quibus ſolum per accidens ea pertinent ad Epiſcopum, videlicet ob vrgentem neceſſitatem, & moralem impotentiam adeundi Papam, vel Legatum, iuxta dicta *ſupra verbo Bulla Cruciata, num.* 39. & *ſuprà n.* 12. Portellus *ſuprà verbo Voti commutatio, & diſpenſatio erga ſubditos, n.* 64. Layman. *ſuprà n.* 17. §. *quarto obſeruandum*, poſt Rodriguez, Mirandam, Sanchez, Henriquez, & Suarez. An verò poſſint prædicti Confeſſarij commutare vota iurata, habes ex dictis *ſupra verbo Bulla Cruciata, num.* 35. *verbo Confeſſarius Regularis, n.* 15. & *verbo Iubilæum, n.* 18. Similiter an hæc facultas extendatur ad vota facta in vtilitatem tertij, conſtat ex dictis *tomo* 1. *part.* 1. *cap.* 19. *n.* 23. & *ſupra verbo Bulla Cruciata, n.* 34 & *eo verbo Confeſſarius Regularis, n.* 15. Pro modo autem quo ſe gerere debeant Confeſſarij in commutatione votorum, notandum id quod dixi dicto *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 18. quod ſcilicet ad commutationem voti in melius bonum non requiritur aliqua auctoritas Superioris, ſi euidenter conſtet de exceſſu: ad commutationem verò in æquale bonum, requiri aliqualem cauſam, & auctoritatem Superioris; ad commutationem autem in minus bonum, multò maiorem cauſam, & auctoritatem Superioris requiri. De quibus non ſolùm Nauarrus, Corduba, & Suarez eo loco relati, ſed etiam Leſſius *ſupra cap.* 40. *dubit* 16. *in poſteriori editione*, Sayrus *ſuprà cap.* 12. Sanchez *ſupra cap.* 49. Layman, *ſuprà num decimonono, & ſequentibus.* Bonacina *ſupra* §. 3. Candidus *ſuprà artic.* 1. Bordonus *reſolut.* 14. *à n.* 7. Maximè verò pro praxi ſeruanda à Regularibus in votorum commutatione, vide Sanchez *ſupra c.* 16. Portellum *ſupra n.* 45. & Naldum *ſupra num.* 46. & 47.

Loquendo autem de facultate diſpenſandi in votis, cõſtat ex dictis eo *c.* 19. *n.* 22 plura ex priuilegiis, quæ referri ſolent ab aliquibus Auctoribus, maximè Sayro *ſuprà num.* 95. pro Confeſſariis Regularibus, non eſſe ſolida, vel quia obſcura, vel quia viuæ vocis oraculo conceſſa fuerunt, niſi poſtea per Bullam confirmata reperiantur, iuxta dicta *ſupra verbo Oracula viuæ vocis, num.* 7. Excipe tamen conceſſionem illam Eugenij IV. pro Benedictinis Valliſoletanis. Etſi enim eo *num.* 22. dubitauerim, an fuerit viuæ vocis oraculum, poſtea tamen iuxta dicta *ſupra verbo Diſpenſare, & diſpenſatio pro Regularibus, n.* 7. comperi non eſſe viuæ vocis oraculum, ſed Reſcriptum quoddam à Papa ſignatum, ac per conſequens validum his temporibus, tam pro prædictis Benedictinis Valliſoletanis, quàm pro aliis quibuſcunque Regularibus habentibus communicationem priuilegiorum 21

rum

Digitized by Google

tum cum illis. Nota tamen plures limitationes in prædicta conceſſione apponi, quibus non obſeruatis, omnino inualida erit, ſcilicet, quod tales Confeſſarij ſint in numero determinato deſignati à Prælato Monaſterij, & ad ipſius nutum reuocandi, & quod id fiat in eorum Eccleſiis, & quandiu fuerint in Obſeruantia Regulari. Ita enim conſtat ea dicta conceſſione. Caſſarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verbo Abſolutio quoad ſeculares, 2. num. 16.* Addens *n. 17.* extenſam eſſe à Pio II. ad omnia Monaſteria Ordinis, etſi cum quibuſdam limitationibus. Quia tamen vtilis erit tam pro iſto caſu, quàm pro aliis, ideo eam ad verbum hic placuit referre, prout apud Rodriguez *in Bullario, in Eugenio IV. Bulla 25.* habetur. *Beatiſſime Pater. Cum ad Eccleſiam, & Monaſterium S. Benedicti Valliſoleti Ordinis eiuſdem Valentin. diœc. eſ. ad quod etiam Illuſtriſſimus Princeps Dominus Ioannes Caſtella, & Legionis Rex ſpecialem gerit affectionem, nonnulli nobiles, & alij quamplures de Regno, ac loco Valliſoleti prædicto, necnon de diuerſis mundi partibus ſingularis cauſa deuotionis Chriſti fideles ad dictum Monaſterium confluant, propter Monachorum illius Regularem obſeruantiam, & incluſionem, deſiderentque illis ſua peccata confiteri, & ab eis ſpiritualiter conſolari: vt igitur, Pater Beatiſſime, fidelium ipſorum animabus Sanctitatis veſtræ miniſterio ſalubrius conſulatur, ſupplicatur Sanctitati veſtræ pro parte Prioris, & Conuentus dicti Monaſterij, quatenus eis, vt Prior, ſiue præſidens dicti Monaſterij pro tempore exiſtens, aut tres, vel quatuor idonei Presbyteri Monachi per prædictum Priorem, ſiue præſidentem ad hoc pro tempore deputandi, & ad ipſius Prioris, ſiue præſidentis nutum reuocandi, quorumcunque vtriuſque ſexus fidelium ad dictum Monaſterium, ſeu ipſius Eccleſiam, aut in ipſis quacunque ex cauſa pro tempore confluentium, commorantium, ſiue exiſtentium, cuiuſcumque gradus exiſtant, confeſſiones diligenter audire, necnon ipſos à quibuſcumque peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis ſuis in omnibus & ſingulis caſibus etiam Epiſcopo reſeruatis, abſoluere, necnon ab omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, fulminationibus excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdictis à iure, vel ab homine prolatis, contractis in genere tantum, ſatisfactione, vel mandato de ſatisfaciendo, ſi perſonæ huiuſmodi ad id habiles fuerint, præmiſſis, etiam abſoluere, ac eos habilitare in prædictis caſibus, pœnitentiaſque eis ſalutares iniungere, Euchariſtiæ Sacramentum conferre, ac cum eis, & eorum quolibet diſpenſare ſuper votis etiam Epiſcopo reſeruatis, & ea commutare in alia pietatis opera, toties quoties deuotioni prædictorum videbitur expedire, auctoritate Apoſtolica liberè, & licitè poſſint, & valeant, Parochialis Presbyteri, & alterius cuiuſcumque Epiſcopi, vel Superioris, ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, vel eorum aliquo, licentia, vel aſſenſu nullatenus requiſitis, & quod huiuſmodi gratia ſit perpetua, concedere, & indulgere miſericorditer dignemini de gratia ſpeciali, Conſtitutionibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, & cum clauſulis opportunis. Conceſſum, vt petitur de omnibus, quamdiu fuerint in Obſeruantia Regulari, in præſentia D.N. Papæ. C. Ariminenſ. Et ſi placeat veſtræ Sanctitati, ſola ſignatura huiuſmodi conceſſionis ſufficiat eis ſine confectione aliarum litterar. Apoſtolicarum. Conceſſum. C. Ariminenſ. Datum Ferrariæ tertio Nonas Ianuarij, Anno VIII.* Ex quibus collige primò, poſſe dictos confeſſarios ex vi dicti priuilegij, & iuxta tenorem ipſius diſpenſare cum iis, qui votum ſtrictioris Religionis emiſerunt, vt poſſint in ſuam, vel aliam minus ſtrictam Religionem intrare, vt enim dixi *ſupra num. 27.* votum ſtrictioris Religionis non eſt Papæ reſeruatum, ſed Epiſcopi in illo diſpenſare poſſunt. Sanch. *ſup. c. 43. n. 19. & ſequentibus.* Peyrinis *tom. 1. de Subdito, quæſt. 1. c. 21. n. 1. 5. Item poſſunt.* Collige ſecundò, poſſe etiam diſpenſare ad petitionem debiti cum illis coniugibus, qui de eo non petendo votum fecerunt, propter idem fundamentum, & dicta *ſuprà num. 15.* Suarez *ſuprà lib. 6. c. 26. n. 27.* Sanchez *ſupra num. 7.*

23 Hæc porrò facultas commutandi, & diſpenſandi vota competit prædictis Confeſſariis Regularibus, non ſolùm reſpectu ſubditorum illius Diœceſis, vbi ipſi ſunt Confeſſarij, ſed etiam aliorum quorumcunque illuc ad eos venientium. Prout colligitur ex priuilegiis relatis, & ex alio Nicolai III. apud Caſſarubium *ſuprà verbo Abſolutio quoad ſeculares, num. 7.* Sorbum *in annot. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Abſolutio quoad Fratres, & ſeculares, concl. 10.* Sanchez *ſuprà cap. 43 num. 13. & cap. 54. n. 60.* Peyrinis *ſupra c. 21. §. 1. concl. 5.* Diana *3. part. tract. 5. reſol. 26.*

24 Nota etiam, poſſe vti prædicta facultate commutandi, & diſpenſandi in votis etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, iuxta dicta *ſuprà verbo Bulla Cruciata, num. 24.* Eo quòd talia priuilegia non limitant prædictam facultatem ſolùm pro confeſſione. Sanchez *d. cap. 54. num. 26.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 30. num. 6.* Sancius *in Select. diſp. 14. num. 2.* & aliis, quos refert, & ſequitur Diana *ſuprà tract. 2. reſol. 9. & tract. 5. reſol. 25. & 4. p. tract. 4. reſol. 8.*

25 Quamuis autem, iuxta dicta eo *c. 19. n. 26.* multi dicant poſſe aliquos Confeſſores Regulares diſpenſare cum illis, qui voto facto de caſtitate, contraxerunt, ad petitionem debiti, propter viuæ vocis oraculum Pij V quod referunt Rodriguez *tom. 1. q. 56. art. 2.* Miranda *in Manual. tom. 2. q. 7. art. 2.* Henriquez *lib. 12. de Matrimon. cap. 2* Viualdus *in Candelabro aureo de Sacrament. Matrim. n. 141.* Quia tamen huiuſmodi viuæ vocis oracula his temporibus abrogata ſunt, non poſſunt Confeſſarij vti prædicta conceſſione, niſi ea ſit confirmata per Bullam, iuxta dicta *ſuprà verbo Oracula viuæ vocis, num. 7.* [Conſule Portellum, nouiſſimè *in Reſponſ. Moral. tom. 2. caſu 34.* vbi poſt multa concludit ſe non inuenire aliquid per quod attendi poſſit clarè Religioſos Confeſſarios poſſe vti conceſſione. Addit tamen, quod ſi Epiſcopi poſſunt diſpenſare in tali voto, etiam id poterunt facere Confeſſarij Regulares. Sed hoc intelligi debet iuxta limitationem à nobis traditam *ſupra n. 21.*]

26 Generaliter etiam circa hanc materiam voti pro Regularibus, notandum primò, eos poſſe validè, & licitè vouere ea omnia opera bona, quæ nec Regula, nec Conſtitutionibus, aut præceptis Superioris ſunt illis interdicta, nec eos à debito ipſorum obſequio retrahunt, etiam ſine licentia illorum. Vnde poſſunt vouere non fracturos ieiunium Religionis, & ſimilia. Nam in huiuſmodi operibus Prælato non præiudicant, & illa ſunt in voventium poteſtate. Syluest. *in Summa, verbo Votum 3. quæſt. 3.* Caietanus *2. 2. q. 88. art. 8. dub. 5.* Nauarrus *ſupra cap. 12. n. 67.* & alij communiter. Idem dicendum de aliis operibus bonis, quæ in Regula neque prohibentur, neque præcipiuntur. Quamuis enim hæc vota ſemper habeant annexam conditionem: *Si Prælatus non repugnet*; quia tamen in ſe ſunt rei bonæ, & licitæ, & neque Prælato, neque Ordini præiudicant, ideo valent donec à Prælato prohibeantur; ſicut valerent vota ſerui, aut filijfamilias in ſimili materia, & cum eiſdem circumſtantiis. Portellus *ſuprà Vota profeſſorum ſimplicia, n. 27.* Sanchez *dicto lib. 4. c. 15. n. 6.* poſt plures alios.

27 Vota autem Religioſorum, quæ ſunt de rebus illis prohibitis in ſuis Conſtitutionibus, aut præcepto Prælatorum, non ſunt ſtatim valida, nec obligantia, donec Superior conſenſum præſtiterit. Quia in huiuſmodi votis includitur conditio affirmatiua, *Si Superior conſenſerit.* Verbi gratia, Religioſus vouit peregrinationem, quam ſine licentia Superioris facere non poteſt, cùm ſine illa è clauſtro egredi nequeat, aut vouit aliqua abſtinentiæ opera, quæ fieri inconſulto

ſulto Superiore Regula vetat, ea vota non obligant donec Superior facultatem concedat. Ratio eſt, quia cum res illæ ſint prohibitæ, non ſunt apta voti materia donec accedat ſuperioris licentia, per quam redduntur licitæ, ac per conſequens ex tunc ſolùm obligare poterunt talia vota. Bacconius *in 4. diſt. q. 3. art.* 2. Nauarrua *ſupra*, Azor. *d. lib.* 11. *c.* 16 *q.* 6. Sotus 7. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 1. *dub.* 5. Fagund. *dicto c.* 38. *n.* 14. Nota etiam, quod vota Religioſorum facta contra præceptum Superiorum præcipientium ne fiant abſque ipſorum licentia (ſupponimus enim poſſe Prælatum prohibere ſubdito, ne votum aliquod faciat abſque ſua licentia, quia hoc non eſt prohibere bonum perfectius, ſed velle quod in eo faciendo ſeruet modum ex obedientia debitum, qualiter in Religionibus prohibetur ne fiát tales & tales pœnitentiæ) etſi illicitè fiant, vtpote contra obedientiam, obligant tamen ſubditos; nam multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt ſæpiùs vidimus. At in duobus caſibus talia vota non valebunt. Primò, ſi Prælatus dicat in prohibitione, quod aliàs facta ſint irrita, tunc enim clauſula illa appoſita irritabit ipſa, cum Prælatus poſſit id facere. Secundò, ſi Prælatus prius irritet, vel prohibeat materiam ipſius voti, vt ſi dicat, præcipio quod nemo rem talem faciat, vel quod non fiat talis pœnitentia, vel quid ſimile. Tunc enim illa res prohibita à Prælatu iam non eſt materia voti, cum ſit res illicita, & proinde votum emiſſum circa illam, erit nullum, cùm ſit de re illicita, donec accedat, vt dictum eſt, conſenſus Superioris. Portell. *ſupra verbo Vota profeſſorum ſimplicia*, a. 52. *& verbo de natura, ac materia voti, in addit. num.* 11. Nota etiam, quod vota de immoderatis macerationibus corporis, quæ impediunt religioſos, ne poſſint ſuo munere fungi, regulariter ſunt inualida, quia vel ſunt de re illicita, vel ſaltem ſunt contra voluntatem Superiorum emiſſa. Michaël de Bononia *in 4. diſt.* 41. *q. vnica*, *§. dico quarto.* Bonacina *ſupra q.* 2. *puncto* 4. *§.* 1. *num.* 5. ex aliis. Pro quo vide dicta *ſupra verbo Homicidium, num.* 5.

28 Maximè nota circa vota realia Religioſorum, v.g. dandi aliquam eleemoſynam, quod ſi illi habeant adminiſtrationem bonorum, vt habent Prælati Religionis, compertum eſt votum illorum de eleemoſyna eroganda eſſe validum, nec includere conditionem affirmatiuam, ſi Superior conſenſerit, ſed ſolam negatiuam, niſi Superior contradixerit. Si autem eleemoſyna exceſſerit facultatem, quam habent, valebit quidem votum, dummodo Superior conſentiat, ſicut contingit in aliis votis de rebus prohibitis. Suar. *d. tract. de voto, lib.* 5. *c.* 7. *n.* 3. Sanchez *ſup. n.* 13. Similiter, ſi Religioſi ſic vouentes nullam habeant adminiſtrationem, & voueant de rebus ſibi ad vſum à Superioribus conceſſis, volentes parciùs illis vti, vt eleemoſynam largiantur, valebit etiam votum, ſi Superior licentiam conceſſerit, quia talis eleemoſyna non dedecet ſtatum Religioſum, nec eſt de re illicita, ſed licita quidem ſub conditione tacita, quæ ibi includitur, ſi Superior conſenſerit. Suar. *ſupra num.* 5. Sanchez *n.* 14. Quando verò votum talis eleemoſynæ eſt de rebus Monaſterij, quamuis abſolutè non obliget vouentem, cum ſit de re non ſua, aut quæ ſubſit ipſius poteſtati, obligat tamen illum ad rogandum Superiorem pro obtinenda licentia, ad dandam dictam eleemoſynam. Sanchez *ſuprà n.* 16.

29 Demùm pro Religioſis ſcrupuloſioribus notandum, quod licèt ipſi aliquando emiſerint votum de non petenda irritatione, commutatione, ſeu diſpenſatione alicuius voti à ſe emiſſi, poteſt nihilominus vtrumque votum, tam priùs, quam poſterius, irritari, commutari, & diſpenſari à Superioribus. Quod quidem, quod attinet ad irritationem, conſtat ex dictis *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 57. Si enim, vt ibi diximus, Prælati propter auctoritatem dominatiuam, quam habent in ſubditos, poſſunt ipſorum vota irritare, adhuc ipſis inuitis, poterunt proculdubio vtrumque illud votum irritare, poſterius quidem, cùm quoad illud irritandum nullum ſit impedimentum; priùs verò, cum ſubditus non potuerit in hoc manus ſuorum Superiorum ligare. De diſpenſatione autem, & commutatione id etiam conſtat, ſi fiat modo de quo infra, & etiam ſi fiat non petente ipſo vouente talem diſpenſationẽ, aut commutationem, ſed ſolùm proponente ipſius Prælatu ſtatum ſuæ conſcientiæ, & Prælato iudicante facere talem diſpenſationem, aut commutationem. Generaliter etiam talia vota de non petenda irritatione, commutatione, aut diſpenſatione valida non eſſe pro caſibus, in quibus petere illam expediens fuerit ſaluti vouentis, vel bono communi, probabiliſſimè tenent Sotus *lib.* 8. *de iuſt. q.* 1. *art.* 9. *colum. penult. §. eſt autem.* Sayrus *ſuprà c.* 11. *n.* 67. Sanchez *dicto lib.* 4. *c.* 8. *n.* 21. *& ſeqq.* & Naldus *ſup. n.* 66. Adde tamen tutius eſſe, quod in caſibus, in quibus obligat tale votum non petendæ diſpenſationis, irritationis, commutationis voti, aut iuramenti Deo præſtiti, aut cuiuſvis præcepti, aut illis impetratis non vtendi, ex eo quod id non eſt conueniens ſaluti ſpirituali vouentis, aut bono communi, primò petatur, & impetretur huius voti diſpenſatio, irritatio, aut commutatio, & tunc manebit prius principale votum, vel iuramentum ſubiectum capax irritationis, commutationis, aut diſpenſaitonis, ac ſi illud poſterius emiſſum non eſſet. Et ita omnis ſcrupulus ceſſabit, cum vouens non petiturum prædicta, non ſe obligauerit voto ad non petẽda hæc circa votum quo ad ea non petenda ſe aſtrinxerat. Quod ſi etiam vouiſſet nec huius ſe petiturum, poteſt petere huius vltimi, & ita in infinitum, & deinceps reliquorum. Sanchez *ſuprà num.* 29. *& ſeqq.* Nota etiam, quod votum de non petenda diſpenſatione, commutatione, &c. alicuius voti ex reſeruatis Papæ, non eſt ſimiliter Papæ reſeruatum, cum ſolùm illa quinque ſuperiùs relata ſint ipſi reſeruata. Candidus *ſupra art.* 8. *dub.* 5. poſt Sayrum, & Sanchez.

VOX ACTIVA, ET PASSIVA.

Quid importent vox actiua, & paſſiua, conſtat ex dictis *ſup. verbo Pœna Eccleſiaſtica, n.* 10. *&* 11. Vbi etiam an illarum priuatio incurratur in conſcientia, & ipſo facto ante omnem declarationem, & quid quando prò vna vice ſolùm eſt impoſita, & an ſupponat peccatum mortale, & quid nomine priuationis vocis intelligatur, ſi in Lege, vel Conſtitutione non determinetur ad vocem actiuam, vel paſſiuam. Vbi etiam alia, quæ ſufficere poſſunt ad intentum.

De iis, qui vocem actiuam, & paſſiuam habere poſſunt in electionibus, quamuis plura dicta ſint in præcedentibus, præſertim *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 15. & *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 12. *&* 13. & *ſupra verbo Electio*, & in variis conſultis circa materiam electionis à me ſcriptis: cæterum, quia circa Socios Priorum, Guardianorum, vel aliorum Superiorum Conuentuum, ſeu Monaſteriorum, an videlicet habere poſſint, & debeant in Capitulo vocem, ſunt varia placita Doctorum, locis me remittendo, ſolùm in præſenti notari debet decretum Sacræ Congregationis, quod retuli *ſuprà verbo Electio quoad Regulares*, vbi tales ſocij admittuntur pro Fratribus Minoribus.

Hæc de hac IV. parte, & tota Summa Quæſtionum Regularium, ad laudem Dei Omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & Dei Genitricis Mariæ, Patriarchæ Eliæ, & aliorum Sanctorum.

RELECTIO

Circa controuerſiam Romæ acriter agitatam de validitate cuiuſdam Capituli Prouincialis, & electionum in ipſo factarum. In qua multa ad materiam de electione Prælatorum Regularium ſpectantia.

SVMMARIVM.

1 *Caſus cuiuſdam Capituli, & electionum.*
Oppoſitores contra ipſum. ibid.
Ad quem pertinebat hæc cauſa. ibid.
2 *An potuerit impugnari, &* n. 3.
4 *Ad quos id pertinebat.*
5 *Quibus conditionibus.*
Prima quod ſubeſſet magna, & notabilis cauſa. ibid.
6 *Secunda, quod non conſenſerint oppoſitores in dictum Capitulum.*
7 *Tertia, ex cauſis poſtea emergentibus.*
8 *Quarta, intra certum terminum.*
9 *Quinta, ſeruata forma à iure præſcripta.*
10 *Sexta, præſuppoſito iuramento.*
11 *Quid quando oppoſitio eſt contra electum.*
12 *Quid quando res eſt iam deciſa.*
13 *Forma oppoſitionis contra electum.*
14 *Quidam Religioſi non erant legitimi oppoſitores.*
15 *Quia conſenſerant in Capitulum.*
16 *Quid de alio Religioſo.*
17 *Electio inualida an ratificetur per conſenſum.*
18 *Cauſa oppoſitionis non debent eſſe antiqua.*
19 *Appellatio debet fieri in tempore.*
20 *Seruata forma iuris.*
21 *Non debent variare oppoſitores.*
22 *Nec cauſa debet eſſe deciſa.*
23 *Citari debuit pars.*
24 *Specialiter in materia electionis.*
25 *Quid quando caſus eſt notorius.*
26 *An potuerit cauſa decidi extraiudicialiter.*
27 *Agitari potuit per procuratorem.*
28 *A quibus debuit eligi.*
29 *Procurator legitimus quis ſit.*
30 *Repræſentans Capitulum potuit eligere Procuratorem.*
31 *An omnes Gremiales Diffinitorij.*
32 *Per medum Diffinitorij.*
33 *Conſtitutus in Procuratorem potuit renuere.*
34 *Quid de Procuratore Generali Ordinis.*
35 *Clerici omnes admittuntur ad electiones.*
36 *Iure Prouinciæ Caſtellæ non omnes.*
37 *An in hoc audiri potuerint Patres oppoſitores.*
38 *Modus eligendi in Socios in dicta Prouincia.*
39 *Confirmatus eſt à Generali.*
40 *An ſit contra Breue SS. D. N. Vrbani.*
41 *An contra ius commune. & regulam Ordinis.*
42 *Vota abſentium ſuppleri non poſſunt.*
43 *An rectè id probauerint Patres oppoſitores.*
44 *Quid ex vi cuiuſdam conditionis vnionis.*
45 *Non fuit ſuppletio votorum abſentium.*
46 *An talis conditio confirmata fuerit.*
47 *An poſſit fieri additio votorum in electione.*
48 *An ſi fiat auctoritate totius Gremij.*
49 *Forma capitis* Quia propter, *ſeruanda eſt in electionibus.*
50 *Quot Scrutatores requirantur.*
51 *An id contigerit in dicto Capitulo.*
52 *Redigere vota in ſcriptis ad quem pertineat.*
53 *Non contingit aliquis error in electionibus.*
54 *Pro quibus requirantur tres Scrutatores.*
55 *An alio modo fieri potuerint electiones.*
Potuit ſanè ex vi Conſtitutionis approbatæ à Sede Apoſtolica. ibid.
56 *An obſtet decretum Generalis Stratij.*
57 *Nihil obſtat.*
58 *An ea Conſtitutio reuocata fuerit per poſteriores.*
59 *Non fuit reuocata.*
60 *An per Concilium Tridentinum.*
61 *Non reuocatur per illud.*
62 *Quomodo tamen cautiùs, & ſecuriùs ſit procedendum.*
63 *An dicta Conſtitutio contraria ſit capiti* Quia propter.
Non videtur contraria. ibid.
64 *Quid ſi electio fieret cum vno Scrutatore tantùm.*
65 *Quid probabile ſit in hac parte.*
66 *An plures, quàm tres Scrutatores poſſint eſſe.*
67 *Forma prædicti capitis* Quia propter, *an obſeruanda in electionibus Priorum.*
68 *Priores an ſolùm à Conuentibus eligi poſſint.*
69 *Non propterea irritaretur Capitulum.*
70 *Quid de quadam Conſtitutione.*
71 *Validæ fuerunt electiones Priorum factæ à Diffinitorio.*
72 *Ex nouiſſima formula celebrandi Capitula Prouincialia.*
73 *Quomodo non obſtet primum caput Regulæ Carmelitarum.*
74 *An ius commune.*
75 *Quid de breui Calixti III. pro Conuentibus Reformatis.*
76 *Quid de Conſtitutionibus nouiſſimis.*
77 *Conſuetudo immemorabilis erat in contrarium.*
78 *Item Conſtitutio antiquior auctoritate Apoſtolica facta.*
79 *Conſtitutio contraria non habet clauſulam irritantem.*
Nec præſcribit formam. ibid.
80 *Diſpenſata fuit.*
81 *Potuit Generalis eam diſpenſare.*
82 *An fuerit oſtenſa talis diſpenſatio.*
83 *An id deberet declarari.*
84 *Regula an oppoſitum præſcribat.*
85 *Cur data, & poſtulata diſpenſatio.*
86 *Quid de iure communi.*
87 *Quid de conditione vnionis.*
88 *Quare pro vna vice tantùm.*
89 *Decretum Eminentiſſ. Card. Protectoris.*
90 *Motiua ipſius.*

CASVS.

VALLISOLETI in Hiſpania de anno 1642. celebratum fuit Capitulum Prouinciale Carmelitarum quietè, & pacificè, nemine reclamante, aut contradicente. Poſtea verò, ſex vel ſeptem circiter menſibus tranſactis, PP. aliquot graues eiuſdem Prouinciæ obedientiam negarunt Prouinciali, & Priori Matritenſi, prætendentes ipſos non eſſe legitimos Prælatos, ac propterea abſtinere debere ab exercitio ſuorum officiorum. Cum autem ipſi contradicerent, & contra illos veluti rebelles procederent, eos etiam à Prouincia auctoritate Illuſtr. Nuncij ejicientes, Romam idcircò 1

venerunt, plures nullitates contra præfatum Capitulum,& electiones opponentes,primò coram Generali , deinde coram ſanctiſſ. & ipſius delegatis, coram Eminentiſſ.& Reuerend.Domino Cardinali Ginetto Ordinis Protectore,à quo cum Reuerendiſſ. aliis coniudicibus in duabus Congregationibus in ipſius Palatio habitis,lis,& controuerſia deciſa fuit. Quia tamen circa ipſam multa,grauiaque dubia diſcuſſa fuerunt,ideo hic proponenda. Primum eſt, an contra Capitulum præfatum,& eius electiones aliqua opponi poſſent. Secundum, dato quod poſſent opponi, an Patres prædicti legitimi oppoſitores eſſent. Tertium, an in eo caſu contra inauditam partem Capituli aliquid decidi poſſet. Quartum, quod mandatum, vel procuratio requireretur, vt aliquis eſſet legitimus Procurator Romæ pro Capituli defenſione.Quintum,an prædictum Capitulum,& eius electiones nullæ,& irritæ cenſeri deberent,eo quòd ſocij Conuentuum,qui in illo erant Gremiales,non eſſent electi ab omnibus Religioſis Conuentuum in Sacris conſtitutis. Sextum , an rectè impugnaretur prædictum Capitulum propter vota quædam in ipſo adiuncta. Septimum,an propter non ſeruatam formam *cap. Quia propter, de electione,* quoad numerum Scrutatorum. Octauum, an electiones Priorum factæ in ipſo Capitulo,& non in Conuentibus,validæ eſſent. De quibus omnibus ſigillatim agendum. Notando primò,quod quamuis cognitio ſuper nullitate prædicti Capituli pertineret ad Reuerend.Gener.Ordinis, & non ad Eminent. Protect. prout in ſimili declarauit Sac.Congreg.Epiſc.& Regular.17. Auguſti 1640.in cauſa,& pro Patribus Auguſtinianis : nihilominus hæc lis, & controuerſia ſpecialiter pertinebat ad Eminentiſſ. ex delegatione S.

Dvbivm Primvm.

An prædictum Capitulum , & electiones in ipſo facta impugnari poſſint.

2 Reſpondeo tam prædictum Capitulum , & electiones in ipſo factas,quàm omnia,& quæcunque Capitula,cum electionibus ipſorum,impugnari poſſe ab iis,ad quos intereſt, ſeruatis tamen conditionibus,de quibus infrà. Ita enim colligitur ex toto ferè titulo *de elect.in primo , & ſexto Decretalium,* vbi id ſupponitur, & conſtabit ex Iuribus inferiùs referendis. Accedit, quod ſi impugnatio electionis de aliquo Officiali ad inſeruiendum Reipubl.competit cuilibet de populo , vt per Auendaño *de Exequendis mandatis , p.1.cap.19. num.27.* Axeuedo *lib.1. n.6.tit.4 lib.5. noua recop.* Burgos de Pax *conſ.10.n.20.* Marienxo *l.1. gloſſ.8. tit.14.lib.5.noua recop.* Bobadilla in *ſua politica lib.3.c.8 n.17.* Cabedo *p.1. deciſ.112. & p.2.dec.84.n.16.cum ſeqq* tenet Barboſa *in cap.vt circa, de elect.in 6.num.12* multò magis impugnatio cuiuſlibet Capituli, ſeu electionis competet cuilibet Religioſo,cum ad illum ſpectet,vt Prælatus vel Officialis ſuæ Religionis ſit talis qualem decet.Layman.*in quæſtionib.Canonic.de Prælat elect.cap.11.quæſt.115.*

3 Adde etiam contra electionem confirmatam fieri poſſe obiectionem , ſeruatis etiam conditionibus ſeruandis. Quia ſi electio eſt inualida, confirmatio ſubſequens non dat illi validitatem. Abbas *in cap. accedens.de accuſat.* Petrus Biaxius *in Direct. elect. p.3. c.45.n.2.& 3.*Sigiſmundus de Bononia *de Elect.Prælat. p.1.c.7.dub.44.n.19.* Quare quod idem Abbas *in c.fin. qui matrim.accuſ.& in c.cum olim,de cauſ.poſſ.& ſ.* & idem Biaxius *ibid.* dicunt, neminem eſſe audiendum poſt confirmationem factam,intelligi debet iuxta dicenda,& formam *c.fin.de elect.in 6.*quando præceſſit oppoſitor,& non comparuit termino præfixo ad opponendum. Sigiſmundus de Bononia *ſup.dub.46.n.3.*

4 Diſi autem ſuprà,ab iis, *ad quos intereſt* , quia alij non intereſſe habentes non poſſunt ſe opponere,niſi nomine Eccleſiæ,ſeu eorum,ad quos id ſpectat,*c.cùm inter 1.de elect.l.1.ff.de appell.*Caſtellinus *de elect.canon. cap.16.n.4* Layman.*ſupra* ex Innocentio , & Abbate. Adde Iulium Lauorium *de elect.qu.4.c.19.num.119.*

5 Dixi etiam,*ſeruatis tamen conditionibus,&c.*quia aliquæ ſunt ad id faciendum neceſſariæ. Prima, quod ſubſit magna,& notabilis cauſa. Tum quia Ius Canonicum maximè auerſatur huiuſmodi oppoſitiones,*c.finem,de dolo, & contumac.*Layman. *ſupra q.117.* Tum etiam , quia cum litium introductio criminum occaſionem , & magna alia detrimenta præbeat, quæ videri poſſunt apud Tiraq. *de retractu lig. §.8. gloſſ.7. à num. 20.* Rebuffum *in proœm. concordati, verbo ſumptib. pag.511.& in l. inter nomen 56.ff.de verb. ſignific.* Gonxalez *ad reg.8.Cancell.§.7.Proœm. num.12. cum ſeqq.* Barboſam *de Offi .& poteſt. Epiſc. alleg.79. à num.10.& in dict.c.finem.n.2.* quæ maximè procedunt in Religioſis,qui omnino ab huiuſmodi forenſibus negotiis abſtinere debent , proculdubiò non ſine magna cauſa huiuſmodi oppoſitiones, ſeu impugnationes electionum fieri debent.

6 Secunda eſt,quod non conſenſerint tales oppoſitores in dictum Capitulum,& eius electiones. Quia ſi conſenſerunt,repelluntur ab oppoſitione,ſeu impugnatione illorum. Etenim,vt habetur ex Regul. Iuris *in 6.num.21.*& ſumitur *ex l.ſicut,C.de action.& obligat. Quod ſemel placuit ,amplius diſplicere non poteſt.* Quod Gloſſa *ibid.* intelligit etiam in electo , iuxta can. *dilectiſſimi 8.quæſt.2.*Idemque confirmat Regula alia etiam Iuris *in 6. n.33.* quæ deſumitur *ex l. nemo poteſt mutare, ff hoc titulo,* ſcilicet *, mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Quam Regulam procedere etiam in electione probat Barboſa *ibid.*ex Iuribus,& Doctoribus. Fauet etiam Regula illa generalis, ſcilicet *nullus poteſt venire contra factum ſuum.* Argumento *c.diuerſis fallaciis,de Cleric.coniugat.& cap. propoſuit,de fil. Presbyt.* Gloſſa *in d. Regul. quod ſemel,* Layman.*ſuprà q.116.in margine.* Conſonat etiam *cap. concertationi,de appell.in 6.*vbi appellanti ab electione præſcribitur ſpatium dierum decem , & iis tranſactis ſolùm conceditur vti Iuris remediis, ſi tamen electioni non conſenſerit. Ita colligunt ex textu Lapus,Abbas, Archidiaconus, & alij DD. quos ibi refert , & ſequitur Barboſa. Pro quo maximè facit declaratio quædam nouiſſima Sacr.Congregationis Epiſcop.& Regularium,die 2.Decembris 1643. vbi ſic: *Propoſita fuit cauſa Prouinciæ Apuliæ,inter PP.electores eiuſdem Prouinc. necnon Patrem Thomam a Grumo electum, & P. Magiſtrum Felicianum à Relignano eius Procurat.ex vna,& P.Magiſtr.Greg Capullum,&c.& DD. negotio matur è diſcuſſo,fuerunt in voto, inſtitutionem P.Capulli non poſſe,nec debere ab eis impugnari,cum ſemel in eam conſenſerint,nec obſtare Conſtitutiones,&c.*Facit etiã quod cum Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinalis Ginettus Ordinis noſtri Protector ſciuiſſet quemdam Religioſum,qui ex vi Breuis SS.D.N.Vrbani inſtitutus fuerat Prouincialis cuiuſdam Prouinciæ,conſenſiſſe in electionem alterius,hunc,& non illum,vt legitimum Prouincialem hoc anno 1643. declarauit.

7 Tertia eſt,& veluti limitatio præcedentis,videlicet, quod iuxta dicta *tom.1.p.1. c.15.n.37.* eligentes aliquem,vel conſentientes ipſius electioni,non poſſunt illi ſe opponere,niſi ex cauſis poſtea emergentibus,vel propter defectus electi priùs ignoratos.Ita enim habetur expreſsè *c. nulli licere, de elect.in 6.* vbi Doctores communiter. Quibus iunguntur Iulius Lauorius *ſup.dicto c.19.n.115.* Sigiſmund.de Bonon. *ſupra dub.46.num.6.* Peyrinis eo loco à me relatus,&

Barboſa

Digitized by Google

Barboſa *ſuper hoc cap.* Conſonat etiam ſpecialiter pro Ordine noſtro, quod in Formula celebrandi Capitula Prouincialia à Reuerendiſſimo Theodoro Strario Generali edita, & typis mandata Neapoli 1645. & quæ mitti ſolet ad Præſides Capitulorum Prouincialiū, vt iuxta ipſam ea celebrari faciant, ſic dicitur §. 21. *Qui in electionem expreſsè, vel tacitè conſenſerint, illā poſtea ſecundùm Sacros Canones impugnare nequeunt, ſine ex noua cauſa, vel veteri, ſed noviter eis pandita, & manifeſtata.* In margine autem notatur dictum caput *Nulli*.

8 Quarta eſt, quando talis oppoſitio, vel impugnatio electionis fit per modum appellationis, tunc enim, vt dixi *ſupra num. 6. ex c. concertationi, de appellat.* ſolùm admittitur talis appellatio intra decem dies, nec poſt illos vllo modo permittitur. Verū quidem eſt, quod *ex cap. ſtatuimus, de elect. in 6. & cap. cupientes, eod. tit.* extendi id poteſt ad vnum menſem. De quo Doctores *ibid.* & Sigiſmundus *ſupra n. 22.* & Caſtellinus *ſuprà num. 5. 6. & 9.* ac Iulius Lauorius *ſupra num. 122.*

9 Quinta eſt conformiter ad dicta *tom. 1. p. 1. cap. 15. num. 57.* circa formam ſeruandam in oppoſitione, ſeu appellatione contra electionem. Taliter enim appellantes tenentur exprimere in inſtrumento publico coram perſonis authenticis, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant, omnia, & ſingula, quæ obiiciunt, & ſimul iurare quod credunt ea eſſe vera, & ſe poſſe illa probare, alioquin non poſſunt alia obiicere, niſi iuxta dicta *ſuprà n. 9. ex cap. nulli, de elect. in 6.* forſan eſſent aliqua de nouo emerſa, vel quæ veriſimiliter ignorare potuiſſent. Ita enim habetur expreſsè *in cap. vt circa, de elect. in 6.* tradunt ibi communiter Doctores. Quibus iunge Peyrinis eo loco à me relatum, Caſtellinum *ſuprà num. 5. 13. 14. 15. & 16.* & Sigiſmundum *ſuprà dub. 14. n. 11.* Notans *n. 12.* hanc formam eſſe ad vnguem obſeruandam, ita vt ſine illa opponens audiri non debeat. Nota tamen aliquo modo limitatam eſſe per Clement. *Conſtitutionem de elect. in 6.* quando quæ opponuntur directè reſpiciunt ius Eccleſiæ, vel opponentes. De quo Doctores *ibid.* maximè idem Sigiſmundus *ſupra*, plura afferens ad intentum *num. 18. & ſequent.*

10 Sexta, & veluti explicatio præcedentis eſt, quod qui ſe opponit alicui electioni, & ad Sedem Apoſtolicam appellat, ita debet iurare, quod omnia, quæ opponit, credit eſſe vera, & ſe poſſe illa probare, vt non ſufficiat iurare ſe credere eſſe vera, & poſſe probare ea quæ de ipſis deberent ſufficere. Ita enim expreſsè habetur *in c. is qui contra, de elect. in 6.* vbi Doctores communiter, & Sigiſm. *ſuprà dub. 46. n. 12.* Addens *n. 14.* id etiam eſſe verum in Procuratore appellantis ab electione. Maximè etiam addendum in dicta Clement. *Conſtitutione, §. cæterum,* ſic haberi: *Cæterùm cum circa crimina, vel defectus debitam circumſtantiarum ſpecificationem prædictus omittit appellans, non eſt poſtmodum in proſecutione negotij ſuper his audiendus, etiamſi circumſtantias huiuſmodi, vel probationes earum per iuramentum aſſerat ad ſe perueniſſe de nouo.* De quo DD. *ſuper d. Clementina*, & Sigiſmundus *ſuprà n. 15.*

11 Nota autem, quod impugnata electione ante confirmationem, ſi contra formam ſit oppoſitum, electus tenetur probare ſe ritè electum: ſi autem poſt confirmationem contra formam opponatur, opponens probare tenetur: ſi verò oppoſitum ſit contra perſonam, ſemper onus probandi incumbit opponenti, *cap. 1. de elect. in 6. & cap. ſi compromiſſarius*, Theſaurus *in praxi, v. 2. verbo Electio, cap. 4. § nota 2.* ex Butrio, Innocent. Compoſtell. & Maſcardo.

12 Adde etiam, quod quando id quod opponitur poſt confirmationem, ante illam propoſitum, & diſcuſſum fuit, ac ſuper eo pronunciatum, non debet admitti talis oppoſitio, quia iam taliter diſcuſſum, & pronunciatum tranſit in rem iudicatam. Cuchus *Inſtit. maior. titul. de confirm. poteſt. num. 4.* Blaxius *ſuprà cap. 45.* Sigiſmundus *ſuprà dub. 46. num. 5.*

Quando verò oppoſitio eſt non contra electionem, ſed contra electum, obſeruandum eſt quod habetur *in cap. ſi fortè, de elect. in 6.* videlicet, *Si fortè inter cætera, quæ obiiciuntur electo, aut poſtulato, ſeu aliàs promouendo ad aliquam dignitatem, euidentem ſcientiæ, vel alium perſonæ defectum opponi contingat, in diſcuſſione obiectorum illum ſtatuimus ordinem inconmutabiliter obſeruandum, vt promouendus ſuper defectu ipſo ante omnia ſubiiciatur examini, cuius euentus examinandus aliis aut dabit initium, aut negabit. Cæterùm, ſi præmiſſi examinis exitus huiuſmodi oppoſitiones docuerit veritate deſtitui, opponentes omnino à proſecutione cauſæ, in qua talia obiecerunt, excludimus, & proinde puniri decernimus, ac ſi penitus in probatione omnium, quæ obiecerunt, defeciſſent.* Caſtellinus *ſuprà num. 8.* Et quod magis eſt, non eſſe locum pœnitentiæ oppoſitori falſo, *in cap. ab eo, de elect. in 6.* ſic decernitur: *Ab eo, qui contra electum, vel poſtulatum, ſeu promouendum ad aliquam dignitatem, inter cætera quæ obiicit, euidentem, notorium, ſeu manifeſtum ſcientiæ, vel alium perſonæ defectum opponit: ipſius defectus oppoſitio, vel eius qualitas nequeunt poſtea reuocari. Cum enim opponens, ſi quid de defectu oppoſuit huiuſmodi, deſtitui veritate contingat, à proſecutione cauſæ debeat omnino excludi, & puniri perinde ac ſi in probatione omnium, quæ obiecerat, defeciſſet; iuſtum eſt, vt poſtquam ad oppoſitionem eandem proceſſit, nequeat in præiudicium eius, contra quem oppoſuit, vlterius pœnitere.* Doctores *ibid.* & Sigiſmundus *ſuprà num. 8. 9. & 10.* [Pro huiuſmodi etiam oppoſitionibus contra electiones factas, quod illis non obſtantibus electiones validæ cenſeantur, extant aliquæ declarationes Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, ſpecialiter vna pro Minoribus Conuentualibus 7. Maij 1636. 13

Dvbivm Secvndvm.

An prædicti Patres legitimi fuerint oppoſitores contra electiones factas in prædicto Capitulo.

RΕſpondendum eſt negatiuè, prout manifeſtè colligitur ex adductis in dubio præcedenti. Primò quidem, quia ea, quæ contra præfatas electiones oppoſuerunt, non ſunt magni, aut notabilis momenti, prout conſtabit dubiis ſequentibus ea euacuando. Nec talia credi poſſent, cum præfatum Capitulum, eiuſque electiones celebratæ fuerint à Religioſis grauibus, & valdè doctis, Doctoribus, & publicis lectoribus in Sacra Theologia, in clarioribus Vniuerſitatibus Hiſpaniæ, à S. Tribunalis Inquiſitionis Cenſoribus, & Conſultoribus, ſub Præſide Magiſtro Ioanne de Orbea, viro nedum nobiliſſimo, & magnæ auctoritatis, ſed & magnæ quoque experientiæ in agendis, qui quinquies idem munus exercuit, & de quo proinde bona præſumptio ſemper haberi debeat. Cum pro iudice ſemper iura præſumant, *l. vir bonus, ff. iudic. ſolui. ſolut. l. fin. Cod. ad l. Iul. repet.* 14

Secundò, quia prædicti Patres oppoſitores conſenſerunt in dictum Capitulum, eiuſque electiones, non repugnantes, contradicentes, reclamantes, ſiue aliquid contra ipſum, vel ipſas proteſtantes, quin imò, vt in Actis authenticis Capituli, §. *iam ergo* habetur, *acceptata fuit electio Prouincialis nemine reclamante* & infrà: *Tandem ſolitam obedientiam nouo Prouinciali electo omnes Gremiales exhibent.* Eandemque obedientiam præſtiterunt Diffinitoribus, & Patribus tunc electis, à menſe Maij, quo celebratum eſt dictum Capitulum, vſque ad menſem Decembris, quo inſurgere 15

ſurgere cœperunt contra Prouincialem, & Priorem Matritenſem. Vnde propter regulas, & textus, de quibus *ſupra dub.1.num.6.* manifeſtè excluduntur prædicti Patres à munere oppoſitorum, ſeu impugnatorum talium electionum.

16 Idem portò, quæ dico de prædictis Patribus oppoſitoribus, qui fuerunt Gremiales ipſius Capituli, intelligendum etiam eſt de quodam alio Religioſo, qui cum de gremio Capituli non fuerit, nihilominus etiam illud, & electiones in ipſo factas impugnauit, & de quibuſdam aliis eiuſdem Prouinciæ alumnis. Illi enim omnes à menſe Maij vſque ad menſem Decembris, Prouinciali, Diffinitoribus, & Prioribus obedientiam, & ſubmiſſionem debitam multis actibus poſitiuis hinc, indeque præſtiterunt, quo gratum, & ratum habuiſſe comprobantur præfatum Capitulum cum geſtis in ipſo. Regula enim Iuris, quæ eſt 10. videlicet, *Ratihabitionem retrotrahi & comparari mandato*, in omni actu obtinet, vt notat Gloſſa *ibi*, & maximè Gloſſa *in cap. auditis, de elect. verſ. ex poſtfacto*, vbi inquit, *ratihabitionem habere etiam locum in electionibus*.

17 Nec obſtat ſi contra dicta obiiciatur, quod ex dicto *c. auditis, de elect.* electio inualida non ratificetur per ſubſequentem conſenſum. Ibi enim manifeſtè eſt ſermo de electione facta per minorem partem Capituli, electiones verò, de quibus in præſenti, factæ fuerunt concorditer, vt ex ipſis Capituli Actis authenticis conſtat.

18 Tertiò, & maximè repelluntur dicti Patres à munere oppoſitorum, ſeu impugnatorum Capituli, & electionum in ipſo factarum, quia ſcilicet cauſæ, quas contra ipſa obiiciebant, non fuerunt de nouo emergentes, aut de nouo exhibitæ, aut cognitæ, ſed antiquæ, & tempore celebrationis Capituli ipſis manifeſtæ, & euidenter notæ. Clarè enim, & manifeſtè videbant, & ſciebant quando Capitulum celebrabatur, quod admittebantur vt legitimi ſuffragatores Socij Conuentuum, qui ſolùm ab habentibus viginti annos in profeſſione erant electi, & aliqui de nouo adiuncti, & quod erat ſufficiens numerus ſcrutatorum, ac tandem, quod Priores Conuentuum eligebantur in Diffinitorio ipſius Capituli, non in ipſis Conuentibus, quæ ſunt cauſæ propter quas contendebant de nullitate Capituli, & electionum. Ex hoc autem manifeſtè infertur, eos non potuiſſe admitti, vt oppoſitores, ſeu impugnatores illius, propter dicta *ſuprà dub.1.num.7. ex cap. nulli licere, de elect. in 6.* & ex decreto Reuerendiſſimi Generalis Stratij ibi relato.

19 Similiter quartò, expelli debuerunt à tali munere oppoſitorum, ſeu impugnatorum Capituli per modum appellationis, cum conſtet non ſolùm poſt decem dies, aut vnum menſem à celebratione Capituli, ſed poſt ſex, & amplius menſes, eam appellationem feciſſe. Ex hoc enim conſtat repellendos neceſſariò fuiſſe, *cap. ex concertatione, de appell. ſupra dub.1. n.8.* relato, vbi manifeſtè habetur ſolùm intra decem dies admitti poſſe appellationem ab electione. Et *ex cap. ſi. tuemur, de elect. in 6. & cap. cupientes, eod. tit.* id extenditur ad vnum menſem. Nec illis ſuffragari potuit, quod dicerent ſe non fuiſſe appellantes, ſed merè ad Sedem Apoſtolicam recurrentes. Oppoſitum enim conſtat tum ex memorialibus ab ipſis porrectis, tum ex reſponſione ad Decretum Illuſtriſſimi Hiſpaniarum Nuncij, nunc Eminentiſſ. D. Cardinalis Panzirolæ, vbi ſæpiùs ſe appellantes ad Sedem Apoſtolicam vocant.

20 Quintò etiam repelli debuerunt à dicto munere ob non ſeruatam formam præſcriptam *in c. vt circa, de elect. in 6.* quam retulimus *ſupra dub.1.n.9.* Conſtat enim ex prædictis Memorialibus, & aliis ſcriptis, in quibus ſuam oppoſitionem manifeſtarunt, non ſeruaſſe dictam formam, nec id feciſſe inſtrumento publico coram authenticis perſonis, nec ſub iuramento loco præſcripto.

21 Idem dico propter defectum ſextæ conditionis pro oppoſitoribus contra electionem requiſitæ, de qua *ſuprà dub.1. num.10. ex cap. is qui contra, de elect. in 6.* Conſtat enim prædictos Patres oppoſitores variaſſe in oppoſitione cauſarum contra validitatem Capituli, & electionum ipſius. Siquidem in ſcripto oblato Matriti die 4. Decembris 1641. Prouinciali dictæ Prouinciæ Caſtellæ ſolùm obiecerunt, quod Socij Priorum non fuerunt legitimi, eo quòd electi non fuerint, niſi ſolùm ab habentibus 20. annos in profeſſione. In memoriali autem poſtea ab ipſis porrecto Reuerendiſſimo Patri Ordinis, quando Romam venerunt, non ſolùm prædictam cauſam nullitatis, ſed plures etiam alias obiecerunt. In memoriali verò poſtea Eminentiſſimo D. Cardinali Protectori oblato vlteriùs addiderunt aliam cauſam nullitatis Capituli, & electionum ipſius, videlicet quod pro illis fuerint adiuncti aliqui ſuffragatores, qui de iure tales non erant. Ac demùm poſteà poſt duos circiter menſes opponere cœperunt, defeciſſe tres ſcrutatores in dicto Capitulo, & ipſius electionibus. Ex quo manifeſtè elicitur ipſos varios in opponendo extitiſſe, ac propterea repelli debuiſſe: tum ex dicto *cap. is qui contra*, tum ex communi dicterio de teſte, ſcilicet *teſtis varius, teſtis falſus*. Quod etiam oppoſitori, ſeu impugnatori electionis applicari poteſt.

22 Repelli etiam debuerunt prædicti Patres oppoſitores, iuxta dicta *ſupra dub.1.num.12.* à munere impugnatorum, propterea quod cum ante confirmationem Capituli à Generali per litteras poſtulaſſent ne illud confirmaret, ipſeque Generalis rem maturè diſcuſſiſſet, cauſaſque propter quas confirmationem negandam eſſe dicebant, conſideraſſet, nihilominus ipſum confirmauit litteris datis eodem anno 1642. dies 15. menſis Nouembris. Ex quibus omnibus liquidò patet præfatos PP. legitimos oppoſitores non fuiſſe in cauſa præſenti.

Dvbivm Tertivm.

An in caſu quo prædicti Patres legitimi oppoſitores Capituli eſſent, potuiſſet decidi cauſa, non citata, vel audita parte Capituli.

23 Reſpondeo id nullo modo fieri poſſe. Primò *ex cap. 1. de cauſa poſſeſſ.* vbi Gregorius Papa dicit, *nec Nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire*. Vbi verbum (*poteſt*) negatione præpoſita, importat neceſſitatem, vt ibi Panormit. *num.4.* & Iaſon *in l. Gallus, ff. de lib. & poſthum. num.17.* Gloſſa *cap. 1. de regul. Iuris in 6. verſic. non poteſt*. De quo DD. *in d. c. 1.* ſpecialiter Ioan. Andr. Innocent. Imola, Hoſtienſis, & Ancharanus. Secundò, *ex cap. 1. de feudis ſine culp. non amit.* vbi dicitur: *Non debet quis priuari feudo etiam per principem antequam de culpa ſit conuictus*: & Clement. *Paſtoralis, de ſentent. & re iud. verſic. nec prædicta ſuppletio*, vbi dicitur, *Imperatorem non poſſe ſupplere citationem, quia eſt de iure naturali*: & *x. queſt. 1. cap. Deus*, vbi dicitur, *Deum noluiſſe punire peccata Sodomorum, niſi deſcenderet, & videret: nec Adam, niſi priùs eo vocato, & eius defenſione audita*. Et *cap. caueant, & cap. omnia 3. queſt. 9.* vbi habetur, *ſententiam abſque citatione nullam eſſe*. Tertiò ratione, quia citatio partis vt ſe defendat, eſt radix, & initium omnium litium. *Inſtitut. de pœn. tem. litig. § finali, & part. 3. tit. 7 initio*. Ergo velle ſententiam ferre contra partem inauditam, eſt

eſt fundamentum totius proceſſus iudicialis euertere. Quartò, quia citare partem vt ſe defendat, eſt de iure naturæ, quod dictat, vniçuique locum ſe tuendi concedendum eſſe. Item ius naturæ dictat ante ſententiam eſſe plenè, & perfectè cognoſcendam culpam, quod effici non poteſt, niſi pars citetur, & audiatur, an aliquid habeat quo à culpa purgetur. Sed Princeps immutare nequit ius naturæ, ergo non poteſt contra inauditam partem procedere. Hanc proinde concluſionem tenet Gloſſ. *Extrauag. 1. de dolo, & contum. verbo Non obſtantibus*, vbi dicit, *partis citationem eſſe de iure naturæ, contra quam nullus Princeps procedere poteſt*. Panormit. *cap. 1. de cauſa poſſeſſ. num. 4. & 5.* vbi hæc dicit: *Etiam Princeps non poteſt ſupplere defectum citationis, nec valet ſententia per Principem ſine citatione lata, quia eſt contra ius n tura non citato partem, & citatione præcedente, & cauſa cognitione præſumendum eſt pro Principe, & non aliter.* Hæc Panormitan. qui & refert Cardin. Et idem Panormitanus *cap. inter quatuor, de maior. & obedient. num. 1.* vbi inquit: *De abſoluta poteſtate poteſt Princeps procedere abſque citatione in iis, quæ ſunt in poteſtate ipſius Principis, ſecus in quibus non habet plenam diſpoſitionem, quia tollere citationem eſt tollere defenſionem, quæ eſt de iure naturæ.* Et Iaſon. *dicta l. Gallus, num. 18.* vbi dicit: *Nec Papam poſſe de plenitudine poteſtatis omittere citationem, quia eſt contra ius naturæ.* Idem Angel. *l. ſi accuſatorib. Cod. de accuſ.* & Gloſſa *l. fin. Cod. de legib. verſ. quominus*, & ibi Bald. *num. 1. & l. cum Fratrem, Cod. de his quibus vt indign.* Couarr. *quæſt. pract. cap. 23. num. 6.* Rebuffus *repetition. cap. 1. de poſſeſſ. verſic. ſextò nota.* Pinellus plures referens *Cod. de reſcind. vendit. 11. part. rubrica, cap. 2. num. 11.* Alexand. *conſ. 5. volum. 2. num. 5.* Oldradus, Maranta, Aretinus, Felynus, & alij Iuriſtæ. Quibus iunge ex Theologis Sotum *lib. 5. de iuſt. quæſt. 3. art. 3. ad 1. verſic. at vero verum*, vbi inquit: *Si Princeps extra iudicij formam, & ordinem aliquid imperet, nefas eſt, nec parendum eſt illi, quia Princeps tenetur ordine iudiciario.* Caiet. *verbo Homicidium*, Mirandam *de Ordine iudiciar. quæſt. 14.* & alios.

14 Specialiter in materia electionis, quod ea non poſſit caſſari niſi citatis, & auditis electis, habetur ex *cap. vltim. de elect. in 6.* vbi Doctores communiter. Viuianus *de iurepatronat. lib. 9. cap. 1. num. 24.* maximè Rota in vna Illerdenſi *electionis Abbat.* coram D. Roxas, 2. Iunij 1636. ex Canaler. *deciſ. 376. num. 1.* De quo etiam Rotæ deciſio *in recent. deciſ. 139. num. 7. part. 7.* & Portell. *in Reſponſ. part. 2. caſ. 4. num. 3.* Ad minus id eſt clariſſimum quando electio eſt in conformitate facta, confirmata, & in poſſeſſione poſita, ac reclamantibus electis, prout erat in præſenti.

25 Nec obſtat, Panormitan. *cap. cum olim, de ſentent. & re iudicat. num. 20. & cap. cauſam, de reſcript. num. 3.* Rebuffum *vbi ſuprà*, Felynum *dicto cap. cum olim, num. 11.* Marantam *de ordine iudic. 6. part. verbo Citatus, num. 3.* & quoſdam alios, quos retuli, & ex parte ſecutus ſum *ſupra Summ. verb. Iudex, & iudicium Regul. num 17.* dixiſſe, poſſe aliquando Iudicem contra partem non citatam, nec auditam procedere. Nam vt ipſos legenti conſtabit, loquuntur in caſu, quo crimen eſt notorium, & liquidò, ac certò conſtat nullam defenſionem eſſe reo: quod non procedit in propoſito, vt euidenter conſtabit, euacuando ea, quæ Patres oppoſitores Capituli obiiciebant.

26 Quare audiri non meruerunt aliqui Inſinuantes potuiſſe Eminentiſſimum D. Cardinalem Protectorem huius cauſæ Iudicem, vel etiam Reuerendiſſimum Generalem, electiones in dicto Capitulo factas extraiudicialiter, & ſine ſtrepitu iudicij. non auditis electis irritare, & caſſare. Id enim contra ius naturale, diuinum, & humanum eſſet. Cum enim tales electiones non ſolùm in concordia factæ fuiſſent, ſed etiam à Superiori confirmatæ eſſent, & per confirmationem adquiſiuerint electi ius in officiis, ad quæ fuerunt electi, & in ipſorum poſſeſſione per multos menſes fuerint, & contradicerent tali cauſæ diſcuſſioni ipſis non citatis, aut non auditis, proculdubio nihil potuit in cauſæ deciſione agi ſine ipſorum citatione, *cap. noſti, & cap. qualiter, de elect. & cap. dudum, de præbend. cap. fin. de elect. lib. 6.* Petrus Gregorius *in partit. Iuris, cap. non tract. de elect. num. 4.* Portellus *ſuprà*.

Dvbivm Qvartvm.

Quod mandatum, vel procuratio requirebatur, vt aliquis eſſet legitimus procurator Romæ pro Capituli defenſione.

Vppono, cauſas electionis agitari poſſe per procuratores, tam partis impugnantis, quàm defendentis. Ita enim habetur *ex cap. 1. de elect. in 6.* vbi etiam terminus illis præfigitur ad proſequendam appellationem. Doctores communiter ibi. Layman. *ſuprà quæſt. 117. & quæſt. 118.* 27

Quo poſito ad dubium propoſitum reſpondeo, procurationem, ſeu mandatum, quod requirebatur, vt aliquis eſſet legitimus procurator Romæ pro dicti Capituli defenſione, debere eſſe ab omnibus electis in ipſo ad aliquod officium, videlicet Prouinciali, quatuor Diffinitoribus, Prioribus, &c. vel ſaltem ab iis, qui repræſentant totam prouinciam, ſcilicet Diffinitorio ipſius, quod conflatur ex prouinciali, quatuor Diffinitoribus, & Socio, ſeu Secretario. 28

Ratio primæ partis eſt, quia procurator legitimus eſt ille, qui à parte principali intereſſe habente accepit mandatum. Etenim iuxta Vlpianum *in leg. 1. ff. de procurat.* procurator eſt, *qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat*. Et infrà: *Qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe vel nolunt, vel non poſſunt, per alios poſſunt vel agere, vel conueniri.* Certum autem eſt principalem partem intereſſe habentem in dicto Capitulo fuiſſe electam in illo ad aliquod officium. Ergo. Confirmatur ex Regula illa 29. inter Regulas iuris, quæ ſumitur *ex l. 1. & vlt. C. de auth. præſt. & ex l. per fundum. 11 ff. de ſeruit. ruſtic. præd.* videlicet, *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.* Conſtat autem negotium illius Capituli tangere omnes illos, qui in eo electi fuerunt ad aliquod officium in Religione, ac proinde procuratorem legitimum in hac cauſa illum fuiſſe, qui ab illis habuiſſet mandatum, ſeu procurationem. 29

Ratio etiam ſecundæ eſt, quod idem, quod fit à principali, fieri etiam poteſt ab eo qui ipſum repræſentat, vt patet in Vicario, Delegato, Commiſſario, Procuratore, &c. Cum autem Diffinitorium repræſentet totam Prouinciam, vt colligitur ex noſtris Conſtitutionibus *part. 4. c. 19. num. 1. 2. 12. 13. & 14. 20 1. 20.* præſertim *num. 4* ideo habens procurationem, ſeu mandatum à dicto Diffinitorio, cenſeri debuit habere illud à tota Prouincia, ac per conſequens ab Officialibus in dicto Capitulo electis. 30

Videtur autem neceſſarium fuiſſe in tali caſu, quod omnes Gremiales Diffinitorij, Prouinciales ſcilicet, & Diffinitores, conuenirent in deſignatione procuratoris, nec ſufficere quod maior pars ipſorum id faceret. Ratio eſt, quia licet ad ſtatuendum ea, quæ pertinent ad omnes vt vniuerſos, vel in communi, ſufficiat conſenſus maioris partis, *capit. cum in cunctis, de iis quæ fiunt a maiori parte Capituli, & c. auditis, de elect.* nihilominus ad ſtatuendum ea, quæ ſpectant ad omnes vt ſingulos, ſeu in particulari, quale eſt in hoc caſu conſtitutio procuratoris 31

ſiquidem omnes de Gremio Diffinitorij ſunt lelecti in tali Capitulo, requiritur conſenſus ſingulorum, ita vt in his habeat verum Regula iuris *in* 6. adducta: *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari, cap. cum omnes, de conſtit. l. per fundum ff. de ſeruit. ruſtic.* Gloſſa *in d. cap. cum omnes, verbo Conſilium,* Angelus, Sylueſter, & alij Summiſtæ *verbo Capitulum*, & DD. communiter, quos refert Barboſa *in d. cap. cum omnes, & ſuper d. Regula quod om n. 1 tangit.*

32 Imò etiam videtur neceſſarium fuiſſe ad deſignationem talis procuratoris, quod fieret à dicto Diffinitorio per modum Diffinitorij congregato, ſcilicet ad ſunitum campanellæ, loco, & aliis circunſtantiis, quæ ſecundùm conſuetudinem Religionis obſeruātur ad actiones Diffinitoriales. Hoc enim commune eſt omnibus, quæ fiunt à Collegio, Capitulo, Diffinitorio, &c. vt talibus. [Vbi enim actus expediendus eſt de conſenſu alicuius Collegij, ſeu Communitatis, non ſufficit illos de Collegio ſeparatim conſentire, ſed neceſſariò requiritur, vt in vnum congregari collegialiter conſentiant, alias actus eſt nullus, *cap. In Geneſ. de elect. & l. 1. Cod. de decim. lib.* 10. Panormitan. *in cap. cum Eccleſia, num.* 14. *de cauſ. poſſeſſ. cap. Eccleſ.* 1. *num.* 2. *de ſortileg. cap. Quia propter, n.* 12. *de elect. & c. Cum omnes, n.* 5. *de conſtit.* vbi latè Felyn. *n.* 24. Gonxalez *ſuper Regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 47. *num.* 64. Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.* 111. *num.* 3. ex Rotæ deciſione, & aliis Auctoribus. Quod etiam ex eiſdem fundamentis ſequitur Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 7.]

33 Illud certius, procuratorem taliter conſtitutum potuiſſe renuere acceptare talem procurationem, & illam recuſare. Ratio eſt, quia mandatum eſt contractus à mandatore, & mandatario ſponte initus, & nemo inuitus cogitur ad procurandum pro alio, *lege* 1. *ff. mandat. l. inuitus, Cod. de Procuratorib.* Axor. *tom.* 3. *Inſtitut. moral. libro* 9. *cap.* 5. Bonacina *de Contractibus, diſputatione prima, quæſtione ſecunda, punct.* 6. *num. vndecimo.* Layman. *libro tertio, ſectione quinta, tractatu quarto, capit.* 16. *num. nono,* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 79. *num trigeſimoquinto*, poſt alios, quos refert. Credo nihilominus, quod ſi talis procurator eſſet eiuſdem Religionis, poſſet cogi à Superiori ipſius ad acceptandum tale mandatum, eo quòd iuxta dicta *tom.* 1. *r.* 1. *cap.* 4. ex vi voti obedientiæ obligatur Religioſus ad obediendum in rebus licitis, & honeſtis, & quæ concernunt Regulam, quale eſt hoc, vt munus procuratoris gereret pro defenſione Capituli ſuæ Religionis.

34 Credo etiam Procuratorem Generalem noſtri Ordinis potuiſſe ſuſcipere talis cauſæ defenſionem, tum ex vi ſui muneris, quod eſt defendere Religionem, tum propter priuilegium Bonifacij noni pro Prædicatoribus, quod retuli *ſupra verbo Procuratores Religionum, num.* 4. in quo Procuratoribus Generalibus conceditur facultas aſſumendi quaſcuoque cauſas Ordinis, etiam in iis, in quibus requiritur ſpeciale mandatum, perinde ac ſi ab iis, ad quos intereſt, data eſſet omnimoda poteſtas. Idque ſupponitur à Rota in vna Theatina *Iuriſdictionis*, coram D. Coccino anno 1614. vbi habetur, Procuratores Generales Religionum communicantium in priuilegiis cum Dominicanis, poſſe vti conceſſione Bonifacij IX. relata. Oporteret tamen rectè inſtructum eſſe in cauſa ipſa, aliàs non poſſet nec licitè, nec validè eam aſſumere.

Dvbivm Qvintvm.

An prædictum Capitulum, & eius electiones annullari deberent, eo quòd Socij Conuentuum, qui in eis vocem habuerunt, non fuiſſent electi ab omnibus in Sacris conſtitutis.

Svppono ex dictis *tomo* 1. *parte* 1. *cap.* 15. *num.* 4. ad electiones, quæ fiunt inter Regulares, admitti vt electores Clericos omnes in Sacris conſtitutos, prout ex *cap. ex eo, de elect. in* 6. & Clement. *Vt ij, de ætat. & qualit.* ac Concil. Trident. *ſeſſione* 22. *cap.* 4. dicitur eo loco. Id etiam videtur eſſe de iure communi Religionis. Nam *parte* 4. *cap.* 24. *num.* 1. dicitur excludendos eſſe ab electionibus profeſſos, qui in Sacris non exiſtunt. Ex quo denotatur, quod omnes in Sacris exiſtentes admitti debeant. 35

Nihilominus dicendum, propter ius particulare illius Prouinciæ non potuiſſe, nec debuiſſe ad electionem Sociorum Priorum iturorum ad Capitulum Prouinciale admitti omnes in Sacris conſtitutos, ſed ſolùm illos, qui viginti annos in profeſſione habebant, ac proinde non propterea Capitulum Prouinciale prædictum, aut electiones in ipſo factas impugnari poſſe. 36

Et primò, antequam id probetur, nullatenus audiendos fuiſſe prædictos Patres oppoſitores in hoc, non ſolùm liquidò habetur ex dictis toto dubio primo & ſecundo; ſed ſpecialiter ex eo, quod in Actia prædicti capituli in authentica forma ad Generalem Romam tranſmiſſis, §. *Tunc Reuerendiſſ. Pater*, ſic habetur. *Et ſtatim rationem poſuit* (ſcilicet Præſidens) *cum Sociis Conuentuum, & ipſi litteras, in quibus ſtatus eorum, & bonorum eorundem continebantur, exhibuerunt, quibus iam examinatis interrogauit: An quis eſſet qui impedimento aliquo Canonico voce actiua, aut paſſiua eſſet priuatus, & nemine reclamante, omnes habiles inuenti ſunt, & vt tales reputati à R. P. Præſide.* Nullo ergo iure dicti Patres oppoſitores dicere potuerunt præfatos Socios Priorum illegitimos ſuffragatores fuiſſe, ſiquidem expreſsè, vel tacitè ipſi, qui erant Gremiales Capituli, eos in eodem Capitulo, *nemine reclamante*, habiles inuenerunt. Procedunt enim contra illos adducta *ſuprà dub. primo, & ſecundo*, & præſertim Regulæ illæ Iuris: *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt:* & illa, *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum:* ac illa, *Nullus poteſt venire contra factum ſuum.* 37

Deinde planè conuincitur, quod hic modus eligendi Socios debuerit omnino obſeruari in Prouincia Caſtellæ. Cum enim prius diuiſa eſſet in duas Prouincias, quarum vna Caſtellæ nouæ, & altera Caſtellæ veteris vocabatur, vnitæ fuerunt auctoritate Pontificia, Regia, & ordinaria Generalis in vnam Prouinciam Caſtellæ, cum certis pactis, & conditionibus, quarum vna fuit *n.* 13. quod ſolùm haberent vocem in electione ſociorum Priorum iturorum ad Capitulum Prouinciale illi, qui habuiſſent viginti annos in profeſſione, & quòd ſi alio modo fieret talis electio, eſſet irrita, & omnino nulla ipſo facto. Hæc autem conditio habebat robur, & firmitatem: primò, quia facta eſt à Commiſſariis vtriuſque Prouinciæ nomine Religioſorum ipſius, qui proinde ceſſerunt iuri ſuo, ſi quod habebant, ad oppoſitum. Secundò, quia facta eſt auctoritate ordinaria Generalis, qui iuxta Conſtit. Ordinis *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 9. & 11. non ſolùm habet facultatem diſpenſandi in Conſtitutionibus Ordinis ex legitima cauſa; ſed etiam (quod eſt maximè notandum) habet totam auctoritatem, quam habet Capitulum Gene- 38

ſale,

rale, præterquam in tribus caſibus, in quibus non includitur iſte. Conſtat autem euidenter, potuiſſe Capitulum Generale facere prædictam conditionem pro bono regimine Religionia. Tertiò, & præcipuè, ex eo quòd prædicta conditio facta fuit ex vi Breuia Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani, 30. Augusti 1636. in quo conceditur auctoritas dicto Theodoro generali eligendi aliquem Religioſum in Vicarium Generalem, cum auctoritate Prouincialea vtriuſque prædictæ Prouinciæ abſoluendi à ſuis Prouincialatus officiis, ſi illa ſponte renunciare *recuſauerint, dictaſque duas Prouincias in vnam Caſtellæ Prouinciam vnire cum illis pactis, & conditionibus, in quibus Fratres vnius, & alterius Prouinciæ Caſtellæ conuenerint*. Et poſtea in fine additur: *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, &c. ſtatutis & conſuetudinibus, &c.* Quartò, quia huiuſmodi conditio cum aliis recepta, & apprubata fuit à Gremialibus vtriuſque Prouinciæ Congregatis in Capitulo prouinciali Matriti celebrato 17. Octobris 1638. inſtrumento etiam facto coram Illuſtriſſimo Domino Nuntio Hiſpaniarum tunc temporis Domino Campeggio, & eius Notariis. Gremialem autem Prouinciæ omnes Fratres ipſius repræſentant, ac per conſequens potuerunt recipere, & approbare prædictam conditionem cum aliis. Denique quintò, quia Magiſter Michael Nauarrus eo tempore Prouincialis, curare debebat prædictam conditionem ſimul cum aliis ſeruari, ex vi iuramenti præſtiti in Capitulo Prouinciali Matritenſi anni 1638. in quo fuerat electus. Vt enim conſtat ex Actis authenticis eiuſdem Capit. §. *Deinde*, poſt ſuam in Prouincialem electionem, genuflexus in conſpectu omnium Capitularium fecit iuramentum iuxta formam præſcriptam in pactis, & conditionibus vnionis, ſeruandi inuiolabiliter in vtroque foro prædicta pacta, & conditiones, inter quas erat iſta.

39 Etſi autem confirmatione à generali non egeret, vtpote quia facta fuit auctoritate Apoſtolica Papæ, auctoritate etiam ordinaria generalis, auctoritate inſuper Vicarij Apoſtolici, & Generalis, conſentientibus, & approbantibus gremialibus vtriuſque Prouinciæ, qui illam totam repræſentant, vt præmiſſum eſt; nihilominus ab eodem generali confirmata fuit Litteris patentibus datis 8. Ianuarij 1639. Conſtat enim ex Actis authenticis Capituli intermedij eiuſdem Prouinciæ celebrati in Conuentu Valliſmorenſi 28. Aprilis 1640. §. *Deinde*, Prouincialem exhibuiſſe Diffinitorio litteras eiuſdem generalis continentes confirmationem vnionis inter vtramque Caſtellam, & confirmationem legum, & conditionum ſub quibus facta fuit vnio. Cui conſonant Epiſtolæ eiuſdem generalis ad Prouincialem eiuſdem Prouinciæ, & ad Magiſtrum Orbeam Præſidem Capituli, de quo eſt controuerſia, & ipſorum ad generalem, quæ partim apud illos, partim in Regiſtris litterarum pro Hiſpania cernuntur; ex quibus habetur hanc conditionem confirmatam fuiſſe cum cæteris à prædicto Reuerendiſſimo, ſimulque voluiſſe, vt ea executioni mandaretur. Idem etiam corroborat, quod huiuſmodi etiam conditio innouata fuit in Capitulo Prouinciali, de quo eſt controuerſia, §. *certa conditio*, quod nullatenus fieret, ſi ea à præfato generali reprobata fuiſſet, vel non confirmata. Imò cum innouatio dictæ conditionis facta ſit annuentibus, conſentientibus, & ſubſcribentibus dictis PP. oppoſitoribus, vt patet ex actis dicti capituli, ideo nullatenus audiri poterant contra ipſam, propter dicta *ſuprà dub. 1. & 2.*

40 Nec obſtat, quod obiiciebant Patres oppoſitores contra præfatam, & alias conditiones vnionis, eſſe videlicet cõtra præfatum Breue Sanctiſſimi, eo quòd in ipſo Papa concedat facultatem Vicario generali à generali deputato vniendi dictas Prouincias, & conuocandi ad Capitulum Prouinciale *pro noui Prouincialis electione, aliiſque omnibus, & ſingulis faciendis, quæ in Capitulis Prouincialibus dicti Ordinis, iuxta illius Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate confirmatas fieri ſolent*. Ex eo inferentes, hanc conditionem inualidam eſſe, eo quòd contraria ſit conſtitutionibus Ordinis. Sed futilem fuiſſe hanc obiectionem, conſtat primò, quia vt manifeſtè liquet ex ipſo Breui, ibi ſolùm loquitur Pontifex de Capitulo Prouinciali celebratu anno 1638. in quo completa fuit vnio Prouinciarum, non de capitulo celebrato anno 1642. de quo modò eſt controuerſia. Secundò, quia ibi nihil præcipit, aut diſponit, ſed ſolùm refert quæ fieri ſolent in capitulis Prouincialibus; nec in verbis adductis dicitur *fieri debent* ſed *fieri ſolent*. Vnde argumentum ex prædicto Breui SS. ſumptum; nullius momenti eſſe comprobatur.

Nec etiam obſtant adducta in principio huius dubij ex Iure communi, & conſtitutionibus noſtræ Religinnis; oon ſolùm quia ibi, maximè in Iuribus relatis ex Iure communi, ſolùm videtur permitti, aut concedi, quod omnes Clerici adſint electionibus, non verò præcipi, ſed etiam, & præcipuè ex eo quod, vt patet ex Breui Sanctiſſimi adducto *ſuprà num. 38.* idem Sanctiſſimus concedit facultatem reuniendi dictas Prouincias in vnam, cum illis pactis, & conditionibus, *in quibus Fratres vnius, & alterius Prouinciæ conuenerint*: addendo in fine, *non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus*. Per hæc enim ſatis denotatur ex vi authoritatis à Papa conceſſæ potuiſſe dictos Religioſos ſtatuere hanc conditionem pro vnione Prouinciarum, non obſtantibus Iure communi, aut conſtitutionibus Ordinis. 41

DVBIVM SEXTVM.

An prædictum Capitulum, & eius electiones inualidæ fuerint propter vota quædam in illo adiecta.

EXtollebant præterea Patres oppoſitores obiectionem aliam contra validitatem capituli, videlicet quod, vt conſtat ex Actis ipſius, in eo numerantur quinquaginta Gremiales: cum tamen, iuxta ipſorum computationem, tot nequiuerint eſſe. Vnde dicebant ſuppletum fuiſſe numerum aliquorum abſentium, contra Concilium Tridentinum *ſeſſione 25. capite 6. de Regularibus*, ac per conſequens electiones inualidas fuiſſe, & ſuffragatores adiunctos inhabiles poſtea ad omnia officia Ordinis. Dicit enim Concilium: *Nec in poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcunque titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra huius decreti Conſtitut. aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ eo ipſo abrogatæ cenſeantur, & ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſubreptitiæ habeantur.* 42

Hanc tamen obiectionem nullius momenti eſſe liquidò ſuadetur. Et primò quidem, cum nihil conſtaret de eo quod opponebatur, nec per teſtes idoneos, inſtrumenta authentica, aut proceſſum formatum, proculdubio Patribus oppoſitoribus credendum non erat. Sed ſi circa id fuiſſet aliquod dubium, citanda, & audienda eſſet pars capituli, prout Iuris eſt, iuxta dicta *ſupra dubio 3.* Interim 43

tamen

tamen ſecundò, audiri non debuiſſe præfatos Patres, conuincitur, tum propter ſuperius dicta *dub.* 2. tum ſpecialiter, quia ipſimet perſonaliter aſſiſtentes electioni Prouincialis, in qua vocem habuerunt prædicti quinquaginta ſuffragatores, eam vt legitimam, & Canonicam (idem dico de electione Diffinitorum) acceptarunt, & approbarunt. Vt enim conſtat ex verbis dictorum Actorum authenticorum capituli, *§.iam ergo*, facta electione Prouincialis, *acceptatur* electio à R.P. *Preſide, nemine reclamante, & vt canonica eſt habita*. Subditur poſtea, *& tandem ſolitam obedientiam nouo prouinciali electo omnes Gremiales exhibent*. Quam etiam exhibuerunt per ſex menſes poſt capitulum celebratum. Et ſanè meritò, cum iuxta Iura, & antiquam Ordinis conſuetudinem, prout colligitur ex Formula celebrandi Capitula Prouincialia § 21. & 26. quem retuli *ſupra num.* 7. finito ſcrutinio pro electione Prouincialis, & diffinitorum, Præſidens Capituli interroget gremiales an habeant illam electionem vt legitimam, & prædicti Patres, qui gremiales etiam erant, nihil dixerint, quin potiùs prædictas electiones acceptauerint, & approbauerint, procul dubio ſignum euidens eſt nullum illegitimum ſuffragatorem ad præfatas electiones admiſſum fuiſſe.

44 Ad maiorem etiam abundantiam, & tollendum omnem ſcrupulum, dico potuiſſe Patres illius capituli ex vi vnius conditionis præfatæ vnionis *num.* 9. (quæ erat quod, vt in capitulis Prouincialibus eſſent ſemper paria vota vtriuſque Prouinciæ vnitæ, ſcilicet Caſtellæ nouæ, & veteris, poſſent Patres illius partis Prouinciæ, quæ habebat minora vota, eligere ſibi tot ſuffragatores, quot eſſent neceſſarij ad adæquandum vota, ſeu ſuffragatores alterius partis) eligere, ſeu creare aliquot ſuffragatores. Quod fecerunt vtentes iure præfatæ conditionis factæ authoritate Apoſtolica Papæ, ordinaria Generalis, & delegata Vicarij Generalis Apoſtolici, conſentientibus non ſolùm Commiſſariis vtriuſque Prouinciæ, ſed etiam Gremialibus illius totam Prouinciam repræſentantibus, vt dictum eſt *ſuprà dub.* 5. *num.* 38. Hoc autem licitum eſſe conſtat ex declaratione quadam Sacræ Congregationis, quæ habetur ſimul cum aliis in Codice antiquo in Bibliotheca Traſpontina de Vrbe reſeruato, vbi ſic: *Cum Fratres S. Auguſtini poſtulaſſent declarari an inſtitutio vocum, quæ non fit per creationem nouorum titularium, neque per ſupplementum vocum abſentium, ſed per habilitationem eorum, qui cum non eſſent vocales, effi erentur vocales, ſit contra Concilium? Congregatio inclinauit non eſſe contra Concilium.*

45 Quod ergo dicebant huiuſmodi adiunctionem votorum eſſe ſupplerionem votorum abſentium, ſine ratione dicebatur, cum pariter dicere poſſent factam fuiſſe ad ſupplenda vota eorum, qui è vita diſceſſerant. Non enim talis electio, ſeu inſtitutio illorum ſuffragatorum fuit ad ſupplendum vota abſentium (quod prohibet Concilium, & non ignorabant docti illi Patres Capitulares) nec ad ſupplendum vota defunctorum, ſed præcisè ſolùm, & formaliter ad adæquandum vota vnius partis Prouinciæ cum votis alterius, prout poterant, & debebant facere, ex vi præfatæ conditionis.

46 Nec obſtat ſi dicatur hanc conditionem non fuiſſe confirmatam à Generali Stratio, quin potiùs fuiſſe ab eo reprobatam, quia videbatur contraria Concilio Tridentino Reſpondeo enim non conſtaſſe de tali non confirmatione, ſeu reprobatione; & dato quod de illa conſtaſſet, adhuc executioni mandari potuiſſet. Tum quia cum illa facta fuerit ex vi Breuis Sanctiſſimi, de quo ſupra, authoritate etiam Generalis, & Vicarij generalis ab ipſo inſtituti, ac acceptata & recepta à toto gremio capituli, non videbatur neceſſaria confirmatio generalis, cum nullo Iure id probetur; & dato quod ab ipſo reprobata fuiſſet, ſolùm cenſeri debebat reprobata, quatenus contraria præſumebatur eſſe Concilio Tridentino, videlicet ſi per illam intenderentur ſupplere voces abſentium, non alio modo. Quare, cùm prædicta votorum adiunctio facta non fuerit ad ſupplendas voces abſentium, ceſſaret præſumptio generalis reprobantis illam, ac per conſequens executioni mandari poſſet. Vt enim dixi *ſupra verbo Leges Regularium*, *num.* 61. quando lex fundatur in præſumptione alicuius facti, vel defectus, ſeu delicti, ſi præſumptio ceſſat, eo quòd de contraria veritate conſtat, ceſſat etiam obligatio legis.

Addendum ad maiorem etiam abundantiam, quod caſu dato, & non conceſſo, quod Patres illi capitulares ſupplerent votum alicuius abſentis, cum id non fecerint propria authoritate, ſed legitimè, & ex vi præfatæ conditionis, authoritate Pontificia, ordinaria, & delegata, vt præmiſſum eſt, nihil omnino contra mentem Concilij feciſſent. Concilij enim intentio, dum negat vota abſentium ſuppleri poſſe, ſolùm eſt, ne id fiat illegitimè, & authoritate ſolius Præſidentis Capituli, prout habent Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regul. q.* 51. *art.* 6. Miranda 2. *tom. Man. prælator. q.* 23. *art.* 7. Iulius Lauotius *cap.* 17. *n.* 33. Franciſcus Bordonus *reſolut.* 26. *num.* 6. Theſaurus *in Praxi, part.* 2. *cap.* 11. 6. *nota tertiò*. Referam autem Rodriguez, & Mirandæ verba, quos alij ſequuntur. Rodriguez ergo ſic habet: *Concilium enim ſolùm tollit conſuetudinem quandam antiquam, qua in aliquibus Religionibus præſidentes in Capitulo vota abſentium propria authoritate ſupplebant, dicendo, Hic loco talis prouincialis ſubſtituatur, & hic loco alterius, ad effectum electionis faciendæ, quod in magnum Religionis vertebatur detrimentum; cum hoc modo electiones non ſecundùm Deum fieri contingeret.* Miranda verò ſic: *Mens ergo, atque intentio ſupradicti Concilij loco prællegato tantum fuit tollere, ac penitus amouere deprauatam quandam antiquam conſuetudinem, quam habebant Superiores, & Præſidentes in Capitulis ad effectum ſuarum faciendarum electionum, abſentium vota ſupplendi, & votum, & vocem cui volebant, tribuendi propria ſua authoritate dicendo illi: Tu eſto Prouincialis talis Prouinciæ loco abſentis; nam ego te ſubſtituo, & ſic de aliis, &c. Quod quidem vergebat in magnam electionum fraudem, atque Religionum omnium detrimentum. Hoc itaque tantummodò fuit vetitum, atque prohibitum per ſupradictum Concil. Trid.*

Adde tamen, etiam ad maiorem abundantiam, prædictam adiunctionem votorum licitam, & legitimam fuiſſe. Quod probatur ex Reg. quadam à Doctoribus recepta ex *cap. vnico de deſponſat. impuber. in* 6. *ſcilicet*, quod *quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere poteſt*. Propterea enim ibi deciditur Matrimonium impuberum, quod ratione ætatis non valet, valere vt ſponſalia, quia hoc modo valere poteſt. Vbi Gloſſa *ead. verſ. ut. Matrimonium*, ait, *ſi non valet vt ago, valet vt valere poteſt*. Et ita hanc Regulam vt certam ſupponit Sanchez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 104. *&* 105. ex aliis, & ex ea deduxi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 28 profeſſionem nullam ex defectu facultatis in acceptante illam, vel propter ſeruitutem, aut ſimiles cauſas, ſaltem valere vt votum ſimplex. Quod ſi profeſſio ob defectum ætatis, aut anni nouitiatus nulla, non valet, neque vt votum ſimplex, ideo eſt, quia Concilium Trident. ita diſpoſuit, iuxta dicta eo loco; ſi enim ita non diſpoſuiſſet, valeret vtique ex vi dictæ Regulæ. Ex ea autem ad propoſitum efficaciter ſic argumentari licet. Admiſſo, & non conceſſo illam adiunctionem votorum non valuiſſe præcisè vt

talem,

Digitized by Google

talem, nec ea vi conditionis factæ in vnioue Prouinciarum, nibilominus, quia facta eſt à toto gremio Capitoli, nemine reclamante, aut contradicente, proculdubio valete debuit, propter Regulam adductam, in quantum valete potuit. Potuit tamen valere in eatione inſtitutionis, ſeu creationis nouorum votorum: ergo valuit hoc modo. Potuiſſe autem valere dictam adiunctionem votorum in ratione creationis, ſeu inſtitutionis nouotum votorum, conſtat non ſolum ea declaratione Sacr. Congregationis relata *ſupra num. 43.* vbi id clare habetur, ſed etiam, quia iuata communem doctrinam, quam tradidi *tom. 1. part. 1. cap. 15. num. 10.* omnes vnanimiter de Capitulo, nemine diſcrepante, poſſunt admittere extraneum ad eligendum cum eis, prout tenent Panormitanus *in cap. ſcriptum, de elect. num. 3. & in cap. cum Vintomenſis, eodem num. & tit.* Nauarrus *lib. 5. Conſilior. de Simonia, Conſil. 9.* Paſſatellus *in Scholiis de elect. dub. 6.* & Peyrinis *tom. 1. de ſubdit. quaſt. 1. cap. 3 t. §. 8. concluſ.* Et ratio eſt, quia ſicut omnes vnanimiter de Capitulo poſſunt totam poteſtatem eligendi in compromiſſarios transferre, iuata dicta eo *cap. 15. num. 11. ex cap. Quia propter, de elect.* multo magis potetunt communicare aliis, vt cum eis coëligant. Valuit ergo prædicta adiunctio votorum ſaltem iſto modo, ac per conſequens oppoſitio ea hoc capite petita nulla cenſeri debuit.

Dvbivm Septimvm.

An tale Capitulum, & electiones in ipſo facta annullari deberent ob non ſervatam formam Capitis, Quia propter, de elect. maximè quoad numerum Scrutatorum.

49 SVppono ea dictis *tom. 1. cap. 15. num. 11.* & *tom. 2. cap. 12. num. 25.* & præſertim *tom. 3. verbo Electio inter Regulares, num. 2.* in electionibus Prælatorum Regularium obſeruari debere formam præſcriptam in *cap. Quia propter, de elect.* Videlicet de tribus Scrutatoribus aſſumendis pro ipſis, qui ſingolorum eligentium vota exquirerent, & poſtea publicarent, proptee plures Sac. Rotæ deciſiones eo loco relatas, vbi etiam, & *ſup. verbo Capitulum, n. 4.* qualiter nullom capitulum poſſit alterare, immutare, aut ſupplere dictam formam eo *c. Quia propter,* deſignatam.

50 Ea quo magnum ſibi argumentum contra validitatem capituli, de quo modo agitur, & electionum in ipſo factarom, deſomere videbantur Patres oppoſitores. Credebant enim tantùm in eo fuiſſe vnum Scrutatorem deſignatum, & non tres, eo quòd in Actis Capituli ipſius §. *Sabbato adueniente*, dicatur, cum eſſet ſermo de electione Diffinitorum, *Et ſtatim ad ipſam proceditur per ſuffragia ſecreta, inſtituto tam ſcrutatore R P. M. Ioanne de Erias, ad ipſa ſuffragia regulãda.*

51 Hanc verò prætenſam nullitatem multa eneruant. Primom quidem, quia ibi non dicitur hunc tantum Scrutatorem inſtitutum eſſe, ſed illum fuiſſe inſtitutum ad *Suffragia regulanda*, quo denotatur inſtitutos eſſe alios duos ſcrutatores ſimul eum ipſo, ſed huic ſoli commiſſum fuiſſe, vtpote viro ætate, grauitate, & morum probitate claro, regulare ſuffragia, ideſt, vel ſcribere in chartula nomina eorom, qui eligebantur, vt poſtea conſtaret quinam haberet plura vota, vel extrahere vota ex vrna, numerare, & euoluere, quod vni ea Scrutatoribus committitur in Formula celebrandi capitola, de qua *ſupra n. 7. §. 19.* eſto alij Scrutatores com ipſo vota ſuffragantium exquirerent, viderent, & in ſcriptis redacta poblicarent, quæ ſunt duo munia Scrutatorum, ea eodem *cap. Quia propter.*

Redigere autem vota in ſcriptis, ſeu ſcribere nomina eorum, qui eliguntur, quod poteſt dici, illa regulare, per vnum ea ſcrutatoribus fieri debet, vt aduertunt Abbas *in d. c. Quia propter, num. 9.* & Sigiſmund. de Bonon. *ſupra dub. 21. num. 16.* Non explicatur autem hoc in prædictis Actis capituli, quia in ipſis non referuntur per extenſum, & ad longom geſta in ipſo, ſed ſolùm ſtrictè, ſummariè, & imperfectè. Conſtat enim ex ipſis ea non eſſe perfecta, & completa, ſed manca, mutila, & imperfecta (in quo ſanè reprehenſione digni, qui in cauſa fueront quod ſic fierent.) Secundò, quia cum Patres illius capituli in celebratione ipſius obſeruauerint formulam dictam celebrandi capitulum Prouinciale à Generali Stratio illis traditam, proculdubio deſignarunt tres Scrutatores pro electionibus, quia ita præſcribitur in dicta formula, §. 16. 52

53 Tertiò, quia cum electiones factæ in dicto capitulo celebratæ fuiſſent de conſenſu omnium eligentium, nemine reclamante, contradicente, aut proteſtante in contrarium; quin potius conctis verbo, & opere acceptantibus, & recipientibus electiones, & electos per ipſas, non ſolùm tempore capituli, ſed multo etiam poſt illud, euidenter etiam denotatur non contigiſſe hunc errorem in electionibus ipſius, alià Patres aduerſarij, niſi cæci eſſent, reclamaſſent vel monuiſſent Præſidem, ne committeretur tam grandis error, quod nullatenus fecerunt, niſi ſolummodo Romæ exiſtentes, & nouas oppoſitiones contra Capitulum quæritantes.

54 Quartò, quia id quod dicitur de vno Scrutatore deſignato in prædictis actis Capituli, ſolùm eſt pro electione Diffinitorum, non pro electione Prouincialis, aut aliorum Prælatorum: quia pro horum electione in dictis Actis, vtpotè imperfectis, & mutilis (vt dictum eſt) nihil habetur erga numerum Scrutatorum. Formam autem iure communi præſcriptam *c. Quia propter*, relato ſolùm eſſe attendendam in electione Prælatorum, non in electione Diffinitorum, Sociorum, Diſcretorum, &c. colligitur ex ipſo *capite Quia propter*, quia ibi ſolùm eſt ſermo de electione eorum, quorum defectu Eccleſiæ manent viduatæ, quod ſolùm competit Prælatis, quia ſunt ſponſi ipſarum. Fauet *cap. Ne pro defectu, eodem titul. de elect.* Gloſſa *in dicto capite Quia propter, verbo Eccleſiis viduatis.* Gloſſa *in capite Sicut, de elect. in 6* poſt alios, Syloeſt. *in Summa, verbo Electio 2. quaſtione 1.* Layman. *ſupra cap. 7. q. 78.* Item Iulius Lauorius *ſupra cap. 19. num. 7.* & Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 59. num. 154.* expreſsè aſſerentes formam dicti *cap. Quia propter,* non eſſe attendendam in electione Diffinitorum. Vnde infertur, quod hæc nullitas à præfatis Patribus prætenſa ob defectum Scrutatorum nullatenus ipſis fauere poterat, ſiquidem in Actis capituli ſolùm id habetur pro electione Diffinitorum, pro quibus ipſi non ſunt ea iure communi neceſſarij.

55 Quamuis autem ex dictis ſufficienter euacuata fuerit obiectio à præfatis PP. oppoſitoribus facta contra electiones dicti capituli, ob defectum Scrutatorum: nihilominus ad maiorem abundantiam, & pro veritatis explicatione addendum, quod quamuis formula illa celebrandi Capitula Prouincialia à Reuerendiſſ. Generali Stratio pro celebratione illorum facta, iure obſeruari debuerit in præfato capitulo, & in aliis; ſi tamen non obſeruaretur eo modo quo ab ipſo præſcripta fuit, vel in poſterum non obſeruetur (eo quòd cum fuerit ſolùm decreto ipſius facta, per illius mortem iam ceſſauerit eius obligatio) nihilominus electiones validæ eſſent, & in poſterum validæ erunt, ſi Præſidens in ipſis ſimul cum duobus antiquioribus Gremialibus exerceant

munus

munia Scrutatorum, vota ſuffragatorum exquirendo, & poſtea publicando. Ratio eſt, quia iſte modus celebrandi electiones antiquiſſimus eſt in religione, & conſuetudine receptus. Tum quia eſt introductus authoritate Apoſtolica Clementis VII. in Bulla *Cum acceperimus*, per modum Breuis data Romæ 2. Aprilis 1524. in qua in virtute Sanctæ obedientiæ præcepit motu proprio, & ex certa ſcientia Generali, ac Diffinitoribus Capituli Generalis Veneriis eo anno celebrandi, vt ad Reformationem vniuerſalem Religionis, tam quoad mores, quàm quoad Ordinis inſtituta procedere deberent, dando illis omnimodam poteſtatem ad ea, ipſaque authoritate Apoſtolica confirmando, & roborando. Ex vi cuius facultatis prædicti Generalis, & Diffinitores Conſtitutiones antiquas Ordinis per Reuerendiſſimum Generalem Ioannem Soreth, & Diffinitores Capituli Generalis Bruxellis celebrati anno 1466. approbatas, & publicatas de nouo correxerunt, & emendarunt, atque ad meliorem, & probatiorem formam redegerunt, ipſaſque toti Ordini obſeruandas tradiderunt, vt patet *ex cap. vnico de Reformatione*, quod eſt in prædictis Conſtitutionibus, in principio. In prædictis autem Conſtitutionibus Ioannis Soreth approbatis, & confirmatis à dicto Clemente VII. ea vi prædicti Breuis; imò ex vi eiuſdem receptis *part. 5. de elect. Capituli prouincialis, cap. 6.* ſic dicitur: *Electio autem prouinciales fiat modo, & forma, quibus electio prioris Generalis fit. De qua ſupra capite 2. & diligenter obſeruentur omnia illa, quæ ibi ponuntur, excepto quod prouincialis eſt per Priorem Generalem confirmandus antequam Offi ium exequatur.* Quia ergo cum agitur de electione Prioris Generalis in eiſdem Conſtitutionibus ſic dicitur, *Electio autem eius fiat hoc modo. Præſidens in Capitulo iuxta declarata cum duobus Diffinitoribus primarum Prouinciarum conſcribat voces ſingulorum Gremialium, ita quod ipſe qui præſidet, primò vocem ſuam aliis neſcientibus ſcribat; deinde ſecundus ſolo Præſidente audiente; poſtmodum tertius audientibus duobus. Deinde ſinguli aliorum coram illis tribus*; ideo, vt dixi, hæc forma celebrandi Capitula, ita vt prædicti Præſes, & duo antiquiores Capituli Patres gerant munus Scrutatorum, ſeruari potuit in Capitulo Prouinciali, de quo eſt controuerſia, & in aliis ſequentibus totius Religionis.

6 Nec obſtat Reuerendiſſimum Stratium in dicta formula celebrandi Capitula, §. 16. ſtatuiſſe, vt Præſidens de aſſenſu Diffinitorum aſſumere deberet tres ex Gremialibus Capituli ad Scrutatorum munus exequendum, quo viſus eſt ſupponere ipſum Præſidem, & duos antiquiores Patres Gremij non debuiſſe exercere hoc munus.

7 Reſpondeo enim (quod bona venia Reuerendiſſimi Generalis, & doctiſſimi viri dictum ſit) ipſum non potuiſſe alterare, aut immutare modum præſcriptum in præfatis Conſtitutionibus Ioannis Soreth authoritate Apoſtolica, vt viſum eſt, approbatum. Ratio eſt, quia iuxta dicta à me *to. 1. p. 1. c. 8. n. 32.* ex doctrina Nauarri ibi adducta, Conſtitutiones, ſeu ſtatuta Religionum authoritate Papæ confirmata, quando id fuit per modum decreti, mandati, aut ordinationis, non poſſunt, etiam à Capitulis Religionum mutari. Quod multò magis procedit in Generali. Prædictam autem Conſtitutionem, & omnes alias dicti Reuerendiſſimi Soreth hoc modo confirmatas fuiſſe à Clemente VII. conſtat ex verbis ipſius Breuis, quod habetur ante dictas Conſtitutiones, & alias Reuerendiſſimi Generalis Audeth, quæ talia ſunt: *Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia vobis in virtute Sanctæ obedientiæ iniungimus, & mandamus, vt ad reformationem vniuerſalem dictæ Religionis, tam quoad mores, quam quoad reliqua dicti Ordinis inſtituta procedere velitis, & debeatis. Dantes vobis facultatem, & omnimodam poteſtatem reformandi omnia, & ſingula, quæ vobis ratione prauæ in dicta Religione indigere reformatione videbuntur. Quæ omnia ex nunc, prout ex tunc, & è conuerſo authoritate Apoſtolica confirmamus, & roboramus.* Ex quo habetur prædictam Conſtitutionem, & alias eiuſdem Soreth approbatas, & confirmatas fuiſſe per modum decreti, mandati, & ordinationis authoritate Apoſtolica; ac proinde non potuiſſe alterari, aut immutari ſola authoritate Religionis.

Ex quo etiam ceſſat obiectio, quam aliqui facere poſſent, videlicet: prædictam Conſtitutionem Ioannis Soreth reuocatam fuiſſe per poſteriores Conſtitutiones, quales ſunt Reuerendiſſimi Baptiſtæ Caffardi de Senis, & Capituli Generalis Romani de anno 1580. iuſſu editæ, *part. 4. cap. 6. num. 3. & cap. 15. num. 4.* aliæ etiam nouiſſimæ Reuerendiſſimi Gregorij Canalis, ac Capituli Generalis Romani de anno 1625. *part. 4. cap. 6. num. 3. & cap. 15. num. 4.* In eis enim omnibus Conſtitutionibus nulla fit mentio de prædictis tribus, Præſide & duobus primis Diffinitoribus, ſed ſolùm habetur quòd datis ſuffragiis per ſchedas, *vnus de præcipuis Gremialibus ad nutum Præſidentis, ſingulatim dictas ſchedas extrahat, & euoluat, & aliis audiente toto Gremio, vota ſingulorum eligentium legat, & pronunciet.* Additurque in omnibus illis *part. 5. c. vlt. Quæcumque autem Statuta prædictis Statutis contraria, aut Regulæ noſtræ diſſonantia, in quibuſcumque Capitulis præteritis edita, penitus reuocamus, & præſentia Statuta confirmamus. Prioribus prouincialibus præcipientes per ſalutarem obedientiam, quatenus in ſingulis Conuentibus ſuarum prouinciarum iſtas Conſtitutiones diligenter faciant cuſtodiri, omnibus aliis reuocatis.* 58

Reſpondeo enim, nullatenus per prædictas conſtitutiones poſteriores cenſeri debere reuocatas priores illas Ioannis Soreth. Tum quia, vt dixi, id fieri non poterat ſine authoritate Apoſtolica, cum priores illæ Ioannis Soreth Apoſtolica authoritate per modum mandati, & ordinationis editæ, & confirmatæ fuerint. Tum quia non ſunt contrariæ ipſis, ſed quod in prioribus illis Ioannis Soreth non exprimebatur de duobus illis, quorum vnus extraheret, & euolueret vota, & alius ea legeret aut pronunciaret, exprimitur in poſterioribus Baptiſtæ Caffardi, & Gregorij Canalis. Cuius ſignum eſt, quòd ſecundum conſuetudinem etiam immemorabilem religionis id ſoleant facere, vel ipſe præſidens, vel antiquiores Patres, ſeu Diffinitores, qui munus Scrutatorum exercent, iuxta præſcriptum dictæ Conſtitutionis Soreth. 59

Maximè videtur obſtare contra prædictam Conſtitutionem Soreth, quod videatur reuocata per Concilium Trident. *ſeſſ. 25. de regularib. cap. 6.* vbi decernitur, electiones omnes inter regulares debere fieri *per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* In præfata autem conſtitutione oppoſitum habeatur, videlicet: *Præſidens in Capitulo iuxta declarata cum duobus Diffinitoribus primarum prouinciarum conſcribat voces ſingulorum Gremialium, ita quod ipſe qui præſidet, primò vocem ſuam aliis neſcientibus ſcribat. Deinde ſecundus ſolo præſidente audiente, poſtmodùm tertius audientibus duobus primis. Deinde ſinguli aliorum coram illis tribus.* Et inferiùs in decreto electionis ſic habetur: *Ego talis nomine meo, & nomine aliorum mecum in nominatione, & publicatione vocum in talem Fratrem concordantium eligo, & denuncio talem Fratrem eſſe priorem Generalem Ordinis noſtri, in quem tales, & tales conſentiunt.* 60

Reſpondeo enim, quod etſi prædicta Conſtitutio Ioannis Soreth cenſeri debeat reuocata à Concilio quantum ad hoc vltimum, videlicet, quod ille qui facit Decretum electionis, dicat Generalem, vel Prouincialem 61

uincialem electum fuiſſe illum, *in quem tales, & tales conſentiunt*, illos notando, quia boc eſt expreſsè contra Concilum, & propterea ſublatum in poſtarioribus conſtitutionibus Ioannis Caſſardi, & Gregorij Canalia; nihilominus non eſt reuocata quantum ad primum, videlicet, quod Scrutatores audiant, vel ſciant illum, cui Gremiales ſuffragatores præbent ſuum votum, ſeu ſuffragium viua voce: Concilium enim ſolùm præcipit quòd electiones fiant per vota ſecreta, *ita vt eligentiũ nomina nunquã publicentur*. Vnde non prohibet quod Scrutatores ſciant, vel audiant nomina eligentiũ, ſeu illum quem eligunt electores viua voce; cum adhuc id cenſeatur ſecretum, cum paucis ſit cognitum, nec poſſint illud poſtea manifeſtare, imò ad id ſecretum aſtringi debeant iuramento, provt habetur in dicta formula celebrandi Capitula, §. 16. & conſultum ac conſuetum eſſe tenet Layman. *de elect. cap. 7. q. 72.* ex Rodriguez *tom. 2. qq. Regul. q. 52. art. 2.* Conſonant quæ dixi *ſuprà verbo Electio quoad Regulares, num. 11. in fine*, ex declarationibus S. Congregationis, & ex Garzia, & Caſtellino, & *verbo Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, n.* 3. ex declaratione etiam Sac. Congregationis apud Naldum, & Barboſam eo loco relatos. Maximeque conſonat, quod habet Rota in Metenſi *Monaſterij*, 5. Iulij 1621. coram D. Coccino, §. vlt. allegans Rodriq. Zerol. & Azorium, aſſerendo ſcilicet, diſpoſitionem *cap. Quia propter, de electiõ.* non eſſe ſublatam per Concilium Trident. *vbi ſuprà*, dum perit electiones fore ſecretas. Fulcitur etiam ab eodem Concilio *cap. 7.* vbi decernitur, vt ille, qui electioni Abbatiſſarum, &c. præeſt, *vota ſingulorum audiat, vel recipiat*. Super quem locum Concilij S. Congregatio ſic cenſuit, teſte relato Garxia *de Beneſic. part. 5. cap. 4. n.* 190. & Barboſa *ibid. Superior, qui electioni Abbatiſſarum præeſt, poteſt vnà cum Vicario, vel Secretario, vel alio ab Epiſcopo aſſumpto, vota ſingulorum Monialium oretenus audire*. Item *ſuper cap. 6. eiuſdem Concilij*, eodem Garxia *ibid. n.* 186. & Barboſa *ſuper illud cap.* teſtantibus, ſic habet eadem S. Congregatio. *Si electi fuerint à Superioribus aliqui, vtputa quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur Canonica, & ſecreta*. Et iterum eiſdem Authoribus teſtibus, *in electionibus Abbatiſſarum vota oretenus accipi poſſunt à ſuis Superioribus, licet quatuor aut quinque ea ſciant*, provt Garxia *num.* 190. refert, vel provt Barboſa *ibid. cum duobus teſtibus*. Vnde non obſtante Concilio Trident. poſſe fieri electiones per vota viua voce data Scrutatoribus, tenent Garxia relatus, Suar. *4. tom. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 5. num.* 10. aſſerens etiam aliquas ex declarationibus relatis. Sigiſmundus de Bononia *ſupra, dub. 26. n. 11. &* 12. referens vlterius aliam Deciſionem Rotæ in vna Treuerenſi coram D. Coccino, & Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 6. num.* 10.

62 Quamuis autem hæc ita ſint, tutius tamen, & ſecurius eſt, vt ſuffragia, ſeu vota per ſchedulas ſcriptas, & clauſulas Scrutatoribus tradantur, ita vt nec ipſis notum ſit, quiſnam à ſuffragatoribus eligatur. Tum quia iſte modus approbatiſſimus, & receptiſſimus eſt in Religionibus, vt Authores relati teſtantur. Tum quia conformior videtur ſecreto requiſito *in cap. Quia propter*, & maximè in Concilio Trid. relatis, adeo vt aliqui Authores, videlicet Miranda *in Man. prælat. tom. 2. quæſt. 23. art. 15. concl. 2. & art. 29. §. 7.* quem ſequitur Peyrin. *tom. 1. de Subdito, quæſt. 3. cap. 31. §. Nota ſextò*, dicant dictum *cap. Quia propter*, derogatum eſſe per Concilium Trid. Tum quia declarationes Sac. Congregationis, & deciſiones Rotæ præcipuè videntur loqui de electionibus inter Moniales, eo quod inter ipſas, vt notaui *ſuprà verbo Abbatiſſa, num.* 3. aliquæ Moniales ſcribere neſciant, ac per conſequens nec votum dare poſſint, niſi oretenus. Idque maximè obſeruari debet in Ordine noſtro propter Conſtitutioens Caſſardi, & Gregor. Canalis, dicta *part. 4. cap. 6. num. 3.* dictamque Formulam Stratij §. 14. & 17. Vnde propter idem ſecretum exactiùs ſeruandum; quamuis in dictis Conſtitutionibus Caſſardi ſtatutũ eſſet, vt ſcriba à præſide Capituli deſignatus ea vota ſcriberet, cautiùs tamen, & prudentiùs in Conſtitutionibus Canalis, & dicta Formula Stratij ſtatuitur, vt vnuſquiſque propria manu votum ſuum ſcribat.

Præcipuè etiam videtur contra dictam Conſtitutionem Sorethi obſtare, quod illa contraria appareat dicto *cap. Quia propter.* ſiquidem in illo ſtatuitur quod tres dicti Scrutatores *aſſumantur de Collegio fide digni*, quo denotari videtur, ſolùm ab ipſo Collegio poſſe aſſumi dictos Scrutatores, & illos, qui ſunt de Collegio, & in eo præſentibus committi examen & cognitionem de tali qualitate Scrutatorum; ac per conſequens quod non poſſint eſſe antea aſſumpti, ſeu electi, etiam ex vi alicuius conſtitutionis, cuius contrarium habetur ex dicta conſtitutione Sorethi. Reſpondeo enim, iuxta dicta *tom. 1. p. 2. cap. 12. num.* 18. & praxim multorum, talem deſignationem Scrutatorum per legem, ſeu conſtitutionem factam, & non ab ipſis, qui ſunt præſentes in capitulo, non cenſeri contrariam dicto *cap. Quia propter*. Quia *perſona deſignata per legem præſumuntur eſſe fide digna; ordinariè enim deſignari ſolent, quæ ratione muneris, vel antiquitatis digniores cenſentur, vel certè quia nunquam excluditur conſenſus tacitus, vel expreſſus præſentium in tali Congregatione, quia illis non negatur ius ſuſpicionem obiiciendi, ſi talem perſonam non reputent fide dignam*. Ita benè Suarez *ſuprà dicto cap. 5. num. 7.* quæ procedunt in præſenti, & maximè deſeruiunt ad intentum noſtrum. Fauet etiam Panormitanus in dictum *cap. Quia propter*. Quem etiam ſequuntur Tamburinus *d. quæſit. 6. num.* 6. & Layman. *de elect. cap. 7. quæſt.* 72. aſſerens, quod ſi tres aliqui inciperent ſcrutari, aliis videntibus, & tacentibus, electio valida eſſet, aliis ſeruatis, quia cum agatur de re meritoria, & concupiſcibili, ſicut eſt, vt per canonicam electionem Eccleſiæ viduatæ de Paſtore prouideatur, tacentes habentur pro conſentientibus, non item in re oneroſa, vel odioſa; tunc enim requiritur conſenſus expreſſus, vt in ſimili notant Gloſſ. *in cap. Sicut, eodem tit. in 6. annot.* Innoc. *in cap. in Geneſi, de elect.* & præfati Layman. & Tamburinus. Quæ doctrina probabilis eſt, quamuis Suarez ſuprà de ea dubitet. Ceſſat præterea omnis difficultas in præſenti, cum præfata Conſtitutio Sorethi facta ſit, & confirmata authoritate Apoſtolica Clem. VII. qui potuit hoc modo explicare mentem dicti *cap. Quia propter*.

Sed ad maiorem abundantiam, ſuppoſito quod verum eſſet id, quod Patres oppoſitores capituli opponebant, ſcilicet tantùm fuiſſe vnum Scrutatorem in electionibus ipſius, quod tamen falſum eſſe diximus, adhuc tamen probabile eſt, ſuſtineri poſſe prædictas electiones, ſi cum dicto vno Scrutatore duo alij teſtes aſſiſterent, qui viderent vota, ne fieret aliqua fraus. Primò ex declaratione Sac. Congregationis, quam refert Barboſa *cap. 6. ſeſſ. 25. de Regularibus*, videlicet *in electione Abbatiſſarum vota oretenus accipi poſſunt a Superioribus cum duobus teſtibus*. Per quod denotatur, numerum Scrutatorum ſuppleri poſſe per teſtes. Nec obſtat alia declaratio eiuſdem S. Congregationis huic contraria, quam refert Garxia *ſuprà, n.* 191. quia, vt ipſe Garxia teſtatur, procedit ſolùm quando teſtes adhiberentur, per quos poſſet publicari electio. Secundò id colligo ex alia declaratione S. Congregationis, quam refert Peyrin. *in Formul. littera E, cap. 3. num. 1.* vbi conſuetudinem ſuæ Religionis, quod in electionibus ſolum ſit vnus ſcrutator 64

Digitized by Google

tor, dicit approbatam eſſe à S. Congregat. reſpondente, quod Religio continuaret in dictu modo eligendi. Tertiò, quia opinio eſt aliquorum, ſcilicet Vincentij Tancredi, Abbatis antiqui *num.* 17. Mandagot. *de e elt. cap.* 53. *verbo Irritari.* Aſſerentium ſubſtantialia formæ *cap. Quia propter*, non incipere à verbis illis, *aſſumantur tres de Collegio*, ſed à verbis immediatè ſequentibus, *qui vota cunctorum ſecreto, & ſigillatim diligenter exquirant, &c.* Ex hac enim opinione ſequitur, quod etiamſi vnus tantum Scrutator in electionibus fuerit, maximè ſi fuerint etiam duo alij teſtes, vt dictum eſt, non propterea irritæ ſint, Quartò, id expreſsè tenet ipſe Peyrinis ibi, & fauet Portellus *in Dub. Regular. verbo Electio, num.* 14. dicens non eſſe de ſubſtantia electionis, quòd Scrutatores ſint tres, dummodò adſint, qui ſufficiant ad fraudem impediendam. Quintò ratione, quia iuxta dicta *tom.* 4. *verbo Leges Regularium*, *num.* 36. in legis interpretatione attendendum eſt, ad mentem, ſeu intentionem legiſlatoris, ea enim eſt veluti anima legis, provt ibi ex variis teſtibus oſtendi. Cum autem intentio Eccleſiæ in dicto *cap. Quia propter*, in deſignandis tribus ſcrutatoribus ſolùm fuerit, vt negotium electionis fideliter, & faciliùs peragetetur, provt tenet Sigiſmund. *ſupra, dub.* 19. *num.* 1. Barboſa *in Collect. DD. in d. cap. Quia propter, num.* 13. ex Hoſtienſi, Petro Biaxio, Butrio, & Bertrando, idque ſaluetur cum vno ſerutatore, & duobus teſtibus, qui videant ne ſiat aliqua fraus, ideo hoc videtur ſufficere.

65 Dixi autem ſolùm probabile id eſſe, quia in praxi tenenda eſt communis ſententia, docens tres Scrutatores, & non pauciores, adbiberi debere in electionibus Regularium, provt tenent Panormitanus, Imola, Baldus, Ioannes Andreas, Butrius, Hoſtienſis, Cardinalis, Ancharanus, Gofredus, Hoſtienſis, Petrus Biaxius, Bertrandus, Rebuffus, Angelus, Syluester, Tabiena, Roſella, Azor, Rodriguez, & alij, quos referunt, & ſequuntur Sigiſmundus *dict. dub.* 19. *num.* 1. Tamburin. *d. quæſt* 6. & Barboſa *ſuprà.*

66 Idem porrò quod dixi de vno ſerutatore (ſeu etiam de duobus tantùm) intelligi etiam debet de pluribus quàm tribus, ita ſcilicet, vt quamuis communis opinio, quod tantùm in electionibus futuri ſint tres ſerutatores, provt Authores relati ſupra tenent, cui fauent plures Sacræ Rotæ deciſiones, in praxi tenenda ſit; nihilominus tamen probabile videtur, conformiter ad dicta *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *n.* 28. quod ſi quatuor Scrutatores fuerint, non propterea electiones irritæ erunt. Primò, propter declarationes Sac. Congregationis, quas ex Suarez eo loco adduximus, quæ videntur eædem, vel ſimiles cum illis, quas *ſupra num.* 61. retulimus. Secundò, propter doctrinam Gloſſæ in dicto *cap. Quia propter, verbo Senior*, quæ talis eſt, *Quòd tres tantùm debeant eſſe Inquiſitores, non credo eſſe de ſubſtantia, dummodo tot ſint Inquiſitores quod fraus fieri non poſſit. Argum. ſuprà eodem, tum dilecti. Quia qui plus facit, non videtur facere contra, ff. de ſeru. vrb. præd. Si arborem. Et ſuperflua non vitiant, neceſſaria vero prætermiſſa diminuunt contractum. Codic. de teſtament. l. teſtamentum. ff. de ſup. leg. legatus in prin ip. & l. Labeo.* Hæc Gloſſa. Tertiò, quia, vt habet Laymanus *dict. quæſt.* 78. referens Abbatem, probabile eſt, & vſu receptum, quod Capitulum communi conſenſu alios viros idoneos præter dictos tres ſcrutatores ad prædictum ſcrutinium faciendum adhibere poſſit. Quartò, quia, vt dicitur, in Curia confirmata fuit electio Abbatis Tullenſis, licet in ea fuiſſent electi ſex ſcrutatores, provt ex Mandagotio, Boerio, Menochio, & Cardinali referunt Sigiſmundus *d. dub.* 19. *num.* 8. & Barboſa *num.* 15. Non conſtat autem an talis electio approbata fuerit ex benignitate Apoſtolica, an quia de iure poſſet ſuſtineri. Quod magis ſuſtineri poteſt, ſi electiones fiant per ſchedulas ſcriptas, ita vt nec nomina eligentium pateant Scrutatoribus, provt diximus ſuprà fieri debere, ſaltem, vt tutius, & ſecurius. Tunc enim nec contra ſecretum electionum, nec contra earum fidelitatem, quod eſt intentum *cap. Quia propter*, aliquid fiet.

Id quoque vltimò addendum, quod licet diſpoſitio *cap. Quia propter*, ſeruanda ſit in omnibus electionibus Prælatorum Regularium, etiam Conuentualium, iuxta dicta *ſupra verbo Electio inter Regulares, num.* 1. nihilominus tamen ad intentum noſtræ Religionis, iuxta dicta *ſupra verbo Prælatus Regularis, n.* 2. quando priores Conuentuales eliguntur non à Conuentibus ipſis, ſed ſolùm à Diffinitorio in capitulo Prouinciali, non videtur neceſſaria talis forma, eo quòd tunc non eliguntur dicti Priores ab Eccleſiis viduatis, ſeu à Collegiis ipſarum, de quibus ſolùm loquitur *cap. Quia propter*, ſed à Præſide Capituli, & Prouinciali electo cum ſuis Aſſiſtentibus, ſcilicet Diffinitoribus. Præſertim, quia diſpoſitionem prædicti *cap. Quia propter*, non procedere quando Electores ſunt pauci, provt contingit in præſenti, quia illi ſolùm ſunt quinque, aut ſex, tenent non ſolùm Layman, eo loco relatus ex Gotfrido, & Abbate, ſed etiam Tamburinus *d. quæſt.* 6. *num.* 8. poſt Innocent. Angelum, & Sylueſtrum. 67

Dvbivm Octavvm.

An electiones Priorum factæ in dicto Capitulo, & non in Conuentibus, validæ fuerint.

OBiiciebant maximè prædicti Patres oppoſitores contra præfatum Capitulum, quod in Diffinitorio ipſius, quod vt dixi *ſuprà dub. præced. num. vlt.* conſtat ex Præſide Capituli, Prouinciali electo, & quatuor Diffinitoribus, factæ fuiſſent electiones Priorum Conuentuum, ex quo illas irritas, & nullas eſſe exiſtimabant, quia dicebant ſolùm in Conuentibus, & à Fratribus ipſorum fieri poſſe. 68

Sed primò quidem, etſi admitteretur (quod omnino negamus) tales electiones inualidas eſſe, non propterea inde ſequeretur Capitulum ipſum, in quo factæ ſunt, irritum eſſe, aut inualidum. Tales enim electiones ſolùm ſunt actiones quædam Capitulares particulares. Deinde, legitimas omnino, & validas eſſe ex eo colligitur, quòd factæ fuerint iuxta Conſtitutionem antiquam Ordinis approbatam à Clemente ſeptimo, imò iuſſu ipſius factam, correctam, ſeu emendatam inter alias Ioannis Sorethi per Nicolaum Audeth, & Diffinitores Capituli generalis Venetiis celebrati, iuxta dicta *ſupra dub. præced. num.* 55. In prædictis enim Conſtitutionibus 5. *part.* dum agitur de electione prouincialis, cap. 10. (quod eſt de proceſſu Capituli Prouincialis, & terminatione eiuſdem) ſic habetur. *Volumus, quod Prouincialis cum Diffinitoribus liberè poſſint abſoluere Priores locales, & cæteros officiales, quorum inſtitutio ex conſuetudine, aut aliàs ad Prouincialo ſpectat Capitulum, ſeruato illæſo indulto Apoſtolico in fauorum obſeruantiæ dato, quia Fratribus in obſeruantia efficaciter viuere ſtudentibus, non poterunt Priorem daro alium ab eo, quem elegerunt, ſed habebunt confirmare. In cæteris autem poterunt ipſos Priores inſtituere, provt eis videbitur expedire.* His enim poſterioribus verbis manifeſtè conceditur Prouinciali, & Diffinitoribus, ſeu (quod idem eſt) diffinitorio, poſſe inſtituere Priores in aliis Conuentibus 69

Digitized by Google

uentibus prætec illos, de quibus loquitur Indultom Apoſtolicum, ac per conſequens infertur Diffinitorium præfati Capituli validè, & licitè potuiſſe eligere Priores Conuentuum. Indultum autem Apoſtolicum, de quo eſt ſermo in dicta Conſtitutione, non comprebendere conuentus Prouinciæ Caſtellæ, in qua celebrarum fuit præfatum Capitulum, conſtabit ea dicendia iofra.

70 Nec obſtat ſi dicatur, quod io Conſtitutionibus poſterioribus Ioannis Caſſardi de Senia *pars.4.c.19. n.1.* videatur correcta præfata Conſtitutio. Dicitur enim ibi: *Volumus quod Prouincialis cum diffinitoribus liberè poſſint abſoluere Priores locales, & cæteros officiales, quorum inſtitutio conſuetudine, aut aliàs ad prouinciale ſpectat capitulum, ſeruato illæſo indulto Apoſtolico in fauorem regularis obſeruantiæ dato, vt in conuentibus ſcilicet, in quibus extat vetuſta, & laudabilis conſuetudo, quod Priores ab eorum Gremialibus eligantur, non alius inſtituatur prior, ſed illum, quem ipſi Gremiales elegerint, prouinciales, & diffinitores habeant confirmare.* Tum ptopter dicta *ſup.dub.præced.num.* 57. ſcilicet, quod cum prædicta conſtitutio Ioannis Soreth facta ſit ea mandato Sedis Apoſtolicæ, corrigi, aut abrogari non potuit ex ſola authoritate religionis. Tum etiam, quia ea eo quod ibi dicatur, quod *abſoluere poſſint priores, quorum inſtitutio ſpectat ad capitulum, non autem illos qui ex conſuetudine ab eorum Gremialibus eligi ſolent*, colligitur in præfato capitulo potuiſſe Diffinitorium ipſius eligere præfatos Priores, ex eo videlicet quod io dicta prouincia fuerit talis conſuetudo. Eaſtare autem illam reſtantur patres ipſius Prouinciæ in Actis autheuticis præfati capituli, §. *Sancitum eſt*. Item patres compromiſſarij, ſeu commiſſarij pro conditionibus vnionis Peouinciarum Caſtellæ nouæ, & veteris in vnam Prouinciam Caſtellæ, de quibus *ſup.dub.5.num.*38. In eis enim *cap.2.n.1.* eaprefsè aſſeritur, fuiſſe antiquam conſuetudinem Prouinciarum faciendi Priores in Diffinitorio Capituli Prouincialis. Item Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Hieronym. Dommim Epiſcopus Gaetanus, qui in litteris teſtimonialibus ad Eminentiſſ. Cardinalem Protectorem miſſis, etiam ſub iuramento atteſtatur, qualiter in Ordine noſtro (ex quo ad Epiſcopatum fuit aſſumptus,) tam in partibus Hiſpaniæ, quàm in aliis, in quibus diuerſa muoia pro religione egerat, ſemper viderit, & audierit, electiones Priorum fieri in Diffinitoriis Capitulorum Pronincialium, etiam poſt Conſtitutionem editam anno 1626. Quod etiam in Prooinciis Italiæ, & aliis Religionis contingere teſtantur per litteras teſtimooiales eidem Eminentiſſimo porrectas, Reuerendiſſimus Vicarius Generalis Apoſtolicus, & Reuerendus admodum Sebaſtianus Maſſius Prouincialis Romæ, ac Reuerendi admod. Magiſtri eiuſdem Prouinciæ Exprouinciales, Ioannes Antonius Philippinus, & Gregorius de Marchis.

71 Secundò, validas fuiſſe prædictas electinnes Priorum conſtat ea eo, quod factæ fuerunt ex vi Conſtitutionis, ſeu Statuti à Reuereodiſſimo Generall Chizzola edito auctoritate Apoſtolica Clement. VIII. in Breui, *Cum eu props diem*; vbi facultatem ipſi conceſſit faciandi quaſcunque couſtitutiones. Conſtitutio autem, prout habetur in cap. 10. dictarum Conſtitutionum, talis eſt. *Poiorum electiones deinceps non fiant niſi à Capitulo Prouinciali. Ita enim exiſtimamus Fratres noſtros maiori cum quiete Domino ſeruire, & à multis moleſtiis, & iniuriis liberari, quibus, & verbo, & facto aliqui Priores indiſcreti afficere ſolent eos, quos in prædicta electione ſibi ſuffragia non dediſſe, vel leuiter ſuſpicantur; vtque etiam ſubornationis occaſio tollatur, & tumultus, & factiones, & fraudes, & alia, quæ in eiuſmodi electionibus ſolent euenire plerumque, quæ maximam pacium perturbationem, penitus extinguantur.*

72 Tertiò, ea nouiſſima Formula celebrandi Capitula Prouiucialia, de qua *ſuprà num.* 7. quam Reuerendiſſ. Generalis Stratius typis edi curauit Neapoli 1635. & quæ mittitur ad Præſides Capitulorum, vt iuxta eam Capitula celebrari faciant, & de qua ipſe Generalis Theodorus in ipſa Formula dicit: *Neceſſarium duximus breuem hanc* tradere methodum à noſtris Præſidentibus in celebrandis capitulis obſeruandam, quamque Reuerendiſſimus Generalis Maſſarius litteris teſtimonialibus datis 17. Iunij 1643. etiam ſub iuramento teſtatus eſt eſſe vniuerſalem formulam in tota religione obſeruandam. In ea autem §.15.39. 40. 43. & 44. manifeſtè præſcribitur, & ſupponitur, electiones Priorum fieri debere in Diffinitorio Capituli.

73 Nec obſtat primum caput Regulæ noſtræ, in quo dicitur, *Vnum ex vobis Priorem habeatis, qui ex vnanimi omnium aſſenſu ad hoc officium eligatur.* Euidens enim eſt, loqui ibi Regulam de electione Prioris Generalis: tum quia Beatus Brocardus, cui Regula data eſt, vt patet *cap.* 17. ipſius, illis verbis: *Tu autem Frater Brocarde*, Prior Generalis totius Ordinis fuit, vt noſtri Ordinis Hiſtorici communiter tenent, ſpecialiter Ioannes Paleonydorus *lib.3.cap.* 2. Didacus Coria Maldonatus *in Chronicis Carmelitarum, lib.10. c.3.* Michael Muñoz *in propugnaculo Eliæ, lib.2.tit.3. cap.1. art.* 2. Tum quia id colligitur ex ipſo *cap.* 1. Regulæ, etenim poſt illa verba, *ad hoc officium eligatur*, ſubiungitur, *cui obedientiam promittat quilibet aliorum, &c.* Conſtat autem certò religioſos noſtros nunquam promittere obedientiam Priori locali, ſed ſolùm Priori Generali, vt patet ex verbis profeſſionis illorum. Tum denique, quia hic eſt vſus, praxis, conſuetudo, acceptatio, & ſtylus totius religionis, vt Priores Generales ſemper eligantur à Fratribus, locales verò, vel ab ipſo Generali ſolo, vel à Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali. Quod ſaltem de Conuentibus paruis, & non habentibus octo voces admittebant aduerſarij Patres, & Conſtitutiones, quas ipſi afferebant; cum tamen verba Regulæ ad omnes Conuentus extendi deberent, ſi de electione Priorum localium in illis eſſet ſermo. Conſuetudinem autem, ſeu acceptationem Religionis attendendam eſſe ad obligationem Regularum, ſicut ad obligationem aliarum legum Eccleſiaſticarum, habetur ex Abbate, *cap. nam concupiſcentiam, num.4. de Conſtit. & Rubric. de obſeruat. ieiun. in fine, & capit. relatum, num.6. ne Clerici, vel Monachi*, ex Syluestro *in Summa verbo Religio 1. quæſt.8. in fine*, & Sanch. *lib.6. in Decalog. cap.4. n.* 23. & 27.

74 Idem dicendum ad Ius commune, quod iidem Patres afferebant, eo quòd ea illo haberi videatur electionem Abbatis ad Monaſterium pertinere. Eſto enim ita ſit, iuxta dicenda infra *num.* 86. conſuetudo tamen noſtræ, & aliarum Religionum, quæ eſt optima legum interpres, *cap. cum dilectus, de conſuetud. l. ſi de interpretatione, ff. de legib.* accedentibus Conſtitutionibus authoritate Apoſtolica factis, & Decreto Reuerendiſſimi Generalis Stratij *n.* 71. relatis, prædicto Iuri communi ſufficienter derogauit.

75 Eaplodenda pariter eſt obiectio alia quam Patres aduerſarij ſumebant ex Breui Caliari tertij, in quo dicitur, Conuentus reformatos eligere ſibi debere Priores. Nam, vt conſtat ea ipſo Breui, quod etſi non extet, refertur tamen in alio Pauli ſecundi, quod habetur in Marimagno Ordinis, & ipſum Maremagnum extat apud Rodriguez *in Bullario, tom.1. Bulla* 57. tam ipſe Caliatus, quam Pius II. & Paulus II. ibi relati, loquuntur de Conuentibus

ſtrictioris & ſpecialiſſimæ Obſernanriæ, ac Reformationis, quales ſunt aliqui Prouinciæ Bœticæ, & Luſitaniæ in Hiſpania, plurea etiam in Prouinciis Italiæ, Galliæ, & Flandriæ, non autem in Prouincia Caſteliæ, prout Reuerendiſſimus Generalis Maſſarius declarauit Eminentiſſimo Domino Cardinali Protectori. Idqoe loce clariùs colligitur ea dicto Breui. Loqoitur enim de illis Conuentibus Reformatis, qui noo poſſuot per Vicarium Prouincialem viſitari, ſed perſonaliter per ipſum Prouincialem, & de Conneoiibus, in quibus Priores dum eliguntur, promittunt tam confirmanti, quàm Cunueotibus ipſis, fideliter obſaruare, & obſeruari facere Regulam Ordinis, quæ omnino ioaudita ſuut in Prouinciæ Caſtellæ conuentibus.

76 Aliam quoque obiectionem ex nouiſſimis Conſtitutionibus Gregorij Canalis *part.4.cap.19.num.2.& part.a.cap.2.num.4.* vbi babetur electiones Priorum Conuentuum maiorum, in quibus ſcilicet de familia fuerint vltra Priorem octo Fratres vocem, & locum habentes, debere fieri ab ipſis Conuentibus, quam Patres oppoſitores aſſerebant contra electiones Priorum in Diffinitorio, prorſua ioaoem eſſe faciiè oſtenditur. Primò quidem, quia ea Conſtitutio, vtpotè, noua, & non facta in Capitulo generali, ad qood ſolùm pertinet condere leges generales, non fuit recepta in Religioua, vt conſtat euidenter in Prouinciis Italiæ, & aliarum Nationum. Eſto autem, qood in Prooinciis Hiſpaniæ aliquando eaecotioni mandata fuerit, non tamen ſamper, ac proinda noo fuit in viridi obſeroantia. Conſtitotionem aotem, ſeu legem bumanam noo acceptatam, generaliter non obligara, ſaltem ex eo quod legiſlator bumanos eſto poſſit, non tamen præſumitur velle obligare populum reſiſtentem ſuæ legi, colligitor ex *cap. in iſtis, diſtinct.4. & ex l. de quibus, ff. de leg.* De qno Nauarrus *lib.1. Conſilior. tit. de conſtitut. conſ.1. quæſt.5. & in Man. cap.* 13. *num.* 41. Rodriguez *tom.1. quæſtionum Regular. quæſt.6. art.* 10. Toletus *in c.8. cap.*18. Azor. *tom.1. Inſtit. lib.5. cap.4. quæſt.* 1. Valentia *t.2. diſp.7. quæſt 5. punct.5.* Naidus *in Summa, verbo Lex, num.*9 Sanchex *lib.3. de Matrimon. diſput.*18. *num.* 1. & alij plures, quos ſequutus ſum 4. *tom meæ Summa, verbo Leges Regularium, num.*16. & 17.

77 Secundò, infirma eſt prædicta Conſtitutio, eo quòd, dato quod recepta eſſet, ea oon potuit abolere conſuetudinem immemorialem, quæ ſemper fuit etiam in Prouiociis Hiſpaniæ, ante aooum 1626. quo facta fuit, faciendi electiones Priorum in Diffinitorio Capituli, & non in conuentibus. Etenim, iuxta veriſſimam doctrinam Doctorum, conſuetudo immemorabilis, cum ſit priuilegiatiſſima, tantæ firmitatis, & roboris eſt, vt nullo modo abrogetur per legem contrariam, niſi id exprimatur in ipſa, quod nullatenus fit in præfata Conſtitutione. Couarruuias *lib.5. variar. reſolution. cap.13. num.5.* Naidus *ſuprà verbo Conſuetudo, num.* 21. & alij plures. Fuiſſe autem talem conſuetodinem in Prouincia Caſtellæ conſtat ea dictis *ſuprà num.*70.

78 Tertiò, quia eſto quod talis conſtitutio recepta eſſet, & poſſet abrogara conſuetudinem immemorialem in contrarium, non tameo poſſet abrogare conſtitur. illas antiquiores Ioan. Soreth, & Generalis Chizzolæ, da qnibua *ſuprà num.*69. & 71. Tum quia eæ fuerunt authoritata Apoſt. factæ, ac per conſequens maioris roboris, & firmitatis, quàm quod poſſent à lege ordinaria authoritate, & oxtra Capitolum Generale facta abrogari. Quia, vt dixi 4. *tom. verbo Leges Regul. num.*35. lex generalis non extenditur ad ea quæ ſpecialiter prouiſa ſuot. Sancbex *lib.* 2. *de Matr. diſp.*24. *num.*6. & *lib.*7. *in Decal. cap.* 7. *num.* 34. Naldus *in Summ. verb. Lex, num.*18. Theſaur. *in Praxi, part.2. verbo Munera, cap.*10. *num.*6.

79 Quartò, quia etiam dato, quod præfata conſtitutio nullum ea prædictis defectibus haberet, adhoc tamen non propterea ſeqneretur electiooes prædictae Priorum factas contra eam fuiſſe irritas, aut nollas. Etenim io dicta Conſtit. nulla eſt clauſula irritans, aut caſſans electiones aliter factas, nec in ea traditor forma ſubſtantialis talis electionis, nec apponitur pœna irritationis, aut caſſatioois, aut alia quantumuis minima contra tranſgreſſores ipſius, quod eſt ſignum ſolùm eſſe legem ſimpliciter præceptiuam, nullo autem modo irritatiuam actus contrarij. Imò ſi rectè expendatur, neque lex præceptiua videtur, ſed ſolùm permiſſiua, ſolùm enim in ea dicitur poſſe conuentus primarios ſibi eligere Priores. Legem autem ſimpliciter permittentem, aut prohibentem actum, nec præſcribentem formam ſubſtantialem illius, non irritare ipſum, dixi dicto *verbo Leges Regul. num.*45. ex trito illo, *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Gloſſa *in cap. penult. de deſponſat. impuber.* Suarex *de legib. lib.5. cap.19. n.1.* Porrellus *in Dub. Regul. verbo Lex, num.* 9.

80 Denique quintò, quia Conſtitutio illa, ſi quomodolibet obligare poterat, diſpenſata fuit, tum per Illuſtriſſ. Dom. Nuncium Hiſpaniarum, nunc Eminentiſſimum Dom. Cardin. Fachinettum: tum etiam ad maiorem abundantiam per Reuerend. Generalem Stratium, provt conſtat ex litteris ab ipſo miſſis ad Magiſt. Orbeam Præſidem Capituli, & Magiſtrum Nauarrum Prouincialem, quas apud ſe habent, & quarum copia in Regiſtro litterarum pro Hiſpania habetur, quod eſſe authenticum agnouit Reuerend. Generalis Maſſarius.

81 Nec obuiat, quod Patres aduerſarij dicebant, videlicet, Generalem non potuiſſe diſpenſare in dicta Conſtitut. per litteras miſſiuas, aut familiares, ſed tantùm per litteras patentes. Vt enim Reuerendiſſimus Generalis Maſſarius & R. Adm Magiſter Franciſcus Montius Prouiocialis Saxoniæ, & Secretarius Ordinis, ac R. Ioannes de Colonia Secretariæ Coadiutor, & Amanuenſis, teſtantur in litteris teſtimonialibus perilluſtri Domino Ludouico de Gratiæ Eminentiſſ. D. Protectoris Auditori oſtenſis, Reuerendiſſ. Generales Ordinis, iuxta ſtylum, & praxim Ordinis (quæ proculdubio legem faciunt) ſoliti ſunt, iuxta temporis, locorum, & negotiorum indigentiam ſuper Conſtitut. diſpenſare, non ſolùm per litteras pateotes, verùm etiam per litteras familiares, & miſſioas, & quod talibus diſpenſationibus per prædictas litteras miſſiuas, & familiares factis, fides adhiberi ſoleat à noſtri Ordinis Religioſis, ſicut ſi per litteras Patentes datæ eſſent.

82 Minùs etiam obſtat, quod Aduerſarij obiiciebant, ſcilicet talem diſpenſationem exhibitam non eſſe in Capitulo Prouinciali. Etenim ſine fundamento id aſſerebatur; cùm Magiſter Orbea Præſidens Capituli, & Magiſter Nauarrus Exprouincialis, qui eam habebant, eam propalauerint non ſolùm aliis Patribus Diffinitorij, ad quos ex conſuetodine Prouinciæ, Conſtitutionibus aothoritate Apoſtolica factis, & formula celebrandi Capitula Prouincialia à Reuerendiſſ. Generali edita, vt præmiſſum eſt, id ſpectabat; ſed etiam Conuentibus ipſis, ad quos Magiſter Nauarrus Prouincialis in Litteris vocatoriis ad Capitulum ſcripſit, ne procederent ad electiones Priorum, quia faciendæ erant in Diffinitorio. Vltra quod præſumitur, quod fuerint productæ Litteræ talis diſpenſationis, dum nullibi probatur talis negatiua non productionis; ea quo enim facta fuit electio, & acceptata ab omnibus, præſumitur

Digitized by Google

mitur omnia præceſſiſſe, quæ requiruntur pro validitate electionis, vt letiſſimè firmat Rot. *in Recent. dec.289.num.26.part.6.* & in Toletena *Canonicatus Pœnitentiariæ*, 25. Iunij 1640. coram D. Coccino. Caſu autem dato, & non conceſſo, qood prædictam diſpenſationem conuentibus præfati Patres magiſtri non oſtendiſſent, cùm conuentus eiſdem, vt par erat, fidem in hoc adhibuerint, proculdobio ceſſerunt iuri ſuo, ſi quod habebant, eligendi ſibi Priores, maximè cum non reclamauerint, contradixerint, aut aliquid proteſtati fuerint. Ex qoo proinde talium Priorum electio ad Capitulum Prouinciale, ſeu Diffinitorium, iure deuoluta fuit.

83 Infirmum velde quoqoe erat id, quod dicti PP. aduerſarij objiciebent, ſcilicet neceſſarium fuiſſe, quod in electione talium Priorum declararetur eam fieri in vim telis diſpenſationis. Primò, quia non coostat id omiſſum fuiſſe, etſi in Actis Capituli Romam miſſis, quia non omnia in Capitulo geſte in illis referuntur, nihil de hoc habeerit. Et ſanè, ſi id neceſſarum fuit, à viris illis doctis prætermiſſum non credendum, vel ſaltem interrogandi erant, quo titulo id fecetint, & ipſis credendum, quie vbi ille qui eſt cauſa efficiens, & formalis, interpretatur ſeipſum, non eſt opus extraneo interptete, ſeu extrinſeco intellectu, *l.cum de indebito, §. fin.ff.de probat.l.ex facto,ff.de vulgari, cap. inter alia, de ſenten. excom.* Baldus *conſ.* 458. *num.*2. *vol.* 3. *& in authent. niſi rogatus, num.*9 *C ad Trebell.* Bart. *in l.pro herede, num.*3. *ff.de acquir. hered.* Tiber. Decian. *conſ.* 7. *à num.* 500. *volum.*1. Idem Bald. *conſ.*313. *num.*1.*verſ.de animo autem ſuo interrogari quis poteſt, & ſtatur eius reſponſioni, volum.*3. Barboſa *in Votis deciſiuis Canonicis,lib.*1.*voto* 4. *n.*1.*&* 3. Secundò, quia cum electio talium Priorum de iure Ordinis pertineret ad Diffinitorium, propter conſuetudinem Prouinciæ, Conſtitutiones authoritate Apoſtolica factas, & Formulam celebrandi Capitula Pronincialia, de quibus ſupra, abſque dobio neceſſarium noo erat dicere, electiones talium Priorum fieri in vim talis diſpenſationis.

84 Pariter etiam eſt valde debile, quod aduerſæ partis Patroni obiiciebant, ſcilicet dictam diſpenſationem à Generali dari non potuiſſe, eo quòd electio Priorum per Conuentum ſit præſcripta in Regule, in qua Generelis diſpenſare non poteſt, cum ſit à Summis Pontificibus confirmata. Iam enim probaui *ſuprà num.*73. Regulam ſolùm loqui de electione Prioris Generalis, non verò Prioris localis. Addo, communiſſimum, & certum eſſe inter Doctores, poſſe etiam Prælatos diſpenſare in Regula, ſaltem pro particularibus caſibus. Angelus *in Summa, verb. Diſpenſatio, num.*8. Syluest. *in Summ. verb. Diſpenſ. quæſt.*14. Suarez 4.*tom. de Relig. Tract.*8. *lib.*2.*c.*12.*à num.*25 & alij communiter.

85 Talis porrò diſpenſatio, etſi neceſſaria non eſſet propter dicta, poſtulata tamen meritò eſt, & conceſſa à Generali, tum quia aliqui ex ignorantia credere poterant talem Conſtitutionem, etſi non legitimam, cum aliis tameo legitimis inſertam obligare. Tum ad pacandas conſcientias ſcrupuloſorum, & obſtruendum ore inquietorum, & ad maiorem, & abundantiorem cautelam, qoæ nulli nocere poteſt, & qua prodentiores Prælati vti ſolent. Cui conſonat praxis, & ſtylus Curiæ; ſæpè enim videmus à Summo Pontifice, & Sacris Congregationibus peti, & concedi ſolitas diſpenſationes, facultates, & licentias in caſibus non neceſſariis, ad oboiandum ignorantiæ, ſcrupulis, vel malignitati aliquorum. Ex quo ceſſat obiectio, qnam aduerſarij afferebant ea iſta diſpenſatione petita, & obtenta.

86 Obiectio etiam alia, quam præfati Patres non omittebent, ſcilicet quod electiones prædictæ Priorum debebant fieri à Conuentibus, & non à Diffinitorio Capituli, inſpecto iure communi, iem eſt reiecta *ſuprà num.* 74. Etſi enim id verum ſit propter *cap. primum de electione, & cap. congregatio* 15. *quæſt. vlt.* & alia Iura, ac Doctores, quorum plures refert Barboſa *in Collectan. Doctorum in d. cap.*1.*de elect.* nihilominus iuxta dicta *ſupra num.* 74. conſuetudine, vſu, & praxi noſtræ Religionis (ſicut & plurium aliarum Religionum) Conſtitutionibus authoritate Apoſtolica factis, & aliis relatis, oppoſitum habetur. Idque eſſe rationi magis conforme, propter magna inconuenientia, quæ ex electionibus ab ipſis Fratribus factis oriuntur, tenent doctiſſ. Nauarrus *Commentario* 3.*de Regularibus, num.*3.*§. ſeptimò confirmatur.* Perez *in Regulam S. Benedicti, cap.* 64. Suarez *tom.*4.*de Religione, tract.*8.*lib.*2.*cap.*7. *num.* 8. *& tractatu* 10.*lib.*10.*cap.*3 *à num.*5. vbi non ſine peculiari Dei prouidentie, & Spiritus Sancti inſpiratione hunc modum prouidendi Prælatos in Societatem Ieſu, ait eſſe introductum. Quibus fauent ex Patribus Baſilius, Chryſoſtomus, & Gregorius ab eodem Suarez relati. Iniurij ergo ſunt tum prædictis Patribus, tum toti Religioni noſtræ, in qua eſt more introductom, vt Priores locales eliter quàm à Fratribus Conuentuum eligantur, ij qui ſolùm volunt à Conuentibus eligi debere Priores, parum curantes de magnis incommodis, quæ ex eo oriri, vel ipſi teſtati poſſunt. Vnde Commiſſarij Apoſtolici (inter quos erat Generalis Stratius) deputati pro examine Statutorum Prouinciæ Turoniæ, quam perfectè reformatam innuit totus Ordo, limitarunt articulum, in quo dicta Prouincia ſtatuerat electiones Priorum fieri debere à Conuentibus, ita ſcilicet, vt poſſet Diffinitorium Capituli Prouincialis legitima de cauſa non confirmare Priorem electum à Coonentu, & tunc ſubrogandus in locum non confirmati eligeretur à Capitulo Prouinciali. Et licet pauci quidam contra dictam Prouinciam id humiliter acceptantem litem excitaſſent, contendentes huiuſmodi electiones remitti debere ad Conuentus; ſententie tamen in iudicio contradictorio data per Reuerendiſſimum Generalem Maſſarium, pronunciatum fuit, eas non Conuentibus remittendas, ſed à Capitulo Prouinciali faciendas. Quæ quidem ſententia vt æquiſſima fuit ab Eminentiſſ. Domino Protectore, & poſtea à S. Apoſtulica confirmata die 2. Iun. 1643.

Adiungebant etiem Patres eduerſarij electionem Priorum per Côueotus eſſe vnam ex conditionibus vnionis Prouinciarum, de quibus *ſuprà num.*18. Nam *cap.* 2. prædictarum conditionum *num.* 1. dicitur, quod Conſtitutio generalis, ſcilicet loquens de electione Priorum per Conuentus, relinquatur in ſuo vigore in poſterum. Sed hoc nihil ipſis ſuffragabatur, non ſolùm qoia id non ſtatuitur ibi per modum conditionis, ſed ſolùm per modum permiſſionis ſeu tolerantiæ dictæ Conſtitutionis, ſi, & in quantum valere poſſet. Sed etiam, quia ibi expreſsè dicitur, relinquendam eſſe dictam Conſtitutionem quoad diſpenſationem faciendam in ipſa ab habente legitimem poteſtatem ad id faciendum. Cùm ergo dicta Conſtitutio (qualiſcumque vigoris ſit) diſpeoſate fuerit pro Capitulo, de quo eſt controuerſia, à Domino Nuncio, & P. Generali Ordinis, vt dictum eſt ſuperiùs, ſine fundamento talem conditionem pro ſue parte adducebant. 87

Expendebant quoque, quod tam in dicta conditione, quàm in aliis diſpenſationibus ſuper præfate Conſtitutione datis dicatur id fieri *pro vna vice*, ex quo validum ſibi argumentum deſumere credebant, vt probarent legitimam eſſe. Sed & hoc infirmũ eſt. Nam cũ ea Conſtitutio, eſto inualida ſit, & incerta, 83

cum tamen reperiatur cum aliis legitimis Conſtitutionibus, ideo prudenter, modeſtè, & Religioſè, vt veri obedientes, ſolùm pro illa vice diſpenſationem poſtulare debebant, & Superiores, propter eandem rationem, ſolùm pro ſingulis vicibus eam concedere, ne ſe faciles oſtenderent in diſpenſatione legis quantumuis dubiæ. Præſertim, quòd iſto modo, inferiores maiorem ſubordinationem ad Superiores ſuos haberent, nec præcluderetur aditus ad ipſos, & ad Curiam pro aliis occaſionibus.

Decretum Eminentiſſ. Cardinalis Protectoris.

89 Rebus ergo diligenter, maturéque diſcuſſis, Eminentiſſ. ipſe Cardinalis cum Reuerendiſſimis aliquot Generalibus, viriſque grauiſſimis, die 18. Decembris præſens Decretum, ac difinitiuam ſententiam in hac cauſa promulgauit in Capituli, & electionum in ipſo factarum fauorem.

Die 18. Decembris 1633.

In Congregatione habita coram Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinali Ginetto Sanctiſſ. Dom. N. Vrbani Papæ VIII. Vicario, ac Religionis Carmelitanæ Protectore, in qua interuenerunt:

R. P. Magiſter Ioannes Baptiſta Berardus Generalis Fratrum Minorum Sancti Franciſci.

R.P. Magiſter Hippolitus de Monte, Generalis Religionis Sancti Auguſtini.

R. P. Magiſter Leo Bonfiliolus Vicarius Generalis Carmelitanorum.

P. Magiſter Dominicus Campanella Procurator Generalis eorumdem Carmelitanorum.

P. Ioſeph à Matre Dei Procurator Generalis Diſcalceatorum Carmelitanorum Congregationis Hiſpaniæ, & D. Ludouicus Gratia ab Eminentia ſua deputati ad dandum eorum votum ſuper nullitatibus oppoſitis contra electiones Prouincialis, Diffinitorum, & Priorum Carmelitani Ordinis factas in Capitulo Prouinciali, eiuſque Diffinitorio de menſe Maij 1642. in Ciuitate Valliſoletana Prouincia Caſtellæ, rebuſque aliis, &c. ſuper quibus pluries auditis, ac informantibus etiam in ſcriptis, Patribus Magiſtris Laurentio de Oſſorio, & Celedonio de Aguero, necnon R. P. Magiſtro Ioanne Baptiſta de Lezana Socio, & Aſſiſtente dicti R.P. Vicarij Generalis, ac dicti Capituli defenſore, illiſque maturè diſcuſſis, omnes fuerunt concordes in voto, dictas electiones impugnari non poſſe, & ſuper dictis nullitatibus illarum oppoſitoribus perpetuum imponendum eſſe ſilentium.

M. Cardinalis Ginettus Protector.

Loco † Sigilli. Felix de Loco Secretarius.

Motiua verò, ſeu cauſæ, aut rationes, quibus permotus Eminentiſſimus, cum Reuerendiſſimis 90 aliis, & grauiſſimis Conſultoribus præfatum Decretum edidit, non ſolum fuit, quòd nullitates contra præfatum Capitulum, & eius electiones prætenſæ, ſufficienter ex dictis euacuabantur, ſed etiam doctrina celeberrimi Doctoris Nauarr. qui *lib. 5. Conſil. de Iudæis, conſil. 1. num. 6.* dum quærit, quæ probatio ſit neceſſaria ad excludendum aliquem ab aliqua electione, hæc habet. *Reſpondeo, quod ad impediendam electionem videtur ſufficere ſemiplena probatio, arg. text. ſing. in c. præterea, il 2. de ſponſ. qui probat propter dictum vnius teſtis, & ſemiplenam probationem impedimenti affinitatis, impediendum eſſe matrimonium nondum contractum, ne contrahatur; ſi autem eſt iam electus, & confirmatus, requiritur plena probatio ad reiiciendum, & exauctorandum, arg. c. ſuper his, de accuſat. & pro vtroque facit d.c. quemadmodum, de iureiur. quatenus probat, quòd turpius eiicitur quàm non admittitur hoſpes.* Quam etiam doctrinam recipit Iulius Lauorius *ſup. d. c. 19. n. 121.* & fauet Rodrig. *tom. 1. Quæſt. Reg. q. 14. art. 3.* Accedebant etiam plurimæ tum Iuris, tum Iuriſtarum Regulæ. Primò illa, *Reus in dubio eſt abſoluendus, l. Arrianus, ff. de verb. obligat. c. ex litt. de probat. l. qui accuſare, C. de edend.* Secundò illa, *Reus eſt abſoluendus cùm actor minus probauit, §. commodum, Inſtit. de interdict. cap. ex litteris, de probat. l. qui accuſare, C. de eden.* Tertiò illa, *In dubio de validitate actus debet interpretari quod valeat. ff. de iniur. l. apud Labeonem, §. ſi communem, ff. de ſer. cor. l. ſi quis ſeruum, in fin.* Bart. poſt Gloſ. *in l. non ſolùm, §. ſed vt probari, in 1. column. in fin. ff. de oper. nou. nunc.* Bald. *in Rubric. C. de fid. inſtrum. 4. col. in verb. iuxta hoc quæritur.* Quartò illa, *Dubia in meliorem partem interpretanda.* Bertach. *in Repert. 2. p. verbo Dubium.* Quintò illa, *Poſſeſſoris conditio melior eſt in pari cauſa, c. in pari, de Regul. iuris,* vbi Dynus, & alij. Sextò illa, *Poſſeſſor etiam iniuſtus debet iuuari quando eſt expellendus, l. 1. in fin. & ibi* Bart. *in 1. not. Cod. ſi propter pub. pecun. l. fin.* & ibi Bald. *Cod. ſi per vim, vel alio modo, leg. memineris.* Septimò illa, *Cum iura partium ſunt obſcura, pro poſſeſſore iudicandum eſt. l. 2. C. de prob. l. fin. C. de rei vend. c. inter dilectos, de fide inſtrumentor.*

INDEX

INDEX RERUM MAGIS NOTABILIUM,

Quæ in Tertia, & Quarta Parte hujus Summæ, ſeu Operum Tomo Secundo continentur.

Prior numerus Paginam, poſterior verò marginales notas deſignat.

A

A, & *Ab*, dictiones ſignificantes terminum, quomodo accipiendæ: verbo *Dictio*. p.174 n.2. Abbatis nomen, quid importet: verbo *Abbas*. p.1. n.1. Abbatis nomen dignitatem importat. ibid. num.3. Abbates regulares ſunt verè Prælati. p. 2. n. 4. An nomine Ordinarij Abbates comprehendantur. ibid. n.5. An in Iubilæis, ſeu Bullis nomine Ordinarij Abbates veniant. ibid. Nomine Monachi in fauorabilibus venit Abbas, ſecus in odioſis. ibid. n.6. An etiam nomine Monialis veniat Abbatiſſa. ibid. De Abbatum prouiſione. p.2.n.7. & 8. Quinam dicantur Abbates benedicti, & qui non benedicti. ibid.num.9. De reſidentia in Eccleſiis. ibid. & ſeq. n.10. & 11. An vtantur Pontificalibus inſigniis. p.3.n.12.& 14. An aliqui vti poſſint habitu Prælatorum ſæcularium. ibid.n.13. Altare, & menſa quomodo paranda pro Abbate celebraturo. ibid.n.15. An poſſint deponi ab officiis, aut ipſis renunciare, & quomodo. ibid.n.18. An & quomodo poſſint fieri permutationes Prælaturarum. p.4. n.19. An fieri poſſint renunciationes in alterius gratiam. ibid. Abbatum cadauera quibus cæremoniis ſepelienda. ibid.n.20.

Abbatia quid ſit, verbo *Abbatia*. p.4.n.1. Quibus concedi poſſit in titulum, vel in commendam. ibid. A quo id fieri poteſt. ibid. Prouideri debet per electionem. ibid. n. 2. Non poſſunt eidem Abbatiæ præfici duo Prælati. ibid. n. 3. Nec è contra vnus Prælatus duabus Abbatiis. ibid.n.4. De Abbatia nullius Diœceſis. ibid.n.5.

Abbatiſſarum electio pertinet ad Moniales, verbo *Abbatiſſa*. p.5.n.1. Quas conditiones habere debent. ibid. In ætate Abbatiſſarum quis diſpenſet. ibid.n.1. De ipſarum electione. ibid n.3. De Præſide electionis Abbatiſſarum. ibid. num 4. Scrutatores an habeant vocem in tali electione. ibid. & ſeq. n. 5. Quot partes Monialium concurrere debent ad illam. p.6. n.6. Qui vocantur ad earum electiones, à quibus abſtinere debeant. ibid.n.7. Poſſunt Moniales iure communi compromittere electionem. ibid. n. 8. An Moniales deſcendentes ex maculato genere eligi poſſint in Abbatiſſas. ibid n.9. Electæ in Abbatiſſas qualiter, aut à quibus confirmandæ. ibid n. 10. A quibus benedicendæ. p.6. n 11. De Abbatiſſis ſolùm per triennium duraturis. ibid.n.12.& 13. An Abbatiſſæ poſſint diſpenſare cum Monialibus. p.7. n.14. An poſſint benedicere illas. ibid. n.15. An beneficia, vel Capellas conferre. ibid.n 16. Quomodo dicantur ſuſpendere Clericos. ibid. An, & quomodo habeant adminiſtrationem bonorum ſui Monaſterij ibid n.17. Vbi, aut quomodo ſepeliendæ. ibid. n.18.

Abortus, ſeu aborſus, quid ſit, verbo *Abortus*. p.7. n. 1. Quid ſtatuerint Sixtus V. & Gregor.XIV. ibid & ſeq. n.2. & 3. De procurante, vel conſulente abortum. p.8. & ſeq. n.4.5.& 6. A quo abſolui poſſit. p.9. n.7. & 8. An hæc excommunicatio non incurratur, niſi effectu ſequuto. ibid. num.9. Animatio fœtus quâ die contingat. p. 10. n.10. Quas pœnas incurrat mulier ipſa prægnans abortum proprium procurans. ibid.n 11. An aliquando liceat ipſi abortum procurare. ibid n.12. Quando viri abortum procurantes incurrant irregularitatem. ibid. n. 13. An Prælati Regulares ſuper hac irregularitate diſpenſent. ibid num.14. Quas pœnas incurrant Clerici, vel Regulares, qui ſunt cauſa abortus. ibid. & ſeq. num.15. 16. 17.18. 19. 20. & 21.

Abſolutio non poteſt dari ſola mente, aut animo: verbo *Abſolutio*. p.11. & ſeq. n.1. Quæ ſit forma abſolutionis à peccatis. ibid.p.12. Quæ ſit forma abſolutionis à cenſuris. ibid. An ſolis illis verbis *Abſoluo te*, abſoluantur peccata, & cenſuræ, p.12 n 2. An requiratur expreſſio nominis Cenſuræ, à qua quis abſoluitur. ibid. n.3. An requiratur expreſſio cauſæ propter quam incurſa fuit cenſura. ibid. n.4. Vna cenſura auferri poteſt ſine alia. ibid. n. 5. Secus de peccatis mortalibus. ibid Quando poſſit dari abſolutio cenſuræ extra Confeſſionem. ibid. n.6. Quid importet verbum illud, *In foro Conſcientia*. ibid. Quid illud, *In foro Pœnitentiæ*. ibid. Quid illud, *Iniunctâ, ſeu peractâ Pœnitentiâ* ibid. Abſolutus à cenſura ſolùm in foro conſcientiæ, qualiter ſe gerere debeat. p.13. num.7. Qualiter abſolutio publica impendenda. ibid.num.8. An ſatisfactio partis læſæ præcedere debeat. ibid. n.9. An ea ſit de ſubſtantia abſolutionis. ibid. Quid de abſolutione *In foro Conſcientia*. ibid. An abſolutionem ab excommunicatione præcedere debeat iuramentum. ibid. num.10. Quale ſit hoc iuramentum, & à quibus petendum. ibid. An abſolutio peccatis, vel cenſuris dari poſſit ſub conditione. ibid. n.11. Abſolutio cenſuræ debet eſſe voluntaria, non coacta. p.14. n. 12. Quid requiratur ex parte abſoluentis ad

valorem abſolutionis. ibid.n.13 & 14. Innims & abſens an poſſit abſolui à peccatis, vel à cenſutis. ibid. n.15. & 16. Clauſula, *Abſoluentes ab excommunicatione, &c.* quæ ſolet poni in reſcriptis Papæ, quantùm valet, verbo *Clauſula.* p.111.n 7.

Abſque, dictio, an ſemper imporret excluſionem. Verbo *Dictio.* p.174. n.4.

Accumulatiuè, dictio quid ſignificet. Verbo *Dictio*, p.174. n.4.

Abbates aliqui conferunt minores Ordines, & prlmam Tonſuram, verbo *Ordines Sacri.* p. 481. n. 6. Qui ſint rales. ibid. Quibus ea conferont. ibid. Quomodo. ibid. Quid ſi habeant dicti Abbates aliquod impedimenrum. ibid. n.7. Viſitare debent Monaſteria: verbo *Viſitator Regularis.* p.589. n.a. Ibid. Quo inre ad id reneantur. ibid.uum.3. Aliqui eorum babent vſum Mitræ : verbo *Mitra.* p.414. n a.

Abbatiſſarum electionnm Præſes : verbo *Præſes Capitulorum.* p.499.n.10.

Abiurantes in officio S. Inquiſitionis an admitti poſſint ad Religiones, vel officia ipſarum: verbo *Neophytus Regularis.* p.444.n.13.

Abſentia Prælatorum à ſuis Monaſteriis, quanta permittatur : verbo *Reſidentia Prælatorum Regularium.* p.533. n.2.

Abſentinm vota non ſupplenda in electionibus. *in Relectione.* p.605. & ſeq. n. 42. & ſeqq.

Abſolutiones concedi ſolitæ à Viſitatoribns tempore Viſitationnm, verbo *Viſitator Regularis.* p.591. n. 16. Abſolui à quibus, & in quibus poſſint Nouitij, verbo *Nouitij, & Nouitia.* p.457. n.36.

Abuſu quomodo tollantur priuilegia Regularium: verbo *Priuilegia Regularium.* p.504. n.18.

Acceptatio legis, qualis eſſe debeat ; verbo *Leges Regularium.* p.358. n.16. Nutanda pro huiuſmodi acceptatione. ibid. n.17. & 18.

Accipere aliquid pro ingreſſu in Religionem quando ſit Simonia : verbo *Simonia quoad Regulares.* p.554. n.5. Pro Sacramentorum adminiſtratione. ibid.n.6. Pro Sacramentalibus. ibid.n.7. Pro rebus Sacris. p.555. n. 8. Pro licentiis, quæ concedi ſolent in Religionibus. ibid.& ſeq. num.11. Pro officiis Religionum. p. 556. n. 16. Accipere mnnera, etiam liberalitèr conceſſa, qnaliter prohibitum ſit Viſitatoribus Regulatibus : verbo *Viſitator Regularis.* p.590. n.11. Quæ poſſint licitè accipere. ibid.

Actus interni quomodo præcipi, vel prohiberi poſſint lege humana : verbo *Leges Regularium.* p.360. n.22. Actus prohibiti per ſuſpenſionem, an validè ſiant : verbo *Suſpenſio quoad Regulares.* p.569. num.14.

Accuſare an poſſit Religioſos : verbo *Accuſare, & Accuſator.* p.15. n.1. Quando accuſat ſine licentia Prælati, an iudicium illud ſit validum. ibid.n.2. Quid ſi Religioſus velit agerè contra ſuum Prælatum. ibid n.3. An tunc concedi debeant illi expenſæ ibid.n.4. An etiam Prælato accuſato. ibid. Religioſus obedire debet ſuo Superiori, durante lite. ibid.n.5. An cùm poteſt eſſe actor, poſſit conſtituere Procuratorem. ibid.n.6. In caſu hæreſis, vel ſuſpicionis hæreſis, tenentur Religioſi denunciare quaſcunque perſonas. ibid.n.7. Quid in caſu, qno Monialis, ſeu Religioſus iuuenis ad inhoneſta ſolicitaretur in confeſſione. p.16. n.8. Quæ, & quorum crimina teneantur denunciare tempore viſitationis. p.16. & 17. à n.9. ad 17. Eccleſiaſtici prohibentur accuſare in cauſa ſanguinis. p. 17. n.18. Quando, & quomodo id liceat. ibid. Proteſtatio quando, quomodo, & coram quibus ſit facienda. ibid.n.19. An illa proſit aliis. ibid. An ſine illa excuſentur aliquando Eccleſiaſtici ab Irregularitate. p. 18. n. 20. Quid quando accuſant aliquem ex obligatione charitatis, vel iuſtitiæ. ibid.n.21.

Actum, & ratum, &c. Clauſula quid importet: verbo *Clauſula.* p.111. n.8.

Ad, dictio ſignificans terminnm, quomodo accipienda: verbo *Dictio.* p.174.n.2.

Adminiſtratio bonorum Monaſterij ad quos ſpectat, verbo *Adminiſtratio, & Adminiſtrator.* p. 18. n.1.& 2. Quæ Adminiſtratio bonorum Monaſterij competat Abbatiſſis. p.19.n.3. An aliqui Adminiſtratores deſignari pro illis poſſint. ibid. An Fratres Minores poſſint hoc munus exercere. ibid. n.4. Quid ſi Adminiſtarores in ſuo munere deliquerint. ibid. n.5. Quæ conditiones pro illis requirantur. ibid n.6.& 7. Alia ad Adminiſtratores ſpectantia. ibid. & ſeq.n.8. & 9. Quæ Adminiſtratio prohibita Regularibus. p.20.n.10. & 11.

Ædificare an liceat circa Monaſteria Regularium, verbo *Monaſteria Regularium.* p.421.n.23.

Ætas ad Ordinum receptionem requiſita : verbo *Ordines Sacri.* p.482. n.14. De pœnis aliter facientium. ibid.n.14.& 15.

Ætas Generalium, vel Prouincialium qualis: verbo *Ætas.* p.20. n. 1. Aliorum Prælatorum inferiorum. ibid. n. 2. Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum. p.21.n.3. Diffinitorum. ibid.n.4. Pro profeſſione emittenda. ibid. n. 5. Pro recepturis Sacros Ordines. ibid. n. 6. Quæ ætas ſufficiat ad peccatum mortale, & incurrendas cenſuras. ibid.n.7. Quando Regulares obligentur ad ieiunia ſuæ Regulæ. ibid. n.8. Quæ ætas requiratur ad Beneficia, vel ſimilia. ibid. n. 9. Dubium de ætate requiſita à Concilio pro canonico Pœnitentiario. p.22.n.11. Pontifex poteſt conferre Canonicatus illi, etiamſi non habeat ſufficientem ætatem. ibid.num.12. Nullum ius eſt, quod manus Papæ liget, quãtùm ad hoc. ibid.n.13. Non obſtat decretum Concilij Tridentini. ibid.n.14. Non agitur in eo de prouiſione facta à Papa, ſed ab Epiſcopo ibid.n.15. Et ita non comprehendit Papam, propter aliud decretum Tridentini. ibid. n.16. Ex Sacra Congregatione, & Rota. ibid. n.17. Alia declaratio Sacræ Congregationis. ibid. n. 18. Si tamen alias habeat ſufficientem litteraturam, & morum probitatem. ibid. n.19. Sic etiam dicitur declaraſſe Clem. VIII. ibid. n.20. Probabile eſt etiam Epiſcopum id facere poſſe, caſu dato. ibid. n 21. Colligitur ex ipſo Concilio. ibid.n.22. Dictio *alias*, eſt idem quod *aliter*, vel *alio modo.* ibid. n.23. Eſtque diminutiua requiſiti. ibid. n. 24. Exemplum ad hoc in eodem Concilio, cùm loquitur de examine Sacerdotis ad audiendas confeſſiones. ibid. n.25. Eo quòd Concilium dixit, *aut alias idoneus iudicetur.* ibid.n.26.

Affinitas quid ſit, verbo *Affinitas.* p.22.n.1 & 2. Solus Pontifex diſpenſat in illa ante contractum Matrimonium. p.23 n.3. Poſt contractum etiam Epiſcopus, & cui ipſe commiſerit. ibid. Quid de Confeſſariis Regularium propter eorum priuilegia. ibid. n.4.5.6. & 7.

Agnus Dei cerei, quomodo non miniandi, ex Conſtitutione Gregorij XIII. verbo *Agnus Dei cerei.* n.1. p.24. Quæ actiones prohibitæ ſint circa illos. ibid. n.2.3.4. & 5. Excommunicatio à Gregorio impoſita, an ſit, & quibus reſeruata. ibid. n.6. Tangere, ſeu contrectare Agnns Dei, quibus licet, vel quibus non. Pro reuerentia, & vtilitate illorum. p.25.n.8. & 9.

Alba Sacerdotis debet eſſe benedicta : verbo *Veſtes Sacra.* p.585. n.4. Quando amittat benedictionem.

Digitized by Google

nem. ibid. n. 5. Non indiget noua benedictione, ſi ad eam reficiendam aliqua adiungantur, quorum additione non mutatur in propria figura. ibid. n. 6. Secus verò quando mutatur. ibid.

Aleatorea Eccleſiaſtici, quibus pœnis puniantur: verbo *Ludus quoad Regulares.* p. 387. n. 5. Eorum electio confirmari non debet. p. 388. n. 6. An habeantur pro infamibus. p. 387. n. 5. Alearum ludus quomodo Regularibus prohibitur. ibid. num. 3. Aleatores publici eligi non poſſunt in Prælatos Regulares: verbo *Prælatus Regularis.* p. 495. n. 5.

Alienari an poſſint oblationes factæ Regularibus: verbo *Oblatio facta Regularibus.* p. 462. n. 6. An alienari poſſint Paramenta Sacra: verbo *Paramenta Sacra.* p. 483. num. 3. An Reliquiæ, verbo *Reliquia Sanctorum.* p. 530. n. 3. Vaſa Sacra: verbo *Vaſa Sacra.* p. 581. n. 6. An veſtes Sacræ: verbo *Veſtes Sacra.* p. 585. num. 9. An bona Oratoriorum, verbo *Oratoria quoad Regulares.* p. 475. n. 4. An Capellæ Regularium: verbo *Miſſa.* p. 408. num. 43.

Altari qui non poſſint oblationes offerre: verbo *Oblationes facta Regularibus.* p. 462. & ſeq. n. 10.

Alienatio propriè quid importet, verbo *Alienare, ſeu Alienatio.* p. 26. n. 2. Alienatio omnis bonorum Eccleſiaſticorum prohibita à Paulo II. & à S. Congregatione. ibid. num. 3. & 4. Pœnæ impoſitæ contra alienantes. p. 28. & ſeqq. à n. 17. ad 32. Quis poſſit in illis diſpenſare. p. 29. n. 22. & 23. Quid de pœnis aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum. ibid. & ſeq. num. 24. & 25.

Dubium de Monacho alienante quoddam bonum Monaſterij. p. 30. n. 27. Talis alienatio in abſtracto ſumpta, illicita eſt, & inualida. ibid. num. 28. Per conſtitutiones, & decreta Pontificia prohibita. ibid. n. 29. Propter indemnitatem bonorum Eccleſiæ intenta. ibid. n. 30. Etiam ſi ſint inutilia. ibid. num. 31. Non accedente conſenſu Sedis Apoſtolicæ. ibid. n. 32. Etiamſi euidens ſit vtilitas, vel neceſſitas. ibid. n. 33. Quia illa debet eſſe authorizata, ſeu declarata. ibid. n. 34. Spectatis circunſtantiis huius alienationis, probabiliter excuſatur Monachus alienans. ibid. n. 35. Quia bonum illud ſtabile erat damnoſum, & præiudiciale. ibid. n. 36. Quia neceſſitas vrgens facit licitum, quod licitum non erat. ibid. n. 37. Quia inductum in fauorem, non debet operari contrarium effectum. p. 31. n. 38. Conſtitutiones, & decreta inducta ſunt in fauorem Eccleſiarum. ibid. n. 39. Quia melioratio talis boni ſtabilis ſperari non poterat. ibid. n. 40. Quia alienatio illa videbatur neceſſaria. ibid. n. 41. Quia bona fide dicitur facta. ibid n. 42. Bona fides excuſat. ibid. n. 43. Quia extrauagans *Ambitioſa*, loquitur contra præſumentes. ibid. n. 44. Quia periculum erat in mora. ibid. n. 45. Quia lex non obligat, quando ſeruari non poteſt. ibid. n. 46. Quia in qualibet prohibitione cenſetur excepta cauſa occurrens, quæ habeat oppoſitum. ibid. num. 47. Quia Apoſtolicus aſſenſus, quatenus opus eſſet, fuit reſeruatus. ibid. n. 48. Proteſtatio iſta quando iuuet. p. 31. n. 49. Sic videtur contingere in præſenti. ibid. n. 50. Ad caſum ferè ſimilem de videtur terrulas quaſdam, reſolutio. ibid. n. 51. Quia fuit facta hæc alienatio in caſu à iure permiſſo. ibid. n. 52. Quia erat res modici valoris. ibid. n. 53. Ex declarationibus Sac. Congregat. ibid. & ſeq. n. 54. Si terrulæ illæ erant ſeparatæ ab aliis prædiis. p. 32. n. 55. Quid ſi extrauagans illa non erat recepta in illo Regno. ibid. n. 56. Quid de clauſula illa, non obſtantibus conſuetudinibus. ibid. n. 57. Quia pœnæ illæ non incurrunt, niſi ex dolo, & malitia. ibid. n. 58. Religioſus ille, non ex dolo, malitia, aut præſumptione id fecit. ibid. n. 59. An obſtet, quod in decreto S. Congregat. imponantur dictæ pœnæ ſimpliciter. ibid. n. 60. Quorumdam Theologorum opinio. ibid. n. 61. Cohæret illud votum in ſimili cauſa. ibid. n. 62. Alienatio illius terriculæ facta per Eminentiſſimum N. ſi non excedebat certam quantitatem, potuit alienari. p. 34. num. 63. Ex quadam declaratione Sacr. Congregationis. ibid. n. 64. Ex quadam alia. ibid. n. 65. Debebant concurrere aliquæ conditiones. ibid. n. 66. Præſumi debet concurriſſe. ibid. n. 67. Quia præſumendum pro Prælatis, maximè tam egregio. ibid. n. 68. Illius teſtimonio ſtandum. ibid. & ſeq. n. 69. Quando conditiones verificentur. p. 33. n. 70. Quid de conſuetudine. ibid. n. 71. Quid ſi dicatur præfatas declarationes authenticas non eſſe. ibid n. 72. Valor terrulæ, quæ alienatur, arbitrio prudentis relinquitur. ibid. n. 73. Innocentij ſententia. ibid. n. 74. Quomodo intelligenda particula illa, *longè poſitas.* ibid. n. 75. Deciſio Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ. ibid. n. 76. Connexorum idem eſt iudicium. ibid. num. 79

Alius, dictio quid importet: verbo *Dictio.* p. 274. num. 5.

Altare quid importet: verbo *Altare.* p. 34. n. 1. Quotuplex ſit Altare. ibid. Quale, & à quo conſecrari debeat. ibid. n. 2. 3. & 4. Quid quando non adeſt copia Epiſcoporum. ibid. n. 4. An per Concilium reuocata ſint priuilegia aliqua Regularium quoad hoc, ſi Ordinarij requiſiti Altaria conſecrare nolint. ibid. & ſeq. n. 4. & 5. De modo conſecrandi Altaria. p. 35. n. 6. & 7. Quomodo fieri debeat. ibid. n. 8. & 9 In Altari non conſecrato nullus celebrare poteſt. ibid. n. 10. An in Altari, in quo Epiſcopus Miſſam celebrauit, aliquis eo die celebrare poſſit. ibid n. 11. Erigere Altaria in Eccleſiis conſecratis, vel non conſecratis, ſeu ipſa deſtruere, quibus liceat. ibid n. 12. An priuilegia quorumdam Regularium celebrandi cum ſolo Altari portatili, ſubſiſtant modò poſt Concil. Trident. ibid. n. 13. Quid importent illa verba, *ſine præiudicio Eccleſiæ Parochialis.* p. 36. num. 13. An in grangiis, ſeu prædiis Monaſteriorum celebrari poſſit. ibid. n. 14. An in cameris particularium Religioſorum. ibid n. 15. Nullatenus verò in Cameris ſæcularium. ibid. n. 16. Quæ declarata ſint à S. Congregatione circa reuerentiam Altaribus debitam. ibid. n. 17. An Altaria in Eccleſiis Regularium ſita ab Epiſcopo viſitari poſſint. ibid. & ſeq. n. 18. Altaria priuilegiata quæ dicantur. p. 73. n. 19. An Miſſa in illis celebranda pro defunctis debeat eſſe de *Requiem.* ibid. An hæc priuilegia aliis communicentur. ibid. Quando ſuſpendantur. ibid. Altaria quando exſecrentur. ibid. num. 20. 21. 22. & 23. Quomodo ornandum pro Abbate, vel Priore habente vſum Mitræ. pag. 37. num. 24.

Ambitionis peruerſitas: verbo *Ambitio.* p. 38. num. 1. & 2.

Animæ in Purgatorio exiſtentes, an puniantur propter dilationem, ſeu non executionem legatorum ab ipſis relictorum: verbo *Legata Regularibus relicta.* p. 355. n. 37.

Anniuerſariorum obligatio validè recipitur à Regularibus: verbo *Legata Regularibus relicta.* p. 351. num. 21.

Annus Nouitiatus debet eſſe in locis approbatis: verbo *Profeſſio Regularis.* p. 513. n. 7. Defectus illius irritat profeſſionem. ibid. & ſeq. n. 9. Debet eſſe continuus. p. 516. num. 10. Qua continuitate. ibid.

Index Rerum

Annus quomodo accipiendus in Sactis Canonibus,Bullis,Decretis,Statutis: verbo *Annus*. p 39. n.1. Si aſſignatur annus cum præpoſitione *in*,per ablatiuum,vel in genitiuo,ſeu pet acenſatiuom, & præpoſitionem *ad*, vel in accuſatiuo cum præpoſitione *per*, ſeu *ante*, ſeu *poſt*. ibid. n. 2. & ſeq. Quando res ſit dubia, quæ regula ſit tenenda. ibid. n.8. Quomodo accipiendus annus completus.ibid.n.9. An idem dicendum de anno requiſito pro profeſſione Regulari, & obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. ibid. Anous biſſextilis quomodo accipiendus. ibid.& ſeq. n.11. Quid de anno pro Nouitiatu requiſito. ibid. Quid quando aliquis ſuſpenderetur pet annum.ibid.Annus 1582. quomodo integer debuit teputari.p.40.n.12.Qui annos tequiritur ad dignitates. ibid.n.13.

Anticipatio Miſſarum,quæ ex obligatione dicendæ ſont,ao permitti poſſit:verbo *Miſſa*. p.410. n.50. Decretum S.Congregationis de ea rc.p.411.n.51. Quo tempore datum.ibid.n.52. Quomodo intelligendum. ibid. n.53.

Ante, dictio quid importet : verbo *Dictio*.p.172.n.6.

Apoſtaſia quid, & quotuplex ſit : verbo *Apoſtata,& Apoſtaſia*. p.40. n. 1. & 2. Apoſtaſia ab obedientia quid ſit. ibid. n.3. Apoſtaſia, ſeu Apoſtata à Religiona ibid.n 4. Apoſtaſia à Religioue eſt caſua reſeroabilis. p.41.n.9. Ab ea qois abſoluat. ibid. num.11.

Apoſtata à Religione, verbo *Apoſtata, & Apoſtaſia*. p.40.n.4. An Moniales de Monaſterio eaeuntes apoſtatæ ſint cenſendæ. ibid.n.5. Quid de Piuzocheris collegialiter viuentibus. ibid. Quando Religioſus fugiens ad Prælatum ratione grauaminis prætenſi eaeuſetur. p.41. nom.6. De bonia apoſtatarom, & ad qoos pertineanr. ibid. n.8. De cenſuris,& pœuis Apoſtatarum à Religione.ibid. n.10. Apoſtata à Clericatu quis eenſendus. ibid. n.13. Quando peeeet mortaliter. ibid. De Religioſo Clerico apoſtata. p.42. n.14.

Appellatio qoid, & quomodo permiſſa, verbo *Appellatio*. p.42. n 2. Quomodo permiſſa Regularibos. ibid.n.3. & 4. Non ad tribunalia eatranea. p.43.n.5. & 6. Caſus in quibus non licet. ibid. & ſeq. u.8. 9.10.11.12. & 13. Forma faciendi ipſam. p.44. n.15. Effectus ipſius. ibid. n.16. A qua ſententia appellati poſſit. p.43.n.17.19.20.21.& 22.

Appellatione remotâ, Clauſula quomodo intelligenda,verbo *Clauſula*. p.111. n.10.

Appellatio Regularium ad Sedem Apoſtolicam, quando licita,verbo *Recurſus Regularium ad Sedem Apoſtolicam*. p.525.n.2. An ad illam requiratur licentia Prælati. ibid. num.3. Quid ſi illam neget. ibid.& p.526. num.4. In quo caſu negari poſſit. p.526.nom.5. Appellatio ab electione,qoando,& quomodo facienda: *in relect*. p.600. & ſeqq. à n.6. ad 21. Reſolutio euioſdam dubij. p.45.n.24. Caſus, ſeu factum cuiuſdam Religioſi Romam venientis præteatu teeurſus, ſeu grauamiois. ibid. n.25. Indebitè, & illieitè Romam venit talis Religioſus. ibid. & ſeq. n.16. Ea decreto Concilij Tridentini. p.46.n.27. Quando babeat locum tale decretum.ibid.num.28. Ex Bulla Sixti V.ibid. num.29. Verba ipſius. ibid.n.30. Ex declaratioue Sacræ Congregationis ſub eodem Sixto V. ibid. n. 31. Ex decreto Clementis VIII. ibid. n.42. Nun iuuat præfatum Religioſum titulus recuſationis. ibid. n.33. Multò minùs iuuat titulus appellationis. ibid. n. 34. Cauſa præfati Religioſi nullo modo dici poteſt deuoluta ad Generalem. ibid. n. 35. Iura valdè faoent cauſis inchoatis. ibid.n.36.Qoid dicendum in termiois diſciplinæ & obſeruantiæ Regularis. ibid.n.37.

Approbatio Confeſſarij qoalis debeat eſſe : verbo *Bulla Cruciata*. p.86. n.20. verbo *Confeſſarius Regularis*. p.136. n.2. & verbo *Iubilaum*. p.331.n.16.

Aqua benedicta eſt duplex : verbo *Benedictio*, *& Benedicere*. p.61.n.20.& 21. Eam benedicere eſt actua Ordinis.ibid. An ſi illi addatur alia aqua,reddatur benedicta.ibid.num.20. Qoaliter aſpergenda. ibid.n.22.

Arbiter quis dicatur : verbo *Index Regularis*. p.333. n.2 Differunt arbiter & arbitrator. ibid. In qua ætate conſtitoi poſſint. ibid. Quando ab arbitro appellari poſſit. p. 336. n. 11. Iuris arbiter qoando eligendos. ibid.num.13. Quod munos illius. ibid.

Arbitri aſſignandi in recuſatione iudicis Regolaris, poſſunt eſſe tam Religioſi, quàm extranei: verbo *Recuſatio iudicis Regularis*. p.527.n.8.

Arma fundatorum Capellarum ab ipſis non tollenda : verbo *Sepultura quoad Regulares*. pag.548. num.15.

Aſtrologiæ,& aliarum artium ſimilium libri, qualiter prohibiti:verbo *Libri*. p.376.n.59.

Aoguſtinianorum Religio quo priuilegio fruatur: verbo *Priuilegia Regularium*. p.501.n.7.

Arbitrio tuo,clauſula quid ſignificet:verbo *Clauſula*. p.111.n.11.

Arma tenentes Monachi ſunt exeommunicati: verbo *Arma*. p.46. n.1. Quid de aliis Regularibus. ibid. & p.47. n.1.2.3. & 4. Quid de geſtantibua arma prohibita à Principibus. p.47. & ſeq. n.5.6. & 7. Arma deferre ad infideles, eaſus Bullæ Cœnæ. p.48. n.8.& ſeq.

Authoritate noſtra, elauſula quid importet : verbo *Clauſula*. p. 111. n.12.

B

BAechalaureatus gradus qoalis ſit : verbo *Gradus, & graduati Regulares*. p.560. n.2.

Baculus duplex, alius eommonis, alius Paſtoralis: verbo *Baculus*. p.49. n.1. Qui, & quaudo vti poſſunt Baculo. ibid.n.3.4.5. & 6.

Baldachini vſus,quibus conceditur:verbo *Baldachinum*. p.49. n.2. & ſeqq.

Bannitus quid ſit,verbo *Bannitus*. p.51.n.1. Retinati tales non poſſunt à Regularibus ſub magnis pœnis. ibid. n.2. & ſeqq. Caſus in quibus recipi poſſunt. ibid. n.7. Alia ad ipſos ſpectantia. p.52. n. 8. & ſeqq.

Baptizare qualiter prohibitum Religioſis: verbo *Baptiſmus*. p.53. n.1. An caſu quo baptizent,contrahant cognationem ſpiritualem. ibid. Caſua neceſſitatis, vt Baptixare poſſint,qualis ſit. ibid. n.2. An tunc neeeſſe ſit adhibere patrinum. ibid. n.3. Ao etiam catechixare. ibid. u.4. An ſeruare cœremonias Eccleſiæ. ibid. An Baptizare in minima parte. ibid. & ſeq. o.5. An infantem ſecundinis inuolutum, vel intra vterum matris exiſtentem. p.54.n.5.

Belli etymologia,& diuiſiones: verbo *Bellum*. p.55. n.2. Conditiones belli iuſti. ibid. num. 2. 3. & 4. Quot modis Religioſi,ſeu Eccleſiaſtici ad bellum concurrere poſſiut. ibid. n.5. An bellum perſuadere. p.56. n.7. An illi aſſiſtere. ibid.n.8. An percutere pugnaudo. ibid. u.9. Non mutilare, aut occidere. ibid. n.10.

Benedictio quid ſit : verbu *Benedictio*, *& Benedicere*. p.58. n.1. An danda à Sacerdote coram Epiſcopo. ibid. num.2. Benedictio ſolemnis quibus, & quando competat. p.59.n.3. An eonueniat Superioribus Regularium. ibid.n.4. De benedictione ſine Chriſmate. ibid. num. 5. An,& quomodo

compe

competat Abbatibus, & aliquibus Prælatis Regularibus. ibid. n.6. 7. & 8. Quarum rarum benedictio talibus competat p.60. n.9. & ſeqq.

Benedictio Sacrarum veſtium, qualis eſſe debeat: verbo *Veſtis Sacra*. p. 585. n.4. Omnes veſtes Sacræ debent eſſe benedictæ. ibid. An ſit ſemper peccatum mortale celebrare ſine veſte benedicta. ibid. Benedictio populi quomodo danda à Sacerdote in Miſſa, dum adeſt Epiſcopus: verbo *Miſſa*. p.414. n 67.

Beneficiorum nomine, quæ veniant: verbo *Reſignatio Officiorum Ordinis*. p.533. n.3. Beneficia Regularia an ſint materia Simoniæ, verbo *Simonia quoad Regulares*. p. 556. n.13. Quid de commutatione, renunciatione; ſeu reſignatione ipſorum. ibid.n.15.

Beneficium dupliciter ſumitur, verbo *Beneficium, & Beneficiatus*. p.62. num.2. Quomodo officia Religionum beneficia dici poſſint. ibid.num.3. Conditiones requiſitæ ad Beneficium. ibid. num.4. De beneficiis acceptatis ab excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, irregulari, vel illegitimo. ibid. & ſeq. n.5.6.7. & 8. Quid facere debeant tales. p.63.n.10. De beneficiorum collatione. ibid.n.11. 12.& 13. Pluralitas beneficiorum quomodo prohibita. p.64. n.14. Quomodo vacent beneficia. ibid. n.16. An liceat renunciatio, vel reſignatio ipſorum inter Regulares. ibid. De vnione beneficiorum. ibid. n.17. De reſidentia beneficiatorum. ibid.n.18. In quibus differant beneficia ſæcularia, & Regularia. ibid.n.19. Quomodo peccent beneficiati Regulares expendentes bona beneficiorum in vſus profanos. p.65.n.20. Quid de beneficiatis ſæcularibus. ibid. n.21. An beneficiati poſſint conſanguineis prouidere. ibid.n.22. De loco beneficiatorum, & aliis ipſos concernentibus. ibid.n.23. Solutio quorundam dubiorum circa Illuſtriſſimum D. Præceptorem Sancti Spiritus. ibid. num.24. Poteſt conferre beneficia ſuis ſubditis. ibid.n.25. Colligitur ex quibuſdam litteris eiuſdem Illuſtriſſimi Præceptoris. p.66. n.26. Ex Summis Pontificibus. ibid. n.27. Quia talia beneficia non ſunt electiua, ſed collatiua. ibid.num.28. Et quia non ſunt propria beneficia. ibid. n.29. Ex curſu antiquo. ibid. n.30. Beneficia Regularia non ſunt propriè beneficia, quia non ſunt perpetua. ibid. n.31. Ex facultate, quam habet Religio Melitenſis. ibid.n.32. Ex praxi ordinum militantium. ibid n.33. Ex Bulla Sixti IV. p.66.n.34. Poteſt idem illuſtriſſimus conferre illa cum reſeruatione alicuius partis fructuum. ibid.n.35. Ex vſu, & conſuetudine. ibid.n.36. Ex eo, quod beneficia non ſunt perpetua. ibid.n.37. Quia Regulares ſunt capaces impropriæ penſionis. ibid. n.38. Quia poteſt prouidere de dictis fructibus. ibid.n.39. Poteſt hoc fieri ſine conſenſu beneficiarij. ibid.n.40. An obſtet, quod imponere penſionem ſuper beneficium ſit proprium Papæ. ibid.n.41.

Beneplacitum noſtrum, ſeu *Beneplacitum Sedis, &c.* vel *Beneplacito tuo*. aut ſimiles clauſulæ in Reſcriptis, quid importent: verbo *Clauſula*. p.111. num.9. & 13.

Bigamus, & bigamia quid, & quotuplex ſit: verbo *Bigamus, & bigamia*. p.68. n.1. Irregularitatem inducit. ibid. n.2. A quibus diſpenſetur, ſeu quomodo tollatur. ibid. & ſeq. n.4.5.6.7. & 8. Clerici bigami pœnæ. p.69. n.10. & 11. Bigami an admittendi ad Religionem. ibid. num.12. An ad Prælatias. ibid.n.13.

Bigami eligi non poſſunt in Prælatos: verbo *Prælatus Regularis*. p.495. n.4.

Bis in anno an viſitari poſſit Prouincia, vel Conuentus, ſemel à Viſitatore, & iterum à Prælato Ordinario: verbo *Viſitator Regularis*. p.590.n.12.

Bona Monaſteriorum deſertorum ad quos pertineant: verbo *Monaſteria Regularium*. p.417.n.47.

Bona ex illicita negotiatione adquiſita à Regularibus, ad quem pertineant: verbo *Negotiatio quoad Regulares*. p.440.n.10 Quæ ſint talia bona. ibid. num. 11. Bona quæ tenentur ad contributionem Seminarij: verbo *Seminarium*. p.545. n.9. Bona Religioſi ex illicita negotiatione, aut contra ſacros Canones adquiſita, ſpolia ſunt: verbo *Spolia Regularium*. p.560. n.2. Quid de bonis beneficiati Regularis. ibid. n.3. Quæ bona ſpoliorum nomine veniant. ibid. n.4. Bona Nouitiorum, ſeu Nouitiarum, quomodo diſponenda, ex deciſione Concilij, verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum*. p.454.& 455.n.25. & ſeqq. De ipſis nihil accipiendum ante profeſſionem. p. 456. n 33. Bona Oratoriorum an alienari poſſint: verbo *Oratoria quoad Regulares*. p.477. num.4. Bona Profeſſorum propria, quæ fictè, ſeu inualidè profeſſis conuenire non poſſunt: verbo *Profeſſio Regularis*. p.510. n. 25. Bona tranſlatorum ex vna Religione ad aliam ad quem pertineant, verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.577. n.24.

Bona ſpiritualia Regularium. p.70.n.2.& ſeqq. Bona temporalia Religioſorum vſurpantes, vel occupantes. p.71.n.9. Bona iſta ſunt valdè priuilegiata. p.72. n.10.

Breuiarium particulare habent Religiones Benedictina, Dominicana, & Carmelitana, & aliquæ Eccleſiæ: verbo *Breuiarium*. p.72. n.1. Quid decreuerit Sacra Congregatio circa Breuiarium Carmelitarum. ibid.n.2. Quilibet Religioſus an teneatur etiam ſub mortali vti ſolùm Breuiario ſui Ordinis, etiam extra Chorum. ibid. n.3. An Eccleſiæ, quæ Breuiarium Romanum receperunt, poſſint redire ad primum Breuiarium. p 73. n.4. An quæ non receperunt illud, poſſint in aliquo caſu ipſum acceptare. ibid. n.5. Aut vti alio Breviario. ibid. Quid de clericis, aut Religioſis non habentibus in promptu proprium Breuiarium. ibid. n.6. An qui non acceptarunt Breuiarium Pij V. poſſint illud denuo acceptare. ibid. n.7. Carentia Breuiarij quando excuſet à peccato. ibid.n.8. An carentes Breuiario teneantur dicere ea, quæ ſciunt memoriter. ibid.& ſeq. n.9. Habens priuilegium recitandi per Breuiarium proprium, an vti poſſit ſocio. ibid. & ſeq.n.10. Beneficiati quo Breuiario vti debeant. ibid.n.11. Addere, vel demere an liceat in Breuiariis ibid. num.12.

Breuia Sacræ Pœnitentiariæ inter litteras Apoſtolicas numerantur: verbo *Litera Apoſtolica*. p.381. n 2. Tenor ipſorum varius. p.382.num.9.& ſeqq. Quomodo executioni mandanda. ibid. & ſeq. n.13.20. & ſeqq. Breue Sanctiſſimi circa profeſſionem Religioſorum innouandam, quomodo intelligendum: verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum*. p.450.& ſeq. n.3.& ſeqq.

Bulla Cœnæ, vnde dicta: verbo *Bulla Cœna*. p.74. n 11. Caſus, & cenſuræ illius dici debent à iure, non ab homine. p.75.num.2. An incidant in illos mandantes, conſulentes, &c. ibid.num.3. An multiplicentur per illam excommunicationes per alia iura latæ. ibid. n.4. Caſus huius Bullæ ſunt viginti. ibid.num.5. Primus eſt hæreſis. ibid.n.6. Secundus, contra appellantes à Papa ad Concilium. p.76.num.10. Tertius contra piratas, curſarios, &c. ibid.num.12. Quartus eſt contra ſurripientes bona naufragantium. ibid.num.14. Quin-

tus

Digitized by Google

tus eſt contra imponentes indebitè gabellas.p.77. n.16. Seatus, contra falſarios litterarum Apoſtolicarum. ibid oum.20. Septimus eſt contra deferentes arma,&c, ad infideles. ibid. n.21. Octauus eſt contra impedientes victualia pro Romana Curia. p.78. n.25. Nonus contra interficientes, mutilantes, &c. ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel recedentes, vel vſurpantes iuriſdictionem,&c.ibid.n.27.Decimus eſt contra damnificantes peregrinos ad Vrbem venientes. ibid. n.19. Vndecimus eſt contra damnificantes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, & alios Prælatos, &c. ibid. n.31. Duodecimus eſt contra impedientes negotia in Romana Curia gerentes. p.79. n.34. Decimuſtertius,contra appellantes ab executione litterarum Apoſtolicarum, recurrentes ad ſæculares Poteſtates,&c. ibid. n.36. Decimuſquartus contra auocantes cauſas ſpirituales,&c. ibid. n.38. Quintuſdecimus eſt contra trahentes perſonas Eccleſiaſticas ad tribunalia ſæcularia.ibid. num.40. Decimusſextus, contra moleſtantes,aut impedientes Iudices Eccleſiaſticos. p.80. n.42. Decimusſeptimus, contra vſurpantes prouentus Eccleſiaſticos. ibid. num.44. Decimuſoctauus, contra imponentes onera Eccleſiaſticis. ibid. n.46. Decimuſnonus, contra interponentes ſe in cauſis Eccleſiaſticorum. ibid. n.48. Vigeſimus, contra occupatores,vel detinentes terras Domini Papæ. ibid. n.50. Caſuum prædictorum abſolutio Papæ reſeruatur. ibid.num.52. An mortis articulus, etiam periculum mortis importet. p.81. n.53.An priuilegia Regularium per hanc Bullam reuocentur. ibid. n.54. An priuilegium Epiſcopis conceſſum à Concilio Tridentino. ibid. n.55. Quid de priuilegio Bullæ Cruciatæ. ibid. n.56. Excommunicatio contra abſoluentes à prædictis caſibus. ibid.num.57.

Bulla Cruciatæ quid ſit; verbo *Bulla Cruciata.* p.83. n.1. Quibus conceſſa. ibid.n.1.Qui poſſint illam accipere. ibid. n.3. An Regulares. ibid. Priuilegia illius valent tantùm per vnum annum. p.84. num.5.

C

CAlicis materia qualis: verbo *Calix*.p.91. num.1. Quid de conſecratione Calicis. p.92. nom.2. Ad quos conſecratio ſupradicta ſpectet. ibid. n.3. & 4. Quando, & quomodo Calix amittat conſecrationem. ibid.n 5.6.& 7. An Calix non conſecratus,conſecratus maneat poſt contractum Corporis,& Sanguinis Chriſti.ibid.n.8.

Canonicâ monitione præmiſſâ, clauſula quid importet,verbo *Clauſula.* p.111.n.14.

Canonica portio quid ſit, verbo *Canonica portio.* p.95. num.1. Ad quem ſpectet. ibid. num.2. De quantitate illius. ibid n 3.Ex quibus præberi debeat.ibid.num.4 An Monaſteria,& loca exempta ſoluere debeant hanc portionem. ibid.n.6. Quid de priuilegiis Regularium circa hanc portionem. ibid & ſeq.n.7.8.& 9.

Cæcus an eligi poſſit in Prælatum,vel Viſitatorem: verbo *Viſitator Regularis* p.591.

Cannæ quæ menſura, verbo *Monaſteria Regularium.* p.420. n.20 Intra quot cannas non poſſit vnum Monaſterium alij proximum fundari. ibid. n.19. & 20.

Calix de qua materia debet eſſe:verbo *Vaſa Sacra*, p.581.num.2.Debet eſſe conſecratus.ibid. Quando cenſeatur talis. ibid. Quando execretur.ibid. An tangi poſſit à laico, vel à Clerico in minoribus.ibid.

Calceatum debere eſſe celebrantem : verbo *Miſſa.* p.414. n.65.

Campanæ pulſantur in proceſſionibus, verbo *Proceſſio quoad Regulares.* p.510.n.6.

Capellæ an teneantur ad contributionem Seminarij : verbo *Seminarium.* p. 543. n.10. An vendi poſſint pro ſepultura: verbo *Sepultura quoad Regulares.* p.548 n.15. An alij ibi ſepeliendi. ibid. An arma fundatorum inde auferenda. ibid.

Capellaniæ Religioſorum: verbo *Miſſa*.p.408.n.43. An Regulares ægrotantes eximantur ab obligatione Miſſarum dicendarum. p.407. num.40. An aliquoties in anno. ibid. num.41. An in hebdomada. ibid. n.42.

Çapite cooperto celebrandum non eſt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ: verbo *Miſſa.* p.413.n.64.

Capitulorum Regularium Præſes : vide verbo *Præſes Capitulorum.* Capitula, & electiones in ipſis factæ impugnari poſſunt ab iis, ad quos intereſt, *in relect.* p. 600. num. 2. Etiamſi electiones ſint confirmatæ.ibid.n.3. An ab iis, ad quos non intereſt. ibid.n.4. Quibus conditionibus. ibid.n.5. & ſeqq.

Capucini incapaces ſunt bonorum ſtabilium: verbo *Legata Regularibus relicta.* p.348.n.6. Et hæreditatis. ibid. An legatorum. ibid.

Capitulum quid ſit, verbo *Capitulum.* p.348.n.2. An Capitulum aliquod poſſit alterare, immutare, vel ſupplere electionem per modum ſcrutinij. ibid.n.4. An quodlibet Capitulum exercere poſſit actus iuriſdictionis, quos Prælati. ibid.n.5. Alia de facultatibus ipſius.ibid. n.6. Quomodo Capitula interdicantur, vel ſuſpendantur.ibid.& ſeq. n.7.8.9. & 13. An licitum ſit Capitulis, & Conuentibus, aut ſingularibus perſonis ipſorum aliquid exigere ob receptionem alicuius in Religionem. p.95. n.10.

Cardinalis nomen vnde veniat : verbo *Cardinalis.* p.95.n.1. De eorum dignitate. p.96. num.2. Quid poſſint facere in Eccleſiis ſuorum Titulorum. ibid. num. 5. De eorum priuilegiis. ibid. & ſeq. n.7.8. & 9.

Carmelitæ Reformati quibus priuilegiis fruantur: verbo *Reformati Regulares.* p.518. num.4. & 5. An aliis Ordinibus communicentur. p.529. num.6. Eligunt ſibi Priores. *in relect* p.61. n.75.

Caſtratis votum an, & quando ab Epiſcopis diſpenſari poſſit: verbo *Votum quoad Regulares.* p.594. n.12. & ſeqq.

Caſus reſeruari nomen vnde veniat : verbo *Caſus reſeruati Regularium.* p.97. n.1. In quibus poteſtas eos reſeruandi reſideat. ibid. De caſibus Epiſcopis reſeruatis. p.98. n. 2. & 3. De caſu abortus. ibid. n.4. An Confeſſarij virtute priuilegiorum abſoluere poſſint pœnitentes intra,vel extra Italiam à caſibus Ordinario loci reſeruatis. ibid. Quid quando aliquos tantùm reſeruant. ibid. n. 5. De caſibus Prælatorum Regularium ipſiſmet reſeruatis. ibid. num.6. An faciliter concedenda ſit licentia abſoluendi ab ipſis. ibid. n.7. An Superiores Regulares determinate poſſint pœnitentias graues à Confeſſariis imponendas quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis. ibid. n.8. Regulæ generales pro caſuum reſeruatione. p.99.n.9.10.& 11. Quando peccata intelligantur reſeruata. ibid. num.12. Caſuum reſeruatio debet reſtringi. ibid. num.13. Quid ſentiendum de percuſſione dubia Clerici, an ſit leuis, vel grauis. ibid. n. 14. Ad quos caſuum reſeruatio ſpectet. ibid. num.15. An qui poſſunt ſibi reſeruare caſus, poſſint etiam reſeruare peccata, & cenſuras. ibid. An valida ſit caſuum reſeruatio abſque

Digitized by Google

que legitima cauſa.p.100.n.16. Quando contingat caſus reſeruatos ceſſare à reſeruatione.ibid.n.17.An abſolutio à reſeruatis extra articulum mortis ſit valida.p.102.n.25. Aduertentiæ circa illos, qui facultatem habent abſoluendi à caſibus reſeruatis. ibid.n.26.27.& 28. Cui conceditur facultas abſoluendi à caſibus Papalibus,non conceditur à caſibus Bullæ Cœnæ.ibid.n.28.Nec cui conceditur facultas à caſibus Bullæ Cœnæ, conceditur ab hæreſi. ibid. An habens caſum reſeruatum, & illius obliuiſcens in Confeſſione,cenſeatur abſolutus. ibid. Facultas abſoluendi à reſeruatis, an extendatur ad futura. ibid. Qui habet facultatem delegatam abſoluendi ab omnibus reſeruatis, an poſſit illam ſubdelegare.ibid.n.19.Quid declaratum eſt à Sacra Congregatione pro caſibus ab Epiſcopis reſeruandis.ibid.n.30.& 31.& ſeq.De caſibus,qui inter Regulares reſeruari poſſunt, remiſſiuè.p.103. n.32.

Caſus de quodam Capitulo Carmelitarum,& electionibus in ipſo factis.*in relection*.p.599.n.1.

Caſus,in quibus quarta funeralis non debet ſolui, verbo *Quarta funeralis*.p.512.n.10.Caſus,in quibus Regulares tenentur teſtes eſſe: verbo *Teſtis Regularis* p.573. n.2. Caſus, in quibus Epiſcopus poteſt commutare legata defunctorum; verbo *Legata Regularibus relicta*.p 354.n.32.& 33.

Caſus practicabiles Regularibus in materia probabilis opinionis: verbo *Opinio Regularibus tenenda*. p 473.n.11.

Cauſæ de nullitate electionis pertinent ad Generales. *in relect*.p.599.n.1.Cauſæ piæ,maximè fauorabiles: verbo *Legata Regularibus relicta*.p.353.n.19.

Cauſa iudicialis quid, & quotuplex ſit: verbo *Cauſa Iudicialis Regularium* p.103.n.1 Cauſæ ciuiles Regularium,cùm ipſi ſunt actores,à quibus cognoſcuntur.ibid. n.2. An poſſint tunc agere coram Iudice ſæculari. p.104.n.3. Quid quando ipſi Regulares ſunt rei.ibid. n.4. Quid de Regularibus extra Monaſterium degentibus.ibid.n.5. Qua ratione caput *Volentes*,de priuilegiis,& Concilium Tridentinum intelligenda. ibid. n.6. Nec in prima inſtantia coram Ordinariis conueniri poſſunt. ibid. n.7. Quomodo Bulla Pauli V.intelligenda. ibid.n 8. Cauſæ de nullitate Profeſſionis apud quos tractandæ.ibid. n.9.Quid de cauſis criminalibus Regularium.ibid. n.10. An poſſint trahere ſuos reos coram aliis Iudicibus.p.105 num.11. Quid quando ipſi ſunt rei, ibid.num.12. Coram Ordinariis quando trahi poſſunt. ibid. num.13. Quid de cauſis ſpectantibus ad Sanctum officium.ibid.num.14. Quid ſi Ordinarij procedant contra ipſos in caſibus non permiſſis. ibid n.15.An propter Prælatorum negligentiam id liceat.ibid.n.16.

Cenſura quid, & quotuplex ſit: verbo *Cenſura Eccleſiaſtica*. p.105. n.1. Qui poſſunt ponere cenſuras, ibid.& ſeq.n.2.Quæ conditiones pro eis requirantur.ibid. Qualis iuriſdictio. p.106. num.3. Qui ligari poſſunt cenſurâ.ibid n.4.Religioſi hoſpites an ligentur cenſuris Conuentuum,in quibus morantur.ibid.Cenſura qualiter ferri debeat.ibid.num.5. & 6.Monitio ad eam requiſita.p.107.num.7.Praxis Regularium Prælatorum in ea ferenda. ibid. n.8. An eam ferre poſſint extra proprium territorium. ib.n.9.Ferri non poteſt,niſi propter peccatum proportionatum. ibid n 10. Qui excuſentur à cenſura incurrenda.p 108.n 11 Quibus modis tollitur cenſura.ibid.num. 12 Cenſuræ non reſeruatæ,à quibus tollantur.ibid.n.13.

Ceſſatio à Diuinis quid ſit: verbo *Ceſſatio à Diuinis*. p.109.n.1.Qui poſſint illam imponere.ibid.num.2. Effectus illius.ibid. num 3. De quodam priuilegio Leonis X. ibid. Priuat Sacramentis, & Sepulturâ Sacrâ.ibid. num.4.& 5. Culpa, & pœnæ violantis ceſſationem.p.110. n.6.De Religioſis mendicantibus.ibid.n.7.

Chriſma quid ſit: verbo *Conſecratio*. p.148. n.3. Qui poſſunt vti illo in benedictionibus, & conſecrationibus: verbo *Altare*.p.34.n.3.& 4. verbo *Benedictio*.p.59.& ſeq.num.8.& 11. & verbo *Conſecratio*. p.148.num 2.

Celebrare an liceat aliquando ſupra mare, vel flumen: verbo *Miſſa*.p.412.n.56.

Ceræ, & candelarum, an debeatur quarta: verbo *Quarta funeralis*.p.512.n.7.

Cæremoniæ Miſſæ quantùm obligent: verbo *Miſſa*. p.411.& 413.n.58.& ſeqq.

Ceſſatio legis quomodo contingat: verbo *Leges Regulares*.p.366 n.53. Ceſſat derogatione, ſeu abrogatione.ibid.Conſuetudine contraria.ibid.num.54. Quibus conditionibus. p.367. n.55. Quid quando lex irritat conſuetudinem futuram.ibid.n.56. Ceſſat legis obligatio per diſpenſationem. ibid n 58. An per ceſſationem cauſæ. ibid. n.59. An per epicheiam p.368.n.60.Quid quando fundatur in præſumptione. ibid.n.61. Ceſſatio priuilegiorum Regularium quomodo contingat: verbo *Priuilegia Regularium* p.502.n.14. Quid de ceſſatione per non vſum.p.503. n.15. Quid de ceſſatione per contrarium vſum.p.504.n.16. Priuilegia aliquor Regularium circa hoc.ibid.num.17.Quomodo priuilegia amittantur per abuſum. ibid. n.18. Quomodo per reuocationem ipſorum. ibid. & ſeq.n.19.Quæ notanda circa hoc. p.505. n.20.Quid de reuocatione generali priuilegiorum.p.506. n.21. Quid pro Regnis Hiſpaniæ.ibid.n.22.

Chiromantiæ libri,qualiter prohibiti: verbo *Libri*. p.3 6.n.29.

Choriſtæ Regulares an transferri poſſint ad ſtatum Converſorum, vel Conuerſi ad ſtatum Choriſtarum: verbo *Tranſeuntes Regulares*.p.578.n.15.

Chriſma quid ſit: verbo *Oleum Sanctum quoad Regulares*. p.4-1.num.2.Qualiter,& quomodo confici debeat. ibid.An veteri Chriſmate vti liceat.ibid.

Circa,dictio quomodo accipienda: verbo *Dictio*.p.174. num.8.

Ciborium,ſeu Pyxis,eſt vas in quo conſeruatur Corpus Chriſti: verbo *Vaſa Sacra*.p.581.n.3. An neceſſe ſit quod conſecretur, vel ſufficiat, quod benedicatur. ibid.

Cingulum ad celebrandum debet eſſe benedictum: verbo *Veſtes Sacra*.p.585.n.4 An ſemper ſit peccatum celebrare ſine illo benedicto. ibid. Caſu quo non habeatur benedictum, poteſt Sacerdos pro illo vti Stolâ ibid.

Citatio partis eſt de iure neceſſaria, *in Relect*. p.602. n.13.Etiam in materia electionis.p.603.n.24. Quid quando crimen eſt notorium.ibid.n.25.

Clauſularum notitia vtilis Regularibus: verbo *Clauſula*.p.110.num.1. Clauſula in fine poſita refertur ad præcedentia. ibid. n.3. Quid de clauſula poſita in vna parte diſpoſitionis.ibid.num.4. Quid de clauſula poſita in vno verſiculo.p.111.n.5.Clauſula generalis ad quos caſus extendatur.ibid.n.6.Clauſula *Abſoluentes à quibuſvis Excommunicationis,ſuſpenſionis*,&c.quid importet.ibid.num.7.Clauſula *Actum, &c.* quid importet. ibid. numero 8. Clauſula, *Ad beneplacitum noſtrum*,vel ſimiles,quid denotent. ibid.num.9.Clauſula *Appellatione remota*, quomodo intelligenda. p.111. numero 10. Clauſula *Arbitrio tuo*, quid ſignificet. ibid. num.11. Clauſula, *Auctoritate noſtra*, vel ſimiles, quam vim habeant. ibid. num.12. Clauſula, *Beneplacito tuo*, quid importet. ibid. num.13. Clauſula, *Canonica monitione præmiſſâ*, quid ſignificet. ibid. numero 14.

Clauſula, *circa pœnam ſanguinis.* ibid. num. 15. Clauſulæ *Confirmamus, & innouamus*, quod jus tribuat. ibid. num. 16. Clauſula *Conſcientiam tuam oneramus.* quid operetur. ibid. num. 17. Clauſula *Contradictores quoſcumque compeſcendo*, quam facultatem tribuat. ibid. num. 18. Clauſula *Decernentes irritum, & inane*, &c. p. 112. num. 19 Clauſula *De plano*, vel ſimiles, quid importent. ibid. num. 20. Clauſula *De plenitudine poteſtatis*, quos effectus operetur. ibid. num. 21. Clauſula *Diſcreto viro ex approbatis ab ordinario.* ibid. num. 23. Clauſula *Diſtrictè iniungimus, præcipimus*, &c. p. 113. num. 24. Clauſula *Dummodo aliam in eadem Eccleſia non conceſſerimus.* ibid. n. 25. Clauſula *Et Decretis Concil. Trident. non aduerſentur.* ibid. num. 26. Clauſula *Et Sacris Canonibus*, &c. Ibid. num. 27. De clauſula, *& pro potiori cautela.* ibid. num. 28. De clauſula *Ex certa ſcientia.* ibid. num. 29. De clauſula *Ex tunc prout ex nunc.* ibid. numero 30. De clauſula *Facias quod tibi videbitur.* p. 113. num. 31. De clauſula, *Gratiam, & communicationem Sedis Apoſtolicæ.* ibid. num. 32. De clauſula, *habeas liberum arbitrium iudicandi.* ibid. num. 33. De clauſula, *Indignationem Omnipotentis Dei.* ibid. numero 34. De clauſula, *indignationem Apoſtolorum Petri, & Pauli.* ibid. num. 35. De clauſula, *in omnibus, & per omnia.* ibid. num. 37. De clauſula, *in quo conſcientiam tuam oneramus.* ibid. n. 38. De clauſula, *Innocato auxilio brachij ſæcularis.* ibid. num 39. De clauſula, *Iudicio tuo.* pag. 114. numero 40. De clauſula, *Motu proprio.* ibid. num. 41. De clauſula, *Non obſtantibus.* ibid. num. 42. 43. 44. 45. & 46. Pro praxi priuilegiorum Regularium. ibid. De clauſula, *non poteſt.* p. 114. num. 47. De clauſula, *omni meliori modo.* ibid. num. 48. De clauſula, *parte ſatisfacta*, ibid. num. 49. De clauſula, *pœnitentia ſalutari iniuncta.* ibid. num. 50. De clauſula, *pro expreſſis, &c.* ibid. num. 51. De clauſula, *pro potiori cautela.* ibid. num. 52. De clauſula, *prout conſcientia tua.* ibid. & ſeq. n. 53. De clauſula, *prout de iure* p. 115. n. 54. De clauſula, *prorſus eximimus.* ibid. num. 55. De clauſula, *quatenus ſunt in vſu.* ibid. n. 56. De clauſula *quorum tenores.* ibid. n. 57. De clauſula, *Quoties expediens fuerit.* p. 115. n. 58. De clauſula, *Ratum, & firmum.* ibid. n. 59 De clauſula, *Recuſatione remotâ.* ibid. num. 60. De clauſula, *Relinquo conſcientiæ tuæ.* ibid. num. 61. De clauſula, *Saluo aſſenſu Apoſtolico.* ibid. num. 62. De clauſula, *Saluo iure Parochiali.* ibid. n. 63. De clauſula, *ſi, & in quantum.* p. 115. numero 64. De clauſula, *ſi, & prout de iure.* ibid. num. 65. De clauſula, *ſicut accepimus.* ibid. num. 66. De clauſula, *Solâ rei veritate conſpectâ.* ibid. num. 67. De clauſula, *Sublata facultate.* p. 115. num. 68. De clauſula *Super omnes, & ſingulas.* ibid. num. 69. De clauſula, *Supplentes defectus.* ibid. num. 70. De clauſula, *tuo iudicio, vel prudentiæ.* ibid. num. 71. De clauſula *Vocatis vocandis.* ibid. n. 72.

Clauſura Regularium, verbo *Clauſura.* p. 116. num. 1. & 2. Terminus huius clauſuræ qualis ſit. ibid. n. 3. Egreſſio nocturna, aut furtiua è Monaſterio, caſus reſeruabilis. ibid. n. 4.

Clauſura Monialium circa egreſſum è ſuis Monaſteriis, & ingreſſum perſonarum extranearum in ipſa. Vide verbo *Moniales.*

Clemens VII. approbat conſtitutiones Carmelitarum. *in relect.* p. 607 & 609. n. 55. & 69.

Cleri præcedentia ſuper Regulares in proceſſionibus: verbo *Præcedentia quoad Regulares.* p. 491. numero 3.

Clerici nomine, qui veniant: verbo *Clericus.* p. 122. num. 1. Clericorum priuilegia: vida infrà verbo *Priuilegium.*

Cœmeterium quid ſit, verbo *Cœmeterium.* p. 130. numero 1. & 2. Quæ in illo prohibita. ibid. A quo benedicatur. ibid. n. 4. Quando violata. ibid. n. 5.

Commiſſariorum Regularium duplex genus: verbo *Commiſſi, & Commiſſarius Regularis.* p. 131. num. 1. An ſint Iudices Ordinarij, vel delegati. ibid. An ſubdelegare poſſint. ibid. Quanto tempore durent ibid. num. 2. Commiſſiones, ſeu priuilegia Prælatis Regularibus conceſſa, an perſonalia, vel realia. ibid. n. 3. An poſſint ab ipſis delegari. ibid. Quando ceſſent. ibid Quando commiſſio cenſeatur perſonalis, aut realis ibid. n. 4. Quando ceſſet ex parte delegantium. p. 132. n. 5. Quando ex parte ipſarum commiſſionum. ibid. n. 6. Quando, & qui Prælati poſſint commiſſarios deſignare. ibid. n. 7. An commiſſarij dicantur Prælati. ibid. n. 8.

Commiſſiones datæ Regularibus, quomodo intelligantur, finiantur, ſeu terminentur: verbo *Mandatum quoad Regulares*, per totum. p. 389. & ſeqq. Reſolutio cuiuſdam dubij de Commiſſario volente celebrare Capitulum Prouinciale in quadam Prouincia. p. 132. n. 10. Reſolutum eſt, iſtum Commiſſarium non potuiſſe ſe intromittere in celebratione talis Capituli. ibid n. 11. Iuriſdictio quam habebat, erat diſtincta. ibid. n. 12. Mens Generalis fuit ſeparare vnam ab alia. ibid. num. 13. Conformiter ad vſum Religionis. ibid. num. 14. Delegatus non poteſt extendere ſuam iuriſdictionem contra voluntatem delegantis. ibid num. 15. Conſtabat de mente Generalis in præſenti. ibid. num 16. Ex epiſtola quadam miſſa ad Prouincialem. ibid. num. 17. Et ex alia Præſidenti Capituli miſſa. ibid. num. 18. Sufficienter videbatur hoc declaratum ab ipſo Generali per diuiſionem talis iuriſdictionis. ibid. numero 19. Qui tempus legis non obſeruat, formam legis dicitur non obſervare. ibid. num. 20. Epiſtolis miſsiuis, ſeu familiaribus fides adhibetur ex praxi Eccleſiæ. p. 133. num. 21. Repræſentant perſonam mittentis. ibid num. 22. Epiſtolæ Summorum Pontificum, Epiſcoporum, Principum, fidem faciunt. ibid. n. 23. In hac Religione etiam eſt hoc in uſu. ibid. n. 24. In hac poteſtas delegata eſt odioſa, & non extendenda. ibid. n. 25. Poteſtas talis viſitatoris ſolùm erat in determinato genere. ibid. n. 26. Neceſſarium erat alterare, & diſpenſare conſtitutionem Ordinis circa celebrationem talis Capituli. ibid. n. 27. Viſitator non habebat hanc facultatem. ibid. num. 28. Etiamſi Commiſſarijs detur facultas cum plenitudine poteſtatis, non extenditur ad ea, quæ iure, vel conſuetudine ſpecialiter competunt Superioribus delegantibus. ibid. n. 29. Nec ad ea, quæ ſunt ſpeciali notâ digna. ibid. n. 30. Non obſtat clauſula illa, *Ac ſi nos præſentes eſſemus.* ibid. num. 31. Vniverſalitas illius clauſulæ ſolùm intelligi debebat in genere viſitationis, non in genere celebrationis Capituli. ibid. n. 32. Cauſa limitata ſolùm limitatum producit effectum. ibid. n. 33.

Communicatio priuilegiorum Religionum, qualis: verbo *Priuilegia Regularium.* p 507. n 24.

Conciliis interſunt Abbates, verbo *Abbas.* p. 3. n. 16. Item Generales Mendicantium. ibid. Quid de Synodis Diœceſanis. ibid. n. 17.

Concio quid ſit, verbo *Concionari, & Concionator Regularis.* p. 133. num. 2. Ad quos ſpectet ex officio. ibid. n. 3. Quibus committi poteſt. p. 134 n. 4.

Concionatores Regulares quas conditiones habere debent, verbo *Concionari, &c.* p. 134. num. 6. An ſuſpendi poſſint ab Epiſcopis. ibid. num. 7. An examinari. ibid. An etiam extra Quadrageſimam, & Aduentum habere debeant licentiam, vel benedictionem ab Epiſcopis. ibid. An obligentur ad faciendam profeſſionem Fidei. ibid. n. 8. De Prælatis Regularium.

Digitized by Google

Regularium ibid. & ſeq.num.9. Regulares prædicantes ſine licentia ſuorum Superiorum, qualiter peccent. p.135. num.10. De mercede aſſignanda concionatoribus. ibid. num.12.p. Quibus diebus prohiberi poſſint prædicare. ibid. num.13. De Indulgentiis conceſſis audientibus Conciones quorumdam Religioſorum.ibid.n.14.

Conditiones appoſitæ quomodo accipiendæ: verbo *Legata Regularibus relicta*. p.349. & 350. n.13. & ſeqq.

Confeſſor approbatus ab Ordinario quis cenſendus: verbo *Littera Apoſtolica*. p.384 num.18. Confeſſarij Regulares non poſſunt propriè loquendo irritare vota: verbo *Votum pro Regularibus*. p.596. num.19. An illa commutent. ibid. num 20. In quibus caſibus. ibid. An in illis diſpenſent. ibid. & ſeq. num.22. Quo loco. p.597. num.23 An extra Sacramentum. ibid. num 24. An diſpenſent in petitione debiti. ibid. num.25. An munus Confeſſarij exercere poſſint Nouitij, & Nouitiæ Religionum. ibid.

Confeſſarij Regulares an peccent audientes confeſſiones ſine licentia ſuorum Superiorum: verbo *Confeſſarius Regularis*.p.136.n.2 An tales Confeſſiones validæ ſint.ibid.n.3.De facultate quam habent ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris. ibid. n.4. Circa caſus reſeruatos. ibid. n.5. In caſibus tranſgreſſionis clauſuræ Monialium.p.137. num.6. De aliis caſibus. ibid. An priuilegia Regularium, & quando cenſeantur derogata per conſtitutiones poſteriorum Pontificum.ibid num.7.An abſoluere poſſint à pœnis Eccleſiaſticis. ibid. n.8. An à caſibus Papalibus occultis.ibid. num.9. An diſpenſare in irregularitatibus. ibid num. 10.Quid de confeſſariis Regularibus ſolùm pro Religioſis deſignatis.ibid num.11. Quomodo intelligenda priuilegia Pauli III. pro Ieſuitis. p.138.num.12. & 13. Quid de facultate commutandi vota,ſeu iuramenta.ibid. num.14.15.& 16. Quid de priuilegio alio Eugenij IV. pro Carmelitis. ibid. num.17. An diſpenſent in irregularitatibus. Ibid. & ſeq. num.18. Quid de Confeſſariis Regularium circa caſus reſeruatos. p.139. n.19. An validè abſoluant contra voluntatem Prælatorum. ibid.n.20. Abſoluunt ſuos Religioſos vbique.ibid.n.21. Niſi mutauerint domicilium.ibid.Item ſuos Prælatos.p.140.n.25.

Confeſſio quot modis poteſt eſſe nulla: verbo *Confeſſio* p.141. & ſeq à num.2. In quibus caſibus dimidiari poſſit. p.142.num.7. Quomodo fieri poſſit in caſibus periculi, vel articuli mortis. ibid. n.8. Quid in caſu quo morti proximus loqui non poſſit, & confeſſionem priùs petierit, ibid. n.9. Quid quando illam non petierit ibid.n.10.Quid quando nec ſigna contritioni dederit.p 143.num.11. Quæ conditio,& quomodo adhibenda in aliquibus caſibus. ibid. num.12. Quis poſſit in talibus caſibus abſoluere.ibid.num.13. An id etiam ſit verum pro caſibus periculi mortis.ibid. num.14. Quæ cautio petenda à moribundo habente caſus reſeruatos. ibid.n.16.

Confirmamus, & innouamus, &c. clauſula quid importet: verbo *Clauſula* p.111. n 15.

S.Congregationes Eminentiſſimorum Cardinalium: verbo *Sac Congregatio* p.146 n 2. De Sacra Congregat. Rituum ibid & ſeq n.2. Ipſâ inconſultâ Ritus ſuos immutare non poſſunt Regulares. p.147. n.3. Quibus declarationibus ipſius fides adhibenda. ib. n.5. De Sacra Congregatione Concilij. ibid. n.6. De ipſius declarationibus. ibid. num.7.8. & 9. Quæ habeantur vt authenticæ. ibid. num.10. & ſeqq. Semper ſunt venerandæ. p. 148. num.14. De Sacra Congregatione Regularium.ibid.n.15.

Confraternitatum præcedentia: verbo *Præcedentia quoad Regulares*. p.495. num.5. Proceſſiones, verbo *Proceſſio quoad Regulares*.550.n.9.& 10.An teneantur ad Seminarij contributionem: verbo *Seminarium*, p.543.num.10. An recipiant oblationes factas capellis, in quibus ſunt fundatæ, verbo *Oblatio facta Regularibus*. p.462. num 4. De hac materia remiſſiuè.p.144.num.1. Reſponſio ad quoddam dubium circa inſtitutionem confraternitatis centuriatorum. ibid.n.2. Videntur ritè inſtitutæ in Prouincia Caſtellæ. ibid. num.3. Ex auctoritate Cardinalis Gregorij Petrachini ſibi conceſſa à Gregorio XIV. ibid. n.4.Verba conceſſionis.ibid. num.5. Quæ auctoritate Apoſtolicâ fiunt, rata, & firma cenſentur.ibid.n.6.Papa poteſt ſibi adminiſtros, & ſuæ auctoritatis participes accipere.ibid.n.7.Maximè auctoritate ſpeciali.ibid. n 8. Dictio *ſpecialiter*, plus denotat quàm generaliter. ibid. num.9.Talis eſt praxis omnium Religionum. p.144.n.10. Confraternitates huiuſmodi vſque ad annum 1604. validæ cenſeri debebant. ibid.num.11. Poſt hoc tempus debent de nouo inſtitui.ibid.num.12. Ex Bulla Clement.VIII.ibid.n.13. Clauſula *quarum auctoritate*, expenditur. p.145. num.14. Ad quem ſpectat hæc noua inſtitutio.ibid.num.15. Breue Gregorij XIII. ibid. An ſit reuocatum à Gregorio XIV. ibid.n.16. Res facilè reuertitur ad ſuam primæuam naturam. ibid.num.17. An id poſſit facere Vicarius Generalis.ibid.num.18. Conceſſio Gregorij XV.ibid.numero 19.Clauſula *cum omnimoda poteſtate*.p.145.numero 20. Sine præiudicio Generalis.ibid.num.21. Caſu quo id ſpectet ad Generalem, an poſſit delegari.ibid.num.22. Poſtulatio facta ad S.Congregationem.ibid.num.23.Reſponſio eiuſdem.ibid.n.24. Viuæ vocis oraculum Pauli V. p.145. n.25. Pœnæ contra tranſgreſſores.ibid.n.26. Conſilium aliud de eadem materia. ibid.num.27. Congregationes quædam concurrentes ad recitandum *Pater noſter*, & *Aue Maria*, in quadam Eccleſia, ſunt Congregationes piæ, & deuotæ. ibid. num.28. Non tamen ſunt veræ Confraternitates. ibid. & ſeq.n.29. Sunt ordinatæ ad pia opera.p.146.n.30. Ex fine res denominatur. ibid.num.31. Non ſunt conformes Confraternitatibus, de quibus Clemens VIII. ibid.num.32. Verba vbi non conueniunt,nec diſpoſitio habet locum, ibid num.33. Obiectio in contrarium.ibid.num.34. Reſponſio ibid.num. 35. Verba adaptari debent communi vſui,& modo loquendi.ibid.num.36.Nullibi vocantur Confraternitates, niſi quæ habent ſaccum, veſtes, vel ſigna. ibid. num.37. Hoc non competit huiuſmodi Congregationibus.ibid.num.38. An poſſint plures inſtitui in eodem loco. ibid. num.39. Epiſcopus ad minus poteſt diſpenſare. ibid.n.40.

Conſentientes alicui electioni, an poſſint opponere ſe contra illam. *in relect.* p. 60. & ſeq. num.6. & 15.

Conſilium,ſeu conſenſus,cùm committitur alicui facere aliquid cum conſilio & conſenſu alterius,quid importet: verbo *Littera Apoſtolica*.p.384.n.21.

Conſtitutiones Regularium non ſufficienter promulgatæ, non obligant illos, verbo *Leges Regularium*. p.357. num.4. Nec quando ſunt contrariæ bono communi.ibid. num.5. Nec quando ſunt impeditiuæ operum charitatis. ibid. num.7. Nec iniuſtæ. ibid num.8. Nec impoſſibiles. ibid. num.9. Conſtitutiones Ioannis Soreth pro Carmelitis approbatæ à Clem. VII. *in relect* p.607. & 610. n.55. & 69. Conſtitutio de largitione munerum quando legenda à Regularibus: verbo *Lectio quoad Regulares*. p.346 n.9. Conſtitutio Gregor.XV.circa reuocationem Oraculorum viuæ vocis, verbo *Oracula viuæ*

vocis. p.474. n. 2. Alia Sanctiſſimi D. N. Vrbani. ibid. n.3 Animaduertenda circa illas. p.475.n.4. & ſequent. Conſtitutio Gregor. XIII. circa præcedentiam in proceſſionibus : verbo *Præcedentia quoad Regulares.* p.492.n.6. Conſtitutiones de qualitate eligendorum legendæ ante quamcunque electionem : verbo *Electio quoad Regulares.* p.546. num.8. Conſtitutio SS. D N. Vrbani contra Monetarios, verbo *Monetarij.* p.427.n.1. Pij V. circa non ſoluendam quartam funeralem à Mendicantibus : verbo *Quarta funeralis.* p.522.n.6. Conſtitutiones Summorum Pontificum interdicentium recurſum ad extraneos pro conſequendis officiis Religionum; verbo *Officia Religionum.* p.466. n.10. & ſeqq. Quomodo illæ intelligendæ. ibid. Conſtitutio Sanctiſſimi D. Noſtri Vrbani circa habitum Sanctarum Imaginum, verbo *Sanctorum cultus.* p.541. n.14. Circa Religioſos tranſeuntes ea vna Religione ad aliam, & vota ipſorum: verbo *Tranſeuntes Regulares.* p.577.n.14.

Conſtructio Eccleſiarum quomodo facienda, ex Decreto S. Congreg. Viſitationis : verbo *Monaſteria Regularium.* p.419. n.17.

Conſuetudo quid ſit, verbo *Leges Regularium.* p. 566. & ſeq. n.54. & 55. Quæ conditiones ad illam requirantur. ibid. Quando inducere poſſit legem. p.367.n.57 Conſuetudo Carmelitarum eligendi Priores in Diffinitorio, *in relect.* p.610.n.70. Conſuetudo immemorialis quantæ authoritatis ſit. p.611. num.75.

Contractus à Religioſis facti, quomodo ſubſint authoritati ſuorum Superiorum : verbo *Prælatus Regularis.* p 497. n.17.

Conuentus in quibus recipi poſſunt Nouitij : verbo *Nouitij, & Noui in Religionum.* p.450.n.3. Quando cenſeantur approbati pro Nouitiatu. p.451.& ſeq. n. 9. Quomodo conuentus teneantur ad officium diuinum : verbo *Officium diuinum.* p.468.n.2.& 4. Quid de conuentibus paruis. p.469.n.8.

Conuerſi, & conuerſæ. p.149. n 1. Dubium de Conuerſis Ordinis Minorum, an debeant habere vocem in electionibus, ibid.n.2. Id videtur conforme Regulæ huius Religionis.ibid.n.3. Verba Regulæ. ibid.num.4. Regula eſt veluti amuſſis actionum Religioſorum. ibid.n.5. Regulæ diffinitio ex Gregorio Nazianzeno.ibid.n 6 Regula eſt veluti anima Religionis. ibid.n.7. Regula eſt veluti alter Deus. ibid. n. 8. Obiectio ex Diuo Bonauentura. ibid.n 9. Regula iſta à Deo inſpirata creditur. ibid. n. 10. Pro ſæculis futuris etiam fuit conſcripta. ibid.n 11. Sanctus Franciſcus Spiritu Propheriæ claruiſſe creditur. ibid.& ſeq.num.12. Lex, ſi voluiſſet, expreſſiſſet. p.150.n.13. Sanctus Franciſcus noluit mutare aliquid de Regula. ibid.n.14. Quid ad Diuum Bonauenturam. ibid. n 15. Fauet caput octauum Regulæ ibid. n.16. Num dici poſſit eſſe abrogatam à Gregorio IX. ibid.n.17. Quid ad hoc dicendum. ibid. n.18. In vno, vel altero puncto Regulæ pro caſu particulari diſpenſare admitti poteſt. ibid.n.19 Laici per Regulam ius habebant ad præfatam vocem. ibid. n.20. Quid dicatur ipſummet Papam reuocaſſe punctum Regulæ. p.150. n.21. A ſolitis fieri validum deſumitur argumentum. ibid. n.22. An talis reuocatio fuerit facta ad inſtantiam fratris Eliæ. ibid.n.23. An fuerit retardata ab ipſo Papa. Ibid.n.24. Obiectio ex ipſomet Gregorio IX. ſoluitur. ibid.n.25. Non fuiſſe talem reuocationem. ibid.n.26. Fuerunt in hac Religione aliqui laici, qui habuerunt officia. ibid. n.27. Inter Monachos antiquos multi, qui erant ſolùm laici, erant Superiores. p.151.num.28. Non obſtat caput ex eo, de elect. in 6. ibid. n.29. Ibi non eſt ſermo de laicis fratribus. ibid.n.30. Colligitur ex cap. *licèt Romanos*, de Conſtitut in 6. ibid.n.31. Non expreſſa non nocent. ibid. n.32. Gloſſa capitis *ex eo.* ibid. num.33. Textus in cap. *Meſſana*, de elect. p.151.n.34. Ibi videtur eſſe ſermo de laicis ſæcularibus. ibid. n.35. Nec obſtat Clement. *vt ij.* ibid. n.36. Loquitur de iis, qui ſunt Clerici, aut Choriſtæ. ibid. n. 37. Gloſſa. ibid. num. 38. Et ex mente Pontificis. ibid.n.39. Quid de Concilio Tridentino. p.151. n.40. Innouatorium ex Clement. *vt ij.* ibid. n. 41. Declaratio Sacræ Congregationis. ibid. n.42. Declaratio Pij V. ibid. n.43. An ſubſiſtat, quia eſt viuæ vocis oraculum. ibid. & ſeq. n.44. Videtur ſubſiſtere, quia eſt mera declaratio. p.152. n.45. Non obſtat, quod Vrbanus Papa eam appellet conceſſionem. ibid.n.46. Latâ ſignificatione concedi dici poteſt. ibid. n.47. Votum Academiæ Sorbonenſis ibid.n.48. Laici Sancti Franciſci acceperunt ius vocis habendæ ex capite ſeptimo Regulæ. ibid. n.49 Iſti iuri derogatum non eſt per Conſtitutionem Gregorij IX. ibid. n.50. Nec per alia iura. ibid. n. 51. Dicti Fratres Laici nihil prætendere debent, præter ius, & æquum. p.152.n.52. Apud Summum Pontificem eam vocem requirunt. ibid.n.53. Subſcriptiones DD. ibid.n.54. Non videtur inconueniens, quod detur iſta vox actiua Laicis. ibid.n.55. Quid de paſſiua. ibid.n.56. Decretum Concilij Tridentini. p.1 2.n.57. Promoti ad dignitates, & Prælaturas Regulares, confeſſiones Fratrum ſolent audire. ibid.num.58. Alia munera ſolùm important adminiſtrationē. ib.n.59.

Crimina propter quæ Viſitatores Regulares debent formare proceſſus: verbo *Viſitator Regularis.* p.590. n.8. An antè iam commiſſa per multum tempus. ibid. Crimina excepta quæ dicantur: verbo *Tortura Regularium.* p. 574. n.4. Criminoſi quibus negatur ſepultura in loco Sacro : verbo *Sepultura quoad Regulares.* p.349. Quas pœnas incurrant illos ſepelientes. p.550.n.24. Quando illas non incurrant. ibid.n.25.

Cultus Sanctorum duplex, alius publicus, alius priuatus : verbo *Reliquia Sanctorum.* p.551. n.7. & 9. Alia quæ ad ipſum ſpectant : verbo *Sanctorum cultus*, per totum. p.539. & ſeq.

Conſcientiam tuam oneramus, clauſula quid ſignificet: verbo *Clauſula.* p.111. n.16.

Conſecratio quid ſit : verbo *Conſecratio.* p.148.num.1. Quomodo differat à benedictione. ibid. An pertineat ad Prælatos Regulares. ibid. n.2.

Contradictores quoslibet compeſcendo, clauſula, quam authoritatem tribuat, verbo *Clauſula* p.111.n.17.

Crux quomodo non inferenda in Parochias pro defunctorum corporibus deferendis : verbo *Crux quoad Regulares.* p.153. n.1. An deferenda in proceſſionibus cooperta ibid. An cruces, vel noua inſignia ferenda in proceſſionibus. ibid.n.1 Quomodo ponenda in Altari. ibid.n.5. Cruce pectorali qui poſſunt vti. ibid.n.4.

Cum, dictio aliquando ſtat principaliter: verbo *Dictio.* p.174.n.12.

D

DAmnati ad mortem an priuentur ſepulturâ Eccleſiaſtica : verbo *Sepultura quoad Regulares.* p.550. n.27. Damnati ad triremes habitu ſpoliari debent: verbo *Triremium pœna.* p.580.n.5. An etiam finito tempore triremium. ibid. Quando reuertuntur ad Religionem non amittunt genituram. ibid. Cui adquirunt tempore quo ſunt in triremibus. ibid.n.6.

Dare pro acceptione ad Religionem, quando ſit Simonia:

monia : verbo *Simonia quoad Regulares.* p. 154. n.6. Pro Sacramentis. ibid. n.6. Pro Sacramentalibus. ibid. n.7. Pro rebus Sacris permanentibus. p.555. n.8. Pro Sepultura. ibid. n.9. Pro actibus, ſeu exercitiis ſcientiarum. ibid. n. 10. Pro licentiis, & aliis rebus ſpiritualibus. ibid. n. 11. & ſeqq.

Dare, ſeu donare probibitum eſt Regularibus à Clem. VIII. adbibitâ declaratione ſub Sanctiſſimo D.N. Vrbano : verbo *Dare, ſeu Donare.* p. 153. & & ſeq. n.1.2. & 3. Bona ea quibus probibita eſt donatio. p.154. n.4. Probibita eſt etiam donatio inter ipſos Regulares. ibid. n.5. Erogare etiam, ſeu expendere in alicuius honorem, ipſis prohibitum. p.151. n.6. Caſus in quibus liceat Regularibus munera largiri. ibid. & ſeq. n.7.8 & 9. Quid de declaratione ſub Sanctiſſi. D.N. Vrbano. p.156. n.10.11. & 12. Qualiter recipientes aliquid à Regularibus teneantur ad reſtitutionem. ibid. n.13. Pœnæ impoſitæ contra Regulares aliquid donantes. p.157. n. 14 & 15. Quid ſi Religioſus ſucceſſiuè plura modica donauerit. ibid. n. 16. De abſolutione à prædictis pœnis. ibid. n. 17. Quomodo publicanda Conſtitutio Clementis, & declaratio ipſius ſub SS.D.N. Vrban. ibid. n. 18.

Dare, ſeu donare aliquid in Curia pro gratia, ſeu iuſtitia obtinenda, prohibitum Conſtitutionibus Bonifacij VIII. & Gregorij XIII. verbo *Dare, ſeu Donare.* p.158. n.19.10. & 21. Quas perſonas comprehendant. ibid. & ſeq. n. 22. Quid intelligatur nomine *Gratia*, vel *Iuſtitia.* p.159. n.23. Quid per illud *apud Sedem Apoſtolicam.* ibid n 24. & 25. Quid Curia, & domus Papæ. ibid. n. 26. Quæ actiones ſint prohibitæ. ibid. & ſeqq. à n.27. vſque ad 38. Pœnæ contra transgreſſores. p.161. n.39. Quis abſoluat ab illis. ibid. Quâ conditione. ibid. n.40. Pro gratia, ſeu iuſtitia accepta, irrita ſunt. ibid. n.41. Denunciari debent transgreſſores. ibid. n. 42. Actiones prohibitæ à Gregorio XIII. p.162. num.43. Pœnæ contra transgreſſores. ibid. 44. & 45.

Debita defunctorum ſoluere negligentes, regulariter peccant : verbo *Legata Regularibus relicta.* p.335. num.38. An aliquando excuſentur. ibid.

De, dictio naturalitatem importat : verbo *Dictio.* p.175. n.13.

Decernentes irritum, & inane, clauſula quid denotet: verbo *Clauſula.* p.112. n.19.

Decima quid importat, verbo *Decima quoad Regulares.* p.162. num.1. Quotuplex ſit. ibid. Regulares ex multis priuilegiis ab ea ſoluenda exempti ſunt. ibid. & ſeq. n.2.3.4. & 5. An debeant ampliari, vel reſtringi. p.163. n.6. An ſint perſonalia, vel realia. ibid. n.7. An in illis valeat communicatio priuilegiorum Regularium. ibid. n.8. Quando perdantur per non vſum. ibid. num.9. Notabilis Rotæ Decicio in cauſa Carmelitarum. ibid & ſeq. An Regulares eximantur à Decimis ex agris illis aquiſitis, vel ſolùm ex noualibus. p.164. num.11. Qualiter probibitum ſit in illis à Decimarum ſolutione retrahere alios. ibid. n.12. Quid præcipiatur ipſis in Concil. Lateranenſi. ibid.

Decreta de *Celebratione Miſſarum, de Apoſtatis, & electis*, quando legenda à Regularibus : verbo *Lectio quoad Regulares.* p.346. num.9. An excuſentur Prælati in hoc negligentes. ibid. num. 10. De pœnis contra tales impoſitis. ibid. num. 11. Decretum de lectione linguarum in Conuentibus Regularium, verbo *Lectio quoad Regulares.* p 346. n.5. & verbo *Nouitij, & Nouitia.* p.453. num.17. Decretum Concilij Lateranenſis circa impreſſionem librorum: verbo *Libr.* p.170. & ſeq. n.1. Decretum Concilij Tridentini de eadem re. p.171. n.2. Decretum Indicis. ibid. n.4. Quomodo ea intelligenda. ibid. n.5. Specialiter quoad Regulares. ibid. num.6. De quibus libris id intelligendum. ibid. n.7. Decretum S. Inquiſitionis pro degentibus Romæ, vel in ſtatu Sedis Apoſtolicæ. p.172. n.12. De prohibitione imprimendi libros de materia auxiliorum. ibid. n.13. De prohibitione imprimendi libros continentes geſta, miracula, &c. defunctorum. p.173. num. 14. De Miſſarum anticipatione: verbo *Miſſa.* p.411. n 52. Quando editum. ibid. n.51. Quomodo intelligendum. ibid. n.53. Decreta circa Monaſteriorum Regularium erectionem : verbo *Monaſteria Regularium.* p.416. n.2. An etiam intelligenda pro recuperatione Conuentuum ab hæreticis occupatorum. p. 427. n.46 Decretum de non recipiendis Conuentibus, niſi in eis poſſint duodecim Religioſi ſuſtentari. p.418. n.8. Decreta de numero conſtituendo in Monaſteriis. p.419. n.15. De conſtructione, ſeu ornatu Eccleſiarum. ibid n.17. Decreta probibentia acceſſum Regularium ad Monaſteria Monialium : verbo *Moniales.* p.433 num.18. & 19. Quas perſonas comprehendant. ibid. & ſeq. num.20. 21. & 22. Decretum de non exercendis quibuſdam artibus à Regularibus : verbo *Negotiatio quoad Regulares.* p.439. num 6. & 7. Decreta circa receptionem Nouitiorum : verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum.* p.450. num 5. & ſeqq. Decreta interdicentia profeſſionem, an illam irritent. p.453. n.16. Decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide ibid. n.17.

Defuncti quomodo ſepeliendi apud Regulares: verbo *Sepultura quoad Regulares.* p.549. n.18. an poſſint exhumari, aut transferri. ibid. n.21. Defuncti adiuuantur bonis operibus viuorum : verbo *Suffragia.* p.565. n.5.

Defunctorum ſepultura libera in Eccleſiis Regularium : verbo *Defunctus.* p. 164. num.1. Quomodo eorum corpora leuanda à Regularibus, ex decreto S.Congregat. ibid. num.2. Quid quando aliquis moritur extra ſuam Parochiam, & vult ſepeliri in Eccleſia Regularium. ibid. num.3. De munere Parochorum circa ſepulturam Defunctorum. p 165. n.4. Cadauer non debet manere inſepultum, occaſione controuerſiæ ſepulturæ. ibid. n.5. Officia Defunctorum à quibus facienda tempore ſepulturæ. ibid. num.6. De aliis ad illam ſpectantibus. ibid. Decretum auditoris Cameræ. ibid. n.7.

Degradatio quid, & quotuplex ſit : verbo *Degradatio.* p.167. num. 1. & 2. Cui competat degradare. ibid. num. 3. Cui degradatos reſtituere. ibid. num. 4. Degradati quibus priuentur. pag. 168. num.5.

Deinde, dictio quid importet, verbo *Dictio.* p. 175. num. 14.

Delinquens Regularis intra clauſtra degens, ſed extra ea : verbo *Delinquens Regularis.* p.168. n. 1. An incarcerari poſſit ab Epiſcopo. ibid. n.2. Quid facere debeat Prælatus ab Epiſcopo monitus. ibid. num. 3. An ſufficiat mittere ſententiam contra illum latam. ibid. n. 4. Intra quod tempus debeat ipſum punire. ibid. n.5. Quid ſi Religioſus delinquat intra Eccleſiam. ibid. n.6.

Denunciatio quid ſit, verbo *Denunciatio, & denunciare pro Regularibus.* p.169. num.2. & 3. Tenentur Regulares denunciare hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. ibid. n.4. An præmittere debeant correctionem fraternam. ibid. An hæreticos iam emendatos. ibid. An idem ſeipſum. Ibid. De obligatione denunciandi Confeſſarios ſolicitantes ad inhoneſta. p.170. n.5. Quomodo intelligenda quæ dixi tom.1. Summæ, in prima editione. ibid. Denunciari debent tales Confeſſarij, etiam non diffamati, ſub peccato mortali. ibid. Quid de Confeſſario ſollicitato à

à fœmina. ibid.n.6. De quibus ſolicitatoribus intelligenda Conſtitutio Gregorij XV. ibid Qui teneantur ad illam. ibid n.7. An denunciantes fiant irregulares, ſecutâ morte denunciati. ibid. Denunciatio facienda eſt intra terminum præfixum in Edictis. p.171. n 8.

Denunciare defectus Regularium in viſitationibus qui teneantur : verbo *Viſitator Regularis*. p.590.n.2. Quando tales arcendi ſunt à denunciatione. ibid. n.10. Dubium, an in Inquiſitione generali denunciatio accipiatur formaliter. p.171.n.9. Reſponſio affirmatiua, ſi aliqua ſeruentur. ibid. num.10. Denunciatio eſt delatio criminis ad vindictam. ibid. n.11. In Generali Inquiſitione hoc contingit. ibid. n.12. Differentia, quæ eſt inter denunciationem Euangelicam, & Iudicialem. ibid.n.13. Denunciatio, quæ fit in generali Inquiſitione, formaliter eſt accipienda. ibid.n 14. Natura Inquiſitionis generalis. ibid. n.15. Et præparatio ad judicium perfectum. p.171. n 16. Sapit naturam ipſius ibid. 17. Colligitur ex monitoriis. ibid n. 18. Verba accipienda ſecundum propriam ſignificationem. ibid. n.19. Forma, & ſtylus, qui ſeruatur. ibid. n.20. Fruſtra fieret Inquiſitio. ibid. n.21. Debet præcedere infamia delicti. p. 172. num. 22. In aliquibus delictis non requiritur. ibid.num.23. Eâ præcedente, Iudex vocat denunciatorem. ibid. n. 24. Denunciator non tenetur probare ſuum teſtimonium. ibid n.25. Si conuincitur falsò denunciaſſe, punitur tanquam denunciator. ibid.n 26. De quodam damnato ad mortem, qui tenebatur denunciare hæreticum. ibid.n.27. Non eſt abſoluendus à Confeſſario, niſi in aliquibus circumſtantiis. p.172. n.28. Abſolutio Sacramentalis non datur indignis. ibid.n.29. Iſte eſt indignus. ibid.num.30. Decretum Sanctæ Inquiſitionis. ibid.n 31. Aliud decretum. ibid. n.32. Excuſatio, quæ non admittitur. ibid n.33. Per accidens eſt, quod iſte damnetur. ibid. n. 34. Quid de quadam declaratione Sacræ Congregationis. ibid. num. 35. Quid de circumſtantiis, in quibus creditur bona fides. ibid. n.36. Quomodo ea colligatur. ibid.& ſeq n.37. An debeat admoneri. p.173 n.38.

De plano, & ſimiles clauſulæ, quid importent : verbo *Clauſula*. p.112.n.20.

De plenitudine poteſtatis, clauſula quos effectus operetur, verbo *Clauſula*. p.112.n.21.

Depoſitio quid ſit : verbo *Depoſitio*. p.173 n.1. Quibus priuetur Clericus, vel Religioſus depoſitus ibid. n 2.& 3. Propter quæ delicta imponenda hæc pœna. ibid. n. 4. Ad quos pertinet in illa diſpenſare. ibid.n.5

Derelictio Monaſteriorum quomodo, aut quando liceat : verbo *Monaſteria Regularium*. p. 426. & 427. n.42.& ſeqq.

Dignioribus dari debent ſuffragia in electionibus : verbo *Suffragia*. p.566. n. 10. An aliquando contingere poſſit contrarium. ibid. Vnde penſari debeat hæc maior dignitas. ibid.

Dictionum cognitio vtilis pro Regularibus : verbo dictio. p.174. num.1. Dictiones *A*, *Ab*, *Ad*, ſignificantes terminum, quomodo accipiendæ. ibid. n. 2. Dictio *Abſque*, non ſemper extat excluſiuè. ibid. n.3. Dictiones *accumulatiuè*, & *priuatiuè*, quid denotant ibid n.4. Dictio *Alias*, quid importat. ibid. n.5. Dictio *Ante*, denotat principiū. ibid.n.6. Dictio *Aut*, eſt alternatiua ibid n.7. Dictio *circa*, quomodo accipienda. ibid.n.8. Dictio *Commodè*, quid importat. ibid.n.9 Dictio *Competenter*, & ſimiles, quid ſignificent. ibid.n.10. Dictio *Continuè*, iuxta ſubiectam materiam accipienda. ibid.n.11. Dictio *Cum*, aliquando ſtat principaliter. ibid & ſeq n.12. Dictio *de*, naturalitatem, ſeu originem importat. p.175. n. 13. Dictio *Deinde*, continuat præcedentia. ibid. n. 14. Dictio *Nec*, eſt reſtrictiua temporis. n.15 Dictio *Dummodò*, quid importet. ibid. n. 16. Dictio *Duntaxat*, & ſimiles, non excludunt caſus, in quibus eadem ratio militat. ibid.n.17. Dictio *Eo caſu*, quomodo accipienda. ibid.n.18. Dictio *&*, aliquando ponitur pro *ſeu*, vt disiunctiua. ibid.n.19. Dictio *etiam*, eſt implicatiua & amplificatiua. p.175. n.20. Dictio *ex*, quomodo verificāda. ib.n.21. Dictio *in*, intrinſecitatem importat. ibid.n.22. Dictio *inſuper*, diuerſitatem ſignificat. ibid.n.23. Dictio *legitimè*, idem eſt, ac ordine iuris ſeruato. ibid. n. 24. Dictio *multum*, ſeu *multa*, aliquando contenta eſt duobus. ibid. n.25. Dictio *nullatenus*, ſeu *nullo modo*, quemcunque caſum excludit. ibid.num 26. Dictio *omnino*, omnia comprehendit. ibid. n. 28. Dictio *omnis*, eſt vniuerſalis. ibid.n.29. Dictio *per*, ſignificat perfectionem. ibid.n.30. Dictio *priuatiuè*, quid importet. ibid.n.31. Dictio *prope finem* diuerſimodè ſumitur. ibid.n 32. Dictio *prorſus*, excludit omnia, & ſingula. ibid n.33. Dictio *qualitercunque*, comprehendit maiora expreſſis. ibid.n.34. Dictio *quomodolibet*, comprehendit omnia. ibid.n.35. Dictio *ſemper*, vel ſimiles, ſumuntur ciuiliter, & humaniter. ibid. n.36. Dictio *ſæpiſſimè*, ad minus debet verificari in tribus. p.176 n.37. Dictio *ſolum*, alios omnes excludit. ibid.n.38. Dictio *ſtatim*, vel ſimiles, verificari ſolent cum aliquo temporis interuallo. ibid. n.39. Dictio *tanquam*, quos effectus habet. ibid.n.40. Dictio *tantùm*, quid importet. n.41. Dictio *temerè*, vel ſimiles, excludunt ignorantiam. ibid.n.42. Dictio *vel*, ponitur inter diuerſa. ibid. n.43. Dictio *verè*, quid importet. ibid. n.44. Dictionis repetitio magnum indicat myſterium. ibid.n.45.

Dicitur plenius contineri, Clauſula quid ſignificet : verbo *Clauſula*. p.112. n.22.

Dimiſſoriæ quid ſint : verbo *Dimiſſoria*. p.176.num.1. & 2. Conceduntur à Prælatis Regularibus pro ſubditis. ibid.& ſeq. num.3.4.5. & 6 Prælati illas concedant. p.177. n.7. Concedere illas eſt actus iuriſdictionis. ibid. n.8. An expirent morte concedentis. ibid. n.9. De pœnis vtentium fictis Dimiſſoriis. ibid. n.10.

Diſcretæ vel approbatæ ab Ordinario, Clauſula quid importet, verbo *Clauſula*. p.112.n.23.

Diſpenſatio quid ſit, verbo *diſpenſare*, *& diſpenſatio*. p.177. n.1. & 2.& ſeq De poteſtate Prælatorum ad diſpenſandum. n.3.& 4. p.178. De facultate Confeſſariorum ad diſpenſandum cum inceſtuoſis. ibid. n.5. & 6. Quid in votis Epiſcopis reſeruatis. ibid. num.7.

Diſpenſationes in votis qualiter, & quomodo faciendæ, verbo *Votum pro Regularibus*. p.596. Quæ pertineant ad Papam. p. 594 n. 11. Quæ ad Epiſcopos. ibid.n.12.& ſeqq. Quæ in votis Nouitiorum, verbo *Nouitij*, *& Nouitia Religionum*. p.457. n 38. Diſpenſationes factæ vi Breuium Sacræ Pœnitentiariæ, verbo *Litera Apoſtolica*, per totum. p.380. & ſeqq. Gratis faciendæ. p.386. n. 34. Quibus verbis. ibid. n. 35. Diſpenſationes in foro externo. ibid. n. 36. Quomodo dandæ diſpenſationes, verbo Notorium. p.449.n.11. Quæ concedi poſſint à Prælatis Regularibus, verbo *Pœna Eccleſiaſtica*. p.489.n.18. & verbo *Prælatus Regularis*. p 496. & ſeq. Quæ à Viſitatoribus, verbo *Viſitator Regularis*. Quæ à Præſide Capitulorum Regularium : verbo *Præſes Capitulorum* p.499. n.9. Diſpenſatio quomodo differat à priuilegio : verbo *Priuilegia Regularium*. p.500. n 3.

De quodam caſu ad intentum ſpectante. p. 179. n.8. Diſpenſatus à Papa ad quemdam Canonicatum, an poſſit alium Canonicatum obtinere. ibid. n.9.

Poteſt, niſi ex verbis ſupplicationis colligatur Papæ conceſſionem reſtrictam fuiſſe. ibid. n. 10. Diſpenſatio eſt ſtricti Iuris, & indiuidua. ibid. n. 11. Diſpenſatus ad beneficium propter illegitimitatem, non poteſt niſi vnum beneficium obtinere. ibid. n. 12. Quæ à iure communi exorbitant, ad conſequentiam non ſunt trahenda. ibid. num. 13. Odioſum eſt aliquem eximi à lege, quæ æqualiter obligat omnes. ibid. n. 14. Authores pro hac parte. ibid. n. 15. Quid in caſu contrario, quando non colligitur Papæ reſtrictio. ibid. n. 16. Beneficium Principis latè eſt explicandum. ibid. n. 17. Poteſtas diſpenſandi latè interpretanda. ibid. n. 18. Gratia, & beneficium interpretandum amplè. ibid. n. 19. Fauores conuenit ampliari. ibid. n. 20. Quoties vnum conceditur propter aliud, debet participare ipſius naturam. p. 179. n. 21. Quid ſi admitteretur diſpenſatio ſtrictè. ibid. n. 22. Debet extendi ad id, quod concedens intendit. ibid. n. 23. Authores pro hac parte. ibid. n. 24. Qualis fuerit intentio Papæ in hac diſpenſatione. ibid. n. 25. Diſpenſatio non debet eſſe copioſa, aut illuſoria. ibid. n. 26. Priuilegium debet intelligi iuxta materiam, in quam cadit. p. 179. n. 27. Quid in caſu, quo Pontifex concedat facultatem ad teſtandum. ibid. n. 28. Authores huius partis. ibid. n. 29. An valeat in diſpenſationibus argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus. ibid. n. 30. An quando eſt eadem ratio. ibid. n. 31. Quando fiat extenſio de vno ad aliud. ibid. n. 32. In quibus diſpenſationibus id procedat. ibid. n. 33. Quid de Religioſo diſpenſato ad aliquod officium ſuæ Religionis. ibid. n. 34. De probabilitate huius ſententiæ. p. 180. n. 35. Diſpenſatio quando cadit ſupra perſonam. ibid. n. 36. An diſpenſatus ad beneficium cenſeatur diſpenſatus pro pluribus vicibus. ibid. n. 37. Quid pro caſu præſenti. ibid. n. 38. Quid de diſpenſato in votis caſtitatis. ibid. n. 39. An ſit hæc lata interpretatio. ibid. n. 40. De diſpenſato à Papa ad beneficium ſimplex. ibid. n. 41. Opinio quorumdam. ibid. num. 42. An diſpenſatus ad beneficium poſſit illud commutare. ibid. n. 43. An procedat in hoc caſu Regula de æquiparatis. ibid. n. 44. Concluſio dictorum. ibid. n. 45.

Diuina, quibus priuatur ſuſpenſus à diuinis, quæ ſint: verbo *Suſpenſio quoad Regulares*. p. 568. n. 10.

Domus Religioſorum an capaces ſint legatorum: verbo *Legata Regularibus relicta*. p. 348. n. 7. Domus ſæcularium qualiter ædificari non poſſint iuxta Monaſteria: verbo *Monaſteria Regularium*. p. 421. num. 23.

Donatio quomodo differat à legato: verbo *Legata Regularibus relicta*. p. 347. n. 2. Donationes qualiter fieri poſſint à Nouitiis: verbo *Nouity, & Noui in Religione*. p. 456. n. 32. & 33.

Dos Monialium qualiter, aut quomodo deſignanda: verbo *Moniales*. p. 430. n. 7.

Diſtrictè præcipimus, clauſula quam vim habeat, verbo *Clauſula*. p. 113. n. 24.

Dos Monialium, verbo *Dos*. p. 180. n. 1. Qualiter dari poſſit pro Monialium ſuſtentatione. ibid. & ſeq. n. 2. 3. 4. & 5. Quid quando Monialis tranſit de vna Religione ad aliam. p. 181. n. 6. Dos monialis durat apud Monaſterium poſt ipſius mortem. ibid. n. 7. De dote pro Monialibus ſupernumerariis. ibid. n. 8.

Dubia Regularium, verbo *Dubia Regularium*. p. 182. n. 1. Quando agere, vel omittere aliquid cum dubio ſit peccatum. ibid. n. 2. 3. & 4. Regula illa, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, quomodo intelligenda. ibid num. 5. Quomodo illa, *In dubiis tutior pars eſt intelligenda*. ibid. num. 6. Quid de Religioſo dubitante de lege, aut præcepto ſuæ Religionis, aut Superioris. ibid. n. 7. Quid de dubitante an ſit irregularis. p. 183. n. 8. Quid quando dubitat an ſit affectus aliqua cenſura ibid. n. 9. Quid quando dubitat an emiſerit, vel adimpleuerit aliquod votum, vel iuramentum. ibid. n. 10. De dubitante an teneatur ieiunare, vel dicere Officium. ibid. n. 11. An compleuerit ætatem ad ieiunandum, vel recipiendum Ordines. ibid. n. 12. An poſt mediam noctem aliquid cibi, vel potus ſumpſerit. ibid. n. 13. De dubitante die Iouis, an ſit tranſacta media nox. ibid. n. 14. De dubitante de alterius excommunicatione. ibid. n. 15. De valore Profeſſionis. p. 184. n. 16. An omiſerit aliquam partem horæ Canonicæ. ibid. n. 17. Reſolutio cuiuſdam dubij circa illud, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. ibid. n. 19. Habetur hæc regula ex multis iuribus. ibid. n. 20. Et ex Doctoribus. n. 21. Loquendo de dubio practico eſt præceptum. ibid. n. 22. De dubio ſpeculatiuo eſt conſilium. p. 184. n. 23. Moxne quando adeſt poſſeſſio. ibid. n. 24. Qui poſſidet, dicitur *Beatus*. ibid. n. 25. Pro qua parte ſit poſſeſſio. ibid. n. 26. Iudicium vtriuſque fori eſt idem, niſi, &c. ibid. n. 27. *Melior conditio poſſidentis*, maximè eſt in materia iuſtitiæ. ibid. & ſeq. n. 28. Quid de aliis materiis. p. 185. n. 29. Sententia probabilior. ibid. n. 30. Poſſeſſio eſt titulus vniuerſalis. ibid. n. 31. Aliqui caſus, in quibus in dubio tutiorem partem ſequi ſit præceptum. ibid. n. 32. Primus de dubio facti circa homicidium. ibid. n. 33. Secundus de dubio excommunicationis notæ ex fama. ibid. n. 34. Tertius deſumptus *ex cap. iuuenis, de ſponſal*. ibid. n. 35. Alia remiſſiuè. ibid. n. 36.

Duellum quid ſit, verbo *Duellum*. p. 185. n. 1. 2. & 3. Quomodo, & à quibus ſit prohibitum. p. 186. n. 4. 5. 6 & 7. An pœnæ duelli incurrantur non ſequuto effectu pugnæ. p. 187. n. 12. De excommunicatione, quæ incurritur. p. 188. n. 16. & 13. De aliis pœnis. ibid. n. 14. & 15 Caſus in quibus non incurruntur. ibid. & ſeq. n. 16. & 17. Quid de Religioſis, vel Clericis duellantibus. ibid. n. 18.

Dummodo aliam ſimilem non conceſſerimus, clauſula apponi ſolita in conceſſionibus indulgentiarum, quomodo intelligenda, verbo *Clauſula*. p. 113. n. 25.

E

Ebrioſi eligi non poſſunt in Prælatos Regulares: verbo *Prælatus Regularis*. p. 495. n. 7.

Eccleſiæ an aliquando, & à quibus prophanari poſſint; verbo *Prophanatio Sacrorum*. p. 521. n. 3. Eccleſiæ etiam Parochiales, an recipi poſſint à Regularibus: verbo *Monaſteria Regularium*. p. 421. n. 21. Eccleſiæ Regulares quomodo teneantur ad Officium diuinum: verbo *Officium diuinum*. p. 468. n. 2. Eccleſia in qua quis ſepeliri debeat, quæ ſit: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p. 546. n. 9. Eccleſiæ Regulares an teneantur cantare duas Miſſas aliquibus diebus: verbo *Miſſa*. p. 410. n. 49.

Eccleſia materialis, quæ, & quotuplex ſit: verbo *Eccleſia*, ſeu *Templum*. p. 189. n. 1. Ad quem ſpectat illam conſecrare. ibid. & ſeq. n. 2. 3. 4. & 5. Benedicere ſolemniter Eccleſias Regularium ad quos pertineat. p. 190. n. 7. Conſtruine, aut ædificari poſſint ſine dote competenti. ibid. n. 7. An Epiſcopus primarium lapidem, & Crucem ponat. ibid. n. 9. Celebrare non licet, niſi in Eccleſia conſecrata, aut benedicta. ibid. n. 10. Celebrare in Eccleſia violata quale peccatum ſit. p. 191. num. 11. Polluitur Eccleſia multis caſibus. ibid. n. 12. An tunc polluantur cœmeteria, & aliæ partes Eccleſiæ. ibid. n. 13. An reconcilietur Eccleſia, ſi vel

Digitized by Google

ſemel in ipſa poſteà celebretur. ibid. Eccleſia conſecrata quomodo reconcilietur. ibid. n. 14. Quid de priuilegiis Regularium. ibid. n. 15. An Prælati Regulares habeant circa hoc aliquod priuilegium. p. 192. n. 16. Declarationes Sac. Congregat. ibid. n. 17. & 18.

Edicta denunciationem quorumdam delictorum præcipientia, licita ſunt: verbo *Denunciatio, & Denunciare*. p. 170. n. 7. Qui, & quomodo obligentur ad illa. ibid. & ſeq. n. 7. & 8. Vide *Denunciatio, & Denunciare*. ibid.

Editio librorum quomodo facienda à Regularibus: verbo *Libri*. p. 170. & ſeq. n. 1. & ſeqq. Quæ licentia ad id requiratur. ibid. & p. 371. n. 6.

Eiecti Regulares, verbo *Eiecti Regulares ob Ordine*. p. 195. n. 1. Qualiter viuentes in ſæculo debeant eſſe. ibid. n. 2. An ſint ſuſpenſi, vel irregulares. p. 193. n. 3. & 4. An caſu quo diſpenſentur, à quo Epiſcopo ordinari poſſint. ibid. n. 5. Quo titulo. ibid. n. 6. An ſint capaces Beneficiorum. ibid. n. 7. In quo habitu debeant incedere. ibid. n. 8. An audiantur circa bona relicta Religioni. ibid. n. 9. Quid ſi eiecti ſunt propter crimina ſibi falsò impoſita. ibid. n. 10. Quid de Monialibus. ibid. & ſeq. n. 11.

Electio Prælatorum Regularium quomodo facienda: verbo *Prælatus Regularis*. p. 494. n. 2. Quas conditiones debeant habere. p. 495. n. 3. 4. & ſeqq. De electionum libertate, verbo *Præſes Capitulorum*. p. 499. n. 5. De ſecreto illarum. ibid. n. 6. De Præſide in ipſis, eo verbo *Præſes Capitulorum*, per tot. p. 498. & ſeq. Electionis ad officia Ordinum renunciatio an admittenda: verbo *Renunciatio inter Religioſos*. p. 532. n. 11. Quando in tali electione committatur ſimonia, verbo *Simonia quoad Regulares*. p. 557. n. 20. & 21. Electiones quæ, & à quibus impugnari poſſint, *in relect.* p. 600. n. 1. & ſeqq. Quibus conditionibus. ibid. n. 5. & ſeqq. Electio inualida an ratificetur per conſenſum. p. 602. n. 17. Electionis cauſa agitari poteſt per Procuratores. p. 603. n. 17. Quales eſſe debeant. ibid. n. 18. & ſeq.

Eleemoſyna maior non poſtulanda pro iis qui ſepeliuntur apud Regulares, quàm apud Parochos: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p. 545. num. 5. Eleemoſyna qualiter voueri poſſit, aut non à Regularibus: verbo *Votum pro Regularibus*. p. 598. n. 28. Eleemoſyna pro Miſſis dicendis qualis, & quanta debeat eſſe: verbo *Miſſa*. p. 398. n. 10. & ſeqq. An poſſit pars illius retineri commendando aliis Miſſam. p. 405. n. 35. Eleemoſynas petere quomodo licitum, aut prohibitum Regularibus: verbo *Quæſtuarij Regularium*, per tot. p. 524. & ſeq. Qualiter Regulares viuentes ex eleemoſynis teneantur bona opera ipſorum applicare pro benefactoribus: verbo *Suffragia*. p. 565. n. 6. An peccent mortaliter aliter facientes. ibid. n. 7.

Eleemoſyna pro Iubilæo conſequendo qualis debet eſſe: verbo *Iubilæum*. p. 330. n. 14.

Electio inter Regulares quomodo facienda: verbo *Electio inter Regulares*. p. 196. n. 1. 2. & 3. Quid quando duo, vel tres ſolùm ſunt in aliqua Communitate. ibid. n. 4. Qui, & quomodo vocandi ad electionem. ibid. & ſeq. n. 5. & 6 De deſignatione Procuratoris ad eligendum. p. 197. n. 7. De conditionibus eligentium. ibid. n. 8. Electio Prælati non facienda ante Prædeceſſoris ſepulturam. ibid. n. 9. Qualiter Spiritus ſancti adiutorium inuocandum ſit. ibid. n. 10. De ſecreto ſeruando in electionibus. ibid. n. 11. De libertate ad ipſas requiſita. p. 198. n. 12. Quo tempore petenda eſt confirmatio. ibid. n. 13. Hymnus *Te Deum Laudamus*, in fine electionis an ſit de eſſentia. ibid. n. 14. De qualitatibus eligendorum. ibid. n. 15. De ſociis Priorum, ſeu Guardianorum. p. 198. n. 16. Decretum Sacræ Congregationis pro Minoribus de Obſeruantia. ibid. n. 17. An conſuetudo laudabilis. ibid. n. 18. Dubium aliud de electione cuiuſdam ſocij pro quodam Capitulo Generali. ibid. n. 19. Factum quale fuerit. ibid. n. 20. Talis ſocij electio non videtur legitima. p. 199. n. 21. Quia electus erat definitor. ibid. n. 22. Ex mente Conſtitutionis. ibid. n. 23. Dictio *nullus*, nullitatem actus importat. ibid. n. 24. Clauſula *nullus poteſt*, & ſimiles aliæ. *non poteſt*. ibid. n. 25. Non obſtant alia verba Conſtitutionis. ibid. n. 26. Explicatur Conſtitutio. ibid. n. 27. Qui cauſaliter abeſt, abeſſe non dicitur. ibid. n. 28. Expenditur alia Conſtitutio. p. 199. n. 29. Alius locus Conſtitutionum. ibid. n. 30. Verba *ſtatuto tempore*, ad quodcumque tempus referenda. ibid. n. 31. Ex natura definitoriatus. ibid. n. 32. Regimen huius Religionis non eſt Monarchicum. ibid. n. 33. Ius commune id præſcribit. ibid n. 34. Alia Conſtitutio. ibid. & ſeq. n. 35. Occurritur obiectioni in contrarium. ibid. n. 36. Quomodo intelligatur illud: *Subrogatum ſapit naturam eius, cui ſubrogatur*. p. 200. n. 37. Occurritur alij obiectioni. ibid. n. 38. Ex alia Conſtitutione. ibid. n. 39. Doctrina S. Thomæ ad intentum. ibid. n. 40. Diffinitores habent votum deciſiuum. ibid. n. 41. Quomodo applicandum ad intentum illud, *ceſſante cauſa ceſſat effectus*. ibid. n. 42. Solutio ſecundi dubij. ibid. num. 43. Electio inhabilis nulla eſt ipſo iure. ibid. n. 44. Non obſtat conſtitutio quædam, quæ adducitur. p. 200. n. 45. Expoſitio ipſius. ibid. num. 46. Ille Magiſter erat etiam Commiſſarius Generalis. ibid. n. 47. An cenſendus Conuentualis illius Conuentus. ibid. num. 48. Mendicantes vocantur Religioſi, etiamſi actu non mendicent. ibid. n. 49. Regula, *acceſſorium*, de regulis iuris. ibid. n. 50. Exemplum aliorum abſentium. p. 201. num. 51. Decretum Generalis. ibid. n. 52. Admiſſio talis Magiſtri pro legitimo ſuffragatore. ibid. n. 53. Aliud dubium circa materiam electionis. ibid. n. 54. Caſus dubij. ibid. n. 55. Electiones contra ſtatuta Prouinciæ caſſantur à Generali. ibid. num. 56. Caſſantur electiones factæ contra modum præſcriptum in Conſtitutionibus. ibid. n. 57. Praxis, & ſtylus S Congregationis. ibid. n. 58. Poteſt Generalis creare nouum Prouincialem. p. 202. n 59. Quia prima prouiſio non eſt ſortita ſuum effectum ibid. n. 60 In prouiſionibus ſolus effectus attenditur. ibid n. 61. Verba diſpoſitionis intelliguntur cum effectu. ibid. n. 62. Idem eſt actum eſſe nullum, & non eſſe effectuatum. ibid. n. 63. Præſertim in gratiis factis à Papa. ibid. n. 64. Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum. p. 202. n. 65. Occurritur obiectioni cuidam. ibid. n. 66. Parum iuuat habere prouiſionem Apoſtolicam, ſi non habet effectum. ibid. num. 67. Prouiſio ſine effectu, eſt ſicut corpus ſine anima. ibid. n. 68. Maximè in fauorabilibus, & gratioſis. ibid n. 69. Et quando ſunt in Eccleſiæ fauorem, vel publicam vtilitatem. ibid. n. 70. Occurritur cuidam obiecto. p. 202. n. 71 Quando prouiſio valet etiam pro ſecunda vice. ibid. n. 72. Occurritur alteri obiectioni. ibid. n. 73. Factum non reputatur, quod non habet effectum. ibid. n. 74. Factum non dicitur, dum aliquid addendum ſupereſt. ibid. n. 75. Quando aliquis cenſeatur Superior ſecundum ſtylum Religionum. ibid. n. 76. Poſſeſſio, & quaſi poſſeſſio quando contingant. ibid. n. 77. Quæ conditiones ad illam requirantur. ibid. n. 78. Poſſeſſio ex actu æquiuoco non releuat. ibid. numero 79. Auctoris ſubmiſſio. ibid. num. 80. Aliud dubium de quodam Capitulo, vbi erant quinque vocales p. 202. n. 81. Poteſt fieri electio. ibid. n. 82.

Electio

Digitized by Google

Magis Notabilium.

Electionis definitio. ibid. n.83. Ex nullo capite variata eſt hæc electio. ibid. n.84 Quodlibet collegium poteſt eligere. ibid. n.85. Non obſtat paucitas habentium vocem paſſiuam. ibid. n.86. Quid quando ſunt duo, vel tres eligibiles. ibid. n. 87. Colligitur ex electione Sancti Mathiæ. ibid. & ſeq. n.88. Et declaratione quadam Sacræ Congregationis. p. 203. n. 89. Quando ſaluetur eſſentia electionis. ibid n. 90. Non obſtat huic electioni defectus ſecreti, & libertatis. ibid. n.91. Quia lex non obligat, quando ſeruari non poteſt. ibid. n.92. Adhuc ex illo capite ſaluatur ſecretum. ibid. n 93. Quia vota non publicantur ex culpa, vel dolo. ibid. n.94. Quomodo in illa ſaluetur libertas. ibid. n.95. An electiones Regularium fieri poſſint per Procuratorem. ibid. n.96. Votum non poteſt exprimi per litteras. ibid. n. 97. Quid ſi oppoſitum habeatur per Conſtitutiones approbatas. ibid. n.98. Quid quando aliquis elector eſt infirmus. ibid. num.99. De quibus infirmis eſt intelligenda quædam Conſtitutio Ordinis Prædicatorum. ibid. num. 100. Inſtitutio Procuratoris, ſtando in iure communi, admittitur. p.204. n.101. Probatur ex Iuribus, & Doctoribus. ibid. n.102. Poſſunt etiam conſtitui plures procuratores. ibid. n.103. Quando elector eſt abſens à loco, vbi fit electio. ibid. n. 104. In aliis negotiis ab electione etiam præſens poteſt conſtituere Procuratorem. ibid. n.105. Quid cùm elector eſt in ea ciuitate. p. 204 n.106. Alia conditio eſt, quod elector ſit impeditus. ibid. n. 107. Quæ cauſæ efficiant hoc impedimentum. ibid. n.108. Quomodo debeat conſtare de hoc impedimento. ibid. num. 109. Quid ſi capitulum non credat Procuratori. ibid. n.110. Quid poſſit tunc Capitulum. ibid. n. 111. Poteſt Capitulum admittere Procuratorem, etiamſi mandans non ſit legitimè impeditus. ibid. n.112. Iſte Procurator debet eſſe vnus de collegio. ibid. n 113. Subrogans, & ſubrogatus debent eſſe eiuſdem qualitatis. ibid. n. 114. Poteſt admitti Procurator, etiamſi non ſit de gremio Capituli. p.205. n. 115. Habere tamen debet conditiones requiſitas pro Gremialibus. ibid. n.116. Poteſt habere duas voces, ſeu ferre duo ſuffragia. ibid. n.117. Tenetur dare illa vni ſoli. ibid. n.118. Quid pro caſu, quo Principalis mandaſſet Procuratori, vt det ſuum votum determinatæ perſonæ. ibid. num. 119. Quid pro Concil. Trident. ibid. n.120. Quid pro caſu, quo inter eligendos eſſent aliqui omnimò æquales. ibid. n. 121. An admittendus ſit caſus. ibid. n. 122. Subſiſtantne iſta poſt Concilium Tridentinum. p.205. n.123. Quid ex declarationibus Sacræ Congregationis. ibid. n. 124. Stando in iure communi poſſunt admitti Procuratores, ſi habeant conditiones neceſſarias. ibid. n.125. Declaratio alia Sacræ Congregationis. ibid. n.126. Etiam poteſt hoc fieri, quando in aliqua Religione id permittitur. ibid. n.127. Secus quando non permittitur. ibid. n. 128. Quid de Carmelitana Religione, propter Conſtitutiones quaſdam. ibid. n.129. Reſponſio ad quandam obiectionem de caſu, quo contigit contrarium. p.206. n.130. Admiſſus tunc fuit quidam veluti extraneus, quod fieri potuit. ibid. n. 131. Videtur vtile, & conueniens Religionibus. ibid. n. 132. An probabile ſit contrarium. ibid. n. 133. Ius commune eſt priuilegiatiſſimum. ibid. num. 134. Praxis moralis de electione. ibid. n. 135. Electio antiquiſſima inter homines. ibid. n.136. Conuenienter fit reſpectu electionum Prælatorum. ibid. num. 137. Nunquam deficit in ſtatu Eccleſiaſtico, & Regulari. ibid. n.138. Plurimi etiam Reges, & Principes per electionem aſſumebantur. p.207. num. 139.

Aliqua remiſſiuè ad intentum. ibid. n.140. Cuius virtutis actus ſit electio. ibid. n.141. Ad illam requiritur præciſiu finis, & conſultatio de mediis ibid. n.142. Quis ſit finis electionis Canonicæ. ibid. num. 143. Solicitudo ſalutis animarum. ibid. n.144. Idoneitas eligendorum. n.145. Boni Prælati conditiones. p.208. num.146. Omne tulit punctum, qui miſcuit clementiam cum auſteritate. ibid. n. 147. Scientia, virtus, & prudentia pro Prælatis requiritur. ibid. n. 148. De conditionibus ſubiecti eligibilis. ibid. n. 149. Ambitio prohibet eligi quemquam ad Prælaturas. ibid. n.150. Crimen etiam Simoniæ. ibid. n.151. Præferendi digniores. ibid. & ſeq. num.152. Decretum Concilij Tridentini. p.209. n.153 Decretum Innocentij III. ibid. num. 154. Decreta Clementis VIII. & Vrbani VIII. ibid. n. 155. Aurea verba Diui Hieronymi. ibid. num.156. Alia iura, & fundamenta. ibid. num. 157. Non eſt tutus in conſcientia qui deſerit digniorem. ibid. n 158. Qui præfert dignum meliori eſt periurus. ibid. n.159. Maior dignitas ſumitur ex moribus, doctrina, & prudentia. p.210. num. 160. Scientia eſt valdè neceſſaria. ibid. n.161. Ignorantia errorum mater ibid. n 162. Requiritur aliqua negotiorum temporalium diſcretio. ibid. n. 163 Qui doctior, ſanctior, & prudentior eſt, cenſendus dignior. ibid. n.164. Nec doctrina abſque ſanctitate, & prudentia, nec ſanctitas abſque doctrina ſufficit p.210. n 165. Quid ſi aliquis eſt minus doctus, & magis ſanctus, aut vice verſa. ibid. n.166. Primis temporibus eligebantur Prælati cum teſtimonio populi. p. 211. num. 167. Forma præſcripta *in cap. quia propter*, de elect. ibid. n.168. Quomodo fiat. ibid. num. 169. Per modum compromiſſionis. ibid. n.170. Per inſpirationem. ibid. n.171 Explicatur decretalis. ibid. n 172. Quid ſit tractatus. ibid. num. 173. Quomodo faciendus. p.211. n.174. Explicatur hic author. ibid. n.175. Cauenda eſt ſubornatio. ibid. n.176. Declaratio S. Congregationis. ibid. & ſeq. n. 177. Decreta Clement. VIII. & Vrbani VIII p.212. n.178. Malitia ſubornationis, & ambitionis. ibid. n. 179. Ad Deum recurrendum. ibid. n.180. An liceat præferre minùs dignum digniori. ibid. n. 181. Omnes abſentes an ſint vocandi ibid. n. 182. An poſſint conſtituere Procuratorem. ibid. n 183. Quas conditiones habiturus eſt. p.212. n 184. Quid ſi abſens eſt ægrotus in loco vbi fit electio. ibid n.185. Quæ alia animaduertenda in huiuſmodi Procuratore. ibid. n.186. Forma capitis *Quia propter*, vniuerſaliter ſequenda. ibid. & ſeq. n. 187. Item quod præcipit Concilium circa ſecretum. ibid. num. 188. Et ſupplementum iurium antiquorum ibid. n.189. Strictè ſeruandum decretum. ibid. n. 190. An irrita reddatur electio, ipſo non ſeruato. ibid. n. 191. De hoc decreto remiſſiuè. ibid. n. 192. Validus eſt vſus Procuratorum. ibid. n 193. Pro Monialibus quid ſtatuat Concilium. ibid. n.194. Quæ aduertenda. ibid. num. 195. An circa formam electionis. ibid. num. 196. Scrutatores quales eſſe debeant. ibid. & ſeq. n.197. De illis remiſſiuè. p.214. n.198. Quæ ſpectent ad illos. ibid. n.199. Vota danda abſolutè, non conditionatè, neque incertò. ibid. n.200. Alia remiſſiuè ibid. n. 201. Compromiſſum quomodo faciendum. ibid. n.202 Forma inſpirationis. ibid. num. 203. Solutio difficultatum, quæ occurrere ſolent. ibid. n.204. An ſit in poteſtate ſuffragatorum non ſuffragari. p. 215. n. 205. De cauſa efficiente electionis. ibid. num. 206. Debent electores maturo tempore vocari. ibid n. 207. Qui priuentur iure eligendi. ibid. num. 208. Nemo poteſt ſeipſum eligere. ibid. n.209. Eligentes debent eſſe in Sacris

Ordinibus

Ordinibus.ibid.n.210. Non irretiti cenſuris.ibid. num. 211. Qui alij priuentor Iure eligendi. ibid. num.212.De conſenſu electi.ibid.num.213.Qualiter requiratur.ibid.& ſeq.Quid ſi recuſetur electio ab electo. p.216. num.215. De confirmatore electionis. ibid.num.216. Quos effectus habeat. ibid. num.217. Quo tempore obtinenda.ibid.num.218. Quibus mediis ſolicitanda,ibid.num.219. An electio coarctari poſſit electoribus. p.216. num.220. An libertas illius limitari poſſit. ibid. num.221. Superior poteſt excludere aliquos ab electione paſſiua. ibid. num.222. Non eſt contra libertatem electionis, ſi reſtringatur ad certum genus perſonarum.ibid.num.223. Quid ſi reſtringatur ad certas perſonas nominatim. p.217.n.224. Alia remiſſivè. ibid. num.225. Corollaria ex electione. ibid. num.226. An elector poſſit vti ſcientiâ habitâ per confeſſionem Sacramentalem ad non eligendum aliquem.ibid.Poſſunt recurrere in aliquo caſu electores ad remedium poſtulationis. ibid. num. 227. An poſtulari poſſint bigami, criminoſi, irregulares.ibid.num.228. An peccator publicus. ibid.numero 229.Alia Corollaria praxis electionum.ibid. & ſeq.num.230.& ſeqq.

Electio Abbatiſſatum: vide verbo *Abbatiſſa.* pag.5

Enſalinadores qui ſint: verbo *Veneficia*.p.584.n.11.

Eo caſu, dictio quid importet: verbo *Dictio*. pag 175. num.18.

Epiſcopus quoad Regulares: verbo *Epiſcopus quoad Regulares.* p.219. num.1. & 2. Quam auctoritatem habeat circa Monaſteriorum conſtructionem. ibid. num.3. Quid caſu quo erigantur aliqua Monaſteria, in quibus duodecim Religioſi ſuſtentari non valeant. ibid. num.6. De auctoritate, quam habet Epiſcopus ſupra diſpoſitionem bonorum Nouitiorum. ibid.num.7. Circa numerum Monialium. p.210. n.9. Ad explorandam voluntatem Virginis habitum ſuſcepturæ.ibid.num.10. Ad declarandam profeſſionem invalidam. ibid.num.11. Pro caſibus nullitatis.ibid.n.12. Quid circa clauſuram Monialium. ibid. & ſeq. n.14. De approbatione licentiæ exeundi extra Monaſterium. ibid. De auctoritate quam habet ſupra Regulares in iis, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. p.211. n.15. Quoad Monachos Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Regularis. ibid. num.16.Quoad editionem librorum.ibid.num.17. Circa Imagines, miracula, & reliquias. ibid.n.18. Circa obſervantiam Feſtorum.ibid.num.21. Circa Oratoria in privatis domibus.ibid.n.19. Circa Sacerdotes exteros non admittendos ad celebrandum. p.221. n.10. Circa ſolemnes benedictiones. ibid. n.22. Quoad controverſias circa præcedentiam in proceſſionibus.ibid.n.23.Circa Regulares extra Monaſteria degentes, & delinquentes. ibid. num.24.De aliis faculatibus ipſius.p.222.num.26. An in aliis caſibus præter aſſignatos.ibid.n.27. De caſibus in quibus poſſunt contra Regulares per cenſuras procedere. ibid.n.28.

Epiſcopus an,& quando commutare poſſit pia legata defunctorum: verbo *Legata Regularibus relicta.* p.354. & ſeq.n.31.33.& 36. Epiſcopus ordinarius miniſter Sacramenti Ordinis: verbo *Ordines Sacri*. p.481.n.5.Quo loco.p.482.n.8. Quo tempore.ibid. num.9. Quando poſſit diſpenſare in votis Papæ reſeruatis: verbo *Votum quoad Regulares*. pag.594. & 595.n.12. & ſeqq. Subduntur Epiſcopi Regulares quoad ſuſceptionem Ordinum: verbo *Ordines Sacri*.n.12.p.482. Quid tenendum quando Epiſcopus declarauit ſe non habere intentionem ordinandi excommunicatos,ſuſpenſos,&c. p.483.n.20. Approbat Reliquias Sanctorum, verbo *Reliquiæ Sanctorum*. p.531.num.12. An exploret voluntatem Tertiariarum: verbo *Tertiarij, & Tertiariæ*. p.571. num.9. Quando poſſit viſitare Monaſteria Regularium: verbo *Viſitator Regularis*. p.591.n.17.Epiſcopus Regularis tranſire poteſt ad aliam Religionem: verbo *Tranſeuntes Regulares*.p.577.n.12. Epiſcopi veſtes: verbo *Veſtes Sacræ*. p.585.n.10. Conſenſus ipſius requiritur pro fundatione noui Monaſterij: verbo *Monaſteria Regularium*. p.416. n.3. Dirimit controuerſias de præcedentia in proceſſionibus: verbo *Præcedentia quoad Regulares*. p.491. num.2. Indicit proceſſiones: verbo *Proceſſio quoad Regulares*. p.509.n.4. Debent concedere Regularibus oleum pro extrema vnctione: verbo *Oleum Sanctum quoad Regulares*. p.471.n.4. Epiſcopi proteſtatio quando Ordines confert,quod non habet intentionem ordinandi tales,vel tales, quantùm valeat: verbo *Ordines Sacri*. p.483.n.20. Epiſcopatus an ſit Sacramentum. p.479.n.2.

Reſolutio cuiuſdam dubij, an Sanctiſſimus poſſit cogere aliquem Epiſcopum, vt transferatur ad aliam Eccleſiam.p.222.n.30. Reſponſio affirmatiua.ibid. num.31. Ex ſententia Doctorum. ibid. n.32. Quia facultas transferendi Epiſcopum ex vna Eccleſia ad aliam, indubitanter competit Papæ. ibid. n.33. Poteſt illam exercere circa inuitos. p.222.num.34. Probatur à ſimili de poſtulatione. ibid. n.35. A ſimili de poteſtate ciuili.ibid.n.36.Quæ poteſt cogere ciues ad Reipublicæ munera.ibid. Ex ſententia Doctorum.ibid.n.37.Et quia ſubditus tenetur obedire Superiori obliganti ad acceptandum Epiſcopatum.ibid.n.38. Doctores pro hac re. ibid. & ſeq. num.39. Argumentum ex ipſo Papa potente cogere aliquem non Epiſcopum ad Epiſcopatum.pag.223. num.40.Per tranſlationem ſolùm mutatur materia talis regiminis. ibid.num.41. Objectio in contrarium.ibid.n.42. Soluitur. ibid.n.43. Cùm Papa ſit ſupremus Paſtor, pertinet ad ipſum prouidere de Paſtoribus particularibus.ibid.n.44. Militat hoc in tranſlatione.ibid.n.45. Non obſtat, quod dicitur, quod vinculum Epiſcopi cum Eccleſia ſit iure diuino,& naturali indiſſolubile. p.123.n.46.Negatur enim aſſumptum. ibid.n.47. Vinculum hoc ſolùm eſt Iure Pontificio.ibid.n.48. Auctores,qui docent. ibid.n.49. Ac proinde poteſt Papa facere contra illud. ibid.n.50. Nec manus Papæ ligatur, eo quòd voto, vel juramento ſe aſtrinxerit alicui Eccleſiæ. ibid.n.51. Tale enim votum, aut juramentum ſolùm obligabunt Epiſcopum ad non procurandum tranſlationem, non verò ad non obediendum Papæ.p.223.n.52. Quia in omni voto, & juramento includitur hæc conditio, niſi Superior aliter præceperit.ibid.n.53.Poteſt Papa in tali voto,aut juramento diſpenſare.ibid.n.54.Abſoluendo à vinculo, quod Epiſcopus habet cum illa Eccleſia.ibid.n.55. Relaxando votum, aut juramentum quodcunquè in contrarium emiſſum.ibid.n.56. Rationes propter quas Papa poteſt id facere.ibid.n.57.Attendendum Epiſcopo ad verba S.Thomæ 2.2.q.185.art.2. p.223. n.58. Et quæ habet idem S. Doctor eo art.2. in ſolutione ad primum. ibid. n.59. Audiat ipſum in ſolutione ad ſecundum. ibid.

Epiſtolas ſcribentes ad Moniales, qualiter peccent: verbo *Moniales*. p.436.n.27.

Erectio Monaſteriorum quomodo facienda: verbo *Monaſteria Regularium*. p.416.à n.2.& ſeqq. Quibus priuilegiis potiatur.p.420.n.19.& ſeqq.

Eſſenorum Monaſteria qualia: verbo *Monaſteria Regularium*. p.418.n.13.

Et, dictio aliquando ponitur pro *ſeu*: verbo *Dictio*. num.19. p.175.

Et decretis Sacri Concilij Tridentini non aduerſentur, clauſula quid importet: verbo *Clauſula*. p.151.n.26.

Et

Et Sacris Canonibus, &c. clauſula quid ſignificet: verbo *Clauſula.* ibid n.27.

Et pro potiori cautela, clauſula, quam vim habeat, verbo *Clauſula.* ibid.n.28.

Etiam, dictio eſt implicatiua, & ampliatiua: verbo *Dictio.* p.175.n.20.

Euchariſtia: verbo *Euchariſtia quoad Regulares.* num.1. p.224. Qualiter non liceat Regularibus adminiſtrare hoc Sacramentum ſine licentia Parochi. ibid. num.2. An idem dicendum de Clericis ſæcularibus. ibid. Quid pro articulo mortis. ibid. num.4. Quid pro caſu quo Parochus negaret Euchariſtiam ſæcularibus. p.225.num.5. Quid pro aduenis, & peregrinis. ibid.num.6. Quid pro familiaribus ipſorum. ibid.num.8. An per modum Viatici adminiſtrari illis poſſit Euchariſtia. ibid. n.9. An ſit aliquod priuilegium circa hoc. p.225.n.10. De adminiſtratione Euchariſtiæ in priuatis Oratoriis. ibid. num. 11. Ad quos ſpectat adminiſtrare Euchariſtiam Religioſis. ibid.num.12. Quomodo accipienda à Sacerdotibus tempore Paſchatis. ibid. & ſeq. num.13. An ſolus Sacerdos poſſit miniſtrare Euchariſtiam. p.216.num.14. An ſolus ipſe ſeſe poſſit communicare in articulo mortis. ibid.num.15. De ieiunio obſeruando à Communionem ſumpturo. ibid.num.16. In quibus caſibus liceat Communio non ieiunis. ibid.& ſeq.num.17. An Sacerdos non ieiunus poſſit quandoque celebrare. p.227.num.18. Quid quando dubitat an ſit ieiunus ibid.num.19. Quando concedenda Euchariſtia incidentibus in amentiam, ſeu phreneſim. ibid.n.20. Energumenis an concedenda. ibid. num.21. An Sacerdos poſſit dare partem ſuæ Hoſtiæ volenti communicare. ibid.num.22. Quando publico peccatori deneganda Euchariſtia. ibid.num.23. Quando, vel non, exponenda. p.228.n.24.

Examinatores Synodales, quales debeant eſſe, verbo *Examen, Examinatores.* p.128.num.1.& 2. An Regulares id munus exercere poſſint. ibid.

Examen rei Regularis, quomodo faciendum: verbo *Reus Regularis.* num 2.3.& 4.p.534. Examinati pro teſtibus à S. Officio Regulares non poſſunt à ſuis Prælatis per quinquennium à die depoſitionis moleſtari: verbo *Teſtis Regularis.* p.574. num.7. Examen teſtium quale. ibid. num.8. Examen Monialium, verbo *Moniales.* p.432.num.15 Examinari an debeant Regulares ordinandi: verbo *Ordines Sacri.* p.482.n.13.

Excommunicationis ſententia quomodo ferenda: verbo *Sententia iudicialis.* p.544.num.6. Quid quando credunt nulla. ibid. Excommunicatio poſita contra Regulares noua loca erigentes, non ſeruatis Decretis, &c. verbo *Monaſteria Regularium.* p.418. num.11. Contra cogentes fœminas ad ingrediendum Monaſteria: verbo *Moniales.* p.431. à num.10. Contra impedientes receptionem Monialium. p.432. num.12. Contra falſificantes, ſeu falsò fabricantes Litteras Apoſtolicas: verbo *Littera Apoſtolica.* p.381.num.6. Contra vſurpantes oblationes factas Eccleſiis: verbo *Oblatio facta Regularibus.* p.461.n.9. Contra impedientes ingredi volentes Religionem: verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum.* p.456. num.35. Contra publicantes indulgentias ob quæſtum: verbo *Quæſtuarij Regularium.* p.523.num.6. Contra legentes libros prohibitos: verbo *Libri.* p.371. numero 6. & ſeqq.

Ex certa ſcientia, clauſula, quid denotet: verbo *Clauſula.* p.213.n.29.

Excommunicatio maior quid ſit: verbo *Excommunicatio quoad Regulares.* p.229.n.1. Excommunicatio minor quid ſit. ibid.

Excommunicato maiori excommunicatione, quorum Sacramentorum adminiſtratio ſit prohibita: verbo *Excommunicatio quoad Regulares.* p.230.& ſeq.num.7. Quorum Sacramentalium vſus. p.231.n.8. Quomodo peccet Sacramenta recipiendo. ibid n.9. Quid de illo, qui ipſi Sacramenta miniſtrauerit. ibid. n.10. De priuatione ſuffragiorum Eccleſiæ. p.232. n.11. An Miſſa pro hæreticis celebrari poſſit. ibid.n.12. Excommunicatus non celebrat, nec actum ordinis exercet. n.13. Nec diuina Officia ex officio celebrat. p.233. num.14. Priuatim diuinum Officium recitat. ibid. num.15. Prohibitæ non ſunt illi priuatæ orationes. ibid. n.18. An prohibeatur concionari. ibid.num.17. An aſſiſtere Miſſæ, aut officiis diuinis. ibid.n.19. An alij eum admittere poſſint ad diuina. p.234.num.20. Quid faciendum ſi excommunicatus velit diuinis aſſiſtere. ibid.num.2.. Prohibitum eſt aliis cum excommunicato diuinis aſſiſtere. ibid. num.22. An teneatur diebus feſtiuis audire Miſſam. ibid num.23. An poſſit intrare hæreticorum templa. ibid. Incapax eſt Beneficiorum Eccleſiaſticorum. ibid.& ſeq.num.24. An ſit capax penſionis. p.235.num.25. An fructus beneficij, vel penſiones recipere poſſit. ibid.num.26. Regulares excommunicati, quorum Officiorum Ordinis ſint incapaces. ibid.num.27. Quid ſi in excommunicatione ea obtinuerunt ibid.num.28. Grauiter peccat, qui excommunicato confert aliquod Officium, vel beneficium. p.236.n.29. Quid faciendum pro noua collatione. ibid.n.30. Iure eligendi quomodo priuetur excommunicatus. ibid. num.31. Suſpenditur ab Officiis. ibid.num.32. Actibus iuriſdictionis. ibid. num.33. Actus iuriſdictionis ab ipſo facti, an valeant. ibid.& ſeq.n.34. Quomodo ſe gerere debeat ſubditus cum Prælato excommunicato. p.23 .numero 35. An Prælatus excommunicatus abſoluat. ibid Priuatur excommunicatus omni communicatione forenſi. ibid.num.36. An ſaltem actoris, aduocati, teſtis, & tabellionis munus exercere poſſit. ibid.& ſeq.num.36.37.38 & 39. An reus conueniri poſſit. p.238.num.40. Irritat excommunicatio litteras, & Reſcripta Apoſtolica obtenta. ibid.n 41. Priuat omni ciuili, & politica communicatione. ibid. num.42. Cum moderatione tamen Extrauagantis. *Ad euitanda.* ibid. num.43. An alij fideles cum excommunicatis communicare poſſint. p.239. num.44 Caſus in quibus poſſunt. ibid.& ſeq. à numero 45. vſque ad 49. An etiam in diuinis p.240. num.50. Debita num ſolui debeant excommunicato. ibid. num.51. De excommunicato in excommunicatione per annum perſiſtente. ibid. num.52. Priuatur excommunicatus Eccleſiaſticà ſepulturà. ibid.num.53.

Excommunicatus excommunicatione minori quibus priuetur: verbo *Excommunicatio quoad Regulares.* p.229. num.2. An eligi poſſit. p.230. num.3. Num priuetur iure eligendi. ibid. num 4. Excommunicatio minor à quo, & in quibus caſibus feratur. ibid. num.5. Ab illa quis abſoluat. ibid.num.6.

Exemptio quid, & quotuplex ſit: verbo *Exemptio Regularium.* p.241.num.2. Quomodo exemptio ab Ordinariis competat Regularibus. ibid. & ſeq. n.3. 4. & 5. Per quæ verba denotetur huiuſmodi exemptio. p.240. num.6. & 7. Quid quando Ordinarij procedunt contra Regulares in caſibus, in quibus exempti ſunt. ibid num.8. An poſſint declarare excommunicatos Regulares exemptos. ibid. num.9. Declaratio Sacræ Congregationis quoad hoc. ibid. Quid habeatur ex Clementina 2. *de priuilegiis.* ibid. An legati habeant prædictam facultatem. p.243. num.10. Quid de caſibus in quibus, vel ex decreto Concilij Tridentini, vel ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Regulares ſubduntur Ordinariis. ibid.n.11.

Regulares

Index Rerum

Regulares non obedientes Ordinariis in caſibus, quibus illis ſubduntur, à quibus puniendi. ibid. n.12. Declarationes Sacræ Congregationis quoad hæc. ibid. num.15. Citati Regulares ab Epiſcopo an teneantur comparere. ibid. num.14. Regulares ad tribunalia ſæcularia an aliquo prætextu trahi poſſint. p.244.n.15.& 16. De recurſu, appellatione, ſeu auocatione cauſarum Regularium ad tribunalia ſæcularia.ibid.& ſeq.n.17.18.& 19.

Eaſecratio Sacrorum quando contingat: verbo *Paramenta Sacra*. p.485.n.3.

Executores teſtamentorum qualiter poſsint eſſe Regulares: verbo *Teſtamentum quoad Regulares*. p.572. num. 3.

Exempti à proceſsionibus qui Regulares ſint, verbo *Proceſſio quoad Regulares*. p. 509 n.3.

Explicatio priuilegiorum Religionum ad quos ſpectet: verbo *Priuilegia Regularium*. p.502.n.11. Non ad extraneos. ibid.n.12.

Euchariſtia, in quibus Oratoriis miniſtrari poſſit: verbo *Oratoria quoad Regulares*.p.477.n.5. Proceſſiones ipſius qualiter, aut quando faciendæ: verbo *Proceſſio quoad Regulares*. p.510.n.11.

Extrema vnctio, an poſſit à Regularibus miniſtrari: verbo *Extrema vnctio quoad Regulares*. p.245.n.1. De excõmunicatione poſita in Clementina *Religioſi*, de priuilegiis.ibid.n.2. Priuilegia ipſorum. p.246.n.5. Qualiter adminiſtrandum hoc Sacramentum tempore peſtis.ibid.n.5.& 7. Adminiſtratur ſemper in periculo vitæ, propter infirmitatem.ibid.n.6. Quæ partes corporis infirmi vngantur.ibid.num.7.& 8. Miniſter huius Sacramenti vnus tantùm an ſit. ibid. & ſeq.n.9. Vnctiones an ſucceſſiuè fieri debeant.p.247.n.10. Quæ quantitas olei ſufficiat pro vnctione.ibid.n.12. An renouari debeat oleum ſingulis annis.ibid.n.13. De forma huius Sacramenti, quæ ſit.ibid n.14. Excommunicatus an poſſit adminiſtrare hoc Sacramentum. ibid.n.16. Adminiſtrandum eſt illis, qui in amentiam inciderunt. p.247.n.17. Sacerdos moribundus non poteſt ſe inungere.ibid.n.18. Praxis adminiſtrandi hoc Sacramentum inter Regulares. ibid.& ſeq.n.19.

Ex tunc, prout ex nunc, clauſula quid denotet: verbo *Clauſula*. p.153.n.30.

F

F*Acias quod tibi videbitur*, clauſula, quid ſignificet: verbo *Clauſula*. p.113.n 31.

Falſarius quid ſit: verbo *Falſarius*.p.248.n.1. De falſificante litteras Apoſtolicas.ibid. n.2. Falſarij quas pœnas incurrant.ibid. De Religioſo falſificante litteras ſuorum Superiorum.ibid.n.3. Eſt caſus reſeruabilis inter Regulares. ibid. Quando, & quomodo.ibid De falſificante per artem Alchimiæ.p.249. num.4. De cudente falſam monetam.ibid.n.5. Maximè propter Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani. ibid. Cognitio huius delicti pro Regularibus, ad quos pertineat. ibid.n 6.

Familiares, ſeu famuli, qui intelligantur: verbo *Bulla Cruciata*.p.85.num.14. An accipiant Euchariſtiam à Religioſis, quibus inſeruiunt, præſertim per modum viatici: verbo *Euchariſtia quoad Regulares*.p.225. n.8.& 10. An ſint immunes à Gabellis: verbo *Gabella quoad Regulares*. p.256.n.11. Quomodo legitimari poſſint: verbo *Illegitimi*. p.281.n.19.

Fœminarum ingreſſus in Monaſteria virorum quomodo prohibitus: verbo *Monaſteria Regularium*. p.427.num.49. Fœminas velari, vnde ſumpſit exordium: verbo *Velum Monialium*.p.581.n.1. Fœminarum Deo Sacrarum quot & qualia ſunt vela.p.582. n.2.& ſeqq. Fœminarum Monaſteria olim cum virorum Monaſteriis coniuncta: verbo *Monaſteria Regularium*. p.418.n.13. Non ſic modò. ibid.

Facultates conceſſæ Regularibus ad abſoluendum, ſeu diſpenſandum: verbo *Littera Apoſtolica*.p.582.n.9 & ſeqq. Quando dantur pro caſibus occultis, ad quos caſus extendantur: verbo *Occultum*.p.464.num 6.& ſeqq. Facultates, quas concedere poſſunt Prælati ſuis ſubditis, an ſibi ipſis dare poſſint: verbo *Prælatus Regularis*. p.498.n.19. Facultates Prælatorum ad limitandum, ſeu reſtringendum priuilegia ſubditorum: verbo *Priuilegia Regularium*. p.502.n.13.

Falſificantes, ſeu falsò fabricantes Litteras Apoſtolicas, excommunicationem Papalem incurrunt: verbo *Littera Apoſtolica*. p.581. n.6. Falſarij teſtes quibus pœnis ſubiaceant: verbo *Teſtis Regularis*.p.575. num.4. Ad quid teneantur. ibid.

Famoſum quid dicatur, & quomodo differat à manifeſto, publico, & notorio: verbo *Notorium*.p.448.n.3.

Fauorabilis lex quæ dicatur: verbo *Leges Regularium*. p.563.n.34. Extendenda, & amplianda.p.364.n.44.

Feſti dies per Epiſcopos indicti obſeruari debent à Regularibus: verbo *Feſti dies quoad Regulares*. p.250.n.1. Num obligari poſſint ad id per cenſuras. ibid.n.2. An ad Octavas feſtorum.ibid.n.3. An ad feſta votiua populorum. ibid.n.4. Regulares an poſſint annuntiare dies feſtos, & ieiunia. ibid. & ſeq. num.5. An eleuare feſta ad nobiliorem ritum. p.251.n.6. An indulgentia diei feſti transferatur in alium. p.252.n.13.

Fidei profeſſio an neceſſaria Regularibus Concinnatoribus: verbo *Concionator*.p.134.num.8. An ſuſcipientibus gradus: verbo *Graaus, & Graduati Regulares*. p.261.n.7.

Fideicommiſſum quomodo differat à legato: verbo *Legata Regularibus relicta*. p.548.n.2.

Fideles in hac vita bonis operibus poſſunt ſe adiuuare: verbo *Suffragia*. p.565.num.4. Item defunctos in Purgatorio exiſtentes.ibid.num.5. An perdant ipſorum opera de ſuo valore, ſi aliis applicentur. ibid. n.7.

Fori priuilegio an gaudeant Oblati: verbo *Oblati*, ſeu *Commiſſi* p.460.n.8.

Forma præſcripta in lege maximè attendenda: verbo *Leges Regularium*.p.364.n.46. Forma ſeruanda in oppoſitione, ſeu appellatione contra aliquam electionem. *in Relectione*. p.601. n.9. & 10. Cui incumbit onus probandi.ibid.n.11. Quid ſi oppoſitio eſt non contra electionem, ſed contra electum. ibid. n.13. Forma præſcripta in cap. *Quia propter*, de electione, ſeruanda eſt in electionibus Prælatorum. *in Relect.* p.607. n.49. Forma diſpanſationis in Breuibus S. Pœnitentiariæ: verbo *Littera Apoſtolica*.p.582. n.9. & ſeqq. Quomodo exequenda.ibid.

Fructus Sacrificij Miſſæ quis, & quantus: verbo *Miſſa*.p.396.n.6.& 7. Quomodo applicatur. ibid. Quæ conditiones ad id requirantur.ibid. An ſi pro pluribus applicetur, ſit minor pro ſingulis.p.397.n.8. Fructus ſatisfactorius pro pœna temporali applicatur à Summis Pontificibus: verbo *Suffragia*.p.565. & ſeq.n.8. Etiam à Prælatis Regularibus. ibid. An teneantur Regulares illum applicare pro ſuis benefactoribus.p.505.n.6.

Fruentes priuilegiis Mendicantium Religionum qui ſint: verbo *Mendicantes*.p.394.& ſeq.n.3.& 4.

Fundatorum Monaſteriorum priuilegia: verbo *Monaſteria*. p.421. num.27.

Funeralis quarta: vide verbo *Quarta funeralis*.p.521.

Furans Sanctorum Reliquias qualiter peccet: verbo *Reliquia Sanctorum*.p.530.n.5. Quando incidat in excommunicationem.ibid.

Furtum rei Sacræ quando, & quomodo ſit Sacrilegium: verbo *Sacrilegium*.p.537.n.5.

Filij

Filij illegitimi, qui dicantur: verbo *Illegitimi*. p.278. n.2. & ſeqq.

Fœminarum ingreſſus in Monaſteria: verbo *Clauſuræ*. p.121.n.34.

Funeralia officia defunctorum, quomodo facienda à Regularibus: verbo *Defunctus*. p.165.n.6.& 7.

Furtum quid ſit: verbo *Furtum*. p.252.& ſeq.n 1. Quid de furto quo Religioſus aliquid ſurripit ſæculari. p.253.n.1. Quid quando ſurripit aliquid Conuentui. ibid.num.3. Quando ſit caſus reſeruabilis. ibid. De furto rerum Eccleſiæ, Reliquiarum, &c. ibid. & ſeq. num.4.& 5. Quid de furto rei alteri Religioſo applicatæ. p.254.n.6.

G

Gabella quid ſit: verbo *Gabella quoad Regulares*. p.154 n 1. Quando ſolui debet. ib. & ſeq.n.2.3. & 4. Eccleſiaſtici, & Regulares ad illam non tenentur. p.155.num.5. Quid de Nouitiis Religionum. p.-5-.n.7. Quid de Religioſis militaribus. ibid.n.8. Quid quando aliquis habitum Clericalem, vel Regularem aſſumit animo non perſeuerandi in illo. ib n.9 De Eremitis, & Tertiariis, remiſſiuè. ib.n.10. De famulis, & familia Clericorum & Regularium. ib. n.11. An hoc priuilegium tranſeat ad colonos. ib. & ſeq.n.14. Quæ bona Clericorum eo potiantur. p.15-.n.15.16.17.& 18. In quibus caſibus non ſunt exempti à gabellis, & tributis. ib.& ſeq n.19. & 20. An quando gabella, vel tributum imponitur æquè principaliter propter ipſos. p.158.n.21. Non poſſunt cogi à ſæcularibus ad illa ſoluenda ibid. & ſeq.n.22.& ſeqq.

Gallico morbo laborantes an eligi poſſunt in Prælatos: verbo *Prælatus Regularis*. p.491.

Generalis an poſſit aliquid facere ſine conſilio eorum, qui ſibi aſſiſtunt: verbo *Litera Apoſtolica*. p.384. n.81. Qualem reſidentiam debeat habere: verbo *Reſidentia Prælatorum*. p.533.num.2.& 3. Conſtituere poteſt Vicarios generales: verbo *Vicarij Religionum*. p.586. n.4. Quales conditiones debent habere. ibid. n.4.& 5.

Generales Procuratores: verbo *Procuratores*. p.513.

Generales Vicarij: vide verbo *Vicarij*. p.586.

Genera perſonarum, quibus ſepultura in loco Sacro denegatur: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.549. & ſeq.num.23. Quomodo peccent aliter facientes. p.550.num.24.

Geomantiæ libri prohibiti: verbo *Libri*. p.376.n.29.

Gradatim facienda eſt appellatio: verbo *Recurſus Regularium*, &c. p.525.n.8.

Graduati an torqueri poſſint pro delictis: verbo *Tortura quoad Regulares*. p.574.n.14.

Gradus Magiſterij, vel Doctoratus requiritur ſæpius pro illis, qui aperturi ſunt literas S. Pœnitentiariæ: verbo *Litera Apoſtolica*. p.381.& ſeq.n 14. Quot modis concedatur in Religionibus. ibid. Quam facultatem habeant ad hoc Generalis Prædicatorum, & Generalis Seruitarum: verbo *Priuilegia Regularium*. p.508.n.25. An gradus ſint materia ſimoniæ. verbo *Simonia quoad Regulares*. p.555.n.12. An pro illis dari aliquid poſſit. ibid.

Gradum ſuſcipientes, an teneantur facere fidei profeſſioné. p.261.n.7. Dubium circa Inſtitutioné cuiuſdam Magiſtri. ib.n.8. Poteſt fieri, ſi habeat conditiones requiſitas. ib.n.9. Ex Conſtitutione Papæ Innocentij. ib.n.10. Verba ipſius. ib.n.11. Lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda. ib. n.12. Etiamſi ſit maior ratio in vno, quàm alio. ib. n.13. Lex vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. p.261.n.14. Lex ſi voluiſſet, expreſſiſſet. ib.n.15. Quia eſt lex fauorabilis, & amplianda. ib. n.16. Etiamſi eſſet conceſſa in fauorem Prouinciarum. ib.n.17. Fauori ſuo quilibet renunciare poteſt. ib.n.18. Nec refert, quod Prouincia id expoſtulet, accedente beneplacito Sanctiſſimi. ibid.n.19. Quia non ſit cum clauſula illa, *non alias, aliter, nec alio modo*. p.261.n.20. Obiiciuntur verba Breuis Papæ Innocentij. ib.n 21. Non faciunt contra reſolutionem traditam. ib.& ſeq.n.22. Conſtitutio Gregor XIII. p.262.n.23. Intelligentia ipſius ib.n.24. Paria ſunt aliquid fieri tempore habili, & quod effectus conferatur in tempus habile. ibid.num.25. Obiectio ex Conſtitutione Vrbani ibid.num.26. Videtur extra rem. ib n.27. A diuerſis non eſt bona illatio. ibid. n.28. Diuerſorum diuerſum eſt iudicium. ib.n.29.

Grauamen, ſeu grauis iniuria requiritur, vt Regularis appellare poſſit: verbo *Recurſus Regularium*, &c. p.525 n. .& .

Grauitas pœnarum arguit culpam mortalem: verbo *Pœna Eccleſiaſtica*. p.488.num.7. Secus in aliquibus Conſtitutionibus Religionum. ibid.

Generalium Regularium auctoritas, remiſſiuè: verbo *Generales Regularium*. p.259.

Gradus Regularium, verbo *Gradus, & graduati Regulares*. p.260 n.1. Tres huiuſmodi gradus. ib.n.2. Quibus conditionibus recipiendi ib.n.3. Priuilegium Innocentij VIII. pro ordine Prædicatorum. ibid. n.4. Bonifacij IX. pro eiſdem ibid n.5. Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani pro Carmelitis. p.261.n.6. An illegitimi ſint capaces graduum: verbo *Illegitimi*, &c. p.279.n.8.

Gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ, &c. clauſula, quæ ponitur in aliquibus priuilegiis, quomodo intelligenda, verbo *Clauſula*. p.1-2.n.-2.

Gratiæ conceſſio, ſeu gratia quotuplex ſit: verbo *Gratia pro Regularibus*. p.262.num.1. Aliqua ad ipſas ſpectantia ibid.n.1.3.& 4. Gratia quando trahatur ad ſocium. ibid.n.5. Quando exſpiret morte concedentis. ib.& ſeq.n.6.7.& 8. Quid de gratia cum limitationibus facta. p.263.n.9. Quoad praxim Regularium de gratiis factis à Superioribus. ib.n.10. Quid de pœnis ab ipſis impoſitis. ibid. num.11. De gratia concedi ſolita. ibid.num.12.

H

Habeat liberum arbitrium iudicandi, clauſula apponi ſolita, non tollit ſolemnitatem requiſitam: verbo *Clauſula*. p.113.n.13.

Habitus Religioſus: verbo *Habitus Regularis*. p.164. n.1. Habitum Religioſi dimittentes excommunicantur. ib.n.2. Habitus vnius Religionis non portandus ab alia. ib.n 3. Ludibrioſè tractantes habitum Religioſum qualiter peccant. ibid n.4. Pro ſæcularibus in habitu Religioſo ſepeliri volentibus Priuilegia Summorum Pontificum. ibid. num 5.6. & 7. An tales indulgentiæ ſint reuocatæ. pag.265. num.13. De priuilegio habitus, ſeu Scapularis Carmelitarum. ibid. n.14.

Habitus Sacrarum Imaginum qualis, ex Decreto Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani, verbo *Sanctorum cultus*. p.541.num.14 Habitu Religionum induti quando ſepeliri debeant in Eccleſiis dictarum Religionum: verbo *Sepultura quoad Regulares*. pag.548. n.17. Cum quibus conditionibus. ibid. Quas indulgentias conſequantur. ibid.n.19. Habitu Religionis priuantur Regulares damnati ad triremes: verbo *Triremium pœna*. p.580.n.5. Quid poſtquam à triremibus reuertantur. ibid. Pro habitu Moniali concedendo, an poſſit relinqui legatum: verbo *Legata Regularibus relicta*. pag.381.num 21. Habitu Religionis de proximo induendi an gaudeant aliquo priuilegio: verbo *Nouitij*, & *Nouitia Religionum* p.458.& ſeq.n.43.

Hæreditas. Poſſunt plures Religioſi ſuccedere vt hæ-

redes.p.266.num.1. Dubium circa hoc de quodam Religioſo, poſt cuius mortem dubitabatur, an mater ipſius ſuccedere deberet in eius bona. ibid.n.2. Omnia, quæ prædictus Religioſus acquiſiuit poſt profeſsionem, pertiuent ad Religionem. ibid.n.3. Quia omnia illa cenſentur ipſi acquiſita. ibid.n.4. Omnia etiam illa, quæ habuit ante profeſſionem, tranſierunt cum ipſo ad Religionem. ibid.n.5. Et pertinent ad ipſam.ibid.n.6.Quia ab ipſa erat alendus ibid.n 7. Et quia ipſe ſe dedicauit Monaſterio. ibid.n.8. Regula illa,Quidquid Monachus acquirit,Monaſterio acquirit.ib.& ſeq.n.9.Omnia bona ipſius defuncti pertinent ad Monaſterium. p.267. n.10. Quia Monaſterium eſt hæres Religioſorum. ib.n.11. Auctores.ib.n.11.Saltem iure acquiſitionis naturalis,& acceſſionis. ib.n.13. Excipitur legitima matris.ib.n.14. Auctores.ib.n.15. An debeatur aſcendentibus ex Theologis.ibid.num.16.An Monaſterium ſuccedat in bona profeſſi quæ ſunt legitima Patris ibid.num.17. Legitima eſt debita aſcendentibus, ſicut deſcendentibus ibid. num.18. Peculium filij quadruplex. pag.267. num.19. Ex quibus debeatur legitima. ibid.num.20. Bona Caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, & aduentitia ſunt ſub dominio filij.ibid. n.21. An profectitia.ibid. Quæ pars bonorum ſit legitima. ibid.num.22. Sententiæ DD.ibid.n.23. Legitima debita parentibus, ſolùm eſt ad trientem.ibid.n.24.

Hæredes qui Religioſi poſſint eſſe: verbo *Legata Regularibus relicta*.p.348.num.5.& 6. Hæreditatem adire quibus competat: verbo *Legitima quoad Regulares*. pag 370.num.70. Legitima eſt hæreditatis pars p.369.num.1.Hæredes Fundatorum Capellarum quando in ipſis ſepeliri poſſint: verbo *Sepultura quoad Regulares*.p.548.n.15.

Hæreſiarcharum libri quomodo prohibiti: verbo *Libri*. p.374.num.17. Qui libri dicantur hæreſim continere.p.375.num.23. Hæretici non ſepeliendi in loco Sacro: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.550. num.27. Libros ipſorum legentes, vel habentes, quas cenſuras, aut pœnas incurrant: verbo *Libri*.p.374.& ſeq.n.16.17.18.20.& ſeqq. Hæreticorum filij an recipi poſſint in Religionibus: verbo *Neophytus Regularis*. p.441.n.4.

Hebræorum libros legentes quas pœnas incurrant: verbo *Libri*. p.374.n. 17.& 19.

Hermaphroditus an capax Ordinis Sacri: verbo *Ordines Sacri*. p 480.n.1.

Hydromantiæ libri quomodo prohibiti: verbo *Libri*. p.376.n.19.

Honores ab Eccleſia tributi Sanctis Canonizatis ſeptem,verbo *Sanctorum cultus*. pag.539 n.2. An tribui poſſint Beatificatis.ibid.num.4. Honoratior locus Eccleſiæ an vendi poſſit: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.547.n.14.

Hora recitandi matutinum, quæ ſit: verbo *Matutinum*. pag.393. numero 2. & 3. Maximè ex declarationibus Sacræ Congregationis. ibid. Horæ Canonicæ: vide *Litania*, *Matutinum*, *Officium diuinum*.

Hoſpitia Regularium, an intelligantur ſub nomine Monaſterij in Decretis, in quibus præcipitur ne fundentur ſine certis conditionibus: verbo *Monaſterium Regularium*. p.417.n.6. Quomodo id contingat. ibid.

Humilitas ſeruanda à Regularibus in conſtructione Monaſteriorum: verbo *Monaſteria Regularium*. p.420.n.18.

Hebdomadæ duæ pro Iubilæo lucrando, quomodo accipiendæ: verbo *Iubilæum*. p.331.n.19.

Hæreticus quis dicatur: verbo *Hæreſis*, *& Hæreticus*. p.368.num.2. Suſpecti de hæreſi qui dicantur. ibid. & ſeq. num.2. 3. 4. & 5. Omnes illi denunciati debent. ibid. De pœnis hæreticorum, credentium, receptatorum, fautorum, & defenſorum ipſorum.p.269.n.6.7.8.9. & 10. De pœnis ſuſpectorum.ibid.& ſeq.num.11.De abſolutione ab excommunicatione. p.270. num.12. De abſolutione credentium,fautorum,receptatorum,defenſorum, &c.ibid.n.13. De irregularitate, quam illi incurrunt,remiſſiuè. ibid.n.14.

Hermaphroditus irregularis: verbo *Irregularitas*. p.314. & ſeq.n.13.

Homicidium quid, & quotuplex ſit: verbo *Homicidium*.p.271.n.2.Homicidij caſus reſeruabilis eſt inter Regulares.ib.n.3. Dubium de quodam Presbytero occidente hominem ob ſui defenſionem, & petente diſpenſationem à Papa.p.273.n.11.Iſte non contraxit irregularitatem, ſi ſeruauit moderamen inculpatæ tutelæ.ib.n.12. Quia fuit licita, & permiſſa ea occiſio.ibid.n.13.Pulchrum dictum Salomonis Iuriſtæ.ib.n.14. Ex aliis juribus,& legibus. ib.n.15.An ex jure diuino.ib.n.16. Farinacij teſtimonia.p.273.n.17. Ex Clementina *ſi furioſus*. ibid. n.18. Quid ſi innaſiſſet talem inuaſorem ex odio, aut ira.ibid.n.19. Non obſtat Concilium Tridentinum. ibid.n.20. Quia non loquitur de homicidio facto ad neceſſariam defenſionem. ib.n.21. Declaratio S Congregationis.ib.n.22. Concilij expoſitio.p.274.n.23. Is de quo in præſenti,non exceſſit modum inculpatæ tutelæ.ibid n.24. Spectaret hoc probare ad accuſatorem,vel contradictorem.ibid. n.25. Quid ſi in ſe defendendo aliqualiter exceſſiſſet. ib.n.26. Quid ſi illi incumberet probatio talis moderaminis. ibid. n.27. Iulij Clari doctrina. p.274.n.28. Illi in dubio credendum.ib.n.29. Quia agitur de actu intrinſeco. ibid.n.30. Maximè cum non adeſt præſumptio in contrarium.ibid.n.31. Et adeſt iuramentum ipſius.ib.n.32. Etiam in criminalibus. p.274.n.33. Et in cauſa poſſeſſionis. ibid. n.34.Recurſus ad Papam non nocet. ib.n.35. Nec Papæ reſcriptum.ib.n.36. Taciturnitas non nocet. ib.n.37. Nemo eligit viam,per quam iudicium ſubuertatur. ibid.n.38. Nec illi nocet confeſſio. ibid. n.39. Quid de confeſſione qualificata. ibid. n.40. Ex Rotæ deciſionibus.ibid.& ſeq.Auctorum contrariorum multitudo non terret. p.275.n.41. Oppoſitum tenent plures. ibid.n.42. Homicidium in dubio non præſumitur factum doloſè. ibid. n.43. Sententia affirmans, poſſe ſcindi confeſſionem, quomodo intelligenda.ibid.num.44.De confeſſione externa iudiciali.ibid.num 45. Non de facta in foro quaſi Pœnitentiali,ibid.num.46. Quid de facta in iudicio ciuili. ibid.num.47.

Horæ Canonicæ, de illis remiſſiuè: verbo *Horæ Canonicæ*. pag.275.

Hoſpitalarij, de illis remiſſiuè: verbo *Hoſpitalarij*, &c. pag.275.

I

IEiunium quid ſit: verbo *Ieiunium* p.275.n.1. Ritus an Eccleſia pro ieiunio requiſitus, qualis. ibid. & ſeq n.3.4.& 5. Quando obligat præceptum ieiunij.p.276.n.6. Quid de ieiunio regulæ,vel Conſtitutionum Regularium.ibid. An Regulares teneantur ad ieiunia indicta per Synodos, vota, ſeu promiſſiones populorum.p.277.num.7. Qui excuſentur à ieiunio Eccleſiaſtico.ibid.n.8.Diſpenſatio excuſat. ibid. num.10. Qui diſpenſent. ibid. An diſpenſatus ad eſum carnium, vel lacticiniorum,diſpenſetur in ieiunio. ibid. num.11. De ieiuniis ex voto, iuramento,vel pœnitentia.pag.278.num.12. De ieiunio pro Euchariſtia ſumenda: verbo *Euchariſtia*, &c. p.226.n.16.

Illegiti

Illegitimorom quot ſunt genera: verbo *Illegitimi*, &c. p.278.& ſeq n.1.2.3.4.5.& 6. Illegitimi ſunt irregulares. p.279.num.7. Inhabiles ad dignitates, & prælatias Religionum.ibid.n.8.An ad gradus. ibid. Item ad quæcunque beneficia.ib.n.9. An ad habitum,& profeſſionem.ib.n.10. Quid de incapacitate ad bona ſuorum parentum. ibid.n.11. Quando illegitimi legitimentur.p.280.n.13.& 14. De filiis expoſitis,an ſint illegitimi.ibid.n.15. An in dubio aliquis habendus ſit vt legitimus. ibid. num.16. Illegitimus factus profeſſus, an indigeat diſpenſatione.ibid.num.17. Quid ex priuilegiis Religionum. Ibid. De diſpenſatione Regularium illegitimorum ad beneficia. p.281.n.18.

Illegitimi an recipi poſſint ad Religiones: verbo *Nouitij,& Nouitia Religionum*. pag.452. numero 12. Quorum officiorum Religionum ſint incapaces: verbo *Officia Religionum*. p.465.num.4.& ſeqq. An poſſint eſſe Præſides Capitulorum: verbo *Præſes Capitulorum*. p.499.n.9.

Imagines non Canonizatorum, aut Beatificatorum, an habendæ, vel venerandæ: verbo *Sanctorum cultus*.p.540 num.7. Imagines Sanctorum quo habitu ornandæ.ibid.num,14. Imaginum oblationes ad quem pertineant: verbo *Oblatio facta Regularibus*. p.462.n.3.

Immunitate Eccleſiaſtica gaudent Monaſteria Regulatium: verbo *Monaſteria Regularium*. p.422. n.25. Nomine Monaſteriorum quæ veniant in præſenti. ibid. An Prælati poſſint facere aliquid contra illam. ibid.n.26. An illâ gaudeant Oratoria: verbo *Oratoria quoad Regulares*.p.477.n.4.

Impedimenta ad faciendam profeſſionem, alia perpetua, alia temporalia: verbo *Profeſſio Regularis*. p.518.num.10.

Impetrans literas Apoſtolicas ſubreptitiè, vel obreptitiè, quas pœnas incurrat: verbo *Litera Apoſtolica*.p.381.n.4. Impetrare non poſſunt Regulares indulta aliqua contra ſuæ Religionis Regulam, vel ſtatuta.ibid.n.7. Quid facere poſſint cum talibus Prælati ipſorum. ibid.n.8.

Impreſſio librorum quomodo facienda à Regularibus: verbo *Libri*.p.370.& ſeq.n.2.

Impugnare qui, & quando poſſint electiones. *in Relect*.p.600.n.2.& ſeqq.

Incantatio quomodo differat à Veneficio, & ſortilegio: verbo *Veneficia*. p 582.num.2. Eſt caſus reſeruabilis inter Regulares. ibid. num.1. Quando incidant in hunc caſum.p.583.num.7.Cùm verbis, vel ſignis inutilibus, vel inefficacibus ad aliquem finem conſequendum vtuntur. ibid.

Indicia quæ ſufficiunt ad applicandam torturam Regularibus: verbo *Tortura Regularium*. p.575.n.6.

Indigni electio, an toleranda: verbo *Præſes Capitulorum*.p.499.n.7.

Immunitas Eccleſiarum in quo conſiſtat: verbo *Immunitas Eccleſiarum*. p.282.n.1. Quæ Eccleſiæ gaudeant hoc priuilegio. ibid n.2. De Sacerdote portante Sanctiſſimum Sacramentum. ibid. Monaſteria, & domus Regularium gaudent eodem priuilegio.p.283.n.3.Quid de priuatis Oratoriis.ibid. num.4. Quæ perſonæ gaudere poſſunt hac immunitate.ibid.n.5. Quid de Religioſis,& Clericis.ib. n.6 In quibus caſibus ſuffragetur hæc immunitas Eccleſiaſtica.p.284.n.7.& ſeqq. Effectus huius immunitatis. p.286.n.18. De culpa, & pœnis extrahentium reos. p.287. n.20.& 21. Iudices ſæculares in quibus caſibus poſſunt extrahere reos. p.288. num. 28. Quo pacto id faciendum. ibid. Contra Miniſtros Curiæ violentiam aliquam exercentes. ibid. num.29.

Immunitas Eccleſiaſtica Regularium in quo conſiſtat: verbo *eodem*. p.289.n.1. Immunes ſunt Regulares à quibuſcunque oneribus, ſeu contributionibus. ibid.n.2.3.4. & 5. Quid in caſu magnæ neceſſitatis laicorum.ibid num.6.An poſſint cogi ad hoſpitandum milites.ibid & ſeq n.7.

Inceſtuoſi an diſpenſentur à Regularibus: verbo *Affinitas*. p.23. n.4.

Indignationem omnipotentis Dei. ſeu *Beatorum Apoſtolorum*, &c. clauſulæ apponi ſolitæ quid importent: verbo *Clauſula*. p 114.n.34 & 35.

Indulgentia quid, & quotuplex ſit: verbo *Indulgentia*, &c.p.190.& ſeq.num.1.& 3.Ad quos ſpectat illam concedere.p.291.n.4. Indulgentiæ non ſolùm pro viuis, ſed etiam pro mortuis.ibid.n.5. Indulgentiæ Regularibus conceſſæ in multiplici differentia ſunt. p.291.n.6. De indulgentiis conceſſis pro Eccleſiis Regularium.ibid.& ſeq.n.7 & 8. An in illis detur communicatio priuilegiorum Regularium. ibid.Indulgentiæ perſonis Regularibus viuentibus conceſſæ, reuocatæ ſunt à Paulo V. nouis aliis conceſſis.p.293.n.9. De indulgentiis pro Regularibus in articulo mortis, ſeu defunctis, ibid.n.10. & 11.De conceſſis pro ſæcularibus defunctis.ibid. n.12. Viuentibus.p.294.n.13. De indulgentiis conceſſis exhibentibus manus adiutrices.ibid.n.14.De priuilegio Vrbani V.ibid.num.15.De indulgentiis pro Tertiariis.ibid.& ſeq n.16. Pro Confratribus. ib.n.17.De indulgentiis communibus ſæcularibus, & Regularibus.p.295.n.18.De conceſſis Medaliis. ibid.n.19. An ſimul, & ſemel eodem actu poſſint plures indulgentiæ obtineri.ibid.An ſæpius eædem indulgentiæ.ib.De indulgentiis pro pulſatione ſalutationis Angelicæ. ib n.20. Pro pulſatione orationis pro defunctis. ibid. De indulgentiis ſtationum.p.295.& ſeq.n.21.& 22. Religioſi publicantes indulgentias pro quæſtu, vel prohibitas, quas pœnas incurrant.p.296.n.23.24.& 25.

Indulgentias publicantes ob quæſtum excommunicantur: verbo *Quæſtuarij Regularium*.p.525.num.6. An aliquas conſequantur ſæculares, qui cum habitu Religionum ſepeliuntur: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.548. & ſeq.num.17. & 19. Quas conſequantur Tertiarij, vel Tertiariæ: verbo *Tertiarij,& Tertiariæ*. p.571.n.7.

Infamia quid, & quotuplex ſit: verbo *Infamia*.p.196, num.1. Infamia iuris propter quæ crimina ſit impoſita p.297.n.2.& ſeqq.

De infamia facti. p.298.n.9. De diuiſionibus infamiæ.ibid.n.10.& 11.Infamiæ effectus qui ſint, maximè quoad Regulares, quoad repulſam ab officiis Religionum.ibid & ſeq.num.12.13.& 14. Infamia irregularitatem inducit.p.199. n.15. Quibus modis tollatur.ibid.n.16. An per priuilegia Regularium.ibid & ſeq.n.17.18.& 19.

Informationes pro nouitiis qualiter, aut quomodo faciendæ: verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum*. p.453.num.20.& ſeqq.

Ingreſſus Eccleſiæ, qui prohibetur per ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, quid importet: verbo *Suſpenſio quoad Regulares*. p.568.n.22.

In foro conſcientiæ, clauſula, quid importet: verbo *Clauſula*. p.113.n.36.

In omnibus,& per omnia, clauſula, quid ſignificet: verbo *Clauſula*.ibid.n.37.

In quo conſcientiam tuam oneramus, clauſula, quam vim habeat: verbo *Clauſula*. ibid.n.38.

Intentio legiſlatoris in legum interpretatione maximè attendenda: verbo *Leges Regularium*. pag 365. num.36. Intentio quæ requiritur ad impletionem legis, ſeu præcepti.p.366.n.52.

Interpretatio legis; quibus competat: verbo *Leges Regularium*. pag.362. num.31. Facienda eſt iuſta

proprietatem verborum. ibid. n.32. An iuxta propriam ſignificationem naturalem, vel ciuilem. p.363.n.33.Lex fauorabilis quæ dicatur.ibid.n.34. Lex generaliter loquens generaliter eſt accipienda. ibid.n.35. Mens legiſlatoris attendi debet pro legis interpretatione.ibid.n.36. Item procemium, ſeu præfatio legis. ibid.n.37. Item ſupplicatio illius pro quo fit. ibid.n.38. Item ratio legis. ibid. n.39. Lex dubia quomodo interpretanda. ib.n.40. Lex ſic interpretari debet, vt nullum ipſius verbum credatur otioſum. ibid.num.41. Lex pœnalis quomodo interpretanda.ibid.n.42. Quid de lege, in qua aliquid fuit poſitum ſolùm per modum exempli.p.364.n.43.De interpretatione legis fauorabilis ibid.n.44.De interpretatione legis prohibitiuæ ib.n.45. Quid quando lex præſcribit formam rei faciendæ. ib.n.46. Quid quando lex vtitur verbo *Non poteſt*.p.365.n.47.An omiſſio cuiuſlibet partis formæ præſcriptæ per legem irritet factum. ib. n.48 Interpretatio priuilegiorum Regularium quomodo facienda: verbo *Priuilegia Regularium*.p.501.n.8. Qoando priuilegia latè explicari debeant.ibid.n.9. Quid ex priuilegiis Religionum. p.502. n.10. Ad quem ſpectet interpretatio priuilegiorum.ib.n.11. Extranei illa explicare prohibentur. ibid.n.12.

Interdictum quid, & quotuplex ſit: verbo *Interdictum*,&c.p.300.& ſeq.n.2.& 3.Qui comprehendantur interdicto.p.301.num.4 & 5. Cauſa interdicti. p.301.n 6.Cauſa efficiens,ſeu qui poteſt interdicere.ib.n.7. Cauſa materialis, ſeu qui poſſint interdici.ibid.n.8.Regulares à quibus interdici poſſint. ibid & ſeq.n.9. Effectus interdicti,qui ſint.p.303. num.10.Qualiter liceat Miſſa,& Officia celebrare tempore interdicti,ex cap.*Alma Mater*.p.305.n.22. & ſeqq. De feſtiuitatibus, quibus conceditur ſolemnis celebratio tempore interdicti. p.306.n.27. Quid ex priuilegiis quarundam Religionum.ibid. & p.308.n.28.& ſeqq. Obſeruanda a Regularibus tempore interdicti.p.307.n.32. De priuatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ.ibid.& ſeq.n.33 & 34. Speciales alij effectus interdicti quoad Regulares. p.308.n.35.De interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ. ib. n.36. De culpa, & pœnis violantium interdictum. ibid n.37.Quæ prohibeantur Regularibus tempore interdicti.ibid.n.38. De relaxatione,vel abſolutione interdicti.p.309.n.40. De auctoritate Prælatorum Regularium quoad hoc.ibid.num.41.

Interſtitia, quæ dicantur: verbo *Interſtitia*. pag.310. num.1. A quem pertinet diſpenſatio in illis. ibid. num.1.& 2. Ordinans,ſeu Ordinatus ſine diſpenſatione in interſtitiis, quam pœnam incurrant. ibid.num.3.& 4. Quantum debet eſſe interſtitium pro ſingulis Ordinibus. ibid.n.5.

Inueſtitio pecuniæ pro Miſſis perpetuis quomodo facienda: verbo *Miſſa*. p.405.& 406.n.36.& ſeqq.

Italiæ nomine an veniant inſulæ Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ: verbo *Monetarij*.p.429.n.6.

Irregularitas quando incurratur: verbo *Pœna Eccleſiaſtica*.p.48 .n.1.

Irritatur profeſſio ex defecto nouitiatus non habiti in locis approbatis: verbo *Profeſſio Regularis*.p.515. n.7.Ex defectu anni integri nouitiatus.ibid.& ſeq. n.9.Ex defectu anni continui.p.516.n.10.Ex defectu ætatis.ibid.& ſeq n.12.Ex defectu auctoritatis recipientis ad illam.ib.n.13. Ex defectu ſexus conuenientis.ib.n.14.Ex defectu vſus rationis.ib.n.17. Ex defectu libertatis. ibid.n.15. & 16. Ex defectu occulto,ſuper quo proteſtatum eſt. ib.& ſeq n.18. De aliis cauſis remiſſiuè.p.518.n.19.Quomodo validetur.p 519.& ſeq n.23.& 24.Quando obligat vt votum ſimplex p.510.n.26.

Inuocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, clauſula quid importet: verbo *Clauſula*. numero 39. pag.113.

Irregularitatis definitio: verbo *Irregularitas*. pag.311. num.2.Quotuplex ſit ibid.n.3. De cauſis irregularitatis.ibid.& ſeq n.4.De effectibus irregularitatis. p.312.n.5. Quoad praxim Regularium, quæ ſint prohibita illis per irregularitatem.p.313.n.6. Quæ non ſunt prohibita.ib.n.7.De irregularitate ex defectu animæ.ibid.n.9. Ex defectu ſcientiæ. p.314. n.10.Ex defectu fidei.ib.n.11.Ex defectu corporis. ibid.n.12.& ſeqq. De irregularitate ex defectu legitimitatis.p.316.n.16. Ex defectu ætatis. ib.n.17. Ex ſeruitute.ibid.n.18. Ex eo quod alicui muneri aliquis ſit obligatus.p.317.n.19. Ex bigamia.ibid. num.20. Propter homicidium iuſtè factum. ibid. num.21. Qui incurrant hanc irregularitatem.ibid. num.22. & ſeqq. Quid de Regularibus concionatoribus,& Confeſſariis.p.318.n.27.Quæ differentia ſit inter Eccleſiaſticos,& Laicos.ibid.num.33. Quomodo tollatur hæc irregularitas. p.319.n.35. De irregularitate quæ prouenit ex paupertate. ib. num.36. Ea quæ prouenit ex infamia. ibid. n.37. Ex pœnitentia publica. ibid.n.38. Ex reiteratione Baptiſmi. ibid. num.39.& ſeqq. De irregularitate propter indebitam ſuſceptionem Ordinum.p.320. num.47. & ſeqq. De ea, quæ incurritur ab exercitio Ordinis tempore cenſuræ.p.321.num.55.56. & 57. A quibus tollatur hæc irregularitas. ibid. n.58. De ea quæ incurritur ab exercitio ordinis, quem quis non habet. p.322.n.59. Quomodo tollatur hæc irregularitas. ibid. n.60. De ea, quæ incurritur propter hæreſim,vel ſimilia crimina.ibid. n.61.Quis diſpenſat in hac irregularitate.ib.& ſeq. n.62. & 63. De irregularitate, quam contrahunt ſuſpecti de hæreſi.p.323.n.64. De ea, quæ incurritur propter homicidium.ibid.num.65. An propter homicidium factum cauſâ defenſionis.ibid & ſeq. n.66.67.& 68.A quibus tollatur hæc irregularitas. p.324.n.69.De ea,quæ incurritur propter homicidium voluntarium,ibid.n.70.& 71.Quis diſpenſat in hac irregularitate.ibid.& ſeq.n.72. De ea, quæ incurritur propter mutilationem. pag.325.& ſeq. n.73.74.& 75. Quomodo tollatur hæc irregularitas.p.326.n.76. De irregularitate propter homicidium caſuale p.326.& 327.n.77.& ſeqq.Quomodo tollatur. p.326.num.78. De aliis irregularitatibus. p.327. & ſeq. n.84 & 85. Quæ obſeruanda in diſpenſatione in irregularitate. p.328.n.86.

Iubilæum quid, & quotuplex: verbo *Iubilæum*. p.328. n.1.& 2.Iubilæi anni Sancti circumſtantiæ. p.329. n.3.& ſeqq De iubilæis communibus extra annum Sanctum p.330.n 9.& ſeqq. An bis,vel pluries lucrari poſſit idem Iubilæum ibid.n.10.

Iudex Regularis aliquando poteſt recuſari: verbo *Recuſatio iudicis Regularis*.p.526.n.1. Sæpiùs non.ib. Quid ſit talis recuſatio.ib.n.2. Effectus illius.ibid. & ſeq.n.3.Quomodo regulanda.ib.n.4. Cauſæ ipſius quomodo aſſignandæ.p.527.n.5.De iudice regulari Viſitatore,an poſſit recuſari.ibid.n.7. Quomodo procedere debeat cum reo regulari: verbo *Reus Regularis*. per totum.p.534. Iudicis Regularis arbitrio relinquitur ſæpe, an indicia quæ ſunt ad torquendum aliquem, ſint ſufficientia: verbo *Tortura Regularium*. p.574.n.2.

Iuramentum quod aliqui Regulares emittunt de non procuranda, vel acceptanda extra eorum Religionem Dignitate, vel Superioritate, &c. obligat illos, etiam tranſeuntes ad aliam Religionem: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.377.n.14.

Ius Canonicum quomodo allegetur: verbo *Leges Regularium*. p.358.n.14. Ius ciuile quomodo etiam allegetur. ibid.n.15.

Digitized by Google

Iuſpatronatus an ſit materia Simoniæ : verbo *Simonia quoad Regulares.* p.356.n.10.

Iudex quid, & quotoplex : verbo *Iudex*,&c. pag.333. num. 2. Iudex Regularis quot modis procedat contra ſubditos. ibid. num. 5. Quando id facere debent. ibid. Quomodo viâ inquiſitionis ſpecialis. p.334. num.6. Quomodo viâ denunciationis. ibid. n.7. Quomodo viâ accuſationis. ibid. num.8. Abſtinere debet à munerum receptione. pag.336. n. 16. An procedere poſſit contra reum non citatum.p.337.n.17.An ſine appellatione.ibid.n.18.An judicare contra veritatem. ibid. n.19. Quam opinionem ſequi debeat. ibid.n.20.

Iudicium quid , & quotuplex : verbo *Iudex.* p.333. numero 3.

Iuramentum quid: verbo *Iuramentum.* pag.338. n.2. Quando per creaturas ſit verum iuramentum.ibid. & ſeq. numero 3. Quæ forma loquendi iuramentum arguat. ibid. num.4. Quotuplex eſt iuramentum. ibid. num.5. Licitum eſt iurare cum certis conditionibus. ibid. num. 6. Quomodo prohibitum Eccleſiaſticis,ſeu Regularibus. ibid.num.7. An cogi poſſint ad jurandum. pag.340. num.8. & ſeqq. De juramento aſſertorio. ibid. num.12. Eſt periurium caſus reſeruabilis à Regularibus.p.341. num.13. De juramento promiſſorio. ibid.num.15. Quando eſt obligatorium.ibid.& p.342.num.16 & ſeqq.De juramento comminatorio.p.343.n.21. De execratorio.ibid num.21. Quot modis,& à quibus tollatur obligatio juramenti.ibid.n.24. & ſeqq.

L

LAica poteſtas judicare non poteſt Regulares , aut Eccleſiaſticos : verbo *Clericus.* p.219. à n.24.

Laici an tangere poſſint Calicem , & alia quæ immediatè tangunt corpus,& ſanguinem Chriſti:verbo *Calix.*p.92.n.9. An quando illis venditur, exhiberi debeat aliqua diligentia. ibid n.10.

Lapis altaris prophanati,an vendi poſſit : verbo *Altare.* p.17.n.23.

Lectoris officium an prohibitum excommunicato: verbo *Excommunicatio*,&c.p.233.n.28.

Legatorum auctoritas in Regulares : verbo *Exemptio*, &c. p.241.n.10.

Legitimare illegitimos qui poſſint : verbo *Illegitimi.* p.280 n.13.& 14.

Legitimè, dictio idem eſt,ac ordine juris ſeruato:verbo *Dictio.* p.173.n.14.

Libertas pro electionibus requiſita : verbo *Electio*, &c. p.198.n.12.

Litteras Apoſtolicas irritat excommunicatio : verbo *Excommunicatio*,&c.p.238.p.41.

Loca Sacra , quæ gaudent immunitate Eccleſiarum: verbo *Immunitas Eccleſiarum.*p.282.n.1.& ſeqq.

Laicalia ſtatuta an obligent Regulares : verbo *Statuta*, pag.561. num.2. Non ea , quæ ſunt contraria libertati Eccleſiaſticæ.ibid. Quæ ſint talia.ibid. & in ſeqq.

Laici detinentes , ſeu vſurpantes oblationes factas Eccleſiis , excommunicati ſunt : verbo *Oblatio facta Regularibus.* p.462.num.9. Laici fratres : verbo *Laici Fratres*, remiſſiuè. p.245.

Largitiones munerum pro conſequendis officiis Religionum,quomodo prohibitæ : verbo *Officia Religionum.* p.467.n.15.

Lectio Sacræ Scripturæ habenda in Monaſteriis: verbo *Lectio quoad Regulares.* pag.345 num.1.& 2. An peccet qui illam legit peccato mortali notorio infectus. p.346.num.3. Lectio Sacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ , habenda propter Decreta Summorum Pontificum. ibid.num.4. Lectio linguarum etiam habenda in ſtudiis Regularium. ibid. num.5. Quomodo vacari poſſit à prædictis lectionibus. ibid. Lectio librorum prohibitorum, vide verbo *Libri.* p.370.

Legatum quid ſit : verbo *Legata Regularibus relicta.* p.347.n.2.Qui legare poſſint.p.348.n.3.& 4.Quibus.ibid.n.4.& 5.De legatis factis aliquibus domibus Religioſorum.ibid.& ſeq.n.7.Regulares an capaces ſint,quod ipſis legatur.p 349.n 9. Quot modis fieri poſſint legata.ibid.n.10.Quid de legato ad tempus determinatum.ibid n.11.Quid de facto ad tempus indeterminatum.ibid.n.11.De legato conditionato.ibid.n.13.Quando legatum conditionatum adimpleri debeat , etiam non adimpleta conditione.p.350. num. 4.Quid quando eſt turpis.ib. n.15. Quid quando eſt contraria ſtatui Religioſo. ibid.n.16.De legato facto puellæ,ſi nupſerit, aut ſi Religionem intrauerit.ibid.n.17.De legato relicto pro virginibus maritandis.ibid.& ſeq.n.18. De legato relicto ſub modo.p 351.n.19. De legato relicto ſub modo poſſibili,& honeſto ibid.n.20.De legato relicto ſub onere Miſſarum.ibid. n.21.De legato relicto Monialibus ſub onere recipiendi aliquam.ibid.n.22. An non adimplentes onera legatorum ipſis priuentur.ibid & ſeq n.23.Legatum relictum ſub modo impoſſibili, vel turpi, an valeat. p 352.n.24.De legato relicto ex cauſa. ib.n.25. De legato ex demonſtratione ibid.& ſeq.n.26. De legato incerto.p.353.n.27.De Regularibus procurātibus ſibi aliqua legari.ib.n.28.An legata Regularibus relicta gaudeā priuilegiis piarum cauſarum. ibid. n.29. Quomodo reuocari poſſint.p.354.n.30. Quomodo, & à quibus commutari. ibid.n.31. An Epiſcopi id facere poſſint ibid.n.32.In quibus caſibus.ibid n.33.An tunc requiratur conſenſus hæredis,& legatarij.ibid.num.34.An Prælati Regulares commutare poſſint legata ipſorum Monaſteriis.ib. n.35. Quid de legatis pro celebratione Miſſarum. p.355.n.36.An animæ Purgatorij patiantur ob dilationem executionis legatorum.ibid.n.37. Qualiter peccent differentes adimplere legata. ibid. numero 38.

Legis etymologia:verbo *Leges Regularium*,p.356. n.2. Diffinitio. ibid. num.3. Leges Regularium non obligant. p.357.num.4. Lex contraria bono communi vim obligandi non habet. ibid.num.5. Ad quos ſpectat condere leges.ibid.num.6. Lex debet eſſe rationi conformis. ibid. n.7. Debet eſſe iuſta. ibid.num.8. Item poſſibilis. ibid.num.9. Neceſſaria,vel vtilis.ibid.& ſeq.num.10.Manifeſta,& non obſcura.p.358.num.11. Pro bono communi inſtituta.ibid.num.12.Legis diuiſio.ibid.n.13.Lex non acceptata, ſeu non recepta , an obliget. ibid. n.16. Quomodo id intelligendum. p.359.n.17. Quando ſuſpendatur lex per ſupplicationem factam legiſlatori.ibid.num.18. Quid de Litterarum Apoſtolicarum ſupplicatione.ibid.n.19. An requiratur ad legem, quod ſit ſcripta. p.360. n.20. Materia legis humanæ quæ ſit.ibid.n 21. Actus interni an præcipi,vel prohiberi poſſint.ibid.n.22 Lex humana regulariter ſolùm reſpicit futura.ibid.n.23. An obliget cum periculo mortis , vel magni nocumenti. p.361.n.23. Quid de Carthuſianorum lege quoad abſtinentiam à carnibus. ibid.num.26. Quomodo obligare poſſit lex humana. pag 365. num.49. De pœnis per illam impoſitis. ibid. num.50. Quomodo adimpleatur lex. ibid. num.51. De intentione ad illius adimpletionem. p.366.num.52. Vide *Ceſſatio legis*, *Conſuetudo* , & *Interpretatio legis.* Leges ciuiles contrariæ libertati Eccleſiaſticæ , quomodo non obligent Regulares : verbo *Statuta*,per totum. p.561.& ſeqq. Quæ ſint tales leges. ibid. De dubio

bio vulgari, an ignorantia legis excuſet. pag. 369. n 63. Ignorantia alia Iuris, alia facti. ibid. n. 64. Ignorantia facti eſt quando ignoratur res, quæ in facto conſiſtit. ibid n. 65. Ignorantia Iuris eſt, quâ ignoratur lex, prohibitio, ſeu præceptum. ibid. n. 66. Ratio dubitandi ibid. num. 67. Suſtinenda eſt illa Regula, quod ignorantia facti excuſet, non ignorantia Iuris. p 369. n. 68. Quia factum eſt variabile, & incertum; ius autem non ita. ibid. num 69. Non intelligitur hæc Regula in foro conſcientiæ. ibid. num. 71. Sed quoad fori externi præſumptionem. ibid. Publicè propoſitum ignorare non licet. ibid num. 72. Doctores huius partis. ibid. n. 73. Limitatur quoad ignorantiam facti. ibid num. 74. De facto proprio non præſumitur ignorantia. ibid. num. 75. Quibuſdam caſibus exceptis. Ibid. n. 76. Limitatur etiam de ignorantia Iuris pro aliquibus caſibus. ibid. n. 77.

Legitima quid ſit: verbo *Legitima quoad Regulares*. p. 369. num. 2. Quibus, aut quomodo debita. ibid. quæ Monaſteria ſuccedant in ipſam. p. 370. num. 3. Quando debeatur. ibid. num. 4. Anteponitur piæ cauſæ. ibid. n. 5. Non licet parentibus repellere filios Religioſos ab ipſa. ibid. n. 6.

Libellos famoſos, aut litteras ſine ſubſcriptione ſcribentes: verbo *Libri*. p. 376. num. 31. Libellos famoſos ſcribentes, vel retinentes, quas pœnas incurrant. ib. Quid ſi ſint contra Religiones. p. 377 n. 32.

Libera ſepultura qualiter apud Regulares: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p. 545. n. 4. & ſeqq.

Libri quomodo, & quibus licentiis imprimendi: verbo *Libri*. p. 370. & 371. num. 2. & ſeqq. De librorum prohibitione p. 373. n. 15. Quas pœnas incurrant legentes libros prohibitos. p. 374 n. 16. Qui libri ſint damnati. ibid. n. 17. De legentibus, retinentibus, aut imprimentibus libros hæreticorum. ibid. n. 18. Quando tales incurrant excommunicationem. ibid. n. 19. Quid requiratur ad illam incurrendam. p. 375. n. 20. De audientibus eos libros legere. ibid. n. 21. Qui libri cenſeantur de religione tractare. ibid. n. 22. Qui hæreſim continere. ibid. n. 23. Quid de retinentibus illos. ibid. n. 24. Quid de imprimentibus ibid. n. 25. De pœnis contra tales. ibid. & ſeq. n. 26. Quid de defendentibus dictos libros. p. 376. n. 27. De licentia ad illos legendum. ibid. num. 28 De ſpeciali prohibitione librorum Aſtrologiæ, Negromantiæ, &c. ibid. n. 29. De priuilegiis circa hoc. ibid. n. 30.

Licentia pro Regularibus in particularibus materiis requiſita: verbo *Licentia quoad Regulares*. pag. 377. num. 1. De licentia expreſſa. ibid. n. 2. Licentia debet eſſe voluntaria, & non coacta. ibid n. 3. Item legitima. p. 378. n. 4. Quid de licentia ſpeciali. ibid. num. 5. De Superiore, an teneatur petere licentiam, quam poteſt præſtare ſubdito ibid. n 6 Licentiæ inter Regulares concedendæ gratis. ibid. n. 7. Licentia præcedere debet actum, qui ex illa fit. p. 377. n. 8. An requiratur ad licentiam, quod fiat in ſcriptis. ibid. num. 9. An licentiæ indeterminatè conceſſæ proſint poſtulanti. ibid. n. 10. Conceſsâ aliquâ licentiâ, quæ etiam alia conceſſa cenſeantur. ibid. num. 11. Reuocatio licentiæ quando contingat. p. 379. n. 12. A quo fieri debet talis reuocatio. ibid. n. 13. Quando capitat morte concedentis. ibid. n. 14. Ratihabitio de præſenti æquiualet licentiæ. ibid. n. 15. Quid de licentiis conceſſis à Papa, Nunciis, vt legatis. ibid num. 16. Licentia requiſita ad colloquendum cum Monialibus: verbo *Moniales*. p. 434. n. 23. Ad quæſtuandum: verbo *Quaſtuarij Regularium*. p. 616. n. 3. Qualis eſſe debeat. ibid. An ad recurrendum ad Sedem Apoſtolicam viâ appellationis: verbo *Recurſus ad Sedem Apoſtolicam*. p. 525. num. 3. Quid ſi negetur, ibid. num. 4. Quæ licentia requiritur ad tranſitum Religioſi ex vna Religione ad aliam: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p. 576. n. 4. licentia pro fundatione Monaſterij: verbo *Monaſteria Regularium*. p. 416. n. 5. & ſeqq.

Linguarum notitia commendata valde à Sede Apoſtolica Regularibus: verbo *Lectio quoad Regulares*. p. 340. n. 5. & 6.

Litaniæ quid, & quot ſint, verbo *Litania*. p. 379. num. 2. Conſtitutio Clement. VIII. circa illarum prohibitionem. ibid. num. 3. Quomodo intelligenda. p. 380. num. 4. De Litaniis nominis Iesv, ibid. num. 5. Declarationes S. Congregationis. ibid. n. 6. Recitari debent in die S. Marci, & tribus diebus ante Aſcenſionem. ibid. n. 7.

Litteræ Apoſtolicæ quæ dicantur: verbo *Litteræ Apoſtolicæ*. p. 380. n. 1. Breuia Sacræ Pœnitentiariæ inter ipſas numerantur. p. 381. n. 2. Quæ dicantur ſubreptitiæ, obreptitiæ, falſæ, aut falſificatæ. ibid. n. 3. Pœna impetrantium litteras Apoſtolicas ſubreptitiè, vel obreptitiè. ibid. n. 4. Quando contingat ſubreptio, vel obreptio. ibid n. 5. De falſificantibus litteras Apoſtolicas ibid. n. 6. Religioſi non poſſunt impetrare aliqua contra ſuæ Religionis Statuta. ibid. n. 7. Quid faciendum ſi ea impetrent. ibid num. 8. Tenor aliquarum litterarum Apoſtolicarum, ſeu S Pœnitentiariæ. p. 382. n. 9. Tenor pro diſpenſatione in voto caſtitatis. ibid. n. 10. Pro diſpenſatione in affinitate. ibid. n. 11. In impedimento occulto ex fornicatione. ibid. n. 12. Animaduertenda circa tales litteras. ibid. num. 13. Quid quando diriguntur Magiſtro in Theologiâ. ibid. num. 14. De priuilegio Gregorij XIII. pro Ieſuitis. p. 383. num. 15. An communicetur aliis Religionibus. ibid. num. 16. Quid intelligatur nomine Doctoris. p. 384. num. 17. Quid Confeſſoris ex approbatis ab Ordinario. ibid. num. 18. A quo aperiri poſſint. ibid. num. 19. Modus exequendi tales litteras. ibid. num. 20. Quid quando remittuntur alicui cum conſilio aliorum. ibid. num. 21. Per ſtimulos carnis, quid intelligatur. ibid. num. 22. Per oratoris examinationem quid intelligatur. ibid. num. 23. De monitis, ſeu conſiliis dandis à Confeſſario. ibid. num. 24. Quid intelligatur per illa verba, *A mutatione propoſiti*. p. 385. n. 25. Circa pœnitentias iniungendas. ibid. num. 26. Circa alia opera pœnitentiæ ibid. num. 27. Quando impedimentum cenſeatur. ibid. num. 28. An imponenda ſit pœnitentia vtrique coniugi. p. 386. num. 29. Quid de experientia, cohabitatione, &c. ibid. n. 30. Quid de illis verbis, *Muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata*. ibid. n. 31. Poſt diſpenſationem factam quid agendum. ibid. n. 32. De laniatione, ſeu reſtitutione litterarum. ibid. n. 33. Diſpenſationes gratis faciendæ. ibid. n. 34. Quibus verbis dandæ diſpenſationes. ibid. n. 35. De diſpenſationibus in foro externo. ibid. n. 36. Litteræ pertinentes ad Sanctam Inquiſitionem quando legendæ à Regularibus: verbo *Lectio quoad Regulares*. p. 345. num. 9. Litteræ Confraternitatis an ſolis benefactoribus concedantur: verbo *Suffragia*. p. 565. & ſeq. num. 8. Quid ſi concedantur ex titulo verè non ſubſiſtente. ibid.

Locus quem debent habere Religioſi tranſeuntes ex vna Religione ad aliam: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p. 577. n. 14.

Ludus quid ſit: verbo *Ludus quoad Regulares*. p. 387. numero 2. Qui ludus Religioſis, & Eccleſiaſticis prohibitus. ibid. num. 3. Quid de ludo laicis prohibito. ibid. num. 4. De damnis, & incommodis ludi. p. 388. num. 7. De aliis ludis Clericis, & Religioſis prohibitis. ibid. num. 8. De ludis ipſis conceſſis. ibid. n. 9.

Digitized by Google

Magis Notabilium.

Lunula, quæ Sacram Hoſtiam immediatè tangit, an debeat eſſe conſecrata, aut benedicta : verbo *Vaſa Sacra*.p.581.n.4.An tangi poſſit à laicis.ibid.

M

Magiſterium, ſeu Doctoratus gradus Religioſorum : verbo *Gradus*,&c.p.162.n 2.

Conferri poteſt à quibuſdam Prælatis Regularibus. ibid & ſeq.n.4.5. & 6.

Malefactores quomodo recipiendi, vel non à Regularibus : verbo *Bannum*.p.51.n.2.& ſeqq An recipi poſſint in Monialium Monaſteriis : verbo *Clauſura*.p.121.n.31.Qui malefactores gaudeant immunitate Eccleſiarum : verbo *Immunitas Eccleſiarum*. p.383.& 384.n.5.& ſeqq.

Martyrij occaſionem acceptare, an licitum : verbo *Homicidium*. p.271.num 6.

Membrorum mutilatio illicita : verbo *Homicidium*. p.271.n.4. Irregularitatem inducit : verbo *Irregularitas*.p.325 & ſeq.n.73.& 74.

Merces aſſignanda Concionatoribus : verbo *Concionari,& Concionator*, &c p.135. n.12. Quis illam tribuere debet.ibid.

Miniſter Baptiſmi quis ſit : verbo *Baptiſmus*.p.141.n 1. & 2.Pœnitentiæ : verbo *Confeſſio*.p.53.n.5. Euchariſtiæ : verbo *Euchariſtia*,&c.p 224.& ſeqq.n.2.11. & 14. Extremæ vnctionis : verbo *Extrema* Vnctio. p.245.& ſeqq.num.1.4.9.& 18.

Miniſtri Curiæ ſæcularis damnum aliquod Eccleſiia Regularium inferentes, quas pœnas incurrant : verbo *Immunitates Eccleſiarum*. p.188.n.19.

Miſſa non dicenda, niſi in altari conſecrato : verbo *Altare*. p.55.n.10. In altari priuilegiato debet eſſe de *Requiem*.p.37.n.19.Relinqui poteſt incboata pro audienda confeſſione moribundi : verbo *Confeſſio*. p.143.n.15.An celebrari poſſit pro hæreticis : verbo *Excommunicatio*,&c.p.232. n.12. An teneatur excommunicatus illam audire diebus feſtis. p.234. num.23.

Moniales obligantur ad clauſuram quoad egreſſum è Monaſteriis: verbo *Clauſura*.p.117.n.5. Quæ Moniales. ibid. n.6.An degentes in domibus Monaſteriis contiguis.ibid.n.8. An in vitæ periculo.ibid.n 10. An propter famam conſeruandam.ib.n.11.An propter habendam curam conſanguineorum. ibid. n.12.De caſibus concedendi licentiam egrediendi. ibid.n.13. Item quoad ingreſſum aliorum in ipſarum Monaſteria.p.119. n.21. Quæ perſonæ ingredi prohibeantur. ibid. n.23. De Superiori, qui poteſt concedere licentiam. ibid. n.24 Qualis ſit hæc licentia.ib.& ſeq. n 25.& 26. De illis qui poſſunt intrare.p.120.n.27.29.30.& 31.Quando poſſunt Epiſcopi, & alij Superiores ingredi. p.121.n 32. & 33. De fœminis, quibus eſt prohibitum ingredi. ibid. num.34.

Motu proprio, clauſula ſolita, quid denotat : verbo *Clauſula*.p.114.n.41.

Multum, ſeu *multa*, dictio aliquando contenta duobus: verbo *dictio*.p.175.n.25.

Magiſtri in Theologia in Religionibus qui ſunt: verbo *Littera Apoſtolica*.p.382.n 14.Ipſorum diuerſitas. ibid.Ipſorum priuilegium p 383.n.15.& 16.

Maledictiones contra perturbantes Moniales : verbo *Moniales*.p 455.n.25.

Mandati acceptiones. verbo *Mandatum quoad Regulares*.p.389 n.1 Et Etymologia,& definitio.p 390.n.1. Non extenditur ad illicita ibid.n.3.Nec quando eſt generale, ad ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum. ibid Mandatum de re illicita inualidum eſt. ibid. n.5 Mandatum ad vnguem obſeruandum.ibid.n.6. Fines mandati attendendi.ibid.num.7.Non ſeruans formam mandati, nihil validè facit.ibid.n.8.Quid quando mandatum datur abſque vlla forma expreſſa.ibid.n.9.Quibus modis finiatur mandatum. p.391.num.10.Quando finiatur morte mandatoris. ibid.n.11.Finitur morte mandatarij.ibid. n. 12. In aliis caſibus quomodo ſecundùm iura finiatur. ibid.num.13.De mandante committi aliquod delictum.ibid. n.15. Quid quando ſunt diuerſa mandata. p.192.num.17.De mandatis Apoſtolicis. ibid. num. 8

Mantellettum qualis veſtis ſit, & qui eo vtantur. p.392.

De Matrimonio aliqua remiſſiuè traduntur, quatenus ad Regulares ſpectat. ibid.

Matutinum una ex horis Canonicis, quando recitandum.p.393.n.1.& ſeqq.

Materiæ paruitas an detur in peccatis veneficij, incantationis, & ſortilegij : verbo *Veneficium*. p.584. num.12.

Mendicantium Ordines quot ſunt : verbo *Mendicantes Regulares*.p.393. n.2. Qui fruantur ipſorum priuilegiis.p.394.n.4.De Mendicantibus qui tractent. ibid.n.5.Præcedunt non mendicantes : verbo *Præcedentia quoad Regulares*. p 491. n.4. Præceduntur à Monachis p.493.n.8. An teneantur ad quartam funeralem : verbo *Quarta funeralis*.p.522.an.3.An ad Seminarij contributionem : verbo *Seminarium*. p.541.& 3.Apud illos libera ſepultura : verbo *Sepultura quoad Regulares* p 535.n.4.

Militares Religioſi tranſire poſſunt ad alias Religiones : verbo *Tranſeuntes Regulares*.p.577.n.12.

Miniſter pro celebranda Miſſa, qualis eſſe debeat : verbo *Miſſa*.p.413.n.63.

Minoribus Fratribus an legari poſſit : verbo *Legata Regularibus relicta*.p.348.n.

Miſſæ nomine duo intelligi poſſunt : verbo *Miſſa*. p.391.n.2.Miſſa pro precibus, orationibus, &c. accepta, finiti valoris eſt.ibid.num.3.Quid de Miſſa ſumpta pro immolatione, ſeu Sacrificio, &c.ibid. n.4. Obſtantiæ contra hoc præcluduntur. ibid. & ſeq.n.5.De effectu Sacrificij Miſſæ.p.397.n.6.Alius ex opere operantis, alius ex opere operato. ibid. n.7.Quotuplex fructus Miſſæ.ibid.Applicatur iuxta quantitatem deuotionis. ibid. Quibus prodeſt. ibid.An pluribus applicatum æquè proſit omnibus. p.397.n.8. De quibus id intelligendum. ibid. n.9. Non poſſunt accipi plura ſtipendia pro vna Miſſa. p.398 n.10.Etiamſi parua,& incongrua ſint. ibid. n.11 Quid de promiſſione dicendi Miſſas.ibid.n.12. Nec etiam propter paupertatem Sacerdotum.ibid. n.13. Nec propter congruam ſuſtentationem illorum. p 399. n.14. Nec propter priuilegia Regularium.ibid.n.15. Nec propter Imagines magnæ deuotionis ibid.n.16. Nec pro applicatione fructus, qui correſpondet Sacerdoti.p 400.n.17.An pro applicatione indulgentiæ ibid.n.18.Quid de Regularibus.ibid n.19. Quid de illis qui oppoſitum fecerunt, quomodo ſatisfacere poſſint. p. 401 An ſint aliqui caſus, in quibus id facere poſſint. ibid. n.21. An ſaltem ſine ſtipendio poſſint vnam Miſſam pro pluribus applicare. p.402. n.22. De ſtipendio pro Miſſa cantata.p.402.n.23.Quid in caſu grauis neceſſitatis, & aliarum circunſtantiarum. ibid. n.24. An ſi alio modo viuere non poſſint Sacerdotes. ib. n.25. Miſſæ votiuæ, ſeu de *Requiem*, quibus diebus dici poſſint,p.410.n.47. Sacræ Congregationis declarationes.ibid n.48.De Ritu, ſeu modo celebrandi Miſſas.p.411 n.55 De Miſſa ſicca.ibid. n.56. De Vaſis,& Veſtibus Sacris.ibid.num.57. Cæremoniæ quomodo obſeruandæ.ibid n.58. An ſint præceptæ.

p.413. n.59. De lumine ad Miſſam requiſito. ibid. n.60. De Miſſali. ibid. n.61. De Croce. ibid. n.62. De miniſtro. ibid. n.63. Capite coꝑerto celebrandum non eſt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. ibid. n.64. Calceatum debere eſſe celebrantem. p.414. num.65. Preces præſcriptæ ante Miſſam, dum Sacris veſtibus paratur Sacerdos, qualiter obligent. ibid. n.66. Quid animaduertendum pro benedictione populi. ibid. n.67. De modo ſupplendi defectus in Miſſa. ibid. n.68. Miſſæ Ritus: verbo *Ritus Sacri*. p.535. num.1.

Mitra quid, quotuplex, & qualis figuræ: verbo *Mitra*. p.414. n.1. Eſt propria Epiſcoporum. ibid. n.2. Conceditur ex priuilegio aliquibus Abbatibus. ib. n.1. & 3. Quomodo intelligenda ſimilia priuilegia. p.415. n.4.

Modi diuerſi, quibus legata relinqui poſſunt Regularibus: verbo *Legata Regularibus relicta*. p.349. n.10. Quomodo intelligendi ibid n.11. & ſeqq.

Monaſteriorum materia remiſſiuè: verbo *Monaſteria Regularium*. p.415. n.1. De licentia requiſita pro ipſorum fundatione ex variis decretis. p.416. n.2. Quæ notanda circa illa. ibid. n 3. An requiratur licentia Papæ. ibid. num 4. An conſenſus aliarum Religionum. p.417. n.5. Quid de Hoſpitiis Religioſorum. ib n.6. Quid ſi Religioſi ſine rationabili cauſa contradicant. p.418. n.7. Quid de erectione Monaſteriorum inchoatorum. ibid. n.9. Quid de Monaſteriis Monialium ib. n.10. Monaſteria virorum, & mulierum ſimul, an permiſſa. ibid. n.13. Numerus Religioſorum in Monaſteriis conſtituendus. ibid. n.14. De Monaſteriis Recollectis. p.419. n 16. Quâ modeſtiâ conſtruenda Monaſteria. p.420. n.18. Priuilegia Regularium circa eorum conſtructionem. ibid. & ſeq. num. 19. 20. & 21. Monaſteriorum priuilegia. p.421. n.22. & ſeqq. Ipſorum inuaſores quibus pœnis puniantur. ibid. n.24. An ad ipſorum fundationem requiratur licentia Principis ſæcularis. p.423. n.49. Monaſteriis poteſt quilibet res ſuas donare. ibid. n 30. Monaſteriorum tranſlatio, ſeu mutatio. ibid. & ſeq. n.32. & 35. An decreta Summorum Pontificum de illa intelligantur. p.423. n.33. Ipſorum augmentum, ſeu extenſio. p.424. n.34. De ipſorum vnione priuilegia p.425. & ſeq. n.39. 40. & 41. Monaſteria non deſerenda. p.426. n.42. & ſeqq. Non conuertenda in vſus profanos. p.427. n.45. An requirant Prælatorum reſidentiam. ibid. n.48. Fœminæ ingredi non poſſunt illa. ibid. n.49. Monaſteria quæ quartam funeralem ſoluunt: verbo *Quarta funeralis*. p.522. n.5. & ſeqq.

Monetariorum crimen, & pœnæ: verbo *Monetarij*. p.417. n.1. Per quas actiones contrahantur. p.428. n 2. Quomodo intelligendæ. ibid. n 3. An tale crimen ſit reſeruatum. p.429. n.7. An potiatur immunitate Eccleſiæ. ibid. n.8.

Monialium obedientia: verbo *Moniales*. p.429. n.2. Paupertas p.430. n.3. Caſtimonia. ibid. n.4 Numerus in Monaſterio collocandus. ibid. n.5. Dos. ibid. n.7 Receptio. p 431. n.8. Ætas. ibid. & ſeq. n.9. & 13. Libertas. ibid. n.10. Profeſſio p.431. n.14. Examen. ibid n.15. Communicatio cum extraneis prohibita ibid. & ſeq n.17 & ſeqq. Ipſarum regimen, & adminiſtratio bonorum p 436. n.28. Priuilegium fori. ibid. n.29. Abſolutio. ibid. n.30. Declarationes S. Congregat. circa illas. ibid. num.31. An teneantur ad contributionem Seminarij: verbo *Seminarium*. p.543. n.7. Earum viſitatores: verbo *Viſitator Regularium*. p.589. n.1. Poſſunt tranſire ad alias Religiones, ſeu Conuentus: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.577 n.12. Cum quibus conditionibus. ibid. Monialium vela quæ, & quot: verbo *Velum Monialium*. per totum. p.582.

Mozettâ qui vtantur, ſaltem ex priuilegiis: verbo *Mozetta*. p 437. n.1. & 2.

N

NAufragantium bona occupantes excommunicantur: verbo *Bulla Cœnæ*. p.76. n 14.

Negotiationem exercentes Regulares quomodo non liberi à gabellis: verbo *Gabella*, &c p.257. n.19.

Neophyti qui dicantur: verbo *Irregularitas*. p.314. num.11. Irregulares ſunt. ibid. A quo diſpenſentur. ibid.

Neophytus. Reſolutio cuiuſdam dubij de filio cuiuſdam fœminæ combuſtæ propter crimen magiæ. p.444. n.14. Poteſt aſſumi ad dignitates, & officia Religionis. ibid. n.15. Quia in Bulla Pauli IV. non excluditur. ibid. n.16. Verba Bullæ. ibid. n.17. Etſi eius mater fuerit maga, non tamen declarata vt hæretica. ibid. n.18. Poteſt dari magia ſine hæreſi. ibid. n.19. Auctores referuntur. ibid n.20 Non obſtat quod fuerit de hæreſi ſuſpecta. ibid. n.21. Non enim propterea eius filius excludi debet ab officiis. ibid. n.22. Quia bulla ſolùm loquitur de hæreticis. ibid. n.23. Lex pœnalis intelligenda eſt ſtrictè. ibid. & ſeq. n.24. Doctrina Sanchez. p.445. n.25. Maximè hoc procedit in regionibus vbi graſſantur hæreſes. ibid. n.26. Alia reſolutio de quodam ex Mahometanis orto, baptizato in infantili ætate. ib. n.27. Capax eſt officiorum Religionis. ibid. n.18. Non obſtat illi caput *quoniam multa, diſtinct.* 48. ibid. n.29. Quia per Neophytum intelligitur ille, qui nouiter, & recenter baptizatus eſt. ibid. n.30. Religioſus autem iſte in infantili ætate. ibid. n.31. Verba illius Canonis. ibid. n.32. Fauet canon *Sicut Neophytus*. ib. n.33. Fauent Doctores. ibid. n.34. Non obſtat Pauli IV. Bulla. p.445. n.35. Quia ibi loquitur Pontifex de deſcendentibus ex Iudæis, & hæreticis, non ex Mahometanis. ibid. n.36. Nec hîc valet argumentum à ſimili. ibid. n 37. Quia lex pœnalis non debet extendi. ibid. n 38. Et hæc ſolùm eſt pro Ordine Minorum. ibid. n.39.

Non obſtantibus, &c. clauſula ſolita, quid importet: verbo *Clauſula*. p.114. n.41. & ſeqq.

Non poteſt, clauſula, quantùm valeat: verbo *Clauſula*. p 114 n 47.

Noualia quæ dicantur: verbo *Decima*, &c. p.164. num.11.

Nouitij gaudent priuilegio immunitatis à Gabellis: verbo *Gabella quoad Regulares*. p.256. n.7.

Nullatenus, ſeu *nullo modo*, quemcumque caſum excludit: verbo *Dictio*. p.175. n.16.

Negligentia in celebratione Miſſarum pro iis, pro quibus debentur, quàm grauis ſit: verbo *Miſſa*. p.406. num. 38. & ſeqq. An aliquando excuſetur. ibid.

Negotiatio quid, & quotuplex, verbo *Negotiatio quoad Regulares*. p.437. n.2. Quibus prohibita, vel permiſſa p.438. n.3. Qualis prohibita Eccleſiaſticis. ibid. n.4. Quæ conceſſa. p.439. n.5. Monaſteriis Regularium. ib n.6. Quid propter decreta Sacræ Congregationis viſitationis Apoſtolicæ, & alias declarationes SS. Congregationum. ibid. & ſeqq num. 7. 8. & 9.

Negromantiæ libri qualiter prohibiti: verbo *Libri*. p.376. n.29.

Neophytus quis dicatur: verbo *Neophytus Regularis*. p.441 n.1. Admittiue poſſit in Religionibus. ib. n.2. Quid propter ipſarum priuilegia. ibid. n.3. Quomodo ea accipienda. p.441. n 4 Quid de particularibus Statutis Religionum. ibid. n.5. An illa inualida ſint ibid. n.6. An Neophyti admitti poſſint ad ordines Sacros. p 443. n.7. An aſſumi ad Officia Religionis. ibid. n.8. Quid ſtando in iure communi. ibid. num.9.

num.9.Qnid ſecundùm jnra patticularia Religionum.ibid.n.10.Quomodo intelligenda. ibid. n.13. Quæ ſtatnra poſſint facere circa illos Religiones. ibid.p.444.n.11.

Non poteſt,clauſula quomodo exponenda : verbo *Leges Regularium*.p.365.n.47.

Non obſtantibus, clauſula quomodo intelligenda : verbo *Priuilegia Regularium*.p.506.n.21.

Notarius quis dicatur: verbo *Notarius Regularis*.p.445. n.1.Qui Prælati Religionum poſſint illos inſtituere.ibid.& ſeq.n 2.3.& 4 De Frattibus ad illud munus conſtituendis.p.446.n.5.Quæ poſſint facere.ib. n.6.7. & 8. De aliis ſpectantibus ad ipſos. ibid. & p.447.n.9.& ſeqq.

Nototium quid,& quotuplex: verbo *Notorium*.p.448. num.2. Quomodo differat à manifeſto, publico, & famoſo.ibid.n 3 Nototium iuris quid.ibid.n.4. Nototium facti.ibid.& ſeq.n.5. Poteſt fieti occultum.p.449.n.6.Quid ad illud attendendum.ib.n.7. Quomodo vox *Notorium*, accipienda in ptiuilegiis Religionum.ib. n.9. Quomodo in Statutis earum. ibid.num.10.

Noua Monaſteria quomodo , & eum quibus conditionibus fundari poſſint : verbo *Monaſterium Regularium*.p.416.n.2.& ſeqq.

Nuuitiatus in locis non approbatis non ſufficit ad profeſſionem : verbo *Profeſſio Regularis*. p 515. n.7. Defectus anni Nouitiatus irritat profeſſionem. ibid.n.9.Debet eſſe continuus.ibid.n.10.Quomodo ibid.

Nouitij in qnibus conuentibus tecipi poſſint : verbo *Nouitij,& Nouitia Religionum*.p.450.n.2. Nonitiorum qualitates.p.451.n.11.Quid de vicis maioribus ſexdecim annis.p.452.n.13. Nouitiorum conditiones. ibid.& ſeq. n 14.15. & 18. Bona quomodo tenuncianda.p.454.& 455.n.25 & ſeqq.Priuilegia. p.456. n.34.Facultas ad illos abſolnendum.p.457.num.36. Vota ipſotnm.ibid.n 3 .Diſpenſatio, & commutatio.ibid.& ſeq.num.38.Ipſorum confeſſarij. p.458. n.40.Poſſunt eligere ſepultutam.ibid.n.41.An munus Confeſſarij exercere.ibid. n.42. Obligationes, & oneta ipſorum. p.459.n.44.

Nouitiæ quomodo recipiendæ : verbo *Nouitij,& Nouitia Religionum*. p.452. n.10. Conditiones ipſarum. ib.An fieri debeant informationes pro illis. p 454. num.24.De diſpoſitione bonotum ipſarum.ibid.& p.455.n.25.& ſeqq.

Numerus teſtium tequiſitus, & ſufficiens pro qualibet cauſa: verbo *Teſtis Regularis*.p.574.n.5.Veſtium Sacrarum : verbo *Veſtes Sacra*.p.584.n.2.Numerus duodecim fratrum tequiritur pro fundatione noui Monaſterij : verbo *Monaſterium Regularium*. p.418. n.7. Is tantùm numerus habendus in Monaſteriis, qui commodè ſuſtentari poſſit ex redditibus, eleemoſynis,&c.ibid.n.14.

O

OBlatio,& decima, quomodo differant: verbo *Decima quoad Regulares*.p.161.n.1.

Occidere,aut mutilare ſeipſum,an ſemper illicitum: verbo *Homicidium*.p.171.n.4. Quid de mortificationibus , & pœnitentiis.ibid.n.5.

Occidere aliquem an,& quando liceat,præſertim Regularibus.p.272.n.7.& ſeqq.

Officia diuina quæ per interdictum prohibentur,quæ ſint : verbo *Interdictum*,&c.p 305.n.20.

Officinm diuinum recitant depoſiti: verbo *Depoſitio*. p.173.n.3.Excommunicati : verbo *Excommunicatio*. p.233.n.15.Interdicti: verbo *Interdictum*, &c.p.305. num.21.

Officia Religionum,qnibus incapax eſt excommunicatus : verbo *Excommunicatio*,&c.p.235. n.27.Quibus infamis: verbo *Infamia*.p.198.n 11.& ſeqq.Quibus irregularis: verbo *Irregularitas*.p 313 n.6. & 7.

Oleum extremæ vnctionis.quale: verbu *Extrema Vnctio*.p.147.n.13.

Omni meliori modo,&c.clauſula ſolita,qnid ſignificet: verbo *Clauſula*.p.114.n.48.

Onera à quibus ſunt immunes Regulares: verbo *Immunitas Regularium*.p.289 à n.2.

Opera prohibita ſeu permiſſa in diebus feſtis : verbo *Feſti dies quoad Regulares*.p 251.n.8.& 9.Qnid facere poſſint Prælati Regulares , ſaltem ex priuilegiis quoad hoc.ibid.& ſeq.n 10.11.& 12.Opera qnibus lucrari poteſt Iubilæum , qualia ſint : verbo *Iubilæum*. p.332.n.20.

Oratio pro obtinendis Iubilæis: verbo *Iubilæum*.p 330. num.13.

Ordines ſacros exercere non poteſt excommunicatus : verbo *Excommunicatio*,&c.p.231.n.13.Nec interdictus: verbo *Interdictum*,&c.p.303.n.11. Nec irregularis: verbo *irregularitas*.p.311. & ſeq. n.5.& 6. Vide verbo *Dimiſſoria*,& verbo *Interſtitia*.

Oblati, ſeu commiſſi Religionum varij, & diuerſi: verbo *Oblati*,ſeu *Commiſſi*.p.459.& ſeq. n 2. Tenentur ad aliquod genus obedienriæ.ibid.n.3. De fori priuilegio.p.460.n.4. De priuilegio Canonis.ibid. n.7.De aliis priuilegiis.ibid.n.5.& ſeqq.

Oblationum nomine quæ veniant: verbo *Oblatio facta Regularibus*.p.461.num.1.Regulares poſſunt recipere oblationes ſibi factas. ibid. n.2. Oblationes factæ imaginibus ad quos ſpectent.p.462.n.3.Oblationes factæ capellis,ad quos.ibid. n.4. Quid ſi factæ ſint ad certum finem.ibid.n.5.An alienari poſſint.ibid. n.6.De oblationibus ratione miniſterij altaris.ibid. num.7. De oblationibus ratione Parochiæ. ibid. num.8. Laïci illas detinentes , quas pœnas incurrant.ibid.n.9.Plures perſonæ prohibitæ ſunt oblationes facere ad altare.ibid.& ſeq.o.10.Quid de admittentibus excommunicatos ad illas.p.463.n.11. Quomodo faciendæ ad altare.ibid.n.12.

Obligatio dicendi Miſſas,quæ promiſſæ ſunt : verbo *Miſſa*.p.406. n.38. Modicum tempus quod intelligatur. p.407. n.39. An Regulares ægrotantes eximantur ab obligatione Miſſarum dicendarum.ibid. n.40.An aliquoties in anno.ibid.n.41.An in hebdomada.ibid. n.41. De obligatione inueſtiendi pecunias pro onere Miſſarum. p.405 n.36. & 37. Oblationes Prælatorum Regularium: verbo *Prælatus Regularis*.p.498.n.20. Obligationes Nouitiorum : verbo *Nouitij,& Nouitia Religionum*. p.459. n.44. Obligationes oblatorum : verbo *Oblati* , ſeu *Commiſſi*. p.460.n.3.& ſeqq.

Occulrum quid,& quotuplex: verbo *Occultum*.p.463. n.2.De occulto quod opponitur contra probabile. ibid.& ſeq.n.3.De occulto quod diſtinguitur à notorio.p.464. n.4. De occulto quod opponitur publico,ſeu famoſo.ibid.n.5.facultates conceſſæ Regularibus ad abſoluendum , ſeu diſpenſandum in caſibus occultis, ad quos caſus extendantur. ibid. n.6.De facultatibus conceſſis à Sacra Pœnitentiaria pro caſibus occultis.p.464.n.7.Quando Regulares vti poſſunt dictis facultatibus.ibid.n.8. Quid ſi caſus ſunt materialiter publici , licèt in ratione delicti occulti.ibid.n.9.Quid de caſibus alicubi publicis,in loco tamen vbi abſolutio,vel diſpenſatio conceditur occultis. ibid. num.10. Quid de caſibus ad forum contentioſum deductis. ibid. numero 11.Quid quando delictum ſocij deductum eſt ad forum contentioſum.ibid.numero 12.Quid quando reus non eſt abſolutus. ibid.n 13.Quid quando caſus , qui erant occulti , fiunt publici. ibid. numero 14.

Odioſa

Odioſa ſtrictè explicanda: verbo *Leges Regularium*. p.363.n.42.

Officia Religionum quæ,& quotuplicia: verbo *Officia Religionum*. p.465.n.2. Nomine officiorum quæ intelligantur in Bullis Pontificiis. ibid. n.3. Quorum officiorum Religionum ſint incapaces illegitimi. ibid. & p.466.n.4. & ſeqq. An illa procurare liceat Regularibus.p.466.n.7. & ſeqq. An propter fauorea extraneorum.ibid.n 10.& ſeqq. De conſtitutionibua Summorum Pontificum in interdicentibus.ibid.An ſint materia Simoniæ: verbo *Simonia quoad Regulares*.p.356 num.16.Quid de interceſſione pro ipſis.ib.n.17.Quando non committatur,etiamſi aliquid detur,vel accipiatur.p.559.n.31.Suſpenſio ab illis quid operetur: verbo *Suſpenſio quoad Regulares*.p 568 & 569.n.6.& 13.

Officium diuinum quid importet: verbo *Officium diuinum*.p.469.n.6.Tenentur ad illud omnes Eccleſiæ Regulares.p.468.n.2.Quid de Præelatis negligentibus quoad hoc.ibid.n.3. Communitatea quomodo teneantur ad illud.ibid.n 4.Singuli Religioſi.ibid. n.5. Quid de officiis particularibus, propter obligationem aliquorum Conuentuum.p 469.n.7.Quid de Conuentibus paruis.ibid.n.8.De modo officiandi diuinum officium.ibid.n.9 De loco,in quo dici debet.ibid.num.10.Animaduertenda pro Religioſis ſcrupuloſis.ibid.& ſeq n.11.Officij diuini ritua,verbo *Ritus Sacri*.p.536.num.5 Officia quibus priuatur ſuſpenſus à diuinis,quæ ſint: verbo *Suſpenſio quoad Regulares*.p.568.n.10. Officium, & Miſſa defunctorum, an pro viuentibus applicari poſſit: verbo *Miſſa*.p.411.n.54.

Oleum Sanctum quotuplex: verbo *Oleum Sanctum quoad Regulares*.p 4?1. n.1. De Oleo quod eſt Chriſma. ibid n.1. De oleo Catechumenorum. ibid. n.3. De Oleo infirmorum.ibid.n 4. An poſſit miſceri cum alio non benedicto.ibid.n.5.

Opinio quid, & quotuplex: verbo *Opinio Regularibus tenenda*.p.472.n.1. An vnius Doctoris ſententia opinio dici poſſit.ibid.n.3.Opinionem tutiorem ſequi regulariter obligatorium non eſt.ib.n.4.& 5.Quid quando duæ opiniones ſunt æquè probabiles.ibid. n.6.Quid de opinione antiquata.ibid.n.7.Quid de opinione reprobata decreto Superiorum. p.473. num.10.In qua materia non licet ſequi opinionem minùs probabilem.p.472.& ſeq.n.8.& 9.

Oppoſitores contra electiones qui, & cum quibus conditionibus poſſint eſſe, *in Relect*. p.600. num.2. & ſeqq.

Oracula viuæ vocis quæ ſint: verbo *Oracula viuæ vocis*.p.475.n 4.Quam vim habeant.ibid.Conſtitutio Gregorij XV. circa reuocationem illorum. p.474. n.2.Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani.ib.n.3. Quæ ſint reuocata per has Conſtitutiones.p.475.num.5. & ſeqq.

Oratio *Sacroſanctæ, ac Indiuiduæ Trinitati*, dicenda poſt Officium diuinum: verbo *Officium diuinum*. p.470. n.12.Ad quid iuuet eam recitare.ibid.n.13.

Oratorium quid,& quotuplex: verbo *Oratoria quoad Regulares*.p.476.n.1 De oratoriis publicis. ibid. n 2. De priuatis,& qualiter permiſſis.p.477.n.3.An gaudeant immunitate Eccleſiaſtica.ibid.n.4.An in illis miniſtrari poſſit Eucbariſtia.ibid.n.5. De Oratoriis priuatis. ibid. num.6. Dubium, an in Oratoriis celebrari poſſint plures Miſſæ vna die.p.478. num.7.An illis aſſiſtentea ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam.ibid.n.8.Breue Pauli V.ibid.n.9.Alia ex ipſo.ibid.n.10.Non poſſunt vna die dici plures Miſſæ in eis.ibid.n.11. Quia priuilegium hoc debet reſtringi.ibid.n.12. Quia Pontifex loquitur de Miſſa in numero ſingulari.ib.n.13. Quando appellatione numeri ſingularis venit pluralis. p. 478. n.14 Quando eſt eadem ratio in vtroque.ibid.n.15. Non obſtat canon *Si quis etiam*. ibid.n.16. Alia obiectio ſoluitur.ibid.n.17.Qui ex familiaribus ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam, & qui non.ib. n.18.intelligentia indulti.ibid.n.19.

Ordo Sacramentum, quid,& quotuplex: verbo *Ordines Sacri*.p.479.n.2. De materia, & forma Ordinis. ibid.& ſeq.n.3.De ſubiecto capaci illius.p.480.n.4. De Miniſtro ipſius. p.481.n.5.An aliquibus Regularibus competat miniſtrare ordines. ibid.n.6. An ligati cenſurâ poſſint illud miniſtrare. ib.n.7. Quo in loco conferri poſſint ordines. p.482.num.8.Quo tempore.ibid.n.9.Quibus poſſint Abbates ordines, vel Tonſuram conferre.ib.n.10.Regulares ſubduntur Epiſcopis quoad collationem Ordinum.ib n.11. Prælati Regulares debent dimiſſorias concedere. ib.n.11. An Regulares ordinandi neceſſariò examinari debeant.ibid.n.13.An poſſint Prælati exempti concedere dimiſſorias ſuis ſubditis ſæcularibus.ib. De ætate ad Ordines requiſita.p.482.n.14.De irregularitate defectu legitimæ ætatis.ibid.n.15.De interſtitiis ad ordinea neceſſariis. p.483. n.16. Religioſi ordinantur ſine titulo beneficij,aut patrimonij. ibid.n.17.De Religioſo inualidè profeſſo,& ordines ſuſcipiente. ibid.Quid de Religioſo ordinato cum dubio de ſua profeſſione, ſi reuertatur ad ſæculum. ibid. num. 18. Ordinari non poſſunt Regulares extra tempora. ibid. num.19. De irregularitate propter ſuſceptionem furtiuam Ordinum. ibid. num. 20. Quid quando Epiſcopua declarauit ſe non habere intentionem ordinandi accedentes furtiuè, excommunicatos, &c. ibid. Ordinis Sacri receptio an efficiat profeſſionem tacitam: verbo *Profeſſio Regularis*. pag.515.num. 4. Probatio de vita & moribus in ordinandis, &c. qualiter requiratur. pag. 484. numero 21. Reſolutio caſus de quodam ordinato. ibid. numero 23. Quia ordinatus eſt cum expectatiua dimiſſoriarum,quas actu non habebat, grauiter peccauit.ibid.n.24. Si ordinatus eſt iuxta tenorem illarum, probabile eſt non incurriſſe pœnas latas. ib. num.25. Quia probabilis eſt ſententia affirmans, quod priuilegium valet à tempore conceſſionis. ibid.n.26. An quia ordinatus ad titulum beneficij quod non poſſidebat, inciderit in ſuſpenſionem canonis *Sanctorum, diſtinct*.70. ibid. num.27. Probabilius eſt,quod non. ibid.num.28. An incurrerit ſuſpenſionem latam à Pio II. ibid. num.29.An impoſitam à Pio V.ibid.n.30. Quòd ordinatus fuerit extra tempora in vim breuis ſubreptitij, incurrit ſuſpenſionem à Pio II. poſitam p.484.numero 31. Quia imponitur contra ſuſcipientes Sacros ordines extra tempora. ibid. num.32. Celebrando incurrit irregularitatem.ibid.num.33. An poſſit abſolui ab alio quàm à Papa. ibid. num.34. Quid ſi caſus eſſet occultus ibid num.35. Quid de irregularitate à Pio II. impoſita. ibid.num.36.An requiratur temeritas,ſeu præſumptio.ibid. n.37. An à S. Pœnitentiaria,vel Epiſcopo abſolui, aut diſpenſari poſſit.p.484.n.38.Quid ex vi Bullæ Cruciatæ in Hiſpania.ibid. num.39. An Epiſcopus poſſit acceptare pro foro externo.ibid. num.40. In irregularitate non diſpenſatur ex priuilegio Bullæ. ibid. n.41.Quid ſi eſſet probabilis ſententia quorundam Doctorum. ibid.num.42. Potuit D. Epiſcopus priuare illum beneficiis Eccleſiaſticis.p.485.n.43. De aliis quæ geſſit.ibid.n.44.

Ordinationis velum pro Monialibus quale: verbo *Velum Monialium*.p.582.n.5.

Parte

P

Parte ſatisfacta, clauſula ſolita, quid ſignificet: verbo *Clauſula*. p.114.n.49.

Patenæ conſecratio: verbo *Calix*. p.92. n.2. Quando amittitur. ibid. n.5 & ſeqq.

Peccatori publico quando neganda Euchariſtia: verbo *Euchariſtia*, &c. p.227. n.13.

Percuſſio Clerici triplex: verbo *Clericus*. p.125. n.12. Ab ea qui abſoluant. ibid. n.12.

Pœnitentia ſalutari iniuncta, clauſula ſolita, quid ſignificet: verbo *Clauſula*. p.114. n.50.

Pœnitentiis iniunctis, clauſula quid importet: verbo *Iubilæum*. p.332. n.21.

Politica communicatione priuatur excommunicatus: verbo *Excommunicatio*, &c. p.238. n.42. In quo id conſiſtat. ibid. & in ſeqq.

Pontificalium vſus quibus Prælatis permiſſus: verbo *Abbas*. p.3. n.14.

Præſes pro electionibus, qualis: verbo *Abbatiſſa*. p.5. num.4.

Prælati Regulares an diſpenſent ſuper irregularitate orta ex procurato abortu: verbo *Abortus*. p.10. & ſeq. num.16 & 19. An in pœnis contra alienantes bona Eccleſiaſtica: verbo *Alienare*, & *Alienatio*. p.29. n.23. An in bigamia: verbo *Bigamus*, & *Bimagia* p.68. & ſeq. num.5.6. & 7. An in irregularitate, quæ contrahitur ob infamiam: verbo *Infamia*. p.299. & ſeq. num.17.18. & 19. An in aliis irregularitatibus: verbo *Irregularitas*, per totum. p.311. & ſeqq. A qua Clerici percuſſione abſoluant: verbo *Clericus*. p.125. n.12. An concedant Indulgentias: verbo *Indulgentia*. p.291. num.4. Quam auctoritatem habeant pro tempore interdicti: verbo *Interdictum*, &c. p.309. n.41.

Praxis Regularium: vide *Regularium praxis*.

Priuatiuè, dictio, quid importet: verbo *Dictio*. p.174. num.4.

Priuilegium Canonis quid importet: verbo *Clericus*. p.122. num.1. Quid denotetur in illo per verbum, *Si quis*. ibid. num.3. Quid per *Clericum*. p.123. num.5. Quid per *Monachum*. ibid. num.6. Quid per *Violentas manus*. p.124. num.7. An hæc excommunicatio Canonis extendatur ad mandantes, conſulentes, &c. ibid. num.8. Qui ſint caſus in quibus percuſſor Clerici excommunicationem non incurrit. ibid. num.9. Qui Clerici priuentur hoc priuilegio. ibid. num.10. Verba illa Canonis, *Nullus Epiſcopus*, &c. qualiter intelligenda. p.125. num.11. Triplex eſt percuſſio Clerici, leuis, mediocris, grauis, ſeu enormis. ibid. num.12. A percuſſione leui quis abſoluat. ibid. num.12. A percuſſione mediocri. ibid. n.13. A graui, ſeu enormi. ibid. n.14. Quid de illis, qui non poſſunt adire Summum Pontificem. p.126. n.15. Maximè de Religioſis. ibid. n.16. Quid quando Prælatus ſubditum percuſſerit. ibid. num.17. Quid ſi ad inuicem ſe percuſſerint. ibid. An aliqui confeſſarij ab hoc caſu abſoluant. ibid. n.18.

Priuilegium fori Clericorum: verbo *Clericus*. p.127. num.19. Quid importet. ibid. Quomodo intelligendum. ibid. Quomodo abrogari poſſit. ibid. Qui Clerici hoc priuilegio fruantur. ibid. num.20. Qui non fruantur. ibid. De aliis de quibus id aſſeritur. p.128. n.21. Gaudent hoc priuilegio Religioſi. ibid. n.22. An conuerſi, oblati, ſeu donati. ibid. n.23.

Priuilegium Regularium quoad altarium conſecrationem: verbo *Altare*. p.34. & ſeq. num.4. & 5. Quoad celebrandum cum ſolo altari portatili. p.35. & ſeq. n.13. Quoad Calicis conſecrationem: verbo *Calix*. p.92. num.4. Quoad non ſoluendum canonicam portionem, ſeu quartam funeralem: verbo *Canonica portio*. p.93. & ſeq. num.7.8. & 9. Pro tempore ceſſationis à diuinis: verbo *Ceſſatio a diuinis*. p.109. & ſeq. num.3. & 7. Quando priuilegia Regularium cenſeantur derogata per poſteriores Conſtitutiones Pontificias: verbo *Confeſſarius Regularis*. p.137. num.7. De priuilegiis confeſſariorum Regularium. p.138. num.12. & ſeqq. De priuilegiis Regularium quoad Decimas non ſoluendas: verbo *Decima*, &c. p.162. & ſeq. num.2.3.4. & 5. Quoad reconciliationem Eccleſiarum: verbo *Eccleſia*. p.191. & 192. num.13. & ſeqq. Quoad miniſtrandam Extremam Vnctionem: verbo *Extrema Vnctio*. p.246. n.3. Pro diebus feſtis: verbo *Feſti dies*. p.251. & ſeq. n.10.11. & 12. Pro diebus jeiunij: verbo *Ieiunium*. p.277. n.9. & 10. Pro diſpenſatione illegitimorum: verbo *Illegitimus*. p.280. & ſeq. n.17. & 18. Pro tempore interdicti: verbo *Interdictum*, &c. p.306. & 307. n.28. & ſeqq. Quoad diſpenſandum in irregularitatibus: verbo *Irregularitas*, per totum. p.311. & ſeqq. Quoad conferendum gradus Religioſis: verbo *Graduati*, &c. p.260. & ſeq. n.4.5. & 6. Priuilegia habitus Religioſi: verbo *Habitus*, &c. per totum. p.264. & ſeqq.

Pro expreſſis, clauſula, quid ſignificet: verbo *Clauſula*. p.114. n.51.

Pro potiori cautela, clauſula quid denotet: verbo *Clauſula*. p.114. n.52.

Prout conſcientia tua, clauſula, quid importet: verbo *Clauſula*. p.114. & ſeq. n.53. p.120.

Prout de iure, clauſula quam vim habeat: verbo *Clauſula*. p.115. n.54.

Proteſtatio quando pro accuſatore requiſita: verbo *Accuſare*, &c. p.17. & 18. n.18. & ſeqq.

Pugnare in bello an liceat Religioſis, & aliis Eccleſiaſticis: verbo *Bellum*. p.55. & 56. num.5. & ſeqq. An quando in nauibus, vel triremibus ſunt. p.57. n.16.

Pyxidis benedictio, ſeu conſecratio: verbo *Benedictio*. p.60. n.12. & verbo *Calix*. p.92. n.3.

Paramenta Sacra quæ ſint: verbo *Paramenta Sacra*. p.485. n.1. & 2. Quæ, & qualia debent eſſe. ibid. Ex qua materia, & an ex profana. ibid. n.3. Quando exſecrentur. ibid. Quid quando vetuſtate conſumpta ſunt. ibid. An vendi, ſeu alienari poſſint. ibid.

Parochus, & parochia quid ſint: verbo *Parochus*, & *Parochia Regularis*. p.486. n.1. An Regulares aſſumi poſſint ad munus parochorum. ibid. n.2. An ſaltem ad parochias Regulares. ibid. num.3. Quibus prouidendi, & examinandi. ibid. num.4. An ſubſint viſitationi, & correctioni Epiſcopi. ibid. num.5. An remoti à parochia poſſint munus Confeſſarij exercere. ibid. num.6. De aliis ad ipſos ſpectantibus. ibid. n.7. Declarationes Sac. Congregat. circa illos. ibid. n.8.

Patena de qua materia eſſe debeat: verbo *Vaſa Sacra*. p.581. n.2. Debet eſſe conſecrata. ibid. Quando cenſeatur talis. ibid. Quando exſecretur. ibid. An tangi poſſit à laico, vel Clerico in Minoribus. ibid.

Patroni Monaſteriorum: verbo *Monaſteria Regularium*. p.425. n.18. Qui Sancti in Patronos eligi poſſint: verbo *Sanctorum cultus*. p.539. n.3.

Paupertas non excuſat Sacerdotem plura ſtipendia pro vna Miſſa recipientem: verbo *Miſſa*. p.399. n.13. An in aliquo caſu. p.402. n.14.

Perfectior Religio quæ cenſeatur: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.576. n.5.6. & 7.

Peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ vota, quando ab Epiſcopis diſpenſari poſſint: verbo *Votum pro Regularibus*. p.595. num.16.

Pileolo in capite poſito an poſſit Sacerdos celebrare ſine diſpenſatione: verbo *Miſſa*. p.413. n.64. Quis in hoc diſpenſet. ibid.

Pyxis

Digitized by Google

Pyxis, vide ſuprà.

Pœna quid, & quotuplex: verbo *Pœna Eccleſiaſtica*, p.487. num.1. Alia eſt cenſura, alia nun cenſura. ibid. num.1. Aliæ diuiſiones pœnarum. ibid. numero 2. De pœnis quæ ſunt cenſuræ. ibid. num.3. De irregularitate ibid num.4. Quando cognoſcuntur pœnæ eſſe latæ ſententiæ, vel ſolùm ferendæ. ibid num 5. Imponuntur ſolùm pro actibus externis ibid. & ſeq num.6. Quales debeant eſſe actus iſti. ibid. Propter quam culpam imponi poſſunt. p.488. num.7. Quando incurrantur in foro conſcientiæ. ibid. num 8. De aliis pœnis remiſſiuè. ibid num.9. De pœna priuationis vocis actiuæ. ibid num 10. De pœna priuationis vocis paſſiuæ. ibid. num 11. De pœna priuationis loci. ibid. & ſeq. num 12. De pœna priuationis beneficiorum. p 489 num.13. De aliis pœnis remiſſiuè. ibid. numero 14. De pœna maledictionis ibid.num.15 De pœna indignationis Dei, Sanctorum, & Summi Pontificis. ibid. num.16. De diſpenſatione in pœnis ibid. num.17. An in ipſis diſpenſent Prælati. ibid.num.18. Pœnæ Monetariorum: verbo *Monetarij*. p 427. num 1. Accedentium ad Monaſteria Monialium ſine legitima licentia: verbo *Moniales*. p. 3 . num.24. Cogentium Regulares ad quartam funeralem ſoluendam, quando illam non debent: verbo *Quarta funeralis*. p 523. numero 11. Simoniacorum: verbo *Simonia quoad Regulares*. p.557.n.22.& 23. Simoniacorum in Ordine.p.558. numero 28. In beneficiis. p.559. numero 29 Pœna triremium an noua, vel antiqua: verbo *Triremium pœna*. p.579.& ſeqq. num.2. An digna quod imponatur Religioſis p 580. num.3. Quando poſſit illis imponi. ibid. num.4. Reſolutio cuiuſdam caſus. p 4 9. num.5. De quodam Religioſo exeunte extra portam Monaſterij ſine licentia, contra præceptum expreſſum Superioris. ibid num.20. Et quia aſtitit ad portam cuiuſdam artificis, etiam contra expreſſum præceptum. ibid. num.21. Habuit ignorantiam talis præcepti. ibid. num. 22. Non adfuit publicationi illius. ibid. numero 23. Ignorantia excuſat à tranſgreſſione. ibid. numero 24. Quid ſi eſſet aliquo modo culpabilis. p.489. numero 25. An ſi fuiſſet affectata. ibid. numero 26. Qui operatur ex ignorantia, neque contemnit legem, nec illi facit iniuriam. ibid. num.27. An ſtari poſſit iuramento ipſius. ibid. numero 28. Quid de alio præcepto non aſtandi ante portam artificum. ibid. num.29. Verbum *audeat*, denotat præſumptionem. ibid. numero 30. Requirit ſcientiam. ibid. num 31. Videtur excuſabilis, quia pœnæ erant grauiſſimæ. p.490. numero 30. Exigebant peccatum mortiale. ibid. numero 33. Pœna debet eſſe proportionata culpæ ibid. num.34. Modica non nocent. ibid. numero 35 Non veniunt in conſideratione. ibid. num.36. Pœnæ ſunt iſti tranſgreſſori applicandæ, ſaltem ea parte. ibid. num.37. Quia committitur, etiamſi in minimo deficiatur ibid. numero 38. Quia delicta puniri expedit Reipublicæ. ibid. numero 39. Maximè in Religionibus. ibid.num.40. Ac præcipuè in culpis publicis. ibid. numero 41. Quæ præbent occaſionem ad ſimiles perpetrandas. ibid. numero. 42. Commiſſa eſt culpa in præſentia Generalis. ibid. numero 4 . Eſſet oppoſitum contra auctoritatem ipſius. ibid. numero 44. Lex hæc eſt impoſita ad tollendum abuſum. ibid. n 45. Non eſt excuſabilis iſte reus ob ignorantiam. p 490. num.46. Quia vidit illa decreta. ibid. num 47. Et quia ſumus in cauſa criminali. ibid.num.48. Quia hîc non adeſt paruitas materiæ. ibid. numero 49. Pœnæ applicandæ magna ex parte. ibid. num.50. In puniendis delictis ſeueritas cum benignitate ſeruari debet. ibid. num.51. Nimis iuſtus in ſua iuſtitia perit. ibid. num.52. Reſolutio alterius dubij de impoſitione pœnæ pecuniariæ. ibid. num.53. Rarò, aut nunquam eſt in vſu apud Regulares. ibid. numero 54. Epiſcopus non poteſt pœnas pecuniarias indicere pro tolerandis delictis ibid.num.55 Correctionis zelo poteſt per illam punire. ibid. n.56. Non poteſt illam ſibi applicare. ibid. num.57. Ex decreto Concilij Tridentini. ibid. num.58. Diſcrimen inter mulctas, & pœnas pecuniarias. p.491. num. 59. Quæ applicari poſſint in opera pia. ibid. num.60. Quid ſi Epiſcopus non habet redditus ſufficientes. ibid.num.61. Pœnæ concubinarij cui applicandæ. ibid. num.62. Non Vicario, aut Cameræ Epiſcopali. ibid.num.63. Quid ſi Epiſcopus eſſet multùm pauper. ibid. numero 64.

Præcedentia inter Regulares qualis: verbo *Præcedentia quoad Regulares*. p.491. num.1. Controuerſiæ de ipſa, à quo dirimendæ. ibid. num.2. De præcedentia Cleri. ibid. num.3. In præcedentia quæ attendenda. ibid. num.4. Declaratio maximè Sedis Apoſtolicæ ibid.n.5. Conſtitutio Gregor. XIII. ibid. n.6. Præcedentia quæ Romæ obſeruatur inter Regulares in proceſſionibus. ibid.num 7. & 8. Præcedentia inter Regulares vnius ordinis, quomodo tenenda. ibid. n 9.

Præcepta quomodo adimplenda: verbo *Leges Regularium*. p.365.n.51.

Præſes Capitulorum Regularium, quis ſit: verbo *Præſes Capitulorum*. p.498. & ſeq. num. 2. Eſt Index ſuper acta Capituli. ibid. num.3. Debet notificare tempus electionis. ibid. num.4. Non poteſt facere contra libertatem eligentium. p.499. num.5. An poſſit facere contra ſecretum electionis. ibid. num.6. Quid debeat facere, quando eligitur indignus ibid. num.7. Non decet Præſidem eligi ad aliquod officium. ibid. num.8. An poſſit diſpenſare cum illegitimis ibid. n.9. An illegitimi poſſint eſſe Præſides. ibid. De Præſide pro electionibus Abbatiſſarum, remiſſiuè. ibid. n. 10.

Prælati negligentes in ſequela Chori, quomodo peccent, verbo *Officium diuinum*. p.468. num.3. De Prælatis Regularibus: verbo *Prælatus Regularis*. p.494. num.1. De ipſorum electione. ibid. num. 2. De qualitatibus eligendorum in Prælatos. p.495. numero 3. Bigami eligi non poſſunt. ibid. num.4. Nec publici aleatores. ibid. numero 5. Nec ebrioſi. ibid. numero 7. Quid de Neophytis. ibid. numero 8. De facultate Prælatorum circa Nouitios. ibid. & ſeq. num.9. De facultate ipſorum quoad abſoluendum à peccatis, ſeu cenſuris. p.496. numero 10. Quid quandò ſubditi habent legitimum impedimentum veniendi ad Sedem Apoſtolicam. ibid. numero 11. De facultate diſpenſandi in irregularitatibus. ibid. numero 12. In obſeruantiis Regulæ. ibid. numero 13. In legibus, ſeu Conſtitutionibus Religionum. ibid. & ſeq. num.14. An id faciant ſolùm per litteras miſſiuas. *in relect*. p.613. numero 84. An verò in pœnis taxatis per ipſas: verbo *Prælatus*, &c. p.497. numero 15. Quid de pœnis impoſitis à Prælatis, vt ab homine. ibid. numero 16. De auctoritate Prælatorum ſupra contractus factos, vel faciendos à ſubditis. ibid. numero 17. Circa adminiſtrationem bonorum Monaſterij. pag.498. numero 18. An facultates, quas concedere poſſunt ſubditis, poſſint etiam ſibi dare. ibid. num.19. De obligationibus ipſorum, remiſſiuè. ibid. num.20. Qualis reſidentia pro ipſis requiratur: verbo *Reſidentia Prælatorum Regularium*, per totum. p.533. Qualiter

teneantur

teneantur viſitare Monaſteria : verbo *Viſitator Regularis*. p.589. n.e. Quo iure ad id teneantur. ibid. numero 3. An etiam Conuentus, in quibus reſideot. ibid. Prælatiæ Regularium an ſint materia Simoniæ; verbo *Simonia quoad Regulares*. p.556. numero 13.

Præſcriptio contra Priuilegia Religionum quando fit : verbo *Priuilegia Religionum*. p.503. n.15.

Priores Conuentuum audiri debent quando noue Monaſterie fundantur : verbo *Monaſteria Regularium*. pag. 417. numero 5. Priorum electio quomodo fit in Diffinitorio : verbo *Prælatus Regularis*. pag 494. num.2. & *in Relectione*. pag.610. num.68. & ſeqq. Electio Priorum pro Conuentibus Reformatis pertinet ad eoſdem Conuentus. pag.612. num.75. Qui ſint tales Conuentus. ibid. Eſto electio omnium Priorum fieri debeat à Conuentu, ſtando in iure communi, ex conſuetudine tamen ſatis rationabili oppoſitum habetur. ibid. numero 74. & p.613. num.86.

Priuilegia Regularium circa conſtructionem Monaſteriorum : verbo *Monaſteria Regularium*. p.420. num.19.& 20. & pag.421. numero 21. & pag.424. num.37. & 38. Priuilegia Monaſteriorum. p.421. numero 22. & ſeqq. Priuilegia fundatorum Monaſteriorum. pag.422. numero 27. Priuilegia pro vnione Monaſteriorum. pag.425. & ſeq. num.39. 40. & 41. Circa deſertionem illorum. pag 426. numero 43. & ſeqq. Circa inſtitutionem Notariorum : verbo *Notarius Regularis*. pag. 445. & 446. numero 2. & ſequentibus. Priuilegia Nouitiorum : verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum*. p.456. & 457. numero 34. & ſequentibus. An competant ipſis antequam habitum ſuſcipiant. pag.458. & ſequenti, numero 43. Priuilegia Oblatorum, ſeu Commiſſorum Religionum : verbo *Oblati*, ſeu *Commiſſi*. pag. 460. numero 5. & ſequentibus. Priuilegia Oratoriorum : verbo *Oratoria quoad Regulares*. pag.476. & 477. numero 2. & 4. Priuilegium Bonifacij IX. pro Procuratoribus Generalis : verbo *Procuratores Religionum*. pag.513. numero 5. Priuilegia Mendicantium circa non ſolutionem Quartæ funeralis : verbo *Quarta funeralis*. pag.522. numero 3. 4. 6. & ſequentibus. Priuilegia Reformatorum Carmelitarum : verbo *Reformati Regulares*. pag. 528. numero 4. & 5. An aliis Ordinibus communicentur. pag.529. numero 6. Qui ſint Conuentus Reformati, *in Relect*. pag.611. numero 75. Priuilegium Pij V. pro Seminario : verbo *Seminarium*. pag.542. & ſequenti, numero 5. & 6. Priuilegium eiuſdem Pij V. pro inſtitutione Notariorum : verbo *Notarius*, per totum. pag. 445. & ſequentibus. Priuilegium Eugenij IV. pro Confeſſoriis : verbo *Votum quoad Regulares*. pag.596. numero 26. Priuilegiati Regulares non torquendi in Iudiciis Regularium : verbo *Tortura Regularium*. pag.574. num.4. Qui ſint tales. ibid. Priuilegium quid, & quotuplex : verbo *Priuilegia Regularium*. pag.500. num.2. Quomodo differat à diſpenſatione. ibid. num.3. Priuilegium reale, & perſonale quomodo differant. ibid. num.4. Priuilegia conceſſa Regularibus extenduntur ad Prælatos. ibid. num.5. An ad valorem priuilegij requiratur ſcriptura. p.501. num.6. Auguſtinienorum priuilegia quo priuilegio fruantur. ibid. num. 7. Notenda circa interpretationem priuilegiorum. ibid. n. 8. Quando latè explicari debeant. ibid. num.9. Quid ex priuilegiis Religionum. pag.501. num.10. Ad quem ſpectat interpretatio priuilegiorum. ibid. num.11. Extranei illa explicare prohibentur. ibid. num.12. Facultas Prælatorum ad limitandum, ſeu reſtringendum priuilegia. ibid. n.13. Quomodo ceſſent priuilegia. ibid. n.14. Quid de ceſſatione per non vſum. p.503.n.15. Quid de ceſſatione per contrarium vſum. p.504. n.16. Priuilegia aliquot Regularium circa hoc. ibid. n.17. Quomodo priuilegia amittantur per abuſum. ibid. n.18. Quomodo per reuocationem ipſorum. ibid. & ſeq. num. 19. Quæ notanda circa hoc. p.505. num. 20. Quid de reuocatione generali priuilegiorum. p.506. num.21. Quid pro Regnis Hiſpaniæ. ibid. num. 22. Priuilegia deperdita quomodo reuiuiſcant. p.507. n.23. Notanda circa communicationem priuilegiorum Regularium. ibid. num. 24. De particularibus priuilegiis Religionum. p.508. n.25. Patrum Seruitarum. ibid. num. 26.

Proceſſiones quæ dicantur : verbo *Proceſſio quoad Regulares*. p.508.& ſeq.num.1. Qui Regulares ad illas cogi poſſunt. p.509. num.2. An per cenſuras, ibid. Qui ab illis ſint exempti. ibid. num. 3. Quis illas indicere poteſt. ibid.num.4. Quis componere controverſias in illis exortas. ibid.& ſeq. num.5. Campanæ in ipſis pulſantur. p.510. num.6. An Reliquiæ in illis deferendæ. ibid. De proceſſionibus mortuorum. ibid. num. 7. Priuatæ proceſſiones Monaſteriorum an fieri poſſint ſine licentia Epiſcopi. ibid. num.8. Declaratio Sac. Congregationis circa hoc. ibid. num.9. De proceſſionibus Confraternitatum. ibid. num. 10. De proceſſionibus SS. Sacramenti. ibid. num. 11. Dubium propoſitum à Sacra Congregatione circa proceſſionem Corporis Chriſti. p.511. num.12. Reſolutio eiuſdem Sac. Congregationis. ibid. n.13. Dubium circa ingreſſum fœminarum tempore proceſſionum. ibid. num. 14. Reſolutio. ibid. num. 15. Declaratio Pij V. ibid. num. 16. Caſus excepti, ibid. num. 17. Poſſunt ingredi tempore proceſſionum. ibid. num. 18. Alia declaratio eiuſdem Papæ. ibid. num. 19. Alia de eadem re. p.511. num.20. Auctores qui id tenent. ibid. numero 21. Non obſtat Bulla Gregorij XIII. ibid. num.22. Quæ ſit mens illius. ibid. num. 23. An Bulla Pij V. cenſeri debeat publicata. ibid. & ſeq. numero 24. Quid de reuocatione Oraculorum viuæ vocis. p.512. n.25. Bullam non ſunt reuocare per Gregor. XV. ibid. Quid de reuocatione facta per Vrbanum. ibid. num. 26. Declaratio, ſeu decretum Sacræ Congregationis Rituum. ibid. num. 27. Vnde habeatur. ibid. num. 28. Similes declarationes magno pretio habendæ. ibid. num. 29. Quid obſtet huiuſmodi declarationi. ibid. num. 30. Non videtur ſufficienter publicata ibid. num. 31. Qualiter intelligenda. ibid. num. 32. Quæ fides ipſi adhibenda. ibid. num. 33. Ex declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis. ibid. num. 34. Talis ingreſſus fœminarum in clauſtra Monaſteriorum tempore proceſſionum, &c. eſt in vſu. ibid. num. 35.

Procuratores pro perſonis ſæcularibus nequeunt eſſe Religioſi : verbo *Procuratores Religionum*. p.513. num.2. Niſi cum quibuſdam conditionibus. ibid. Quibus id prohibitum, ibid. Pro negotiis autem ipſorum Regularium poſſunt id munus gerere. ibid. num. 3. Quales ſint dicti Procuratores. ibid. Ipſorum præeminentiæ. ibid. num. 4. Priuilegium Bonifacij IX. circa inſtitutionem, depoſitionem, & auctoritatem Procuratorum Generalium. ibid. num. 5. Procuratores Monaſteriorum audiri debent, cùm noua Monaſteria fundantur : verbo *Monaſteria Regularium*. p.417. num. 5. Procuratores an poſſint tractare cauſas electionis. *in Relectione*. p 603. n. 28. & ſeqq A quibus debent habere mandatum. ibid. Poſſunt Procuratores recuſare mandatum. p.604. n. 33.

Profanatio Sacrorum eſt ſacrilegium : verbo *Pro-*

ſtuario Sacrorum. p.521. n.2. Quando id liceat. ibid. num 3.

Profeſſio Regularis quid, & quotuplex : verbo *Profeſſi Regularis.* p.514. num.1. Alia expreſſa, alia tacita. ibid. Notanda circa profeſſionem tacitam. ibid. num.3. An induatur propter ſuſceptionem Ordinis Sacri. p.515. num.4. Quæ conditiones ad illam requirantur. ibid. num.5. Non inducitur, niſi per actus approbatos à Religione. ibid. numero 6. Quid de illis, qui Nouitiatum geſſerunt in locis non approbatis. ibid. numero 7. Redditur nulla propter eaſdem cauſas, ſicut expreſſa. ibid. num.8. Propter defectum anni integri Nouitiatus. ibid. & ſeq. num.9. Propter defectum anni continui. p.516. num.10. Qualis continuitas Nouitiatus requiratur. ibid. Propter defectum ætatis 16. annorum. ibid. & ſeq. numero 11. Quid de priuilegio Pij V. pro Ordine Prædicatorum. p.517. num.12. Propter defectum auctoritatis in recipiente ad profeſſionem. ibid. num.13. Propter defectum ſexus conuenientis. ibid. numero 14. Propter ſeruitutem, ſeu ligamen Matrimonij. ibid. num.15. Propter coactionem. ibid. numero 16. Propter defectum vſus rationis. ibid. num.17. Propter defectum occultum ſuper quo teſtatum eſt, quod ſi illum celaret Nouitius, profeſſio ipſius irrita eſſet. ibid. numero 18. De aliis cauſis remiſſiuè. p.518. num.19. Impedimenta ad profeſſionem alia perpetua, alia temporalia. ibid. num.20. De ratificatione profeſſionis inualidæ. ibid. De quinquennio requiſito ad reclamandum. ibid. num.21. Quomodo intelligendum. ibid. De circumſtantiis ipſius. p. 519. num.22. Profeſſio inualida non validatur præciſè propter curſum temporis. ibid. num.23. Quid faciet Religioſus inualidè profeſſos, ſed non potens probare inualiditatem. p.520. num. 24. Bona profeſſorum propria, quæ non profeſſis conuenire non poſſunt. ibid. num.25. Quando profeſſio inualida obligat vt votum ſimplex. ibid. num. 26. Votum circa præcedentiam cuiuſdam ratificantis ſuam profeſſionem. ibid. num.27. Si ratificauit ob defectum Nouitiatus in loco deſignato, præcedentia ſumi debet à tempore profeſſionis omiſſæ. ibid. numero 28. Ex Breui Vrbani VIII. ibid num. 29. Si id fecit ob prætenſam coactionem, ſeu vim, ſtandum iuri communi. ibid. num.30. Profeſſio talis Religioſi fuit inualida. ibid. num.31. Confeſſione partis non poteſt afferri melior probatio. p.521. num.32. Credere præſumitur quis, quod verbis profert. ibid. num.33. Nec obſtat, ſi dicat fuiſſe deceptum. ibid. num. 34. Iure communi præcedentia ſumitur à ratificatione. ibid. num.35. Quia ſumitur à tempore, quo quis eſt verus Religioſus. ibid. num.36. Sumitur à tempore, quo aliquis eſt Regularis illius Religionis. ibid. num.37. Tranſeuntes à quo tempore ſumant præcedentiam. ibid. num.38. Non entis nullæ ſunt qualitates. p.521. num.39. Non obſtat Regula Iuris, quod ratihabitio retrotrahatur ad diem electionis. ibid. numero 40. Intelligitur quando non adeſt judicium tertio. ibid. num.41. Nec obſtat acceptatio facta à Religione. ibid. n.42. Quia fuit ex errore. ibid. num 43. Nec obſtant aliqui Auctores in contrarium. ibid. num 44 Quia ſolùm videntur loqui in foro conſcientiæ. ibid n.45.

Prooemium, ſeu præfatio legis attendenda ſunt pro ipſius interpretatione: verbo *Leges Regularium.* p.363. num. 17.

Prohibitio librorum qualis, & quanta ſit: verbo *Libri.* p.373. n.15.

Promiſſio dicendi Miſſas quomodo adimplenda: verbo *Miſſa.* p.398. & 402. n.11. & 26. Miſſæ dicendæ tempore quo promiſſæ ſunt. p.408. n.45. Et eædem, quæ promiſſæ ſunt. p.409. n.46.

Propinæ in receptione Monialium an dandæ, vel recipiendæ: verbo *Moniales.* p.430. n.7.

Proprietariis Religioſis quandò, & quomodo negetur ſepultura Eccleſiaſtica : verbo *Sepultura quoad Regulares.* p.550. n.26.

Proprietas verborum attendenda in Legibus, ſeu Conſtitutionibus : verbo *Leges Regularium.* p.362. & ſeq. n.32. & 33.

Protectores Ciuitatum an poſſint eſſe Sancti ſolùm Beatificati: verbo *Sanctorum cultus.* p.519. n 2.

Publicum, & notorium non ſunt idem : verbo *Notorium.* p.448. n.2. Quid de publico percuſſore Clerici. p.449. num.8.

Q

QValitates eligentium : verbo *Electio,* &c. p.197. numero 8. Eligendorum. p.198. numero 15. Examinatorum Synodalium : verbo *Examen,* &c. p. 128. num.2. Graduandorum : verbo *Gradus,* &c. p.160. Abbatiſſarum : verbo *Abbatiſſa.* p. 5. num.2. Adminiſtratorum bonorum Monaſterij: verbo *Adminiſtratio,* &c. p.19. num.6. Beneficiatorum : verbo *Beneficium,* &c. p.62. à num.4. Imponentium cenſuras : verbo *Cenſura,* &c. p.105. & ſeq. à n.2. Dimiſſoriarum : verbo *Dimiſſoria.* p.176. num.5.

Qualitercumque, dictio comprehendit maiora expreſſis: verbo *Dictio.* p.175. n.34.

Quatenus ſunt in vſu, clauſula, quid denotet: verbo *Clauſula.* p.115. n.56.

Quarta funeralis. Vide *Canonica portio.* pag. 93. & 521.

Quomodolibet, dictio comprehendit omnia: verbo *Dictio.* p.175. n.35.

Quorum tenores, &c. clauſula, quid denotet: verbo *Clauſula.* p.115. n.57.

Quoties expediens, clauſula, quam vim habeat : verbo *Clauſula.* p.115. n.58.

Qualitates teſtium pro cauſis Regularibus: verbo *Teſtes Regularis.* p.574. num.6. Qualitates vaſorum Sacrorum : verbo *Vaſa Sacra.* p.581. num.6. Veſtium Sacrarum : verbo *Veſtes Sacræ.* p.584. numero 3. Monialium recipiendarum : verbo *Moniales.* p.431. numero 9. Nouitiorum : verbo *Nouitij, & Nouitiæ Religionum.* p.452. numero 11. & ſeqq. Eligendorum in Prælatos : verbo *Prælatus Regularis.* p.495. num. 3. Tertiariorum, ſeu Tertiariarum : verbo *Tertiarij, & Tertiariæ.* p.570. numero 2.

Quæſtuarij aliqui omninò aboliti ſunt à Concilio Tridentino : verbo *Quæſtuarij Regularium.* p.525. numero 2. Non Religioſi Mendicantes. ibid. Quæ licentia requiritur, vt quæſtuare poſſint. ibid. numero 3. An etiam pro locis, in quibus habent Monaſteria. ibid. An prohiberi poſſint, ne quæſtuent, ſaltem immoderatè. ibid. num.4. Quid de Conuerſis Monialium. ibid. num. 5. Quid de publicantibus indulgentias ob quæſtum. ibid. num.6.

Quarta funeralis, quid ſit : verbo *Quarta funeralis.* p.522. num.2.

Varia ipſius nomina. ibid.

Ad illam tenentur omnes, etiam Mendicantes. ibid. num.3.

Niſi habeant priuilegium in contrarium. ibid.

Qui illud habeant. ibid.

Quomodo id moderatum à Concilio Tridentino. ibid. num 4.

Quæ Monaſteria illam ſoluant, ibid. num. 5.

Conſtitutio

Conſtitutiones Pij V. circa hoc ibid.n.6.
De quibus rebus debeatur.ibid.& ſeq.n.7.
Quid de Monaſteriis Monialium.p.533.n.8.
An de illis, quæ alio die præterquam Sepulturæ,deferuntur.ibid.n.9.
Caſus,in quibus non debetur.ibid.n.10.
Pœnæ,quas incurrunt cogentes ad illas,quando non debentur.ibid.n.11.
Quinquennium requiritur ad reclamandum contra profeſſionem : verbo *Profeſſio Regularis*. p.518.n.21. Quomodo intelligendum. ibid. De circunſtantiis ipſius.ibid.
Quinque vota de iure Papæ reſeruata, ſcilicet Caſtitatis, Religionis, Vltramarinum, Peregrinationis ad Romam,& ad Compoſtellam : verbo *Votum pro Regularibus*.p.594.n.10. Quomodo intelligatur talis reſeruatio.ibid.n.11. Caſus, in quibus poteſt in illis diſpenſare Epiſcopus.ibid.n.12.

R

RAtihabitio, ſeu ratum habere, quid importet: verbo *Bulla Cœnæ*. p.78. & ſeq num.33. *Ratum, & firmum*, clauſula quid denotat : verbo *Clauſula*. p.115. n.59.
Recuſatio iudicis Regularis quando liceat: verbo *Index*,&c.p.336. n.12. Ob quam cauſam. ibid. Praxis talis recuſationis.ibid.n.13.
Recuſatione remotâ, clauſula quam vim habeat, verbo *Clauſula*.p.115.n.60.
Recurſus Regularium ad ſuos Superiores,quando liceat : verbo *Appellare,& Appellatio*.p.42.num.5. An etiam ad tribunalia extranea. p.43. n.7. An liceat ſub aliquo prætextu : verbo *Exemptio Regularium*. p.244.n.15.16.& ſeqq.
Refectiuncula pro diebus ieiunij,qualis : verbo *Ieiunium*.p.276.n.4.
Regulæ obſeruandæ circa irregularitatem, propter homicidium caſuale: verbo *Irregularitas*. p.327. numero 79.80.& 81.
Regularium praxis quoad abſolutionem à peccatis, vel cenſuris : verbo *Abſolutio*, per totum. p.11. & ſeqq. Quoad appellandum à ſententia, cum iniuſtè grauantur : verbo *Appellare*.p.44.num.15.Quoad bannitos venientes ad eorum Monaſteria: verbo *Bannitus*.p.51.n.55. Quoad baptizandum in caſu neceſſitatis: verbo *Baptiſmus*. p.53. à numero 2. Quoad applicandum bona ſpiritualia extraneis: verbo *Bona*,&c.p.70.à num.2.Circa reſeruationem caſuum: verbo *Caſus reſeruati*.p.98. à num.4. Circa abſolutionem ab ipſis.p.100.à num.18. In ferendis cenſuris: verbo *Cenſura*,&c. p.106. à num.6. Circa abſolutionem moribundi, qui loqui non poteſt: verbo *Confeſſio*.p.142.à n.8. Circa punitionem Religioſi extra clauſtra notoriè delinquentis : verbo *Delinquens Regularis*.p.168. à num.3. Pro concedendis Dimiſſoriis ad Ordines ſuſcipiendos: verbo *Dimiſſoria*.p.176.num.5. Circa diſpenſationes dandas: verbo *Diſpenſatio*, &c. p.178. num.2. Circa dotem Monialium : verbo *Dos Monialium*. p.180. & ſeq. Circa electiones: verbo *Electio*,&c. p.192. & ſeqq. Quando citantur ab Ordinariis : verbo *Exemptio*, &c.p.243. n.14. Pro adminiſtranda Extrema Vnctione: verbo *Extrema Vnctio*,&c.p.147. & ſeq.n.19. Pro gratiis obtentis à Superioribus: verbo *Gratia*, &c.p.263.num.20. Circa reos ad eorum Eccleſias confugientes : verbo *Immunitas Eccleſiarum*. p.287. & 288. num.22. & ſeqq. Pro tempore interdicti: verbo *Interdictum*,&c.p.307.n.32.Quoad prohibita illis,ſi fiunt irregulares : verbo *Irregularitas*. p.313. num.6. Quoad diſpenſationem in irregularitate. p.328. n.86.
Reliquiæ Sanctorum an alienari poſſint : verbo *Alienare*,&c.p.28.n.14. Quid de furantibus illas: verbo *Furtum*.p.253.& ſeq.n.4.& 5.
Relinquo conſcientiæ tuæ, clauſula quid denotet : verbo *Clauſula*.p.115.n.61.
Reos quomodo ſe gerere debeat in iudicio Regulari : verbo *Index*, &c.p.335.n.9. Vide *Iuramentum*. p.338.& ſeqq.
Ritus à Regularibus non mutandi, inconſultâ Sac. Congregatione Rituum : verbo *Sac. Congregatio*. p.547.num.3.
Romam venientes Religioſi ſine licentia, quam pœnam incurrant : verbo *Apoſtata, & Apoſtaſia*. p.41.num.6.
An anno Sancto poſſint ſine licentia venire : verbo *Iubilaum*.p.349.n.4.
Ratificatio profeſſionis quando contingat : verbo *Profeſſio Regularis*.p.518.n.20.
Non quando profeſſio eſt nulla,ob impedimenta perpetua.ibid.
An requiratur ad id reiteratio Nouitiatus.ibid.
An ad id ſit neceſſarius nouus conſenſus Religionis. ibid.
Non requiritur ad illam reiteratio cæremoniarum. ibid.
Ratihabitio de præſenti æquiualet licentiæ : verbo licentia quoad Regulares.p.379.n.15.
Recollecta Monaſteria procuranda in Religionibus: verbo *Monaſteria Regularium*. pag.419. numero 16.
Recurſus Regularium ad extraneos an ſit licitus: verbo *Recurſus Regularium ad Sedem Apoſtolicam*. p.525. num.1.
Quid quando eſt per modum appellationis. ibid.numero 2.
Quomodo faciendus.ibid.
An requiratur ad id licentia Prælati.ibid.n.3.
Quid ſi illam neget.p.526.n.5.
An peccet eam negando.ibid.
Non pro caſu illegitimæ appellationis.ibid.n.5.
De recurſu ad extraneos pro conſequendis officiis, ſeu gradibus in Religione: verbo *Officia Religionum*, p.466.n.10.& ſeqq.
Recuſatio iudicis Regularis aliquando eſt licita: verbo *Recuſatio iudicis Regularis*.p.526.n.1.
Aliquando illicita.ibid.
Recuſatio quid ſit.ibid.n.2.
Eius effectus.ibid.n.3.
Regulatur ſecundùm Ius Canonicum. pag 527. numero 4.
An cauſæ ipſius tradi debeant in ſcriptis.ibid.n.5.
Quando debet opponi.ibid.n.6.
Recuſari non poteſt Viſitator Regularis,ſi viâ Inquiſitionis generalis vult procedere.ibid.n.7.& verbo *Viſitator Regularis*.p.591 n.13.
Secus ſi viâ Inquiſitionis ſpecialis.ibid.
Arbitri deſignandi pro recuſatione, quales debeant eſſe.p.527.n.8.
Reductio Miſſarum: verbo *Miſſa*.p.403. n.30. Praxis huius reductionis.ibid.& ſeq.n.31.
An ſuffragia reduci poſſint.p.404 n.32.
De quibus fieri poſſit reductio.ibid.n.5.
Non Miſſarum votiuarum.ibid.& ſeq.n.34.
Reformati Regulares qui dicantur : verbo *Reformati Regulares*.p.527.n.2.
Indultum Pij II. pro Reformatis Carmelitis. p.528. num.4.
Pauli II. ibid.n.5.
An communicentur Reformatis aliarum Religionum.p.529.n.6.
An tranſire poſſint ad non Reformatos.ibid.n.7.
Eligunt ſibi Priores.*in Relectione*.p.610.n.75.

Regimen Monaſterij tempore viſitationis, ad quem Prælatum ſpectat : verbo *Viſitator Regularis*. p.589. num.4.

Regula Carmelitarum de quo Priore loquatur, cùm præcipit eligendum a Fratribus. *in Relect.* p.611. numero 73. & p.613. n.84. An in Regula diſpenſent Prælati. p.613. n.84 & 85.

Regulares an obligentur Conſtitutionibus Synodalibus: verbo *Leges Regularium*. p.361. n.27.

An legibus Ciuilibus. ibid. num.28.

Quæ illarum obligant ipſos. p.362. n.29.

Quæ non obligant. ibid. num.30.

An poſſint impetrare literas Apoſtolicas contra ſuæ Religionis Statuta : verbo *Littera Apoſtolica*. p.381. num.7.

Quid faciendum, ſi eas impetrent. ibid. num.8.

An poſſint ludere pro pecunia: verbo *Ludus quoad Regulares*. p.388. num.10.

An ſic facientes contra vòtum paupertatis peccent. p.389. num.11.

Quid ſi habeant licentiam. ibid. num.12.

An poſſit ludere rem aliquam ſpiritualem. ibid. n.13.

Num dant, nec recipiunt mandatum, ſeu commiſſionem ſine licentia : verbo *Mandatum quoad Regulares* p.391. & ſeq. n.16.

An poſſint recipere plura ſtipendia pro vna Miſſa: verbo *Miſſa* p.398. n.10. & ſeqq.

Nequaquam id facere poſſunt. p.400. n.19.

Quomodo ſatisfacere poſſint qui id fecerunt. p.401. num.20.

An ſint aliqui caſus, in quibus id facere poſſint. ibid. num.21.

An ſaltem ſine ſtipendio poſſint vnam Miſſam pro pluribus applicare. p.402. n.22.

An poſſint recipere oblationes ſibi factas: verbo *Oblatio facta Regularibus*. p.461. n.2. & ſeqq.

An aſſumi poſſint ad munus Parochorum: verbo *Parochus & parochia Regularis*. p.486. n.2.

An ſaltem ad Parochias Regulares. ibid. n.3.

Quomodo gerere poſſint officium Procuratoris in cauſis ſæcularium : verbo *Procuratores Religioſorum*. p.513 n.2.

Cum quibus conditionibus. ibid.

Quomodo, & quâ licentiâ quæſtuare poſſint : verbo *Quæſtuary Regularium*, per totum. p.524. & ſeq.

Renunciare poſſunt propriis officiis: verbo *Renunciatio inter Regulares*. p.532. n.3.

Quomodo, & cum quibus conditionibus. ibid. & ſeq. per totum.

Regularium ſepultura: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.348. n.16.

Teſtamentum condere non poſſunt : verbo *Teſtamentum quoad Regulares*. p.571. n.1.

An exercere munus Teſtamentariorum. p.572. n.3.

An adminiſtrare Sacramenta Tertiariis: verbo *Tertiarij, & Tertiaria*. p.571. n.5.

An, & quando debeant, aut poſſint eſſe teſtes : verbo *Teſtis Regularis*. p.573. n.2.

Pro teſtibus examinati à S. Officio non poſſunt à ſuis Prælatis moleſtari. p.574. n.7.

Regulares cum quibus conditionibus tranſire poſſint ea vna Religione ad aliam : verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.575. n.1. & ſeqq.

Qui ſint interdicti tranſire ad alias Religiones. p.576. num.10.

Qui permittuntur facere talem tranſitum p.577. numero 12.

An teneantur facere Nouitiatum. ibid. n.13.

Quæ vota emittere poſſint : verbo *Votum pro Regularibus*. p.597. n.26.

Religionis maior perfectio vnde ſumatur: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.5̣76. n.5.

An idem ſit perfectior, & auſterior ibid. n.6.

Quæ in hoc attendenda. ibid n.7. & 8.

Religionis votum an, & quando ab Epiſcopis diſpenſari poteſt : verbo *Votum quoad Regulares*. p.592. n.1. & ſeqq.

Reliquiæ Sanctorum quæ dicantur : verbo *Reliquiæ Sanctorum*. p.529. n.1.

An liceat illas vendere, emere, ſeu alienare. p.530. n.3.

An exponere venerandas propter lucrum. ibid. n.4.

Eas furtiuè ſurripiens, quas cenſuras, aut pœnas incurrat. ibid. n.6.

Quomodo exponendæ venerandæ. ibid. n.7.

Quid quando ab antiquo in veneratione ſunt. p.531. num.8.

De cultu priuato ipſarum. ibid. n.9.

An liceat eas tangere, vel ſecum geſtare. ibid. n.10.

Radi non poſſunt, vt dentur infirmis. ibid n.11.

Quomodo approbentur ab Epiſcopis. ibid n.12.

Renunciatio quid ſit: verbo *Renunciatio inter Religioſos*. p.532. n.2.

Quas conditiones requirat. ibid.

Quilibet Religioſus poteſt renunciare officium, quod habet ibid n.3.

Renunciatio fieri poteſt per Procuratorem. ibid. n.4.

Debet fieri ſcienter, ſpontè, & purè. ibid n.5.

In manibus Prælati, ad quem ſpectat prouiſio eius officij. ibid. n.6.

An fieri debeat in ſcriptis. ibid n.7.

Debet fieri ob rationabilem cauſam. ibid. n.8.

Quid de renunciatione vocis actiuæ, & paſſiuæ. ibid.

An ad renunciationem requiratur acceptatio Superioris. p.532. n.9.

Effectus renunciationis quid ſit. ibid. n.10.

Quid de renunciatione electionis ad officia ordinis. ibid. n.11.

An renuncians poſſit retractare renunciationem. ibid. num.12.

Alia remiſſiuè. p.533. n.13.

Reſidentia Prælatorum qualis, & quanta: verbo *Reſidentia Prælatorum Regularium*. p.533. n.1. & 2.

Quantum abeſſe poſſint ab eorum Monaſteriis. ibid.

Reſignatio quid ſit : verbo *Reſignatio officiorum Ordinis*. p.533 n.1.

Dupliciter fieri poteſt. ibid. n.2.

Beneficiorum nomine quæ veniant. ibid. n.3.

Reſignatio pura, & abſoluta licita eſt. ibid. n.4.

Coram quo Superiore facienda. ibid. n.5.

An poſſit fieri non purè, & abſolutè, ſed ſub modo, conditione, &c. ibid & ſeq. n.6.

Reſeruatio caſuum an pertineat ad Tertiarios, & Tertiarias : verbo *Tertiarij, & Tertiariæ*. p.571. n.6.

Retrahere non poſſunt Regulares Teſtatores à reſtitutionibus debitis, vel legatis : verbo *Legata Regularibus relicta*. p.353. n.28. & verbo *Teſtamentum quoad Regulares*. p.572. n.5

Reuocatio priuilegiorum quando contingat : verbo *Priuilegia Regularium*. p.506. n.21.

Reus Regularis informandus de ſtatu cauſæ antequam examinetur: verbo *Reus Regularis*. p.534. n.2. Quomodo. ibid. num.3. & 4. Eius confeſſio. ibid. num.5.

Ritus Sacri qui ſint: verbo *Ritus Sacri*. p.535. n.1. Veteres ritus non immutandi. ibid. n.2. De ritibus, ſeu cæremoniis Miſſæ. ibid. & ſeq. n.3. De ritibus in adminiſtratione Sacramentorum. p.536. n.4. De ritibus, ſeu cæremoniis Officij diuini. ibid. n.5. De aliis ritibus Eccleſiæ. ibid. n.6. Ritus celebrandi Miſſas: verbo *Miſſa*. p.412 & ſeq. n.55. 58. & 59. Miſſa ſicca quid ſit. p.412. n.56.

Sacerdotes

Magis Notabilium.

S

SAcerdotes non vnguntur in palma manus in Extrema Vnctione : verbo *Extrema Vnctio*. p.246. numero 4. Cùm portant Sanctiſſimum Sacramentum, an malefactores ad illos confugientes gaudeant immunitate : verbo *Immunitas Eccleſiarum*.p.282.n.2.

Salno aſſenſu Apoſtolico, clauſula non excuſat à pœnia contra alienantes:verbo *Clauſula*.p.115.o.62.

Salno iure Parochiali, clauſula, intelligitur de decimis, primitiis, &c. verbo *Clauſula*. p.815. numero 63.

Schiſma, & ſchiſmatici quid importent : verbo *Bulla Cœna*. p.75.numero 9.Schiſmaticorum pœnæ. ibid.

Scripruta an neceſſaria pro gratia : verbo *Gratia*,&c. p.263.n.13.

Scrutatorum pro electionibus munus : verbo *Abbatiſſa*.p.5.n.5..

Decretum pro electionibus requiſitum : verbo *Electio*.p 197 n.11.

Sedes Apoſtolica quæ dicator : verbo *Bulla Cœna*. p.78.num.18.

Semper, dictio,vel ſimiles, ſumuntur einiliter, & humaniter:verbo *Dictio*.p.175.n.56.

Sepultura Abbatis quibus cæremuuiis facienda:verbo *Abbas*.p.4.num.10.

Sepultura Abbatiſſæ,verbo *Abbatiſſa*.p.7.n.18.

Sepultura Sæcularium in Eccleſiis Regularium:verbo *Defunctus*,per totum p.164.& ſeqq.

An liceat ingredi Monaſterium Monialium pro ſepultura, vel funerali vnius:verbo *Clauſura*.p.120. num.59.

Sepulturâ priuatur in duello mortuus : verbo *Duellum*.p.188.n.14.

Excommunicatus:verbo *Excommunicatio*. p.540. numero 53.

Sicut accepimus, clauſula, quando eget iuſtificatione: verbo *Clauſula*.p.115 n.66.

Si, & in quantum, ſeu *ſi*, *& prout de iure*, clauſula, quid ſignificet : verbo *Clauſula*. p.115. oumero 64. & 65.

Solâ rei veritate perſpectâ,clauſula, & ſimiles, quid importent:verbo *Clauſula*.p.115.n.69.

Statim, illicò, incontinenti, & ſimiles dictiones,verificati ſolent cum aliquo temporis interuallo : verbo *Dictio*.p.176.n 39.

Stationum indulgentiæ : verbo *Indulgentia*,&c.p.195. & ſeq.n.21.& 22.

Sublata facultate, &c. clauſula quid ſignificet : verbo *Clauſula*.p 115.n 68.

Superlatiuæ dictiones,quales ſunt *ſæpiſſimè*, *plurimùm*, &c.ad minus debent verificari in tribus:verbo *Dictio*.p.176.

Super omnes, & ſingulos, clauſula importat ſpecificationem ſpecialem:verbo *Clauſula*.p.115.n.69.

Supplentes defectus, clauſula, quos defectus ſuppleri denotet : verbo *Clauſula*. pag.115. numero 70.

Suſpecti de hæreſi, qui dicantur : verbo *Hæreſis*, &c. p.268 num.3. & 4. Denunciandi. ibid. numero 5.

Suſpenſio indulgentiarum, & priuilegiorum ad abſoluendum, &c. pro anno Sancto quomodo accipienda: verbo *Iubilæum*.p. 319.n.5.& 6.

Sacramentotuom ritus : verbo *Ritus Sacri*. p.536. numero 4.

Sacramenta an recipiant Tertiarij, ſeu Tertiariæ à Regularibus ſuæ Religionis:verbo *Tertiarij, & Tertiariæ*.p.571.n.5.

Sacræ res quæ dicantur : verbo *Sacrilegium*. p.537. num.2.

Sacrilegium quid ſit : verbo *Sacrilegium*. pag.537. numero 1.

Quando committatur circa perſonas Sacras.ibid.numero 3

Quando circa loca Sacra.ibid.n.4.

De furto in loco Sacro.ibid. n.5.

Quando circa res Sacras.p.538.n.6.

Eas prophanando. ibid. num.7.

Sacrilegij pœnæ.ibid.num.8.

Sacrilegium eſt Vaſa Sacra ad vſus prophanos applicare,verbo *Vaſa Sacra*.p.581.n.6.

Etiam poſtquam conſecrationem amiſerunt.ibid.

Sacriſtæ officium quale : verbo *Sacriſta*, *& Sacriſtia*. p.538.n.17.

Sacriſtia quando comprehendatur ſub clauſura.ibid. num.2.

Salutatores qui ſint : verbo *Veneficia*. p.584. numero 11.

Sancti quomodo colendi : verbo *Sanctorum cultus*. p.539. n.1.

Sancti Canonizati quo cultu colendi.ibid. n.2.

Beatificati quomodo coli poſſint.ibid. oum.3.

An eligi in Protectores ciuitatum.ibid.

An poſſint publicè dici Sancti.p.540.n.4.

Quid de illis, qui cum opinione Sanctitatis deceſſerunt.ibid. num.5.

Quomodo tales coli, aut non coli poſſint. ibid.numero 6.

Quid de Imaginibus non Canonizatorum, aut Beatificatorum.ibid. num.7.

Geſta, miracula, & reuelationes ipſorum, quomodo non imprimenda.ibid.num.8.

Proteſtatio auctoris in principio libri imprimendi, ibid.num.9.

Proteſtatio in fine libri. p.541.n.10.

Notanda circa iſtas proteſtationes.ibid. n.11.

Tabellæ aut Imagines,vel lampades ad eorum ſepulchra non ponenda.ibid.num 12.

Decretum S.Congregationis.ibid.num.13.

De habitu ſacrarum Imaginum.ibid.num.14.

Scribere ad Moniales an ſit prohibitum : verbo *Moniales*.p.436.num.27.

Scriptura an requiratur ad valorem priuilegij, verbo *Priuilegia Regularium*.p 501.num.6.

Scrupuli in officio diuino recitando quomodo moderandi : verbo *Officium diuinum*. p.469. & ſeq.numero 11.

Scrutatores pro electionibus Prælatorum debent eſſe tres, non plures,nec pauciores. *in electione*. p.607. num.49. & ſeqq Quod ſit ipſorum munus. ibid.& num.52. Pro electione autem aliorum, qui Prælati non ſunt, non requiruntur. ibid.num.54.An ex Conſtitutione Religionis Carmelitarum poſſint fieri electiones Prælatorum ſine illis. ibid. numero 55. An dicta Conſtitutio ſit reuocata. p.608. numero 56. & ſeq. An per Concil. Tridentin. ibid. numero 60. & 61. Scrutatores an poſſint recipere vota oretenus. ibid. numero 61. & 62. An id ſit contrarium capiti *Quia propter*. ibid. numero 63. Vnus ſcrutator an in aliquo caſu ſufficiat. ibid. & ſeqq. oumero 64. & 65. An plures quàm tres. pag.610. numero 66. Quid quando priores eliguntur à diffinitorio. ibid. numero 67.

Seminarium quid ſit : verbo *Seminarium*. p.541. n.1. Non inſtituendum ex Collegiis, & Monaſteriis Mendicantium.ibid.n.2. An ex redditibus Beneficiorum illorum Monaſteriis annexorum. ibid.n.3. De quadam declaratione Sacræ Congregat. ibid. numero 4. De priuilegio Pij V. ibid. numero 5.

Quid de Regularibus fruentibus priuilegiis Mendicantium. p.545. n.6. Quid de Monialibus. ibid. n.7. Quid de Regularibus non Mendicantibus. ib. n.8. Ex quibus bonis contribuendum pro Seminario. ibid. n.9. Quid de Confraternitatibus, Capellis, ſeu ſcholis. ibid. n 10. De aliis ad hanc materiam ſpectantibus. ibid. n 11.

Senteotia iudicialis, quæ, & qualis: verbo *Sententia Iudicialis*. p.543. n. 2.

An debeat dari in ſcriptis. ibid n.2.

An abſolutus per ſententiam iterum conueniri poſſit. ibid. n.3.

In ſententia an cauſa ipſius exprimenda. p.544. numero 4.

An Prælati Regulares ſententiam proferre poſſint extra propria territoria. ibid. n.5.

Praxis Regularium circa ſententias cenſurarum ferendas. ibid. n.6.

An in ſenteutia exprimi debeat cauſa. ibid. n.4.

An contra abſentes ibid. n.6.

Sententia Eminentiſſ. D. Card. Protectoris in cauſa de validitate cuiuſdam Capituli, & electionum in ipſo factarum. *in relect*. p.614. n.89.

Motiua talis ſententiæ. ibid. n.90.

Sepultura ſimpliciter ſumpta: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.545. num.1. De ſepultura pro iure ſepeliendi. ibid. num.2. De ſepultura pro loco, in quo quis ſepelitur. ibid. num.3. Sepultura apud Mendicantes libera. ibid. num.4. Non poſſunt parochi maiorem eleemoſynam petere pro illis, qui apud Regulares ſepeliuntur. ibid. num.5. Statutum Bonifacij VIII. pro libertate ſepulturæ. p.546. num.6. Notanda circa illud. ibid. num.7. Quid pro praxi Regularium. ibid. num.8. Eccleſia, in qua quis de jure ſepeliri debet, quæ ſit. ibid. numero 9. Alia pro libertate ſepulturæ. p.547. num 10. Electio ſepulturæ quomodo probatur. ibid. numero 11. Priuilegium Clem IV. pro libertate ſepulturæ. ibid. numero 12. Sepultura non impedienda, aut retardanda. ibid. num.13. An ſepultura ſit materia ſimoniæ. ibid. num.14. Quid de Capellis pro vſu ſepulturæ concedi ſolitis. ibid. num.15. An arma, ſeu inſignia fundatorum inde tolli poſſint. ibid. An alij ſepeliri. ibid De Religioſorum ſepultura, p.548. numero 16. De iis, qui habitu Religionum induti ſepeliri volunt. ibid. num.17. Quomodo defuncti deferendi ad Eccleſias Regularium. p.549. numero 18. De conceſſione Leonis X. & Adriani VI. ibid. numero 19. De modo ſepulturæ. ibid. numero 20. Defuncti an poſſint exhumari, aut transferri. ibid. num.21. De ſepulchrorum violatoribus. ibid. num. 22. Quibus negetur ſepultura. ibid. & ſeqq. num.23. Pœnæ ſepelientium. ibid. numero 24. Quando prædictis negatur ſepultura. ibid. num. 15. Quid de Religioſis proprietariis. ibid. num.26. Quid de ſepultura damnatorum ad mortem. ibid. num.27. De ſepultura Tertiariorum: verbo *Tertiarij, & Tertiariæ*. p.670. num.3. Eligere illam expedit ipſis. ibid. num.4. De ſepultura Nouitiorum, verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum*. p.458. numero 1. Dubium de infirmis, qui moriuntur in quodam Monaſterio. p.550. numero 28. Sepeliuntur in Eccleſia, ſeu Cœmeterio ipſius. ibid. num.29. Ex generaliſſima exemptione huius Religionis ibid. num.30. Specialiter ex priuilegio Ioannis XXII. ibid. numero 31. Expenduntur verba illa, *vos, & perſonas*. ibid. numero 32. Caſus de quodam ſæculari. p.551. numero 33. Exemptio locorum ordinis. ibid. numero 34. Monaſteria æquiparantur locis poſitis extra diœceſim. ibid. numero 35. Quilibet Catholicus eſt liber ad ſepulturam eligendam. ibid. numero 36. Tales infirmi cenſentur eligere ſepulturam in illa Eccleſia. p.551. numero 37. Et mutaſſe domicilium. ibid. numero 38. Plura priuilegia. ibid. num.39. Cenſentur vt familiares. ibid. numero 40. Commorantes cum Religioſis. p.551. numero 41. Bulla Nicolai V. ibid. numero 42. Gaudent hoc priuilegio. ibid. numero 43. Moderatio Concilij Tridentini. ibid. numero 44 De quibus priuilegiis loquatur. ibid. numero 45. verificatur conditio. ibid. num. 46. Fauet conſuetudo. ibid. numero 47. Quis humari debet, vbi recipit Sacramenta. p.552. numero 48. Cui licet quod eſt plus, licet quod eſt minus. ibid. num.49. Dignius trahit ad ſe minùs dignum. ibid. num 50. Hoſpitalia religioſa fruuntur multis priuilegiis. ibid. numero 51. Recenſentur. ibid. numero 52. Ita & hoc priuilegio debent gaudere. ibid. num.53. Quid de conſuetudine in contrarium, quæ prætenditur. ibid. numero 54. Regularium priuilegia non amittuntur per non vſum. ibid. numero 55. Non adfuit ſcientia priuilegiorum. ibid. num.56. Priuilegium Eugenij IV. p.552. numero 57. De Diplomate Sixti IV. ibid. num.58. Non derogat mari magno. ibid. num.59. Potiùs derogatur ab illo. ibid. num.60. Caſu quo derogaret, quo ſenſu intelligi debeat. ibid. num. 61. Conſuetudo fauet. p.552. num.62. Et Concilium. ibid. num.63. Maximè pro certis infirmis. ibid. num.64. Generi per ſpeciem derogatur. ibid. n.65. De Diplomate Pauli Papæ. ibid. n.66.

Seruitarum priuilegia: verbo *Priuilegia Regularium*. p.508. n.26.

Simoniæ diffinitio: verbo *Simonia quoad Regulares*. p.553. numero 2. Alia jure diuino, alia ſolùm iure Eccleſiaſticu prohibita. p.554. num.4. Qualiter dare, vel accipere aliquid pro receptione ad Religionem ſit ſimonia. ibid. num. 5. Pro Sacramentis, & ipſorum adminiſtratione. ibid. numero 6. Pro Sacramentalibus, & ſimilibus. ibid. num.7. Pro rebus ſacris permanentibus. p.555. numero 8. Quid pro ſepultura. ibid. num.9. Quid pro actibus, ſeu exercitiis ſcientiarum. ibid. num.10. Quid pro licentia docendi, aut pro gradibus. ibid. num.11. Pro licentia audiendi confeſſiones, prædicandi, abſoluendi, &c. p.556. numero 12. Quid de Beneficiis, & Prælatiis Regularium. ibid. numero 13. An in commutatione ipſorum. ibid. numero 14. An in renunciatione, ſeu reſignatione. ibid. numero 15. Quid de aliis officiis Religionum. ibid. numero 16. De interceſſoribus, ſeu mediatoribus ad ipſa. ibid. numero 17. De iurepatronatus. ibid. numero 18. De ſimonia confidentiali. ibid. numero 19. De ea, quam committere poſſunt Regulares in electionibus. p.557. numero 20. In quibus caſibus eam committant. ibid. num. 21. De pœnis ſimoniacorum. ibid. numero 22. Propter quam ſimoniam incurrantur pœnæ. ibid. numero 23. De dantibus, ſeu recipientibus aliquid pro ingreſſu in Religionem. p.558. numero 24. De pœna ſuſpenſionis, quæ propterea incurritur. ibid. num.25. Qualiter puniendus, tam recipiens, quàm receptus ſimoniacè. ibid. num.26. Simoniaci ſunt infames. ibid. numero 27. De pœnis Simoniacorum in Ordine. ibid. num. 28. Simoniacorum in Beneficiis. pag. 559. numero 29. De abſolutione, & diſpenſatione prædictarum pœnarum. ibid. num.30. Pro quiete Religioſorum quid notandum. ibid. num.31.

Socij Priorum iturorum ad Capitulum Prouinciale, quomodo eligantur in Prouincia Caſtellæ. *in Relectione*. p.604. n.36. & ſeqq.

Sorores plures an recipi poſſint in vno Monaſterio: verbo *Moniales.* p.440.n.6.

Sortes tunc fiunt, cùm mittuntur, vt aliquid fiat, aut innoteſcat: verbo *Veneficia.* pag.583. & ſeq. numero 9. Sunt triplices, quædam diuiſoriæ, aliæ diuinatoriæ, aliæ conſultoriæ. ibid. Quæ illarum ſint licitæ. ibid.

Sortilegium eſt caſus reſeruabilis inter Regulares: verbo *Veneficia.* pag.581. num.1. Quomodo differat à Veneficio, & incantatione. ibid. numero 2. Quando regulares incidant in hunc caſum. ibid. p.584.n.10.

Statuta de recipiendis ad Religionem Neophytis, an ſint valida: verbo *Neophytus Regularis.* pag.442. num.6. De non admittendis ad Prælatias. p.443. num. 10. & ſeqq. Statuta prohibentia profeſſionem, non cenſentur irritare illam, niſi hoc declarent: verbo *Nouitij,& Nouitiæ Religionum.*p.453. num.16. Statutum quid importet apud Regulares: verbo *Statuta.* pag.561. num.1. De ſtatutis Religionum. ibid.num.2. An obligentur Regulares ad ſtatuta laicalia. ibid.& ſeq. num.3. Ad quæ ex ipſis obligari poſſint. pag.562.num.4. De aliis ſtatutis laicalibus. ibid. num.5. Sacræ Congregationis declarationes. ibid.num.6. Quid in dubio, an ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam. ibid. & ſeq. num.7. De pœnis contra facientes ſtatuta contraria libertati Eccleſiaſticæ. pag.563. num.8. Reſolutio cuiuſdam dubij circa quoddam ſtatutum. ibid. num.9. Tale ſtatutum videtur licitum & honeſtum. ibid. num.10. Ordinatur ad maiorem decorem Eccleſiæ. ibid. num.11. An obſtet quod factum ſit per Regulares. ibid. num.12. Eſt propter bonum publicum. pag.563. num.13. Statutum laicorum præſcribens formam in funere defunctorum, an ſuſtineatur. ibid. num.14. An priuilegiatiuum, & fauorabile reſpectu Eccleſiaſticorum. ibid. num.15. Ordinare quod Clerici non vtantur vtenſilibus Eccleſiæ, niſi certis diebus, an debeat ſuſtineri. p.564. num.16. Ille Camerarius eſt veluti Oeconomus bonorum illius Eccleſiæ. ibid. num.17. Fauet valdè Bulla Martini V. ibid. num.18. Bulla Clementis VII. ibid. num.19. Talis Camerarius eſt adminiſtrator illorum bonorum. ibid. num.20. Verba Martini V. ibid. num.21. Verba Clementis. p.564. num.22. Adminiſtratores ciuitatum habent adminiſtrationem cum libera. ibid. num.23. Hoc declaratur in Bulla Martini. ibid. num.24. Pro adminiſtratione præſumitur. ibid. num.25. Videtur habere iuriſdictionem delegatam. ibid. num. 26. An dici poſſit Papam non potuiſſe id facere. ibid. numero 27. Facultas contenta in Martiniana. ibid. num.28. Quid prædeceſſores egerint: ibid. numero 29. Videtur ceſſare ſcopulus peccati,& cenſuræ. ibid.num.30.

Stipendia plura pro vna Miſſa accipi non poſſunt: verbo *Miſſa.* p.398. num.10. Etiamſi parua, & incongrua ſint. ibid. num.11. Nec etiam propter paupertatem Sacerdotum. pag.399. num.13. Nec propter congruam ſuſtentationem Sacerdotis. ibid. num.14. Nec propter priuilegia Regularium. ibid. num.15. Nec propter imagines magnæ deuotionis. ibid. num.16. An pro applicatione fructus, qui correſpondet Sacerdotio. p.400. num.17. An pro applicatione Indulgentiæ. ibid. num.18. Quid in caſu grauis neceſſitatis, & aliarum circumſtantiarum. pag.402. num.24. An ſi alio modo viuere non poſſint Sacerdotes. ibid. numero 25. Quomodo ſatisfacere poſſint qui oppoſitum fecerunt. ibid. & ſeq. num. 26. 28. & 29. Stricta ſuſtentatio quomodo intelligenda. ibid. num.27. An accipi poſſit ſtipendium pro Miſſa,& committi aliis,detractâ parte ipſius.p.405.n.35.

Strictior Religio quæ ſit cenſenda: verbo *Tranſeuntes Regulares.* p.576.n.8.

Spolia Regularium quæ ſint, verbo *Spolia Regularium.* p.559.num.1. Bona Religioſi ex illicita negotiatione, aut contra Sacros Canones adquiſita, ſpolia ſunt. p.560. num.2. Quid de bonis Beneficiati Regularis. ibid. num.3. Quæ bona ſpoliorum nomine veniant. ibid.n.4. An ſpolia Regularium pertineant ad Conuentus vbi morantur tempore mortis, an vbi profeſſionem emiſere. ibid. num.5. Seruari debent Conſtitutiones, & conſuetudines Religionum. p.560. num.9. Spectat ad Superiores inter Mendicantes determinare hoc. ibid. num 7. Quidquid Monachus acquirit, Monaſterio acquirit. ibid. numero 8. Quando non adeſt lex, aut conſuetudo, videtur iudicandum pro Conuentu, in quo Religioſi morantur tempore mortis. p.560.num.9. Quia ad illum ſpectat ſuſtentare ipſos. ibid. numero 10. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum. ibid. num.11. Commodum eius eſſe debet, cuius eſt incommodum. ibid. num. 12. Bona lapſorum Clericorum traduntur Monaſteriis, quibus ipſi ad pœnitentiam peragendam ſunt traditi. ibid. numero 13. Fauet Concilium Tridentinum. ibid. num.14. Decreta Clementis & Vrbani. ibid num.15. Conuentus, qui prouident Religioſis in ſuis neceſſitatibus. ibid. num.16. Bona huius defuncti ſpectant ad Conuentum. ibid. num.17. Quia erant acquiſita illi. ibid num.18. Ius quæſitum per accuſationem fortius eſt, quàm ius quærendum. ibid. & ſeq. num.19. Non refert conſtitutio huius Religionis. pag.561. num.20. Generalis, qui eſt vir doctus, applicauit ſpolia Monaſterio vbi obiit. ibid numero 21. Potuit id facere. ibid. num.22. Dictio *niſi*, ponit exceptionem. ibid. num.23. Conſtitutio loquitur pro caſu particulari. ibid. num.24. Caſus omiſſus à lege habetur pro omiſſo. ibid. numero 25. Conſtitutio quomodo intelligenda. ibid. num.26. Ad inſtar peculij adquiſiti à ſeruo communi. p.561 num.27. Ratio huius limitationis. ibid. num.28. Generalis videtur habuiſſe ius commune pro ſe. ibid. n.29.

Suffragium quot modis ſumatur: verbo *Suffragia.* pag.565. num.1. Suffragium pro adiutorio ſpirituali tribus modis contingit. ibid num.2. Suffragium ex opere operantis duobus modis. ibid. numero 3. Fideles in hac vita poſſunt ſe inuicem adiuuare. ibid. num.4. Item defunctos in Purgatorio exiſtentes. ibid. num.5. Qualiter Regulares teneantur ſuffragia offerre pro benefactoribus. ibid. num.6. An perdant ipſorum opera de ſuo valore, ſi aliis applicentur ibid. num.7. Qui fructus applicatur à Summis Pontificibus aliquando. ibid. & ſeq. num. 8. De ſuffragiis ſumptis pro votis, ſeu vocibus Capitularium. pag.566. num.9. An ſemper dignioribus dari debeant. ibid. num. 10. An poſſit aliquis duo ſuffragia in electione aliqua habere. ibid. num.11.

Superior Regularis: vide *Prælatus Regularis.* pag.494. & ſeqq.

Superſtitio quid, & quotuplex: verbo *Veneficia.* pag.583.num.3. Quatuor eius ſpecies. ibid.

Suſpenſio quid ſit: verbo *Suſpenſio quoad Regulares.* pag.566. num.1. Quotuplex ſit. p.567.num.2. De cauſis ipſius. ibid. num.3. De effectibus ipſius. ibid. num.4. De ſuſpenſione ab officio ſimpliciter. ibid. num.5. De ſuſpenſione ab officio in Religionibus. p.568. num.6. De ſuſpenſione ab ordine. ibid.num.7. De ſuſpenſione à beneficio. ibid.

num.8. De ſuſpenſione à iuriſdictione, ibid. numero 9. De ſuſpenſione à diuinis. ibid. num.10. De ſuſpenſione à iuriſdictione temporali. ibid. num. 11. De ſuſpenſione ab ingreſſu Eccleſiæ. ibid. & ſeq. num. 12. De violante ſuſpenſionem. pag 569. num.13. An actus prohibiti ſuſpenſo, ab eo validè fiant. ibid. num.14. Suſpenſum an vitare teneamur. ibid. num.15. Suſpenſiones impoſitæ contra Regulares. ibid. num.16. Aliæ ſuſpenſiones. p.470. num.17. Suſpenſio quot modis tollatur. ibid. num.18.

T

TAbellionis munus an exerceat excommunicatus: verbo *Excommunicatio*, &c. p,238. n.39.

Temerè, vel ſimiles dictiones, quales ſunt, *præſumptuosè*, *audacter*,&c. denotant audaciam, præſumptionem, & temeritatem in operante, & ita non comprehendunt ea ignorantia, etiam culpabili operantem: verbo *Dictio*. p.176.num.42.

Tempus decem annorum dicitur tempus longum: verbo *Annus*. pag.39. num.10. Tempus infra decennium dicitur modicum. ibid. Tempus immemorabile quod dicatur. ibid.

Terminus deſignatus in edictis pro denunciationibus faciendis, quomodo accipiendus: verbo *Denunciatio*, &c. p.171. num.8.

Tertiariorum indulgentiæ: verbo *Indulgentia*, &c. pag.294. num.16.

Teſtis eſſe an poſſit excommunicatus: verbo *Excommunicatio*, &c. p.538.n.38.

Tortura an & quomodo applicanda Regularibus: verbo *Iudex* &c. p.336.n.14.

Qualis pœna ſit, & quando inferenda, & pro quibus criminibus: verbo *Tortura quoad Regulares*. pag.574. & ſeq.

Tranſlatio Monialium qualiter, aut quomodo facienda: verbo *Clauſura*. p.128. à n.14. & ſeqq.

Tuo iudicio, vel *Tua prudentia*, aut ſimiles clauſulæ, quid importent: verbo *Clauſula*. p.115.n.71.

Tabellio pro cauſis Regularium quomodo ab ipſis inſtitui poſſit: verbo *Notarius Regularis*, per totum. p.445. & ſeq.

Tertiarij, & Tertiariæ qui ſint: verbo *Tertiarij*, & *Tertiaria*. pag. 570. num.1. An potiantur priuilegiis Religionum. ibid.num.2. Quid circa ſepulturam. ibid. num.3. Eligere illam quomodo expediat. pag.571. num.4 An poſſint accipere Sacramenta a Regularibus ſuæ Religionis. ibid. num.5. Quid circa reſeruationem caſuum. ibid. num.6. Quid circa lucrandas indulgentias. ibid. num.7. Quid de priuilegiis Bullæ Cruciatæ. ibid. num.8. Explorandáne ſit voluntas Tertiariarum ab Epiſcopis. ibid. n.9.

Teſtamentum condere non poſſunt Regulares: verbo *Teſtamentum quoad Regulares*. p.571. num.1. Sine licentia Papæ. ibid. An poſſint facere aliquam ſchedulam, quâ rogent Prælatum, vt aliqua quæ ipſi habent ad vſum, aliis concedant. ibid. An poſſint Regulares teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem interpretari. pag.572.num.2. An illud reuocare. ibid. An donare causâ mortis. ibid. An exercere munus executoris teſtamentarij.ibid. num. 3. Quid de Fratribus Minoribus. ibid. numero 4. Non poſſunt cùm adſunt confectionibus teſtamentorum, retrahere à reſtitutionibus, legatis, &c. ibid. & ſeq. num. 5. Nec inducere ad vouendum, vel promittendum electionem ſepulturæ. p.573. n.6.

Teſtes ſunt Regulares in aliquibus cauſis: verbo *Teſtis Regularis*. pag.573. num.1. Quando ad id teneantur. ibid. An teneantur manifeſtare ea, quæ faciunt pro aduerſario. ibid. num.3. Teſtes falſarij ad quid teneantur. ibid. num.4. De numero teſtium. pag. 574. num. 5. De qualitate teſtium. ibid. num.6. Teſtes Regulares examinati à S. Officio non poſſunt per quinquennium à dio depoſitionis à Prælatis moleſtari. ibid. n.8.

Thecæ reliquiarum an tangi poſſint à laicis: verbo *Vaſa Sacra*. p.582. n.5.

Tonſura an ſit Sacramentum: verbo *Ordines Sacri*. pag.479. numero 2. Confertur ab aliquibus Abbatibus. p.481.n.6. Quo tempore. p.482. n.9. Quibus perſonis. ibid. n.10.

Tortura an,& quando applicanda Regularibus: verbo *Tortura Regularium*. pag. 574. numero 1. Propter quæ indicia. ibid. numero 2. Non ſtatim applicanda. ibid. num.3. Priuilegiati non torquendi. ibid.n.4. Quando non applicanda. ibid. & ſeq. num.5. Quando pœna delicti eſt æqualis, vel minor ipsâ torturâ. p.575. num.6. An ſemel tortus iterum torqueri queat. ibid. n.7.

Tranſitus Religioſorum ex vna Religione ad aliam, quibus conditionibus permittatur: verbo *Tranſeuntes Regulares*, p.575. num.1. Non debet eſſe ex animi perturbatione, ira, aut odio. ibid. num.2. Nec cum iactura Religionis, quæ deſeritur. ibid. & ſeq. num.3. Nec ſine licentia. pag.576. num.4. Et quod Religio, ad quam fit tranſitus, ſit perfectior. ibid. num.5. Quæ cenſeatur talis. ibid. numero 6. Quid attendendum pro tali perfectione. ibid. num. 7. Quid ad ſciendum an ſit ſtrictior, vel auſterior. ibid. num.8. Regulares tranſeuntes non debent habere prohibitionem ad hoc à Sede Apoſtolica. ibid. num.9. Qui habeant illam. ibid. numero 10. Qui poſſint dare licentiam ad tranſitum. pag.577. num.11. Qui permittuntur facere Nouitiatum. ibid. n.13. De loco, quem habent ſic tranſlati. ibid. num. 14. Qualiter obligentur votis, quæ aliàs in priori Religione habebant, ex Conſtitutione Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani. ibid. Alia ad ipſos ſpectantia. ibid. Tranſire an poſſint Regulares reformati ad non reformatos intra eandem Religionem: verbo *Reformati Regulares*. pag.529. num.7. Caſus propoſitus de quodam Prælato potente concedere facultatem tranſeundi ad laxiorem Religionem. pag.578. numero 16. In triplici ſenſu tractatur. ibid. num.17. Quid de iure communi. ibid. num.18. Auctoritas hæc eſt neceſſaria pro bono regimine Religionis. ibid. num.19. Sententia hæc eſt valde probabilis, propter multitudinem DD. qui illam tenent. ibid. num.20. Qui ſunt hi DD. pag.578. num.21. Non poteſt non eſſe probabilis tot fautoribus. ibid. num.22. Non obſtat Concilium Tridentinum. ibid. num.23. Nec extrauagans, *Viam ambitioſa*. ibid. n.24. Nec Conſtitutio Pij V. ibid. n.25. Quomodo ea intelligenda. p. 579. n.26. Nec Bulla Sixti V. ibid. n.27. Nihil hic dicitur de Prælatis Regularibus. ibid. n.28. De conſuetudine, & praxi Curiæ. ibid. n.29. An ſit talis conſuetudo, & & praxis. ibid. numero 30. Quid de iure ſpeciali Bullæ Sixti V. pag. 579. numero 31. Verba ipſius. ibid. numero 32. Expenduntur illa, *ſine expreſſo conſenſu*. ibid. numero 33. Dictio *ſine*, quantum valeat. ibid. numero 34. Verba illa, *ſine conſenſu*, ad quæ referenda. ibid. numero 35. Bulla iſta eſt fauorabilis. ibid. numero 36. Quomodo ſit procedendum iuxta Concilium Auctoris. ibid. n.37.

Tranſlatio Monaſteriorum qualiter, aut quomodo facienda: verbo *Monaſteria Regularium*. pag. 453. num.32. Quæ priuilegia circa hoc ſint. ibid. An modò

modò maoeant in ſua vi. ibid.num.33. Quæ bona ipſorum transferri poſſint. p.454.n.37. & 38.

Triremium pœna, prout ad Regulares ſpectat: verbo *Monetarij*. pag.419. num.5. Propter quæ delicta infligatur: verbo *Triremium pœna*. pag. 579. numero 1. Hæc pœna, an noua, vel antiqua. ibid. & ſeq. numero 2. Ao digna, quod imponatur Religioſis. pag. 580. numero 3. Quando poſſit illis imponi. ibid. numero 4. An damnati ad triremes habitu ſpoliari debeant. ibid. num.5. Quibus adquirant tales damnati. ibid. numero 6. Propter quæ delicta S. Officium hanc pœnam imponere ſoleat. ibid. num.7.

Turoniæ Prouincia Carmelitarum valdè reformata, *in Relectione*. p.613. num.86. Quem modum ſeruet in electione Priorum. ibid.

Tutelam an poſſint ſuſcipere Regulares: verbo *Tutela Regularium*. pag.580. numero 1. Tutela quotuplex. ibid. An cùm illam ſuſcipiunt, poſſint negotiari. ibid. Tutelam honorariam ſuſcipere poſſunt. ibid. num. 2. An tutelam miſerabilium perſonarum. ibid. num.3.

V.

VEctigal quid ſit: verbo *Gabella*, &c. pag.554. num.1. Quomodo Regulares ab eo liberi, eo verbo, per totum. ibid. & ſeq.

Venerandæ ſemper declarationes SS. Congregat. verbo *S. Congregatio*. p.148. n.14.

Verè pœnitentibus, & confeſſis, clauſula apponi ſolita in Iubilæis, vel indulgentiis, quomodo intelligenda: verbo *Iubilaum*. p.330. n.7.

Viſitatio Altarium, ſeu Eccleſiarum, quomodo facienda pro conſequendis Iubilæis, vel indulgentiis: verbo *Bulla Cruciata*. p.86. num.18. & verbo *Iubilaum*. p.330. n.11.

Viſitatores Regularium: vide *Commiſſio, & Commiſſarius Regularium*. p.130.& ſeqq.

Vnctio in extrema Vnctione, quomodo facienda: verbo *Extrema Vnctio*, &c. p.545.& ſeqq.

Vocatis vocandis, &c. clauſula quid importet: verbo *Clauſula*. pag.115. n.72.

Vota in electionibus ſecreta: verbo *Abbatiſſa*. pag.5. numero 3. & verbo *Electio*, &c. pag.196. & 197. num.4. & 11.

Votorum commutatio: verbo *Bulla Cruciata*. pag.89. & ſeq. num.34. verbo *Confeſſarius*,&c. p.138.n.14. verbo *Iubilaum*. p.332.num.18. Vota iurata, vide *Iuramentum*. p.338.& ſeqq.

Valor Miſſæ an finitus, vel infinitus: verbo *Miſſa*. p.395.num.3.4.& ſeqq.

Vaſa Sacra quæ dicantur: verbo *Vaſa Sacra*, pag.580. & ſeq. numero 1. De Calice, & Patena. pag.581. numero 2. De Pyxide, ſeu ciborio. ibid. numero 3. De lunula, quæ Sacram Hoſtiam tangit. ibid. numero 4. De vaſis, ſeu thecis Reliquiarum. ibid.num.5. Vaſorum Sacrorum conditiones, & qualitates. ibid. n.6. An alienari, confringi, vel conflari poſſint. ibid.

Velum fœminarum vnde ſumpſit exordium: verbo *Velum Monialium*. pag. 581. numero 1. Sex vela, ſeu velamina Monialium. pag. 582. numero 2. De velo probationis, & profeſſionis. ibid. numero 3. De velo conſecrationis. ibid. numero 4. De velo ordinationis. ibid. numero 5. De velo Prælationis. ibid. num.6. De velo continentiæ. ibid. n.7.

Veneficia facere,&c.caſus reſeruabilis inter Regulares: verbo *Veneficia*.p.582.num.1. Veneficia,incantationes,& ſortilegia quomodo differant.ibid.n.2. Quando reſeruata fuerint, quomodo intelligenda. ibid. & ſeqq. num.3. An illis comprehendantur omnes ſpecies ſuperſtitionum.ibid.p.583.

Veneratio quæ competit Reliquiis: verbo *Reliquia Sanctorum*.p.531.n.7.& ſeqq.

Venientes ad Curiam Romanam ſunt ſub protectione Sedis Apoſtolicæ: verbo *Recurſus Regularium ad Sedem Apoſtolicam*. pag. 526. numero 6.

Veſtes Sacræ quæ dicantur, verbo *Veſtes Sacræ*.p.584. num.1. Earum inſtitutio,& neceſſitas. ibid. Quot ſint ibid. num.2. Qualitas ipſarum. ibid. num 3. Debent eſſe benedictæ. p.585. num.4. Quando ceſſet earum benedictio.ibid.num.5. Quid de alba, ſi reficiatur. ibid. num.6. Quid quando vetuſtate conſumptæ fuerint. ibid. num.7. An fieri poſſint ex materia aliàs prophana.ibid. num.8.An vendi, vel alienari.ibid.n.9.De veſtimentis Epiſcoporum. ibid.n.10.

Vicarij qui dicantur: verbo *Vicarij Religionum*. p.586. num.1. Alij ſunt veri Prælati, alij non. ibid. n.2. De Vicariis Generalibus. ibid num.3. De aliis Vicariis Generalibus. ibid num.4. Quæ obſeruanda in ipſorum inſtitutione ibid. num.5. De Vicariis Prouincialibus. p.587. num.6. De Vicariis Conuentualibus. ibid.num.7. De aliis Vicariis Conuentualibus. ibid. num.8 De Vicariis Monialium. ibid. num.9. De Vicariis Epiſcoporum. ibid. numero 10. Curandum vt Vicarij non deſint ſuæ reſidentiæ. p.587. num.12. Dubium de quodam Vicario Epiſcopali. ibid. num. 13. Primicerius quod officium importet. ibid. num. 14. Docet Diaconos, & alios Clericos cantum. ibid. num. 15. Habet gradum, & locum honorificum. ibid. numero 16. Si curam animarum exercet, non poteſt ab illa extrahi. ibid. num.17. Ex declaratione S. Congregationis. ibid. num.18. Ex ſtrictiſſima obligatione Parochi ad reſidendum ibid. num 19. Si non habet curam animarum an impediri poſſit. p.588. num.20 Ex *cap. de cætero, de Cleric. non reſid.* ibid.num.21 An derogatum per Concilium.ibid. num.22. Non ex *cap. ad audientiam, de Cleric. non reſid.* ibid. num.23. An ex quibuſdam declarationibus Sacræ Congregationis. ibid. num 24. Quatenus Primicerius non poteſt extrahi. ibid. numero 25. Propter reſidentiam Beneficiatorum. ibid. numero 26. Ex munere Primicerij. ibid. num.27. Quia iura relata ſolùm loquuntur de Canonicis. ibid. numero 28. Ex multis Doctoribus. ibid.numero 29. Quid de aliis. pag.586. numero 30. An modò Epiſcopi poſſint extrahere Canonicos pro ſuo ſeruitio. ibid. num.31. An ſit probabile contrarium. ibid.numero 32. Ex *cap. de cætero*, ibid. numero 33. Vicarius dicitur eſſe in ſeruitio Epiſcopi. ibid.numero 34. Exemplo Vicarij. ibid. numero 35. Seruiens Epiſcopo, Eccleſiæ ſeruit. ibid. numero 36. Abſens pro ſeruitio Eccleſiæ fructus percipit. ibid. numero 37. Ita videntur tenere plures Doctores. pag.589. numero 38. An concurrente Epiſcopi diſpenſatione. ibid. numero 39. Rotæ deciſio. ibid.numero 40. Debet Epiſcopus prouidere, vt abſentia talis Primicerij non ſit damnoſa Eccleſiæ. ibid. num.41. Subſtituendo alium. ibid. num 42.

Violatores ſepulchrorum quas pœnas incurrant: verbo *Sepultura quoad Regulares*. p.549.n 52.

Viſitator quis dicatur: verbo *Viſitator Regularis*. pag. 589. num.1. Viſitare competit habenti iuriſdictionem ordinariam in aliquos. ibid. num.2. De obligatione Prælatorum Regularium ad viſitandum. ibid. num.3. Tempore viſitationis ad quem pertineat regimen Conuentus, vel Prouinciæ. ibid. num.4. De modo procedendi in viſitatione.

Index Rerum Notabilium.

ſitatione. pag.590. num.5. De modo procedendi per inquiſitionem generalem. ibid. numero 6. De modo procedendi per inquiſitionem ſpecialem. ibid. num.7. De criminibus propter quæ formari debet proceſſus. ibid. num.8. Qualiter teneantur Regulares in viſitatione denunciare defectus aliorum. ibid. num.9. Qui eo tempore id non faciunt, poſteà audiri non debent. ibid. num.10. Viſitatores qualiter abſtinere debent à munerum receptione. ibid. num.11. An in eodem anno poſſit bis viſitari Prouincia, ſeu Conuentus. ibid. & ſeq. num.12. Viſitator an recuſari poſſit. p.591. num.13. An ipſe, vel ipſius Socius eligi in Prælatum locorum, quæ viſitant. ibid. num.14. Cæcus an eligi poſſit in viſitatorem. ibid. num.15. De abſolutionibus, ſeu diſpenſationibus dari ſolitis tempore viſitationis. ibid. num.16. De caſibus, in quibus Epiſcopi viſitare poſſunt Monaſteria Regularium. ibid. num.17. De viſitatoribus Monialium. ibid. num.18.

Vitare ſuſpenſum quando teneamur: verbo *Suſpenſio quoad Regulares*. p.569. num.15.

Viuæ vocis Oracula: vide *Oracula viuæ vocis*. p.474. & ſeqq.

Viuens an poſſit Miſſam, & Officium defunctorum pro ſe dici facere: verbo *Miſſa*. pag.411. numero 54.

Vocis actiuæ, vel paſſiuæ renunciatio non ſemper admittenda Religioſis: verbo *Renunciatio quoad Regulares*. p.532. num.8.

Vota eſſentialia quæ ſint: verbo *Votum pro Regularibus*. pag.592. numero 2. Tam ſolemnia, quàm ſimplicia. ibid. De votis ſpecialibus aliquarum Religionum. ibid. num.3. De voto Religioſorum S. Mariæ de Mercede. ibid. & ſeq. numero 4. De voto Minimorum. ibid. & ſeq. num.5. Aliqua illorum ſunt ſolemnia, & alia ſimplicia. p.593. numero 6. An obligent ſolùm quando Religioſi permanent in prædictis Religionibus. ibid. Vota Regularium quæ irritari poſſunt à ſuis Superioribus. ibid. numero 7. Quid de votis Nouitiorum. ibid. num.8. De commutatione votorum Regularium. ibid. numero 9. De diſpenſatione ipſorum. pag.594. num.10. Vota Papæ reſeruata, quæ, & qualia. ibid. An, & quando cenſeatur conceſſa licentia pro illis diſpenſandis, vel commutandis. ibid. num.11. In quibus caſibus commutari poſſunt ab Epiſcopis. ibid. num.12. Alij caſus. p.595. num.13. An aliquando in voto Religionis. ibid. num.14. An in voto caſtitatis. ibid. num.15. Notanda circa vota viſitationis Romæ, & Compoſtellæ. ibid. num.16. De voto tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem. p.596. num.17. Diſpenſatio in votis quomodo danda. ibid. num.18. Confeſſarij an irritent vota. ibid. num.19. An illa commutent. ibid. num.20. Quid ex priuilegiis Regularium. ibid. num.21. An diſpenſent in illis, ſaltem propter priuilegia. ibid. & ſeq. num.22. Reſpectu quorum competit facultas commutandi, & diſpenſandi Confeſſariis Regularibus. p.597. numero 23. Qualiter poſſint uti illâ. ibid. num.24. An diſpenſent cum coniugibus, qui voto facto de caſtitate contraxerunt, ad petitionem debiti. ibid. num.25. Quæ vota poſſint Regulares emittere. ibid. num.26. Quæ vota ipſorum cenſeri debeant valida. ibid. & ſeq. num.27. Quid de votis realibus Regularium. pag.598. num.28. Quid de votis non petendi irritationem, commutationem, ſeu diſpenſationem votorum. ibid. num.29. Votum quod in aliqua Religione emittitur de non procuranda Prælatia, dignitate, &c. obligat etiam tranſeuntes ad aliam Religionem: verbo *Tranſeuntes Regulares*. p.577. num.14. Votum arctioris Religionis à quo commutetur, vel diſpenſetur: verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum*. p.458. num.39. Vota, ſeu ſuffragia in electionibus debent eſſe abſoluta, ſecreta, & libera: verbo *Suffragia*. pag.566. numero 9. An ſemel data reuocari poſſint. ibid. Digníoribus dari debent. ibid. numero 10. An aliquis poſſit habere duo vota in electionibus. ibid. num.11. An in electionibus addi poſſint aliqua vota, ſeu ſuffragia. *in Relect*. p.606. num.44. & ſeqq.

Vnio Monaſteriorum an fieri poſſit à Regularibus: verbo *Monaſteria Regularium*. pag.425. numero 39. & ſeqq.

Vox actiua, & paſſiua quid importent: verbo *Pœna Eccleſiaſtica*. p.488. num.10. & 11.

Vſurarij eligi non poſſunt in Prælatos: verbo *Prælatus Regularis*. p.495. num.6.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google